Juarez

1568

1568
XXVII. 2

2.491

Suar: de Penit: tom. 4.



COMMENTARIORVM

AC

# DISPVTATIONVM

## IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ,

## Tomus Quartus:

*Accuratam Quæstionum D. Thomæ, ab LXXXIIII. vsque ad finem; & Disputationum virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragijs & Indulgentijs, expositionem complectens:*

Autore P. D. FRANCISCO SVAREZ Granatensi, è Societate IESV, Sacræ Theologiæ in celebri Conimbricensi Academia Primario Professore.

*Accesserunt Indices quinque: Quæstionum & Articulorum Primus: Disputationum & Sectionum Secundus: locorum S. Scripturæ Tertius: Capitum Iuris Canonici Quartus: Rerum & verborum Postremus.*

Editio postrema, à multis mendis quàm accuratissimè repurgata.



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PROPIEDAD INTELECTUAL REGISTRO DE LA






# IVDICIVM DOCTORVM

## QVI PRIMVM IN LVSITANIA

*hoc opus recognouerunt.*

EX mandato Illuſtriſsimi Domini, Domini Antonij de Matos de Noroña, Epiſcopi Heluenſis, Inquiſitoris generalis,&c. Quartum hunc Tomum Commentariorum celeberrimi Theologi Franciſci Suarez,in tertiam partem D.Thomæ,ſtudioſè recognoui: nec in eo quicquam offendi ab orthodoxa fide,aut morum regula diſſentaneum, ac non ſolùm approbatione, ſed præcipua commendatione multis nominibus digniſsimum duxi. Elucet quippè in eo validum, & capaciſsimum, nec minùs moderatum auctoris ingenium, obſcura quæque loca noua quadam luce perfundens,abſoluta item eruditio, fœlix ſtyli claſsici facilitas, perpetuum Catholicæ pietatis fouendæ, & contra hæreſes,præſertim noſtri temporis,firmiſsimè ſtatuendæ ſtudium,cum ſolida,ſacríſque principiis, & maiorum auctoritati inhærente reſolutione,quare ad commune rei Theologicæ,adeóque Reipublicæ Chriſtianæ bonum pertinere cenſeo,vt typis mandetur.

*D.Franciſcus Pereira.*

*REcognoui hos Commentarios de Pœnitentia,& Extrema vnctione, P.D. Franciſci Suarez, Theologi præſtantiſsimi, & viſum mihi eſt opus ſingularis eruditionis, ac ſummæ diligentiæ, quo nihil indiſcuſſum, nihil indeciſum relinquitur,atque adeò impreſsione digniſsimum,vt in omnium manibus,magna cum vtilitate verſetur: cùm nihil etiam contineat, quod à Catholica fide, bonis moribus,& ſaniore doctrina ſit alienum. Olyſsippone 10.die Iunij.1600.*

D.P.Paulus Ferrer.

# Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliæ, & Nauarræ Regis Diplomate cautum est, ne quis in suo regno, aliisue locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum qui inscribitur, *Commentariorum ac disputationum, in tertiã partem D. Thomæ, Tomus primus, secundus, tertius, quartus, & quintus* à R. Pater Francisco Suarez Societatis IESV, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis: Datum Parisijs. 30. Iulij anno 1607.

De mandato Regis.

*Signatum* DE LA FON.

---

## FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

*LVDOVICVS RICHEOMVS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunẽsi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij. 1583. & Henrico IV. nunc regnante 20. Decembris 1606. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque eorundem permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur.* Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem D. Thomæ, Tomus primus, secundus, tertius, quartus, & quintus, *à R. Patre Francisco Suarez Theologo Societatis IESV, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 30. Maij. 1607.*

RICHEOMVS.

---

## FACVLTAS ILLVSTRISSIMI Domini D. Alphonsi de Castelbranco, Episcopi Conimbrensis.

POTEST mandari Typis, Tomus hic quartus, in tertiam partem D. Thomæ. Conimbricæ, 14. die Augusti, Anno, 1602:

*D. Alphonsus Episcopus Comes.*

# PARTIVM QVÆ IN HOC QVARTO TOMO CONTINENTVR SVMMA.

| | |
|---|---|
| De pœnitentiæ virtute. | Diſputationes XV. |
| De pœnitentiæ ſacramento. | Diſputationes XXIII. |
| De extrema vnctione. | Diſputationes VI. |
| De Purgatorio. | Diſputationes III. |
| De Suffragiis. | Diſputationes I. |
| De Indulgentiis. | Diſputationes IX. |

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

# Ad Lectorem.

POSSEM, benigne Lector, multa oratione vti, qua me vellem excusatum, quòd tandiu intermissi meos in tertiam partem D. Thomæ Commentarios, reliquam de Sacramentis tractationem persequendo, quam sanctus Doctor fœlici morte præuentus, non absoluit. Neque verò me deficerent rationes, quibus crederem à me tibi satisfactum iri, quibúsque adductus intelligeres, non mihi voluntatem, sed opportunitatem defuisse. Verùm tibi molestus esse nolo, varias occasiones recensendo natas è rebus domesticis ac priuatis, quæ fortasse mihi impedimento esse potuerunt. Vnum illud non omitto, huius materiæ grauitatem, & amplitudinem tãtam esse, vt ea sola mihi posset tam diuturnas moras interponere, adeo vt putem, non tam meam cunctationem excusationibus indigere, quàm meam festinationem in rebus adeo grauibus euulgandis, præsertim cùm me aliæ iuxtà graues occupationes retardarent. Quare in hac re dumtaxat oro, quæsoq; Lectorem, vt meum studium communi vtilitati consulendi, boni consulat, & si quam festinandi temeritatem me senserit incurrisse, eam, quia rei communis causa suscepta est, modestè patiatur.

De hoc verò libro nihil noui habeo, quod seorsim moneam: in eonámque eandem methodum, rationémque doctrinæ teneo, quam in cæteris. Solùm aduerto, quod attinet ad Commentarios in D. Thom. cùm illos hactenus persequutus fuerim vsque ad id, quod sanctus Doctor de hoc Pœnitentiæ sacramẽto in summa scriptum reliquit, non tamen libuisse eos vlteriùs producere, illustrando id, quod in quarto Sententiarum de eadem materia scripsit: tum quia neque grauitatis, neque auctoritatis tantæ est, vt cum Summa exæquetur: tum etiam quia non seruat eum ordinem, modumq; doctrinæ, ad quem interpretis labor se totum debeat referre, & conformare. Vnde satius visum est, omissis Commentarijs, quidquid huius operis reliquum erat, nostris disputationibus includere, quo etiam putaui & facilitati operis, & breuitati doctrinæ maximè consulendum.

Quanuis, vt fatear ingenuè, breuitas in hoc opere tanta esse nõ potuit, quãtam ferebat animus: nam præterquam quòd continet bonam partem multæ speculationis plenam, grauibusq; fœtam quæstionibus, quarũ singulæ sine assidua commentatione nequeunt pro dignitate expediri: complectitur præterea multò plures difficultates ad mores pertinentes, in quibus mirum est, quàm sit difficilè breuitatẽ sectari, si, perinde ac res postulat, grauiter ac vtiliter tractandæ sunt. In primis enim opus est, principia communia plenius illustrare, vt doctrina scientia videatur, non historia: deinde æquè necessarium est, ad nonnulla particularia

*cularia descendere, ne tractatio sua illa communitate contenta, minoris sit vtilitatis: nam, vt inquit Aristoteles, vtilitas doctrinæ moralis sita est in vniuersalibus ad particularia deducendis, & particularibus ad vniuersalia reuocandis. Et plerumque homines non sunt suoptè ingenio satis instructi ad generalia principia singularibus casibus applicanda, nisi in libris inueniant certas regulas, à quibus tanquam manu deducantur. Accedit, quòd ad Doctorem Theologum spectat, aliquando in huiusmodi materijs vltra suos terminos euagari, & Doctoris Canonici munus exercere, difficillima iuris loca suis momentis expendendo: qua etiam in re curauimus diligenter, ne quis nostram operam desideraret, rati, ex his tanquam fundamentis facilem nobis aditum ad multas quæstiones enodandas affuturum. Hinc effectum est, vt cùm in limine Tomi tertij, quartum duntaxat promisissem, qui omnem de Pœnitentia. Censurisq; doctrinam contineret, nunc materiæ vbertas, aliò meum consilium inflectat, & in quartum, ac quintum cogat bipartiri: vnus enim insanæ magnitudinis videretur. Præstare tamen possum, fore, vt nihil otiosum, nihil alienum ab eo, quod res postulat in vtroque includatur.*

*Nunc ordine accipias, in quem huius libri materiæ digeruntur. Primùm enim tractatui de Sacramento Pœnitentiæ: alter præmittitur de virtute Pœnitentiæ tanquam ad illius intelligentiam requisitus, & ad quæstiones D. Thomæ accommodatus: alter subiungitur de Sacramento Extremæ vnctionis, veluti appendix ad pœnitentiæ Sacramentum. Quibus accedunt tres aliæ materiæ de Purgatorio, Suffragijs, & Indulgentijs, quæ sunt media, quibus anima, quæ suis operibus in integrum non satisfecit, vel in hac vita, vel in futura, vel in vtraq; omnino expiatur. Verùm in quintum Tomum doctrinam de Censuris, irregularitateq; suppono: quæ licèt magna ex parte ad forum externum Ecclesiasticum pertineant, tamen sacramento Pœnitentiæ adeò sunt affines, vt seorsim ab eo tractari minimè patiantur. Vnde licèt hi Tomi numero duo sint, vinculo tamen, nexuq; doctrinæ, vnus idémque est. Quare nixus sum, vt vterque simul in lucem ederetur, idq; ita spero secundo numine futurum: iam enim quintus sub prælo constitutus fœliciter procedit. Superest, benigne lector, vt si quid in hoc opere offenderis, quod te offendat, benevolè dissimules: si quid, quod tibi gratum sit, gratiam Deo habeas; mihi tuis precibus conferas adiumentum, vt deinceps ex meis laboribus Deo gloria, tibi vtilitas oriatur.*

*Vale.*

COMMENTARII,

# AC DISPVTATIONES

## P. D. FRANCISCI SVAREZ

E' SOCIETATE IESV,

in Tertiam partem D. Thomæ.

A Quæstione LXXXIIII. vsque ad finem.

*CVM DISPVTATIONIB. DE SACRAMENTIS Confessionis, & Extremæ vnctionis, de Purgatorio, Suffragiis, & Indulgentiis.*

## PRÆFATIO.

IN sacramentorum tractatu, & doctrina quartum locum tenet Pœnitentia, vt constat ex vsu Scholasticorum omnium, quem sua auctoritate confirmauit Concilium Tridentinum, sessio. 14. vt omittam antiquiores Patres, & Concilia, quæ superiùs indicaui in 3. Tom. 3. partis in initio. q. 73. Hic autem ordo non fundatur in dignitate: in hac enim sacramentum hoc non tenet quartum locum, sed quintum, vel fortasse sextum: vt traditur etiam 3. p. q. 65. sed fundatur in vsu huius sacramenti: nam, per se loquendo, est quartum in vsu: necessariò enim præcedit Baptismus, vt per se notum est: deinde Confirmatio, & Eucharistia, cùm sint sacramenta viuorum, ac per se loquendo, peccatum non supponant. Quia verò spiritualis vita in hominibus, vel frequenter amittitur, vel leuioribus culpis facilè maculatur, ideò post prædicta sacramenta, statim sequitur vsus pœnitentiæ. De qua disputant Theologi cum Magistro in 4. à d. 14. vsque ad 22. & ibi præcipuè D. Thomas, & nonnulla 4. contra Gent. ca. 71. & 72. & in 3. part. q. 84. materiam hanc inchoauit, sed fœlici morte præuentus absoluere non potuit. Antiqui etiam Patres, & qui his temporibus contra hæreticos scribunt, multa de hoc sacramento tradunt, quos suis locis indicabo: & eos in summam redegit Bellarminus 2. Tomo Contr. 4. lib. 1. cap. 10. Et nonnulla notauit Pamelius, ad lib. Tertulliani de Pœnitentia, in principio: multáque congessit Gratianus in septem distinctionibus de Pœnitentia: & in Decretalib. tam in antiquis, quàm in Sext. sunt multa decreta de Pœn. & remiss. vbi etiam Iurisperiti.

Conc. Trid.

Magist. & D. Tho.

Bellarm.

Pamel. Gratian.

Est autem in his auctoribus obseruandum, eos simul agere de virtute, & de sacramento pœnitentiæ, quoniam in lege gratiæ adeò sunt coniuncta, vt nec virtus prodesse valeat sine sacramento, vel ordine ad sacramentum, nec sacramentum sine virtute consistere. Et ideò sub vtraque ratione nobis etiam de pœnitentia differendũ erit. Vt verò distinctiùs procedamus, dicemus priùs de virtute, quæ prior est, & de se independens à ratione sacramẽti à postea: verò de sacramẽto tractabimus, quod ex institutione initium habuit. Et in priori parte explicanda, seruabimus eam scribendi methodum, quam in superioribus tomis super tertiam D. Tho. partem tenuimus: explicando quæstiones, quas ipse in eadem 3. part. de hac materia scripsit: posteriorem verò partem, sicut & cætera omnia, quæ ad quartum librum Sententiarum spectant, omissis commentariis, quoniam proprium D. Tho. textum non habemus, quem exponamus, solis disputationibus prosequemur. Quia verò D. Thomas in quæstione prima huius materiæ generatim disputat de pœnitentia, veluti abstrahendo à ratione virtutis, & sacramenti, ideò pro huius materiæ introductione, & ad illius quæstionis declarationem sequentẽ disputationem præmittemus.

A

B

C

### *DISPVTATIO I.*

### *De Pœnitentia in communi.*

DVo in præsenti disputatione breuiter à nobis tradenda sunt. Primùm, quæ sint communia virtuti & sacramento pœnitentiæ: deinde quæ sint vnicuique propria, atque adeò in quibus inter se differant. Ita enim vtriusque ratio saltem imperfecta, & confusa haberi poterit, vt ex illa ad exactam vtriusque cognitionem progrediamur.

### *SECTIO I.*

### *Quæ sint ea, in quibus virtus, & sacramentum pœnitentiæ conueniunt.*

PRIMVM omnium illis commune est pœnitentiæ nomen: de cuius etymologia multa Latini auctо 1. Nominispœ

auctores,& D. Augustl.lib.de vera & falsa pœnit. c. 19.Isid.lib.3.etymol.c.vlt.qui conueniunt,pœnitentiam dictam esse à pœna,vt idem sit *pœnitere*, quod pœnam tenere,& *pœnitentia*(inquit August.)*sit pœnæ tenentia*,vel,vt Isidorus,idem sit quod *punientia*:quia verò pœna dolorem ac tristitiam infert, vel potiùs ipse dolor facti commissi,est prima ac præcipua pœnitentia:ideò pœnitentiæ nomẽ præcipuè significare solet dolorem & retractationem prioris facti. Cùm verò loquimur de priori facto, omissionem etiam comprehendimus:nam sicut illa esse potest vera culpa,ita de illa esse potest vera pœnitentia. Solet autem interdum hæc vox significare per extensionẽ,odium & tædiũ de aliqua re,etiamsi humana operatio non sit: in significatione tamen propria solùm versatur circa actionem humanam. Rursus aliquando dicitur pœnitentia, retractatio prioris voluntatis, etiamsi mala non fuerit, quomodò per metaphoram tribuitur Deo pœnitentia,Genes.6.*Pœnitet me fecisse hominem*. Et Iurisperiti distinguunt duplicem pœnitentiam,vnam contractus, aliam criminis,vt videre licet in Glos.ad l.qui ea, 67. ff. de furtis. Proprio tamen,& Theologico more pœnitentia solùm dicitur dolor de peccato commisso. Nam,vt August.notauit pœna propriè respondet culpæ: & ideò pœnitentia propriè dicta est ab illa pœna, quæ propter culpam sumitur. Quapropter huiusmodi pœna voluntaria etiam esse debet,seu voluntariè sumpta:nam quæ ab alio infligitur,& inuitè sustinetur,nõ potest dici pœnitentia,sed pura vindicta. Quare Aug.& Isid.aiunt, pœnitentiam esse pœnã,qua aliquis in se punit quod peccando commisit,vt sicut voluntariè peccauit, ita voluntariè se affligat. Vnde etiam fit,vt pœnitentia solùm dicatur propriè de dolore honesto,& rationi consentaneo. Nam vera pœnitentia est culpæ retractatio,si autẽ ipse dolor sit iniquus, non erit propriè culpæ retractatio,sed noua potiùs culpæ commissio: neque igitur erit vera pœnitentia. Debet igitur pœnitentia esse honestus dolor. Atque ita tandem hac voce significari concluditur,virtutem quandam seu actum virtutis:nunc enim in hac amplitudine vtimur nomine virtutis. Quia verò hic dolor pars est cuiusdam sacramenti, ideò hæc vox ad illud sacramentum significandum translata est, à parte totum nominando. Atque ita constat,hoc nomen commune esse & sacramento,& virtuti.

nitentiæ etymologia, & signa. D. Aug. D. Isidor.

2. Calumnia hæreticorũ refellitur.

Tandem in hoc puncto addendum est, hæreticos huius temporis non admittere dictam huius vocis etymologiam, & significationem, sed Pœnitentiam aiunt nihil aliud esse, quàm nouam vitam,seu resipiscentiam. Quod ideò faciunt, vt inducant errorem,quo negant necessitatem doloris,& afflictionis ob peccatum commissum. Sed,quòd ad rem spectat, improbabimus hunc errorem infrà. Quod verò pertinet ad nomen,hæretici gratis loquuntur,& contra omnes auctores Latinos, & sanctos Patres, vt vidimus,imò etiam contra vsum Scripturæ, vt intelligi potest ex verbis Iob vlt.*Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla,& cinere*. Et Matth.11. *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. In quibus verbis, & alijs coniunguntur cum pœnitentia actiones, quæ vel corpus affligunt,vel tristitiam indicant,vt significetur,pœnitentiam vel includere, vel consistere in dolore animi de peccato commisso. Quamuis etiam ad illam pertineat nouæ vitæ propositum, iuxta definitiones Gregorij,& Ambrosij,quas in d.14.adducit Magist.& eas inferiùs ex professo explicaturi sumus,agentes de actibus virtutis pœnitentiæ.

Iob. vlt. Mat. 11.

Secundò conueniunt virtus, & sacramẽtum pœnitentiæ in ratione medicinæ vtilis ad delendũ peccatum actuale,& necessariæ, si illud mortale sit, & cum debita proportione applicetur. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma q.84.art.5.quam ipse,præsertim quoad necessitatem,probat ex illo Lucę 3.*Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Quæ verba videntur posse exponi de sola virtute,& cùm dicta sint à Christo Domino in lege noua, non videntur satis conuincere generatim de omni tempore. Quare afferri etiam possunt alia testimonia ex veteri Testamento,vt Ezech.18.& 33.& sæpe aliàs. Item ad necessitatem sacramenti confirmandam vti possumus verbis Christi, Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum,quorũ remiseritis peccata,remittuntur eis*, &c. De quo testimonio latè inferiùs. D. Tho.autem rectè accommodat,& exponit illa verba:*Nisi pœnitentiam egeritis*, vt intelligantur de pœnitentia à Deo præscripta,& designata in vnaquaque lege & tẽpore. Nam quòd pœnitentia sit medicina peccati, non habet sine diuina lege,acceptatione, & promissione: & ideò in vnaquaque lege talis pœnitentia vel vtilis, vel necessaria est,qualis à Deo postulatur. De peccatis ergo venialibus postulat Deus pœnitentiam,non quidem vt omninò necessariam,si de pœnitentia formali sermo sit,sed vt vtilem, de mortalibus verò requirit illam vt necessariam:quia, cùm mortale auertat à Deo,& conuertat hominem ad creaturam,meritò exigitur ab homine formalis detestatio talis peccati. Quam necessitatem Christus Dominus in lege noua posuit in sacramento pœnitentiæ propter huius status perfectionem: & ita satis constat tota conclusio pro huius loci opportunitate. Dixi tamen, *seruata proportione*,quia pœnitentia virtus simpliciter est vtilis,vel necessaria ad omnia peccata actualia:sacramentum autem pœnitentiæ solùm ad ea peccata, quæ post baptismum susceptum commissa sunt:nam priora non subduntur clauibus Ecclesiæ, quoniam extra Ecclesiam committuntur:at verò virtus pœnitentiæ omnia peccata complectitur,siue antecedant, siue sequantur baptismum. Loquimur autem nunc de virtute pœnitentiæ in communi, vt ab attritione vel cõtritione abstrahit:sic enim necessaria est etiam cum baptismo in adulto,qui peccatum mortale commisit.

3. Necessitas pœnitentiæ. D Tho. Lucæ 3. Ezech. Ioann.

## *POENITENTIA SECVNDA tabula cur dicatur.*

TERTIO communis est vtique illa metaphora, quia pœnitentia dicitur *secunda tabula post naufragium*. Per illam enim aliud, quàm necessitas pœnitentiæ significatur. Eam verò tradunt Magist.d. 14. & D.Tho.dict.q.84.art.6.sumptáque est ex Hieronym.Isai.3.epist. 8. ad Demetriad. & illam etiam indicat Tertull.in principio lib.de pœnit.& Ambro. ad virgin.lapsam,ca.18.quam probauit Conc. Trid. sess.6.c.14.c.2.contra hæreticos huius temporis, qui hanc metaphoram irridẽt,quia baptismus(inquiunt) non frangitur,vt secunda tabula necessaria sit:illi verò solùm intendunt excludere necessitatem pœnitentiæ, quæ per illam metaphoram optimè declaratur. Potest autem duobus modis exponi,primò,si per naufragium intelligamus lapsum totius naturæ humanæ in primo parente:sic enim baptismus erit prima tabula, qua liberamur ab illo naufragio: pœnitentia verò erit secunda: quia, licèt baptismus in se frangi non possit,in suo tamen effectu amitti potest, quia per peccatum mortale effectus gratię in baptismo comparatus amittitur:recuperatur autem per solam pœnitentiam,& ideò optimè dicitur secunda tabula. Nec tertia tabula necessaria est, nam licèt sæpiùs homo cadere possit, hæc tabula præstò semper est:cui potest peccator adhærere, si velit, pœnitentiam

Magist. D.Tho. Hieron. Tertul. Ambr. Conc. Trid.

tiam iterum atque iterum agendo. Quam expositionem indicauit Gabr.in 4.d.14.quæst. 2. articul.3. dubit.2.& optimè conuenit sacramento pœnitentię. Secundo verò modo exponitur à Diuo Thom.suprà qui vniuersè intelligit, pœnitentiam quamcunque comprehendi sub illa appellatione, ac per naufragium intelligit quodlibet peccatum mortale. Vnde primum remedium, & quasi nauem ad consequendam salutem æternam dicit esse vitæ innocentiam & integritatem,quod nauigium frangitur per quodlibet peccatum mortale, à quo liberat sola pœnitentia,& ideò dicitur secunda tabula: ita vt illa dictio, *secunda*,non dicat ordinem ad priorem tabulam, sed ad prius remedium atque nauigium: & ideò interdum non secunda,sed simpliciter tabula appellatur. Sic Tertullianus suprà: *Pœnitentiam ita amplexare sicut naufragus alicuius tabulæ fidem.* Et Ambrosius:*Tu, quæ tam ingressa es agonem, pœnitentiæ insiste misera, fortiter inhære tanquam naufragus tabulæ.* Atque hoc modo tam virtuti, quàm sacramento pœnitentiæ conuenit hæc metaphora:& ita generatim loquuntur dicti Patres,& specialiter Hiero.epist. 48.ad Sabinianum,vbi hanc posteriorem expositionem magis significauit.

Gabr.

D. Hier.

5. Materia pœnitētiæ, quę. D. Tho.

Quartò conueniunt virtus & sacramentum pœnitentiæ in materia,circa quam versantur: quia scilicet vtrumque versatur aliquo modo circa peccatum actuale,vt sumitur ex D.Thom.quæst.84.artic. 2.& quæst.85.art.1.& in 4.d.17.quæst.2.ar.1.& 2.Et probatur facilè ex dictis:quia virtus pœnitentiæ detestatur peccatum, quia respicit illud vt materiam, seu obiectum materiale,de quo plura disput.sequente: sacramentum autem pœnitentiæ institutum est per modum cuiusdam iudicij,in quo causę peccatorum tractantur:in vnoquoque autē iudicio causa,vel res de qua agitur,est materia illius.Dixi autem,*materiam circa quam*.non *ex qua*,quia virtus, cùm sit forma simplex, non habet propriam materiam ex qua constet:sacramentum autem,præsertim in noua lege habet propriam materiam,ex qua cōstat:quod etiam conuenit sacramento pœnitentiæ:talis autem materia non est peccatum ipsum,sed est confessio peccatorum,vt infrà latiùs dicturi sumus.Vnde etiam distingui solet duplex materia sacramenti pœnitentiæ, remota scilicet,& proxima;& peccata dicuntur materia remota: actus verò pœnitentis materia proxima,vt D.Tho.hîc etiam indicauit.

6. Pœnitentiæ subiectum.

Quintò cōueniunt aliquo modo in subiecto,quia vtraque habere potest suum actum tantùm in homine adulto,quia solus ille esse potest capax actualis peccati. Interuenit tamen discrimen:nam pœnitētiæ virtus locum habet in quolibet homine capaci actualis peccati:sacramentum autem solùm in homine baptizato:quia,vt suprà dixi,hoc sacramentum solùm est medicina peccatorum actualium,quæ post baptismum commissa sunt.

7. Iteratur pœnitentia. D. Tho. Magist.

Vltimò conueniunt,quia vtraque pœnitentia iterari potest.Sumitur ex Diuo Thom.dict.q.art.10.& Magist.dict.d.14.Et ad eam explicandam aduertendum est,duobus modis intelligi posse,pœnitentiam iterari:primò, circa vnum & idem peccatum semel tantùm commissum.Et hoc modo per se notum est, virtutem pœnitentiæ quoad actus suos iterari posse circa idem peccatum:quælibet enim potētia,& quælibet virtus potest repetere actus suos circa idem numero obiectum, vt patet:idem ergo potest virtus pœnitentiæ. Et quidem fructuosè, quia,licèt forsan tale peccatum per primum pœnitentiæ actum ablatum sit, tamen secūdus deseruire potest ad maiorem satisfactionem,vel ad maiorē certitudinem de conseeuta venia,vel certè ad maius meritum.Sacramentum pœnitentiæ versari quidem potest sæpiùs circa idem numero peccatum, non tamen circa eandem confessionem eius: nam cùm confessio sit materia proxima, vt tale sacramentum iteretur, necesse est, confessionem eiusdem peccati iterari, quod vtiliter fieri potest,propter easdem,quas diximus,causas.Secundo autem modo potest intelligi, pœnitentiam esse iterabilem, quia iterum committuntur peccata, vel eadem,vel specie diuersa.Et hoc etiam modo est de fide certum, pœnitentiam tam virtutem, quàm sacramentum, iterum atque iterum exerceri posse, quoties noua peccata fiunt, quia misericordia Dei nunquàm deest agentibus pœnitentiam peccatoribus.Quæ res longiorem postulat disputationem cōtra Nouatianos, & alios hæreticos: & ideò inferiùs ex professo tractanda est.

## SECTIO II.

### *Quibus modis differant sacramentum, & virtus pœnitentiæ.*

PRincipiò assignare possumus differentias inter hæc duo,iuxta omnes conuenientias adductas in sectione præcedente. Nam, si illæ attentè considerentur, ita se habent illa omnia in virtute, & sacramento, vt simul ibidem declarauimus. Præter hæc verò primum discrimen assignari potest in ipsis rationibus sacramenti, & virtutis, nam sacramentum, vt sic,constituitur in genere signi,vt suprà in principio tertij tomi cum D.Thoma tradidimus:virtus verò constituitur in genere actus,vel habitus.Vnde D. Thomas,quæst.84.arti. 1. probat, pœnitentiam esse sacramentum: quia pœnitentia, prout in Ecclesia agitur, scilicet ex Christi institutione, est signum quoddam sensibile interioris satisfactionis, & remissionis peccati, quam præcipuè significat, & perficit absolutio sacerdotis: & ideò illa est forma talis sacramenti,vt artic. 3.docet. Simul tamen significatur ille effectus per confessionē & actus pœnitentis, qui propterea sunt materia, vt docet art.2.Tota autem significatio, & efficacia in his duobus cōsistit,& ideò hæc pertinent ad constitutionem eius:reliqua verò,vt impositio manuum, & similia, accidentalia sunt,vt docet D.Tho.art. 4. At verò inferiùs quæst. 85.articul.1.probat idem D. Thomas, pœnitentiam esse virtutem:non quatenus significare potest dolorem,vel passionem sensibilem,sed quatenus est libera, & voluntaria detestatio peccati commissi: sic enim est humanus actus rectæ rationi consentaneus: & ideò, & ipse est actus virtutis, & habitus illi respondens est virtus.Cōstat igitur,hæc duo primariò differre in propriis rationib. sacramenti,& virtutis.

1. Pœnitentia sub quo genere sit.

D. Tho.

Vnde fit,vt etiam differant in aliquibus proprietatibus,quæ has rationes comitantur; atque ita Magister d.14.docet,in eo etiā differre, quòd pœnitentia vt sacramentum, est actus exterior; vt virtus, est actus interior. Quod etiam docuit Vincentius in 3. tomo,seu in specul.morali.lib.2.p.10.d.1. Nam cùm sacramentum sit signum sensibile necesse est vt consistat in exteriori actu,quia solus interior non obiicitur sensibus: virtus autem in interiori actu animæ potissimum consistit.Hoc verò discrimen aliqua explicatione indiget, nam virtus pœnitentiæ ita est in interiori actu cordis, vt etiam in exteriorem prodeat, illum imperando: dicitur autem esse interiùs, tum quia in solo interiori actu saluatur perfecta ratio huius virtutis; tum etiam quia tota bonitas & honestas virtutis dimanat ab actu interiori in exteriorem, ita vt exterior actus non habeat rationem virtutis, nisi prout subest interiori, & ab eo informatur.

2. Pœnitentia interior, & exterior. Magist. Vincen.

matur. Simili modo ſacramentum pœnitentiæ non ita dicitur eſſe in exteriori actu, vt nullo modo interiorem includat: nam etiam contritio eſt pars huius ſacramenti. Dicitur ergo eſſe in exteriori actu, quia ſolus interior nunquàm ſufficit ad rationem ſacramenti conſtituendam: imò vt ipſa contritio interior aliquomodo ſit pars ſacramenti, neceſſe eſt vt ad exteriorem actum extendatur, per illum aliquo modo fiat ſenſibilis, & exteriùs manifeſtetur. A

3. Pœnitentia virtus pars ſacramenti.

Hinc poteſt tertia differentia conſtitui, quoniam virtus & ſacramentum pœnitentiæ comparantur vt totum & pars, nam virtus per actum ſuum eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, quod componitur ex actibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis. Sicut autem ſacramentũ non habet ſuum eſſe ex natura rei, ſed ex impoſitione diuina, ita virtus pœnitentiæ non habet quòd ſit pars ſacramenti ex natura ſua. Vnde ante legem gratiæ non erat pars, neque etiam nunc eſt in homine non baptizato, tamen ex diuina inſtitutione habet hanc habitudinem, quia ſacramentum eſt veluti quoddam artificiale: ſæpe tamen contingit, vt quod ex natura ſua eſt quoddam totum, fiat pars alicuius entis arte facti. B

4. Quomodo det gratiã.

Ex eodem etiam principio differunt quartò in modo cauſandi remiſſionem peccati, & gratiam: vtrumque enim, vt notat Magiſter ſuprà, eſt cauſa gratiæ, & remiſſionis peccati, tamen diuerſo modo: nam virtus tantùm eſt cauſa diſponens: ſacramentum verò eſt cauſa efficiens. Vnde dicitur conferre gratiam ex opere operato: virtus verò propriè non dicitur conferre gratiam, qua remittitur peccatum, ſed obtinere, & quaſi impetrare illam ex diſpoſitione operantis: non tamen propriè ex merito ſcilicet de condigno: nam de congruo probabile eſt, vt alibi latiùs tractandum eſt. C

Origo pœnitentiæ. D. Tho.

Vltimò differunt in origine, antiquitate, & quodammodò in diuturnitate. Primam partem ſumo ex Diuo Thom. dict. q. arti. 7. vbi hoc diſcrimen ponit, quòd ſacramentum pœnitentiæ ortum habuit ex inſtitutione diuina: *virtus autem* (inquit) *eſt de iure, naturæ*. quod etiam habet Vincent. vbi ſuprà. Et primum quidem per ſe notum eſt ex generali doctrina ſacramentorum: omnia enim ſunt ex Chriſti inſtitutione. Item, quia poteſtas remittendi peccata, non poterat hominibus conuenire ex natura rei, niſi à Chriſto data fuiſſet. Secundum autem, ſcilicet, quòd virtus pœnitentiæ ſit ex iure naturæ, difficile viſum eſt Caietano art. 7. & ideò nonnulla explicatione opus eſt. D

5. Sítne pœnitentia de lege naturæ.

Aduertendum ergo eſt, ius naturæ duobus modis ſumi poſſe: primò pro dictamine rationis naturalis purè ſumptæ, abſque illuſtratione gratiæ: ſecundò pro dictamine connaturali ipſi gratiæ, ſeu rationali naturæ, vt illuminatæ lumine fidei: quomodò diſtinguuntur à Theologis tres ſtatus, ſeu leges humani generis, ſcilicet ſtatus legis naturæ, & veteris, ac legis gratiæ. Primus enim ſtatus gratiam & fidem includebat. Dicitur autem fuiſſe legis naturæ, quia in ea tantùm erant præcepta connaturalia gratiæ & naturæ. Si ergo in prædicta differentia lex naturæ hoc poſteriori modo ſumatur, res eſt facilis, ita enim pœnitentia dicitur eſſe de lege naturæ, ſicut fides, & charitas, nam ratio illuſtrata lumine fidei, & prudentiæ infuſæ, connaturaliter dictat, honeſtum & rectum eſſe, agere pœnitentiam de peccatis commiſſis: dictat etiam, huiuſmodi pœnitentiam non ſolùm eſſe honeſtam, & rectam, ſed etiam eſſe debitam, vt infrà dicemus, agentes de præcepto contritionis. Denique dictat, eſſe vtilem & conuenientem diſpoſitionem ad obtinendam à Deo veniam de offenſa commiſſa in ipſum: & ideò agere pœnitentiam cum ſpe venię, ſemper fuit hominibus neceſſarium, etiam in ſtatu legis naturæ. Hoc verò ius, quamuis dicatur connaturale gratiæ: non excludit diuinam ordinationem, & promiſſionem de remittendo peccato homini veram pœnitentiam agenti: hæc enim ordinatio neceſſaria ſimpliciter eſt, ac pendẽs ex ſpeciali gratia Dei, vt infrà ſuo loco dicam: eſt tamen conſentanea & proportionata tali diſpoſitioni, & quaſi connaturalis illi: & ideò dicitur eſſe de iure naturæ in prædicta ſignificatione. E

6.

At verò, ſi ius naturæ alio modo ſumatur, multa quidem ſunt in virtute pœnitentiæ, quæ non poſſunt eſſe illo modo de iure naturæ, præſertim loquendo de pœnitentia infuſa: illam enim nuda ratio naturalis cognoſcere non poteſt, vt poſſibilem homini, nedum vt vtilem & neceſſariam. Item ſatis incertum eſt, an ſola ratione naturali cognoſci poſſit, peccatum hominis eſſe iniuriam & offenſam Dei, ratione cuius ſit illi neceſſaria pœnitentia. Nihilominùs, ſi pœnitentia latè ſumatur pro quacunque diſplicentia, vel dolore commiſſi peccati, cadere poteſt ſub cognitionem rationis naturalis. Primò, quia talis diſplicentia naturaliter exiſtimari poteſt, & poſſibilis, & honeſta: quia eadem ratio, quæ dictat bonum eſſe, amare, vel exercere iuſtitiam, dictat etiam, honeſtum eſſe odiſſe vitium contrarium, & conſequenter deteſtari illud, ſi commiſſum ſit: item quòd poſſit eſſe vtilis ex natura rei ad bonos mores, & ad vitæ emendationem. Atque ita ſimpliciter quælibet pœnitentia dici poteſt ſuo modo de iure naturæ, & habere in ipſa natura fundamentum aliquod, ratione cuius habet maximam proportionem cum illa.

7. Antiquitas pœnitẽtiæ.

Ex quo etiam conſtat, cur hæc dicantur antiquitate differre: nam virtus pœnitentiæ longè antiquior eſt ſacramento: hoc enim in lege noua, etiam poſt Chriſti mortem, initium habuit, vt infrà oſtendam: illa verò ab initio mundi, etiam *ipſum primum hominem eduxit à delicto ſuo*, vt ſumitur ex Sapientiæ 10. & in omni lege permanſit, ac neceſſaria fuit, & cum ipſo etiam ſacramento permanet. Vnde etiam addidi, differre diuturnitate ſeu permanentia, propter ea præſertim, quæ docet D. Thom. dict. quæſt. articul. 8. & 9. vbi ait, interiorem pœnitentiam debere durare vſque ad finem vitæ, de exteriori verò, ſub qua ſacramentũ præcipuè intelligit, negat id eſſe neceſſarium, aut cõueniẽtius, ſeu ſemper vtilius. Quod intelligo, per ſe loquendo, nam interior pœnitentia ratione ſuæ honeſtatis, & vtilitatis, & quia eſt internus cultus Dei, exerceri poteſt vſque ad mortem: & moraliter loquendo poteſt ita fieri ſecundùm rectam prudentiam: quod non ita eſt in exteriori, vel ſacramentali pœnitentia, quæ requirit ſemper aliquam vel neceſſitatem, vel peculiarem occaſionem, & conuenientem etiam menſuram, vt exerceatur. Et ideo pœnitentia virtus, ſeu interior, diuturnior exiſtimatur. Quæ & continua dici poteſt, quia ſẽper habenda eſt, non quidem in actu, ſed ſaltem in habitu, vt D. Thom. declarat dict. articul. 9.

Sap. 10.

D. Tho.

## QVÆSTIO LXXXIV.

*De ſacramento Pœnitentiæ, in decem Articulos diuiſa.*

CONSEQVENTER conſiderandum eſt de ſacramento pœnitentiæ. Circa quod primò conſiderandum eſt de ipſa pœnitentia: 2. de effectu ipſius: 3. de partibus

partibus eius: quartò de suscipientibus hoc sacramentum: quintò de potestate ministrorum, quæ ad claues pertinet: sextò de solennitate huius sacramenti.

Circa primum quæruntur decem.

*Primò, vtrùm pœnitentia sit sacramentum.*
*Secundò, de propria materia eius.*
*Tertiò, de forma ipsius.*
*Quartò vtrùm impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.*
*Quintò, vtrùm hoc sacramentum sit de necessitate salutis.*
*Sextò, de ordine eius ad alia sacramenta.*
*Septimò, de institutione eius.*
*Octauò, de duratione ipsius.*
*Nonò, de continuitate eius.*
*Decimò, vtrùm possit iterari.*

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Pœnitentia sit sacramentum.*

4. dist. 14 q. 1. art. 1. q 1. & d. 22. q. 2. art 3. q. 2. cor. Refertur 1. q. 1. c Multi secularium, circa medium.

AD primum sic proceditur: Videtur quòd pœnitentia non sit sacramentum. Gregor. enim dicit, & habetur in Decreto, 1. quæst. 1. Sacramenta sunt baptismus, chrisma, corpus & sanguis Christi: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, diuina virtus secretiùs operatur salutem. Sed hoc non contingit in pœnitentia, quia non adhibentur aliquæ corporales res, sub quibus diuina virtus operetur salutem: Ergo pœnitentia non est sacramentum.

2. Prætereà, sacramenta Ecclesiæ à ministris Christi exhibentur, secundum illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sed pœnitentia non exhibetur à ministris Christi: sed interiùs à Deo hominibus inspiratur, secundum illud Hiere. 31. *Postquàm conuertisti me, egi pœnitentiam*: Ergo videtur quòd pœnitentia non sit sacramentum.

3. Prætereà, in sacramentis, de quibus iam suprà diximus, est aliquid, quod est sacramentum tantùm; aliquid quod est res & sacramentum: aliquid quod est res tantùm, vt ex præmissis patet: Sed hoc non inuenitur in pœnitentia. Ergo pœnitentia non est sacramentum.

quæst. 66.

quæst. 66. art. 1.

SED contrà est, quòd sicut baptismus adhibetur ad purificandum à peccato, ita & pœnitentia. Vnde, & Petrus dixit Simoni, Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Sed baptismus est sacramentum, vt suprà habitum est: Ergo pari ratione & pœnitentia.

quæst. 66.

RESPONDEO: Dicendum, quòd sicut Greg. dicit in cap. supradicto, *sacramentum est in aliqua celebratione, cùm res gesta ita fit, vt aliquid significatiuè accipiamus, quod sanctè accipiendum est.* Manifestum est autem, quòd in pœnitentia ita res gesta fit, quòd aliquid sanctum significatur, tàm ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte sacerdotis absoluentis: nam peccator pœnitens, per ea quæ facit & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse. Similiter etiam sacerdos per ea quæ agit & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifestum est, quòd pœnitentia quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum.

Refertur loco citato in arg. 1.

Ad primũ ergo dicendum, quòd nomine corporaliũ rerũ intelligũtur largè, etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autẽ attendendũ, quòd in illis sacramentis, in quibus confertur excellens gratia quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exteriùs: sicut in Baptismo, vbi fit plena remissio peccatorum & quantùm ad culpã, & quantùm ad pœnã: & in Confirmatione, vbi datur plenitudo Spiritus sancti: & in Extrema vnctione, vbi cõfertur perfecta sanitas spiritualis, quæ prouenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Vnde, si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositiuè se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quæ habent effectũ correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, vt accidit in Pœnitentia, & Matrimonio. Sicut etiã in medicinis corporalibus quædam sunt res exteriùs adhibitæ, sicut emplastra, & electuaria: quædam verò sunt actus sanandorum, putà exercitationes quædam.

Ad secundum dicendum, quòd in sacramentis, quæ habent corporalem materiam; oportet, quòd illa materia adhibeatur à ministro Ecclesiæ, qui gerit personam Christi, in signum, quòd excellentia virtutis in sacramento operantis est à Christo. In sacramento autem pœnitentiæ (sicut dictum est) sunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna. Vnde materia non adhibetur à ministro, sed à Deo interiùs operante. Sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pœnitẽtem absoluit.

In solu. præced.

Ad tertium dicendũ, quòd etiam in pœnitentia est aliquid quod est sacramentum tantùm, scilicèt actus exteriùs exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentẽ: res autem, & sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris:

toris: res autẽ tantùm, & non sacramentum, A
est rèmissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum, est causa secundi: primum autem & secundum, sunt quodammodo causa tertij.

## COMMENTARIVS.

SVPPONIT *D. Tho. in hoc articulo, esse in Ecclesia ceremoniam quandã sensibilem, seu actionem externam, per quam remissio peccatorum quæ post baptismum commissa sunt, & significatur, & confertur.* Quam veritatem, *vt certam & apud Catholicos manifestam, supponit ex vsu Ecclesiæ. Ideóque de huiusmodi ceremonia seu actione, quam nomine pœnitentiæ, in titulo articuli significauerat, optimè concludit esse sacramentum: nam illi conuenit definitio sacramenti superiori tomo tradita: cùm de sacramento in communi ageremus, vt per se notum est. Et ob hanc causam, cùm in titulo simpliciter interrogasset, an pœnitentia sit sacramentum, in fine corporis articuli cum limitatione concludit.* Vnde manifestum est, quòd pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum, *id est, non omnis pœnitentia, sed illa, quæ exteriori ritu à Christo instituta in Ecclesia fit, & per potestatem à Christo collatam confertur, atque perficitur. Atque ita est clara litera corporis articuli. In solutionibus autem argumentorum exponit D. Thom. quomodo actus pœnitentis sint materia huius sacramenti, & quid in eo sit res tantùm, sacramentum tantùm, & res & sacramentum simul: quæ omnia inferiùs à nobis explicabuntur.* B C

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Peccata sint propria materia huius sacramenti.*

AD secundum, sic proceditur. Videtur quòd peccata non sint propria materia huius sacramenti. Materia enim in aliis sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur, & sanctificata effectum sacramenti operatur. D Peccata autem non possunt sanctificari, eo quòd contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non sunt materia propria huius sacramenti.

2. Prætereà, Augustᵘˢ. dicit in lib. de pœnitentia: *Nullus potest inchoare nouam vitam, nisi eum veteris vitæ pœniteat.* Sed ad vetustatem vitæ pertinent, non solùm peccata, sed etiam pœnalitates præsentis vitæ: Non ergo peccata sunt propria materia pœnitentiæ.

Li. de Medicina pœnitent. c. 2. non longè à principio, com. 9 Art. præced. ad 1. & 2.

3. Prætereà: Peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed pœnitentiæ sacramentum non E ordinatur contra originale peccatum, quod tollitur per baptismum, neque contra peccatum mortale, quod tollitur per confessionem peccatoris, nec etiam contra veniale, quod tollitur per tunsionem pectoris, & per aquam benedictam, & alia huiusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia pœnitẽtiæ.

Sed contrà est, quod Apostolus dicit 2. Cor. 12. *Non egerunt pœnitẽtiam super immũditia & fornicatione, & impudicitia quã gesserunt.*

Respondeo Dicendum, quòd duplex est materia, scilicèt proxima, & remota sicut statuæ proxima materia est metallũ, remota verò, aqua. Dictũ est autẽ, quòd materia proxima huius sacramenti sunt actus pœnitentis: cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Vnde relinquitur, quòd remota materia pœnitentiæ sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda.

Ad primum ergo dicendũ, quòd ratio illa B procedit de proxima materia sacramenti.

Ad secundum, dicendum, quòd vetus & mortalis vita est obiectum pœnitentiæ, non ratione pœnæ, sed ratione culpæ annexæ.

Ad tertium, dicendum, quòd pœnitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere: non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali est pœnitentia propriè & principaliter. Propriè quidem, quia propriè dicimur pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus: principaliter autem, quia ad deletionẽ peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter instítutum. De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia propriè, in quantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra hæc principaliter est hoc sacramentum institutum. De peccato verò originali pœnitentia nec principaliter est, (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus) nec etiam propriè: quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi fortè in quantùm voluntas Adæ reputatur nostra, secundùm modum loquendi, quo Apostolus dicit Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* In quantum tamen largè accipitur pœnitentia, pro quacunque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali: sicut loquitur Augustᵘˢ. in lib. de Pœnitentia.

In li. de vera & falsa pœnit. c. 8. to. 4. Et in lib. de Pœn. medicina c. 2. 10. 9.

## COMMENTARIVS.

QVONIAM *sacramenta nouæ legis ex materia & forma constant, vt in superioribus visum est, ideò D. Thom. postquàm in communi explicuit rationem huius sacramenti, in hoc & sequenti articulo declarat essentiales partes eius. Hic verò rectè distinguit duplicem materiam, proximam, & remotam: docétque materiam proximam huius sacramenti, esse actus pœnitentis, quibus peccata detestatur, confitetur, ac punit: remotam verò esse ipsa peccata, principaliter quidem mortalia, consequenter verò, & quasi secundario venialia. Non declarat autem D. Thom. quomodò actus pœnitentis sint materia sacramenti: intelligendũ verò est, in his actibus contineri essentialem materiam huius sacramenti, non verò omnes pertinere ad essentiam eius, sed quosdam esse essentiales, nimirùm*

confes

*confeſſionem, & contritionem aliquam: alios verò pertinere ad integritatem, vel perfectionem, nimirum ſatisfactionem, & perfectam contritionem. Quod verò D. Tho. ait: peccata eſſe materiam remotam, declaratur in ſolut. ad 3. intelligendum eſſe de peccatis actualibus, non de originali: nam de originali peccato, cùm non conſiſtat in actione humana, non eſt propriè pœnitentia. Addendum verò eſt, D. Tho. intelligendum eſſe de peccatis actualibus poſt baptiſmum commiſſis, nam hæc ſola ſunt materia confeſſionis ſacramentalis, vt inferius oſtendemus. Vnde, ſicut D. Thom. ſuperiori articulo dixit, pœnitentiam, quæ in Eccleſia fit, eſſe ſacramentum, ita, cùm in præſenti ait, peccata eſſe materiam, intelligit de peccatis intra Eccleſiam commiſſis, quia de ſolis illis fit pœnitentia in Eccleſia, nam de illis tantùm Eccleſia iudicat. Sunt autem hæc peccata, illa quæ à baptizatis committuntur, nam omnes, qui baptiſmo carent extra Eccleſiam ſunt, & ſimiliter extra Eccleſiam peccant.*

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm hæc ſit forma huius ſacramenti,*
Ego te abſoluo.

4 diſt. 22 q. 2. a. 2. q 2. & 3. & Opuſc. 22.

AD tertium ſic proceditur, videtur quòd hæc non ſit forma huius ſacramẽti, *Ego te abſoluo.* Formę enim ſacramentorũ ex inſtitutione Chriſti, & Eccleſiæ vſu habentur. Sed Chriſtus non legitur hanc formam inſtituiſſe, neque etiam in communi vſu habetur, quinimò in quibuſdam abſolutionibus: quæ in Eccleſia publicè fiunt (ſicut in Prima, & Cõpletorio, & in Cœna Domini) abſoluens non vtitur oratione indicatiua: vt dicat: Ego vos abſoluo, ſed oratione deprecatiua, cùm dicit: *Miſereatur veſtri omnipotens Deus*: vel: *Abſolutionẽ & remiſſionẽ tribuat vobis omnipotens Deus.* Ergo hæc non eſt forma huius ſacramenti: *Ego te abſoluo.*

Refertur de pœnit. diſt. 1 c. Multiplex non procul à principio, & dicitur eſſe in Epiſtola ad Theodorum, quæ eſt 89. in Leone.

Prætereà Leo Papa dicit quòd *indulgentia Dei, niſi ſupplicationib. ſacerdotũ nequit obtineri.* Loquitur autem de indulgẽtia Dei, quæ præſtatur pœnitẽtibus. Ergo forma huius ſacramẽti debet eſſe per modũ deprecationis.

Prætereà: Idem eſt abſoluere à peccato, quòd peccatum remittere. Sed ſolus Deus peccatum remittit, qui etiam ſolus interiùs hominem à peccato mundat: vt Aug. dicit ſuper Ioan. Ergo videtur quòd ſolus Deus à peccato abſoluat. Non ergo debet ſacerdos dicere, *Ego te abſoluo*, ſicut non dicit, Ego tibi peccata remitto.

Prætereà, Sicut Dominus dedit poteſtatem diſcipulis abſoluendi à peccatis, ita etiã dedit eis poteſtatem curandi infirmitates & *vt dæmonia eiicerent*, & *vt languores ſanarent*, vt habetur Matth. 10. & Luc. 9. Sed ſanando infirmos, Apoſtoli non vtebãtur his verbis. Ego te ſano, ſed, *Sanet te Dominus Ieſus Chriſtus*: ſicut Petrus dixit paralytico, vt habetur: Actor. 9. Ergo videtur quòd ſacerdotes habentes poteſtatem Apoſtolis à Chriſto traditã, non debeãt vti hac forma verborũ, *Ego te abſoluo.* Sed, *Abſolutionẽ tribuat tibi Chriſtus.*

Prætereà: Quidam hac forma vtentes ſic eam exponunt, *Ego te abſoluo*, id eſt, abſolutum oſtendo. Sed nec hoc etiam ſacerdos facere poteſt, niſi ei diuinitus reueletur, vnde legitur Matth. 16. Antequàm Petro diceretur. *Quodcumque ſolueris ſuper terram*, &c. dictum eſt ei, *Beatus es Simõ Bar Iona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.* Ergo videtur quòd ſacerdos, cui non eſt facta reuelatio, præſumptuosè dicat *Ego te abſoluo*, etiam ſi exponatur, id eſt, abſolutum oſtendo.

Sed contrà eſt, quòd ſicut Dominus dixit Diſcipulis, Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*: ita dixit Petro, Matth. 16. *Quodcumque ſolueris ſuper terrã.* Sed ſacerdos auctoritate illorum verborum Chriſti fretus: dicit, *Ego te baptizo.* Ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc ſacramento: *Ego te abſoluo.*

Reſpondeo: Dicendum, quòd in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Dictum eſt autem ſuprà, quòd hoc ſacramentum perficitur per ea quæ ſunt ex parte ſacerdotis. Vnde oportet, quòd ea quæ ſunt ex parte pœnitentis, ſiue ſint verba, ſiue facta, ſint quædam materia huius ſacramenti: Ea verò quæ ſunt ex parte ſacerdotis, ſe habeant per modum formæ. Cùm autem ſacramenta nouæ legis efficiant quod figurant (vt ſuprà dictum eſt) oportet, quòd forma ſacramenti ſignificet id, quòd in ſacramento agitur, proportionaliter materiæ ſacramenti. Vnde forma baptiſmi eſt, *Ego te baptizo*: & forma confirmationis eſt, *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*, eo quòd huiuſmodi ſacramenta perficiuntur in vſu materiæ. In ſacramento autem Euchariſtiæ, quod conſiſtit in ipſa conſecratione materiæ, exprimitur veritas conſecrationis, cùm dicitur, *Hoc eſt corpus meum.* Hoc autem ſacramentum, ſcilicèt Pœnitentiæ, non conſiſtit in conſecratione alicuius materiæ, nec in vſu alicuius materiæ ſanctificatæ, ſed magis in remotione cuiuſdam materiæ ſcilicèt peccati: prout peccata dicuntur eſſe materia pœnitentiæ, vt ex ſuprà dictis patet, Talis autem remotio ſignificatur à ſacerdote cum dicitur, *Ego te abſoluo.* Nam peccata ſunt quædam vincula, ſecundùm illud Prouerb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur*: & illud Pſalmi 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Vnde patet quòd hæc eſt conuenientiſſima forma huius ſacramenti, *Ego te abſoluo.*

Art. 1. huius q. ad 2.

Q. 60. ar. 2. & q. 62. ar. 1. & 3.

Art. præced.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et tali forma Ecclesia vtitur in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factæ, non sunt sacramentales, sed sunt orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium peccatorum, Vnde in sacramentali absolutione, non sufficeret dicere, *Misereatur tui omnipotens Deus*, vel, *Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Deus*, quia per hæc verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit vt fiat. Præmittitur tamen in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte pœnitentis: cuius actus materialiter quodammodò se habent in hoc sacramento, non autem in Baptismo, vel Confirmatione.

Ad secundum dicendum, quòd verbum Leonis Papæ in Epistola ad Theodorum videlicet, (*Misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt qui regenerationis donum violassent proprio iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeat obtineri*) est intelligendum, quantùm ad deprecationem, quæ præmittitur absolutioni, non autem remouet, quin sacerdotes absoluunt.

Ad tertium dicendum, quòd solus Deus per auctoritatem, & à peccato absoluit, & peccatum remittit. Sacerdotes tamen vtrũque faciunt per ministerium: in quantum, scilicèt, verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute diuina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus diuina est, quæ interiùs operatur in omnibus sacramentalibus signis, siue sint res, siue verba: sicut ex suprà dictis patet. Vnde, & Dominus expressit vtrumque, nam Matthæi 16. dixit Petro, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et Ioan. 20. dixit discipulis: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ideo tamen sacerdos potiùs dicit, Ego te absoluo, quàm, ego tibi peccata remitto: quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit virtutem clauium ostendens, per quas sacerdotes absoluunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam authoritatem Dei, scilicet vt dicatur, *Ego te absoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vel *per virtutem passionis Christi* vel *auctoritate Dei*, sicut Dionysius exponit 3. cap. Cœlestis hierarch. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis.

Ad 4. dicendum, quòd Apostolis non est data potestas, vt ipsi sanarent infirmos, sed vt ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, siue ministerialiter in sacramentis. Et ideò magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actũ suum, quàm in sanationibus infirmitatum. In quibus tamen non semper modo deprecatiuo vtebantur, sed quandoque modo indicatiuo, & imperatiuo, sicut Actorum 3. legitur, quòd Petrus dixit claudo, *Quod habeò, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazaræni, surge, & ambula.*

Ad 5. dicendum quòd ista expositio, *Ego te absoluo*, id est, absolutum ostendo, quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta: Sacramenta enim nouæ legis non solùm significant, sed etiam faciũt quod significant. Vnde sicut sacerdos baptizando aliquem, ostendit hominem interiùs ablutum per verba, & facta, & non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè: ita etiam cùm dicit, *Ego te absoluo*, ostendit hominem absolutum: non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè. Nec tamen loquitur quasi de re incerta: quia sicut alia sacramenta nouæ legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi (licèt possit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc Sacramento. Vnde Augustinus dicit in libro de Adulterinis coniug. *Non est turpis nec difficilis, post patrata, & purgata adulteria, reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cælorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Vnde nec Sacerdos indiget speciali reuelatione sibi facta, sed sufficit generalis reuelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Vnde reuelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. esset autem perfectior expositio: *Ego te absoluo*, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.

li. 2. c. 9.

---

## COMMENTARIVS.

RESPONSIO *Diui Thomæ est, hanc esse formam essentialem huius sacramenti: quam primum colligit ex Christi verbis, Matthæi 16. & ex potestate, quam dedit Ioanni, 20. dicens.* Quorum remiseritis peccata: remittuntur eis. *Deinde in corpore articuli conuenienti ratione, & congruentia declarat, quomodo tota hæc forma sit essentialis huic sacramento, quia nimirum est proportionata materiæ eius, & tota est necessaria, & aptissima ad significandum effectum eius. In solutionibus autem argumentorum, præsertim in quatuor primis, rationem reddit, cur hæc forma per modum indicatiuum, aut imperatiuum, & non per modum deprecatiuum tradatur, & disertè docet, si hæc verba forma in deprecatiua mutantur, insufficientem esse formam, vt si sacerdos dicat.* Remittat tibi Deus peccata, *vel aliquid simile. Vnde etiam consequi videtur ex sententia Diui Thomæ, hanc esse insufficientem formam,* Absoluatur Petrus, &c. *Quod verum est, si in sensu deprecatiuo proferatur: an verò in sensu imperatiuo possit*

Matt. 16. Ioan. 20.

quæst. 62. art. 4. & 64. art. 1. & 2.

Ca. 7. Eccles. hier. nõ multũ procul à fine, & in Cœl. hier. ca. 3.

*possit esse sufficiens forma, posteà suo loco disputabitur. Imò significat D. Thomas in solutione ad quartum, verba per modum deprecationis solùm proferri conuenienter extra actus sacramentales, qui non procedunt ex potestate ministeriali operantis: sed hoc aliqua limitatione indiget, propter Sacramentum Extremæ vnctionis, in quo certum est formam proferri per modum deprecatiuum. Sensus autem D. Thomæ est, per se ac regulariter loquendo, indicatiuum, vel imperatiuum modum esse magis accommodatum ad exprimendos actus procedentes à potestate ministeriali: ideóque formas sacramentorum communiter ita esse institutas: hoc tamen non impedit, quominùs ob specialem causam aliqua forma instituta sit per modum deprecationis. Quæ autem fuerit hæc causa in sacramento Extremæ vnctionis, dicemus inferius cùm de illo disseremus.*

*Atque hinc vlteriùs colligit Diuus Thomas in solutione ad 3. præter illa verba formæ, nulla alia esse essentialia, quia illis solis verbis sufficienter explicantur actus & effectus huius sacramenti: neque ex verbis, aut institutione Christi plura colliguntur: Atque idcirco ait, licèt possit sacerdos addere inuocationem Trinitatis, vel aliquod aliud verbum apponere, quo indicet, se non absoluere vt principalem auctorem remissionis peccati, sed vt ministrum, nihilominus hoc non esse essentiale, quia non est à Christo præscriptum, neque fuit necessarium, cùm res esset per se satis clara. Denique in solutione ad quintum declarat Diuus Thomas sensum illius verbi formæ,* Absoluo, *refértque eorum expositionem, qui ita interpretantur,* absoluo, *id est,* absolutum ostendo: *quam meritò reiecit, quia sacerdos non solùm ostendit, sed etiam facit absolutum: & ideò meliorem sensum esse, ait,* Te absoluo, *id est,* sacramentum absolutionis tibi impendo: *qui sensus etiam habet difficultatem, quia sacerdos non solum significat se impendere sacramentum, sed etiam effectum sacramenti. Verumtamen non fuit mens Diui Thomæ, hoc excludere, sed vtrumque comprehendere, ita tamen, vt intelligatur sacerdos id affirmare, quoad effectum, quantùm est ex se, & ex virtute sacramenti, si suscipiens obicem non apponat, nam hoc ipsum est impendere absolutionis sacramentum, & consequenter remissionem, aut gratiam remissiuam peccati, si eam pœnitens non impediat: vt inferiùs in disputationibus latiùs dicemus.*

## ARTICVLVS IIII.

### *Vtrùm impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.*

4 contra Gent. c. 71. & Opusc. 22. c. 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Marci vltim. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Ægri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

Præterea. In sacramento pœnitentiæ recuperat homo Spiritum sanctum amissum: vnde ex persona pœnitentis dicitur in Psalmo 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Sed Spiritus sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Actorum 8. quòd *Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*: & Matthæi 19. dicitur, quòd *oblati sunt Domino paruuli, vt eis manus imponeret.* Ergo in hoc sacramento est facienda manus impositio.

Præterea. Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciæ, quàm in aliis sacramentis: Sed in aliis sacramentis non sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exerceat: sicut in Baptismo simul cum hoc, quod sacerdos dicit, *Ego te baptizo*, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam simul cum hoc, quod sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, oportet quòd aliquem actum exerceat circa pœnitentem, imponendo ei manus.

SED contrà est, quòd cùm Dominus dixit Petro, *Quodcunque solueris super terram*, &c. nullam mentionem de manus impositione fecit: neque etiam cùm omnibus Apostolis simul dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

Respondeo: dicendum, quòd impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum quo illi quibus manus imponuntur, quodammodò per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideò manus impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti: & in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysteriis. Vnde & 2. ad Timotheum 1. dicitur: *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum. Et ideò ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad Baptismum in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

Ad 1. ergo dicendum, quòd illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula perficienda: vt scilicet per contactum manus hominis sanctificati, etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Domino Marci 6. quòd infirmos manibus impositis curauit: & Matth. 8. legitur, quòd leprosum mundauit per contactum.

Ad 2. dicendum, quòd non quælibet acceptatio Spiritus sancti requirit manus impositionem: quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio. Sed acceptio Spiritus sancti cum plenitudine requirit manus impositionẽ: quod pertinet ad Cõfirmationem.

Ad 3. dicendum, quòd in sacramentis, quæ

quæ perficiuntur in vsu materiæ, minister habet aliquem actum corporalem exercere circa eum, qui suscepit sacramentum: sicut in Baptismo, & Confirmatione, & Extrema vnctione. Sed hoc sacramentum non consistit in vsu alicuius materiæ exteriùs appositæ: sed loco materiæ se habent ea, quæ sunt ex parte pœnitentis. Vnde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materia perficit sacramentum: ita etiam sola verba sacerdotis absoluentis super pœnitentem, perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competeret Crucis signatio, quæ adhibetur in Eucharistia, quàm manus impositio, in signum, quòd per sanguinem Crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen non est de necessitate huius sacramenti, sicut nec de necessitate Eucharistiæ.

## COMMENTARIVS.

NON *satis fuit D. Thomæ ostendisse in articulo præcedenti, nulla alia verba sacerdotis, præter illa,* Ego te absoluo, *esse de essentia huius sacramenti, sed vlterius etiam, in præsenti articulo, ostendere voluit, nullam aliam actionem sacerdotis, præter prolationem dictorum verborum, esse ad hoc sacramentum perficiendum necessariam. Et quia hoc maximè dubitari poterat de impositione manuum, vel quia in aliquibus sacramentis necessaria est, vel quia nonnulli sacerdotes in hoc sacramento tradendo illa vtuntur, ideò in corpore articuli in particulari de hac cæremonia id ostendit. In solutione autem ad 3. sermonem extendit ad crucis signum, seu benedictionem, ac denique ad quamcunque aliam actionem sacerdotis. Fundamentum autem Diui Thomæ à priori est, quia neque ex Christi institutione, aut verbis, aliquid tale colligitur, neque etiam ex natura seu effectu, fine, aut materia huius sacramenti, vt satis distinctè ipse declarat, partim in corpore, partim in solutione ad 3. Non declarat autem Diuus Thomas, esto, illa cæremonia impositionis manuum non sit essentialis, an sit saltem necessaria ex præcepto, vel saltem sit magis congruum, illam adhibere: nam, licèt Sotus in 4. d. 14. quæst. 1. art. 4. intelligat, D. Thomam hoc loco non solum negare necessitatem essentiæ, sed etiam præcepti, imò & congruentiam, & vtilitatem, tamen re vera D. Thomas solum excludit necessitatem sacramenti, reliqua verò prætermittit, quia facilè ex illo principio definiri possunt, vt videbimus infrà, agentes de cæremoniis huius sacramenti.*

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm hoc sacramentum sit de necessitate salutis.*

AD quintum sic proceditur. Videtur quòd hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Psal. *Qui seminat in lacrymis*, &c. dicit Gloss. *Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, vnde metitur pax.* Sed tristitia est de ratione pœnitentiæ: secundùm illud 2. Corinth. 7. *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ergo bona voluntas sine pœnitentia sufficit ad salutem.

Sup. q. 65. ar. 1. cor. & ar. 2. ad 4. & art. 4. cor. & 4. dist. 14. q. 2. ar. 5. & in princ. expos.

lit. & 4 contra c. 71. Aug. in hoc loco, tom. 8.

Præterea, Prouerbior. 10. dicitur, *Vniuersa delicta operit charitas*, & infrà 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Sed hoc sacramentum non est, nisi ad purgandum peccata. Ergo habendo charitatem, & fidem, & misericordiam, potest quisque salutem consequi, etiam sine pœnitentiæ sacramento.

Præterea, Sacramenta Ecclesiæ initium habent ab institutione Christi: sed sicut legitur Ioannis 8. Christus mulierem adulteram absoluit absque pœnitentia. Ergo videtur quòd pœnitentia non sit de necessitate salutis.

SED contrà est, quòd Dominus dicit Luc. 8. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.*

Respondeo, dicendum, quòd aliquid est necessarium ad salutem dupliciter: vno modo absolutè: alio modo ex suppositione. Absolutè quidem necessarium est ad salutem illud, sine quo nullus salutem consequi potest: sicut gratia Christi, & sacramentum Baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum pœnitentiæ. Quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato subiacentibus. Dicitur enim 2. Paralipomen. vltim. *Et tu Deus iustorum, non posuisti pœnitentiam iustis, Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt. Peccatum autem, cùm consummatum fuerit, generat mortem*: vt dicitur Iacob. 1. & ideò necessarium est ad salutem peccatoris, quòd peccatum remoueatur ab eo. Quod quidem non potest fieri sine pœnitentiæ sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis, simul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati. Sicut enim dicit August. super Ioan. *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.* Vnde patet, quòd sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem post peccatum: sicut medicatio corporis, postquàm homo in morbum periculosum inciderit.

Ex trac. 72. colligitur. tom. 9.

Ad 1. ergo dicendum, quòd Gloss. illa videtur esse intelligenda de eo, cui adest bona voluntas sine interpolatione, quæ fit per peccatum: talis enim non habet tristitiæ causam. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua quis dolet de peccato præterito: quod pertinet ad pœnitentiam.

Ad 2. dicendum, quòd ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, & misericor

ricordia non liberant hominem à peccato A
sine pœnitentia. Requirit enim charitas, quòd homo doleat de offensa in amicum commissa, & quòd amico homini studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides, vt per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat iustificari à peccatis. Requirit etiam & ipsa misericordia ordinata, vt homo subueniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit: secundùm illud Prouerbior. 14. *Miseros facit populos peccatum.* Vnde Ecclesiast. 30. dicitur, *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* B

q 64 ar. 3. Ad 3. dicendum, quòd ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit (vt suprà dictum est) pertinuit, quòd Christus effectum sacramenti pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum, contulerit mulieri adulteræ sine exterioris pœnitentiæ sacramento, licèt non sine interiori pœnitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

## COMMENTARIVS.

RESPONDET *D. Thom. hoc sacramentum esse necessarium non omnibus, sed peccatoribus. Quod intelligendum est de iis, qui post Baptismum in peccatum mortale inciderũt,* C
Conc. Trid. *iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sess. 14. ca. 1. & 2. Nam, vt suprà notauimus, nec peccata ante Baptismum commissa, sunt materia huius sacramenti, vt per illud tollenda sint, neque venialia peccata necessitatem inducunt huius sacramenti, cùm vitam spiritualem non auferant. Quamuis autem D. Thom. hanc sententiam vt certam doceat, nullam tamen eius probationem affert, nisi hanc solam, quòd virtus passionis Christi operatur in hoc sacramento per absolutionem sacerdotis, & opus pœnitentis ad destructionem peccati: Quæ ratio ad summum probat, hoc sacramentum esse vtile, aut efficax ad salutem, vel remissionem peccati, non tamen probat, esse necessarium, quia ad hoc non satis est, vt virtus passionis Christi in hoc operetur sacramento, sed necesse est, vt per solum illud* D
*talem effectum conferat, nam si sint alia media sufficientia ad talem effectum, non erit hoc necessarium. Illa verò propositio exclusiua, neque à D. Thoma probata, neque assumpta est. Dicendum verò est, D. Thomam in eo sensu propositionem illam sumpsisse, scilicet sacramentum esse vnicum instrumentum à Christo institutum, vt per illud, vel in ordine ad illud virtus passionis eius ad hunc effectum præstandum operetur. Ad hoc autem probandum rationem illam indicat D. Thomas, quam superiori disputatione sect. 1. nu. 3. explicatam reliquimus.*

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Pœnitentia sit secunda tabula post naufragium.* E

4 dist. 2. q. 1. ar. 3. ad 5. & d. 14. q. 1. art. 2. q. 4. & d. 16. q. 4. ar. 1. q. 1. ad 1. Glos. Hier. in illum locum to 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd pœnitentia non sit secunda tabula post naufragium. Quia super illud Isai 2. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt:* dicit Glos. *Secũda tabula post naufragium, est peccata abscondere.* Pœnitẽtia autem non abscondit peccata, sed magis ea reuelat. Ergo pœnitẽtia non est 2. tabula.

Prætereà: Fundamentum in ædificio non tenet secundum, sed primum locũ. Pœnitentia autem in spirituali ædificio est fundamentum, secundùm illud Heb. 6. *Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Vnde & præcedit ipsum Baptismum, secundùm illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũm.* Ergo pœnitentia non debet esse secunda tabula.

Prætereà: Omnia sacramenta sunt quædam tabulæ, id est, remedia cõtra peccatum. Sed pœnitentia non tenet secũdum locum inter sacramenta, sed magis quartum: vt ex suprà dictis patet. Ergo pœnitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

Hier. super illud Isai. 3. Peccatum suum quasi Sodoma. c. 5. q 65. art. 1 & 2.

SED contrà est, quod Hieronymus dicit, quod secunda tabula post naufragium est pœnitentia.

Respondeo, dicendum, quòd id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens: sicut & substãtia prior est accidente. Sacramenta autem quædam per se ordinantur ad salutem hominis, sicut Baptismus, qui est spiritualis generatio, & Confirmatio, quæ est spirituale augmentum: & Eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum. Pœnitentia autem ordinatur ad salutem hominis, quasi per accidens, suppositio quodam, scilicet ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, pœnitentia non indigeret: indigeret tamen Baptismo, & Confirmatione, & Eucharistia. Sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur, indigeret autem homo per se ad vitam, generatione, augmẽto, & nutrimento. Et ideò Pœnitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui confertur & conseruatur per sacramenta prædicta. Vnde & metaphoricè dicitur secunda tabula post naufragium. Nam primum remedium mare transeuntibus est, vt conseruentur in naui integra: secundum autem remedium est, post nauem fractam, vt quis tabulę adhæreat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quòd homo integritatem seruet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quòd per pœnitentiam redeat.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd abscondere peccata cõtingit dupliciter. Vno modo, dum ipsa peccata fiunt. Est autem peius peccare publicè, quàm occultè: tũ quia peccator publicus videtur ex maiori contemptu peccare: tũ etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideò quoddam remedium est in peccatis, quòd aliquis in occulto peccet. Et secundùm hoc dicit Glossa, quòd secunda tabula post naufragium est peccata abscondere, non quòd per hoc tollatur peccatum, sicut per pœnitentiam, sed quia per hoc

Citata in argu. 1.

pecca

peccatum fit minus. Alio modo aliquis abscondit peccatum priùs factum per negligentiam confessionis: & hoc contrariatur pœnitentiæ. Et sic abscondere peccatum, non est secunda tabula: sed magis contrarium tabulæ. Dicitur enim Prouer. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.*

Ad secundum dicendũ, quòd pœnitentia nõ potest dici fundamentũ spiritualis ædificij simpliciter, id est, in prima ædificatione: D. 757. sed est fundamentum in secunda reædificatione, quæ fit per destructionem peccati. Nam primò redeuntibus ad Deum occurrit pœnitentia. Apostolus tamen ibi loquitur de fundamento spiritualis doctrinæ: Pœnitentia autem, quæ Baptismum præcedit, non est Pœnitentiæ sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd tria præcedentia sacramenta pertinent ad nauem integram, id est, ad statum integritatis: respectu cuius, Pœnitentia dicitur secũda tabula.

---

Hic articulus non indiget alio commentario, præter illum, qui sumi potest ex dictis superiori disputatione, sect. 1. num. 4.

---

## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua lege institutum.*

4. dist. 22. q. ar. 3. AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd hoc sacramentum non fuerit conuenienter institutum in noua lege. Ea enim, quæ sunt de iure naturali, institutione non indigent. Sed pœnitere de malis quæ quis gessit, est de iure naturali: non enim potest aliquis bonum diligere, quin de contrario doleat. Ergo pœnitentia non fuit conuenienter instituta in noua lege.

Prætereà: Illud quod fuit in veteri lege, instituendum non fuit in noua: sed etiam in veteri lege fuit Pœnitentia: vnde & Dominus conqueritur Hier. 28. dicens, *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo*, dicens, *Quid feci?* Ergo pœnitentia non debuit institui in noua lege.

Art. præcedent. Præterea: Pœnitentia consequenter se habet ad Baptismum, cùm sit secunda tabula, vt suprà dictum est. Sed Pœnitentia videtur à Domino instituta ante Baptismum: nam in principio prædicationis suæ dixisse Dominus legitur Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

q. 62. ar. 5. & q. 64. ar. 1. Prætercà: Sacramenta nouæ legis institutionem habent à Christo: ex cuius virtute operantur, vt suprà dictum est. Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum, cùm ipse non sit vsus eo, sicut aliis sacramentis, quæ ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

SED contrà est quod dicit Dominus Luc. vlt. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionẽ peccatorũ in omnes gentes.*

Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) in hoc sacramento, actus pœnitentis se habet sicut materia: id autem, quod est ex parte sacerdotis, qui operatur vt minister Christi, se habet vt formale & completiuum sacramenti: Materia verò, etiam in aliis sacramentis, præexistit à natura, vt aqua, vel ab arte, vt panis: sed quòd talis materia ad sacramentũ assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed forma sacramenti, & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum. Sic ergo huius sacramenti materia præexistit à natura (ex naturali enim ratione homo mouetur ad pœnitendum de malis, quæ fecit) sed quòd hoc, vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione diuina. Vnde & Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, vt non solùm pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent, significans, determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc sacramentum. Sed id quod pertinet ad officium ministrorum, determinauit Matth. 16. vbi dixit Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Efficaciam autem huius sacramenti, & originem virtutis eius manifestauit post resurrectionem, Luc. vlt. vbi dixit, quòd *oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*, præmisso de passione, & de resurrectione: ex virtute enim nominis Iesu Christi patientis, & resurgentis, hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic patet, conuenienter hoc sacramentum in noua lege institutum fuisse.

Art. 3. huius q.

Ad 1. ergo dicendum, quòd de iure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantùm ad hoc, quòd doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quòd etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Niniuitæ fecerunt, vt Ionæ 3. legitur. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam conceperant ex prædicatione Ionæ, vt scilicet hoc agerent sub spe veniæ consequendæ à Deo: secundùm illud, quod ibi legitur, *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Sed sicut alia, quæ sunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis

1. 2. q. 100. 99. & ar 1. & 95. ar. 5.

legis diuinæ (vt in secunda parte dictum est) ita etiam & pœnitentia.

Ad 2. dicendum, quòd ea, quæ sunt iuris naturalis, diuersimodè determinationem accipiunt in veteri, & in noua lege, secundùm quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni nouæ. Vnde, & pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantùm quidem ad dolorem, vt esset magis in corde, quàm in exterioribus signis: secundùm illud Ioel. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quantùm autem ad remedium doloris quærendum, vt aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Vnde Dominus Leuit. 5. dicit, *Anima quæ peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus, sacerdoti, iuxta mensuram, æstimationémque peccati: qui orabit pro eo, quòd nesciens fecerit, & dimittetur ei:* In hoc enim ipso, quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodò suum peccatum sacerdoti confitebatur: & secundùm hoc dicitur Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nõdum autem erat instituta potestas clauium, quæ à passione Christi deriuatur: & per consequens nõdum erat institutum, quòd aliquis doleret de peccato, cum proposito subiiciendi se per confessionem, & satisfactionem clauibus Ecclesiæ, sub spe consequendæ veniæ, virtute passionis Christi.

Ad 3. dicendum, quòd si quis rectè consideret ea quæ Dominus dixit de necessitate Baptismi Ioan. 3. tempore præcesserunt ea quæ dixit Matth. 4. de necessitate pœnitentiæ: nam id, quod dixit Nicodemo de Baptismo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo posteà subditur, quòd baptizabat: illud verò, quod de pœnitentia dixit Matth. 4. fuit post incarcerationem Ioannis. Si tamen priùs ad pœnitentiam induxisset, quàm ad Baptismum: hoc ideò esset, quia etiam ante Baptismum requiritur quædam pœnitentia: sicut & Petrus dicit Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm.*

q. 34. art. 1. & 2.

Ad 4. dicendum, quòd Christus non est vsus Baptismo, quem ipse instituit: sed est baptizatus baptismo Ioannis, vt suprà dictum est. Sed nec etiam actiuè vsus est suo ministerio: quia ipse non baptizabat communiter, sed Discipuli eius: vt dicitur Ioannis 4. Quamuis credendum sit, quòd Discipulos suos baptizauerit, vt August. dicit ad Seleucianum. Vsus autem huius sacramenti ab eo instituti nullo modo sibi competebat. Nec quantùm ad hoc, quòd ipse pœniteret, in quo peccatum nõ fuit, neque quantum ad hoc, quod hoc sacramentum aliis præberet: quia ad ostendendam misericordiam & virtutem suam, effectum huius sacramenti sine sacramento præbebat: vt suprà dictum est. Sacramentum autem Eucharistiæ & ipse sumpsit, & aliis dedit, tum ad commendandam excellentiàm huius sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale suæ passionis, in qua Christus est sacerdos, & hostia.

Art. 5. huius q. ad 3.

In epist. 108 to. 2. Habetur etiã li. 3. de anima, & eius origine, c. 9. to. 7.

## COMMENTARIVS.

1. Primus quæstionis sensus.

*MVLTIPLEX esse potest sensus quæstionis propositæ in hoc articulo. Inquiri enim potest congruentia institutionis, primùm quantum ad res ipsas sensibiles, quæ designatæ sunt, vt ex eis hoc sacramentum constet: & hic sensus non est intentus à D. Thoma, quia hoc nihil est aliud quàm quærere rationem & congruentiam, ob quam talis materia, & talis forma ad hoc sacramentum componendum designatæ sunt, quod in articulis præcedentibus iam est traditum.*

Secundus sensus.

*Secundo inquiri potest congruentia institutionis quantùm ad tempus, idque dupliciter. Primò comparatione præteriti temporis legis veteris, aut naturæ, id est, an congruè fuerit hoc sacramentum institutum tempore legis gratiæ, & non anteà: & quamuis D. Thom. hunc sensum directè non intendat, illum tamen attingit in solutione ad primum, & secundum, in quibus aliqua dicit notatu digna. Primum est, pœnitentiam esse de iure naturæ, non quidem quantum ad rationem sacramenti, quod manifestum est, sed quantum ad tria: primùm vt is, qui peccauit, doleat se peccasse; deinde, vt aliquod remedium doloris quærat, denique vt aliqua signa doloris ostendat. Et videtur D. Tho. loqui de ratione naturali nuda, & solo lumine naturæ vtente, nam adhibens exemplum de Niniuitis subdit, præter illa tria aliquid aliud ab eis fuisse adiunctum ex fide, scilicet, vt ea agerent spe veniæ consequendæ à Deo. Sentit ergo, illa tria priora ita esse de iure naturæ, vt sint ex pura ratione naturali: quod tamen hic Caietano difficile creditu visum est, vt in fine præcedentis disputationis indicaui. Sed ex ibi dictis declaratur facilè. Dicitur enim dolor de peccato commisso, esse conformis naturali rationi. Primò, quia naturalis ratio dictat, dolorem de peccato commisso & possibilem esse, & ex se honestum ac rectum, & vtilem etiam ad moralem vitam: quia cùm peccatum sit quoddam malum ipsius naturæ, & tale cognoscatur, ac iudicetur per rationem naturalem, & natura possit detestari & dolere de cæteris malis, & incommodis suis, quid mirum est, quòd possit detestari malum morale, & de illo dolere, si commissum fuit? Et eâdem ratione potest de illo dolere, vel ex eo solùm, quòd tale malum est quod est honestum ac rectum, cùm tale motiuum consentaneum rationi sit. Nam eiusdem rationis est, amare honestum bonum, quia tale est, & odisse aut detestari oppositum malum, etiam quia tale est. Vnde etiam fit, talem dolorem meritò existimari posse vtilem ad morales actiones, quia homo, statim vitare cupit ea quæ dolorem ingerunt, ac tristitiam & ideò sicut est vtile peccata vitare, ita etiam de peccatis commissis dolere, & vtrumque est naturali ratione conspicuum.*

Pœnitentia quibus modis sit de iure naturæ.

3.

*Vlteriùs verò intelligi potest, etiam esse de iure naturæ hunc dolorem, quantum ad obligationem habendi illum: ita vt naturalis ratio per se sola dictare possit, esse præceptum dolendi de peccatis commissis: & hoc D. Thom. non asseruit. Et quantùm ad id, meritò Caietanus ait esse difficile creditu. Vel quia sola ratione naturali non satis*

ſatis conſtat, actionem hominis peccaminoſam, eſſe diuinam offenſam. Vel certè, quia, licèt hoc cognoſcatur, nullum apparet naturale principium, quo conſtet ad illam offenſam tollendam, vel ad ſatisfaciendum pro illa, neceſſarium eſſe huiuſmodi dolorem: vt inde colligi poſſit naturale præceptum habendi illam. Igitur quoad hanc partem potiùs videtur eſſe pœnitentia de ſupernaturali iure intrinſeco, & connaturali ipſi gratiæ, ac fidei, quàm ex puro iure ſeu ratione naturali. Quanquam, ſeruata proportione, poſſit probabiliter dici, etiam præceptum naturalis doloris de peccato, eſſe naturale, ſicut eſt naturale præceptum amoris Dei naturalis, quamuis difficile & à paucis cognoſcatur ſolo naturali diſcurſu, de quo plura inferiùs in diſputationibus dicemus.

4. Quod verò D. Thomas addit de remedio talis doloris, quòd ſcilicet de iure naturæ ſit illud quærere, obſcurius eſt. Duobus autem modis poteſt intelligi. Primò, quòd ſolum ſit naturale, quærere remedium ipſius doloris, id eſt, modum aliquem leniendi huiuſmodi dolorem, & vitandi ſimilem dolorem in futurum: & ſic res eſt facilis, quia valdè naturalis eſt homini inclinatio ad quærendum huiuſmodi remedium in omni dolore & triſtitia, non ſolùm exteriori, ſed etiam, & maximè in interiori: hoc autem remedium in præſenti maximè connaturale eſſe videtur propoſitum aliquod, & ſpes fugiendi cauſas ſimilis doloris, & ſpes etiam vitandi damna vel incommoda, quæ ex præcedenti peccato oriri poſſunt. Igitur quantùm ad hæc omnia res eſt facilis. Nec D. Thom. amplius dixit, niſi de iure naturæ eſſe doloris remedium quærere per aliquem modum. Quòd ſi hoc extendamus, & vlteriùs intelligamus de remedio ipſius peccati, difficile erit ad explicandum, quomodo ſola ratio naturalis dictet peccatum commiſſum, vt ſic, indigere remedio, cùm iam tranſactum ſit, nec poſſit ratio naturalis cognoſcere, quòd aliquo modo maneat, & difficiliùs aſſequi poſſit naturalis ratio, quale futurum eſſet illud remedium, etiamſi neceſſarium eſſe exiſtimaret. Quocirca ita in hoc ſentiendum eſt, ſicut vnuſquiſque ſenſerit de cognitione peccati ex vi luminis naturalis, præſertim quantum ad diuinam offenſionem. Nam in re ipſa non eſt dubium, quin peccatum, præſertim graue, ſeu mortale, etiam ſiſtendo in mera ratione naturali, ſit offenſio Dei, vt eſt finis naturalis à quo auertit tale peccatum. Vnde etiam in re ipſa conſtat, neceſſarium eſſe aliquod remedium homini ſic peccanti, vt effugiat diuinam offenſionem, & reliqua mala, quæ illam ſequuntur. Qui ergo cognouerit naturali lumine hanc rationem diuinæ offenſionis in peccato ſuo, etiam naturaliter iudicabit, neceſſarium ſibi eſſe aliquod remedium ſui peccati: & hoc ſenſu dicitur, hoc eſſe de iure naturæ: tametſi tale ius, & fundamentum eius à paucis poſſit naturaliter cognoſci. Vnde qui ignorauerit in peccato hanc rationem diuinæ offenſionis, nihil etiam cogitare poterit de remedio peccati commiſſi, quantùm ad rationem culpæ, ſed ſolùm quantùm ad alia damna, ſeu pericula relicta ex tali peccato, quæ facilè poſſunt cognoſci: pertinent enim ad humana incommoda, vel temporalia damna, vel ad occaſionem, vel facilitatem committendi ſimilia peccata. Vnde reſpectu horum nocumentorum facile etiam erit cognoſcere quæ remedia proportionata ſint: reſpectu verò diuinæ offenſionis in eo qui naturaliter illam cognoſceret, difficillimum eſſet aſſequi vèl cognoſcere medium proportionatum ad illam offenſionem tollendam, aut veniam obtinendam, ſed ad ſummum liceret ex rebus humanis, & moralibus coniecturam ſumere, petendo veniam, & dolendo de offenſa facta, poſſe illius veniam obtineri.

5. Atque huc etiam ſpectare videtur quod vlteriùs addidit D. Thomas, etiam eſſe de iure naturæ aliqua ſigna doloris oſtendere. Quod etiam Caietano viſum eſt creditu difficile, quia ſi peccatum non fuit ſcandaloſum, aut manifeſtum aliis hominibus, nulla apparet ſufficiens ratio, ob quam talia ſigna doloris exhibere neceſſe ſit. Quod mihi etiam ita eſſe videtur, ſi intelligantur hæc ſigna ita eſſe de iure naturæ, vt ſint etiam iure naturæ præcepta. D. Thomas autem hoc non dixit, poteſtque ſatis intelligi, hæc dici de iure naturæ, quia ſunt conſentanea rationi naturali, & ita coniuncta cum animi dolore, & interna humiliatione & petitione veniæ, vt vix poſſint ab illa ſeparari. His igitur modis ſatis explicatur primum D. Tho. dictum, nimirum, pœnitentiam de peccato in communi ſumptam, & generaliter loquendo, eſſe de iure naturæ.

6. Modus pœnitentiæ vnde fuerit definitus.

Addit verò ſecundo loco D. Thomas in eâdem ſolutione ad primum, ex vi iuris naturalis non fuiſſe determinatum modum huius pœnitentiæ, ſed eum accepiſſe ex inſtitutione alicuius legis diuinæ, ſcilicet veteris, aut nouæ. Sed hoc intelligendum eſt de pœnitentia exteriori, ſeu de ſignis pœnitentiæ: nam hæc non ſunt determinata ex natura rei, vt per ſe conſtat, & ex dictis ſuperiori tomo de Sacrificiis, & Sacramentis legis naturæ. At verò pœnitentia interior etiam in lege naturæ habuit determinationem aliquam. Et quidem ſi loquamur de lege naturæ, vt nunc de facto includebat fidem, & gratiam, & præcepta eis naturalia, certum eſt, in illa lege interiorem pœnitentiam determinatam fuiſſe ad veram animi contritionem, vt in diſputationibus latiùs dicemus. Si verò loquamur de lege purè naturali, fingendo hominem in puris naturalibus, ſic neceſſaria etiam eſſet aliqua determinatio, vt homo poſſet aliquod peccato remedium adhibere: qua determinatio (quantum coniectare poſſumus) eſſet naturalis contritio, qualis per naturam haberi poſſet, tum quia nullus apparet actus magis proportionatus, tum etiam quia non poſſumus melius de illo ſtatu coniecturam facere, quàm per proportionem ad ſtatum gratiæ. Eſt autem hæc differentia inter pœnitentiam interiorem, & exteriorem, quòd illa prior eſt per ſe, & intrinſecè requiſita ad tollendam offenſionem, & veniam obtinendam: exterior verò ſolùm requiritur vt ſignum interioris, vel ob aliquam ſatisfactionem pro pœna debita culpæ: & ideò in interiori pœnitentia ſemper fuit neceſſaria aliqua determinatio, non verò in exteriori. Illa verò determinatio pœnitentiæ interioris, quæ eſſet in ſtatu legis naturæ, diceretur eſſe aliquo modo de iure naturæ, non quia non penderet ex arbitrio Dei, & acceptatione diuina, nam reuerà penderet, cùm poſſet Deus maiorem vel minorem, aut plures vel pauciores actus exigere, vel acceptare in remedium culpæ: ſed quia talis pœnitentia interior, ſcilicet contritio, ex natura rei eſt maximè proportionata ad hunc finem, & ideò creditur Deus ex prouidentia connaturali, aut gratiæ, aut naturæ (ſeruata proportione) illa pro eo ſtatu determinare & acceptare.

7. Tertiò addit Diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum, in lege veteri habuiſſe pœnitentiam ex inſtitutione diuina aliquam determinationem, non tamen perfectam, neque ſacramentalem. Hoc declarat, quia quantùm ad ipſum dolorem pœnitentiæ definiebat lex vetus, vt magis eſſet in ſignis externis, iuxta illud Ioel. 2. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Veruntamen hæc determinatio non fuit propria legis veteris, imò non pertinet ad legem poſitiuam diuinam, ſed ad naturalem: nam, vt dicebam, pœnitentia interior eſt per ſe, & propter ſe neceſſaria, exterior verò ſecundario & conſequenter, & ideo in lege naturæ fuit hoc etiam neceſſarium, quamuis in lege veteri fuerit etiam ſcriptum, & expreſsè traditum. Quantùm ergo ad pœnitentiam interiorem nulla videtur fuiſſe differentia, niſi fortaſſe in ordine ad exteriorem, vt iam declarabo. Quoad exteriorem ergo pœnitentiam, ait D. Thomas habuiſſe hanc determinationem in lege veteri, quòd in ea fuerunt determinata certa ſacrificia offerenda pro peccato, quæ erat quadam virtualis confeſſio peccati coram ſacerdote, ſaltem in generali, nam qui offert ſacrificium pro peccato, quodammodò ipſum peccatum confitetur. Vnde fit, vt ad veram pœnitentiam

Ioel.

tentiam interiorem eo tempore necessariam, oportuit in ea includi propositum confitendi illo modo suum peccatum coram sacerdote, seu offerendi sacrificium pro peccato in lege præscriptum, quod non habebat locum in lege naturæ. Hæc vere determinatio legis veteris dicitur imperfecta, tum quia non includebat distinctam peccatorum confessionem, tum etiam quia illud opus externum non continebat virtutem meritorum, & passionis Christi, quæ possit peccatum delere.

8. Sacramentũ pœnitentiæ legis gratię proprium.

Atque hinc vltimò tacitè concludit D. Thomas, & respondet ad secundum sensum quæstionis propositæ, conuenienter fuisse hoc sacramentum institutum in lege gratiæ, & non anteà, tum quia lex vetus fuit imperfecta, lex autem gratiæ est perfecta: & ideò pœnitentia in hac lege instituta debuit habere perfectam determinationem: tum maximè quia ante aduentum Christi non debuit potestas clauium concedi hominibus, quia nondum erant Christi merita exhibita, in quorum virtute illa potestas operatur: in lege autem noua, congruum fuit dari illam potestatem propter excellentiam meritorum Christi, & perfectionem status gratiæ: sacramentum autem hoc respicit potestatem clauium, & in ea fundatur tanquàm actus eius: ideóque institutio huius sacramenti meritò in hoc tempus reseruata est.

9. Tertius sensus d. artic.

Tertius sensus quæstionis propositæ in hoc articulo est, An institutio huius sacramenti fuerit conuenienti tempore facta per comparationem ad ætates seu annos vitæ ipsius Christi institutoris eius, id est, an congruum fuerit, hoc sacramentum institui ante mortem Christi, vel post resurrectionem eius. Et hunc sensum videtur intendere D. Thom. in articulo, & in genere respondet, congruam fuisse institutionem. Declarat autem eius congruentiam in hunc modum. Nam, quia materia huius sacramenti in communi sumpta est aliquo modo à natura, quatenus ipsa ratio dictat, dolendum esse de malis commissis, vt declaratum iam est, ideò Christus à principio prædicationis suæ cœpit pœnitentiam indicere, Matth. 4. dicens, Matth. pœnitentiam Agite. In quibus verbis ponderat D. Thomas, cœpisse Christum indicare futuram determinationem actuum pœnitentiæ ad hoc sacramentum necessariæ, quia non solum pœnitentiam, sed actionem pœnitentiæ, prædicare cœpit. Nescio verò an in verbis illis, Pœnitentiam Agite, aliquod huiusmodi mysterium fundari possit satis, nam perinde fuit dicere, Pœnitentiam agite, quòd pœnitemini, quo verbo vsus est Marcus cap. 1. eandem prædicationem referens, cùm tamen Græcè in vtroque loco sit idem verbum, μετανοεῖτε. Adiunxit verò Marcus, Pœnitemini, & credite Euangelio; quo posteriori verbo indicat, eam pœnitentiam nobis esse agendam, quæ per Euangelij prædicationem proposita fuerit.

10. Luc.

Rursus, quia forma huius sacramenti, & efficacia eius futura erat ex voluntate, & meritis ipsius Christi, ideò inquit D. Thomas, ante mortem indicasse Christum illam formam, promittendo potestatem clauium Matth. 16. post mortem verò & resurrectionem eius efficaciam manifestasse dicens Lucæ vltim. oportere in nomine suo prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, quia efficacia huius sacramenti ex morte Christi manauit: & ideò potestas clauium ad conficiendum illud, vsque ad resurrectionem eius dari non debuit.

Sacramentũ pœnitentiæ quando institutum. Ioan.

D. Thom. autem non videtur in toto articulo expressè declarare, an hoc sacramentum institutum fuerit ante, vel post passionem, & (quod maximè mirandum est) non affert potissimum testimonium de institutione huius sacramenti, scilicet Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Verumtamen satis indicauit D. Thomas Christum Dominum ante mortem suam solùm veluti adumbrasse, & prædixisse, seu promisisse institutionem huius sacramenti, post resurrectionem verò dedisse illi efficaciam, & præceptum eius tradidisse, quod fuit propriè illud instituere. Et idem significauerat suprà art. tertio ad tertium, vbi adduxit verba Ioannis, quæ hìc prætermisit, indicans, eis dedisse Christum potestatem sacerdotibus, & consequenter instituisse vt eorum verba essent efficacia ad remittenda peccata. Cuius rei maiorem explicationem fortè seruabat in quæstionem inferiùs tractandam de potestate clauium, vbi nos latiùs rem hanc tractaturi sumus.

11.

In tertio, & quarto argumento attingit D. Thomas duas quæstiones notatu dignas. Prior est, an Christus priùs prædicauerit, aut instituerit Pœnitentiam, quàm Baptismum, & respondet duo in solutione ad tertium. Primum est, Christum priùs prædicasse, aut sermonem fecisse de Baptismo, quàm de Pœnitentia: nam Ioan. 3. dixit, Nisi quis renatus fuerit, &c. Matth. autem 4. dixit, Pœnitentiam agite, &c. Id autem quod Ioannes narrat, priori tempore actum est, nam Christus protulit illa verba de Baptismo ante incarcerationem Ioannis, vt ex Ioan. 3. constat: alia autem verba de Pœnitentia dixit post traditum Ioannem in carcerem, vt expressè dicitur Marci. 1. Secundò dicit D. Thomas, quòd licèt Christus Marc. prædicasset pœnitentiam ante Baptismum, nihil referret, quia etiam ad ipsum Baptismum rectè recipiendum, est aliqua pœnitentia necessaria: in quo clarè sentit verba illa, Pœnitentiam agite, propriè non intelligi de sola pœnitentia sacramentali, sed absolutè de pœnitentia vnicuique statui, & conditioni accommodata. Ioan. Matth.

12.

Altera quæstio à D. Thoma tacta est, cur Christus hoc sacramentum pœnitentiæ nec susceperit, nec per seipsum dederit, sicut dedit sacramentum Baptismi, suscepit autem, & dedit sacramentum Eucharistiæ. Et in summa respondet, Christum non suscepisse hoc sacramentum, quia illo non indiguit, nec erat capax eius, cùm peccatum non habuerit. Et eadem ratione non suscepit suum Baptismum, neque aliquod aliud sacramentum ab ipso institutum præter Eucharistiam, quam suscepit, non propter indigentiam, sed propter excellentiam illius sacramenti, & singularem significationem intimæ vnionis, quæ per illud fit. Quanquàm autem de susceptione illius sacramenti nonnulli dubitent. Sententia verò, quam D. Thomas supponit, verior est, vt superiori tomo tractaui latè. Nec q. 81. art. 1. etiam dedit Christus Dominus per seipsum hoc sacra- Disput. 75. mentum (ait D. Thom.) quia decuit, vt potestatem ex- Sect. 2. cellentiæ, quam habebat ad remittenda peccata, ostenderet, id præstando absque ministerio talis sacramenti. Disp. 19. Adde etiam neque alia sacramenta Christum Dominum Sect. 1. per seipsum contulisse, præter Eucharistiam, propter excellentiam eius, & Baptismum non communiter, sed quoad nonnullas singulares personas, propter speciales causas, vt latè in superiori tomo tractauimus. Sacramenta item Confirmationis, & Ordinis propriè non contulit, licèt effectus eorum altiori modo præstiterit: de cæteris verò res est per se manifesta.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Pœnitentia debeat durare vsque ad finem vitæ.*

AD octauum sic proceditur. Videtur quòd Pœnitentia non debeat durare vsque ad finem vitæ. Pœnitentia enim ordinatur ad delectionem peccati. Sed pœnitens statim consequitur remissionem peccatorum: secundùm illud Ezech 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita viuet, & non morietur.* Ergo non oportet vlteriùs pœnitentiam protendi. Infr art. 9. ad 1. & 4. dist. 17. dist. 2. q. 2. ar. 4. q. 1. & 2.

Prætereà: Pœnitentiam agere, pertinet A ad ſtatum incipientium. Sed homo de hoc ſtatu debet procedere ad ſtatum proficientium,& vlteriùs ad ſtatum perfectorum. Ergo non debet homo pœnitentiam agere vſque ad finem vitæ.

Prætereà: Sicut in aliis ſacramentis homo habet ſeruare ſtatuta Eccleſiæ, ita & in hoc ſacramento. Sed ſecundùm canones determinata ſunt tempora pœnitendi, vt ſcilicet ille qui hoc,vel illud peccatum commiſerit, tot annis pœniteat.Ergo videtur quod nõ ſit pœnitentia extendenda vſque ad finẽ vitæ. B

In li.de vera & falſa pœnit. c.13. circa mediũ to. 4.

Sed contrà eſt,quod Aug. dicit in lib. de Pœnit. *Quid reſtat nobis, niſi dolere in via? vbi enim dolor finitur, deficit Pœnitentia.* Si verò pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia?

Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt pœnitentia,ſcilicet interior, & exterior. Interior quidẽ pœnitentia eſt, qua quis dolet de peccato cõmiſſo. Et talis pœnitentia debet durare vſque ad finẽ vitæ.Semper enim debet homini diſplicere quòd peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, iam ex hoc ipſo peccatum incurreret,& fructum veniæ perderet.Diſplicentia autem dolorem cauſat in C eo qui eſt ſuſceptiuus doloris:qualis eſt homo in hac vita:poſt hanc vitam autem ſancti non ſunt ſuſceptiui doloris. Vnde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia: ſecundùm illud Iſa. 65. *Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores.*

Pœnitentia verò exterior eſt, qua quis exteriora ſigna doloris oſtendit, & verbo tenus peccata ſua confitetur ſacerdoti abſoluenti,& iuxta eius arbitrium ſatisfacit.Et talis pœnitentia non oportet quòd duret vſque ad finem vitæ,ſed vſque ad determina- D tum tempus ſecundùm menſuram peccati.

Ad 1.ergo dicendũ quòd vera pœnitentia non ſolùm remouet peccata præterita, ſed etiam præſeruat hominẽ à peccatis futuris. Quãuis igitur homo in primo inſtanti veræ pœnitentiæ remiſſionem conſequatur præteritorum peccatorum : oportet tamen in homine perſeuerare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad 2.dicendum,quòd agere pœnitẽtiam interiorẽ ſimul & exteriorem, pertinet ad ſtatum incipientium,qui ſcilicet de nouo redeunt à peccato.Sed pœnitentia interior ha- E bet locum etiam in proficientibus & perfectis,ſecundùm illud Pſal. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum.* Vnde & ipſe Paul.dicebat 1.Cor.15.*Non ſum dignus vocari Apoſtolus,quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

Ad 3.dicendum,quòd illa tempora præfiguntur pœnitentibus,quantùm ad actionem exterioris pœnitentiæ.

## COMMENTARIVS.

QVÆSTIO *huius articuli non eſt propria ſacramenti Pœnitentiæ, ſed generalis de qualibet pœnitentia, quæ in qualibet lege aut ſtatu locum habuit. Diſtinguit autem D. Thom. inter pœnitentiam interiorem & exteriorem. De interiori affirmat durare debere vſque ad finem vitæ,etiam in viris perfectis, vt addit in ſolutione ad 2. de exteriori verò negat. Sed circa priorẽ partem aduertendum eſt,duobus modis poſſe intelligi,interiorem pœnitentiã durare vſque ad finem vitæ, primò, moraliter tantùm, ſcilicet quia non retractatur,nec peccatum quod ſemel diſplicuit, iterum placet:& hoc ſenſu manifeſtum eſt,neceſſarium eſſe, vt pœnitentia duret vſque ad finem vitæ, & hoc ſolum probat ratio D.Thom.in articulo,ſcilicet,* Semper debet homini diſplicere quòd peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, iam ex hoc ipſo peccatum incurreret.*Hac enim ratio ſolum probat, perſeuerandum ſemper eſſe in interiori pœnitentia ſemel concepta, virtualiter, & quaſi negatiuè, id eſt, nunquàm retractando illam per contrarium actum. Alio verò modo poteſt pœnitentia ſemper durare vſque ad finem vitæ poſitiuè & realiter: quod cùm humano modo non poſſit fieri per curationem eiuſdem actus, vt per ſe notum eſt,intelligẽdum erit per repetitionem,vel frequentiam ſimilium actuum diſplicentiæ de peccatis.* Et *de hoc genere durationis D. Tho. nihil dicere videtur in corpore artic. De illo tamen verum eſt,quod in ſolutione ad 2.dicit, interiorem pœnitentiam pertinere etiam ad ſtatũ perfectorum. Nam ſi homo iterum atque iterum incidit in peccatum, tunc neceſſaria illi eſt iteratio pœnitentiæ. Si verò à peccando ceſſat, tunc non eſt quidem ſimpliciter neceſſaria hæc duratio Pœnitentiæ circa eadem peccata commiſſa, ſi perfecta Pœnitentia interior ſemel habita eſt: quia illa ſufficiens fuit ad delendam culpam: eſt tamen valdè vtilis propter rationes præcedente diſputatione tactas, quas hîc attigit D.Th.in ſol.ad.1.*

1. Pœnitentia interior quo modo ſemper durare debeat.

*Sed tunc difficile eſt ad explicandum, quod D. Thom. dicit de Pœnitentia exteriori: negat enim durandum eſſe in illa vſque ad finem vitæ:& in hoc differentiam conſtituit inter Pœnitentiam interiorem & exteriorem: cùm tamen nulla eſſe videatur. Quia,ſi peccata iterentur (de mortalibus loquimur) toties pœnitentia exterior iteranda eſt, maximè in lege gratiæ, vt D. Thom. loquitur.Si verò peccata non iterentur, & reſpectu eorundem peccatorum loquamur,ſicut non eſt neceſſarium iterare exteriorem pœnitentiam, ita etiam neque interiorem, vt dixi. Et è conuerſo ſicut eſt vtile, iterare interiorem pœnitentiam, etiam vltra menſuram delicti, vel etiam ſi credatur plenè remiſſum, ita etiam eſt vtile iterare pœnitentiam exteriorem, præſertim quoad corporis afflictiones, imò etiam quoad confeſſionem poteſt eſſe vtile, licèt nulla alia noua materia occurrat. Et auget difficultatem, quod D. Thom. in ſolutione ad 2. agens de ſtatu incipientium, proficientium & perfectorum, in primo dicit habere locum, pœnitentiam interiorem & exteriorem: in ſecundo verò, & in tertio interiorem:quaſi verò non ſit etiam vtilis, & moraliter neceſſaria viris etiam perfectis exterior pœnitentia.*

2. Duratio exterioris Pœnitentiæ, quanta.

*Reſpondeo primò, D.Thom. potiſſimè loqui de Pœnitentia exteriori ſacramentali, & per confeſſionem. Et de hac, moraliter ac regulariter loquendo, verum eſt, neque eſſe neceſſarium, neque vtile in ea durare vſque ad finem vitæ,niſi quatenus peccata, ſaltem leuia, vſque ad finem vitæ iterantur, vel quatenus præteritorum peccatorum confeſſio non ſatis perfecta exiſtimatur, quod in interiori pœnitentia ſecus eſt, vt dixi. Et ſimili modo huiuſmodi pœnitentia exterior per ſe non habet locum in ſtatu proficientium, & perfectorum, nimirum circa peccata præterita vitæ:nam de ratione illorum ſtatutum eſt, vt illa peccata ſint perfectè purgata: ſecus verò eſt de peccatis, quæ in illis ſtati*

3.

*ſtatibus committuntur, vt per ſe conſtat. At verò, ſi loquamur abſolutè de pœnitentia exteriori: parua quidē eſt differentia inter illam, & interiorem, vt ratio tacta declarat. Nihilominùs tamen eſt nonnulla, nam interior pœnitentia ſuppoſita eius materia, eſt per ſeſe honeſta, & pertinens ad diuinum cultum, & quantùm eſt ex ſe nullam requirit menſuram, niſi per accidens aliquid aliud impediat, aut corpori nocumentum afferat. At verò exterior corporis afflictio, quam nomine pœnitentiæ exterioris intelligimus, ſi formaliter ſumatur, vt eſt pœnitentia prioris delicti commiſſi, ſolùm eſſe debet iuxta menſuram delicti. Quòd ſi quis velit illam menſuram excedere, vt id honeſtè faciat, neceſſe, eſt vt ex alio fine vtilitatem, & honeſtatem quærat in illo opere, nimirum quòd ſit medicina præſeruans à peccatis futuris, vel quòd pro alienis peccatis ſatisfactoria eſſe poſſit, vel quòd animum prouocet ad humilitatem, deuotionem, charitatem, aut aliquid ſimile. Et ideò, licèt in ſtatu perfectorum, & multò magis proficientium, vtraque pœnitentia ſit vtilis, & moraliter neceſſaria, tamen interior per ſe, & propter ſe. Accedit etiam quòd, quia exterior ex ſe magis nocet corpori, maiorem etiam menſuram requirat: & ideò quando iam ceſſat neceſſitas eius, vel in ratione ſatisfactionis, vel in ratione medicinæ præſeruantis, cenſetur minùs pertinere ad talem hominis ſtatum, nunquam tamen omninò excludenda eſt, ſed quandiu oportuerit, iuxta vniuſcuiuſque conditionem, & exigentiam adhibenda. Neque D. Thom. hoc loco aliud intendit. Et hæc ſufficiunt etiam pro ſequenti articulo, qui ferè eandem doctrinam continet.*

## ARTICVLVS IX.

*Vtrùm Pœnitentia poſsit eſſe continua.*

4. diſt. 1. q. 1. ar. 4. q. 1.

AD nonum ſic proceditur. Videtur quòd Pœnitentia non poſſit eſſe continua. Dicitur enim Hierem. 31. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis.* Sed hoc eſſe non poſſet, ſi Pœnitentia continuaretur, quæ conſiſtit in ploratu, & lacrymis. Ergo Pœnitentia non poteſt continuari.

Prætereà: De quolibet bono opere debet homo gaudere, ſecundùm illud Pſalm. *Seruite Domino in lætitia.* Sed agere pœnitentiam, eſt bonum opus: ergo de hoc ipſo debet homo gaudere. Sed nō poteſt homo ſimul gaudere, & triſtari: vt patet per Philoſophum in 9. Ethicor. Ergo non poteſt eſſe quòd pœnitens continuè triſtetur de peccatis præteritis, quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ. Ergo Pœnitentia non poteſt eſſe continua.

Prætereà: Secundæ ad Cor. 2. Apoſtolus dicit, *Conſolamini*, ſcilicet pœnitentem, *ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, quæ huiuſmodi eſt.* Sed cōſolatio depellit triſtitiam, quę pertinet ad rationem Pœnitentiæ. Ergo Pœnitentia non debet eſſe continua.

In li. de vera & falſa pœnit. c. 13. circa finem. to. 4.

SED contrà eſt, quod Aug. dicit in lib. de Pœnitent. *Dolor in pœnitentia continuè cuſtodiatur.*

Reſpondeo dicendum, quòd pœnitere dicitur dupliciter, ſecundùm actum, & ſecundùm habitum, Actu quidem impoſſibile eſt quòd homo continuè pœniteat: quia neceſſe eſt, quòd actus pœnitentis, ſiue interior, ſiue exterior, interpelletur ad minus ſomno & aliis, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur pœnitere ſecundùm habitum. Et ſic oportet quòd homo pœniteat: & quantū ad hoc, quòd continuè homo numquàm aliquid contrarium Pœnitentiæ faciat, per quod habitualis diſpoſitio Pœnitentis tollatur: & quantùm ad hoc quod debet homo in propoſito gerere, quòd ſemper ſibi præterita peccata diſpliceant.

At 1. ergo dicendū, quòd ploratus, & lacrymæ ad actū exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non ſolùm non debet eſſe continuus, ſed nec etiā oportet quòd duret vſque ad finem vitæ, vt dictū eſt. Vnde & ſignanter ibi ſubditur, *quia eſt merces operi tuo.* Eſt autem merces operis pœnitentis plena remiſsio peccati, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: poſt cuius conſecutionem non eſt neceſſe quòd homo vlteriùs exteriorem pœnitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ, qualis dicta eſt. ar. præce.

Ad 2. dicendum, quòd de dolore, & gaudio dupliciter loqui poſſumus. Vno modo, ſecūdùm quòd ſunt paſsiones appetitus ſenſitiui. Et ſic nullo modo poſſunt eſſe ſimul: eo quòd ſunt omninò contrariæ, vel ex parte obiecti (putà cùm ſunt de eodem) vel ſaltem ex parte motus cordis: nam gaudiū eſt cum dilatatione cordis, triſtitia verò cū conſtrictione. Et hoc modo loquitur Philoſophus in 9. Ethicor. Alio modo poſſumus loqui de gaudio, & triſtitia, ſecundùm quòd conſiſtūt in ſimplici actu voluntatis, cui aliquid placet, vel diſplicet. Et ſecundùm hoc non poſſunt habere contrarietatem niſi ex parte obiecti, putà, cùm ſunt de eodem, & ſecundùm idem. Et ſic nō poſſunt ſimul eſſe gaudium, & triſtitia: quia non poteſt ſimul idem ſecundùm idem placere, & diſplicere. Si verò gaudium, & triſtitia ſic accepta non ſint de eodē ſecundùm idem, ſed vel de diuerſis, vel de eodē ſecundùm diuerſa, ſic nō eſt contrarietas gaudij, & triſtitiæ. Vnde nihil prohibet, hominē ſimul gaudere, & triſtari: putà, ſi videamus, iuſtum affligi, ſimul placet nobis eius triſtitia, & diſplicet eius afflictio. Et hoc modo ſimul poteſt alicui diſplicere quòd peccauit, & placere quòd hoc ei diſplicet cū ſpe venię: ita, quòd ipſa triſtitia ſit materia gaudij. Vnde & Aug. dicit in li. de Pœnitentia, *Sēper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.* Si tamē triſtitia nullo modo compateretur ſibi gaudiū, per hoc non tolleretur habitualis continuitas pœnitētiæ, ſed actualis. c citato in arg. 2. In li. de vera, & falſa pœnit. c. 13. in fine to. 4.

Lib. 2. ex c. 36. & 9. haberi potest to. 5.

Ad 3. dicendum, quòd secundùm Philosophum in 2. Ethic. ad virtutem pertinet tenere mediũ in passionibus. Tristitia autem, quæ in appetitu sensitiuo pœnitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quędã est. Vnde moderanda est secundùm virtutẽ, & eius superfluitas est vitiosa: quia inducit in desperationem. Quod significat Apostolus ibidem, dicens, *Ne maiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* Et sic consolatio, de qua ibi Apostolus loquitur, est moderatiua tristitiæ: non autem totaliter ablatiua. A B

HVic articulo non oportet addere commentarium, vt dixi in fine præcedentis. Notanda verò est solutio ad 2. de contrarietate gaudij, & tristitiæ, & quomodo possint esse simul. De qua re videri possunt quæ scripsimus in 1. tom. huius 3. partis, disput. 38. sect. 3.

## ARTICVLVS X.

*Vtrùm sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.*

4 dist. 14. q. 1. ar. 4 q. 3. & ar. 5. q. 2. & Heb. 6.

AD decimum sic proceditur. Videtur quòd sacramentum pœnitentiæ non debeat iterari. Dicit C enim Apost. Heb. 6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt cæleste donum, & participes sunt facti Spiritus sancti, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam.* Sed quicunque pœnituerunt, sunt illuminati, & acceperunt donum Spiritus sancti. Ergo quicunque peccat post pœnitentiam, non potest iteratò pœnitere.

In lib. 2. de Pœnit. c. 10. post mediũ, tom. 1.

Prætereà: Amb. dicit in lib. de Pœnitentia, *Reperiuntur qui sæpiùs agendam pœnitẽtiam putant, qui luxuriantur in Christo, nam si verè pœnitentiam agerent, iterandam posteà non putarent: quia sicut vnum est baptisma, ita vna est pœnitentia.* Sed baptismus non iteratur: ergo nec pœnitentia, D

Prætereà: Miracula, quibus Dominus infirmitates corporales sanauit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur à peccatis. Sed non legitur, quòd Dominus aliquem cæcum bis illuminauerit, vel quòd aliquem leprosum bis mũdauerit, aut aliquẽ mortuum bis suscitauerit. Ergo videtur quòd nec alicui peccatori bis per pœnitẽtiã veniã largiatur.

Hom 34 in Euang post medium illius.

Lib 2. c 16. in principio & habetur de Pœn dist. 3 ca. Irrisor.

Hoc habet Am. ser 8. in Ps. 118. ante medium to. 4. refertur. 23 q 4 c. Est iniusta, & dicitur esse. Amb.

Prætereà, Greg. dicit in Hom. XL. *Pœnitentia est, anteacta peccata deflere, & flenda iterum non committere.* Et Isid. dicit in lib. de Summo bono: *Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.* Si ergo aliquis verè pœniteat, non iterum peccabit. Ergo non potest esse quòd pœnitentia iteretur. E

Prætereà: Sicut Baptismus habet efficaciã ex passione Christi, ita & Pœnitẽtia. Sed Baptismus non iteratur propter vnitatem passionis, & mortis Christi. Ergo pari ratione nec Pœnitentia iteratur.

Prætereà: Amb. dicit, quòd *facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi.* Si ergo Deus veniam frequẽter præbet per Pœnitentiam, videtur quòd ipse hominibus præbeat incentiuum delinquendi. Et sic videretur delectari in peccatis, qnod eius bonitati non congruit: non ergo potest pœnitẽtia iterari.

Sed contrà est, quòd homo inducitur ad misericordiam exemplo diuinæ misericordiæ, secundùm illud Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Sed Dominus hanc misericordiã Discipulis suis imponit, vt sæpiùs remittant fratribus contra se peccantibus: vnde, sicut dicitur Matt 18. Petro quærẽti, *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* respondit Iesus, *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Ergo etiam Deus per pœnitentiã, veniam peccantibus præbet, præsertim cùm doceat nos petere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Respondeo dicendum, quòd circa pœnitentiam quidam errauerunt, dicentes, non posse hominem per pœnitentiam secundò consequi veniam peccatorum: quorum quidam, scilicet Nouatiani, hoc in tantum extenderunt, vt dicerent, post primam pœnitentiam, quæ agitur in Baptismo, peccantem non posse per pœnitentiam iteratò restitui. Alij verò fuerunt hæretici (vt Aug. dicit in lib. de Pœnitentia) qui post baptismum, dicebant quidem esse vtilem pœnitentiam, non tamen pluries, sed semel tantùm.

In li de vera & falsa pœnit. c. 5. to. 4.

Videntur autem huiusmodi errores ex duobus processisse. Primò quidẽ ex eo, quòd errabant circa rationem veræ pœnitentiæ. Cùm enim ad veram pœnitentiam charitas requiratur (sine qua non delentur peccata) credebant quòd charitas semel habita non possit amitti, & per consequens pœnitentia, si sit vera, nunquàm per peccatũ tollatur, vt sic sit necesse eam iterari. Sed hoc improbatum est in 2. parte, vbi ostensum est, quòd charitas semel habita propter libertatem arbitrij potest amitti, & per consequens post veram pœnitentiam potest aliquis peccare mortaliter. Secundò ex eo, quòd errabãt circa æstimationem grauitatis peccati: putabãt enim adeò graue esse peccatum, quod aliquis committit post veniam impetratam, quòd non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant, & ex parte peccati (quod etiam post remissionem consecutam, potest esse & grauius, & leuius, quàm fuerit primum peccatum remissum) & multò magis cõtra infinitatem diuinæ misericordiæ quæ superat omnem numerũ & magnitudinem

2. 2. q. 24. ar. 11.

pec

peccatorum, ſecundùm illud Pſ. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiã tuam: & ſecũdùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Vnde reprobatur verbum Cain dicentis Gen. 4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Et ideò miſericordia Dei peccantibus per pœnitẽtiam veniam præbet abſque vllo termino: vnde dicitur 2. Paralipom. vlt. *Immenſa, & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ ſuper malitiam hominum.* Vnde manifeſtum eſt, quòd pœnitentia pluries eſt iterabilis.

Ad 1. ergo dicendum, quòd quia apud Iudæos erant ſecundùm legem quædam lauacra inſtituta, in quibus pluriès ſe ab immunditiis purgabãt, credebant aliqui Iudæorum quòd etiam per lauacrum baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Ad quod excludendum, Apoſtolus ſcribit Hebræis, *quod impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati*, ſcilicet per baptiſmum, rurſum renouari ad pœnitentiam, ſcilicet per baptiſmum, qui *eſt lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti*, vt dicitur ad Tit. 3. Et rationem aſſignat ex hoc, quòd per baptiſmum homo Chriſto commoritur, vnde ſubdit, *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.*

In li. de vera & falſa pœnit. ca. 5. t. 4.

Ad 2. dicendum, quòd Ambroſius loquitur de pœnitentia ſolenni, quæ in Eccleſia non iteratur, vt infrà dicetur.

Ad 3. dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in libro de Pœnitentiã, *multos cæcos, & in diuerſo tempore Dominus illuminauit, & multos debiles confirmauit, oſtendens in diuerſis illis eidem ſæpe peccata dimitti: vt quem priùs ſanauit leproſum; alio tẽpore illuminet cæcum.* Ideò enim tot ſanauit cæcos, claudos, & aridos, ne deſperet de ſe peccator. Ideò non ſcribitur, aliquem niſi ſemel ſanaſſe, vt quilibet timeat iungi peccato: medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? medicorum eſt, centies infirmum centies curare: qui cæteris minor eſſet ſi aliis poſsibilia ignoraret.

Ad 4. dicendum, quòd pœnitere, eſt anteacta peccata deflere, & flenda non committere: ſcilicet, ſimul dum flet, vel actu, vel propoſitio. Ille enim eſt irriſor, & non pœnitens, qui ſimul dum pœnitet agit quod pœnitet, vel proponit iterum ſe facturum quod geſſit vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati.

Quòd autem aliquis poſteà peccat, vel actu, vel propoſito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit, nunquàm enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim verè currit qui poſteà ſedet: ita verè pœnituit, qui poſtea peccat.

Ad 5. dicendum, quòd Baptiſmus habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut quædam ſpiritualis generatio cum ſpirituali morte præcedentis vitæ. Statutum autem eſt hominibus ſemel mori, & ſemel naſci. Et ideò ſemel tantùm debet homo baptizari. Sed pœnitẽtia habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut ſpiritualis medicatio, quæ frequenter iterari poteſt.

Ad 6. dicendum, quòd ſecundùm Aug. in lib. de Pœnitentia, conſtat Deo multùm diſplicere peccata, qui *ſemper præſtò eſt ea deſtruere, ne ſoluatur quod creauit, nec corrumpatur quod amauit*, ſcilicet per deſperationem.

In li. de vera & falſa pœn. ca. 5. nõ lõgè à principio to. 4.

## COMMENTARIVS.

QVAMVIS *D. Thom. quæſtionem hanc moueat de ſacramento, communis tamen etiam eſt virtuti Pœnitẽtiæ: & locum habuit in ſtatu legis veteris, & naturæ. Poteſt autem intelligi, vt ſuprà dixi, de iteratione Pœnitentiæ circa idem peccatum, vel circa diuerſa peccata, vt quando homo iterum incidit in peccatum, poſtquàm alterius pœnitentiam egit. D. Tho. igitur hunc tantùm poſteriorem ſenſum intẽdit: & ita definit contra hæreticos Nouatianos, & alios, pœnitentiam toties poſſe vtiliter, & debere iterari, quoties peccatum iterum commiſſum fuerit, ſiue in eãdem, ſiue in quauis alia ſpecie peccati, etiã grauiſſima. Quam fidei veritatem optimè D. Tho. confirmat ex Scripturæ teſtimoniis & ex infinita Dei miſericordia. Et in ſolutionib. argumẽtorum clariſſimè diſſoluit omnia, quæ in contrarium obiici poſſunt. Inter quæ ſolùm habet difficultatem locus ad Heb. 6. quem infrà in diſputatione de hac re ex profeſſo tractabimus, cum aliis ſimilibus qui ad eandem quæſtionem pertinent.*

*De alio verò ſenſu quæſtionis meritò hic D. Tho. nihil dicit, quia ex præcedentibus articulis definitus eſt. Diſtinguendum enim eſt verbum illud, debeat, in titulo articuli poſitum. Nam poteſt dicere aut ſolam poteſtatem, aut etiam neceſſitatem & obligationem: priori modo certum eſt ex dictis, Pœnitentiam poſſe iterari circa eadem peccata, & infrà oſtẽdemus, peccatum ſemel ritè confeſſum poſſe eſſe materiam iteratæ confeſſionis, & ſacramenti. Poſteriori autem ſenſu clarum eſt, etiam poſt ſemel actam pœnitentiam perfectam alicuius peccati non eſſe neceſſarium, ſeu præceptum, illam iterare, neque in ſacramẽto, neque extra illud. Quæ omnia infrà ſuis locis ex profeſſo probabimus.*

*Obſeruandum tandem eſt circa literam huius articuli, in fine, D. Th. referre quædam verba ex c. vlt. lib. 2. Paralip. quæ ibi non reperiuntur, neque in aliquo libro canonico. Sumpta verò ſunt ex Oratione Manaſſæ, quæ extra canonem librorum ſacrorum ponitur. Solebat autem poni ad finem librorum Paralip. & ideò D. Thom. illo modo ipſam allegat, & quamuis canonica non ſit, eſt ſine dubio optima, & verba quæ. D. Tho. ex ea ſumpſit ſunt ad rem præſentem valdè accommodata.*

## QVÆSTIO LXXXV.

*De ſacramento Pœnitentiæ, ſecundùm quòd eſt virtus, in ſex articulos diuiſa.*

DEINDE conſiderandum eſt de pœnitentia ſecundùm quòd eſt virtus. Et circa hoc quæruntur ſex.

*Primò, Vtrùm pœnitentia ſit virtus.*
*Secundò, Vtrùm ſit virtus ſpecialis.*
*Tertiò, Sub qua ſpecie virtus contineatur.*
*Quartò, de ſubiecto eius.*
*Quintò, de cauſa ipſius.*
*Sextò, De ordine eius ad alias virtutes.*

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Pœnitentia ſit virtus.*

4.di 14.q.1. ar.1.q. 2. & ar. 3. q. 1. cor. & ad 2. q.2. & 4.

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd Pœnitentia non ſit virtus. Pœnitentia enim eſt quoddam ſacramentum aliis ſacramẽtis connumeratum: vt ex ſuprà dictis patet. Sed nullum aliud ſacramentorum eſt virtus. Ergo neque pœnitentia eſt virtus.

q. præc. ar.1 & q. .65.ar. 1.Li 4. c.vlt. to. 5.

Prætereà: Secundùm Philoſoph.4. Ethic. verecundia non eſt virtus: tum quia eſt paſſio habens corporalem immutationem, tum etiam, quia non eſt diſpoſitio perfecti, cùm ſit de turpi facto, quod non habet locum in homine virtuoſo. Sed ſimiliter Pœnitentia eſt quædam paſſio habens corporalem immutationem, ſcilicet ploratum (ſicut Greg. dicit: quòd pœnitere eſt peccata præterita plangere) eſt etiam de turpibus factis, ſcilicet, de peccatis, quę nõ habent locum in homine virtuoſo. Ergo Pœnitẽtia nõ eſt virtus.

Hom. 34 in Euang. poſt medium & in regiſt.lib. 9.ca.39.non longè à fine.

Prætereà: Secundùm Philoſoph.4. Ethic. nullus eſt ſtultus eorum qui ſunt ſecundùm virtutem. Sed ſtultum videtur dolere de cõmiſſo præterito, quod non poteſt non eſſe, quod tamen pertinet ad Pœnitentiam. Ergo Pœnitentia non eſt virtus.

SED contrà eſt, quòd præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legiſlator intendit ciues facere virtuoſos: vt dicitur 2. Ethicor. Sed præceptum diuinæ legis eſt de Pœnitentia, ſecundùm illud Matt.4. *Pœnitentiam agite*, &c. Ergo Pœnitentia eſt virtus.

Lib. 2. c.1.à med.to 5.

In iſto ar.ex arg.2. & q. præced. q. præcedẽt. ar. 9.

RESPONDEO. Dicendum, quòd ſicut ex dictis patet, pœnitere eſt de aliquo priùs à ſe facto dolere. Dictum eſt autem ſuprà, quòd dolor, vel triſtitia dupliciter dicitur. Vno modo ſecundùm quòd eſt paſſio quædã appetitus ſenſitiui, & quantùm ad hoc, Pœnitentia non eſt virtus, ſed paſſio. Alio modo ſecundùm quòd conſiſtit in voluntate: & hoc modo eſt cum quadam electione. Quæ quidem ſi ſit recta, neceſſe eſt quòd ſit actus virtutis: dicitur enim 2. Ethicorum, quòd virtus eſt habitus electiuus ſecundùm rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum eſt, & eo modo, & fine, quo dolendum eſt. Quod quidem obſeruatur in Pœnitentia, de qua nunc loquimur: nam pœnitens aſſumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione remouendi ea. Vnde manifeſtum eſt, quòd Pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel eſt virtus, vel actus virtutis.

Lib 2. c.2.& 6.to.5.

Ad 1. ergo dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) in ſacramento Pœnitentiæ materialiter ſe habent actus humani: quod non contingit in Baptiſmo, vel Confirmatione. Et ideò cùm virtus ſit principium alicuius actus, potiùs Pœnitentia eſt virtus, vel cum virtute, quàm Baptiſmus, ſeu Confirmatio. q præcedẽt. ar.1. 2 3.

Ad 2. dicendum, quòd Pœnitentia ſecundùm quòd eſt paſſio, nõ eſt virtus: vt dictum eſt: ſic autem habet corporalem tranſmutationem adiunctam. Eſt tamen virtus ſecundùm quòd habet ex parte voluntatis electionem rectam. Quod tamen magis poteſt dici de Pœnitentia, quàm de verecundia: nam verecundia: reſpicit turpe factum, vt præſens, pro quo timet confundi: Pœnitentia verò, vt præteritum. Eſt autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis in præſenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari: non eſt autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis priùs commiſerit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cùm ex vitioſo fiat aliquis virtuoſus. In corp. art.

Ad 3. dicendum, quòd dolere de eo quod priùs factum eſt, cum intentione conandi ad hoc, quòd factum non fuerit, eſſet ſtultum. Hoc autem non intendit pœnitens, ſed dolor eius eſt diſplicentia, ſeu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi ſequelam ipſius: ſcilicet offenſam Dei, & reatum pœnæ. Et hoc non eſt ſtultum.

## COMMENTARIVS.

RESPONDET *Diuus Thomas Pœnitentiam aut eſſe virtutem, aut actum virtutis: virtus enim ſimpliciter dicta habitum ſignificat, & ideo habitualis pœnitentia virtus erit, exercitium autem eius erit actus virtutis. Adhibet verò D. Thomas limitationem, dicens,* Pœnitentia de qua nunc loquimur, &c. *quia poteſt etiam eſſe aliqua pœnitentia, quæ non ſit virtus, tamen nunc loquimur de Pœnitentia, quæ ſit ſecundùm rectam rationem, & illam dicimus eſſe virtutem. Vnde duo in præſenti reſolutione continentur, vnum eſt, poſſe dari aliquam pœnitentiam in obiecto, & circunſtantiis conformem rectæ rationi: ſecundum eſt, ad hoc conſequens, talem pœnitentiam eſſe virtutem. Cætera in ſequentibus diſputationibus exponentur.*

## DISPVTATIO II.

### *De obiecto virtutis pœnitentiæ.*

QVAMVIS in diſputatione præcedente locuti fuerimus de virtute Pœnitentiæ, vt differens eſt ad actum, vel habitum: hîc iam agimus de propria virtute, ſeu de habitu ipſo, cui nomen virtutis ſimpliciter attribuitur. Quia verò habitus & potentia ab obiecto, mediis actibus, ſpeciem ſumit: ideò ad explican

plicanda m naturam & essentiam huius virtutis, primò tractãdum est de obiecto, deinde de actibus eius posteà de habitu, ac denique de causis & effectibus illius. In obiecto autem distingui solet materiale, & formale: quæ à nobis sigillatim explicanda sunt.

## SECTIO I.

### *Quod sit materiale obiectum virtutis pœnitentiæ.*

1 Duplex acceptio pœnitẽtiæ virtutis.

PŒNITENTIA virtus duobus modis accipi potest, primo generatim, vt dicit principium eliciens quamcunque honestam detestationem peccati per modum habitus inclinantis ad illam: quo modo, vt inferiùs videbimus, pœnitentia non dicit vnam solam virtutem, sed varias complectitur, iuxta multiplicem rationem detestandi peccatum. Alio modo pœnitentia virtus quasi per antonomasiam appellatur specialis quædam virtus, quæ sub propria ratione detestatur peccatum, vt Deo iniuriosum. Et hoc posteriori modo hîc præcipuè agimus de hac virtute: attingemus verò semper ea, quæ necessaria fuerint ad priorem significationem explicandam.

2. Alia nominis diuisio notanda.

Rursus ipsamet virtus Pœnitentiæ duobus modis spectari potest. Primo quatenus exercet hoc munus detestandi peccatum commissum, & dolendi de illo, ac destruẽdi illud præcisè in his actibus sistendo. Secundo modo tractare possumus de hac virtute adæquatè secundùm completam rationem suam, & secundùm omnes actus, quos exercere valet: nam, vt C suprà dixi, hæc vox, *Pœnitentia*, solùm significat in rigore retractationem præteriti facti. Vnde, si hæc virtus sumatur, vt præcisè subsistat huic voci, & conceptui eius, solùm extenditur ad eos actus, qui respiciunt præteritum, seu peccatum commissum: fieri tamen potest vt eadem virtus, secundùm integram & adæquatam rationem suam, alia habeat officia, & ita vniuersaliorem habeat materiam, quod à nobis videndum est. Vltimò verò obseruari oportet, duplicem materiam posse assignari virtuti. Alteram, vt fugiendam vel vitandam, quo modo illicita delectatio potest dici materia castitatis: alteram, vt amplectendam & amandam, quo modo corporis puritas dicitur materia castitatis.

3. Prima assertio. D.Tho. D

Dico ergo primò, Malum culpæ seu peccatum est materiale obiectum Pœnitentiæ, vt destruẽdum seu vitandum. Hæc est certa & communis veritas. Sumitur ex D. Thoma in hoc articulo, & in sequenti, ad primum, & ex quæst. præcedente, art. 2. Vbi dicit, actus peccatoris (vtique quatenus pœnitens est) esse proximam materiam sacramenti Pœnitentiæ: materiam autem illorum actuum esse ipsa peccata, at verò tales actus sunt pœnitentiæ actus. Idem in 4.d.17.q. 2.art.1.& 3.Sot.q.1.art.2. & alij Doctores cum Magistro tum ibi, tum d.14. Et loquendo in communi, & maximè de peccato mortali, est res clara ex dictis suprà de significatione Pœnitentiæ: nam virtus Pœnitentiæ est principium retractationis prioris facti, ita vt retractato ex obiectio honesta sit: huiusmodi autem retractatio versatur circa culpam commissam: ergo illa est materiale obiectum eius. Et ideo cùm Scriptura de Pœnitentia in hac proprietate loquitur, peccatoribus illam attribuit, vt Matth.9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et in Orat. Manasses (licèt in canone non recipiatur) dicitur, *Non posuisti pœnitentiam iustis, qui tibi non peccauerunt.* Vnde fit, huiusmodi peccatum esse propriissimam, & proximam materiam, circa quam versatur

Sotus. Magist. E

Matth.

A Pœnitentia rigorosè sumpta, per ordinem ad actum, per eam vocem propriissimè indicatũ, qui est retractatio, & displicentia mali commissi: nam, vt ex ipsis terminis constat, huiusmodi actus proximè versatur circa ipsum malum priùs commissum, quod est peccatum.

Dices, non proximè versari circa illud, sed circa destructionem eius, quam intendit. Respondetur primò, licèt hoc demus respectu illius intentionis, non tamen id procedere respectu displicentiæ vel tristitiæ de tali peccato, qui etiam sunt actus eliciti ab hac virtute. Vt autem aliquod obiectum dicatur esse proxima materia alicuius virtutis, satis est quod per aliquem actum suum circa illud immediatè versetur. Deinde dicitur, etiam respectu ipsius intentionis peccatum vt destruendum, esse proximum obiectum illius actus, sicut è conuerso bonum vt obtinendum, dicitur esse proximum obiectum intentionis, seu spei, aut desiderij. Neque ibi sunt propriè duo obiecta, sed vnum cum respectu ad subiectum, cui obtinendum est, vel à quo expellendum. Dico autem, non esse duo respectu ipsiusmet formalis inhæsionis, vel expulsionis, de qua obiectio procedebat, nam respectu subiecti, vel mediorum, alia ratio & consideratio esse potest, quæ ad præsens nõ spectat.

obiectio soluitur.

B

### *SITNE CVLPA VENIALIS materia Pœnitentiæ.*

DE hac verò materia seu culpa qualis esse debeat, nonnulla breuiter expediri possunt. Primum, an sub hoc materiali obiecto comprehendatur peccatum veniale. Et ratio dubij est, quia huiusmodi peccatum non est vera offensio Dei, sed solùm quoddam malum morale. Dicendum verò est, Pœnitentiam latè sempram, prout comprehendit omnem habitum, qui honestè & secundum rectam rationem detestatur priùs factum, expẽdi ad venialia, nam hæc meritò displicent, vel propter turpitudinem, quam in propria specie habent, quomodo mendacium leue displicet ex virtute veritatis; vel quia impediunt feruorem charitatis, quo modo ad charitatem spectat dolere de omni peccato veniali. Addo præterea hoc peccatum comprehendi sub obiecto adæquato, propriæ, & specialis virtutis Pœnitentiæ, quia licèt non sit tam propria offensio Dei, sicut mortale, re tamen vera est aliqualis iniuria, tum quia aliquo modo pugnat cum voluntate, & lege Dei, tum etiam quia neque ordinatur, neque ordinari potest in Deũ, vt in vltimum finem, cùm tamen debitum sit Deo, vt omnia referantur in ipsum, & ideò tale peccatum etiam retardat hominem ab ingressu beatitudinis. Comprehenditur ergo sub obiecto materiali huius virtutis.

4.

### *Quid de actu exteriori.*

SECVNDÒ inquiri potest, an actus exterior peccati comprehendatur sub hoc obiecto. Et ratio dubij est, quia in interiori actu non est intrinsecè aliqua formalis malitia, & ideò dicitur non addere malitiam actui exteriori 1.2.q.20. Respondetur, etiam hunc actum esse suo modo detestabilem per virtutem Pœnitentiæ? atque ita comprehendi sub eius adæquato obiecto, quia simpliciter est actus moralis, & peccaminosus, non quidem omninò distinctus ab interiori sub morali consideratione, sed vnum cum illo constituens, sicut corpus cum anima constituit vnum hominem. Ex quo quidem fit, vt actus exterior non sit detestabilis per pœnitentiam nisi

5.

ratione

ratione interioris,tamen vt illis coniunctus,ea ratione deteſtabilis eſt:quod ſufficit,vt ſub obiecto materiali Pœnitentiæ comprehendatur,ſicut corpus comprehenditur ſub obiecto charitatis proximi,vel potiùs ſicut imago comprehenditur ſub obiecto religionis,vel duliæ. Et poteſt declarari à ſimili: nam etiam in ipſo interiori actu poſſumus duo diſtinguere,ſcilicet materialem entitatem actus, & malitiam eius:ex quibus illa prior ſecundùm ſe bona eſt:vt tamen informatur poſteriori, eſt deteſtabilis. Et hoc ſatis eſt, vt non ſolùm malitia, ſed etiam ipſa entitas actus ſit proxima materia Pœnitentiæ: imò entitas ipſa videtur eſſe proprium obiectum materiale:malitia verò quaſi formale, modo infrà explicando. Quamuis ſola etiam malitia, quatenus abſtractè ſumpta poteſt propter ſeſe odio haberi, vel diſplicere, poſſit ſimul eſſe materiale obiectum: quia in his potentiis, præſertim ſpiritualibus, quando peruenitur ad ſimpliciſſima obiecta, ac per ſeſe talia, non repugnat idem eſſe ſimul quo, & quod, licèt in eis dentur etiam alia obiecta materialia,quæ per ſe non ſufficiunt,niſi vt coniuncta formalibus. Ad hunc ergo modum actus exterior, licèt per ſeſe, & abſque interiori non habeat vnde per Pœnitentiam diſpliceat, tamen vt informatus moraliter per actum interiorem, eſt vera materia Pœnitentiæ virtutis, ſicut etiam eſſe poteſt,& debet materia ſacramenti Pœnitentiæ, vt ſuo loco dicetur.

Solùm ergo eſt differentia inter actum interiorem,& exteriorem,quòd interior eo quòd per ſe, & ſine informatione alterius actus humanus eſt, poteſt per ſe eſſe integra materia Pœnitẽtiæ:actus verò exterior ſolùm vt interiori coniunctus,poteſt eſſe quaſi partialis materia Pœnitentiæ. Et quod de actibus dicimus, proportionaliter ſemper eſt de omiſſionibus moralibus intelligendum. Dices, Interdum diſplicet actus exterior ex obiecto prauus,etiãſi prauè factus non ſit, id eſt, licèt non fuerit coniunctus interiori actui malo,neque ab illo prodierit,v.g. meritò quis dolet,quòd comederit carnes die prohibito, etiamſi ex ignorantia inuincibili hoc fecerit, & eodem modo honeſtè quis dolet de nocturna pollutione. Reſpondetur,huiuſmodi diſplicentiam de tali facto ſeu paſſione non eſſe propriam Pœnitentiam, quia non eſt de actu humano,vt humanus eſt:Pœnitentia verò in propria ſignificatione reſpicit actum humanum, vt ſic. Tamen ſicut de aliis rebus, quæ non ſunt humanæ actiones,poteſt eſſe aliquando tædium vel diſplicentia, etiam ex amore alicuius boni honeſti,quòd tædium,latè loquendo,aliquando etiam vocatur Pœnitentia, vt ſuprà notaui, ita dicendum eſt de illa diſplicentia.

### *Quid de peccato nondum commiſſo.*

TERTIÒ inquiri poteſt, an ſolum peccatum iam commiſſum poſſit eſſe obiectum huius virtutis, vel etiam peccatum, quod committi poteſt, & vitandum eſt. Ratio dubij oritur ex dictis de ſignificatione vocis *Pœnitentia*. Propriè enim ſignificat retractationem voluntatis, quæ ſolùm verſari poteſt circa voluntatem,vel opus iam commiſſum. Atque ita definire videntur Theologi, cùm de contritione tractant in 4.d. 17. Nihilominus diſtinctione vtendum eſt:nam ſi loquamur de virtute Pœnitentiæ ſolùm iuxta rigoroſam vocis ſignificationem,& ſecundùm actum proximũ,& cõceptum qui illi reſpõdet, ſic verſatur ſolùm circa mala iam cõmiſſa:quo ſenſu locuti ſunt Theologi de contritione. At ſi loquamur de Pœnitentia virtute ſecundùm totam adæquatã rationem eius,ſic dicendũ eſt, nõſolùm peccatum iam commiſſum,ſed peccatum ſimpliciter,ſeu peccatum quod cauẽdũ eſt,cõprehendi ſub obiecto huius virtutis. Quod oſtenditur ex officiis eiuſdẽ virtutis. Ad illam enim ſpectat, non ſolùm dolere de commiſſa offenſa Dei,ſed etiam odio habere illam, & proponere nunquàm iterum committere. Hæc autem duo non reſpiciũt peccatum,vt commiſſum, ſed vel ſimpliciter,vel in ordine ad tempus futurum:igitur. Maiorem,quoad priorem partem, ſumo ex D. Thoma circa illa verba Paul.2.ad Cor.7.*Triſtitia, quæ ſecundum Deũ eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Dubitat enim quomodo triſtitia Pœnitentiam operetur, cùm pœnitentia nihil aliud ſit, quàm triſtitia quædam:& reſpondet, pœnitentiam non ſolùm includere actum triſtitiæ, ſed etiam alios actus, nimirum odium peccati,& ſecundùm vnum actum poſſe alium operari. Hinc Tridentinum ſæpe declarat Pœnitentiam per odium peccati. Ratio denique eſt, quia triſtitiã, ſeu dolor de præſenti malo, oritur ex odio ipſius mali ſecundùm ſe:& ideò eiuſdem virtutis eſt, deteſtari illud malum, ſi ſit præſens,& odio habere illud. D. Tho.

Atque ſimili modo facilè probari poteſt altera pars illius maioris,quam etiam diſputatione ſequenti ex profeſſo tractaturi ſumus: eamque docet Tridentinum ſeſſ. 14.c.4. dum ait, veram Pœnitentiam includere propoſitum non peccandi de cætero:nam eiuſdem rationis & honeſtatis eſt, vitare malum priùs quàm inſit,& abiicere illud,ſi iam adeſt. Minor autem propoſitio conſtat ex generalibus principiis doctrinæ moralis. Nam hoc differt inter triſtitiam, odium,& fugam,quòd triſtitia eſt de malo præſenti, vel quod vt tale apprehenditur: cuiuſmodi exiſtimatur malum commiſſum:ideò Pœnitentia prout exercet hoc munus,circa huiuſmodi peccatum verſatur. Odium verò reſpicit malum ſecundùm ſe, abſtrahendo à præſentia & abſentia. Deſiderium autẽ, quod in malis potiùs eſt fuga, vel propoſitum cauendi illa, reſpicit malum abſens, quod futurum timetur:Ergo Pœnitentia, quatenus hæc duo munera exercet, habet pro obiecto materiali peccatum vel abſolutè ſumptum,vel vt futurum,ſeu imminens. 8. Triden.

### *Quid de peccatis alienis.*

ATQVE hinc expeditur quartum dubium, an ſola peccata propria, vel etiam aliena ſub hoc obiecto comprehendantur. Communiter enim dici ſolet, Pœnitentiam ſolùm eſſe de peccatis propriis, vt patet ex D.Thom.& aliis in 4.d. 17. q. 2. artic. 2. quia aliàs virtus Pœnitentiæ in Chriſto eſſe potuiſſet:ille enim aliena peccata perfectiſſimè deteſtabatur. Nihilominùs vtẽdum eſt diſtinctione. Nam illud vulgare dictum intelligendum eſt de Pœnitentia ſtrictè ſumpta:ſecundum rigoroſam vocis ſignificationem,atque de contritione propriè dicta. At verò virtus hæc,quam Pœnitẽtiam nominamus,vt eſt iuſtitia quædam ad Deum, etiam poteſt aliquo modo verſari circa peccata aliena, ſaltem per odium illorum,quia malum peccati,vbicunque ſit,eſt odio dignum ſecundùm rectam rationem, & ideò eadem virtus, quæ illud odio habet in proprio ſubiecto, etiam odit illud vbicunque ſit. Et declaratur à ſimili ex iuſtitia humana:nam homo ex inclinatione iuſtitiæ non ſolùm odio habet iniuriam, vt à ſe committendam, ſed ſimpliciter vbicumque illam intuetur, quia illa honeſtas in ſe eadẽ eſt. Itaque ſub hac conſideratione etiam huiuſmodi peccatum ſub hoc obiecto comprehenditur. 9. D.Tho. 10.

Et ratio à priori eſt, quia honeſtas vniuſcuiuſque virtutis obiectiuè ſumpta,per ipſammet virtutẽ amabili s

bilis eſt, ſiue nudè conſideretur, ſiue in proprio, ſiue in alieno ſubiecto. Et ſic charitas amat honeſtatẽ, & dignitatem diuini amoris vbicunque illi proponatur. Ergo pari ratione vnaquæq; virtus deteſtatur malũ ſuę honeſtati contrariũ, vbicunque illud proponatur: nam, vt ſtatim dicam, eiuſdem virtutis eſt, odiſſe malum, & diligere bonum: Ergo proportionali ratione Pœnitentia odio habet turpitudinem peccati, vbicunque illi proponatur, non quidem per modum retractationis, nam hic affectus imbibit reſpectum ad proprium actum commiſſum, ſed per modum ſimplicis odij, & abominationis. Illa enim turpitudo, quæ diſplicet pœnitenti, vt ſic, in proprio actu, diſplicet etiam in alieno ex inclinatione eiuſdem virtutis, quia illa ratio, quæcunque illa ſit, poteſt eſſe adæquata alicui virtuti, quia in illo motiuo eadem formalis honeſtas reperitur: non eſt autem alia virtus magis accommodata ad quam pertineat. Adde etiam inter illos actus ſimplicis odij, vel meritò cenſeantur ab eâdem inclinatione habituali procedere, vt infrà latiùs declarabimus. Obiectio autem, quæ inſinuabatur de anima Chriſti Domini infrà iterum occurret, cùm agemus de ſubiecto huius virtutis. Nunc breuiter dicitur, Pœnitentiam in proprietate ſumptam, qua ſignificat virtutem, quæ retractat peccatum commiſſum, & quæ, quantùm eſt in ſe, intendit deſtructionem eius, & ad illam diſponit operantem, non fuiſſe in Chriſto Domino. An verò eadem virtus ſecundùm ſubſtantiam in illo fuerit, poſteà dicemus.

A magis loquuntur de ſacramento Pœnitentiæ: nam peccatum originale nullo modo pertinet ad materiam illius ſacramenti.

At verò, ſi hanc virtutẽ conſideremus ſecundùm ſimplicem affectum iuſtitiæ ad Deum, etiam poteſt habere odio omnem ſtatum iniuſtitiæ, quacunque ratione contractum ſit. Et hoc modo non eſt inconueniens, obiectum eius ampliari etiam ad originale peccatum. Et confirmatur, quia charitas ex proprio motiuo diuino poteſt deteſtari peccatum originale, & ſtatum illius: ergo pari modo iuſtitia ad Deum poteſt deteſtari talem ſtatum iniuſtitiæ, & hac ratione odio habere tale peccatum. Eò vel maximè quòd illa voluntas Adæ, à qua noſtra culpa originem trahit, quodammodò noſtra reputatur, quatenus in illo eramus, & in illo peccauimus: Ergo poſſumus dolere, eò quòd humanum genus in primo parente Deum offenderit. Ergo ſub ea ratione poteſt etiam peccatum originale per Pœnitentiam diſplicere. Atque ita ſentit apertè D. Thom. in 4. loco proximè citato. Imò ſignificat, potuiſſe Deum illum dolorem exigere, vt ſatisfactionem, vel diſpoſitionem neceſſariam ad remiſſionem peccati originalis: quod etiam ſentit Soto ibi, ſupponens illum actum eſſe poſſibilem: negãs verò eſſe neceſſarium. Ac merito, quia nullum latum eſt de eo præceptum, nec dari oportuit: quia ſicut vnius Adæ voluntate commiſſum eſt: ita vnius Chriſti voluntate pro illo ſatisfactum eſt: & ſicut generatione naturali contrahitur, ita etiam per regeneretionem in Chriſto deletur. Quapropter addi etiam poteſt, originale peccatum, etiamſi (rem ſpeculatiuè conſiderando) poſſit eſſe materia, ſeu obiectum alicuius odij vel diſplicentiæ pertinentis ad virtutem Pœnitentię, qui actus vtilis eſſe poteſt ad perficiendũ affectum erga Deum, ſeu circa innocentiam, & iuſtitiam coram Deo, nihilominùs, non eſſe materiam neceſſariam, neque practicè loquendo, moraliter vtilem ad corrigendos, & emendandos mores, qui ſunt proprij fines virtutis Pœnitentiæ.

13.

## *Quid de habituali, & originali peccato.*

11. QVINTO, hinc etiam facilè conſtat, quid dicendum ſit de peccato habituali: nam hæc virtus non ſolùm fugit committere actu peccatum, ſed etiam ſtatum peccati, atque adeò habituale peccatum. Vnde Diuus Thomas, hac quæſtione, articulo 2. ad 1. dicit, proprium munus huius virtutis eſſe, intendere deſtructionem peccati, vtique etiam, habitualis, quod manere dicitur quantùm ad reatum & maculam: nam actuale peccatum ſtatim tranſit: & ideò neceſſe non eſt amplius illud deſtruere. Ratio verò eſt, quia ſicut actus, & habitus virtutis conueniunt in eadem honeſtate virtutis, & ideò eodẽ actu, & operamur actũ virtutis, & diligimus ipſam virtutem: ita proportionali modo peccatum actuale, & habituale conueniunt in eodem genere deformitatis: & ideò eiuſdem virtutis eſt vtrumque vitare.

12. Dices, Ergo etiam peccatum originale comprehenditur ſub hoc obiecto Pœnitentiæ, quia nihil aliud eſt, quàm quoddam peccatum habituale. Conſequens autem repugnat communi doctrinæ Theologorum, vt Diui Thomæ quæſt. 84. art. 2. ad 3. & in 4. d. 17. q. 2. ar. 2. quæſtion. 2. D. Bonau. d. 16. art. 1. q. 1. Richard. ibi art. 4. q. 1. ad 2. Ledeſ. in 4. p. 1. q. 25. art. 2. dub. 3. Soto d. 14. q. 1. ar. 2. & d. 17. q. 2. ar. 2. qui in hoc æquiparat peccatum originale, & malum pœnæ: de quo ſtatim dicemus. Et ratio huius communis ſententiæ eſt, quia peccatum originale, neque eſt actio noſtra, neque in nobis ex peccato Adæ, & ita ſub neutro reſpectu videtur eſſe apta materia virtutis Pœnitentiæ. Quapropter reſponderi poſſet, negando paritatem rationis, quia peccatum originale non reſpicit proprium actum per quem ſit voluntarium: peccatum autem habituale, eſt homini voluntarium per proprium actum: & ideò magis poteſt pertinere ad Pœnitentiam. Quæ quidem reſponſio optimè procedit de Pœnitentia præcisè conſiderata, vt exercet actum contritionis, vel retractationis prioris facti. De qua videntur loqui Theologi citati. Et multò

D. Tho. D. Bon. Richard. Ledeſm. Sotus.

## *Aſſertio ſecunda de malo pœnæ.*

14. DICO ſecundò, Non ſolùm malum culpæ, ſed etiam malum pœnæ comprehenditur ſub obiecto materiali huius virtutis, quamuis diuerſo modo. Duobus modis explico, & confirmo hanc concluſionem. Prior eſt, quia virtutes morales voluntatis reſpiciunt, vt materiam proximam, actus exteriores humanos, in quibus verſantur, vt hîc etiam notauit Diuus Thomas quæſt. 85. artic. 3. ad 1. loquens de iuſtitia, cui æquiparat Pœnitentiam: Iuſtitia enim cùm ſit in voluntate, immediatè elicit volitionem operandi iuſtè: operatur autem iuſtè per actus exteriores qui ſunt proximum materiale obiectum interioris actus. Ita ergo ſe gerit Pœnitentia virtus, dum vult interiores afflictiones & dolores, vt Deo pro peccatis ſatisfaciat: Ergo huiuſmodi afflictiones & dolores comprehenduntur ſub obiecto adæquato Pœnitentiæ: hæc autem ſunt quędam mala pœnæ. Secunda ratio eſt, quia eiuſdem virtutis eſt, intendere finem; & eligere media apta ad finem illum, vt talis eſt: ſed virtus Pœnitentiæ intendit deſtruere peccatum, & reſarcire diuinam iniuriam, & ad hoc conſequendum vtitur aliquo malo pœnæ, quod aſſumit in vindictam delicti commiſſi: ergo illud malum ſpectat etiam ad obiectum talis virtutis.

15. Diſcrimen inter malũ culpæ & pœnæ.

Ex quo intelligitur, quanta ſit diuerſitas inter malum culpæ, & pœnæ, prout in illis hæc virtus verſatur: nam malum culpæ reſpicitur ab hac virtute, vt deſtruendum: malum verò pœnæ potiùs vt amplectendum, quia eſt ſimpliciter bonum, & potens ad deſtruen

destruendum malum culpæ. Vnde etiam intelligitur, non quodcunque malum pœnæ, sed id quod honestum est, accommodatúmque ad illum finem, esse materiam huius virtutis. Rursus etiam intelligitur, non solùm malum pœnæ, quod consistit in actione humana, sed etiam quod consistit in passione, & quod prouenit etiam ab extrinseca causa, esse accommodatã materiam, & comprehendi sub hoc obiecto: nam ægritudo, vel aliud simile malum, si ex affectu huius iustitiæ acceptetur, erit aptum medium ad satisfaciendum Deo, quod est munus huius virtutis. Denique colligitur ex dictis, non solùm actiones externas corporis, sed etiam aliquas actiones internas voluntatis, posse sub hoc obiecto comprehendi: nam voluntas, sicut intellectus, est potentia reflexiua: vnde potest per vnum actum suum velle, seu imperare alium, atque hoc modo vnus actus voluntatis esse potest obiectum alterius: atque ita ex effectu pœnitentiæ, vel voluntate destruendi peccatum, potest eadem voluntas in semetipsa excitare dolorem, & tristitiam de peccato commisso, quæ tristitia est quoddam malum pœnæ contentum sub obiecto vel materia, circa quam versari potest virtus Pœnitentiæ.

16. Interrogationi satisfit.

Dices, Illa tristitia est actus elicitus ab ipsa virtute Pœnitentiæ, quomodo ergo contineri potest sub obiecto materiali illius? Respondetur primò, fieri posse vt illa tristitia non sit elicita à virtute Pœnitentiæ, sed charitatis, vt apertè docet Diuus Thom. art. seq. ad 1. Deinde, quamuis concedamus, illam tristitiam posse elici à virtute Pœnitentiæ, quod infrà videbimus: nihilominùs fieri potest, vt actus vnius virtutis voluntatis sit obiectum alterius actus eiusdem virtutis, quatenus voluntas per vnum actum potest velle alium, & hoc modo secundùm diuersos respectus potest actus vnius virtutis contineri sob eius adæquato obiecto materiali.

17. Alia obiectio soluitur D. Tho.

Contra hanc verò assertionem obiici potest communis modus loquendi Theologorum, vt videre licet in Diuo Thoma in 4 d.17 quæst.2. artic.2.quęst. 1. & aliis, ibi, qui dicunt, Pœnitentiam veram non esse de malo pœnæ, sed culpæ. Dicendum verò est, illos esse locutos in omni rigore & proprietate de Pœnitentia, quantùm ad actum retractandi, & quantùm ad illud malum, quod destruere intendit: tum quia pœna magis consistit in passione, quàm in actione: retractatio autem est de propria actione: & si interdum est de passione, est in quantum in aliqua nostra actione fundatur, tum etiam quia malum pœnæ non est simpliciter malum, nec per se est offensio Dei: & ideò ex se non est materia detestabilis, vt sic dicam, per virtutem, nisi sub aliqua speciali ratione actus honestetur.

A Caiet. hac q.85.ar.2.& sumitur ex Diuo Tho. ibi ad 1. quatenus dicit, eiusdem charitatis esse velle bonum Dei, & odio habere peccatum, quatenus illi bono cõtrarium est. Idem apertiùs sentit D. Th. 1.2.q.113. ar.5. ad 1. Ex quo sumitur generalis regula communis omnibus virtutibus, scilicet vnamquãq; habere odio malum sibi contrarium: & è conuerso, omnem virtutem, quæ odio habet aliquod malum, multò magis diligere contrarium bonum. Quod principium supponunt in hac materia Soto in 4.d.14.q.2.art.2.Cano. in relect. de Pœnitentia. Et fundari potest in D. Th.2.2.q. 79. vbi duas dicit esse partes iustitiæ, sc. declinare à malo, & facere bonum, quas dicit, inueniri non tantùm in iustitia particulari, sed etiam in vniuersali, & generaliter sumpta, id est, in omni virtute. Cum ergo B Pœnitentia sit quædam virtus, & quædam iustitia, ad eam spectabit, non tantùm declinare à malo, id est, peccato, sed etiam facere bonum, seu id velle. Et ratio est clara, quia malum, cùm sit priuatio boni, non habetur odio, nisi ratione boni: Ergo omnis virtus, quæ odit aliquod malum, ideò est, quia inclinat ad aliquod bonum. Et confirmatur à simili de humana iustitia, quæ non tantùm odit iniuriam, sed etiam amat, & facit quod iustum est: Ergo idem erit in ea iustitia, quæ in nobis esse potest respectu Dei, quæ est ipsa Pœnitentia. Confirmatur naturali exemplo, quia omnis facultas, inclinatio, & actio principaliùs est, & priùs ordinatur ad terminum ad quem, quàm ad recessum à termino à quo: in virtutibus autem, malum se habet vt terminus, à quo voluntas recedit, seu separatur: bonum autem vt terminus ad quem tendit: C Ergo, &c.

Caiet. D. Tho. Sot. Cano. D. Tho.

Ex hoc autem principio sic probato apertè concluditur assertio posita: quia obiectum materiale virtutis est res illa, ad quam virtus tendit, seu in qua versatur: virtus autem Pœnitentiæ non tantùm versatur circa malum, fugiendo illud, sed etiam tendit in bonum, inclinando in illud: Ergo illud cõtinetur & clauditur sub obiecto eius virtutis. Quòd si inquiras, quódnam sit illud bonum. Respondetur tam latè patere, & tam esse vniuersale, sicut malum culpæ illi oppositum, quod Pœnitentia odio habet: hoc enim pari modo sequitur ex principio posito. Quomodo autem possit hæc virtus tam generalem materiam habere, posteà declarabo, tractando de formali obiecto eius. Est autem in hac assertione, quod in cæteris annotauimus, considerandum, eam procedere de Pœnitentia secundùm adæquatam rationem eius, & considerando in illa omnia munera, quæ exercere potest. Quanquàm præcisè considerando in illa rationem detestationis, materia eius sit malum, & non bonum: quo modo frequenter Theologi loquuntur. Sicut respectu misericordiæ, miseria proximi vt expellenda est materia eius, beneficentia tamen, qua subuenitur proximo, vt à miseria exeat, & multò magis quæ præuenitur, ne in miseriam incidat, est etiam materia misericordiæ. Ita ergo virtus Pœnitentiæ, & habet pro materia peccatum vt destruendum, & bonum illud, quod confert, vel ad illud peccatum expellendum, vel ad ipsum vitandum, & præueniendum, ne committatur in ordine ad diuersos actus suos, quos infrà magis explicaturi sumus. D E

## SECTIO II.

### *Vtrùm bonum opus, & Deus ipse, cadant sub obiectum virtutis pœnitentiæ.*

1. Assert. 1.

SVPPOSITA distinctione data in principio sectionis præcedentis, dicendum est primò, considerando adæquatam rationem, & naturam huius virtutis, non tantùm comprehendere sub obiecto suo malum, id est peccatum, sed etiam bonum opus. Ad probandam hanc assertionem sumimus aliud principium communiter receptum, scilicet, eiusdem virtutis officium esse, malum fugere, & contrarium bonum prosequi. Hoc in specie de Pœnitẽtia asseruerunt Alex. 2.par.q.175. & 3.par.q.76.mem.2.& 3. Duran. 4. d. 14. q. 1.n.7.

Alex. Durand.

### *Pœnitentiam aliquo modo Deum attingere.*

3. Assert. 2.

SECVNDO dicendum est, quamuis directè, & proximè materiale obiectum huius virtutis contineatur in quibusdam actionibus, & passionibus humanis, & rebus creatis, indirectè tamen, & quasi in obliquo

obliquo comprehendere Deum sub obiecto suo. Declaratur, nam inter virtutes morales, quædam sunt, quæ dicuntur tendere ad alterũ, vt iustitia, quæ seruat ius, & æqualitatem alterius: vnde duplex censetur habere obiectum: vnum est actio ipsa, qua facit æqualitatem: aliud persona illa, cui reddit æquale, seu ius suum. Primum est obiectum proximum, quia est id, quod proximè, immediatè, ac directè voluntas vult. Secundum autem est quasi indirectum obiectum, quia ad illud aliquo modo prius obiectũ terminatur. Verum quidem est, D. Thom. in hac quæst. 85. art. 3. ad 1. insinuare, in huiusmodi virtutibus personam illam, ad quam ordinatur, seu dirigitur actus virtutis: non esse propriè obiectum, vel materiam talis virtutis: sed intelligẽdus est, de materia directa, & proxima, quæ intelligi solet nomine materiæ simpliciter dictæ: negari tamen non potest, quin illa persona, ad quã dicitur esse virtus, pertineat aliquo modo ad obiectum eius: tũ quia modo aliquo cadit sub illam voluntatem, per quam homo vult circa illam, vel ad illam operari: tum etiam quia illa est aliquo modo terminus propensionis talis virtutis. Vnde Theologi solent materiam proximam vocare obiectum, quod vult voluntas, & ab ea amatur, ipsam autem personam obiectum cui: quo modo religionis obiectum proximum est cultus Dei: remotum verò & obliquum Deus.

4. Ex hac verò declaratione manifesta est conclusio, quia munus huius virtutis est, esse quandam iustitiã. est ergo ad alterum, & non nisi ad Deum, tum quia in hoc distinguitur à iustitia humana, tum etiam quia eius opus est, satisfacere Deo, prout potest, & ita quantum in ipsa est, resarcire, & destruere iniuriam Dei: vel, quòd perinde est, reddere ius suum Deo. Complectitur ergo dicto modo ipsum Deum sub obiecto suo. Neque hîc occurrit aliqua difficultas præter inferiùs tractandas.

## SECTIO III.

### *An hæc virtus habeat proprium obiectum formale, & quod illud sit.*

1. OBIECTVM formale in vnaquaque virtute est proximum & intrinsecum motiuum eius, vt nunc suppono ex 1. 2. q. 1. a. 3. & propriùs q. 18. per totam, quia huiusmodi motiuũ est proprius & intrinsecus finis virtutis, & finis est, qui in moralibus dat speciem. Hinc oritur ratio dubitandi, quia motiuum ad detestandum peccatum multiplex esse potest, interdum quidem honestum, aliquando indifferens, vt cùm quis tristatur de peccato ob infamiam vel pœnã temporalem: imò quandóque esse potest turpe, vt si displiceat vnum peccatũ, quia impediuit aliud delectabilius, vel vtilius. Quòd si dicas, hîc agi de motiuo honesto intrinseco, ac per se: nam ea, quæ sunt per accidens, non cadunt sub scientiam: & quia agimus de vera & propria Pœnitentia, quæ non est nisi honesta, vt in principio totius materiæ supposuimus: adhuc vrget difficultas, quia etiam motiuum honestum & detestãdum peccatum potest esse multiplex pro varietate virtutum, & diuersitate rationum, quibus potest peccatum existimari contrarium bono. Propter quam difficultatem nonnulli Theologi dixerunt, nullam esse peculiarem rationem detestandi peccatum, quæ proprium & quasi specificum obiectum Pœnitentiæ constituat, sed huiusmodi rationem communem esse omnibus virtutibus & ex parte singulis conuenire. Ita refert D. Thom. 4. d. 14. q.

Ratio dubitandi.

1. Opinio.

D. Thom.

A art. 2. quæstion. 3. Tenet Mai. ibi. q. 3. inclinat Scot. ibi q. 1. & alios referam infrà disp. 7. Alij verò Theologi admittentes hanc rationem specialem obscurè illam explicant, Bonau. & Palud. ibi, Alens. 4. p. q. 12. mem. 1. art. 1. §. 2.

Mai. Scotus. Bonauen. Palud. Alens.

Breuiter, supposita distinctione de Pœnitentia specialiter, vel generaliter sumpta, dicendum est pœnitentiam sumptam generaliter, non habere vnam definitam, & specificam rationem formalem obiecti, sed generaliter & confusè respondere illi motiuum honestum ad detestandum peccatum, sub quo varia continentur. Probatur ratione dubitandi suprà posita: & quia obiectum debet esse proportionatum virtuti seu facultati, cui assignatur: Pœnitentia autem illo modo sumpta non est vna diffinita virtus, sed B plures sub illa confusa ratione complectitur: ergo idem est de obiecto. Vnde fit, loquendo in communi, duplicem esse rationem honestam detestandi peccatum vnam particularem & propriam alicui virtuti, vt est in Intemperantia oppositio quam habet ad honestatem Temperantiæ, &c. aliam generalem & communem omnibus peccatis, vt quòd auertant à Deo. Quando ratio est prioris generis, pertinet ad illam peculiarem virtutem, cui opponitur tale peccatum, ex illo generali principio suprà posito, eiusdem virtutis esse fugere malum, cuius est prosequi & amplecti bonum. Et hac ratione optimè dixerunt multi Theologi, detestationem peccati, quæ est propter specificam malitiam eius, quæ dici solet malitia conuersionis, elici à propria virtute illi vitio contra- C ria, vt pater ex Durando in 4. dist. 14. quæst. 2. & Ruard. articulo 4. contra Luther. non longè à principio.

2. Assert. 1.

1

Durand. Ruard.

3. Aliud verò motiuum generale subdistingui potest, nam quoddam est generale per informationem, vt sic dicam, scilicet, quia est malitia aliqua vel deformitas, in se quidem vna & quasi specifica, generaliter tamen afficiẽs omnia peccata, vt est v. g. auersio ab vltimo fine, quæ est in omnibus peccatis mortalibus, & hîc etiam numerari potest dignitas pœnæ. Et virtus, à qua elicitur actus detestationis sub hoc motiuo potest esse vel charitas, vel spes, aut alia similis virtus, quæ licèt in se vna sit specie: causalitate autem, imperio, & materia est vniuersalis, & aliquo modo generalis. Aliud verò motiuum generale esse potest per solam abstractionẽ & præcisionem mentis, vt si quis detestatur peccatum, solùm quia turpe D est, & contra rectam rationem: hoc enim motiuum includitur in omnibus peccatis, tanquam quædam generalis ratio, & confusa, de qua difficile est ad explicandum, ad quam virtutem pertineat. Dicendum verò est, hunc actum pertinere ad illum habitũ, per quem homo redditur facilis ad exercẽdos actus circa bonum honestum in communi, & quibus vult secundùm rectam rationem operari præcisè & abstractè propter conformitatem ad illam. Nam hîc etiam cum proportione applicandum est illud principium, Detestationem mali consequi ex amore boni, & ideò in eodem principio seu habitu radicari. Quis verò sit ille habitus, quanquã ad huius loci materiam admodum necessarium non sit, tamen quia difficultatem habet, & ad multa vtile esse potest, neque habet certum aliquem locum in Theologia, ideò in fine huius sectionis illud adiungemus.

### *Formale obiectum pœnitentiæ exponitur.*

4. DIco secundò, loquendo de speciali & propria Pœnitentia, motiuum specificum eius, & pro- E

4. Assert. 2.

prium eſt,diuinum ius quatenus ex peculiari debito iuſtitiæ ſeruandum eſt: per quæ verba explicatur hoc obiectum in ordine ad hanc virtutem,ſecũdùm adęquatam rationem ſuam: ſi tamen velimus illud declarare reſpectu eiuſdem virtutis,vt exercet peculiare munus deteſtãdi peccata commiſſa, ſic proprium motiuum erit, reſarcire diuinam iniuriam. In hac aſſertione neceſſariò cõuenire debent omnes Theologi,qui cum D.Thom.q.85.artic.2.docent Pœnitẽtiam eſſe ſpecialem virtutem, quos infrà ſuo loco afferemus.Et magis ſumitur ex eodem D.Thom.ar. 3.dicente,virtutem Pœnitentiæ eſſe quandam iuſtitiam.Conſtat enim ex eodem D.Thom.2.2.q.57.ius eſſe obiectum iuſtitiæ: Ergò ſeruata proportione, obiectum proprium determinatæ iuſtitiæ,eſſe debet determinatum ius: ergo cùm hæc virtus Pœnitentiæ ſit quædam iuſtitia ad Deum, obiectum eius erit ius diuinum. Et ad eundem modum intelligendum eſt quod D.Thom.ibidem ad 2.& in 4.d.14.q.1.a.1. quæſtiunc.3.& Palud.ibid.q.2.Soto,& Cano ſuprà, & paſſim Thomiſtæ dicunt, peccatum vt deſtruendum,vt expiabile,vel vt compẽſabile, eſſe obiectum formale Pœnitentiæ.Loquũtur enim primò de Pœnitentia ſecundùm præciſam conſiderationem, & habitudinem ad peccatum præteritum, quam vox *Pœnitentia* in rigoroſa ſignificatione includit. Deinde exponéndi ſunt de expiatione peccati, quam ratio iniuriæ ex proprio debito & ratione requirit,quę meliùs explicatur illa voce *recompenſationis*. Iniuria enim,quantum eſt ex ſe,non tollitur niſi per ſatisfactionem vel propriam vel qualem exhibere poteſt is qui iniuriam intulit, ſicut inæqualitas non tollitur niſi per æqualitatem.Dico autem, *quantum eſt ex ſe*, quia poteſt *is*, qui paſſus eſt iniuriam, eam merè liberaliter condonare, nihil ab offenſore exigendo: ſed hoc extrinſecum eſt præter rei debitum. Virtus ergo Pœnitentiæ inclinat ad deſtructionem peccati, faciendo quãtum eſt in poteſtate peccatoris cum auxilio Dei,vt poſteà dicam:& hoc modo intendit recompenſare, vel reſarcire iniuriam:nam aliàs, vt rectè Cano ſuprà notauit: intendere deſtructionem peccati pertinere poſſet ad amorem concupiſcentiæ, atque etiam præciſè ad amorem amicitiæ diuinæ. Et hoc idem videntur voluiſſe Alenſ. & Bonauent. ſuprà,licèt obſcurè.Rectè exgo exponitur dicto modo obiectum formale huius virtutis. Eò vel maximè quòd nullus alius occurrit modus, quo poſſit commodè hoc obiectum explicari. Vnde ſuppoſitis quæ diximus,poteſt à ſufficienti partium enumeratione prædicta ſententia concludi.

D. Thom. — D.Thom. Palud. Sotus. Cano.

5. Obiectio. Dices, In peccato tantùm eſt malitia conuerſionis,quam deteſtatur vnaquæq; priuata virtus,vt dictum eſt cum Durando,& aliis,& malitia auerſionis ab vltimo fine,quam deteſtatur charitas, vt cum D. Thoma hîc art.2.ad 1.affirmant Soto d.14.q.art.2.& Cano,relect. de Pœniten.concluſ.2. & reatus etiam pœnæ,quem fugit timor,vel ſpes,vt ex eodem principioſuprà poſito,quod eſt omnium fundamentum, colligitur, ſcilicèt quia eiuſdem virtutis eſt fugere malum, cuius eſt diligere bonum oppoſitum: nulla ergo ſupereſt malitia,quam ſecundùm propriam rationem deteſtetur Pœnitentia.Et confirmatur, nam ad obſeruanda ſingula præcepta non obligat iuſtitia, ſed vel propriè leges ſingularum virtutum,vel generalis lex Charitatis aut obedientiæ: ergo è conuerſo in peccato,quod eſt tranſgreſſio legis,non eſt peculiaris ratio iniuriæ,cuius deteſtatio ſub hac ſpeciali ratione ad propriam virtutem pœnitentiæ,vel iuſtitiæ pertineat.

D.Thom. Sotus. Cano.

6. Reſponsio. Reſpondetur,in omni peccato, quatenus eſt cõtra Deum,inueniri propriam quandam rationem iniuriæ altioris rationis,quàm ſit omnis iniuria humana, ſicut ius diuinum altius & excellentius eſt. Id quod confirmat modus loquẽdi Scripturæ,quæ frequenter vocat peccatum iniuriam & offenſionem Dei. Debet autem Scriptura propriè intelligi, cùm commodè poteſt. Et ideò ab homine exigit ſatisfactionem & conuerſionem in Deum, non vtcunque debitam ex lege ſolius Charitatis,ſed etiam ex iuſtitia. Ac propterea Chriſtus ex perfecta iuſtitia pro peccatis hominum ſatisfecit,vt omne illorum debitum pleniſſimè ſolueret. Denique declarari hoc poteſt quodã proportionali exemplo:debet enim ſubditus Principi tributum,& honorem ex iuſtitia:multò ergo magis homo debet Deo recognitionem, & honorem vltimi finis,quem illi denegat dum peccat, imò quantum eſt in affectu peccatoris,priuat Deum dignitate vltimi finis,& alium conſtituit, ſi mortale peccatum ſit:Igitur infert Deo propriam & magnam iniuriam. Quocircà hæc ipſa malitia & ratio iniuriæ in auerſione à Deo includitur:vel potiùs hæc eſt propria ratio formalis illius malitiæ.In ea verò continetur oppoſitio ad Charitatẽ ex generali ratione illius virtutis,ſicut iniuria proximi etiam eſt contra charitatem proximi:non tamẽ hæc eſt proxima & formalis ratio illius malitię,ſed eſſe contra iuſtitiam.Atque hoc modo ſeruare vuumquodque præceptum ad aliã virtutem pertinens,ſub peculiari eius ratione ſpectat ad aliam virtutem priuatam:nihilominùs ratio generalis ſeruandi præcepta,vt ius ſuum Deo ſeruetur,ad hanc virtutem pertinet.

---

### *Quomodò Pœnitentia vindictam intendat.*

SED ſupereſt difficultas, quia etiam pertinet ad Pœnitentiam, velle ſatisfacere pro pœna, & tamen ibi non interuenit motiuum illud reſarciendi diuinam iniuriam: nam hæc iam ſupponitur ablata. Propter hoc Scotus 4.d.24.quæſtione 1.& 2.conſtituit,ad eliciendum hunc actum peculiarem virtutem Pœnitentiæ,quàm vocat iuſtitiam vindicatiuam ſpecialem,eique nullum alium actum tribuit, & ſignificat,præter hanc nullam aliam eſſe rationem ad ſpecialem virtutem Pœnitentiæ aſſignandam.Ego verò exiſtimo hunc actum eſſe eiuſdem virtutis,cuius eſt, velle reſarcire iniuriam Deo, atque ita eſſe actum propriæ virtutis pœnitentiæ, quamuis ſecundarium Idque ſumo ex Auguſtino de Vera,& falſa pœnitentia cap.8.vbi ait, *Pœnitentia eſt doloris vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.* Vbi non ſolùm dolorem, ſed etiam vindictam ex dolore dicit pertinere ad hanc virtutem,& cõſequenter ad formale motiuum eius.Et ſumitur etiam ex D.Thoma,quæſt. 85. artic. 1.ad 3.vbi ait, *Dolor pœnitentiæ eſt reprobatio prioris facti cum intentione expellendi ſequelam ſcilicet offenſionem & reatum*: hoc autem vltimum non expellitur niſi per vindictam & Pœnitentiam. Idem ſentit. in art. 3.ad 3. Igitur hæc voluntas ſatisfaciendi pertinet ad virtutem pœnitentiæ. Neceſſe eſt ergo, vt per eam aliquo modo intendatur recompenſatio diuinæ iniuriæ integra,&, vt ita dicam,omni ex parte:nã punitio eius, qui iniuriam intulit,redundat in honorem, & ampliorem ſatisfactionem eius,qui iniuriã paſſus eſt.Nam,ſi aliquis velit ſatisfacere pro pœna, ſolùm vt illam euitet,& fugiat, eſſe poterit actus ſpei,vel ad ſummum charitatis propriæ, non tamen ſpecialis virtutis Pœnitentiæ.Et ex humanis declarari poteſt: nam inter homines vindicare delictum, pertinet,vel ad iuſtitiam commutatiuam, vel quoad ſeruandam æqualitatem pœnæ ad culpam: vel quatenus iudex ex officio ad hoc tenetur: licet poſſit pertinere ad legalem, vt reſpicit bonum commune, vel habere

7.

Scotus.

D.Aug.

D.Thom.

modum

modum distributionis, in quantum sit inter plures: A ita respectu Dei, quòd homo vindicet in se iniuriam, quam Deo fecit, pertinet ad eam iustitiam, quæ esse potest hominis ad Deum, quę assimilatur commutatiuæ in hoc, quòd seruat proportionem pœnæ ad culpam, & legalem æqualitatem inter illas. Hîc verò non habet locum ratio iustitiæ legalis, quia nullum esse potest altius, magisque commune bonum, quàm sit diuinus honor, seu plena recompensatio diuinæ iniuriæ. Quòd verò hîc actus ordinetur ad exemplũ, vel emendationem aliorum, est valde extrinsecum, magis que pertinet ad munus superioris, & gubernatoris, quàm ipsius priuati hominis de se sumentis vindictam. Sic igitur constat, licet primarium motiuum Pœnitentiæ sit destructio culpæ, secũdariò verò etiam ad illam pertinere destruere omnem reatũ B pœnæ. Et vtrumq; adæquatè contineri sub hoc motiuo plenè compensandi diuinam iniuriam.

### *Censura prioris opinionis.*

8. EX his igitur facile est, iudicium ferre de priori sententia superiùs relata, negante dari speciale motiuum Pœnitentiæ, sub quo vna virtus omnia peccata detestetur. Duobus enim modis potest idintelligi. Primus est, nullum esse motiuum, in se quidem vnicum, & speciale, generale autem quasi per informationem, sub quo possit aliqua virtus vna, peccata omnia detestari quasi vnico motu. Et hic C sensus est planè falsus, & improbabilis, aliàs nunquam posset homo vnico simplici actu omnia peccata detestari: & ita, moraliter loquendo, non possemus habere in vno momento vniuersalem pœnitentiam omnium peccatorum: quod esse falsum experimento cõstat, & infrà latiùs tradetur. Sequela patet, quia non posset homo simul tam varios actus detestandi peccata, & sub variis motiuis perfectè elicere. Vnde eadem experientia docet, quando homo simul detestatur omnia peccata, vno simplici motu ab illis auerti: & alicui rationi omnibus cõmuni inniti. Tandẽ in ipsis peccatis cõstat reperiri aliquam conuenientiam; vel in ordine ad rectam rationem, cui opponuntur: vel in ordine ad Deum, à quo auertunt, & cuius legem transgrediũtur; vel in ordine ad pœnã, &c. Et secundùm quamcumque conuenientiam ex his potest cõsurgere sufficiens ratio communis om- D nibus peccatis, ad detestanda illa. Et hoc modo diximus suprà, virtutem charitatis, & spei sub propriis motiuis posse detestari omnia peccata.

9. Alter sensus esse potest, nõ dari motiuum speciale in se, & generale dicto modo, quòd specialem virtutem requirat distinctam à charitate, spe, religione, & obedientia. Et hoc sensu, magis probabilis est illa sententia: sed nobis etiam videtur esse falsa, vt diximus, & distinctius concludemus infrà disp. 7. Alter verò sensus excogitari posset, qui non est ab illis auctoribus intentus, scilicèt motiuum illud, quod præcisè inducit ad detestationem peccati, & intẽtionem destruendi illud, non esse ita proprium alicuius virtutis, vt nõ supponat aliud primarium, in quo virtute contineatur. Qui sensus rectè declaratus verus erit, E iuxta secundam assertionem positam, & iuxta illud principium, quòd virtus, quę est ad tollendum malum, vel resarciendam iniuriam, per se primo est ad aliquod bonum prosequendum, sicut in præsenti dicimus ius diuinum, vt tuendum, seu illæsum seruandum, esse primarium obiectum huius virtutis.

## SECTIO IIII.

### *Quæ virtus detestetur peccata vt rationi contraria.*

IAM verò supereſt, vt, quod suprà promisimus, explicemus; videlicet, cuiusnã virtutis sit detestari peccata omnia sub illa præcisa ac generali ratione, quòd cõtra rationẽ sũt. Et ratio difficultatis est, nã obiectũ illud formale non est specificum, sed genericũ, & ideò non videtur posse constituere definitam speciem virtutis. Nam si illam constituat, aut erit temperantia, aut iustitia, aut alia similis: nulla autem huiusmodi esse potest. Vnde dici posset, illũ actũ ad nullã determinatam virtutẽ pertinere, sed ab omnibus, & à qualibet seorsim elici posse, quia omnes versantur circa aliquod honestum bonũ, in quo communis ratio honesti boni includitur, & ideò quælibet potest propter illam rationem etiam prẽcisè sumptã, operari. Sicut species intelligibilis repræsentans specificam naturam, potest esse principium sufficiens ad cognoscendam naturam genericam, vt sic supposita virtute, & efficacia potentiæ ad præscindendum. 1. Prima opinio.

Verumtamen hæc responsio sustineri non potest, quia constat ex Metaphysica, rationes formales obiectorum, quæ in esse rei genericæ sunt, respectu actuum mentis posse assumi vt specificas in ratione obiectorum formalium, vt contemplatio hominis, vt sic, indiuidua est, & singularis, etiamsi obiectum eius sit natura vniuersalis, & conceptus animalis, prout est formaliter in mente, specificus est, & diuersus in specie à formali cõceptu hominis, vt sic, quamuis ratio obiectiua eius generica sit in re: idemq; proportionaliter inuenitur etiam in rationibus vniuersalioribus, vel etiam in transcendẽtalibus. Idem ergo sine vlla dubitatione inuenitur in actibus volũtatis, nã illa etiam est vniuersalis potentia, quæ cõmunes rationes præcisas, & abstractas attingit: vnde illæ obiectiuè sumptæ comparantur ad actus voluntatis vt specificę, etiamsi in esse rei, sint vel genericæ, vel communiores. Sic igitur actus, quo voluntas amat bonũ absolutè, vel bonũ honestũ, vt sic, sic est quidam actus specificus, quia non potest esse in rerum natura, quin in aliqua vltima specie constitutus sit. Ille autẽ actus distinctus est in specie ab omnib. actib. virtutũ particularium, vt Temperantiæ, Iustitiæ & similiũ, quia nec potest esse eiusdẽ speciei cum omnibus illis, cùm illi inter se specie distinguãtur: neque etiã potest esse eiusdem speciei cum aliquo illorũ tantùm, cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio, sed æqualis sit distinctio in obiectis. Est ergo ille actus in quadam propria, & determinata specie vltima actus honesti voluntatis, cuius obiectum formale, est ratio honestatis, vt sic, quatenus sumitur vt proprium, & particulare motiuum, sub qua consideratione induit rationem specifici obiecti formalis. Et idem est de alio actu, qui huic correspondet circa malum, seu peccatum, detestando illud sub hac præcisa ratione, quia turpe est, & contrarium rationi: sunt enim, vt dixi, hi actus inter se connexi, eademque est vtriusque ratio. Vnde obiter constat, nõ esse simile exemplum quod suprà adducebatur de specie intelligibili, etiamsi gratis demus id quod assumitur, nam species intelligibilis cùm sit quasi semen obiecti, cuius vicem gerit, illi secundùm se commensuratur, & ideò potest esse principium ad cognoscendum illud, vel adæquatè, vel secundum rationem aliquam communem, & quasi partialem: habitus autem commensuratur actibus à quibus generatur, & non tendit in obie- 2.

ctum niſi ſub formali ratione obiectiua illorum.

3. Dicta peccati deteſtatio ad particulares virtutes nõſpectat.

Si ergo hic actus aliquem habitum in voluntate producit, talis habitus non poterit eſſe aliqua virtus particularis, ſeu quæ verſetur circa particularem rationem boni honeſti, vt Temperãtia, Iuſtitia, &c. Sed erit ſpecialis quidam habitus bonus diſtinctus ab his omnibus. Quod facilè patet, tum quia actus generat habitum ſibi commenſuratum, tum etiam quia ratio facta de actu applicari poteſt ad habitum, ſcilicet, quòd nec poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum omnibus virtutibus ſimul, cùm illa inter ſe diſtinguantur, nec poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum vna potiùs, quàm cum aliis. Denique quia ille actus non tendit in obiecta aliarum virtutum ſecundùm proprias rationes earum: Ergo non poteſt inducere habitus proprios talium virtutum. Vnde vlteriùs è conuerſo concluditur, huiuſmodi actum non elici ab habitibus aliarum virtutum, ſed ſi ab aliquo habitu elicitur ſolùm eſt à proprio & ſpecifico habitu ſibi commenſurato. Primùm quia talis actus ab illo tantùm habitu elicitur, qui per ſimiles actus introduci poteſt. Secundùm, quia talis actus nec poteſt elici ab omnibus virtutibus ſimul, cùm illæ ſolùm operentur ſub propriis rationibus, & motiuis, quæ ſunt varia, & diſtinctiſſima: neque etiam elici poteſt ab aliqua determinata virtute ex omnibus illis, tum quia non eſt maior ratio de vna quàm de alia, tum etiam quia motiuum operandi longè diuerſum eſt in illo habitu, & actu, quàm ſit in cæteris virtutibus particularibus. Vnde propriam etiam habet difficultatem, quam nulla particularis virtus habet, eo quòd confuſè ſaltem, & implicitè, omnia complectatur.

4. Secũda opinio.

Hinc verò ſumpſerunt aliqui occaſionem dicendi, illum actum elici à virtute charitatis, quia illa eſt virtus vniuerſalis, virtute complectens omne bonũ, vnde proprium illius actus eſt, velle placere Deo in omnibus, qui actus eiuſdem rationis eſt cum eo de quo agimus. Cui ſententiæ fauere videtur D. Thom. art. ſequẽti, ad primum, dum ait, diligere bonum & gaudere de illo, & triſtari de oppoſito malo, eſſe actꝰ elicitos à Charitate. Sed contra hanc ſententiã æquè procedunt rationes factæ, quia Charitas, licèt virtute, & cauſalitate ſit aliquo modo vniuerſalis, tamen in ratione obiectiua reſpicit determinatam rationem boni diuini, vt ſic: vnde actus proprius Charitatis non minùs diſtinguitur ab actu, qui verſatur circa bonum honeſtum in communi, quàm actus Iuſtitiæ, Temperantiæ, & ſimilium virtutum: Ergo non poteſt Charitas elicere talem actum. Et confirmatur primò, nam Charitas eſſentialiter eſt amicitia: vnde, quidquid per ſe proximè operatur, eſt ſub ratione amicitię, & conſequenter cum habitudine ad Deum, quem reſpicit, vt ſupremum bonum, & amicum: ille autem actus, de quo agimus, nullo modo pertinet ad amicitiam, ſed ſolùm ad rationem boni honeſti, quatenus honeſtũ eſt: Ergo nõ poteſt hic actus à Charitate elici. Alioqui quæ eſt ſecunda confirmatio) talis actus amãdi bonum, vt ſic, & deteſtatio peccati, quia repugnat rectitudini rationis, aut fidei, eſſet ſufficiẽs ad Charitatem obtinendam, ſine proprio & peculiari reſpectu ad Deum, quod eſt planè falſum.

Non eſt hęc deteſtatio actus charitatis.

5. Nõ eſt actus obedientiæ aut iuſtitiæ legalis, contra opinionem tertiã.

Atque his, & ſimilibus rationibus conuinci poteſt huiuſmodi actum non pertinere ad virtutem obedientię, vel iuſtitiæ legalis, vt alicui videri poſſet, eò quòd illę virtutes ſint etiam vniuerſales, quatenus verſari poſſunt circa quaſcunque materias virtutum, aut vitiorum, Nam hæ virtutes in his materiis reſpiciunt propria, & ſpecialia motiua cõtenta ſub generali ratione boni honeſti, vt particularia ſub vniuerſali, qualia ſunt ſubdita ſuperiori, & præcepto eius, quod eſt formale motiuum obedientiæ, & ſeruare communia iura ſeu cõmune bonũ reipublicę, quod eſt formale motiuum iuſtitiæ legalis, ſi rectè intelligatur. Et ideò æquè diſtinguuntur hę virtutes ab habitu operante ex ſola ratione boni honeſti, vt ſic, ac aliæ virtutes particulares, quamuis in quadam vniuerſalitate habeant maiorem conuenientiam, quę ſolùm materialis eſt, quatenus in eiſdem ferè materiis verſari poſſunt, licèt ſub diuerſa ratione formali.

6. Quarta opinio negans dictum actũ elici ab habitu.

Poſſet verò aliquis dicere, his rationibus potiùs concludit illos actus ad nullum omninò habitum pertinere, neq; illum in voluntate generare, quia ſicut voluntas per ſeſe, & natura ſua, eſt ſatis propenſa ad amandũ bonum in communi, & fugiendum malum, vt ſic, ita etiam eſt propenſa ad bonum honeſtum in communi, & ad deteſtandum contrarium: neque in his obiectis vel actibus, vt ſic, inuenitur difficultas, ob quam vincendam habitus neceſſarius ſit. Omnis enim difficultas prouenit ex particularibus obiectis, ſeu materiis, quæ per proprios habitus virtutum particularium tollitur: vnde, ſi quis habeat iuſtitiam, temperantiam, & ſimiles virtutes, nullam certè difficultatem ſentiet in amando bono honeſto quatenus tale eſt, & contrario malo deteſtando. Tribuiturque hæc ſententia D. Thomæ, q. 16. de Verit. art. 1. ad 7. Sed ibi nihil dicit, potiúsque fauet oppoſitæ ſententiæ, quatenus ponit in intellectu habitum ſyndæreſis à potentia diſtinctum, quamuis illum ponat naturalem, de quo aliàs. Citatur etiam in 3. d. 27. quæſt. 2. articul. 3. ad 5. vbi ait, philoſophos non poſuiſſe in voluntate virtutem moralem in ordine ad vltimum finem, quorum ſentẽtiam probare videtur. Tamen, vt vera ſit, intelligẽda eſt de vltimo fine formali, ſeu de bono in cõmuni, nam reſpectu particularis finis vltimi, veri, & efficaciter proſequendi, re vera eſt aliquis habitus neceſſarius, etiam infra terminos finis naturalis, vt alibi latiùs oſtendẽdum eſt. Aliis verò locis docet generatim Diuus Thomas, in voluntate non eſſe virtutes, niſi vel ad ſupernaturale bonum, vel ad illud, quod eſt ad alterum, vt patet in 1. 2. quæſt. 56. artic. 6. & quæſtion. 1. de Virtut. articul. 5. Verumtamen, hæc ſententia Diui Thomæ, quoad hanc partem, magnam habet difficultatem alibi tractandam. Et prætereà dici poteſt, bonum honeſtum, vt ſic, extendi etiam ad illud, quod eſt ad alterum, & ex hac parte poſtulare habitum. Itaque D. Thomas in hac parte nihil expreſsè locutus eſt. Ille autem modus dicendi, quantùm ſpectat ad præſentem quæſtionem de obiecto formali Pœnitentiæ nõ multum refert, quia ſiue principium talium actuum, ex parte voluntatis, ſemper ſit ſola potentia, quatenus per ſe eſt ſatis propenſa ad illos, ſiue ſit habitus acquiſitus per tales actus: ſemper verum eſt, obiectũ formale taliũ actuũ, eſſe ipſum generale motiuum honeſtatis ſecundùm ſe, ac præcisè ſumptæ.

D. Thom.

7. Refellitur.

Difficilè tamen creditu eſt, per huiuſmodi actus nullum habitum generari. Primò, quia videtur hoc experientiæ repugnare, nam ex ipſo vſu, & exercitio interiorum actuum virtutis conſtat, hos actus vniuerſales multùm cõferre ad facilitatem acquirendam in operatione virtutis: ſignum eſt ergo, relinquere habitum, nam hoc indicio probamus per alios actus acquiri habitus. Deinde obiectum horũ actuũ per ſeſe conſideratum, eſt difficile, nam reſpectu illius eſt quædam repugnantia inclinationum, & propenſionum voluntatis: Ergo hoc ſatis eſt, vt acquiratur habitus. Antecedens declaratur, nam licèt in voluntate ſit magna propenſio naturalis ad honeſtum, vt ſic, tamen etiam eſt naturalis inclinatio ad bonum commodum, & delectabile ipſi naturæ, & ipſi corpori. Nã cùm anima rationalis, vt ſic, ſit forma corporis

poris,ad ipsius commodum est propensa, etiam per voluntatem,quæ est proprius appetitus animæ rationalis quatenus talis est.Ex hac autem inclinationum diuersitate oriri solet difficultas in operando, & inde etiam oritur necessitas aliarum virtutum moralium.Vnde probatur etiam prima consequentia,quia habitus bonus,& virtutis, circa obiectum bonum,& difficile,necessarius est. Nec refert quòd hæc difficultas ex materiis, seu obiectis particularibus oriatur, hoc enim verum est in exercitio particularium actionum;prouenitque ex eo,quòd rationes vniuersales non existunt,neque exercentur nisi in particulari:nihilominùs tamen,sicut ex obiectis particularibus colligimus difficultatem obiecti specifici, ita etiam colligere possumus difficultatẽ obiecti in genere, seu in maiori abstractione aut vniuersalitate propositi,Atque ita bonum honestum,vt sic,vt difficil} concipitur, non ex solis rationibus particularibus,sed ex hac communi,quòd repugnat aliquo modo sensui,& inferiori naturæ.Loquimur autẽ de bono honesto comparatione actus voluntatis efficacis, & propositi absoluti exequendi illud, & vitandi,ac detestandi oppositum, solùm quia turpe est. Nam respectu alicuius simplicis affectus,& complacentiæ, nulla apparet in illo obiecto difficultas,& propter hunc actum nõ esset fortè necessarius habitus:at verò respectu absoluti propositi arduum est,& difficile obiectum,vt experimento etiam intelligi potest. Sicut amor simplicis complacentiæ ad Deum difficilis non est,amor autẽ obedientialis,cum absoluto proposito placendi illi in omnibus, satis difficilis est, idemque ferè est de aliis actibus vniuersalibus.

8. Nihil autem refert quòd hæc difficultas possit minui per alias particulares virtutes, tum quia respectu horum actuum vniuersalium vnaquæque ad summum potest moderari difficultatem,quę ex propria materia nascitur,non verò illam, quæ est quasi adæquata his actibus:tum etiam quia,licèt omnes illæ virtutes simul sumptæ videantur ad hoc concurrere, tamen, id est quasi per accidens, seu per aliud,non verò immediatè,& ex vi talium actuum, neque vnquam ita omninò tollunt illam difficultatem,quin multùm iuuari possint per proprium habitum commensuratum his actibus vniuersalibus, Sicut è couuerso quamuis voluntas sit naturaliter propensa ad delectabilia, potest hæc inclinatio magis ac magis augeri per habitus vitiorum, quibus propẽsio ad virtutem quodammodo minuatur. Vnde si homo vitiosus exercet vniuersales actus sequendi suum appetitum, in omnibus, quamuis ad particulare obiectum non descendat, acquiret sine dubio aliquem habitum, quasi vniuersalem, quo & propensior ad vitia,& ad virtutem difficilior reddatur. Denique, si consideremus hos actus in ordine supernaturali, non videtur dubium quin etiam sub illis rationibus viuersalibus possint actus honesti, & supernaturales fieri, quorum principium proportionatum, & intrinsecum non inuenitur in sola voluntatis natura: Ergo necesse est, vt in illo ordine, talibus actibus, aliquis habitus respondeat,quia voluntas per se, ac nuda non est intrinsecè proportionata aliquibus actibus supernaturalibus. Ille autem habitus non erit charitas,neque alia virtus, quæ versetur circa aliquam particularem rationem boni honesti : ergo in ordine habituum infusorum datur specialis habitus attingens huiusmodi rationes vniuersales:Ergo similis dari poterit in ordine habituũ acquisitorum.

9. Vera sentẽtia. Est ergo valdè probabilis sententia, quæ affirmat,hos actus generare habitum proprium, & particularem, habentem propriam speciem sumptam ex habitudine ad tales actus, & tale obiectum, sub præcisa,ac generali ratione sumptum, quòd in ratione obiecti induit specialem rationem distinctam à particularibus bonis,& obiectis aliarum virtutum: sicut in scientiis contingit, aliam esse circa transcendentalẽ rationem,& aliam circa genericam,& aliam circa specificam. Atque hanc sententiam de illo habitu indicauit Medina Cod.de Pœnitent. tractat. 1. quæst.1.ad quartum. Medina. Neque obstat, quòd Aristoteles,Diuus Thomas, & alij Philosophi morales tractando de Virtutibus nullam mentionem de hoc habitu fecisse videntur : fortasse enim causa fuit, quòd hic habitus non videatur esse perfecta virtus; sed quasi inchoata,eò quòd, ad executionem propriarum,& particularium virtutum, non descendat, vel certè quia ex propriis rationibus singularum virtutum poterat hæc quasi vniuersalis intelligi : neque enim necesse est, vt omnia fuerint ab aliis auctoribus distinctè explicata.

10. Obiectio. Dices, Hoc modo possunt multiplicari habitus circa rationes vniuersales,quasi subalternas:vt vnum esse habitum circa bonũ honestum,vt sic,alium circa bonum iustum, quod est magis contractum, & condistinctum à bono temperantiæ,& similibus:abstrahit verò ab obiecto Iustitiæ commutatiuæ, distributiuæ, & legalis, & sic de aliis. Respondetur, Respon. idem ferè in scientiis reperiri : vnde sicut in illis id admittitur, quando rationes formales obiectorum conuenienter sumuntur & abstrahuntur;ita etiam in habitibus voluntatis id admitti posset, nullum enim est inconueniens. Nam vbi actus multiplicantur ex distinctione formali obiectorum, possunt etiam habitus multiplicari, præsertim loquendo de habitibus qui sint simplices qualitates, vt ex principiis Metaphysicæ constat.Sed de hoc habitu hæc sufficiat obiter dixisse.

## DISPVTATIO III.

### *De actibus virtutis Pœnitentiæ in communi.*

DE his actibus sub hac ratione pauca scribunt Theologi, sed ferè solùm de contritione,& attritione in particulari : mihi tamen res necessaria visa est,tum ad meliùs cognoscendas rationes particulares dictorum actuum,tum ad comprehẽdendam naturã huius virtutis.Dicamigitur,cuius facultatis sit hic actus,quotuplex,qualis,& quã efficax,& quã vniuersalis sit.

## SECTIO I.

### *Virum actus Pœnitentiæ sit actus voluntatis,& quotuplex.*

1. Variæ sententiæ. VVLGI opinio esse videtur, actum Pœnitentiæ esse appetitus sensitiui: nam si dolorẽ sensibilem non sentiant,vel etiam lacrymas non fundant,nunquam putant se verũ actum pœnitentiæ elicuisse:è cõtrario verò heretici huius tẽporis asserunt, ferè nullumesse actum Pœnitentiæ,nisi intellectus tantum, illum videlicet, quo homo resipiscit, & cognoscit,ac iudicat,se malè egisse.Quibus occasionem præbuit Erasmus circa id Matth.3.*Pœnitentiam agite*, contendens non *pœnitentiam*,sed *resipiscentiam* fuisse vertẽdum. Erasm. Quod si hæretici aliquem actum voluntatis adiungunt, solum est propositum bene viuendi in posterum, nã detestationem præteriti,vt otiosam, vel præsumptuosam reprobant,vt potest videri in Roffensi ar.6.& 7.Bellar.lib.1.de Pœnitentia c.7.Catholici verò,licèt con- Roffens. Bellarm.

ueniant hunc eſſe actum voluntatis, in eius tamen qualitate explicanda diſſentiunt, vt videbimus.

2. Aſſert. 1. Dico primò, Actus Pœnitentiæ eſt actus à voluntate elicitus, ſupponens actum intellectus ſibi proportionatum, & regulariter habens coniunctum actum appetitus ſenſitiui, vt conſequentem ipſum.

D. Thom. Prima pars concluſionis eſt certa ex D. Thoma hîc art. 4. & in 4. d. 17. q. 2. vbi communiter Theologi

Conc. Trid. idem docent. Sumitur ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 6. ibi, *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes, mouentur aduersùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, &c.* & can. 4. definit liberum arbitrium effectiuè cooperari in conuerſione peccatoris: liberum autem arbitrium eſt ipſa voluntas. Idem colligitur ex ſeſſ. 14. c. 4. Et ex Scriptura exigente ab homine conuerſionem ſeu

Ioel. 2. Matth. 22. pœnitentiam ex toto corde. Ioel. 2. nam nomine *cordis* voluntatem intelligit, iuxta id Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Rationes ſunt manifeſtæ. Prima, quia actus pœnitẽtiæ eſt quidam actus iuſtitiæ: at iuſtitia voluntatis eſt. Secunda, actus pœnitentiæ aliquo modo attingit Deum quatenus peccatis offenditur: hoc autẽ obiectum ſolùm poteſt attingi per rationem ſuperiorem, atque adeò per voluntatem. Tertia, quia actus pœnitẽtiæ opponitur peccato, quatenus peccatum eſt: at peccatum voluntatis eſt actus; & contraria verſantur circa idẽ.

3. Satisfit obiectioni. Dices, Pœnitentia eſt quædam pœna: pœna autẽ eſſe debet inuoluntaria: ergo & pœnitentia: ergo non poteſt eſſe actus voluntatis, qui eſt intrinſecè voluntarius: Reſpondetur, potiùs eſſe de ratione pœnitentiæ, vt pœna per illam aſſumpta voluntaria ſit, iuxta Auguſtinum de Vera & falſa pœnitentia c. 18. & 19.

Pœna quæ eſt in pœnitentia, quomodo volũtaria. Quia debet pœnitentia eſſe proportionata culpæ: hæc autem voluntaria fuit. Nec eſt de ratione pœnę vt ſit ſimpliciter vel omnino inuoluntaria, ſed ſatis eſt vt ſit repugnans ſenſui, vel commoditati naturæ, etiamſi aſſumatur voluntariè, vel acceptetur.

4. Hinc faciles ſunt aliæ partes aſſertionis, nam omnis actus voluntatis ſupponit proportionatum actum intellectus. Naturale etiam eſt animæ humanæ coniunctæ corpori, vt dum operatur per vires ſuperiores, ſecum moueat inferiores; ſic enim verum eſt illud, *Neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari*: ita ergo voluntas dum de peccato dolet, ſecum trahit appetitum inferiorem, vt aliquem dolorem concipiat. Sicut etiam dicitur Pſalm. 83.

Pſal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, nam deuotio voluntatis etiam redũdare ſolet in appetitum ſenſitiuũ.

D. Thom. Idem ergo eſt de dolore. Et hunc dolorem appetitus vocauit paſſionem pœnitentiæ. D. Thomas hoc art. 4. In 4. verò d. 14. q. 2. art. 1. & d. 17. q. art. 1. illum vocat actum virtutis, ſed illud prius habet intrinſecè & ſecũdum ſe: hoc verò poſterius per denominationem extrinſecam, & vt ſubeſt ſtudioſæ electioni voluntatis, vt rectè Palud. d. 14. q. 2. art. 2. & conſtat ex generalibus principiis primæ ſecundæ.

Pœnitentia non ſemper habet effectus in corpore Palud.

5. Aduertendum eſt autem, hunc effectum, cùm fiat in corpore, ſæpe poſſe vel omnino, vel magna ex parte impediri ob corporis diſpoſitionem: & ideo carentia huius affectus in ſenſu, non eſt ſignum certum impœnitentiæ voluntatis, id eſt, quod voluntas careat pœnitentia, ſicut è contrario, lacrymæ & aliæ motiones ſenſibiles non ſemper ſunt certa ſigna veræ pœnitentiæ voluntatis, quia poſſunt ex variis cauſis oriri.

6. Dico ſecundo. Omnibus modis, quibus voluntas poteſt tendere in bonum, poteſt etiam actus virtutis pœnitentiæ exercere; & ita poſſunt varij actus in hac virtute diſtingui. Poſſumus autem hos actus in voluntate diſtinguere vel ex modis operandi communibus appetitui ſenſitiuo, quos proſequitur D. Thom. 1. 2. q. 23. & ſequentibus, & ſic diſtinguuntur amor, deſiderium, & delectatio: vel iuxta modos magis proprios ipſi volũtati; & ſic diſtinguitur ſimplex voluntas, intentio, & electio, ex D. Tho. 1. 2. q. 8. & ſequentibus. Rurſus per hos actus interdum tendit voluntas in bonum, quod per ſe tale eſt, & nullum malum ſupponit: interdum verò ad tollendum, vel impediendum malum, nam hoc etiam ſub ratione alicuius boni comprehenditur. Virtus igitur pœnitentiæ omnibus his modis poteſt operari, & ita varios actus elicere, quos paulatim explicabimus.

D. Thom.

## SECTIO II.

### *Vtrùm virtus pœnitentiæ habeat actus tendendi in bonum & recedendi à malo.*

RATIO dubitãdi oritur ex communi modo loquendi de pœnitentia: dicitur enim eſſe diſplicentia peccati cõmiſſi, vnde nec circa bonũ, nec circa omne malũ verſari videtur, ſed ſolùm circa prauum actum iam factum. 1.

Nihilominus dicendum eſt primo, pœnitentiam poſſe elicere omnes actus, quibus volũtas in bonum tendit. Probatur ſigillatim. Nã in primis poteſt pœnitentia elicere ſimplicem voluntatem ſeu amorem circa honeſtatem iuſtitiæ ad Deum: deinde deſiderium operãdi huiuſmodi iuſtitiam, ad quod pertinet propoſitum ſeruandi mandata: præterea à gaudium de tali iuſtitia, vel obſeruatione mandatorum, vel etiam de ſatisfactione exhibita pro peccatis, iuxta id Aug. de Vera & falſa pœnitentia c. 13. *Pœnitens de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Similiter huc pertinet intentio deſtruendi peccatum, vt docet D. Thom. hîc art. 2. ad 1. & art. 4. & voluntas nõ peccandi amplius, & ſatisfaciendi pro peccato commiſſo, & vtendi mediis ad hunc finem accommodatis: quæ omnia clara ſunt ex iis quæ diximus de obiecto huius virtutis, & ex comparatione ad iuſtitiam humanam, quam ibi ſæpè fecimus, & ex connexione quæ reperitur inter hos actus ſub eodem motiuo & honeſtate. Ex hoc enim principio optimè colligitur varietas actuum ſub eadem virtute, vt ſumitur ex D. Tho. 2. 2. q. 28. a. 1. vbi ex illo principio colligit gaudium & amorem eſſe actus charitatis.

Auguſt.

### *Propoſitum ſitne actus pœnitentiæ.*

SOLVM poteſt dubitari de actu propoſiti, vel deſiderij in futurum. Nam quidam negant eſſe actũ huius virtutis. Quod indicat, licet obſcurè, Albertus in 4. d. 14. art. 12. D. Tho. etiam d. 17. q. 2. a. 1. ſuboſcurè loquitur dicens, pœnitentiam non exercere hunc actum niſi prout habet adiunctam prudentiam. Verumtamen ex hoc eodem dicto colligo hunc actum eſſe huius virtutis, quia ſola prudentia non elicit illum, ſed dirigit, vel imperat, ergo pœnitentia eſt quæ illum elicit, cùm ſit actus voluntatis & eiuſdem honeſtatis. Dices, Eodem modo potuiſſet dicere D. Thom. pœnitentiam non deteſtari peccatum niſi vt habet prudentiam adiunctam: imò hoc commune eſt omnibus virtutibus volũtatis in exercendis actibus ſuis. Reſpondeo in re ita eſſe: fortaſſe tamen D. Tho. viſum fuiſſe illo modo loquendi, vt indicaret pœnitentiam nõ exercere illum actum ſecundùm præciſam rationem ſeu denominationem pœnitentiæ, ſed ſecundùm adæquatam rationem talis virtutis, quę prout habet adiunctam prudentiam, nõ ſolùm medetur præteritis, & moderatur præſen- 3.

Albert. D. Thom.

D. Thom.

tia,

tia, sed etiam præcauet seu prouidet futuris. Quod clarius docuit Alens. 4.p.q. 12. memb. 3. art. 9.§.2. Aliàs q. 69.ar. 2. memb. 9. Vbi etiam rectè aduertit omnem virtutem in sua materia,& sub honestate sua exercere hunc actum: quia ad perfectionem virtutis pertinet perseuerantia in illa:& ideò velle semper castitatem seruare sub hac ratione est actus castitatis,& sic de aliis:idem ergo est cũ proportione in hac virtute. Quod etiam suprà insinuauimus agentes de obiecto,vbi alias rationes,& Concil. Trident. adduximus.

*Gaudium quomodo à pœnitentia sit.*

4. D. Thom. DVBITANT etiam aliqui de actu gaudij,tum quia D. Thom. hîc art. 2. ad 1. gaudium de bonis operibus tribuit charitati: tum etiam quia gaudium videtur repugnare dolori, & illum excludere: proprius autem pœnitentiæ actus est dolor. Dicendum est tamen,gaudium de bonis operibus,quatenus cedunt in Dei gloriam, & in illum, vt in finem supernaturalem, vel vt in talem amicum referuntur, sic pertinere ad charitatem:gaudium autem de æquitate iustitiæ vel conseruata, vel restituta ad hanc virtutem pertinere, vt ex discursu facto satis constat. Nec verum est omne gaudiũ excludere omnẽ dolorem, sed si sint eiusdem rei: hîc autem dolor pœnitentiæ est de peccato vt commisso, gaudium de remissione peccati,vel etiam de satisfactione pro peccato.

5. Occurritur obiectioni. Durand. D. Thom. Dices,Licèt tale gaudium non omnino tollat dolorem,minuit tamen, saltem ex generalibus rationibus gaudij & tristitiæ:& ex diuersis modis afficiendi subiectũ. Respõdet Durãd. d. 14. q. 4. nõ esse hoc inconueniens, quia non oportet dolorem pœnitentiæ esse omnibus modis maximum. Diuus Thom. autem in 4. d. 17. q. 2. art. 1. negat assumptum, quia hoc gaudium est consequens ipsummet dolorem pœnitentiæ. Dico tamen hoc maximè verum esse de ipsa detestatione peccati, hæc enim nullo modo minuitur, neque impeditur propter gaudium consequẽs:dolor autem in rigore sumptus, quamuis non minuatur ex gaudio consequente vt sic,potest tamen impediri ne vlteriùs progrediatur.

## ASSERTIO II.

*De actibus pœnitentiæ circa malum.*

6. DIco secundò, Virtus pœnitentiæ fugit malum seu peccatũ omnibus modis, quibus voluntas solet malum refugere, & ita etiã distinguuntur plures alij actus huius virtutis. Hæc assertio constat ex dictis de obiecto,& ex præcedente,nam omnia ibi dicta possunt hic cum proportione applicari. Vt autem aliquas difficultates expediam, notandæ sunt voces, quibus hi actus significari solent,scilicet odium,detestatio, displicentia,dolor, & tristitia,his enim vtitur Trid. sess. 4. & communiter Doctores. Est autem in eis obseruandum, aliquando vel omnes vel aliquas ex his vocibus sumi vt generales. Displicentia enim dici potest, tum de odio, tum de dolore,vel detestatione,& eodem modo quilibet ex his actibus dici potest auersio à peccato,vel fuga illius:dolor etiam & tristitia in præsenti idem sunt. Tres ergo voces, seu actus explicandi à nobis sunt secundùm proprias rationes suas,scilicet odium, detestatio,& dolor,quibus etiam adiungemus propositum,seu intentionem destruendi peccatum.

7. Odiũ & detestatio peccati quomodo distinguantur. Primò igitur inquiri potest,an odium,& detestatio peccati commissi sint actus diuersi. Et ratio dubitandi esse potest, quia peccatum commissum iam consideratur,seu apprehenditur vt malum præsens:odiũ autem tantùm potest distinguí à detestatione tanquam fuga mali absolutè sumpti,à fuga mali præsentis,ergo solùm potest distingui à tali detestatione illud odium, quod versatur circa peccatum absolutè, abstrahendo ab hoc quòd sit commissum: ergo, si vtrumque sumatur, vt cadit in peccatum commissum,non possunt distingui.

Nihilominus dicendum est,illos actus esse distinctos, quia etiam odium potest versari circa malum quod iam inest,quia quod insit,non tollit absolutam rationem mali: & ipsamet pœnitentia potest odio haberi, non præcisè quia præsens est, sed absolutè, quia quoddam malum est. Rursus circa huiusmodi malum potest insurgere desiderium quòd non insit, & affectus voluntatis ad hoc vt tale malum non fuerit commissum:hic autem actus diuersus est à præcedente, vt patet tum ex modo tendendi & operandi: tum etiam ex effectu, nam ad odium, vt sic,non sequitur tristitia:sequitur autem ex illa detestatione,vt notauit D. Thom. in 4. 17. quæst. 2. artic. 1. quæstiun. 1. ad 3. Denique circa bonum quod possidetur, præter amorem potest homo habere desiderium nunquam carendi tali bono:ergo è contrario hîc actus desiderij, *vellem nunquam peccasse*, est distinctus ab odio. Quapropter in hoc actu cernitur propria ratio pœnitentiæ secundùm rigorosam huius vocis significationẽ, vt ex D. Thom. suprà sumitur,& hic q. 84. ar. 8.& hoc art. ad 3.& infrà ar. 4.& ex Palud. dict. d. 17. q. 1. ar. 1.& 2. Sot. q. ar. 1. Ledes. 1. p. 4. q. 32. ar. 1. dub. 2. Nauarro in Sum. c. 1. n. 2. clariùs Caiet. tom. 1. Opusc. tractat. 4. q. 1. qui agentes de contritione,vel de attritione,dicunt propriè consistere in detestatione & ab effectu declarãt,quia dolor proximè sequitur ex detestatione,vt dictũ est,& latiùs infrà dicemus. Et fauet Concilium Trident. sess. 14. c. 2. dicens pœnitentiam esse detestationem peccati cũ pio animi dolore:& eodẽ ferè modo loquitur Concilĩ Colonienſe titulo de Pœnitentia,in principio,& August. lib. 2. ad Simplicianũ q. 2. Quod si de ordine inter illos actus interrogetur,respõdeo, odiũ esse natura sua priorem actum, quia respicit obiectum secundùm rationem magis abstractam & absolutam. Non videtur tamen necessarium, vt in executione, seu ordine temporis semper odium antecedat:nam considerata turpitudine peccati commissi, potest voluntas statim detestari peccatum desiderando nunquam illud commisisse: quia in ipso obiecto est sufficiens ratio, & fundamentum ad talem actum, & in illo includitur virtute ipsum odium,quod satis est.

Palud. Sotus. Ledesm. Nauar. Caietan. Conc Trid. Conc. Col. D. Aug. Quis sit ordo inter dictos actus.

## SECTIO III.

*Vtrùm actus Pœnitentiæ absolutus sit, & efficax.*

1. RATIO dubitandi oritur ex præcedenti sect. Nam ex ibi dictis sequitur proprium actum pœnitentiæ esse solum volũtatem quandam conditionatam, quam velleitatem appellant:consequens est falsum:igitur. Sequela patet, quia obiectum illius actus est impossibile, nimirum præteritum non fuisse,circa obiectum autem impossibile non potest esse voluntas, nisi conditionata. Minor autem probatur, quia volũtas conditionata est inefficax. Vnde non potest omnino auertere voluntatem à peccato:quod est de ratione actus pœnitentiæ.

In hac difficultate tres inuenio dicendi modos. A
2. Variæ ſententiæ. Alenſ. Medin. Albert. Primus eſt, illum actum eſſe abſolutum, qui explicatur hac voce, *volo*, non illa *vellem*. Ita Med. Codice de Pœnitent. tract. 1. q. 1. & ſumpſit ex Alenſ. 4. p. q. 12. memb. 1. art. 2. §. 2. aliàs q. 54. memb. 2. art. 3. in fine. & Alber. in 4. d. 14. art. 2. Quorum ratio eſt, quia peccatum commiſſum non fuiſſe non eſt impoſſibile ſimpliciter, ſed tantùm ex ſuppoſitione: circa huiuſmodi autem impoſſibile verſari poteſt actus abſolutus. Secunda ſententia eſt illum actum eſſe conditionatum. Eſt D. Tho. in 4. d. 17. q. 2. ar. 1. quæſtiun. 1. ad 3. quem
D. Thom. Sotus. Ledeſ. Sot. d. 14. q. 2. ar. 1. & d. 17. q. 1. art. 1. & Ledeſ. 1. p. 4. q. 32. art. 1. dub. 3. & alij ſequuntur. Et ratio eſt, quia, licèt illud obiectum tantùm ſit impoſſibile ex ſuppoſitione, tamen voluntas nõ verſatur circa illud per talem actum, niſi ex prædicta ſuppoſitione: & ideò perinde ſe habet, ac ſimpliciter impoſſibile. Tertia ſententia eſt Adriani in 4. q. 1. de Pœnitentia, illum actum B
Adrian. non eſſe abſolutum propter rationem D. Thomæ, neque eſſe conditionatum, quia iam conditio poſita eſt, & non ignoratur: quando autem cognita eſt conditio, vel voluntas nullum elicit actum, vel elicit abſolutum. Vnde cõcludit illum actum eſſe ſimplicem affectum diſplicentiæ peccati commiſſi: atque ita parum videtur illum diſtinguere ab actu odij.

3. Actus volũtatis quomodo abſolutus vel cõditionatus dicatur. Vt verò caueatur æquiuocatio, in qua videtur Adrianus verſatus, oportet diſtinguere illam vocem, *conditionatus*, cùm coniungitur cum actu voluntatis: interdum enim ſumi poteſt ex parte ſubiecti, ſeu potiùs voluntatis, vt cùm aliquis profert hanc conditionalem, ſi Petrus hoc à me peteret, vellem id facere: tunc enim voluntas de præſenti non vult, ſed C homo affirmat ſe voliturum, ſi id accideret: & ita conditio ſuſpendit, ſeu tollit omnem actum voluntatis in præſenti: & ideò impropriè talis dicitur actus conditionatus, quia re vera nullus eſt, ſed eſſet, ſi cõditio poneretur. Vnde in contrario ſenſu omnis actus voluntatis, qui de præſenti exercetur, poteſt dici abſolutus, quamuis nõ ſemper propriè vt patebit. Alio igitur modo & magis proprio dicitur actus conditionatus ex parte obiecti, quia, licèt voluntas in præſenti illum exerceat, tamen per illum non tendit in obiectum abſolutè ſumptum, ſed veſtitum aliqua conditione. Vt cùm teſtator legat centum Petro, ſi hoc fecerit, re vera vult donare, tamen ſub ea conditione. Cuius ſignum eſt, quia expleta illa conditio- D
ne, illa voluntas habet effectũ ſine nouo actu. Actus verò abſolutus contrarius huic conditionato erit ille, qui nec ex parte ſubiecti, neque ex parte obiecti habet appoſitam conditionem, & hic eſt proprius vſus illius vocis.

4. Reſolutio de actu pœnitentiæ. Actus ergo pœnitentiæ non poteſt dici conditionatus priori modo: alioqui non eſſet verus, & realis actus: & ſi hoc tantùm voluit Adrianus, rectè dixit: debuiſſet tamen vocare illum actum abſolutum, vt cum proportione, & ſine æquiuocatione vocibus vteretur: debuiſſet etiam mentionem facere actus conditionati ex parte obiecti. Vnde ſi de hoc ſit ſermo, rectè D. Thom. dixit actum pœnitentiæ eſſe cõditionatum: quia vel expreſsè, vel implicitè includit E
hanc conditionem, *ſi mihi eſſet poſſibile*. Et hoc rectè concludit ratio Diui Thomæ.

5. Actus conditionatus quid operetur. Vt verò ſatisfaciamus difficultati de inefficacia talis actus, aduertendum eſt, actum conditionatum voluntatis, quamuis non ſit efficax quoad omnia, quandiu conditio non eſt impleta, eſſe tamen poſſe efficacem quoad aliqua, reſpectu quorum habet vim actus abſoluti. Quod variis modis contingere poteſt pro actuũ & obiectorum diuerſitate. Aliquãdo enim poteſt conditio poſita in obiecto eſſe poſſibilis, occulta tamen & pendens ex futuro, Et tunc poteſt eſſe voluntas efficax de ſe: ſi autem conditio ſit de futuro, erit ſuſpenſa quoad effectum vſque ad talem cõditionem, vt cùm volo dare centum, ſi hoc feceris: & ideò talis voluntas non per *vellem*, ſed per *volo* explicatur. Si verò conditio in re ſit poſita, & ignoretur, voluntas ſtatim habet effectum, vt cum volo abſoluere, ſi es diſpoſitus. Et de tali volitione verum eſt quod ait Adrian. ſi cõditio ſit in re poſita, & cognoſcatur, non poſſe volitionem eſſe conditionatam. Et è conuerſo etiam verum eſt, ſi ſciatur talem conditionem non eſſe in re, vel non eſſe futuram, non poſſe haberi voluntatem illam conditionatam ita efficacem, ſed ad ſummum per modum velleitatis. Vnde in diuite hic actus *vellem dare eleemoſynam, ſi poſſem*, licèt videatur eſſe ſub conditione, quæ illi nota eſt, re tamen vera plus includit, videlicet, *ſi poſſem vincere meum affectum, vel poſſem ſine difficultate*, vel aliquid ſimilę: neceſſe eſt enim, vt talis conditio ex aliqua parte, vel non ſit poſita, vel ſaltem ſit ignorata, aut non conſiderata: aliàs actus neceſſariò tranſibit in abſolutum.

6. Aliquando verò contingit obiectum eſſe impoſſibile, vel ſimpliciter, vt me eſſe Deum, vel ex ſuppoſitione, vt præteritum non fuiſſe vel hominem ſaluari ſine obſeruantia mandatorum. Et in his omnibus ſemper ſubintelligitur, vel expreſsè additur cõditio, *ſi fieri poſſet*, & actus non eſt *volo*, ſed *vellem*, vt rectè D. Thom. dixit, & experientia docet. Ideoque talis actus eſt ſimpliciter inefficax reſpectu obiecti impoſſibilis, vt ſic: tamen ſi quantum ad aliquid poſſibile ſit, reſpectu illius poteſt habere aliquam efficaciam. Deteſtatio peccati cõmiſſi quomodo efficax. Atque ita contingit in præſenti actu deteſtationis, de quo loquimur: nam eſt quidem ille actus ineffi-
cax, quantum ad hoc vt efficere poſſit quominus illud peccatum factum non fuerit: & quoad hoc dixit D. Thom. hic ad 3. *ſtultum eſſe conari ad hoc, vt peccatum commiſſum non fuerit*. Eſt autem efficax ille actus ad ſeparandam, & auertendam voluntatem ab effectu peccati. Vnde impoſſibile eſt cũ tali actu, ſi ex plena determinatione voluntatis fiat, ſimul eſſe affectum peccandi. Et ideò etiam includit ille actus efficaciam ad deſtruendum peccatum cõmiſſum, quatenus aliquo modo permanet habitualiter ſeu moraliter, vt in dicta ſolutione ad 3. D. Thom. addit. Et hoc ſatis eſt ad veram & perfectam rationem actus pœnitentiæ, qui vel formaliter, vel virtute includit propoſitũ emendandi. Deo illud, quod contra ipſum commiſſum eſt, vt ſumitur ex D. Thoma infrà art. 4. Nam per huiuſmodi deteſtationem ita abominatur homo peccatum commiſſum, vt ex vi illius vellet, ſi poſſet, facere vt non fuiſſet: ergo etiam vult illud deſtruere ſaltem quãtum ad rationẽ culpæ, quæ moraliter manet: quantum ad hoc enim obiectum poſſibile eſt: & ideò reſpectu illius poteſt talis actus efficaciam habere. Sicut etiam ob eandem cauſam talis actus efficaciter auertit voluntatem à peccato futuro, quantum eſt ex ſe, quia habet cum illo formalem, aut virtualem incompoſſibilitatem, quam ſignificauit Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. dicens, *Si voluntatem peccandi excludat*. Conc Trid.

7. Et quantum ad hæc, in quibus actus ille eſt efficax, poteſt in bono ſenſu verum eſſe, quod Alenſis ait, actum illum non tantùm eſſe *nollem*, ſed etiam *nolo*. Quanquam ſub hoc verbo indicatiui melius explicatur ille actus in ordine ad peccatum abſolutè, quàm in ordine ad peccatum commiſſum, vt ſic. Rectè enim dicet aliquis, *Nolo peccatum:* non autem ſic, *Nolo peccaſſe*, ſed *Nollem*. Et idcirco reſpectu talis obiecti, id eſt: peccati commiſſi, vt ſic, rectè appellatur ab Adriano ille actus ſimplex affectus abſolutus aliquo modo, quatenus actu ineſt, imò & aliquo modo efficax

efficax, quatenus per illum voluntas ex vero & toto affectu auertitur à malitia peccati, & eo modo quo potest vult illam non esse. Nihilominus tamen simpliciter non caret omni conditione, neque habet efficaciam, quantum ad proprium obiectum, quod est facere, vt peccatum commissum non fuerit.

---

### *Detestatio peccati, & intentio destruendi illud quomodo differant.*

8. HINC verò suboritur difficultas, nam videtur ex dictis sequi hunc actum detestationis peccati non esse diuersum ab actu intentionis seu propositi destruendi peccatum, quia totam hãc vim & efficaciam includit ille actus, vt dixi. Consequens autem D.Thom. repugnat D.Thom.q.85. artic.2.ad 1. vbi distinguit illos actus per modum imperantis & imperati. Et (quod difficilius est) illos tribuit diuersis virtutibus, nimirum intentionem pœnitentiæ, detestationem autem charitati. Quod etiam est contra ea quæ diximus: nam inter actus elicitos pœnitentiæ detestationem posuimus.

9. Ad priorem partem huius difficultatis respondeo negando sequelam. Et simpliciter cum D. Thom. concedendo illos actus secundùm formales rationes suas esse distinctos, quamuis in virtute vel efficacia conuenire videantur, vt probat ratio facta. Ratio verò distinctionis est, quia vnus est per modum fugæ & auersionis volũtatis, scilicet detestatio: alter est per modum prosecutionis, & intentionis. Vnde ille prior immediatè versatur circa peccatum commissum, vt sic: posterior verò propinquus tendit ad resarciendam diuinam iniuriam, ideóque versatur circa satisfactionem, seu recompensationem peccati. Et ita D. Thom. hîc art.3.ad 4. & sæpè aliàs vocat illum actum intentionem, seu propositum satisfaciendi, seu emendandi quod commissum est. Vnde etiã illi duo actus ita sunt inter se connexi, vt inuicem possint vnus ab alio oriri secundùm diuersas rationes, seu causalitates: nam si detestatio peccati consideretur vt medium accommodatum ad satisfaciendum Deo aliquo modo pro offensa, sic potest imperari ab illo proposito, sicut electio, ab intentione. At verò, si consideretur ille actus vt dispositio quædam subiecti, sic potest præcedere, & præparare voluntatẽ vt efficaciter conetur ad destruendum peccatum. Sicut in humanis, quia ægritudo displicet, ideò intendit homo, & conatur illam expellere: & vtroque modo potest intelligi D. Thomas citato loco.

---

## SECTIO IIII.

### *An detestatio peccati sit actus elicitus à pœnitentia, vel charitate.*

1. HÆC quæstio proponitur propter alteram partem difficultatis positæ in qua aliqui absolutè concedunt hanc detestationem peccati non posse esse actum à pœnitentia elicitũ, sed à charitate. Quod D.Thom. sentit D. Thomas citato loco, & expressè in 1. 2. q. 113.art. 5. ad 1. quia eiusdẽ virtutis est detestari mala, cuius est gaudere de bonis: hoc autem charitatis est. Veruntamen si eius sententiæ sensus esset, posse charitatem sub proprio motiuo, & ratione elicere aliquam detestationẽ peccati, eamque perfectissimam, probanda omnino esset: nam hoc ad minimum docet Diuus Thomas, D.Thom. & hoc conuincit ratio eius. Imò fortasse sit, si sermo esset de cõtritione, quæ per se sit

A sufficiens dispositio ad gratiam, probabile est requirere hanc detestationem à charitate elicitam. At verò si hæc sententia intelligat nullam detestationem peccati, & sub nulla ratione posse esse actum elicitum à propria virtute pœnitentiæ, nullo modo eam probare possumus: quia in superioribus satis ostensum est, esse in peccato aliquam rationem malitiæ, sub qua potest virtus pœnitentiæ illud detestari. Et hoc ipsum conuinci potest ex alio actu pœnitentiæ, quem prædicti auctores admittũt: nam si hæc virtus potest intendere destructionem peccati, & recompensationem eius: ergo aliquam propriam rationem mali inuenit in illo peccato, ratione cuius illud destruere conatur: ergo ob eandem rationem potest illud detestari. Et confirmatur à simili ex iustitia humana, cuius officium est, intendere recompensationem iniuriæ factæ proximo: nam hinc fit vt ipsam iniuriam detestetur: & vt illi virtuti talis malitia displiceat. Imò hoc ipsum videtur natura sua prius, nam ob eam causam vult iniuriam destruere, & compensare illam, quia displicet: ergo idem est dicendum in præsenti: est enim eadem omnino ratio. Denique aliâs virtus pœnitentiæ non haberet illum actum, qui in propria & rigorosa significatione per hanc vocem significatur, nam, vt suprà ostensum est, propriè significat retractationem prioris facti. Item ex proprio actu huius virtutis non sequeretur dolor, & pœna nisi valdè remotè: nam dolor propriè comitatur detestationem, vt dixi, & iterum dicam. Vnde non solùm Theologi, sed etiam Concilia, & Patres pœnitentiam per detestationẽ & dolorem definiunt, vt patet ex Tridentino session. 14.c.2. dicente, Pœni- Conc. Trid.
C tentiæ actum esse *detestationem cum pio animi dolore.* Et eodem ferè modo loquitur Cõcilium Colonien- Conc Col.
se titulo de Pœnitentia in principio, & August. lib. 2. D.Aug.
Quæstionum ad Simp.q.2. *Opus* (inquit) *pœnitendi est cum reperitur voluntas mutandi cum animi dolore.* Propter quod in li. de Vera & falsa pœnitẽt. c.2. & 3. Pœnitentiam simpliciter dolorem vocat, & similia multa leguntur in Decretis, de Pœnitent. d. 1.

---

### *Dolor & detestatio quomodo distinguantur.*

SED tunc insurgit vltima difficultas de actu do- 2.
loris comparato ad actum detestationis, quomodò ab illo distinguatur. Videtur enim esse idẽ actus:
D teste enim August. 14. de Ciuitate, cap. 15. dolor nihil D.Aug.
aliud est, quàm *displicentia de his quæ nobis nolentibus accidunt:* huiusmodi autẽ est detestatio peccati commissi, est enim displicentia, & de re nobis inuoluntaria: non quidem secundùm eam voluntatem, qua peccatum commissum est, sed secundùm eam, qua est affectu pœnitens quando peccatum detestatur, vt notauit Diuus Thomas in 4.d.17.quæst. 2. artic. D Thom.
1.quæstiuncul.1.ad 2. Vnde idem August. lib. de Vera D.Aug.
& falsa pœnit. capit. 2. & 3. hunc dolorem displicentiam vocat. Et eodem modo loquitur D. Thom. hoc
art. 1. ad 3. & Durand. in 4.d.14.quæst.2. & ibi alij. Et Durand.
denique Tridentin. session. 14. cap. 4. dicit, contritio- Conc. Trid.
E nem esse detestationem & dolorem, indicans has duas voces vnum actum significare, quia contritio vnicus actus est.

Nihilominus dicendum est, physicè loquendo, 3.
hos duos actus esse distinctos, quamuis moraliter ita sint coniuncti in homine viatore, vt per modum vnius reputentur. Hoc probatur primò ex communi sententia Theologorum tractantium de actibus humanis, & passionibus animæ: distinguunt enim amorem à gaudio, & gaudium à desiderio, eâdemque ratione

tione diſtinguunt dolorem ab odio, & deſiderio fugiendi malum: hic autem dolor comparatur ad deteſtationem tanquam ad fugam, ſeu deſiderium carendi illo malo. Quod adeò verum exiſtimauit Scot. vt crediderit dolorem non eſſe actum elicitum à voluntate, ſed meram paſſionem in illa exortam ex priori actu. In quo non probamus eius ſententiam, quia dolor eſt actus vitæ: & ideò neceſſe eſt vt à facultate vitali effectiuè prodeat. In hoc autē quādam ſimilitudinem habet cum paſſione, quòd non eſt per ſe primò exiſtens in facultate voluntatis, ſeu appetitus, ſed reſultat ſemper mediante actu fugæ, ſeu diſplicentiæ, non tamen ſine concurſu actuali eiuſdem voluntatis. Hinc verò ſatis cernitur diſtinctio inter illos affectus. Vnde confirmatur, nam deteſtatio eſt cauſa doloris: ergo diſtinguuntur inter ſe. Antecedens docuit D. Thomas in 4. d. 17. q. 2. artic. 1. quęſt. 1. ad 3. Et benè Caiet. tom. 1. Opuſcul. tractatu 4. q. 1. & patet ex dictis, quia non reſultat in nobis niſi media deteſtatione. Imò hic effectus talis eſt, vt impediri poſſit ex indiſpoſitione ſubiecti, vt notauit D. Tho. q. præced. artic. 8. vbi inquit, in Beatis eſſe diſplicentiam, ſeu deteſtationem abſque dolore, quia ſunt incapaces illius, quod eſt ſufficiens argumentum diſtinctionis. Tādem declaratur ex illamet dēſcriptione Auguſtini, *Dolor eſt diſplicentia de his, quæ nobis nolentibus accidunt*: ſupponit ergo dolor actum, quo obiectum doloris ſit nolitum: qui actus in præſenti materia nō eſt niſi ille, quo peccator nollet peccaſſe, vt D. Thom. in citato loco 4 declarauit: ille autem actus eſt ipſa deteſtatio peccati: ergo dolor ſupponit illam, & ab illa diſtinguitur. Quocirca, cùm dolor diſplicentia, vel hæc vox ſumitur in quadam generali ſignificatione, qua dicitur de omni actu voluntatis circa malum, vt in principio notaui, vel effectui tribuitur nomen cauſæ: cùm verò contritio dicitur dolor, denominatur à proprietate conſequente, ſine qua neque nomen, neque rationem contritionis habere cenſetur, vt infrà declarabo.

D. Thom. Caiet.

---

## *Corollarium, & cenſura cuiuſdam opinionis Scoti.*

4. ATQVE ex omnibus dictis in his ſectionibus colligere licet, quid ſentiendum ſit de quadam enumeratione actuum pœnitentię, quam habet Scotus in 4. d. 14. q. 1. & 2. Vbi quatuor ponit actus pœnitentiæ, vel, vt ipſe loquitur, quatuor acceptiones pœnitentiæ. Primus actus eſt, velle in ſe punire peccatum, applicando cauſas doloris: ſecundus eſt nolle peccaſſe: tertius acceptare punitionem ab alio inflictam: quartus (inquit) eſt patienter illam ferre. Ex quibus ſolum primum eſſe dicit cuiuſdam iuſtitiæ vindicatiuæ: ſecundum autem non pertinere ad aliquam ſingularem virtutem, ſed ad omnes reſpectiuè, ſeu in ſua materia: tertium, ait, eſſe charitatis, vel ſpei; quartum patientiæ. Hæc verò diſtinctio in primis nulla methodo, aut ratione data eſt: hoc enim modo poſſet diſtinguere innumeros pœnitentiæ modos. Deinde immeritò attribuit pœnitentiæ illū primum actum, vt primarium: prior enim eſt deteſtatio ipſius peccati commiſſi, includens propoſitum deſtruendi illud, nam hinc oritur illa voluntas vindicandi, & puniendi in ſe peccatum. Quod rectè inſinuauit D. Thomas hîc ad 4. dicens, *dolorem peccati eſſe diſplicentiam, ſeu reprobationem facti præteriti cum intentione remouendi ſequelam ipſius, ſcilicet offenſam Dei, & reatum pœnæ*: in quibus verbis ſentit hoc vltimum eſſe etiam vltimò intentum in actu pœnitentiæ, ſcilicet, auferre reatum pœnæ, quod fit per vindictam, & punitionem, & applicando cauſas doloris. Et ratio eſt manifeſta, nam prior eſt ſatisfactio pro culpa, quàm pro pœna. Imò hæc videtur eſſe quaſi ſecundarium quid in virtute pœnitentiæ. vt latiùs infrà dicemus, agentes de ſatisfactione, & de actu exteriori pœnitentiæ.

Vnde vlteriùs immeritò negat Scotus, ſecundum actum pertinere ad ſpecialem virtutem: non enim conſiderauit obiectū formale proprium virtutis pœnitentiæ, imò nec motiuum charitatis conſiderare videtur, ſub quo poteſt etiam ille actus ab vna virtute ſingulari elici, imò, & à virtute ſpei, vel obedientiæ, vt ex ſuperiùs dictis de virtute pœnitētiæ manifeſtum eſt. Et ex eo quod Scotus dicit de tertio actu conuinci poteſt: nā ſi quis poteſt acceptare pœnitentiam pro peccato ex charitate, & ſpe, multò magis poteſt odiſſe ipſum peccatum, vel nolle peccaſſe. Et eâdem omnino ratione deberet etiam fateri illum tertium actum eſſe poſſe à virtute pœnitentiæ, ſi ſub proprio eius motiuo eliciatur, vt fieri poteſt: poteſt enim quis acceptare pœnā ex affectu iuſtitiæ. Quod etiam confirmari poteſt ex primo actu, nam eiuſdem rationis eſt velle ſe punire, & velle acceptare pœnam ab alio inflictam, ſi ſub eodem motiuo fiat, nam reliqua differentia planè materialis eſt. Et idem ferè eſt de quarto actu, ſi idem motiuum operandi ſeruetur: quanquam verum ſit ſub propria ratione poſſe etiam illum actum ad pœnitentiam pertinere. Itaque ex hac doctrina nullum nouum actum virtutis pœnitentiæ habemus, præter eos, quos explicuimus, niſi voluntatem ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, vel voluntariè eligendo pœnam, vel impoſitam acceptando, vel illatam voluntariè ſuſtinendo (hæc enim omnia, vt dixi, materialiter diuerſa ſunt in ordine ad motiuum pœnitentię) hunc ergo actum ſub propria ratione elicitum fatemur eſſe huius virtutis actum, ſecundarium tamen, & minùs principalem, loquendo de ſatisfactione pro temporali pœna.

5.

Quapropter mihi etiam non probatur quod ſcripſit Cano in ſua relectione de Pœnitentia, p. 2. primarium actum huius virtutis eſſe dolorem ipſum peccatorum, quatenus nobis pœnalis eſt, *nam principaliùs* (inquit) *à nobis exigit Deus in recompenſationem peccati, vt nos ipſos torqueamus per dolorem, & triſtitiam, quàm vt ipſum honoremus, quia noſtram quærit vtilitatem, quæ in pœnis voluntariè ſumptis pro peccatis maxima eſt.* Hæc (inquā) doctrina mihi nō probatur, nam, ſi loquimur de dolore, & triſtitia cum omni rigore, & proprietate ſumpta, vt diſtinguitur à diſplicentia, ſeu deteſtatione peccati, ſic falſum eſt dolorem eſſe primarium actum pœnitentiæ, aut principalius intentum, iam enim ſectione præcedente oſtendi, principaliorem actum eſſe ipſam deteſtationem peccati. Et ſine dubio hoc eſt, quod præcipuè intēdit Deus in nobis, vt, ſcilicet, voluntatem noſtram omnino à peccato auertamus, & in ipſum Deum eā cōuertamus: dolorem autem requirit, tum vt effectum conſequētem ad illum affectum, tum vt illo iuuemur ad magis deteſtandum ipſum peccatum, & perſeuerantiùs cauēdum illud. Quod ſi (vt eſt frequens) doloris nomine ipſam deteſtationem intellexit Cano, immeritò dixit Deum magis intendere per hunc actum afflictionem noſtram, quàm honorem ſuum, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed Deus intēdit noſtram pœnam, & afflictionē propter honorem ſuum, ergo hunc magis intendit. Vnde licèt etiam noſtram vtilitatem intendat, hanc tamen vtilitatem noſtram ordinat ad eundem ſuum honorem, quia omnia ordinat ad ſe, tanquam ad vltimum finem, cui nulla vtilitas accreſcere poteſt, ſed

6. Quædam ſententia Cani expēditur.

sed tantùm gloria,& honor. Item nos ipsi, vt perfectè operemur,etiam dum nos affligimus, & castigamus, totum referre debemus in diuinum honorem tanquam in præcipuum scopum, quia ipse diuinus honor maioris esse debet apud nos æstimationis, quàm nostra vtilitas. Prætereà in satisfactione magis intenta esse debet satisfactio pro iniuria, quàm pro pœna debita, quia illud est primariũ in negotio iustificationis, reliquum verò est consequens: satisfactio autem pro iniuria diuina, quatenus à nobis exhiberi potest,principaliùs fit per detestationẽ peccati, quatenus ex amore Dei procedit, & ex intentione resarciendi diuinum honorem,quantùm in nobis est:ergo hoc est magis intentum,etiam à Deo, quàm afflictio nostra,quatenus est nobis pœnalis, & vt sic,est satisfactoria pro pœna.Est ergo hic actus pœnitentiæ,sed secundarius,vt diximus.

## SECTIO V.

### *Vtrùm actus pœnitentiæ honestus sit.*

1. Contrarij errores.

IN hac,& sequentibus sectionibus specialiter loquar de proprio actu detestationis peccati,qui ad rẽ præsentẽ est magis proprius, & quia facilè erit ad reliquos accommodare,quæ de hoc dixerimus,seruata proportione. Lutherani ergo hunc actũ reijciũt,vel vt otiosum,& inutilẽ,quia est conatus quidã contra præteritum factũ, de quo iã dolore inutile est,vel etiam,vt præsumptuosum, quia oritur ex volũtate satisfaciẽdi Deo,ac si nobis possibile hoc esset. Pelagiani autem approbantes hunc actum,naturalibus viribus liberi arbitrij illum attribuunt dicentes, hoc modo posse hominem suis viribus liberari à peccato.

2. Actum Pœnitentię honestum esse Assertio 1. Conc. Trid. Ezech. Matth. Psal.4. Mich. Paul 2. Corinth. Tertull. August. Arist.

Dicendum verò est primò,actum Christianæ pœnitentiæ esse honestum, & sanctum. Conclusio est definita in Tridentino sess. 14. can. 5. & sumitur ex Scriptura, quatenus & consulit, & præcipit hunc actum,vt patet Ezech.18.& 33. Matth. 3. & 4. & sub nomine compunctionis Psal.4.& Mich.4.& sub nomine tristitiæ, ac pœnitentiæ 2.ad Corint. 7. Quod autem Deus præcipit honestum est:vnde Tertullian. lib.de Pœnitentia,c.4.*Bonum est pœnitere,an non? quid reuoluis? Deus præcipit.*Et Augustlib. de duabus animab.contra Manich.c.14.*Bonum*(inquit)*est pœnitere: quid necesse est Scripturas afferre? vox est ipsa naturæ.* Vnde etiam Arist.7.Ethic. cap. 7. *Quem non pœnitet* (inquit)*inemendabilis est.*

3. Hæreticorũ euasio. Refellitur.

Ad hæc,& similia Scripturæ testimonia(quod semel annotare necesse est ) respondent hæretici quoties Scriptura de pœnitentia loquitur , non de detestatione peccati commissi, sed de sola mutatione vitæ futurum,quę priùs per propositum,posteà per ipsam obseruationem mandatorum sufficienter fit, sermonem facere:quod confirmant ex verbo Græco μετάνοια, quod resipiscentiam significat.Veruntamen ex interpretatione omnium Patrum, & ex collatione plurium testimoniorum constat, sermonem esse de propria pœnitentia à nobis explicata, eamque illa voce significari, quæ propterea nunc doloris nomine,nunc gemitus,nunc cõpunctionis & conuersionis exprimitur.Et Ioel.2.& Ezech.18.distinctè præcipitur pœnitentia, & noua vita. Et quamuis demus vocem Græcam resipiscentiam significare, tamen hæc ipsa resipiscentia non fit sine animi, & affectus mutatione,vt notauit Lactantius lib. 6. de Vera sapientia c.24.& Tertullian.lib.2.contra Marcion.c.24. in fine. Mutatio enim animi requirit recessum ab vno termino, & accessum ad alium. Vnde non satis est nouũ opus inchoare,quia per hoc mutatur opus,non verò animus:nã post multa peccata,vt v.g.post sumptam ab inimico vindictam,potest quis mutare opus circa illum,ei benefaciendo , non mutando animum circa priorem vindictam.Propter quod dixit August. lib.de Pœnitentiæ medicina in principio: *Nemo potest nouam vitam inchoare, nisi eum superioris vitæ pœniteat.* Et eodem tendunt verba Aristotelis superiùs citata. Non ergo sufficit propositum nouæ vitæ ad veram animi mutationem, nisi prior vita, quæ placebat, displicere incipiat. Propter quod aiebat Ezechias Isai.38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Sapiens Ecclesiast. 21. *Fili peccasti, ne adijcias iterũ, & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Vbi etiam insinuatur optima ratio huius honestatis,nam,licèt peccata præterita sint actu,manent tamen reatu , vt dixit August. lib. 1. de Nuptiis c.26. Et ideò ad illorum veniam obtinendam medium optimum est illa cum dolore recognoscere, iuxta illud Psalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c.* Ratio tandem à priori est, quia obiectum illius actus est per se bonum,vt satis in superioribus declaratum est ; & potest cum debitis circunstantiis fieri : nam omne obiectum honestum ex se habet has circunstantias, & voluntas recta ratione vtens, & adiuta diuina gratia, potest illas obseruare. Falsum est ergo hunc actum esse otiosum, aut inutilem,quia non tendit ad hoc,vt quod factum est, non fuerit factũ;sed ad hoc,vt voluntas , & auertatur ab illo malo , & destruat illud , quatenus aliquo modo permanet,qui finis est valde honestus, & ad illũ obtinendum valde vtilis est huiusmodi actus , nam vt dixit August.lib.de Vera,& falsa pœnitentia cap. 20. *Qui conuertitur , necessario dolet habere , quod gaudet perdere.* Vnde meritò Chrysost om.homil.5.ad Populum tristitiam ferè ad nihil aliud vtilem esse dixit, nisi,vt de peccatis habeatur.Quapropter neque præsumptuosus est talis actus, quia non propriis viribus, sed diuina gratia concedi creditur , vt iam dicam. Et quia non fit animo satisfaciendi Deo ad æqualitatem,aut ex perfecta iustitia , sed solùm faciendi quod in nobis est , vt à Deo obtineamus misericordiam: hoc autem totum valde consentaneum rationi est.

Aug. Aug. Psal.50. Ratio à priori redditur. Aug. Satisfit Luther. Aug. Chrysost.

### *Pœnitentiam posse habere diuersas honestates.*

4.

EST autem considerandum ex superiùs dictis, & ex generali doctrina de moralib. actibus,huiusmodi detestationem diuersas posse habere honestates, seu species virtutis , iuxta varia motiua honesta, ex quibus procedere potest. Nam si peccatum furti v.g. displiceat ob turpitudinem , quam habet contra iustitiam humanam motiuum illud , vt suprà dixi, pertinet ad iustitiam , & consequenter actus ille habet rectitudinem , & honestatem iustitiæ , & simili modo pertinebit ad rectitudinem charitatis , si peccatum displiceat proximè,& immediatè,vt repugnat amicitiæ diuinæ,& sic de aliis virtutibus:vnde,vt habeat specialem honestatem pœnitentiæ , oportet , vt sit ex motiuo destruendi , seu remouendi peccatum vt est iniuria Dei. Hæc autem honestas , quæ est ex obiecto , & dicitur honestas ex genere actus , requirit debitum modum , & cæteras circunstantias morales,nam cùm bonum sit ex integra causa , non est actus moraliter bonus , nisi cum bono obiecto habeat bonas , & proportionatas circunstantias. Quia verò

Honestas genere actus requirit debitum modum.

verò circunstantiæ sunt accidentia, obiectum verò per se conuenit actui, ideò quando definimus aliquem actum esse bonum, quia scientia est de ijs, quæ sunt per se, intelligitur ex vi proprij, & formalis obiecti: subintelligitur autem conditio, *Si debitæ circunstantiæ non desint*, quas possibiles esse, imò & debitas tali actui, vt certum supponitur, tanquam necessariò consequēs ex vi talis obiecti. Imo, loquendo de actu interiori virtutis, vt nunc loquimur, probabilius credimus, iuxta vera principia moralia, non posse interiorem actum versari circa obiectum honestum formaliter, & vt honestum est, quin simul habeat omnes circunstantias debitas tali actui: tum quia si motiuum honestum mouet ad operandum, simul etiam mouet ad debitè operandum: tum etiam quia ipsa honestas obiecti, vt hîc & nunc proposita, aliquo modo pendet ex circunstantiis, sed de hoc aliàs. Vnde, quod ad præsens spectat, dubitari non potest de actu pœnitentiæ, si debito modo exerceatur, cum ostensum sit habere posse honestum motiuum, & non tantùm vnum, sed multiplex. Dubitari verò posset in primis, quis debitus modus seruandus sit, aut quæ circunstantiæ adhibendæ, vt talis actus habeat honestatem. Sed hoc vel non habet peculiarem difficultatem, præter generalem doctrinam de actibus moralibus, vel, si quid proprium est huic actui, in discursu materiæ tradendum erit, vbi ostendemus quis modus seruandus sit in agenda pœnitentia, & quo tempore sit agenda, & similia. Ex motiuis autem ad pœnitendum, specialem habet quæstionem motiuum illud, quo sæpe excitamur ad agendam pœnitentiam ob timorem pœnæ: de quo in particulari dicemus inferiùs disp. 5. quæ erit de attritione.

Dubium.

Soluitur.

## SECTIO VI.

### *Vtrùm actus pœnitentiæ supernaturalis sit.*

1. OMissis variis opinionibus, quas infrà commodiùs attingemus. Dicendum est primò, actum Christianæ pœnitentiæ supernaturalem esse. In hac assertione conueniunt Theologi omnes, vt videre licet in D. Thoma hic art. 5. & 1. 2. q. 109. articul. 6. q. 113. articul. 3. & Bonauent. in 2. d. 28. artic. 2. q. 1. Gregor. d. 26. q. 1. Marsil. q. 17. Et ex recentioribus videri potest Vega lib. 6. in Trident. c. 13. & Opuscul. de Iustific. quæst. 11. Bellarm. lib. 1. de Pœnitentia c. 3. & Soto in 4. d. 14. q. 2. & Ruardus ar. 6. & 7. cōtra Luther. & Iacobus Latomus lib. 1. de Iustific. cap. 3. Estque illa pars de fide, nimirum hunc actum talem esse, vt sine diuina, & supernaturali gratia exerceri non possit: huiusmodi autem actum supernaturalem vocamus. Et probatur primò ex Scriptura sacra, & Patribus, nam in diuina Scriptura sicut fides, & charitas, ita etiam pœnitentia dicitur esse donum Dei, quo loquendi modo explicari solent supernaturalia, & gratuita dona: ergo Maior patet 2. ad Timot. 2. *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis*: ex quo testimonio hanc veritatem confirmat Fulgent. li. de fide ad Petr. c. 31. & August. lib. 5. contra Iulian. c. 3. dicens, *Nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam?* & Leo papa Epist. 91. dicens, *Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo, Nequando Deus det illis pœnitentiam.* Quod optimè confirmatur ex illo Actorum 5. *Hunc principem, & saluatorem Deus exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.*

D. Thom. Bonau. Gregor. Marsil. Vega. Bellarm. Sotus. Ruard. Iacob. Latom.

Probatur ex Scriptura, & Patribus.

Timot. 2. Paul. 2.

ad Fulg. Aug.

Leo Papa.

Acto. 5.

Vtrumque ergo est donum Dei, quod nobis per merita Christi conceditur. Et hoc ipsum est, quod Ezechiel. 6. promittitur. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*: quod testimonium sæpe Augustinus ad hoc propositum exponit, præsertim primo libro contra duas Epist. Pelagianorum cap. 20. Idémque sumitur ex omnibus locis, in quibus à Deo petimus vt nos conuertat, vt admonuit Cōcilium Trident. sess. 6. c. 5. & priùs Hieronymus in id Ieremiæ 31. *Conuerte me Domine, & conuertar, postquam enim conuertisti me, egi pœnitētiam.* Et Cœlestinus Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ, cap. 11. ex similibus Ecclesiæ orationibus id confirmat.

Ezech.

Aug.

Conc Trid. D. Hier. Cœlestin. Papa.

2. Secundò probatur ex Concilijs, & definitionibus Ecclesiæ, nam Concilium Arausic. 2. can. 4. sic inquit, *Siquis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem fieri confitetur, resistit Spiritui sancto dicenti, Præparatur voluntas à Domino, &c.* & can. 7. & 25. habentur definitiones generales de actibus ad salutem pertinentibus. Expressiùs verò hoc docet, ac definit Concilium Tridentin. sess. 6. c. 6. & can. 3. *Siquis* (inquit) *dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius ad iuuorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*: Vbi eodem modo docet gratiam esse necessariam ad actum pœnitētiæ, sicut ad actum fidei, spei, ac dilectionis: ergo sentit eodem modo esse supernaturalem. Nec dici potest, pœnitentiam, quatenus fidei & amori coniunctam, esse supernaturalem, non quia in se supernaturalis sit, sed quia vel directio fidei, vel amoris imperium seu ordinatio supernaturalis est. Hoc (inquam) dici non potest, tum quia aliàs eodem modo dicere quis posset spem, vel amorem non esse in se actus supernaturales, sed solùm quoad directionem fidei: vel è conuerso fidem secundum se non esse supernaturalem, sed vt informatam charitate. Tum etiam quia Concilium non tantùm copulatim seu complexiuè definit, gratiam esse necessariam ad collectionem illorum actuum, sed diuisim & copulatiuè ad singulos illorum actuū esse necessariam gratiam; & ideo non sine causa vtitur dictione disiunctiua, *aut*. Non potest ergo secundum fidem negari, quin pœnitentia, simpliciter loquendo, actus sit supernaturalis. De qua veritate legi possunt multa apud Innocentiū Papam epi. 25. & 26. Leonem epist. 84. aliàs 86. Aug. li. 2. contra duas epist. Pelag. c. 10. & lib. de Gratia & libero arbit. c. 17. Ambros. lib. 10. in Lucam, circa illa verba *conuersus Dominus respexit Petrum*, & Chrys. homil. 41. ad Populum.

Conc. Trid.

Euasio.

Præcluditur

Innocent. Leo. Aug. Ambr.

Chrysost.

3. Tertiò probatur ratione sumpta ab effectu, & ex principijs fidei. Nam aliquis actus pœnitentiæ est vltima dispositio ad gratiam: debet esse actus supernaturalis: ergo actus pœnitentiæ est supernaturalis. Dicetur fortasse, dispositionem ad gratiam debere esse supernaturalem ex dilectione charitatis, includit enim detestationem peccati propter Deum summè dilectum: atque ita non concludi actum pœnitentiæ esse supernaturalem, nisi quoad hanc relationem. Sed contra primò, nam ostensum est singulos actus in illa dispositione inclusos, esse supernaturales, ex doctrina Concilij Trid. Et ratione etiam ostendi potest, quia ad vltimam dispositionem ad gratiam non solùm non sufficit actus naturalis, verùm etiam nullus naturalis actus per se necessarius est: tum quia tota vltima dispositio est eiusdem ordinis cum forma, tum quia si aliquis naturalis actus esset per se necessarius

3. Assertio probatur ratione.

Obiectio.

Soluitur.

sarius ad dispositionem talem, illum posset homo naturæ viribus inchoare, & perficere, per se loquendo, & seclusis extrinsecis impedimentis, vel difficultatibus: atque ita per illum posset suæ salutis initium efficere, quod est contra sanam doctrinam. Secundò quia eadem est ferè ratio de actu pœnitentiæ, & amoris, vt statim ostendemus.

4. Quorumdã Theologorum opinio de supernaturalitate pœnitentię.

Vt autem veritatem hanc & declaremus ampliùs, & probemus, sciendum est, nonnullos Theologos asseruisse actum pœnitentiæ secundùm se, & secundùm totam entitatem suam, naturalem esse: ideoque fieri posse per naturales vires liberi arbitrij, licèt prout exigitur à Deo ad salutem, aliquid supernaturale necessarium sit, quod à diuina gratia pendet. Ita sentit Durand. in 2. d. 28. q. 5. Scot. in 4. d. 14. q. 2. art. 1. Gab. q. 1. & Caiet. tomo 1. Opusc. tract. 4. q. 1. Fũdamentũ eorũ esse potuit, quia hoc satis est ad intelligendam Scripturam, & definitiones Concil. ideò enim Trid. addit particulam illam; *sicut oportet*, vt significet gratiam esse necessariam, non propter pœnitentiam absolutè, sed propter specialem modum, quem Deus requirit: alioqui verò nulla apparet ratio propter quàm voluntas non possit suis viribus detestari quod turpe est, & contra rationem: imò tãtò faciliùs id poterit, quantò ratio malitię maior fuerit, cum naturalis propensio voluntatis sit ad honestatem: ergo quæcunque detestatio peccati, quãtumuis perfecta ex parte motiui, erit actus naturalis: hic autem est actus pœnitentiæ, de quo agimus. Et potest hoc confirmari, nam licèt fortasse de virtutibus Theologicis, & actibus earum certiùs sit esse per se supernaturale; tamen de virtutibus moralibus id est valde incertum, & multi probabilius esse credunt, nullas esse per se infusas: virtus autem pœnitentiæ moralis est: ergo est virtus acquisita tantùm: ergo actus eius, secundùm se, naturalis est. Quod si ab his auctoribus inquiras quid sit illud supernaturale, quod in actu pœnitentiæ requiritur, Scot. & Gabr. nihil aliud esse dicunt præter denominationem quãdam, quæ est acceptari à Deo, seu informari gratia. Caietanus dicit esse quandam habitudinem ad causam, nimirum quòd procedat ab speciali auxilio Dei: & idem ferè dicit Durand. qui in eo magis errat, quòd solùm requirit auxiliũ extrinsecum seu occasionem benè operandi ex speciali Dei prouidentia præparatam. Et confirmari potest hæc sententia, nam peccatum esse offensam Dei, & detestabile secũdùm rectam rationem & maximè propter illud motiuum tantùm, est obiectum, quod naturali ratione cognoscitur: ergo etiam potest voluntas sua naturali virtute in illum actum efficaciter prodire: quia potest voluntas naturaliter conformari dictamini practico rationis naturalis. Tandem argumentatur Caiet. quia aliàs posset quis esse certus de sua iustificatione, & remissione peccati: nam est certus se detestari peccatum efficaciter & propter Deum, ergo si alioqui est certus hunc actum esse supernaturalem, & ex gratia, experimento cognosceret homo in se iustificationem suam.

Durand. Scot. Gabriel. Caietan. Fundamentum eorum.

Confirmatur.

Cõfirmatio alia.

Cõfirmatur tandem.

Refellitur hæc opinio & contraria sentẽtia roboratur. Conc. Trid.

Ad excludendam hanc sententiam dico secundò hunc actum esse supernaturalem intrinsecè, id est, in iis, quæ illi verè, & realiter insunt, ac denique in eius entitate. Quam partẽ probo ex illis verbis Cõcil. Trident. sess. 6. canone 3. *Siquis dixerit, sine spiritus sancti inspiratione, & eius adiutorio posse aliquem pœnitere, sicut oportet, anathema sit.* In quo canone suppono, quatuor illa verba, quæ Concilium ponit scilicet *credere, sperare, diligere, & pœnitere*, non sumi complexiuè, seu collectiuè, sed diuisiuè, seu copulatiuè, vt dixi, quia intentio Concilij non est definire illa Dei auxilia esse necessaria ad omnes hos actus simul sumptos, sed etiam ad eorum singulos: alioqui non esset de fide, ad credendum, vt sic, esse necessariam gratiam, & similiter, ad amandum, quod est manifestè falsum, vt constat ex toto discursu Concilij in tota illa sess. & ex aliis antiquioribus Arausicano, & Mileuit. & ex communi consensu Patrum & Theologorum. Igitur iuxta hanc definitionem Concilij actus pœnitentiæ talis est, vt sine gratia excitante & adiuuante fieri non possit: ergo est in se supernaturalis. Patet consequentia, quia actus naturalis fieri potest sine huiusmodi auxiliis: nam, licèt auxilium gratiæ possit esse vtile ad faciliùs efficiendum naturalem actum, non tamen est simpliciter necessarium, loquendo de singulis actibus, vt latè prim. secund. q. 109. artic. 2. & 3. Et explicatur vis huius rationis, nam, si actus pœnitentiæ quoad omnia intrinseca est naturalis, solumque dicitur esse supernaturalis per acceptationem extrinsecam Dei, id est, quia acceptatur à Deo, ergo ad eliciendum illum actum non requiritur Spiritus sancti inspiratio, eiusque speciale adiutorium, quod est contra definitionem Cõcil. Trident. Sequela probatur, quia homo potest suis viribus elicere illum actum, & quidquid intrinsecè in illo est: ergo ad hoc non requiritur illa inspiratio vel adiutorium. Rursus postquam homo suis viribus elicuit talem actum, Deus sua voluntate gratuita potest illũ acceptare, adeò vt Caiet. dicat, stante æquali operatione, & actione duorum hominum, Deum acceptare pro sua voluntate actum vnius vt sufficiẽtem dispositionem, & non alterius: sed ad hanc acceptationem non est necessaria inspiratio, vel adiutorium Spiritus sancti, quia illa acceptatio non est hominis operatio, ad quam illa auxilia requiri solent, sed est sola Dei voluntas extrinsecus acceptans; vnde illa acceptatio non est principium efficiendi actum, sed ordine naturæ supponit actum iam effectum: Eademque ratio est de informatione gratiæ, nam hæc solùm consistit in infusione habitualis gratiæ, quæ sanctificando personam, morali quodam modo dignificat, & sanctificat actum: & hoc modo dicitur informare illum. Ad hanc ergo informationem nihil noui operatur homo, sed iam passiuè se habet, supposita priori efficientia actus: ergo ad illam informationem non est necessaria gratia excitans, vel adiuuans: si ergo neque propter efficientiam ipsius actu necessaria est, non est cur sit necessaria.

Explicatur vis rationis.

Accedit contra vtramque sententiam: nam rogo ab Scoto, an actus pœnitentiæ acceptetur à Deo, seu informetur gratia, quia supernaturalis est; vel è conuerso ideò tantum sit supernaturalis, quia acceptatur à Deo, vel informatur gratia. Si primum, ergò supernaturalitas actus non consistit in sola acceptatione vel informatione extrinseca, sed est aliquid aliud, quod in actu supponitur, ratione cuius est acceptabilis, & proportionatus vt informetur gratia: illud ergo est aliquid intrinsecum actui. Sic secundũ, apertè repugnat Concilio, quia acceptari à Deo, vel informari gratia, non est aliquid, quod fieri à nobis debeat, sed à solo Deo, ergo in tali actu nihil est efficiendum, propter quod gratia excitans, vel adiuuans necesaria sit. Deinde Concilium ait, Si quis dixerit aliquem sine prædictis auxiliis gratiæ posse ita pœnitere, vt ei iustificationis gratia conferatur, errare in fide: ergo requirit auxilium ad actum illum, vt supponitur, ad collationem gratiæ: & est ratio, seu causa in suo genere ob quam gratia confertur. Hanc enim vim habet illa particula Concilij, *sicut oportet*, scilicet, in ipso actu aliquid fieri ex vi auxilij diuini, ratione cuius est sufficiens dispositio ad gratiam. Præterea est ratio euidens, quia aliàs actus pœnitentiæ prout est dispositio ad gratiam, esset

Argumentũ ad hominẽ contra Scotum.

Vrgetur.

Euidenter reiicitur.

actus merè naturalis, quia, vt ſic, antecedit informationem gratiæ, per quam ſolam conſtituitur in eſſe actus ſupernaturalis. Et ſimiliter talis actus ex ſola naturali dignitate eſſet acceptabilis Deo, quia ſolùm eſt ſupernaturalis quatenus acceptatur: ergo quidquid in illo ſupponitur vt acceptabilis ſit, eſt merè naturale. Hæc autē omnia non admittentur à Theologis Catholicis, quia Pelagianum ſapiunt errorem.

Scotus. Et ideò ipſe Scotus in 1.d.44.dixit, ideò poſſe peccatorē ſaluari, quia Deus poteſt eum ſua gratia præuenire; & in 4.d.22.q.vnica, ar.2.ait, hominē reſurgere à peccato, quia Deus dat illi gratiā ad reſurgendum, & videtur loqui de operante, & cooperante gratia.

Ad hominem contra Caiet. Simili modo argumentamur contra Caietanum, interrogādo an actus pœnitentiæ ſit ſupernaturalis quia procedit ab auxilio, vel è conuerſo, ideò ad illum ſit neceſſarium auxilium, quia ſupernaturalis, eſt. Si ſecundū, habemus quòd intēdimus, nā ſupernaturalitas actus non erit ſola relatio ad auxilium, ſed erit aliquid abſolutum in actu, ratione cuius requiritur auxilium. Et reuera Concilia ideò ad huiuſmodi actus requirunt auxilia gratiæ, quia vires liberi arbitrij ſunt imbecilles, & inſufficientes ad illos efficiēdos. Vnde ſi Caiet. eligat priorem partem, parum conſentaneè loquitur ad doctrinam Conciliorum, nam ſequitur, ad huiuſmodi actum non eſſe neceſſarium auxilium gratiæ, vt fiat in ſenſu diuiſo, ſed ſolùm in ſenſu compoſito, vt ab auxilio gratiæ procedat, eſſe neceſſarium tale auxiliū: quod abſurdum eſt. Cur enim exigeretur à nobis talis operandi modus, ſi actū æquè bonū per nos ipſos operari poſſemus? aut cur Concilia dicerent, abſolutè non poſſe nos noſtris viribus hunc actum efficere? Et præterea ſequitur ex ſententia Caiet. fieri poſſe, vt duobus hominibus elicientibus actum pœnitentiæ æquè perfectum in ſe, vni remittatur peccatum, & non alteri, ſolùm quia vnus facit actum per auxilium, & alius ſuis viribus, quod conſequens Caietanus cōcedit: mihi autem videtur valdè falſum: Tum quia eſſet magna improportio, & quaſi iniuſtitia quędam, quātùm hîc interuenire poteſt. Nam, ſi is, qui eſt deſtitutus auxilio, actum æquè perfectum elicit, ac alius cum auxilio plus facit quod in ſe eſt, quàm alius: ergo magis eſſet illi remittenda culpa. Maximè quia Scriptura æquè promittit remiſſionem omnibus verè pœnitentibus: in eo autem caſu tam verè pœnitet vnum, ſicut alium. Denique, iuxta ſentētiam Caietani, quòd ad hos actus ſit neceſſaria gratia, non eſt connaturale ipſis actibus, neque eſt propter aliquam neceſſitatem ex parte ſubiecti, ſed eſt propter ſolam extrinſecam legem Dei: hoc autem eſt præter omnem modum operandi diuinæ prouidentiæ, & præter omnem modum loquendi Conciliorum, & Patrum de neceſſitate gratiæ.

Durand. impugnatur Atque hæc argumenta procedunt etiam contra Duran. & eò fortiùs, quòd ipſe non requirit auxilium internum, & conſequenter non requirit inſpirationem in rigore ſumptam. Et præterea nec poteſt requirere intrinſecum auxilium adiuuans per modum cōcurſus ſupernaturalis: quia ad efficiendam naturalem entitatem, ſemper ſufficit naturalis concurſus, quæ ratio contra omnes dictas ſententias efficaciam habet. Relinquitur ergo, ex neceſſitate gratiæ ad hunc actum optimè concludi illud eſſe in ſe, & intrinſecè ſupernaturalem.

8. Pœnitentiæ actū eſſe ſupernaturalē in entitate probatur. Ex hoc verò vlteriùs concludo, quod in 3. p. concluſionis poſui, hunc actum eſſe ſupernaturalē in entitate, id eſt, in ſua eſſentia & ſpecie, ita vt talis actus eiuſdem ſpeciei fieri non poſſit ſine auxilio gratiæ excitante, & adiuuāte. Probatur, quia ſupernaturalitas iſtius actus eſt aliquid intrinſecū illi: ſed hoc nō poteſt eſſe modus aliquis vel accidens illius: actus eſt ergo entitas & eſsētia eius. Minor probari poteſt diſcurrendo per omnia, quæ in illo actu præter eſſentiam & entitatem eius, conſiderari poſſunt. Vnū eſt intenſio: at verò nulla intenſio certa, aut determinata neceſſaria eſt ad verum pœnitentiæ actum, etiam ad illum qui eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, vt infrà oſtendā: ergo ratione ſolius intenſionis, non poteſt actus dici ſupernaturalis, neq; propter eā ſolam cauſam poteſt gratia eſſe neceſſaria ad illū. Maximè, quia ſi intenſio ſit connaturalis actui, per eādem facultatē fieri poteſt, per quam ſubſtantia actus: ſi autem talis intenſio fingatur extraordinaria, & excedens naturā actus, illa nec requiritur, neque frequenter habetur à verè pœnitentibus: ergo ratione illius, neque eſt neceſſaria gratia, neq; actus eſt ſupernaturalis.

Pœnitentia nō eſt ſupernaturalis ratione intenſionis.

Alius modus huiuſmodi actus eſſe poteſt duratio eius, de qua eadem argumenta fieri poſſunt, quia nulla definita duratio neceſſaria eſt ad verum pœnitentiæ actum, etiam vt eſſe poteſt diſpoſitio ad gratiam, quod infrà oſtendemus: & prætereà eâdem virtute, qua homo elicit aliquem actum, poteſt in illo durare per aliquod tempus: & id ſatis eſt ad actum pœnitētiæ. Nam licèt ad extraordinariam, vel diuturnam perſeuerantiam in illo actu ſit etiam extraordinaria gratia aut virtus neceſſaria: hoc tamen impertinens eſt: quia huiuſmodi diuturna duratio ad virtutē, vel effectum pœnitentiæ neceſſaria non eſt.

Nec ratione durationis.

Denique dici poſſet modus talis actus extēſio eius ad plura obiecta, ſeu peccata, tamen iuxta vera principia Philoſophiæ, hæc extenſio non eſt aliud ab ipſa entitate indiuiſibili actus, quæ habitudinem habet ad talia obiecta. Et prætereà in præſenti actus pœnitentiæ habet extenſionem ad obiectum iuxta exigentiam motiui in quo fundatur, vt ſequenti ſectione exponam. Ex quo motiuo habet etiam ſuam eſſentiam, & ſpeciē: & ideò hic modus non eſt accidentalis, neque in re ipſa diſtinctus ab eſſentia, vel entitate ipſius actus. Præter hos autem modos nullus alius excogitari poteſt in actu, qui ſit illi intrinſecus, ſeu in illo inhærēs, à quo habeat actus quòd ſupernaturalis ſit: ergo hoc habet ex vi ſuæ eſſentiæ, & ſpeciei.

Necratione extenſionis.

Et ratio à priori ſumenda eſt ex eo quòd nunc dicebam, nimirū motiuum talis actus eſſe ſuperioris ordinis, & excedens omne naturale motiuum, actus autem eſſe debet proportionatus motiuo, ſeu obiecto formali, & ideo etiam eſt ſuperioris, & ſupernaturalis ordinis. Quod amplius explicabo reſpondendo fundamento contrariæ ſententiæ.

Ratioàpriori.

9. Fundamēto contrario ſatisfit. Ad fundamentum ergo ſuperiùs poſitum reſpondetur in primis, falſum eſſe per ſolum illum modum habitudinis, ſeu denominationis extrinſecæ, ſatis explicari doctrinam Conciliorum, & Patrum, vt ſatis à nobis oſtenſum eſt. Deinde dicitur, ex nulla ratione naturali colligi poſſe hunc actum eſſe in entitate ſua naturalem: quia, licèt voluntas virtute ſua naturali poſſet aliquo modo deteſtari peccatum, vt ſtatim dicam, non tamen omni modo, præſertim perfecto. Pœnitentia autem Chriſtiana, de quo agimus, eſſe debet perfectus actus, ſaltem in ſpecie, & in ordine virtutis. Nonnulli autem hanc perfectionem in hoc ſolùm ponunt, quòd voluntas ex parte ſua eleuatur ad altiorem modum operandi, quamuis ex parte obiecti nihil ſit, quod non poſſet efficaciter, & formaliter attingi per naturales actus voluntatis: nam circa idem omninò obiectum materiale, & formale, poteſt Deus eleuare voluntatem ad eliciendum actum ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, etiamſi voluntas circa illud idem poſſet naturalem actum efficere.

In quo ponant aliqui modū perfectè pœnitēdi.

Refellitur.

Sed hoc mihi non omnino probatur, tum quia, licèt fortaſſè id poſſit facere Deus, tamen non eſt conſentaneum naturis rerum: & conſequenter nun

nunquàm talis modus operandi exigitur secundùm ordinariam legem: tum etiam quia verius existimo, iuxta doctrinam Conciliorum, & Patrum in materia de Gratia, non posse aliquem operari perfectè circa obiecta supernaturalium actuum ex formalib. motiuis eorum sine auxilio gratiæ. Et ideò in præsenti dicendum est, dari in actu Christianæ pœnitentiæ motiuum adeò supernaturale, vt non possit voluntas suis viribus in illo solo fundata, efficaciter detestari peccatum: quale autem illud sit iam declaro.

Quid dicendum sit.

A

---

*Prima confirmatio soluitur.*

Respõdetur primæ confirmationi.

AD primam igitur confirmationem de virtute morali, dicendum in primis est, dari quendam actũ pœnitentiæ, id est, detestationis peccati, elicitũ à virtute Theologali, scilicet charitate. Et in rigore ad doctrinam fidei defendendam, & intelligendam definitionem Concilij Tridentini, sufficit confiteri, hunc actum esse supernaturalem: nam quando Cõcilia loquuntur de pœnitentia, non tractant de virtute illa speciali, quam vocamus iustitiam ad Deum: quòd enim detur talis virtus, non pertinet ad doctrinam fidei: tractant ergo de pœnitentia absolutè pro detestatione peccati, & præsertim de illa, quæ ad remissionem peccati disponit, ad quod maximè confert detestatio ex charitate. Hæc ergo supernaturalis est ex eodem motiuo, ex quo ipsa charitas, scilicet ex bonitate diuina, quatenus est in Deo, vt est finis supernaturalis ita excedens humanam naturam, vt non habeat cum illo naturalem connexionẽ, nec dependentiam, aut inclinationem: nam hinc prouenit, vt diligere hũc finem super omnia propter solam bonitatẽ suam, excedat vires humanæ naturæ: & inde etiam est, vt detestari peccatum efficaciter, & super omnia, solùm quia huic bonitati repugnat, sit supra easdem vires. Secũdò dicitur, probabilius esse, dari virtutes morales per se infusas: in quibus etiam potest assignari obiectum formale supernaturale ex conformitate ad supernaturalẽ rationẽ, seu legẽ, in qua semper fundantur proprij actus harũ virtutum. Quod clariùs apparet in virtute religionis, quæ aliquo modo attingit Deum ipsum. Vnde etiam illum respicit, vt supernaturalem finem, & cultum proportionatũ illi tribuit: pœnitentia autem vel est ipsa religio, vel in hoc æqualis & eiusdem rationis cum religione: nã etiam attingit Deum vt supernaturalem finem, à quo peccatum auertit: vnde aliquid supernaturale respectu illius efficaciter vult, scilicet recompensare offensam, & illã expellere, &c. Et ideò meritò Conciliũ Arausic. ita definit, hanc voluntatem esse supernaturalem, sicut voluntatem credendi. Petitur autẽ in illa cõfirmatione aliud dubium, quod in sequenti sectione commodiùs explicabitur.

Respondetur secundò eidem.

B

C

D

---

## SECTIO VII.

### *An detur aliqua pœnitentia naturalis.*

1 Pœnitentia requisita duplex.

DVOBVS modis solet accipi pœnitentia, vt in superioribus distinximus, scilicèt, latè & generatim, & prout habet specialem honestatẽ. Si ergo loquamur latè de pœnitẽtia, prout est generalis virtus, sic quælibet virtus sub propria ratione potest detestari peccatum sibi contrariũ: & ideò sicut datur virtus moralis acquisita, quæ potest elicere naturalẽ actũ virtutis: ita potest eadẽ virtus elicere naturalem detestationẽ, & odium vitij sibi cõtrarij. Hoc ergo modo clarũ est posse dari naturalẽ pœnitẽtiam. Et de hac naturali pœnitẽtia præcipuè videtur loqui August. lib. de Duab. anima-

D. Aug.

E

bus c. 14. & 15. cuius verba supra citauimus. Et de eadem loquitur Arist. 7. Ethic. c. 7. cuius verba etiã suprà retuli. Et fortasse in eodem sensu dixit Plato 9. de Legibus, sæpe aliquẽ noua peccata committere, quia non expiauit commissa.

Arist.

Plat.

At verò, si loquamur de detestatione peccati, quatenus offensa Dei est, difficiliùs est, an possit aliquo modo naturaliter haberi. Nã aliqui Theologi dubitant, an possit ratione naturali cognosci, nostris peccatis Deum offendi. Et partem negantem indicant Scot. in 4. d. 14. q. 3. & Durand. q. 1. qui consequenter aiunt, illam detestationem non posse haberi absolutè ex sola ratione naturali, quamuis supposita illa cognitione, vndecunque habeatur, dicant ex parte voluntatis detestationem illam posse naturaliter haberi. Mihi tamen probabilius videtur ratione naturali cognosci peccatũ esse offensionem Dei, vt est auctor gubernator, & finis naturæ. Quod sentit Vega lib. 13. in Tridentinũ, c. 25. & insinuat Tertull. lib. de Pœnit. cap. 5. dicens. *Ignorantes Dominum, nulla exceptio tueatur a pœna, quia Deus in aperto constitutus est, & vel ex ipsis rebus comprehensibilem ignorare non licet.* Vbi non loquitur tãtùm de cognitione Dei absolutè, sed quatenus nostris peccatis offenditur: hæc enim cognitio est quæ non excusat à propria pœna peccato debita. Fauet etiam D. Thomas superiori quæst. art. 7. vt ibi attigi in Commentario, & disp. 1. sect. 2. Ratio verò est, quia diuina prouidentia lumine naturali cognoscitur, & consequenter, Deum esse vniuersalem gubernatorem, & legislatorẽ: item cognoscitur, Deum esse finem vltimum naturalem hominis supra omnia diligendum, in cuius consequutione naturalis hominis beatitudo consistit. Ex his autem principiis non obscurè colligitur, Deum offendi peccatis hominũ, vel quia eius præceptum, & obedientia cõtemnitur. vel quia in ratione finis vltimi aliquid ei præfertur.

2. Quid depecato vt offensa Dei est.

Scotus.

Durand.

Ratione naturali cognoscitur peccatũ esse offensionem Dei

Vega.

Tertull.

D Thom.

Ratio reddi tur.

Hac igitur cognitione supposita, siue ex propria scientia, siue ex humana fide, & traditione comparetur, etiã potest homini naturaliter displicere peccatum commissum, ob hanc peculiarẽ rationem, quòd cedat in offensionem Dei. Probatur, quia etiam illa ratio mali est propter se detestabilis, imò & detestabilior quàm aliæ, cùm sit grauior cæteris: estque repugnans ipsi naturæ, & naturali rationi: ergo potest homo, per se loquendo, illam detestari actu naturali. Et confirmatur, ac declaratur, nam homo potest viribus naturæ diligere Deum vt finem vltimũ, & naturalem: ergo potest odisse quidquid contrarium est huic dilectioni: sed peccatum, vt sic, est contrariũ diuinæ dilectioni: ergo potest etiam dolere de peccato quatenus offensa Dei est. Qui enim amat aliquẽ, facile dolet quòd eum offenderit: & qui ad vnũ terminum accedit, eãdem virtute potest à contrario recedere. Qui ergò cognoscit peccatum esse contrarium Deo, qua virtute potest Deum diligere, potest etiam peccatum detestari.

3. Naturaliter potest homo detestari peccatum, vt est offensa Dei.

Ex quo colligitur, ita sentiendum esse de hac naturali detestatione peccati, & de proposito iterum non peccandi, eiusque efficacia & perfectione, sicut aliquis senserit de naturali dilectione Dei, vt est finis naturæ, nam eadem est vtriusque actus ratio, & eandem seruant inter se proportionem, quam similes actus supernaturales seruant inter se. Est autem probabile, posse hominem pro aliquo instanti, aut breui tempore diligere Deum auctorem naturę super omnia absoluto actu, & efficaci, quantùm est ex parte sui affectus, pro illo breui tempore: eodem ergo proportionali modo poterit detestari peccatũ, vt illi cõtrarium, quia obiectum totum naturale est, & cõsequenter etiã actus & causa eius: impedimenta verò, & difficultates, quæ possunt homini occurrere ad ta-

4. Primũ corollarium. Sicut amor Dei, ita detestatio peccati, & propositũ nõ peccandi naturaliter haberi potest.

lem actum eliciendum, nõ pro vnoquoque instanti, aut breui tempore occurrunt: & ideo simpliciter non repugnat huiusmodi actum elicere. Semper tamen habet huiusmodi actus duplicem imperfectionem, si intra limites purę naturę sistamus. Prima est cuiusdam inefficaciæ in ordine ad effectum, propter quã absolutè inefficax dici solet, quia talis amor, dolor, aut propositum per sese consideratum, & auxiliis gratiæ destitutum non potest esse constans, nec diu suis contrariis resistere, quia non potest homo suis viribus totam naturæ legem multo tempore implere. Secunda imperfectio, quæ ex hac nascitur, redundat aliquo modo in determinationem ipsius effectus, quatenus ipsamet perseuerantia, vel peccati carentia potest obiectiuè cadere in propositum voluntatis & virtualiter includi in odio seu detestatione peccati. Sic enim, nisi propositum illud nitatur aliquo modo in spe auxilij diuini, non potest omnino absolutè ferri in illud obiectum, quod homini secundùm se moraliter impossibile est: spes autem talis auxilij supernaturalis est: & ideò ex hac parte detestatio peccati ex auxilio gratiæ perfectior est, magisque absoluta: illa verò quæ naturalis est, aliquo modo est imperfecta, quamuis continere possit absolutum odium peccati, includens propositum cauendi illud, quantùm est ex parte sua, id est, conandi, & faciendi quod potuerit, ad vitandum peccatum.

Semper tamen cum duplici imperfectione. Prima. Secunda.

5. Secundum corollariũ.

Hinc verò vlteriùs colligi videtur, posse hominẽ stando in pura ratione naturali, postquàm peccaui, & Deum offendit, habere etiam naturale desideriũ placendi Deo, & expellendi à se peccatum, præsertim si intelligeret, se non posse consequi suam naturalem beatitudinem in statu peccati existentem. Quia cùm naturaliter appetat esse beatus, naturaliter etiã desiderare potest, impedimẽta beatitudinis auferri. Item quia si quis hominem offendit ex naturali inclinatione, & honestate, appetit placare illũ: multò ergo magis Deum, si eius offensio cognita sit. Item, quia, si homo naturaliter cognoscit prouidentiam Dei, cognoscit etiam peccatorum vindictam: ergo vel hac ratione desiderabit habere Deum placatum. Vnde fit vt his etiam rationibus, & motiuis induci possit ad naturale odium peccati, ac detestationem eius.

6. Obiectio.

Dices, Non potest homo naturaliter cognoscere, esse sibi possibile placare Deum offensum: ergo neque potest id appetere, neque ob eã causam detestari peccatum. Antecedens patet, tũ quia nullum mediũ cognoscitur per naturalem rationem, quo possit homo placare Deum offensum: tale enim medium non potest esse naturæ, sed gratiæ, & ideò non potest esse naturaliter cognitum: etiam quia aliàs etiam spes cõsequendi veniam peccati commissi esset actus naturalis, quod repugnat non solùm D. Thom. q. præcedenti, art. 7. ad 1. sed etiam Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 4. vbi ait, pœnitentiam cum spe veniæ, esse Spiritus sancti donum.

7. Soluitur.

Respondetur: Si sit sermo de venia peccati, quæ verè tollit culpam, & restituit hominem in Dei gratiam, & beneuolentiam, non oportere, vt homo per lumẽ naturæ cognoscat, huiusmodi veniam esse possibilem, aut datum esse aliquod medium ad illam obtinendã: nihilominùs tamen, vt bene notat Ledes. 1. p. quarti, q. 26. art. 1. non repugnat, cognoscere, vel potiùs suspicari, posse Deum remittere peccati pœnã & consequenter etiam tollere debitum eius per moralẽ condonationem, nihil cognoscendo de ordine gratiæ. Et similiter coniectare posset homo, nullum esse medium magis accommodatũ ad hanc remissionem obtinendam, quàm sit detestatio, ac dolor peccati commissi: quo modo etiam Ouidius in libr 1. de Ponto, de suis Diis dixit:

Ledesm. Ouid.

*Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt,*
*Dum bene peccati pœnituisse vident.*

Vnde quòd attinet ad spem, dicendum est, spem veniæ supernaturalis, per gratiæ, & iustitiæ restitutionem non posse cognosci aut haberi lumine, aut viribus naturæ. Addo etiam, illius imperfectæ veniæ non posse haberi certam spem, quia hæc fundatur in verbo, & promissione Dei, quę non potest lumine naturali cognosci. Sed de hac re latiùs agitur in 1. 2. q. 109. vbi differitur, & quàm efficax possit esse ille actus, & quantùm valere possit ad remissionem peccati, vel nunc, vel in statu puræ naturæ.

8. Occurritur tacitæ obiectioni.

Nec verò doctrina hæc repugnat dictis in præcedenti sectione (vt in quadam obiectione, seu confirmatione ibi relicta opponebatur) quia motiuũ detestandi peccatum non tantum naturale, sed etiam supernaturale esse potest: & illud quod supernaturale est excellentius est, & efficacius ad conuertẽdam voluntatem, & omnem peccati malitiam detestandam. Est autem minùs proportionatum imbecillitati humanæ naturæ, eò quòd supernaturalis regula, & finis etiam, ac legislator supernaturalis, naturam excedãt, & cum illa non habeant necessariã connexionem, & multa complectantur, quæ impossibilia sunt per naturę vires: & ideò, sicut perfectus amor charitatis supernaturalis est, ita etiam perfectus dolor pœnitẽtiæ. Hinc verò facilè etiam euitatur inconueniens, quod suprà inferebat Caietanus de certitudine iustificationis. Vt enim iustificatio sit incerta, satis est, quòd possit dari aliquis naturalis actus pœnitẽtiæ. Eò vel maximè, quòd de ipsis etiam actibus naturalib. vix potest homo certũ iudicium ferre, qua ratione aut motiuo præcipuè fiãt: vnde multò minùs potest perspicere qualitatem, ac modum, & gradũ sui actus seu dispositionis. Itẽ, quia de ipsomet actu supernaturali incertum est, quando, & quomodo ad remissionem peccati sufficiat, vt videbimus disputatione sequente.

## SECTIO VIII.

### *Vtrùm verus pœnitentiæ actus esse debeat vniuersalis de omnibus peccatis.*

1. Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi est, quia voluntas nihil amat, nec detestatur, nisi quod illi per actualem cognitionem proponitur: sæpe autem exercet homo actum pœnitentiæ, non cogitans de omnibus peccatis, sed de vno, vel altero tantùm, vt experientia constat: ergo. In contrarium est, quia vera pœnitentia auertit voluntatem simpliciter à peccato, & inde est, vt non possit vnum peccatum sine alio tolli: ergo non potest vnum sine alio displicere: ergo vera displicentia peccati ex pœnitentia, necessariò est de omnibus peccatis.

2. Duplex potest esse vniuersalis detestatio peccati. Caiet.

Duobus modis intelligi potest, detestationẽ peccati esse vniuersalem, scilicet formaliter, vel virtualiter. Formaliter voco quando ad talem detestationem antecedit in intellectu recognitio peccatorum omnium, siue illa distincta sit per expressam propositionem singulorum peccatorum, siue confusa, ita tamen vt formalem distributionem contineat. Virtualiter autem erit dolor vniuersalis, quando, licèt peccatum, de quo cogitatur, particulare sit, ratio tamẽ detestãdi illud est sufficiens ad auertendã voluntatẽ ab omni peccato. Solet quidẽ citari Caiet. quòd vniuersaliter neget, posse affectũ cõtra peccata esse vniuersalẽ, nisi peccata ipsa distinctè recogitentur, vel saltem cõfusè, & vniuersaliter quod sumi posse videtur ex tom. 1. Opusc. tracta. 4. q. 2. in fine. Sed ibi non declarat,

rat, qualis possit esse, vel necessariò sit actus pœnitentiæ secundùm se consideratus, sed quam vniuersalitatem requirat ad rationem contritionis, & dispositionis ad gratiã, quod posteà tractaturi sumus. Loquendo ergo absolutè de actu pœnitentiæ, nõ videtur dubium, quin sit capax huius vniuersalitatis virtualis ratione obiecti formalis. Cuius signum erit, si ex vi detestationis peccati, sub tali ratione voluntas ita maneat affecta, vt impossibile sit, cum tali detestatione simul esse actualem complacentiam alterius peccati, etiamsi specie diuersum sit. In quo est etiã distinguendum de peccato veniali, & mortali: est enim de illis diuersa ratio, vt videbimus. Est etiã distinguendũ de ratione, aut motiuo detestandi, an sit vniuersale, aut particulare, quas voces suprà declarauimus. Ac denique distinguendum est de pœnitentia generatim sumpta, vel specialiter pro virtute speciali.

3. Secunda cõclusio.

Primò igitur certum est, non omnem actum pœnitentiæ esse formaltier vniuersalem ex parte obiecti actu cogitati. Hoc conuincit prima ratio dubitandi proposita. Deinde certum est, non omnem veram detestationem peccati esse vniuersalem virtualiter. Nam quoties motiuum est particulare, & pertinens ad determinatam virtutem, detestatio non extenditur, etiam virtualiter, ad peccata contraria aliis virtutibus. Facilè patet exemplis, nam qui detestatur, v.g. adulterium propter propriam turpitudinẽ eius, non propterea odio habet furtum, imò cum illa detestatione potest simul esse propositum furãdi: & ita est in aliis. Ratio verò est, quia illa vitia nec sunt cõtraria tali virtuti, neque habent necessariam connexionem cum illo motiuo detestandi.

## ASSERTIO III.

DIco tertiò, Quando ratio detestandi aliquod peccatum est communis omnibus mortalibus peccatis, & omninò similis, & eiusdẽ rationis cũ illis, tũc licèt detestatio peccati sit particularis formaliter, & in obiecto materiali, nihilominùs est vniuersalis virtualiter, & simpliciter auertit voluntatem ab affectu mortalis peccati. Hoc sumo ex D. Thom. q. sequente, a. 3. & rationem insinuat, quia vbi est eadem ratio, est idem effectus.

4. Declaratur primò ex assensu fidei.

Declarari autem potest in primis à simili, ex assensu fidei; nam licèt interdum versetur circa definitam aliquam veritatem: si tamen sit ex puro motiuo fidei, semper est vniuersalis virtualiter, id est, includens hunc affectũ ex parte credentis, nimirũ, illũ esse paratũ ad credendum quancunque aliam veritatem sub illo motiuo sufficienter propositam: quia motiuum est omninò idem in omnibus particularibus obiectis materialibus: & in eo talem habẽt cõnexionem omnes illæ veritates particulares, vt non possit vna negari, quin destruãtur omnes. Quod à contrario etiam explicatur, quia propter hanc causam non potest aliquis vera fide credere vnum articulum, si alium sufficienter propositum neget: idem ergo erit, quoties motiuum simile fuerit.

5. Declaratur secundò ex propria materia.

Secundò declaratur in propria materia: nã qui detestatur vnum peccatum mortale propter timorem æternæ pœnæ, necesse est, vt virtute detestetur omnia mortalia, quia per quodlibet incurritur æternæ pœnæ reatus: & per vnum contrahitur non minùs quàm per omnia, quamuis quoad grauitatem, & intensionẽ pœnæ non sit æqualitas: quo modo intelligi

Iacob. 2. potest illud Iacobi 2. *Qui in vno offendit, factus est omnium reus.* Similiter, qui detestatur vnũ mortale, quia est ita contrarium charitati, vt dissoluat amicitiam cũ Deo, virtute detestatur omnia, quia in omnibus est malitia, seu auersio similis quoad illam rationem. Ex quibus exemplis potest duplex formari ratio. Prima est, nam qui efficaciter intendit aliquem finẽ, virtute & implicitè vult media necessaria ad illum finẽ: & è conuerso, qui efficaciter odio habet aliquod malum, & intendit omninò fugere illud, virtute vult vitare quidquid inducere potest tale malum: quia voluntas efficax secum affert executionem, quãtum est in potestate volẽtis: sed in præsenti qui detestatur vnũ peccatum efficaciter propter aliquod ex dictis motiuis vniuersalibus, intendit absolutè vitare tale malũ formaliter; vt qui detestatur furtum propter metum gehennæ, absolutè intẽdit vitare pœnã æternã, & sic de cæteris: ergo virtute vult vitare omnia, quæ inferunt talis pœnæ reatum. Secunda ratio est, quia hoc motiuum est (vt ita dicam) totum in singulis, & totum in omnibus peccatis, & omnia peccata talem habent connexionem, respectu illius, vt non possit illud odio haberi absolutè, nisi in singulis, & omnib. peccatis odio habeatur: sed per veram detestationem alicuius peccati propter tale motiuum, perfectè, & absolutè odio habetur ipsummet motiuum: ergo in illo virtute displicent omnia peccata, quæ induunt talem rationem mali.

Probatur ratione. 1.

2.

## ASSERTIO IV.

*Actum pœnitentiæ specialiter sumptæ esse virtualem detestationem omnium mortalium.*

ATQVE hinc possumus quartò probabiliter concludere, actum pœnitẽtiæ specialiter sumptæ, vt est quædam iustitia ad Deum, si sit perfectus, absolutus, & efficax, esse virtualem detestationem omnium mortaliũ, etiamsi expresè circa vnum tantùm versetur. Probatur ex præcedente assertione, nam motiuũ huius virtutis, vniuersale est omnibus peccatis mortalibus, & est eiusdẽ rationis in omnibus illis, quatenus omnia, & singula continent grauẽ offensionem, & iniuriam Dei, quã hæc virtus detestatur: ergo detestando vnũ peccatum præcisè propter vitandam hanc iniuriam, virtute detestatur homo cætera. Et confirmari potest, nam si quis non doleat expresè de omnibus peccatis, nec materialiter de vno, vel alio, sed indefinitè doleat solùm quòd offenderit Deum propter malitiam talis offensionis, ibi virtute dolet de qualibet offensione, quia non est minor ratio de vna, quàm de alia: ergo qui detestatur aliquod peccatum propter diuinam offensionem præcisè, virtute detestatur omnia, quia per illum actum simpliciter, & absolutè dolet de ipsa diuina offensione.

6.

7. Cõtra quartam assertionem opinatur Medina.

Contra hanc verò assertionem opinatur Medina in codice de Pœnit. tractatu 1. q. 12. art. 2. in quadam solutione ad 2. vbi quadã distinctione vtitur, dicens; aliud esse dolere de peccato, quatenus offensa Dei est: aliud, quia offensa Dei est: & in priori modo admittit conclusionem à nobis positam, non verò in posteriori: quia in priori modo per illam reduplicatiuam denotatur, dolorem illum virtualiter haberi de omnibus peccatis, saltẽ confusè, & in genere: in posteriori autem modo solùm inducitur causa, ex qua non satis colligitur virtualis detestatio omnium peccatorum. Ratio autem est, quia in voluntate, præter rationem quæ est ex parte obiecti, concurrit libertas voluntatis: ex qua sola prouenire potest, vt existente eâdem ratione operandi circa duo obiecta, venit vnum, & non aliud. Ergo, quamuis voluntas ex sua libertate amet, vel odio habeat aliquod obiectum quia tale est, nõ sequitur, quòd velit omnia, quæ talia sunt, quia licèt ex parte obiecti illa sit causa, tamen

simpliciter non est causa totalis sic volendi, cum vna ex præcipuis causis sit libertas ipsius voluntatis. Exemplis cõfirmatur. Quod his exemplis confirmat, nam possum velle aliquid operari, quia est consentaneum rationi: ex quo non sequitur, vt velim operari quidquid est rationi consentaneum, quia sum liber ad volendum vnum, & nõ aliud. Item possum velle aliquid facere, vt Petro inferam iniuriam: nec propterea cogor, vt velim omnẽ iniuriã facere Petro. Item non sequitur, Lego Francisco centum, quia filius meus est: ergo cuilibet filio lego centum. Nec sequitur, Video Ioannem, quia est mihi præsens: ergo video omnes mihi præsentes. Ergo similiter non sequitur detestor furtum, quia offensa Dei est: ergo detestor omnem Dei offensionem.

8. Quæ difficultates oriantur ex Medinæ sẽtentia.

Sed in hac sententia difficilis est ad explicandum illa distinctio de propositione reduplicatiua, & causali ad rẽ præsentem applicatiua, quia omnis propositio reduplicatiua denotat causam, & rationem ob quam tale prædicatũ subiecto cõuenit. Vnde semper potest in causalẽ resolui, seu per causalem explicari, vt, si homo est risibilis, quatenus est rationalis, rectè etiam dicitur esse risibilis, quia est rationalis. Ergo quoties homo detestatur peccatum, quatenus offensa Dei est, verè etiã ac propriè dicetur detestari peccatum, quia offensa Dei est. Hæc autem causalis propositio non indicat, neque in præsenti materia indicare potest aliam causam nisi rationem formalem obiecti, & proprium & adæquatum motiuum detestandi peccatum: alioqui actus ille, cuius causa assignatur, non erit verus pœnitentiæ actus: nam de ratione huiusmodi actus est, vt ex illo motiuo adæquatè eliciatur. Alioqui si causalis illa non indicat huiusmodi causam motiuam, sed conditionem sine qua non, aut quispiam simile, oportebit, actum illum habere aliud obiectum formale, & ita non erit actus pœnitentiæ, de quo loquimur. Quocirca vel duæ illæ propositiones in præsenti materia eundem sensum referunt: vel illa causalis non explicat propriam causam actus pœnitentię, ratione cuius dicimus, esse virtualem displicentiam omnium peccatorum.

9. Primum notabile pro responsione.

Vt verò respondeamus ad rationem in oppositũ, & ad omnia exempla, aduertendum in primis est, nos nõ dicere, eum qui vult aliquod obiectum sub ratione vniuersali adæquata, ex necessitate velle formaliter omnia similia obiecta, sed virtualiter tantùm. Quamuis autem libertas voluntatis possit conferre ad volendum formaliter vnũ obiectum, & non aliud, non tamen potest separare virtualem inclusionem vnius in alio, & cõsequenter nec separare potest virtualem volitionẽ vnius à formali volitione alterius, quam habere supponitur ex libertate sua. Vt, potest voluntas pro sua libertate efficaciter intendere finem, & non velle formaliter aliquod medium, non tamen potest non velle virtualiter media, si intendit efficaciter finem. Et propter hanc causam exempla quæ afferuntur, non sunt ad rem, præter alias, quas statim declarabimus. Deinde est considerandum, nos loqui de causa adæquata, & præcisa, ratione volendi aliquod obiectum, nam si illa est omninò eadem in omnibus particularibus obiectis, fieri non potest, moraliter loquendo, vt voluntas vnum eorum velit, & alia nolit actu positiuo, & repugnãte: quod maximè verum est, quando illa ratio talis est, vt in ea quodammodò connectantur omnia materialia obiecta, in quibus illa ratio reperitur. Primũ horum declaratur in illo exemplo de patre legãte vni filio centum, nã si illi singulariter ea legat, reuerà præcisè, & adæquatè non mouetur ex eo quòd filius eius est, sed ex eo quòd talis filius est, seu quia cum conditione filij coniunguntur aliæ, quæ plus moueat ad legandum illi, quàm aliis. Quod si quis fingat, nullam omninò esse rationẽ ex parte obiecti, quæ mouere possit præter rationem filiationis, & est sola libertate determinari volũtatem patris ad vnum potiùs quàm ad alium, illud certè moraliter non potest accidere, saltem in hominibus: & adhuc illo casu admisso, tunc non est sola filiatio adæquata ratio volendi, sed cùm illa coniungitur affectus ad vtendum propria libertate, & dominio suorum actuum, & rerum suarum. Sed quidquid sit de illo primo puncto, nos non consideramus hìc solam conuenientiam omnium obiectorum materialiũ in eodẽ formali, sed maximè connexionem eorũ in eodem indiuisibili motiuo formali, ad quod voluntas simpliciter & absolutè afficitur, vel à quo auertitur per actum efficacem, vt constat in exemplis positis de obiecto formali fidei, & de voluntate assentiendi primæ veritati, vel dissentiendi ab aliqua re testificata à prima veritate. Idem est in primario obiecto charitatis, & in efficaci amore Dei super omnia, quatenus connexionem habet cum obseruatione mandatorum: & in vniuersum de intentione finis, quæ virtute continet media necessaria. Sic ergo detestatio, cuiuslibet peccati mortalis ex hac præcisa ratione, quòd est grauis iniuria Dei, vel quia hominem à Deo separat continet in se absolutum & efficax odium diuinæ offensionis vt sic, & nisi hoc habeat, non erit proprius actus pœnitentiæ, de quo agimus: cum illo autem obiecto habet intrinsecam cõnexionem detestatio cuiuslibet peccati mortalis, & ideò virtualiter in illo actu continetur: nec per arbitrij libertatem potest excludi hæc virtualis continentia, vt iam declaraui, quamuis possit voluntas pro sua libertate propositum mutare, & post illum detestationis actum in aliquo alio peccato complacere: sicut potest etiam iterum reuerti ad illud idẽ peccatum, quod formaliter detestata est. Oportet enim in hac materia attentè considerare, aliud esse loqui de his actibus pro diuersis temporibus, aut pro eodem: nam priori modo clarum est, posse voluntatem nunc virtuale habere odium, imò & formale omnium peccatorum, & paulo pòst complacere in aliquo: nam hoc nascitur ex mutabilitate voluntatis.

Si ratio detestandi vnũ mortale est adęquata, nõ potest volũtas pro eodẽ tempore cõplacere in aliquo.

At verò pro eodem tempore, si ratio volendi, vel nolẽdi sit adæquata, & habeat vniuersalitatem suprà positam, & operans non ignoret efficaciam illius rationis, fieri non potest, vt voluntas dum vnum obiectum odio habet sub tali ratione, simul aliud amet, quia libertas voluntatis non sufficit, vt simul habeat repugnantes actus: illi autem repugnant: vt ostensum est. Possumusque ad hominem argumentari contra Medinam, nam si quis homicidium, aut periurium commisit, & posteà est omnino oblitus periurij, censetur sufficienter detestari omnia peccata sua, si homicidium detestetur, quia offensa Dei est, vt infrà ostendemus, & ipse Medina fatetur q. 3. circa finem: quamuis significet, rationem esse, quia de peccatis oblitis nulla pœnitentia necessaria est, quod omninò falsum esse infrà ostendam. Ratio ergo est propter continentiam virtualẽ in formali motiuo: quòd sicut vniuersale est per informationem, & connexionem, ita vniuersalitatem quandam actui tribuit.

Argumentũ ad hominẽ contra Medinam.

Secundum notabile.

Ad primum ergo exemplum respondetur, illud motiuum volendi, vel operandi aliquid, quia est cõsentaneum rationi, accipi posse, vel prout dicit conformitatem ad rationẽ in determinata materia, scilicèt iustitiæ, vel temperãtiæ: & tũc nõ licet argumẽtari ad alios dissimiles actus, vel materiam, vt per se cõstat. Vel sumi potest secundùm præcisam, & absolutam rationẽ boni honesti, vt sic, ex eo solùm quòd est rationi consentaneum. Et ex tali modo operandi rectè colligi potest virtualis inclusio, saltem quantum

10. Primo exemplo Medinæ fit satis.

tum ad hoc, vt stante illo efficaci actu, non possim velle aliquid turpe, & rectæ rationi contrarium, & consequenter, vt virtualiter velim quidquid ad rectitudinem rectæ rationis simpliciter necessarium est, quamuis necesse non sit, vt velim ea omnia, quæ sunt rationi conformia, si alioqui non sunt necessaria ad rectitudinem rationis, quia illa non sunt necessario connexa cum illa priori intentione. Ad alia verò exempla non est necessarium sigillatim respondere, quia in eis, vel non assignatur propria ratio, & causa operandi, vel non talis, vt cætera omnia habeant in illa necessariam connexionem.

## ASSERTIO V.

*Detestationem mortalium propter motiuum commune illis non semper esse virtualem venialium.*

11. QVINTO addendũ est, & sequitur etiam ex dictis, detestationem mortalium peccatorum propter motiuum commune omnibus illis, non semper esse virtualem detestationem venialium peccatorum. Patet primò, quia cum tali detestatione potest esse actualis voluntas peccandi venialiter, & ideò possunt etiam mortalia remitti sine venialibus. Ratio denique est, quia peccatum veniale non continet in se motiuum illud, vt v.g. si motiuum sit timor inferni, peccatum veniale non est dignum pœna æterna: si sit verò diuina charitas seu amicitia, peccatum veniale non dissoluit illam.

Ratio.

12. Obiectio cõtra superiorem cõclusionem. Hinc verò nascitur obiectio contra superiorem conclusionem, quia sicut veniale peccatum est in hoc dissimile mortali, ita mortalia inter se sunt dissimilia, & inæqualia, etiã in ratione diuinæ offensionis, nam vnum est grauius alio: ergo potest voluntas specialiter detestari vnum peccatum grauissimum quatenus est talis offensa Dei, & tam grauis: & tunc per illum actum nec formaliter, nec virtute detestabitur alia leuiora peccata, quia non sunt similia in adæquata ratione nolendi: & tamen ille actus est pœnitentiæ, quia non est alia virtus ad quam pertineat: ergo non semper actus pœnitentiæ est virtualis detestatio omnium mortalium peccatorum.

13. Enodatur. Respondetur primò, probabiliter concedi posse totum quod in argumẽto sumitur: nec propterea cõcludet contra præcedentem assertionem, in qua agimus de actu perfecto pœnitentiæ: hic autem actus, qui non respicit formalem rationem mortalis offensionis Dei, sed præcipuè nititur in excessu, seu grauitate talis offensionis, & valdè imperfectus, ita vt vix

Alio modo soluitur. mereatur pœnitentiæ nomẽ. Vnde dicitur secundò, probabilissimum esse, nõ posse dari actum veræ pœnitentiæ, qui versetur circa mortale peccatum, & solùm detestetur illud propter peculiarem grauitatem, quam habet, & non principaliùs propter ipsam rationem mortalis offensionis. Quod quidem certius mihi videtur de actu detestationis, qui ex charitate procedit, nam cùm charitas sit amicitia ad Deum, primò ac per se detestatur quidquid hanc amicitiam dissoluit, quod est commune omni peccato mortali, vt sic. Deinde etiam in illa detestatione, quæ est ex metu æternæ pœnæ, est hoc satis clarum, quia nullus fugit pœnam æternam primò ac per se propter intẽsiuam, seu accidẽtalem grauitatem, sed propter æternitatem pœnæ, & quia perpetuò priuat beatitudine. De alia verò detestatione, quæ est ex motiuo iustitiæ, est hoc minùs certum, tamen etiam est valde probabile, quia id quod est præcipuum in omni peccato mortali, est quòd contineat talem Dei iniuriam, quæ sufficiens sit ad aduertendum hominem à Deo, & constituendum alium vltimum finem, quantùm est in hominis affectu: & ideò illa virtus iustitiæ primò ac per se hoc respicit, reliqua verò, vt accidentaria: seu secundaria, & ideò quoties homo in detestando peccato præcipuè mouetur ex grauitate particulari alicuius peccati mortalis, signum est, non moueri ex puro motiuo iustitiæ, sed ex aliquo alio incommodo vel ratione priuata: quod, saltem moraliter & regulariter loquendo, verum esse censeo.

## ASSERTIO VI.

*Pœnitentiam venialium virtute continere pœnitentiam mortalium.*

14. VLTIMO dicendum est, pœnitentiam venialis peccati ex eo præcisè quòd offensa Dei est, virtualiter continere pœnitẽtiam mortalium. Probatur primò, quia fieri non potest, vt qui actualiter ita detestatur veniale, habeat complacentiam in mortali. Deinde, quia qui efficaciter vult non retardari à fine consequẽdo, à fortiori implicitè vult non auerti à tali fine: sicut qui efficaciter fugit ægritudinem, à fortiori fugit mortem, quantùm est ex vi illius actus. Et qui efficaciter odio habet pœnam temporalem, multò magis æternam: & qui odio habet remissionem virtutis, multò magis amissionem: peccatum autem veniale impedit feruorem charitatis: mortale autem tollit charitatem: ergo. Dices, Malitia vel offensio venialis Obiectio. peccati est diuersæ rationis à malitia mortalis: ergo non est cur detestatio vnius virtute contineat detestationem alterius. Respondetur, negando consequentiam, quia illa duo habent inter se subordinationem quandam, & analogiam, ita vt veniale in ordine ad mortale, vel per quandam participationem eius habeat rationem offensionis: & ideò in detestatione illius à fortiori continetur implicitè seu virtualiter detestatio alterius. Vnde tandem fit, non esse idem de venialibus peccatis inter se collatis, quia nõ habent inter se talem habitudinem: quare etiam potest vnum sine alio remitti, etiamsi simul sint, cùm tamen veniale non possit sine mortali, iuxta probabiliorem D. Thom. sententiam. Soluitur.

## SECTIO IX.

*Vtrùm actus pœnitentiæ sit detestatio peccati supra omne aliud malum.*

1. De diuisione mali in malum culpæ, & pœnæ videri potest dis. 11. Met. SVPPOSITA vulgari distinctione mali, in culpæ, & pœnæ, duplex comparatio hîc fieri potest. Vna est inter detestationem peccati & mali pœnæ, alia inter peccata, seu mala culpæ inter se: & de priori breuiter dicam in hac sectione, de posteriori autem in sect. seq. aduertendo, malum pœnæ non debere hîc sumi formaliter cum relatione ad culpam, propter quam solet pœna inffligi, sed absolutè, pro detrimento illo seu incommodo, quod per pœnam infertur.

2. Malum culpæ detestabilius malo pœnæ. D. Thom. Deinde sumo tanquàm certum, malum culpæ de se detestabilius esse malo pœnæ. Ita D. Thom. 1. p. q. 48. art. 6. & secunda secundæ, q. 19. ar. 1. & alij Theologi

Bonauen. Palud. Alens. Petr. Sot.

logi communiter in 4. Bonauēt. d. 16. art. 2. q. 1. Palud. A d. 17. q. 1. art. 6. Alens. 4. p. q. 68. membr. 1. art. 6. & Petrus Soto lect. 4. de pœnitentia, in Institutione sacerdotum. Et ratio est, quia malum culpæ est malum simpliciter; malum pœnæ secundum quid: nam illud repugnat Deo secundùm se, & rectæ rationi; hoc verò per se non est contra rectam rationem, estque solùm incommodum ipsi homini. Vnde fit, vt malum pœnæ eligi possit, & debeat ad vitādum malum culpæ; è conuerso autem nullo modo: nam sicut Paulus

Ad Rom. 3.

ait ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona:* ita non sunt facienda mala culpæ, vt vitentur mala pœnæ, aliàs culpa iam non esset culpa, quia iam esset licita.

3. Obiectioni occurritur.

Dices, Interdum licet furari ad vitandam mortem, vt in extrema necessitate. Respondetur, id non B esse furtum, sed vti iure proprio, quod vnusquisque habet ad vsum rerum in articulo illius necessitatis. Vnde est valdè aduertendum, aliquando propter vitandum temporale damnum, licitum esse facere id, quod aliàs esset malum, & contra præceptum, propterea quòd tunc tollitur malitia, vel quia illud erat malum, solùm quia prohibitum, & pro tunc cessat prohibitio: quo modo licet omittere sacrum in die festo propter vitandum periculum mortis: vel quia tunc obiectum actus moraliter mutatur, vt in dicto exemplo de casu extremæ necessitatis: in quo bona alioqui propria, fiunt communia quoad vsum: at verò, si actus sit per se malus, & semper retineat idem obiectum, nunquàm potest fieri propter vitandum malum pœnæ, vt non licet mentiri propter vitandam mortem.

4. Replica.

Dicet aliquis, esto hæc vera sint de malo temporali, non verò de malo æternæ pœnæ, nā in hoc nunquàm est eligibile, etiam comparatione mali culpæ. C

Quorumdā responsio. Durand.

Aliqui putant, ita esse limitandam doctrinam positam, & tribuunt Durando in 4. d. 17. q. 5. ille verò solùm ait, comparationem illam non esse prudentem, neque faciendam secundùm rectam rationem: quia malum æternæ pœnæ nunquàm est eligibile propter

D. Thom.

vitādam culpam. D. Thomas autem quodlib. 1. art. 9. simpliciter docet, malum culpæ detestabilius: esse malo æternæ pœnæ: addit verò, illam comparationem in particulari non esse faciendam, propter periculum, & fragilitatem hominis.

5. Germana solutio.

Et quidem illud prius simpliciter verum est, nam rationes tactæ æquè procedunt de hoc malo, & quia peius est, esse dignum pœna quàm pœnam pati: pro- D pter malum autem culpæ fit homo dignus æterna pœna. Quod verò attinet ad comparationem illam exercendam, verum quidem est, in ordine ad absolutam electionem nunquàm posse malum æternę pœnæ eligi propter vitandum malum culpæ, quia nunquàm potest esse medium ad illum finem accommodatum, saltem secundùm legem ordinariam, quidquid sit de potentia absoluta. At verò in ordine ad simplicem, seu conditionatum affectum, quamuis illa comparatio consulenda non sit, præsertim hominibus infirmioribus, & fragilibus, tamen simpliciter non est mala, & in homine perfecto potest esse vtilis ad ponderandam grauitatem culpæ, & explicandum

Anselm.

affectum odij circa illam. Vnde illam reperio in Anselmo lib. de Similitud. c. 190. dicente: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & vni eorum necessariò haberem immergi, potiùs me in gehennam immergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim à peccato purus infernum intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Et ita sen- E

Ratione illustratur.

tiunt Theologi superiùs citati. Et ratione declarari potest, quia si per possibile, vel impossibile alterutrum necessariò eligendum esset: scilicet, vel culpa vel æterna pœna, quantùm ad id præcisè quòd pœna est, eligenda potiùs esset pœna, quàm culpa propter rationem tactam, quòd culpa est contra Deum, pœna tantùm nocet homini. Etenim, licèt pœna inferat verum nocumentum homini, culpa verò non inferat reale nocumentum Deo, tamen quodlibet detrimentum proprium eligendum potius esset, quàm quælibet iniuria vel offensio Dei: imò & quàm ipsa turpitudo mali moralis, quatenus est honestati, & rectæ rationi contraria. Cuius rei optimum argumentum illud est, quod hæc facit dignum pœna: peius autem est, esse dignum pœna, quàm illam sustinere.

6. Alia obiectio.

Dices, Imprudentem & inutilem esse illam comparationem, quia inuoluit repugnantiam, quòd occurrat necessitas eligendi malum culpæ propter vitandam æternam damnationem, cùm potiùs ipsum malum culpæ faciat dignum æterna damnatione: neque è contrario eligere malum æternæ damnationis, potest esse medium ad vitandum malum culpæ, cùm potiùs timor & fuga illius pœnæ auertat volūtatem à culpa, eò quòd illa sola possit esse causa talis pœnæ. Quòd si quis dicat, hæc quidem esse vera ex natura rei, Deum autem posse hominem in eo articulo necessitatis constituere, scilicet, vt velit æternis gehennæ doloribus cruciari, nisi velit culpam, & offensionem eius committere: respondet Durandus, hanc hypothesim esse impossibilem, & diuinæ voluntati repugnare, quia hoc mundo induceret Deus hominem ad peccatum per timorem inferni, quod

Soluitur.

repugnat diuinæ bonitati. Verumtamen licèt verū sit in re ipsa, & in ordine ad operationem, & efficacem electionē, peccatum nūquam esse posse eligibile ad vitandam æternam pœnam, neque è conuerso æternam pœnam esse eligibilem ad vitandam culpam, vt ratio tacta optimè probat, tamen in ordine ad diuinam potentiam aliqua distinctione opus est. Quòd

Peccatūnon est eligibile ab vitādam æternam pœnam.

enim peccatum sit eligibile ad vitandam æternam pœnam, non videtur sanè possibile, neque intelligibile, quia neque, ex se potest esse mediū proportionatum ad illum finem, nec Deus potest vt medium illud constituere, aut ordinare: nam manifestè repugnat diuinæ sapientiæ & bonitati, vt rectè probatum est, & in se inuoluit repugnantiam. Nam, si Deus voluntate sua hominem in ea necessitate constituat, vt ad vitandam æternam pœnam peccandum illi sit, eo ipso non peccabit id faciendo, quia operaretur iuxta voluntatem diuinam, id volendo, quod Deus vellet, eum velle. Est ergo quoad hanc partem repugnantia. At verò è conuerso non est tam aperta repugnantia, vt Deus constituat hominem in ea necessitate, in qua aut velit æternam damnationem, aut incurrat culpam, quia Deus habet supremum dominium in hominem: ergo pro sua voluntate potest hominem ad æterna tormenta destinare sine alia causa, nisi vt se dominum ostēdat: ergo potest homini præcipere, vt voluntariè acceptet & eligat illud tormentum, & nisi id faciat, culpam incurrat: ergo in eo casu (quo nullam certè contradictionem inuoluit) esset homo constitutus in eo discrimine, vt ad vitandam culpam, eligenda esset illi æterna pœna. Est autem animad-

Non repugnat Deum obligare hominē ad eligendam æternā pœnā sub peccato.

Non tamen sub ratione pœnæ.

uertendum, aliud esse loqui de pœna sub relatione pœnæ, aliud de ipso malo, quod est pœna: in casu enim posito præcipuè loquimur de hoc posteriori sensu; nam in casu priori, cùm pœna, vt sic, dicat relationem ad culpam, non potest homini præcipi absolutè, & nulla suppositione facta, vt velit pœnam: quia hoc esset, virtute obligare illum ad volendam culpam, seu (quod idem est) ad volendum seipsum reddere dignum pœna, quod inuoluit contradictionem. Tamen sub conditione, vel ex suppositione prioris culpæ, rectè potest Deus hominem obligare,

Nisi iā supponatur culpa in homine.

vt ve

vt velit, seu vt voluntariè acceptet æternam pœnam propter priorem culpam, & alioqui nouam culpam incurrat: in hoc enim nulla inuoluitur absolutè repugnantia, etiamsi illud prius de diuino dominio satis alienum videatur à diuina benignitate & bonitate, esto non sit omninò contrarium: hoc autem posterius de punitione valdè etiam rigorosum est, quamuis etiam non repugnet iustitiæ.

7. Detestabilius esse peccatũ æterna pœna.

Ex hoc autem intelligimus, simpliciter loquendo, detestabilius malum esse peccatum, æterna pœna, quandoquidem hæc potest esse obiectum voluntatis rectæ, illud verò minimè. Rursus etiam intelligitur, quod licèt de facto & secundùm legem ordinariam, ac connaturalem rebus ipsis nunquàm possit occurrere occasio necessario eligẽdi inter culpam, & æternam pœnam, nihilominùs non sit imprudens, nec inutilis illa comparatio, quæ fit per simplicem, seu conditionatum affectum, quo vti possumus ad ponderandam vniuscuiusque malitiæ grauitatem, & explicandam dispositionem, seu appretiationem nostræ volũtatis. Et hoc modo rectè dicitur, quod si oporteret pœnam æternam substinere ad vitãdam culpam, id esset eligendum, & præscindendo vnam malitiam ab alia, dicimus, si pœna æterna præscindatur à culpa, esse præ illa eligendam. Et huiusmodi conditionales affectus sunt frequentes apud sanctos viros, vt ex Anselmo retulimus, & multi etiam ita exponunt illa verba Moysis; *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod. 32. & illa Pauli, *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis*, ad Rom. 9. de quo aliàs.

Non est inutilis affectus eligẽdi æternam pœnã potiusquam culpam.

Exo. 32.

Ad Ro. 9.

C

## *Proponitur difficultas.*

8. HOc ergo supposito, difficultas est, an per actum pœnitentiæ detestemur peccatum supra omne malum pœnæ. Et ratio dubitandi est, quia cùm detestamur peccatum, non facimus hanc comparationem, neque hoc necessarium est ad actum pœnitentiæ, imò neque etiam oportet, vt semper detestemur illud, quantùm detestabile est, nam quidam magis, alij minùs illud detestantur. In contrarium autem facere potest, quia cùm pœnitentia rectè, & studiosè detestetur peccatum, videtur necessarium, ita illud detestari, sicut ipsũ est detestabile: sed est detestabile D plusquàm malum pœnæ: igitur. Priorem partem negatiuam sequi videntur Caiet. in tom. 1. Opusc. tracta. 4. q. 1. & tract. 5. q. 5. & Nauarrus in Sum. c. 1. n. 34 & 35. & in eandem inclinat Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 23. & sumi potest ex eodem lib. 6. c. 30. Posterior verò pars affirmatiua videtur magis consentanea cæteris Theologis, præsertim respectu contritionis, nam de actu pœnitentiæ in communi pauca dicunt. Ita loquitur D. Thom. dicto quodlib. & in 4. d. 17. q. 2. vbi Palud. Soto, & alij, & Bonauent. d. 16. in 2. p. illius, art. 4. & Alens. 4. p. q. 17. memb. 2.

Caietan. Vega. Nauar.

D. Thom. Paul. 2. Soto. Bonauent. Alens.

9. Actum pœnitentiæ detestari peccatũ, supra omne malũ pœnæ.

In hac re dicendum censeo, actum pœnitentiæ, seu detestationis peccati semper esse supra omne malum pœnæ, illo tantùm excepto, qui solùm est E propter vitandam pœnam. Priorem partem huius assertionis declaro priùs imperfecta detestatione, quę est ex charitate propter bonum Dei in se: quia Scriptura illam vocat pœnitentiam, seu couuersionem ex toto corde: & eodem modo loquuntur Patres, vt videbimus disp. sequente: per illum autem modum loquendi explicatur affectus super omnia, vt constat ex affectu charitatis, iuxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Vnde sumitur confirmatio, nam hæc detestatio est proportionata amori, ex quo oritur: sed ille est super omnia: igitur. Ratione denique ita declaratur, quia vt hæc detestatio sit de malo culpæ supra malum pœnæ, non est necessarium, vt ille excessus consistat in intensione actus, vt quidam putarunt, contra quos ostendam disp. sequenti, nullam intensionem esse per se necessariam ad actum pœnitentiæ, & ita illum excessum non requiri. Deinde non consistit in formali comparatione, vt prima ratio dubitandi rectè probat: & quia in amore, vt sit super omnia, non oportet, vt bonũ diuinum cum alijs bonis expresè cõferatur eisque præferatur: quia hoc neque vsitatum est, neque alicubi præceptum, neque semper consulendum propter infirmiores, & quia obiectum talis amoris secundùm se absolutum est, & perfectum: ergo potest etiam ex vi illius perfectus amor elici sine formali comparatione: sicut etiam religio colit Deum supra omne adorabile: & fides diuina credit supra omne credibile absque formali comparatione: idem ergo esse poterit in detestatione pœnitentiæ. Ac propterea communiter auctores docent, has formales comparationes, non solùm non esse necessarias, verùm etiam non semper esse vtiles, neque peccatoribus facilè proponendas. Præsertim quando comparatio fit in specie cum aliquo malo sensibili, vt est mors, grauis iniuria, aut contumelia, &c. Quia homines, regulariter loquendo, multùm mouẽtur ab his sensibilibus: & ideò verendum est, ne, dum hæ comparationes illis formaliter proponũtur, in nouo periculo peccandi constituantur. Et quantùm ad hoc verum habet quod Nauarrus suprà ait, nec Scripturam, nec Concilia, aut sanctos Patres à nobis exigere illas comparationes, & reflexiones paucissimis cognitas, & paucissimis vsitatas: quod etiam annotarunt Palud. dist. 17. quæst. 1. artic. 5. & Soto quæst. 2. artic. 4. & sumitur ex D. Thoma dict. quodlib. 1. art. 9. Cùm ergo formalis comparatio necessaria non sit: & aliunde constet rationibus tactis esse excessum in illo actu, necesse est, vt sit secundùm virtualem comparationem.

Excessus hic non cõsistit in intẽsione actus.

Neque in formali cõparatione inter culpã & pœnam.

Palud. Sotus. D. Thom.

10. Consistere in excellẽtia motiui.

Consistit autem hic excessus in excellentia motiui, seu rationis operandi, quæ talis est, vt de se sit potentior ad firmandam voluntatem in tali affectu, vel intellectum in tali assensu: hoc enim satis est, vt in tali actu contineatur virtualis comparatio, & excessus super alia. Sic autem est in detestatione, de qua agimus: auertit enim voluntatem à peccato, ob supremam rationem mali, quæ in illo est: & ideò quantùm est de se, est detestatio supra omne malum pœnæ. Et confirmatur, ac declaratur ex proposito vitandi peccata in futurum, quod diximus suprà etiam esse actũ pœnitentiæ, si fiat sub ratione vitandi diuinam offensionem. Hoc autem propositum, vt sit efficax, & verus actus pœnitentiæ, includere debet absolutam voluntatem nunquàm ampliùs peccandi, saltẽ mortaliter, propter vllam causam, vel occasionem: alioqui non esset vniuersale propositum, & absolutum. In hoc ergo proposito apertè includitur virtuale odiũ, & fuga peccati futuri, seu possibilis supra omne aliud malum. Patet consequẽtia, quia in amplitudine illius obiecti includitur, vt peccatum non committatur ex quacunque occurrente occasione: ergo etiamsi necesse sit quodlibet aliud malum pati: ergo præponitur secũdum talem affectum, & propositum vitatio diuinæ offensionis carentiæ cuiuscunque alterius mali. Ergo pari ratione respectu præteriti peccati detestatio eius ex vera pœnitentia includit virtualem voluntatem, qua nollet quis commisisse illud, etiamsi necesse esset pati quodlibet aliud malum, nã illa detestatio sub eadem ratione concipitur, ideoque eundem modum, seu gradum displicentiæ, & odij in virtute continet.

Declaratur expropositio vitãdi peccatum.

Dices;

11. Obiectio. Dices; Non esse parem rationem de peccato præterito, & futuro: nam illud cùm iam præterierit, & non sit, neque ampliùs esse possit, apprehenditur sub ratione minoris mali, quàm peccatum futurum, quod habetur odio in ordine ad actualem existentiam eius adhuc possibilem: & ideò maiori appretiatione videtur fugiendum peccatum futurum, quàm præteritum. Vnde, si beato daretur optio, vt vel beatitudinẽ amitteret, vel peccatum committeret, potiùs deberet eligere priuari beatitudine, quàm peccare: at verò è cõuerso, si comparatio fiat ad peccatum priùs commissum, & iam plenè remissum, non habebit beatus hunc actum, Mallem non peccasse, quàm esse beatus, quia illud malum iam non est, neque iterum esse potest: hoc autem bonum est præsens, & maximum. Respondetur, quacunque ratione peccatum consideretur, siue vt præteritum, siue vt futurum, siue absolutè, & secundùm se, eandem malitiam includere, & ideò esse æquè detestabile, & dignum odio. Eo datur. Solùm ergo est differentia inter futurum peccatum, & B præteritum, quòd futurum, quia est simpliciter possibile, & caueri potest, vel committi per voluntatem humanam, ideò actus fugæ, & propositi, qui circa illud versatur, est per modum intentionis, vel electionis operatiuæ: at verò respectu peccati iam commissi, vt sic, solùm est per modum simplicis affectus, & displicentiæ, vt suprà declaratum est.

12. Duo distinguenda in peccato præterito. Sunt etiam in peccato præterito duo distinguenda: vnum est positiuum, scilicet, quòd illud peccatum commissum fuerit, & hoc est summè detestabile in peccato: aliud est negatiuum, scilicet, quòd illud peccatum iam non est, & vt sic, non contristat, neque habet rationẽ mali, sed potiùs absentiæ mali, quæ sub ea ratione potiùs potest causare gaudium. Quòd maximè locum habet, si tale peccatum iã sit remissum: nam si adhuc maneat reatus, vt sic, non est præteritum, sed præsens malum, quando verò est remissum, iam omninò non est, & ideò sub ea ratione non contristat, licèt fecisse illud semper displiceat super omne aliud malum. Quæ displicentia duobus modis explicari potest: primò per modum propositi conditionati, nimirum quia homo, vel formaliter, vel virtute habet hanc voluntatem, quòd si esset in sua potestate, vel si nunc esset in ea occasione, in qua priùs fuit, habet animum vitandi illam offensionem absolutè & simpliciter potiùs quàm quodlibet aliud malum. Secundò per modum doloris & displicentiæ, scilicet, quia displicet homini, quòd in ea occasione non ita se gesserit, vt potiùs quodlibet aliud malum, quàm diuinam offensionem admiserit. D

13. Satisfit exẽplo obiectionis. Ex quo facilè patet responsio ad illud exemplum de homine beato, illa enim comparatio in ordine ad futurum, est ex hypothesi absolutè impossibili: fieri enim non potest, vt beatus constituatur in eo discrimine, vel peccandi, vel amittendi beatitudinem, quia fieri non potest, vt ratio amittẽdi beatitudinem sit, quia non peccat, aut è cõuerso quòd peccare sit medium ad non admittendã beatitudinem: & ideò non potest illa cõparatio fieri per modum electionis: per modum autem simplicis & conditionati affectus, id nõ repugnat, ad exaggerandam, & declarandã auersionem à peccato. Quoad hoc verò non videtur habere locum illa comparatio circa peccatum præteritum, vt præteritũ est, & omninò remissum, prout consideratur à beato, quia, vt sic, iam non consideratur vt præsens vel imminens malum. Si autem consideretur in ordine ad suũ tempus præsens, & ad electionem quæ in illo tempore facienda fuisset secundùm rectam rationem, &, vt sic, fingatur beatus habere nunc actum conditionatum circa peccatum præteritum, necesse est, vt illud etiã detestetur plus- A quàm carentiam beatitudinis absque culpa, quia illa conditionalis habet hunc sensum, quòd si nunc occurreret illud idem tempus, & occasio in qua peccauit, potiùs eligeret, non peccare, quàm quolibet alio carere malo.

14. Detestationem peccati ex motiuo iustitiæ esse supra omne malũ pœnæ. Atque hinc proportionali ratione constat, etiam illam detestationem peccati, quæ est ex virtute iustitiæ ob vitandam vel destruendam iniuriam Dei, esse de tali malo supra omne malum pœnæ, quia etiam fundatur in quadam ratione mali superante omne incommodum pœnæ, & consequenter in se habente efficaciam ad firmandam magis voluntatem in illo affectu. Et ob eandem rationem idem dicendum erit, quoties motiuum detestationis est malum aliquod morale, quatenus rectæ rationi repugnat: quia huiusmodi malum de se semper est grauius, & altioris ordinis, quàm sit malum pœnæ. Nec refert, quòd post huiusmodi detestationem vel affectum, oblata occasione facilè homo conuertitur ad peccatum, etiam propter vitandum aliquod temporale incommodum. Hoc enim non ideò est, quia prior affectus ex se non fuerit firmus, & sufficiens (suppono enim fuisse ex perfecta cognitione, & æstimatione talis mali, & ex absoluto & efficaci affectu voluntatis) sed prouenit ex mutabilitate ipsius voluntatis, & ex eo quòd mutata opportunitate vel occasione, & insurgente aliqua passione, non ita considerat illud motiuum, quod priùs fortiter mouebat. Atque ita satis patet tota prior conclusionis pars.

1. Pœnitentia ex motiuo pœnæ non detestatur peccatum plusquam pœnam. Addidi verò exceptionem de actu fundato in timore mali pœnæ: quia fieri non potest, vt actus excedat motiuum in quo fundatur, cùm ab illo habeat totam suam rationem, & speciem: ergo si homo solùm detestatur peccatum propter vitandũ malum C pœnæ, non potest plus detestari peccatum, quàm ipsum malum pœnæ. Quin potiùs hîc habet locum illud Arist. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Si ergo homo detestatur culpam propter pœnam, non plus detestatur culpam: imò videtur concludi, plus detestari pœnam. Ex quo statim potest oriri difficultas in ratione dubitandi tacta, quomodo possit talis detestatio esse honesta, cùm magis sit de pœna, quàm de culpa: tamen quia difficultatem hanc infrà sum explicaturus tractando de attritione, nunc sufficiat responsio superiùs insinuata, inde solùm concludi, illam detestationem esse imperfectam, non verò malam: quia solùm actualiter, seu ex vi illius actus magis displicet pœna, quàm culpa, non verò simpliciter & appretiatiuè respectu totius affectus ipsius operis. Et hæc sint satis de prima comparatione.

Arist.

---

## SECTIO X.

### *Vtrùm vnum peccatum sit detestabilius alio.*

1. Ratio dubitandi. IN secunda comparatione malorum culpæ inter se, ratio dubitandi esse potest, quia cùm peruenitur ad E summum, non potest dari magis, vel minus: omnia autem mala culpæ sunt detestabilia in summo secundùm appretiationem, quia propter nullam causam sunt eligibilia, nec nimirum peccatum potest rectè eligi propter vitandum etiam maximum: ergo pœnitentia æquè detestatur omnia peccata, & non vnum plus quàm aliud.

2. Peccatũ quò Nihilominùs communis sententia Theologorum est, & vera: peccatum quò grauius, eò esse detestabilius,

lius, atque ita etiam magis detestandum per veram pœnitentiam. Ita D. Thom. d. 17. q. 2. art. 3. quæstiun. 3. Soto. q. 2. art. 2. concl. 5. vbi bene declarat, hoc esse intelligendum de comparatione in appretiatione, nõ in intensione. Et idem est sensus aliorum auctorum, licèt interdum nomine intẽsionis vtãtur, vt Durand. eadẽ d. q. 4. n. 5. Bonauen. d. 16. 1. p. art. 4. q. 2. Alen. 4. p. q. 17. memb. 2. art. 1. §. 2. Ratio verò est, quia peccatum detestabile est, quia malum: ergo quòfuerit grauius malum in suo ordine, eò erit detestabilius per actum, qui fugit malum illius ordinis: huiusmodi autem est actus pœnitentiæ, de quo agimus, nimirum, quo aliquis fugit culpam quatenus culpa est: nam qui illam fugit solùm propter pœnam, eam culpam magis detestabitur, quæ inducit reatum grauioris pœnæ, propter eandem proportionalem rationem. Vnde confirmatur ex dictis, nam hæc maior detestatio fundatur in grauiori, & maiori motiuo: sed in peccato grauiori est maius motiuum ad detestandum illud: ergo pœnitentia, quæ in tali motiuo fundatur, est de se maior detestatio. Vnde fit, si in eodem peccato sint plures deformitates, seu rationes mali culpæ, eam esse maiorem detestationem talis peccati, quæ est ex grauiori deformitate, & malitia: ac denique illam esse maximam detestationem, quæ est ex maxima deformitate, & malitia: in his enim omnibus est eadem ratio & proportio.

graujus eò esse detestabilius. D Thom. Soto. Durand. Bonauen. Alens. Ratio redditur. Confirmatio.

Ad rationem autem dubitandi concedendum est, in ordine ad absolutam voluntatem, seu electionem, esse quandam æqualitatem inter omnia peccata, quia nullum eorum est absolutè eligibile, vt probat ratio tacta: quia, si esset eligibile secundùm rectam rationem, iam non esset malũ culpæ. Neque obstat, quod Theologi communiter docent, posse interdum consuli peccatum leuius, vt vitetur grauius. Aliud est enim de consilio, quod alteri datur, & aliud de electione, quæ ab ipso operante fit: nam illud consilium supponit in alio definitum affectum ad grauius peccatum: & ideò, qui consilium præbet, cùm non possit vtrumque vitare, rectè consulit vt saltem minuatur malum illud, quæ intentio recta est: & medium est etiam accommodatum, quia non est de malo, vt malum est, sed vt minus est, & ex suppositione, quòd nõ possit totũ vitari. At verò qui eligit, semper habet in potestate sua vtrumque vitare, nec fieri potest, vt commissio leuioris peccati sit necessaria ad vitandum grauius, quia est aperta contradictio: & ideò in ipso eligente nunquàm potest ille actus esse bonus.

3. Rationi dubitandi fit satis. Potest consuli peccatũ leuius, vt vitetur grauius. Non autem fieri.

Dices; Interdum potest illa necessitas oriri non ex malitia, sed ex ignorantia, vt si quis putet mentiendum sibi esse ad vitandum homicidium, simulque existimet, sic mentiri peccatum esse, maius tamen fore, si non liberetur poximus ab homicidio. Respondetur, hanc ipsam ignorantiam esse culpabilem, & ideò mirum non esse, quòd per illam cõstituatur homo in quadam necessitate peccandi. Sed vrgebis, quia non repugnat illam ignorãtia messe inuincibilẽ. Respondeo primo, fieri quidem posse, vt aliquis inculpabiliter putet mentiendũ sibi esse, si necessarium sit ad liberandum innocentem à morte: quod autem simul iudicet in eo casu id sibi esse omninò faciendum secũdùm rationem, & in eo nihilominus peccare, vix potest in humanam cogitationem cadere, nedum inculpabiliter ignorari, quia est clara repugnãtia in terminis. Si tamen huiusmodi ignorantiam inuincibilem admittamus, concedendum est, illum hominem peccaturum ex conscientia erronea, quæ sæpe potest esse occasio peccãdi, etiamsi alioqui ipsa ignorantia inculpabilis sit. Neque hoc est contra dicta, in quibus simpliciter, ac per se loquimur, considerata natura, & proprietate peccati. Atque tunc eligere potiùs leuius peccatum committere, quàm grauius, non esset bonum, sed minùs malum. Ex illa enim suppositione mirum non est, quod talis homo sit constitutus in quadam perplexitate, & necessitate peccandi. Absolutè igitur loquendo, numquàm peccatum est eligibile secundùm rectam rationem, propter aliud malum vitandum.

4. Obiectio. Responsio. Replica. Enodatur.

Sed dicet tandem aliquis, esto vnum peccatum nunquàm sit per se necessarium ad vitandum aliud, posse tamen esse vtile: ergo id satis erit vt sit eligibile: non enim tantùm ad mediã necessaria, sed etiam vtilia eligibilia sunt. Antecedens patet, quia fornicatio simplex est vtilis ad vitanda alia peccata contra naturam, vel contra iustitiam: hac enim de causa licitum est in Republica permittere meretrices. Respondetur, eandem ferè solutionem hîc esse accommodandam: aliud est enim loqui de ipso eligente, & volente aliud de permittente, & extrinsecus gubernante. Ipse enim eligens & operans non tantùm tenetur hoc vel illud peccatum vitare, sed simpliciter omnia peccata, estque id positum in voluntate & potestate eius, saltem cum diuina gratia: ideoque non licet illi leuius peccatum eligere ad vitandum grauius, etiamsi tale medium propterea censeatur vtile, quia illo adhibito facilius erit vitare aliud peccatum, tamen quia illa electio non est permissio tantùm, sed volitio peccati in ipso eligente, ideò non est illi licita, sed quærendum illi est aliud medium, etiamsi difficilius, vel asperius sit, ad vitandum vtrumque peccatum. At verò qui extrinsecè gubernat, vel non semper potest omnia aliorum peccata vitare, vel certè nõ tenetur omnia media adhibere, sed quæ sunt suo muneri, & officio consentanea, ideoque potest eligere, permittere minus malum ad vitandum maius, per quam electionem ipse non vult peccatum, sed permissionem peccati, quæ nõ est intrinsecè mala. Sic igitur peccatum, per se loquendo, nunquàm est eligibile, sed summè detestabile.

5. Alia obiectio. Responsio. Gubernans potest permittere minus malum, ad vitãdum maius.

Nihilominùs appretiatiuè rectè dictum est, peccatum grauius esse detestabilius, nosque per actũ pœnitentiæ magis illud detestari vel formaliter, vel virtualiter. Probatur ratione tacta, quia sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Item quia actus virtutis proportionem seruat cum formali obiecto. Item hoc rectè explicatur ex dictis: quia licèt nullum peccatum simpliciter sit eligibile propter vitandum aliud, tamen quacunque ratione, vel ex quacumque suppositione fingatur, aut veniat necessitas eligendi inter graue & leue peccatum, & alterutrum eorum committendi, semper est vitandum potiùs graue, quàm leue: ergo signum est appretiatiuè eo magis odio haberi aliquod peccatum: quò grauius est. Quapropter rectè potest hic affectus seu appretiatio declarari per illam conditionalem, Si non possem simul vtrumque, potius graue, quàm leue peccatum vitarem: & contrarius affectus esset inordinatus. Vt, si quis haberet hunc actum, Mallem esse homicida, quàm fur, in eo actu peccaret, etiamsi alioqui haberet animum absolutum neutrum peccatum committendi.

6

Addit tamen Soto, ex illa comparatione, si fiat inter peccata mortalia, non incurri peccatum graue, quia præcipua grauitas peccati mortalis est, in auersione diuina, & in hac omnia conueniunt, ideoque inordinatio illa, quæ esset in electione conditionata grauioris peccati præ minùs graui, non videtur esse adeo grauis, vt sufficiat ad peccatum mortale. Quæ sententia posset probabiliter admitti, quando peccata mortalia non essent admodùm inæqualia: regulariter tamen loquendo, grauis quidem videtur illa inordinatio, & contraria ordini charitatis, ac iustitiæ ad

7 Quale peccatum sit, præeligere culpam grauiorem.

ad Deum. Maximè tamen, & sine vlla controuersia illud esset peccatum mortale, si inter mortale, & veniale comparatio fieret. Vt si quis deprehensus in furto leui haberet huiusmodi actum, Maluissem deprehendi in adulterio, & homicidio, sine dubio peccaret mortaliter, quia præferret minorem infamiam suam maiori iniuriæ diuinæ. Hoc autem intelligendum est, si comparatio illa & electio caderet & ipsam culpam, & non tantùm in infamiam; nam si quis haberet solùm hunc actum, Mallem existimari aut haberi homicida, quàm fur, non esset graue peccatũ, secus verò esset, si propter illam hominum existimationem, vellet re ipsa potiùs committere homicidium, vel adulterium, quàm leue furtum.

8 Obiectio. Sed obiiciet aliquis contra dicta, In hac conditionata voluntate, si ad vitandum mendacium oporteret sacrilegium committere, id facerem, nullam esse deformitatem seu inordinationem, quia per illam met conditionem excluditur ab illo obiecto omnis prauitas, vel malitia: quoties autem conditio talis est, consensus in actum sic conditionatum nullam habet deformitatem: ergo. Antecedens quoad priorem partem probatur, quia hoc ipso quòd sacrilegium esset necessarium ad vitandum aliud peccatum, iam ipsum non esset peccatum. Minor verò patet, nam hic actus non est malus: Si vindicta de inimico non esset prohibita, vellem illam, & idem est de omnibus similibus. Et ratio est, quia per conditionem præscinditur ab obiecto turpitudo, & ita volũtas nullo modo fertur in illud vt malum. Respondetur, negando maiorem, quia hypothesis illa, sub qua fit præsens comparatio, non est talis, vt excludat malitiam ab altero extremo, nam potiùs fit comparatio inter grauius peccatũ, & minùs graue, ex suppositione quòd vtrumque peccatum sit. Vnde, licèt in re verum sit, ad vitandum vnum peccatum non posse esse necessarium aliud peccatum, & ideò in re ipsa bene inferatur, si actus est necessarius ad vitandum peccatum, non posse ipsum actum esse peccatum: tamen in præsenti conditionalis illa sumitur ex tali hypothesi impossibili, vt vnum peccatum retinens propriam malitiam & deformitatẽ, apprehẽdatur vt necessarium, ad vitandum aliud: & tũc dicimus esse valdè inordinatum affectum, acceptare potiùs grauius peccatum sacrilegij, quàm leuius mendacij, etiam sub illa conditione & hypothesi propositum: nam per illam, vt sic, non excluditur malitia obiecti respectu hominis sic operantis, vel apprehendentis illud, vt declaratum est.

Soluitur.

---

*Dubium incidens de comparatione inter proprium, & alienum peccatum.*

9 SED quæri hîc solet obiter, an grauius peccatum alienũ magis sit detestandum, quàm leuius peccatum proprium, præcipuè si vtrumque ex charitate homo detestetur. Et ratio dubitandi esse potest, quia charitas respicit bonũ diuinum secundùm se, & propter ipsum: ergo eodem modo fugit malum oppositum: ergo maius malum diuinum magis fugit, à quocunque inferatur: sed grauius peccatum alienum, est grauius malum Dei, quàm proprium peccatum leue: ergo illud ex charitate magis est detestandum quàm hoc.

10 Proprium peccatum appretiatiuè esse magis detestandum, quam grauius alienum. Nihilominùs dicendum est, proprium peccatum appretiatiuè semper esse magis detestandum, etiam si leuius sit. Ita docent communiter Theologi in 4. d. 17. vbi Palud. q. 1. articul. 5. Soto q. 2. art. 4. Ledesm. 2. p. quarti. q. 2. art. 3. Et probatur primò, quia peccatum alienum tribus modis potest ad me comparari, scilicet, vt permittendum, vel vt aliquo modo efficiendum à me, vel vt quoddam obiectum non pertinens ad me, vt aliquid faciendum, vel vitandum, sed solùm in ordine ad simplicem affectum, quatenus in eo potest complacere voluntas, vel illud odio habere. Si loquamur primo modo, certum est, potiùs esse permittendum quodcunque peccatum alienum, etiam grauissimum, quàm proprium peccatum, etiam leuissimum committendum. Probatur, quia permittere peccatum, per se non est malum, sed potest esse bonum: committere autem peccatum, semper est malum, & fugiendum. Item non sunt facienda mala, vt veniant bona, ergo nec peccandum est, vt alius nõ peccet: est enim eadem repugnantia, nam si secundùm rectam rationem peccandum mihi esset, ne alius peccaret, illud non esset in me peccatum: repugnat enim esse secundùm rectam rationem faciendum, & esse peccatum: si autem secũdùm rectam rationem faciendum non est, ergo secundùm rectam rationem potiùs est permittendum alienum peccatum, quàm proprium committẽdum. At verò si peccatum alienum secundo modo consideretur, sic iam non consideratur vt alienum, sed vt proprium, quia consideratur vt à me efficiẽdum, vel coefficiendum, & sic iam constituitur extra præsentem comparationem: eritque vlteriùs considerandum, an illa cooperatio ad peccatum alienum sit in me grauior culpa, quàm commissio alterius peccati proprij; & quæ fuerit mihi grauior, erit mihi detestabilior, iuxta principia superiùs posita. Denique, si alienum peccatum tertio modo consideretur, vt obiectum quoddam simplici affectu, amore, vel odio prosequendum, sic quidem appretiatiuè magis est odio prosequendum peccatum proprium, quia quantùm in me est, plus conari debeo, vt illud non sit in rerum natura, quanquàm obiectiuè aliud sit maius malum. Sicut etiam ex ordine charitatis, magis tenetur vnusquisque seipsum diligere in spiritualibus, quàm alium: nam prima inclinatio charitatis est, vt subiectum ipsum, in quo est, inclinet ad diligendum Deum: & ideò charitas non semper magis appretiatiuè diligit illud bonum diuinum, quod in se est maius obiectiuè, sed quod sibi est magis coniunctum, quodque ab ipsa procedit, & in quo ipsamet charitas, seu qui habet illam, magis glorificat Deum: sic igitur è conuerso magis etiam odio habet charitas peccatum proprij suppositi, quàm alieni, etiamsi obiectiuè illud maius sit. Eademque ratio procedit intra rationem iustitiæ, si consideretur peccatum, quatenùs illi repugnat: nam iustitia potiùs inclinat ad vitandam iniuriam, etiam leuẽ, quæ à me, seu à proprio supposito inferri potest, quàm quæ ab altero fieri potest: imò illa, quæ ab alio fit, respectu mei non est iniuria, nisi ego ad illam aliquo modo cooperer.

Palud. Sotus. Ledes. Potiùs est permittendum grauissimũ peccatũ alienum, quàm propriũ leuissimum committendum.

Cooperatio grauior ad peccatum est detestabilior leuiori peccato proprio.

11. Aliud dubiũ. Sed vrgent ampliùs aliqui vlteriùs interrogando, si ex hypothesi impossibili hæc conditionalis proponatur, Aut mihi peccandum est, aut Deus ipse verũ aliquod malum patietur: quia vel non erit, vel inordinatum aliquid aget, vel aliquid simile; quid horum detestabilius sit, malum culpæ proprium, an verum aliquod malum in ipso Deo? Ad quod respondet Alens. 4. p. q. 68. memb. 1. art. 6. detestabilius esse malum in ipso Deo, quàm in se: ideoque sub hac hypothesi impossibili acceptari posse, malum culpæ interiori affectu conditionato, scilicet, si illud necessarium esset ad conseruandum re ipsa bonum Dei in se, vel vitandum oppositum malum: quia quacunque ratione consideretur malum ipsius Dei respectu mei, scilicet, vt inferendum, vel vt permittẽdum, & à fortiori, vt amandum, magis est à me vitandum, quàm quod

Alens. responsio.

quodcunq; aliud malum, eò quòd diuinum bonum in re ipsa existens, & prout in se est, super omnia est à nobis diligendum. Quæ ratio optima est: ex illa verò sequitur in ea comparatione non præferri peccatum proprium malo alieno, vt alienum est, sed vt ad nos spectat illud impedire, vel oppositum bonum procurare, & quatenus omissio talis officij, vel obligationis respectu mei maius peccatũ censetur. Veruntamen hæ conditionales ex rebus adeò impossibilibus, & quæ simul implicare videtur affectum ad aliquã culpam, vitandæ sunt, nam & sunt parum vtiles, & possunt facilè imprudenter fieri.

Approbatur

Dubitatio Paludani.

Tandem verò inquirunt Paludan. & Soto citatis locis, an peccatum alienum magis detestandum sit, quàm quodlibet malum proprium, quod culpam nõ includat. Et respondent affirmãdo, quia offensa diuina etiam aliena ex charitate potiùs vitanda sit, quàm quælibet pœna propria. Sed hoc declaratione indiget iuxta distinctionem trimembrẽ superiùs à nobis posita. Si enim alienum peccatum ad me comparetur in ratione effectus, id est, vt à me aliquo modo efficiendum, sic manifestum est plus esse à me detestandum, quàm omne malum pœnæ, quia sub ea ratione iam non est tantùm peccatum alienum, sed etiam proprium. Rursus si peccatum alienum præcisè cõsideretur in ratione obiecti amabilis, vel detestabilis, sic etiam detestabilius est quolibet malo pœnę, quia malum pœnę etiam proprium, honestè amari potest, saltem complacendo in illo; malum verò culpæ etiam alienum nulla ratione potest honestè placere: alioqui per huiusmodi complacentiam, iam fieret aliquo modo proprium. At verò si alienum peccatum considereturtantùm vt permittendum, sic quidem ex genere suo bonum & melius est, admittere in se malum pœnæ, quàm permittere peccatum in alio, quia id est maximè consentaneum ordini charitatis, tum Dei, tum etiam proximi. Hoc verò non semper cadit in obligationem, sed sub certa lege ac mensura: tantum enim esse potest proprium detrimentum, & incommodum, vt charitas non obliget ad sustinendum, vel amittendum illud propter vitandam quamcunque alteriùs culpam, quia cùm culpa sit alteri voluntaria non teneor ego cum tanto discrimine illam impedire aut occasionem eius auferre: de qua re latiùs tractatur in 2.2.q.26.& 32.

Data distinctione explicatur.

## DISPVTATIO IIII.

### *De Contritione secundùm se.*

DE Contritione duplex est consideratio, scilicet quatenus actus virtutis est, & quatenus est pars sacramenti. Hanc posteriorem reseruamus in secundam partem principalem huius tractatus: priorẽ verò hîc expedire necesse est, vt ratio huius virtutis integrè tradatur. Solet autem contritionis nomen dupliciter accipi: primò generatim, vt comprehendit attritionem, quod sumi potest ex Tridentino sess. 14. c. 4. quem locum ad rem præsentem explicui latè in primo tomo huius 3. p. disp. 4. sect. 8. Nunc verò iam nõ loquimur de contritione hoc modo, quia ferè idem est quod actus pœnitentiæ, de quo agimus. Aliter ergo sumitur contritio pro quodam actu perfecto, & sufficiente ad remissionem peccati in ratione dispositionis, etiam absque reali susceptione sacramenti; & ita nunc de illa agimus. Vnde duo in illa considerari possunt, scilicet, quid sit necessarium ad esse illius, quid verò vt sufficienter disponat ad gratiam: quæ duo formaliter quidem distincta sunt, ita verò coniuncta, vt vix possint disputatione separari, quare vtrumque declarabimus.

## SECTIO I.

### *Vtrùm contritio sit formalis pœnitentiæ actus & quisnam sit.*

1. Contritio quid significet.

CONTRITIO, iuxta communem Ecclesiæ conceptionem, significat perfectam auersionem voluntatis à peccato commisso, qua homo se præparat ad reconciliandam amicitiam cum Deo, si illa careat. Hæc significatio constat ex communi vsu Theologorum, & ex Tridentino sess. 14. c. 4. Et sumitur ex Scriptura, in qua vox hæc aliquando in malam partem accipitur, pro graui afflictione, & pœna, Psalm. 13. *Contritio & infœlicitas in viis eorum.* Isai. 65. *Præ contritione spiritus vlulabunt.* Frequentiùs verò accipitur in prædicta significatione. Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum, &c.* Daniel. 3. *In spiritu humilitatis, & in animo contrito.* Psalm. etiam 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* Quæ verba de quacunq; afflictione intelligi possunt. Augustinus tamen, quasi per antonomasiam, ea intelligit de contritione peccatorum dicens: *Sanat contritos corde*, id est, *humiliatos corde, confitentes seipsos punientes.* Ac tandem concludit, *Qui cor non conterunt non sanantur.* Et enarratione in Psalm. 74. *Tritura cordis* (inquit) *pietas, humilitas. Qui se conterit, iratscitur sibi, se habet iratum, vt Deum habeat propitium.* Idem ferè de vera, & falsa pœnit. cap. 15. Et optimè Bernard. serm. 12. in Cantica, *Optimum* (inquit) *vnguentum contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur.* Est autem huius vocis metaphora ex eo sumpta, quod *conterere* significat rem aliquam duram in minutissimas partes diuidere, & comminuere: peccatum autem solet cor peccatoris obdurare, & ideo perfecta diuisio cordis, & auersio à peccato contritio nominata est.

Conc. Trid.

Psal. 13.

Isai. 65.

Psalm. 50.

Dan. 3.

Auguſt.

Bernard.

Vnde sumpta vocis metaphora.

2. Cõtrouersia

Ex qua nominis significatione satis constat, contritionem esse aliquo modo actum pœnitentiæ, quia per pœnitentiam auertimur à peccato, & disponimur ad eius remissionem. Solet autem inter auctores cõtrouerti, an sit de ratione contritionis, vt sit formalis actus pœnitentiæ,, vel sufficiat virtualis. Nauarrus in summ. cap. 1. nu. 5. contendit posse saluari verum cõtritionis actum absque formali actu pœnitentiæ. Fũdamentum eius est, quia potest homo disponi sufficienter ad remissionem peccati absque formali actu pœnitentiæ, scilicèt, per amorem Dei super omnia: sed sufficiens dispositio ad remissionem peccati mortalis est contritio: ergo potest saluari vera contritio absque forma'i pœnitentia cum sola virtuali, quæ in amore includitur. Hanc verò sententiam acriter impugnat Soto in 4. d. 15. q. 1. a. 2. & d. 17. q. 2. artic. 1. ex contrario fundamento, quia nemo potest sufficienter disponi ad remissionem peccati, nisi per formalem auersionem, & detestationem eius, quæ est formalis actus pœnitentiæ, sine quo existimat, amorem numquam posse sufficere.

Nauar.

Soto.

Sed in hac re aliquid esse potest pertinens ad veram quæstionem de re ipsa, aliquid verò pertinens ad quæstionem de nomine, seu de vsu vocis. Primum est illud quod in fundamentis aliarum opinionum tangitur, scilicet, an peccator possit interdum iustificari per solum actum amoris Dei super omnia, absque formali actu pœnitentiæ simul, & in re ipsa elicito. In qua quæstione Nauarrus affirmat, Soto verò negat. Et mihi placet sententia Nauarri. Eã verò probare, & explicare, non est huius loci, sed infrà, disputando de effectibus pœnitentiæ, id agendum est. Secundus est, an solus amor, quando separatur à formali pœnitentia, & iustificat, sit dicẽdus propria, & formalis contritio, vt etiã Nauarrus loquitur. Sed in hoc eius sententia mihi non probatur, quia iuxta rece-

5. Duplex sensus cõtrouersiæ.

Actus amoris vt præscinditur à formali pœnitentia, nõ est formalis contritio.

ptú vſú illius vocis *contritio*, ſignificat aut perfectũ dolorem de peccato, aut perfectam deteſtationem cum dolore: & ita Concilium Tridentinum definiẽs contritionem, per formales actus pœnitentiæ illius rationem explicat. Vnde ſicut amor præcisè ſumptus nõ eſt formalis pœnitentia, ſed dicitur virtualis, ita non eſt formalis contritio, ſed dici poterit virtualis. Dicendum ergo eſt, contritionem formaliter & eſſentialiter eſſe actum pœnitentiæ, quamuis virtualiter contineri poſſit in ſuperiori actu, qui non ſit formalis, pœnitentiæ. Neque ampliùs probat fundamentum Nauarri, nam ſuppoſita ſententia priori de actu amoris, conſequenter dicendum eſt, contritionem quidem ſemper eſſe diſpoſitionem ad gratiam, non tamen omnem ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam eſſe ſemper formalem contritionem, interdum enim eſſe poteſt ſolus amor ſuper omnia.

Cõtritio eſt actus pœnitentiæ.

A

B

## *Quiſnam actus pœnitentiæ ſit contritio.*

4. Contritionẽ formaliter eſſe ipſam deteſtationem peccati

STATIM verò occurrit declarandum, quiſnam ex actibus pœnitentiæ ſuprà numeratis contritio ſit: & præſertim inquiri poteſt de illis quatuor actib. qui ſunt voluntas deſtruendi peccatum commiſſum, odium peccati, deteſtatio eius: & dolor de illo. Et dicendum breuiter eſt, contritionem formaliter, & (vt ita dicam) in recto, eſſe deteſtationem ipſam: reliquos verò actus regulariter comitari illam, vel antecedenter, vel conſequenter, & virtute ſemper includi in illa, non tamen eſſe de ſubſtantia contritionis, nec ſemper neceſſarios ad illam, quatenus ab ipſa deteſtatione formaliter, ſeu realiter diſtincti ſunt.

C

D. Thom. Ita ſumitur ex communi Theologorum doctrina, D. Thomæ hîc art. ſequente, præſertim in ſolutionibus argumentorum, & ſuperiori quæſtione art. 8. & in 4. d. 17. tota ferè quæſtione ſecunda, & ibi aliorum, & Alenſ. 4. p. q. 17. mem. 1. Caiet. tom. 1. Opuſc. tractat. 4. q. 1. Vega lib. 13. in Trident. c. 25. Et probatur breuiter ex ſuprà dictis, nam cõtritio eſt propriſſimus, & perfectiſſimus actus pœnitentiæ: ſed talis actus in deteſtatione cõſiſtit, vt ſuprà probatum eſt: ergo. Item contritio parit dolorem, vt Tridentinum ſignificat ſeſſ. 14. c. 4. dum contritionem per deteſtationẽ, & doloré definit: & cõſtat ex omnibus Theologis, & ex communi cõceptione omnium. Parit etiã affectum puniendi, & vindicandi culpam in ſeipſo. Vnde eſt illud Auguſtini Pſalm. 74. *Qui conteritur, iraſcitur ſibi*: ſed hi ſunt proprij effectus deteſtationis: & diſplicentiæ de peccato commiſſo: ergo. Deinde contritio ſcindit cor, Ioel. 2. ſeparando illud ab effectu commiſſi peccati: hoc autem primariò, ac formaliter fit per deteſtationem: ergo.

Alenſ. Caiet. Vega.

Conc. Trid.

Auguſt.

Ioel.

D

5. Voluntatẽ reſarciendi diuinã iniuriam nõ eſſe contritionẽ.

Vltimò declarari poteſt diſcurrendo breuiter per cæteros actus: nam ſola voluntas deſtruendi peccatum, aut reſarciendi diuinam iniuriam, ſi præciſè ſumatur, vt condiſtinguitur à deteſtatione, non ſatis eſt ad veram contritionem, tum quia illa ſola non ſufficienter diſponit ad gratiam, tum etiam quia illa, vt ſic, nondum exequitur ipſam qualemcunq; ſatisfactionem, quam homo exhibere poteſt ad reſarciendam iniuriam: contritio autem dicit huiuſmodi diſpoſitionem, & ſatisfactionem. Vnde D. Thomas hac quæſt. artic. 2. ad 1. dicit, ex illa voluntate oriri deteſtationem, per quam completur, ſeu mandatur executioni illa voluntas. Vnde fit, vt illa voluntas quando formaliter habetur, ſaltem ordine naturæ, antecedenter ſe habeat ad contritionem. An verò ad illam ſit ſemper neceſſaria, dicendum eſt (ſicut ſuprà de actu pœnitentiæ in communi dixi) primò hanc voluntatem formaliter ſumptã non eſſe de ſubſtantia cõtritionis:

D. Thom.

E

quia, ſicut velle amare, vt eſſe poteſt actus diſtinctus ab ipſo amore, non eſt ſubſtantia amoris, quia ſufficit quoddam voluntarium in ipſo amore intrinſecè incluſum: ita velle deteſtari peccatum per actum diſtinctum, non eſt de eſſentia deteſtationis: & conſequenter neq; eſt de ſubſtantia perfectæ pœnitentiæ, ſeu contritionis. Et ideò fortaſſe Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. c. 4. non fecit ſpecialem mentionem huius actus, quanquam frequenter antecedat tanquam intentio finis, vel tanquam actus quo volũtas efficaciter ſe mouet, ſibique imperat difficilem actum contritionis, quem actum ſignificaſſe videtur Dauid in illis verbis, *Dixi confitebor aduerſum me, &c.* Deinde non ſemper eſſe neceſſariam, etiam vt extrinſecam cauſam imperantem cõtritionem, ſeu deteſtationem peccati, quia actus elicitus à voluntate, cùm per ſe, & intrinſecè ſit voluntarius, per ſe non requirit actum diſtinctum imperantem. In quo differentia intercedit inter ſatisfactionem, quæ Deo vel homini exhibetur, nam homini ſatisfit per actus externos, quos neceſſe eſt à voluntate imperari, & ideo neceſſe eſt, vt talis ſatisfactio procedat à propria voluntate ſatisfaciendi: Deo autem ſatisfit per ipſummet actum internum voluntatis, & ideò poteſt quaſi in actu exercito talis ſatisfactio exhiberi, etiamſi non præcedat, quaſi in actu ſignato voluntas formalis ſatisfaciendi.

Voluntatem reſarciendi diuinam iniuriam non eſſe de ratione contritionis.

Conc. Trid.

Differentia inter ſatisfactionem Deo, & homini exhibitam.

Rurſus odium peccati, quatenus verſatur circca peccatum, vt ſic, & abſtrahit à commiſſo, vel non cõmiſſo, non poteſt ſufficere ad rationem contritionis formaliter, ac propriè loquendo: ſicut non ſufficit ad rigoroſum actum pœnitentiæ propriiſſimè ſumptæ vt ſuperiùs dictum eſt. Et rationes ibi factæ, & hîc in probatione concluſionis, hoc ſatis oſtendunt: quia odium per ſe non parit triſtitiam, neque vindictam, &c. Poteſt tamen odium antecedere, & multum cõferre ad veram contritionem. Addo etiam, virtute ſemper includi in abſoluta, & efficaci deteſtatione, qualis eſſe debet contritio, iuxta ſuprà dicta de actu pœnitentiæ in communi. An verò aliquod odium peccati poſſit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, etiamſi non ſit formaliter ac phyſicè contritio, dicemus inferiùs, diſputando de effectibus pœnitentiæ. Certum denique eſt, hũc actum, vt diſtinctum à deteſtatione, non eſſe per ſe neceſſarium ad contritionem, quia neque ex Scriptura, neque ex Patribus oſtendi poteſt talis neceſſitas. Neque etiam eſt vlla ratio eius, cùm per deteſtationem eius ſatis auertatur voluntas à peccato, & ideò illud odio habeat: ſatiſque difficile ſit, hos actus diſtinguere.

6. Odium peccati non ſufficere ad rationem cõtritionis.

Tandem de dolore propriè ſumpto, vt diſtinguitur à deteſtatione, iam in ſuperioribus oſtenſum eſt, eſſe quid conſequens ad illam: & ideo, ſuppoſita illa diſtinctione, certum eſt, apud omnes auctores huiuſmodi dolorem comitari quidem contritionem ſecundùm eſſentiam eius, non verò illam intrinſecè conſtituere. Vnde, cùm Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. dicit cõtritionem eſſe deteſtationem & dolorem, cum debita proportione accommodandum eſt: eſt enim contritio eſſentialiter deteſtatio; dolor autem concomitanter, ſeu cauſaliter: quod idem Tridentinum c. 2. inſinuauerat in illis verbis *deteſtationem cum pio animi dolore*. Ex quo intulit Vega ſuprà, ſi contingeret peccatorem deteſtari peccatum efficaciter, & nullum reſultare doloré, nihilominùs illam fore veram pœnitentiam, & ſufficientem contritionem: quod quidẽ intellectũ de dolore appetitus ſenſitiui, indubitatum eſt, quia actus appetitus ſenſitiui per ſe non ſpectant ad gratiæ diſpoſitionem: intellectum autẽ de dolore ipſius voluntatis, eſt magis dubium; tamen quantùm pertinet ad diſpoſitionẽ gratiæ, illa cõditionalis ſimplici

7. Contritionẽ non eſſe doloré propriè ſumptum.

Trident.

Vega.

pliciter vera est quia, vt supra dixi sola detestatio est per se ac propriè in potestate liberę voluntatis: dolor verò solum vt ex detestatione resultat. Quapropter sit talis resultantia ex quacumque extrinseca causa impediatur, non potest voluntari imputari, nam ipsa perfectè conuertitur ad Deum & auertitur à peccato per detestationem: & ideo impedimentum illud nō potest tollere sufficientem dispositionem ad gratiam, Existimo tamen in homine mortali, secluſis miraculis vix posse illud accidere: secus verò in homine
D. Thom. beato, quia est incapax doloris vt notauit D. Thomas dicto ar. 8. vnde, si de nominis primaria impositione, & significatione loquamur, satis etiam probabile est illum actum, quādo non habet coniunctum dolorem, non mereri nomen contritionis.

## SECTIO II.

### *Vtrum ad veram contritionem requiratur formalis amor Dei super omnia, & quod detestatio peccati in illo fundetur.*

1. EXPLICATA substantia, seu essentia cōtritionis secundùm generalem rationem, videndum paulatim est, quas perfectiones requirat, vt statum, & efficaciam contritionis habere possit: quarū præcipua esse videtur, quod sit coniuncta, & annexa cum amore: & cum hac simul explicabitur, ex quo motiuo elici debeat illa detestatio, quæ est propriè, & intrinsecè contritio.

2. Cōtritionē debere esse ex amore Dei super omnia

Quod igitur contritio esse debeat aliquo modo ex amore Dei super omnia, atque adeò quòd ipsa etiam esse debeat super omnia seu detestatio peccati super omne detestabile, certa & communis sententia esse videtur. Nam prior sumitur ex D. Thoma hic
D. Thom. Palud. Bonauen. Richard Scot. Durand Alens. Caietan. Pet. Sot. Vega. artic. 5. & 6. & q. 86. art. 3. & 1. 2. q. 113. art. 4. 5. & 8. & in 4. d. 17. vbi Palud. & alij. Bonauent. & Richard. d. 15. & 16. Scotus d. 14. q. 2. ad vltimum, & d. 15. ac 16. vbi etiam Durand. Alens. 4. p. q. 17. memb. 2. Caiet. dict. q. 1. & Petrus Soto lect. 14. de Pœnitentia & Vega lib. 6. in Tridentinum, cap. 30. & lib. 13. c. 21. & sequētibus, quę admittit necessitatem amoris, dubitat autem de illa particula *super omnia*. Sed, vt suprà dixi, immeritò dubitat, si rectè intelligatur absq; formali comparatione, vt suprà notaui. Habet etiam fundamentum hæc sententia in Scriptura: primæ
1. Ioan. 3. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: & primæ
1. Cor. 13. ad Corinth. 13. *Sine charitate nihil sum.* Hunc autem amorem debere esse super omnia, satis declarant illa Christi verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* quibus solet etiam in Scriptura, vera contritio proponi, vt patet ex Ioel. 2. & aliis locis. Sunt
Ioel. 2. Deut. 4. autem optima verba Deuteronom. 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum, & tota perturbatione animæ tuæ.* Vbi in prioribus verbis significari videtur dilectio: in posterioribus pœnitentia, quę ex amore habet valorem suum, & quod sit simpliciter super omnia. Et
Luc 7. ideò Lucæ 7. quāuis Magdalena & amauerit, & doluerit, nihilominus charitati tribuitur remissio peccatorum eius, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Vnde etiam Tridentinum sess. 6. cap. 6.
Trident. perfectam dispositionem requirit amorem: ibi autem veram contritionem describit, vt latiùs explicui in 1. tomo huius 3. p. dispu. 4. sect. 8. & ideò sess. 14 c. 4. ait, contritionem perfectam charitate formari. Atque adeò ad eundem modum loquuntur sancti
August. Patres, Augustinus lib. de vera & falsa pœnit. c. 9. & 17. *Sine amore nemo vnquàm gratiam inuenit, nec veniam assequutus est.* Optimus etiam locus est lib. 2. contra Cresconium, cap. 12. *Quæ si absit, cætera fruſtrà fiunt.* loquitur de dilectione. Et tamen subdit, *peccata mandari sacrificio contriti cordis*: ergo intelligit, ignem huius sacrificij esse ipsam dilectionem. Vnde sermone 7. de Tempore, concludit: *Veram pœnitentiā non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Similia habet 14. de Ciuitate, cap. vlt. & lib. 21. cap. 27. vbi ait: *Si pro vno scelere omnia sua distribuant indigentibus, nisi desistant à peccatis, habendo charitatem, quæ non agit perperàm, nihil eis prodesse potest.* Alia referuntur in capit. Si charitas, de Pœnit. dist. 2. & in cap. vlt. de Pœnit. dist. 3. Prætereà Grego. Homil. vlt. in Ezech. circa finem, Gregor.
duplicem compūctionem distinguit: vnam ex timore, alteram ex amore profectam: & hanc posteriorem dicit esse perfectā, ad quam cōparatur via per priorem. Videri etiam potest lib. 3. Dialog. c. 34. & lib. 6. Regist. epist. 23. aliàs c. 187. & Bern. serm. 116. in Cāt. Bernard. 3.

Ratio verò à priori est, quia contritio dicit sufficientem dispositionem ad remissionem peccati, quæ remissio secundum legem ordinariam non fit, nisi simul restituatur homo in amicitiam Dei, & eleuetur ad statum gratiæ & charitatis: ergo talis dispositio nō cōsummatur sine vera dilectione Dei. Probatur cōsequentia, tū quia amicitia non est sine mutuo amore: peccator autem priùs non amabat: ergo vt constituatur amicus, necesse est, vt amando conuertatur: tū etiam quia inimicitia per amorem expelli debet. Et Cōfirmatur
cōfirmatur, nam peccator, cum delinquit, se auertit à Deo, vt ab vltimo fine: ergo vt tollatur hæc auersio, per se necessaria est formalis conuersio in vltimum finem, iuxta illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: hæc autem conuersio non fit nisi per amo- Contritionē detestari peccatum supra omne detestabile, probatur.
rem. Et ex eisdem testimoniis, & rationibus probari potest altera pars, quàm iidem auctores docent, præsertim D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. quæst. 1. ad 4. & Palud. q. 1. artic. 6. D. Bonauent. d. 16. art. 2. q. 1. & Alens. suprà, aliàs 4. p. q. 68. memb. 1. artic. 6. Caiet. dict. Opusc. & Nauarr. in Summ. cap. 1. num. 4. Et cōuincitur etiam ex his quæ diximus de actu pœnitentiæ in cōmuni. Nam si ille iuxtà gradum suæ perfectionis est aliquo modo super omne detestabile, cōtritio, quæ est perfectissimus actus pœnitentiæ, erit simpliciter, & perfectè suprà omne detestabile. Quapropter immeritò Vega lib. 13. in Tridentinum, cap. 25. in Vega.
hoc reprehendit Caietanum: nam si loquatur de formali cōparatione, Caietanus nunquam de hac locutus est: si verò intendit negare virtualem inclusam in perfectione talis actus, ipse potiùs reprehensione dignus est.

D. Thom. Palud. D. Bouau. Alens. Caietan. Nauar.

### *Difficultas Quæstionis proponitur.*

HOc igitur supposito, difficultas est, an hic amor ad contritionem necessarius esse debeat formalis actus amoris, directè tendens in Deum, vt in obiectum quod supra omnia diligitur, & consequenter, an talis amor necessariò esse debeat actus distinctus à detestatione peccati, constituens illam in esse contritionis, vel per extrinsecam, & moralem informationem, vel solùm per quandam coniunctionem, ita vt contritio sit quid moraliter, constans ex illis duobus actibus. In qua difficultate Theologi supe- 1. opinio.
riùs adducti sentire videntur partem affirmatiuam, & hoc sensu communiter solet definiri contritio, quòd sit dolor de peccato propter Deum summè dilectum: & locutiones adductæ ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, multum fauent huic sententiæ: nam sine dubio loquuntur de formali amore.

4.

Et potest addi noua ratio, quia detestatio peccati, vt sit cōtritio, debet esse propter Deum summè dilectum, vt expressè docet D. Thom. q. seq. art. 3. & probari potest illis mediis, quibus suprà ostendimus, de-

5. Probatur ratione. D. Thom.

bere eſſe deteſtationem ſuper omnia. Nam cùm hoc commune ſit actui pœnitentiæ, debet ſimpliciter, ac perfectiſſimè contritioni conuenire, ergo id habet ex perfectiſſimo obiecto formali, quod eſt Deus ipſe, vt ſuper omnia dilectus: ergo talis deteſtatio ſupponit neceſſariò dilectionem Dei ſuper omnia, quia omnis actus ſupponit obiectum ſuum. Et confirmatur, ac declaratur, quia hæc deteſtatio comparatur ad dilectionem illam ſicut receſſus ab vno termino ad acceſſum ad oppoſitum: ſed in omni mutatione receſſus ab vno termino ſupponit acceſſum ad alium terminum: ergo. Et ideò D. Thomas hîc artic. 6. ait, in mutatione peccatoris primum actum naturæ ſuæ eſſe motum in Deum: ergo non poteſt eſſe vera contritio, niſi ſupponat, vel includat formalem motum perfectæ dilectionis in Deum. Et confirmatur, quia cùm amor Dei ſit perfectiſſimus actus, à quo omnes alij participant virtutem & perfectionem, non videtur poſſe virtute cõtineri in aliquo alio actu minùs perfecto: ergo ſi talis amor neceſſarius eſt, oportet vt per formalem actum exerceatur.

Cõfirmatio.

Cõfirmatio 2.

A

B

6. Secunda opinio. Nihilominùs eſt ſecunda ſententia, negans ſemper requiri ad veram contritionem, formalem actum amoris, ſed poſſe perfici ſimplici actu deteſtationis. D. Thom. Hanc opinionem inſinuauit D. Thomas in 4. diſtin. 14. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 2. & Palud. ibi. quæſt. 3. & Gabr. expreſsè Gabriel quæſt. 1. art. 2. concluſ. 5. Vbi Soto Soto. q. 2. art. 5. ad 4. illam indicat, quia non requirit ad cõtritionem alium actum charitatis præter odium peccati, per odiũ deteſtationẽ intelligens. Quod expreſsiùs docuit lib. 2. de Natura, & gratia, c. 16. & 17. Idẽ ſentit Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 21. Probatur autẽ hæc ſententia: nam ſi homo habeat huiuſmodi deVega. Probatur. teſtationem perfectã peccati, ante formalẽ amorem iuſtificabitur: ergo illa erit vera contritio: quia ſecluſo formali amore, nemo poteſt iuſtificari extra ſacramentum, vt loquimur, niſi per contritionem: ſed poteſt homo habere hanc deteſtationem ante formalem amorem: ergo & contritionem: ergo formalis amor non eſt de neceſſitate contritionis. Minor probari poteſt ex dictis ſuprà de actu pœnitentiæ, vbi oſtendimus, diſplicentiam, vel odium peccati, nõ ſemper ſupponere poſitiuam tendentiam in oppoſitum terminum, quia in ipſo peccato eſt ſufficiẽs malitia, propter quam eſt odio dignum: & ideo vt habeatur odium eius, nullus alius actus neceſſariò ſupponitur. Neq; eſt inter hos actus aliqua alia neceſſaria cõnexio, ratione cuius nõ poſſit illa deteſtatio haberi, niſi ſuppoſito amore. Eo vel maximè quòd poteſt præcedere actus intenſionis, ſeu voluntatis deſtruendi peccatum, qui non eſt amor Dei formalis, ſed potiùs eſt proprius actus pœnitentiæ virtutis: & ex illo poteſt immediatè oriri deteſtatio peccati tanquam medium accommodatum ad illam intentionẽ exequendam. D. Thom. Et ita D. Thomas hac q. 85. art. 2. ad 1. tantùm hos duos actus ponit, ſignificans, illis ſolis poſſe perfici conuerſionem peccatoris. Poteſt ergo haberi perfecta diſplicentia ante formalem amorem Dei.

C

D

7. Iam verò probanda eſt maior, ſeu prima conditionalis ſumpta. Primò ex Scriptura, quæ remiſſionem peccati promittit deteſtanti illud, vtique deteſtatione perfecta Ezech. 33. *Si auerterit ſe peccator ab iniuſtitia ſua, &c.* Pſal. 31. *Dixi, Confitebor aduerſum me* Ezech. 33. *iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem* Pſalm. 31. *peccati mei.* Vnde 2. Reg. 12. ſolùm legimus di- 2. Reg. 12. xiſſe Dauid, *Peccaui Domino*: quæ verba ſolùm ſignificant recognitionem, & odium culpæ contra Deum commiſſæ. Et tamen ſtatim ſubditur, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: ergo ille motus ſufficit ad remiſſionem peccati obtinendam. Ratio autem eſt, Ratione probatur. quia illa eſt vera, & perfecta pœnitentia, cui remiſſio peccati promiſſa eſt. Vnde in Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. Conc. Trid. in definitione contritionis nulla fit mentio amoris. Nam quod poſteà ibi dicitur, perfectam contritionẽ informari charitate, non oportet intelligi de actu, ſed de infuſione gratiæ, & charitatis, per quam formatur cõtritio, vt infrà dicam. Denique ſeſſ. 6. c. 6. plures actus Concilium numerat in diſpoſitione peccatoris, quos neceſſe non eſt ſemper omnes formaliter concurrere, ſed ſufficit virtualiter, ſeu implicitè, vt actum ſpei, & de actu propoſiti multi idem ſentiunt: ergo eadem ratione, licèt numeret amorem, ſatis eſſe poterit, quòd virtualiter habeatur. At verò in illa deteſtatione virtualiter habetur, quia odium mali eſt virtualis amor boni cõpoſiti: ergo hoc ſufficiet: neque eſt cur grauius onus imponatur peccatori. Aliàs oporteret ſemper illum elicere plures actus, vt ſe ad gratiam diſponeret. Et ita nunquàm poſſet ſubitò iuſtificari, quod non eſt etiam Scripturis conſentaneũ: ergo & Scripturæ, & cætera omnia ſatis intelligentur de virtuali amore.

E

## ASSERTIO I.

*Formalem amorem, per ſe loquendo, eſſe neceſſarium ad iuſtificationem vt medium.*

8. IN hac re primùm dicendum cenſeo, formalem amorem Dei, per ſe loquendo, eſſe neceſſarium ad iuſtificationem peccatoris tanquàm medium, & rebus ipſis conſentaneum, & à Deo requiſitum. Hanc Aſſertionem mihi ſufficiẽter probant quæ in principio ſectionis, & quę in confirmationem primæ ſententiæ adduxi: nam Scriptura, cum tradit præcepta aut media ad ſaluté neceſſaria, propriiſſimè loquitur proponens hominib. eas actiones, quas exercere debẽt. Neque oportet mirari, eò quòd Scriptura aliquando promittat remiſſionem, vel ſalutem vni actui, quamuis plures ſint neceſſarij, quia nunquàm excluduntur cõcomitantia, ſed potiùs ſubintelliguntur. Quanquam fortaſſe neceſſarium non ſit, vt hic amor formalis Dei exerceatur per actum realiter diſtinctum ab ipſa deteſtatione peccati, quę ex illo naſcitur, quia, cùm illa duo obiecta ſint ita connexa, vt vnum ſit aliquo modo propter aliud, probabile eſt, fieri poſſe, vt vno actu ſimplici vtrumque attingatur. Sed hæc ſpeculatio non multùm refert ad praxim, & executionem actuum de quibus agimus: nam ſiue ille ſit vnus, ſiue duo per modum vnius poterit voluntas, quantùm eſt ex parte ſua, ſimul illos elicere, ſi ex parte intellectus obiectum ſit ſufficienter propoſitum: & ita quamuis ſit difficile, non tamen videtur impoſſibile, hominem ſubito iuſtificari per formalem actum amoris, ſimul cum deteſtatione peccati.

## ASSERTIO II.

*Peccatorem poſſe iuſtificari abſque formali amore, virtute tamen incluſo in deteſtatione peccati.*

9. DIco ſecundo, fieri poſſe, vt peccator iuſtificetur abſq; proprio, & formali actu amoris Dei in re ipſa tũc elicito, per deteſtationem perfectam peccati, quæ & virtualiter, & voto amorem includat. Atque hoc modo explicatam probo ſecundam ſententiam, quæ vel ex eo fit probabilis, quòd hoc modo, & omnino ſatisfit omnibus teſtimoniis probantibus neceſſitatem amoris: & alioquin hæc ſententia eſt valdè cõformis ſuauitati diuinæ prouidentiæ, & humanæ conditioni:

ni: quia non potest homo sine magna difficultate ad plura simul aduertere, & circa illa operari, & maximè in re tam graui, & ardua.

10 Quædam non tanda pro explicatione assertionis.

Vt autem hoc magis explicemus, pleniusque omnibus testimoniis satisfaciamus, inquirere oportet, qualis futura sit illa detestatio, quæ sufficere possit absque amore formali re ipsa elicito. In quo nonnulla possumus sumere vt certa ex dictis de actu pœnitentiæ. Nam cùm hæc detestatio, quam contritionem appellamus per seipsam, & non tantùm ex adiuncto amore formali, sit perfectissimus actu pœnitentiæ, habere debet omnia quæ perfectionis sunt in actu pœnitentiæ, nimirum quòd sit actus virtutis ex motiuo honesto, & quòd supernaturalis sit. Deinde oportet, vt ex vi sua, & sui motiui vniuersalis sit, quia debet voluntatẽ omninò auertere ab affectu peccati, B vt illam satis disponat ad iustitiam assequendam. Vnde omnis detestatio, quæ est ex motiuo alicuius particularis virtutis, quod non est commune omnibus peccatis mortalibus, non potest huiusmodi gradum, & perfectionem contritionis habere, quia talis detestatio non est vniuersalis, vt suprà dictum est. Rursus ex motiuis vniuersalibus, illud quod est vniuersale prædicatione, seu abstractione, nimirum quia peccatũ est contra rectã rationem, non est sufficiẽs ad huiusmodi detestationem, tum quia illa detestatio non respicit Deum ipsum, nec peccatum, vt est offensa eius: & ideò imperfecta est: tum etiam quia talis detestatio ex vi illius motiui non est supernaturalis: & ideò non potest per se ad gratiam disponere.

11. Vega. Neque existimo, limitationem, quã circa hoc adhibuit Vega lib. 13. in Trident. cap. 25. esse probabilẽ, C dicens, in homine, qui inuincibiliter ignorat Deum offendi peccatis hominum, & cognoscit illa esse contra rectam rationem, sufficere posse ad gratiam recuperandam detestationem peccatorum solùm quatenus sunt contra rectam rationem: quia si in eo casu sufficit agere contra rectam rationem ad gratiã admittendam, sufficit delere ex recta ratione ad gratiam recuperandam. Quæ ratio, est valdè infirma, nã multò faciliùs amittitur gratia, quàm reparetur, & ad illud prius sufficiunt humanæ vires, non verò ad hoc posterius sine diuina gratia: vnde illa sententia valdè mihi displicet: nam illa dispositio ex se est merè naturalis. Quapropter potest etiam esse in homine gentili, qui fide careat; sine fide autem impossibile est ad gratiã disponi. Quod si talis homo supponatur habere fidem, vix, aut nullo modo potest ignorantiam inuincibilẽ habere, quòd Deus peccatis offendatur. Et quamuis hoc gratis admittatur, semper ex parte voluntatis necessaria est dispositio supernaturalis, vt suprà ostendi. Neque ignorantia potest illam supplere, quia hæc non est tantùm necessitas præcepti, sed etiã medij, de qua re plura in materia de Gratia, & in materia etiam de Peccatis, latiùs explicandum est, quale esset peccatum illius hominis talem ignorantiã habentis.

12. Prætereà de illa detestatione vniuersali, quæ est ex motiuo æternæ pœnæ vitandæ, etiam est clarum non sufficere per se ad contritionem constituendam, quia etiam est imperfecta, & non respicit Deum secũdùm se. Et ideò meritò Tridentinum eam vocauit imperE fectam contritionem.

---

*Dubium de detestatione vniuersali ex motiuo iustitiæ.*

13. MAIVS dubium est de altera detestatione vniuersali, quæ est ex proprio motiuo iustitiæ, quam diximus elici ab speciali virtute pœnitentiæ,

A illa enim est valdè perfecta, quia est de offensa Dei, quatenus talis est. Item est propria, & specialis pœnitentia, cui solet attribui contritio tanquàm proprius eius actus. Item illa est perfecta auersio à culpa: huic autem promittitur in Scriptura remissio peccati. Denique illa videtur continere virtualiter amorem Dei, quandoquidem super omnia detestatur eius offensam, solùm quia talis est. Propter quæ aliquibus probabiliter visum est hunc actum, per se & sine formali amore, sufficere ad rationem contritionis. Et est quidem sententia probabilis, & aliquando mihi simpliciter placuit. Nunc autem re melius inspecta, videtur contraria sententia eligenda, propter ea quæ statim proponam. Quorumdã sententia.

14. Detestationẽ peccati, quatenus est cõtra bonũ Dei esse propriã contritionẽ. D. Thom.

Supereſt igitur alia detestatio peccati, quatenus est contra bonum Dei in se, eiúsque dissoluit amicitiam. Hæc igitur erit propria, & per se contritio. Et hanc assertionem intendit D. Thomas vbicũque docet veram displicentiam peccati esse actum elicitum charitatis, vt articul. sequenti ad 1. & 1. 2. q. 1. ad 13. art. 5. ad 1. & sæpe aliàs: loquitur enim de displicentia remissiua, & per se expulsiua peccati in ratione dispositionis. Deinde illa displicentia verè dici potest esse propter Deum summè dilectum, quia est elicita ex charitate eius, & respiciẽdo solùm ad bonitatem, & amicitiam eius. In quo differt multùm à præcedẽte detestatione, de qua proximè dictum est: illa enim non respicit bonitatem Dei in se, sed solùm conformitatem ad rationem in seruanda æquitate iustitiæ: & ideò etiam non est simpliciter super omnia, quia non est ex supremo motiuo, sicut hæc detestatio, de qua nunc agimus. Quare etiam illa non ita continet virtualem amorem, sicut hæc, quia est inferioris rationis, & virtutis. Ac denique in illa vim habent, quæ pro priori sententia adduximus: cessant autem in hac perfectissima detestatione.

15. Sori dictum. Non probatur.

Ex quibus, vt opinor, declaratum relinquitur, quomodo hæc detestatio virtualiter contineat amorem Dei super omnia. Imò significat Soto eam esse formalem amorem: & ideò nullum alium esse necessarium, etiam per se loquendo. Quod mihi non probatur, quia illeactus non tendit directè in Deum, vt in obiectum quod, sed quo, id est, solùm respicit illum, vt rationem proximam detestandi peccatum. Itẽ ille actus formaliter non est actus prosecutionis, sed fugæ: amor autem formaliter sumptus, est quædam D prosecutio sui obiecti, & quasi virtualis coniunctio ad illud. Vnde, vt actus dicatur formalis amor Dei, non satis est, quòd sit elicitus à charitate, quia charitas habet vnum obiectũ primarium, quod est Deus, & alia secundaria, ex quibus quædam amat propter Deum, vt proximum; alia odio habet, vt peccatum: est ergo illa detestatio virtualis tantum amor Dei.

16. In contritione debere in cludi votum amoris super omnia probatur.

Propter hoc ergo addidi in cõclusione, in illo actu, vt habeat rationem, & vim contritionis, debere includi votum formalis amoris Dei super omnia, non quidem quod necesse sit explicitè habere hoc propositum in particulari, sed quod implicitè habere hoc contritione, quatenus cum ea, vel in ea inesse debet propositum seruandi, vel faciendi omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, vt sect. sequente dicam. Et ita E explicata hæc pars, sequitur ex præcedente assertione: nam, si amor, per se loquendo, necessarius est, & actu non adhibetur quando homo conuertitur, quod ex naturali inconsideratione sæpe accidere potest, sine culpa, necesse est vt homo habeat propositum eliciendi illum debito tempore, in quo aliàs necessarium esset ex præcepto illum elicere, per se loquendo, ad iustitiam obtinendam. Quod autem hoc sufficiat, etiamsi amor sit medium necessarium, declarari potest ex aliis mediis exterioribus, quæ etiam ne-

ceſſaria ſunt,vt baptiſmus,vel confeſſio:& nihilominùs aliquando in voto ſufficiunt. A

17. Obiectio. Dicet aliquis,Illa media externa, & corpotalia eſſe talia,vt & magnam temporis ſucceſſionem requirant,& ſæpè ab aliis hominibus pendeant, vt executioni mandari poſſint:& ideò meritò prouiſum fuiſſe, vt iuſtificatio non ſemper pendeat ab his mediis in re ipſa exhibitis:ſecus autem eſſe in mediis internis , quæ poſita ſunt in ſola hominum voluntate, cum diuina gratia , quæ præſtò eſt, & ſubitò operari

Cõfirmatio. poteſt. Et confirmatur , quia ſi de actu interno ſufficeret votum,etiam de ipſa fide poſſet ſufficere,atque ita poſſet homo iuſtificari ſine actu fidei in re exhibito,per votum,vel deſiderium eius , quòd nullus ad-

Reſponſio. mittet,cùm tamen æqualis videatur ratio. Reſpondetur ad priorem partem,quamuis in actibus internis non ſit idem modus neceſſitatis , qui eſt in externis , eſſe tamen ſufficientem ex aliis principiis , ſeu ex alia hominis fragilitate , vel impotentia ortam, quia non poteſt homo ſemper attendere ad omnia , quæ ſibi neceſſaria ſunt,præſertim ſi illa ſunt & ardua,& valdè diuerſa. Et eadem ratione non poteſt ſemper per voluntatem operari circa multa , etiam cum ſubordinatione eorum inter ſe : & ideò ſæpè exercet vnum actum, & non alium. Quapropter ſi talis actus perfectè ſeparet voluntatem à peccato

Satisfit cõfirmationi. ſub ſuprema, & diuina ratione , diſponet illam ſufficienter,& continebit in virtute , & in voto alium actum voluntatis,etiamſi,per ſe loquendo,neceſſarius ſit.Eſt autem aduertendum(vt ad ſecundam partem reſpondeamus)actum illum , qui dicitur in voto cõtinere aliud medium neceſſarium ad ſalutem , eſſe debere ſupernaturalẽ ,quia aliàs non diſponet ad iuſtitiã:& ideò ad totã fidem non poteſt ſufficere votum eius,quia,vt in voluntate ſit actus ſupernaturalis continens tale votum,neceſſariò ſupponi debet in intellectu aliquis actus fidei: & ideò ſine fide re ipſa exhibita per aliquem actum non poteſt comparari iuſtitia.Si autem aliqua expreſſa cognitio fidei multarum rerum eſſet medium neceſſarium ad ſalutem, vt multi putant eſſe in lege Euangelica explicitam Chriſti fidem,tunc poſſet aliquando ſatis eſſe vnus actus fidei in re exhibitus cum voto expreſſioris fidei dummodò actus ille fidei ſufficienter proponeret voluntati Deum,vt auctorem, & finem ſupernaturalem.Idem ergo proportione ſeruata in præſenti ſatis eſt.

18. Formalem amoré Dei non eſſe de eſſentia contritionis. Ex quibus omnibus reſpondendo directè ad tituD lum quæſtionis,concludo vltimò formalem amorem Dei non eſſe de eſſentia contritionis. Probatur, nam id ſine quo res poteſt aliquando exiſtere , non eſt de eſſentiaeius,vt eſt per ſe notũ ex Metaphyſica: ſed poteſt in re ipſa aliquando eſſe contritio ſine formali amore,vt ex dictis conſtat,quia poteſt eſſe pœnitentia,quæ ſufficienter diſponat ad gratiam , & remiſſionem peccati ſine formali amore re ipſa exhibito:& hanc pœnitentiam contritionem vocamus : ergo formalis amor non eſt de eſſentia contritionis. Et quoniam hæc ratio eſt demonſtratio ſuppoſitis principiis dictis,non oportet alias addere , neque ad fundamenta aliarum reſpondere , quia ex parte illa acceptamus : & quatenus nobis obſtant, ſufficienter abſoluta ſunt.Solùm aduerto , hanc vltimam aſſertionem procedere de contritione illa,quæ per ſeſe,& E ex vi ſolius deteſtationis talis eſt : an verò aliæ deteſtationes,quæ per ſe non ſunt contritiones, per coniunctionem ad amorem tales fiant, & reſpectu illarũ amor ſit neceſſarius tanquam forma eſſentialis illas conſtituens in eſſe talis contritionis , alia quæſtio eſt. Quæ partim de re,partim de nomine eſſe poteſt. Et quod ad rem ſpectat , verum eſt iuxta principia poſita nullam aliam deteſtationem peccati per ſe ſolam , & ſine amore ſufficere ad contritionem: cùm nulla per ſe ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. Certum item eſt , ſi cuicunque vniuerſali , & efficaci deteſtationi peccati adiungatur amor Dei ſuper omnia , id ſufficere ad gratiam , & remiſſionem peccati obtinendam. An verò illa deteſtatio , vt informata amore,verè dicatur contritio , quæſtio eſt de nomine,quam ſequenti diſputatione, in fine,expediemus.

## SECTIO III.

*Vtrùm propoſitum formale non peccandi in futurum ſit de ratione contritionis,& conſequenter, an contritio eſſe poſsit vnus ſimplex actus.*

B

HÆc quæſtio ſimilis eſt præcedenti,& eâdem proportione definienda , & ideò breuiùs expediri poteſt. Antiqui ergo Theologi omnes requirunt propoſitum vitæ futuræ ad contritionem.D. Thom. ſæpe hac quæſt. c. 85.& 86.& 3.contra Gentes,cap.158.& lib.4. c. 2. & in 4.d.17.q.2.& Albertus Mag. d.14.a.11.vbi Bonauent.2.p.artic.1.q.1.& Alenſ.4.p.q.12.& 16. Moderni autem diſtinctiùs explicarũt hoc propoſitum debere eſſe formale,& expreſſum,Caiet.tom. 1.Opuſc. tractat.4.quæſt. 1.& Soto in 4.d.15.q.1.ar.2.& d.17. q.2.ar.1.& 2.de Natur.& grat.c. 14.vbi contrarium vocat pernicioſum errorem.Idem tenet Can. relect. de Pœnit.p.1.Ruard.a.8.contra Luther. & Bellarm. 2.de Pœnit.c.6.& 7.Gerſon Alphabeto 15.litt.G.dicit,hanc ſententiam eſſe probabiliorem,licèt contraria mitior ſit. Fundamenta huius ſententiæ ſunt,primò locutiones Scripturæ in quibus ad veram pœnitentiam noua vita poſtulatur,Ezech.18.& 33.& Pſal. 50.ac denique Apocalyp.2. *Et noua opera fac.* Hæc autem noua vita non poteſt poſtulari ad pœnitentiam vt actu exercenda , quia hoc pendet ex futuro tempore:ergo poſtulatur propoſitum eius.Secundò, eodem modo afferuntur teſtimonia Sanctorum, qui propterea in definitione veræ pœnitentiæ ponunt hoc propoſitum, vt videre licet in Mag. hîc d.14. & in c.Pœnitentia,&c.Pœnitentiam.de Pœnit. d. 3. ex Gregorio lib.9.Regiſtri epiſtol. 39. & homil. 34. in Euangelia,& Ambroſ.lib. 2. de Pœnitent. cap.5.Iſidor.libr.2.de Pœnitent.cap.16.& Auguſt. ſerm. 66. de Tempore.Tertiò,magis vrget Tridentinum,nam ſeſſ. 6. cap. 6. in diſpoſitione ad gratiam ponit hoc propoſitũ,vt diſtinctũ ab amore Dei , & odio,ac deteſtatione peccati.Vnde ſeſſ.14.cap.4.concludit, cõtritionem eſſe deteſtationem cum propoſito.Concilium Florentinum in decreto Eugenij ait , primam partem pœnitentiæ eſſe contritionem,ad quam pertinet dolor de peccato commiſſo cum propoſito nõ peccandi de cætero. Quartò,adiungitur ratio , quia hoc propoſitum eſt neceſſarium ad perfectam,& vltimam diſpoſitionem ad gratiam : ergo ad contritiónem. Conſequentia eſt clara ex dictis , quia omnis contritio , de qua agimus , eſt vltima diſpoſitio ad gratiam:ergo,quidquid eſt de neceſſitate diſpoſitionis vltimæ,eſt etiam de neceſſitate contritionis. Antecedens præcipuè debet auctoritate fundari , quia modus diſpoſitionis requiſitæ ad gratiam maximè pendet ex ordinatione , & voluntate diuinâ : & ideò qualis ille ſit , præcipuè debet nobis conſtare diuina reuelatione,quæ auctoritate proponitur. Poſſumus tamen rationem , & congruentiam huius ordinationis afferre,ſcilicet,quia diſpoſitio ad gratiã debet eſſe per conuerſionem perfectam voluntatis : non conuertitur autem perfectè per ſolum receſſum à malo,

1. Antiqui Theologi requirunt propoſitum vitæ futuræ ad cõtritionem. D. Thom. Arbertus. Albertus. Bonau. Alens. Quirequirãt formale. Caietan. Sotus. Cano. Ruard. Bellarmin. Gerſon.

Probatur ex Scriptura. Ezech. Pſalm. Apocal.

Probatur ex Patribus. Magiſt. Gregor. Ambroſ. Iſidor. Auguſt.

Probatur ex Conciliis Trid. Florent.

Probatur ratione.

malo,quod facit per detestationem, nisi etiam conuertatur ad bonum,quod facit per propositũ. Quia, cùm illi sint tanquàm duo termini à quo, & ad quẽ, non minùs requiritur ad perfectam conuersionem formalis accessus ad bonum per propositum, quàm recessus à malo per detestationem. Vnde Augustinus de vera & falsa pœnitentia,c.17.*Conuertitur* (inquit) *qui iam totus,& omninò vertitur.* Et confirmatur, nam quod Deus maximè intendit in iustificatione peccatoris,est rectitudo vitæ futuræ: ergo non minùs postulauit formale propositum illius, quàm detestationem vitæ præteritæ.

D.Aug.

2 Qui existiment sufficere virtuale propositum. Maior. Almai. Vega. Medin. Petrus Soto. Nauar. Adrian. Eorum fundamentum.

Nihilominùs multi, & graues Doctores existimant,ad contritionem sufficere virtuale propositum, quod in efficaci,& perfecta detestatione includi putant. Ita Maior,& Almain.in 4.d.14.quæstion.1. Vega lib.13.in Tridentinum,cap.21.Idem Medina c. de Pœnitent.tractat.1. quæst. 3. Petrus Soto lect.17. de Pœnitent.Nauarr.in Summ.cap.1.n.15.Adrian. in 4. quæstion.1.de Pœnitent. Vbi hoc sensu ait, necessarium esse propositum saltem implicitum: exponens quod absolutè dixerat quodlib. 5. articul. 3. ad contritionem requiri propositum. Fundamentum huius sententiæ est, quia formale propositum non est semper necessarium ad vltimam dispositionem gratiæ,etiam secluso formali amore: ergo neque est necessarium ad contritionem. Consequentia probatur, quia sine actu formalis amoris nullus actus est dispositio sufficiens ad gratiam, nisi illa pœnitentia, quæ est contritio. Antecedens verò probatur, quia neque ex natura rei, neque ex speciali ordinatione diuina potest illa necessitas sufficienter colligi. Quod ita declaratur,nam testimonia, quibus diuina ordinatio ostenditur,non sunt sufficientia:nam Scriptura in illis locis non loquitur solùm de iis,quæ necessaria sunt ad primam gratiam, sed simpliciter ad salutem,& vitam æternam:& eodem modo loquuntur Sancti. Vnde inquiunt non esse vtilem pœnitentiam,quæ sub sequentibus peccatis maculatur: quod non potest esse verum de vtilitate ad præsentaneam remissionem peccati,& iustitiam: debet ergo intelligi de vtilitate ad fructum vitæ æternæ cum effectu consequendum. Rursus Tridẽtinum ita exigit nunc in lege gratiæ propositum confitendi, sicut propositum benè viuendi: at constat non esse necessarium propositum formale confitendi: ergo nec oportere intelligi de proposito formali benè viuendi. Quod verò spectat ad rei naturam, sola displicentia peccati perfecta perfectè diuidit, & separat cor hominis à peccato,non tantùm præterito,sed etiam secundùm se:quia,vt suprà dixi, virtute includit odium peccati, & fundatur in suprema ratione detestãdi, quæ complectitur omne peccatũ: ergo etiam includit odium, & auersionem omnis peccati,quod potest esse in futura vita. Hoc autem est virtuale,& sufficiens propositum ampliùs non peccandi, & consequenter seruãdi mandata:ergo, considerata natura talis actus, est satis proportionata dispositio: Cõsiderata autem hominis natura,est etiam valdè consentaneum, vt ab eo non requirantur simul plures actus, iuxta dicta sectione precedenti:ergo etiam est consentaneum prouidentiæ Dei,vt illa dispositione contentus sit.

A

B

C

D

E

sectione dixi. Itaque primò asserendum est, formale propositum,per se loquẽdo,necessarium esse ad consequendam gratiam, & remissionem peccati. Est enim hæc pars securior,& ita populo prædicanda. Et testimonia adducta satis illam confirmant, si considerentur,quæ in simili dixi precedente sectione,nam reuerà simpliciter, & absolutè requirunt hoc propositum. Necessitas autem talis actus auctoritate magis,quàm ratione probanda est,cùm ex diuina ordinatione simpliciter pendeat. Possunt autem huius ordinationis non leues congruentiæ ex dictis sumi. Prima est,quia vnus ex præcipuis finibus pœnitentiæ est correctio,& emendatio vitæ præteritæ:meritò ergo præcipitur peccatori,vt voluntatem, & intentionẽ expressam habeat corrigendi mores,& seruandi mandata,nam ad assequẽdum finem aliquem nullus actus aptior est,quàm intẽtio,& definitũ propositũ obtinendi illũ. Vnde vnũ ex mediis vtilioribus ad emendandã vitã peccatoris,est hoc propositũ formale:meritò ergo ei præcipitur. Secunda, quia hic actus ex natura rei est valdè proportionatus ad recompensandam in suo ordine diuinam iniuriam: quid enim est magis consentaneum humanæ naturæ, & rationi ad impetrandam veniam iniuriæ factæ, quàm vt is, qui illam intulit, proponat omninò à similibus iniuriis abstinere? meritò ergo exigit Deus à peccatore huiusmodi actum. Tertia,quia,vt ostendimus,peccator, vt in Dei amicitiam redeat, illum debet amare super omnia proprio, & formali amore, per se loquendo: hic autem amor prout à nobis in hac vita exerceri potest,vix intelligi,aut esse potest perfectus, sine formali proposito seruandi diuina mandata, aut (quod idem est) placendi Deo in omnibus, vel implendi eius voluntatem, quia hic amor non est tantùm simplex complacentia de bonis Dei in se, quam etiã peccatores habere possunt, sed esse debet amor obedientalis,qui voluntatem Dei, præsertim præcipientem, præfert rebus omnibus:includit ergo talis amor propositum formale implendi huiusmodi voluntatem.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Vnde obseruare oportet assertionem propositam, propriè habere locum,& intelligendam esse,quando ipse amor Dei non ita exercetur vt satis formaliter contineat hoc propositum: nam amor Dei in hac vita,vt dixi,esse debet obedientalis, quia habet adiunctam voluntatem placendi Deo in omnibus, eiusque voluntatem implendam; quæ voluntas est sufficiens propositum non peccandi de cætero. Quando verò contingit habere formalem amorem, scilicet non hunc obedientialem,sed beneuolentiæ, aut complacentiæ in Deo, & bonis eius,tunc, per se loquendo, vt dicebam,requiritur hoc propositum. Deinde obseruo hoc videri intelligendum regulariter, quando reliquum est aliquod tempus præsentis vitæ: nam si homo in ipso mortis articulo pœnitentiam agat, non est quòd de proposito vitæ futuræ sollicitus sit: nec enim obligandus est ad habendum illud propositum sub conditione,*Si vixero*, tum quia hi actus cõditionales circa futura, per se,& absolutè loquendo, non sunt necessarij ad salutem: tum etiam quia fieri potest,vt vita futura iam sit moraliter desperata:& ideò nulla ratio postulat, vt talis actus sit tunc simpliciter necessarius,Et hoc etiam confirmat vsus, nam si hominem damnatum ad mortem exhortemur ad pœnitentiam, non multùm curamus de futuris actibus in præsenti vita,sed de dolore præteritorum, quia, licet aliquantulum vitæ supersit, moraliter tamen quasi nihil reputatur:nam quod parum distat, nihil distare videtur:& perseuerando eo tempore in dolore,& detestatione præteritæ vitæ, satis proponitur obseruantia mandatorum pro eo breui tempore.

4. Duo notanda pro intelligẽtia conclusionis.

*Formale propositum, per se loquendo,necessarium esse ad remissionem peccati.*

## ASSERTIO I.

3. HÆ sententiæ probabiles sunt,inter eas verò cẽseo iudicandum sicut, de amore in præcedente

5. Obiectio.

Sed obiicitur, nam hoc propositum non peccandi de cætero longo tempore multis hominibus videtur impossibile, quia apprehendunt obiectum illud, vt impossibile: quod magis videtur vrgere in peccatis venialibus: quia impossibilius est omninò illa vitare. Soluitur. Respondent aliqui: ideò de venialibus non esse necessarium tale propositum, de mortalibus verò satis esse id proponere pro aliquo tempore, pro quo id existimetur possibile. Sed hoc non rectè, nec sufficienter dicitur, nam propositum vitandi peccata mortalia debet esse absolutum, & de se perpetuum ex parte obiecti: alioqui non excluderet voluntatem peccandi mortaliter quolibet tempore. Et ideò negandum est, talem actum esse impossibilem, aut de obiecto impossibili cum diuina gratia, in cuius spe, & fiducia fundari debet talis actus: quòd si alicui homini propter prauam consuetudinem appareat tam difficilis, vt quasi impossibilem illum existimet, sibi imputet: necessarium enim illi est talem difficultatem superare, Oportet verò prudéter aduertere, aliud esse proponere non peccare in futurum, aliud sibi persuadere, & iudicare se perseueraturum. Illud prius est voluntatis, pendens tantùm ex præsenti proposito: & ideò illud solùm necessarium est. Hoc verò posterius est intellectus, & pendet ex futuro euentu: & ideò non solùm non est necessarium, verùm etiam consulendum est fragilioribus hominibus, vt nihil de illo curent, aut cogitent. Quod attinet ad venialia, non fit satis respondédo illud propositum non esse necessarium, quia & est vtilissimum, & in ordine ad confessionem potest interdum esse aliquo modo necessarium, vt suo loco dicetur. Duplicia ergo sunt peccata venialia, quædam quæ plena libertate committuntur, & de iis omnibus vitandis potest homo habere absolutum propositum: quia est possibile cum gratia Dei, quæ secundùm legem ordinariam confertur dignè petentibus, seu præparantibus se ad illam. Alia verò sunt peccata venialia, quę dicuntur ex subreptione, seu imperfectè deliberata, quorum collectionem totam vitare longo tempore possibile non est, sine speciali priuilegio: & ideò circa tale obiectum non potest haberi propositum omninò absolutum: potest tamen homo proponere omnem diligentiam adhibere ad illa vitanda, vel minuenda quantùm humano modo potuerit: & hoc semper satis est. A B C D

## ASSERTIO II.

### *Aliquando posse detestationem, sine formali proposito, esse sufficientem dispositionem ad gratiam.*

6.

Dico secundò. Aliquando potest sola detestatio peccati sine proposito formali esse sufficiens dispositio ad gratiam. Hæc assertio sufficienter probatur ratione facta in fauorem secundæ sententiæ, & explicari potest ex facto Dauid 2. Reg. 12. 2. Reg. 12. vbi proposito sibi peccato per Prophetam Nathan, solùm protulit illa verba: *Peccaui Domino*, & statim iustificatus est. Vbi nulla facta est mentio futuræ vitæ: & quantùm colligi potest ex circunstantiis, quæ ibi referuntur, protunc solùm habuit vehementem detestationem diuinæ offensæ à se commissæ, vt Chrysostomus declarat tomo 5. Homil. 6. de Pœnit. Igitur indicat Scriptura hoc satis esse posse ad gratiam consequendam. Denique hîc potest applicari discursus factus in sectione præcedente, quia non repugnat habere vnũ actũ sine alio: & si talis actus eliciatur, in eo est sufficiens proportio, & virtus in ratione dispositionis. Vtrumque autem horum satis ostendi potest, hîc applicando quæ ibi diximus: oportet tamen eandem proportionem seruare in explicandis, & virtuali continentia, atque etiam voto formalis propositi. E

Vnde tertiò & vltimò concluditur, formale propositum non peccandi de cætero non esse de essentia, & formali ratione contritionis: atque ita essentiam contritionis in vnico simplici actu consistere. Vtrumque facilè constat: nam id sine quo res esse potest, non est de essentia eius: secluſa autem necessitate formalis amoris, & propositi ad essentiam contritionis, manet illa in sola simplici detestatione perfecta de peccatis commissis. 7. Formale propositum non peccandi, non esse de ratione cõtritionis: Assertio tertia.

### *Quid dicendum de proposito satisfaciendi.*

8

EX quibus etiam facilè definitur quid dicendum sit de proposito satisfaciendi: nam de hoc etiam contendunt Doctores, præsertim moderni. Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 14. & Can. dict. relect. p. 3. omninò exigunt hoc propositum, quia Scriptura petit facere iudicium, & iustitiam, Ezech. 33. illud autem fit per satisfactionem. At verò Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 22. negat necessitatẽ huius propositi. Et mihi quidem certum est, non esse necessarium distinctum à proposito seruandi mandata: est enim superfluum multiplicare actus, præsertim sub obligatione, & sine fundamento. Nam illa verba Ezechielis, præter alias expositiones, quas habere possunt, sufficienter implentur per ipsam contritionem: nam illa est actus iudicij, & iustitiæ, vt ex superioribus facilè constat. An verò in ipso proposito seruandi mandata implicitè contineatur propositum satisfaciendi, etiam est incertum: quia si sit sermo de satisfactione pro culpa, & pœna æterna, homo non potest condignè pro illa satisfacere: & eo modo, quo imperfectè (vt aiunt) & de congruo potest, iam id facit per cõtritionem. Vnde non est quid circa hoc ampliùs proponat. Si verò sit sermo de satisfactione pro pœna temporali, probabile est ex natura rei, & secluso sacramento Confessionis non esse impositũ homini tale præceptum, sed posse hoc committere iudicio diuino: & velle satis pati in purgatorio. Et si hoc verum est, constat in proposito seruandi mandata non contineri tale propositum satisfaciendi, neque illud esse necessarium, quia non est de re præcepta. Si verò quis defendat iure naturæ impositum esse homini hoc præceptum satisfaciendi etiam pro pœna; dicat consequenter contineri implicitè, & sufficienter in proposito seruandi mãdata. Sicut nunc etiam in legẽ noua dicendum est de proposito confitendi: est enim necessarium, non verò expressum, sed sufficit implicitè contentum in illo generali proposito. Nequè illud dici potest solũ propositum virtuale, sed formale; quamuis sub confusa, & generali ratione. Soto. Cano. Vega.

### *Dubium de ordine actuum detestationis & propositi inter se.*

QVæret verò hîc aliquis, quando actus propositi, & detestationis simul concurrunt ad contritionem seu dispositionem ad gratiam, quis illorum antecedat, saltem ordine naturæ. Nam D. Thomas in hac q. art. 5, explicãs ordinem omnium actuum, quibus ad contritionem peruenitur, dicit præcedere filialem timorem, & esse quasi principium contritionis: explicans autem hunc timorem filialem, ait esse

actum

actum quo peccator propter reuerentiam Dei proponit emendandã. In contrariũ verò est, quia Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 6. describẽs ordinem iustificationis priùs tradit actum detestationis peccatorum, & posteà propositum non peccandi. Vnde dicendum videtur simpliciter, ex necessitate quasi Physica neutrum ex his actibus necessariò antecedere alium, sed posse voluntatem pro libertate sua, si habeat paratum diuinum auxilium, quamuis eorum sine alio, seu ante alium elicere: quia neuter ex his actibus est causa necessariò requisita ad alium: quia & in peccato futuro secundùm se est sufficiens ratio, vt vitetur, seu vitari proponatur sine respectu ad præterita, & è conuerso, quod per se notum videtur. Nihilominùs tamen in ordine ad iustificationem magis consentaneum est, & regulariter fortasse ita contingit, vt homo incipiat à detestatione peccati: nam ad impetrandam veniam de iniuria commissa, nulla est, moraliter loquendo, magis accommodata via, vel (vt ita dicam) magis immediata dispositio, aut aptior satisfactio, quàm displicentia de iniuria facta: ad quã statim consequitur voluntas & propositum nunquàm iterum iniuriam faciendi. Et ista existimo locutum esse Concilium. Nec Diuus Thomas refragatur, vt in commentario illius articuli explicabimus.

Dubij resolutio.

A

B

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm ad veram contritionem requiratur certa aliqua intensio talis actus.*

1. EXPLICAVIMVS essentiam contritionis, declanda consequenter est quantitas eius. Quæ cogitari potest vel intensiua. Et hæc vel in duratione, vel in obiecto: & de iis tribus sigillatim dicendum est. In proposita ergo quæstione fuit quorundam sententia ad veram cognitionem necessariam esse summam intensionem actus, quam homo exhibere potest per totum conatum sibi possibilem, Hoc sensit Adrian. in 4. q. 2. de Pœnit. & solet tribui D. Thomæ ibid. 17. q. 2. & Alens. 4. p. q. 17. quia in verbis ita loquuntur; sed in alio sensu, vt statim declarabo. Fundamentum huius sententiæ est, quia non putat posse Deum diligi super omnia, nec peccatum displicere super omnia, nisi summa intensione & conatu amor, & detestatio eliciantur. Verũ tamen & fundamentum infirmum est, & sententia improbabilis, imponit enim homini grauissimum onus, & difficillimam facit contritionem, sine Scripturæ, aut Conciliorum fundamento. Imò contra illa, vt probando veram sententiam ostendam. Deinde interrogo de quo conatu loquatur. Aut enim de illo, qui solis naturæ viribus à voluntate exhiberi potest. Et hic est impertinens: nam contritio non fit per hunc conatum, sed per illum, quem adhibere potest voluntas cooperando diuinæ gratiæ. Quod si de hoc sit sermo, in illo nullus est terminus, sed quodcunque dato potest voluntas maiorem exhibere cum gratia Dei: & ideò iuxta veram doctrinam actus charitatis infusæ non habet terminum versus maximum in intensione. Dici potest hoc esse verum de absoluta potestate: de lege tamen ordinaria dari definita auxilia, cũ quibus potest homo summè operari: & hoc modo requiri summam intensionem in contritione. Sed hæc etiam fuga non habet probabilitatem, quia non obligat Deus hominem vt summo conatu, & (vt ita dicam) ad æqualitatem respondeat vocationi eius, sed solùm vt respondeat, & consentiat. Aliàs non sufficeret eadem intensio actus in duobus peccatoribus: nam potest alter vehementiùs vocari, & habere paratum maius auxilium Dei: ergo oportebit illum vehementiùs conari vt conteratur. Idemq; erit etiam si ille minùs peccauerit. Hoc autem est præter rationem iustitiæ, vt plus exigatur ab eo qui minus debet. Est etiam contra modum loquendi Scripturæ, nam absolutè eandem contritionem ab omnibus petit. Accedit denique quòd illa ratio explicandi nec fundari potest in illo principio de dilectione super omnia, nec satis esset ad illud implendum, si illud, *super omnia*, consisteret in intensione, vt magis ex dictis constabit.

Prima opinio.

Adrian.

Eius fundamentum.

Reiicitur.

Replica.

Enodatur.

C

D

E

2. Obiectio.

Dices, Cõtritio est sufficiẽs dispositio ab gratiam, sed in hac dispositione meritò requiritur summa intentio: tum: quia peccator summè offendit Deum, tum etiam quia cùm non possit reddere cõdignum, meritò exigitur ab eo, vt reddat quantùm potest ex toto conatu sibi possibili, ergo, &c. Respondetur negando minorem, nam peccator, licèt faciat maximam offensionem, considerata dignitate personæ offensæ, non tamen semper peccat cum summo conatu intensiuo: neque est necesse, vt in dispositione ad gratiam talis intensio postuletur: quia, vt statim dicam, minima gratia sufficit ad remissionem cuiuscunque peccati: & ideò satis est etiam dispositio illi proportionata, quæ in substantia, & essentia doloris est maxima, & in hoc est proportionata culpæ. Et quoad hoc etiam postulatur ab homine, vt quantum in ipso est faciat, non verò quoad intensionem: quia & accidentaria est, & non expediebat salutis viam adeò difficilem fieri.

Soluitur.

### *Secunda opinio.*

3. EST ergo secunda opinio, quæ etiam affirmat necessariam esse maximam intensionem, non quidem absolutè, sed comparatiuè, id est, vt homo maiori intensione doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo, & quàm diligat quodlibet creatum bonũ. Ita Petrus Soto lect. 14. & 15. de Pœnit. & in verbis videtur fauere Bonauentura in 4. d. 16. art. 2. q. 1. Dicit enim displicentiam peccati quoad intensionem non oportere esse maximam simpliciter: comparatione tamen facta ad alios dolores debere esse maximam. Et eodem ferè modo loquuntur Durandus d. 17. q. 4. Richar. art. 1. q. 5. ad 3. Fundamẽtum est: quia tenemur detestari peccatum super omnia: illud autem magis detestatur voluntas, quod maiori conatu, & intensione odio habet.

Petr. Sor.

D. Bon.

Durand. Richard. Fundamentum.

4. Reiicitur secunda opinio, expẽdendo cõparationẽ in ea intensiuam.

Hæc verò opinio non est probabilior quam præcedens: nam & debili nititur fundamento, præter Scripturam, & Patres, & non solùm difficilimã constituit viam salutis, sed etiam obscuram, & perplexam: nam vix potest intelligi quomodo fieri debeat illa comparatio. Interrogo enim an fieri debeat cum qualibet detestatione, seu dolore possibili homini, & hoc dici non potest: aliàs coincidit hæc opinio cum præcedente, vt per se constat: vel comparatio est facienda cum dolore quem homo aliquando habuit, vel de præsenti habet quando conteritur. Et quidem si sermo sit de præsenti dolore, impertinens est collatio: tũc enim vix potest homo de alia re cogitare, nedum alium intensum dolorem habere in voluntate ipsa: nunc enim non agimus de dolore sensibili, qui ex passione corporis nasci potest: & ideò loquendo de propriis actibus, mirum non est quòd tunc contritio sit magis intensa, quàm quilibet alius actualis affectus: nam id non prouenit ex necessitate intensionis ad contritionem, sed ex eo quod ad exercendam contritionem moraliter necessarium est, vt homo

mo eo tempore non sit intentus aliis actibus exercendis: quod maximè verum est de actibus peccaminosis, qui repugnant contritioni. Si autem per possibile, vel impossibile admittamus simul cum contritione habere hominem alium actualem affectum non malum, etiam tunc non est necessaria illa comparatio, neque ille excessus in intensione: quia etiam Deum ipsum non tenemur diligere magis intensiuè, quàm omnes alias res, sed appretiatiuè, vt reliqui omnes Theologi docent: quia, vt suprà dicebam, ille excessus appretiationis non sumitur ex intensione, sed ex excellentia motiui, & consequenter ex substantia, & essentia ipsiusmet actus, qui nobiliori modo tendit in tale obiectum: & ideò ex natura sua magis cõiungit voluntatem cum illo. Quin potiùs ipsamet charitas tam intensè diligit proximum, sicut Deum: quia tota ipsa secundùm omnes gradus suos inclinat ad diligendum proximum: nihilominùs tamen plus diligit Deum, quàm proximum: quia Deum propter se, & proximum propter Deum: & ideò S. Bonauent. suprà art. 4. q. 1. hanc appretiationem vocauit intensionem ex parte obiecti, seu obiectiuam. Vnde, quãdo antiqui hanc vocant intensionem, æquiuoce loquuntur, & non de illa intensione, quæ consistit in latitudine graduum ex parte subiecti, & ex conatu potentiæ. Et ideò interdum etiam requirũt summam intensionem doloris peccati in voluntate, & non in appetitu sensitiuo: nimirum, quia in sensu propriè solùm habet locum intensio subiectiua: quia non potest sensus ita ponderare, & expendere excellentiam obiectiuam: sed hoc pertinet ad superiorem rationem: & ideò illa intensio obiectiua, seu appretiatio censetur propria voluntatis.

Bonauent.

5. Ex quibus à fortiori constat, si comparatio fiat ad dolores vel affectus, quos peccator habuit in vita superiore, & manent in habitu vel virtute: etiam respectu eorum non requiri illum excessum intensionis. Primò quidem, quia tota illa intensio per excellentiam actus contritionis superatur; & ideò talis eius intensio non postulatur. Secundò quia aliàs sæpe esset necessaria intẽsior contritio in eo qui minùs peccauit: vel quia, licèt affectus peccati fuerit intensior, simpliciter potuit esse peccatum minùs graue ratione leuioris obiecti; vel certè quia is qui minùs peccauit, potuit habere alios affectus ad creaturas non malos, sed intensiores quàm fuerit peccatum grauius alterius: contritio autem deberet superare omnes illos affectus, si verum est illius sententiæ fundamentum. Denique illud est contra vsum, & praxim ferè omnium pœnitentium: non enim cogitant de intensione priorum affectuum, sed de grauitate diuinæ offensionis, & ita etiam in confessione per se loquendo necessarium non est intensionem, quam in peccando quis adhibuit, aperire. Igitur neque isto modo necessaria est summa intensio.

6. Vnde etiam fit, quòd, licèt comparatio fiat ad habitualem, seu virtualem dolorẽ, aut affectum, quem homo habet relictum ex prioribus actibus, nõ oporteat dolorem contritionis esse intensiorem tali habitu: quia ille habitus non potest esse intensior, quàm fuerunt omnes præcedentes actus, seu (quod idem est) quàm intensissimus eorum: ergo si necesse non est, vt contritio in intensione superet omnes actus præcedentes, nec etiam erit necessarium, vt superet habitum ex eis relictum. Et cõfirmatur, (potestque hæc ratio ad superiora membra applicari) nam aliàs, qui intensissimum habitum peccandi comparauit, vel intensissimum odium inimici concepit, non poterit iustificari extra sacramentum, nisi statim à principio iustificationis incipiat habere intensissimam charitatem, quæ excedat totam intensionem prioris consuetudinis. Consequens, autem est planè falsum, & contra communem sensum omnium fidelium: cõiicitque huiusmodi peccatores in quoddam desperationis genus. Estque contra vim, & dignitatem charitatis minima enim charitas, si vera sit, potest quælibet peccata operire, seu delere, Item cauendum erit hominibus iustis, si fortasse non adeò intẽsum dolorem de peccatis, vel Dei amorem habuerũt, ne propter intensos actus doloris, vel amoris circa creaturas: alioqui non malos, sed rationi, & naturæ consentaneos, fructum prioris pœnitentiæ amittant, solùm ob excessum intensionis absque alia malitia: quod absurdissimum est, nam sola intẽsio per se non facit actum peccaminosum. Sequela verò patet, quia eadem est ratio de præcedenti actu vel habitu, & de subsequentibus: nam respectu vtrorumque tenetur homo, & diligere Deum, & detestari peccatum super omnia. Et ideò sicut de præteritis tenetur super omnia dolere, ita & de futuris tenetur proponere ea fugere plusquàm alia mala, semperque perseuerare in eo affectu, & excessu super omnia.

7. Est ergo certum, hunc excessum, & comparationem illam, quæ denotatur per illam particulam, *super omnia*, non consistere in intensione, sed in appretiatione, quæ posita est in tali amore, vel odio mali, vt si necesse sit, potiùs dimoueatur voluntas ab amore alterius boni, vel odio alterius mali, quàm illius, quod super omnia dicitur amare, vel odio habere. Quæ comparatio, si formaliter fiat, consistit in formali deliberatione, & actu voluntatis consentientis in eam comparationem, seu in obiecta sic comparata: si autem fiat tantùm virtualiter, non consistit in sola intẽsione actus, vt putauit Petrus Soto: sed maximè in substãtia, & specie actus, quæ sumitur ex motiui excellentia, vt suprà sæpe dictum est. Vnde licèt quis fortasse ob consuetudinem, vel delectationem, intẽsiùs diligat amicum, quàm patrem, nihilominùs ex vi amoris paterni, qui nobilior est, paratus esse poterit ad subueniendum potiùs patri, quàm amico, si vtrique ex æquali necessitate non possit. Vnde quod Petrus Soto ait, in qualitatibus non esse magis & minùs, nisi secundùm intensionem, non ita est: nam inter eas, quæ specie differunt, præter comparationem in maiori, & minori perfectione essentiali, potest inueniri magis & minùs in vi agendi, vel resistendi, & suo modo in vi coniungendi potentiam obiecto suo. Quomodo actus scientiæ, licèt sit remissus ex conatu potentiæ, firmiùs coniungit intellectum obiecto, quam actus opinionis, quantumuis maximo conatu potentiæ factus.

---

### *Tertia opinio.*

8. TERTIA sententia est, quamuis ad contritionem non requiratur summa intensio, requiri tamen certum aliquem gradum intensionis, quem Deus nouit. Tribuitur Scoto, qui indicat illam d. 4. q. 2. art. 2. sed magis loquitur de duratione, quàm de intensione. Citari etiã solet Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 7. quæst. 3. vbi ait dolorem voluntatis adeò remissum esse posse, vt non sufficiat ad contritionem: sed loquitur, vt in Bonauent. & aliis antiquis notaui, de remissione, vt ita dicam, essentiali, seu obiectiua, seu appretiatiua: hæc enim omnia æquiualent. Quare neque auctorem pro hac opinione inuenio, nec illius fundamentum video, aut probabilitatem. Quia verò D. Thom. citato loco differentiam constituit in hoc inter dolorem voluntatis, & appetitus sensitiui, exponendus est iuxta dicta paulò superiùs, vel etiam, quòd dolor sensus est accidentarius ad rationem

Scot.

D. Thom.

contri

contritionis, vel ad remissionem peccati præcipuè quoad culpam: & ideò non refert qua intensione, vel ex quo etiam sensibili motiuo appetitus doleat, Denique aduertere oportet, nunc à nobis non disputari, an qualitates, seu actus immanentes terminentur ad minimum in intensione, quidquid enim in ea quæstione aliquis opinetur, nihil refert ad præsens: solùm enim intendimus declarare, an quælibet intẽsio, quantumuis minima, cum qua esse potuerit substantia illius actus, qui est contritio, sufficiat vt habeat esse, statum, & causalitatem contritionis.

## *Ad rationem contritionis nullam intensionem requiri: vera sententia.*

9. DICENDVM igitur est, ad rationem contritionis nullam definitam intensionem requiri, sed sufficere substantiam actus, in quocunque gradu fiat. Ita expresè Gabr. in 4. d. 14. q. 1. art. 2. cõclus. 5. & Soto d. 17. q. 2. Medina c. de Pœnitẽt. tractatu 1. q. 5. Vega lib. 13. c. 24. & Nauarrus in summ. c. 1. n. 9. Et sumitur ex modo loquẽdi Sanctorum, plures referam sectione sequente, nunc sufficiant duo testimonia. Vnum est Leonis epist. 91. *Nec misericordiæ mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conuersio.* Aliud est Chrys. epist. 5. ad Theodlaps. habetur in c. Talis. de Pœnitent. d. 3. *Quantulamcunque, & quamlibet breui tempore non despicit pœnitentiam.* Et infrà, *Non patitur exiguæ etiam pœnitentiæ amitti mercedem.* Et afferunt hi Patres varia Scripturæ testimonia. Potissimum verò argumentum ex Scripturis est, quia conuersioni in Deum promittunt remissionem peccati, nec limitant ad intensam conuersionem: ergo nec nos possumus eam limitationem adhibere; sed expleta conditione eo simplici modo, quo à Scriptura proponitur, Deus etiam implebit promissionem suam. Idemque argumentum sumitur ex Tridentino, sess. 14. nam eodem modo loquitur.

Gabr. Soto. Medina. Vega. Nauar. Probatur ex Patribus. Leo. Chrysost. Trident.

10. Ratione explicatur. Ratio etiam in eodem principio fundata est. Et explicatur in hunc modum: quia actus contritionis, quem suprà declarauimus, per se est proportionata dispositio ad infusionem charitatis & gratiæ, & non constat Deum ex peculiari ordinatione requirere aliquem certum modum accidentalem illius actus: ergo per suam substãtiam sufficit ad remissionem peccati, & consequenter ad veritatem & statum contritionis. Consequentia probatur, quia minima gratia, & charitas infusa est sufficiens ad excludẽdum formaliter peccatum, quia constituit absolutè filium & amicum Dei. Minor probata iam est: maior verò declaratur, quia si in aliqua dispositione consideremus positiuam proportionem cum forma, hæc est, vt sit eiusdem ordinis, & natura sua postulans talem formam: hoc autem habet actus ille respectu gratiæ, vt ex dictis suprà de substantia, & essentia talis actus constare potest. Si verò in dispositione consideretur quòd remoueat prohibens, quod in præsenti solùm est peccatum: hoc etiam sufficienter præstat ille actus in suo genere: nam, licèt remissus sit, separat efficaciter voluntatem à peccato, & conuertit in Deum super omnia dilectum formaliter, aut virtute: ergo. Et confirmatur primò, quia alia præcepta impleri solent per actus quoad substantiam sine modo intensionis: ergo & præceptum pœnitentiæ. Respondet Adrianus, impleri quidem præceptum pœnitentiæ, sed nihilominùs hominem non iustificari. At verò hæc pugnantia sunt, nam præceptum est homini, vt tantam pœnitentiam agat, quanta sufficiat ad remissionem peccati consequendam, vt infrà ostendam: & ideò cuilibet implenti præceptum contritionis promissa est remissio peccati, vt patet Ezech. 18. & 33. & sæpe aliàs. Tandem confirmatur, quia peccatũ mortale, quamtumuis remissum, tollit gratiam & charitatem: ergo & è conuerso contritio quantumuis remissa tollet peccatum: nam eodem modo & eãdem proportione Scriptura de iis loquitur, vt patet ex citatis locis.

Adriani responsio. Præcluditur.

11. Obiectio. Solùm potest obiici: quia præter rationem videtur, vt non maior contritio exigatur ad remissionem grauissimi peccati, quàm leuioris; & plurium, quàm vnius. Vnde Scriptura sæpe postulat intensum dolorem: *Dole, & satage quasi pariuriens*, Michææ 4. & Apocal. 3. reprehenduntur tepidi: hi autem sunt, qui remissè operantur. Vnde Ambros. ad Virg. laps. ca. 8. Tantam dicit futuram esse pœnitentiam, quanta fuit culpa *Secundùm* (inquit) *conscientiæ modum exhibenda est pœnitentiæ magnitudo.* Idem lib. 2. de Pœnit. c. 10. & Augustin. de vera & falsa pœnit. c. 14. *Consideret qualitatem criminis, &c.* & Greg. 4. Moral. c. 17. & Cypri. lib. de laps. vbi grauiter reprehendit eos, qui sine delectu æqualiter puniunt crimina. Respondeo, Aliud est loqui de remissione culpæ, aliud de remissione pœnæ. Ad illam enim eadem dispositio sufficit, siue culpa sit vna, siue plures, graues, aut leues intra latitudinem peccati mortalis, quia illa remissio est quasi inindiuisibilis, & eadem forma gratiæ ad illam necessaria est, & sufficit, licèt quò feruentior fuerit, eò melior sit. Et ideò Scriptura illam interdum proponit non præcipiendo, sed consulendo. In Apocal. verò non vocatur tepidus qui remissè operatur, sed qui mala opera bonis admiscet: & præsertim qui cùm fidem habeat, charitate caret, vt declarauit D. Thomas q. 3. de Malo, art. 13. ad 1. Sæpe etiam Scriptura petit quantitatem pœnitentiæ, vt pœna etiam integrè remittatur. Et de hac maximè loquuntur Sancti citati. Quamuis Cyprianus specialiter loquatur de solemni pœnitentia, quæ in Ecclesia fieri solebat.

Michæas. Apocal. Ambr. Augustin. Gregor. Cypr. Obiectionis solutio. D.Tho.

12. Richardi dictum. Explicatur. Addit verò Richard. d. 17. licèt vna contritione æquè intensa formaliter deleantur omnia peccata, quando confusè cogitantur, tamen illam virtute esse maiorem respectu vnius, quàm respectu alterius: & ideò si peccata distinctè recogitentur: intensiorem contritionem requiri de peccato grauiori. Sed prius dictum habebit verum, loquendo de appretiatione iuxta superiùs tractata: in propria tamen intensione, de qua agimus, non habet locum, quia illa virtualis inæqualitas nullum habet fundamentum, cùm potentia eundem conatum adhibere possit ad detestanda quælibet peccata. Posterius autem dictum supponit falsum, scilicet, quando peccata distinctè recogitantur, necessarias esse plures contritiones: illo autem admisso etiam sufficeret æquè intensa circa inæqualia peccata, quamuis illa, quæ est de grauiori, semper sit maior quoad appretiationem.

## *Proponitur dubium.*

SOLET verò hîc incidenter quæri, an possit contritio esse minima. Quam quæstionem tractant D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. & ibi Durandus, Soto, & alij, Bonau. d. 16. ar. 2. q. 2. Alens. 4. p. q. 68. memb. 1. ar. 4. Et breuiter dicendũ est, per se loquẽdo, nõ posse esse nimiã, quia ex obiecto debet esse super omnia: ex parte verò subiecti, quò feruentior, eò per se melior. Per accidens verò ex parte hominis potest esse duplex excessus. Primus ex falsa apprehẽsione ipsius peccati,

D.Tho. Durand. Soto. D.Bon. Alens. Contritionem non posse esse nimiam.

miam, per ſe loquēdo. peccati, ſi tam grande malum exiſtimetur, vt putetur etiam irremiſſibile: nam illa apprehēſio tollet veram pœnitētiam, quæ eſſe debet cum ſpe veniæ. Vnde illa poterit eſſe nimia triſtitia, de qua dicebat Paulus 2. ad Corinth. 2. *Ne abundātiori triſtitia abſorbeatur qui huiuſmodi eſt*: non tamen erit propria pœnitentia. Secundus exceſſus erit, ſi ex nimio conatu voluntatis grauiter lædatur corpus: quamuis contrarium ſentiat Richard. in 4. d. 17. art. 1. q. 8. dicens, dummodò illud nocumētum non ſit per ſe intentum, non teneri hominem ad remittendam contritionem propter illud vitandum. Sed non rectè dicit: ſatis enim eſt quòd ſit præuiſum: quia naturali præcepto tenetur homo non operari, ita vt grauiter noceat ſaluti & corpori: maximè quando ad bonum animæ neceſſarium non eſt, vt in præſenti accidit. Et ideò optimè Chryſoſtomus homil. 4. in 2. ad Corinth. nō ſolùm ad ipſorum peccatorum naturam, ſed etiam ad cōditionem ipſorum peccantium hominum, oportere moderari pœnitentiam docet.

Duplex exceſſus contritionis, Paul.

Richard.

Chryſoſt.

A ſitio ad gratiam: diſpoſitio autem debet antecedere formam. Item quia hic actus debet perfici vſque ad certam intenſionem, quod in momento non fit. Sed hæc nullius momenti ſunt, quia hic actus eſt diſpoſitio perfecta, & vltima: huiuſmodi autem diſpoſitio non antecedit formam tempore, ſed natura. Propter hanc ergo cauſam non indiget hic actus temporaria duratione. Nec verò propter intenſionem, tum quia falſum eſt illam requiri, tum etiam quia, licèt eſſet neceſſaria, poſſet in inſtanti perfici in actu immanente, & in qualibet forma, quæ ſine reſiſtentia contrarij fit. Caietanus verò argumentatur, quia ſi eſſet infallibile Deum acceptare hunc actum ſtatim ac fit, poſſet homo eſſe certus de ſua gratia. Sed hoc non ſequitur, quia nunquàm poteſt homo certus eſſe omninò an actus, quem elicit, ſupernaturalis ſit, & talis, qualis ad veram contritionem exigitur. Hæc ergo ſententia nec fundamentum habet, nec probabilitatem.

Reijcitur.

Fundamentum Caietani refellitur

B

## SECTIO V.

### *Vtrùm ad veritatem contritionis requiratur aliqua temporis duratio.*

1. Duo quæſtionis ſenſus.

DVÆ quæſtiones hîc includi poſſunt. Prima, An peccator poſſit ſine mora tēporis in momēto efficere quidquid neceſſarium eſt, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, ad veram contritionem. Et quæſtio hæc non eſt hîc intenta, pertinet enim ad materiam de Iuſtificatione, & de Gratia. Veritas autem eſt, humano & ordinario modo loquendo, requiri aliquod tempus, vt homo excitetur, & conſideret, ac iudicet de omnibus, quæ neceſſaria ſant ad eliciendam contritionem, quia homo per diſcurſum, & ab imperfecto ad perfectū procedit. Quod maximè verum eſt de homine infideli, qui ab ſtatu infidelitatis, vſque ad ſtatum iuſtitiæ tranſmutādus ſit, vt ſumi poteſt ex Tridentino ſeſſ. 6. & 7. Poteſt autem Deus per ſpecialem influxum gratiæ ſuæ, quæ neſcit tarda molimina, ſupplere has temporis moras, & ſubitò illuminare & conuertere hominem. Sed de his alibi.

Trident.

C

2. Secundus quæſtionis ſenſus.

Alter ergo quæſtionis ſenſus eſt, An poſitis in intellectu omni conſideratione, & iudicio neceſſariis ad eliciendum actum contritionis, voluntas in eodem inſtanti in quo elicit actum, qui eſt contritio, perficiat ipſum, ita vt ſtatim habeat & eſſe, & ſtatum, & cauſalitatem contritionis. Neque eſt nunc agendum de quæſtione philoſophica, an hic actus immanens fiat in inſtanti per primum ſui eſſe, vel in tempore per vltimum non eſſe: nam licèt verius ſit in ſua durarione intrinſeca incipere per primum ſui eſſe: tamen ad præſens non refert: nam ſenſus quæſtionis eſt, an ille actus ſimul ac incipit eſſe incipiat eſſe cōtritio, quomodocunque incipiat.

D

3. Prima ſententia. Scotus. Almain. Caietan.

Fuit ergo in hac re ſententia Scoti in 4. d. 14. q. 2. actum, qui eſt contritio, non habere rationem contritionis, niſi priùs aliquo tempore duret: quod tempus taxatum eſt à Deo. Quam opinionem probabilem reputat Almain. ibi: & ex parte ſequitur Caiet. tom. 1. Opuſc. tractatu 4. q. 1. dicit enim Deū aliquādo expectare huiuſmodi durationem, priuſquàm acceptet actum in ratione contritionis & diſpoſitionis vltimæ ad gratiam: non declarat tamen an de hoc ſit præſcripta lex. Hi auctores vix afferunt fundamentum, & ſi aliquod inſinuant, eſt valdè debile. Scotus indicat huiuſmodi rationem, quia hic actus eſt diſpo-

E

Scoti fundamentum.

### *Actum contritionis, vt ſit contritio, nulla indigere duratione: vera ſententia.*

4.

QVAPROPTER dicendum eſt, actum contritionis, vt ſit cōtritio, nulla indigere temporali duratione, ſed ſimul ac fit, eſſe veram contritionem. Sumitur ex D. Thoma hac 3. p. q. 89. ar. 2. & 1. 2. q. 113. ar. 5. & 7. Bene Gabr. in 4. d. 14. q. 1. art. 2. concluſ. 5. Soto d. 17. q. 2. ar. 4. Medina tractatu 1. de Pœnit. q. 5. ad finem, & Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 23. Et probatur ex Scriptura, quæ promittit homini iuſtitiam, & remiſſionem peccati ratione ſuæ conuerſionis, abſque vlla mora vel dilatione. Quod declarat illis verbis, *In quacunque die, in quacunque hora*, Ezechiel. 18. & 33. nam ibi definitum tempus ſumitur pro indefinito: & idem valet, ac in quocunque tempore, vel momento. Quod patet à contrario, nam eodem modo ibi dicitur: *In quacunque die iuſtus fecerit impietatem, iuſtitiæ eius non recordabuntur amplius*: quod perinde eſt, ac ſi diceretur, *eodem momento*. Sicut ergo conſenſus in peccatum mortale ſtatim ac fit, eſt peccatum mortale, & deſtruit gratiam, ita è conuerſo actus contritionis ſtatim ac fit, habet eſſe contritionis, ſeu vltimæ diſpoſitionis ad gratiam. Vnde ad hoc explicandū vtitur Scriptura his verbis, *Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris*, Iſai. 30. iuxta Septuaginta, & ita etiam legit Cyprianus Epiſt. 28. & lib. de Lapſis, circa finem, & alij ex Patribus citandis. Alibi verò vtitur conditionali locutione, quæ indicat infallibilem conſecutionem, vt, *Si conuerſus fueris, ſaluaberis*, Iſaiæ 30. iuxta vulgatam. Et inferiùs additur particula *ſtatim*. Idem Hierem. 15. & Apocalyp. 3. Zachariæ autem 1. fit abſoluta promiſſio, *Conuertimini, & conuertar*: ergo hæc duo inſeparabiliter ſunt coniuncta, quia veritas conditionalis poſtulat, vt poſito antecedente infallibiter ponatur conſequens, conuertitur autem homo, cùm primùm actum contritionis elicit, Atque hoc modo intellexerunt teſtimonia hæc Sancti Patres. Citaui Leonem, & Chryſoſtomum ſect. præcedenti, idem Chryſoſtom. orat. de ſanct. Pilogonio tom. 3. Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia, cap. 17. Hieronymus epiſtol. 46. & 48. Tertullian. lib. de Pœnitentia, capit 4. S. Pacianus epiſtol. 3. ad Sympron. tom. 3. Bibliothec. Sanct. Omnia verò paucis verbis complexus eſt Cœleſtin. Papa epiſtol. ad Epiſcopos Gall. cap. 2. *Vera conuerſio mente potiùs, quàm tempore metienda eſt, dicente Propheta: Si conuerſus fueris, ſaluus eris*. Et ferè ſimilia habet Iulius I. in Decreto 2. quod habetur in 1. tom. Conci-

D. Tho. Gabr. Soto. Medin. Vega. Probatur ex Scriptura.

Iſai. Cyprian.

Hierem. Apocal. Zach.

Leo. Chryſoſt. D. Aug. Hieron. Tertul. Pacian.

Cœleſtin. Papa.

Iul. Papa I.

liorum

liorum post 3. eius epistolam, *Quia Dominus (inquit) non solum temporis, sed etiam mentis inspector est: sicut latro vnius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso.* Quod decretum cum multis aliis habetur 26. quæstione 6. de Pœnitentia, dist. 3. capit. Talis, & in Decreto Iuonis, part. 15.

5. Probatur assertio ratione.

Ex quibus ita potest ratio concludi. Actus pœnitentiæ, qui est sufficiens dispositio ad remissionem peccati, & habet gratiam infallibiliter coniunctam, est vera contritio: sed actus pœnitentiæ, qui ex sua essentia, & motiuo est perfecta conuersio in Deum, & auersio à peccato, & illius detestatio super omnia, infallibiliter, & sine vlla mora habet adiunctam gratiam, & remissionem peccati, vt probant adducta testimonia: ergo talis actus simulac est, est vera contritio. Et confirmatur, ac declaratur, quia homo tenetur habere veram contritionem, non tamen tenetur aliquo tempore durare in actu conuersionis, quem elicit: ergo non perficitur contritio, duratione temporis, sed sola efficientia talis actus. Maior supponitur: minor probatur, quia vel ad id tenetur iure naturæ, vel positiuo. Non primum, quia ius naturale solùm dictat diligendum esse Deum, & detestandum peccatum super omnia: & contra hoc nihil esse agendum. Quod verò talis actus duret per horam, vel per partem temporis, non dictat: in nullo enim principio naturali hoc continetur. Et si ratio naturalis hoc dictaret, etiam præscriberet quantum futurum esset illud tempus: aliàs esset valdè confusa & obscura obligatio: constat autem rationem naturalem de hoc nihil præscribere. Et eædem rationes probant alteram partem de iure diuino: & testimonia adducta eandem demonstrant. Petitur enim à nobis conuersio, non verò tanta, vel tanta quoad durationem. Denique, qui tale ius asseruerit, illud ostendere tenebitur, quod certè non poterit.

Cõfirmatur.

6. Alia ratione sua detur cõclusio.

Conc. Mog.

Vltimò fieri solet talis ratio, quia si duratio tẽporis esset necessaria ad contritionem, vt sic peruenire posset homo in hac vita ad eum statum, in quo, eliciendo verum pœnitentiæ actum, non posset consequi remissionem peccati: consequens autem vt erroneum damnatur in lib. de Ecclesiastic. dogmat. c. 80. Idemque refert ex Concilio Mogũtin. cap. 2. Iuo in suo decreto part. 15. c. trigesimo secundo: ergo.

Quorũdam euasio.

Sequela declaratur, quia in fine vitę potest homo elicere illum actum, quando ei non supereſt tanta vitæ duratio, quanta necessaria est, vt ille actus sit contritio. Propter quod argumentũ dicunt aliqui, in tali actu requiri durationem, non tamẽ certam, sed quacunq; signata sufficere minorem. At hoc sophisticũ est, & gratis confictum: cur enim Deus hoc statũisset, cùm neque ad mores vtile sit, neque ad alium effectum? Adde, quod cùm gratia non possit infundi, vel saltem non infundatur nisi in momento, necessariũ esset vt inter instans, in quo elicitur ille actus, & aliud in quo infunditur gratia aliquod definitũ tempus intercideret. Sed aiunt non posse hominem per solum instans durare in actu contritionis, sed necessitate naturali debere illum continuare per aliquod tempus: & ideò saltem illud tempus esse necessarium. Respondetur primũ incertũ esse quod sumitur & fortasse in rigore falsum: quia voluntas potest immediatè postquàm actũ elicuit, illũ omittere: quamuis in homine id sit difficillimũ. Deinde, etiãsi id demus, nihil ad præsentẽ causam refert, quia licèt talis actus aliquo tempore duret, non expectatur illa duratio, vt esse contritionis habeat, neque vt gratia infundatur, sed à primo instante vtrumque habet licèt posteà durer.

Præcluditur

Reſponſio alia.

Reiicitur.

7. Alia respõsio ad rationem factam.

Aliter verò respondẽt alij ad rationem factam, per se loquendo, necessariam esse aliquam moram temporis, in qua pœnitentia duret, vt in fine eius perficiatur contritio, & obtineatur gratia: in fine tamẽ vitæ propter vrgentis necessitatis articulum minorem durationẽ à Deo acceptari. Quod duobus modis excogitari potest. Vnus est, vt Deus veluti dispẽset in eo articulo propter necessitatem: quia non exigit ab homine, nisi quod potest, iuxta temporis opportunitatem. Alius modus esse potest, quòd illa duratio, quando reuerà exhiberi potest ita exigatur: quando verò non potest, vt in illo casu sufficiat in voto, & desiderio, sicut de aliis actibus nos dicimus. Neutra verò euasio probabilis est. Primò, quia vtraque est voluntariè excogitata sine fundamẽto, solùm ad rationes eludendas. Deinde contra priorem est, quòd quę adduximus ex Scriptura, & Sãctis nõ fundantur in speciali dispensatione pro articulo necessitatis, sed in propria virtute cõtritionis, & promissione diuina. Item lex, quæ veram pœnitentiam interiorem requirit, eadem est pro articulo mortis, & pro quocunque tempore. Imo pro articulo mortis magis obligat: siue consideretur pœnitentia, vt medium necessarium est ad salutem, siue vt est actus cadens sub præceptum affirmatiuum, quod pro articulo necessitatis maximè obligat: nec dispensatio in illa lege admittenda est, nisi expressè ostẽdatur: aliàs pari ratione dici posset dolorem propter solum timorem inferni tũc sufficere, licèt aliàs non sufficiat. Et ideò Augustinus de vera & falsa pœnitentia, cap. 7. & lib. 50 Homil. in 41. dubitat de sera pœnitentia in articulo mortis: quia non minorẽ perfectionem tunc requirit, quàm quolibet alio tempore, & difficile est tunc illam concipere.

de articulo mortis.

Refutatur prior sensus responsionis

D. Augusti.

8. Refutatur responsio in posteriori sensu.

Contra alium verò modum est, quia ex eo in primis sequitur semper sufficere contritionem à primo instanti quo habetur, quia semper dici potest, illam iam includere votum sequentis durationis, quòd semper sufficit, si de hoc est statuta lex, quia semper est impossibile habere in primo instanti totam durationem sequentem. Si verò de hoc non est lex statuta, scilicet, vt duratio in voto sufficiat, neque in articulo mortis sufficiet, aut addendum est priuilegium aut dispensatio pro illo articulo, quod impugnatum est. Quod verò semper includatur illud votum; patet, quia vel illa duratio est præcepta, vel non; si non est præcepta, neque est necessarium votum eius, neq; ipsa est necessaria ad iustificationem: quia media necessaria, quæ sunt in potestate nostra, præcepta sunt: si autem illa duratio est præcepta, cùm homo in primo instãti, quo elicit actum, qui est contritio habeat propositum seruandi omnia præcepta, in illo proposito sufficienter includitur tale votum. Ita ergo fit, vt ille actus à primo instanti semper habeat statum contritionis. Illud autem votum, quòd confingitur, facilè à nobis excluditur, exclusa necessitate, & præcepto de tali duratione, quod nec naturale esse potest, nec positiuum est, vt ostendimus. Neque etiam reddi potest ratio vlla talis necessitatis, quia sola duratio nullam perfectionem intrinsecam addit actui seu rei, vt ex metaphysica suppono: ergo quidquid potest actus, qui est contritio, formaliter, vel dispositiuè efficere per aliquam durationem potest à primo instanti per suam substantiam, & essentiam, quia est proportionata gratiæ, & perfectè conuertit animam in Deum, & auertit à peccato. Et quamuis verum sit, continuationem liberã honesti actus aliquem valorem moralem addere in ordine ad meritum, vel satisfactionem, ille tamen valor accidentalis est in præsenti, nec Deus illũ requirit, aut considerat ad suam promissionem de iustificatione peccatoris, sed solùm proportionẽ talis actus in ratione

in ratione disposítsonis ad talem effectum, quæ in ipsa substantia actus fundata est, sicut suprà dicebamus de intentione. Et ibi dicta valere possunt ad hanc veritatem confirmandam.

9. Almaini euasio.

Alia denique euasio insinuatur ab Almaino, ob rationem illam de necessitate articuli mortis. Ait enim ita requiri durationem temporis, vt possit intensione compensari: & ita posse hominem in articulo mortis quancunque durationem temporis superare per conatum contritionis. Quam euasionem variis rationibus impugnat Soto. Sed certè illud vnũ sufficit, quod voluntaria est, & sine fundamento. Et præterea supponit falsum, quia non magis intentio necessaria est, quàm duratio. Vnde interrogo, an aliqua contritio, saltem intensissima, per se, & in instanti sufficiat absque alia duratione. Non potest iuxta illam euasionẽ consequenter negari quin sufficiat, quia si contritio vt vnum durans per horam, sufficit, quomodo cõtritio vt centũ, durans per instans, non sufficiet cùm illã fere sine proportione excedat in physica, & morali perfectione? Si verò intensa contritio sufficit absque alia duratione, remissa etiam sufficiet, quia, vt ostensum est, intensio nõ est necessaria. Præterquàm quod ex illo fundamento facilè ostendi potest, nulla certa proportione posse durationem per intensionem cõpensari, per arguméta, quæ calculatoria vocant, quibus Soto vtitur. Ego verò vt inutilia prætermitto.

Præcluditur.

A

B

## SECTIO VI.

### *Vtrùm sit de ratione contritionis, vt cadat in omnia peccata distinctè recogitata.*

C

1. Contritio debet esse de omnib. peccatis.

SVPPONAMVS nonnulla certa. Primum est, contritionem esse debere de omnibus peccatis. Hoc constat, tum ex Scriptura, quæ requirit dolorem de omnib. peccatis, Ezechiel. 18. & 33. tum ex patribus, quorum testimonia legi possunt in Decreto de Pœnit. d. 1. c. *Non potest.* & d. 3. c. *Quem pœnitet.* & d. 5. c. *Sunt plures.* & c. *Consideret.* & d. 6. c. *Qui vult.* & specialiter videri poterit Aug. de vera, & falsa pœnit. c. 9. Tum quia contritio est vltima dispositio ad gratiam, quæ obtineri non potest sine conuersione in Deum & auersione ab omnibus peccatis mortalibus: de his enim semper est sermo. Propter quod non potest vnum peccatum sine aliis remitti, vt infrà dicetur.

D

2. Non requirũtur singulæ contritiones singulorum peccatorum.

Secundò est certũ, ex parte voluntatis non requiri singulas contritiones singulorum peccatorum, ita vt singatur perfecta contritio veluti coalescere ex pluribus actibus, & esse quædam collectio eorũ: sed sòlùm est contritio simplex motus voluntatis respiciẽs omnia peccata & detestans illa. In hoc conueniunt omnes Theologi. Et ratio est, quia hic motus simplex sufficit, & aliud esset intolerabile onus, & sine fundamento: nã Scriptura non requirit pœnitentias peccatorũ, sed pœnitentiam: illa autem vniuersalis contritio, quamuis simplici motu perficiatur, est perfecta pœnitentia omniũ peccatorũ. Imò sæpe esset impossibile simul habere integrã cõtritionem per illã collectionem: quia nõ posset homo simul tot actus elicere. Quòd si necessaria esset successio, nõ posset homo aliquando breui tempore iustificari: imò aliquãdo esse posset propter hãc causam extra statum salutis, vt si tẽpus vitæ eius breuius esset, quàm vt posset sufficere ad illam actuũ successionẽ. Itaq; in hoc nullum est dubiũ, quamuis Sylu. & Aug. verb. *Contrit.* & verb. *Pœnit.* requirãt saltem singulas attritiones singulorũ peccatorũ, & Caiet. etiam in ordine saltẽ ad confessionẽ illas requirat. Sed vtrumque falsum est,

Sylvest. Angel. Caiet.

E

nam attritio, neq; vna, neq; plures necessaria est: sola enim cõtritio sufficit. Et secluſa cõfessione, id est, per se notũ, quia nullũ est fundamentũ illius necessitatis. In ordine verò ad confessionẽ, quamuis oporteat hominem peccata in memoriã reuocare, & valdè vtile sit eo tẽpore actu detestari peccata, saltẽ per attritionem; non est tamen necessarium: satis est enim tunc non cõplacere in illis: & post sufficientem recogitationem vno perfecto motu illa omnia detestari. Nec est aliquod principium iuris diuini positiui, aut naturalis, ex quo maior necessitas colligatur.

3.

Tertiò est certũ requiri ad contritionem ex parte intellectus considerationem, & memoriam aliquam de peccatis commissis. Itaque non satis est considerare peccatum, & malitiam eius, sed oportet recognoscere illud vt à me commissum: hoc enim necessariũ est ad propriam, & rigorosam pœnitentiam, & consequenter ad veram cõtritionem, vt suprà visum est. Vnde in illo loco Ezech. 18. expressè dicitur, *Considerans enim peccata sua.*

### *Difficultas proponitur.*

4. Prima sententia.

DIFFICVLTAS igitur est, quanta, & qualis esse debeat hæc recogitatio peccatorũ, vt motus voluntatis in illa cadens habeat rationem contritionis. In qua re est cõmunis sententia Theologorũ, per se necessariũ esse, vt homo recogitet distinctè peccata omnia, tam quoad species singulas, quàm quoad numerũ eorum; & ita de illis doleat. Ita D. Tho. hac 3. p. q. 87. ar. 1. & 1. 2. q. 113. ar. 5. ad 3. & in 4. d. 17. q. 2. a. 2. quæst. 6. & d. 21. in expositione literæ post omnes quæstiones, & q. 28. de verit. art. 5. ad 4. Alens. 4. p. q. 69. memb. 8. art. 2. Bonau. d. 16. 2. p. illius art. 2. q. 1. ad 2. Richard. art. 4. q. 2. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. Palud. q. 2. ad 1. & d. 21. q. 3. Sylvest. Verb. *Contritio* n. 5. Angel. n. 4. & verb. *Pœnitent.* n. 8. Qui omnes nõ satis explicant, an loquantur de contritione secundùm se, vel in ordine ad confessionem, videntur tamen loqui priori modo. Quod magis explicuerunt Adrian. q. 3. de Baptismo, in fine, Cano. dict. relect. de Pœnit. p. 3. circa finem, Sot. d. 17. q. 2. Med. Codice de pœnit. tract. 1. q. 3. Ruard. art. 5. contra Luther. & multi alij.

D. Thom. Alens. Bonauent. Richard. Gabr. Palud. Sylvest. Angel. Adrian. Cano. Soto. Medina. Ruard.

5. Probatur ex Scriptura.

Fundãtur in aliquibus locis Scripturæ, vt Isaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et cap. 43. *Dic tu peccata tua, vt iustificeris.* Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes.* Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c.* Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper, &c.* Maximè verò Ezec. 18. & 33. postulatur pœnitentia de omnibus peccatis, sicut & obseruantia omnium, & singulorum præceptorum. Vnde Chrysost. homil. 9. & ad Hebr. circa finem, *Si quis* (inquit) *recognoscat se peccasse, & non ad singulas species descendat, nunquàm cessabit.* Similem doctrinam habet lib. 1. de Compunct. cord. circa finem, & hom. 46. ad Popul. & 4. de Lazaro, & diuite, post medium, affert illud Isai. 43. *Dic tu peccata tua, vt iustificeris*, & exponit de interiori confessione. Et Ambros. præf. in Psalm. 37. definit pœnitentiam, esse *commemorationem delictorum, vt ea vnusquisque in se castiget & condemnet.* Et August. de Vera, & falsa pœnitentia capit. 17. Gregorius 4. Moral. cap. 15. & lib. 8. capit. 10.

Isai. Psalm. 31. Ezech. Chrysost. Ambros. Aug.

6. Ratione sua detur.

Ratio esse potest, quia homo dum pœnitentiam agit, debet esse & medicus, & iudex sui ipsius: quia & castigare, & emendare debet delicta: neutrum autem minus cõmodè exercere potest, nisi distinctè sua peccata recognoscat: alioqui nec proportionatam medicinam, neque condignam pœnam applicare poterit. Vnde propter hanc præcipuè rationem necessarium est in

est in vocali confessione hoc modo confiteri omnia peccata, quia in illo sacramento officium medici, & iudicis in confessarium translatum est. Aliæ præterea rationes fieri solēt, quæ sunt parui momenti, vt quod auersiones peccatorum fuerunt plures, & ideò videtur necessarium, vt per intellectum saltem ita proponantur. Item quia nunc in lege noua est necessarius hic modus contritionis, & tamen nunc non est auctū contritionis præceptum, sed solùm additum præceptum confessionis.

A

### *Secunda sententia.*

7. SECVNDA sententia est, neque ad contritionem, neque ad iustificationem necessariam esse distinctam recogitationem omnium peccatorum, sed sufficere confusè & distinctè omnia detestari. Ita Mai. in 4.d.17.q.3.Caiet.d.q.87.a.1.& tom.1.Opusc.tract 4.q.2.& Cather.lib.5.contra Caiet.c.de Cōtrit. Victor. in Summa.4.n.116.de Pœnit.& Ledes.2.p.4.q. 16.a.6.Vega li.14.in Trid.c. 25.& Nauar. in Summ. c.1.n.25.Petrus Sot.lect.13.de Pœnit.qui addit, interdū posse esse hanc recogitationē necessariam, si obduratus peccator illa indigeat, vt se excitet ad cōtritionē. Verùm hoc accidentarium est: nunc quid per se contritio requirat, consideremus.

B

Maior. Caiet. Calher. Victor. Ledesm. Vega. Nauar. Pet.Soto.

8. Hanc ergo sententiam absolutè veram iudico: cōtrariam verò aut esse intelligendam in ordine ad cōfessionem sacramentalem, vt videntur potissimè loqui antiqui, vel certè aliquali moderatione esse limitādam vel relinquendam. Quod vt declarem aduerto tribus modis intelligi posse hanc recogitationem distinctam omnium peccatorum requiri ad cōtritionem. Primò, quòd tota actualis cōsideratio, & distincta de singulis peccatis sit in intellectu in eo instāti, in quo voluntas elicit contritionem. Secundò, quod saltem ipsa præcesserit antequàm eliciatur contritio, Tertiò, quòd si non præcessit, saltem post contritionem facienda sit, & consequenter quòd de hoc habeatur votum seu propositum in contritione ipsa inclusum. Rursus hinc fit, vt tribus modis possit intelligi peccator se habere ex parte intellectus in eo instanti, quo elicit cōtritionem. Primò, actu, & distinctè recogitans omnia peccata, quæ commisit. Secundò, solùm confusè recogitans se sæpiùs offendisse Deum, & per voluntatem omnia peccata detestans. Tertiò, vt sit actu cōsiderans, de vno, vel altero peccato commisso in particulari, non verò vniuersè de omnibus, nec distinctè, nec confusè.

C

D

Tripliciter potest recogitatio distincta peccatorum intelligi. Primò. Secundò. Tertiò.

## ASSERTIO I.

### *Ad contritionem non requiri distinctam peccatorum recogitationem.*

9. DIco ergo primò, Ad consequendam iustitiam & remissionē peccati, atq; adeò ad veram contritionem habendam necessarium nō est, reuerà præcedat actualis, & distincta recogitatio omnium peccatorū commissorū neq; etiam vt cum ipsa contritione actualiter, & simul in eodē instāti habeatur. Hæc assertio est expressa D.Tho.q.28.de verit.a.5.ad 3.& 4. Et probari facilè potest, nam quod attinet ad actualem repræsentationem omnium peccatorum in eodem instāti per distinctam cogitationē, sæpe est humano modo impossibile, quia multitudo, & varietas peccatorū sæpe est multiplex, & ideò nō potest intellectus humanus simul ad omnia illa distinctè attendere. Atqua ita de hoc ferè nulla est dubitatio inter auctores. Quod verò attinet ad actualem recogitationem præteritam, quamuis hæc præcedere possit, nullū est tamen principium positiuum, aut naturale ex quo colligi id possit esse necessarium: nam licèt formalis pœnitētia de omnibus peccatis necessaria sit ob testimonia adducta, & latiùs ostēdemus infrà disputatione 7. optimè tamen esse potest huiusmodi pœnitentia, etiamsi talis recogitatio non præcesserit: quādo etiam aliquis detestatur omnia peccata propter Deum etiamsi distinctè de illis non cogitet, formalem pœnitētiam habet, & non de vno, vel de alio peccato tantùm, vt cōstat, quia ad nullum particulare descendit, neque in vno, aut singulariter, aut indefinitè sumpto sistit, sed ad omnia extendit intentionem suam: ergo verè habet pœnitentiam formalem de omnibus: implet igitur quidquid in hac parte vt necessarium postulatur.

E

D.Thom.

Explicatur hoc modo. Nam etiamsi aliquando 10.
præcedat illa recogitatio necesse tamen non est, vt simul cum illa toto illo tempore duret contritio, quia, vt ostensum est, neque est necessarium paulatim, & per particulares actus singula peccata detestari, neq; etiam in vno & eodem actu aliquam moram tēporis consumere: sufficit ergo finita recogitatione statim vno motu detestari omnia peccata. Quod etiā cōcedunt ferè omnes qui huiusmodi recogitationem requirunt. At verò etiā tunc pro eo instanti, quo habetur contritio iā nō manet in intellectu, nisi quædam cōfusa repræsentatio memoria peccatorum omnium ergo si hæc eadē præcessisset ante recogitationē, ad contritionē habendā suffecisset: ergo necessariū nō est, vt illa recogitatio in re ipsa sēper præcedat. Quod tandem persuadet ratio sæpe facta, quia iustificatio potest subitò, & sine fieri iuxta illud, *In quacūq; hora ingemuerit peccator*, Exec. 18. At verò illa recogitatio sæpe fieri nō potest nisi lōgo tēpore: nō est ergo necessariū vt antecedat: sic enim Magdalena subito iustificata est, licèt haberet multa peccata, quæ tam subito distinctè cogitare non potuit, maximè cùm tota esset ad amandum intenta. Idemq; de bono latrone, & de aliis similibus cogitare licet.

F

## ASSERTIO II.

### *Recogitationem peccatorum subsequentem iustificationem non esse per se necessariam ad contritionem.*

DIco secundò, Recogitatio distincta peccatorum omnium vt in re ipsa subsequens iustificationem, & contritionem veram, atq; adeò vt cōtenta in voto in ipsa cōtritione, non est per se, & propter se necessaria simpliciter, sed per se sufficit vniuersalis detestatio peccatorum, solùm confusè recogitatorum. Dico autem *per se*, quia recogitatio illa necessaria interdum esse potest propter aliquam obligationem implendā, quę in futurum pendet. Prior pars declaratur, nam hæc recogitatio esset per se necessaria, si vel absque illa contritio haberi non posset, vel per se esset præcepta, tanquam quædam interior confessio, & humiliatio ad Deum neutrum autem horum verum est. Primū iā est probatum, nam ostendimus, sine hac recogitatione actuali posse haberi veram cōtritionem. Imò cùm loquamur nunc de recogitatione subsequente ad contritionem, clarum est, illam non esse necessariam in re ante talem contritionem: nec verò post illam contritionem necessaria est alia contritio, propter quam subsequens recogitatio exigatur: quia vna cōtritio sufficit: ergo. Secundum probatur, quia tale præceptum non est iuris naturalis: ex nullo enim principio necessaria consecutione infertur: ergo non est de necessitate pœnitentiæ, vt sic. Neq; erat in sta-

11.

tu legis naturæ, in quo tantùm erant præcepta connaturalia gratiæ. Neque etiam ex Scriptura habetur: nam testimonia superiùs adducta, vel solùm continẽt exempla, & facta Sanctorum, qui non operantur solùm quod necessarium est, sed etiã quod est melius: vel continent solùm præceptum detestandi omnia peccata, quod seruari potest sine tali recogitatione. Sicut etiã eisdẽ locis continetur præceptum habendi propositum seruandi omnia mandata, & tamen nõ propterea est per se necessarium recogitare distinctè omnia mandata, sed tunc ad singula aduertere, quando implenda erunt.

12. Vniuersalẽ confusè recognitorum detestationẽ peccatorum aliquando nõ sufficere.

Secunda pars assertionis declaratur à simili ex statu legis nouæ, nunc enim etiam post contritionem generalem necessarium est distinctè recogitare peccata, quia manet obligatio cõfitendi illa, quæ sine tali recogitatione impleri non potest. Sic ergo propter aliquam obligationẽ quæ locum habet in pura lege naturę, potest interdũ manere hęc obligatio. Triplex autem potest esse illa occasio. Prima, si restituendum aliquid sit: quæ satis per se constat. Secunda, si sit aliqua occasio peccati tollenda, vel vniuersũ aliquod necessarium remedium adhibendum ad præcauenda similia peccata: ad hæc enim tenetur homo ex vi cõtritionis, & non potest illa præstare sine cõsideratione specifica peccatorum. Tertia, propter satisfactionem condignam peccatorum quoad reatum pœnæ: hoc autẽ non est magis necessariũ, quàm sit ipsa satisfactio: quod supra tactum est, & infrà latiùs dicetur.

13. Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.

Et hãc partẽm damus primæ opinioni suprà citatæ: & ex illa soluta relinquuntur fundamenta eius. Nam testimonia Scripturæ declarata iam sunt, quia vel solùm requirunt vniuersalem contritionem, siue illa vniuersalitas ex parte recogitationis intellectus sit confusa, siue distincta: vel quando loquuntur de recogitatione distincta, narrant facta Sanctorum, vt dixi, & proponunt id quod est melius. Non vtuntur tamen verbis, quæ necessitatẽ indicẽt. Et hoc posteriori modo loquuntur præcipuè sancti Patres ibi citati. Vel si aliquando loquuntur de hac recogitatione, vt de re necessaria, est in ordine ad aliquem effectum futurum, iuxta propositam assertionis partem. Nec rationes ibi factæ ampliùs probant. Nam quod spectat ad officium iudicis, & potest in se peccator punire sua peccata, quantùm voluerit, quamuis de illis distinctè nõ cogitet, & fortasse etiam potest satisfactionem pro pœna in Purgatoriũ remittere, & in vtroq; differt multùm hoc iudicium internum à iudicio sacramentalis confessionis. Quod verò pertinet ad officium medici, pro ratione necessitatis poterit esse recogitatio hæc necessaria in ordine ad futurum effectum: hæc tamen necessitas, nec semper occurrit, & respectu omniũ peccatorum ferè nũquàm. Rursus quòd auersiones peccatorum fuerint plures, parũ refert, quia vna perfecta & vniuersalis conuersio omnes delet, alioqui non solùm in intellectu, sed etiam in voluntate tot essent multiplicandæ contritiones, quot fuerunt peccata mortalia, quod ridiculum est.

14. Denique (quod notandũ est) etiã in lege noua nõ requiritur hæc recogitatio peccatorũ propter contritionem, sed propter confessionem: nam si quis vel priùs concipiat vniuersalem dolorem perfectum de omnibus peccatis, & posteà ea recogitet sine nouo dolore, vel posteà de omnibus confusè doleat, id satis est: ergo signum est, illam recogitationem per se propter confessionem postulari. Quamuis si rectè fiat, ex illa recogitatione practica, moraliter sequatur maior dolor. Hinc verò fit, vt etiam in hoc statu, si cõtingat aliquem excusari ab illa obligatione in ordine ab cõfessionem, nimirum quia confiteri nõ potest ob inopiam confessoris, tunc simpliciter excusetur à tali recogitatione facienda, etiamsi oppositum aliqui senserint sine causa, cùm illa recogitatio non per se præcipiatur, sed propter actũ externũ, qui tunc exerceri non potest. Sicut qui non potest audire Missam, nec recitare officium, quãdo aliàs teneretur, si posset, non tenetur habere illam attentionẽ ad Deum, quã habere deberet, si Missam audire, aut horas recitare posset.

Atque ex his omnibus, & ex dictis etiam in præcedẽte conclusione, probata manet vltima pars eiusdẽ assertionis, quòd scilicet, non solùm ex accidente, sed per se sufficiat hæc vniuersalis contritio de omnibus peccatis confusè propositis. Cùm enim ostensum sit, nihil aliud esse per se necessarium, rectè concluditur hoc per se sufficere.

## ASSERTIO III.

*Posse hominem iustificari, cogitando de vno peccato, & illud ex motiuo pœnitentiæ detestando.*

15. Dico tertiò, Interdum potest homo veram contritionem habere, & iustificari, etiamsi de vno solo peccato cõmisso actu cogitet, si illud ex perfectissimo motiuo pœnitentiæ detestetur, hoc est manifestum: quando sic pœnitens illud solum peccatum commisit: sed potest etiam contingere, etiamsi alia commiserit. Quod expressè docuit D. Bonauen. loco suprà citato: & idẽ tenet Medina tractatu 1. de Pœnit. q. 12. ar. 2. & idem supponit Corduba lib. 1. 1. q. 15. Et ratio est, quia est illa vniuersalis detestatio virtualis omnium peccatorum, vt suprà ostensum est. Et quidem si alia peccata commissa oblita sint, res etiam est per se manifesta: quia iam ille homo detestatur peccata commissa quantùm moraliter potest, & debet. Bouau. Medina. Cordub.

16. Addit tamen Bonauent. in eo casu debere hominem detestari saltem sub conditione alia peccata, si fortè illa commisit. Quod est optimum consilium: tamen necessitas præcepti solùm erit quando homo est dubius an alia peccata commiserit, quæ memoria exciderint. Tunc enim ratione dubij, & consequẽter ratione periculi tenebitur. At si nullum morale dubium habeat, non est cur obligetur: sicut qui nullius peccati mortalis conscientiam habet, non tenetur sub conditione conteri, sed satis est diligere. Rursus, quoniam naturalis inconsideratio pro eo tempore quo habetur, æquiualet obliuioni, & æquè excusat: ideò is qui multa peccata commisit, & vnum tantùm considerat actu, licèt aliorum non sit omninò oblitus, sed solùm actualem in cõsiderationẽ eorum habeat, poterit de peccato illo verè conteri, & per illã contritionem iustificari, ob rationem dictam. Tenebitur tamen, vt opinor, posteà de aliis peccatis formaliter contineri saltem per generalem cõtritionem. Et ita asserunt auctores citati, præsertim Medina, & Corduba, quia formalis pœnitentia de omnibus peccatis necessaria est, per se loquendo: illa autem contritio, quæ circa vnum tantum peccatum formaliter versatur, solùm est virtualis pœnitentia aliorum: & ideò semper manet obligatio ad formalem pœnitentiam eorum: quare in illa virtuali continetur votum de hac formali, iuxta doctrinã superiùs datam. Qui de vno peccato conteritur, & iustificatur, tenetur posteà de aliis conteri.

Dices, Eãdem ratione erit obligatio detestandi illa peccata in particulari, & distinctè cogitata. Respondetur, negando sequelam, quia pœnitentia formalis de omnibus peccatis sufficienter habetur, etiamsi illa solùm confusè & vniuersè cogitentur: habemus autem expressum præceptum de formali pœnitentia omnium peccatorum, non verò de distincta

Obiectio. Obiectioni satisfit.

stincta,& in particulari omnium peccatorum,maximè cùm hoc ad intellectum potiùs,quàm ad voluntatem pertineat.

17. Dubiũ proponitur Medinæ sententia.

Hinc dubitant dicti auctores, An qui plura commisit peccata,& actu de illis cogitat, possit formaliter detestari vnum per veram contritionem, non sic detestando aliud.Medina affirmat, quia non tenetur homo quoties de peccatis cogitat, ea actu detestari: ergo potest licitè detestari vnum,& nõ aliud formaliter:ergo etiam potest id facere ex motiuo cõtritionis,quia nulla est repugnantia:sicut qui actu cogitat plures veritates fidei, potest actu exercere assensum circa vnam, & non circa aliam. Contrarium tenet Corduba. Et mihi videtur probabilius, suppositis principiis quæ posuimus,& Medina admittit. Nam formalis pœnitentia de omnibus peccatis est necessarium medium,per se loquendo,ad iustificationem: ergo quoties homo potest habere hanc formalem pœnitentiam, & est quasi in proxima præparatione ad habendã illam, non erit satis in virtute,vel in voto illam habere,quia solùm per accidens sufficere solet ex impotentia. At verò in eo casu potest facile ille homo formaliter detestari illa peccata:ergo si iustificari vult, debet habere formalem contritionem omnium:ergo non potest habere cõtritionem vnius tantùm,quia per talem contritionem iustificaretur. Quocirca, licèt absolutè non teneatur homo actu detestari peccata,quoties de illis cogitat: tamen ex suppositione quòd efficaciter vult destruere aliquod eorũ,& à se expellere periustificationem,necesse est, vt de omnibus doleat:in contritione autem includitur vel formaliter, vel virtute illa efficax intentio: & ideò ex vi illius non potest separare (vt sic dicam) contritionem vnius peccati à formali contritione aliorum,nisi ex inconsideratione,vel aliqua ignorantia,quæ illi æquiualeat. Propter quam rationem dicemus etiam inferius,peccatorum, qui actu cogitat de suo statu in peccato mortali, non posse diligere Deum super omnia, quin simul peccata detestetur, quod latius ibi exponetur.

Cogitans de plurib. peccatis nõ potest vnũ solum detestari per cõtritionem.

18. Alia dubitatio. Vega.

Vltimò dubitari hic potest, An contritio esse debeat etiam de ipsis actibus peccatorum, vel sufficiat de malitia eorum. Nam Vega lib.13.in Trident.c.25. refert opinionem asserentem non esse necessarium actus ipsos detestari,quam esse improbat: & meritò, vt facilè nobis constare potest ex suprà dictis de obiecto pœnitentiæ.Solum est obseruandum, hoc maximè habere verũ in actibus qui sunt intrinsecè mali:nam ab illis moraliter factis inseparabilis est malitia:& ideò ratione illius detestabiles sunt,& detestãdi.At verò,si actus ex se sit indifferens, ex praua autem intentione fuerit peccaminosus,non erit necessarium detestari actum,sed modum operandi illum. Idemque à fortiori est,si actus erat bonus & ex cõscientia erronea fuit malè factus. Denique etiam oportet separare effectum ab ipso actu, nam effectus non est peccatum & potest placere ratione bonitatis, etiamsi per actum,quantumuis malum,factus sit.

Non solum debet quis detestari malitiãpeccati sed actus peccati intrinsecè malos.

## SECTIO VII.

*Vtrùm contritio semper sit actus gratia formatus.*

1. Actum cõtritionis sẽ per esse gratia formatũ.

POSTQVAM dictum est de quantitate contritionis, dicendum est de qualitate, seu morali dignitate eius,quæ in præsenti materia solùm esse potest hæc formatio,vel informitas contritionis.Caditque commodè in hunc locum hæc quæstio, quia ex præcedentibus facilè resoluitur.Sequitur enim ex dictis actum contritionis semper esse formatum gratia: quia nullo tempore vel momento ab illa separatur. Intelligitur autem hoc de gratia gratum faciente quæ suppositum reddit sanctum & gratum:actum enim esse formatum tali gratia,nihil aliud est,quàm esse hominis sancti actum,& grati Deo:ratione cuius habet valorem quendam, & dignitatem moralem. Atque hæc assertio ita in communi sumpta,certa est, & ab omnibus recepta,maximè loquendo de contritione formaliter,vt contritio est. Nam loquẽdo de actu illò, qui est contritio,id negant Scotus,& Caietanus:falsò tamen,vt satis constat ex dictis sect.4.& 5.Estque aperta doctrina D.Thomæ locis ibi citatis, & in hac quæst.art.6.& q.sequente art.6.ad 1. Et alia referunt Vega lib.6.in Trid.c.34.Corduba lib.1.quæstionum Theologicarum,quæst.2.dub.4.Soto lib. 2. de Natura & grat.capit.16.circa finem & lib.3.cap.13.circa finem.Hic verò referri posset noua quædam opinio Michaelis Baij, qui fatebatur quidem gratiam, & charitatem in eodem momẽto infundi,in quo homo habet actum contritionis, vel dilectionis:peccata verò non statim remitti etiam quoad culpam, donec sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ re ipsa recipiatur.Ex quo planè sequitur talem actum non statim esse plenè formatum,quia est adhuc hominis existentis in peccato mortali.Illa tamẽ sententia supponit falsos errores,scilicèt, quòd peccatum nunquam remittatur vsq; ad realem susceptionem sacramenti, & consequenter,sine hac susceptione non posse hominem saluari. Item posse esse hominẽ in statu peccati,imò & cõdemnari cum habitibus gratiæ,& charitatis.Denique promissiones adductæ ex Scriptura in Sect.5.sufficiunt ad conuincẽdos hos errores,quia contritioni non solùm gratiæ infusio, sed etiam remissio peccati promissa est.Vt omittam quod Paulus ait,nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu & charitatẽ nunquàm excidere, nec separari ab Spiritu sancto inhabitante, & alia quæ communia sunt, & in materia de Gratia latius tractantur.

D.Thom. Vega. Corduba. Soto. Michaelis Baij opinio. Reiicitur. Rom.8. 1. Cor.13.

2. Tripliciter cõtritio potest formari gratia. Quorumdã opinio.

Vt autem exactius declaremus hanc gratiæ informationem, aduertendum est, tribus modis posse intelligi hunc actum contritionis esse formatum. Primò per se essentialiter absque coniunctione ad aliam formam. Secundò effectiuè, quia nimirum à gratia ipsa efficitur: & consequenter in sua effectione formatur. Tertiò concomitanter, & quasi passiuè ac moraliter. Dixerunt ergo aliqui,contritionis actum nõ indigere forma aliqua, vt formatus sit, sed ipsum per se,& præcipuè quatenus dilectionem Dei super omnia includit,esse essentialiter formatum. Imo esse formam ipsam,quæ hominem gratum & sanctũ cõstituit sufficienter, quia est supernaturalis forma cõiungens hominem Deo, non minùs quàm habitus. Hæc sententia nobis nullo probãda est modo: quam ex professo tractassem,& impugnasse,nisi id egissem in primo tomo huius 3. p. disp. 4.sect.8.& infrà tractando de effectibus pœnitentiæ, iterum occurret. Nunc nobis satis sit, Concilium Tridentinũ posuisse hunc actum vt dispositionem ad gratiam,& remissionem peccati,non verò vt formam formaliter perficientem hunc effectum: sed asseruisse hanc esse ipsã iustitiam infusam.Et ratio est,quia ille actus nunquã est condigna satisfactio pro peccato:& ideo non expellit illud, donec Deus conuertatur ad hominem, infundendo illi gratiam sanctificantem. Sit ergo nobis certum,hunc actum non per se, sed per gratiam, & charitatem informari.

Reprobatur

### *An prima contritio ab habituali gratia fiat.*

3. Opinio secunda.

ALIORVM ergo opinio fuit,hunc actum esse formatum,quia efficitur ab ipsa gratia sanctificante,

cante, vel saltem ab aliquo habitu infuso, qui illam comitantur. Hæc est communis Thomistarum præsertim recentiorum, eò quòd illã videatur insinuare D. Thomas 1.2.q.113.art.7.& 8.& in 4.d.17.q.1.a.3. quæst.2.vbi Bonauent. idem sentit. Et ratio reddi potest, quia cùm hic actus sit supernaturalis necessarium est supernaturale principiũ intrinsecum, à quo eliciatur: quod esse non potest nisi illa gratia, cùm talis actus ad charitatem & amicitiam Dei pertineat. Statim verò occurrit contra hanc sententiam vulgaris difficultas, quia hic actus est dispositio præparans animam ad gratiam recipiendam: ergo non potest ab illa gratia effectiuè procedere. Antecedens supponitur vt certum ex modo loquendi Scripturæ & Sanctorum. Et nunc videtur iã definitum in Tridentino, vt latiùs infrà tractando de causalitate pœnitentiæ. Consequentia verò probatur, quia causa verè efficiés omninò supponitur in suo esse ad effectum: quia aliàs non posset illi dare esse: ergo non potest intelligi vt talis effectus sit causa præparans subiectum ad esse illius formæ, cuius est effectus, ergo si actus cõtritionis præparat animam ad recipiendam gratiam, non potest ab illa effectiuè procedere.

D. Thom. D. Bonau.

4. Prima resolutio difficultatis. Caiet. Ferrar.

Ad hanc difficultatem soluendam variis distinctionibus vtuntur Thomistæ. Caietanus dict. art. 8. & Ferrarien. 4. contra Gent. c. 153. distinguũt de infusione, & receptione gratiæ. Et aiunt gratiã vt infusam antecedere actum contritionis ordine naturæ, & ita efficere & formare illum: eãdem verò gratiam vt receptam, subsequi & esse effectum contritionis dispònentis ad illam. Sed in tribus deficiunt. Primò, quia forma nõ potest esse principium agendi, nisi vt recepta in supposito operante per illam: debet enim illud priùs in actu primo constituere: quod maximè verum est in actibus vitalibus, & in formis, quæ ex parte hominis sunt principia intrinseca eorũ. Secundò, quia infusio huius formæ est, per eductionem de potẽtia subiecti, vel est cum cõcursu materiali ipsius animæ: & ideò non potest esse prior natura infusio talis formæ, quàm receptio. Tertiò, & magis Theologicè, quia contritio nõ tantùm est dispositio ad receptionem, sed etiam ad infusionem ipsam dicente Tridentino sess. 6. c. 7. vnicuique infundi iustitiam iuxta illius dispositionem, quàm priùs descripserat esse contritionem. Imò cùm gratia tanta recipiatur, quanta infunditur, non posset contritio esse in suo genere causa, & mensura gratię recipiendæ, nisi esset etiam infundendæ.

Improbatur.

Trident.

5. Soti resolutio.

Reiicitur.

Aliter ergo Soto in 4.d.15.q.1.art.6. Distinguit de contritione, vt procedente à libero arbitrio, vel vt à gratia: & priori modo ait antecedere per modum dispositionis ad gratiæ infusionem, posteriori autem modo subsequi vt effectum eius. Verum hoc etiam constare non potest, quia dum consideratur illa dispositio vt procedens à libero arbitrio, vel intelligitur vt procedens ab illo solo, vel ab illo vt gratia adiuto. Primum dici non potest, tum quia liberum arbitrium nudè consideratum nihil supernaturale efficere potest, nec se ad gratiam disponere iuxta catholicam doctrinam: tum etiam, quia liberum arbitrium vt cooperans ad talm actum, essentialiter aut necessariò pendet ab adiutorio gratiæ, vt etiam Tridẽtinum definit: ergo ille actus, vt antecedit in ratione dispositionis, non est à solo libero arbitrio: ergo est etiam à gratia. Imò D. Thom. 1.2.q.112.ar.2.& 3. merito docet actum nostrum non esse dispositionẽ vltimã ad gratiã ex vi solius liberi arbitrij, sed maximè ex influxu ipsiusmet gratiæ. Interrogo ergo à qua gratia procedat: nã si est ab habituali, vana est distinctio, quia necesse est, sicut liberũ arbitriũ, ita & gratiã ipsã antecedere talẽ dispositionẽ. Si verò illa gratia est alia per modũ auxilij, ergo iã dispositio illa habet aliud principiũ gratiæ sufficiẽs in suo ordine, distinctũ ab habituali gratia: ergo non efficitur ab illa.

D. Thom.

6. Præcluditur euasio.

Nec dici potest, eundem actum contritionis priùs natura procedere actiuè à libero arbitrio cum auxilio gratiæ, deinde verò in alio signo naturæ procedere etiã actiuè à gratia habituali: tũ quia forma nunquam producit effectũ, quem iam innenit factum, cùm ipsa fit: tum etiam quia est superflua duplex illa efficientia, cùm prior sufficiat: præsertim quia auxilium gratiæ, quod sufficit cum sola potentia ad producendum actum, maius est, quàm cum potentia cum habitu simul operatur. Denique iuxta vera principia Metaphysicæ in vno effectu producendo solùm interueniat vna actio, si modo ordinario & naturali fiat: ergo etiam in præsenti solùm est vnica actio, qua fit actus contritionis. Vel ergo illa actio manat à gratia habituali simul cum auxilio & potentia, & sic nullo modo potest esse prior natura, quàm gratia habitualis, cùm ab illa omninò, & essentialiter pendeat: vel datur ibi actio, quæ manat à sola potentia cum auxilio: & sic nulla est quæ procedat à gratia habituali.

7. Cani resolutio.

Propterea ergo Cano in dicta relectione tandem ait, contritionem non manare actiuè à gratia habituali, quæ est in essentia animæ. Distinguit ergo inter gratiam, & habitus voluntatis: & gratiam concedit esse omninò posteriorem natura, & non priorem etiam in genere causæ efficientis, propter rationem dictam, quia talis actus est dispositio præparans ad illam gratiam. De habitu autem voluntatis dicit esse priorem, quia ab illo elicitur actiuè talis actus. Mirum autem est, non considerasse idem argumentum procedere de habitu voluntatis, quia contritio non tantùm præparat animam ad recipiendam gratiam, sed etiam eodem modo disponit voluntatem ad recipiendam charitatem, & pœnitentiam infusam habitualem: nam Tridentinum eodem modo de iis loquitur, dicens, ad prædictam dispositionem cõsequi iustificationem per infusionem gratiæ, & donorum, quæ dona sunt virtutes infusæ. Quin potiùs illa dispositio ita præparat ad gratiam habitualem, vt consequenter præparet ad virtutes, quia illæ virtutes infunduntur vt proprietates consequẽtes gratiam, quæ est principalis forma, & ideò dantur commensuratæ illi. Vnde etiam nouum sumitur argumentum, quia gratia habitualis priùs natura infunditur in essentia animæ, quàm virtutes dentur voluntati: sicut anima ipsa priùs natura creatur, quàm eius potentiæ concreentur: ergo si gratia ipsa est omninò posterior cõtritionis actu, non potest habitus volũtatis esse prior: loquimur autem de habitu charitatis, & aliarum virtutum, quæ non separantur à gratia: nam habitus fidei, & spei, sicut possunt esse in tempore etiam à gratia separati, ita possunt prius etiam infundi. Ex eis tamen sumi potest proportionale argumentum: nam quando fides infunditur per primum actum, tãquam per dispositionem præuiam, fieri non potest, vt ille habitus præcedat in intellectu, & sit principiũ actiuum talis actus propter rationem factam: ergo idem est in omni habitu voluntatis respectu proprij actus.

Expellitur.

---

## *Actum contritionis non procedere actiuè à gratia habituali.*

8. DICENDVM ergo est, actum contritionis nõ procedere actiuè à gratia habituali, neque ob eam causam vocari posse actum formatum. Hæc est expressa D. Thom. sententia 1.p.q.62.art.2.ad 3. & 1.2.q.109.a.6.& q.112.a.2.& 3.p.q.89.art.1. Eandem tenet Capreolus in 4.d.14.q.2.a.3.ad 1. Henrici insinuat

D. Thom. Capreol. Henric.

Bonauen.

nuat Bonauen.in 4.d.17.art.1.q.2.& eandem tenent hoc tempore communiter Moderni. Et mihi videtur conuinci argumẽto facto. Quod ita Theologicè declaro, nam in auxiliis, vel principiis necessariis ad opera gratiæ, quædam infundit Deus, vt operemur: alia, quia operamur. Quando priori modo infundit, opus est solius gratiæ sine dispositione nostra: quando verò infundit posteriori modo, talis infusio est ex dispositione nostra: & ideò necessariò supponit aliam gratiam, à qua sit illa dispositio, quia esse non potest ab illa, propter quam efficiendam datur. Exemplum est in prima gratia excitante, quæ nobis datur, vt per illã operemur, & ideò impossibile est vt detur propter illud opus, ad quod efficiendum datur tanquàm propter dispositionem. Ac, proptereà quia illa gratia non supponit aliam priorem, ideò non datur ex dispositione nostra, sed ex sola gratia Dei. At verò gratia habitualis nobis infunditur, quia operati sumus: ergo nõ datur vt operemur idem opus, propter quod tanquàm per dispositionem datur: ergo non infunditur vt principium eius, sed necessaria est alia prior gratia, quæ non est nisi diuina motio, vt expresè docuit D. Thomas citatis locis.

Explicatur opinio.

A

B

9 Explicatur secundò.

Aliter etiam potest in hunc modum explicari, & confirmari: Deus enim in illomet instanti quo homo conteritur, infundit gratiam habitualem, respiciens aliquo modo ad contritionem hominis, vt constat ex Scripturis, & Conciliis: cùm ergo Deus gratiam infundit, vel intelligitur respicere contritionem, vel videre illam, vt iam ab homine factam, vel vt statim in eodem instanti faciendam, si illi habitualem gratiam infundat. Si primum dicatur, quod est verissimum, euidenter fit, contritionem illam non esse factam per ipsammet gratiam habitualem, quia impossibile est Deum videre in aliquo actionem, vt iam factam ab illo, non videndo in eo principium talis actionis. Denique quia vtrumque præcedit simpliciter infusionem habitualis gratiæ. Si verò dicatur secundum id apertè est falsum: nam sequitur gratiam non infundi propter contritionem tanquàm per dispositionẽ, sed potiùs infundi, vt habeatur contritio, atque adeò propter illam tanquàm propter finem: sicut auxilium efficax gratiæ excitantis ideò datur, vt homo habeat contritionem, quam Deus præuidet statim habiturum, si ipse conferat tale auxilium: & ideò contritio non est dispositio, sed finis talis auxilij. E contrario verò cùm datur huiusmodi augmentum gratiæ propter actum intensiorem, quamuis detur in eodem instanti, in quo fit actus intensior, datur tamen propter illum tanquàm per dispositionem & meritum, quia datur per illum non vt faciendum per gratiam augmẽtatam, sed potiùs vt iam factũ per gratiam remissam cum auxilio: & ideò talis actus non procedit effectiuè à gratia aucta, vt sic. Et hæc duo exempla confirmant apertè veritatem.

C

D

10 Aliâ ratione probatur assertio.

Ex quibus etiam sumi potest alia ratio, quia nullus actus meritorius procedit effectiuè à termino meriti, seu à forma quam meretur: contritio autem, seu vltima dispositio meretur saltem de congruo ipsam gratiam habitualem: & quoad hoc eadem est ratio de merito de congruo, vel de condigno, quia vtrumque supponitur ante præmium: & ideò neutrum potest mereri suum principiũ. Et eadem causa proportionalis est de dispositione, quæ etiam supponitur existens ante formam, ad quam disponit, & præsertim in ea dispositione, quæ intrinsecè requirit, vt fiat ab ipso, qui disponitur, vt est contritio: & ideò necesse est vt supponatur in illo principium efficiendi talem dispositionem, atque adeò vt illud sit distinctum à forma, ad quam est dispositio: illud ergo principium est auxilium gratiæ, & non ipsamet gratia habitualis. Vnde Tridẽtinum sess.6.c.3. solùm requirit gratiam excitãtem & adiuuãtem, vt eliciamus actus, quibus ad iustificationis gratiam recipiendam præparamur. Quid autem sit illa diuina motio, & quomodo eleuet nostras potentias ad operandum sine habitu, in materia de Gratia explicandum est.

E

Conc. Trid.

11. Actum contritionis formari à gratia per infallibilẽ illius concomitãtiam.

Relinquitur ergo tertius modus informationis actus contritionis à gratia per infallibilem concomitantiam, & cõiunctionem, talis actus cum tali forma: quam coniunctionem demonstrauimus sect.5. Et probatur hic modus à sufficiẽti partiũ enumeratione, & quia hoc sufficit, vt actus dicatur formatus, etiamsi physicè effectiuè non procedat à gratia: sicut habitus ipsi formantur suo modo per gratiam, & actus etiam virtutum moralium acquisitarum: & in Christo omnia opera formabantur à gratia vnionis.

12. Actu. cõtritionis priùs natura intelligitur informem, quã formatur. D. Thom. Bonau. Durand. Soto. Conc. Trid.

Hinc verò intelligitur, actum contritionis priùs natura intelligi informem, quàm formatum, vt docuit D. Thom. dict.q 89.ar.1.ad 1.& 2.& 1.q.113.ar.8. ad 2. D. Bonauent. d.17.p.1.art.2. q. 2. ad argumenta. Durandus q.1. Soto d.14.q. 2. art. 6. & alij statim citandi. Sumiturque ex Concilio Tridentino, sess.6.c. 7. dicente, *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur*: descripsit autem dispositionem contritionis, vt suprà tactum est. Et similiter canone 3. ait: *Neminem sine gratia pœnitere posse, sicut oportet, vt iustificationis gratiam consequatur*: est ergo ibi consecutio & causalitas, atque adeò ordo naturæ. Et hæc est ratio huius assertionis. Nam cùm contritio sit dispositio ad gratiam, præcedit ordine naturæ: ergo, vt sic, nondum intelligitur formata: quia, vt sic, non est ab homine grato: & ideò, vt sic, non est satisfactoria, nec meritoria de condigno: statim verò in eodem instãti infunditur gratia, & incipit ille actus esse hominis sancti, & grati Deo. Ex quo habet quandam moralem nobilitatem, & hoc est esse formatum: adeò, vt de illo in tali statu iam constituto dicat D. Thom. esse meritorium de condigno primæ gloriæ, de quo aliàs.

13. Opinio dicentiũ actũ informem esse attritionem. Scotus. Palud. Richard. Soto. Reiicitur.

Dicunt verò aliqui, hunc actum, vt informem in illo priori naturæ non esse contritionem, sed attritionem. Ita loquũtur cum Scoto Paludanus d.17.q.1. ar.1. Richar.ar.1.q.1.ad 2. Sot.d.15.q.5.art.6. Sed hoc pertinet ad quæstionem de nomine, & mihi non placet hic modus loquendi: quia contritio, vt contritio, est vltima dispositio extra sacramentum sufficiens: simpliciter enim hæc causalis vera est, quia homo est cõtritus, ideò datur illi prima gratia & remissio peccati. Sic enim verum est illud, *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Ergo ille actus etiam quatenus ordine naturæ antecedit, & est dispositio ad gratiam, est vera contritio. Neque alij auctores afferunt rationem aliquam, ob quam contritio sub hoc conceptu, & appellatione contritionis dicat actum, vt iam formatum adueniente gratia, & non potiùs ipsum actum, qui secum affert gratiam, quia per se, & intrinsecè talis est, habetque totam perfectionem, quàm vox, & metaphora contritionis indicat. Et hæc sententia est magis consentanea D. Thomæ dict.q.89.ar.1.ad 2.& idem sentit Cano dicta relect.p.1.Gabr.d.17.q.1.ar.2.in fine, & alij suprà citati.

D. Thom. Cano. Gabr.

14. Obiectio.

Soluitur. Formatio actuum duplex.

Dicet tandem aliquis. Contritio includit dilectionem: dilectio autem non potest esse informis etiam in signo naturæ, tũ quia charitas est forma virtutum, tum etiam quia qui diligit, diligitur, in quo consistit amicitia per quam formantur omnia opera nostra. Respondetur, Duplex formatio intelligi potest in nostris actibus: vna ex fine vltimo, & quoad hanc est charitas forma omnium virtutum: & ideò secundùm hanc habitudinem non potest actus charitatis Dei esse informis, quia immediatè per se ipsum tendit in Deum vt vltimum finem. Altera formatio est ex par-

te suppositi, ex cuius dignitate habent actus morales valorem suum. Et quoad hoc potest actus charitatis priùs natura esse informis, quàm formatus, quia, vt est dispositio ad iustitiam, non est ab homine grato, vt sic, sed ab homine tendente ad gratiam. Qui secundùm eandem rationem consideratus diligitur quidem à Deo aliquo modo tale beneficium præstãte, non tamen perfectè, vt amicus donec sanctificetur per gratiam. Et hoc modo rectè D. Thomas in 3. d. 17. q. 2. art. 4. quæst. 3. ad 2. dicit, etsi charitas sit forma virtutum, ipsam verò gratiam esse formam charitatis.

D.Tho.

## DISPVTATIO V.

### *De Attritione.*

HÆc materia potest breuiùs expediri, quàm præcedens, quia, cognita contritione, facilia sunt omnia, quæ ad attritionem pertinent. Et in primis metaphora vocis iam explicata est: nam cùm contritio indicet dolorem perfectum: attritio in vniuersum significabit omnem dolorem peccati, qui ad illam perfectionem non attingit. Et ita etiam, in communi loquendo, per se notum est dari aliquam attritionem, quia constat dari dolorem aliquem imperfectum. Loquendo autem Theologicè, non omnis dolor imperfectus meretur nomen attritionis, sed ille qui ad gratiam obtinendã deseruire possit, quem nos Christianam attritionem vocabimus: & ideò illius ratio explicanda est, & cum contritione conferenda.

## SECTIO I.

### *Quid sit de ratione Christianæ attritionis, & quomodo à contritione differat.*

1. Attritionis descriptio ex Trident.

PRIMO iuxta Tridentinum, sess. 14. c. 4. describenda est hæc attritio, quòd sit illa detestatio peccati, quæ hominem ad gratiam suscipiendam disponit, ex se quidem, seu solitariè sumpta, remotè & insufficienter, cum sacramento autem sufficienter. Hoc enim totum tribuit Concilium contritioni imperfectæ, quam nunc attritionem Christianam vocamus: & præter illam nullam aliam agnoscit.

2. Attritio nõ potest esse ex turpi motiuo. Corol. 1. Rupert.

Ex quo principio sequitur primò veram attritionem non posse esse ex aliquo turpi motiuo: nam talis pœnitentia non potest dici Christiana, de qua legi potest Rupertus Abbas lib. 11. de Gloria, & honore fil. hom. in Matth. circa illa verba capit. 26. *Pœnitentia ductus*, qui hanc *exitiosam pœnitentiam* vocat. Videri etiam potest lib. 2. in Ionam.

3. Doloré ex humano motiuo non esse attrionem. Corol. 2. D. Augusti.

Secundò infertur, eum dolorem, qui in solo tẽporali, aut humano motiuo fundatur, non mereri in præsenti nomen attritionis, etiamsi Soto, & nonnulli alij Theologi aliter interdum loquantur. Augustinus verò lib. de Vera & falsa pœnit. cap. 2. *Inutilem dolorem* vocat: & *sine spe veniæ*. Et lib. de Catechiz. rudib. cap. 17. *pœnitentiam fictam* appellat: quomodo ergo potest vera esse attritio? Atque hoc à fortiori patebit ex sequenti puncto.

4. Doloré naturalẽ, etiã ex motiuo honesto, nõ

Infertur tertiò, dolorem omnem de peccato purè naturalem, quantumuis honestum, non attingere gradum attritionis: & quod idem est, sequitur attritionem esse debere actum supernaturalẽ. Hæc assertio est contra nonnullos Theologos asserẽtes attritionem esse actum merè naturalem, qui viribus liberi arbitrij sine auxilio gratiæ fieri potest. Et quoniam certum est, aliquem actum pœnitentiæ imperfectæ posse esse naturalem, non oportet de illo contendere, an vocandus sit attritio, necne; nam erit quæstio solùm de vsu vocis: quæstio autem de re erit, an talis actus possit esse sufficiens dispositio ad gratiam saltem cum sacramento. Et hoc sensu tenuit illam opinionem Soto in 4. d. 17. quæst. 2. articul. 5. & lib. 2. de Natur. & grat. capit. 14. & 15. & idem sentit Cano dicta relect. de Pœnitentia. Imò aliqui existimant contritionem, quam naturalem vocant, quia est dolor de peccatis ex amore Dei naturali, posse aliquando esse sufficientem dispositionem ad gratiam etiam extra sacramentum, vt latè Cordub. lib. 1. quæst. 2. opin. 4. Sed hoc posterius examinabimus infrà disp. 8. est enim sine dubio falsum. Opinio etiã illa Soti semper mihi valdè displicuit. Quam ex professo improbaui dis. 18. sect. 3. tom. 3. Summa omnium rationum est, quia Concilia omnia, quæ de gratia tractant, præsertim Arausic. 2. Mileuit. & Trident. semper requirunt ad gratiam dispositionem supernaturalem, & ab auxilio gratiæ profectam. Et expressiùs Tridentinum, sess. 14. cap. 4. distinguens contritionem perfectam, quæ interdum charitate formatur, absque reali susceptione sacramenti, & imperfectam, quæ cum sacramento sufficit, & vtramque dicit esse donum Spiritus sancti. Et sess. 6. ad omnem pœnitẽtiam, quæ ad iustificationem sufficit, etiam cum Baptismo requirit gratiam Dei excitantem, & adiuuantem. Augustinus etiam lib. de vera & falsa pœnitent. ca. 2. ait, pœnitentiam, quæ non est ex fide, esse inutilem, significans debere esse aliquo modo supernaturalem. Nec satis est dicere, quòd debet esse supernaturalis ex parte intellectus tantùm, nam si in intellectu est necessaria supernaturalis dispositio cum sacramento, cur non multò magis in voluntate? Quin potiùs idem Augustinus sæpissimè, & omnes Patres, qui posteà illum secuti sunt, generalem regulam statuunt, illum scilicet actum, qui non fit ex gratia, sed ex mera natura, per se nihil conferre ad pietatem, id est, ad salutem supernaturalem. Multùm autem conferret, si per se esset sufficiens dispositio etiam cum sacramento. Denique ratio illa generalis, quod dispositio debet esse proportionata formæ, etiam intra sacramentum locum habet: cùm ergo gratia infundenda, sit forma supernaturalis, etiam dispositio debet esse supernaturalis. Itaque certam esse existimo partem hanc, quam satis insinuauit Diuus Thomas hac quæst. 85. art. 5. ad 3. vbi docet omnem veram pœnitentiam esse donum Dei, & Spiritus sancti. Idem Alens. 4. p. quæst. 44. memb. 1. & Bonauentura in 4. d. 17. articul. 2. quæst. 2. Vbi hoc sensu dicunt attritionem esse ex gratia gratis data, per quam vocem auxilium significant, quia datur etiam ante gratiam gratum facientem. Et eodem modo loquitur Alens. 4. part. quæst. 17. Ex hac ergo veritate rectè colligimus attritionem, de qua hîc agimus, quam Christianam appellauimus, esse actum supernaturalem: nam pœnitentia merè naturalis, vt suprà etiam dixi, potiùs Philosophica dici potest, quàm Christiana.

esse attritionem. Corol. 3.

Soto. Cano.

Cordub.

Conc. Trid.

D. Aug.

Euasio præcluditur.

D Thom.

Alensis. Bonauen.

Attritio debet esse supernaturalis

5. Attritionẽ debere includere propositũ non peccandi. Corol. 4. Nauar. Cano.

Quartò, infertur ex dicto principio, attritionem esse debere detestationem ita efficacem, vt vel formaliter, vel virtute includat propositum non peccandi de cætero, ita vt simpliciter auertat voluntatem ab effectu peccandi. Non desunt quidem Theologi, qui aliter loquantur. Nam Caietan. tom. 1. Opuscul. tract. 4. quæst. 1. & tract. 5. qu. 5. & Nauarrus in Sum. c. 1. n. 33. & 34. Cano in dicta relect. distinguunt duplicem attritionem, vnam efficacem, aliam inefficacem per velleitatem non peccandi, quam ipsemet

Caiet.

Caiet. *attritionem impœnitentium* appellat, quod additum destruit in tali actu veram rationem pœnitentiæ: & consequenter etiam rationem attritionis. Vnde non est nobis cum his auctoribus dissensio in re quoad hanc partem, nam ipsi planè fatentur illum motum inefficacem non esse sufficientem dispositionem ad gratiam etiam cum sacramento; quamuis Cano contendat sufficere ad substantiam sacramenti Pœnitentiæ, quod etiam est falsum: sed de hoc infrà. Itaque loquendo de attritione, quæ est dispositio, & quæ solùm meretur nomen attritionis, certum est debere esse actum efficacem & includentem dictum propositum, vt probaui latè in citato loco de Baptismo: & infrà iterum dicendum erit. Et satis expressè docuit Tridentinum. Et ratio est clara, quia talis attritio debet saltem tollere obicem, qui positus est per affectum peccati, & moraliter manet quandiu efficaciter non retractatur.

A

B

## *Differentiæ inter attritionem, & contritionem.*

6. Prima.

HÆc autem omnia, quæ diximus, communia sunt attritioni cum contritione, vt ex dictis patet, & ideò ad eas distinguendas, & concludendam aliquam descriptionem attritionis in communi, addendum est, attritionem esse efficacem detestationem peccati ex aliquo motiuo supernaturali, quod non sit Deus ipse, quatenus est summum bonum, à quo peccatum auertit. Non possumus enim communem rationem attritionis: nisi per hanc negationem explicare, neque aliter declarare differentiam essentialem inter illam, & contritionem propriè dictam, de qua disseruimus disp. præcedente. Neque etiam possunt satis distingui per solas accidentales differentias, vt multi Theologi illas distinguunt: quod patebit facilè, si per illas breuiter discurramus. Primùm enim distinguuntur in intensione, vel duratione, vt Scotus vult, & Paludano non displicet d. 17. q. 1. art. 5. concl. 3. Satis verò nos suprà ostendimus nullam intensionem, vel durationem esse de ratione contritionis: & idem est de attritione propter easdem rationes ibi factas: vnde in hoc potiùs conueniunt.

Attritionon differt à cõtritione in intensione, vel duratione. Scotus. Palud.

C

7. Neque in sola acceptatione diuina. Caiet.

Neque etiam distinguuntur ex sola acceptatione diuina, vt Caiet. indicat: quia nec contritio habet esse contritionis ab illa acceptatione, vt suprà ostendi, nec attritio semper excludit illam acceptationem: nam in sacramento etiam acceptatur, vt sufficiens dispositio: & extra sacramentum acceptatur saltem vt remota: quòd verò tunc non acceptetur vt proxima, non constituit illam in esse attritionis, sed potiùs quia est tantùm attritio, ideò ex se magis acceptabilis non est. Neque etiam distinguuntur sufficienter ex respectu ad auxilium, vt indicat Caietan. nam, vt dixi, tam est necessarium auxilium gratiæ ad attritionem quàm ad contritionem. Quòd verò auxilium ad contritionem aliud sit, & maius, supponit distinctionem in ipsis actibus, nam vnicuique datur auxilium proportionatum: illa autem differentia, quæ supponitur, essentialis est, non accidentalis.

D

Neque per respectũ ad auxilium.

8. Neque ex informatione gratiæ. Palud. Soto. Ruard. D. Thom.

Rursus non satis distinguuntur ex informatione gratiæ, scilicet, vt contritio dicatur omnis dolor gratia formatus, attritio verò quandiu non formatur per gratiam: quanquàm Palud. d. 17. q. 1. art. 1. concl. 3. & Soto li. 2. de Nat. & grat. ca. 14. in fine, & Ruard. art. 3. contra Luther. ita loquantur: imò & interdum D. Thom. vt videre licet q. 28. de Veritate, art. 8. Tamen suprà ostendi contritionem etiam priùs natura quàm formetur per gratiam, esse veram contritionem: attritio autem idē actus manet, etiamsi in subiecto gratia infundatur: semperque differt à vera contritione, & hanc differentiam quærimus: ergo non satis sumitur ex actuali informatione gratiæ. Dico, *actuali*, quia si potestatiuè, vel secundùm dignitatem actus loquamur, rectè dicemus eum actum, qui semper postulat informationem, & coniunctionem cum gratia, esse contritionem: qui verò hanc dignitatem non habet, esse attritionē, si reliqua habeat, quæ dicta sunt. Hæc autem differentia non est diuersa ab illa, quam in principio supposuimus, & sumitur in ordine ad effecta: v ersaturque inter hos actus in ratione dispositionum. Supponit tamen inter eos differentiam quoad se, & hanc inquirimus.

E

9.

Solet quidem, vulgari modo loquendo, dici hominem fieri ex attrito contritum per sacramentum, eò quòd eius attritio gratia formatur. Quæ locutio supponere videtur, illum dolorem gratia formatum esse contritionem. Sed hæc est impropria, & extrinseca denominatio contritionis, magis sumpta ex similitudine effectus, vel ex dignitate subiecti, quàm ex intrinseca differentia, & perfectione attritionis, quæ non mutatur, neque augetur propter gratiam additam subiecto; & per illam differt à propria contritione, quam differentiam nunc inuestigamus. Quæ non etiam explicatur satis per vniuersalitatem formalem, seu sumptam ex formali distributione obiectiua peccatorum, nam hoc modo contritio potest esse interdum non vniuersalis, vt ex proximè dictis in vltima sectione præcedentis disp. constat: & attritio potest sæpe habere illā vniuersalitatem, vt quando quis propter gehennæ metum formaliter omnia peccata commissa detestatur. Denique non satis exponitur hoc discrimen per ordinem ad peccata confusè, aut distinctè recogitata, vt Caietanus indicauit: quia, vt etiam ostendimus, sine illa expressa recogitatione potest esse vera contritio, & cum illa fieri potest vt sit sola attritio. Nam post quamcumque recogitationem potest homo ex metu, aut alio simili motiuo, omnia peccata distinctè proposita detestari. Relinquitur ergo, hanc differentiam propriam, & essentialem sumendam esse ex motiuis. Et quia contritio est quidam actus specificus, cuius motiuum iam declarauimus, ideò ex hac parte possumus distinctionem hanc per positiuam, & propriam differentiam designare. Attritio verò est quid confusum, & genericum, vt ex sequenti sect. constabit: & inter varias attritiones non possumus propriam conuenientiam declarare, nisi per dictam negationem, scilicet, quòd non attingat perfectissimum motiuum contritionis, sed in alio inferiori nituntur. Et ideò per hanc negationem explicamus differentiam inter attritionem in communi, & contritionem.

Attritio nõ differt à cõtritione in vniuersalitate.

Neque per ordinem ad peccata distinctè, vel confusè recogitata.

Essentialem differẽtiam sumendam esse ex motiuis.

10. Alia differẽtia negatiua inter attritionem & contritionẽ. D. August.

Atque hinc sequitur alia etiam differentia negatiua, scilicet, quòd contritio ex propria rarione includit formaliter, vel virtute dilectionem Dei super omnia, attritio verò minimè: & inde habet vt non sit ex se sufficiēs dispositio: & ideò etiam ab Augustino lib. de vera & falsa pœnit. cap. 17. contritio appellatur, *conuersio*, attritio, *versio* tantùm. Et inde etiam est, vt propria contritio sit actus à charitate elicitus: attritio verò semper est ab alia inferiori virtute, vt infrà dicam. Rursus etiam contritio simpliciter detestatur peccatum supra omne detestabile: attritio verò non semper, vel nunquàm perfectè. Quamuis enim Soto d. 17. q. 2. art. 5. potiùs dicat in hoc conuenire attritionem cum contritione: verius tamen est quod dixi, quod etiam ipse sentit 2. de Nat. & grat. cap. 14. Et patet facilè ex superiùs dictis de actus pœnitentiæ, nam si attritio est ex timore pœnæ, ex vi illius actus non

Soto.

dis

diſplicet culpa pluſquàm pœna: ſi verò ſit ex aliqua malitia morali, licèt diſpliceat pluſquàm pœna, non tamen pluſquàm omne malum culpæ ſub quacunque ratione ſuperiori conſideratum. Semper ergo deficit in hoc attritio à perfectione contritionis.

11. Tertia differentia inter attritionem & contritionem.

Denique hinc oritur alia differentia etiam negatiua, quamuis non adæquata, nam contritio ſemper eſt vniuerſalis, ſaltem virtualiter ex vi motiui: attritio verò non ſemper. Poteſt quidem aliqua attritio hoc habere, vt ſuprà dictũ eſt de illa, quæ eſt ex metu gehennæ: dixi verò hanc differentiam non eſſe adæquatam, quia illa attritio, quæ eſt ex propria malitia conuerſionis alicuius peccati, non habet hanc vniuerſalitatem, quia ex vi motiui non ſe extendit etiã virtualiter ad alia peccata diuerſa. Et ideò rectè dixerunt Paludanus in 4.d.14.q.1.& Alenſ.4.p.q.74.memb.1.attritionem requirere vniuerſalitatem ad eſſe diſpoſitionis, non verò ad eſſe attritionis.

Palud. Alenſ.

12. Obiectio.

Ex quo ſtatim oritur obiectio contra id quod ſuppoſui in principio ſectionis, ſcilicet, attritionem Chriſtianam eſſe illam, quæ cum ſacramento eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam: hîc autem diximus plus requiri, vt diſponat, quàm vt ſit attritio. Et declaratur exemplo: nam ſi quis commiſit periurium, & adulterium; & poſteà cogitans de ſolo adulterio illud deteſtetur propter ſpecificam turpitudinem eius, habet veram attritionem, iuxta prædictam differentiam; & tamen non habet ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, etiam cum ſacramento, quia non habet attritionem omnium peccatorum, nec formalem, nec virtualem: ergo non omnis attritio vera, eſt diſpoſitio. Reſpondetur, argumentum conuincere attritionem non ſemper eſſe abſolutam diſpoſitionem, ſed reſpectiuè, ſeu quantùm eſt ex parte ſua, quia attritio adæquata peccatorem commiſſorum, eſt adæquata diſpoſitio: attritio verò quaſi partialis, eſt tantùm partialis diſpoſitio: quæ ex ſe, & reſpectu ſui: obiecti ſufficiẽs eſt ad tollendũ obicem illius: tamen ſi aliunde ſit aliud peccatum impediens, indigebit conſortio alterius attritionis, qua ille obex etiam tollatur. Et ita intelligendum eſt illud fundamentum in principio poſitum.

Reſponſio, Attritio non ſemper eſt abſoluta diſpoſitio ad gratiam cũ Sacramẽto, ſed reſpectiuè.

13. Quarta differentia.

Vnde vltimò poteſt etiam aſſignari differentia inter contritionem, & attritionem: quòd attritio ſemper eſt ex volũtate formali, vel virtuali deſtruendi culpam commiſſam, & expellendi illam, quatenus in homine manet. Attritio verò nec ſemper, neque per ſe poſtulat hanc voluntatem, cùm poſſit eſſe cum culpa, & non ſemper efficaciter moueat ad exhibendum medium neceſſarium, vt expellatur culpa: quãuis homo ex gratia, & ſua libertate poſſit cum attritione hanc voluntatem habere. Et hæc ſufficiunt ad declarandum diſcrimen inter hos actus: nam aliæ differentiæ, quæ aſſignari ſolent, ſcilicet, quòd contritio eſt ex amore beneuolentiæ, attritio ex amore concupiſcentiæ: vel quòd illa ex amore, hæc ex timore: vel quòd illa ex intrinſeco motiuo, hæc ex extrinſeco: hæ (inquã) & ſimiles differẽtiæ, nec formales ſunt, neque vniuerſales, vt ex ſequenti ſectione conſtabit.

## SECTIO I.

### *Quotuplex ſit hæc attritio Chriſtiana: & quomodo ſemper honeſta, & ſupernaturalis ſit.*

1. Conc. Trid.

CONCILIVM Tridentinum, ſeſſ.14.cap. 4. poſt inſinuatam diſtinctionem contritionis in perfectam, & imperfectam, quam hactenus declarauimus: quia illa contritio imperfecta nihil aliud eſt, quàm attritio: poſteà ſubiungit diuiſionem contritionis imperfectæ, ſeu attritionis, in eam quæ eſt ex metu gehennæ, vel quæ eſt ob fœditatem peccati. Ex quibus verbis Concilij, quoniam doctrinalia ſunt, colligo diuiſionem illam, non ſolùm congruam eſſe, ſed etiam adæquatam. Ad quod explicandum tria breuiter declaranda ſunt. Primum, quo modo attritio ex metu gehennæ honeſta ſit. Secundum, quomodo altera attritio ex fœditate peccati ſupernaturalis ſit. Tertium, quomodo hæc membra ſufficienter diuidant attritionem. Nam quòd ipſa inter ſe diuerſa ſint, & per ſe notũ eſt ex motiuis, quę in ipſis verbis Concilij ſingulis actibus aſſignantur: & ex declaratione eorum, quæ propoſita ſunt, manifeſtius fiet.

Diuiſio attritionis.

### *Difficultas, an attritio ex metu gehennæ honeſta ſit.*

2. Ratio dubitandi.

CIRCA primum ratio dubitandi eſſe poteſt, primò quod timor ille, cùm ſeruilis ſit, turpis videtur, nam includit virtute hunc affectum, *Si peccatis non eſſet impoſita pœna, non illa deteſtarer*: quandoquidem tota ratio deteſtandi eſt pœna, & ceſſante cauſa adæquata, ceſſat effectus. Vnde Aug. de Pœniten. d.1.c. *Si propterea*, inquit, *Si propterea non furaris, quia times videri, intus furatus es in corde tuo.* Secundo, qui deteſtatur culpam propter pœnam, plus odio habet pœnam, quàm culpam, quia *propter quod vnumquoque tale, &c.* At hoc inordinatum eſt, Tertio, licèt, demus illud motiuum non eſſe malũ, tamen etiam nõ eſt bonum, ſed indifferens, quia fugere pœnam, ſolùm pertinet ad quandam naturæ commoditatem, quam quærere & malum, & bonum eſſe poteſt: vnde de ſe indifferens eſt. Quarto, licèt ille timor bonus eſſet, tamen ordinare illum ad deteſtationem, ſeu fugam culpæ, eſt inordinatum, & conſequenter eſt malum, quia eſt ordinare maius ad minus bonum. Denique nulla virtus aſſignari poteſt, ad quam pertineat illum actum elicere: ergo ſignum eſt non eſſe ex ſe, & intrinſecè ſtudioſum actum.

D. Aug. 2. 3. 4. 5.

Circa hanc difficultatem hæretici huius temporis omnino damnant non ſolùm operationem ex timore pœnæ, ſed etiam timorem ipſum tanquàm malum, & ſeruilem. Nonnulli verò Catholici, quanquàm timorem reprobare non audeant, tamen operari ex timore tanquàm ex fine proximo, indicãt eſſe malum, vt Gregor. in 2.d.26.q.1.art.3.ad 1. principale. Almain. tract.1.Moral.c.3.dub.vlt. Adrian. quodlib.4.q.2.ſine argumentis. Ex quorum ſententia videtur ſequi, attritionem, de qua agimus, eſſe actum moraliter malum. Qui licèt non fit tam apertus error, ſicut prior, eſt tamen falſa ſententia, hocque tempore omnino improbanda.

3. Quid circa hoc ſéſerint hæretici. Quid Catholici. Greg. Amai. Adrian.

Vt autem hoc declarem, ſuppono primo timorem Dei, ſeu pœnæ vt à Deo infligendæ, & præſertim gehennæ, eſſe actum bonum, quod eſt de fide certũ, & definitum in Tridentino, ſeſſ.6.canone 8. Et probatur 2.2.q.19. nunc breuiter patet Iſai. 26. *A facie tua Domine concepimus, &c. Domine in anguſtia requiſiuimus te*, vbi LXX. *Domine propter timorem tuum*, & Hieronymus ibi ad rem præſentem, optimè declarat dicens, *A facie tua Domine concepimus*: & infrà ait, Vtramque lectionem eodem reuerti, ſcilicet, *vt ex timore, & recordatione Domini, formonem concipiamus Dei, & illuminetur cor noſtrum.* Vnde etiam eſt illud Pſal.118. *Confige timore tuo carnes meas.* & illud Pſalm.

4. Timor gehennæ. Conc. Trid. Iſai. Hieron. Pſal.118. & 33.

33. *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.* Et illud, *Timete Dominum omnes sancti eius:* quod Basilius exponit de timore pœnarum, quem vocat, *frenum animæ, & quasi fundamentum nostræ vitæ instituendæ*, iuxta illud Prouerb.15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Et illud Psalm. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Quæ loca cum aliis, quæ ad timorem pœnæ, & ad filialem pertinent, congerit Cyprianus lib.3. ad Quirin. cap.20. vocans timorem, *firmamentum fidei, & spei.* Et eodem ferè modo loquitur Tertullianus lib.de Cultu fœmin.cap.2. Et plura videri possunt apud Chrysostomum homil. 5. ad Roman.& August.sermone 18. de verbis Apostoli, vbi dicit, hunc timorem esse custodiam animæ, non salutem.& Gregor.28. Moral.cap.6.Bernard. sermon. 37.in Cantic.& serm.5. in Psalm. *Qui habitat.* Ratio etiam est clara, quia timor alicuius mali sumit rationem suam, consequenterque honestatem ex bono illo, cui tale malum opponitur: nam, vt sæpe dixi in superioribus, malũ ratione boni odio habetur. Vnde ex amore, vel desiderio boni oritur odium, vel fuga mali, qualis est timor. At verò bonum illud, cui gehennæ malum opponitur, est per se & honestissimè amabile, quia est ipsa vita æterna, & beatitudo vltima, de cuius ratione est, vt sit propter se diligibilis. Vnde etiam actus spei bonus est: ergo etiam timor gehennæ. Et confirmatur, quia multa bona per se honestè amantur, quæ pertinent ad integritatem, vel consummatam perfectionem naturæ, vt salus, scientia, & similes: quamuis enim in amore harum rerum possit esse excessus ex defectu operantis; tamen ipsa secundùm se sunt recta ratione amabilia, si secũdùm debitam mensuram, & conuenientiam ad rectam rationem amentur: ergo è contrario fugere, vel timere mala opposita, non est per se malum, sed potiùs honestum, si conuenienti modo, & ratione fiat: ergo multò magis hoc verum est de timore gehennæ. Denique in illo obiecto per se considerato nihil est turpe, neque etiam requirit aliquam circũstantiam malam: cur enim, aut vnde illam necessariò habet? & alioqui est secundùm se consentaneum rationi: ergo actus, qui circa tale obiectum versatur, per se & natura sua honestus est.

Bas. — Basil.
Prou.15. Psal.110. — Prou.15. Psal.110.
Cyprian. — Cyprian.
Tertull. Chrysost. D.Aug. — Tertull. Chrysost. D.Aug.
Gregor. Bernar. — Gregor. Bernar.
Ratio ostenditur. — Ratio ostenditur.

5 Secundò suppono, duobus modis posse hominem operari ex timore: vno modo, vt ex quadam occasione excitante hominem ad aduertendum quid mali, vel boni sit in operatione: quo modo illud dictum est, *vexatio dat intellectum.* Alio modo potest timor concurrere per modum finis: nam qui timet efficaciter, intendit, & procurat vitare illud malum, quod timet: & ex hac intentione potest eligere aliquod opus, quod necessarium, vel vtile existimat ad illud malum vitandum. Ex quibus duobus modis nemo, non solùm Catholicus, sed etiam cordatus, dubitare potest, quin prior modus sit honestus, quia ibi timor solùm concurrit per modum efficientis moraliter, sicut qui consulit. Si ergo ipse timor bonus est, & ad bonum excitat, in quo potest esse malitia? Et hoc vt minimum definit Tridentin. sess. 6. imò indicat in cap.6. hunc esse ordinarium modum, quo Deus trahit peccatorem ad pœnitentiam, iuxta illud, *Initium sapientiæ timor Domini.* Vnde etiam est illud Aug.de Catechiz.rudi.c.5. Rarissimè accidere, vt aliquis veniat ad fidem, nisi priùs commotus aliquo timore Dei. Itaque de hoc modo operandi nullum potest esse dubium. Quia ille timor in rigore morali non est circunstantia alterius actus, scilicet detestationis, sed est quædã occasio, & quasi causa extrinseca eius: & ideò non potest illi defectum aliquem, vel malitiam adiungere, nam ad operandum bonum, etiam ex prauo actu bonum est occasionem sumere, non quòd malus actus ea de causa committendus sit, sed quòd illo supposito non sit malum, sed bonum illo vti vt occasione ad bene operandum. Vnde illa detestatio peccati ex eo capite non solùm non est mala, sed etiam neque necessariò est imperfecta: potest enim timor illo modo esse occasio perueniendi ad habendam perfectam contritionem, nam hunc etiam progressum animæ in iustificatione peccatoris indicat Concil. Tridentin. suprà, & aliqui exponunt Concil. Trident. de pœnitentia hoc modo ex timore concepta. Et fortasse hac ratione sess. 6. canone 8. ait, *Gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, bonum esse,* & non dicit, *propter quem,* vt id tantùm definiret, quod certissimum erat: nam particula *propter,* in rigore dicit causam finalem: particula autem, *per,* comprehendit etiam occasionem: & ideò ca.12. expresè loquitur de timore, quo vtiliter concutiuntur peccatores, & inde ad considerandum eriguntur. Atque de eodem modo operandi ex timore possunt facilè exponi Patres superiùs citati; & refertur in c. *Sicut seta,* de Pœnitent. d.2. comparat hunc timorem ad setam sutoris, quæ filum introducit, dũ ipsa expellitur, sic exponens verba illa 1.Ioan.4. *Perfecta charitas foras mittit timorem,* scilicet gehennæ, vt imperfectum, non vt malum. Sicut exposuit etiam Cassianus Collat.11.cap.13. quanquàm Tertullian. in Scorpiac.cap.12.n.91. & 98. de timore mundano locum illum exponat. Et vtraque expositio sustineri potest. Iustinus verò quæst 98. ad Orthodoxos, priori fauet expositioni, nam per charitatem perfectam intelligere videtur charitatem patriæ, quæ timorem gehennæ excludit, nam in via, & in agone semper est necessarius.

Ca. Sicut seta, de Pœn. d.2. — Ca. Sicut seta, de Pœn. d.2.
1.Ioan.4. — 1.Ioan.4.
Cass. Tertul. — Cass. Tertul.
Iustin. — Iustin.

6 Addo verò vlteriùs, hoc non satis esse ad saluanda omnia quæ Tridentinum docet: quia Concilium approbat attritionem, quæ ex gehennæ metu concipitur. At verò respectu talis actus non potest timor cõcurrere solùm per modum excitationis extrinsecæ. Primo, quia hoc commune est etiam contritioni, vt sumitur ex eodem Concilio, sess.6.cap. 6. imo ex tota Scriptura: nam communis modus, quo Deus excitat peccatores ad pœnitentiam, est per afflictiones, vel comminationes pœnarum, & non excitat solùm ad attritionem, sed etiam ad contritionem, & perfectam conuersionem, vt patet in Niniuitis, Dauid, & aliis, & ex illis verbis Christi Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis:* quæ etiam de contritione pro suo loco, & tempore dicta fuere. Et ratio est clara, quia hæc excitatio non specificat actum, cùm sit extrinseca: vnde excitare potest ad actum perfectum. Ex quo sumitur alia ratio, quod metus hoc modo nullum determinatum actum pœnitentiæ constituit, nam ad quẽlibet excitare potest, etiam ad alia genera attritionum. At verò Concilium ponit hanc attritionem vt propriam & peculiarem: ergo loquitur de illa, in qua malum ipsum, quod timetur, vt euitandum habet rationem finis; & sub ea proximè mouet ad detestandum peccatum, quatenus confert ad illud malum pœnæ vitandum.

6.

---

## *Attritionem ex metu gehennæ tanquàm ex fine proximo esse honestam.*

7 QVAPROPTER concludendum est, hanc attritionem proficisci ex timore gehennæ tamquàm ex proximo fine, non tamen excludere debitum finem vltimum, nec, per se loquendo, includere aliquam circunstantiã malam, ideoque esse actum per

7.

D.Tho. Altiſiod. Alenſis. Dio.Tar. Soto. Ledeſm.

per ſe bonũ,& honeſtũ.Ita D.Tho.hac q.85.art.5. ad 1.Altiſiod.lib.3.Summ.tract.11.cap.2.q.1.Alex.Alenſ. 3.p.q.74.memb.2.& 3.Dionyſ.Carth.in 3.d.34. q.3. Soto in 4.d.14.q.2.art.5.Ledeſ.1.p.4.q.26.art.5.& alij Moderni.Et hæc ſententia ſatis, vt opinor, probata eſt teſtimonio Tridentini. In quo etiam ponderanda eſt particula, *Propter gehennæ metum*: nã in rigore ſignificat propriũ motiuum,& finalẽ cauſam.Item in alio membro, *propter fœditatem peccati*, ſine dubio ſignificat motiuũ proximum: ergo & in altero. Ratio verò eſt, quia in illo modo operandi intentio finis bona eſt ex obiecto ſuo, vt probauimus, quia eſt voluntas fugiendi pœnam ex ſe odio dignam:& medium,nimirum fugere,& deteſtari peccatum, etiam eſt ex obiecto bonum,vt per ſe conſtat.Rurſus ordinare tale medium ad illum finem, non eſt intrinſecè malum, nam reuerà illud medium eſt proportionatum, ſicut enim pœna non debetur niſi propter culpam, ita nullum medium eſt aptius ad vitandam pœnam, quàm vitare culpam: ergo ex hac parte eſt proportio.E conuerſo autem, quam ſi culpa ſit malum altioris rationis,quàm pœna, non propterea inordinatum eſt, aut prauum, ordinare deteſtationem peccati ad fugam pœnæ, quia ille eſt finis proximus, & nõ excludit finem vltimum,qui eſt Deus,ad cuius gloriam totum hoc referibile eſt;& quandiu non excluditur ex ſe, in illum tendit : ſic enim etiam Deus ipſe interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris, quando vtrumque in gloriam ſuam cedit,vt ordinauit Incarnationem,& Paſſionem Chriſti ad gloriam noſtram. Sic ergo in illo actu nulla eſt intrinſeca inordinatio, quamuis ſit minor perfectio ſeu imperfectio negatiua, non propriè priuatiua, quia non caret aliqua circunſtantia ſibi debita ſecundùm rectam rationem. Quia non tenetur homo ſemper intendere quod eſt optimum, nec ordinare vnum bonũ ad aliud melius, vel æquale:neque velle quodlibet opus propter intrinſecam rationem boni, quæ in ipſo eſt; ſed poteſt illud velle propter rationem extrinſecam bonam,etiamſi minor ſit:quia id per ſe ſatis eſt,vt operatio ſit bona.Neque in hoc fit iniuria ipſi maiori bono,dũm ordinatur ad minus,quia non propterea priuatur ſua honeſtate, & quia vtrumque tandem tendit in finem vltimum: & quia ſæpe inferiora à ſuperioribus conuenienti ratione iuuantur.

A B C D

---

### *Soluuntur rationes dubitandi.*

8.

ATQVE hinc facilè ſoluuntur rationes dubitandi in contrariũ propoſitæ. Ad primam enim negamus in huiuſmodi actu contineri illam voluntatem conditionalem,*Si peccato non eſſet pœna impoſita, non vitarem illud*, quia hæc voluntas nec explicitè habetur,nec implicitè aut virtute, quia illud motiuũ vt dixi,non ſumitur vt finis vltimus, in quo affectus ſiſtit ſuper omne amabile; quod in illa cõditionali ſignificatur:ſed eſt tãtùm finis proximus,qui pro nunc verè, & omninò auertit voluntatẽ ab interno affectu peccati,& ſecundũ præſentem affectum iudicandum eſt de hac voluntate.Imò eſſet repugnantia,quòd voluntas ex hoc motiuo efficaciter deteſtãs culpam,haberet illam voluntatem conditionatã,quia per illammet culpam cõmitteret,& efficeretur pœnæ rea.Vnde ageret contra intentionem, quam habet vitandi pœnam. In quo eſt magnum diſcrimẽ inter hoc motiuum,& motiuum infamiæ humanæ, de quo loquitur Auguſtinus in loco in argumento citato :nam intentio vitandi infamiam coram hominibus,per ſe ſolùm cõtinet hominẽ ab exteriori actu, quia per hunc infamia contrahitur, & illo ablato vitatur, etiamſi in interiori affectu perſeueretur. At verò motiuum vitandi pœnam apud Deum, corrigit etiam interiorem affectum:nam hunc etiam Deus corripit,& punit.

9 Soluitur. ſecunda ratio dubitandi.

Ad ſecundam reſpondetur,per illum actum actualiter magis deteſtari hominem illam pœnam, quàm culpam,ſaltẽ quatenus pœna eſt ratio deteſtandi culpam. Nihilominùs tamen illũ actum non impedire, neque excludere,quin homo,ſimpliciter loquẽdo,& propter alias rationes deteſtetur magis culpam,quàm pœnam:& ideò actus ille ex hoc capite malus nõ eſt, quia nõ tenetur homo ſemper, & per omnem actum illam comparationem facere,& magis culpam,quàm pœnam deteſtari : quod etiam in ſuperioribus adnotaui.Ad tertiam verò, & quartam iam explicãtum eſt quo modo illa intentio ex obiecto nec mala:nec indifferens ſit,ſed bona:& quomodo, licèt minùs perfecta ſit, non ſit malum ad eam ordinare aliquid perfectius.

10 Soluitur quinta ratio dubitandi.

Denique circa quintam rationem laborant aliqui in explicando à qua virtute procedat hic actus.Et aliqui cenſent non eſſe neceſſarium vt ab aliqua virtute procedat:quia eſt(inquiũt)imperfectus talis actus: virtutes autem ſunt propter actus perfectos. Sed hoc non rectè dicitur,tum quia ille actus,vt dixi, non eſt imperfectus priuatiuè,ſed negatiuè tantùm,id eſt,nõ tam perfectus ſicut contritio : virtutes autem etiam ſunt ad huiuſmodi actus imperfectos:alioqui vna ſola charitas eſſet nobis infundenda : tum etiam quia ille actus ſupernaturalis eſt, cùm ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam cum ſacramẽto, vt ſenſit Concilium Tridentinum:quod propterea dixit talem actum eſſe ex motione Spiritusſancti : actus autem ſupernaturalis, vt debito modo fiat, requirit habitum, & conſequenter virtutem à qua eliciatur. Alij ergo tribuunt illum actum donõ timoris.Sed non rectè,tum quia dona vt diſtinguuntur à virtutibus, non ſunt ad ordinarium modum operandi, ſed extraordinariũ ex ſingulari motione Spiritus ſancti : hic autem actus pertinet ad communem modum operandi virtutum humano modo:tum etiam quia donum timoris, iuxta rectam eius interpretationem,reſpõdet virtuti Temperantiæ;& ſolùm in ea materia operatur : hic autem actus vniuerſalior eſt.Dicendum ergo eſt,iuxta principia à nobis ſuprà poſita,hunc actũ pertinere ad virtutem Spei:nam eiuſdem principij eſt amare aliquod bonum,& odio habere contrarium malum:cùm ergo hic actus fundetur potiſſimè in timore gehennæ,quę directè opponitur vitæ æternæ, quam ſpes intendit, fit,vt huiuſmodi actus ad eãdem virtutem pertineat, & eandem ſupernaturalitatem habeat. Et ita etiam obiter intelligitur, quo modo in peccatoribus maneat ſufficiens principium huius actus:quia cum fide ſpes etiam in illis permanet.

Ad quã virtutem pertineat deteſtatio peccati propter gehennam.

---

### *An attritio ob fœditatem peccati ſupernaturalis ſit.*

11. Ratio dubitandi.

CIRCA ſecundum punctum de attritione ob fœditatem peccati, quo modo ſupernaturalis ſit, ratio dubitandi eſſe poteſt, quia quælibet virtus acquiſita poteſt deteſtari peccatum ſibi contrarium quatenus tale eſt : hoc autem eſt deteſtari illud propter intrinſecam,& ſpecificam turpitudinem : in hoc ergo nihil eſt ſupernaturale. Aliqui ſolùm reſpondẽt, actus morales,etiam naturales, poſſe interdum fieri ex peculiari auxilio gratiæ,& tunc habere ſupernaturalita

Quorũdam reſponſio.

ralitatem solùm in ordine ad auxilium: eam verò sufficere, vt talis actus sit dispositio ad gratiam. Hæc tamen responsio nobis probari non potest: nam, si cõsiderentur quæ dixi de actu pœnitentiæ in communi, ea locum habent etiam in hoc actu: quia si non sit supernaturalis in suo esse, non erit auxilium gratiæ simpliciter necessarium ad illum, licèt dari possit. Itẽ, quia quamuis esse possit ex gratia excitante, nõ verò propriè ex concursu supernaturali: dispositio autem ad gratiam ex necessitate postulat vtrumque auxilium: imò & esse supernaturale, vt sit eiusdem ordinis. Item fieri posset, vt actus ex se æquè perfectus in vno esset dispositio, & non in alio, solùm propter habitudinem ad extrinsecum auxilium: quod ibi incõueniens reputauimus: & ita possunt accommodari alia argumenta ibi facta. Quapropter supponenda est doctrina D. Thomæ de virtutibus moralibus per se infusis, quæ secundùm substantiam suam, & speciem distinguũtur à virtutibus acquisitis: quibus necesse est assignare aliquod motiuum supernaturale, in quo proximè fundentur: quia species virtutis sumitur ex motiuo, & ideò esse debet proportionatũ.

Reprobatur.

12. Ex illo ergo motiuo, quod in vnaquaque virtute morali per se infusa reperitur, procedit hæc attritio. Huiusmodi autem motiuum in vnaquaque virtute sumendum est per conformitatem ad regulam & rationem supernaturalem in propria materia: nam in vniuersum ratio virtutis moralis consistit in hoc, vt in materia morali operetur secundùm conformitatẽ ad rectam rationem. Vnde, quando illa conformitas sumitur per comparationem ad meram rationalem naturalem, virtus est acquisita, cuius actus tã in prosecutione boni honesti in tali materia, quàm in detestatione mali oppositi naturalis est. Quando verò illa conformitas sumitur per comparationem ad reuelatam regulam, & ad rectam rationem vt eleuatam ad supernaturalem ordinem, tunc virtus est infusa, & actus eius tam in prosecutione boni, quàm in fuga mali supernaturalis est. Et hæc est attritio, quam secundo loco posuit Tridentinum.

De qua attritione ex fœditate peccati loquatur Cõcil.

## *Dubitatio de sufficientia diuisionis attritionis.*

SVPEREST dicendum de tertio puncto scilicet de sufficientia diuisionis. Et ratio dubij est, primo quia illa detestatio peccati, quæ ex motiuo iustitiæ, seu ex specifica ratione pœnitentię, sub neutro illorum membrorum comprehenditur, & tamen, cùm contritio non sit, vt suprà dictum est, necesse est vt sit attritio. Secundò, potest esse detestatio peccati ex amore vitæ æternæ, quæ non erit contritio, & tamen sub illis membris non comprehenditur. Tertiò, potest esse detestatio ex timore aliarum pœnarum præter gehennæ, quæ etiam videtur esse diuersæ rationis à prædictis.

13. Ratio dubij prima.

Secunda.

Tertia.

Dicendum verò breuiter est, partitionem esse sufficientem. Neque enim Concilium, cùm generalem doctrinam tradat, aliam omisisset, si daretur. Et ratio breuiter reddi potest, quia peccati detestatio est de illo quatenus malum est, vel mali causa. Hoc posteriori modo detestatur peccatum illa attritio, quæ est ex metu pœnæ, quia detestatur culpam, quatenus est causa pœnæ: omnis verò alia detestatio, quæ est de peccato quatenus in se malum est, & non est propter supremam malitiam, quæ in ipso est, seu propter Deum ipsum secũdùm se, dicitur esse attritio de peccato propter fœditatem eius. Vel aliter (& ferè in idẽ redit) duplex tantùm est malum, pœnale scilicet, vel morale, aut ergo detestatio est propter malum pœnę & sic constituit primum genus attritionis: aut est propter malum culpæ, seu morale, & hoc esse potest,

14. Pars affirmatiua probatur.

A vel suprema malitia culpæ, quatenus contraria est ipsi bono diuino secundùm se, & amori eius. Et hæc transcendit limites attritionis, nã est vera vera cõtritio. Aut est quælibet alia malitia moralis inuenta in peccato quatenus discordat à regula rationis, & hæc generaliter dicitur esse propter fœditatem peccati, & constituit aliud membrum attritionis, quod generi cum est & varias attritiones sub se cõtinet iuxta varias differentias, quæ vel in diuersis peccatis, vel in eodem secundùm diuersas rationes, & habitudines inesse possunt.

Vnde ad primam rationem dubitandi concedimus illam detestationem per se, ac præcisè sumptam esse solùm attritionem: id enim rectè colligit argumentum ex doctrina superiùs data. Comprehenditur tamen illa attritio sub illa, quę est ob fœditatem peccati: nam inæqualitas illa, & iniuria, quam constituit peccatum in ordine ad Deum, quædam eius deformitas est, ob quam peccatum est detestabile, quamuis non sit suprema ratio detestandi illud. Ad secundam Durandus in 4. d. 17. q. 2. dicit illum actum esse contritionẽ: veriùs tamen Soto affirmat esse attritionem, quia est ex amore concupiscentiæ: sicut operari bonum intuitu mercedis, etiam vitæ æternæ, ex vitalis obiecti non est opus charitatis, sed spei, seu amoris concupiscentiæ. Dico igitur attritionem illam cõprehendi sub illa quæ est ex metu gehennæ: nam, vt sæpe dixi, amor & timor cum proportione sumpti, connexi sunt: & ideò perinde est fugere peccatum ex amore consequendi æternam vitam, & ex timore amittendi illam. Imò vix vnquàm ille amor generat hanc detestationem nisi intercedente illo timore: & ideò dixi ad eandem virtutem pertinere. Ad tertiam Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 14. concedit detestationem ob metum aliarum pœnarum esse attritionẽ, & contineri sub primo membro: nam Concilium vtrumque coniunxit scilicet, *Ex metu gehennæ, & pœnarum.* Quæ sententia vera erit, si intelligamus illũ timorem non esse merè humanum, & naturalem, sed sed diuinum & supernaturalem. Itáque, quamuis pœnæ temporales sint, si tamen considerentur, vt inflictæ à Deo, & vt nobis indicant iram eius, & quodammodo inchoant diuinum supplicium nisi, emendemur sub ea ratione possunt mouere ad supernaturalem attritionem, quæ optimè reducitur ad illam, quæ est ex metu gehennæ: sicut sperare à Deo bona temporalia sub aliqua habitudine ad vitam æternam, seu ad specialem, vel supernaturalem Dei prouidentiam, ad virtutem spei pertinet.

15. Satisfit rationibus dubitandi.

Durand.

Vega.

## SECTIO III.

### *Vtrùm attritio possit fieri contritio.*

HÆc quæstio est celebris apud Scholasticos,, & multa circa illam scribunt, nobis autem vix aliud necessarium est, quàm ex omnibus dictis conclusionem inferre. Dicendum ergo est, propriè & in rigore loquendo, attritionem non posse fieri contritionem. Ita D. Thom. in 4. d. 17. quæst. 2. art. 1. quæstione 3. & habetur in additionibus quæst. 1. artic. 3. Alens. 4. p. q. 74. memb. 3. & 4. Richardus ead. d. 17. art. 1. quæst. 2. Gabr. d. 16. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Medina tract. 1. de Pœnit. q. 5. & alij communiter. Vt autem hoc probemus; aduertendũ est, aliud esse attritum fieri contritum seu ex attrito contritum, aliud verò attritionem fieri contritionem. Nã primũ, si in rigore, & proprietate sumatur, significat mutationem subiecti transeuntis à forma imperfecta ad perfectum, seu ab vno statu ad alium; non verò significat diuersos status seu gradus eiusdem formæ, quod in secunda locutione

1. Attritio non potest fieri contritio. D. Thom. Alensis. Richard. Gabr. Medina.

Non est idẽ attritum fieri contritum & attritionẽ fieri contritionem.

explicatur, vt etiã ex Philoſophia conſtat. Ideò enim rectè dicitur ex frigido fieri calidum, non tamẽ frigus fieri calorem; at verò rectè dicimus calorem remiſſum fieri intẽſum. Illa ergo prima locutio in præſenti materia, veriſſima eſt, & valdè vſitata, quamuis duplicem poſſit habere ſenſum infrà explicandum. Alteram locutionem dicimus & impropriam, & in rigore falſam eſſe. Ratio eſt, quia attritio, & contritio ſunt actus eſſentialiter differentes: ergo vnus non poteſt fieri alius, ſeu tranſmutari in alium.

*Quatuor modi, quibus intelligi poteſt attritionem fieri contritionem, reiiciuntur.*

2. VT veritas hæc magis patefiat, aduerto quatuor modis poſſe dici attritionem fieri contritionem. Primò, per additionẽ alicuius perfectionis accidentalis, quæ in eodem actu fiat. Et hoc modo opinati ſunt Scotus, Caietanus, & alij, qui ad rationem contritionis requirunt peculiarem quandam perfectionem accidentalem, vt intentionem, vel durationem actus, vel quid ſimile. Hæ tamen ſententiæ ſatis à nobis improbatæ ſunt. Hoc igitur modo non poteſt attritio fieri contritio, quia nullum eſt tale accidens, ſine quo actus ſit attritio, & illo addito iam ſit contritio: quod ſatis probatum eſt.

3. Secundus modus. Secundus modus eſſe poteſt iuxta opinionem aliquorum Theologorum, qui putant actus morales, etiam interiores voluntatis, poſſe tranſire ab vna ſpecie in aliam, manente eâdem ſubſtantia, ſeu entitate actus circa idem materiale obiectum, etiamſi proxima motiua illorum actuũ diuerſa ſint, vt actum voluntatis elicitum ex virtute miſericordiæ, quo aliquis vult dare eleemoſynam propter ſubleuandam miſeriam proximi, poſſe mutari, & fieri actum vanæ gloriæ, ſi mutetur motiuum, & homo velit illum eundem actum, vt videatur ab hominibus: tunc enim (aiunt) in voluntate eundem actum manere entitatiuè, ſolúmque mutari ſpecies morales.

4. Fundamẽtũ. Fundamentum huius doctrinæ eſt, quia hæ ſpecies morales actuum humanorum ſupponunt naturalem aliquam, & phyſicam ſpeciem, in qua fundentur, & ideò poſſunt variari circa eundem actum retinentem eandem ſpeciem naturalem. Nec deſunt qui hanc doctrinam extendant ad actus intellectus. Aliqui enim dixerũt eundem actum, qui priùs erat opinionis, aduenientе demõſtratione fieri actum ſcientiæ. Refellitur. Veruntamen doctrinam hanc & generatim ſumptam, & ad præſentem quæſtionem applicatam, falſam eſſe exiſtimo; quia in actibus interioribus volũtatis, ſpecies illa, quæ ſumitur ex obiecto formali proximè mouente, eſt non tantùm moralis, ſed etiam phyſica, naturalis & entitatiua ipſius actus: nam hæc duo non repugnant. Idem enim actus interior ſecũdùm ſuam realitatem liberè fit, & tendit in tale obiectum, & ex libertate denominatur moralis, & ex tendentia ad obiectum habet ſuam realem ſpeciem, & naturam. Quod enim Ariſtoteles dixit, potentiam per actus, & actus per obiecta ſpecificari, etiam in his actibus verum habet, cùm ſit eadem ratio in illis, quæ eſt in reliquis.

5. Præterea tales actus ſecundùm entitates ſuas eſſentialiter ſunt actus: ergo etiam eſſentiales ſpecies, & reales, ſeu phyſicas habent ex obiectis: ſed non habent illas ex obiectis materialibus tantùm, tum quia hoc cõmune eſt omnibus habitibus & actibus, tum etiam quia materiale obiectum indifferens eſt vt circa illud verſetur actus v. g. iuſtitiæ, aut liberalitatis, vel etiam actus naturalis, aut ſupernaturalis: ergo per ſe non ſufficit, vt det actui vltimã ſpeciem, niſi addatur obiectum formale ſeu motiuum. Imò ſi res attentè cõſideretur, nullus actus voluntatis verſari poteſt circa tale obiectum materiale præcisè ſumptum, quia, vt ſic, neque vt bonũ, neque vt malum cõſideratur. Vnde etiam intellectus circa tale obiectũ materiale verſari poteſt: ergo neceſſe eſt, vt ſub aliqua ratione boni tale obiectum ſumatur, vt poſſit dare ſpeciẽ actui voluntatis: ergo illa ſpecies, quæ ſumitur ex proxima ratione boni mouentis voluntatem, eſt eſſentialis tali actui, & entitati eius. Quocirca in præſenti materia actus charitatis eſſentialiter in entitate ſua talis eſt, & ſimiliter actus ſpei. Vnde, ſicut in naturalibus non poteſt vna qualitas mutare ſuam ſpeciem eſſentialem, & tranſire in aliam, eadem numero manens, eſt enim aperta repugnantia: cùm, ablata eſſentia, omninò deſtruatur res: neque enim hæc à parte rei diſtinguuntur: ita fieri non poteſt, vt proprius actus ſpei tranſeat in charitatis ſpeciẽ, vel è conuerſo. Eodem autem modo comparantur attritio & cõtritio, nam ſunt actus pertinentes ad virtutes ſpecie, & eſſentia diuerſas: contritio enim eſt actus elicitus à charitate, vt ſuprà explicaui, attritio verò, aut eſt à virtute ſpei, vel ab aliqua virtute morali: ergo fieri non poteſt, vt illo modo tranſeat ab vna ſpecie in aliam.

6. Et confirmari poteſt in ipſis habitibus, qui etiam ſunt morales: & ſimul habent ſuas ſpecies reales ita diſtinctas, vt non poſſit idem habitus ab vna in aliam tranſmutari: ergo idem eſt de actibus: ſunt enim proportionati habitus. Et ita reſponſum eſt ad fundamentum alterius opinionis. Nam eſſe morale & naturale in eodem actu non repugnant, & conſequenter nec ſpecies moralis & naturalis: imò intelligi non poteſt in interiori actu voluntatis, quænam ſpecies illa ſit, quæ naturalis vocatur, & non moralis: nam ſecundùm illam etiam actus eſt liber, & tendit in obiectum per rationem propoſitum: hoc autem addit illa denominatio, qua actus voluntatis vocatur moralis.

7. Tertius modus. Tertius modus, quo attritio poteſt fieri contritio, eſt per additionem alicuius actus exterioris, ſine quo non cenſetur homo facere quantùm poteſt, & tenetur, vt ſe ad gratiam diſponat. Victoria. Quem dicendi modum inuenio apud Victoriam in relect. 1. de Poteſt. Eccleſiaſt. quæſt. 2. num. 9. Ledeſma. quem ſequitur Ledeſma 2. p. 4. quæſt. 20. artic. 1. Vbi ait fieri poſſe vt aliquis habeat doloré de omnibus peccatis ſuis, quatenus ſunt contra Deum, & quòd non habeat contritionem, ſolùm quia non tollit aliquam occaſionem proximam peccandi, vel quia non reſtituit quod debet. Et tamen ſi hoc poſteà exequatur, quamuis dolor eius non creſcat, neque mutetur, iam ſit vera contritio: quam ſententiam nulla ratione confirmat. Videtur autem fundamentum eſſe, quia nemo poteſt diſponi ad gratiam, niſi priùs impleat quod implere tenetur: qui autem hoc facit, & alioqui dolet, iam ſufficienter diſponitur.

8. Improbatur. Hanc verò ſententiam falſam eſſe opinor, & vix poſſe intelligi. Interrogo enim, an ille homo, qui dolere dicitur propter Deũ de omnibus peccatis ſuis, teneatur reſtituere, vel occaſionem tollere in illo momento, & pro illo eodem inſtanti, in quo dolet: vel nõ ita vrgeatur tali præcepto, ſed poſſit poſteà illud implere. Si hoc poſterius dicatur, nihil obſtabit contritioni, etiamſi præceptũ ſtatim pro eodem inſtanti executioni non mandet: quia illud non eſt peccatum, cùm obligatio præcepti non ita vrgeat: & alioqui ad contritionem habendam ſufficiat propoſitum implendi præceptum pro eo tempore, pro quo obligauerit: ſi ergo ille dolor habet omnia requiſita ad contritionem, præter illam exteriorem executionem talis præcepti, reuerà eſt contritio, & ſufficiens

diſpo

dispositio ad gratiam. Neque oberit quòd talis homo postea non restituat, vel occasionem tollat, nam præsens contritio non pendet ex futuro contingente, sed ex præsente proposito: quòd si postea homo mutetur, vel nõ exequatur, peccabit denuò, & amittet gratiam per priorem contritionem comparatam. Si verò dicatur, obligationem implendi tale præceptũ vrgere pro eodem instanti, pro quo homo dolet, impossibile est, vt ille dolor sit de omnibus peccatis, & quòd posteà sit contritio, nisi in se ipso mutetur & crescat. Probatur, quia ille homo actualiter peccat pro illo instanti, quia non facit quod pro tunc tenetur, quomodo ergo potest habere in eodẽ instãti actualem & efficacem dolorẽ de omnib. peccatis?

9. Euasio. Dici potest, illum teneri ad id faciendum statim, non tamen aduertere pro tunc ad huiusmodi obligationem, & ideò posse habere verum dolorem, qui ob ilum defectum non attingat perfectionem contritionis. Sed contra hanc responsionem proportionale militat argumentum: quia vel illa inaduertentia est merè naturalis, & inculpabilis, & sic præsens obligatio nihil obstabit, quominùs absque illius executione possit haberi vera contritio, quia illa inaduertentia omninò excusat. Vnde ita se habet ille homo, ac si pro tunc non teneretur: & sufficiet illi propositum seruandi omnia mãdata, cùm primùm humano modo occurrerint, id est, cum morali aduertentia. Si verò illa consideratio fuit culpabilis, & ex negligentia graui, fieri non potest, vt cum illa simul existat efficax dolor de omnibus peccatis, quia offensa Dei sunt: tum quia actualiter homo tum peccat, & de illo non dolet, tum etiam quia, cùm talis dolor formaliter, vel virtute includat absolutum propositum non peccandi, fieri non potest, vt cum illo actu simul existat grauis negligentia rei necessariæ ad salutem, & ad vitandam grauem Dei offensam pro eodem instanti.

Responsio.

10. Quapropter fieri non potest, vt per solam actionem exteriorem idem dolor internus, qui anteà non erat contritio, incipiat esse contritio: sed vel ille dolor, qui antea iam erat contritio, incipit exterius operari, quod priùs fortè debuerat, sed homo nõ aduerterat; vel dolor, qui priùs fuerat imperfectus & inefficax, posteà perficitur, & substantialiter mutatur. Quod optimè confirmatur, quia dispositio ad gratiã non consistit in exteriori actu, sed in interiori: ergo fieri non potest, vt per solam additionem exterioris actus consumetur talis dispositio. Dices, exteriorem actum non addi sine aliquo interiori, scilicet voluntate illum efficiendi. Sed contrà, quia hinc concludimus ipsum actum interiorem debere mutari, aut nõ esse necessariam illam voluntatem ad veram contritionem: quia sufficiet propositum sic operandi, cùm primùm occurrerit illa obligatio cum sufficienti aduertentia ad illam.

Obiectiuncula soluitur

---

*Quartus modus.*

11. QVARTVS & vltimus modus huius mutationis esse potest per additionem alicuius actus interioris, vt verbi gratia, si homo priùs habeat dolorem de peccatis ex mera virtute pœnitentiæ absque vllo actu elicito charitatis, ille erit tantùm attritio, vt suprà dictum est: si verò vltra hunc actum addat alium amoris Dei super omnia, in quem referat illum eundem dolorem, ille incipiet esse contritio, quia iam est dolor de peccato propter Deum summè dilectum: ergo hoc modo potest attritio fieri contritio. In quo (vt tollatur quæstio de nomine) certum est illum hominem manere sufficienter dispositum ad gratiam, vt argumentum probat: quod ita verum esse censeo, vt illi homini non maneat obligatio habendi, vel procurandi posteà perfectiorem dolorem. Quod fortasse non ita esset, si ille dolor fuisset tantùm ob metum gehennæ, vel ob inferiorem aliam rationẽ: ille enim excedit in hoc, quòd est verus actus iustitiæ, & pœnitentiæ virtutis, & detestatio iniuriæ diuinæ, quatenus talis est. Et ideò ex parte doloris sufficit, si adsit etiam amor sufficiens.

12. Contritio duplex. Hoc autem in re posito, quæstio videtur de nomine, An illa dicenda sit vera cõtritio, nécne. Possumus autem distinguere duplicem contritionem, vnam propriam quæ est per simplicem actum doloris in se virtute includentis amorem: & de hac, quæ propriissima est, locuti sumus hactenus, & nulla attritio potest in talem contritionẽ mutari, & de hac procedunt rationes superiùs factæ. Alio tamen modo latiori potest vocari contritio, quæ composita est ex pluribus actibus, dolore scilicet, & amore: & in hac significatione potest illa vocari contritio. Si quis tamen aduertat quod etiam suprà Medina insinuauit, etiam in hoc sensu attritio non fit contritio, sed ex priore attritione cum sequente amore coalescit quidam contritionis modus. Nam prior dolor nunquàm est ipse contritio, sed aggregatum illud seu compositum ex dolore, & amore appellatur talis contritio. Quod patet, quia non alia ratione sic vocatur, nisi quia est formalis dispositio sufficiens ad gratiam, & remissionem peccati: sed prior actus nunquàm fit sufficiens dispositio, sed ex illo cum amore consurgit: ergo non prior actus solus, sed dispositio ex vtroque constans dicetur contritio.

13. Medinæ dictum. Addit verò Medina suprà ex Alensi, licèt attritio non possit fieri contritio, posse tamen extrinsecè participare honestatem contritionis per relationem extrinsecã, seu imperium, quod etiam dici posset de cõtritione respectu attritionis. Quod declaratur breuiter ex principiis 1. 2. quia actus vnius virtutis potest imperare actum alterius, vel referre in obiectum suũ, tanquàm in finem illi extrinsecum, à quo habeat speciem accidẽtalem, quomodo eleemosyna verbi gratia potest imperari à pœnitentia, &c. sic ergo esse potest in proposito; est enim eadem ratio. Et exẽplis facile patet: potest enim quis ex intentione satisfaciendi Deo pro culpa commissa, imperare sibi detestationem vel dolorem propter pœnas inferni, aut ex odio offensæ diuinæ, vt sic, imperare sibi detestationẽ seu odium ipsius malitiæ peccati propter turpitudinem eius: & è contrario ex intensione fugiendi pœnas inferni potest sibi imperare veram contritionem, tanquàm medium ad finem necessarium. An verò huiusmodi accidentalis specificatio sit aliquis modus intrinsecus actui imperato per additionẽ alicuius realitatis quasi partialis; an verò sit denominatio extrinseca ab actu imperante, sicut est respectu actus exterioris disputatur in prima secundæ: vtrumque enim est probabile.

14. Obiectioni respõdetur. Dices, Ergo saltem hoc modo attritio dicetur fieri contritio, & è conuerso. Respondetur, hoc posse pertinere ad modum loquendi: simpliciter tamen negatur, tum quia attritio, & cõtritio significant propriè actus elicitos per modum intensionis, seu volũtatis absolutæ, quæ ex proximo obiecto suo speciem sortitur: sicut actus temperantiæ, quamuis imperari possit à charitate, non dicitur simpliciter fieri actus charitatis, sed cum addito actus imperatus à charitate: sic in proposito solùm dici poterit attritio v.g. imperari à contritione. Tum etiam, quia quamuis idem actus, qui est attritio, intelligatur accidentaliter participare honestatem contritionis, ita vt ex illa cum aliquo addito fiat cõtritio, in quo sensu propriè vertatur hęc quęstio, & affirmatur ab Auctoribus citatis

attritionem posse fieri cõtritionem, quod nos negamus eodem sensu: sed tota ratio attritionis supponitur seu substernitur quasi materiale subiectũ, & illi intelligitur addi accidentaliter honestas contritionis secundùm quandam participationem.

15. Multis modis homo fit ex attrito cõtritus.

Atque ex his tandem intelligitur variis modis dici hominem propriè ex attrito fieri contritũ. Primò, propriissimè, quia mutat dolorem ex imperfecto in perfectum. Secundò, minùs propriè, quia dolori imperfecto addit amorem. Tertiò, latissimè, quia sine mutatione actus illi infunditur gratia, & charitas, vt in sacramentis fit: tunc enim solùm dicitur homo fieri ex attrito contritus, quasi æquiualenter, seu quoad vltimum effectum contritionis, qui est gratia, & remissio peccati.

## DISPVTATIO VI.

### *De actu exteriori pœnitentiæ.*

QVONIAM materia proxima virtutum moralium sunt aliqui humani actus, ideò semper præter actus, quos immediatè cũ voluntate eliciunt, qui propriè dicuntur interiores respectu illarum: habent alios actus, quos imperant, seu ad quos eliciendos alias potentias, seu virtutes mouent, qui dicũtur exteriores respectu earundem. Et ideò, cùm hactenus explicuerimus, interiores actus pœnitẽtiæ, qui ab ea propriè eliciuntur, superest vt de exterioribus dicamus, quæ res breuior est, & facilior: tamen propter materię complementũ, non potuit omninò prætermitti. Dicam ergo breuiter qualis, & quotuplex hîc actus sit.

## SECTIO I.

### *Vtrùm virtus pœnitentiæ habeat aliquem actum exteriorem sibi proprium, & per se honestum.*

1. Qui dicãtur actus exteriores pœnitentiæ.

ACTVS exterior virtutis quadam generali ratione dici potest omnis ille, qui non est elicitus à tali virtute, sed tantùm imperatus. Talis enim actus aliquo modo est extra talem virtutem quoad propriã & per se efficiẽtiam eius. Et hoc sensu habet virtus pœnitentiæ actus exteriores; nõ solùm in aliis potentiis, sed etiam in ipsa volũtate. Quod explicatur in propria, & specifica virtute pœnitẽtiæ: & inde potest facilè ad quamlibet applicari. Iuxta illũ ergo loquẽdi modũ, actus ipse charitatis, quatenùs à virtute pœnitẽtiæ imperari potest, & in suum affectũ ordinari, est illi exterior, & multò magis actus intellectus interioris confessionis, seu recognitionis peccatorũ, & actus etiam partis sensitiuæ, siue sit directè imperans, siue volitus ad satisfaciendum, siue sit comitanter, siue consequenter excitatus propter naturalem sympathiam potentiarum eiusdem animæ corpori coniunctæ. Hæc verò tam generalis vsurpatio actus exterioris, nõ est adeò vsitata, præsertim quoad illos actus qui in ipsa voluntate manent: alij enim faciliùs illam denominationem recipiunt.

2. Qui sunt actus exteriores pœnitentiæ propriè.

Propriissimo verò, & vsitato modo actus exteriores vocantur, qui per exteriores facultates corporis exercentur. Et hoc etiam modo constat, hanc virtutem habere exteriores actus: quia etiã hic actus externus potest esse accommodatus ad proprium munus, & officium pœnitentiæ: vnde potest imperari à voluntate ex motiuo eius, atque adeò mediante ipsa virtute. Hac igitur ratione pertinebit ad illã, vt actus externus eius. Solùm est circa hoc aduertẽdum, duplex esse munus huius virtutis. Primum est, expellere, & omninò expiare peccatum commissum: secundum est, cauere futurum. Et ad vtrumque potest vti externis actibus: nam respectu futurorũ pertinet ad hanc virtutem tollere omnes peccatorũ occasiones, præsertim proximas, & morales. Item moderari affectus quantùm possunt ad peccatum inducere. Huc etiam spectat restitutio quàm Theologi tribuũt pœnitentiæ saltem imperanti: & propriè non spectat ad satisfactionem commissi peccati, sed ad ablutionem ipsius peccati, seu continuationem eius, quæ esset in retinenda re aliena. Vnde huiusmodi actus, qui respiciunt futurum propriè imperantur ex motiuo quasi secundariò, quod est satisfacere pro pœna temporali debita ratione talis peccati, ad quem finem potissimè ordinantur corporis afflictiones. Aliquando verò possunt imperari huiusmodi actus, etiam ex primario motiuo, nimirum ad impetrandam à Deo veram cordis conuersionẽ, qua deleatur culpa commissa: & hoc modo inter alios dicitur in Scriptura eleemosyna redimere peccatum, quia est aptissimũ medium ad impetrandam à Deo veram contritionem. Ad quod etiam plurimum iuuat oratio & alij actus pietatis, qui omnes sub hac ratione ad hanc virtutem pertinent.

### *Dubium, An pœnitentia habeat proprium actum exteriorem.*

3. HINC verò nascitur dubium tactum in secunda parte tituli sectionis, scilicet quia hinc sequitur, hanc virtutem nullum habere proprium actum exteriorem, neque immediatè ab ipsa sola imperatum: quod videtur inconueniens, cùm ipsa sit virtus moralis, & specialis, quæ propriã & specialem debet habere materiam. Respondendum autem breuiter est, duobus modis posse dici actum exteriorem propriũ alicuius virtutis. Primò & actu, & potestate, scilicet, quia ab illa sola, & à nulla alia imperari potest. Et hoc modo concedimus sequelam, nam omnes actus exteriores, qui huic virtuti possunt attribui, possunt etiã ab aliis imperari: imò regulariter loquendo, immediatiùs pertinent ad alias virtutes, vt restitutio ad iustitiam: eleemosyna ad misericordiam: ieiunium ad temperantiam, & sic de aliis. Alio autem modo potest actus exterior dici proprius alicuius virtutis, vel secundum actualem motionẽ & imperiũ, vel secundũ aliquã proprietatẽ, ratione cuius est magis accõmodatus illi virtuti quã aliis. Et hoc modo possunt hi actus exteriores dici proprij pœnitentiæ; vel quia ipsa per se est sufficiens ad imperãdos illos sine interuẽtu aliarũ specialiũ virtutũ; & quãdo sic imperat, illi actus erunt proprij eius, id est, solam illius honestatẽ actualiter participantes. Vel etiam sunt isti actus proprij pœnitentiæ, quatenus dolorẽ & afflictionem inferũt, nam hæc proprietas taliũ actuũ est maximè accommodata ad finem pœnitentiæ, qui est satisfacere pro peccato. Neque est necesse, vt hæc virtus habeat actũ exteriorem sibi proprium, etiam priori modo, quia licèt sit virtus specialis essentialiter, tamen causaliter, vt suprà dixi, est quodammodò vniuersalis, & ideò vniuersalem habet materiam, licèt sub propria, & speciali ratione illam attingat.

### *Dubium, An actus proprij pœnitentiæ sint honesti.*

4. EX quo facilè expeditur vltimus punctus huius quæstionis de honestate horum actuum. Et ratio dubij

dubij esse poterat, quia actus maximè proprij huius virtutis inferunt nocumentum corpori, & ideò videntur esse & rationi, & naturæ contrarij. Propter quod aliqui hæretici generaliter damnarunt omnes hos actus, præsertim ieiunia, & alias corporis afflictiones. Alij verò peculiariter reprobant hos actus, quatenus fiunt ex pœnitentia, quia cùm negare non possint esse vtiles ad alias virtutes, vt ad castitatem, & similes, negant posse licitè exerceri ex fine pœnitentiæ: quoniam venia peccati non ex nostris operibus, sed ex sola Dei misericordia expectanda est. Sed cõtra primum errorem agendum est in materia de Ieiunio, & videri potest Bellar. lib. 2. de Bonis operibus cap. 11. & lib. 4. de Pœnit. c. 3. Nobis sufficit testimonium Pauli 1. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum*, &c. Contra secundum errorem dicendũ est infrà in materia de Satisfactione. Nunc sufficiunt etiam frequentes exhortationes Scripturæ ad huiusmodi actus, etiam quatenus pœnitentiæ sunt, vt Ioel. 2. Iob vlt. Matth. 11. & aliàs sæpe. De quo etiam extat definitio Tridentini, sess. 14. canone 13. Sunt ergo hi actus per se honesti.

Bellarm.

Paul. 1. Corinth. 9.

Ioel. Iob. Matth. Trident.

5. Dupliciter actus exterior potest esse honestus.

Est autem aduertendum, duobus modis posse intelligi actum exteriorem esse per se honestũ. Primò, quia ita habet intrinsecam honestatẽ, vt nulla ratione possit malè fieri. Et hoc modo nullus est actꝰ exterior propriè dictus, id est, ex iis, qui per corpus exercentur, qui hoc modo sit honestus: quia cùm nõ habeat in se honestatẽ formalem, sed obiectiuã tantùm, potest à voluntate exerceri, non propter honestatẽ eius, sed propter alium finem extrinsecum non bonum, & tũc talis actus, prout in re ipsa exercitus, malus est, etiamsi aliàs ex genere suo bonus videatur. Alio ergo modo potest dici actus exterior per se honestus, quia in se habet sufficienter vnde honestè appeti & fieri possit, etiamsi ab extrinseco fine honestatẽ non mendicet. Et hoc modo dicuntur actus, vt ad pœnitentiã pertinẽtes, per se honesti, quia ex se habent proportionẽ sufficientẽ cũ proprio motiuo, & obiecto pœnitẽtiæ, quod honestũ est. Neq; inferũt graue nocumentũ, si prudẽter fiãt, vt fieri debẽt: neq; etiã tenetur homo iure naturæ omnia incommoda corporis vitare, sed honestissimè potest illud affligere, & asperè tractare, quantùm ad virtutem, vel perfectionem eius oportuerit, de quo videri potest Victor. in relect. de Temperantia. Quomodo autem ex nostris operibus expectare possimus remissionẽ culpæ, aut pœnæ, tractatur latè in materia de Gratia. Primò enim, ac præcipuè hoc tribuendum est gratię: nostris autẽ operibus ab illa manantib. in suo genere: remissio enim culpæ solùm est ex misericordia Dei respiciente nostrũ actũ, vt dispositionẽ: remissio autẽ pœnæ temporalis, quę fit homini iã grato, etiam est ex iustitia, vt infrà latiùs in materia de Satisfactione.

Quomodo actus exteriores pœnitentiæ dicãtur honesti.

Victoria.

A B C D

## SECTIO II.

### *Quotuplex sit huiusmodi actus.*

1. Prima diuisio actuum pœnitentiæ.

Hic explicabo breuiter nonnullas diuisiones actus pœnitentiæ omissis his, quas D. Tho. attingit infrà q. 90. quoniã illas in commentariis illius quæstionis explicabo. Et in primis supponẽda est illa partitio, seu numeratio partium pœnitentiæ, quã probauit Trid. sess. 14. c. 3. in contritionem, confessionẽ, & satisfactionẽ, quæ propriè datur de partib. materialib. sacramẽti: & sub ea ratione infrà tractanda est. Nũc autẽ breuiter accommodari potest ad ipsam virtutem pœnitentiæ: nam omnia illa mẽbra possunt locũ habere, etiã absque sacramento, vt de contritione satis hactenus dictum est. Nec membrum illud ad præsentem disputationem pertinet, quia contritio solùm interior actus voluntatis esse potest. At verò cõfessio, & satisfactio, tam in interiori actu, quàm in exteriori possunt inueniri: datur enim mentalis confessio, quæ soli Dęo fit, & propriè est actus intellectus, scilicèt recogitatio, & recognitio peccatorum: de qua suprà de recogitatione agentes, quę est ad contritionẽ necessaria. De qua Psal. 31. *Dixi, Confitebor aduersum me.* Satisfactio etiam fieri potest per interiorem actum, non solùm quoad culpam eo imperfecto modo, qui à nobis præstari potest per contritionem, sed etiã quoad pœnam, vel per actus ipsius voluntatis, præsertim per dolorem, vel etiam per actus intellectus, maximè per orationem.

A

Psal. 31.

2. In exterioribus autem actibus (quod propriè ad rem præsentẽ pertinet) potest inueniri confessio peccati, etiam extra sacramentum: qualis erat illa, quam Iudæi faciebant coram Ioanne Baptista, dum confitebantur peccata sua: & in lege veteri, dum offerebantur sacrificia pro peccatis, fiebat Sacerdoti aliqualis confessio peccati. Et nũc etiam dicũt Theologi, in articulo necessitatis, quãdo non est copia Sacerdotis posse peccatorem confiteri laico, non quidẽ sacramentaliter, seu exercendo quendam actũ virtutis pœnitentię, qui ordinari potest, vel per modũ medicinæ ad curanda peccata cõmissa, & cauenda futura, petendo consiliũ, vel ad excitandã interiorem cõfessionẽ, & contritionẽ. Denique ille actus potest etiã esse satisfactorius, quatenus pœnalis est, & afflictionem, & erubescentiam causat. Et secundùm hanc rationem solùm distinguitur ab externa satisfactione tanquàm particulare quid à cõmuni, scilicet, per designationem cuiusdam particularis materię, & actus, qui propter peculiarem rationem suam distinctè, seu expresè numeratur.

B

Matth. 13.

C

### *Satisfactionis exterioris diuisio.*

SATISFACTIO autem exterior per varios actus exerceri potest, qui à Theologis ad tria capita reuocantur, scilicet ieiunium, eleemosynam, & orationem: quibus aliqui addunt restitutionem, sed non est necesse: tum quia, vt iam insinuaui, restitutio, vt sic, nõ fit ad satisfaciendũ pro peccato commisso, sed ad tollendum statum peccati: tũ etiã propter rationem quam statim subiiciam. Illa enim tria membra non sunt ita præcisè sumenda, vt per solos illos tres actus in rigore sumptos fiat satisfactio: nam certissimũ est aliis etiam fieri: & ideò Concilium Trid. sess. 14. canone 13. numerans illos tres actus addit, *Et per alia pietatis opera.* Numerantur ergo, vt per quandã reductionẽ omnes alij ad hos reuocẽtur. Sũt enim tria genera bonorum, externorũ, corporis, & animæ, & per vsum omniũ possumus Deo satisfacere. Eleemosyna ergo cõprehendit omnẽ bonum vsum temporalium bonorum, ieiunium bonorũ corporis, oratio animę.

D

Conc. Trid.

4. Item per omnem virtutem ordinãtur, vel ad Deũ, vel ad proximum, vel quoad nos ipsos. Per hæc ergo tria possumus Deo satisfacere. Et hęc per illa tria mẽbra significantur: nam per orationem ad Deũ ordinamur: vnde sub illa comprehenduntur omnes actus religionis, etiã sacrificiũ, & confessio ipsa, quatenus satisfactoria est, & fit in cultum Dei, sub hoc mẽbro comprehenditur. Item actus deuotionis, charitatis, & similes. Per eleemosynam ordinamur ad proximum, & ad illã reuocatur omnis honestus actus, qui ad alterũ tẽdit, & vt pœnalis est, potest esse satisfactorius. Per ieiuniũ bene disponitur homo in se ipso, & sub illo cõprehendũtur omnes corporis afflictiones, imo & passiones omnes extrinsecus illatè, & patienter susceptæ, ac deniq; omnes actus virtutũ, quibus homo suos affectus

4.

E

affectus moderatur. Poteſt etiam illa trimembris diuiſio accommodari ad illam trimembrem diuiſionem peccatorum, quæ eſt apud. Ioan. 1. Canon. c. 2. ſcilicet, de concupiſcentia carnis, cui opponitur ieiunium, & concupiſcentia oculorum, cui opponitur eleemoſyna, & ſuperbia vitæ, quam frangit oratio. Et hæc de his duabus diuiſionibus.

*Alia diuiſiones actuum pœnitentiæ.*

5. TERTIA diuiſio exterioris pœnitentiæ eſſe poteſt, quòd alia requiritur ante Baptiſmum, & alia poſt Baptiſmum. Quarta eſſe poteſt quod poſt Baptiſmum, alia eſt mortalium; alia venialium peccatorum. Quas virtutes, tradidit Auguſtinus, & eas D.Tho. exponens D. Thom. infrà q. 90. art. 4. dicit pertinere ad pœnitentiam, vt eſt virtus: propter quod earum expoſitio videri poſſet ad hunc locum pertinere; tamen quia commodius id fiet in commentario illius articuli, vſque ad illum locum differenda eſt. Alia item diuiſio hîc dari poſſet de pœnitentia exteriori ſecreta, vel publica; communi, vel ſolenni. Sed ſatis conſtat, hæc omnia membra ſolùm accidentaliter differre, quod attinet ad rationem virtutis: ſolúmque poſſet in illa partitione deſiderari, quando expediat hoc vel illo modo externam pœnitentiam agere, vel an poſſit eſſe debitum agendi potius pœnitentiam publicam, quàm ſecretam, vel è conuerſo. Sed hæc dicentur commodiùs infrà agendo de præcepto, & de ſacramento Pœnitentiæ. Item tractari hîc poſſet de ritu ſolemnis pœnitentiæ, ſed hic ritus, prout pertinere poſſet ad ſacramentalem pœnitentiam, iam non eſt in vſu, & ideò ritus eius omitti à nobis poſſet, infrà tamen ſuo loco illum attingemus, & videri poteſt Bellarm. Bellarm. lib. 1. de Pœnitent. cap. 21. & 22. vt verò eſt in vſu, non ſpectat ad pœnitentiam voluntariam, de qua agimus, ſed ad pœnam, & vindictam quam per publicam Eccleſiæ poteſtatem nonnulli peccatores interdum agere, vel potiùs ſuſtinere coguntur.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm pœnitentia ſit ſpecialis virtus.*

4. d. 14. q. 1. a. 1. q. 2. 3. & 4. AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd pœnitentia non ſit ſpecialis virtus. Eiuſdem enim rationis videtur eſſe gaudere de bonis priùs actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono priùs facto, non eſt ſpecialis virtus, ſed eſt quidam affectus laudabilis ex charitate proueniens: Lib. 14. c. 7 à medio. to. 5. vt patet per Aug. 14. de Ciuit. Dei: Vnde & Apoſt. primæ ad Corint. 13. dicit, quod charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Ergo pari ratione nec pœnitentia, quæ eſt dolor de peccatis præteritis, eſt ſpecialis virtus, ſed eſt quidam affectus ex charitate proueniens.

Præterea, Quælibet virtus ſpecialis habet materiam ſpecialem: quia habitus diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta. Sed pœnitentia non habet materiam ſpecialem: ſunt enim eius materia peccata præterita circa quancunque materiam. Ergo pœnitentia non eſt ſpecialis virtus.

Præterea, Nihil expellitur niſi à ſuo contrario. Sed pœnitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non ergo eſt ſpecialis virtus.

Sed contra eſt, quòd de ea datur ſpeciale legis præceptum: vt ſuprà habitum eſt. q. præceden. a. 5. & 7. 1. 2. q. 54. ar. 1. ad 1. & ar. 2.

Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut in Secunda parte habitum eſt) ſpecies habituum diſtinguuntur ſecundùm ſpecies actuum. Et ideò vbi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem actum virtutis. Manifeſtum eſt autem quòd in pœnitentia inuenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicèt, operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantùm eſt Dei offenſa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Vnde neceſſe eſt ponere, quòd pœnitentia eſt ſpecialis virtus.

Ad 1. ergo dicẽdum, quòd à charitate deriuatur aliquis actus dupliciter. Vno modo ſicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuoſus nõ requirit aliam virtutem, præter charitatem: ſicut diligere bonum, gaudere de eo, & triſtari de oppoſito. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quaſi à charitate imperatus. Et ſic, quia ipſa imperat omnibus virtutibus (vtpote ordinans eas ad finem ſuum) actus à charitate procedens poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis conſideretur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet: ſicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi deletionem peccati præteriti requirit ſpecialem virtutem ſub charitate.

Ad 2. dicendum, quòd pœnitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum reſpicit omnia peccata: ſed tamen ſub ratione ſpeciali, in quantum ſcilicet ſunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad ſuam iuſtificationem.

Ad 3. dicendum, quod quælibet virtus ſpecialis formaliter expellit habitum vitij oppoſiti: ſicut albedo expellit nigredinem ab eodem ſubiecto. Sed pœnitẽtia expellit omnè peccatum effectiuè: in quantùm operatur ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſſibile ex diuina gratia homine cooperante. Vnde non ſequitur, quòd ſit virtus generalis.

## COMMENTARIVS.

1. Multiplex ſenſus quæſtionis. Primus.

TITVLVM *huius articuli diligenter exponere oportet, quoniam multiplicem poteſt habere ſenſum. Et ex perceptione veri ſenſus põdet intelligentia mentis D. Thomæ. Primus ergo*

ergo sensus esse potest, an pœnitentia sit virtus specialis, idest, an sit aliqua peculiaris virtus ad hoc solum munus destinata, vt operetur destructionem peccati commissi, quatenus est Dei offensa. Et hoc sensu putant aliqui D. Thom. mouisse quæstionem: & in eodem respondere pœnitentiam esse specialem virtutem, quia medium, quo id probat, non est aliud, nisi quia sic operari ad destructionem peccati prateriti, habet specialem rationem actus laudabilis, qui ad alias virtutes non spectat. Sed hic sensus nec elici potest ex D. Thoma, neque in illo responsio eius vera esset. Primum patet, quia Diuus Thomas solùm dicit operari illo modo requirere virtutem distinctam à reliquis: non tamen dicit requirere virtutem, quæ nullum alium modum operandi habeat, neque vnum sequitur ex alio: neque affirmando vnum censetur negare aliud: quia non oportuit omnia munera illius virtutis explicari, sed illud, quod ad illam spectat, quatenus subest voci, & conceptui pœnitentiæ. Secundùm, conueniunt satis rationes, quas hic Caietanus affert, vt probet nullam esse posse virtutem, quæ secundùm adæquatam rationem, & officium suum necessariò prærequirat peccatum commissum. Nos etiam suprà probauimus, nullam esse virtutem, cuius non solùm adæquatum, verùm nec primarium munus sit fugere malum, operatiuè ad destructionem eius, vbi etiam ostendimus plures esse actus eius virtutis, quæ peccatum præteritum detestatur, aut destruit, qui non necessariò supponunt in operante peccatum commissum.

Secundus sensus.

Secundus sensus esse potest, an pœnitentia ita sit specialis virtus, vt vna sola, & singularis virtus sufficiat ad detestanda omnia peccata, etiamsi distinctis virtutibus videantur contraria: an verò nulla virtus per se possit adæquatè hoc munus obire: sed quasi per partes ad omnes virtutes pertineat singulis detestantibus peccata sibi repugnantia. Et hic sensus est ex parte verus, sed non adæquatus. Hoc posterius patet, quia licèt pœnitentia in eo sensu sit vna, & specialis virtus, non sequitur ex necessitate ex vi illius sensus quòd sit distincta à reliquis. Diuus Thomas autem concludit, pœnitentiam ita esse specialem virtutem, vt sit distincta à reliquis. Nam licet hoc expresse non ponat in conclusione, tamen in ratione satis id significat, dum ait, propriam rationem operandi huius virtutis non pertinere ad rationem alterius virtutis. Et ideò in solutione ad primum declarat quomodo pœnitentia sit virtus à charitate distincta. Assumptum patet, quia charitas vna virtus singularis est, & tamen illa potest versari circa omnia peccata, fugiendo, vel detestando illa: & idem est de virtute spei: sed detestatio ex timore gehennæ ad illam pertinet, vt suprà dixtmus. Primum autem ex hoc facilè patet: nam si pœnitentia ita est vna specialis virtus, vt sit distincta à reliquis, talis etiam erit, vt vna sufficiat ad omnia peccata detestanda. Aliàs non erit pœnitentia simpliciter, sed tantùm secundum quid, seu ex parte. Et ideò Diuus Thomas hic in solutione ad secundum rectè concludit, quòd si pœnitentia est vna virtus specialis distincta à reliquis ob specialem rationem tendendi aduersùs peccatum, esse debet generalis quoad materiam: quia potest versari circa omnia peccata. Vnde si aliqua est virtus, quæ detestari potest vnum peccatum, & non aliud, vt est, v. g. castitas, quæ detestatur luxuriam, & non furtum, illa non erit ita specialis, vt sit distincta ab aliis virtutibus, quæ præter pœnitentiam constituuntur.

3. Tertius sensus.

Et ex his etiam facilè excluditur tertius sensus, qui excogitari potest, scilicet, an pœnitentia ita sit virtus specialis, vt ad illam solam spectat tendere aduersùs omne peccatum, intendendo destructionem eius, vt hoc munus nulla alia virtus exercere possit, aut intendere sub aliqua ratione. Refellitur (inquam) hic sensus, quia nec Diuus Thomas expressit, aut indicauit illam exclusiuam, nec in eo sensu eius responsio affirmatiua vera esset: quia sine dubio charitas, vel spes sub propriis rationibus possunt intendere destructionem cuiuscunque peccati, quatenus eis contrarium est. Denique, vt aliqua virtus simpliciter specialis dicatur, constat non esse necessarium illum modum exclusionis, quia plures virtutes speciales inter se distincta possunt circa eandem materiam sub diuersis rationibus versari.

4. Quartus ac verus articuli sensus.

Verus ergo quæstionis sensus erit, an pœnitentia sub aliqua propria, & speciali ratione, quæ ad alias virtutes vel Theologales, vel morales communiter à Philosophis numeratas non pertineat, peccatum detestetur, ac destruat: ideóque & in se vna ac specialis sit, & ab omnibus aliis distincta: & nihilominùs omnia peccata aliis omnibus contraria sub sua propria ratione destruere intendat. Et hoc sensu affirmat Diuus Thomas, pœnitentiam esse virtutem specialem: quia in suo actu, & obiecto respicit specialem honestatem, quæ est, offensam Dei, quatenus talis est, destruere. Quod intelligendum est de offensa, quatenus iniustitiæ in qualitatem continet: & de illius destructione per reductionem ad æqualitatem, quatenus homini cum diuina gratia possibilis est. Et sic explicata ratio est facilis ex dictis suprà de obiecto, & actibus pœnitentiæ: & optimè infert conclusionem: quam in sequente disputatione amplius declarabimus, & confirmabimus.

5.

Ex his etiam facilis est solutio ad primum, in qua Diuus Thomas ait, displicentiam peccati esse actum elicitum à charitate: intentionem verò operandi deletionem peccati esse actum elicitum ab speciali virtute pœnitentiæ. Nam hoc secundum verum est de intentione operandi per modum iustitiæ, seu recompensationis, quam vocauimus reductionem inæqualitatis, quam facit iniustitia, ad aliquem modum æqualitatis. Illud autem primum est verum de illa displicentia, per quam fit hæc recompensatio, eo modo quo ab homine fieri potest. Cum hoc tamen stat, vt sub propriis rationibus possit & pœnitentia elicere displicentiam peccati, & charitas intentionem, seu voluntatem destruendi illud, vt in superioribus visum est.

6.

In solutione ad tertium (nam solutio ad secundum satis iam explicata est) ait D. Thomas pœnitentiam effectiuè expellere omne peccatum, quamlibet autem virtutem specialem formaliter expellere habitum vitij oppositi. In quibus verbis considerari in primis potest diuersimodè, & quasi æquiuocè sumi vitium, & peccatum: nam cùm pœnitentia dicitur effectiuè excludere peccatum, sermo est quoad maculam, & culpam, & etiam reatum pœnæ: & ideò subdit D. Thomas, Prout peccatum est remissibile per gratiam Dei homine cooperante. At verò quando virtus specialis dicitur formaliter expellere vitium oppositum, sermo est de vitio pro habitu vitioso: nam illo verbo expresse vtitur D. Thomas: & proportionaliter debet intelligi de habitu virtutis, nam actus virtutis non formaliter, sed effectiuè expellunt habitum vitij contrarij, licèt actus formaliter expellant: quo modo necesse est, etiam pœnitentiam expellere formaliter habitum vitij oppositi. Deinde propositio ipsa, quòd pœnitentia expellit effectiuè peccatum, difficilis est, & controuersiam habet, quam infra tractando de effectibus pœnitentiæ examinabimus. Nunc breuiter planus sensus esse videtur, pœnitentiam dici effectiuè expellere peccatum, quia per se intendit destructionem eius, & ita mouet hominem, vt operetur quod ex parte sua necessarium est, vt peccatum per gratiam Dei expellatur, seu remittatur: hunc enim sensum habent illæ D. Thomæ: In quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile per gratiam Dei homine cooperante.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùmvirtus pœnitentiæ ſit ſpecies iuſtitiæ.*

Infrà ar.4. cor.& 4.diſt. 14.q.1.art.1. q.4. ad 4. & q.5.per to & diſt.15. q. 1.ar.1.q.3.ad 4.1.2.q. 62. art.2.& 3/

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd virtus pœnitentiæ non ſit ſpecies iuſtitiæ. Iuſtitia enim non eſt virtus Theologica, ſed moralis, vt in Secunda parte patet. Pœnitentia autem videtur eſſe virtus Theologica: quia habet Deum pro obiecto : ſatisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur quòd pœnitentia non ſit ſpecies iuſtitiæ.

Prætereà, Iuſtitia, cùm ſit virtus moralis, B conſiſtit in medio. Sed pœnitentia non conſiſtit in medio, ſed in quodam exceſſu : ſecundùm illud Hierem. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Ergo pœnitentia non eſt ſpecies iuſtitiæ.

Lib.5.Ethic. c.4.tom.5.

Prætereà, Duæ ſunt ſpecies iuſtitiæ (vt dicitur 5. Ethic.) ſcilicet diſtributiua, & commutatiua. Sed ſub neutra videtur pœnitentia contineri: ergo videtur quòd pœnitentia non ſit ſpecies iuſtitiæ.

Gloſ. ordinaria ibid.

Prætereà, Super illud Luc.6. Beati qui nunc fletis, dicit Gloſ. Ecce prudentia, qua oſtenditur quàm hæc terrena ſint miſera, & quàm beata cæleſtia. Sed flere eſt actus C pœnitentiæ. Ergo pœnitentia magis eſt ſpecies prudentiæ, quàm iuſtitiæ.

In lib.de vera,& falſa pœnit.c.8. à medio,tom.4.

SED contrà eſt quod Aug. dicit in lib. de Pœnitentia, Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe. Sed vindictam facere pertinet ad iuſtitiam: vnde Tullius in ſua Rhetor. ponit vindicatiuam vnam ſpeciem iuſtitiæ. Ergo videtur quòd pœnitentia ſit ſpecies iuſtitiæ.

Lib.de 2 Inuẽtione,fol. ante finem.

ar.præc.

Reſpondeo, dicendum, quòd (ſicut ſuprà dictum eſt) pœnitentia non habet quòd ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo, quòd dolet de malo perpetrato (ad hoc enim ſufficeret cha- D ritas) ſed ex eo, quòd pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantùm eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito. Emendatio autem offenſæ contra aliquem commiſſæ, non fit per ſolam ceſſationem offenſæ, ſed exigitur vlteriùs quædam recompenſatio, quæ habet locum in offenſis in alterum commiſſis, ſicut & retributio : niſi quòd recompenſatio eſt ex parte eius, qui offendit (vtpote cum ſatisfactione) retributio autem eſt ex parte eius, in quem eſt of- E fenſa commiſſa. Vtrumque autem ad materiam iuſtitiæ pertinet : quia vtrumque eſt commutatio quædam. Vnde manifeſtum eſt, quòd pœnitentia ſecundùm quòd eſt virtus, eſt pars iuſtitiæ. Sciendum tamen eſt, A quòd ſecundùm Philoſophum in 5. Ethic. dupliciter dicitur iuſtum, ſcilicet ſimpliciter & ſecundùm quid. Simpliciter quidem iuſtum eſt inter æquales, eò quòd iuſtitia eſt æqualitas quædam. Quod ipſe vocat iuſtum politicum vel ciuile, eò quòd omnes ciues æquales ſunt, quantùm ad hoc quòd immediatè ſunt ſub Principe, ſicut liberi exiſtentes. Iuſtum autem ſecundùm quid dicitur, quod eſt inter illos, quorum vnus eſt ſub poteſtate alterius : ſicut ſeruus ſub domino, filius ſub patre, vxor ſub viro. Et tale iuſtum conſideratur in pœnitentia. Vnde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis propoſito, ſicut ſeruus ad dominum, ſecundùm illud Pſal. 122. Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorũ ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Et ſicut filius ad patrem, ſecundùm illud Luc.15. Pater, peccaui in cœlum, & corã te. Et ſicut vxor ad virum: ſecundùm illud Hier. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Lib.5.ca.1. Lib.5.ca.1. non longè fine,tom.5.

Ad 1. ergo dicendum, quòd (ſicut in 5. Ethic. dicitur) iuſtitia eſt virtus ad alterum: ille autem ad quem eſt iuſtitia, non dicitur eſſe materia iuſtitiæ, ſed magis res, quæ diſtribuuntur, vel commutantur. Vnde & C materia pœnitentiæ non eſt Deus, ſed actus humani, quibus Deus offenditur, vel placatur: ſed Deus ſe habet, ſicut ille, ad quem eſt iuſtitia. Ex quo patet, quòd iuſtitia non eſt virtus Theologica, quia non habet Deum pro obiecto vel materia.

Lib.5.ca.1.& 2.to.6.

Ad 2. dicendum, quòd medium iuſtitiæ eſt æqualitas, quæ conſtituitur inter illos, inter quos eſt iuſtitia: vt dicitur in 5. Ethic. In quibuſdam autem nõ poteſt perfecta æqualitas conſtitui propter alterius excellentiam : ſicut inter patrem,& filiũ: inter Deũ, & hominem, vt Philoſophus dicit in 8. Ethic. Vnde in talibus ille, qui eſt deficiens, debet D facere quicquid poteſt. Nec tamen hoc erit ſufficiens ſimpliciter : ſed ſolùm ſecundùm acceptationem ſuperioris. Et hoc ſignificatur per exceſſum, qui attribuitur pœnitentiæ.

Ad 3. dicendum, quòd ſicut eſt commutatio quædam in beneficiis (cùm ſcilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam repẽdit) ita etiam eſt commutatio in offenſis, cùm aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuam iuſtitiam : vel voluntariè recompenſat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ reſpicit perſonam peccatoris, ſicut iuſtitia vindicatiua perſonam iudicis. Vnde manifeſtum eſt, quòd vtraque ſub iuſtitia commutatiua continentur.

Ad 4.

Ad 4. dicendum, quòd pœnitentia, licèt A
ſit directè ſpecies iuſtitiæ : comprehendit tamen quodammodò ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantùm enim eſt iuſtitia quædam hominis ad Deum, oportet quòd participet ea, quæ ſunt virtutũ Theologicarum, quæ habent Deum pro obiecto. Vnde pœnitentia eſt cum fide paſſionis Chriſti, per quam iuſtificamur à peccatis : & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. In quantùm verò eſt virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ eſt directiua omnium moralium virtutum. Sed ex ipſa ratione iuſtitiæ B
non ſolùm habet id, quod iuſtitiæ eſt, ſed etiam ea, quæ ſunt temperantiæ, & fortitudinis, in quantùm, ſcilicet, ea, quæ delectationem cauſant, ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem iuſtitiæ veniunt. Et ſecundùm hoc ad iuſtitiam pertinet & abſtinere à delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam; & ſubſtinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

C

## COMMENTARIVS.

1. RESPONDET *D. Thomas, pœnitentiam eſſe quandam iuſtitiam hominis ad Deum, quæ non eſt iuſtitia ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Huius aſſertionis priorem partem optimè colligit ex principio poſito in articulo præcedenti, quòd ad pœnitentiam ſpectat dolere de peccato, vt offenſa Dei eſt cum animo recompenſandi iniuriam in Deum commiſſam : quæ eſt materia iuſtitiæ. Circa quam rationem ſolùm occurrit aduertendum, confirmare hoc loco D. Thomam expoſitionem datam in articulo præcedente circa ſpecialem rationem, ſub qua pœnitentia verſatur* D
*circa peccatum, vt offenſa Dei eſt, & intendit deſtructionem eius, ſcilicet, quatenus per modum recompenſationis fieri poteſt.*

2. *Ex hac etiam parte huius articuli colligi poteſt, iuxta mentem D. Thomæ, pœnitentiam non ſolùm intendere deſtructionem peccati, ſed etiam dolere de illo, in quantùm offenſa Dei eſt emendabilis per recompenſationem : & ideò ait dolere de malo perpetrato commune eſſe charitati cum pœnitentia: eſſe tamen proprium pœnitentiæ ſub illa ſpeciali ratione. Deinde in hac eâdem parte oportet aduertere, D. Thomam non expreſsè declarare ad quam iuſtitiam pœnitentia pertineat, an ſcilicet ad commutatiuam, diſtributiuam, aut vindicatiuam: inſinuare tamen, eſſe quandam cõmutatiuam iuſtitiam, dum ait hanc recompenſationm eſſe commutationem quandam, & in ſolutione ad id clariùs ex-* E
*ponit. Et Caietanus id bene declarat, & defendit contra Scotum, diſtinguens in pœnitẽtia actum primarium qui conſiſtit in recompenſatione culpæ : & ſecundarium, qui ſpectat ad ſatisfactionem pro pœna. Indicat verò Caietanus hunc poſteriorem actum pertinere ad diſtinctam virtutem à pœnitentia, nempè ad quandam iuſtitiam vindicatiuam, quæ etiam eſt quædam ſpecies commutatiuæ*, Nam vindicatiua iuſtitia (*inquit*) continetur ſub cõmutatiua tanquàm ſpecies ſub genere. *Quòd verò illi actus pertineant ad diſtinctas virtutes, ex eo declarat, quòd in priori actu pœnitens tantùm ſe habet, vt reus & debitor ſoluens, prout poteſt, in poſteriori autẽ actu ſe gerit vt miniſter iudicis, puniens ſeipſum vt reum. Veruntamen, vt ſuprà dixi, non oportet multiplicare virtutes : nam cùm hæc vindicta in ſatisfactionem pœnæ ſit voluntaria, & amicabilis, tota refertur ad pleniorem recompenſationem & deſtructionem culpæ : & quòd in hoc actu ſe gerat pœnitens aliquo modo vt miniſter Dei, non refert, quia poteſt eſſe miniſter voluntariè ſe puniens ex virtute pœnitentiæ. Adde, fortaſſe etiam inter homines iuſtitiam vindicatiuam, prout ſeruat æqualitatem commutatiuæ, non eſſe diſtinctam à communi virtute iuſtitiæ commutatiuæ, licèt fortaſſe addere poſſit imperium iuſtitiæ legalis, de quo aliàs.*

*Alteram concluſionis partem ſolùm probat D. Thomas* 3.
*ex ea conditione iuſtitiæ, quæ eſt eſſe ad alterum: nam in hac deficit pœnitentia à ratione iuſtitiæ ſimpliciter : quia eſt hominis ad Deum: inter quos, licèt ſit perſonalis diſtinctio, eſt tamen quædam coniunctio maior, & eminentior, quàm ſit in hominibus inter ſeruum, & dominum, filium & patrem, vxorem, & maritum : quatenus homo totus eſt ſub dominio Dei: & quidquid habet, magis eſt Dei, quàm ipſius hominis. Ex qua coniunctione naſcitur, vt pœnitentia deficiat ab exacta ratione iuſtitiæ, & ideò dicitur eſſe iuſtitia ſecundùm quid. Ex quo intelligi poteſt, illam particulam*, ſecundùm quid, *non minuere in pœnitentia rationem virtutis ſimpliciter, imo nec perfectionem & excellẽtiam eius ſupra iuſtitiam humanam quæ dicitur eſſe iuſtitia ſimpliciter: nam ſine dubio eſt perfectior virtus, vt ex obiecto, & fine eius facilè conſtat: neque etiam minuere in illa omnem conditionem iuſtitiæ: nam illa, quæ eſt reſpicere in ſua materia rationem debiti rigoroſi, ſine dubio eſt exacta in hac iuſtitia, & maior quàm in humana iuſtitia : nam iniuria, quæ fit Deo, maior eſt. Minuit ergo illam conditionem ad alterum, quæ ad perfectam, & rigoroſam iuſtitiam neceſſaria eſſe dicitur. De qua conditione, aliisque, quæ ad iuſtitiam inter homi-*

Quomodo pœnitentia dicatur iuſtitia ſecũdùm quid.

*nem, & Deum pertinere poſſunt, dixi latiùs in primo tomo diſput. 4.*

*An verò hæc virtus pœnitentiæ deficiat à ratione iuſtitiæ,* 4.
*etiam in reddendo æquale, Diuus Thomas hîc non declarat in corpore articuli : attingit verò illud Caietanus diſputans cum Durando, & Scoto Et in ſumma dicit, in primario actu deficere pœnitentiam ab hac perfectione iuſtitiæ: in ſecundario verò actu, qui eſt ſatisfacere pro pœna, poſſe æqualitatem ſeruare. Quam reſolutione eatenus veram eſſe cenſeo, quatenus verum eſt hominem poſſe ſatisfacere de condigno pro pœna, non verò pro culpa : quod in prædicto loco D. Thomæ tactum eſt, & ex diſcurſu huius materiæ conſtabit, D. Thomas autem hîc in ſolutione ad 2. abſolutè dicit pœnitentiam deficere à perfectione iuſtitiæ in facienda æqualitate. Et declarat virtute hoc contineri in priori ratione : nam propter excellentiam perſonæ, ad quam hæc virtus ordinatur, non poteſt eadem virtus æquale illi reddere : & ideò non poteſt reddere æquale, niſi ſecundùm acceptationem ſuperioris. Et hæc ſufficiunt etiam pro ſolutionibus argumentorum. Nam quod in primo D. Thomas attingit, quo modo Deus pertineat ad materiam pœnitentiæ, ſuprà diſputatione ſecunda tractatum eſt, & ſequenti etiam attingetur. In ſolutione verò ad ſecundum tractat, quo modo pœnitentia & aliquid habeat iuſtitiæ vindicatiuæ, & nihilominùs ſub commutatiua contineatur: quod iam declaratum eſt. Denique in ſolutione ad 4. docet quo modo pœnitentia connexionem quandam habeat cum aliis virtutibus.*

***

ART

## ARTICVLVS IIII.

*Vtùm volnntas ſit propriè ſubiectum pœxitentiæ.*

4.diſt. 14. q. 2.art. 3.q.1. per to.& q. 1.cor.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd ſubiectum pœnitentiæ non ſit propriè voluntas, pœnitentia enim eſt iuſtitiæ ſpecies. Sed triſtitia eſt in concupiſcibili, ſicut & gaudium. Ergo pœnitentia eſt in concupiſcibili.

In lib. de vera & falſa pœnit. c. 8. à medio, to. 4.

Prætereà, Pœnitentia eſt vindicta quædã, ſicut Aug. dicit in lib. de pœnitentia. Sed vindicta videtur ad iraſcibilem pertinere: quia ira eſt appetitus vindictæ. Ergo videtur quòd pœnitentia ſit in iraſcibili.

Prætereà, Præteritum eſt proprium obiectum memoriæ, ſecundùm Philoſophum in

Cap. 1. to. 2. lib. de Memoria. Sed pœnitentia eſt de præterito: vt dictum eſt. Ergo pœnitentia eſt in memoria ſicut in ſubiecto.

Prætereà, Nihil agit vbi non eſt. Sed pœnitentia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ. Ergo pœnitentia eſt in qualibet vi animæ, & non in voluntate tantùm.

SED contrà, Pœnitentia eſt ſacrificium quoddam, ſecundùm illud Pſal. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Sed offerre ſacrificium eſt actus voluntatis: ſecundùm illud Pſal. Voluntariè ſacrificabo tibi. Ergo pœnitentia eſt in voluntate.

Reſpondeo dicendum, quòd de pœnitentia dupliciter loqui poſſumus. Vno modo, ſecundùm quòd eſt paſſio quædam. Et ſic, cùm ſit ſpecies triſtitiæ, eſt in concupiſcibili ſicut in ſubiecto. Alio modo, ſecundùm quòd

Art. præced. eſt virtus. Et ſic, ſicut dictum eſt, eſt

1.2.q.56.ar.6 ſpecies iuſtitiæ. Iuſtitia autem (vt in ſecunda parte habitum eſt (habet pro ſubiecto appetitum rationis, qui eſt voluntas: Vnde manifeſtum eſt, quòd pœnitentia, ſecundùm quòd eſt virtus, eſt in voluntate ſicut in ſubiecto, & proprius eius actus eſt propoſitum emendandi Deo illud, quod contra eum cõmiſſum eſt.

Ad 1. ergo dicẽdum, quòd ratio illa procedit de pœnitẽtia, ſecundùm quòd eſt paſſio.

Ad 2. dicendum, quòd vindictam appetere, ex paſſione de alio, pertinet ad iraſcibilem. Sed appetere vel facere vindictam ex ratione de ſe, vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad 3. dicendum, quòd memoria eſt vis apprehenſiua præteriti. Pœnitentia autem non pertinet ad vim apprehenſiuam: ſed ad appetitiuam, quæ præſupponit actum apprehenſiuæ. Vnde pœnitentia non eſt in memoria: ſed præſupponit eam.

1.p.q.82. ar. 4. Ad 4. dicendum, quòd voluntas (ſicut in prima parte habitum eſt) mouet omnes alias potentias animæ. Et ideò non eſt inconueniens, ſi pœnitentia in voluntate exiſtens, aliquid in ſingulis potentiis animæ operetur.

HIc articulus non indiget commentario: nam ex præcedente manifeſtè ſequitur, propriam virtutem pœnitentiæ eſſe in voluntate, vt D. Thomas reſpondet. Solùm poſſet quæri, an in appetitu ſenſitiuo reſpondeat illi aliquis habitus, facilitans illam ad cooperandum huic iuſtitiæ ad Deum in ſatisfactione exhibenda. Sed hæc quæſtio generalis eſt, de his præcipuè virtutibus, quæ ſunt ad alterum, & in ſequente diſputatione nonnihil in particulari attingemus.

## ARTICVLVS V.

*Vtùm principium pœnitentiæ ſit ex timore.*

4.diſt. 14.q. 1.art.2.q.1. per to.& q. 2.cor.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd principium pœnitentiæ non ſit ex timore. Pœnitentia enim incipit in diſplicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad charitatem: vt ſuprà dictum eſt. Ergo pœnitentia magis oritur ex amore, quàm ex timore.

art. 3. huius quæſt.

Prætereà, Ad pœnitentiam homines prouocantur per expectationem regni cœleſtis: ſecundùm illud Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Sed regnum cœlorum eſt obiectum ſpei. Ergo pœnitentia magis procedit ex ſpe, quàm ex timore.

Prætereà, Timor eſt quidam actus interior hominis. Pœnitentia autem non videtur in nobis eſſe ex opere hominis, ſed ex opere Dei: ſecundùm illud Hierem. 31. Poſtquàm conuertiſti me, egi pœnitentiam. Ergo pœnitentia non procedit ex timore.

Sed contrà eſt, quod Iſai. 26. dicitur: Sicut quæ cõcepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus, ſcilicet per pœnitentiam. Et poſteà ſubditur ſecundùm aliam literam: A timore tuo Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis, id eſt, pœnitentiæ ſalutari: vt per præmiſſa patet. Ergo pœnitentia procedit ex timore.

q.præced.ar. 6.

Reſpondeo dicendum, quòd de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter. Vno modo quantùm ad habitum. Et ſic immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus: non tamen ſine nobis diſpoſitiuè cooperantibus per aliquos actus. Alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium, eſt Dei operatio conuertentis cor: ſecundùm illud Trenor. cap. vlt. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius

eſt

eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore A ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis, ſub ſpe veniæ conſequendæ, aſſumit propoſitum emendādi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non iam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore ſeruili procedit, ſicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autē filiali, ſicut ab immediato & proximo principio.

Ad 1. ergo dicendum, quòd peccatum priùs incipit homini diſplicere (maximè peccatori) propter ſupplicia, quæ reſpicit timor ſeruilis, quàm propter Dei offenſam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem. B

Ad 2. dicendum, quòd in regno cœlorum appropinquante, intelligitur aduentus Regis, non ſolùm præmiantis, ſed etiam punientis. Vnde & Matthæi, cap. 3. Ioannes Baptiſta dicebat, Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira.

Ad 3. dicendum, quòd ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis: cor vnde dicitur Deuteronom. cap. quinto: Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me? Et ideo per hoc, quòd pœnitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei conuertentis cor. C

---

## COMMENTARIVS.

1. SATIS *declarat Diuus Thomas in artitulo ſenſum tituli eius: non enim inquiritur, quod ſit principium veluti Phyſicum, efficiens in nobis virtutem pœnitentiæ: quia* hoc modo, *inquit D. Thomas,* ſolus Deus eſt principium infundens nobis virtutem pœnitentiæ, nobis tantùm diſpoſitiuè cooperantibus. *Sed inquiritur de ipſo actu pœnitentiæ, ſeu de actibus, quibus cooperando diuinæ gratiæ vſque ad agendam veram pœnitentiam perducimur: & ſic ait Diuus Thomas, principium pœnitentiæ eſſe timorem, tum ſeruilem, tum etiam filialem: illum remotum, hunc verò proximum. Circa priorem partem occurrebat quæſtio, quam hic tractat Caietanus, An pœnitentia ſit virtus infuſa; ſed hanc tractabimus diſputatione ſequente. Nunc ſolum aduerto, quòd licèt detur aliqua virtus pœnitentiæ accquiſita: loquendo tamen de pœnitentia Chriſtiana, quæ ſola apud nos debet cenſeri pœnitentia ſimpliciter, illa reuerà eſt virtus infuſa. Et ideò Diuus Thomas de hac pœnitentia Theologicè tractans ita abſolutè loquitur: ſupernaturale, ac diuinum principium illi attribuit.* D

2. *Circa alteram partē aduertendum eſt, etiam de actu pœnitentiæ poſſe moueri quæſtionem de principio phyſico eius, de quo etiam Diuus Thomas non agit, quia ad materiam de gratia ſpectat. Et de illo eadem proportione loquendum eſt, qua de habitu: vtriuſque enim principale principiū, non ſolùm in genere cauſæ primæ, ſed etiam in genere cauſæ proximæ eſt Deus, vt autor ſupernaturalium donorum.* E

*Quia tam actus, quàm habitus quoad ſubſtantiam ſupernaturalis eſt: quoad inſtrumētale autem principium interuenit differentia, quòd habitus ſæpe fit medio ſacramento tanquàm principio phyſico, non verò actus, qui vel ſupponitur ad ſuſceptionem ſacramenti, vel ſi eſt conſequens, non eſt per ſe & certa lege coniunctus cum effectu ſacramenti. Ex parte item noſtra intercedit alia differentia, quòd habitus fit à ſolo Deo in nobis, tanquàm à principio extrinſeco: actus verò fit quidem à Deo principaliter operante, & cooperante, non tamen ſine influxu phyſico humanæ voluntatis conſentientis gratiæ Dei. Solum ergo agit D. Thomas de progreſſu morali, quo per varios actus intellectus & voluntatis, diuina gratia trahit voluntatem, vſque ad verum actum pœnitentiæ efficiendum.*

*Et ſic numerat Diuus Thomas ſex actus, quorum primus non eſt propriè actio humana, ſed eſt motio quædam diuina, quæ à Concilio Tridentino nomine vocationis, ſeu excitantis gratiæ ſignificatur. Secundus eſt actus fidei. Reliqui ſunt actus voluntatis inter quos primus eſt timor. Vnde, cùm dicitur principium pœnitentiæ eſſe ex timore, intelligi debet inter actus humanos à voluntate elicitos. Inter quos ponitur timor ſeruilis primo loco, in ſecundo verò ſpes, & in tertio charitas, non quia hic ordo ſit ſimpliciter neceſſarius, ſed quia hic eſt ordinarius modus procedendi, & maximè accommodatus conditioni humanæ. Et ideò doctrinam hanc quoad hanc partem Concilium Tridentinum amplexum eſt. Eſt tamen differentia, nam Concilium Tridentinum immediatè poſt actum amoris, ponit odium, & deteſtationem peccati: poſteà verò adiungit propoſitum inchoandi nouam vitam: D. Thomas autem interponit actum timoris filialis, vt proximum charitati.* Quo, *inquit*, propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. *Quod dictum Diui Thomæ habet difficultatem, vt ſuprà tetigi: tum quia offerre Deo emendam, non videtur eſſe actus timoris, ſed potiùs deſiderij, & propoſiti emendandi vitam: tum etiam, quia hoc propoſitum eſt poſterius proprio actu pœnitentiæ, qui eſt deteſtatio peccati. Dici verò poteſt primò, Diuum Thomam ſub actu charitatis comprehendere actum propriſſimum pœnitentiæ aduersùs peccatum: ſic enim ait,* Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum: *quæ diſplicētia eſt formaliſſimus actus pœnitentiæ. Vnde cùm inferius ait, pœnitētiam eſſe ex timore filiali intelligetur, vel quātum ad actum propoſiti emēdæ, vel quantùm ad ſatisfactionem voluntariā, quam homo Deo offert pro peccato, quam nomine emendæ videtur Diuus Thomas in illo ſexto actu intelligere. Vel ſecundò, cùm in quinto actu inuoluit diſplicentiam peccati ſecundùm ſe, exponi poteſt, non de propria deteſtatione peccati commiſſi, ſed de abſoluta diſplicentia, & odio peccati ſecundùm ſe ſpectati, vt repugnat bonitati diuinæ, iam dilectæ per charitatem. Ex qua dilectione, & odio naſcitur quædam fuga ſtatus culpæ, & peccati ex eodem motiuo diuinæ bonitatis, quæ propriè pertinet ad timorem filialem, quatenus reſpicit permanentiam in illo ſtatu, & illam fugit. Ex quo timore naſcitur voluntas deſtruendi peccatum commiſſum, quæ iam ſpectat ad actus pœnitentiæ: quam voluntatem appellauit Diuus Thomas voluntariam oblationem emendæ: nam ibi per emendam, vt dixi, non inchoationem nouæ vitæ, ſed recompenſationem culpæ commiſſæ intelligit. Et ita ex hac voluntate ſequitur deteſtatio præteritæ, & propoſitum futuræ vitæ. Vnde conſtat in doctrina Diui Thomæ nihil eſſe contrarium doctrinæ Concilij, ſed Concilium illum actum timoris filialis omiſiſſe, quia fortaſſe adeò frequens, aut neceſſarius non eſt.*

Numerātur ſex actus quibus homo ad agendam pœnitētiam perducitur.

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm Pœnitentia ſit prima virtutum.*

4.diſtin.14. qu.1. art.1.q 6.ad 6.& ar. 2.q.2. Gloſ.ord. li.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd pœnitentia ſit prima virtutum. Quia ſuper illud Matthæi 3. Pœnitẽtiam agite,dicit Gloſſ. Prima virtus eſt, per pœnitentiam punire veterem hominem,& vitia odiſſe.

Prætereà,Recedere à termino , priùs eſſe videtur,quàm accedere ad terminum. Sed omnes aliæ virtutes pertinere videntur ad acceſſum ad terminum( quia per omnes ordinatur homo ad bonum agendum ) pœnitentia autem videtur ordinari ad receſſum à malo.Ergo pœnitentia videtur eſſe prior omnibus aliis virtutibus.

Prætereà, Ante pœnitentiam eſt peccatum in anima. Sed ſimul cum peccato nulla virtus animæ ineſt. Ergo nulla virtus eſt ante pœnitentiam:ſed ipſa videtur eſſe prima,quæ aliis aditum aperit , excludendo peccatum.

art.præc. Sed contrà eſt, quòd pœnitentia procedit ex fide,ſpe,& charitate:ſicut iam dictum eſt. Non ergo eſt pœnitentia prima virtutum.

Reſpondeo dicendum,quòd in virtutibus non attenditur ordo temporis quantùm ad habitus:quia cùm virtutes ſint connexæ ( vt 1.2.q.65.art. 1. in Secunda parte habitum eſt ) omnes ſimul incipiunt eſſe in anima. Sed dicitur vna earũ eſſe prior altera ordine naturæ,quia conſideratur ex ordine actũũ: ſecũdùm ſcilicet quòd actus vnius virtutis præſupponit actum alterius virtutis.Secundùm hoc igitur dicendum eſt , quòd actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum, & habitum pœnitentiæ : ſicut actus fidei , & ſpei informium , & actus timoris ſeruilis. Actus autem,& habitus charitatis ſimul ſunt tempore cum actu,& habitu pœnitentiæ,& cum habitibus aliarum virtutum. Nam,ſicut in Secunda parte habitum eſt , in iuſtificatione impij 1.2.qu.113. art.3.& 8. ſimul eſt motus liberi arbitrij in Deum ( qui eſt actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrij in peccatum : qui eſt actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit ſecundum: nam actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei , vnde primus actus eſt ratio & cauſa ſecundi. Sic igitur pœnitentia non eſt ſimpliciter prima virtutũ, nec ordine temporis,nec ordine naturæ:quia ſecundùm ordinem naturæ ſimpliter præcedunt ipſam virtutes Theologicæ. Sed quantùm ad aliquid eſt prima inter cæteras virtutes ordine temporis,quantùm ad eius actum, qui primus occurrit in iuſtificatione impij. Sed ordine naturæ videntur eſſe aliæ virtutes priores, ſicut quod eſt per ſe,eſt prius eo, quod eſt per accidens:nam aliæ virtutes per ſe videntur eſſe neceſſariæ ad bonum hominis:pœnitentia autem ſuppoſito quodam,ſcilicet peccato præexiſtenti:ſicut etiam dictum eſt circa ordinem ſacramenti Pœnitentiæ ad alia ſacramenta prædicta. qu.66.art.4.

Ad 1.ergo dicendum , quòd Gloſſ. illa loquitur quantùm ad hoc,quòd actus pœnitentiæ primus eſt tempore inter actus aliarum virtutum mortalium.

Ad 2.dicendum , quòd in motibus ſucceſſiuis recedere à termino eſt prius tempore, quàm peruenire ad terminum,& prius natura,quantùm eſt ex parte ſubiecti, ſiue ſecundùm ordinem cauſæ materialis. Sed ſecundùm ordinem cauſæ agentis , & finalis prius eſt peruenire ad terminũ:hoc enim eſt,quod primò agens intẽdit. Et hic ordo præcipuè attẽditur in actibus animę:vt dicitur in 2.Phyſ.

Ad 3.dicendum , quòd pœnitentia aperit aditum virtutibus,expellendo peccatum per virtutẽ fidei,& charitatis, quæ ſunt naturaliter priores:ita tamen aperit eis aditum,quòd ipſæ ſimul intrant cum ipſa : nam in iuſtificatione impij ſimul cum motu liberi arbitrij in Deum,& in peccatum,eſt remiſſio culpæ , & infuſio gratiæ , cum qua ſimul infunduntur omnes virtutes , vt in Secunda parte habitum eſt. 1.2.qu.113. art.7.& 8.& q.65.art.3.& 2.

LITERA Diui Thomæ eſt ſatis perſpicua , quantùm ad eius mentem ſpectat,& ex dictis in ſuperiori articulo ampliùs etiã declarata eſt:quantùm verò pertinet ad rem ipſam, attingit ordinẽ naturæ,vel temporis inter actus , qui concurrunt ad iuſtificationem impij.De qua re ex profeſſo agitur in 1.2.qu. 113. Et quantùm ad præſentem locum ſpectat,tractabitur ànobis infrà diſputando de effectibus pœnitentiæ.

## DISPVTATIO VII.

*De habitu virtutis Pœnitentiæ.*

SVPPOSITIS his,quæ de obiecto , & actibus huius virtutis dicta ſunt, facilius erit naturam ipſius habitus explicare,cùm habitus ab obiecto,& actibus ſpeciem ſumat. Dicemus enim cuius ordinis , & potentiæ hic habitus ſit,deinde cuius ſpeciei,& quomodo ad virtutes alias comparetur.

## SECTIO I.

*Vtrùm Pœnitentia ſit virtus moralis per ſe infuſa voluntati.*

1. Datur habitus ſpecialis pœnitentiæ. Altiſiod. Mairon.

PRIMO ſuppono dari aliquem habitum ſpecialem pœnitentiæ ; quod negarunt Altiſiod. libr. 4. Summ. tractat. 6.quæſt.3.Mairon.in 4. diſt.14. q. 2. dicentes,

cētes, omnes virtutes exercere pœnitētiā, ſingulas ſub propria ratione: & ideo habitū pœnitentiæ eſſe collectionem omnium virtutum. Nos verò ſuprà oſtendimus, dari quidem hanc pœnitentiæ acceptionem: & nihilominùs etiam dari ſpeciale quoddam motiuum ad iuſtitiam pertinens, ex quo poſſumus omnia peccata deteſtari: & ex illo dici ſpeciales actus diſtinctos à reliquis habitibus virtutum. Inde ergo concluditur dari habitum his actibus proportionatum, & conſequenter ſpecificum. Nam ſi illi actus ſint, vel eſſe poſſint imperfecti, & ordinis naturalis, generabunt habitum dantem facilitatem ad ſimiles actus: nam eadem ratio eſt de illis, quæ de aliis omnibus: ſi autem ſint actus perfecti, & ſupernaturales. Deus etiam infundet habitum eiuſdem ordinis, quo illi fiant connaturali modo: hæc eſt enim neceſ- B ſitas habituum infuſorum, quæ non minùs in hoc opere locum habet, quàm in aliis. Atque ita ſentiunt de hac virtute D. Thomas hîc, & omnes expoſitores, ac Doctores ſuprà relati. De hoc ergo habitu in hac diſputatione loquimur: & ad illum propriè pertinet illud præceptum iuſtitiæ ad Deum, quo tenemur illi ſatisfacere: & illi etiam opponitur ſpeciale vitium, ſeu peccatum impœnitentiæ.

## *Habitum pœnitentiæ non eſſe habitum gratiæ. Coroll. 1.*

EX quo etiam obiter intelligitur falſam eſſe illam ſententiam, quam Bonauentura, & alij referunt, habitum pœnitentiæ eſſe ipſum habitum gratiæ, quia C habet eundem effectum, ſcilicet remittere peccatum. Veruntamen id eſſe non poteſt, quia habitus gratiæ eſt in animæ eſſentia: & non eſt proximum principiū alicuius actus: at verò pœnitentia eſt principium proximum illorum actuum, quos ſuprà declarauī: vnde & in voluntate recipitur, ſicut & ipſi actus. Suppono autem in hac ratione opinionem D. Tho. quòd gratia ſit diſtincta ab habitu charitatis: quod fortaſſe auctores illius ſententiæ non admitterent. Nihilominùs tamen licèt contrarium eis demus, ſolùm poterunt inferre gratiam ipſam eſſe habitum, qui in re ipſa elicit illum actum pœnitentiæ, qui eſt perfectiſſimus, & vera contritio, nam hunc ſuprà diximus elici à charitate, non tamen debuiſſent negare proprium habitum pœnitentiæ ex ratione iuſtitiæ. D Supponendo ergo proprios actus pœnitentiæ qui ſub ratione, ſeu ex motiuo iuſtitiæ fiunt, non eſſe elicitos à charitate, quod ſuprà oſtenſum eſt; nulla probabili ratione opinari quis poteſt, pœnitentiam eſſe ipſam gratiam ſanctificantem, ſiue quis opinetur illam eſſe eundem habitum cum charitate, ſiue diſtinctum, quod probabilius eſt. Fundamentum autem illorum auctorum facilè ſoluitur, nam gratia remittit peccatum formaliter: pœnitentia verò diſpoſitiuè, vt infrà dicam. Addit D. Tho. hîc art. 2. ad tertium, etiam effectiuè, quod poſſet variis modis exponi, vt in cōmentario tetigi: & breuiter expoſui de efficientia morali per modum imperij: nam voluntas expellendi peccatum, eſt proprius actus elicitus huius virtutis, E vt ipſe expreſſè docet: per hunc autem actum imperat contritionem, & amorem ſuper omnia, quibus peccatum expellitur: qui autem efficit vltimam diſpoſitionem expellentem formam, rectè dicitur effectiuè expellere formam.

D. Tho.

## *Habitum pœnitentiæ eſſe ſupernaturalem, & infuſum. Coroll. 2.*

SECVNDO ex his concludo, habitum pœnitentiæ eſſe ſupernaturalem, & voluntati infuſum. Ita affirmat Diuus Thomas dictis articulis, & in 4. diſt. 14. quæſt. 1. articul. 1. quæſt. 2. & ſequentibus, vbi eum imitantur Richardus, Paludanus, Soto, Ledeſma, & alij, & Medina tractatu 1. quæſtio. ſecunda, Petrus Soto lect. 8. de Pœnitentia. Conſtatque vtraque pars ex proximè dictis, & ſuperiùs tractatis de actibus huius virtutis: oſtendimus enim illos eſſe in ſua ſubſtantia, & entitate ſupernaturales: indigent ergo habitu connaturalis ordinis, vt ſupernaturali modo fiant. Item oſtendimus illos eſſe actus à voluntate elicitos: in eadem ergo potentia habitum poſtulāt. Prętereà infrà oſtendemus hunc actum eſſe iuſtitiam quandam: iuſtitia autem voluntatis virtus eſt. Circa priorem verò partem occurrebat diſputatio cum Scoto, Gabriele, Durando, & aliis, qui in eâdem diſt. 14. negant hanc virtutem eſſe infuſam per ſe, quos ſequitur Marſil. q. 10. ar. 2. ad argumenta contra quintam concluſionem, & indicat Bonauentura diſtinct. 17. 1. parte, articulo ſecundo, quæſt. 3. circa finem, quatenus ait, virtutem pœnitentiæ manere in peccatore, & eſſe informem: quod de virtutibus infuſis, præter fidem, & ſpem, communiter non admittitur. Veruntamen dicti Auctores in altero ex duobus fundamentis falſis, vel vtroque nituntur. Vnum eſt, non dari virtutes morales per ſe infuſas; cuius oppoſitum nos ſupponimus ex 1. & 2. & in ſuperioribus id breuiter declaratum eſt. Aliud eſt, nullum actum pœnitentiæ eſſe in ſe, & intrinſecè ſupernaturalem: cuius oppoſitum, vt opinor, efficaciter demonſtratum eſt. Quocirca, licèt eo modo quo dari poſſunt actus pœnitentiæ imperfecti, & naturales, illis reſpondere poſſit habitus per eos acquiſitus, qui manere poteſt in peccatore, & eſſe informis: tamen ad actus ſupernaturales pœnitentiæ eliciendos, habitus infuſus neceſſarius eſt eo modo quo in aliis virtutibus, eſt enim eadem omninò ratio.

3. D. Tho. Richard. Palud. Soto. Ledeſm. Medin. Petr. Sot. Quorūdam ſententia re iicitur. Scot. Gabriel. Durand. Marſil. Bonau.

## *Sítne in appetitu ſenſitiuo pœnitentiæ habitus. Corol. 3.*

CIRCA alteram partem de ſubiecto proximo huius habitus, quòd ſit voluntas, nulla eſſe videtur opinionum diuerſitas. Diſputant verò Theologi, an in appetitu ſenſitiuo generetur etiā habitus quaſi concomitans ipſum habitum voluntatis. Quæ quæſtio ferè de omnibus virtutibus generaliter diſputari poteſt. In propoſito verò dari talem habitum docent Paludanus diſt. 14. q. 2. nu. 11. & inclinat Soto ſubdubitans ibidem quæſt. 2. art. 4. & Ledeſma 1. part. q. 25. art. 4. ſupponendo, vt verum eſt, appetitum ſenſitiuum eſſe capacem habituum. Et poſitis etiam, quæ ſuprà dicta ſunt de actibus, mihi videtur res clara, quia ille actus pœnitentiæ, quem oſtendimus eſſe in appetitu, eſt ſæpe repugnans ſenſibili inclinationi eius: vnde eſt ſine dubio difficilis: vſu autem, & conſuetudine fit facilis: ergo generat habitum. Et confirmatur, quia eo modo quo in appetitu, verbi gratia eſt habitus temperantiæ, eſt etiam habitus ad dolendum de actu intemperantiæ, vt ſic: ergo pari ratione poteſt generari habitus ad dolendum de peccato, vt offenſa Dei, eo modo quo appetitus poteſt participare talem actum. De hoc verò habitu non dicam plura, quia ſuppono illum eſſe acquiſitum tantùm, & proprièe non eſſe virtutem, niſi prout ſubeſt habitui, &

4. Vera reſolutio. Palud. Soto. Ledeſm. Victoria.

electioni voluntatis: propter quod non est nisi vna virtus pœnitentiæ: sicut actus appetitus sensitiui cum electione voluntatis, à qua proficiscitur, non est nisi vnus actus moralis. Docet verò Bonauentura distinctione 14. articul. 2. quæstione prima, hunc habitum potiùs esse in irascibili, quàm in concupiscibili cum Alberto ibi articulo octauo, qui etiam de habitu voluntatis idem dicunt. Nam in voluntate etiam distinguunt illas duas rationes potentiarum: in quo ego non multùm immoror, quia neque in appetitu, neque in voluntate existimo esse potentias realiter distinctas: & sine dubio possunt inueniri in hoc habitu actus pertinentes ad irascibilem partem, vt est appetitus vindictæ de peccato commisso, & actus etiam pertinentes ad concupiscibilem, vt est ipsa voluntas non offendendi Deum, & amor ipsius honestatis, quæ est in obiecto pœnitentiæ.

A

B

## *Habitum pœnitentiæ esse honestum, & virtutem simpliciter. Coroll. 4.*

5. D. Tho. Soto. Alens. Marsil. Medin.

TERTIO addendum est, hunc habitum esse honestum, & virtutem simpliciter. Est assertio Diui Thomæ hîc, & in 4. dist. 14. q. 1. vbi Soto, & alij communiter. Alensis 4. part. q. 54. membr. 1. Marsil. in 4. q. 10. articul. 1. Medina tractatu 1. quæst. 1. Et sancti Patres semper loquuntur de pœnitentia tanquàm de habitu honestissimo, & perfectæ virtutis, vt patet ex his quę suprà adduximus tractatu de actibus pœnitentię. Et ex ibi dictis patet facilè prior pars, quia ille habitus est honestus, qui est principium honestorum actuum ex vi proprij motiui honesti: sed hic ita se habet, vt patet ex dictis: ergo. Et hinc concluditur pars altera, quia ille habitus est virtus simpliciter, qui præbet bonum, & honestum vsum in liberis actibus voluntatis, vt constat ex 1. 2. q. 54. sed hæc ita se habet: ergo.

C

6. Obiectio.

Solùm superest obiectio, quia ille habitus, qui necessariò supponit culpam, & non tam est ad constituendum bonum, quàm ad destruẽdum malum, non est virtus simpliciter: sed pœnitentia talis est: ergo. Confirmatur à simili, nam verecundia (ex Aristotele 2. Ethic. c. 7. & latiùs libro 4. cap. vlt.) non est virtus, quia supponit turpe factum, de quo quis erubescit: ergo, &c. Secundò, quia virtus simpliciter inesse debet ei, qui est simpliciter perfectus, & studiosus: at hæc virtus non est talis: nam, vt omittam Deum, vt Deum, Christus, vt homo, fuit simpliciter perfectus in omni virtute vndique, & tamen hanc non habuit, neque Angeli illam habent, & aliqui etiam illam excludunt à B. Virgine, & ab Adamo in statu innocentiæ: ergo.

D

7. Durádus & Caiet. reii ciuntur.

Ad argumentum Durandus in 4. dist. 14. quæst. 1. & 2. & Caietanus 2. 2. q. 114. art. 1. concedũt, pœnitentiam non esse virtutem simpliciter, sed secundùm quid. Veruntamen aut non loquuntur consequenter, aut non considerant virtutem hanc secundùm adæquatam rationem eius, sed solùm secundùm respectũ ad retractationem peccati commissi. Ipsi enim, vt suprà retuli, docent non esse primarium munus huius, vel alicuius virtutis destruere malum, sed tendere in aliquod bonum: ergo non possunt hoc titulo expellere hanc à natura virtutis simpliciter. Debent ergo loqui de pœnitentia secundùm inadæquatum conceptum, & præcisum respectum ad peccatum cõmissum. Loquendo autem simpliciter & adæquatè de hac virtute, falsum est quod in argumento sumitur, nimirum illam necessariò supponere culpam, vt Caietanus etiam in sequentibus articulis docet. Falsum item est, deseruire hanc virtutem solùm ad destruendum malum, & non potiùs per se, ac primariò ad aliquod bonum constituendum, vt à nobis in superioribus ostensum est, explicando actus, & munera eius. At verò loquendo de pœnitentia sub dicta præcisione, seu respectu ad actum retractationis, facilè concedi potest ex illo solo capite non habere rationẽ virtutis consummatæ & perfectæ, vt iam declarabo.

E

Germana solutio.

8. Satisfit primæ rationi dubitandi, & traditur differentia inter pœnitentiam & verecundiã. D. Tho.

Ad primam ergo confirmationem D. Thomas citato loco, & secunda secundæ constituit discrimen inter verecundiam, & pœnitentiam, quòd verecundia est de turpi facto præsenti pœnitẽtia de præterito: habere autẽ præsens turpe factum, repugnat virtuti simpliciter, non autem respicere præteritum factum, vt illud detestetur. Intelligendum autem hoc est, non quia hoc munus sufficiat ad constituendam virtutem simpliciter secundùm totam capacitatem suam; sed quia illud etiam munus potest pertinere ad virtutẽ simpliciter, cùm omninò sit honestum, & in se nihil mali ineludat: quod autem illud supponat, est ipsi virtuti per accidens, quantum ad habitum eius.

9.

Quod verò attinet ad verecundiam; videtur illa responsio difficultatem habere. Nam, cùm verecundia sit fuga mali, & displicentia, non videtur esse posse de malo, quod actu committitur, sed de illo quod proximè præcessit, de quo etiam potest esse pœnitẽtia. Et sicut hęc esse potest de præteritis multò anteà, ita & verecundia, si talia turpia facta in memoriam reuocentur: nulla ergo est differentia. Respondetur, verecundiam etiam esse posse de turpi facto, dum actu fit: & in hoc consistit dicta differentia, non verò in eo quod nunquam possit esse verecundia de peccato præterito, vel proximè, vel etiam remotè, si per apprehensionem præsens fiat, nam reuerà potest, vt ratio facta probat, & experientia ostendit. Non ergo in hoc differt à pœnitentia, sed in eo, quòd pœnitentia nunquàm est de actu turpi dum committitur, de quo tamen propriissima est verecundia. Huius verò ratio est, quia pœnitentia est directè de ipso facto turpi, & includit nolitionem eius; verecundia verò non tam est de ipso peccato, quàm de infamia, dedecore, vel rubore ex illo resultante, quę verecundia fugit. Et ideò quoad hoc verecundia respicit futurum, supponit verò malum turpe præsens, vel propensionem ad illud, vt sentit Diuus Thomas suprà, & notauit Dur. 4. distinct. 14. quæstione prima, ad 1. Imò sumitur ex Aristotele priori loco: dicit enim esse timorem quendam dedecoris, dum quis veretur ne videatur ab aliis, quando aliquid turpe facit. Vnde significat esse solùm quandam passionem, non virtutem: quod etiam Diuus Thomas in citato loco secũdæ secundæ indicauit, & Richard. distinct. 14. artic. 1. quæstione prima, ad 2. Addo verò, quod licèt hic timor consideretur, quatenus sub electionem liberam cadere potest, adhuc non pertinet ad virtutem simpliciter: quia motiuum illud fugiendi dedecus nõ est per se honestum, sed ad summum indifferens. Vnde etiam August. epist. 51. ad Macedon. dixit. *Nihil aliud est verecundia, quàm quidam displicendi metus.* Quod sanè quid indifferens est. Quod si aliquãdo ex honesto fine extrinseco id fiat, pertinebit ad aliquam virtutem, quæ illum finem respiciat: hoc tamen est accidentarium: & ideò simpliciter negatur, verecundiam esse virtutem: quamuis sit passio vtilis ad virtutem in incipientibus, & imperfectis: nam in viris perfectis negat Aristoteles habere locum verecundiam (quod moraliter, ac regulariter loquendo intelligendum est) & inde meritò colligit non esse virtutem, quia nulla virtus repugnat cum perfecto statu virtutum omnium. Et quoad hoc optimè distinguitur verecundia à pœnitentia, nam pœnitentia interior, & studiosa, in viris etiam perfectissimis, & quatenus tales in

tales in præsenti sunt, locum habet: verecundia autem minimè, per se, ac moraliter loquendo. A

## *De subiecto remoto pœnitentiæ.*

10. Prima respõsio ad secundam confirmationem. D. Tho.

AD alteram cõfirmationem, in qua petitur quod sit subiectum remotum huius virtutis: Diuus Thomas in quarta distinct. 14. quæstione prima, articulo tertiò, quæstione tertia, ad argumenta, negat absolutè hanc virtutem fuisse in Christo, etiam vt homine: admittit verò illã in cæteris hominibus, etiam innocentibus. Et 1. part. quæstion. 95. artic. 3. ponit illam in Adamo in statu innocentiæ; non verò in Angelis, quia sunt incapaces pœnitentiæ. Sequitur Richardus 4. distinct. 14. articul. 2. quæstione tertia, Paludanus quæst. 4. Maior quæst. 2. quanuis hic etiam neget fuisse in B. Virgine. At Alexander Alens. 4. part. quæstione duodecima, memb. 1. articulo primo, §. primo, circa finem, distinctione vtitur, quam ego etiam tradidi in primo tomo huius 3. part. disput. 4. sect. 5. & nunc etiam mihi maximè probatur: imò necessariò sequitur ex his, quę hactenus dixi. Nam, si de Pœnitentia loquamur secundùm rigorosam significationem vocis, per quam connotatur respectus ad proprium peccatum commissum, & retractationem eius, sic verum est non fuisse in Christo Domino: quia nec peccauit, nec peccare potuit. Tamen sub eodem respectu etiam esset neganda Beatæ Virgini, & aliis innocentibus: quanuis, quia absolutè peccare poterant, aliquo maiori titulo illis tribuatur, saltẽ quantùm ad dispositionem, quasi aptitudinalem, quæ per actum conditionatum explicari potest, vt statim dicam.

Richard. Palud. Maior. Vera solutio. Alens. B C

11. Marsil. Scot. Argent. D

Alio verò modo loqui possumus de hac virtute sub nomine, & conceptu iustitiæ ad Deum, qui est magis adæquatus tali virtuti. Et sub hac ratione dicendum est, esse posse in omni voluntate creata, quæ tenetur ius diuinum illæsum seruare, & in ea habere posse saltem absolutam voluntatem non transgrediendi aliquod diuinum mandatum, sub ratione vitandi diuinam iniuriam. Quam sententiam tenuit etiã Marsil. in 4. q. 10. ad 6. & eãdem necessariò tenent Durandus, & Caietanus. Nam prior asserit pœnitentiam esse ipsam iustitiam commutatiuam. Posterior verò asserit esse ipsam religionem: ergo in omni subiecto capaci iustitiæ, & religionis necessariò ponere debent hanc virtutem secundùm se, seu quantùm ad essentiam, & substantiam eius. Idem ferè tenet Scotus 4. distinct. 14. quæst. 2. ad argumenta, quanuis non loquatur in particulari de Christo, sed de Beatis in communi. Ratio tamen eius generalis est. Expressiùs, & in particulari de Christo hoc tenet Thomas de Argentina in 4. dist. 14. quæstion. 1. ad 5. vbi etiam sub nomine pœnitentiæ videtur illam tribuere prædictis omnibus, saltem ad hunc actum conditionatum, *Si peccassem, detestarer peccatum.* Quod mihi non placet, saltem pro Christo Domino, propter impotentiam peccandi. In aliis verò faciliùs posset admitti. Denique declarari potest, quia pœnitentia generatim sumpta pertinet ad charitatem, & suo modo ad quamlibet virtutem, vt dixi: ergo omnis virtus de se est sufficiens ad aliquam pœnitentiam eliciendam. Et tamen huiusmodi virtutes reperiuntur in Christo, & in aliis, quanuis non sub ea denominatione, vel cõnotatione pœnitentiæ generalis: ergo idem proportionaliter dici debet de pœnitentia speciali. Et hoc modo respondetur optimè ad confirmationem positam. Nec video difficultatem alicuius momenti, quæ circa hanc partem supersit.

## *Pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem.*

12. D. Tho. Richard. Palud. Soto. Carthus.

DIco quartò, Pœnitentia non est Theologica virtus, sed moralis. Ita docet D. Thom. hîc, & in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. 4. Richard. art. 2. q. 2. vbi Palud. Soto, & alij, & Carthus. dist. 16. q. 1. Probatur facilè prior pars: nam virtus Theologica est, quæ immediatè attingit Deum, vt obiectum quod, vt suppono ex prima secundæ: hæc autem virtus non ita attingit Deum, vt cõstat ex dictis de obiecto eius: ergo. Item virtutes Theologales tantùm sunt tres, vt sumunt Theologi ex illo primæ ad Corint. 14. *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas:* sed pœnitentia non est fides, vt per se patet, nec spes: quia, licèt hæc eliciat aliquam attritionem, tamen sub motiuo valdè diuerso, & idem est de charitate, quæ elicit contritionem: quę omnia ex superioribus patent. Dicet aliquis, Si spes, & charitas, quamuis sint Theologales virtutes, eliciunt proprios actus pœnitentiæ generalis: cur è conuerso, quamuis hæc virtus eliciat specialem pœnitentiam, nõ poterit esse virtus Theologica? Circa hoc Gabr. distinctione decima quarta quæstione prima, dub. 3. dicit, charitatem, vt elicit contritionem, esse virtutem moralem, non Theologicam: & ita non semper distinguit re ipsa virtutem Theologicam à morali: sed per respectum ad diuersas materias. Sed hoc pertinet ad modum loquendi, qui non est receptus. Verius ergo dicitur, de ratione virtutis Theologicæ solùm esse, vt in primario actu, & obiecto suo immediatè attingat Deum, vt quod: pœnitentia autem hoc non habet, sed versatur semper immediatè circa actus humanos, & Deum solùm attingit vt obiectum cui, vt suprà explicatum est. Et in hoc differt etiam ab spe, quæ nõ solùm dona creata, sed etiam Deum ipsum sperat: & ita Deum ipsum attingit vt obiectum quod, seu materiam proximam circa quam versatur. At verò pœnitentia solùm attingit Deum vt personam, cui ius suum, seu debitam satisfactionem reddit. Et ita semper habet aliam materiam creatam circa quam proximè versetur.

Paulus. Obiectio. Gabr. Solutio.

13. Dur. reprobatur.

Atque hinc concluditur altera pars assertionis: nam omnis virtus voluntatis, aut est Theologica, aut moralis, nam hæc membra includunt immediatam contradictionem: sed hæc est virtus voluntatis, & nõ Theologica: ergo moralis. At Durandus distinctione decima quarta, quæstione secunda, voluit mixtã esse, & quasi compositam ex Theologica & moliar, quia perfecta pœnitentia, inquit, regulatur supernaturali regula. Sed hæc ratio nullius momenti est, quia, vt suprà dixi, etiam virtutes morales per se infusæ regulantur supernaturali regula. Deceptus etiam videtur ex eo, quòd ad perfectam contritionem concurrere solent virtutes Theologicæ, vel sperando veniam, vel amando Deum, & morales, detestando culpam. Sed debuisset singula singulis tribuere cum proportione: interuenire enim possunt ibi plures actus; virtus autem, quæ proprium pœnitentiæ actum elicit, moralis est.

14. Obiect. Marsilij solutio. E

Sed obiicitur breuiter contra conclusionem, quia omnis virtus moralis consistit in medio inter duo extrema: sed pœnitentia non habet medium, cùm de omni peccato, & super omnia doleat: ergo. Respondet Marsilius, pœnitentiam ponere medium inter præsumptionem, & desperationem. Sed hoc potiùs pertinet ad spem, vt constat ex 2. 2. Quanquàm dici posset, per se primò hoc conuenire spei participari autem suo modo à pœnitentia, quatenus requirit cõdignam æstimationem peccati, ne homo illud contemnat, & obdurescat; & aliunde etiam requirit ne

Germana ſolutio.

peccatum æſtimetur vt malum irreparabile. Deinde verò dicitur, virtutes, quæ verſantur circa paſſiones, propriè habere medium, quod rationis vocant, quod frequentiùs eſt inter duo extrema. Virtus autem iuſtitiæ, quæ verſatur circa operationes, habet medium rei, quod conſiſtit in æqualitate rei ad rem. Quia verò pœnitentia, quæ eſt ad Deum, nunquàm poteſt hãc æqualitatem perfectè attingere, ideò non oportet vt ex hac parte habeat medium; ſed medium eius eſt facere quantùm potuerit, quanquàm ex parte noſtra debeat habere medium & moderationem, vt ſuprà explicatum eſt, cùm de actibus eius ageremus.

A

---

*Virtutem pœnitentiæ eſſe diſtinctam ab omni alia quæ non reſpicit aliquo modo Deum. Concl. 5.*

B

15. DIco vltimò, Virtus pœnitentiæ diſtincta eſt in re, & in eſſentia ab omni virtute morali, quæ non reſpicit aliquo modo Deum, ſaltem vt obiectum cui. Probatur facilè, tum quia illa diſtinctio in obiectis indicat diſtinctionẽ in ipſis virtutibus: tum etiã, quia virtutes morales verſantur tantùm circa paſſiones, & illæ diſtinguuntur à pœnitentia, quia non ſunt ad alterum ſicut illa; aut verſantur circa actiones, quę reſpiciunt alterum, vt iuſtitia, & hæ ſi ſiſtant in creaturis, neceſſariò diſtinguuntur à virtutibus, quæ moderantur actiones circa Deum ipſum.

16. At Durandus ſuprà non, diſtinguit hanc virtutem à iuſtitia commutatiua, quæ eſt inter homines, quia finis eius eſt conſtituere æqualitatem. Et quòd hæc C ſit cum Deo, vel cum homine, accidentarium eſt. Similiter etiam eſt per accidens, vt homo non poſſit reddere æquale Deo, quia virtus nõ reſpicit effectõ, ſed affectum. Scotus autem ſuprà dicit eſſe iuſtitiam vindicatiuã, quia finis eius eſt punire culpam. Quòd autem idem homo in ſeipſo illam vindicet, nihil refert, quia id facit vt miniſter Dei. Et idem ferè dicit Gabr. ſuprà, qui addit eſſe iuſtitiam diſtributiuam: nam hæc diſtribuit pœnas cum proportione ad culpas.

Scoti ſententia.

Gabr.

17. Reprobãtur. Sed hæ opiniones facilè à nobis refelluntur ex dictis: nam ius diuinum, & debitum eius eſt longè ſuperioris ordinis, quàm omne ius humanum: & ideò etiam iuſtitia, quæ reſpicit hoc ius, & ſecundum illud intendit, prout poteſt, æqualitatem conſtituere, D virtus diſtincta, & ſuperior eſt. Vnde ad diſtinguendas has virtutes non eſt accidentarium, ſed valdè per ſe, quod recompẽſatio fiat Deo, vel homini: quia ex illo capite ipſum ius, quod eſt iuſtitiæ obiectum, longè excellentius eſt; ideóque excellentiorem virtutem conſtituit, & requirit. Sicut etiam ob ſimilem vel proportionalem cauſam gratitudo ad Deum ob beneficia recepta, & fidelitas in ſeruandis promiſſis, virtutes poſtulant altiores, quàm proportionales actus, prout circa homines exercentur: Atque ex eodem capite prouenit, vt purus homo non poſſit reddere Deo æquale pro iniuria illata: quod non eſt accidentarium, vt inter homines contingere ſolet; ſed per ſe ex intrinſeca ratione, & natura talium perſonarum. Ideoque rectè diſtinguitur hæc virtus ab humana iuſtitia in eo, quòd non valet ex vi ſui ordinis Deo reddere æquale. Quare ſicut iuſtitiam in cõmuni abſtrahit ab humana, & diuina, ita & æqualitas. Idemque iudicium eſt de iuſtitia vindicatiua, nam longè diuerſæ rationis eſt in ordine ad Deum, & in ordine ad humanam Rempub. ſeu legem: præſertim quia oſtẽdimus ſuprà primarium finem huius virtutis non eſſe ſatisfacere pro pœna, ſed pro iniuria Dei, & reſarcire illam; & ad hunc finem debere A ordinari ipſam vindictam, vt ſit munus huius virtutis. Denique minor eſt apparẽtia de iuſtitia diſtributiua: nam præter dicta, hæc virtus non diſtribuit pœnas inter multos, ſed conatur reddere æquale Deo prout poteſt, & quatenus pœnam aſſumit propter culpam, ſolùm reſpicit commenſurationem pœnæ ad culpam: ideóque ſimilior eſt iuſtitiæ cõmutatiuę.

---

## SECTIO II.

*Vtrùm Pœnitentia ita ſit ſpecialis virtus, vt etiam à religione diſtincta ſit.*

HÆc ſola comparatio ſupereſt ad declarandam propriam & ſpecificam rationem huius habitus: eſtque peculiari ratione neceſſaria propter affinitatem & ſimilitudinem pœnitentiæ, & religionis: vtraque enim reſpicit Deum vt obiectum cui: & vtraque aliquo modo reddit ei debitum. Et ſub hac ratione in eum, vt in finem proximum, refert aliquas humanas actiones. Propterea igitur Caiet. dict. quæſt. 85. art. 2. dicit pœnitentiam eſſe ipſam religionem. Et fundatur præcipuè in hoc, quia aliàs pœnitentia per ſe primò & adæquatè ſolùm tenderet in deſtructionem peccati, & non ad bonum aliquod: hoc autem repugnat virtuti, vt ſæpe diximus. Hæc verò ratio non multùm vrget, quia licèt pœnitentia ſit diſtincta à religione per modum cuiuſdam iuſtitiæ, poteſt habere bonum, quod per ſe primò intendat, nempe ſeruare illæſum ius diuinum; & illi reddere quidquid ex iuſtitia illi debetur. Imò quamuis daremus pœnitentiã non eſſe diſtinctam virtutem à religione, dicendum conſequenter eſſet, religionem ipſam non ſolùm reſarcire iniuriam in Deum commiſſam, ſed etiam ſub eodem motiuo vitare ne fiat: & conſequenter etiam velle vt diuinum ius integrum ſeruetur: ſatis enim oſtenſum eſt à nobis, hæc omnia in eadem virtute connexa eſſe.

1.

Caietani ſententia.

Poſſumus tamen aliter illam ſententiam confirmare: quia quæ ſunt diuiſa in inferioribus, ſolent in ſuperioribus eſſe vnita: & ideò, licèt reſpectu proximi iuſtitia, gratitudo, fidelitas, & obſeruantia ſint virtutes diſtinctæ, tamen reſpectu Dei eadem virtus ad hæc omnia ſufficere videtur: cuius ſignum eſt, nam religio colit Deum; & gratias agit, teſte D. Thoma 2. D. Tho.
2. quæſt. 83. art. 17. & qu. 106. art. 1. ad 1. ſoluit etiam promiſſa Deo, id eſt vota 2. 2. qu. 88. Eadem ergo eſt obſeruantia, gratitudo, & fidelitas reſpectu Dei: erit ergo etiam iuſtitia: nam eſt eadem ratio. Quæ ita etiã explicari poteſt: nam omne debitum, quod redditur Deo, ſolum eſt propter cultum eius, quia nulla alia vtilitas, nullúmve dominium poteſt Deo accreſcere ex noſtris actibus: ergo in omnibus his reperitur idem motiuum, & eadem ratio virtutis. Ac propterea etiam actus pœnitentiæ per modum diuini cultus explicantur in Scriptura, Pſalm. 50 *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus.* Baruch. 2. *Anima, quæ triſtis eſt, reddit tibi gloriam.* Hinc denique D. Thom. 2. 2. q. 80. E numerans virtutes morales in ordine ad Deum ponit ſolam religionem. & quæſt. 81. articul. 1. ponit ex Auguſt. 10. de Ciuit. cap. 4. quandam etymologiam religionis à reeligendo Deum; quem peccando amiſeramus, quod eſt munus pœnitentiæ. Eadem ergo eſt religio.

Pſal. 50. Baruch.

D. Tho.

D. Aug.

Secunda opinio eſt, pœnitentiam eſſe propriam virtutem, diſtinctam etiam à religione. Hanc ſignificant antiqui Theologi, quanuis hãc comparationem ita in ſpecie non faciant; ſed generatim dicant hanc eſſe ſpecialem virtutem diſtinctam à reliquis omnibus.

3. Secunda ſententia.

D. Tho. bus. Ita D. Thom. hîc, & in 4. dist. 14. quæst. 1. artic. 1. præsertim quæst. 5. vbi distinguit pœnitentiam à latria, quæ idem est quod religio. Item d. 15. q. 4. art. 7. ad 2. & 2. 2. q. 32. art. 1. ad 2. vbi ait eleemosynam, prout ordinatur ad satisfaciendum pro peccatis, pertinere ad pœnitentiam: prout verò refertur ad colendum Deum, pertinere ad religionem. Idem sentiunt Bonau. dist. 14. art. 1. q. 2. Palud. q. 2. nu. 22. Richard. art. 1. q. 2. & Medina tractatu 1. de Pœnitentia q. 1. In particulari verò contra Caietanum docent hanc sententiam Soto d. 14. q. 2. art. 2. & Cano dicta relectione de Pœnitentia part. 2. Fundamentum huius sententiæ est, quia pœnitentia formaliter non intendit cultum Dei, sicut religio, sed satisfacere, seu resarcire iniuriam Dei, quod est valdè diuersum, vt à simili ex rebus humanis intelligi potest. Et ex diuersa ratione debiti: nam cultus solùm debetur ex quadam morali decentia, & ratione: satis factio autem ex debito legali, & rigoroso.

Bonau. Palud. Richard. Medin. Soto. Cano.

A B

### *Pœnitentiam & religionem non esse vnum simplicem habitum.*

4. SVPPOSITIS principiis, quæ de distinctione & augmẽto habituum nuper posui in Metaph. disp. 44. sect. 11. censeo vnum esse ferè certum, aliud verò posse pertinere ad modum loquendi. Itaque pœnitentia & religio non sunt vnus simplex habitus, neque in re ipsa habent aliquam veram vnitatem per realem vnionem inter se: & hoc est quod ad rem pertinet. Probatur autem breuiter ex distinctione & varietate actuum horum habituum: sunt enim in primis inter se distincti, etiam secundùm speciem, in quo omnes auctores conuenire videntur. Et hoc saltem conuincit fundamentum secundæ sententiæ. Rursus tales actus non sunt inter se connexi, quia neque vnus ex alio oritur, neque è contrario. Vnde quantùm est ex vi talium actuum, posset voluntas esse prompta, & facilis ad hos actus, verbi gratia religionis, & non ad illos, scilicet pœnitentiæ. Quandocunque autem tanta est diuersitas in actibus, non pertinent ad vnum simplicem habitum, vt dicto loco probaui. Secluſa autem reali vnitate habitus per simplicitatem qualitatis, nulla est in eis realis & physica vnitas per vnionem realem partialiũ habituum inter se, vt eodem loco probaui: ergo inter hos habitus nulla est realis vnitas.

C D

5. Et hoc fundamentum apud me conuincit etiam non esse vnum & eundem habitum religionis ad eliciendos omnes actus, qui solent religioni tribui, vt votum, cultum, & gratiarum actionem, &c. Et quidem de gratiarũ actione tenuit hoc Cano suprà. Est autem eadem ratio de aliis. Quomodo autem inter se distinguantur religionis habitus, non est huius loci. Et hoc est quod ad rem pertinet.

6. De modo autem loquendi erit quæstio, si de religione loquamur, vt de vna virtute: intelligamus autẽ esse vnam genere proximo, non specie, aut esse vnam solùm per collectionem plurium habituum habentium inter se quandam affinitatem, vel quasi artificialem compositionem in ordine ad honorem Dei integrè, & omni ex parte seruandum. Et si aliquis ita loqui velit, meritò dicet actus pœnitentiæ ita pertinere ad religionem, sicut pertinent alij actus, qui illi tribui solent. Et hoc optimè declarat fundamentum primæ sententiæ, & nihil aliud probat: nec censeo contendendum esse cum eo, qui ita loqui velit. De hac verò re latiùs sententiam meam expono in opere de Religione, quod præ manibus habeo: quia exacta comparatio fieri non potest, donec vtrumque extremum perfectè cognoscatur.

E



## QVÆSTIO LXXXVI.

*De effectu pœnitentiæ, quoad mortalium peccatorum remissionem, in sex articulos diuisa.*

DEINDE considerandum est de effectu pœnitentiæ. Et primò, quantùm ad remissionem peccatorum mortalium: secundò, quantùm ad ad remissionem peccatorum venialium: tertiò, quantùm ad reditum peccatorum dimissorum: quartò, quantùm ad restitutionem virtutum.

Circa primum quæruntur sex.

*Primò, vtrùm omnia peccata mortalia per pœnitentiam auferantur.*
*Secundò, vtrùm possint sine pœnitentia tolli.*
*Tertiò, vtrùm vnum possit remitti sine alio.*
*Quartò, vtrùm pœnitentia auferat culpam remanente reatu.*
*Quintò, vtrùm remaneãt reliquiæ peccatorum.*
*Sextò, vtrùm auferre peccatum, sit effectus pœnitentiæ in quantùm est virtus, an in quantùm est sacramentum.*

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm per pœnitentiam omnia peccata remoueantur.*

AD primum sic proceditur. Videtur quòd per pœnitentiam non omnia peccata remoueantur. Dicit enim Apostolus Heb. 12. quòd Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Glos. id est, non inuenit locum veniæ, & benedictionis per pœnitẽtiam. Et 2. Mach. 9. dicitur de Antiocho, Orabat sceleſtus Deum, à quo non erat misericordiam consecuturus. Non ergo videtur quòd per pœnitentiam omnia peccata tollantur.

Infrà q. 87. art. 11. & 4. d. 14. q. 2. ar. 1. q. 1. & dist. 16. q. 1. ar. 2. q. 3. & 3. cõtr. c. 156. & opus. 3. c. 146. Gl. inter linea. ibi.

Prætereà, Aug. dicit in li. de Serm. Domini in monte, quòd tanta labes est illius peccati, scilicet cùm post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, inuidiæ facibus agitatur, vt deprecandi humilitatem subire non possit: etiamsi peccatum suum mala conscientia agnoscere, & annunciare cogatur. Non ergo omne peccatum potest per pœnitentiam tolli.

Lib. 1. in vlt. fol. lib. to. 4.

Prætereà, Dominus dicit Matt. 12. Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Non ergo omne peccatum remitti potest per pœnitentiam.

Sed contrà eſt, quod dicitur Ezech. 18. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor ampliùs.

Reſpondeo dicẽdũ, quòd hoc aliquod peccatũ per pœnitẽtiã tolli nõ poſſit, poteſt contingere dupliciter. Vno modo, quia aliquis de peccato pœnitere non poſſet: alio modo, quia pœnitẽtia nõ poſſet delere peccatũ Primo quidẽ modo non poſſunt per pœnitẽtiam deleri peccata dæmonũ, & etiã hominũ dãnatorũ: quia affectus eorũ ſunt confirmati in malo: ita quòd nõ poteſt eis diſplicere peccatũ in quantum eſt culpa, ſed ſolũ diſplicet eis pœna, quã patiũtur. Ratione cuius aliquã pœnitẽtiã, ſed infructuoſam, habẽt: ſecũdũ illud Sap. 5. Pœnitentiã agẽtes, & præ anguſtia ſpiritus gemẽtes. Vnde talis pœnitẽtia nõ eſt cũ ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem nõ poteſt eſſe aliquod peccatũ hominis viatoris: cuius liberũ arbitrium flexibile eſt ad bonũ, & ad malum. Vnde dicere, quòd aliquod peccatũ ſit in hac vita, de quo quis pœnitere nõ poſſit, erroneũ eſt. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secũdò, quia per hoc derogaretur virtuti gratię per quã moueri poteſt cor cuiuſcunque peccatoris ad pœnitendũ, ſecundùm illud Prou. 21. Cor regis in manu Dei: & quocunque voluerit, vertet illud. Quòd autem ſecundo modo non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum. Primò quidem, quia repugnat diuinæ miſericordiæ: de qua dicitur Ioel. 2. quòd benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Vinceretur enim quodãmodo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. 2. quia hoc derogaret virtuti Paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, ſicut & cætera ſacramenta, cùm ſcriptum ſit primæ Ioannis ſecundo: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi. Vnde ſimpliciter dicendum eſt, quòd omne peccatum in hac vita per pœnitentiam veram deleri poteſt.

Ad 1. ergo dicendum, quòd Eſau non verè pœnituit. Quod patet ex hoc quod dixit, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Similiter etiam nec Antiochus verè pœnituit: dolebat enim de culpa præterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Ad 2. dicendum, quòd illud verbum Aug. ſic intelligendum eſt: Tanta eſt labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, ſcilicet de facili: ſecundùm quod dicitur illud non poſſe ſanari, quod non poteſt de facili ſanari. Poteſt tamen hoc fieri per diuinæ gratię virtutem, quę etiam interdum in profundum maris conuertit, vt dicitur in Pſalmo 67.

Ad 3. dicendum, quòd illud verbum, vel blaſphemia contra Spiritum ſanctum, eſt finalis impœnitentia: vt Aug. dicit in li. de Verbis Domini. Quæ penitùs irremiſſibilis eſt: quia pòſt finem huius vitæ non eſt remiſſio peccatorum. Vel ſi intelligatur per blaſphemiam Spiritus ſancti peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipſa blaſphemia Spitus ſancti, dicitur non remitti, ſcilicet de facili: quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis. Vel quia pro tali peccato punitur aliquis & in hoc ſeculo, & in futuro, vt in ſecunda parte expoſitum eſt.

In ſer. 11: medio ad finem to. 10.

2.2.q. 14.ar: 1.13. & 4.

---

HVic articulo integrum poſſemus commentarium adiungere, tamen quia litera D. Thomæ perſpicua ſatis eſt, & rem ipſam in ſequenti diſputatione copiosè tractaturi ſumus, vt prolixitatem vitemus, ſimul cum re ipſa mentem D. Thom. declarabimus.

---

## DISPVTATIO VIII.

### *De primo effectu pœnitentiæ, qui eſt remiſſio peccatorum mortalium.*

INTER explicandam naturam huius virtutis, ſimul declaraui cauſas eius. Efficientem, oſtendendo haberi per infuſionem: finalẽ, declarando motiuum eius: materialem, explicando ſubiectũ: formalem, tradendo obiectum, definitionem, & eſſentiam eius: quia, cùm ipſa ſit quædam forma, non poteſt aliam formam habere: quare ſolùm ſupereſt dicendum de effectibus. Quam materiam proſequitur D. Thomas in quatuor quæſtionibus ſequentibus quas nos totidem diſputationibus declarabimus, nec ferè indigent alio commentario. Eandem etiam materiam diſputant Theologi cum Magiſtro, in 4. diſt. 15. & 16.

---

## SECTIO I.

### *Vtrùm Pœnitentia in ſuo genere ſit ſufficiens cauſa ad remittenda peccata mortalia, quantumuis grauia & multa.*

DVOBVS modis, vt notauit D. Thomas quæſt. 86. articul. 1. intelligi poteſt, peccata non poſſe auferri per pœnitentiam. Primò, quia vera pœnitentia haberi non poteſt. Secundò, quia licèt habeatur, non ſufficit ad tollenda peccata. Et vtroque modo erratum eſt: ſed de illo priori modo inſtituemus ſectionem ſequentem: nunc de poſteriori diſputamus. In quo tres inuenio fuiſſe errores. Primus eſt eorum, qui abſolutè negarunt pœnitentiam ſufficere ad tollenda peccata mortalia. Cuius meminit Baſilius homilia vigeſima nona, quæ eſt de pœnitentia, & Chryſoſtomus homilia vigeſima ad Hebr. ſed non referunt

1. Duplex quæſtionis ſenſus. D. Tho.

Quorũdam error. Baſil. Chryſoſt.

Lactant. runt auctores. Lactantius autem libro sexto diuin. instit. capite vigesimoquarto refert, Ciceronem asseruisse eos qui semel à virtutis via aberrassent, pœnitendo corrigi non posse. Ex hæreticis tamen non existimo hoc aliquem negasse generatim de omni tempore, vel de omnibus peccatis: sed specialiter de peccatis Christianorum post Baptismum commissis. Et hoc modo errarunt hæretici dicti Cathari, & Cataphrygæ, & alij, vt videre licet in Epiphanio hæresi 59. Theodoreto in Epitome diuinorum decretorum capite penultimo, Hieronymo libro secundo contra Iouinianum, & epist. 50. 54. & 61. Augustino de vera & falsa pœnitentia, capite tertio, & de Agone Christian. capite trigesimo, & libro de Hæresibus, Cypriano epistola quinquagesima secunda. Et tribuit hunc errorem Origeni Athanasius oratione de peccato in Spiritum sanctum circa vndecimum caput Matthæi. Et significat id Origenes homilia trigesima quinta in Matthæum, agens de Petri negatione. Et idem tribuitur Tertulliano, de quo statim dicam. Fundamentum huius erroris sumptum est ex Paulo ad Hebræos sexto, *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, &c.* & cap. 10. *Non relinquitur hostia pro peccato.*

Epipha. Theod. Hieron. August. Cyprian. Athan. Origen. Tertull. Paul.

2. Secundus error. Secundus error fuit, pœnitentiam sufficere ad tollenda semel peccata, non tamen sæpiùs. Hunc errorem multi putant fuisse Montani, in quem tandem incidit Tertullianus, vt constat ex Hieronymo libr. de Scriptoribus Eccles. Vincentius Lyrin. libr. contra prophanas nouitates, Nicephorus libro quarto Historiæ, capite duodecimo, & trigesimo quarto. Sunt tamen qui putent Tertullianum posteà resipuisse, & retractasse hunc errorem, propter quædam verba Paciani epistola tertia ad Sympron. in fine. Id tamen verisimile non est: alioqui Hieron. & Vincent. id non prætermisissent, cùm esset res magni ponderis. Nec verba Paciani id significant, vt notauit Pamelius in fine vitæ Tertulliani, & præsertim circa librum de Pœnitentia. De quo libro censet intelligenda esse verba Paciani, cùm ait, *ipsum epistola sua, & ea ipsa, quam Catholicus edidit, audiens confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere:* per illam enim epistolam nihil aliud, quàm librum de pœnitentia intelligit, quem Tertullianus adhuc Catholicus edidit, & in eo optimè de pœnitentia sensit. Hic verò error, cuiuscunque auctoris fuerit, non videtur fundatus in Scriptura: sed in hac congruentia, quòd datur hominibus nimia peccandi licentia, si semper peccatorum remissio per pœnitentiam conferatur. Et in huius signum aiebant Christum in Euangelio neminem bis curasse: item ne videatur Deus diligere peccatum tam facilè illud remittendo, vt refert, & eleganter tractat D. Aug. lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 5.

Hieron. Vincent. Lyrin. Nicepho. August.

3. Tertius error. Tertius error est, regulariter pœnitentiam peccata auferre. Excipi tamen debere quædam peccata grauissima, quæ per pœnitentiam, quantumuis perfectam, non tolluntur, verbi gratia, apostasia à fide, aut negare Christum in tormentis. Qui fuit error Noueti, vt sumitur ex Eusebio sexto Historiæ, capite trigesimo quinto, & Ruffino capite trigesimo tertio, & Nicephoro lib. 6. capite tertio. Et multi putant in hoc errore fuisse Tertullianum, quia non omnibus peccatoribus, sed mœchis tantùm ait, negandam esse pœnitentiam, vt notauit Pamelius in antidoto ad paradoxa Tertulliani, numero vigesimoseptimo ex lib. eius de Pudicitia. Armenos etiam quædam peccata posuisse irremissibilia refert Prateolus. Et videri potest Armacanus libro nono de quæstionibus Armenorum, capite vigesimoseptimo. Fundamentum sumptum est ex quibusdam locis Scripturæ, in quibus peccatum in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem esse irremissibile indicatur. Circa hos tamen errores oportet aduertere, non omnes eorum auctores locutos fuisse absolutè de pœnitentia, etiam interiori: sed solùm de sacramentali, vt infrà, agentes de potestate Ecclesiæ ad remittenda peccata, videbimus.

Euseb. Ruffin. Niceph. Pamel. Prateol. Armac.

## *Pœnitentiam sufficere in suo genere ad tollenda peccata mortalia, Assertio 1.*

4. Probatur in lege veteri. Dico primò, pœnitentiam in suo genere esse sufficientem ad tollenda peccata mortalia. Est de fide. Probatur ex Scriptura, discurrendo per omnes leges. Nam de tempore legis naturæ, legimus Sapient. 1. Adam cõsecutum fuisse remissionem peccati per sapientiam, in qua pœnitentia includitur, vt infrà ostendam. Et ideò capite vndecimo generaliter dicitur, *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, id est, patienter expectans, donec pœnitentiam agant, & sic veniam cõsequantur. Ac propterea Cain grauiter reprehenditur, quòd veniam desperauerit Genes. quarto. De tempore legis scriptæ multa adduxi disputatione quarta: nunc sufficit Hierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego.* Isai. 55. *Derelinquat impius viam suam, &c.* & capite quinquagesimo nono. Ac denique hoc supponebant, & significabant multa sacrificia pro peccatis, quæ in illa lege data erant, De lege noua habemus generalem prædicationem pœnitẽtiæ (Matthæi 1. & 4. & Ioan. 1.) scilicet, tanquàm fructuosæ, imò & necessariæ ad remissionem peccatorum, iuxta illa Christi verba, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* De pœnitentia ante baptismum habemus prædicationem Petri, Act. cap. primo, & secundo. De pœnitentia post baptismum habemus primum exemplum eiusdem Petri, qui per pœnitentiam sui peccati remissionem cõsecutus est: erat enim iam tunc baptizatus, quidquid Origenes suprà dicat, de quo alibi. Habemus etiam exhortationem eiusdem Petri ad Simonem Magum iam baptizatum, Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Quod verò Petrus addit, *Si forte, &c.* non est quia dubitet de sufficientia pœnitentiæ ad remissionem peccati: sed vel insinuare voluit libertatem arbitrij, vel difficultatem, quæ est in agenda vera pœnitentia. Eodem modo Paulus in epistola ad Galatas, ad pœnitentiam prouocat eos, qui post Baptismum lapsi fuerant, & primæ ad Corinth. 5. excommunicat fidelem fornicarium, vt eum ad pœnitentiam trahat, & *spiritus eius saluus fiat.*

Probatur ex Scriptura, discurrendo per omnes leges. — Sap. 1. — Genes. 4. Hier. 18. Isai. 55. 59. Probatur in lege noua. — Matth. Ioan. — Act. 1. & 2. — Act. 8. — Paul. ad Gal. — 1. Cor. 5.

5. Trident. Conc. Mil. & Arau. Conc. Nic. Propter hæc definita est hæc veritas in Tridentino, sessione sexta, capite decimoquarto, & can. 19. & tota sess. 14. & in Conciliis Mileuit. & Araus. & sumitur ex Niceno can. 8. & in decretis multa referuntur distinctione 50. & in distinctionibus de pœnitentia. Et præter Patres in principio citatos, videri potest Aug. epist. 108. sermon. 15. de verbis Apostoli, & serm. 181. de Tempore, capite decimoquarto, & lib. 2. de adulterinis coniugiis, capite sexto. Cyprianus serm. de ablutione pedum, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi secunda, Gregorius lib. 3. epist. 103. & optimè Basilius dicta homil. de pœnitentia, Chrysostomus homilia septima ad populum, Hieron. Eccles. 7.

August. Cyprian. Cyrill. Hieros. Gregor. Basil. Chrysost. Hieron.

6. Ratio conuincens & demonstrans non potest reddi ex sola perfectione, aut natura virtutis pœnitentiæ: quia semper hæc res pendet ex voluntate, & promissione diuina. Hæc verò nobis satis cõstat ex Scriptura. Et est valdè consentanea, tum misericordiæ

diuinæ, tum etiam iustitiæ, & redemptioni Christi, A
D. Tho. vt optimè declarat Diuus Thomas hîc articulo primo. Supposita verò promissione Dei, ex parte ipsius pœnitentiæ redditur optima congruentia: quia nullus potest esse actus magis proportionatus ad hunc effectum, si in suo ordine perfectus sit, vt tractando de actibus pœnitentiæ satis declaraui. Item quia tunc homo facit quod potest, vt hanc remissionem obtineat, considerata eius natura, & fragilitate. Item, quia in hac vita homo semper est in statu viæ, ideò necessarium fuit, & ad prouidentiam Dei maximè pertinuit, ei concedere aliquem modum, quo posset veniam peccatorum consequi. Hæ autem rationes non minùs procedũt in homine iam baptizato, quàm in aliis, vt per se notum est. Imò quadam ratione maiorem vim habent in tempore legis gratiæ, in quo B
Dei misericordia liberaliùs operatur, & Christi redemptio iam perfecta est.

7. Confirmatur, nam alioqui Baptismus vsque ad finem vitæ differendus esset, vt omnia peccata in vita commissa simul ablueret: esset̃que valdè temerarium anteà baptizari, si posteà non supereſſet pœnitentiæ remedium pro peccatis: cùm nemo possit sibi promittere perseuerantiam in innocentia baptismali.

8. Obiectio. Dices, hæc rectè probare de pœnitentiæ sacramento, non tamen de efficacia pœnitentiæ virtutis, de qua nunc agimus.

Respõsio ex Trident. Respondetur ex Tridentino, sessione decimaquarta, capite quarto, verum quidem esse actum pœnitentiæ seu contritionem nunc non remittere peccata post Baptismum commissa, nisi cum voto sacramenti, & in ordine ad illud: nihilominùs tamen, habita vera contritione, statim remitti: C
tum quia sacramentum pœnitentiæ non est institutum ad coarctandam viam salutis, neque ad constituendum hominem in periculo damnationis, si expectanda semper esset realis susceptio illius sacramenti ad consequendam veniam peccatorum: tum etiam quia hic effectus est consentaneus illi dispositioni, & promissus à Deo sine temporum limitatione, vt latiùs Vega libro decimotertio in Tridentin. capit. tertio & quarto. Ac propterea Pius quintus, & Gregorius decimus tertius damnarunt sententiam cuiusdam Louanienſis, qui his temporibus dixit, per contritionem, vel actum charitatis statim infundi habitum gratiæ, & charitatis: non tamen remitti peccatum ante realem susceptionem sacramenti pœ- D
nitentiæ. Quem errorem suprà tetigimus, & impugnauimus.

Vega.

Michael Baius.

## *Locus Pauli exponitur.*

9. SED quid ad loca Pauli ad Hebræos sexto, & decimo, quæ specialiter videntur vrgere contra hãc partem? Prima responsio est, illud verbum, *impossibile*, non sumi in absoluto rigore, sed vt est idem quod valdè difficile. Est enim hæc exaggeratio valdè frequens in communi loquendi modo, quem interdum

Hieron. Scriptura vsurpat. Ita Hieronymus lib. secundo contra Iouin. Quia verò nõ videtur adeò difficile, vt qui E
post Baptismum peccauit, remissionem per pœnitentiam obtineat: ideò Anselmus ibi non vult hoc

Anselm. intelligi de omnibus baptizatis: sed specialiter de illis, qui post magnam vitæ perfectionem, & postquàm receperũt magna bona, & auxilia Dei, in peccata labuntur. Concilium autem Colonienſe titulo

Conc. Colonienſe. de pœnitentia, hoc limitat ad peccatum apostasiæ à fide post Baptismum susceptum. Quæ quidem in se vera esse possunt, non tamen accommodata ad in-

Hugo. tentionem Pauli. Aliter Hugo lib. 2. de Sacramentis, parte 14. capit. 4. illud *impossibile* intelligit in toto rigore, dicit tamen sensum esse, impossibile esse hominem sic lapsum restitui ad priorem innocentiam. Sed hoc etiam de commissis ante Baptismum verum est: iuxta id, *Mundans non facit innocentem.*

10. Vera responsio. Literalis ergo sensus est, eum qui post Baptismum peccauit, impossibile esse renouari per iteratum Baptismum, & consequi illam liberalem remissionem totius culpæ, & pœnæ, eo modo quo in Baptismo conceditur. Et hanc vim habet illud verbum, *Renouari*, & illud, *Iterum crucifigentes, &c.* Et eodem sensu dicitur in capite decimo, nõ relinqui aliam hostiam, id est, aliam Christi mortem, quæ per iteratum Baptisma repræsentetur. Ita Chrysostomus ibi, Diuus Chrysost. Thomas, & alij. Ambrosius libro 2. de pœnitentia, D. Tho. capit. 2. Augustinus de ver. & fals. pœnitentia, cap. 3. Ambr. Athanas. orat. de blasphem. in Spiritum sanctum, Auguſt. non longè à principio. Vbi aduertit non dixisse Paulum impossibilem esse pœnitentiam, sed impossibile esse *per causam pœnitentiæ quempiam renouari, iterato Baptismate.* Sumitur etiam ex Iustino quæst. 96. ad Gentes, vbi ait, licèt in lege Euangelica vnicum sit lauacrum, relinqui tamen lapsis remedium, *Si pœnitentiæ remedio vti velint.* Denique Diuus Thomas suprà q. 84. art. 10. ad primum, hanc præfert expositionem, & optimè declarat: eámque ad verba Pauli bene accommodat Adamus in Paulum. Athan. Iustinus. Adam.

## *Veram pœnitentiam esse sufficientem ad peccata tollenda quoties homo peccauerit, Assertio 2.*

11. DICO secundò, Pœnitentia, si vera sit, non tantùm semel, sed quoties homo peccauerit, sufficiens est ad tollenda peccata. Hæc etiam est de fide, vt tradunt omnes Theologi, qui hoc sensu docent pœnitentiam esse iterabilem: quod æquè verum est de virtute, ac de sacramento pœnitentiæ. Et sumitur ex absolutis verbis Christi Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: nam licèt ibi sit sermo de sacramento, tamen iam ostendi ex Concilio Tridentino à sacramento ad veram contritionem, esse efficax argumentum. Sunt etiam optima verba Christi Matthæi capite decimo octauo: *Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies*, vbi ille numerus pro indefinito ponitur, vt ibi annotarunt Hieronymus, Hieron. & Hilarius can. 18. & Chrysostomus homilia 62. Vbi Hilar. aduertit, licèt ibi sit sermo ad literam de remissione Chrysoſt. iniuriarum hominum inter se, tamen per hoc significasse Christum infinitam Dei misericordiam, quæ pœnitentiam hominum semper acceptat. Idem habet homilia secunda in Psalmum quinquagesimum, circa principium, vbi sic inquit: *Peccasti? pœnitere: millies peccasti? millies pœnitere.* Et in sequentibus latè confirmat, neminem dum viuit, ab hoc remedio excluſum esse. Quæ verba reprehendit Socrates libro Socrates. sexto Historiæ, capite vigesimoprimo, quia ipse Nouatianus erat. Eadem verò confirmat idem Chrysostomus apud Nicephorum libro secundo historiæ, Nicepho: capit. 36. dicens, *Vel decies millies per pœnitentiam resipiscens Ecclesiam ingredere, ego paratus sum pœnitentes admittere.* Idem optimè homilia vigesimaquarta, & 40. ad populum. Et Dionysius Corinth. Episcopus apud Nicephorum libro quarto historiæ, capite vigesimosecundo, qui etiam alia refert lib. 12. cap. 36. & multa ex Scripturis congerit Damascenus lib. 2. Parallelorum, cap. 83. & Hieronymus epist. 46. & 48. & Tertullianus de pœnitent. ca. 8. vbi habet illa verba: *Nemo deterior fiat, eò quòd Deus bonus sit, toties remittens, quoties delinquimus.* Damasc. Hieron. Tertull. Ioan. Matth.

Ratio

Ratione oſtenditur concluſio.

Ratio verò eſt eadē, quæ in præcedenti aſſertione,& quia ſecunda contritio non eſt minùs bona,& conſequenter nec minùs efficax, quàm præcedens. Peccata autem quæ præceſſerunt,cùm iam ſint omninò deleta, non poſſunt obeſſe.Illa verò circunſtantia ingratitudinis, quæ eſt in poſteriori peccato poſt remiſſionem prioris,& nō eſt adeò grauis,quin aliæ grauiores per pœnitentiam tollantur: & comprehenditur ſub generali promiſſione de remittēdis omnibus culpis, ſi de illis vera ſit pœnitentia. Nec denique propter hoc datur hominibus licentia peccandi.Primò quidem,quia, vt rectè dixit Auguſt.li. de vera & falſa pœnitentia,cap.5.multò maior daretur,ſi homines deſperarent remiſſionem. Secundò, quia licèt aliqui malè vtantur hac Dei miſericordia, non propterea debuerunt boni priuari fructu pœnitentiæ:& in hoc magis oſtendit Deus odium peccati,quia ſemper illud deſtruit, quoties homo illi cooperatur prout poteſt,& debet.

Fundamēto hereticorum ſatisfit. Auguſt.

Obiectio.

Solum obiici poteſt,quia in decretis,& antiquis canonibus ſæpe dicitur,pœnitentiam ſemel tantùm eſſe concedendam,ſeu non iterandam, de Pœnitentia diſt.3.per multa capita,& apud Ambroſium li.2. de Pœnit.ca.10. Auguſtin.epiſt.53. & 54. Clement. Alexand.lib.2.Stromatum,Tertull.libr.de Pœnit.in principio,Chryſoſt.homil.1. ad Epheſ.1. in illa verba,*In laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ*, & Origenem homil.15. in Leuiticum. Reſpondetur, in illis decretis non eſſe ſermonem de pœnitentia, vt eſt virtus, vel ſacramentum, & ad internam peccati remiſſionem ordinata: ſed de quadam pœnitentia ſolenni,quam poſſumus cæremonialem appellare,quoniam peculiari ritu ab Eccleſia inſtituto olim fiebat ad publicā ſatisfactionem, & ædificationem:& illa ſemel tantùm concedebatur, vel ad maiorem terrorem,& ne contemneretur:vel fortè ne aliis eſſet ſcandalum, ſi ſæpiùs talem pœnitentiam aliquis ageret.Quòd autem poſt illam adhuc eſſet locus ſacramento pœnitentiæ,& conſequenter remiſſioni peccatorum per pœnitentiam,certiſſimum eſt.Et ſpecialiter conſtat ex Siricio Papa epiſt.1.decretali cap.5.

Ambr. Auguſt. Clemens Alex. Tertull. Chryſoſt. Origen.

Solutio.

Siricius Papa:

---

## *Nullum eſſe peccatum adeò graue, quin per pœnitentiam remitti poſsit. Aſſertio 3.*

Dico tertiò, Nullum eſt peccatum adeò graue, nec tanta multitudo peccatorum,quę non poſſint per veram pœnitentiam deleri in hac vita: ita docet hîc D. Tho. & oppoſitū dicit eſſe erroneum, intelligo autem eſſe hæreticum:quia eſt contra definitiones Conciliorum ſuprà adductas, imò contra omnia teſtimonia, quæ ex Scriptura attulimus. Et ſpecialiter notari poteſt illa generalis promiſſio Ezech.18.*Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Vbi etiam notari poteſt,eodem modo conſtitui hanc legem in remittendis peccatis per pœnitentiam, quo conſtituitur in gratia tollenda,& meritis præteritis per ſubſequens peccatum,in quo nulla eſt exceptio nec magnitudinis,nec multitudinis meritorum: ergo neque è contrario in priori remiſſione habet locum exceptio alicuius peccati etiam grauiſſimi, nec multitudinis peccatorum etiam maximæ. Et ſimile argumentum ſumitur ex c.33. Ezech.& ex illis verbis Pſal.50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*,& ex illis Zachar. 4. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ac denique ex omnibus promiſſionibus de remittendis propter pœnitentiam peccatis,quæ in ſcriptura ſine limitatione vel reſtrictione fit.Cur enim nos coarctabimus promiſſiones Dei quas ipſe ampliſſimè concedit: cùm hæ ad gratiam pertineant,quæ amplificanda potiùs eſt, quàm reſtringenda?

D. Tho.

Ezech:

Pſal.50. Zach.

Hæc amplificatio his tandem verbis declaratur Deutero. 4.cùm dicitur:*Si quæſieris Dominum,inuenies eum,ſi tamen ex toto corde tuo quæſieris eum*: & infrà, *Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus.* Nec refert quòd hæ promiſſiones in Teſtamento veteri contineantur:quia nō ſunt propriæ illius,cùm non ſint de bonis temporalibus: neque ad iudicialia,aut cæremonialia præcepta pertineant,ſed ad moralem vitam, & internam ſanctitatem. Vnde licèt non priùs fuerint ſcriptæ, priùs nihilominùs fuerunt factæ,& executioni mandatę in Adamo, & aliis,quibus in tempore legis naturæ remiſſa peccata fuere.Rurſus nemo dubitat quin poſt legem veterem remittantur peccata ante Baptiſmum commiſſa per pœnitentiam, ſeu contritionem, includendo in voto Baptiſmum:quæ remiſſio non fit niſi ex vi eiuſdem promiſſionis:non eſt ergo abolita in lege noua,Ergo eadem ratione durat,quoad peccata poſt Baptiſmum commiſſa cum eadem amplitudine: tum quia gratia non eſt diminuta in lege noua, ſed aucta:tum etiam,quia tam efficax eſt cōtritio ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm ea quæ præceſſerunt. Et ſacramentum ipſum pœnitentiæ in voto ibi incluſum, tam generalem promiſſionem habet,ſicut Baptiſmus,iuxta verba Chriſti Ioan.20.*Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Deut.

Io. 20.

Ex quibus de fide certum eſt,ſacramentum illud cum debita diſpoſitione applicatum,valere ad omnia peccata tollenda, quantumuis grauia & multa: idem ergo eſt de contritione,quæ in voto ſacramentum illud includit.iuxta doctrinam Concilij Tridē- Trident.
tini,ſeſſ.14.cap.4.ex quo habetur,omne peccatum, quod per pœnitentiæ ſacramentum poteſt remitti, auferri etiam per contritionem includentem votum eiuſdem ſacramenti.Præterea,eadem peccata, quæ hæreticis videntur irremiſſibilia,inueniuntur in Teſtamento nouo remiſſa,vt de negatione Petri ſuprà viſum eſt: & de grauiſſima fornicatione,2. ad Corinth.2.& 7.& 2.ad Timoth.2.ait Paulus,etiam hæ- Paulus.
reticos admonendos eſſe, ſi fortè per pœnitentiam reſipiſcant.Nec eſt diſſimile illud Apoc.1.& 2.*Memento vnde excideris,& age pœnitentiam.* Vnde 1.Ioan. Apocal.
2.generatim ad baptizatos dicitur, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, &c.* quem locum, cum aliis ad rem præſentem,optimè tractat Hieron. lib.2.contra Iouinianum, & Baſilius dict. homil. de pœnit.& Ambroſius libro 2.de Pœnitent.ca.4. Denique conſtat,hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem,& nunc etiam eſſe, admittendi ad pœnitentiam quoſcunque pœnitentes, ex quocunque ſtatu,& genere peccati,vt ſumitur ex Concilio Niceno,can.8.& ex aliis quæ refert Euſebius lib. 5.Hiſtoriæ,c.2.& lib.6.c.34.Rationes ſunt eædem, quæ ſuperiùs adductæ ſunt.

Hieron. Baſil. Ambr.

Conc.Nic. Euſeb.

---

## *Locus Matthæi 12.& Marci 3. expenditur.*

Solvm ſupereſt vt declaremus duo teſtimonia, in quibus contrarius error nitebatur. Prius eſt Matth.12.& Marci 3. vbi Spiritus blaſphemiæ, ſeu blaſphemia in Spiritum ſāctum,vt à Theologis appellatur, dicitur non remitti neque in hoc ſeculo, neque in futuro. De quo peccato tractat ex profeſſo D.Tho.ſecunda ſecundæ, quæſtione 14.& alij Theologi in 2.diſt.42.& 43.Duo autem ſunt exponenda.Primum,quid ſit illud peccatum: ſecundum quomodo irremiſſibile dicatur.De primo variæ ſunt expoſitiones. Quidam dicunt eſſe finalem impœnitentiam,

D.Tho.

Quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum.

tentiam,quæ omninò irremiſſibilis eſt, quia cum illa hæc vita finitur. Ita ſignificat Auguſt. de ver. & falſ. pœnit.ca.4.lib.4.contra Creſconium,cap.8.& epiſt. 50.ad Bonifacium,circa finem,in expoſitione inchoata epiſt.ad Rom.circa finem,& in Enchiridio,ca.83. Fulgentius de fide ad Petrum,cap. 3. Alij intelligunt eſſe peccatum hæreſis in his, quæ ſpecialiter pertinent ad perſonam Spiritus ſancti. Quod ſignificat Athanaſius in epiſt.1.ad Serapionem de Spirituſancto.Cyprianus tamen lib.3.ad Quirinum, ca.28.generaliter dicit eſſe peccatũ in Deum. Scholaſtici verò explicant de peccato ex malitia & obſtinatione cordis,& ſpecialiter Scotus diſt.43.q.1.dicit eſſe obſtinationem peccati cum deſperatione veniæ,& propoſito non pœnitendi.Et D.Tho. iuxta eandem ſententiam varias ſpecies eiuſd em peccati annumerat. Vnde non eſt ſenſus Theologorum, quodcunque peccatum ex malitia, eſſe peccatum in Spiritumſanctum; ſed illud quod ſpeciali modo opponitur hominesſanctificationi, & remiſſioni peccati: quod opus Spirituiſancto appropriatur.

D. Aug. Fulgent. Athan. Cyprian. Scot. D.Tho.

18. Veruntamen hæc expoſitio,ſicut & aliæ,non ſunt accommodatæ contextui:quia ſi contextus inſpiciatur, & occaſio quam Chriſtus habuit ad illam ſententiam proferendam,non erat ſermo de his peccatis.Et ideò cenſeo hoc peccatum propriè eſſe quando ex malitia& duritie cordis,ſpiritui malo tribuuntur diuina & ſupernaturalia opera, quæ Spiritusſanctus ad confirmandam fidem, vel ad conuertendos peccatores ſpeciali prouidentia operatur:nam illud eſt propriè Spirituiſancto reſiſtere,vt aliis locis Scriptura loquitur,Hunc verò eſſe ſenſum illius loci,cõſtat ex occaſione qua Chriſtus id dixit, & ex cauſali, quam Marcus adiungit, *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet*, & ex Sanctorum expoſitionibus, Athanaſ.oratione ſpeciali de hac re, & oratione 2. contra Arianos,circa finem, Baſil. in Quæſtionibus breuioribus,q.273.Hier.epiſt.149. & optimè Chryſoſtomus homil.42.in Matthæum.

Germana reſpoſitio. Athan. Baſil. Hieron: Chryſoſt.

Iuxta hanc ergo expoſitionem, & cæteras præter primam,hoc peccatum nó dicitur irremiſſibile, quia omninò tolli non poſſit;ſed quia difficilè tollitur,eò quòd homini ſic diſpoſito difficile ſit veram pœnitentiam concipere,propter cordis obdurationem,& mentis excæcationem.Ita Chryſoſt.ſuprà,& Cyprianus epiſt.52. & lib.de lapſis. Addit Vega libr. 13. in Trident. cap. 9. hoc peccatum, licèt remitti poſſit, nunquàm tamen remitti:ſed de hoc non eſt lata lex, Vnde cùm id ex libertate pendeat,non eſt infallibile, Imò ait Chryſoſt.fortaſſe nonnullos ex Iudæis,quos Chriſtus reprehendebat,conſecutos poſteà fuiſſe remiſſionem illius peccati per eiuſdem Chriſti, vel Apoſtolorum prædicationem. Moraliter autem loquendo,& ſecundùm id quod frequentiùs accidit,illud eſt verum propter cauſam dictam.

Cyprian. Veg. rencitur.

19. Aduertit prætereà Chryſoſtomus hoc peccatum tunc propriè eſſe,quando ſine ignorantia cõmittitur, Quare, inquit,*ſic?quia cùm Spiritus iam notus vobis eſſe debeat, rem claram & manifeſtam oppugnatis.* Et hoc etiam adnotauit Athanaſius in dicta oratione.Et ad hunc modum accommodari poteſt ad hanc expoſitionem communis doctrina Theologorum.Denique aduertit Chryſoſtomus hoc peccatum ideò dici non remitti in hoc ſeculo,neque in futuro, quia punitur in hoc ſeculo,& in futuro. Quod etiam ſignificauit hîc D.Tho.ad 3.cùm non omne peccatum de ſe mereatur pœnam & in hoc ſeculo, & in futuro. Deus enim quædam peccata diſſimulat in hac vita,vt puniat in futura:quædam verò punit in hac vita,ne puniat in futura:hoc verò punit & in hoc ſeculo, & in futuro.Sicut accidit Iudæis,quos & in hac vita puniuit per excidium Hieroſolymitanum, &c. & in alio ſeculo per æternam pœnam.

---

## *Locus* 1. *Ioan.* 5.*expenditur.*

20. Quod dicatur peccatũ ad mortem.

ALTER locus eſt primæ Ioan.5. *Eſt peccatum ad mortem,non pro illo dico vt oret quis.* Vbi etiam inſinuatur tale peccaium eſſe irremiſſibile,& ideò non eſſe orandum pro tali peccatore:ſicut non oramus pro damnatis. Circa quod teſtimonium illa etiam duo explicanda ſunt,ſcilicet quod dicatur peccatum ad mortem, & qua ratione orandum non ſit pro eo,qui illud committit. Et quidem Aug.(ſi eius eſt opus)de ver.& falſ.pœnit. cap.4.intelligit huiuſmodi eſſe omne peccatum mortale; nam proprietas vocis hoc indicat. Sed non poteſt ſuſtineri expoſitio:tum quia peccatum quod ibidem dicitur,*non ad mortem*, dicitur priuare vita: vt patet ex illis verbis, *Oret, & dabitur ei vita*, ergo non omne peccatum mortale vocatur ibi ad mortem: tum etiam quia illo modo non relinquitur commoda expoſitio poſterioris partis,cùm oratio pro peccantibus mortaliter frequens & vſitata eſſe debeat.Alij ergo exponunt de alio genere peccati,vt inuidiæ, præſertim quando ex illa aliquis Eccleſiam, aut iuſtos perſequitur. Sumitur ex Auguſtino lib.1.de ſermone Domini in monte,cap.43.& 44.& ſerm.59.de Tempore, & Beda in dictum locum Ioannis, qui aiunt eum peccare ad mortem,*qui poſt agnitam Chriſti gratiam, inuidiæ facibus agitatus,eandem gratiam Chriſti,& fratres ſuos perſequitur & oppugnat.* Quam expoſitionem tetigit hîc D. Thom.art.1. ad 2.& eam non improbat. Tamen idem Auguſtinus eam apertè deſeruit li.1.Retractationum,c.19.& meritò,quia nulla ſufficienti ratione declaratur,cur tali peccato illa denominatio ad mortem tribuatur.

Auguſt. Beda.

Ambroſius ergo lib.2.de pœnitentia, cap. 8.& 9. omne peccatum ſpeciali modo atrox & enorme putat ita vocari,fortaſſe ob eam rationem, quia huiuſmodi peccatũ habet ſpeciale periculum morale perpetuæ mortis. Et eandem expoſitionem attigit D. Thom.in 2.d.43.in fine,& q.28.de Veritate, art. 11. ad 8.q.3.de malo,art.5.ad.3.& ſuper locum Ioã.eam approbat. Addunt verò,& rectè,D.Thom.& Ambr. Ioannem non prohibere abſolutè orare pro huiuſmodi peccatore, ſed per quandam exaggerationem ad declarandum periculum talis peccatoris negatur dixiſſe,*Non dico vt pro illo oret quis.* Et addit eleganter Ambroſius, Non quemlibet de populo, ſed virum ſanctum eſſe aptum ad orandum pro huiuſmodi peccatore. Quod rectè explicatur ex illis verbis 1.Reg. 2.*Si peccauerit vir in virũ ,placari ei poteſt Deus:ſi autem in Deum peccauerit homo,quis orabit pro illo?*

21. Vera reſolutio. Ambr. D.Tho. 1.Reg.2.

Vltimò verò addo ad hunc locum rectè accommodari expoſitionem illam de peccato finalis impœnitentiæ,quod meritò ad mortẽ dicitur,quia in morte conſummatur, & ad mortem ducit æternam. Et tunc optimè & cum toto rigore dicitur pro huiuſmodi peccatore non eſſe orandum,quia iam eſt extra ſtatum ſalutis.Et hnnc etiam expoſitionem ſignificauit Aug.lib.de Correptione & gratia,cap.12. & 1. Retractationum,c.19. & Beda in eum locum. Et fauent Gregorius 16.Moralium,c.28.& Pacianus epiſt. 3. Videri etiam poteſt Hieron. in id Hier. 14. *Noli orare pro populo illo.* Vbi ait,ſtultum eſſe orare pro eo, qui peccauerit ad mortem, id eſt, pro peccante, & perſeuerante in peccato: ſeu qui vſque ad mortem emendari non vult,vt ipſe exponit.

22. Alia reſponſio optima. Auguſt. Beda. Gregor. Patian. Hieron.

SECTIO

## SECTIO II.

*Vtrùm in hac vita semper possit haberi pœnitentia sufficiens ad remittenda peccata in quacunque grauitate & multitudine.*

1. Quorũdam opinio.

IN hac re fuit aliquorum Catholicorum opinio, nonnullos peccatores interdum peruenire in hac vita ad eum statum, & peccatorum cumulum, vt iam non valeant sufficientem pœnitẽtiam agere, qua exeant ab statu peccati. Ita sentit Henricus quod li.8.quæst.1.& Abulens.in Exodum, ca.4.q.12.& in Deuteron.cap.2.quæst.10.& Medina lib.3.de Recta in Deum fide,capit. 1. Catherinus opusc.de Prædestinatione,& reprobatione,Rofensis articul.36.contra Lutherum, & probabile existimat Ruard.art.7.Fundamentum huius sententiæ posteà videbimus.Vt autem Catholicus eius sensus intelligatur,aduertendum est duo requiri ad veram pœnitentiam agendam, scilicet libertatem arbitrij, & auxilium gratiæ,vt cõstat ex certis principiis fidei.Certum ergo est,in hac vita non amitti libertatem sufficientem ad agendam pœnitentiam,propter grauitatem,vel multitudinem peccatorum. Neq; Auctores citati oppositũ sentiunt:esset enim manifestus error, quia peccatum nec tollit vsum rationis, nec facultatem voluntatis in se minuit, sed ad summum auget habitus prauos,& inordinatos affectus,quibus nihilominùs potest voluntas dominari,vt latiùs cum D. Thoma traditur in 1.2.q.85.art.1.& 2.

Henric. Abul. Medin. Catherin. Rofens.

Ruard. Duo requiruntur ad veram pœnitentiam agẽdam.

2. Punctus difficultatis.

Rursus ex parte gratiæ duo distinguenda sunt, Vnum est virtus eius ad vincenda omnia peccata,& pœnitentiam agendam,illis non obstantibus in quacunque grauitate & multitudine. Et in hoc sensu etiam est de fide non deesse virtutem gratiæ ad hunc effectum,vt rectè D.Thom.hîc aduertit: esset enim contra Dei omnipotentiam, & contra excellentiam diuinæ gratiæ,hãc virtutem illi denegare:neque Auctores citati hoc negant. Aliud ergo potest de hac gratia controuerti,scilicet,an illa, quæ ad hunc effectum sufficit,semper in hac vita detur,vel præparata sit omnibus:vel interdum aliquibus negetur propter peccata.Et in hoc est punctus difficultatis: loquor autem de gratia sufficiente,non de efficaci.Nam de hac posteriore,non est dubium,quin multis hominibus non detur;imò illis omnibus non datur, qui de facto non conuertuntur;quia gratia efficax appellatur, quæ infallibiliter habet effectum. Et de hac loquitur sæpe Aug.cùm dicere videtur,interdũ Deum negare gratiam hominibus, etiam sine speciali culpa eorum,vt videre licet toto libro de Prædestinatione Sanctorum,præsertim à c.5. & sæpe aliàs.

Auguſt.

3. Duplex sensus quæstionis.

Nunc verò non est nobis necessaria disputatio de gratia efficaci,quia sufficiens satis est, vt homo possit vera & reali facultate pœnitentiam agere,si velit, & vt illi attribuatur,si nolit.Et de hac gratia sufficienti aiunt dicti Auctores interdum denegari aliquibus hominibus propter peccata sua.Sed in hoc sensu possumus vlteriùs duos distinguere:vnus,vt respectu ipsarum culparum,& in pœnam earum:sit hæc lex generaliter à Deo statuta,vt quicunque tale peccatum commiserit, vel ad talem statum & multitudinem peccatorum peruenerit,omninò priuetur auxiliis necessariis ad pœnitentiam agendam, etiamsi multo tempore in hac vita viuat,& quod potuerit, vel voluerit,faciat ad relinquendum illum statum. Et non opinor dictos Auctores locutos esse in hoc sensu, essetque nimis falsa, imò & erronea talis sententia, vt hîc dixit Diuus Thomas.Quod etiam ex dicendis à fortiori constabit. Quia constat ex Scriptura, & ex ipso vsu,Deum ex omnibus statibus conuertere aliquando grauissimos peccatores ad pœnitentiam,& in omnibus ætatibus,& temporibus, vt intelligamus nullum genus peccatorum hominum excluſum esse à misericordia Dei. Quod rectè docuit Diuus Auguſt.in Enchiridio,capite 103.ita exponens illud 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*,id est, vt ipse ait, *omne genus humanum per quascunque differentias distributum*, & inter alios statim ponit homines tardi cordis,*in moribus omnibus, & in voluntatum, conscientiarumq; mirabili varietate constitutos.* Et subiungit hoc esse signum à posteriori, vt de nullo statu peccatorum desperandum sit, quòd ex omni genere saluat eos Deus.Et in lib.de Prædestinatione & gratia,capite decimoquarto,& decimoquinto(si eius est) eleganter id declarat per comparationem Pharaonis, & Nabuchodonosor,qui fuerunt grauissimi peccatores,& valdè similes in statu, obduratione, &c. Et tamen vnus obtinuit gratiam agendi pœnitentiam,& non alius.Itaque non est lex de hoc statuta respectu culparum ipsarum.

Auguſt.

4. Probatur opinio ex Scriptura. Eccleſiaſ. Pſal. 8. Hier. 6. Ioſue 11. Ioan. Caiet. Probatur ex Patribus. Iſidor. Euſeb. Gregor. Bernard. Auguſt.

Nihilominùs potest esse alius sensus, quem dicti Auctores intendunt, scilicet, respectu personarum aliquarum ita Deum se habere, vt eis deneget talia auxilia propter sua peccata,quanuis aliis habentibus similia,vel maiora, non deneget:nam *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*,ad Roman.9.dicitur.Fundatur hæc opinio sic declarata in aliquibus locutionibus Scripturæ,vt est illa Ecclesiast.7.*Considera opera Dei,quia nullus potest corrigere,quem ipse despexerit.* Vnde est illud Psalm. 8. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum,ibunt in adinuentionibus suis.* Et Hiere. 6.*Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima mea à te.* Et infrà, *Argentum reprobum vocauit eos.* & capite quinquagesimoprimo,*Curauimus Babylonem, & non est sanata,derelinquamus eam,* & Ioſue 11.*Domini enim sententia fuerat vt indurarentur*, & Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias:Excæca cor, &c.* Vbi Caietanus norat illos non potuisse credere, ex defectu gratiæ præuenientis. Et hos modos loquendi imitati sunt aliqui Patres, præsertim Isidorus libro secundo de Summo bono, capite decimoquinto,dicens:*Nonnulli ita despiciuntur à Deo, vt non possint mala plangere,etiamsi velint.* Et Euseb. libro octauo de Demonstratione, capite secundo dicit, Deum expectare aliquos vsque ad certum terminum peccatorum,& posteà omninò illos deserere. Et de his ait Gregorius 11. Moral.capite quinto,quòd licèt exteriùs vocem audiant,interiùs gratia Dei non tanguntur.Quod etiam asseruit Bernardus in serm. de Nimia fallacia huius seculi,& in speciali de Pharaone.Idem dixit Gregorius libro 31. Moral. capite vndecimo.Et habetur etiam nomine Auguſt.in illo libro de Prædestinatione & gratia, cap. decimoquarto,& in inchoata expositione epistolæ ad Rom. expressiùs id docet idem Augustinus propositione 62. dicens ita fuisse desertum Pharaonem, vt iam impœnitentia non imputaretur ei ad culpam, sed ad pœnam.

5. Ratione sua detur.

Ratio verò huius sententiæ est, quia peccata merentur totam hanc pœnam: & expedit ad ostensionem diuinæ iustitiæ,& ad terrorem aliorum, vt interdum Deus illa vtatur:Et confirmatur,nam aliquãdo maiori pœna afficit Deus peccatorẽ:maior enim pœna videtur miraculosè interficere hominẽ actualiter peccãtem;vel etiam viuum demergere in infernum:quod aliquando Deus fecit.Tandem confirmatur,quia aliquãdo Deus aliquos ita confirmat in gratia,vt cadere non possint:ergo aliquos etiam ita deserit in

rit in peccatis,vt surgere nō possint.Nam,si consideremus statum huius vitæ,ad vtrunque indifferēs,est: si verò Dei prouidentiam spectemus, expedit vt Iustitia non minores effectus habeat,quā misericordia.

*Secunda Sententia.*

6. SECVNDA sententia est, non solùm veram pœnitentiam esse sufficientem ad omnia peccata tollenda,sed etiam in hac vita semper esse hominibus paratam sufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendam;nullamque esse admittendā exceptionem, vel in culpis,vel in personis , quantumuis peccauerint.Hæc est sententia D.Thomæ hic. Quæ sumitur ex Alexandro Alens.4.part.quæst.13.membr.4.ar.2. & quæst.14.memb.5.art.2.& sequentibus. Altisiod. libro 3.Summæ tractatu 2.cap.2.quæst.5. & libro 4. tract.6.cap.1.quæst.vltima.Clariùs & latiùs Medina tract.1.de Pœnit.quæst.11.& Soto in 4.dist.15.qu. 1.art.2.& 1.de nat.& grat.cap.8.Ferrar.3.cont.gent. cap.159.& Petrus Soto lect. 5. de pœnitentia. Vega libro 13.in Trident.cap.12.& 13.Driedo li.de Captiuitate & redemptione generis humani tractat. 5. à principio,præsertim capit. 3. Ruardus suprà, hanc sententiam magis probat.

D.Tho. Alens. Altisiod. Medin. Soto. Ferrar. Petr.Scot. Vega. Driedo. Ruard.

7. Fundamentum præcipuè sumitur ex generalibus locutionibus,& promissionibus Scripturæ,vt Ezech. 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris,sed vt conuertatur.* & *Nunquid voluntatis meæ est mors impij.* Vbi Hieron. aduertit illud dictum esse ad tollendam desperationem,quia Deus ex se semper est paratus ad vitā præstandam. Ierem. 3. est optimum de hac re testimonium. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem amodo voca me:* & infrà. *Reuertere auersa trix Israël,dicit Dominus,& non auertam faciem meam à vobis,quia Sanctus sum ego,dicit Dominus: & non irascar in perpetuum.* Quæ verba & multa similia quæ ibi habentur,exhortationem & promissionem continent:quæ apertè supponunt peccatores etiam grauissimos posse conuerti:aliàs tota illa esset quædam fictio;potiùs quàm diuinæ misericordiæ declaratio. Et idem valet similitudo illa Isai. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, &c.* Prætereà cum, Matth.9.dicitur, *Non veni vocare iustos, sed peccatore ad pœnitentiam,* indefinita locutio æquiualet vniuersali. Quæ habetur c.11.*Venite ad me omnes.*

Probatur ex Scriptura: Ezech. Hieron. Ierem. Isai. Matth.

8. Quia verò dici potest has esse generales regulas quæ interdum patiuntur exceptionem,addere possumus ea loca,in quibus homines maximè obdurati & desperati eodem modo ad pœnitentiam trahuntur quantum est ex parte Dei. De qua re sunt optima capita.11.& 12. Sapient. vbi inter alia sunt illa verba, *Dissimulans peccata hominū propter pœnitentiam:* Quorum verus sensus est,expectans & patienter agens,vt clariùs dixit Petrus 2.Canon.c.3.Vt homines quantumuis prauos ad pœnitentiam prouocet:ita vt illud *Propter*, dicat causam finalem. Cui consonat illud Pauli ad Rom.2. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit:*& subdit. *Tu autem secundum duritiam tuam,& impœnitens cor, &c.* Vt declaret quancunque impœnitentiam & duritiem cordis non defectui diuini auxilij,sed prauo libertatis vsui esse tribuendam.

Sapien. Petrus. Paulus.

9. Hinc etiam Concilia absolutè & sine limitatione definiunt semper in hac vita dari locum pœnitentiæ agendæ,vt specialiter videre licet in Concilio Lateran.& habetur in cap.*Firmiter*,de Summa Trinit.Et sumitur ex Concilio Tridentino,tota sess. 14. & sess. 6.c.14.vbi etiam habet illud principium:In hac vita. neminem deseri à Deo,nisi priùs ipse Deum deserat

Probatur ex conciliis. Conc. Lat. Trident.

A Sunt etiam apud Patres frequentes similes loquutiones generales,quas prolixum esset referre.Nonnulla tamen verba magis specialia notari possunt,vt apud Cyprianum libro 4.Epist.2. & ad Demetrianum sic inquit. *Quando istinc excessum fuerit,iam non erit locus pœnitentiæ:hic vita aut amittitur:aut tenetur,neque quisquam,aut peccatis retardatur, aut annis.* Idem habet sermo.de Passione Domini,& de ablutione pedum. Quod etiam habet Chrysostomus homilia 4. de Lazaro,& in Pareneſi de pœnitentia Augustl. libro de Pœnitentiæ medi.cap.5.*Adhuc in hac vita es,&c.* Qui etiam epist.59.quæst.2.generaliter ait, *Voluntas Dei nunquam in hac vita defuit iustitiæ,pietatiq; mortalium,*& libro tertio de libero arbitrio cap. 19. dicit, Deum omnes ad se vocare per creaturam sibi seruientem,& li.de Prædestinatione & gratia ca.14.sub nomine Augustini dicitur , *Si piè de Deo sentiamus etiam Pharaoni non denegauit misericordiam suam.* Statim verò cap. 15. subdit, *non tantum interius vocasse, quam exteriùs flagellasse,quæ minus idonea est ad salutem via:*sed non propterea intelligit ei denegasse auxilium sufficiens, sed efficax & congruum.

Probatur ex Patribus. Cyprian. Auguſt.

10. Quomodo intelligendus etiam est Gregorius li. 31.Moral.cap.11.cùm de eodem Pharaone loquitur, & dicit Deum non emoliisse cor eius gratia interiori,desuper infusa.Apertiùs verò Origenes lib. septimo,ad Roman. tractans verba illa capitis 9. *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat* ; ait , Deum etiam ipsi Pharaoni non denegasse facultatem pœnitendi,& aliis locis veritatem hanc confirmat. Sed in eo grauiter errat,quòd etiam ad damnatos hoc extendit,vt videre licet libro tertio Peryarcon.c.1. sed de hoc aliàs. Apud alios etiā Patres vniuersale axioma est.Quandiù hæc vita durat, locum pœnitentiæ concedi,& auxilium ad illam agendam non negari, vt videre licet apud Gregorium lib.17.Moral.cap.4. vbi tractans illa verba Iob, *Dedit Deus ei locum pœnitentiæ*,inquit,*Quisquis delinquit,& viuit , idcirco hunc diuina dispensatio in æquitate tollerat, vt ab iniquitate compescat,*Idem late Epiphanius hæresi 59. Leo Papa Epist.9. Fulgentius epist. 7. Prosper ad obiectiones Vincentianas,responsione 25.*Nemini* (ait) *Deus correctioni adimit vitam,neque quenquam boni possibilitate spoliat.*Subdit verò hæc verba,*Qui se auertit,velle, & posse sibi substulit*:quod intelligitur , vel quantum est ex se,& suo merito:vel facit sensum compositum,seu includit conditionem,Si in tali auersione perseuerare velit.Denique faciunt etiam quæ suprà adduxi,vt ostenderem non requiri certum tempus ad contritionem.

10. Greg. Origen. Gregor. Epiph: Leo. Fulgent. Prosper.

11. Ratio autem pro hac sententia est à priori diuina promissio,orta ex misericordia, & fundata in iustitia Christi.Declaratur autem à posteriori ex statu hominis quandiu hîc viuit,semper enim est in statu viatoris:est autem de ratione viæ , vt in ea semper possit ad terminum accedi:ergo repugnat huic statui,quòd homo priuetur potestate accedendi ad terminum:ergo & quòd priuetur omnibus auxiliis necessariis,sine quibus potestatem non habet.

11. Ratione ostenditur.

12. Ac propterea,licèt peccatum dignum sit omni hac pœna;tamen neque ad iustitiam,neque ad prouidentiam Dei pertinuit illam præbere in hac vita , quia valdè repugnat statui viatoris.Et ideò,quanuis Deus aliquando interficiat hominem corporaliter propter peccatum,id non repugnat:quia tunc finitur via eius, & sæpè expedit ad commune bonum,vti huiusmodi pœna,maximè cùm publica sit,& sensibilis. Tamen tunc ita se gerit Deus cum illo homine , vt si in illo puncto mortis vellet pœnitentiam agere,illi non deesset auxilium.Denique in hoc est valdè diuersa ratio de confirmatione in gratia & de hac diuina desertione:

12. Ad fundamēta contrariæ sententiæ.

tione: nam qui confirmatur in gratia, semper magis, ac magis potest tendere per viam, donec perueniat ad terminum: & hoc est per se requisitum ad statum viæ: posse autem cadere, seu deflectere à via, est per accidens: & ideò nihil obstat quòd confirmatus in gratia priuetur potestate peccandi, quod est tantùm à via deflectere. Quamuis fortasse non priuetur absolutè potestate peccandi, sed ita custodiatur & gubernetur, vt nunquàm illa vtatur, idque infallibiliter: & ideò dicitur non posse, vt est sub tali protectione Dei. At verò, si homo priuaretur auxiliis necessariis, simpliciter priuaretur potestate, in ordine ad id quod est per se primò requisitum in via, scilicet in accessu ad terminum ad quem. Accedit etiam, quòd confirmatio in gratia est opus misericordiæ, & non repugnat iustitiæ, nec statui viatoris, vt declaratum est: confirmatio autem, seu potiùs obstinatio in peccato, licèt videatur esse opus iustitiæ: tamen est quædam iustitia, seu pœna excedens statum viæ, ideóque non est consentanea prouidentiæ diuinę; & repugnat misericordiæ eius.

13. Semper est in hac vita locus pœnitentiæ.

Atque ita tandem concluditur, absolutam impotentiam pœnitentiæ non posse inueniri in homine, dum in hac vita viuit, & ratione vti potest: quia vel illa impotentia ex eo oriretur, quòd peccata obruerent libertatem, & omninò determinarēt illā: & hoc non secundùm fidem, vt ostensum est. Neque etiam potest illa impotentia oriri ex eo, quòd gratia nō sit potens ad corrigendam voluntatem: quod etiam est de fide certum, cùm oppositum repugnet Dei omnipotentiæ. Nec denique potest prouenire ex eo quòd homini denegetur sufficiens gratię auxilium, vt ostēsum est: ergo nullo ex capite potest homini esse impossibile in hac vita pœnitentiam agere.

14. Cōfirmatio.

Et confirmatur vltimò, quia in hac vita numquam cessat præceptum pœnitendi, & præceptum etiam sperandi, quibus repugnat talis priuatio seu carentia totius auxilij. Imò quodammodò tota certitudo nostræ spei labefactaretur: nam vnusquisque formidare poterit ne iusto Dei iudicio priuatus sit huiusmodi auxiliis. Atque hæc videtur esse tota ostensio huius opinionis, quàm propterea aliqui existimant ita certam, vt contrariam vocent nunc temerariam, nunc impiam: & D. Thomas hîc absolutè vocat erroneam. Sed, vt opinor, locutus est iuxta alios sensus in principio à nobis notatos. Quocirca, licèt hæc posterior sententia absolutè mihi placeat, & prior falsa videatur, non tamen digna maiori censura.

15. Quædā notanda pro resolutione quæstionis.

Vt autem totam rem magis declarem, & exponā Scripturas, & Patres, quos afferebat prior sententia, aduerto primò, duo esse auxilia necessaria ad pœnitentiam agendam, scilicet excitans, & adiuuās: & sub hoc posteriori membro comprehenditur concursus Dei proportionatus actibus supernaturalibus: sub priori verò cōprehenduntur omnia auxilia, quæ præuenientia dicuntur. Rursus hæc auxilia præuenientia duobus modis solent à Deo dari: primò per media ordinaria, & causas vniuersales & particulares ab ipso constitutas ad hoc munus: vt homines fideles ordinariè excitat Deus, per ea media, quæ sunt in Ecclesia: infideles autem per prædicationem Euangelij, humano, & sensibili modo factam, iuxta illud: *Quomodo audient sine prædicāte, &, Fides ex auditu*, ad Rom. 10. Modo autem extraordinario dat Deus hanc gratiam, vel omninò interiùs, vel aliquando per sensibilia signa, vt verbi gratia, in vocatione Pauli. Præterea obseruare oportet, iuxta vsum rigorosum terminorum, aliud esse Deum ex se denegare alicui gratiā suam, aliud verò actu non dare: nam hoc secundum tantùm significat, quòd talis gratia actu & re ipsa nō ponitur in homine, hoc vel illo tempore, quod sanè

A propter occurrentia impedimēta frequentissimè cōtingit in omni genere gratiæ. Denegare autem, vt nunc sumitur, addit absolutum decretum diuinæ voluntatis, quo statuit non dare amplius talem gratiam, quidquid homo operetur, vel quomodocunque causæ secundæ illam postulent, aut requirant: & de hoc modo denegandi gratiam sufficientem ad pœnitentiam propter commissa peccata, est tota cōtrouersia.

## *Deum non denegare adiuuantem gratiam homini iam excitato. Assertio 1.*

B IN qua primò certum esse existimo, Deum, quantùm est ex se, non denegare adiuuantem gratiam, seu concursum supernaturalem homini iam excitato, seu habenti supernaturale principium proximum ad operandum. Hanc assertionem sumo ex August. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. c. 17. vbi ait, hominem non recipere gratiam adiuuantem, in ipso esse, & non in Deo. Item sumitur ex illo certo principio, quòd Deus neminem deserit, nisi prius ipse deseratur ab homine. Præterea est contra legem ordinariam prouidentiæ, Deum negare concursum habenti principium. Vnde etiam in naturalibus Deus in non facit, nisi aliquando miraculosè, & propter grauem causam. Præterea superfluè Deus daret excitantem gratiam, si denegaturus esset concursum, cùm illa gratia solùm detur propter supernaturalem operationem, quæ fieri non potest sine proportionato cōcursu. Denique illa denegatio talis concursus videtur propria status damnatorum, & repugnans statui viæ. 16. August.

C Hîc verò obiici possunt illa verba 2. Machab. 9. vbi de Antiocho dicitur, *Orabat sceleſtus Dominum, à quo non erat misericordiam cōsequuturus.* & illa ad Hebr. 12. vbi de Esau dicitur, *Non inuenit pœnitentiæ locum, licèt cum lacrymis quæsiuisset illam* Item, Deus aliquibus nō dat concursum actualem ad pœnitentiam: ergo ab æterno voluit nō dare: nam quidquid in tempore fit, vel non fit, ab æterno est ita dispositum per positiuam voluntatem Dei: ergo denegat, quia denegare, vt dixi, nihil aliud est quàm non dare ex decreto diuinæ voluntatis. 17. Obiectiones contra præcedentem.

D Respondetur ad primum testimonium, Antiochū non orasse petendo veram pœnitentiam, vel concursum, aut gratiam adiuuantem ad illam: sed petendo salutem corporis, vt patet ex illis verbis, *Non desperans memetipsum sed spem multam habens fugiendi infirmitatem*: & ideò mirum non est, quòd non fuerit misericordiam consecutus: tum quia oratio de bonis temporalibus non semper est infallibilis: tum etiam propter circunstātiam petentis iniquissimè. Et quod obiter notandum est) quia interdum corporalis infirmitas ita datur in pœnam præcedentis peccati, vt Deus nolit illam remittere, quantumuis oretur, vel etiamsi homo veram pœnitentiam peccati agat: quia propter pœnitentiā non semper remittuntur temporales pœnæ. Et ita etiam intelliguntur, nonnulla testimonia adducta in priori sententia, in quibus significatur, Deum statuisse punire absque spe remissionis E aliquos populos post completam malitiam eorum: loquuntur enim de punitione, quæ in hac vita fit in temporalibus bonis. Et hæc responsio sumitur ex Diuo Thoma in hoc articulo ad primum. Vbi etiam respondet ad alterum testimonium de Esau, illum non verè pœnituisse. Sed addendum est, in illo loco, neque esse sermonem de pœnitentia Esau, nec de pœnitentia peccati, sed de pœnitentia Isaac, & de retractione prioris facti, scilicèt, benedictionis quam dederat Iacob: hanc enim pete- 18. Explicantur testimonia. D. Thom.

bat Esau,& obtinere non potuit.

19. Rationi occurritur. Ad rationem potest dici primò, circa negationes quæ in tempore sunt, non esse necessariam positiuam voluntatem Dei, sed sufficere negationem voluntatis, sic enim multi dicunt alium mundum non esse creatum, non quia Deus propositiuè voluerit illum non creare, sed solùm quia non habuit voluntatem: creandi. Secundò admitto in Deo illam voluntatem: dico tamen illam non esse antecedentem, sed consequentem præscientiam futuri effectus, seu repugnãtiæ liberj arbitrij. Itaque Deus voluntate antecedente quantùm est ex se, voluit concurrere non tamen omninò efficaciter,& absolutè: sed includens conditionẽ, *Si voluntas humana cooperaretur*, præuidens autem non cooperaturam, voluit, & consensit vt in re non reciperet talem concursũ in actu secundo: hæc autẽ voluntas non satis est vt Deus dicatur denegare concursum, cùm ex se paratus esset ad dandum.

---

### *Deum de se non denegare auxilia excitantia necessaria ad salutem. Assert. 2.*

20. SECVNDO dicendum est, Deum de se non denegare auxilia excitantia necessaria ad salutem, saltem quantùm per ordinarias causas,& media instituta ab ipso, fieri possunt. Hæc est contra primam sententiam,& multò magis contra Greg. in 1. d. 46. vbi non solùm post multa peccata actualia, & in pœnam eorum, sed etiam propter solùm originale dicit denegasse Deum multis hominibus auxilia sufficientia. Eamque sententiam Augustino tribuit: sed seuerà est valdè falsa,& repugnans pietati diuinæ,& illi voluntati, qua dicit, se velle omnes saluos fieri,& vniuersali Christi redemptioni: sed contra illam sententiam in eo sensu in materia de Prædestinatione, agẽdum est. Nunc assertio posita valdè consentanea est Augustino in lib. de Correptio.& grat. cap. 5.& 6. Et mihi videtur satis probari testimoniis, & rationibus adductis pro secunda sententia: & proximè adductæ in præcedenti Assertione possunt hîc applicari.

Aug.

21. Nihilominùs addo, non esse censura dignum qui dixerit, ita se gerere Deum cum aliquibus hominibus, vt non det illis actualem excitationem supernaturalem propter eorum peccata, vel in aliquo, vel in toto vitæ tempore. Non est enim ab hac sententia alienus D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad primum,& qu. 10. art. 1. iuncto corpore cum solutione ad 1. Et induci ad hoc potest testimonium Pauli Act. 14. vbi cùm dixisset despexisse Deum quasdam gentes infideles quasi id limitans subdit: *Non tamen sine testimonio reliquit semetipsum dans eis pluuias, &c.* Vbi nullam mentionem facit supernaturalis illuminationis, sed solùm effectuum naturalium, per quos possent in cognitionem creatoris deuenire,& maiora dona non impedire. Ratio autem esse potest, quia licèt homo non possit suis viribus solis se præparare ad gratiam: potest tamen obstaculum ponere etiam primæ vocationi,& excitationi, vt docuit D. Thom. 3. cont. gent. c. 159. si attentè legatur: non enim agit de sola gratia habituali, sed simpliciter de tota gratia iustificationis, vt à prima vocatione incipit: vel saltem de tota illa potest intelligi, vt etiam Ferrar. ibi sentit. At verò sunt multi homines, qui vel à principio vitæ, vel in discursu eius multiplicando peccata, ponunt obstaculum huic gratiæ, ergo licèt in re ipsa non detur aliquibus, id nõ imputabitur Deo, sed ipsi homini ponẽti obicem. Et ideò absolutè etiam verum erit, talem hominem habere posse hanc gratiam, quia, si non poneret obstaculum, haberet illam: posset autem non ponere, cùm

D. Thom. Actor. Ferrar.

A liberè peccet: ergo stat hominem ex parte Dei habere paratum auxilium excitans sufficiens,& in re actu non recipere. Et confirmatur, quia non tenetur Deus vti extraordinaria, aut miraculosa prouidentia, vt alicui homini tribuat gratiæ auxilium: fieri autem potest vt per causas ordinarias lumen gratiæ ad aliquem non pertineat: ergo mirum non erit, si Deus illum relinquat sine internis excitationibus gratiæ, præcipuè si hoc ipsum specialiter mereantur eius peccata.

---

### *Verisimilius esse Deum nẽmini denegare excitantem gratiam. Assert. 3.*

22. B NIHILOMINVS addo tertiò, Deum semper ita se gerere cum hominibus adultis, vt neminem ita relinquat, quin aliquando opportuno tempore iuxta suæ prouidentiæ dispositionem tangat cor eius, ita vt possit homo cooperari,& se disponere, vel ad remissionem peccati, vel saltem ad aliquod donum gratiæ, quo paulatim perueniat ad vltimam dispositionem. Hoc intendit posterior opinio, quam omninò veram existimo, magisque consentaneam fidei, ac pietati,& suaui prouidentiæ Dei,& generalibus locutionibus Scripturæ, *Illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum: Ego sum ad hostium, & pulso*,& similibus. Declaraturq; breuiter, quia si homo habet fidem, per illam excitari potest: ipsa autem, moraliter loquendo, aliquando mouetur per ordinaria media,& obiecta externa. Item qui habet fidem potest orare cum cõmuni auxilio gratiæ: oratio autem habet promissionẽ certam, si cum debitis circunstantiis fiat. Si verò homo non habet fidem, aut aliquid de illa audiuit,& tunc per illum stabit, si non adhibeat diligentiam vt ad fidem perueniat, nam cum illo auditu semper est coniuncta aliqua interior excitatio gratiæ. Si verò homo nihil audiuit de fide, fortasse non semper recipiet interius excitationem circa supernaturalia obiecta, recipiet tamen aliquam motionem gratiæ, qua ad vitæ emendationem, vel errorum obiectionem aliquo modo inducatur; cui si bene cooperetur, maiorem recipiet: si autem restiterit, liberum erit Deo, vel vltrà progredi, vel ibi sistere. Confirmatur, quia nisi homo lapsus habeat saltem hoc auxilium, non potest non sæpiùs peccare, in hoc enim sensu dixit D. Thom. lib. 3. contra gentes, cap. 161. non posse huiusmodi hominem nullum omninò ponere impedimẽtum gratiæ. Dicit autem omninò, quia licèt possit vnum, vel alium actum peccati ad breue tempus vitare non tamen omnia peccata,& quodlibet ex se est sufficiens ad impediendam gratiam. Ergo, vt homo lapsus absolutè possit saluari, oportet vt excitans gratia illi aliquando detur.

Ioan. 1. Apocal. 3.

C

23. Soluuntur argumenta prioris sententiæ. Atq; ex his tandem facilè est intelligere testimonia quæ in prima opinione adducta sunt. Ad quæ Petrus Soto vno verbo respondet, ideò dici Deũ deserere homines illos, quia præuidens eos fore obdurandos,& damnandos cum talibus auxiliis, non dat maiora. Sed hoc non satis est, quia hoc commune est omnibus reprobis,& ferè solum est negare auxilium efficax. Et ideò addendum est, huiusmodi homines ita esse dispositos,& prauè affectos, vt cum ordinaria prouidentia moraliter illis sit difficillimum conuerti: præsertim si Deus ita se gerat cum illis, vt nunquam det eis gratiam vberiorem, sed solùm quam ordinariè dare statuit, aut per exteriorem vocationem, aut per interiorem. Addo etiam, interdum Deum aliqua operari cum huiusmodi hominibus, quæ per se quidem conferunt ad salutẽ: præuidet autẽ Deus illos ex malitia sua esse deteriores efficiendos,& nihilominus id permittit: & ideò dicitur eos relinquere:

E

& mo

& moraliter etiam dicuntur esse in statu, in quo non possunt saluari: sed de hoc puncto plura diximus alibi de reprobatione disputantes.

## SECTIO III.

### *In quo genere causæ pœnitentia remittat peccatum.*

1. DIXI Pœnitentiam esse causam remissionis peccati. Nunc explicandum est genus causæ. Et quoniam constat genus causæ finalis hic nō habere locum, nam in illo potius pœnitentia & effectus remissionis peccati, dicam de aliis tribus generibus.

### *Pœnitentiam esse causam dispositiuam remissionis peccati. Assert. 1.*

2. D. Thom. ET primò certum est, pœnitentiam esse causam dispositiuam remissionis peccati, quæ causa ad materialem reducitur. Hāc assertionem docet D. Th. in his articulis, & infrà quæstione 89. artic. 1. ad 2. & art. 2. in corpore. Et eam latè probaui in 1. tom. 3. par. disp. 4. sect. 8. vbi præcipuè expendi testimonia Concilij Trident. sess. 6. cap. 14. quæ sunt expressa de hac re. In quibus hic solùm aduertendum est, pœnitentiā non tantùm esse dispositionem ad infusionē gratiæ & habituum: sed etiam ad ipsam remissionē peccati: tum quia Cōcilium ait esse dispositionem ad ipsam iustificationem, & posteà declarat iustificationē includere illa duo, scilicèt, infusionē gratiæ, & remissionem peccati: tum etiam quia per gratiam expellitur peccatum formaliter: si ergo pœnitentia est dispositio ad infusionem gratiæ, erit etiam ad remissionem peccati.

Conc. Trid.

3. An hoc habeat, vt est formata, an vt informis. Scot. Soto. Dubitatur autem à Theologis, an pœnitentia habeat hoc genus causalitatis, vt est informis, vel vt est formata. Scotus enim in 4. dist. 14. asseruit contritionem, vt informem, quam idcirco ipse attritionem, appellat, esse causam huiusmodi remissionis peccati. Soto verò dist. 15. q. 1. art. 6. hoc reprehendit, *quia contritio* (inquit) *vt informis, non est meritoria de condigno*, sentiens ad causandum dispositiuè remissionem peccati, esse necessarium meritum de condigno. At verò fundamentum hoc omninò falsum est. Primò quidē, quia illæ sunt diuersæ causalitates, quæ non habent inter se necessariam connexionem. Nam fidelis existens in peccato mortali, si efficiat actum fidei intensiorem habitu, se disponit ad augmentum eius, & illud obtinet, quamuis de condigno nō mereatur. Secundò, & præcipuè, quia si illud verū esset, nullo modo esset contritio, dispositio ad remissionē peccati, neque etiā vt formata, quia nec illa etiā est meritoria de cōdigno remissionis peccati, vt est certa doctrina, & inferiùs dicam. Quod si fortè quis respondeat, dispositionem ad remissionē peccati debere esse meritoriā de condigno, non ipsius remissionis, sed alterius rei: hoc in primis, & incertum est, & valdè materiale, seu accidentariū ad rationem dispositionis: vnde non est necesse vt cōueniat actui illi, quatenus antecedit vt dispositio, sed vt subsequitur, & aliquo modo perficitur per sanctificantem gratiam. Vera ergo est sententia Scoti: imò oppositum planè repugnat, quia cōtritio, vt formata, supponit iam & gratiā infusam, & remissum peccatum: ergo, vt sic, nō potest esse dispositio ad remissionem peccati. Patet cōsequentia, quia, vt sic, est naturaposterior: causa autē debet esse prior: contritio autem vt informis, est prior natura quā gratia, & quàm remissio peccati: ergo, vt sic, est dispositio ad talem affectum.

Scoti sententia approbatur.

4. Obiect. Dices, inter infusionem gratiæ & remissionē peccati est etiā ordo naturæ, & infusio gratiæ simpliciter censetur prior: ergo huiusmodi gratia priùs etiā natura informat contritionem: ergo illa contritio, vt sic, formata erit dispositio ad remissionem peccati. Respondeo primò, eodem modo posse retorqueri argumentum: nam etiam remissio peccati in genere causę materialis, dicitur esse prior natura quā infusio gratiæ: ergo, vt sic, contritio informis erit dispositio ad illā. Deinde vera responsio est, illam mutuam habitudinē inter infusionem gratiæ & remissionem peccati (quæ fortasse magis est secundū præcisionē & considerationem rationis, quàm secundū realē causalitatē) reperiri inter eas collatas inter se, non verò comparatas ad cōtritionē: quia gratiæ infusio & remissio peccati considerari possunt, vt mutuæ ad inuicem causæ in diuersis generibus, nā infusio gratiæ est causa formalis remissionis peccati, remissio peccati est causa materialis infusionis gratiæ. At verò respectu contritionis secūdùm sese spectatæ, neutrā habēt causalitatē, loquendo de infusione gratię habitualis, & sanctificantis: & quia prioritas naturæ in præsenti nihil est nisi ordo causalitatis: ideò illa mutua prioritas cōsideratur inter gratiā & remissionē peccati inter se, nō verò vt cōparata ad actum pœnitentiæ, quia est dispositio ad illa duo. Addo etiā, donec intelligatur remissum peccatū, nondū intelligi actum pœnitentiæ perfectè formatum, quia nondum intelligitur persona perfectè sanctificata, & extra statum inimicitię diuinæ, in quo nullus potest esse actus formatus.

Solutio.

5. Quomodo pœnitentia habeat hanc causalitatē. Rursus inquiri solet circa hanc partē, an pœnitentia habeat hanc causalitatem materialem seu dispositiuam, prout est à libero arbitrio tātùm, vel prout est à gratia tātùm, vel prout est ab vtroque. Aliqui enim primum affirmant, quia ille actus prout est à gratia, potius est forma expellens peccatū, quàm dispositio. Alij affirmāt secundum, quia liberū arbitriū non potest habere causalitatem in remissionem peccati, aliàs homo sanctificaret se, & à se expelleret peccatum. Vnde D. Thom. hac quæst. 86. art. 4. ad 2. hanc differentiam ponit inter remissionem culpæ cum pœna æterna, & remissionem pœnæ temporalis, quòd illa est à sola gratia operante; hæc verò à gratia cooperante & libero arbitrio: significat ergo remissionem peccati nullo modo esse à libero arbitrio, & cooperante gratia.

6. Nihilominus vtraque sententia falsa est: tertia autem omninò vera, scilicet, pœnitentiam habere hanc causalitatem vt est à gratia, & libero arbitrio simul. Quod latè ostendi in citato loco 3. part. disp. 4. sect. 8. Et ideò breuiter probatur ex doctrina Concilij Tridentini, sess. 6. vbi definit, & hanc dispositionem haberi non posse sine gratia, & liberum arbitrium se habere ad illam efficiendo, seu cooperando. Et ratio est, quia hic actus non est dispositio nisi vt supernaturalis: ergo vt à gratia: neque est dispositio nisi vt vitalis & libera mutatio voluntatis: ergo vt à libero arbitrio: ergo vtrumque respectum essentialiter includit, vt dispositio est. Neq; est verū, illum actum vt supernaturalem, esse formam formaliter expellētem peccatum, vt statim dicam; sed esse formā disponentem: nam causa disponens, licèt respectu formæ, ad quam disponit, dicatur materialiter comparari, tamen respectu subiecti, quod præparat, est vera forma informans. Neque etiam est inconueniens concedere hominem diuina gratia excitatum & adiutum, seipsum sanctificare. Ita enim loquitur Scriptura Ezechiel. 18. & 33. *Ipse animam suam viuificabit*, & primæ Ioan. 3. *Qui habet hanc spem, sanctificat se.* Quamuis ad

Ezech.

1. Ioan. 3.

ad tollendam æquiuocationem meliùs dici possit, hominem cooperari ad suam sanctificationem, sed gratiam eleuare liberum arbitrium ad hunc effectũ: quomodo dicebat Paulus, *Non ego, sed gratia Dei mecum.* De loco autem D. Thomæ statim dicam.

A

## *Quid de causalitate formali.*

7. Pœnitentiã non remittere formaliter peccatũ Assert. 2.

SECVNDO dicendum est de causalitate formali, an scilicet, perfecta pœnitentia, quæ amorem Dei super omnia aliquo modo includit, sit etiã causa formalis remissionis peccati. Quam quæstionem latè nunc disputarem, nisi id præstitissem in citato loco 3. partis: & ideò breuiter respondeo, huiusmodi actum pœnitentiæ non esse causam formalem remissionis peccati. Quæ est sententia omnium antiquorũ Theologorum. Et primò sequitur apertè ex præcedenti resolutione: quia causa dispositiua, & formalis respectu eiusdem effectus non coincidunt in eandẽ numero, quia dispositio nõ disponit ad seipsam, nec ad suum formalem effectum, sed ad aliam formam, & effectum eius: sed pœnitentia est causa dispositiua ad remissionem peccati, & ad formam, per quam illa fit: ergo non est causa formalis illius effectus. Quam rationem totam confirmant illa verba Concilij Tridentini, sess. 6. cap. 7. *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, &c.* & quod sess. 14. cap. 4. dicit contritionem prępparare hominem ad impetrandam remissionem peccati: actus enim non impetrat suum effectum formalem, sed per se se confert illum.

B

Trident.

8. Secundò, quia causa formalis huius effectus nobis inhærens, est vnica, vt expressè dicit Concilium priori loco: sed illa causa est gratia nobis infusa cum suis donis, vt idem Concilium ibidem docet, euidenter illam gratiam distinguens à tota dispositione: tum quia dicit consequi ad illam: tum etiam quia docet infundi iuxta mensuram dispositionis: tum denique quia ait sacramentum esse instrumentalem causam eius, quod nõ est verum de ipso actu: ergo forma remittens peccatum non est actus ipse, sed gratia sanctificans, seu habitualis: quam propterea Augustinus vocare solet gratiam remissionis peccati, vt ex epist. 105. & aliis locis colligitur. Tertiò ratio à priori est, quia noster actus per seipsum non habet vim ad restituendum hominem ad priorem statum, neque ad satisfaciendum Deo condignè: & ideò remissio peccati nõ potest formaliter esse à nostro actu, sed à gratia Dei. Quæ rationes potissimè probant hunc actum non esse causam formalem totalem, & (vt ita dicam) physicam huius effectus, vt aliqui putarunt, dicentes, sicut lumen Physicè informando expellit tenebras, ita contritionem expellere culpam. Ex quo sequitur expulsionem culpæ ex parte Dei non esse speciale beneficium, aut gratiam ab ipsa contritione distinctam: quod esse omninò falsum dicto loco ostendi.

C

Augustin.

D

9. Modus loquendi quorundam improbatur.

Et ideò alij minùs improbabiliter dixerunt, remissionem quidem esse aliquid distinctum à contritione, tamen secundùm connaturalem ordinem esse debitam ipsi contritioni tanquàm formę naturaliter informanti. Veruntamen, quanuis hoc possit ex parte pertinere ad modum loquendi: tamen propter hoc ipsum improbandum est, quia Concilium Tridentinum non ita loquitur, nec antiqui Theologi. Est etiã contra rationem, quia ille effectus non debetur immediatè actui contritionis, sed gratiæ sanctificanti, quę per illum infunditur. Quocirca, quamuis admitti possit remissionem peccati secundùm connaturalem ordinem deberi & contritioni, & gratiæ sanctificanti: tamen non inde fit deberi in eodem genere causæ, sed vnicuique cum debita proportione, illi vt dispositioni, huic vt formæ. Sicut in naturalibus expulsio formæ aquæ necessariò consequitur ex introductione caloris vt octo, & ex introductione formæ ignis, tamen ex illa vt ex dispositione, ex hac vt ex forma. Ratio verò est eadem in præsenti, quia hîc effectus proximè & immediatè debetur ipsi gratiæ, tanquàm proprię formæ sanctificanti: illa enim est propria participatio diuinitatis, & ideò illa constituit formaliter filium Dei, & proportionatum gloriæ: & ideò etiam illi debentur alia supernaturalia dona, ac denique perfecta sanctitas, quæ consummatur in remissione peccati. Contritioni autem debetur hic effectus quasi mediatè, quatenus est proportionata dispositio ad talem formam.

E

10. An pœnitẽtia sit partialis causa formalis ad peccati remissionem.

Alij tandem dixerunt, licèt contritio per se sola non sit sufficiens, seu totalis causa formalis remissionis peccati, esse tamen partialem, quia ex illa & habituali gratia consurgit integra & proportionata forma excludens peccatum: quia sicut peccatum dicit actum, vel moralem habitudinem ad illum, ita oportet vt formalis causa expellens illud, actum oppositum, id est, actum pœnitentiæ, includat. Vnde Concilium Tridẽtinum dixit hominem iustificari, *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*: in illo autẽ verbo *voluntariam*, actum includere videtur. Hanc opinionem significat Petrus Soto lect. 4. de Pœn. & Dominicus Soto lib. 2. de Natura & gratia, c. 18. in fine: & est probabilis opinio.

Trident.

Petrus Sot. Domin. Soto.

11. Verior opinio negans.

Mihi tamen probabilius videtur oppositum, nimirùm actum pœnitentiæ nullo modo includi intrinsecè in formali causa remissionis peccati, propter rationes generales adductas; præsertimque propter testimonium Concilij Tridentini supra ponderatum. Nam quod postea voluntariam vocet susceptionem gratiæ, non indicat causalitatem formalem in actu, sed dispositionem requisitãin adultis, quòd nimirum consentiant suæ iustificationi. Cuius argumentum est, quia interdum potest esse voluntaria iustificatio per solam attritionem, de qua nullus dixit esse causam formalem remissionis peccati. Vnde noua ratio consurgit, quia formalis causa iustitiæ in omnibus & semper est eadem: & post actum transactum, eadẽ etiam perseuerat: sed in multis, non solùm paruulis, sed etiam adultis, qui iustificantur, actus non est formalis causa etiam partialis iustificationis, vel quia nunquàm illum habuerunt, vt sunt paruuli: vel quia non habent actum eo tempore quo iustificantur, vt in adultis qui baptizantur, vel absoluuntur post amissum vsum rationis: vel quia non habent actum per se satis proportionatum, vt in omnibus qui eum sola attritione iustificantur: vel deniq; quia transacto actu, manet integra forma iustificans: non est ergo actus pœnitentiæ, vel etiam amoris pars formæ iustificantis: sed eadem causa formalis iustitiæ, & remissionis peccati: ergo actualis operatio non pertinet intrinsecè ad hanc causam formalem.

Denique in macula peccati, prout nunc est, duo possunt considerari: vnum est physicũ, quod est priuatio gratiæ: aliud est morale, scilicet, respectus ad præteritum peccatum, quod moraliter permanere censetur, quamdiu nõ remittitur. Primum horũ immediatè remittitur formaliter per infusionẽ gratiæ vt per se constat. Secundum autem non potest tolli formaliter per actum pœnitentiæ, quia non est tam efficax ad reparandam iniuriam, sicut fuit peccatum ad offendendum, propter infinitatẽ personæ offensæ, vt in citato loco 3. part. latius declarau. Et ideò necesse est, vt Deus ipse gratis remittat: ergo nihil supereſt in peccato, quod formaliter expelli possit per pœnitentiæ actũ, nec totaliter, nec partialiter. Atque ita D. Thom. in tota hac q. & 1. 2. qu. 113. & in 4. dist. 17. vbi ex professo de hoc disputat, nunquam tribuit

D. Thom.

pœni

pœnitentiæ hanc causalitatem,& qu.28.de Veritate, art.8.excludit omnem aliam,præter dispositiuam.Et Altisiodor. idem inter antiquos attigit Altisiodor.lib.4.Summę, tractatu 6.cap.2.quæst.2.dicens,solam gratiã remittere culpam,& pœnam æternam,& loquitur de gratia sanctificante,& formali remissione.Ac deniq; idẽ sentiunt alij Theologi, quos citato loco adduxi, vbi difficultates omnes,quæ circa hoc occurrere possunt pro viribus tractaui,& exposui. Suboriebatur autem hic quæstio,An de potentia absoluta possit pœnitentia sufficere ad remissionẽ peccati mortalis, sine alia iustitia infusa:de qua melius dicam Disp.sequ.sect.2.

## *Quid dicendum de effectiua causalitate.*

12. D.Thom. SED quid tandem dicendum est de causalitate effectiua?Nam D.Thomas quæstion.præced.art.2. ad 3.docet,pœnitentiam effectiuè expellere peccatũ. Soto. Quod exponens Soto dist.14.q.2.dicit,pœnitentiam expellere effectiuè per auxilium Dei,& dist. 15. qu.1. art.6. hanc efficientiam tribuit contritioni,vt formatæ,*quia sic* inquit,*operatur ad remissionem peccati*. Breuiter tamen dico,hîc posse esse sermonem vel de efficientia physica,vel de morali. De priori, certum est nil posse efficere physicè remissionem peccati, nisi id quod potest efficere physicè gratiam,quia in vniuersum priuatio non potest tolli physica actione, nisi illa qua fit forma.Quod maximè verum erit de peccato,quoad illud morale, quod in ipso est: illud enim neque tolli,neque fieri potest per physicam efficientiam,nisi in ratione alicuius formæ physicæ, à qua prouenit remissio eius, vel expulsio: quæ forma in præsenti nihil est,nisi gratia.Actus verò pœnitentiæ secundùm se,vt est actus virtutis,non potest physicè efficere gratiam:imò nec actus supernaturales, possunt ex se efficere physicè habitus infusos,vt nũc suppono.Hac igitur ratione non potest pœnitentia physicè efficere remissionẽ & expulsionem peccati. Dixi autem,*secundum se*,& *vt est actus virtutis*, quia in lege noua vt est pars sacramenti,probabile est, posse cõcurrere effectiuè ad infusionem gratiæ,sicut efficere solent aliæ materiæ sacramentorum. Quod sensit D. Thomas infrà hac q.art.6.tunc autem nõ habebit illam efficientiam vt actus formatus est, sed vt informis:quia nihil potest efficere formam, quatenus per illam eandem formatum est.

Pœnitentiã non posse Physicè remittere peccatum.Asser. 1.

13. Ferrar. D.Thom. Addit verò Ferrar.4. contra gentes.cap. 72.contritionem habere hanc efficientiam, etiam quando iustificat cum voto solo sacramenti,& fauet D.Tho. q.28. de eritate,art.8.ad 2.in 1.solution.Sed statim in 2.aliud sentit, quod mihi verius videtur:quia tunc contritio non est pars sacramenti:neque enim in aliquo sacramento materia operatur sacramentaliter priusquam coniungatur formæ. Sed de hoc plura alibi.

14. Quid dicendũ de causalitate morali Causalitas autem moralis tantùm potest esse aut dispositiua,aut meritoria.De dispositiua iam dixi: nã reuera hæc dispositio non tam est physica,quàm moralis,quia non est necessaria propter physicam vnionem gratiæ cũ anima,sicut requiritur dispositio corporis ad vnionem animæ cum ipso,& ideò transacta illa dispositione, manet vnio, & interdum etiam fit sine illa.Est ergo dispositio moralis, quia homo facit quantùm in se est ad tollendum obicem. Causalitas autem meritoria vel satisfactoria imperfectè, & secundùm quid potest tribui huiusmodi actui vt supernaturalis est,& à gratia Dei auxiliante, iuxta probabilem opinionem,quæ tribuit huic dispositioni meritum vel satisfactionem de congruo.

A Perfectum autem meritum,vel satisfactio de cõdigno non potest illi attribui respectu remissionis 15. peccati,quidquid aliqui moderni dixerint: tum quia aliàs non fieret gratis remissio, tum etiam quia tale meritum vel satisfactio supponit iam remissum peccatum. De qua re quantùm spectat ad satisfactionẽ de condigno,dixi latè in dicto 1.tomo 3. part. dist. 4. sect.9.Quantùm verò pertinet ad meritum,ad materiam de gratia spectat: nullamq; dubitationẽ habere potest.Nam si loquamur de actu contritionis vt informi;seu vt est prior natura,quam gratia,est res clara:cùm ipsa gratia sit principium omnis meriti de condigno.Aliàs posset homo mereri de condigno infusionem ipsius gratiæ per cõtritionem:est enim ea-
B dem ratio.Si verò sit sermo de contritione formata, hæc iam supponit remissum peccatum, aliàs non satis formata est:multò ergo minus potest illam de cõdigno mereri. Propter quod etiam non video quomodo hæc efficientia moralis possit tribui actui pœnitentiæ, vt iam formato.Et hoc confirmat D. Tho. hic artic.4.ad.2. vbi in hoc sensu dicit, remissionem peccati esse à gratia operante,& à sola illa,vt in commentario latiùs dicam.

De alio verò eius testimonio iam suprà dixi, ibi 16. non loqui de contritione,de qua nunc agimus,sed de voluntate resarciendi iniuriam Dei, quam vocauit actum pœnitentiæ:& quatenùs imperat actum contritionis,dicitur effectiuè concurrere ad remissionem peccati.Quod si ille locus intelligatur etiam de contritione exponendus est iuxta hîc dicta. Nam in pri-
C mis,si hoc intelligatur de efficientia physica, accommodandus est contritioni, vt est pars sacramenti: si verò de morali, coincidit cum dispositiua: nam disponens ad introductionem formæ, dicitur aliquo modo efficere effectum illius, seu expellere contrarium. Et ideò dicere solent discipuli D. Thomæ hoc prius dici de pœnitente ipso, quàm de pœnitentia,quia dispositio,vt sic,non efficit:tamen, qui efficit dispositionem,dicitur efficere effectum ex illa secutem:pœnitens autem efficit pœnitentiam,& ideo dicitur efficere expulsionem peccati.Sicut è contrariò peccator mortaliter peccando dicitur à D. Thoma expellere effectiuè gratiam 2.2.q.24.ar.12.& notauit Ledesma 1.part.4.q.27.art.1.

Vnde si loquamur de pœnitentia pro habitu,quatenus illa est causa effectiua sui actus,potest etiam 17. dici concurrere effectiuè ad expulsionem peccati,quãuis hoc accommodari non possit primæ iustificationi:quia iuxta veram sententiam prima contritio non procedit ab habitu.
D

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm sine pœnitentia peccatum remitti possit.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd sine pœnitentia peccatum remitti possit. Non enim est minor virtus Dei circa adultos, quàm circa pueros. Sed pueris peccata dimittit sine pœnitentia. Ergo etiam & adultis. Infrà a 3.cor & q,87.ar. 1. cor.1.& 4. d. 14 q. 2.a.5.& d.16.q.1.a.2.
E

Præterea,Deus virtutem suam sacramẽtis non alligauit.Sed pœnitentia est quoddã sacramentum. Ergo virtute diuina possunt peccata sine pœnitentia dimitti.

Prætereà, Maior est misericordia Dei, quã misericordia hominis. Sed homo interdum remittit offensam suam homini etiam non pœnitenti. Vnde & ipse Dominus mandat Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Ergo multò magis Deus dimittit offensam hominibus non pœnitentibus.

Sed contra est, quòd Dominus dicit Hierem. 18. Si pœnitẽtiam egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et sic è contrario videtur, quod si homo pœnitentiam non agat, quòd Deus ei non remittat offensam.

Respondeo dicendum, quòd impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ est virtus. Cùm enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directè opponitur gratiæ: 1.2.q.10.ar.1 ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellet eum à gratia sua. Sicut autem habitum est in secunda parte, hoc interest inter gratiam Dei, & gratiam hominis, quòd gratia hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato: sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eò quòd bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati. Vnde potest contingere, quòd homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absq; aliqua immutatione voluntatis eius, non autem contingere potest, quòd Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad aliquod bonum commutabile. Vnde requiritur ad remissionem diuinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, vt conuertatur ad Deum cum detestatione conuersionis prædictæ, & proposito emẽdæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, secundùm quòd est virtus. Et ideò impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia secundùm quam est virtus. Sacramentum au- Qu. 84.a.3. tem pœnitentiæ (sicut suprà dictum est) perficitur per officium sacerdotis ligantis, & soluentis: sine quo potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mulieri adulteræ, vt legitur Ioan. 8. & peccatrici, vt legitur Luc. 7. Quibus tamen non remisit peccata sine virtute pœnitentiæ: nã sicut Greg. Hom. 33 in Euang. non lõgè à princip. dicit in Homilia, per gratiam traxit intus, scilicet ad pœnitentiam, quam per misericordiam suscepit foris.

Ad 1. ergo dicendum, quod in pueris non est nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali de ordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturæ: vt in secunda parte habitum est. Et ideò remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infusionem gratiæ, & virtutum: non autem cum actuali. Sed adulto, in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, nõ remittuntur peccata etiam in Baptismo sine actuali immutatione voluntatis: quod fit per pœnitentiam. 1.2.q.82.a.1.

Ad 2. dicendum, quòd ratio illa procedit de pœnitentia, secundùm quòd est sacramentum.

Ad 3. dicendum, quòd misericordia Dei est maioris virtutis, quàm misericordia hominis in hoc, quòd immutat voluntatem hominis ad pœnitendum, quod misericordia hominis facere non potest.

---

## COMMENTARIVS.

1. Titulus explicatur.

TITVLVS *huius articuli intelligi potest vel de potentia Dei absoluta, vel tantum de ordinaria, & D. Thomas non declarat in quo sensu loquatur: dum tamen simpliciter respondet impossibile esse actuale peccatum mortale sine pœnitentia remitti, significat se loqui de pœnitentia absoluta. Verum est tamen apud D. Thomam hunc modum loquendi non semper significare absolutam impossibilitatem, quæ oritur ex implicatione contradictionis, vt multis exemplis ostendi posset. Interdum ergo dicitur impossibile, quod secundùm legem ordinariam, vel secundùm leges naturæ fieri non potest: quomodo autem hìc accipiendum sit, ex materia subiecta, & ex discursu ac ratione, qua hoc esse impossibile ostenditur, colligendum videtur.*

2. De qua potẽtia loquatur.

*In discursu ergo articuli non infert D. Thomas absolutam implicationem contradictionis, sed ex suppositione argumentatur in hunc modum: Deus non remittit peccatum, nisi remittendo offensam, quia peccatum est offensa Dei: offensa autem non remittitur nisi per gratiam, nam offensa directè opponitur gratiæ: ergo peccatum non remittitur, nisi per diuinam gratiam. Rursus, Deus non confert alicui gratiam suam nisi conferendo ei aliquam bonitatem voluntati diuinæ proportionatam: nam in hoc differt voluntas diuina ab humana, quòd humana non facit bonum id quod amat, sed supponit, diuina verò è conuerso non supponit, sed facit: gratia autem Dei includit bonam Dei voluntatem erga eum, quem sibi gratum habet, & ideò necessariò eum facit bonum: ergo, cùm Deus remittendo peccatum, incipiat gratum sibi habere peccatorem, necessario illum facit bonum: ergo necessariò immutat voluntatem eius, quia, cùm talis homo prius esset malus eò quòd habet voluntatem à Deo auersam, non potest fieri bonus, nisi mutetur voluntas eius, & ex auersa fiat conuersa: ergo ad remissionem peccati necessarium est vt voluntas peccatoris conuertatur ad Deum, detestando priorem peccati conuersionem ad creaturam: quod pertinet ad pœnitentiam.*

3.

*Qui discursus optimus quidem est ad declarandum, quantùm sit rei, & ordini gratiæ consentaneus modus dispositionis requisitæ ad remissionem peccati per pœnitentiam: & ideò rectè concludit impossibile esse aliter remitti iuxta statutum ordinem connaturalem ipsi gratiæ. Ad proban*

*probandam autem implicationem contradictionis parum efficax videtur ille discursus, tum quia supponit remissionem peccati fieri per gratiam, & de potentia absoluta non posse aliter fieri: quod hîc non probatur, nec fortasse probari potest, intelligendo per gratiam donum aliquod creatum, voluntati infusum. Tum etiam quia ex necessitate huius doni, seu immutationis voluntatis, statim infert necessitatem pœnitentiæ: quæ collectio intellecta de necessitate absoluta, est difficillima, & vix apparet principium, quo probari possit, cùm absque immutatione per formalem actualem pœnitentiam (de hac enim D. Thom. loquitur) inueniri possit immutatio per infusionem habituum, per actualem amorẽ Dei, & per simplicem voluntatem bene viuendi, aut obediendi Deo in posterum, nam illa posset esse contentus Deus, & illa suo modo bonum efficeret hominem, præsertim si ex diuisa gratia procederet. Itaque articulum non intelligo de potentia absoluta, sed de ordinaria. Quid verò de tota re sentiam, in sequenti disputatione explicabo.*

4 Obiect. *Dices, Ergo nulla est differentia, quam D. Thomas hic constituit inter pœnitentiam virtutem, & sacramentum: nam sine priori ait non posse remitti peccatum: sine sacramento autem posse, at verò de potentia ordinaria etiam sine sacramento potest, loquendo proportionaliter de tempore in quo sacramentalis pœnitentia possibilis est. Quòd si dicatur, etiam nunc posse remitti peccatum sine pœnitentiæ sacramento in re suscepto, licèt non sine voto eius: contra hoc est, quia etiam sine pœnitentia virtute formaliter sumpta, potest interdum remitti peccatum, etiam secundùm legem ordinariam.*

5 Responsio. *Respondetur in primis, D. Thomam non loqui de tempore determinato legis gratiæ, neque ex illius suppositione, aut cum proportione ad illam, sed absolutè de quouis tempore, & de necessitate, quasi intrinseca rebus, vt patet ex exemplo quod affert de his, quibus Christus remisit peccata sine sacramento, non tamen sine virtute pœnitentiæ. Vnde vlteriùs dicitur, etiam in lege gratiæ, & supposita institutione sacramenti, esse magnum discrimen, quia pœnitentia vt est virtus, est necessaria ex lege intrinseca & quasi ex natura ipsius rei: sacramentum verò est necessarium ex lege extrinseca: vnde illa est necessaria propter internam hominis mutationem & dispositionem: hoc verò propter sufficientem, & specialem applicationem meritorum Christi. Vnde illa ad omnia peccata etiam ante Baptismum commissa, necessaria est: hoc verò tantùm ad illa peccata, quæ post Baptismum committuntur.*

6 *Ex his facilis est solutio ad primum, in qua D. Thom. optimam rationem affert, ob quam peccatum originale remittatur per habituum infusionem sine actuali mutatione voluntatis, non tamen peccatum mortale, scilicet quia peccatum originale habituale est, & sine actuali deliberatione voluntatis contrahitur: quod secus est in personali. Quæ ratio optimè declarat præsentem rerum statum, & institutionem naturis rerum accommodatam: non tamen procedit de potentia absoluta, sic enim potuisset Deus remittere originale peccatum, quoad culpam, sine habituali immutatione facta ad ipsam remissionem: de quo inferiùs plura. Aliæ solutiones non habent difficultatem.*

## DISPVTATIO IX.

### *De necessitate pœnitentiæ ad hunc primum effectum remittendi peccatum mortale.*

HACTENVS solùm ostendimus, pœnitentiam habere virtutem ad hunc effectum præstandum, & simul etiàm explicuimus modum & rationem causandi, quam in hoc habet: nunc verò declarandum est quàm sit necessaria hæc causa ad illum effectum: sæpè enim accidit, causam esse sufficientem, non tamen necessariã, quia sunt aliæ, quæ per se possunt similem effectum efficere. Dicemus ergo priùs de hac necessitate secundùm præsentem Dei ordinationem & legem, posteà verò secundùm potentiam Dei absolutã.

## SECTIO I.

### *Vtrùm pœnitentia secundùm legem Dei ordinariam, sit necessaria causa, sine qua non remittitur peccatum mortale.*

DIXI de sufficientia & virtute huius causæ, dicẽdum nunc est de necessitate eius, vbi solùm explicabimus quomodo pœnitentia sit necessaria necessitate medij; nã de necessitate præcepti posteà dicturi sumus. Igitur, quòd pœnitentia sit necessaria ad hunc effectũ, omnes Theologi pro comperto habẽt. An verò semper sit formaliter necessaria, vel virtualis sufficiat, inter eos controuertitur. Nam Scotus dist. 14. quæst. 1. art. 3. Gabriel qu. 1. concl. 2. & alij infrà referendi, putãt sufficere virtualem. Alij verò, præsertim Thomistæ recentiores, omninò contendunt esse necessariã semper pœnitentiam formalem. Quod tam asseueranter tenet Cano relect. de Pœnitẽtia, part. 3. vt dicat, posse esse actũ dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali, ex defectu formalis pœnitentiæ. At verò Petrus Soto lect. 4. & 5. de Pœnitentia, affirmans eandem necessitatem formalis pœnitentiæ, negat hominem existentem in peccato, posse habere verũ actũ dilectionis sine formali actu pœnitentiæ. Idem tenet Dominicus Soto dist. 15. quæst. 1. art. 2. cum duplici limitatione infrà tractãda.

Variæ sentẽtiæ de necessitate formalis pœnitentiæ.
Scot.
Gabriel.
Cano.
Petr. Soc.
Domnic. Soto.

### *Pœnitentiam formalem, per se loquendo, necessariam esse ad remissionem peccati. Assert. 1.*

EGO censeo rem hanc esse definiendam eadem proportione, qua similem suprà definiui, tractando de necessitate amoris ad contritionem. Dico ergo primò, Pœnitentia per se loquendo necessaria est secundùm proprium & formalem actum doloris, seu detestationis ad consequendam remissionem peccati mortalis. Hanc assertionem certam existimo. Sumitur ex D. Thoma hîc, & præcedente quæst. ar. 5. ad 2. & 1. 2. quæst. 113. art. 2. & sequentibus, & quæst. 28. de Veritate, ar. 5. & in terminis videtur eã docere Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. vbi post definitam contritionẽ subdit, *Fuit autem omni tempore necessarius hic motus ad obtinendam peccati veniam:* & sumitur ex sess. 6. c. 6. & 7. & ex Lateranensi in c. *Firmiter*, de Summa Trinit. & fide Cathol. Præterea colligitur ex illa conditionali locutione sacræ Scripturæ, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul perebitis*, Lucæ 13. Nam quando talis conditio non supponit suppositum gratum, sed indicat id, sine quo gratia non obtinetur, manifestè continet necessitatem medij, & non tantùm præcepti. Habetur autẽ ille loquẽdi modus sæpe in Scriptura sacra, Ecclesiast. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* Et eandem vim habet illa comminatio Apocal. 1. *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam: sin minùs, veniam ad te citò, &c.* Eundem sensum reddunt promissiones illæ, quæ sunt frequentes in Scripturis de remittendo peccato sub ea conditione, *Si impius egerit pœnitentiam*, Ezech. 18. & 33. & aliis locis superiori disputatione citatis: nam apertè exigitur illa conditio, vt omninò necessaria ad talem effectum.

2.
D. Thom.
Conc. Trid.
Conc. Lat.
Luc. 12.
Eccles.
Apocal.
Ezech.

Et poteſt etiam in hunc modum declarari ex eiſdē locis Ezech. quia ibi ſignificatur, tam neceſſariam eſſe pœnitentiam ad reparandam ſpiritualem vitam, quàm eſt neceſſarium peccatum mortale ad tollendam illam. Hoc etiam confirmat, quòd Chriſtus & Apoſtoli in initio ſuæ prædicationis ſemper requirebant potentiam ad remiſſionem peccati, vt patet Act. Actor. 2. *Pœnitentiam agite.* Vnde ſuprà latè oſtendimus etiam cum Baptiſmo eſſe neceſſariam pœnitentiam, ſi baptizandus ſit adultus habens peccatū mortale. Et Ioannes Baptiſta Matth. 3. cùm dixiſſet, *Genimina viperarum, quis oſtendit vos fugere à ventura ira?* ſtatim ſubdit, quaſi vnicum remedium dicens, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Vbi Chryſoſt. Homil. 10. notat, tunc Ioannem impleuiſſe quod de illo prædictum fuerat Iſaiæ 40. ſcilicet, docturum homines vt rectas facerent ſemitas Domini: nam *pœnitentia ſola eſt*, ait, *quæ rectam facit viam, quæ in peccatore erat obliqua.* Vnde Ierem. 18. *Pone tibi amaritudinem, & dirige cor tuum.* Et ideò c. 8. conqueritur, *Nunquid qui cadit, non reſurget; attendi, & auſcultaui, nullus eſt qui agat pœnitentiam de peccato ſuo dicens, Quid feci?* Quæ teſtimonia cùm moralia ſint, ad omnem ſtatum hominum, & omnem legem ſe extendunt. Sed ſpecialiter quòd etiam in lege naturæ fuerit neceſſariū hoc remedium, ſumi poteſt ex Iob vlt. *Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam, &c.* & ex pœnitentia Niniuitarum, quam Chriſtus laudat Matth. 12.

Act. Matth. Chryſoſt. Ierem. Hoc remediū fuit neceſſarium in lege naturæ. Iob. Matth.

4. Quæ omnia teſtimonia non poſſunt de ſola virtuali pœnitētia intelligi, ſed de formali. Primùm propter Scripturæ proprietatem; debet enim in proprio ſenſu intelligi, ſi commodè poteſt: præſertim quia ad ſignificandam hanc proprietatem, & veritatem neceſſariam pœnitentiæ, vtitur Scriptura variis nominibus indicantibus hanc proprietatem, vt nomine pœnitentiæ, doloris, triſtitiæ, gemitus, & ſimilibus. Deinde, quia nō aliter ſacra Scriptura requirit fidem, vel charitatem, vel alios ſimiles actus, quàm pœnitentiam: ergo, ſicut alij ſunt formaliter neceſſarij, ita & pœnitentia. Denique quia ita intelligunt ſancti Patres. Vnde Auguſtinus Concione 1. in principium Pſalm. 30. loquens de confuſione pro peccato commiſſo dicit: *Hanc confuſionem non formidat Chriſtianus: imò, ſi hanc non habeat, æternam habebit.* & lib. de Pœnitentiæ medicina, cap. 5. *Non ſatis eſt* inquit, *mores in melius mutare, ſed oportet ſatisfacere etiam Deo per pœnitentiæ dolorem.* Et epiſt. 50. circa finem, *Niſi egeris pœnitentiam, ſaluus eſſe non poteris: quomodo enim gaudebis fuiſſe correctum, niſi doleas fuiſſe peruerſum?* Cyprianus lib. de Lapſis, circa finem, *Illi ſola ſupereſt pœnitentia, quæ ſatisfaciat: qui autem pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam claudunt.* Et Gregorius homilia vigeſima in Euangelia, *Ventura*, inquit, *ira eſt animaduerſio vltionis extremæ, quam tunc peccator non effugiet, qui nunc ad pœnitentiæ lamenta non recurrit.* Idem homil. 31. & 34. & 3. part. paſtoralis, cap. 31. Et de eadem re optimè loquitur Chryſoſtomus homil. 10 & 11. in Matth. 9. ad Hebræos, 21. 22. & 24. ad Populum. Et Ambroſ. lib. 5. epiſt. 28. *Peccatum non tollitur, niſi lacrymis, & pœnitentia.* Optimè Iuſtinus Martyr Dialogo contra Triphonem pag vltima. Et ad hoc confirmandum conferunt quæ ſuprà diſp. 1. adduxi circa illam metaphoram, qua pœnitentia vocatur ſecunda tabula poſt naufragium: nam per eam apertè ſignificatur neceſſitas medij. Itaque hæc omnia intelligenda eſſe de pœnitentia formali, ſatis conſtat ex ſenſu Sanctorum: præter quàm quòd ipſa materia id poſtulat, cùm ſit de his, quæ ad mores, & ſalutem ſpectant.

Aug. Cyprian. Gregor. Chryſoſt. Ambr. Iuſt. Martyr.

5. Ratio verò huius neceſſitatis prima, & radicalis eſt diuina ordinatio, quæ nobis ſatis conſtat ex Scriptura, & ſenſu Eccleſiæ. Congruentia verò eſt, quia hæc ipſa ordinatio diuina eſt maximè conſentanea naturis talium rerum, quia actus pœnitentiæ eſt maximè proportionatus ad petendam veniam, & ad placandam perſonam offenſam. Item quia homo peccando ſe cōuertit ad creaturam, & ideò ad peccatum delendum optimum medium eſt, vt per pœnitētiam ſeſe homo à creatura auertat: quanquàm enim homo poſſit ſe virtualiter auertere ab vno termino per conuerſionem ad contrarium; tamen in actibus animæ perfectiori modo fit hæc conuerſio, & auerſio, quando per formales actus ipſa anima accedit ad vnū terminum, & recedit ab alio. Tandem, quia hoc eſt medium maximè accommodatum ad vitæ emendationem, quæ per pœnitentiam maximè intenditur. Et aliæ congruentiæ ſumi poſſunt ex ſuprà dictis de honeſtate virtutis pœnitentiæ.

---

### *Aliquando poſſe peccatum mortale remitti ſine formali pœnitentia. Aſſertio 2.*

6. NIHILOMINVS dico ſecundò, Aliquando poteſt remiſſio peccati mortalis obtineri ſine formali actu pœnitentiæ. Hæc eſt ſententia Scoti, & Gabrielis, quos ſuprà citaui, & eandem tenet Maior diſtinct. 14. quæſt. 1. & Medina tract. 1. de Pœnitent. quæſt. 2. ad 3. Nauarrus in Summa c. 1. nu. 10. & Vega libr. 6. in Trident. c. 33. & 34. & Soto etiam ſuprà hoc admittit in duobus caſibus. Prior eſt de martyrio: poſterior quando peccata ſunt oblita. Sed etiam in caſu martyrij neceſſaria eſt aliqua obliuio ſaltem actualis. quia per ſe loquendo, etiam is qui ad martyrium fertur, ſi conſcientiam habet peccati mortalis, tenetur formalem pœnitentiam præmittere, ſi poteſt, vt latè oſtendi in 3. tom. 3. partis diſp. 29. ſect. 2. & 3. Vbi etiā de priuilegio martyrij dixi: quod ſtatim inſinuabo. Caſus ergo de peccatis oblitis communis eſt, & mihi certus: & expreſsè traditur à D. Thom. q. ſequent. art. 1. vbi mentem eius ampliùs explicabimus. Ratio verò à poſteriori eſt, quia in eo caſu excuſatur homo ab obligatione agendi pœnitētiam (ſuppono enim obliuionem eſſe naturalem, & inculpabilem) pœnitentiæ enim præceptum non obligat, niſi ſuppoſita cōſcientia peccati mortalis, quia ſolum propter illud delendum neceſſaria eſt: ergo non peccabit ille homo non agendo pœnitentiam: ergo poteſt alio actu, vel remedio conſequi peccatorum veniam. Patet hæc vltima conſequentia, quia aliàs homo ille implendo omnia præcepta, quæ illi poſſunt occurrere vt neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem, & habens finem, & ſpem, vt ſupponimus, adhuc maneret extra ſtatū ſalutis: quod eſt magnum inconueniens, aliàs nunquā homo moraliter poſſet eſſe quietus, ſed deberet ſemper iterare actū pœnitentiæ, ne fortè oblitus ſit alicuius peccati.

Scot. Gabr. Maior. Medin. Nauarr. Vega. Soto. D. Tho.

7. Quæ obliuio excuſet à formali pœnitentia.

Hinc verò vlteriùs addo, hunc caſum obliuionis extendendum eſſe, non ſolùm ad obliuionem habitualem, ſeu in actu primo, ſed ad actualem ſeu in actu ſecundo, quæ dici ſolet naturalis incōſideratio: quod immeritò Soto, & alij negare videtur. Probatur, quia in rebus moralibus eandem vim habet ad excuſandū actualis inconſideratio inculpabilis pro eo inſtanti, vel tempore quo eſt, quam habet altera obliuio: ergo & in præſenti habebit. Antecedens certum eſt ex his, quæ traduntur in 1. 2. quæſt. 6. art. 6. Et ratio breuiter eſt, quia naturalis inconſideratio, dum eſt, ita cauſat inuoluntarium, ſicut ignorantia vel obliuio quandiu durat; quia ad volendum non ſufficit habitus, ſed neceſſaria eſt actualis cogitatio. Ratio verò à priori eſt, quia

quia posita hac naturali inconsideratione, vel oblivione, voluntas potest per formalem actum dilectionis super omnia conuerti in Deum, non exercendo pro tunc formalem actum pœnitentiæ: si autem habeat illum actum amoris, statim iustificatur: ergo cõsequitur remissionem peccati sine formali actu pœnitentiæ. Maior probata est in simili in superioribus, quia ex parte intellectus cum illa inconsideratione peccati potest esse actualis consideratio diuinæ bonitatis, & alicuius motiui, quod inducat ad diligendum Deum super omnia: nec ex parte intellectus plus requiritur. Ex parte autem voluntatis in primis est libertas & distinctio sufficiẽs inter ipsos actus, vt vnus possit sine alio exerceri, & independentia eorum inter se: nã actus dilectionis natura sua prior est, & independens ab actu doloris: & ideò homo iustus facillimè potest illum sine alio elicere: & suprà diximus actum doloris posse è conuerso sine actu amoris fieri: ergo nihil obstare potest quominùs in eo casu possit voluntas verum, & solum amorem elicere.

8. Obiect. solvitur. Dicet fortasse aliquis, in eo casu denegaturum Deum supernaturale auxilium ad actum supernaturalem amoris, & ideò fore merè naturalem, ac proindè insufficientem ad tollẽdum peccatum. At hoc improbabile est, & volũtariè dictum: tum quia ex parte illius hominis nulla est culpa actualis propter quam Deus neget tale auxilium: propter præteritam autem non negat, vt suprà ostendi: tum etiam, quia vel est sermo de auxilio excitante; & hoc non negat, quia potiùs supponitur ille homo ex parte intellectus sufficienter, & actualiter excitatus per considerationem fidei, quæ ex parte intellectus excitatio sufficiens est, & secum affert excitationem volũtatis, quantùm est ex se: vel est sermo de auxilio concomitante, vel concursu: & hunc Deus non negat supposito priori, nisi ex defectu hominis, vt suprà etiam probaui, ergo ex nullo capite impossibile est exercere tunc amorem sine formali dolore.

9 Per actum amoris hominem iustificari sine formali pœnitentia. Petr. Sot. Caiet. Gregor. Adrian. Supereſt probanda altera conditionalis propositio, scilicet, si homo habeat actum amoris super omnia, statim iustificari. Quam adeò certam existimauit esse Petrus Soto, vt non dubitauerit dicere esse de fide. Et eandem docet Caietanus quæst. 87. artic. 1. & Gregorius in primo, dist. 17. & multa circa illam tractat Adrianus quodlib. 7. quęst. 4. Et probatur breuiter, nam illa verba Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur, &c.* æquiualent illi conditionali. Item illa 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Sumitur etiam ex Prouerb. 8. & 10. *Ego diligentes me diligo*, & *Vniuersa delicta operit charitas.* Et similia verba habentur 1. Petri 4. Vnde Bernardus epist. 170. *Nemo se amari diffidat, si iam amat, neque enim redamare pigebit eum, qui nos amauit nec dum amantes.* Et Augustinus lib. 2. contra Cresconium, c. 12. de peccatis loquens, ait, *Mundantur ipsa, quæ omnibus supereminet, charitate, quæ si adsit, omnia rectè fiunt: si verò absit, omnia frustrà fiunt*, & 14. de Ciuitate, cap. vltimo inquit, charitatem diuidere inter filios Dei, & filios perditionis. Ac denique Gregorius homil. 33. in Euangelia ait, charitatem esse ignem consumentem rubiginem peccati.

Prouerb. 1. Pet. 4. Bernard. Augusſt. Gregor.

10. Probatur ratione. Ratio verò est, quia actus charitatis est perfecta conuersio animæ ad Deum, & virtute continet pœnitentiam, & auersionem à peccato, & propositum placendi Deo in omnibus: ergo infallibiliter secum affert conuersionem Dei ad hominem, iuxta illud *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: ergo secum affert remissionem peccati. Et confirmatur, quia suprà ostendimus solum actum contritionis: si contingat haberi sine actu formalis amoris, esse veram contritionem, & consequenter excludere culpam: ergo multò magis hoc faciet actus dilectionis. Patet consequentia, quia vterque est per se necessarius, & continet alium in virtute, & proposito: & aliunde actus dilectionis excellentior est. Vnde confirmatur vltimò, quia hic actus de se est connaturalis dispositio ad infusionem habitus charitatis, qui habitus habet gratiam sanctificantem infallibiliter sibi coniunctam: & consequenter etiam remissionem peccati mortalis: ergo, &c. De qua ratione vide Augustinum de Spiritu, & litera, capit. 32. Vbi propter hanc causam vocat dilectionem iustitiam, qua iusti efficimur, quia habet inseparabiliter coniunctam dilectionem Dei simpliciter erga nos. Augusſt.

## *Extra casum obliuionis non remitti peccatum sine formali pœnitentia.*
## *Assertio 3.*

11. TERTIO dicendum est, extra casum naturalis obliuionis, vel inconsiderationis, nunquàm remitti peccatum sine formali actu pœnitentiæ. Ita docent omnes excepto Medina tractatu primo de Pœnitentia, quæst. 12. artic. 2. vbi ait, licèt homo cogitet de Deo, & peccatis suis, posse pro libertate sua habere actum dilectionis quem vocat fructuosum, & meritorium, sentiens esse sufficientem ad iustificationẽ. Sed oppositum rectè declarauit Corduba lib. 1. quæstion. quæst. 15. Estque non solùm securior, sed etiam verior sententia. Et videtur planè sequi ex assertione prima: nam, per se loquendo, hoc est medium necessarium ad illum effectum: ergo, quando potest commodè adhiberi, non dabitur effectus sine tali medio. At verò, quando homo cogitat actu de suis peccatis, potest facilè adhibere remedium pœnitentiæ; & non legitimè excusabitur exercendo solum actum amoris, quia amor non impedit peccatorum detestationem, si actu cogitantur: imò ita mouet ad illam, vt vix homo possit continere dolorem, si verè amat, etiamsi velit; maximè quando intelligit peccata nõdum fuisse remissa. Medin. Corduba.

12. Addo etiam, licèt absolutè possit vnus actus ab alio separi, tamen supposita voluntate efficaci expellendi culpam, quam formaliter, vel virtute habet, qui verè amat, & supposita necessitate talis medij, & recogitationis peccatorum, non posse separari, vt in superioribus etiam dixi. Videantur ibi dicta, nam hic procedunt cum eadem proportione. Solum oportet aduertere, necessarium esse vt memoria peccatorum practica sit, id est, vt occurrant tanquàm detestanda, & delenda: nam alioqui non repugnat habere hominem cogitationem quasi speculatiuam de peccato, & habere naturalem inconsiderationem detestationis eius: vt autem homo moueatur ad exercendum actum, non satis est cogitatio ipsius obiecti secundùm se, sed necessaria etiam est aliqualis ipsius actus exercendi consideratio. Hanc verò, si moraliter & regulariter loquamur, semper excitabit amor, si verus est, præsertim si coniunctam habet memoriã diuinæ offensionis. Memoria peccatorum debet esse practica, vt non excusẽt.

## *Deficiente formali pœnitentia, necessaria est virtualis, & formalis in voto.*
## *Assertio 4.*

7. VLTIMO dicendum est, quando deest pœnitentia formalis, necessariam esse virtualem cum proposito, & voto ipsius formalis: ac propterea necessarius est amor super omnia. Vnde sine altero ex his

his duobus actibus nunquá remittitur mortale peccatum, ſecluſo ſacramento, vel ſpeciali priuilegio. Ferè hæc omnia conſtant ex ſuprà dictis. Nam ad remiſſionem peccati neceſſe eſt vt volútas efficaciter auertatur à peccato; quod non poteſt niſi per pœnitentiá formalem, vel virtualem: &, cùm neceſſaria ſit, per ſe loquendo, formalis pœnitétia, ſi illa deſit in re, oportet vt ſaltem in voto habeatur: non continetur autem in virtute & in voto, niſi in dilectione ſuper omnia: ergo, ſi formalis contritio deſit, neceſſaria eſt illa dilectio: ergo alter ex his actibus neceſſarius eſt. Addidi verò, *extra ſacramentum*, quia cum illo ſufficit attritio; de quo poſteà. Dixi etiam, *niſi ex priuilegio*, propter martyrium, in quo, vt opinor, poteſt homo iuſtificari ſine formali cõtritione, & amore ſuper omnia. Sed illud eſt ſpeciale priuilegium: de quo dixi latè in diſputatione vigeſimanona ſuprà citata.

14. Vega. Addit prætereà Vega libro ſexto in Tridentinum, capite trigeſimooctauo, per ſolam orationem poſſe peccatorem obtinere remiſſionem culpæ mortalis ſine formali amore, vel dolore; quia etiam oratio habet infallibilem promiſſionem. Sed eſt ſingularis ſententia: & mihi diſplicet, quia eſt contra doctrinam generalem Conciliorum, & Sanctorum, & vniuerſales loquutiones Scripturæ, quibus ſuprà neceſſitatem pœnitentiæ, & amoris oſtendimus: nam hæc neceſſitas poſtulat vt ſaltem virtute habeantur. Item, qui petit veniam peccatorum, iam de illis cogitat: ergo indebitè petit veniam ſine remedio, quod ipſe poteſt, & debet adhibere: nam oratio, vt exaudiatur infallibiliter, debet habere coniuncta cõuenientia media, quatenus à Deo exiguntur, & ab homine exhiberi poſſunt: alioqui temerè petitur à Deo aliquid ſine huiuſcemodi mediis. Sicut qui peteret magnam gloriá ſine magnis meritis, malè peteret, & nõ meretur exaudiri: illa ergo petitio non habet infallibilem promiſſionem. Ergo petenda eſt à Deo vera pœnitentia, & auxilium ad illam: & conſequenter remiſſio peccatorum: quia non eſt minùs neceſſaria pœnitentia, vel conuerſio cordis ad remiſſionem peccati, quàm merita ad gloriam: & vtrumque eſt in poteſtate noſtra cum diuina gratia: hãc ergo præcipuè poſcimus cùm remiſſionem peccatorũ poſtulamus: & prætereà recognoſcimus noſtram pœnitentiam per ſe non ſufficere, niſi liberalis Dei remiſſio intercedat.

Reiicitur.

15. Obiect. ex Patribus. Vna verò ſupereſt obiectio contra neceſſitatem pœnitentiæ, nam Patres interdum plures cauſas vel remedia huius remiſſionis aſſignant, æquè tribuentes hunc effectum charitati, vel eleemoſynæ, vel orationi, ac ipſi pœnitentiæ: ſicut ergo pœnitentia per ſe, & ſine aliis remediis poteſt interdum habere hunc effectum, ita & alia remedia ſine alia. Antecedens patet ex

Origen. Origene, homilia ſecunda in Leuitic. vbi hæc numerat, Baptiſmum, charitaté, martyrium, eleemoſynam ex Danielis 4. remiſſionem iniuriarum, ex Matthæi ſexto, & correctionem fratris à via mala, ex

Auguſt. Iacobi primo: Auguſtino ſecundo cõtra Creſconium, vbi quatuor numerat, verbum veritatis, ſacrificium

Chryſoſt. contriti cordis, eleemoſynam, & charitatem: Chryſoſtomo homilia vigeſimaſecunda ad Populum, vbi priùs numerat compunctionem, & eleemoſynam, poſteà verò addit aliud remedium his verbis, *Non habes pecuniam, non habes compunctionem, ecce Propheta clamat, Prohibe linguam tuam à malo, &c. & in ſalutem tibi ſufficiet*: vbi ſignificat mutationem vitæ ſine compunctione cordis ſufficere. Idem homil. 4. in 2. ad Corinth. in fine partis moralis, præter deteſtationem peccatorum, ponit ſubmiſſionem animi, gratiarũ actionẽ in aduerſis, eleemoſynam, oblitionẽ acceptarũ iniuriarum, & aſſiduam precationem. Et ad hunc modum loquuntur frequenter alij Sancti.

A Inter hæc teſtimonia præcipuè ſunt obſcura illa verba Chryſoſtomi, *Si non habes compunctionem, &c.*, Intelligo tamen nomine compunctionis ſignificaſſe ibi ſenſibilem dolorem, & afflictionem, & voluiſſe dicere mutationem vitæ ſufficere, per quam non ſolùm intellexit propoſitum futuræ vitæ, ſed etiam deteſtatione præteritæ. Quod ſumo ex eodem Chryſoſtomo homil. 42. in Matthæum, in fine, vbi eadem remedia numerat ad remiſſionem peccati, & diſtinguit compunctionem à contritione cordis, & contritum cor dicit *apprimè requiri*.

16. Chryſ. Satisfit.

Circa alia verò remedia, quæ Sancti ponunt, cõſiderandum eſt, Sanctos in his remediis numerandis non ſeruare leges rigoroſæ partitionis ſeu diuiſionis, ſed coaceruatim numerare omnia quæ conferunt ad B remiſſionem peccati: ſiue ſit tanquàm diſpoſitio proxima, ſiue vt remota, ſiue id ſit ad remiſſionem culpæ, ſiue ad ſatisfactionem pro pœna, ſiue per modum impetrationis, ſiue per modum diſpoſitionis, ſiue etiã per modum ſacramenti. Vnde multa ex iis remediis, licèt conferant, non tamen ſunt ſimpliciter neceſſaria: nullum tamen eſt, quod ſine pœnitentia ſufficiat. Nam de Baptiſmo, iam ſuprà oſtendimus, ſine pœnitentia non remittere peccatum actuale mortale. De martyrio, verum quidem eſt, interdum in eo poſſe remitti peccatum ſine pœnitentia formali; ſed includitur votum pœnitentiæ formalis in ipſa volũtate martyrij, quæ virtualis quædam eſt pœnitentia, vt ſuprà ſuo loco dixi. De charitate iam dictum eſt quomodo habere debeat coniunctam pœnitentiam. De verbo veritatis, quod Auguſtinus ponit, certum eſt requiri eo modo quo fides neceſſaria eſt, non tamen ſufficit C ſine diſpoſitione voluntatis, quæ pœnitentiam includit. Denique opera miſericordiæ, vel patientiæ, & ſimilia conferunt quidem, vel ad impetrandam veram pœnitentiam, ſi ex fide, & aliquo modo ſupernaturali fiant, vel ad ſatis faciendum pro pœna, ſi culpa ſupponatur remiſſa, non ramen per ſe ſufficiunt ad remiſſionem culpæ, niſi charitas, & vera pœnitentia intercedant. Similiter oratio vtiliſſima eſt ad impetrandam remiſſionem peccati: non eſt tamen ſemper neceſſaria neceſſitate medij; nam interdum Deus præuenit, & dat efficax auxilium, etiam non petenti: de quo latè Vega libro ſexto in Tridentinum, capite trigeſimooctauo, nec ipſa per ſe ſufficit ad impetrandam remiſſionem culpæ, niſi impetret veram pœnitentiam, per quam remittatur culpa, vt ſuprà dictum eſt.

17. Aliis teſtimoniis Patrum reſpõdetur.

Vega.

D

## SECTIO II.

### *Vtrùm de potentia abſoluta poſsint peccata mortalia ſine pœnitentia remitti.*

SENSVS quæſtionis eſſe debet de pœnitentia, tam formali, quàm virtuali, perfecta, vel imperfecta, ita vt quæſtio ſit, an ſine omni motu peccatoris in Deũ, vel aduersùs peccatum, hoc fieri poſſit. Et hoc modo multi negãt poſſe tolli peccatũ ab homine ſine pœnitentia. E Ita tenẽt Soto d. 15. q. 1. a. 2. dub. vltimo, & Petrus Soto lect. 4. de Pœnitẽtia, & frequẽter Thomiſtæ in hãc ſententiam inclinãt: propter verba Diui Thomæ in hoc artic. 2. *Impoſſibile eſt, &c.* Veruntamen hoc *Impoſſibile* apud D. Thomam non ſemper ſignificat implicationem contradictionis. In præſenti ergo ſufficienter exponitur ſecundùm legem ordinariam, & conſiderata rerum natura, vt in Commentario latius dixi: atque etiam Ledeſma circa eundem articulum indicauit

1.

Quorũdam opinio. Soto. Petr. Sot.

Ledeſm.

cauit 1.part.4.q.27.art.2.

1. Fundamentum eius.

Fundamentum huius sententiæ est, quia voluntas semel conuersa ad creaturam per peccatum, manet moraliter eodē modo conuersa quandiu nō mutatur: non potest autem mutari, nisi per aliquem actū proprium: ergo sine illo nō potest fieri ex conuersa auersa, vel è contrario: ergo non potest ab illa tolli peccatum sine motu eius: quia, nisi tollatur illa cōuersio ad

Euasio. creaturam, nō tollitur peccatum. Dices, posse voluntatem mutari per infusionē alicuius habitus, qui formaliter conferat conuersionē oppositam conuersioni peccati: nam conuersio peccati, quæ manet, & tollenda est per remissionem eius, habitualis est: ergo per

Præluditur. oppositum habitū potest auferri. Sed cōtrà, quia istæ: conuersiones sunt diuersorum ordinum seu generū, & ideò non sunt oppositæ, nā contraria debent esse eiusdem generis. Antecedens patet, quia conuersio habitus physica, est per realē informationē cuiusdam qualitatis: conuersio autem peccati est moralis, quia actus semel factus, & non retractatus, moraliter permanere censetur: ergo non sufficit vna conuersio ad excludendam aliam: sed moralis cōuersio per moralē debet auferri, quæ non inducitur nisi per oppositum actum. Sicut è conuerso, quando voluntas conuertitur ad bonum obiectum, & posteà manet moraliter conuersa transacto actu, non potest Deus ab illa auferre talem conuersionem, donec ipsa per contrarium actum moueatur: ergo similiter, &c.

3. Gabriel. Okam.

Contrariam sententiam tenet Scot. 4. dist. 14. q. 1. §. Ex his, & dist. 16. quæstion. 2. Gabr. dist. 14. q. 1. art. 1. not. 2. & art. 2. conc. 1. Okam in 4. quæst. 8. dub. 2.

Medin. lit. N. & quæst. 9. lit. E. Medi. od. de Pœnitētia, tract. 1. quæst. 7. & 12. Hi Auctores in hoc fundantur, quòd trāsacto actu peccati, nihil manet in homine intrinsecum, vnde denominetur peccator, seu esse in peccato: sed ab actu præterito denominatur, nō simpliciter, sed prout subest ordinationi diuinæ: qua talis homo propter talem actum ordinatus est ad talem pœnam, seu ab obligatione ad pœnam, quæ inde manet, quàm dicunt esse reatum peccati, vt hoc sensu intelligendum sit, quod dixit Augustin. lib. 1. de Nuptijs, cap. 26. *Peccatum transire actu, & manere reatu.*

Augustin.

Basil. Vnde Basil. in Constit. monast. c. 5. *Peccata* (inquit) *eò vsque durant, quandiu praua actiones durant: sublatis enim his, vna etiam peccati substantia deletur, & euanescit, licèt peccantibus pœna propter peccatum sit reposita.* Ex hoc ergo fundamento sic colligunt, Potest Deus non ordinare talem hominem ad pœnam, etiam si ipse nullum actum pœnitentiæ faciat: ergo potest remittere peccatum sine pœnitentia. Hoc verò fundamentum semper mihi visum est falsum. Primò, quia hinc sequitur in iustificatione non remitti culpam, sed pœnam tantùm, vel saltem sequitur remitti peccatum nihil aliud esse quàm remitti pœnam. At hoc falsum est, tum quia Concil. Trident. sess. 5. decret. de orig. peccat. cap. 3. definit, in iustificatione auferri totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet: at pœna non habet veram rationem peccati, sed illam supponit. Item, quia non semper tota pœna aufertur in iustificatione: ergo nec aufertur totum id, quod peccati rationem habet: quia si peccatum ordinatum à Deo ad pœnam condignam, habet rationem peccati, etiam ordinatum ad partem aliquam illius pœnæ retinebit aliquam rationem peccati. Imò iuxta illam sententiam quando remittitur peccatum, solùm tollitur seu cessat ordinatio diuina ad pœnam: illa autem ordinatio nec habet rationem peccati, nec illud constituit, sed supponit.

4. Sēsus quæstionis duplex.

Vt ergo inter has sententias iudicium feramus, aduertendum est, duas hic posse tractari quæstiones. Vna est, An sine proprio actu peccatoris possit illi peccatum remitti per alia dona Dei. Alia est, an sine actu peccatoris possit peccatum remitti, & sine aliis donis creatis, sed per solam efficaciam diuinæ voluntatis destruentis ipsum peccatum. Prior quæstio est propria huius loci, in qua verisimilius censemus posse Deum remittere culpam sine actu pœnitentiæ: imò & omninò sine actu peccatoris, conferendo ei alia dona. Quam sententiam præter Auctores citatos in secunda sententia, tenent hanc partem communiter Thomistæ, tum hîc, tū in 1.2.q.113. art. 2. Et probatur primò, quia præcipuum ex his donis est gratia vnionis hypostaticæ, quæ non potest alicui naturæ conferri, quin sanctificetur. Posset autem Deus (ex communi sententia) assumere hypostaticè naturam hominis peccatoris, & per ipsam assumptionem illam sanctificare, & mundare à culpa, etiamsi toto priori tempore in peccato fuisset; quæ tamen in instanti assumptionis nō posset habere actum naturæ præuium ad assumptionem, vt latiùs probatur in materia de Incarnatione. Secūdò D. Thomas, & omnes ferè docent posse hominem dormientem in statu peccati mortalis iustificari per martyrium sibi voluntarium ex præcedenti voluntate: & tamen in illo non præcedit actus quo remittatur peccatum, sed remissio fit per infusionem gratiæ: nam prior voluntas martyrij, quæ præcessit, non abstulit moralem maculam peccati, seu culpam, sed eam integram reliquit. Tertiò ferè idem argumentum sumitur ex remissione peccati, quæ nunc fit per sacramentum cum sola attritione, quæ interdum etiam tempore præcedit; nam etiam illa relinquit integram peccati maculam: & tamen Deus per sacramentum illam aufert infundendo habitus: posset ergo idem facere absque vllo motu præcedenti: sicut enim nunc supplet imperfectionem illius motus, & insufficientiam: ita posset omninò supplere carentiam eius. Nam, quod attinet ad formalem remissionem culpæ, perinde ferè est habere motum insufficientem, ac nullum habere, quādoquidem motus ille natura sua non repugnat formaliter culpæ, sed potest esse simul cum illa.

Prioris resolutio.

5. Atque hinc tandem concluditur ratio, quæ mihi videtur propria, scilicet, quia actus peccatoris non requiritur ad remissionem peccati, tanquàm forma per seipsam formaliter excludens culpam: sed tanquàm dispositio congrua, & ex natura rei, & ex diuina ordinatione: non repugnat autem Deum conferre effectum formalem sine præuia dispositione ad formam, quæcunque tandem illa forma sit: quod etiam in naturalibus manifestum est. Et in præsenti declaratur, nam, si contritio, verbi gratia, non est forma per seipsam expellens peccatum: ergo posita contritione adhuc est necessaria alia forma, quæ illud expellat. Vnde, si Deus non adhiberet illam formam, cum contritione adhuc maneret peccatum: quod de potentia absoluta facere posset, cùm remittere peccatum homini contrito, sit nouum beneficium gratiæ, vt suprà dixi: ergo etiam è contrario potest illam formam infundere sine contritione, & sine alia dispositione peccatoris, & ita culpam remittere.

6. Neque contra resolutionem hanc vrget fundamētum prioris sententiæ. Rectè enim ibi responsum est, sine actibus ipsius peccatoris posse à Deo in illo fieri talem mutationem, & conuersionem habitualem, quæ sufficiens sit ad excludendum peccatum. Cùm autem replicatur, hanc mutationem esse physicam, & ideò per sese non posse excludere moralem culpam, & auersionem, quam reliquit peccatum. Respondetur negando hanc posteriorem partem seu consequutionem: quia illa mutatio physica, quæ in animo fit per infusionem gratiæ, est adeò diuina & excellēs, vt ab homine tollat etiam deformitatem moralem

peccati

peccati mortalis, quia reddit hominem obiectum proportionatum diuini amoris supernaturalis, & ita non relinquit odio dignum, quod facit peccatum, & consequenter non relinquit illum dignum æterna pœna, sed potiùs gloria, nec relinquit conuersum ad creaturam, sed ad Deum. Vnde, licèt talis conuersio non fuerit per proprium actum comparata, & sub ea ratione non dicatur moralis eo modo quo culpa; nihilominùs intrinsecè & per se dici potest moralis, quatenus reddit hominem bonum & sanctum moraliter, id est, in ordine ad bonos mores: hoc ergo satis est, vt per talem mutationem fieri possit remissio peccati.

7. Quomodo sit intelligẽdũ peccatũ semel commissum semper manere, quandiu nõ retractatur.

Ex quo colligitur non esse vniuersaliter verum, in ordine ad diuinam potentiam, quod ab aliquibus dici solet, peccatum semel commissum semper manere, quandiu retractatum non est, & ab illo denominari hominem peccatorem; seu esse in peccato quandiu per contrariam retractationem non impeditur hæc denominatio. Constat enim in eo casu, in quo Deus infunderet habitus gratiæ, & charitatis homini dormienti, peccatum transactum iam non manere nec actu nec reatu, seu morali duratione, & tamen ab ipso retractatum non esse. Illud ergo assertum aut solùm intelligendum est de lege, & secundùm potentiam ordinariam, & cum aliquibus limitationibus, scilicet, vt sermo sit de peccato actuali, & mortali, & de retractatione formali, aut virtuali perfecta, vel imperfecta, iuxta superiùs dicta de contritione, & attritione. Vel certè & ferè in idem redit) subintelligenda est conditio, nisi Deus altiori modo remittat huiusmodi peccatum per infusionem altioris doni. Et ideò D. Augustinus d. libr. 1. de Nuptiis, c. 26. generaliùs dixit, peccata præterita, licèt transeant actu, manere reatu, *nisi remittantur*: possunt autem remitti sine propria hominis retractatione, vt ostẽsum est. Sicut etiam ante legem gratiæ verum erat dicere, peccatum mortale durare quandiu non retractabatur per contritionem, vel amorem super omnia: nunc autem non est verũ, quia sine tali retractatione remitti potest, nisi contritionis nomine intelligatur etiam attritio formata per gratiã, vel sub amore super omnia includatur habitus charitatis denuò infusus.

Augustinus.

8. Respõdetur ad exemplũ de actu bono.

Et hinc etiam facilè respondetur ad exemplum quod afferebatur de actu bono, quia nõ potest ab homine auferri bonitas, vel rectitudo eius, quandiu non retractatur. Dicendum enim in primis est, non esse similem rationem, quia malum culpæ non potest fieri in nobis sine nobis aliquo modo cooperantibus: è contrario verò bonum potest in nobis à Deo fieri sine nobis. Et eadem ratione potest Deus malum culpæ à nobis sine nobis auferre per infusionem gratiæ, & virtutum: bonum autem virtutis nõ aufertur à nobis sine nobis, id est, nisi nos ipsi tali bono priuemus nos: neque id est consentaneum diuinæ bonitati. Sic ergo non potest Deus, se solo, hominem in peccato constituere, potest tamen illum, se solo, à peccato mundare.

9. Obiect. de peccato originali. Soluitur.

Dices, Nónne homo in peccato concipitur, quod non commisit, nec aliunde illud habere potest, quàm à Deo, qui animam infundit? Respõdetur falsum esse hoc posterius, illud verò prius limitandum esse: vnde hoc exemplum potiùs confirmat quod dicimus. Nisi enim omnes priùs aliquo modo in Adamo peccaremus, non possemus in peccato originali concipi: & ita illud peccatum non à Deo, sed ab hominis voluntate trahit originem, quæ licèt in vno indiuiduo fuerit, tamen moraliter fuit voluntas totius naturæ: & ideò dixi, malum culpæ non esse in nobis: sine nobis *aliquo modo cooperantibus*, scilicet vel voluntate propria in peccatis actualibus, vel voluntate capitis in originali. Iustitia autem potest sola Dei voluntate infundi. Et quanuis nunc non infundat illam adultis, nisi propria voluntate cõsentiant, nec paruulis: nisi saltem consentiant aliena, scilicet, per Christum tanquã per supremum caput hominum, & mediatorem inter ipsos & Deum, & Ecclesiam applicantem illi remedium à Christo relictum. Tamen de potentia absoluta, potest Deus sine interuentu alicuius volũtatis humanæ, peccatum originale auferre, quanuis illud non potuerit introduci in humana natura sine defectu alicuius voluntatis humanæ.

10. Priuatio boni, quæ non fit culpa, potest fieri à Deo.

Remittere ergo peccatum est opus Dei, quod potest se solo facere, introducere autem peccatum non est opus Dei, vt possit ab ipso fieri. Priuatio autem alicuius boni, quæ rationem mali culpæ non habeat, etiam potest à solo Deo fieri, sine vlla causa, vel cooperatione hominis: posset enim Deus sua voluntate priuare hominem habitibus gratiæ, & virtutum: tamẽ (vt dicebam) in his bonis animæ nunquàm Deus id facit, quia non est ità consentaneum bonitati eius. Et eadem ratione si in actu bono semel facto consideretur vis ad præmium aliquod, quod in homine relinquit: etiam potest Deus hominem priuare tali præmio sine eius culpa, sed sola voluntate sua: sicut potest semittere pœnam peccati sine vlla pœnitentia, vel retractione eius. In quo est aliqua similitudo inter actum bonum, & malum quoad aliquem effectum eius: inter ipsum autem peccatum, & remissionem eius, seu bonum illi oppositum, semper versatur differentia assignata.

## SECTIO III.

### *An possit mortale peccatum remitti sine infusione gratiæ habitualis.*

1. ALTERA quæstio quam proposuimus, magis spectat ad materiam de gratia, quàm ad præsentem, & ideò breuiter illam attingemus: non enim possumus omninò illam omittere, quia nonnulla inferiùs dicẽda ab illa pẽdent, ideoque ab aliis Theologis hic tractatur. Priùs verò quàm de illa dicamus, aliam quæstionem hic incidentem separare, & expedire necesse est. Potest enim quæri, an interueniente actu peccatoris formaliter, vel virtute retractantis peccatum possit illi peccatum remitti sine alia gratia, seu iustitia habituali. Non enim desunt Theologi, qui negent hoc fieri posse, etiam de potentia absoluta. Et videtur fuisse opinio Caietani 1. 2. q. 113. art. 2. Ille tamen non loquitur expresè de infusione habitus, sed absolutè de infusione charitatis. Aliqui verò moderni tenent apertè hanc opinionem, ita vt asserant, de potentia absoluta non sufficere retractationem peccati per actualem pœnitentiam ad remissionem eius sine infusione habitualis gratiæ, vel alterius doni perfectioris illa. Fundamentum est, quia peccatum est priuatio gratiæ habitualis: priuatio autem tolli non potest, nisi per contrariam formam. Secundò, quia nisi Deus gratiam infundat, non potest deponere odium & indignationem, qua est offensus homini propter peccatum: ergo nec potest remittere peccatum, si gratiam non infundit. Antecedens patet, quia si non remouet malum, quod peccatum intulit, quomodo dici potest deponere indignationẽ, & odium? cùm ratio talis odij ex parte hominis, qui est obiectum illius, non sit nisi hoc malũ. Sicut enim fieri non potest, vt dum Deus conseruat gratiam in homine, quem per illam amabat, illum non amet, ita è con

Prima opinio. Caiet.

Fundamentum.

è contrario quandiu non aufert malum priuationis gratiæ fieri non potest quin hominem odio habeat, quem priùs odio habebat.

2. Sine infusione habitualis doni possе peccatum remitti. Communis sententia. Bonau.

Nihilominus communis sententia est, posse Deum remittere homini peccatum, sine infusione alicuius habitualis doni, facta in tali homine sufficiente mutatione per aliquem actum. Hoc vt minimum sentit Bonau. 4. dist. 17. 1. part. art. 1. q. 1. alios statui referam, præmissa declaratione multorum quæ dictam sentẽtiam ita exponunt. Dupliciter potest peccatum remitti vno modo perfectè & exactè, restituendo hominem ad pristinam rectitudinem, & amicitiam. Secundo modo imperfectè, tollendo quidem ab homine quidquid pertinet ad formalem rationem culpæ & offensæ, ita vt iam non maneat obiectum dignum diuini odij & indignationis, non tamen restituendo illum ad priorem rectitudinẽ & statum iustitiæ. Priori modo dicunt nõ posse peccatum sine gratiæ infusione remitti, quod est per se notum & manifestum: quia peccatum deiicit hominem ab illo statu, & ideò quandiu ad illum non reducitur, non est facta integra & perfecta remissio. Atq; hoc modo interpretantur D. Thomam in illo articulo secundo quæstione 113. 1. 2. & satis apparenter, quia in titulo non absolutè inquirit de remissione peccati: sed de tali remissione, quę sit impij iustificatio, & hanc concludit non posse fieri sine gratiæ infusione, quia iustificatio, est translatio ad statum perfectæ rectitudinis, vt articulo primo declarauerat. Vnde quia de facto, & secundùm potentiam ac legem ordinariam remissio peccati non fit, nisi per veram iustificationem: ideò concludit necessariam esse infusionem gratiæ ad remissionem peccati. Quod absolutè & simpliciter est verum de lege ordinaria, in sensu verò quasi composito est verum de potentia absoluta, scilicet, supposito quòd remissio futura sit perfecta, & per veram iustificationem hominis. Et hoc sentire etiam videtur Scotus 4. distinctione prima, quæstione sexta, §. ad argumenta, in fin. dùm ait, in iustificatione peccatoris duplicem esse mutationem; vnam priuatiuam, qua ex inimico fit non inimicus, aliam positiuam, qua ex indigno fit dignus, & hanc fieri nõ posse sine forma infusa. At perfecta remissio vtranque mutationem includit: & ideò in hoc sensu fieri nõ potest absque gratia.

Perfecta remissio peccati fieri non potest sine gratiæ infusione.

Scot.

3. Imperfectè potest peccatum remitti sine infusione gratiæ habitualis, per aliquã mutationẽ hominis. Conrad. Ferrar. Soto. Ledesm. Medina. Zumel.

Posteriori autem modo dicunt posse remitti peccatum sine gratia habituali per aliquam mutationem actualem hominis. Ita opinatur Conrad. dict. articulo secundo, vbi ait, Scotum in re non contradicere D. Thomæ. Idem expresè Ferr. 3. contra. gent. cap. 157. Soto libro secundo, de Natura & grat. capit. 18. & in 4. distinct. 15. quæstione prima, articulo secundo, dubio vlt. vt certã supponit posse peccatum remitti sine gratia habituali, quæ sit qualitas infusa. Idem sentit Ledesm. 4. 1. part. quæstion. 27. art. 2. Medin. 1. 2. q. 113. articulo secundo, dub. 2. iunctis his quæ docet qu. 110. art. 4. vbi etiam Zumel, quæst. 113. art. 2. disp. 2. ait, esse rem certam, de qua nõ est controuersia, posse peccatum remitti sine donis habitualibus infusis, si actus intercedant. Bellar. libro secundo de Iustific. c. 16. dicit, auersionem & maculam non posse auferri sine infusione habitus, rationem autem offensionis & inimicitiæ auferri posse Denique D. Thomas. 4. dist. 17. q. 1. art. 3. q. 1. ita dicit, requiri gratiam ad remissionem peccati, sicut ad meritum: constat autem qualitatem gratiæ non esse necessariam ad meritum de potentia absoluta, licèt sit necessaria ad optimum & connaturalẽ modum meriti. Eodem modo procedit q. 28. de Veritate, art. 2. Capreol. verò in 4. d. 1. q. 2. a. 3. Respõdens Scoto, & afferens hæc loca D. Thomæ, sic ait. *Et puto sine temeraria assertione, quod hoc non solum est impossibile potentiæ Dei ordinariæ, imò potentiæ absolutæ: tamen, vt securiùs loquamur, restringamus dictum, & dicenda ad potentiam Dei ordinariam.* Ratio generalis reddi potest, quia peccatum per actum solum introductum est, absq; generatione alicuius habitus realis & physici, seu positiui: quamuis enim per actum peccati generari possit vitiosus habitus: tamen nec illud est per se ac semper necessarium ad rationẽ, vel statum peccati, neq; quando fit talis habitus, ille pertinet ab substantiam peccati: potest enim peccatũ tolli manente illo habitu, & posset talis habitus destrui perseuerãte homine in statu peccati. Igitur peccatum habituale, seu esse in peccato, per solùm actũ introducitur: ergo per actum contrarium destrui potest maximè per potentiam absolutam.

Ratio redditur.

Bellarm.

D. Thom.

Capreol.

## *Quis sit actus per quem peccatum remitti potest sine infusione gratiæ.*

4. Actus dilectionis Dei super omnia & similis actus cõtritionis sufficiunt.

VT tamen verus sensus, propriumque fundamẽtum huius sententiæ melius intelligatur, duo declaranda sunt. Primum, quis sit ille actus per quẽ posset remitti peccatum sine infusione iustitiæ habitualis. Secundum, quid requiratur ex parte Dei ad illam remissionem circa primum, vnum videtur certum, & frequentiùs receptum sufficere actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia, vel similem actum contritionis, seu detestationis de peccato. Ita tenẽt citati Auctores, & patet, quia hi sunt actus perfectissimi, & maximè accommodati ad hãc remissionẽ. An verò possit etiã id fieri per actum minùs perfectum, verbi gratia, per attritionem, vel alium similem, non declarant dicti Doctores, quanquam in generali dicunt posse hoc fieri per actum dilectionis, vel alium motum procedentem ex diuina gratia. Alij verò solùm per actum dilectionis Dei infusæ, vel per actum contritionis dicunt posse hoc fieri: nam si iustificatio fieret per actum minus perfectum necessarium esse putant gratiam habitualem, etiam de potentia absoluta. Fundamentum est, quia peccatum non potest tolli, nisi per formam aliquam inhærentem animæ, quæ per se ac formaliter repugnet peccato, & illud expellat, & quælibet forma, quæ huiusmodi fuerit, sufficit ad hunc effectum, quia vna forma sufficienter expellitur per alteram repugnantem. At verò actus illi charitatis & contritionis natura sua formaliter expellunt peccatum, & ideò cum illis solis sine infusione habituum posset Deus remittere peccatum, & iustificare ac sanctificare hominem: præter hos autem actus nullus est, qui habeat illam formalem repugnantiam, & causalitatem contra peccatum: & ideò quoties actualis mutatio hominis minùs perfecta est, per attritionem, vel aliam similem, omninò necessaria est gratiæ infusio, quia nulla inferior forma est incompatibilis peccato.

An alius actus sufficiat

Opinio negans.

5. Corollariũ primũ huius opinionis.

Ex qua declaratione infertur primò, quando remissio sit per solum actum, nihil ex parte Dei requiri, præter auxilium, & concursum ad talem actum efficiendum absque habitu, post ipsum verò actum, vt ille expellat peccatum sine habitu, nihil esse necessarium ex parte Dei, etiamsi nolit infundere habitum, neque habeat aliam quasi positiuam beneuolentiam, vel volũtatem expellendi peccatum: per ipsum enim actum illud expellit. Secundò infertur iuxta eandem sententiam peccatũ non esse priuationem habitualis gratiæ definitè & in specie, sed absolutè priuationem formæ sanctificantis, siue illa sit habitus, siue actus: vnde talis priuatio sufficienter tolli potest per quancunque ex his formis, etiamsi ambæ non concurrant. Tertiò infertur, iuxta hanc opinionem, etiamsi

Corollariũ 2.

Corollariũ 3.

fingatur homo in puris naturalibus, & in eo ſtatu peccare mortaliter, non poſſe ab illo expelli peccatum per ſolùm actum ordinis naturalis, etiamſi fingatur eſſe dilectio ſuper omnia Dei, vt finis & auctor naturalis. Quia nullus talis actus habet vim expellendi formaliter peccatum, niſi ſupernaturalis ſit: & ideò etiam in eo ſtatu neceſſarium eſſet eleuari hominem ad dilectionem ſupernaturalem eliciendam, vel illi gratiam infundi. Quod ex parte ſentire videtur Medin. prima ſecundæ, quæſtion. 113. dub. 2. & putat eſſe ſententiam Caietani.

6. Primum fundamentum præcedentis opinionis reiicitur.

Ex duobus autem principiis, in quibus hæc opinio fundatur, vnum non ſolùm incertum, ſed etiam falſum eſſe exiſtimamus, nimirum, actum dilectionis, vel contritionis vi ſua, & abſque alia beneuolentia, vel gratia, formaliter expellere peccatum, de quo in ſuperioribus dictum eſt, & latiùs 1. tomo. 3. part. Diſput. 4. Hoc autem remoto fundamento, nulla ſufficiens ratio reddi poteſt, cur poſſit Deus remittere peccatum homini contrito ſine infuſione habituum, & non poſſit idem facere cũ homine attrito, aut habente alium ſimilem actũ: quo voluntas aliquo modo conuertatur à priori malo in bonum. Nã licèt illi actus ſint magis accommodati & proportionati, tamen eo ipſo quòd per ſe ac formaliter non ſufficiũt, neceſſe eſt vt Deus per aliam formam, vel modum expellat peccatum: ergo poteſt etiam idem facere cũ attritione. Quod ergo ſpectat ad primum punctum propoſitum, dicendum eſt, actum quemcunque, quo formaliter homini diſpliceat peccatum commiſſum, poſſe eſſe ſufficiens medium de potentia abſoluta loquendo, vt Deus, ſi velit, poſſit homini remittere peccatum abſque infuſione habituum. Probatur ratione facta, quia ſi actus ſine habitu ſufficere poteſt, non eſt cur in ordine ad diuinam potentiam exigatur perfectiſſimus, quia non poteſt magis inferri implicatio contradictionis in actu imperfecto, quàm in perfecto, cùm neuter per ſe ſit forma naturaliter expellens peccatum, ſed neceſſarium ſit aliquid aliud adiungi ex parte Dei.

Quemlibet actum, quo homini de peccato formaliter diſpliceat de caro ſufficere de potẽtia abſoluta ad eius remiſſionem.

7. Secundum fundamentũ incertũ reputatur.

Quò fit, vt aliud principium, quo nitebatur ſententia proximè tractata, incertum ſit, & iuxta communem ſententiam nullo modo admittendum. Eſt autem illud principium, Non poſſe Deum expellere peccatum, niſi per formam natura ſua incompatibilẽ peccato. Nã ſi hoc principium verum eſſet, per nullum actum peccatoris poſſet Deus deſtruere peccatum, ſi habitum non infunderet. Patet ſequela, quia oſtenſum eſſe ſupponimus, nullum actum peccatoris, quantumuis ſupernaturalem & charitatis, ſeipſo ac formaliter ex natura rei expellere peccatũ. Rurſus in peccatis venialibus videtur illud principiũ apertè falſum, non ſolùm de poſſibili, ſed etiã de facto: quia ſæpe Deus remittit nũc peccatum veniale per ſacramentum infundendo aliquem gradum gratiæ habitualis, qui per ſe & ex natura ſua non eſt incompoſibilis cum peccato veniali. Nam ſi illa gratia data fuiſſet abſque ſacramento, non eſſet incompoſibilis peccato veniali, nec illud expelleret, & tamen adiuncto ſacramento, ex ordinatione diuina illud expellit. Nec enim fingi poteſt, quòd illa gratia, eò quòd per ſacramentum facta ſit, phyſicè ſit diuerſa, aut habeat aliquam entitatem, vel modum realem incompoſibilem natura ſua cum tali peccato veniali; hoc enim & intelligibile eſt, & ex eò clarè falſum oſtenditur, quòd poſt talem gratiam comparatam, poteſt homo committere ſimile peccatum veniale, & poſtea manere in reatu talis peccati venialisſimul cum illa gratia: ergo non habent repugnantiam connaturalem inter ſe, ergo nec illa gratia habebat illam cum priori peccato veniali, nam eiuſdem rationis ſunt, & quòd præceſſerit vel ſequatur, impertinens eſt ad repugnantiam formalem. Vt ergo Deus remittat peccatũ non ſemper neceſſe eſt vt infundat, vel donet formã realem & phyſicam incompoſibilem ex natura rei cum peccato. Quòd ſi in peccato veniali hoc verum eſt, erit etiam in mortali, quia nullo maior implicatio contradictionis excogitari poteſt.

Probatur in remiſſione venialiũ per ſacramentũ.

8. Ordinatio diuina adiũgi debet præ dicto actui.

Ex his ergo colligitur, ad fundandam ſententiam poſitam, vt poſſit Deus remittere peccatum medio actu ſine infuſione habitus, neceſſario addendum eſſe, ordinationem aliquam diuinam adiungi poſſe actui, ratione cuius quaſi eleuetur ad deſtruendum tale peccatum, ſicut nunc dicebamus de gratia Baptiſmi, quæ ex ordinatione diuina expellit omnẽ culpam venialem, etiamſi aliàs natura ſua non ſit incõpoſibilis illi. Hæc autem ordinatio nihil aliud eſt, quàm voluntas abſoluta, qua vult Deus, vt poſito tali actu habente qualemcunque repugnantiam cum priori peccato, expellat reatum ab illo relictum. In hoc enim non includitur repugnantia, vel implicatio contradictionis, quæ aſſignari poſſit. Quod ampliùs explicatur, ſupponendo aliam opinionem ſatis communem, ſcilicet de potentia abſoluta poſſe Deũ conſeruare qualitatem illam, quæ eſt gratia, in homine peccante mortaliter, quia nihil eſt quod cogat Deum ad deſtruendam illam qualitatem: cur enim cogetur ſuſpendere influxum, quo illàm conſeruat? Certè ex parte omnipotentiæ non poteſt reddi ratio, nec etiam ex parte bonitatis, vel iuſtitiæ, quia in hoc Deus nihil ageret contra bonitatem ſuam, vel iuſtitiam. Nec etiam in tali obiecto inuenitur contradictio, quæ omnipotẽtiæ repugnet, quia licèt per peccatum fiat quis indignus gratia: tamen Deus poteſt conferre ſuum beneficium indigno, & è conuerſo licèt gratia natura ſua habeat facere hominẽ gratum, & expellere peccatum; Deus tamen poteſt non cooperari huic expulſioni, & permittere vt ille effectus gratiæ impediatur per ſuperueniens peccatum. Sed de hoc amplius in 1.2. quæſtione 110. articulo quarto, vbi moderni expoſitores citati hanc ſententiam amplectuntur, vt communiorem, & veriſimiliorem. Ex illa autem apertè ſequitur, quòd licèt gratia infuſa peccatori natura ſua habeat peccatum expellere, non tamen ſine aliqua cooperatione, ſeu cõdonatione Dei, quàm poteſt Deus non conferre, etiamſi det habitum gratiæ, nam ſi poteſt hoc modo conſeruare gratiam in homine actu peccante, ergo & dare illam eodem modo ei, qui iam peccauit, & in eo ſtatu durat, eſt enim eadem in vtroque ratio. Vnde tandem concluditur & habituale peccatum poſſe in homine formaliter manere ſine priuatione qualitatis gratiæ, vt patet in priori caſu, & remiſſionem peccati poſſe formaliter intelligi ſine infuſione habitus gratiæ, ſi Deus velit eſſe contentus alia minori mutatione voluntatis ad illam remiſſionem faciendam: ſic enim illa remiſſio, quæ nunc adiungitur gratiæ vt connaturalis illi, poſſet adiungi alicui actui gratiæ, iuxta beneplacitum Dei, etiamſi non eſſet ita connaturalis illi.

Gratia poteſt manere in homine peccante mortaliter.

9. Peccatũ poteſt remitti homini exiſtenti in puris naturalib. per amorem Dei, vel cõtritionẽ naturalẽ ſine infuſione gratiæ. Victoria. Medina. Zumel.

Ex quibus etiam obiter concluditur, homini exiſtenti in puris naturalibus, & in eo ſtatu peccanti potuiſſe remitti peccatum, non ſolùm ſine infuſione habitualis gratiæ, verùm etiam ſine actu ſupernaturali, vel naturalem contritionem, vel amorem Dei, vel alium ſimilem actum ordinatum à Deo. Hæc fuit ſententia Victoriæ, vt noui expoſitores referunt, vt videre licet in Medina 1.2. quæſt. 113. art. 2. vbi tamẽ ipſe ab eo in hoc diſſentit, licèt ſuperiùs qu. 2. art. 8. & quæſt. 109. art. 2. eum ſequutus fuerit. Quam varietatem in ipſo notauit Zumel, ſequens Victoriam dict. quæſt. 113. artic. 2. Diſp. 2. Ratio eſt, quia Deus poteſt remit

remittere peccatum per solum actum peccatoris, vt extensum est: ergo in vnoquoque statu potest remittere per actum proportionatum illi statui. Nec enim verisimile est, in eo statu fuisse hominem incapacem remedij contra peccatum, nisi eleuaretur ad ordinem gratiæ, & supernaturalem.

10. Obiect. Sed aiunt, tali homini non potuisse remitti peccatum, nisi ex liberali beneuolentia & amore Dei; hic autem est amor supernaturalis, quia non est naturæ debitus: ergo necessariò debet efficere in tali homine aliquid supernaturale: quia amor Dei est efficax, & ideò semper habet aliquem proportionatum effectum, quia non supponit bonum, sed facit, nec ferri potest in bonum apparens, sed verum. Respondetur, Duobus modis potest amor dici supernaturalis, vel quia gratuitus, & nō debitus, vel quia habet pro obiecto aliquod supernaturale donum. Rursus hoc donum intelligi potest, vel positiuū, vel ablatiuū alicuius mali. Soluitur. Concedo igitur necessariam fuisse in eo statu beneuolentiam gratuitam Dei, quia homo nō haberet vires ad expellendum à se peccatum, nisi Deus gratis remitteret: & hoc sensu concedo etiam talem amorem dici posse supra debitum humanæ naturæ, & præsertim iam lapsæ: non verò esset talis amor supernaturalis ex obiecto positiuo, id est, eleuante hominem ad finem, dona, vel amicitiam supernaturalem. Et hoc sensu negatur consequentia, satis enim esset quod per illum amorem daretur homini rectitudo naturalis, modo gratuito, & supra omne debitum eius, & quòd simul ab illo expelleretur malum peccati, quatenus rationi, & naturali fini contrariam, Quod satis tunc esset, quia peccatum tunc commissum non esset directè contra finem supernaturalem, sed tantùm indirectè, ponendo obstaculum supernaturali rectitudini. Replica. Sed vrgeri adhuc potest, quia tunc non posset remissio fieri sine dilectione Dei super omnia, quæ sine gratia & charitate infusa haberi non potest. Enodatur. Respondeo primùm potuisse Deum peccatum remittere sine actu adeò perfecto ex maiori quadam liberalitate. Deinde potuisse tunc Deum acceptare, vt sufficientem dispositionem, dilectionem super omnia Dei vt est finis naturæ, qui actus nō est supernaturalis in sua substantia & entitate, sed differt in hoc ab actu charitatis infusę, & de hoc actu supernaturali præcipuè loquimur. An verò actus ille fieri possit sine speciali auxilio, nécne, alia quæstio est quę huc non spectat.

---

*Fundamentum contrariæ sententiæ diluitur.*

11. Priuatio gratiæ non est peccatum. AD fundamentum ergo contrariæ sententiæ in principio huius puncti propositum, respondetur primò, solùm probare peccatum commissum ab homine eleuato ad finem supernaturalem, non posse plenè remitti quoad omnia, quæ includit, sine infusione gratiæ habitualis, quod fatemur: non verò probare nō posse remitti alio modo minùs perfecto. Secundò, vt exactiùs fundamentum illud soluatur, suppono, priuationem gratiæ ita absolutè & nudè sumptam, non esse peccatum, sed aliquid illi addi oportere, vt rationem, vel denominationē habitualis peccati accipiat. D. Thom. Quod insinuauit D. Thomas 1.2. q. 86. art. 1. ad 3. dicens, maculam peccati esse priuationem nitoris animæ in ordine ad suam causam, quę est peccatum: itaque non priuatio gratiæ absolutè, sed sub tali respectu dicitur esse macula. Atque ita ibi exposuit Cōrad. & Soto in 4. vbi suprà. Conrad. Soto. Et patet, quia priuatio gratiæ per se & absolutè sumpta, potest fieri à Deo, & vt sic non est peccatum, nec macula peccati;

nam etiam non præcedente peccato fieri potest.

12. Quis sit respectus sub quo priuatio gratiæ dicatur peccatū, Prima opinio. Reiicitur. Quis autem respectus ille sit ad actum præcedentis peccati, sub quo ipsa priuatio gratiæ dicitur esse habituale peccatum, difficilè explicatur. Quidam dicunt, eo ipso quòd talis priuatio introducta est propter peccatum, habere rationem maculæ, & peccati habitualis, neque alium respectum requiri, nisi quòd hæc priuatio gratiæ respiciat illud peccatum vt causam. Sed profecto hoc aut falsum, aut diminutū est. Nam si hoc intelligatur de quolibet respectu causæ, falsum est: si de aliquo speciali, diminutum est. Hoc posterius per se constat, quia non explicatur quis esse debeat ille respectus causalitatis. Prius autem patet, quia alioqui sub eodem respectu, sub quo priuatio gratiæ est pœna talis peccati, esset etiam peccatum manens per modum habitus: hoc autem dici non potest, aliàs Deus, qui fecit illam priuationem vt pœnā peccati, faceret etiam illam vt maculam, & vt peccatum habituale, quod dici non potest. Prima sequela patet, quia priuatio illa, vt est pœna, non solùm est effectus Dei, Sed etiā ipsius peccati, sicut enim præmium est effectus non tantùm Dei, sed etiam meriti: ita pœna, vt sic, est effectus culpæ: ergo si illa priuatio habet rationem culpæ habitualis, & hoc præcisè quod est effectus culpæ actualis, ex eodem respectu habet quòd sit pœna, & quòd sit culpa: quia etiam non est pœna, nisi vt est effectus culpæ.

13. Secūdus explicandi modus. Aliter ergo dicitur, priuationem gratiæ vt voluntariam ex præcedenti actu esse culpam per modum habitus: sic enim priuatio iustitię originalis, quatenus idem erat cum gratia, vt est paruulo voluntaria voluntate sui capitis, est peccatum originale. Similis ergo priuatio, vt voluntaria propria voluntate per peccatum præcedens, erit peccatum habituale.

14. Obiectio cōtra illum. Contra hoc verò similiter obiici potest, quia etiā illa priuatio vt sic voluntaria, est pœna, ergo sub eodē respectu, sub quo est pœna, est etiam culpa, quod esse non potest. Antecedens patet, quia illa priuatio non est volūtaria, nisi remotè & in causa, quia nimirum culpa ipsa voluntaria est, propter quam Deus subtrahit gratiam: hoc autem modo etiam ipsa pœna, vt pœna, voluntaria est, quia remotè est volita in ipsa culpa. Solutio obiectionis, simúlque cōfirmatio secundæ sententiæ. Respōdetur, de ratione mali pœnæ vt sic, nō esse, quòd sit volūtarium ei, qui illud patitur: nā si consideretur tantùm vt malū quoddam, solùm dicit priuationem boni debiti, seu conuenientis: si verò consideretur vt pœna, sic quidem dicit respectum ad aliquid voluntarium tanquàm ad causam, scilicet, ad culpam; tamen formaliter non postulat quod sit voluntarium, nam si culpa committatur cum ignorantia inuincibili pœnæ, tunc pœna non est voluntaria vllo modo, & tamen veræ pœnæ rationem retinet. At verò malum culpæ intrinsecè, ac formaliter postulat voluntarium, ita vt, nec ratione mali moralis habeat, nisi voluntarium sit. Addo etiam, ad rationem pœnæ satis esse, quòd voluntarium circa culpam præcesserit, possęque pœnam durare etiamsi voluntariū illud iam nullum sit, sed tantùm fuerit, sicut patet in pœnis purgatorij, & similibus: at verò culpa quandiu est, semper requirit proportionatum voluntariū: si enim sit peccatum actuale, requirit actuale voluntarium; si verò sit culpa per modum habitus, necessarium etiā est, vt voluntarium quod fuit in actu, etiam durare censeatur per modum habitus, quia voluntarium est de intrinseca ratione mali culpæ.

15. Priuatio gratiæ potest in homine manere non habens rationē culpæ. Hoc ergo supposito, facilè intelligitur, licèt in homine maneat eadem carentia gratiæ habitualis, siue in ratione puræ negationis, siue etiam in ratione priuationis, fieri optimè posse, vt non maneat in ratione culpæ, quia fieri potest, vt non maneat voluntaria. Quod facilè patet, si prior culpa actualis perfectè re-

tracta est per detestationem eius Deo acceptam, & sufficientem secúdùm eius ordinationem; tunc enim, licèt ipse Deus non restitueret gratiam habitualem, carentia eius hîc, & nunc non esset homini voluntaria, nec actu, nec habitu, & ideò non haberet rationẽ culpæ in illo, & ita stare posset remissio culpæ cum tali carentia gratiæ. Quod patet etiã à contrario: quia posset vera ratio culpæ habitualis existere sine tali carentia gratiæ, quasi materiali, reali, & physica. Vt patet in casu suprà posito, in quo Deus conseruaret gratiam in homine mortaliter peccante, nam ille posteà verè maneret in peccato, etiamsi non haberet physicam priuationem gratiæ, quia satis est, quòd habeat malitiam peccati priùs commissi per modum habitus permanentem morali quodam modo: sic ergo posset etiam esse remissio illius culpæ, etiamsi de nouo gratia habitualis illi homini non infunderetur, quia si supponitur illam habere, nõ est denuò necessaria, nec etiam intensio gratiæ esset necessaria ad remissionem peccati: ergo etiamsi supponatur subtractio gratiæ, potest remitti id, quod est quasi formale in illo peccato, licèt priuatio physica gratiæ non auferatur.

16. Tertius explicãdi modus. Aliter etiam hoc explicatur, quia carentia gratiæ dupliciter potest homini inesse: primò, per modum puræ priuationis: secundò, per modũ contrarij. Priori modo intelligitur esse, si tantùm faciat hominem non gratum Deo, non tamen reddat ingratum & inuisum: vt si Deus (iuxta opinionem aliquorũ) creasset angelos sine gratia, fuissent pro tunc non grati: non tamen essent ingrati, & hoc modo carentia gratiæ non habet rationem culpæ. Posteriori autem modo potest esse illa carentia in homine reddens illum ingratum & inuisum Deo, & tunc dicimus, non solùm esse per modum priuationis, sed etiam per modum contrarij: habet autem hoc quatenus ipse homo voluntate sua se auertens à Deo, seipsum priuat gratia, & reddit moraliter incapacem eius, & vt sic habet talis priuatio rationem culpæ. Posita ergo in homine post peccatum aliqua cõuersione actuali, potest manere illa carentia sub priori ratione, & non sub posteriori. Vnde iam tunc illa carentia gratiæ sic manens, non est obiectum diuini odij, sicut in exemplo adducto de Angelis constat, sed est tantùm obiectum carentiæ amoris cuiusdam.

17. Addo denique verè etiam dici posse, talem hominem ex tunc non carere gratia propter peccatũ præcedens, sed ex libera Dei voluntate, qui nõ vult illam donare, supposita enim hominis conuersione, remissione diuina, iam non maneret ex parte hominis positiua ratio propter quam subtraheretur illi gratia. Sicut verbi gratia, si Deus iustificaret hominem à peccato per infusionem gratiæ, & posteà illũ gratia priuaret sola sua voluntate, illa priuatio nec esset culpa, nec esset propter priorem culpam iam remissam, sed solùm quia Deus ita vult. Ergo simili modo sine hac temporis, & rerum successione potest Deus in eodẽ instanti in quo culpam remittit homini bene disposito, non infundere gratiam, iam non propter culpam, sed propter suam voluntatem.

18. Obiect. Dices, cùm illa priuatio gratiæ propter culpam introducta fuerit, quandiu cõtinuè & sine interruptione durat, habet necessariò eũdem respectum ad culpam: nã peccatum actuale iam præteriit: ergo si propter illud priuatus fuit homo gratia, quandiu priuatus manet, propter illud priuatus manet. Hæc verò consequentia nulla est, quia sicut forma fieri potest ex vna causa, & conseruari sine illa per aliam causam, ita etiam priuatio. Vnde solum sequitur, hunc hominem priuatum fuisse gratia propter peccatum, non tamen nunc esse, quia iã non habet peccatum, quod gratiam impediat: diuina tamen voluntate potest non restitui in gratiam. Præterquàm quòd, licèt daremus illam priuationem manere in pœnam peccati præteriti, non sequeretur manere in ratione culpæ, quia secundùm præsentem statum iam voluntaria non est, vt dixi.

Solutio.

## SECTIO IIII.

### *An possit peccatum remitti sine physica mutatione peccatoris.*

1. IAM verò supereſt vltima dubitatio, vtrùm hæc culpæ remissio fieri possit sine infusione habitus, atque etiam sine physica mutatione peccatoris per aliquem actum. Supponitur autem peccator iam cessasse ab actuali peccato, quandiu enim illud actu committitur, certum est non posse destrui, fit enim sensus compositus, in quo est aperta impossibilitas. In hac ergo re sunt etiam oppositæ Theologorum sentẽtiæ. Nam quòd sit necessaria mutatio, tenent in primis omnes, qui vel actum definitè: vel habitum requirunt. Quod verò saltem disiunctim requiratur actualis, vel habitualis mutatio, tenent moderni expositores D. Thomæ suprà citati in 1.2.q.113. artic.2. Ex D. Thoma verò nihil afferunt, quo id probent, quia nullibi amplius dicit, quã quod in superiori puncto citatum, & explicatum est cum antiquis Thomistis. Quamuis autẽ ipsi plura argumenta pro hac sententia congerant, duo videntur præcipua, & quæ in ore omnium versantur. Vnũ est metaphysicum, quia non potest homo transire à statu peccati ad statum munditiæ, seu carentię peccati sine alicuius personæ mutatione: sed nõ potest id fieri per mutationem Dei, vt per se constat, ergo per mutationem peccatoris: ergo, vt tollatur ab homine peccatũ, necessaria est aliqua mutatio realis eius. Confirmatur ac declaratur, quia auersio tolli non potest nisi per conuersionem; conuersio autem non potest intelligi sine mutatione actuali vel habituali. Cõfirmatur secundò, quia non potest peccatum remitti à Deo, nisi deponat odium, & diligere incipiat, quem odio habebat: hæc autem dilectio terminari debet ad obiectum reuerà, & non tantùm apparenter bonum: ergo necesse est, vt ille qui erat malus, fiat bonus, quod sine mutatione intelligi non potest. Prima sententia.

2. Secunda ratio concernit aliquo modo dogmata fidei: quia si peccatum posset illo modo remitti per solam non imputationem Dei remitteretur, quia ibi solùm interueniret extrinseca condonatio, quæ idem est quod nõ imputatio. Consequens autẽ est falsum: primò, quia aliàs peccatum habituale solũ diceretur esse in homine, quia à Deo imputetur, quia oppositorum eadem est ratio. Cõsequens autem falsum est, sic enim incidimus in opinionem Scoti dicentis, esse in peccato, solùm esse ordinari à Deo ad pœnam ratione præteriti peccati; nã imputatio Dei nihil aliud esse potest, quàm hæc ordinatio. Secundò quia aliàs etiam nunc remissio peccati fieret per hanc non imputationem: renouatio autem interior solùm concomitanter se haberet, quod nullo modo dicendũ videtur: quia per hoc fauetur hęreticis huius temporis. Sequela verò patet, quia id, quod immediatè ac per se destruit id, quod est formale in peccato, est hæc remissio Dei extrinseca, quia illa posita tollitur id, quod habet rationem culpæ, etiamsi cetera non ponantur, & illa non posita, non tollitur propria ratio culpæ, etiamsi cætera ponantur.

Pec

*Peccatum remitti posse sine Physica mutatione peccatoris. Vera sententia.*

3. Scot. Gabr. Ocham. Medin. Bonau.

CONTRARIAM sententiam docent Scot. Gabr. Ocham, & Medina locis suprà citatis. Ité Scot. in 4. distinct. 1. quæst. 6. & in 2. dist. 28. & sæpe alias. Eandem significat Bonau. in 4. dist. 17. art. 1. q. 1. ait enim, licèt Deus potuerit peccatum remittere sine medio, tunc autem non tollere illud, nisi per infusionem gratiæ: & in solut. ad vlt. declarat, gratiam aliquando pro actu, aliquādo pro habitu sumi: significat ergo sine vtroque medio posse Deum culpam remittere: idem tenet expressè Gerson 3. part. Alphab. 61. lit. D. coroll. 9. in lect. 1. de Vita spirit. Idem tenet Henric. libr. 4. Summæ cap. 30. & planè idem sentit Bellarm. suprà, nam prius negat actum pertinere ad causam formalem iustificationis, Deinde ait, Deum volūtate sua sine infusione habitus posse facere peccatorem non inimicum. Denique Zumel dict. quæst. 118. artic. 2. disp. 2. licèt priorem opinionem censeat probabiliorem, hanc iudicat probabilem, & soluit omnia argumenta contra illam. Omisso fundamento Scoti, quod meritò ab omnibus rectè sentientibus reiicitur, fundamentum huius opinionis esse debet, quia in hoc modo remittendi peccatum, nulla est implicatio contradictionis. Hoc autem dupliciter ostēdi potest, primò directè & positiuè, secundò soluendo quæ afferuntur.

Gerson. Henric. Bellarm. Zumel.

4. Ratione ostēditur.

Ratio ergo ostensiua sumenda est ex duobus punctis præcedentibus. Nam Deus potest remittere peccatum sine actibus peccatoris, seu absque mutatione, quæ per illos fiat, potest etiam, sine infusione habituum, ergo potest sine vtrisque. Probatur consequētia primò, quia quoties remittit Deus peccatum mediis actibus, illi actus non concurrunt, nisi vt dispositio cōgrua, destructio autem peccati non fit per eos formaliter: sed quod Deus facit mediante dispositione, potest facere sine illa, ergo potest illammet remissionem facere sine actu: ergo si facit talem remissionē sine habitu, potest etiam facere sine actu, & habitu. Confirmatur, quia suprà ostensum est, & ex illis duobus principiis suprà positis sequitur posse Deum remittere peccatum, non infundendo aliquam formam intrinsecam incompossibilem peccato ex natura rei: ergo quidquid præter hanc formam aliquando intercedit non est ita necessarium, quin absque illo possit peccatum tolli, quia solam causam formalem adæquatam, vel materialem intrinsecam nō potest Deus supplere, reliquas omnes causas dispositiuas, vel efficientes supplere potest.

5. Secundò, quia peccatum postquàm transit actu, & manet reatu, nō relinquit in anima aliquid reale positiuum illi inhærēs, vt est certum apud omnes; & ex hac parte expelli potest sine mutatione physica corruptiua, seu expulsiua alicuius formæ positiuæ. Rursus, nec relinquit in anima priuationem aliquā physicam præter priuationē gratiæ: ostensum autē est posse tolli sine infusione gratiæ habitualis, cui illa priuatio directè opponitur: ergo poterit etiam expelli sine infusione cuiuscunque alterius formæ. Patet hæc vltima consequentia, quia omne aliud, quod in peccatore manet, est solùm quid morale, vel respectus ad præcedens peccatum: ergo ad hæc tollenda non est necessaria forma physica, sed remissio moralis sufficiet. Confirmatur, ac declaratur ex dictis: nam Deus potest infundere habitus gratię peccatori dormienti, vel amenti, & ita ab illo expellere peccatum. Rursus deinde posset illum priuare habitu gratiæ, & tunc maneret sine peccato, & sine gratia, & sine vllo actu tetractatiuo peccati, quem post illud commissum habuerit: ergo hic status absolutè est possibilis post peccatum cōmissum: ergo potest Deus restituere hominem ad illum statum sine infusione, & corruptione gratiæ: nam si res in facto esse est absolutè possibilis. omnipotentia Dei non pendet ex illis transmutationibus, neque ex vlla ratione ita ligandi illam.

6. Idē ostendi tur examinā do contradi ctionem.

Secundò principaliter hoc ostenditur examinando contradictionem, quæ in hoc negotio excogitari potest. Et quidem illa prior de mutatione numquam me multum mouere potuit, quia optimè, & sine difficultate intelligo, Deum sine vlla sui mutatione posse efficere hanc moralem mutationē in homine, licèt non faciat physicam, eámque sufficere vt homo, qui anteà erat in peccato: nunc non sit, neque illam denominationem accipiat. Sicut enim homo remittendo alteri offensam, vel debitum, facit vt ille, qui antea erat illi offensus, vel debitor, iam non sit, sine mutatione physica eius, cui fit remissio, ita videtur posse facere Deus. Hac interueniente differentia, quòd homo, vt remittat alteri, habet nouum actum voluntatis, quo mutatur: Deus autem sine sui mutatione potest ex æternitate habere decretum seu determinationem suæ volūtatis pro tali tempore. Quidquid enim potest humana voluntas rectè velle per plures actus, & mutationem eorū, potest voluntas diuina excellētiori modo velle ex æternitate simplicissimo actu, cū respectu, vel determinatione libera (quidquid illa sit) ad diuersa tempora. Potuit ergo pro tali tēpore velle permittere statum peccati in tali persona, & pro alio remittere offensam. Nam reuerà ex parte mutationis nulla potest in hoc excogitari implicatio, quia, vt hæ duæ prædicationes de eodem homine veræ sint, scilicet esse in peccato, & non esse in peccato, satis est pro diuersis temporibus verificati. Et hoc sensu dixerunt Gerson, Gabriel, & alij, ad hoc sufficere temporis successionem, scilicet, quoad mutationem physicam. Nam in ipso peccatore fit etiam quædam mutatio moralis (vt dixit Scot. in loco suprà citato ex 4. dist. 1. quæstione 6.) quæ sufficit ad veritatem illarum enunciationum, quia effectus ille tantùm moralis est. Et declaratur à simili, nā omnes ferè Auctores concedunt, posse Deum remittere pœnam sola sua voluntate, sine vlla mutatione physica peccatoris, & sine mutatione Dei.

Gerson. Gabriel. Scotus.

7. Dubiolum de remissione pœnæ sol uitur.

Dicunt verò aliqui, posse Deum hoc facere, si à principio quando homo peccat, pœnam remittat, non tamen si à principio obligauit illum ad pœnam: tunc enim aiunt, non posse posteà remittere sine suæ voluntatis mutatione. Quod quidem esset verum, si Deus à principio ordinasset peccatorem ad pœnam irremissibiliter, seu absolutè pro toto tempore futuro, & sine vlla subintellecta conditione, nam tunc voluntas remittendi esset contraria: vnde ex illa hypothesi, etiam facta in homine mutatione, haberi non posset. At verò reatus seu obligatio ad pœnam non semper est huiusmodi, sed solùm secundùm præsentem iustitiam, vel sub cōditione aliqua. Nisi respueris, vel nisi alius pro te orauerit, vel aliquid eiusmodi. Sic ergo potuit Deus ex æternitate velle vt peccator dum peccat, & pro tali tempore sit debitor pœnæ, ita vt si in eo tēpore decedat, ex vi illius decreti puniatur, & tamen simul velle, vt pro alio tempore iam nō sit debitor pœnæ. Addo, in reatu pœnæ temporalis contingere posse de facto, vt sine mutatione peccatoris remittatur illi reatus talis pœnæ, quanuis de lege ordinaria hoc non fiat sine mutatione, saltem in alio facta: verbi gratia, sine oratione alterius, vel ieiunio ab alio ablato, aut quid simile. Hæc verò mutatio parū refert ad rem de qua agimus, quia illa non est obiectum illius actus voluntatis diuinæ, quo remittitur reatus pœnæ, sed est ratio illius: remissio autem

tem fit ſine phyſica mutatione Dei, aut peccatoris. Vnde, quantùm eſt ex hac parte, poſſet etiam Deus illam facere ſine illa oratione, vel mutatione alterius perſonæ, ſed merè liberaliter ex ſola ſua voluntate. Quo argumento non vtimur, ſicut Scotus, exiſtimãtes hãc ſolam remiſſionem ſufficere ad remiſſionem peccati quoad culpam; ſed ſolùm vt explicemus à ſimili, ex vi mutationis hoc non repugnare.

8. Idẽ ex obligatione voti confirmatur.

Eodem modo afferri poſſunt alia exempla moralia, nam homini habenti debitum voti poteſt Deus illud remittere ſola ſua voluntate, & tunc fiet ex debitore non debitor, pro diuerſis temporibus, per voluntatem Dei, cuius decretum pro tali tempore æternum fuit: ideóque habere poteſt effectum in tempore ſine mutatione Dei, & ſine mutatione phyſica hominis, cum ſola morali, quia eſſe debitorem ex voto, ſolùm quid morale eſt. Dicunt quidam, neceſſarium eſſe, vt Deus reuelet tali homini illam voluntatẽ ſuã, quod non fit ſine mutatione phyſica hominis. Sed hoc non refert, tum quia illa reuelatio non tollit debitum, ſed ſupponit ablatum; nec enim eſt neceſſaria per ſe, vt tollatur debitum, cùm diuina voluntas per ſeſe ſit potens ad hoc faciendum, non expectato cõſenſu, vel acceptatione hominis: non eſt ergo illa reuelatio per ſe ad hoc neceſſaria, ſed ſolùm, ne homo ex conſcientia erronea adhuc putet ſe debitorem. Tum etiam, quit illa mutatio reuelationis non fit per voluntatem remittendi promiſſum vt ſic, ſed per nouum actũ diuinæ voluntatis noſtro modo intelligẽdi: ergo ſiſtendo præcisè in priori actu, ille habetur ſine mutatione Dei, vel hominis, & cùm ſit efficax, ſuum effectum haber. Denique ſi in præſenti quippiam ſimile concedatur, id eſt quod hæc ſententia intendit, nimirum, ad remittendum peccatum ſufficere voluntatem diuinam ſine mutatione phyſica peccatoris, qua formaliter deſtruatur peccatum, licèt requiratur aliqua reuelatio, vel noua notitia, qua tali homini conſtet ſe eſſe liberum à vinculo peccati, ne ex conſcientia erronea, adhuc putet ſe eſſe in peccato. Quæ reuelatio non erit neceſſaria ſi fingamus peccatorem incidiſſe in amentiam perpetuam, & Deum velle illi remittere peccatum, nullam aliam intrinſecam gratiã illi concedendo, quia neq; ille eſſet capax talis reuelationis, neque illa eſſet in eo vtilis ad aliquem effectum moralem, vt ad tollendam conſcientiam erroneam, vel mores in futurum inſtituendos, quia ille ſupponitur eſſe abſque vſu rationis.

Obiectioni occurritur.

9.

Atque hoc exemplum facit aliquid ad confirmationem huius ſententiæ. Cur enim non poterit Deus ex æternitate ſua velle remittere peccatum ei, quem præuidet pro tali tempore futurum perpetuò amentem? Dices, poſſe quidem, ſed infundẽdo illi gratiam ſuam. Sed contrà, quia hoc eſt quaſi duplicatum beneficium, cur ergo non poteſt facere vnum, & non aliud? vel certè, quidquid ſit ex alio capite, ſaltẽ ex vi immutabilitatis non repugnat. Adde, Sotum, & alios Auctores ad hoc non requirere gratiam in eſſe qualitatis, ſed in eſſe gratiæ (vt ipſi loquuntur) illa autem gratia non ponit mutationem phyſicam in creatura, ſed extrinſecam acceptationem, vel fauorem: ergo, ſi Deus hoc poteſt facere ſine ſui mutatione, & ſine actione phyſica circa hominem poterit etiã aliud.

10. Ex remiſſione per attritionem contradictio eluditur.

Deinde ſupràoſtenſum eſt, poſſe Deum tollere ab homine peccatum, per ſolum actum attritionis, ſine alio habitu infuſo, ergo, ſi hoc poteſt facere ſimul in eodem inſtanti in quo homo habet attritionem, poterit etiam non in eodem inſtanti facere, ſed poſteà quando iam homo dormit, ſeu amens eſt: ſicut Baptiſmus confert gratiã homini attrito, non ſolùm ſi recipiatur durante actu attritionis; ſed etiam ſi poſt talem actum detur ſacramentum homini dormienti. In priori ergo caſu, in quo Deus homini dormiẽti priùs attritio remittat peccatum ſine infuſione habituum, non fieret in tali homine noua mutatio phyſica, quia hæc iam præceſſit, & ipſe adhuc in peccato manſit: & nihilominùs illi poteſt remitti peccatum ex vi æterni decreti, quo Deus ſtatuit remittere peccatum homini attrito, non tamen ſtatim, ſed poſt annum, verbi gratia, ſi ſuperuixerit, quæ enim eſt in hoc implicatio? Ergo eadem ratione poſſet id facere ſine interuentu attritionis per ſimile decretum de ſola temporis ſucceſſione, vel alia extrinſeca conditione, ſi alter rogauerit, vel alia ſimili: ergo ex vi immutabilitatis hoc non repugnat.

11. Contradictio ex parte effectus refellitur.

Altera implicatio ſumi videbatur ex parte effectus, qui non apparet factibilis ſine forma poſitiua, quia auerſio tolli non poteſt, niſi per conuerſionem. Sed hoc argumentum ſolùm videtur conuincere, perfectam peccati remiſſionem, quoad omnia damna, quę nunc infert, non poſſe fieri ſine phyſica mutatione peccatoris, quod veriſſimum eſt, vt patet ex dictis in puncto præcedenti. Talis enim homo priuauit ſe peccando vera & ſupernaturali conuerſione ad Deũ: vnde donec illam obtineat, non liberatur omninò à damno, quod peccatum intulit: non poteſt autem iterum illam comparare ſine mutatione phyſica. Non tamen videtur probare ratio illa de remiſſione imperfecta, quæ tamen ſufficiat, vt homo iam non ſit inimicus, nec in ſtatu peccati. Nam ad hoc non videtur neceſſarium, vt qui per peccatũ fuit auerſus, conuerſus fiat, ſed ſatis eſt, vt fiat non auerſus: poteſt autem fieri non auerſus, etiamſi non fiat conuerſus; ſicut poteſt fieri non inimicus, etiamſi nõ fiat amicus. Nam formaliter ac præcisè loquendo, deſtructio formę, non ſemper requirit cauſam formalem contrariã, ſed tantùm carentiam talis formæ.

12.

Quia verò in forma priuatiua videri hoc poteſt difficilè; ideò, ſicut ſuprà dicebamus de priuatione gratiæ, ita nunc de auerſione dicitur intelligi poſſe per modum formæ contrariæ, vel ſolius priuationis. Per peccatum enim fit homo auerſus quaſi cõtrariè, quia voluntate ſua ſe auertit, id eſt; ſe priuat debita conuerſione in Deum, & ideò manet odioſus Deo, & inuiſus: & quandiu hæc auerſio ſub hac ratione durat, impoſſibile eſt tolli peccatum. Fieri autem poteſt, vt abſque conuerſione poſitiuè oppoſita tollatur illa auerſio, vt moraliter eſt contraria conuerſioni, maneatque in homine illa carentia conuerſionis: vel in ratione puræ negationis, vt ſi Deus remittat homini priorem offenſionem, ſimulque tollat illi debitum habendi talem conuerſionem, reducẽdo illam ad ſtatum purorum naturalium, vt Scotus argumentatur. Vel etiam relicto hoc debito, & ordine ad finem ſupernaturalem, poteſt fieri, vt maneat illa carentia cõuerſionis in ratione puræ priuationis phyſicæ, & non in ratione moralis auerſionis, hæc enim includit rationem iniuriæ, quæ per remiſſionem perſonæ offenſæ tollitur, & ea ſublata non manet fundamentũ inimicitiæ, nec obiectum illud manet ex ſe odioſum, vel inuiſum, etiamſi non maneat gratum, vel amicum. Quod confirmat exemplum humanum, quia hoc modo poteſt vnus homo remittere offenſam alteri, etiamſi illum non recipiat in amicitiam ſuam, vel bonum aliquod ei communicet. Nam licèt in hoc efficacior ſit voluntas diuina, quàm humana, tamen non cogitur ſuam efficacitatem exercere; ſed poteſt id præcisè velle quoad remiſſionem iniuriæ, & ad inimicitiam tollendam neceſſarium eſt, nihilque ampliùs: poteſt ergo velle tantùm remittere culpam.

13. Secunda

Ex quibus patet etiam ſolutio ad ſecundam confirmationem alterius opinionis. Iam enim declaratũ

vide

confirmatio contrariæ opinionis eluditur.

videtur,posse Deum deponere odium erga peccatũ, etiamsi qualitatem aliquam, vel actionem illi non conferat. Quoad dilectionem verò distinguendum est. Quia non solùm est dilectio voluntas conferendi bonum,sed etiam auferendi malum aliquod,quia carere malo inter bona computatur, quæ meritò diligi, & desiderari possunt. Vt ergo Deus remittat peccatũ, necesse est vt diligat,tamen de potentia absoluta non est necessarium vt diligat positiuè conferendo bonũ, sed satis est vt diligat auferendo malum. Hoc autem modo reuerà diligit in dicto casu:aufert enim peccatum,quod est maximum malum,& hoc bonum confert tali obiecto per illam dilectionem; & ita fertur non in obiectum apparens, sed in verum obiectum proportionatum tali amori,id est, in obiectum verè carens malo illo, licèt non habeat specialem bonitatem positiuam. Et hæc est mutatio moralis, quæ fit in tali obiecto,dum ex peccatore fit non peccator, nec est necessaria alia mutatio positiua.

14. Replica.

Sed instabit aliquis, quia homo transacto actuali peccato denominatur peccator, vel ab eodem actuali peccato non retractato,neque actu,neque habitu,vel ex carentia gratiæ,vt relata ad illũ actum, & voluntaria per illum: sed non potest Deus hanc denominationem auferre per solam suam voluntatem: ergo nõ potest auferre peccatum,quandiu enim verum est dicere hominem esse peccatorem, non est ab illo peccatum ablatum. Non enim dicitur peccator solùm quia peccauit: hoc enim modo etiam homines iam iusti effecti, possunt peccatores denominari, id est peccasse, quam denominationem Deus auferre non potest, neque sua voluntate sola, neque vllo modo, nam *mundans non facit innocentem*: sed dicitur peccator, quia adhuc verè est in peccato per maculam, & auersionem à Deo, quæ in eo manet per modum habitus,quandiu à Deo non expellitur. Et in hoc sensu probatur minor, scilicet,hanc denominationem non posse auferri per solam Dei voluntatem, quia fundamentum eius,quod est peccatum præteritum, & non retractatum actu,nec habitu,integrum manet, & carentia gratiæ semper manet æquè volũtaria, quia esse voluntarium pendet ex proprio actu, non ex Dei voluntate.

I Solutio.

Respondetur, negando fundamentum huius denominationis esse peccatum non retractatum, sed peccatum non remissum, vt expresè dixit August.d. lib.1.de Neoph.cap.26. Imò quamtumuis peccatum esset retractatũ etiã per contritionem, si Deus nollet illud remittere(vt facere posset,cum hoc sit distinctũ beneficium) adhuc peccatũ commissum esset fundamentum sufficiens illius denominationis: ergo quod propriè:ac per se requiritur est,vt sit remissum: nam per hoc iam non est moraliter præsens, sed omninò præteritũ, & ita iam non denominabit esse peccatorem,sed peccauisse. Et eadem ratione carentia gratiæ in tali homine manens, iam non maneret voluntaria secundùm præsentem statum, quod necessarium est ad rationem culpæ,vt suprà declaratum est.

August.

A B C D E

---

## *Peccatum an tollatur per solam non imputationem Dei.*

15. STATIM verò suboritur vltima difficultas suprà posita in priori sententia, quia sequitur sufficienter tolli posse peccatum per solam non imputationem Dei, quia hæc remissio nihil aliud est, quàm non imputatio. Ex quo sequuntur duo incommoda. Vnum est,esse in peccato nihil aliud esse, quàm imputari à Deo,quia cõtrariorum eadem est ratio. Aliud est, peccatum auferri per non imputationem, atque adeò iustificati onem peccatoris fieri per non imputationem. Nec satisfaciet qui dixerit, id non esse inconueniens in casu possibili, sed solù m de facto: hoc (inquam)non satisfacit,quia quod attinet ad formale peccati,eadem ratio est de quocunque statu, & ita si in aliquo statu id sequitur,& admittitur,concedendũ est, peccatum habituale secundùm se,& abstrahendo ab omni statu,consistere in Dei imputatione, & tolli per non imputationem:quod est absurdum,& contra modum loquendi Sanctorũ,fauetque modo loquendi hæreticorum huius temporis.

16. Verbũ imputandi,dupliciter sumitur.

Respondetur,nihil horum sequi etiam apparenter. Et in primis circa verbum *imputandi* aduertendum est,aliquando excludere veritatem rei,aliquando verò illam supponere. Priori modo dicitur imputari alicui, quod in eo verè non est, sed ei attribuitur aliquo modo,quomodo videtur dixisse Paul.ad Philem. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, mihi imputa*, quasi diceret,ego in me suscipio, Hispanicè, *Poneldo ami cuenta*. Et sic aiunt hæretici, nos reputari iustos per Christi,vel Dei iustitiam nobis imputatã. Posteriori autem modo,seu ex rei veritate, imputari dicitur alicui,quod ipse verè habet, seu commisit, & sic dicimus imputari alicui nocumentum,quod eius negligentia illatum est, cùm illud impedire teneretur, quia nimirũ verè est culpabilis in eo casu. E contrario verò dicitur, priori modo non imputari, quod licèt sit, dissimulatur, & non punitur,vel non agnoscitur: quomodo multi intelligunt illud ad Rom.5. *Vsque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*, id est, non agnoscebatur, pro nihilo habeatur. Posteriori autem modo dicitur aliquid non imputari,quia verè nõ est,seu commissum non est:sic dicimus nocumentum non imputari ei,qui inuincibiliter ignorauit, Sic etiam sumitur Ezech.33.cùm dicitur, *Si dixero impio, Morte morieris,& egerit pœnitentiam,omnia peccata eius,quæ peccauit, non imputabuntur ei,vita viuet,&c.*

Paul.ad Philem. ad Ro.5. Ezech.

17. Hæreticorũ error primus.

Hæretici ergo huius temporis in duobus errarunt in hac materia. Vnum est, remissionem peccatorum non esse veram abolitionem & destructionem eorũ: & in hoc sensu dicunt esse non imputationem, quia licèt verè peccata in homine iustificato maneãt,Deus tamen illa non punit,& ita se gerit cum homine, ac si peccatum non esset. Ita refert Bellarm. lib. secundo de Iustif.cap.9.& attigit Genebr. Psalm. 31. circa id, *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*. Hic autem sensus hæreticus est, vt constat ex citato loco Ezech.*Vita viuet & non morietur*, & cap. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est,viuet*,& infrà,*Ipse animam suam viuificabit,&c.* Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Psalm. 50. *Super niuem dealbabor*. In hoc autem sensu nullo modo inferri potest ex sententia Scoti,aut Bonau. peccatum auferri per talem nõ imputationem,non solùm de facto, quod euidens est, verùm nec etiam in illo casu de possibili. Quia non ponunt remissionem illam consistere in tali non imputatione,sed in vera destructione & remissione peccati, quia illa remissio fieret per voluntatem Dei absolutam & efficacem ad remittendam offensam: remissio autem vera non dissimulat, sed reuerà tollit debitum,vel iniuriam, quæ ex parte offendentis remanebat.

Bellarm. Genebr. Ezech. Isai. Psal.50.

18. Secũdus hęreticorũ error refutatur.

Alius error hæreticorum est,iustificationem peccatoris nunc fieri per solam remissionem peccatorum sine iustitia inhærente, propter solam Christi iustitiam nobis imputatam. Quæ sententia, etiamsi intelligatur(quod ipsi non intelligunt(de vera remissione & abolitione peccati, est hæretica propter exclusiuam. Quod definit Trident.sess.6. can.11. dicens, *Si quis*

Conc. Trid

*quis dixerit, hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque in illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.* Quibus verbis expresè dānatur ille error, quantùm ad eam partem, per quam excludit à iustificatione inhærentem iustitiam. Duo autem in illa definitione obseruanda sunt. Primum est, si quis fateatur, ad iustificationem peccatoris necessariam in primis esse iustitiam inhærentem, non tamen solam, sed simul cum remissione peccatorum, non conuenire cum hæreticis huius temporis, nec aliquid dicere contra Concilium, imò non paruum fundamentum habere in ipso Concilio. Dum enim ait, *vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate* planè indicat qui dixerit iustificationem fieri per remissionem peccatorem, & infusionem gratiæ & charitatis inhærentis, rectè dicere, & à sua doctrina nō deuiare. Vnde in cap. 7. sic docuerat idem Concilium, *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, &c.* Vbi videtur Concilium, & illa duo tanquàm distincta ponere, scilicet remissionem peccatorum, & internam renouationem, & docere vtramque in iustificatione includi. Et hoc secundum, ex multis Patribus confirmat etiam Bellarm. lib. de Iustific. cap. 6. & 8. Nec verò nunc disputo, an illa duo sola ratione, vel etiam in re ipsa distinguantur: illud solùm asserò, Concilium de hoc nihil asseruisse, nec ad eius definitionem alterutram partem illarum spectare: licèt fortasse verius sit illa duo tantùm ratione distingui.

Duo obseruanda circa definitionē Concilij.

Conc. Trid.

Bellarm.

19. Secundum notandum circa Cōcilium.

Alterum obseruandum circa Cōcilium est, ipsum loqui de lege ordinaria, & de iustificatione peccatoris, & remissione peccati, qualis nunc fit: non verò de potentia absoluta, qui hoc non spectabat ad doctrinam fidei. Vnde sicut can. 9. definit, ad remissionem peccati obtinendam, necessariam esse præparationem voluntatis per proprium illius motum, & tamē illud intelligitur de lege ordinaria, non de potentia absoluta: ita cùm posteà dicit, necessariam esse iustitiam inhærentem: eodem modo intelligendum est. Vnde Soto, & alij recentiores Thomistæ sæpe citati docēt, de potentia absoluta posse iustificationem fieri per extrinsecum fauorem, & per gratiam in esse gratiæ (vt ipsi aiunt (sine donis infusis & inhęrētibus, in quo certum est non repugnare Concilio, quidquid sit de sententiæ veritate. Sic igitur, licèt quis cum Scoto, Bonau. & aliis opinetur, de potentia absoluta posse peccatum tolli per solam remissionem peccatorum, nihil dici contra Concilium: præsertim cùm intelligatur hoc de vera remissione, & abolitione peccati, & non de sola putatiua remissione, seu falsa non imputatione.

Scotus. Bonau.

20. Addo verò, etiam de potentia absoluta verum esse quod Concilium docet, quia non loquitur de sola abolitione & destructione peccati, quoad formalem malitiam eius, sed simpliciter de iustificatione. Iustificatio autem fieri non potest vllo modo sine iustitia inhærente: etiamsi aliqui moderni aliter loquantur. Ratio est, quia iustificatio non tantùm dicit mutationem priuatiuam, seu ablatiuam mali, sed etiam positiuam & inductiuam boni, scilicet, rectitudinis interioris, quam nomen iustitiæ præ se fert. Hæc autem mutatio nullo modo fieri, aut intelligi potest sine aliqua forma intrinseca, quæ per illā inducatur: & illam rectitudinem formaliter conferat: hanc autem vocamus iustitiam inhærentem. Et ideò iustificatio fieri non potest sine infusione talis iustitiæ, etiam de potentia absoluta, magis quàm esse album sine albedine. Et idem ferè est de propria sanctificatione, hæc enim etiam requirit intrinsecam perfectionem, quæ respectu hominis eadem est cum supernaturali iustitia. Et ideò dixit Concilium de iustificationē loquēs, esse sanctificationē, & renouationem. Idemque censeo de gratificatione propria, & de instauratione amicitiæ inter Deum & homines, hæ enim sine gratia & charitate, vel alio excellentiori dono intelligi non possunt. Dico autem propriè & perfectè, quia interdum dicitur res sanctificari imperfectè per extrinsecam relationem, seu denominationem: quomodo dicunt multi potuisse Deum per extrinsecum fauorem aliquo modo sanctificare, & gratum sibi reddere hominem. Sed ille modus, estò esset possibilis, certum est, valdè imperfectum futurum fuisse. Et adhuc intelligi non posset sine aliqua acceptione, vel ordinatione secūdùm præsentem statum ad aliquod donum supernaturale suo tempore obtinendum, quia aliàs nec obiectum, nec proportionatum effectum habere posset talis dilectio.

21. Satisfit differētiæ de remissione peccati per nō imputationem.

Igitur respondendo ad difficultatem positam in forma, ac breuiter, negatur in primis sequi, iustificationem aut peccati destructionem nunc fieri per nō imputationem, vel per solam remissionem extrinsecam, nam per inhærentem iustitiam fit etiam remissio peccati, quia per illam tollitur priuatio gratiæ, quæ veram rationem culpæ & maculæ habet: & ex vi iustificationis tollitur, quatenùs talem rationem habet, quia infunditur gratia cum omnibus quæ illi connaturalia sunt, quorum vnum est, vt excludat maculam peccati, si illam inuenerit. Vnde quamuis negandum non sit, iustificationem includere nunc remissionem peccatorum, non solùm quoad effectum quem in homine ponit, sed etiam quoad voluntatem & condonationem, quam ex parte Dei requirit, nihilominùs non includit illam vt merè extrinsecam, sed vt coniunctam ex natura rei cum tali intrinseca forma: & ideò absolutè iustificatio tota, vt includit peccati remissionem, fit per talem formam intrinsecam. At de potentia absoluta conceditur, in prædicto casu seu facta hypothesi, de qua est cōtrouersia, peccatum excludi per solam extrinsecam volūtatem Dei, quæ non posset dici non imputatio falsa, seu specie tenus in sensu hæreticorum, quia esset vera destructio, & abolitio peccati, quoad formalē rationem eius. Nec etiam formaliter dici posset non imputatio vera, sed tantùm consecutiuè, quia vt verà non imputetur peccatum, necesse est supponi ipsum esse ablatum, ideò enim tali homini verè nnn imputatur, quia in illo nō est. Propriè ego dicitur remissio & condonatio, hæc enim verba cadunt optimè in ipsam culpam, nam prhasis *non imputandi*, magis videtur referri ad pœnam, ad quam non imputatur peccatum, postquàm remissum est quoad culpam.

22. Peccatū nō consistit solum in non remissione diuina.

Neque hinc sequitur, peccatum habituale consistere solùm in imputatione, vel non remissione diuina; sed solùm sequitur hanc esse veluti conditionem necessariam vt sit. Sicut res non est, nisi quandiu conseruatur, seu quandiu non destruitur à Deo: tamen formaliter rem esse non est conseruari, aut nō destrui à Deo. Item qui dicunt peccatum habituale esse per solam denominationem à peccato præterito non retractato, non coguntur dicere peccatum habituale esse ipsam non retractationem, nam hæc vel nullum peccatum est, si nōdum occurrit obligatio retractandi, vel si occurrerit, erit nouum peccatum actuale: dicetur ergo non retractationem esse conditionem necessariam, vt peccatum præteritum denominare possit, tanquàm vera moralis macula, quæ adhuc durat.

Sic

Est tamẽ cõditiõ necessaria, vt peccatum habitualiter maneat.

Sic igitur, Deum non remittere, est conditio necessaria, vt peccatum præteritum habitualiter maneat, & constituat peccatorem, ipsum verò non consistit in non remissione diuina, vel in imputatione. Non enim ideò est peccatum, quia imputatur, sed imputatur potiùs quia est. Est autem non per existentiam alicuius rei physicæ, vt omnes Theologi fatentur cum D. Th. in 1.2. qu. 86. & cum Magistro in 4. distinct. 18. & est per se euidens; nulla enim talis res vel qualitas excogitari potest, quæ sit peccatum habituale. Nec etiam necessariò existit per modum priuationis physicæ: quia, si sit sermo de priuatione alicuius perfectionis, vel rectitudinis naturalis, hæc nulla inuenitur necessariò in peccatore post transactum actum peccati, quia potentiæ eius integræ manent; habitus verò accidentaliter se habent, nam & vitiosi habitus possunt manere ablato peccato, & studiosi habitus naturales possunt esse cum illo. Si verò sit sermo de priuatione gratiæ, iam declaratum est quo modo illa possit habere rationem maculæ & peccati habitualis: est enim solum quasi materialiter, idque non vniuersaliter, quia neque in puris naturalibus id haberet peccatum habituale, nec in veniali peccato reperitur, quamuis suam maculam relinquat, vt infrà dicam.

D. Thom. Magist.

23. Quomodo existat peccatum habituale.

Peccatum ergo habituale existere dicitur morali modo, aut per relationem rationis, aut per virtualem præsentiam, vel alio simili modo, qui necessariò reducitur ad moralitatem quandã, quæ durat, & denominat hominem auersum à Deo, & reuerà facit illum dignum odio, & inimicitia Dei, quãdiu modo aliquo sufficiente non deletur. Videtur autem modus sufficiens de potentia absoluta, quòd tollatur per remissionem Dei; nam sicut res illa moralis est, ita etiam morali modo, & per moralem actionẽ tollitur. Quæ actio esse potest illius, qui passus est iniuriam, quia sicut iniuria fit per voluntatem inferentis illam, ita destruitur per voluntatem eius, qui illam passus est, si illam remittat. Sicut in humanis, qui alteri iniuriam intulit, est illi odiosus, & dé se inuisus, quandiu non satisfacit, vel quandiu alter non remittit iniuriam, vtroque autem modo censetur ratio iniuriæ de medio tolli: quia is, qui illam intulit, quasi vsurpatum habet honorem alterius, quæ ratio cessat, si alter remittat. Ex quo non sequitur, iniuriam, aut debitum humanum consistere in alterius imputatione; sed solùm sequitur, pendere aliquo modo ex alterius voluntate, ac remissione. Sic ergo seruata proportione esset philosophandum de Deo in prædicto casu. Solum est considerãdum, malum morale seu peccatum, vt sic, sicut non fit à Deo, ita nec ab ipso conseruari propriè ac per se loquẽdo, & ideò nunquàm diximus pendere à Deo. Quia verò potest à diuina voluntate destrui, ideò dum non destruitur, seu remittitur, permanet. Atque hac etiam ratione diximus, negationem huius remissionis esse conditionem necessariam vt peccatum sit, non verò esse veram causam durationis eius.

Modus sufficiens tollendi peccatum de potẽtia absoluta, est per remissionem.

24. Tripliciter potest intelligi peccatũ remitti per non imputationem.

Denique quod inferebatur, remissionem peccati secundùm se, & abstrahendo ab omni statu consistere in non imputatione, in rigore loquendo de imputatione, non sequitur, vt iam satis explicatum est. In sano autem sensu per non imputationem intelligendo veram peccati remissionem per voluntatem Dei extrinsecam, distinguẽdum est, nam tres potest habere sensus. Primus est, peccatũ secundùm se, & in omni statu tolli per solam hanc remissionem: & sic negatur sequela, nam in virtute ex vno particulari infert vniuersalem, quod fieri non potest. Ratio verò est, quia in aliquo statu potest ampliùs requiri ad plenã & perfectam remissionem iustificatiuam peccatoris; & ita est in præsenti statu, eò quòd ipsum habituale peccatum non solùm includit id, quod morale est, sed etiam realem priuationem internæ sanctitatis. Secũdus sensus esse potest, peccatum secundùm se, & abstrahendo ab hoc vel illo statu, posse aliquando deleri per solam extrinsecam remissionem, saltem quoad formalem rationem peccati: & hoc sensu admittitur sequela, quia solùm inde fit, hũc modum destructionis non repugnare peccato vt sic, quod est verũ, nam de potentia absoluta non repugnat peccato actuali, veniali autem fortasse, nec de lege ordinaria, de quo infrà dicam, nam inde sumitur magnum argumentum ad ea, quæ hîc dicuntur, confirmanda. Tertius denique sensus est, ad destructionẽ peccati, vt sic, in omni statu necessarjam esse remissionem diuina voluntate factam, quamuis nõ solam: & hoc etiam admittimus vt verum, nam id sancti Patres requirunt ad iustificationem à peccato, quæ nunc fit in lege Euangelica, idemq; ex Cõc. Trid. suprà declarauimus, & ex multis Patribus ostendi in 1. tom. 3. p. disp. 4. & demonstrat etiam Bellarm. loco suprà citato: ergo à fortiori in quolibet alio statu erit necessaria. Ratio verò sumitur ex dicto loco 3. p. quia peccatũ est diuina iniuria, pro qua nõ potest homo condignè satisfacere, & ideò vt omninò tollatur, semper est necessaria diuina remissio. Ad quam obtinẽdam requiritur quidem, moraliter loquendo, & iuxta modum ipsis rebus maximè conuenientem, vt is, qui iniuriã intulit, iniuriam retractet, vel petat veniam, aut aliquo alio modo sibi possibili remissionẽ acceptet, eique cooperetur, & vt remissio sit perfecta, oportet vt ad pristinã amicitiam restituatur: absolutè tamen sufficit voluntas efficax remittẽtis quantũ ad ipsum pertinet: vnde si talis voluntas sit suprema & omnipotens, poterit rationem mali moralis in tali peccato inuentam destruere.

Hæc sunt quæ ad explicandas has sententias, earumque probabilitatẽ conferre possunt, ideoq; non est facile inter eas ferre iudicium; nemo autem potest alterutrã earum damnare, vel vt improbabilẽ reiicere, quia vtraq; reuerà habet graues Auctores, & probabiles rationes, & neutra continet aliquid minùs consentaneum sanæ doctrinæ. Ego verò hactenus in posteriorem sententiã magis propensus fui, quia in his rebus, quæ ad diuinã omnipotentiã spectant, non est aliquid facilè negandum, vbi contradictio vel inconueniens non apparet: neutrum autem in præsenti materia occurrit: nihilominùs pleniorem huius puncti resolutionẽ in materiã de Gratia reseruamus. 25.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm possit per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd possit per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti. Dicitur enim Amos 4. Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta est, & pars, super quam nõ plui, aruit. Quod exponens Greg. super Ezech. dicit: Cùm ille, qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet, quia sunt qui, cùm quædam vitia resecant, in aliis grauiter perdurant.

1.2.q.73.art. 1.& 3.dist. 36.art. 5.& 4.d.15.q.1. ar.3.q.1.cor. & d.16.q.2. ar.1.q.2.cor. & d. 18. q.2. ar.5.q.3.ad 1. Hom. 10. in Ezec. circa medium.

durant. Ergo potest vnum peccatũ per pœnitentiam dimitti sine alio.

Idem in sensum habet homil. 14. in Euang. post medium.

Præterea, Ambr. dicit super, Beati immaculati in via: Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus, secunda per punitionem, vbi etsi fides desit, pœna satisfacit, & releuat. Potest ergo aliquis releuari ab aliquo peccato, manẽte peccato infidelitatis.

In psal. 118. ser. 18. in princ. to. 4. refertur de consecr. d. 3. c. prima cõsolatio.

Præterea, eorum quæ nõ necesse est esse simul, vnum potest auferri sine alio. Sed peccata (vt in Secunda parte habitum est) non sunt cõnexa, & ita vnum eorum potest esse sine alio. Ergo etiam vnum eorum potest remitti sine alio per pœnitentiam.

1.2.q.73. ar. 1.

Præterea, Peccata sunt debita, quæ nobis relaxari petimus, cùm dicimus in oratione Dominica, Dimitte nobis debita nostra, &c. Sed homo quandoque dimittit vnum debitum sine alio. Ergo etiam Deus per pœnitentiam dimittit vnum peccatum sine alio.

Præterea, Per dilectionem Dei relaxãtur hominibus peccata: secundùm illud Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miserans. Sed nihil prohibet, quin Deus diligat hominem quantùm ad vnum, & sit ei offensus quantùm ad aliud, sicut peccatorẽ diligit quantùm ad naturam: odit autẽ quantùm ad culpam. Ergo videtur possibile, quòd Deus per pœnitentiam remittat vnum peccatum sine alio.

Sed contrà est, quod Augustinus dicit in lib. de Pœn. Sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed nõ omninò, reseruãtes sibi quædã, in quibus delectẽtur: non animaduertẽtes Dominũ simul mutũ & surdũ à dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam, nisi de omnibus sanari.

In lib de vera & falsa pœnit. c. 6. parum ante medium, tom. 4.

Respondeo dicendũ, quòd impossibile est per pœnitentiam vnum peccatũ sine alio remitti. Primò quidẽ, quia peccatum remittitur in quantum tollitur Dei offensa per gratiam. Vnde in Secunda parte habitũ est, quòd nullum peccatũ potest remitti sine gratia. Omne autem peccatũ mortale contrariatur gratiæ, & excludit eã. Vnde impossibile est quòd vnum peccatum sine alio remittatur. Secundò, quia (sicut ostensum est) peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti: ad quã pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum. Quod quidem est cõmune omnibus peccatis mortalibus. Vbi autẽ est eadem ratio, & idem effectus. Vnde nõ potest esse verè pœnitens, qui de vno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectũ (quod requiritur ad rationẽ verę pœnitẽtię) sequeretur quòd de omnibus peccatis pœniteret. Vnde sequitur, quòd impossibile sit vnum peccatũ per pœnitentiam remitti sine alio. Tertiò, quia hoc esset contra perfectionẽ misericordiæ Dei, cuius perfecta sunt opera, vt dicitur Deut. 32. Vnde cuius miseretur, totaliter miseretur. Et hoc est quod Aug. dicit in lib. de pœnit. Quædam impietas infidelitatis est ab illo, qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam.

qu. 109. art. 7. & q. 113. art. 2.

ar. præcedẽt.

In li. de vera & falsa pœnit. c. 6. non longè à fine, to. 4.

Ad 1. ergo dicendum, quòd illud verbum Greg. non est intelligendũ quantũ ad remissionẽ culpæ, sed quantùm ad cessationem ab actu: quia interdũ ille, qui plura peccata cõsueuit cõmittere, deserit vnũ, nõ tamẽ aliud. Quod quidem fit auxilio diuino, quod tamẽ non pertingit vsque ad remissionem culpæ.

Ad 2. dicendum, quòd in verbo illo Ambr. Fides nõ potest accipi, qua creditur in Christum: quia, vt Aug. dicit super illud Ioã. 15. Si non venissem, & locutus eis nõ fuissem, peccatum non haberẽt, scilicet infidelitatis. Hoc enim est peccatũ, quo tenentur cuncta peccata. Sed accipitur fides pro conscientia: quia interdum per pœnas, quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati, cuius conscientiam non habet.

Tract. 89. in Ioan. inter principiũ & mediũ, to. 9.

Ad 3. dicendum, quòd peccata quanuis nõ sint connexa, quantùm ad conuersionem ad bonum commutabile: sunt tamen connexa quantùm ad auersionem à bono incommutabili: in qua conueniunt omnia peccata mortalia. Et ex hac parte habent rationem offensæ, quam oportet per pœnitentiã tolli.

Ad 4. dicendum, quòd debitum exterioris rei (putà pecuniæ) non contrariatur amicitię, ex qua debitũ remittitur: & ideò potest vnũ dimitti sine alio. Sed debitum culpæ contrariatur amicitiæ: & ideò vna culpa, vel offensa non remittitur sine altera: ridiculum enim videtur, quòd etiam ab homine aliquis veniã peteret de vna offensa, & non de alia.

Ad 5. dicendum, quòd dilectio, qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, à quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale. Sed dilectio gratiæ, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam: secundùm illud Rom. 5. Gratia Dei, vita æterna. Vnde non est similis ratio.

---

## COMMENTARIVS.

1. Sensus articuli.

IN *hoc articulo constat sermonem esse de peccatis mortalibus, nam de eorum tantùm remissione in hac quæst. agitur. Statim verò hìc occurrit eadem dubitatio quæ in præcedenti titulo, an scilicet D. Thom. loquatur de potentia absoluta, vel de ordinaria: nam absolutè respondet,* impossibile esse per pœnitentiam vnum peccatũ sine alio remitti. *Si tamen consideretur discursus eius, facilè intelliget eodem modo vsurpasse vocem* impossibile, *in vtroque articulo. Nam ex principio superiori articulo probato procedit ad concludendam assertionem præsentem, nimirum ex eo, quòd*

eo, quòd remissio peccati non potest fieri sine gratia, vel sine pœnitentia, quæ omnibus peccatis æquè repugnant: sicut è converso quodlibet peccatum mortale illis contrarium est. Ex rationibus ergo superiùs factis constat D. Thom. non loqui de absoluta potentia, sed supposito modo quo nunc Deus remittit peccatum. Quod etiam satis declarat tertia eius ratio, sumpta ex perfectione misericordiæ diuinæ: non est enim Deo simpliciter necessarium vti cum homine tota perfectione misericordiæ suæ: nam, licèt hoc sit magis consentaneum bonitati eius, tamen, si Deus aliter res ordinare voluisset, non ideò ageret aliquid contra virtutem, vel prudentiam: nulla enim ratio mali, aut deformitatis in tali opere fingi potest. sed solum quædam minor perfectio non priuatiua, sed negatiua, quæ libera est Deo, quia non est in isto, sed in effectu. Etenim licèt in ordine ad effectum videatur opus minùs perfectum, in ordine ad operantem, cuius regula est voluntas eius, nulla esset minor perfectio.

2. Illud etiam considerandum est, aliud esse quærere, an vnum peccatum mortale possit remitti sine alio, vel an per pœnitentiam possit vnum sine alio remitti: nam prior quæstio magis absoluta est, quàm secunda, quia non determinatur ad certiũ aliquem remissionis modum, seu meditm: D. Thom. autem non priorem, sed posteriorem quæstionem mouet, agitque de pœnitentia non quacunque, sed perfecta, quæ per veram contritionem fit, vt patet ex secunda ratione, vbi declarat se loqui de illa pœnitentia, ad quam pertinet deserere peccatum in quantùm est contra Deum super omnia dilectum: ex quo rectè concludit, non posse esse veram pœnitentiam de vno peccato, quin sit etiam de omnibus, saltem virtualiter: quod verissimum esse censeo, vt suprà declarauj. Ideoque loquendo de hoc genere remissionis, apparentiùs dici posset simpliciter esse impossibile sic remittere vnum peccatum sine alio. Et de hac impossibilitate in sensu composito, vt sic dicam, probabiliter posset quis interpretari D. Thom. & existimare sic esse impossibile simpliciter hoc, non tamen per se, & præscindendo à tali modo remittendi peccatum, per huiusmodi pœnitentiam. Nihilominùs tamen etiam illo modo non oportet sumere illam impossibilitatem in ordine ad potentiã absolutam, quia actus pœnitentis, etiamsi sit contritio, non expellit formaliter peccatum, sed dispositiuè: & ideò, esto verùm sit non posse contritionem esse perfectam, quin formaliter vel virtute sit de omnibus peccatis, nihilominùs non obstante tali actu posset Deus nullum peccatum mortale remittere, & ideò ex vi illius actus non sequitur implicatio cõtradictionis, si Deus vellet vnum peccatum remittere, & non aliud, quamuis hoc sit præter exigentiam, & quasi conditionem connaturalem illius actus: & ideò id dici posset impossibile, & secundum legem à Deo institutam, & suo modo ex natura rei.

3. Explicantur verba Gregorij. *In solutionibus argumentorum pauca occurrunt notatione digna. In primo tamen argumento tractat D. Tho. quædã verba Gregor. quæ sumpsisse videtur ex Gratiano in cap.* Pluit. *de Pœn. d.* 13. *vel ex Magistr. in* 4. *d.* 15. *nam omnes sic ea referunt,* Cùm ille, qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet: quia sunt quidam, qui cùm quædam vitia resecent, in aliis grauiter perdurant *Verba autem Gregorij homilia* 10. *in Ezech. sunt,* Cùm verò se qui proximos audit, ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendari contemnit, vna eademque ciuitas, & ex parte compluitur, & ex parte arida remanet; in qua à se prædicationis pluuiam repellit. Sunt enim quidam, qui exhortationis verba omninò non audiunt, hi penitus suscipere pluuiam nolunt, & sunt quidã qui audiunt, sed hanc medullitùs non sequuntur, quia alia in se vitia resecãt, sed in aliis grauiter perdurant. *Ex quibus euidentiùs constat veram esse responsionem D. Th. quæ etiam est Magistri, & Gratiani in* §. Illud autem, *Greg. non loqui de remissione culpæ, sed de cessatione ab vsu & consuetudine vnius peccati, non alterius. Vnde etiam fieri potest, vt* Magist. Gratian.

A *quantùm ad realem & positiuum habitum vitij, vnus expellatur, & non alius, integra manente culpa.*

*Similiter in secundo argumento refert D. Th. quædam verba Ambr. prout habentur apud Gratianum c.* Prima consolatio. *eadem d. & Magistrum d.* 15. *& omnes illa sumpsisse videntur ex Gl. ord. Psalm.* 118. *octonar.* 18. *liter. Zadik, scilicet,* Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus. Secũda per punitionẽ: vbi etsi fides desit, pœna satisfacit, & releuat. *Apud Ambr. autem super eundem Psal.* 118. *eodem octonar.* 18. *in principio, sic legitur,* Credentibus igitur in Dominum, est in Domini misericordia cõsolatio. Est etiam aliud consolationis genus iis, qui graues soluerint pœnas, vt habes scriptum in Isaiæ libro, Consolamini, consolamini populc meus, *vsque ad illud,* Solutũ est peccatũ eius, quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua (*iea enim legit Ambr. iuxta* 70.) *Et subdit hæc obscura verba,* Etiamsi fides deerat, pœna satisfecerat; releuantur solutione pœnarum, quia soluuntur commendatione meritorum. *Ex quibus apparet quàm sit difficilis interpretatio D. Tho. quam sumpsit etiam ex Gratiano, & Magistro, & nunc habetur in Glos. ordin. scilicet, fidem ibi accipi pro conscientia delicti, nam, licèt hæc desit, potest quis patienter sustinendo pœnas consequi remissionem peccati, cuius conscientiam non habet. Quæ doctrina vera est, tamen Ambr. non videtur de illa re loqui: nam populo Iudæorum, quem Deus per Isaiam consolabatur, cuique reddiderat duplicia pro omnibus peccatis suis, non deerat conscientia peccati, vt per se notum videtur: non ergo potuit in hoc sensu dicere Ambr. de illo populo,* Etiamsi fides deerat. *Existimo ergo Ambr. locutum fuisse de fide, id est, de fiducia seu confidentia magna in misericordia Dei: consonat enim hoc cum illis prioribus verbis:* Credentibus in Dominum, est in misericordia Domini consolatio: *& cum distinctione illarum cõsolationum quas ibi distinguit, ac si diceret,* Quidam consequuntur remissionem peccatorum, *quasi omninò gratuitam per feruentem accessum ad misericordiam Dei: alij qui minorem habent fidem, saltem luendo pœnas veniam consequuntur: loquitur enim de remissione peccati quoad integram satisfactionem. Et ita est sensus manifestus: Neque ille fidei defectus est aliqua culpa infidelitatis, qua stante possint alia peccata remitti, in quo argumentum fundabatur: sed est quædam minor perfectio fidei, seu fiducia in Deum, quæ adiunctam habere solet minorem perfectionem in contritione, & in modo petendi veniam, propter quam remissio peccati quoad pœnam minor est, suppletur tamen patienter sustinendo diuina supplicia. Aliorum argumẽtorum solutiones faciles sunt: & omnes manifestè procedunt in sensu declarato, quòd secundùm ordinariam & statutam legem, vnum peccatum mortale sine alio non remittatur.*

4. Verba Ambrosij expẽduntur.

## ARTICVLVS IIII.

### *Vtrùm remissa culpa per pœnitentiam, remittatur reatus pœnæ.*

Suprà q. 67. ar. 3. ad 3 & q. 69 art. 10. ad 3. & 4. d. 14 qu. 2. ar. 1. & co. 11. lect. 4. col. 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd remissa culpa per pœnitentiam, nõ remaneat reatus pœnæ. Remota enim causa, remouetur effectus. Sed culpa est causa reatus pœnę: ideò enim est aliquis dignus pœna, quia culpam commisit. Ergo remissa culpa, non potest remanere reatus pœnæ.

Prætereà, Sicut Apostolus dicit Rom. 5. Bonum Christi est efficacius, quàm peccatũ. Sed peccando homo simul incurrit culpam

pœnæ

pœnæ reatum. Ergo multò magis per donum gratiæ, simul remittitur culpa, & tollitur pœnæ reatus.

Et Hebr. 6. col. 4. Præterea, Remissio peccatorum fit in pœnitentiam per virtutẽ passionis: secũdùm illud Ro. 3. Quẽ proposuit Deus propitiatorẽ, per fidẽ in sanguine ipsius, propter remissionem præcedẽtium delictorũ. Sed passio Christi est sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, vt suprà dictum est. Non ergo post remissionem culpæ, remanet aliquis reatus pœnæ. q.68.& 69. & q.79.ar.5.

Sed cõtrà est, quòd 2. Reg. 12. dicitur, quòd cùm Dauid pœnitẽs dixisset ad Nathã, Peccaui Domino, dixit Nathã ad illũ, Dominus quoque transtulit peccatum tuum: veruntamen filius, qui natus est tibi, morte morietur. Quod fuit in pœnam præcedentis peccati: vt ibidem dicitur. Ergo remissa culpa, remanet reatus alicuius pœnæ. B

1.2.q.87.a.5. Respondeo dicendũ, quòd (sicut in Secũda parte habitum est (in peccato mortali sunt duo: scilicet auersio ab incommutabili bono, & cõuersio ad cõmutabile bonũ inordinata. Ex parte ergo auersionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternę: vt qui contra ęternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte etiã conuersionis ad bonũ cõmutabile, in quantũ est inordinata, cõsequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinẽ iustitiæ, nisi per pœnã. Iustũ est enim, vt qui volũtati suæ plus indulsit, quã debuit, cõtra voluntatẽ suã aliquid patiatur: sic enim erit æqualitas. Vnde Apocal. 18. dicitur, Quantùm glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Quia tamen conuersio ad bonũ cõmutabile est finita, nõ habet ex hac parte peccatum quòd debeatur ei pœna æterna. Vnde si sit inordinata cõuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo (sicut est in peccatis venialibus) non debetur peccato pœna æterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo, in quantùm per gratiam anima Deo coniungitur: vnde & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ, potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. C D

Ad 1. ergo dicendum, quòd culpa mortalis vtrunque habet, & auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum creatum. Sed (sicut in Secunda parte habitum est) auersio à Deo, est ibi sicut formale: conuersio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscunque rei, tollitur species, sicut remoto rationali, tollitur species humana. Et ideò ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur auersio mentis à Deo simul cum reatu pœnæ æternæ. Remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conuersio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis. 1.2.q.71.a.6. E

Ad 2. dicendum, quòd (sicut in Secunda parte habitum est) ad gratiam pertinet operari in homine, iustificando ipsum à peccato, & cooperari homini ad rectè operandum. Remissio igitur culpæ, & reatus pœnæ æternæ pertinet ad gratiam operantem, sed remissio reatus pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem: in quantùm scilicet homo cum auxilio diuinæ gratiæ patienter pœnas tolerando, absoluitur etiam à reatu pœnæ temporalis. Sicut igitur priùs est effectus gratiæ operantis, quàm gratiæ cooperantis, ita etiam priùs est remissio culpæ, & pœnæ æternæ, quàm plena absolutio à pœna temporali: vtrunque enim est à gratia: sed primum à gratia sola, secundum ex gratia & libero arbitrio. 1.2. qu. 109. ar.7.& qu. 111.ar.2.

Ad 3. dicendum, quòd passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum pœnæ, non solùm æternæ, sed etiam temporalis: & secundùm modum, quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem à reatu pœnæ. In Baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi (vt pote per aquam & spiritum Christo commortuus peccato, & in eo regeneratus ad nouam vitam) & ideò in Baptismo homo consequitur remissionem reatus totius pœnæ. In pœnitentia verò consequitur virtutem passionis Christi, secũdùm modum propriorum actuum, qui sunt materia pœnitentiæ, sicut aqua Baptismi, vt suprà dictum est. Et ideò non statim per primum actum pœnitentiæ, quo remittitur culpa, soluitur reatus totius pœnæ: sed completis omnibus pœnitentiæ actibus. q.84.anic.1. & 3.

## COMMENTARIVS.

RESPONSIO *D. Thom. est, remissa culpa non semper remitti reatum omnis pœnæ. Quam assertionem in argumento,* Sed contrà, *probat ex facto Dauid 2. Reg. 12. vbi post illa verba Nathan,* Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, *quæ remissionem culpæ declarabant, prædicitur ei nihilominùs mors filij in pœnam peccati eius. Quis locus probat optimè de aliqua pœna temporali huius vitæ, quam interdum ita Deus decernit, & statuit, vt nullam aliam satisfactionem pro illa admittat: sic adeò vt, licèt homo non solùm culpæ, & pœnæ æternæ, sed etiam totius pœnæ temporalis vitæ futuræ veniam obtineat: nihilominùs in hac vita aliquas pœnas, vel afflictiones luat, iuxta diuinæ prouidentiæ rationem, quæ fortasse non est eiusdem rationis respectu omnium peccantium quoad has pœnas, id est, non vna & eadẽ generali lege omnes puniti hoc genere temporalium pœnarum, sed iuxta dispositionem suã, in ordine ad varios fines suæ gubernationis: quod est attentè obseruandum, declarabiturque amplius disputatione sequenti.* 1. 2.Reg.12.

Con

1. Concluſio verò D. Thomæ non ſolùm de his pœnis, ſed etiam de reatu pœnæ quaſi per ſe & intrinſecè comitantis peccatum, & neceſſario ſoluendæ, vel in hac vita, vel in futura: intelligenda eſt: & ideò in corpore articuli ea probat alio diſcurſu ſumpto ex intrinſeca deformitate peccati: quæ velati ex duobus capitibus integratur, ſcilicet, auerſione à Deo, & conuerſione inordinata ad creaturam. Ait ergo D. Thomas, Auerſioni reſpondet æterna pœna, quia bonum, à quo receditur per talem auerſionem, infinitum, & æternum eſt: conuerſioni autem reſpondet pœna de ſe non æterna, ſeclusa auerſione, quia inordinatio talis conuerſionis ex ſe omninò finita eſt. Per remiſſionem autem culpæ neceſſariò tollitur reatus pœnæ æternæ, quia neceſſariò tollitur auerſio à Deo, cùm peccatum non remittatur, quin homo reſtituatur in gratiam & amicitiam Dei, eiq, tanquam vltimò fini coniungatur. Poteſt tamen (ait D. Thom.) remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. Quam in vltima parte (licet videatur eſſe concluſio principaliter intenta) nullo medio D. Tho. oſtendit, ſed videtur illuc remiſiſſe ſolutionem primi argumenti, vbi affirmat, ablata auerſione, quod eſt formale in peccato, manere id quod eſt materiale, ſcilicet, inordinatam conuerſionem ad bonum creatum. Vnde optimè concludit manere reatum pœnæ temporalis, nam hæc reſpondet illi conuerſioni, vt in corpore dixit. Cum autem D. Tho. ait, manere inordinatam conuerſionem, potentialiter intelligendum eſt, id eſt, poſſe manere: non enim eſt neceſſe vt ſemper maneat, quia neque eſt neceſſe vt remiſſa culpa, ſemper maneat reatus pœnæ temporalis: neque in hoc ſenſu concluſio poſita eſt, vt conſtat ex eius terminis, & eſt per ſe notum.

Sed adhuc in hoc ſenſu eſt ſatis difficile dictum D. Tho. 3. quòd inordinata conuerſio maneat ablata auerſione: & præterea manet eadem difficultas, quia hoc ipſum nullo medio oſtenditur à D. Th. Sed quod ad rem ipſam attinet, tractabimus illam diſputatione ſequenti: indiget enim longiori diſcuſſione. Nunc ſolùm aſſero, non oportere, nec debere intelligi de inordinata conuerſione quantùm ad moralem malitiam eius, ſed vel quoad habitum, vel quoad aliquem effectum, vel debitum ex illa ortum. Quoad alteram verò partem ex diſcurſu D. Tho. in articulo poteſt colligi hæc probatio, quia per ſe non repugnat eſſe in homine inordinatam conuerſionem, & conſequenter reatum pœnæ temporalis abſque auerſione à Deo. vt patet in veniali peccato: ergo non etiam repugnabit. ſed fieri poterit, vt ablata auerſione culpæ mortalis, maneat inordinata conuerſio: ſaltem quantùm ſufficiat ad reatum pœnæ temporalis. Inſinuatur etiam alia ratio, quia pœna æterna, vt ſic, per ſe & quaſi formaliter pendet ab auerſione: & ideò non poteſt manere reatus eius remiſſa culpa, pœna autem temporalis non pendet per ſe ab auerſione, & ideò non neceſſariò tollitur remiſſa culpa. Quæ omnia latiùs expendentur, & examinabuntur citato loco.

4. Gratia duplex operãs & cooperãs. In ſolutione ad ſecundum multa dicit D. Thomas quæ pendent ex materia de Gratia, breuiter tamen attingenda ſunt, quantùm neceſſe eſt ad huius loci explicationem, quia ad intelligentiam materiæ præſentis etiam ſunt neceſſaria. Supponit ergo in primis D. Thomas diuiſionem gratiæ in operantem, & cooperantem: quæ, iuxta mentem Auguſtini, vt alibi tractaui, de actuali Gratia ſeu auxilio data eſt: & gratia operans eadem eſt quæ gratia præueniens ſeu excitans: gratia verò cooperans eadem eſt quæ gratia actualiter adiuuans. D. Thomas autem 1. 2. quæſt. 111. (quem aly Theologi imitantur) extendit has voces ad habitus gratiæ, ſeu infuſionem gratiæ habitualis, quæ dupliciter conſideratur, primò quatenus à Deo ſolo infunditur, & in nobis habet aliquos effectus ex vi ſolius infuſionis Dei: & vt ſic dicitur gratia operans, non accipiendo in rigore nomen operantis, prout efficientiam ſignificare videtur, ſed generaliùs, vt idem ſit quod cauſantis, ſiue formaliter, ſiue quolibet alio modo. Secundò conſiderantur habitus gratiæ, vt in nobis ſunt principia ſupernaturalium actionum quæ dicuntur fructus iuſtitiæ: & ſub hac conſideratione

Lib. 3. de auxiliis, à principio.

A dicuntur tales habitus habere rationem gratiæ cooperantis, quia cum voluntate noſtra ad hos actus cooperantur.

Hac ergo ſuppoſita diuiſione, ait D. Thomas remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ eſſe effectum gratiæ operantis, quia per ipſam infuſionem gratiæ confertur mediatè, vel immediatè: remiſſionem verò temporalis pœnæ eſſe effectum gratiæ cooperantis, quia dum homo cooperatur gratiæ Dei ad ſatisfaciendum pro pœna, illius remiſſionem conſequitur. 5. Obiect. Sed ſtatim occurrit obiectio, quia ipſa remiſſio culpæ, & pœnæ æternæ non fit ſine motu liberi arbitrij in Deum, & contra peccatum, eſtque effectus eius, vt ſuprà dictum eſt: ſed hic motus liberi arbitrij non poteſt eſſe ſine gratia cooperante: ergo remiſſio peccati non eſt effectus ſolius gratiæ operantis, ſed etiam cooperantis. Ad hanc verò obiectionem reſpondet idem D. Thom. infrà articulo ſexto, ad 1. etiam illum motum liberi arbitrij, qui ad iuſtificationem concurrit, eſſe effectum gratiæ operantis. Reſponſio Diui Tho. B Sed adhuc ſupereſt difficultas, quia licèt hoc verũ ſit, tamẽ non illius gratiæ ſolius eſt effectus, ſed etia cooperantis gratiæ, quia eſt verus actus humanus, liber, & ſupernaturalis, & qui huiuſmodi eſt, nõ poteſt ſine gratia cooperante ſeu, quod idem eſt, adiuuante, fieri, vt conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. canone tertio. Replica. Reſpondetur ergo, ſine dubio ita eſſe quantùm ad rem ſpectat, tamen quantum ad modum loquendi obſeruandum eſſe in Diuo Thoma, & quibuſdam aliis Scholaſticis hos motus liberi arbitrij, qui ordine naturæ antecedunt infuſionem gratiæ habitualis, abſolutè dici eſſe à gratia operante quod debet intelligi, non quia ſint ab illa ſola, ſed quaſi per antonomaſiam, quia ſpeciali quodam modo pendent hi actus à gratia operante principaliùs, vt latiùs explicui citato loco. Conc. Tr. Germana ſolutio. Quocirca in rigore reſpondendo fatendum eſt, C remiſſionem peccati, quatenus in nobis fit, formaliter eſſe effectum ſolius gratiæ operantis, quo ſenſu locutus eſt Diuus Thomas in fine huius ſolutionis, quatenus verò fit diſpoſitiuè, eſſe etiam effectum gratiæ cooperantis, quia quoad hoc non fit ſine nobis liberè cooperantibus. Lib. 3. de auxiliis, c. 5.

Tertiò ex hac doctrina concludit Diuus Thomas priorem eſſe remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, quàm plenam abſolutionem à pœna temporali, quia prior eſt effectus gratiæ operantis, quàm cooperantis. Atque ita tacitè concludit remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ fieri, ac ſeparari poſſe à remiſſione pœnæ temporalis tanquàm prius à poſteriori. 6. Sed ſtatim occurrit obiectio, quia, ſi hæc ratio efficax eſſet, probaret remiſſionem totius pœnæ temporalis nunquàm fieri ſimul cum remiſſione culpæ & pœnæ æternæ, quia ſemper D effectus gratiæ operantis præcedit effectum gratiæ cooperantis. Obiect. cõtra D. Tho. Quæ obiectio facilè à nobis expedietur conſequenter loquendo, iuxta proximè dicta. Nam remiſſio peccati, ex ea parte qua requirit diſpoſitionem noſtram, requirit gratiam cooperantem: & inde fit, vt iuxta maiorem vel minorem cooperationem noſtram, magis vel minùs remittat de pœna, conſiderata doctrina Concilij Tridentini ſeſſione ſexta, capite ſeptimo. Atque ita tandem fit, vt tanta poſſit eſſe cooperatio noſtra cum gratia etiam cooperante, vt omninò remittatur reatus pœnæ temporalis. Quapropter ad argumentum in forma reſpondendum eſt, effectum gratiæ operantis eſſe quidem poſſe priorem tempore, & ſeparabilem ab effectu gratiæ cooperantis, non tamen id ſemper contingere, neque eſſe per ſe neceſſarium, ſed ad ſummum erit id verum in prioritate naturæ, ſeu in aliquo ordine cauſalitatis. Atque hoc ſatis eſt ad intentionem Diui Thomæ, vt hinc concludat remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ poſſe dari ſine plena abſolutione à pœna temporali. Et ex his declarata manet ſolutio ad 3. quæ per ſe ſatis facilis eſt. Soluitur.

E

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.*

Supra ar. 4. ad 3. & 4. d. 14. q. 2. ar. 1. q. 3. & 1. co. 11. lect. 7. co. 1. fin.



AD quintum sic peoceditur. Videtur quòd remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati. Dicit enim Augustin. in lib. de Pœnitentia: Nunquàm Dominus aliquem sanauit, quem omninò non liberauit: totum enim hominem sanauit in sabbato: quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione. Sed reliquiæ peccati pertinent ad infirmitatem peccati. Ergo non videtur possibile quòd remissa culpa, remaneant reliquiæ peccati.

In lib de vera & falsa pœnit. c. 9. post mediũ, to. 4.

Capit. 4 parte 4. inter principium & medium.

Prætereà, Secundùm Dionys. capite quarto de Diuino. bonum est efficacius quàm malum: quia malum non agit nisi virtute boni. Sed homo peccando, simul totam infectionem peccati incurrit Ergo multò magis pœnitendo liberatur etiam ab omnibus peccati reliquiis.

Prætereà, Opus Dei efficacius est, quàm opus hominis. Sed per exercitium humanorum operum ad bonum, tolluntur reliquiæ peccati contrarij. Ergo multò magis tolluntur per remissionẽ culpæ, quæ est opus Dei.

Sed contrà est, quòd Marc. 8. legitur, quòd cæcus illuminatus à Domino, primò restitutus est ad imperfectum visum (vnde ait, Video homines, velut arbores ambulãtes) deinde restitutus est perfectè, ita vt videret clarè omnia. Illuminatio autem cæci, significat liberationem peccatoris. Post primam ergo remissionem culpæ, qua peccator restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo aliquæ reliquiæ peccati præteriti.

art. præced.

Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale ex parte conuersionis inordinatæ ad bonum commutabile, quandam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est: culpa peccati mortalis remittitur, in quantùm tollitur per gratiã auersio mentis à Deo. Sublato autem eo, quod est ex parte auersionis, nihilominùs remanere potest id, quod est ex parte conuersionis inordinatæ, cum hac contingat esse sine illa, sicut priùs dictum est. Et ideò nihil prohibet quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ: quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ: ita quòd homini nõ dominentur. Et hoc magis per modum dispositionum, quàm per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post Baptismum.

art. præced.

Ad 1. ergo dicendum, quòd Deus totum hominem perfectè curat. Sed quandoque A subitò: sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita vt surgens ministraret illis, vt legitur Lucæ 4. Quandoque autem successiuè: sicut dictum est de cæco illuminato Marc. 8. Et ita etiã spiritualiter quandoque tanta commotione cõuertit cor hominis, vt subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, vt patet de Magdalena, Lucæ 7. Quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam operantem, & posteà per gratiam cooperantem successiuè tollit peccati reliquias.

B Ad 2. dicendum, quòd peccatum etiam quandoque statim inducit debilem dispositionem, vt pote per vnum actum causatam: quandoque autem fortiorem, causatam per multos actus.

Ad 3. dicendum, quod vno actu humano non tolluntur omnes reliquiæ peccati: quia, vt dicitur in Prædicamentis, prauus ad meliores exercitationes deductus, ad modicum aliquid proficiet, vt melior sit. Multiplicato autem exercitio, ad hoc peruenit, vt sit bonus virtute acquisita. Hoc autem multò efficaciùs facit diuina gratia, siue vno, siue pluribus actibus.

q 44. art. 3. ad 2.

C

## COMMENTARIVS.



HIc *articulus facilem habet doctrinam, nam D. Thomas satis apertè declarat per reliquias peccatorum se intelligere vitiosos habitus per actus peccatorum comparatos: & ideo meritò negatiuè respondet, quia manifestum est, satisq; experientia constat, hos habitus non statim tolli, quoties homo iustificatur. Et rationem reddit D. Thomas, quia ablato quod est formale in peccato ex parte auersionis, potest manere quod est materiale ex parte conuersionis, quia hæc etiam interdum esse potest sine illa: in quo satis insinuat D. Thomas, & confirmat expositionem à nobis datam in articulo præcedenti. Hic verò occurrebat disputatio, An habitus virtutum per se infusarum formaliter expellant habitus acquisitos vitiorum, hinc enim videtur petenda ratio à priori huius assertionis, tamen hoc directè spectat ad materiam de virtutibus & de gratia, estq; alienum à præsenti disputatione. Et ideò supponendum est, non esse inter hos habitus repugnantiam formalem & propriam, quia sunt diuersorum ordinum, insuntq; subiecto secundùm capacitatem diuersam, & inclinant variis modis, & ad res longè diuersas: nam habitus acquisitus auget (vt ita dicam) naturalem facultatem: infusus verò addit facultatem alterius ordinis. Hinc ergo fit, vt per iustificationem non semper tollantur hæ reliquiæ peccatorum, quia expulsio illorum habituum, neque ex natura rei sequitur ex infusione supernaturalium, nec Deus ex speciali prouidentia aut misericordia certa lege promissa illos semper aufert, quia neque est necessarium, neque debitum, nec conueniens: tum quia aliàs posset iustificatio ferè experimẽto cognosci: tum vt homo exercitio virtutum acquirat quod exercendo vitia perdiderat: & è conuerso eodem vsu virtutum amittat, quod vitiosa consuetudine acquisierat. Ita enim expedit in his, quæ commodè, & cum diuina gratia cooperante fieri possunt.*

D

Non est repugnãtia formalis inter habitus infusos virtutũ, & acquisitos vitiorum.

E

*Addit*

2. Quomodo intelligẽdũ, remissa culpa manere habitus virtutum debilitatos, & per modum dispositionis

*Addit verò D. Thomas primò in eodem corpore articuli, has reliquias seu habitus post remissionem peccati manere debilitatos, ac diminutos, magisq; per modum dispositionum, quàm habituum. Sed non est intelligendum semper fieri per iustificationem, vt hi habitus in suo intrinseco esse minuantur, aut remittantur: sed propter adiectionem gratiæ & auxiliorum, quæ illam consequuntur, dicuntur debilitari, & diminui in ordine ad operationem: non quoad intrinsecam remissionem, vel diminutionem talium qualitatum, nam hæc non sequitur ex natura rei, magis quàm expulsio, neque est vlla ratio asserendi gratis a Deo fieri. Et similiter dicuntur illi habitus manere in ratione dispositionis propter statum subiecti, non propter intrinsecam imperfectionem. Sicut è contrario virtutes acquisitæ dicuntur amittere esse virtutis, ablata gratia, & charitate. Addo prætereà sub his reliquiis comprehendi non solùm proprios habitus vitiorũ, qui sunt in voluntate, vel appetitu: sed etiam phantasmata, & species intelligibiles prauorum obiectorum, quæ post remissionem peccati solent occasionem præbere iterum peccandi, aut difficilem reddere perseuerantiam, & exercitium virtutum. In quo etiam comprehenduntur aliquæ corporis dispositiones ex vsu peccandi relictæ, quæ non parùm difficile posteà etiam faciunt exercitium virtutis.*

3. Iustificatio Magdalenę, quam perfecta.

*In solutione ad 1. obseruandum est, quòd à D. Thoma piè dicitur, Magdalenæ in sua conuersione non solùm remissa fuisse peccata, sed etiam omnes peccatorum reliquias fuisse sublatas,* vt patet, *inquit D. Thomas,* Lucæ 7. *Ex quo loco apertè solùm habemus remissa fuisse Magdalenæ omnia peccata, & magna etiam probabilitate, ac ferè certò colligitur non solùm quoad culpam, sed etiam quoad reatum pœnæ fuisse remissa,* Quia dilexit multùm, *& ex illo,* Vade in pace, *& ex aliis circunstantiis quæ ibi referuntur. Quòd verò ablati fuerint omnes habitus praui, & dispositiones, & praua phantasmata, non ita clarè colligitur ex illo loco: piè tamen creditur, tum ex Christi liberalitate, tum ex efficacia & magnitudine conuersionis, tum ex modo viuendi, quem ab eo puncto Magdalena instituit, & perfectissimis actionibus virtutum, quas summa promptitudine & facilitate exercuit. Alia argumenta non indigent declaratione.*

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.*

4.d.14.q.2. art.1.q.1.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd remissio culpæ non sit effectus pœnitentiæ, secundùm quòd est virtus. Dicitur enim pœnitentia virtus, secundùm quòd est principium humani actus. Sed humanus actus non operatur ad remissionem culpæ, qui est effectus gratiæ operantis. Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ, secundùm quòd est virtus.

Prætereà, Quædam aliæ virtutes sunt excellentiores pœnitentia. Sed remissio culpæ non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non effectus pœnitentiæ secundùm quòd est virtus.

Prætereà, Remissio culpæ non est nisi ex virtute passionis Christi, secundùm illud Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Sed pœnitentia in quantùm est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut & cætera sacramenta, vt ex suprà dictis patet. Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ in quantùm est virtus, sed in quantùm est sacramentum. q.61.art.2.

Sed contrà, Illud est propriè causa alicuius, sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet à sua causa. Sed remissio culpæ potest esse à Deo sine pœnitentiæ sacramento, non autem sine pœnitentia secundùm quòd est virtus: vt suprà dictum est. Vnde & ante sacramenta nouæ legis pœnitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpæ est præcipuè effectus pœnitentiæ secundùm quòd est virtus. art. præced.

Respondeo dicendum, quòd pœnitentia est virtus, secundùm quòd est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in pœnitentiæ sacramento. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ: ex vtroque enim est vnum sacramentum, vt suprà habitum est. Vnde sicut remissio culpæ fit in Baptismo, non solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ: principaliùs tamen virtute formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento (vt suprà dictum est) Secundariò autem ex vi actuum pœnitentis, pertinentium ad virtutem pœnitentiæ: tamen prout hi actus aliqualiter ordinãtur ad claues Ecclesiæ. Et sic patet, quòd remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, secundùm quòd est virtus: principaliùs tamen secundùm quòd est sacramentum. q.60.ar.6.ad d.& art.7. q.84.art.3.

Ad 1. ergo dicendum, quòd effectus gratiæ operantis est iustificatio impij: vt in Secunda parte dictum est. In qua, vt ibidem dictum est, non solùm est gratiæ infusio, & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatæ, ad motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Hi tamen actus humani sunt ibi, vt effectus gratiæ operantis, simul producti cum remissione culpæ. Vnde remissio culpæ non fit sine actu pœnitentiæ virtutis, licèt sit effectus gratiæ operantis. 1.2.q.113.in diuisione q. In solutione præcedenti. & 1.2.q.113: ar.4.

Ad 2. dicendum, quòd in iustificatione impij non solùm est actus pœnitẽtiæ, sed etiam est actus fidei: vt dictum est. Ideò remissio culpæ non ponitur effectus solùm pœnitentiæ virtutis: sed principaliùs fidei & charitatis.

Ad 3. dicendum, quòd ad passionem Christi ordinatur actus pœnitentiæ virtutis, & per fidem, & per ordinem ad claues Ecclesiæ.

siæ. Et ideò vtroque modo causat remissionem culpæ virtute passionis Christi.

Ad id autem quod in contrarium obiicitur, dicendum est, quòd actus pœnitentiæ virtutis habet, quòd sine eo non possit fieri remissio culpæ, in quantùm est inseparabilis effectus gratiæ, per quam principaliter culpa remittitur, quæ etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideò per hoc non potest concludi, nisi quòd gratia est principalior causa remissionis culpæ, quàm pœnitentiæ sacramentum. Sciendũ tamen, quòd etiam in veteri lege, & in lege naturæ, erat aliqualiter sacramentum pœnitentiæ: vt suprà dictum est. q.84. art.7. ad 2.

MATERIA huius articuli in superioribus tractata fusè est, quantùm spectat ad virtutem pœnitentiæ: quantùm verò spectat ad sacramentum, disputabitur inferiùs. Litera verò D. Tho. ex eisdem locis satis est clara: & solutio ad primum quæ obscurior esse potest, in commentario articuli quarti est declarata.

## DISPVTATIO X.

### *De perfectione remissionis peccati mortalis, quatenus à pœnitentia fit.*

IN hoc effectu duo possunt considerari, scilicet infusio gratiæ, & virtutum, & remotio mali. Hìc non inquirimus perfectionem prioris effectus, quæ, quod ad præsens attinet, solùm potest esse intensiua: cuius consideratio propriè spectat ad materiam de iustificatione, & nunc supponimus dari maiorem vel minorem pro ratione dispositionis: agimus ergo de perfectione huius effectus quoad remotionem mali, vel culpæ, vel pœnæ: quæ perfectio est quasi extensiua, quatenus ad plura vel pauciora mala tollenda remissio extenditur. Hæc autem mala ad duo prædicta capita reuocantur, quæ breuiter expediemus.

### SECTIO I.

#### *Vtrùm remisso vno peccato mortali per pœnitentiam, necessariò remittantur omnia quæ in eodem subiecto sunt.*

1. Quæstio proponitur.

HÆc quæstio, vt in commentariis insinuaui, partim generalis est de iustificatione peccatoris quocunque modo fiat, id est, siue per solam virtutem pœnitentiæ, & charitatis, siue vt adiunctam aliquo sacramento, Baptismi, vel pœnitentiæ: partim potest esse specialis de tali remissione, quæ fit per propriam virtutem pœnitentiæ. Et priori quidem sensu potiùs pertineret quæstio ad materiã de iustificatione, quàm ad hunc locum. Tamen, quia posterior sensus, qui proprius est huius loci, omninò pendet ex priori, ideò quæstionem illam generalem priùs expediemus: & inde facilè alterius puncti resolutio constabit. Potest autem illa quæstio tractari vel de facto seu necessitate secundùm leges à Deo statutas: seu (quod idem est) de potentia ordinaria, vel de necessitate & potentia absoluta.

A

*De facto non posse remitti vnum peccatum mortale sine alio. Assertio* 1.

PRIMO ergo loquendo de facto & secundùm legem ordinariam, est certum, & de fide, non posse remitti vnum peccatum mortale sine alio. Ita docent omnes Theologi cum D. Thoma dicta quæst. 86. art. 3. Ratio in primis est connexio, quam habent omnia peccata mortalia in ordine ad veram contritionem: quia, vt suprà ostensum est, non potest dari vera contritio vnius peccati mortalis, quin sit omnium. Et idem est de connexione in amore super omnia, nam cum illo non potest esse, aliquod peccatum mortale. Quo sensu intelligi potest illud dictum Iacobi 2. *Qui in vno offendit, factus est omnium reus*, scilicet, quantùm ad carentiam veri amoris, vt tetigit Augustinus epist. 29. Quia verò nunc potest fieri remissio per attritionem, quæ potest esse vnius peccati, & non omnium; ideò addendum est, hæc peccata etiam esse connexa quoad remissionem in ipsa gratia sanctificante, quia sine illa nullum peccatum mortale remittitur, vt diximus; & cum illa nullum peccatum mortale esse potest, *Nihil enim damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*, vt dicitur ad Rom. 8. Item, quia omne peccatum mortale destruit amicitiã cum Deo: nullum autem peccatum mortale remittitur, nisi quis recipiatur in amicitiam Dei. Denique, quia per peccatum mortale excluditur homo à regno cœlorum: nemini autem remittitur peccatũ mortale, nisi simul acceptetur ad regnum cœlorum. Quo argumento vsus est Innocẽtius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, vt inde concluderet etiam originale peccatum non posse remitti manente mortali. Tandem veritatem hanc supponit Concilium Tridentinum multis in locis sess. 5. can. 5. dicẽs in iustificatis per Baptismum nihil manere posse, quod propriam rationem peccati damnationem merentis habeat; & sess. 6. c. 7. dicens, iustificationem peccatoris includere remissionẽ peccatorum: & c. 14. dicens, similem reparationem lapsi quoad remissionem peccatorũ fieri per pœnitẽtiam: & cap. 15. dicens, quodlibet peccatum mortale cum gratia repugnare. Atque ex eisdem rationibus colligi potest, ordinationem hanc non esse merè extrinsecam ex sola voluntate Dei, sed habere fundamẽtum & esse connaturalem ipsi gratiæ, & charitati: nam hæ natura sua cõstituunt hominem sanctum, & suo modo deificant illum, & ideò secum non admittunt aliquid, quod faciat hominem Deo indignum, quale est omne peccatum mortale. Quæ ratio adeò efficax aliquibus videtur, vt etiam de potentia absoluta probare videatur. Sed de hoc statim.

B. Iacob. Augusti. C. Ca. Maiores. Conc. Trid. D

*An posit de potentia absoluta.*

CIRCA secundum punctum de potentia absoluta, Soto distinct. 15. quæst. 1. artic. 3. respondet, fieri hoc non posse de potentia absoluta, quia existimat nõ posse peccatum remitti, quin homo eleuetur ad amicitiam & gratiam Dei, cum qua nullum peccatum mortale manere potest. Possumusque hoc cõfirmare, quia macula peccati, quæ ex omnib. peccatis mortalibus relinquitur, vna est & indiuisibilis: ergo non potest tolli quin tollantur omnia peccata. Contrariam sententiã tenent Adrianus q. 4. de pœnit. & Medina dict. quæst. 12. & clarè sumitur ex Scoto dist. 14 quæst. 1. & Gabriele quęst. 1. ar. 1. Quorum fundamentum est, quia post peccatum, solùm manet obligatio pœnæ: potest autem Deus remittere pœnam vni peccato debitam, & non alteri. Sed hoc funda

3. Soti sentẽtia. Sententia affirmans tenetur. Adrian. Medin. Scot. Gabr. E

fundamentum, suprà reiectum est, quia reuerà ille reatus fundatur in isto peccato, quatenus in peccatore manet, quod etiam disp. sequēte magis explicabo.

Duobus ergo modis potest hæc sententia defendi: Primum, iuxta opinionem in fine præcedentis disputationis tractatam, scilicet, posse Deum remittere peccatū mortale sine intrinseca & physica mutatione ipsius peccatoris, solùm per extrinsecam condonationem remittendo culpam, & moraliter illam destruendo: nam hoc posito, nulla est implicatio quin possit hoc modo condonare vnam offensam, & non aliam: quia si peccata mortalia aliquàm habent connexionem necessariam in ordine ad remissionem, illud solum est ex parte ipsius peccatoris, quando debet perfectè iustificari & conuerti, vt vel vnum peccatum mortale illi remittatur. Atq; hoc modo eandē probabilitatem habet hæc opinio, quam habet illa prior. Secūdo verò modo potest fundari hæc opinio abstrahendo ab illa, & supponendo aliam suprà probatam, quòd per solam actualem mutationem possit remitti peccatū. Nam potuit Deus statuere per quācunque attritionem cuiusuis peccati illud remittere: quid enim hoc repugnat? sicut ergo potest esse attritio vnius peccati, quę non sit aliorum, ita & remissio. Deinde, cùm ostensum sit ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessariam infusionem gratiæ, neque restitutionem peccatoris in propriam amicitiam Dei: nihil assignari potest, in quo hæc peccata habeant annexam connexionem quoad remissionem: ergo potuisset Deus, si vellet, vnum sine alio remittere. Ideò enim nunc de facto in peccatis venialibus remittit vnum sine alio, vt infrà dicam: quia neque in dispositione, neq; in aliqua forma necessariò connectitur remissio vnius cum remissione alterius: ergo idē erit de potentia absoluta in mortalibus.

Soto respōdetur.

Et per hæc satisfactum est fundamento contrarię sententiæ, nullam enim ostendit implicationem contradictionis. Ad confirmationem autem, iam suprà declaratum est, quomodo carentia gratiæ pertineat ad maculam peccati: & quomodo illa durante quasi materialiter, possit formalis ratio maculæ seu habitualis peccati deleri. D. Thom. etiam 1.2. q. 86. art. 1. ad 3. ex eodem principio declarat, quomodo eadem priuatio gratiæ sit diuersa macula per ordinem ad diuersa peccata. Sic igitur posset Deus tollere vnum peccatum sine alio, & facere vt illa eadem priuatio maneret, vt est ab vno peccato, non verò vt est ab alio quod iam manet remissum, & consequenter maneret tūc vt macula vnius peccati, & non alterius. Sicut enim à principio poiuit esse hæc priuatio physica, vt macula vnius peccati, & non plurium; ita etiā potest posteà permanere: quia licèt à pluribus causata intelligatur, tamen non ex hoc præcisè, quòd ab illis inducta est, habet quòd semper sit macula eorū, nisi ratione etiam illorum intelligatur semper durare, & moraliter perseuerare, & hoc posset tollere Deus potentia absoluta, vt dictum est.

D. Tho.

## *Quid dicendum de speciali modo remissionis per pœnitentiam, de potentia ordinaria.*

4. ET ex his quæ in generali dicta sunt de remissione peccatorum, facile est expedire primum punctum de speciali modo remissionis, quę fit media pœnitentia virtute. Nam, quod attinet ad potentiā ordinariam, resolutio suspeniùs facta hìc etiam procedit, quia ostensum est vniuersaliter remissionem peccatorum, secundùm statutas à Deo leges, nunquàm ab isto dari dimidiatam veniā mortalium peccatorum. Ostensum est etiam huiusmodi legem esse connatulem gratiæ, per quam fit formaliter remissio peccati, etiamsi dispositiuè fiat per pœnitentiam.

Contra hanc autem veritatem, nonnullæ obiectiones sumi possunt ex Medina Codice de Cōfessione, tractatu 1. quæst. 12. Summa verò omnium est: quia per omnem contritionem delentur omnia peccata mortalia, de quibus est contritio, & ea tantùm: sed de facto potest dari contritio, quæ sit de quibusdam peccatis mortalibus, & non de aliis: ergo de facto potest dari contritio remittens quædam peccata, & non omnia. Minorem probat variis mediis, quæ eò tendunt, vt probent, non omnē veram contritionem necessariò esse de omnibus peccatis mortalibus, quod nos suprà ostendimus simpliciter falsum esse. Dico autem *simpliciter*, quia neccsse non est cōtritionem omnem ex parte materialis obiecti expresè recogitati esse de omnibus peccatis; quod ad summum probant obiectiones Medinæ: necesse autem est, vt ex vi formalis motiui, atque adeò implicitè seu virtualiter quælibet contritio sit de omnibus peccatis mortalibus; contra quod non procedunt dictæ obiectiones, vt legenti facilè patebit. Et sumi etiā potest ex dictis suprà de cōtritionis essentia & natura. Vnde ad maiorem propositionem hìc assumptam respōdēdum est, per contritionem remitti omnia peccata, quæ per eam formaliter, vel virtualiter homo detestatur. Quòd si quis instet de remissione, quæ fit per attritionem, quam contingit ita esse de vno peccato, vt nec formaliter, nec virtualiter sit de aliis: respondēdum est, attritionem nunquàm per se conferre remissionem peccati sine coniunctione alicuius sacramenti: sacramētum autem non conferre hanc remissionem, nisi infundendo gratiam, quæ omnia peccata mortalia necessariò excludit. Vnde etiam fit, vt nulla attritio sit sufficiens dispositio ad gratiam recipiendam, etiam cum sacramento, nisi se extendat ad omnia peccata mortalia quæ homo cōmisit, quia dispositio debet esse proportionata formæ, & effectui formali eius. Atque ita fit, vt de quacunque pœnitentia sit sermo, scilicet perfecta, vel imperfecta, secundùm legem ordinariam non possit per illam fieri remissio vnius peccati, quin fiat de omnibus.

5. Summa obiectionum Medinæ.

Attritio debet esse vniuersalis, ad remissionem peccati cum sacramento.

## *Quid sentiendum de potentia absoluta.*

ATQVE hinc etiam facilè constat quid dicendum sit de absoluta potentia. In quo aliqua possunt interrogari: vnum est, an possit Deus per solam pœnitentiam imperfectam, nempe attritionem, tollere peccatum mortale absque alia infusione gratiæ, vel maiori immutatione voluntatis: nam si hoc potest, satis clarum esse videtur posse remittere quædam peccata, & non alia, iuxta exigentiam attritionis, conferendo effectum moralem proportionatum formæ, seu dispositioni aut mutationi voluntatis. Quòd autem illud possit, satis videtur constare ex superioribus, quia nulla ratio implicationis, etiam ex iis quæ in aliis casibus apparenter obiici solent, hìc habet locum. 6.

Alia interrogatio huc spectans est, an quando remissio peccati fit per contritionē veram, possit vnum peccatum mortale sine alio tolli. Et ratio dubitandi esse potest, quia vera contritio, etiam per absolutam Dei potentiam, non potest esse de vno peccato, quin sit de omnibus: ergo neque per illam potest vnum peccatum remitti, quin remittantur omnia. Sed nihilominùs etiam hoc modo negandum est implicare contradictionem, vnum mortale peccatum sine alio remitti: cuius rationem suprà tetigi in commentariis. Et nunc magis eam declaro ex differentia inter esse 7.

Ratio dubitandi.

Nō implicat cōtradictionem, vnum peccatum remitti sine alio.

& causare contritionis, ob quam neganda est consequentia rationis factæ. Nam, quòd contritio sit de omnibus peccatis, pertinet ad essentiam eius, quæ consistit in formali motiuo eius: essentia autem rei, & formale obiectum eius est immutabile, nam, si illa mutaretur, iam non esset contritio, sed quidpiã aliud. At verò remittere peccata, pertinet ad causalitatem contritionis, quæ causalitas, vt suprà ostendi, non est formalis, sed dispositiua: neque est omninò naturalis & physica, sed moralis, habens quidem fundamẽtum in essentiali perfectione contritionis, pendens tamen quantùm ad actualem causalitatem ex acceptatione, & ordinatione diuina. Hinc ergo fit vt hæc causalitas non sit ita immutabilis sicut essentia; posset enim Deus non esse contentus quacunque contritione ad remittẽda peccata; sed exigere certam intensionem, durationem, vel quid simile. Hoc enim (quod aliqui Theologi dixerunt) factum iam esse à Deo, certè non est impossibile, nec repugnantiam inuoluens. Sic igitur pari ratione potuisset Deus non per quamlibet contritionem remittere omnia peccata. Nam in primis posset exigere formaliter contritionem peccati in particulari, & expresè recogitati, & consequenter illud solùm remittere, & non alia, ad quæ tantùm virtualiter extenderetur contritio. Deinde posset pro grauiori peccato intensiorem & acerbiorem pœnitentiam postulare, & consequenter ob tantam contritionem remittere peccatum tantæ grauitatis, non verò alia grauiora. Hac ergo ratione etiam per hunc modum remissionis per pœnitentiam propriam & essentialiter perfectam, hoc non implicat contradictionem: neque in hoc aliqua noua difficultas occurrit.

## SECTIO II.

### *Vtrum per pœnitentiam remittatur æterna pœna mortali peccato debita.*

1. QVÆSTIO hæc, sicut præcedentes, potest disputari de potentia ordinaria, & de absoluta. Et quoad priorem sensum Hugo, & Richardus de S. Victore sensisse videntur, nunc de facto remitti interdum culpam mortalem per pœnitentiæ virtutem cum voto sacramenti, non verò reatũ pœnæ æternæ vsque ad ipsam realem sacramenti susceptionem: sed de eorum sententia dicemus infrà, agentes de sacramento. Et ideò illa omissa, dico primò, Remissa mortali culpa, de facto & secundùm legem ordinariam, semper remitti reatum pœnæ æternæ. Est conclusio Theologorum omnium, & certa, traditur in Tridentino, sessione 6. cap. 14. Et ratio eius insinuatur capite septimo, vbi dicitur, in iustificatione accipere hominem non tantùm remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & interiorem renouationem, per quam ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, *vt sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*. Vnde argumentor, quia omnis iustus, & amicus Dei est filius, & hæres: ergo non est subiectus pœnæ æternæ, cùm secundùm præsentem iustitiam iam illi debeatur vita æterna: sed peccatum mortale non remittitur sine hac gratia & iustitia, ergo nõ remittitur sine remissione pœnæ æternæ. Et ideò Paulus ad Romanos octauo inquit, *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*: & infrà, *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: sed spiritus viuit propter iustificationem: si autem spiritus eius habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*: & infrà, *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: si autem filij & hæredes, &c.* & capite sexto: *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habentes fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam*. Hæc ergo sanctificatio excludit mortem, & pœnam æternam. Et ideò (inter alios sensus) statim vocat gratiam, vitam æternam. Et propterea etiam passim in sacra Scriptura verè pœnitentibus simul cum remissione peccati vita æterna promittitur. Et hoc etiam modo dicitur Deus non ampliùs recordari eorum peccatorum, quæ per pœnitentiã deleta sunt, Ezech. 18. & 33. Eodem etiam sensu dicitur non imputare illa, Psal. 31. dicitur etiam auertere faciem suam ab illis, Psalm. 50. Denique apud Sanctos est tam frequens, & constans hæc veritas, vt superfluum sit illos referre. Ratio verò, præter diuinam ordinationem, sumi potest ex natura ipsius gratiæ, quæ facit hominem proportionatum, & dignum gloria, & ideò ex se habet, vt remittat æternam pœnam damni, quæ ipsi gloriæ directè opponitur. Videtur etiam hoc intrinsecè sequi ex ipsa remissione culpæ, vt magis ex secundo sensu quæstionis constabit.

Ezec. 18. & 33. Psal. 31. & 50.

Hinc verò sequitur, eodem modo remitti homini per pœnitentiam æternam pœnam, quo remittitur culpa, scilicet, dispositiuè, & ad summum secundùm meritum de congruo, gratis tamen & absque merito de condigno. Quod apertè significauit Concilium Tridentinum suprà, & ostendetur latiùs infrà in materia de satisfactione. Nũc breuiter ratio est, quia hęc pœna remittitur hoc ipso, quòd homo constituitur filius Dei: sed hoc fit per pœnitentiam dispositiuè, ex parte verò Dei gratis, & ex misericordia: ergo etiam illud. Semper autem intelligendum hoc est comparatione ipsius peccatoris, nam respectu Christi tota hæc remissio ex iustitia fit. Obiici autem potest, quia iuxta probabilem sententiam D. Thomæ, peccator in eo instanti, in quo iustificatur, meretur de condigno primam gloriam: ergo meretur non carere illa perpetuò, ergo meretur remissionem pœnæ æternæ. Dato tamen antecedente, negatur consequentia, quia vita æterna duplicem habet respectũ, scilicet hæreditatis, & præmij: licèt ergo peccator iustificatus illam mereatur vt coronam, & præmium, tamen iam supponitur habere ius ad illam vt ad hæreditatem; ita vt nihil nouum mereatur, sed illud idem nouo titulo obtinendum, & ideò tale meritum iam supponit remissum reatum æternæ pœnæ, ideoque talis remissio non potest cadere sub tale meritum.

2: Sicut dispositiuè per pœnitentiã remittitur culpa, ita pœna æterna.

Obiectio.

Soluitur.

### *Quid dicendum de pœnitentia absoluta.*

IAM verò quæstio supereſt, an saltem de potentia absoluta possit Deus remittere culpam, non remittendo æternam pœnam, Scotus, & Gabriel dict. d. 14. & Medina dict. quæst. 7. negant hoc posse fieri. Et fundantur in hoc, quòd post actuale peccatum transactum, nihil in homine manet nisi reatus pœnæ æternæ, ita vt esse in peccato mortali, nihil aliud sit, quàm esse debitorem atque reum pœnæ æternæ. Et ita intelligunt Augustinum libro primo de Nuptiis, cap. 26. dicentem, peccata transire actu, & manere reatu. Et ferè idem legitur apud Basilium in Constitutionibus monasticis, c. 5. Ex quo fundamento euidenter sequitur, non posse remitti culpam mortalem non remisso reatu æternæ pœnæ, quia sunt omninò idem.

3. Quorũdam opinio. Scotus. Gabr. Medin.

Augustt.

Basil.

De lege ordinaria, remissa mortali culpa, remitti reatũ pœnæ æternæ. Assert. 1. Conc. Trid.

Rom. 8.

Hoc

4. Fundamentũ reiicitur. D. Tho.

Hoc verò fundamentum nobis non probatur, sed potiùs supponimus illa duo esse moraliter distincta, vt tradit D. Tho. 1.2. quæst. 86. & 87. vbi de hac re ex professo agit. Et hæc est etiam communior opinio Theologorum in 4. d. 14. & 15. Et ratio breuiter est, quia macula peccati pertinet ad ordinem mali culpæ, & constituit hominem moraliter deformem, & inimicum Deo: debitum autem pœnæ pertinet ad ordinem mali pœnæ, vnde præcisè sumptum, non constituit hominem peccatorem. Propter quod in peccato originali tradunt Concilia, ex Adamo ad nos dimanare, non solùm pœnæ reatum, sed etiam id quod habet veram rationem culpæ. Et è contrario, quando nunc remittitur culpa, non remittitur tota pœna, vt sequenti Sectione dicam, & consequenter, nec remittitur totus reatus, seu totum debitum, & tamen remittitur tota culpa: est ergo inter hæc aliqua moralis distinctio constituenda.

5. Possitne culpa sine pœna æterna remitti. Pars affirmans suadetur.

Hinc quæstio proposita oritur, an in remissione separari possint, culpa, & pœna æterna, vel sint necessariò connexa: nã. cum sint distincta, videntur posse separari. Item, quia manente culpa, posset Deus remittere pœnam, ita vt proximè, vt sic dicam, non sit homo debitor illius, etiamsi radicaliter sit dignus illa ratione culpæ: ergo è contrario posset Deus tollere habitualem culpam, & tamẽ relinquere hominem ordinatum ad æternam pœnam. Confirmatur, nam Deus de potentia absoluta posset hominem iustum, & qui nihil vnquàm peccauit, priuare æterna beatitudine, imò & quocunque dolore afficere, non per modum pœnæ, quæ respectum dicit ad culpam, sed quia, vt supremus Dominus potest sua creatura vti vt voluerit: ergo, si in creatura supponitur culpa digna tali pœna, potest illud æternum malum illi infligere per modum pœnæ, etiamsi illi remittat culpam.

6. Replica. Enodatur.

Dicetur fortasse, æternitatem pœnæ, vt sic, necessariò auferri ablata æternitate culpæ, atque adeò etiã ablata culpa, quia mortale peccatum non est dignum æterna pœna, nisi quatenus ipsum æternè durat. Sed hoc non est ita, vt constat ex materia de peccatis: tota enim dignitas pœnæ, quæ est in peccato mortali, est in ipso actuali peccato, etiamsi momentaneum sit: sicut totum meritum æterni præmij est in actu virtutis, etiam momentaneo: ergo ratione ipsius actus potest Deus eandem pœnam infligere, quamuis habitualem culpam tollat. Et confirmari potest, nam in peccato veniali videtur Deus sæpe remittere culpam relicta tota pœna illi debita, de quo in quæstione octogesimaseptima.

7. Rationes pro contraria sententia. D. Aug.

In contrarium verò est, quia, licèt habitualis culpa, & reatus pœnæ ratione distinguantur penes diuersos respectu rationis, tamen in re videntur esse omninò idem, quia per ipsammet culpam fit homo dignus pœna. Propter quod dixit August. peccata transire actu, manere reatu: ergo impossibile est omninò culpam mortalem auferri, & manere eundem prorsus reatum pœnæ æternæ. Et confirmatur, quia, si homo manet dignus æterna pœna & vindicta, ergo manet inuisus Deo, & dignus odio eius: quia odium diuinum nihil aliud esse videtur, quàm hæc æterna ira, ex qua vindictam sumit de peccatore: quia Deus, neque gratis, neq; alio modo habet odio creaturam suam: sed peccatum, cùm physicè nihil positiuum relinquat, non censetur alio modo manere moraliter, nisi quia relinquit hominem dignum hoc odio Dei: ergo, si hoc totum manet, intelligi non potest quid ablatum sit, cùm dicitur culpa remissa.

8. Resolutio.

Hæc disputatio non videtur magni momenti, & ideò liberum esse potest hoc, vel illo modo in illa sentire. Ego tamen breuiter ita censeo, aliud esse loqui de pœna æterna in communi, aliud de pœna æterna prout nunc de facto illam patiuntur damnati in inferno. Hoc posteriori modo existimo impossibile post remissionem culpæ mortalis manere hominem dignum tali pœna. Quia illa pœna talis modi est & generis, vt intrinsecè supponat peruersam voluntatem & inimicitiam inter eum qui illam patitur, & autorem eius, includit enim talem statum, in quo & voluntas sit obstinata in malo, & intellectus apprehendat Deum vt inimicum: vnde fit, vt illa voluntas perpetuo odio habeat Deum, & specialem tristitiam, & vermem etiam conscientiæ habeat: quæ omnia non potest habere voluntas ordinata, & peccato carens. Hæc ergo æterna pœna repugnat post remissionem culpæ, non propter æternitatem, vt sic, sed propter speciem & modum eius; & propter obiecta, quæ requirit, quæ destruuntur remissa culpa.

Pœna dãnatorũ nõ potest indigi cum peccatũ remissũ est.

At verò, loquendo priori modo, non video repugnantiam quòd Deus aliquo genere pœnæ in æternum possit punire culpam remissam, de potentia absoluta loquendo, vt argumenta in principio facta videntur ostendere. Hæc enim duo mala, culpæ, & pœnæ, sunt diuersarum rationum, & quamuis vnum in alio fundetur, tamen culpa semel existens, potest relinquere sufficientem rationem pœnæ proportionatæ, & quæ existentiam culpæ non requirat: sicut inter homines post remissam culpam habut suum locum pœna. Declaratur, quia nulla in hoc potest ostendi repugnantia, quòd Deus homini peccatori conferat gratiam & iustitiam, & consequenter eum iam tanquàm iustum diligat, illiq́ue peccatum remittat, & tamen quòd legem statuat nunquàm illi dãdi gloriam quanuis sit suo modo debita gratiæ, ratione iniuriæ, sibi factæ. Vnde, etiam nunc ipsa acceptatio ad gloriam, quamuis sit suo modo debita gratiæ, & connaturalis illi: tamen simpliciter est libera & voluntaria Deo, atque adeò suo modo gratia, de potentia absoluta separabilis ab interna iustitia: non ergo implificat conrradictionem aliquam, æternam pœnam manere post culpam remissam.

9. Potest tamẽ alia quælibet pœna.

## SECTIO III.

### *Vtrùm per pœnitentiam tota pœna temporalis remittatur.*

1.

DVo possunt in præsenti quæri; vnum est, an illa pœnitentia, quæ obtinet remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, semper obtineat necessariò remissionem omnis pœnę temporalis. Alterum est, an aliqua pœnitentia possit tollere omnem pœnam temporalem. Et in vtroque errant hæretici huius temporis. Nam primùm dicunt, remisso peccato, omnem omninò pœnam remitti. Ex quo deinde inferunt nullam pœnam posse per nostram pœnitentiam tolli, sed necessarium esse vt Deus gratis illam condonet: & inde incidunt in alios errores negando purgatorium, indulgentias, &c. Fundamenta illorum sunt illa communia, quòd Christus infinitè nobis meruit, & pro nobis satisfecit, & quòd est præsumptio humana velle satisfacere Deo pro re aliqua. Deinde in præsenti applicant illa testimonia, quibus nos suprà probauimus remitti pœnam æternam. Nam promisit Deus se daturum obliuioni peccata per pœnitentiam remissa; satis autem eorum recordaretur, si illa vel temporaliter puniret. Item quia opera Dei sunt perfecta: & quia gratia non est minùs efficax, quàm

Error hæreticorum.

culpa,& similia,quæ latiùs videri possunt in moder- A
Castro. Hosius. Bellarm. Clictou. nis,qui contra illos scribunt,præsertim Castro contra hæreses,verb. *Pœnitentiâ*, hæresi 3. Hosio in confessione,c.48. Vega li.13.in Tridentinum,c.37. & 38. & Bellarm.toto lib.4.de Pœnitentia, Clictouæ. li.3. Antilutheri, cap.3.

---

*Remissa culpa per pœnitentiam, non semper remitti totam temporalem pœnam.*
*Assertio 1.*

2. VERA autem doctrina Catholica in tribus propositionibus consistit.Prima est,Remissa culpa mortali per pœnitentiam,non semper remittitur to- B
ta temporalis,pœna.Est de fide,definita in Concilio Tridentino,sessione sexta, capite decimoquarto, &
Conc. Tr. trigesimo , & sessione quarta, capite secundo, & octauo, & can.12.13.& 14.Et sumitur ex sacra Scriptura,nam
2.Reg.12. & 14. 2.Reg.12.& 14. ita Deus remisit culpam Dauid, vt temporalem quandam pœnam remittere noluerit:& idem legimus de Moyse, Aaron, & aliis Numer.decimoquarto,& vigesimo.Peccatum etiam originale nobis remittitur, & ipsum actuale remis-
Sapien. August. sum fuit Adamo Sapient. 10. & tamen temporales pœnæ seu pœnalitates, tam in illo, quàm in nobis manent, vt notauit August.lib.2.contra Faustum ca. 67.& 2.de Peccatorum meritis,c.34. & latè ac optimè lib.de ver.& falsa pœnit.cap.15. & 18. Sic etiam C
Gregor. intelligit Gregorius li.9.Mor.ca.17.illud Iob.9.*Sciens quia non parceres delinquenti:* quia, licèt remittat iniuriam,non tamen pœnam omnem sine condigna satis-
Chrysost. factione,vt latiùs tractat etiam Chrysost.hom, 5. de Pœnit.

3. Nec refert, quòd in citatis locis Scripturæ sacræ sermo sit de pœnis huius vitæ:nam in primis id satis est,vt sit falsa sententia hæreticorum, & inualidæ rationes eorum: quia prædictæ pœnæ non erant tantùm medicinales, sed propriè in vindictam delicti commissi:ergo,simpliciter loquendo, potest manere aliquis reatus pœnæ post culpam remissam:ergo, sicut illa pœna potest esse huius vitæ,ita & alterius, si D
in hac non sustineatur, nam à paritate rationis est optimum argumentum. Et præterea inde concluditur , quòd si in hac vita talis pœna non soluatur , in altera luenda sit, nam hoc ratio iustitiæ postulat: & hoc est quasi fundamentum ponendi purgatorium, de quo posteà tractandum est. Sicut etiã ante Christi aduentum erat ille locus,qui Sinus Abrahæ vocatur, in quo detinebantur iusti,quia nondum satisfactum erat pro tota natura. Deinde in hac etiam veritate fundatur necessitas indulgentiarum,vt in vltima huius libri parte ostendetur.Denique tertia pars Sacramenti pœnitentiæ,& exhortationes sacræ Scripturæ, & Patrum ad opera satisfactoria facienda etiam post veniam culpæ obtentam , in hac veritate fundantur: quæ omitto,quia frequentissima sunt. Et in Decreto etiam de Pœnitentia inuenientur multa.Et in Decre- E
talibus titulo de Pœnit. & remiss. præsertim capit, *Deus qui.* & cap.*Omnis vtriusque sexus.*

4. Conclusio probatur ex Patribus. Greg. Tertull. Pamel. Cyprian. August. Denique ex Patribus videri possunt Gregorius homil.20.in Euangelia, tractans ad hoc propositũ illud Lucæ 3.*Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et Tertull. li.de Pœnit.præsertim in principio , vbi Pamelius in principio aliqua congerit,& Cyprianus li.de Lapsis, vbi grauiter reprehendit eos , qui facilè admittebant lapsos ad communionem ante magnam pœnitentiam peractam. De qua re multa etiam habet epistola 10. 55. & 59. Rectè etiam August. in Enchiridio, cap.70,& sequentibus , & Enarratione in Psalmum quinquagesimum,circa illa verba,*Ecce veritatem dilexisti*, inquit , *Veritatem dilexisti,id est,impunita peccata, etiam eorum , quibus ignoscis , non reliquisti.* Et libro quinquaginta homiliarum, homilia quinquagesima, & capite decimoquinto , & de vera, & falsa pœnitentia,capite 18.sic inquit,*Conuersus vita viuet,non tamen promittimus quòd euadat omnem pœnam.* Idem sæpe Ambrosius libro de Pœnitentia,& libro ad Virgi- Ambr.
nem lapsam, præsertim capite octauo:& alij frequẽter.Et videri etiam possunt suprà citata disputatione secunda de Actu exteriore pœnitentiæ, & disputatione tertia de quantitate pœnitentiæ,vbi,vt vidimus, sæpe Sancti docent, de grauioribus peccatis maiorem esse agendam pœnitentiam,quæ omnia fundantur in hoc principio. Et suprà tractando de actu exteriori pœnitentiæ,nonnulla attigi,& infrà plura,disputando de satisfactione.

Ratio à priori est diuina ordinatio , de qua nobis satis per fidem constat. Estque valdè cõsentanea ra- 5. Ratione probatur assertio.
tioni, nam Deus,sicut est misericors,ita & iustus, & ideò sicut gratis remittit culpam ex misericordia , & consequenter etiam æternam pœnam, quia pro his nihil potest homo condignum agere:ita iustitia postulat,vt non relinquat culpam sine pœna, vindictaque proportionata.Deinde ratio prouidentiæ hoc etiã exigit, ne facilitas veniæ sit hominibus occasio peccandi,vt suprà tetigimus:& prosequitur Augustinus citatis locis,& Cyprianus lib.de Lapsis.Denique hoc declarat Concilium Tridentinum,ex differentia inter Baptismum,& pœnitentiam. Quam declarauit Paulus ad Hebræos 6. Est enim Baptismus regeneratio quædã, & per se remittit peccatum ab alio tractum, & consequenter etiam actualia commissa in statu imperfecto, in quo homo carebat & viribus gratiæ , & lumine fidei:& ideò fuit conueniens, vt ibi omninò extinguerentur peccata,& renouaretur homo. At verò pœnitentia remittit peccata etiam commissa post Baptismum,& illuminationem fidei,& regenerationem in Christo:& ideò non applicatur tanquàm alia regeneratio, sed tanquàm medicina sanans quidem, sed non omnem pœnam remittens , seu non tollens omnem cicatricem, vt dicit Orig. hom. 8. Prætereà Origen.
fuit hoc conueniens , vt homines per satisfactionem ipsam ampliùs coram Deo mererentur, & vt cooperarentur prout possent ipsi remissioni peccatorum, nam pro pœna æterna satisfacere non poterant: & ideò ad diuinam gratiam pertinuit illam gratis remittere : pro temporali verò poterant , & ideò decuit , vt pro illa satisfacerent. Quam rationem rectè explicat Augustinus 2. de Peccatorum meritis, August.
cap. 39.

Et ita facilè expediũtur motiua hæreticorum:nam 6. Soluuntur motiua hæreticorum.
est quidem satisfactio Christi infinita , nobis tamen non semper eodem,sed proportionato modo applicatur.Et similiter Dei opera sunt perfecta:tamen eorum perfectio non consistit in hoc,quòd semper eodem modo,vel statim à principio totum efficiat,maximè quando operatur cum causis secundis:sed consistit in hoc , vt vnumquodque operetur secundùm perfectam prouidentiæ rationem. Denique dicitur Deus non recordari peccatorum remissorum,& quia ampliùs non redeunt, vt infrà dicam,& quia ratione illorum iam non respicit hominem vt inimicum, nec simpliciter ab illo auertitur, quanuis vt amicum illum puniat, donec eum perfectè purget ac mundet.

*Pœnam*

*Pœnam temporalem relictam post remissum peccatum, non semper esse æqualem. Assertio 2.*

7. SECVNDA propositio est, pœnam tẽporalem, quæ post remissum peccatum manet, non semper esse æqualem, etiam pro eisdem peccatis, sed maiorẽ, vel minorem esse iuxta proportionem contritionis: ideóque talem, ac tantam posse esse contritionem, vt omnẽ pœnam temporalem remittat. Ita sumitur ex D.Tho. D.Thom. hic art. 4. clariùs 4. contra gent. c. 72. Et est communis Theologorum. Et ita censent Patres, atque expositores Luc. 7. accidisse in facto Magdalenæ: & hunc sensum habere illa verba Christi: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, scilicet, de plena remissione proportionata dilectioni. Ratio prioris partis est eadem ferè, quæ in præcedẽti assertione, scilicet, quia debita proportio iustitiæ hoc postulat, saltem secundùm conuenientem prouidentiam, sicut suprà dicebamus, & dicit Cõcil. Trid. infusionem gratiæ maiorem esse in eo, qui meliùs disponitur. Item, quia remissa contritio cum alio opere pœnali posteà facto, plus pœnæ tollit, quã sola remissa cõtritio: sed actus cõtritionis intẽsus potest moraliter plus æstimari & valere, quã contritio remissa simul cũ alio opere pœnali: ergo etiã per cõtritionẽ in tẽsã plus pœnæ remittetur, quàm per solã remissam.

8. Caietani dictum reiicitur. Et hinc facilè cõcludetur altera pars, scilicet, tam perfectam & intensam posse esse contritionem, vt totam pœnam temporalem auferat, ex argumento proportionali. Addit verò Caietanus, eandẽ cõtritionem nunc in lege gratiæ cæteris paribus relinquere reatum minoris pœnæ temporalis, quam anteà, propter votum sacramenti pœnitentiæ, quod includit. Ita habet tom. 1. Opus. tract. 4. q. 4. Sed propriè non inuenio discrimen: nã si intelligat remitti aliquid ex opere operato propter solum votum, est falsum, vt suprà dixi. Si ex dispositione operantis, vel loquitur de voto implicito tantùm: & hoc non sufficit ad illum effectum, quia non reddit actum meliorem, nec magis pœnalem, si verò loquitur de voto explicito, iam non sunt cætera paria, quia peccator nunc habet nouum actum satisfactorium.

9. Assertio 3. Tertia propositio est, eam pœnã, quæ relinquitur post remissam culpam per primum pœnitentiæ actum, posse tolli per subsequentes actus pœnitentiæ. Hæc etiam est de fide, definita in Tridentino suprà. Et fundatur in satisfactione iustorum per opera pœnalia, de qua commodiùs dicam tractando de tertia parte Sacramenti pœnitentiæ: & ideò in illum locum illam remitto.

*Quomodo æterna pœna in temporalem commutetur. Dub. 1.*

10. Ratio dubij. CIRCA has verò tres conclusiones tria breuia dubia declarãda occurrũt, vt veritates propositæ meliùs intelligantur. Primum dubiũ est, quo modo æterna pœna in tẽporalẽ cõmutetur, vt in prima conclusione supponi videtur. Et ratio dubij esse potest, quia pœna æterna, cùm sit pœna inferni, prorsus remittitur: Deus autem remittendo vnam pœnã, non imponit de nouo aliam. Maximè, quia culpa prorsus tollitur, & non commutatur, vt sic dicam, in minorem: pœna autem comltatur culpam. In hac re Caiet. 1. tom. Opus. tract. 4. q. 4. & Sot. d. 15. q. 1. art. 4. ex D. Thom. respondent in peccato duo esse, auersionem à Deo, cui per se respondet pœna æterna, & pœna damni propter infinitatem personæ offensæ: & conuersionem ad creaturam, quæ ex se malitiam habet finitam, cui propterea respondet pœna sensus, quæ ex vi conuersionis non est æterna: per accidens autem fit æterna per coniunctionem ad auersionem. Remissa ergo culpa, dicunt tolli omninò auersionem, & consequenter etiam totam pœnam, per se æternam, quam Deus gratis remittit, quatenus offensioni sibi factæ respondet: non remitti autem pœnam debitam ratione conuersionis: sed illam eandem temporalem manere, ablata coniunctione ad auersionem. Atque ita nulla ibi fit commutatio, sed sola remissio vnius pœnæ, qua ablata, manet altera temporalis.

Caie. & Soti opinio.

In hoc verò modo explicandi tria dici videtur, mihi creditu difficilia. Primum est, reatum pœnæ temporalis, qui manet remissa culpa, esse ratione solius conuersionis, & non ratione auersionis. Aiunt enim, pœnam respondentem auersioni prorsus auferri; aliam verò conuersioni debitam, manere. Illud autem alienum videtur à modo loquendi Sanctorum, & Conciliorum: nam potissimè dicunt satisfacere iustos, etiam post remissam culpam, pro offensa, quam in Deum commiserunt, satisfaciunt autem pro pœna relicta: ergo illa maximè debetur propter auersionem à Deo. Neque aliud est consentaneum diuinæ iustitiæ, maximè enim debet punire id, quod in peccato grauius est: maior est autem malitia auersionis quàm conuersionis. Præterea hoc etiam suadet grauitas pœnæ purgatoriji, in qua & est suo modo pœna damni temporalis, consistens in carentia visionis diuinæ pro eo statu, & pœna etiam sensus grauissima: ergo non est verisimile illam infligi propter solam conuersionem, & non magis propter auersionem à Deo. Vnde etiam virtus pœnitẽtiæ, quæ est quædam iustitia ad Deum, & per se intendit punire peccatum quatenus est iniuria Dei, sub hac ratione intendit satisfacere pro pœna temporali, vt suprà declaratũ est: ergo signum est talem pœnã esse in vindictã peccati, maximè quatenus est iniuria Dei, atque adeò ratione auersionis. Sicut Dauid 2. Reg. 14. cõdonauit peccatum, & iniuriam à filio Absalone commissam, ita tamen vt facié suã non videret: quæ erat quædã pœna, cui cum proportione respondet in peccato & apud Deum temporalis pœna damni, quæ sine dubio maximè relinquitur propter offensionem Dei: adeò vt peccatum veniale dignum sit illa pœna propter aliqualem Dei offensionem.

11. Prima difficultas illius Pœnitentię.

2. Reg. 14.

12. Altera difficultas eiusdem opinionis.

Secundò sentiũt dicti Auctores temporalem pœnam, quæ manet remissa culpa, esse eandem omninò, quæ anteà debebatur ablata æternitate. Hoc autem non videtur verum, quia altera est pœna inferni, altera purgatorij, per se loquendo. Et quod attinet ad pœnam damni, cuius ipsi mentionem non faciunt, quanuis priuatio physicè considerata eiusdem rationis sit temporalis, & æterna; tamen in modo, & ratione pœnæ magnam habet diuersitatem: quia cùm est æterna, habet desperationem coniunctam, quæ tristitiam incredibilem, & alterius rationis infert: quando verò est temporalis, habet coniunctam spem certam. Vnde, licèt ipsa detẽtio patriæ magnam causet tristitiam, admittit tamen secum ingens gaudium proueniens ex spe. Pœna etiam sensus, licèt fortasse quoad substantiam ignis sit eiusdem naturæ physicæ: quoad combustionem verò, seu actionem doloriferã fortasse est diuersa: & licèt hoc incertum sit, tamen quoad detẽtionem in tali loco, in quo tanta est confusio, & deornatio, sine dubio est diuersæ rationis: atque etiam quoad obstinationem in malo, & quoad alios effectus qui inde consequũtur: ergo formaliter loquendo de pœna conuersionis, per remissionem culpæ, non solùm æternitas in temporalitatem (vt sic dicam) sed simpliciter vna pœna in aliam commutatur.

Tertiò

13. Reiicitur quoad tertium.

Tertiò indicant Auctores dicti, præsertim Caietanus, pœnam per se æternam prorsus tolli, quia inordinatio auersionis omninò tollitur: inordinationem autem conuersionis non omninò tolli, & ideò manere alteram pœnam. Sed interrogo quid intelligant per inordinationem conuersionis. Aut enim est ipsa malitia moralis, quæ in commissione peccati fit, & permanere dicitur moraliter adhuc remissa culpa. Et hoc est falsissimum, & contra sanam doctrinam, quia culpa mortalis integra remittitur: & sicut in actuali culpa nunquàm separatur cõuersio ab auersione proportionata, ita neque in habituali culpa. Et hoc planè sensit Concilium Tridentinum suprà, & omnes qui hoc tempore scribunt contra hæreticos dicẽtes, peccata non omninò auferri quoad culpam, cùm remittuntur. Si verò per inordinationem intelligant, aut habitum vitij permanentis, aut illam inæqualitatem quæ est in carentia debitæ satisfactionis: primò vtrũque habet locum in auersione: & ideò fine causa constituunt in hoc differentiam inter conuersionem, & auersionem. Deinde, prior sensus est impertinens ad rem præsentem, & non habet verum in omnibus: nam potest quis nullum habere habitum vitij, & adhuc habere reatum pœnæ temporalis, quod in animabus purgatorij est euidentissimum. Et è contrario potest totus pœnæ reatus esse ablatus, & quòd adhuc maneant aliæ reliquiæ peccatorum, vt patet ex dictis in articulo quinto. Posterior verò sensus non potest esse intentus ab illis Auctoribus, perinde enim est ac si diceretur, ipsum reatum pœnæ temporalis vocari inordinationem conuersionis: ipsi autem dicunt illum reatum manere, quia manet inordinatio conuersionis: quod dici non posset si essent idem. Et prætereà est impropriissima locutio. Ac denique posset eadem ratione ad auersionem accommodari.

*Pœnam æternam commutari in temporalem.*

14. Durand. Medin.

Qvapropter alij Theologi censent hoc fieri per commutationem vnius pœnæ, quæ æterna est, in aliam quæ est temporalis. Ita sentit Durandus in 4.d.17.q.3. Medina tract.1.de Pœnitentia, q. 7. & tract.3.q.1. Et mihi videtur vera sententia. Ad quam explicandam inquiri vlteriùs potest, an hæc commutatio arbitrio Dei fiat, vel ex natura rei consequatur. Non enim desunt, qui totum hoc negotium attribuant rerum naturis, absque speciali interuentione diuinæ voluntatis. Quia quòd pœnitentia tollat æternam pœnam, non est ex voluntate Dei speciali, sed ex se id habet, quia per se iustificat, & iustificatio ex se reddit hominem dignum vita æterna, & non dignum æterno supplicio. Rursus, contritio non ita expellit æternam pœnam, vt necessariò reddat hominẽ absolutè non dignum vlla pœna etiã temporali, alioqui nõ posset iustè puniri tali pœna, nec Deus posset sua sola voluntate illam pœnam imponere sub ratione pœnæ, licèt posset illud malum infligere. Quia non potest Deus per se facere hominem dignum pœna. Ergo ipsa contritio per se non abstulit omninò dignitatem pœnæ, sed commutauit illam in reatum pœnæ tẽporalis. At profectò in intelligibile est, quomodo hæc commutatio fiat sine interuentu ordinationis diuinæ per solam naturam actuum nostrorum. Est quidem rationi iustitiæ consentaneum, vt Concilium Tridentinum dixit, Deum exigere iustam vindictam pro culpa præterita, quanuis gratis remittat offensam propter solam contritionem. Et hoc modo habet hæc commutatio fundamentum in ipsa rei natura; necessariò tamen compleri debet per diuinam ordinationem. Imò, cùm pœna æterna gratis remittatur, iuxta sanam doctrinam, quòd illa remissio non sit totalis, vt sic dicã, sed per commutationem in temporalem pœnam, talem, & tantam, non potest esse, nisi ex voluntate eius qui remittit pœnam, vt rectè sentiunt citati Doctores, & Alens. 4.p q.24.memb.1. Scotus in 3.d.22.q.vnic.art.2. Vega lib.13. in Tridentinum, cap.28.

Alens. Scotus. Vega.

15.

Ad hanc igitur commutationem declarandam, dicendum existimo, Deũ ex æternitate sua instituisse, & taxasse singulas pœnas pro peccatis reddendas secundùm diuersos status eorum (sine hac enim diuina ordinatione nihil posset esse certum & definitum in his rebus) statuit ergo, vt tali peccato mortali si perpetuò in homine maneret, talis æterna pœna responderet: si verò committeretur quidẽ, nõ tamen perpetuò maneret alia pœna, & alterius modi & temporalis illi responderet, non solùm ratione comuersionis, sed etiam ratione auersionis, ac denique ratione totius malitiæ, quam habuit: hoc enim, vt existimo, rectè probant quæ in prima & secunda obiectione adducta sunt. Et ita facilè intelligitur, ablata culpa, mutari statum eius, quia iam non potest perpetuò durare, & ideò iam non potest esse illi debita, nisi pœna temporalis, non quidẽ propter aliquam moralem malitiam eius, quæ moraliter maneat, vt rectè probat tertia obiectio, sed solùm quia commissa fuit, & nondum pro illa plenè satisfactum est. Hoc enim sufficit vt peccatum commissum iustè puniatur. Intelligitur etiam hinc quomodo cùm remittitur culpa, commutetur pœna æterna in temporalem, quia reuerà, propriè loquendo, non est vna & eadem; sed vna succedit alteri: non quia Deus in iustificatione nouam pœnam imponat, sed quia æterna lege statutæ sunt diuersæ pœnæ, respondentes peccato, & commensuratæ illi secundùm diuersos status eius. Et possunt omnia dicta confirmari ratione, quam indicauit Alexander Alens. 4.p.quæst.17.memb.1.articulo primo, §.vltimo, aliàs quæst.68.memb.1. art. vltim. quia interdum vnum peccatum secundùm conuersionem grauius est, & secundùm auersionem minùs graue, & è cõuerso: semper tamen illud, quod in auersione est grauius, simpliciter grauius est: & ideò punitur grauiori pœna, non solùm damni, sed etiam sensus, & nõ solùm æterna, sed etiam temporali cæteris paribus: ergo signum est, totam hanc pœnam, & contritionem eius fieri non solùm respectu conuersionis, sed etiam respectu auersionis: fit ergo modo prædicto, quia nullus alius facilior, aut magis consentaneus rationi esse potest.

Alens.

16. D. Thomas explicatur.

Non existimo tamen D. Thomam illi esse contrarium, voluit enim propriam totius rei rationem reddere, & ideò aliquãtulùm obscuriùs locutus est. Ejus tamen intelligentia ab eodem petenda est in 4. dist. 14.quæst. 2.art.1.quæst.2.vbi inquit, in peccato duo esse consideranda: alterum, quòd lædit amicitiam diuinam, & hoc modo destruit gratiam & charitatem: alterum quòd Deo infert iniuriam, propter quod est dignum pœna secundùm ordinem diuinæ iustitiæ, quæ tamen pœna æterna est propter coniunctionem cum primo, id est, cum inimicitia Dei. Vbi obiter addo, quòd sicut hæc cõiunctio grauis iniuriæ Dei cum inimicitia eius non est accidentaria, sed per se & quasi intrinseca (graues enim iniuriæ per se lædunt amicitiam) ita quòd peccato mortali, vt est grauis iniuria Dei, respondeat æterna pœna, non est accidẽtarium, sed per se debitum tali peccato, quanuis ratio æternitatis pœnæ sumatur & pendeat ab auersione & inimicitia. Hoc ergo loco nomine auersionis intelligit D. Thomas hanc inimicitiam Dei, quam peccatum mortale secum affert: & hanc verè dicit prorsus tolli in iustificatione per remissionẽ mortalis culpæ, quia diuina gratia & amicitia integrè restituitur, adeò vt

iam

iam puniri non possit vt inimicus, etiamsi aliquis reatus maneat. Quod totum debuit necessariò esse opus gratiæ, quia homo manebat in peccato, & existens inimicus non poterat ipse per se ad amicitiam redire: restitutus verò iam ad amicitiam, potest aliquo modo satisfacere pro peccato, quod D. Thomas hîc exposuit per cõuersionem quam habet peccatum ad creaturam. Per quam non solùm intelligit malitiam moralem, quam habet talis conuersio, vt est circa tale obiectum; sed etiam vt est contra diuinum honorem, vt citato loco explicuit. Soto etiam hîc, si in rationibus suis sit constans, expressè fatetur. Pertinuit ergo ad ordinem diuinæ iustitiæ, etiam post ablatam inimicitiam ab homine, vindicare in eo iniuriam: hoc enim non repugnat amicitiæ: & est consonum iustitiæ. Sicut inter homines, si amicus iniustè occupet res alterius amici, quanuis alter offensam remittat vt est contra amicitiam, potest exigere iustam recompensationem: sic ergo Deus. Præsertim, quia, licèt sit amicus, est etiam supremus iudex & moderator: & ideò, quanuis gratis reuocet hominem ad amicitiam suam; nihilominùs vt iudex potest, & suo modo debet malè facta punire. Debuit autem hæc pœna post restitutam amicitiam esse temporalis, quia pœna æterna est propria inimici: vnde æternitas eius pendet quasi in conseruari ab auersione & inimicitia.

Rom. 8. Quomodo dicit Paul. ad Rom. 8. Nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo Iesv, non quia nulla pœna possit illis imponi, vt malè hæretici exponunt, sed quia illa non est æterna, neque ad damnationem pertinens, sed ad satisfactionem, & purgationem. Et propterea etiam dicit D. Thomas, auersionem (id est, inimicitiam) omninò tolli, manere autem inordinationem conuersionis, non secundùm affectum, nec quia macula moralis aliquo modo maneat, sed secundùm effectum, & quia in re ipsa semper manet quædam inæqualitas, quandiu satisfactum non est iniuriæ factæ. Vt enim dixit Aristoteles, culpa per pœnã reducitur ad ordinem iustitiæ: & ideò semper manet inordinatio, aut inæqualitas quædam, quandiu non fit plena satisfactio vel punitio. Quam expositionem etiam attigit, & indicauit Soto. Et ita facilè consonant omnia.

---

## *An quoties remittitur culpa, & pœna æterna, remittatur aliquid pœnæ temporalis. Dub. 2.*

17. SECVNDA dubitatio est, an quoties remittitur culpa, & pœna æterna, remittatur aliquid pœnæ temporalis, quia iuxta modum à nobis positum videtur nihil posse remitti. Nam, si fit commutatio vnius pœnæ in aliam, non potest in eodem instanti illa pœna temporalis, in quam æterna commutatur, remitti. Sicut non potest eadem qualitas in eodem instanti fieri, & remitti. Contrarium autem videtur sumi ex secunda assertione à nobis posita: diximus enim, cæteris paribus, ob inæqualitatem dispositionis, minorem pœnam relinqui in vno, quàm in alio: signum ergo est illam remitti. Atque id ferè sentiunt Theologi suprà citati. Durand. Caietanus, Medina, Soto, atque etiam Alensis 4. p. q. 17. memb. 4. artic. 4. aliàs q. 70. memb. 4. solus Durandus dist. 17. q. 3. videtur hoc limitare, vt locum non habeat quando cõtritio est minima, nam tunc commutatio fit in integram pœnam temporalem: quando verò contritio est maior minima ratione illius argumenti dicit remitti aliquid pœnæ temporalis. Medina verò, & alij, qui non admittũt illud minimum, dicunt semper remitti aliquid, quia semper contritio est maior quàm necessaria esset ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ: & ratione illius

Dur. Caiet. Medin. Soto. Alens.

A exceſſus dicunt tolli aliquid pœnæ temporalis. Hanc verò remissionem, aiunt, includi, & per modũ vnius fieri per ipsam commutationem: nam quia, cæteris paribus, commutatio fit in minorem pœnam propter meliorem dispositionem, illa diminutio pœnæ est quædam remissio. Caietanus verò & Soto aliter declarant, nam per contritionem secundùm se & absolutè sumptam dicunt tolli æternitatem pœnæ: & ita ex vi solius remissionis culpæ & pœnæ æternæ manere integram temporalem pœnã: deinde verò propter modum contritionis seu dispositionis aliquid illius Deum condonare. Non explicant autem hi Auctores, an hæc partialis remissio pœnæ temporalis fiat gratis à Deo, sicut remissio æternæ pœnæ; an verò per satisfactionem condignam operantis.

18. Pars affirmatiua vera. Remissio hæc fit de condigno.

B Et mihi quidem placet hæc assertio, quoties culpa, & pœna æterna remittitur per pœnitentiam virtutem, seu per contritionem, aliquid temporalis pœnæ remitti. Neq; est necessaria limitatio Durãdi, siue detur minima contritio, siue non: cuius ratio patebit ex dicendis. Deinde censeo, hanc remissionem fieri ex iustitia, & secundùm condignam satisfactionem operantis. Vtrumque autem sic declaro, & probo iuxta modum positum: nam vnicuique peccato mortali duæ pœnæ designatæ sunt, iuxta diuinam ordinationem: vna æterna, si peccatũ ipsum perpetuò perseueret: alia temporalis, si remittatur. Considerata ergo sola remissione peccati mortalis secundùm se, & nulla spectata varietate in dispositione pœnitentis, pœna temporalis, quę manet ex vi talis peccati, certa est, & determinata ex diuina ordinatione: ergo quidquid ab illa tollitur, esse debet ex dispositione pœnitentis, & modo eius.

C

19. Rursus hæc dispositio duobus modis considerari potest, primò secundùm se, & vt informis: & sub hac ratioue solùm est causa remissionis culpæ, & pœnæ æternæ; & ideò ex vi illius, vt sic, nihil tollitur de pœna temporali, quia ex vi remissionis culpæ solùm fit vt iam non debeatur pœna æterna, sed temporalis. Secundò verò considerari potest illa cõtritio, vt iam formata per gratiam, & vt sic iam est satisfactoria de condigno, sicut & meritoria: & ideò ratione illius ex iustitia tollitur aliquid pœnæ temporalis, & magis vel minùs, prout illa maior vel minor fuerit. Estque hoc consentaneum diuinæ iustitiæ: nam, cùm homo iustus possit de condigno satisfacere pro pœna temporali, nõ est cur aliquid eius gratis remittatur: & cũ in ipsomet instanti iustificationis habeat contritio omnia necessaria ad hanc condignã satisfactionem, etiam postulat ratio iustitiæ, vt ex tunc operetur.

D

20. Neque est inconueniens, vt secundũ diuersas considerationes, aut instantia naturæ, eadem pœna priùs intelligatur integra, & posteà ex parte remissa. Vnde, quia in iustificatione, quæ fit per contritionem, semper concurrit actualiter ipsa contritio; ideò semper habet hunc effectũ, etiãsi sit minima, quia non habet hunc effectum ratione solius excessus, sed ratione sui valoris moralis. Vnde etiam non probo quod Durandus significat, remissionem hanc fieri ratione doloris sensitiui ex contritione resultantis: nam licèt ille dolor possit aliquid conferre ad satisfactionem, quatenus voluntariè assumptus est: magis verò confert ipsa contritio secundùm se: quare licet non resultaret dolor in sensu, adhuc fieret remissio pœnæ tẽporalis proportionata contritioni. In iustificatione autem facta per attritionem cum sacramento, contingere potest, vt non concurrat actualiter attritio, vt si quis baptizetur dormiens, anteà sufficienter attritus; & tunc nulla remissio fiet per satisfactionem condignam, sed quidquid fit, est ex opere operato per sacramentum.

E

An

*An secunda contritio tollat omnem pœnam temporalem ex priori relictam, vel eadem secundum varias partes. Dub. 3.*

21. SED tunc oritur dubitatio tertia, quia non erunt necessaria operâ satisfactoria, vt tollatur tota pœna, sed sufficiet ad summum altera contritio: nam, si prima potuit tollere æternam pœnam, & partem temporalis, cur secunda non sufficiet auferre quidquid temporale reliquum fuerit, cùm magis sit pœnam æternam remittere, quàm totam temporalem & secunda contritio non sit minùs digna, quàm prima. Imò de vna & eadem contritione, si secundùm diuersos gradus consideretur, potest idem dubitari: B quia minimus gradus contritionis, verbi gratia, vt vnum, sufficit ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ: ergo vt duo sufficiet ad remissionem totius pœnę temporalis. Addo etiã, de eadem contritione secũdũ eundem gradum minimũ, posse idem dubitari: nam si illa contritio minima, vt prior natura, quàm gratia, est sufficiens dispositio ad remissionẽ pœnæ æternæ: ergo eadẽ vt formata gratia erit sufficiens satisfactio ad remissionem totius pœnæ temporalis. Et confirmo, quia illa, vt sic, est sufficiens ad merẽdum de cõdigno vitam æternam: ergo multò magis ad satisfaciendum de condigno pro tota pœna temporali.

22. Soti resolutio. Ad hæc omnia responderi potest ex Soto d. 15. q. 1. art. 4. ad 2. negando consequentias, quia comparatio non fit inter ea, quæ sunt eiusdem rationis, culpa enim & pœna diuersarũ rationum sunt: & contritio C per se non tollit pœnã æternam, sed culpã, qua ablata, cõsequenter auferetur æternitas pœnæ. Et ideò nihil mirum, quòd non possit tollere totam pœnã temporalem, quæ non necessariò, neque ex consequenti tollitur ablata culpa. Quæ quidem responsio bona est, sed non explicat propriam rationem huius diuersitatis. Quam attingit D. Tho. 4. d. 14. q. 2. art. 1. quęst. 2. in corpore, & solutione ad 1. & 2. & Durandus d. 17. q. 3. ad 1. & Medina tract. 3. q. 4. videlicet quòd contritio non remittit culpam, vel pœnam æternam per modum condignæ satisfactionis, propter improportionem quæ est inter personam Dei offensam, & personam peccatoris satisfaciẽtis: sed solùm est quædam sufficiens dispositio, & aliqualis satisfactio, qualis à peccatore exhiberi potest; qua posita, Deus re- D mittit & culpam, & pœnam æternam. At verò remissio pœnæ temporalis fit secundùm iustitiæ æquitatem, & propterea non quælibet contritio sufficit, etiam informata gratia, ad totam pœnam tollendam. Et ita expediuntur facilè reliqua omnia præter vltimam confirmationem, in qua potiùs interrogandum esset quomodo eadem contritio simul cum merito condigni præmij valere possit ad condignam satisfactionem. Huius verò ratio est, quia secundùm diuersas conditiones comparatur ad hos effectus, & est quasi condignum pretium. Nam ad meritum ex parte actus præcipuè consideratur bonitas: ad satisfactionem verò pœnalitas & dolor. Hinc ergo oritur (quoad præsens) differentia, quia opera bona & su- E pernaturalia (inter quæ potissimum locum habet cõtritio) & natura sua, & diuina lege & promissione, ratione suæ bonitatis & honestatis, ordinata sunt ad vitam æternam consequendam: at verò ad satisfaciendum in hac vita pro pœna temporali, quæ in alia vita (scilicet in purgatorio) respondet peccatis remissis, ordinantur hæc opera non tam natura sua, quàm lege diuina: & ad hoc non tãtùm in eis attenditur bonitas & honestas, sed etiam pœnalitas, & afflictio peccatoris: & ideò fieri facilè potest, vt in cõtritione

Vera & germana resolutio.

A non sit tanta pœna & afflictio, quanta necessaria est ad satisfaciendum pro tota pœna temporali.

## QVÆSTIO LXXXVII.

*De remissione venialium peccatorum, in quatuor articulos diuisa.*

DEINDE considerandum est de remissione venialium peccatorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

*Primò, vtrùm sine pœnitentia peccatum veniale possit dimitti.*
*Secundò, vtrũ possit dimitti sine gratiæ infusione.*
*Tertiò, vtrùm peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & Episcopalem benedictionem, & tunsionem pectoris, & orationem Dominicam, & alia huiusmodi.*
*Quartò, vtrùm veniale peccatum possit remitti sine mortali.*

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia.*

AD primũ sic proceditur. Videtur quòd veniale peccatum possit remitti sine pœnitentia. Pertinet enim (vt suprà dictum est) ad rationem veræ pœnitentiæ, quòd non solùm homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cauere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur, cùm certum sit, quòd homo sine peccatis venialibus præsentem vitam ducere non potest. Ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.

Infrà ar. 2. ad 2. & 3. & ar. 3. co. & 4. d. 16. q. 2. ar. 2. q. 1. ad 1. & d. 21. q. 2. art. 1. co. & mal. q. 7. ar. 12. cor. q. 84. ar. 10. ad 4. arg.

Prætereà, Pœnitentia non est sine actuali displicentia peccatorum. Sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia actuali eorum: sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum. Statim enim euolaret, quod non contingit manentibus peccatis venialibus. Ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.

Prætereà, Peccata venialia opponuntur feruori charitatis: vt in Secunda parte dictũ est. Sed vnũ oppositorum tollitur per aliud. Ergo per feruorem charitatis, quem contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, fit remissio peccatorum venialium.

1. 2. q. 71. & 2. 2. q. 24. ar. 8. ad 2.

Sed contra est, quòd Aug. dicit in lib. de Pœnit. quòd est quædam pœnitentia, quæ quotidiè agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus. Quæ frustrà esset, si sine pœnitentia peccata venialia possent dimitti. Videtur

In li. de medicina pœnit. & lib. de vtilit. pœnitent. c. 2. to. 9

tur ergo quòd peccata venialia non poſſint ſine pœnitentia dimitti.

q.præced.ar. 1.& q.86 ar. 4. Reſpondeo dicendum, quod remiſſio culpæ (ſicut dictum eſt) fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter ſeparat culpa. Sed hæc ſeparatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per veniale: nam per peccatum mortale mens omninò à Deo auertitur, vtpotè contra charitatem agens: per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis ne prōptè in Deum feratur. Et ideò vtrūque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur, quia per vtrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam cōuerſionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non poteſt quandiu voluntas peccato adhęret, ita etiam nec peccatum veniale: quia manente cauſa, manet effectus. Exigitur autem ad remiſſionē peccati mortalis perfectior pœnitentia: vt ſcilicet homo actualiter peccatum mortale cōmiſſum deteſtetur quantum in ipſo eſt: vt ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, vt ſingula deteſtetur. Sed hoc nō requiritur ad remiſſionē venialium peccatorū. Non tamen ſufficit habitualis diſplicētia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis: quia ſic charitas non compateretur peccatum veniale quod patet eſſe falſum. Vnde ſequitur quòd requiratur quædā virtualis diſplicentia: putà cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm affectum in Deum, & res diuinas, vt quidquid ſibi occurreret, quod eum ad hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe cōmiſiſſe etiamſi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non ſufficit ad remiſſionem peccati mortalis, niſi quantùm ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionem.

Ad 1. ergo dicendum, quòd homo in gratia conſtitutus poteſt vitare omnia peccata mortalia & ſingula: poteſt etiā vitare ſingula peccata venialia, ſed non omnia: vt patet ex his, quæ in Secunda parte dicta ſunt. Et ideò pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abſtinere ab omnibus & ſingulis peccatis mortalibus: ſed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd hòmo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus: quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur. Debet tamen habere propoſitū ſe præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin eſſet ei peſiculum deficiendi, cùm deſereret appetitū proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus quæ ſunt peccata venialia.

1.2.q.109.a. 8.& qu.74. a.3.ad 2.

q.66.ar.11. Ad 2. dicendum, quòd paſſio pro Chriſto ſuſcepta (ſicut ſupra dictum eſt) obtinet vim Baptiſmi. Et ideò purgat ab omni culpa & veniali & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem.

Ad 3. dicendum, quòd feruor charitatis virtualiter implicat diſplicentiam venialium peccatorum, vt ſuprà dictum eſt. q.79.ar.4.

## COMMENTARIVS.

1. SVPPONIT *D. Thomas in titulo huius articuli, pœnitentiam ſufficientem, & efficacem eſſe ad remittenda venialia peccata. Quod ita in genere ſumptum certiſſimum eſt ex dictis in præcedentibus: nam, ſi pœnitentia vim habet ad tollenda peccata mortalia, multo magis ad venialia, ſi cum proportione applicetur, quia minor offenſio, & auerſio eſt in veniali, quàm in mortali, & conuerſio quæ fit per pœnitentiam, ſi ſit perfecta in ratione contritionis, augetur, magiſque perficitur, ſi opponatur veniali peccato, quam ſi tantum mortali, vt in ſuperioribus declaratum eſt.*

2. Prima aſſertio D. Thomæ. *Hoc igitur ſuppoſito, quæſtionem mouet D. Thomas de neceſſitate pœnitentiæ ad hunc effectum. Et duplici aſſertione reſpondet. Prima eſt, Sine aliqua pœnitentia peccata venialia remitti non poſſunt: quia veniale peccatum committitur per immoderatam conuerſionem ad bonum creatum: ergo, quandiu voluntas adhæret illi bono ad quod ſic fuit conuerſa, non poteſt ei peccatum remitti, quia manente cauſa ſemper manet idem effectus. Vnde quoad hoc eadem eſt ratio de peccato mortali, & de veniali: ergo neceſſaria eſt pœnitentia, qua tollatur illa conuerſio, ſeu adhæſio voluntatis. Quam vltimam illationem Diuus Thomas non probat. Non caret tamen difficultate: nam poſſet quis dicere, conuerſionem illam ſufficienter tolli per ceſſationem ab actu, & ab omni propoſito formali, & virtuali. Nam cauſa peccati intrinſeca, & quaſi formalis, eſt ipſe actus ſeu voluntarius conſenſus: & de hac ſolùm cauſa vera eſt illa propoſitio, quam D. Thomas aſſumit vt fundamentum totius rationis*, Manente cauſa manet effectus. *Ergo ſi hæc cauſa tollatur per ceſſationem, poterit tolli effectus ſine interuentu pœnitentiæ. Reſpondeo, hanc aſſertionem Diui Thomæ non eſſe intelligendam de potentia abſoluta, vt à fortiori probant quæ in ſimili diximus de remiſſione peccati mortalis, & ex dicendis amplius conſtabit: atque hoc probat, vt exiſtimo, obiectio facta, quia nihil videtur repugnare, Deum auferre culpam ſolùm habitualiter manentem, quia tranſacto actu peccatoris, nihil manet, quòd neceſſariò illam habitualem maculam conſeruet. Et ideò poteſt Deus illam auferre, ipſo peccatore nihil cooperante, neque etiam aliter reſiſtente. Ratio autem Diui Thomæ vim habet ſecundùm potentiam ordinariam, ipſis rerum naturis conſentaneam: nam hoc modo Deus nullum actuale peccatum remittit, ſine aliqua cooperatione, & conuenienti diſpoſitione peccatoris, quia voluntas ſemel conuerſa ad aliquod obiectum, habitualiter cenſetur voluntariè permanens in eo affectu, quandiu ſua voluntate illum non mutat: & ideò ſecundùm conuenientem rationem non cenſetur diſpoſita vt ei remittatur culpa. Hæc ergo mutatio voluntatis neceſſaria eſt ſecundum legem ordinariam ad remiſſionem culpæ venialis. Sic igitur neceſſaria eſt pœnitentia ad hunc effectum, nam pœnitentia hic latè ſumitur pro quacunque ſimili mutatione voluntatis, vt in ſequenti aſſertione declarabitur.*

Difficultas circa illationem D. Thom.

Emendatur.

### *Secunda aſſertio D. Thomæ.*

3. EST ergo ſecunda aſſertio D. Thomæ. Non tam perfecta pœnitentia eſt neceſſaria ad remiſſionē peccati venialis, ſicut mortalis. Declarat D. Thom. diſcrimen

discrimẽ,nam ad remissionem mortalis necessarium est:vt homo actualiter detestetur peccatum mortale commissum,quatenus in ipso est,scilicet,diligentiam adhibendo ad rememorandum singula peccata mortalia,vt singula detestetur.In qua propositione multa includuntur,quæ dubia sunt.Et ideò ( vt ex certis procedat discursus ) quod primò & per se intendit Diuus Thomas est, ad remissionem peccatorũ mortalium necessariam esse,per se loquendo , formalem pœnitentiam,ac detestationem peccati mortalis cõmissi.An verò in aliquo casu sufficiat virtualis pœnitentia,D. Thomas hic non tractat:neque id affirmare ( vt nos suprà fecimus) repugnat præsenti discursui : quin potiùs statim in fine corporis articuli , de peccatis oblitis id D. Thomas affirmat,quod Caietanus aduertit , & amplificat satis consentaneè ad ea, quæ superius diximus.Rursus , an requiratur distincta recogitatio peccatorum quod hîc D.Thomas affirmare videtur in superioribus sufficienter tractatum est,& definitum non esse simpliciter necessariũ.

Caiet. Quod etiã hîc Caietanus sentire videtur,qui D.Thomam exponit de remissione peccati mortalis perfecta quoad culpam,& omnem pœnam,& non de necessitate simpliciter , sed regulariter : cum quibus limitationibus facilè potest id admitti, quia non fundatur in speciali præcepto,sed ad factum potiùs pertinet,quia homines non ita excitantur ad feruentem contritionem,& pœnitentiã agendam per confusam memoriã, sicut per distinctam recogitationẽ singulorum peccatorum,& ideò regulariter , præsertim si plura sint peccata , contritio non erit ita perfecta, vt omninò illa remittat quoad culpam & pœnam , nisi ex distincta illorum recogitatione procedat. Atque hic etiam sensus sufficiens est ad differentiam hîc intentam inter veniale,& mortale peccatum.

4. Quomodo intelligendũ ad remissionem venialis non sufficere habitualem displicentiã.

Subiungit ergo D.Thomas,ad remissionẽ venialis peccati neque habitualem displicentiam sufficere, neque formalẽ requiri, sed virtualem satis esse. Primam partem optimè probat,quia aliàs peccatum veniale non posset esse simul cum habituali gratia , seu charitate, quia displicentia habitualis nihil aliud est, quàm ipse habitus charitatis , seu pœnitentiæ infusæ. Vnde in hoc est clara differentia inter peccatum veniale & mortale:nam hoc non potest simul esse cum habitu charitatis ( de lege loquimur )& ideo quoties ineſt,vel infunditur talis habitus,necessariò remittitur peccatum:quod non ita est in veniali. Nihilominùs tamen ambo in hoc conueniunt , quòd neutrum remittitur per solam habitualem displicentiam illo modo explicatam,quanuis ex diuersa ratione.Veniale quidẽ, quia potest simul esse cum tali habitu:mortale verò quia , licèt cum illo esse non possit ; tamen habitus non infunditur sine aliqua displicentia peccati commissi.Hæc autem prima pars,quam D.Thomas assumit,maximè verum habet de remissione venialis peccati quæ fit ex opere operantis.Est etiam in vniuersum vera,quantum ad hoc,quòd gratia habitualis,& veniale peccatum formaliter non repugnãt ex se,seu ex natura rei.An verò ex opere operato,seu ex speciali ordinatione diuina remittatur aliquando veniale peccatum cum sola infusione gratiæ habitualis,diuersa quæstio est , quã postea disputabimus.

5. Formalem pœnitentiã nõ requiri ad venialis remissionem.

Secundum membrum,scilicet nõ requiri formalem detestationem venialis peccati ad eius remissionem,non probatur à Diuo Thoma,sed vt manifestũ supponitur , vel ob leuitatem talis culpæ , vel etiam quia ex tertio membro constare poterat. Tertium autẽ membrum,scilicet virtualem displicentiam sufficere, relinquit vt satis conclusum à sufficienti partiũ enumeratione.Declarat autem illam virtualẽ displicentiam per hæc verba. *Puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum , & res diuinas , vt quidquid sibi occurreret,quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei , & doleret se commisisse , etiamsi de illo actu non cogitaret.* Quæ verba ita intelligenda sunt, vt sumantur tanquàm includentia conditionalem sensum de futuro contingente; nam ille euentus incertus est,& non pendet ex illo remissio peccati, quæ in præsenti fit.Sed sumẽda sunt in sensu causali,quia nimirum in actu præsenti est sufficiens virtus ad tollẽdum tale impedimentum & ad dolendum de illo, cogitatione oblata : hoc enim sufficit ad virtualẽ displicentiam;quamuis voluntas pro sua libertate posset non habere illam displicentiam,etiamsi veniale peccatum memoriæ occurreret.

6. Dub. circa solutionem ad 1.

Solutio ad primum est valdè notanda, in qua declarat Diuus Thomas quomodo propositũ non peccandi venialiter possit , vel debeat haberi ad veram pœnitentiam venialium : & dicit in summa requiri propositum vitandi singula, non tamen omnia , *quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur.* Difficilè tamen hîc applicatur illa distinctio , nam vel loquimur de venialibus peccatis,quatenus in particulari, & sigillatim occurrunt facienda,vel vitanda,& sic est quidẽ necessarium propositum circa singula ; tamen illud non requiritur ad pœnitentiam,sed ad non peccandum de facto in singulis occasionibus: nam pœnitẽtia de venialibus , & propositũ quod illa requirit,simul & eodem momento,& actu haberi potest: illud verò propositũ circa singula peccata venialia in particulari habetur diuersis actibus, & temporibus,prout occasiones occurrunt. Necesse est ergo vt loquamur de venialibus peccatis , quæ in futurũ fieri possunt , quatenus per modum vnius obiecti voluntati proponuntur vt refutanda , seu vt habeat propositũ cauendi illa : hoc autem modo non videtur possibile propositum cauendi singula,quin sit propositum cauendi omnia,quia necesse est, vt totum illud obiectũ displiceat voluntati,& quod ab illo auertatur per tale propositum.Item quia tam generale est illud propositum,quàm cogitatio de ipsis peccatis, cogitatio autem non est ita de singulis,vt non sit de omnibus, imò propriè nõ est de singulis, quia de nullo directè cogitatur : sed simpliciter de toto hoc obiecto, quod est venialiter peccare,& hoc simpliciter proponit cauere voluntas: nec potest proponere cauere singula peccata,cùm ad ea distinctè recogitata nõ descẽdat.

7. modo Quo cũ propositi venialia requiratur ad eorũ remissionem.

Respondeo ita sine dubio esse,quòd tale propositum aut nullum est,aut eo modo quo est , ad omnia peccata venialia terminatur.Illud autem propositum partim est ex se efficax & absolutum , partim ineffi-cax & conditionatum:vtrumque enim implicitè includit respectu diuersorum:& hoc est quod D. Thomas declarare voluit.Nam propositum illud vt comparatum ad totam collectionem venialium peccatorum , nõ est propositum absolutũ , & efficax vitandi illam, quia non est de obiecto possibili moraliter & secundùm legem ordinariam. Solùm ergo esse potest desiderium quoddam conditionatum cauendi totamsi esset possibile , quia reuerà tota displicet ex vi pœnitentiæ.Hinc verò etiam nascitur,vt illud propositum sit faciendi quantùm in homine fuerit ad vitanda omnia venialia peccata. Ex quo etiam fit, vt tale propositum comparatum ad singula peccata , de se sit efficax,quia quodlibet per se sumptum est obiectum possibile , & ad omne possibile efficaciter se extendit illa voluntas. Et ita facilè patet sensus Diui Thomæ,& responsio ad obiectiones.

8.

In solutione ad secundum occurrebat grauis disputatio de priuilegio martyrij ad remittendum peccatum.Sed de illa dixi superiori tomo disput.29. Hîc verò solùm est obseruandum ex Diui Thomæ sen-

ten

tentia posse remitti veniale peccatum, saltem ex priuilegio, absque alia dispositione ex parte hominis, præter hoc quod non habeat voluntatem actualiter inhærentem peccato. Quod Caietanus distinctiùs explicat in homine, qui ad dormiendum iuit, cum actuali proposito mentiendi, verbi gratia, & dormiens occiditur pro Christo: & in hoc maius priuilegium concedit martyrio, quàm Baptismo: de qua re inferiùs disputabimus.

9. Quomodo veniale sit cõtra feruorem charitatis.

Circa ad tertium disputat Caietanus cum Durando quomodo peccatum veniale sit contra feruorem charitatis. Sed res est facilis, & immeritò in ea hæsitauit Durandus in quarta distinctione 16. quæstione prima, articulo secundo. Nam feruor charitatis intelligi potest sola intensio: & huic non repugnat per se ac formaliter peccatum veniale, nisi fortasse ex parte operantis, quatenus non potest simul habere vnũ actum valde intensum, & alium omnino disparatum. Alius verò feruor charitatis est extensiuus, vt sic dicam, ex parte obiecti: nam charitas perfecta se extẽdit ad omnia quæ Deo placent, & ad referendum omnia in ipsum, & consequenter ad nihil volendum, quod non sit referibile ad ipsum. Et de hoc feruore manifestum est opponi veniali peccato, cũ hoc peccatum non sit referibile in Deum.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio.*

Supra q.65. art.1.ad 8.& infra præsẽti q.a.3.co.& art.4.ad 2. & 4.d.16.q.2. art.2.q.1.& mali q.7.a.11 cor.& ad 14: & a.12.cor. & ad 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis propriis peccata hominis remittuntur: vnde dicitur Ephesi. secundo, Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis:, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiæ infusione.

Prætereà, peccata venialia non remittuntur sine pœnitentia. Sed in pœnitentia infunditur gratia, sicut & in aliis sacramentis nouæ legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiæ infusione.

Prætereà, peccatum veniale maculam quandam animæ infert. Sed macula non aufertur, nisi per gratiam quæ est spiritualis animę decor. Ergo videtur quòd peccata venialia non dimittãtur sine gratiæ infusione.

2.2.q.24.art. 10.

Sed contrà est, quòd peccatum veniale aduẽniens, non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, vt in Secunda parte habitum est. Ergo pari ratione ad hoc quòd peccatum veniale remittatur, non requiritur nouæ gratiæ infusio.

Respondeo dicendum, quòd vnumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habitui gratiæ, vel charitati: sed retardat actum eius, quantùm nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra Deum: vt in Secunda parte habitum est. Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infũdatur aliqua habitualis gratia: sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus vsum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, ideò quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

1.2 q.88.art. 1.& in 2.2.q. 24.art.10.

Ad 1. ergo dicendum, quòd etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem de nouo elicit: non autem per aliquid habituale de nouo animæ infusum.

Ad 2. dicendum, quòd peccatum veniale nunquàm remittitur sine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito scilicet vel implicito: vt suprà dictum est. Potest tamẽ remitti peccatum veniale sine pœnitentiæ sacramẽto, quod in absolutione sacerdotis formaliter perficitur: vt suprà dictum est. Et ideò nõ sequitur, quòd ad remissionem venialis peccati requiratur gratiæ infusio: quæ licèt sit in quolibet sacramento, non tamen est in quolibet actu virtutis.

Art.præced.

q præcedenti art.6.

Ad 3. dicendũ, quòd sicut in corpore contingit esse maculã dupliciter: vno modo per priuationẽ eius, quod requiritur ad decorẽ, putà debiti coloris, aut debita proportionis membrorum: alio modo per superinductionem alicuius impediẽtis decorem, putà luti, aut pulueris Ita etiã animæ inducitur macula, vno modo per priuationẽ decoris gratiæ per peccatum mortale: alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale: & hoc fit per peccatum veniale. Et ideò ad tollẽdam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ: sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus præcedens ex gratia, per quam remoueatur inordinata adhęsio ad rem temporalem.

## COMMENTARIVS.

I. Caiet. Soto. In quo sensu accipiat D.Thom. infusionem gratiæ.

*AD intelligentiam huius articuli oportet in primis exponere quid D. Thomas intelligat per infusionem gratiæ, an scilicet infusionẽ primæ gratiæ vel augmentũ, vel indifferẽter. Nam Caiet. hoc posteriori modo intelligit D. Thomã. Soto verò d.15.q.1. ar.2. intelligit priori modo, Mihi tamen dicendum videtur, D. Thomam neque in hoc titulo, neque in omnibus locutionibus huius articuli vsum esse tã limitatè & strictè illis verbis, vt Soto voluit, neq; etiã sẽper*

*vti illis verbis in illa amplitudine, quam Caietanus indicat, sed aliquando loqui de infusione primæ gratiæ. Prior pars patet, tum quia alias doctrina D. Thomæ esset diminuta, quia non explicasset an ad remissionem peccati venialis requiratur saltem gratiæ augmentum: & ideò sine dubio prima conclusio negatiua quã statim declarabimus, intelligenda est in illa amplitudine. Quod etiam satis indicant illa verba.* Non requiritur quòd infundatur aliqua habitualis gratia, *id est, nec prima, nec secunda, seu augmentum eius: & ideò statim subiũgit,* Sed sufficit aliquis motus gratiæ. *sentiens non relinquit medium inter illa duo. Tũ etiam, quia in solutione ad secundum in hoc sensu dicit, in quolibet sacramento fieri infusionem gratiæ, & loquitur per se, & non tantùm per accidens: loquitur ergo de infusione indifferenter ad primam gratiæ collationem, & augmentum eius. Nihilominùs tamẽ posterior pars probatur, quia secũda conclusio, quam statim declarabimus necessariò est intelligenda de infusione primæ gratiæ, vt contra Caietanum ostendemus, & declarant illa verba in fine corporis articuli,* Quãdocunque de nouo gratia infunditur. *Et ideo non potest argui, D. Thomas: quod æquiuocè vtatur verbis, quia semper addit aliquid quod vsum vel significationem determinet.*

2. Prima conclusio D. Thomæ.

*Duobus igitur assertionibus respõdet D. Thom. Prior est, Vt peccatum veniale tollatur, non requiritur infusio alicuius gratiæ habitualis, sed sufficit aliquis motus gratiæ vel charitatis. Ratio est, quia peccatum veniale non tollit aliquam habitualem gratiam vel charitatem, id est, neque expellit, neque remittit illam: ergo etiam è conuerso vt tollatur veniale peccatum necessaria non est infusio vel auctio habitualis gratiæ. Patet consequentia, quia oppositorum eadẽ est ratio, quoad hoc quòd mutuò se expellunt. Vnde si peccatum veniale non expellit formaliter gratiam habitualem, neque aliquem gradum eius, neque etiam è conuerso gratia habitualis, aut aliqua eius intensio veniale peccatum formaliter expellit: ergo neque eius infusio necessaria esse potest ad illius remissionẽ, solum enim propter formalem expulsionẽ poterat esse necessaria. Significat autem D. Thomas, gratiam aliquã esse necessariam saltem auxiliantem, seu motum gratiæ, aut charitatis: quod iuxta dicta in præcedenti articulo intelligẽdum est: & posteà à nobis latiùs declarabitur.*

3. Secunda assertio D. Thomæ.

*Secunda assertio D. Thom. est, Quandocunque gratia infunditur adulto, remittuntur ei venialia peccata. Quam probat, quia illi non infundatur gratia sine actuali motu in Deum, & in peccatum, sed per hunc motum remittũtur venialia peccata: ergo. Ex qua ratione colligit in primis Caietanus confirmationem cuiusdam opinionis suæ, qua suprà de Eucharistia tenuit, scilicet, non conferre effectũ suum sine actuali deuotione suscipientis. Sed non rectè colligit, tũquia D. Thomas non loquitur, de augmento seu nutritione gratiæ, sed de prima eius infusione, vt patet, quia dicit gratiam non infundi adulto* sine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum. *Quibus verbis solet loqui D. Thomas de dispositione necessaria ad primam gratiam: neque in alio sensu vera esset propositio, quia augmentum gratiæ fit per actus meritorios, etiamsi non sint motus in Deũ aut in peccatum: tum etiam quia licèt D. Thom. dicat, gratiam non infundi adulto sine prædicto motu, non tamen dicit actualem motum esse necessarium in illomet instanti & puncto, in quo gratia non infunditur per sacramentum, prout ipse Caietanus intendit de effectu Eucharistiæ: constat enim sufficere, quòd bonus motus præcesserit, & quòd in ipsa actuali susceptione sacramenti nouum impedimentum non ponatur. Et hinc magna ex parte cessant obiectiones Caietani contra hanc conclusionem, nam supponere videntur loqui D. Thomam de qualibet infusione, etiam de augmento gratiæ. Et ideò inferunt per quemlibet actum charitatis remitti peccata venialia. Quod ipse Caietanus reputat inconuenieus: & fortasse non est, si rectè intelligatur, vt infrà tractabimus. Tamẽ in rigore non sequitur, sicut nec sequitur de omni actu meritorio augmenti gratiæ. Vnde alia etiam, quæ Caietanus hac occasione dicit de requisitis ad remissionem venialium peccatorum, necessaria non sunt ad intelligentiam huius articuli: res autem ipsa inferius disputabitur.*

4. Difficultas.

*Vna verò superest difficultas circa hanc partem, quia discursus D. Thomæ videtur procedere ex puris particularibus; quamuis enim infusio gratiæ non fiat sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum: non tamen in omne peccatum, sed in illud, quod infusioni gratiæ contrarium est: hoc autem est peccatum mortale, non autem veniale: ergo non rectè infert remissionem venialium peccatorum cum tali infusione semper esse coniunctam.* Quoad hoc est optima responsio, *quam Caietanus in vltimis verbis sui Commentarij significat, scilicet, D. Thomam locutum fuisse moraliter & regulariter, non autem metaphysicè. Qui enim conuertitur in Deum & propter ipsum detestatur peccatum regulariter loquendo, non limitat intentionem suam ad mortalia peccata, sed absolute extendit eam ad diuinam offensionem: ideóque quando illi infunditur gratia, etiam remissio extenditur ad venialia peccata, quæ tunc non possunt expelli aut remitti sine infusione gratiæ, propter coniunctionem cum mortali peccato: agimus enim, vt dixi, de prima infusione gratiæ. Nihilominus tamen in rigore verum est, si quis præcisè detestetur mortalia quatenus talia sunt, aut quatenus in tali vel tali specie constituuntur, fieri posse infusionem gratiæ absque remissione venialium, imò cum actuali proposito & complacentia eorum: & hoc conuincit obiectio facta. Addo tandem D. Thomam non dicere in huiusmodi infusione remitti omnia venialia peccata, sed indefinitè* venialia peccata: *probabile autem videtur loquendo etiam moraliter, & vt in plurimum, in qualibet detestatione peccatorum mortalium includi virtualiter detestationem saltem aliquorum venialium, eorum scilicet, quæ coniuncta sunt cum tali peccato, & ad illud disponunt vel etiam quæ talem detestationem impediũt; seu illi repugnant, quæ peccata venialia ferè nunquàm desunt in illo, qui moraliter peccauit: & hoc etiam videtur Caietanus insinuasse.* Soluitur.

*Circa solutiones argumentorum nihil occurrit addendum, sed solùm aduertendum, D. Thomam in solutione ad primum pro manifesto supponere remissionem peccati venialis esse effectum gratiæ. In solutione verò ad secundum & tertium expresse declarare, hunc effectum fieri per aliquẽ actum gratiæ. Et quia hoc videtur esse fundamentum huius materiæ, disputationem & declarationem eius inde exordiemur.*

---

## DISPVTATIO XI.

### *De remissione venialium peccatorum, quatenus est alter pœnitentiæ effectus.*

5.

QVONIAM venialia peccata per plura remedia tolli possunt, inter quæ pœnitentia præcipuum est, vel etiam in omnibus quodammodò inclusum: ideo D. Thomas hunc posuit inter effectus pœnitentiæ, & ea occasione de aliis remediis cõtra venialia peccata disputat. Vt tamen clariùs procedamus, dicemus priùs de hoc effectu prout fit per pœnitentiã virtutem, de qua nunc agimus: posteà quatenus per alia media fieri potest. Ante omnia verò oportet præmittere quid sit hæc remissio, & cuiusnam principalis causæ efficientis, & formalis proprium opus sit.

SECTIO

## SECTIO I.

### *Vtrùm remissio venialis peccati sit supernaturale opus gratiæ.*

1. Venialepeccatũ est verũ malũculpæ in Deũ, licèt imperfectum.

SVPPONENDVM in primis est ex D. Thom. prima secundę quæstione septuagesimasecunda, articulo quinto, & quæst. 88. & 89. peccatum veniale in hoc conuenire cum mortali, quòd est verum malum culpæ, & aliqualis Dei offensio, relinquens in anima aliquã maculam, licèt imperfectam, vt hîc etiam art. 2. ad 3. D. Thom. explicauit: differre autem, quia non auertit peccantem à Deo vt ab vltimo fine, & consequẽter, nec priuat diuina gratia, nec constituit Dei inimicum. Deinde suppono quæstionem propositam intelligi posse, vel de gratia auxiliante, vel de sanctificante, vel generatim de quocunque fauore, & liberalitate Dei non debita naturæ, & ad finem supernaturalem ordinata: & hic vltimus est proprius sensus præsentis sectionis: nam in sequenti dicemus de gratia sanctificante; de auxiliante verò in aliis.

2. Quorundã opinio. Durand.

Nonnulli ergo Theologi sentiunt hoc non esse opus gratiæ, sed naturæ, vel iustitiæ, vt sic dicam, diuersotamen modo, & diuersis fundamentis. Durand. in 4. d. 16. qu. 2. & d. 20. qu. 1. docet, peccatum veniale expelli per naturalem actum illi contrarium, vt si fuit mendacium, per voluntatem non mentiendi, aut per detestationem naturalem prioris volũtatis, quia peccatum veniale solùm est deflexio quædam à medio, & à rectitudine rationis: ergo per contrariam rectitudinem sufficienter tollitur. At verò Gabriel, Maior, & alij Nominales d. 16. (& idem sentit ibi Scotus, quamuis d. 21. magis dubius videatur) asserunt veniale peccatum auferri sustinendo pœnã proportionatam: putant enim transacto actu peccati venialis, nihil manere nisi reatũ pœnæ, quę pœna finita est, & temporalis, & sustineri potest sine speciali gratia Dei, per vires naturæ: ergo per illam tolletur ille reatus, nam facta solutione, tollitur debitum.

Gabr. Maior Scotus.

3. Illatioprima huius opinionis. Secunda.

Ex qua doctrina inferunt primò, peccatum veniale posse tolli sine gratia sanctificante, quia sine illapotest homo suscipere sufficientem pœnam tali peccato debitam. Inferunt secundò, quandoconiuncta sunt peccatum veniale & mortale, posse remitti veniale, etiamsi non tollatur peccatum mortale, sicut è conuerso. Quia potest homo sufficientem pœnam assumere pro peccato veniali, non habendo contritionem de mortali. Tertiò inferunt alij præter Durandum, etiam in inferno posse tolli peccatum veniale, manentibus mortalibus, quia pœna illi debita temporalis est, & ita finitur aliquando: illa autem finita, non manet tale peccatum. Durandus verò hoc non admittit, quia putat ad tollendum peccatum veniale, saltem esse necessarium aliquem actum bonum moraliter, quem voluntas damnata, & obstinata in malo habere non potest. Tota hæc doctrina videtur mihi parum consentanea antiquis Patribus: & ideò censeo aliter esse sentiendum.

Tertia.

### *Ex veniali actu commisso manere moralem culpam. Concl. 1.*

4. D Thom.

DICO ergo primò, Ex peccato veniali actu commisso & transacto, non solùm manet reatus pœnæ, sed etiam moralis culpa, & macula proportionata. Ita sentiunt Theologi statim referendi, & D. Th. 1. 2. quæst. 89. art. 1. Nam licèt dicat peccatum veniale non requirere maculam simpliciter, sicut mortale; ita verò loquitur, tum quia ipse censet peccatum veniale non esse simpliciter peccatum, sed secundùm quid: tum etiam quia non relinquit maculam quoad priuationem, imò neque quoad remissionem gratiæ: nihilominus tamen non negat manere quoad illam deformitatem quam habet. Vt clarè ac optimè declarauit q. 7. de Malo, art. 11. & hic ad 3. Et probatur primò ex modo loquendi & sentiendi omnium: nam qui venialiter peccauit, ex vi illius actus non retractati, nec remissi, manere dicitur in statu talis peccati, & denominatur suo modo peccator: ergo signum est, non tantùm manere debitum pœnæ, sed aliquo modo maculam culpæ. Ratio verò est, quia vt peccatum moraliter maneat, non est necessaria priuatio physica gratiæ, vt patet: tũ quia in puris naturalibus posset esse status peccati sine illa priuatione: tum etiã quia de absoluta potentia potuisset Deus ordinare hominem ad finem supernaturalem, non infundendo habitus, & tunc etiam posset esse status peccati sine physica priuatione gratiæ: imò nunc etiam quòd formaliter consummat rationem peccati habitualis, est illud morale quod permanet. At quantùm ad hoc eadem est ratio de peccato veniali, per quod etiã cõuertitur suo modo voluntas ad creaturam, non quidẽ vt ad vltimum finem, sed vt ad obiectum non referibile ad verum vltimum finem, quæ conuersio etiam moraliter manet transacto actu per respectum ad illum, & in ea includitur aliqualis offensio Dei, quæ tandiu manet, quandiu pro illa non fit satisfactio. Ergo, quanuis peceatum veniale non relinquat priuationem physicam, nihilominùs suam moralem maculam relinquit. Vnde quantum ad illam applicari hîc possunt cum proportione, quæ diximus de mortali. Et hæc assertio patebit magis ex sequentibus.

### *Veniale remitti, non est formaliter remitti pœnam. Concl. 2.*

5.

DICO secundò, Peccatum veniale remitti, non est formaliter remitti pœnã, sed maculam moralem quam relinquit. Hanc conclusionem nõ negat Durandus, & est D. Tho. in locis citatis, & in præsenti. Quam latè defendunt Soto d. 15. qu. 2. ar. 2. & Ledesma qu. 28. a. 1. & Corduba lib. 5. q. 8. & 11. licèt oppositum censeat probabile. Et Scotus etiam d. 21. art. 1. in hanc partẽ magis inclinat propter Sãctorum auctoritatem. Atque eandem sententiam tenet Alensis 4. p. q. 15. memb. 3. §. 2. ad 4. Fauet Aug. de vera & falsa pœn. c. 18. quatenus in genere distinguit remissionẽ culpę & pœnæ. Fauet etiam Greg. lib. 4. Dialog. c. 39. Et habetur in cap. *Qualis*. d. 25. quatenus dicit quædã peccata remitti in vita futura; alia tantùm in præsenti: quod necesse est intelligi de remissione quoad culpam, quia quoad pœnam etiam mortalia suo modo tolluntur in vita futura, saltem quoad reatum pœnæ temporalis. Præterea sequitur hæc conclusio ex præcedenti, nam culpa, & reatus pœnæ moraliter distincta sunt: ergo formaliter ac propriè loquendo remissio culpæ non est ablatio pœnæ: quin potius neque semper sunt necessariò coniuncta, nam, vt omnes ferè sentiunt, per indulgentias remittitur pœna non autem culpa. Item, per opus pœnale remittitur pœna, etiamsi non tollat illam moralem malitiam, quam culpa relinquit, dummodò supponat illam remissam, alioqui non potest talem pœnam remittere: ergo signum est, aliud esse tolli culpam, aliud verò satisfacere pro pœna.

D. Thom. Soto. Ledesm. Corduba. Scor. Alens. D. Aug. Gregor.

Vnde sumi potest speciale argumentum contra Scotum, & alios, nam si sola pœnæ assumptio sufficeret, vt tolleretur veniale peccatũ, sequeretur posse

6. Prima opinio improbatur.

veniale peccatum priùs commissum tolli etiamsi homo habeat propositum aliud simile cõmittendi: quod absurdissimum est. Sequela verò patet, quia potest quis habere propositum mentiendi, & nihilominùs punire in se mendaciũ: quod priùs dixit: ergo per illam punitionem tolletur reatus pœnæ præteritæ, & consequenter peccatum ipsum. Præterea ex illa opinione sequitur veniale peccatum quasi per partes remitti, quia pro pœna satisfieri potest per partes, non enim tollitur tota simul: ergo eadẽ ratione posset tolli peccatũ cõmissum tẽpore priori quamuis nunc maneret voluntas committẽdi aliud simile. Præterea per generalem contritionem omnium peccatorũ, quæ se extendat ad venialia, remittuntur omnia illa quoad culpam & non semper quoad totã pœnã: potest enim cõtritio esse valdè remissa, vel potest etiã fieri remissio per solum amorem, qui parum pœnalis est, & ideò non semper sufficit ad satisfaciendũ pro pœna. Tandem, sicut se habet culpa mortalis ad reatum pœnæ æternæ, ita videtur se habere peccatũ veniale ad reatũ sibi proportionatũ & quasi intrinsecum: sed in peccato mortali illa duo diuersa sunt, & alia est remissio culpæ, & alia pœnæ æternæ, licèt sint coniuncta, vt

Conc. Trid. apertè supponit Concilium Tridentinũ, sess. 6. & 14. ergo cum proportione similiter sentiendum est de veniali peccato. Explicatur proportio. Nã sicut peccato mortali ratione inimicitię respondet æterna pœna, quæ tollitur ablata culpa: ita veniali peccato, quanus opponitur feruori charitatis & amicitiæ, respondet quædam pœna proportionata, quæ dici potest carentia diuinæ familiaritatis, & indignitas illius: & hęc tollitur ablata culpa veniali, & simul etiã tollitur quędam æternitas pœnæ, quæ saltem per accidens potest inueniri in culpa veniali, si ipsa perpetuò duret, vt statim dicam; manet tamen reatus pœnæ temporalis: & hoc satis est ad illam diuersitatem indicandam. Sicut è contrario posset Deus de absoluta potentia non remittere culpam, & nihilominùs illã numquam punire, sed remittere executionem eius, quamuis radicalis dignitas, seu debitum maneat in ipsa culpa.

## *Remissionem venialis esse beneficium gratiæ. Concl. 3.*

7. DIco tertiò, Remissio peccati venialis, præsertim prout nunc fit, est beneficium diuinæ gratiæ. Non est sensus huius conclusionis, peccatum veniale nunquàm remitti ex iustitia per meritum de condigno, sed semper omninò gratis, sicut mortale: hoc enim generaliter verum non est, vt in principio primi tomi de Incarnatione latiùs dixi, & in sequentibus attingam. Sed est sensus, hanc remissionem non posse viribus naturæ comparari sine aliquo auxilio, vel beneficio Dei gratuito. Et hoc sensu est certa, vt

D. Thom. Alens. Abulens. existimo, eamque sæpe docet D. Thom. in his articulis, vt notauimus, & Alexander Alens. loco citat. & Abulens. in 27. cap. Matth. quæst. 711. & eandem tenent alij Auctores citandi in puncto sequenti, præ-

Pett. Sot. sertim Petrus Soto lect. 18. de Pœnit. & in eius cõfirmationẽ nonnulla adduxi in 1. tom. 3. p. disp. 4. sect. 11. Et probatur primò ex generalibus locutionibus Scripturæ, adiunctis expositionibus, & patrum, & Conciliorum. Dicitur enim Psalm. 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Exponit autem Paulus ad Rom. 4. illis verbis significari opus illud esse

Psalm. 31. Paulus. Glossa ordinaria. diuinæ gratiæ: Glossa verò addit, sub illo peccato cõprehendi etiam veniale. Quod patet etiam ex indefinita, & absoluta locutione. Vnde 1. Ioan. 1. *Fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra*: & loquitur de illis peccatis, quæ iustus quotidiè committit: hæc

1. Ioan. 1. autem sunt venialia, vt concilium Mileuitanum declarauit cap. 6. 7. & 8. Et, si velimus in proprietate accipere vtrumque verbum, *Fidelis, & iustus*, primum referri potest per se ad peccata mortalia, secundum ad venialia: quorum remissionẽ potest iustus de condigno mereri: atque ita comprehendet Ioannes illis verbis omne peccatum, de quo ibidem dixerat, *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.* Præterea cap. 2. addit Ioannes, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem*: quod etiam de veniali intelligendum esse docet ibi Augustinus tract. 1. Datur ergo nobis remissio peccati venialis propter merita Christi, vt etiam docuit Bernardus serm. de Cœna Domini: est ergo opus gratiæ.

Conc. Mileuit. August. Bernard.

Præterea in oratione Dominica generatim petimus *Dimitte nobis debita nostra*: quam esse vocem iustorum propter frequentia venialia peccata, declarauit Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. Ex hoc autem orandi & petendi modo colligitur rectè, id, quod petitur, esse beneficium gratiæ: & est frequens apud Augustinum, & in Conciliis Mileuitano & Arausicano. Ex quibus etiam habemus hãc generalem regulam, Nihil quod ad pietatem & vitam æternam conferat, posse obtineri sine beneficio gratiæ: quod non solum de actionibus, seu de beneficiis, vt sic dicam, positiuis, sed etiam de liberatione ab omni malo, vel miseria declarauit Concilium Arausicanum, canone 14. & 22. sed remissio venialis peccati est liberatio à quadã miseria, & multum cõfert ad pietatem & vitam æternam: est ergo beneficium gratiæ. Ratio autem est, quia peccatum veniale est aliqualis iniuria Dei, pro qua non potest homo suis solis viribus condignè satisfacere. Qua ratione euertitur totum fundamentum aliarum opinionum. Auctores enim earum non satis considerarunt rationem offensæ diuinæ, quæ est in peccato veniali, & moraliter manet transacto actu, donec, vel per remissionem, vel per condignam satisfactionem tollatur. Hanc autẽ condignam satisfactionem numquàm ipsi probarũt posse ab homine fieri per vires naturæ, multóque minus per solam pœnam inuoluntariam. Quæ omnia ex sequenti sectione magis constabunt.

Conc. Trid. Conc. Arau. Ratione sua detur conclusio.

## SECTIO II.

### *Vtrum ad remissionem venialis peccati habitualis gratia requiratur.*

1. DVPLICITER contingit remitti peccatum veniale vno modo simul cum mortali: & tunc non procedit quęstio, quia certum est necessariam esse gratiam, saltem propter remissionem peccati mortalis. Alio modo contingit remitti peccatum veniale solùm per se, & sine mortali, & de hoc procedit quæstio. Tribus autẽ modis intelligi potest habitualem gratiam requiri ad hanc remissionem, scilicet antecedenter, seu præsuppositiuè, quia, scilicet, necesse est vt persona supponatur grata, vt locum habeat talis remissio: vel formaliter, quia scilicet per infusionem talis gratiæ expellẽdum est tale peccatum: vel concomitanter, quia nũquam datur talis remissio, quin conferatur talis gratia, licet ab illa formaliter non procedat.

Tripliciter gratia requiri potest ad eius remissionem.

## *Sententia Scoti, & Durandi.*

2. PRIMA ergo sententia est, quæ negat requiri gratiam aliquo ex dictis modis, vt veniale peccatum remittatur. Hanc tenent Durandus & Scotus supra citati, existimant enim in eo qui habet mortale peccatum, & veniale, posse remitti veniale, relicto mortali

mortali, & consequenter sine gratia habituali vllo modo. Sed differūt inter se, quia Durādus dicit, posse fieri hoc in hac vita, & non in alia, quia putat fieri per aliquem bonum motum naturalem repugnantem formaliter peccato veniali, quem motum in alia vita habere non potest, qui decessit in peccato mortali. Sed illud fundamentum Durandi iam reiectum est. Scotus verò putat hoc posse fieri tam in hac vita, quā in alia. Quam sententiam tanquàm magis clementem admittit Gabriel suprà, & d.16. quæst. 5. articulo tertio, dub. 2. Et eorum fundamentum solum est; quia ablatio peccati venialis fit sufficiēter per solutionem alicuius pœnæ temporalis. Quod fundamentum ex vno capite reiectum est suprà, & ex alio impugnabitur infrà in materia de satisfactione: supponit enim satisfactionem pro pœna nō esse necessariam gratiam.

Gabr.

3. Suadetur.

Aliter verò posset suaderi hæc sententia, saltem loquendo de statu huius vitæ, quia licèt demus esse necessariam gratiam aliquam ad remissionem peccati venialis, non tamen videtur necessarium, illam esse habitualem, seu iustificantem & sanctificantem ipsam personā, videtur enim sufficere gratia excitās, & adiuuans, per quam homo sufficienter se disponat ad hanc remissionem consequendam, etiamsi ipsa remissio sit etiam gratia & liberalitas Dei. Quod probatur, quia ad consequendum à Deo aliquem effectum gratiæ non semper est necessaria gratia habitualis, sed sufficit proportionata dispositio: Sic enim peccato per actum fidei intensum consequitur augmentum fidei. Sed in peccatore potest esse talis dispositio ad remissionem peccati venialis, quia per auxiliantem gratiam potest habere supernaturalem detestationem eius, vel alium similem motum, & aliunde ex parte effectus non repugnat veniale tolli manente mortali, cùm è contrario possit tolli mortale manente veniali, cùm hæc remissio formaliter non requirat gratiam habitualem: ergo.

B

C

*Ad remissionem venialis necessarium esse gratiam antecedentem, vel concomitantem. Assert. 1.*

4. Dico primò, Ad consequendam remissionem venialis peccati necessaria est gratia sanctificās, siue antecedenter, siue concomitanter, ita vt nullus consequatur remissionem venialis peccati, nisi vel iam iustus sit, vel tunc iustificetur. Hæc est sententia D. Thomæ hîc art. 4. & 1.2. q. 87. art. 5. ad 3. & q. 7. de Malo, art. 10. & in 4. dist. 16. quæst. 2. articulo 1. quæst. 2. ad 3. ibidem Paludan. qu. 1. art. 1. & Richar. art. 4. q. 2. & d. 21. art. 2. q. 3. & ibi Bonauenturæ art. 1. quęst. 1. Alensis 4. p. qu. 65. aliàs 15. membr. 3. art. 5. §. 4. Soto dist. 15. quæst. 2. art. 4. Et sumitur ex Abulense in c. 25. Matthæi quæst. 711. & sequentibus: & ex Richardo de S. Victore Opusc. de Differentia venialis peccati, & mortalis. Et potest aliquo modo colligi ex præcedente sectione, licèt non necessariò, vt statim dicam. Ratione ergo probatur hoc modo, quia Deus non remittit veniale peccatum existenti in mortali, sine vlla dispositione eius (loquimur enim nunc ex opere operantis) & sic videtur per se notum: aliàs hoc ipso quòd cessaret actuale peccatum veniale, omninò remitteretur, quia nihil est quod expectetur, si dispositio hominis necessario non est, illud autem est maximè absurdū, & repugnat sensui totius Ecclesiæ, & iustitiæ ac perfectioni diuinæ prouidentiæ. Si autem requiritur dispositio, & actus peccatoris, vel ille est merè naturalis, vt dicebat Durandus, vel supernaturalis: prior non potest esse sufficiens, quia actus naturalis non est sufficiens dispositio ad supernaturalia

D. Tho. Palud. Richard. Bonau. Alens. Soto. Abulens. Richard. de S. Vict.

Probatur ratione.

D

E

dona & beneficia; aliàs initium salutis posset esse à nobis. Item, quia peccatum veniale, eo modo quo habet deordinationem circa finem vltimum, deordinat à fine supernaturali: ergo dispositio necessaria ad remissionem eius, debet esse aliquo modo supernaturalis. Item, quia aliàs infideles possent cōsequi remissionem venialium peccatorū per actus morales contrarios: atque ita vel illam obtinerent sine meritis Christi, vel hæc merita applicarentur ad hunc effectū sine fide ipsius Christi: vtrumq; autem satis absurdū est: quod etiam à fortiori patebit ex sequentibus.

Rursus, si admittatur supernaturalis dispositio, interrogo, an sit tantùm attritio, aut vera cōtritio: si hoc secundum dicatur, iustificabitur homo, & ita non fiet remissio sine gratia: si autem dicatur primum, illa dispositio non est sufficiens in homine existēte in peccato mortali, quia vel sufficeret ex iustitia, vel ex gratia & liberalitate Dei: non primum, tum quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad vllam satisfactionem de condigno, vt sumitur ex illo 1. ad Corinth. 3. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest,* & Eccles. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus, neque in multitudine sacrificiorum propitiabitur.* Et sæpe aliàs. Tum etiam, quia existens in peccato mortali, dignus est ira diuina: quomodo ergo potest ex iustitia illum obligare ad hoc beneficium conferendum? Si verò dicatur secundū, oportet priùs ostendere legē, aut promissionem de hac re, alioqui merè gratis dicetur. Deinde, qui in peccato mortali permanet, indignus est hoc beneficio, tum quia non se disponit cum debita proportione, cùm nō detestetur offensam Dei propter ipsum: tum etiā, quia permanet in inimicitia diuina. Sicut inter homines subditus, qui Regi fecisset grauissimam iniuriam, & alias leuiores, harum veniam petendo, & nullam satisfactionem pro illa offerendo, nullam veniam consequi meretur secundùm moralem prudentiam. Ita ergo in præsenti dicendum est.

Paulus. Eccles.

6. Obiectio.

Dices, Interdum peccator per vnum beneficium gratiæ consequitur aliud, etiamsi ab statu peccati non exeat: ergo ita fieri potest in præsenti. Antecedens patet, argumento suprà facto de augmento fidei informis: & præterea bene vtens minori auxilio, obtinet maius: ergo dolendo aliquo modo supernaturali de culpa veniali, poterit illius veniam obtinere, etiamsi gratiam sanctificantem non consequatur. Respondetur, exempla illa non esse similia, nam in eis intercedit ex parte hominis sufficiens dispositio, vel physica vel moralis: actus enim peccatoris non intendit: fidē vel spem informem, nisi quatenus intensior est: hoc autem modo actus est de se causa physica habitus, vel effectiua vt in acquisitis, vel saltem dispositiua, vt in infusis, in quibus propter improportionem non inuenitur efficacitas. At verò operatio supernaturalis facta cum minori auxilio, est dispositio moralis ad maius auxilium, quia per se, & ex ordinatione diuina ad hoc tendit, vt homo paulatim proficiat: at verò respectu remissionis venialis peccati neutra dispositio dari potest in homine inimico Dei, vt ostensum, est. Præsertim, quia remissio venialis culpæ est veluti quædam perfectio, & puritas amicitiæ: & ideò ex natura sua, vel secundùm conuenientem ordinem supponit amicitiam.

Soluitur.

7. Quorūdam euasio ad rationem factam.

Solùm posset quis respondere, attritionem supernaturalē de peccato veniali vi sua excludere culpam venialem absque alia remissione, vel condonatione Dei: si enim aliqui dicunt cōtritionem virtute sua expellere hoc modo peccatum mortale, cur non id faciet attritio supernaturalis circa peccatū veniale? videtur enim æqualis proportio, quia, sicut peccatum mortale auertit à Deo, ad quem contritio conuertit:

ita peccatum veniale conuertit ad obiectum creatum ſine relatione ad Deum,cum aliquali offenſione eius, abſque auerſione:deteſtatio verò talis peccati ob turpitudinem eius,verbi gratia,quæ eſt attritio, directè opponitur conuerſioni peccati venialis, & virtualiter ac ex ſe fertur in Deum, vt in vltimum finem, per quod etiam ſufficienter opponitur offenſioni peccati venalis:nam,licèt formaliter nõ conuertat in Deum, hoc neceſſarium non eſt,cùm peccatum veniale non auertat. Eſt ergo in hac attritione ſufficiens ac proportionata vis ad expellendum formaliter peccatum veniale.Et alioqui ex parte effectus non repugnat veniale expelli abſque mortali,quia non ſunt neceſſariò connexa: & è contrario ſæpe fit vt tollatur veniale, relicto mortali:ergo.Reſpondetur, etiam hunc modũ expulſionis peccati venialis eſſe omnino falſum, & argumentum factum poſſe in contrarium retorqueri.Nam iuxta veram doctrinam contritio per ſe, & ex vi ſua non expellit peccatum mortale per modum formæ phyſicæ, vt alibi oſtenſum eſt: ergo neque attritio excludet hoc modo veniale. Vnde proportio, quæ inter illos actus conſideratur, non ſatis eſt ad expulſionem formalem culpæ venialis, quia in illo actu nullus eſt valor moralis ad ſatisfaciendum Deo pro qualicũque iniuria illi facta per talem culpam,ſine qua ſatisfactione non poteſt illa expelli,niſi gratis remittatur.

A nam offendentem,& offenſam, quæ etiam hic habet locum.Credibile tamen eſt fore,vt in illo ſtatu Deus remitteret veniale peccatum, contentus aliqua bona diſpoſitione naturali hominis, non tamen ſine aliqua iberalitate Dei, conſentanea neceſſitati & fragilitati humanæ naturæ: & illa eſſet quodammodò gratia, quanuis non propriè ad ordinem ſupernaturalem pertinens,

Vnde ad primam confirmationem ſimpliciter negatur ſequela, quia peccatum mortale tollit principium ſpiritualis vitæ, nempe gratiam & amicitiam Dei, & ideò ex intrinſeca ratione meretur æternam pœnam, nec relinquit intrinſecum principium, per quod poſſit auferri,ac deſtrui: at verò peccatum veniale non deſtruit gratiam,& ita relinquit principium B intrinſecum,per quod poſſit auferri, & de ſe non poſtulat æternitatem pœnæ, quæ ſecundùm legem ordinariam, & (ſuo modo) ex natura rei non eſt ſimul cum diuina amicitia,quam peccatum veniale nõ tollit. Ad aliam verò confirmationem, quidquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia, quia eſt aperta æquiuocatio in conſequenti:poteſt enim homo mereri de congruo temporalia bona, ſcilicet, externa, quæ pertinent ad commodũ huius vitæ:peccatum autem veniale non eſt hoc modo temporale malum,ſed dicitur temporale, quatenus de ſe non eſt æternum tamen reuerà eſt ſpirituale,pertinens ad bonum, vel malum animæ,& aliquo modo ad beatitudinẽ ſupernaturalem conſequendam,vel impediendam:& ideò non eſt ſimilis ratio vtriuſque.

10. Ratio dubij enodatur.

## *De homine in puris naturalibus creato, Difficultas* 1.

C

8. CIRCA præcedentem autem aſſertionem & doctrinam ſuperioris ſectionis ſuperſunt nonnullæ difficultates. Prima eſt de homine creato in puris naturalibus, nam ſi in illo ſtatu venialiter peccaret, poſſet à ſe expellere veniale peccatum,& nonniſi per naturales vires, quia tunc non haberet locum gratiæ: ergo. Maior patet,tum quia ille homo poterat facere actum tam bonum quàm fuerat malus actus peccati venialis,& formaliter repugnantem illi: tum etiam, quia aliàs peccatum veniale de ſe non minùs eſſet perpetuum,quàm mortale: quia ſi comparetur ad vires naturales hominis, vtrumque auferri non poteſt,& ita ex hac parte vtrumque eſt æternum: ſi verò ad vires gratiæ,vtrumque poteſt tolli & remitti: Denique confirmatur argumento Durandi, quia homo poteſt per vires naturæ mereri ſaltem de congruo bona temporalia,ergo & ablationem mali temporalis, ſed peccatum veniale tantùm eſt temporale malum:ergo.

9. Reſoluitur. Reſpondetur primò,non eſſe omninò eandem rationem de homine in puris naturalibus, & in hoc ſtatu. Primò, quia nunc veniale peccatum includit aliquam inordinationem à fine ſupernaturali, & eius remiſſio ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam: at verò in illo ſtatu eſſet inordinatio à fine naturali. Tum etiam, quia alium modum prouidentiæ habet nunc Deus cum natura humana eleuata ad finem ſupernaturalẽ,quàm tunc haberet,nũc enim per gratiam ſupplet defectus naturæ,tunc verò alio modo accommodato illi ſtatui prouideret illi. Secundò dicitur,etiam in illo ſtatu non potuiſſe hominem per ſolas vires naturæ perfectè ſatisfacere pro culpa veniali, quatenus aliquo modo eſt offenſiua Dei:tum quia quidquid homo operetur, aliis multis modis eſt debitum Deo: vnde non tenetur illud accipere in ſatisfactionem pro offenſa: tum etiam propter improportionem ſuprà explicatam inter perſo-

Secundò reſoluitur.

## *De remiſſione peccati venialis cum mortali coniuncti in futura vita. Difficultas* 2.

11. SEcundò ex eadem reſolutione oritur dubiũ, quia ex illa ſequi videtur,peccatum veniale in hac vita non dimiſſum,puniri æterna pœna in inferno,ſi cum mortali coniectum ſit: conſequens autem videtur falſum: ergo. Sequela patet, quia illa culpa venialis nunquàm tolletur,quia mortalis non aufertur, & illa non tollitur ſine hac;durante autem culpa, durat debitum pœnæ:ergo & pœna,ergo erit perpetua. Falſitas verò conſequentis patet, primò, quia aliàs non erit diſcrimen inter veniale, & mortale peccatum quoad æternitatem pœnæ: nam vtriuſque pœna erit D perpetua,ſi culpa perpetuò duret:poteſt autem vtraque perpetuò durare: ſicut etiam poteſt auferri, & temporaliter puniri, quod etiam vtrique commune eſt.Secundò, quia peccatum veniale non ſit dignius pœna propter coniunctionem cum mortali: ergo, ſi de ſe non eſt dignum pœna æterna,neque etiam propter coniunctionem cum alio erit dignum illa: ergo non punietur pœna æterna,aliàs puniretur vltra condignum.

12. Scoti reſponſio. Propter hæc & ſimilia Scotus in 4.d.21.quæſt. 1.in hanc ſententiam inclinat, quòd peccatum veniale etiam quoad culpam poteſt in inferno tolli,& finiri. Errauit tamen,vt diximus in eo fundamento, quòd non diſtinxit inter remiſſionẽ culpæ venialis,& pœnæ.At Durandus eadem q. 2. inter hæc differentiam E agnoſcens,alia diſtinctione vtitur.Nã,ſi peccatum in hac vita non fuit remiſſum quoad culpã,fatetur illud nunquã in inferno tolli,quia nullũ eſt medium, quo tollatur, cùm ibi nullus actus bonus, quo veniale peccatũ retractetur,eſſe poſſit:neque etiam ibi cõferatur aliquod beneficium,aut auxiliũ gratiæ,ſine quo peccatũ veniale remitti nõ poteſt, vt diximus. Et in hoc rectè dicit.Eſtq; hæc ſententia cõmunis D.Tho. Palud.

Durandi reſponſio.

D.Thom.

Palud. Bonau. Richard. de Media. vil. Rich. de S. Vict.

Palud. Bonau. & vtriusque Rich. citat. locis. Quã etiã habet Bonau. in 2. d. 42. ar. 2. q. 2. Et sufficienter probatur ratione, & obiectione facta. Addit verò Durand. si peccatum veniale in hac vita dimissum sit quoad culpam, non verò quoad reatum pœnæ, quoad illum posse in inferno solui ac finiri. Sed in hoc eadem est quæstio de peccato veniali, & mortali quoad reatum pœnæ temporalis, qui post eius remissionem interdũ manet: quam infrà in materia de satisfactione tractabimus, & ostendemus, cõtrariam sententiam, quæ D. Tho. est, & communis, esse veriorem, quia reatus pœnæ etiã temporalis, apud Deum nunquã tollitur nisi per pœnã voluntariam, & amicabilem, vt sic dicam.

13. Soluitur difficultas.

Ad difficultatem ergo respondetur concedendo sequelam. Et ad primam impugnationem consequẽtis conceditur, esse quidem aliquam similitudinem seu conuenientiam inter veniale peccatũ, & mortale in his omnibus, quæ in obiectione annotãtur. Nihilominùs est differentia, quia peccatum mortale ex se est æternum, & dignum absolutè æterna pœna, quia tollit principium vitæ spiritualis, & auertit ab vltimo fine: peccatum autẽ veniale per se non est perpetuũ, quia nõ aufert principiũ vitæ, nec etiam auertit à fine vltimo: & ideò absolutè non est dignũ pœna æterna quantũ est ex se, meretur tamen puniri quãdiu ablatũ non fuerit: & ideò, si ex accidẽti cõtingat nunquã auferri, ex eodẽ accidẽte eueniet, vt pœna eius nunquã finiatur. Vnde facilis est respõsio ad secundã impugnationẽ: peccatũ enim veniale, formaliter loquẽdo, nõ fit dignus pœna propter coniunctionem cum mortali, sed est illa occasio quædã impediens personã, seu constituens in statu, in quo non possit à se expellere culpã venialem: ex quo fit vt dignitas pœnæ, quã culpa venialis secum affert, semper duret, & consequenter vt pœna etiam duret.

14. Quid dicendum de culpa veniali coniũcta cũ originali.

Hinc verò oritur tertia difficultas, nam sequitur idem dicendum esse, de peccato veniali, si post hanc vitam cum solo originali coniunctũ inueniatur, nimirum fore perpetuum quoad culpam, & consequenter etiam quoad pœnã sensus. Consequens autẽ videtur incredibile, aliàs talis homo in inferno damnatorum esset puniẽdus, quia pœna æterna sensus in nullo alio loco sustinetur. Propter hanc difficultatẽ inter alias negant multi posse veniale peccatum esse cõiunctum simul cum solo originali. Quæ fuit sententia D. Tho. in 1. 2. q. 39. ar. 6. quã eius discipuli sequuntur. Tribuitur etiam Alensi 3. p. q. 15. aliàs 65. mem. 3. ar. 4. §. 1.

Quorũdam responsio. D. Tho. Alens.

Reiicitur.

Sed ibi ad penult. oppositum supponit. Et reuerà fundamentum illius sententiæ est creditu difficile, nimirum hominem peruenientem ad vsum rationis non posse priùs peccare venialiter: quàm mortaliter: atq; adeò puerum non baptizatũ, neq; vllo modo in fide instructum, cùm primùm peruenit ad vsum rationis, ueceſſariò aut iustificari, & interiùs illuminari per fidem charitate formatam, aut nouum peccatũ mortale cõmittere. Quod planè incredibile est, quia nec omnes causæ necessariæ ad iustificationẽ posśut moraliter loquendo, tam subitò concurrere: neque etiam est aliquod sufficiens principium vnde ostendamus, vel nunc necessariò futurum ille illũ concursum omniũ causarũ, quæ ad iustificationem necessariæ sunt, vel ad peccandũ mortaliter. Quia prima deliberatio, quæ fit post vsum rationis, potest esse circa materiam moralem bonã, non tamẽ ad iustificationẽ sufficientem: & eadem ratione potest esse circa materiã moralem malam, non tamen ad peccatum mortale sufficientem, sed tantum ad veniale. Omitto sententiam illam supponere præceptum dilectionis Dei super omnia obligare pro primo instanti vsus rationis: quod suam specialem difficultatem habet: præsertim ita restringendo illud instans, vt non possit aliquod breue tẽpus præcedere, in quo possit homo venialiter peccare, maximè ex aliqua surreptione, vel humana inaduertentia leuiter culpabili. Denique licèt demus in re esse tale præceptum, potest facilè ignorari inuincibiliter, & tunc peccari poterit venialiter circa aliam materiam.

15.

Propter quæ & alia multa, quæ in proprium locum remittimus, censeo probabilius fieri posse, vt homo habens peccatum originale, peccet venialiter priusquàm mortaliter. Quæ est etiam communior sententia Theologorũ. Hinc etiam Palud. in 4. d. 16. q. 1. art. 1. nu. 22. & 23. admittit posse aliquem decedere in peccato originali cum solo veniali. Respondet autem ad difficultatem negando sequelam, & paritatem rationis: quia ille, qui decedit in solo originali sine mortali, est capax voluntariæ detestationis, & naturalis contritionis, seu dilectionis super omnia: & est, inquit, *gratus Deo ad bona naturæ habenda, & ad mala pœnæ sensus euadenda*: quanuis nõ sit gratus quoad habendam gloriam, & vitandam pœnam damni. Quòd si vrgeas, quia peccatum veniale, non remittitur sine gratia: respondet in forma, sine gratia gratum faciente, negatur assumptum, solùm enim est verum respectu eius qui moraliter peccauit. Si autem gratia latiùs sumatur pro quacunque liberalitate facta naturæ, sic vera est assumptio, tamen hoc genus gratiæ etiam fiet homini in illo statu constituto, ad eum modum quo in prima difficultate dicebamus de homine in primis naturalibus.

Responsio Paludani.

16. Difficultates circa illam.

Quæ responsio probabilis quidem est: quia homo in solo originali constitutus quoad naturalia eodem modo se habere videtur, ac homo in puris naturalibus. Nonnulla verò est differentia, quæ reddit difficilem hanc responsionem, quia homo constitutus in originali, est eleuatus ad finem supernaturalẽ, & ideò omne peccatum actuale eius est auersio, aut retardatio ab illo fine: & ideò ad remissionem eius videtur necessarius aliquis actus respiciens aliquo modo illum finem, & consequenter procedẽs ex gratia supernaturali, saltem auxiliante. Deinde, qui est in originali, est verè inimicus, & dignus ira Dei, & ideò nullam gratiam, vel liberalitatẽ meretur: præsertim in eo statu, quando iam omninò disponi nõ potest ad illud malum euitandum. Denique illa sententia affirmat rẽ incertam, ex diuina voluntate pendẽtem, absque vlla promissione, vel testimonio: & ex illa sequitur, etiam in hac vita posse hominem, si peccatum veniale habeat cum solo originali coniunctum; illius veniã consequi absque gratia, & manendo in peccato originali, quia non est ratio, cur in futura vita possit hoc fieri potiùs quam in præsenti: consequens autem potest improbari eisdem rationibus, quibus nostram sentẽtiã probauimus. Fateor rationes has posse aliquo modo probabili dissolui, & ideò non relinquo sentẽtiam hanc vt improbabilem, sed vt incertam, & minùs probabilem.

17. 3. Responsio.

Posset tamen aliter responderi, tali homini non remitti peccatum veniale per solam actionem, vel pœnam huius vitæ sine rigorosa pœna purgatorij: quia ad illum commutationis genus necessaria est gratia. Punietur ergo ille homo pro tali peccato veniali in futura vita pœna ignis, tamen illam non patietur inuoluntariè, nec impatiẽter, sed recognoscendo, & detestando naturaliter culpam, & pœnam voluntariè acceptando: Ideoque per talem pœnam tandem purgabitur peccatum illud, atque ita dicendum erit illum hominem priùs descendere ad purgatorium, & inde transire ad limbum puerorum. Vnde Conc. Florent. in literis vnionis, solùm dicit eos descendere ad infernum, qui in mortali peccato, vel in solo originali decedunt. Tamen hæc

Concil. Florent.

etiam

etiam expoſitio difficultatem habet ex eodem Cõc. dicente,ſolùm illas animas purgari, quæ in charitate decedunt.Et eodem modo loquuntur Patres omnes de purgatorio,vt infrà videbimus. Vel conſtituenda erunt duo loca purgatorij,vnum pro iuſtis,alium pro his pueris:quod etiã nouũ eſt. Et prætereà ignis non purgat culpam,ſed pœnam,ſuppoſita remiſſione culpæ : culpa autem non remittitur ſine gratia, nec ſine diſpoſitione ſupernaturali, nec in hac vita, nec in futura,vt probant omnia adducta.

18. Ref.4. Alenſ. Alia reſponſio ſumitur ex Alenſ.dict.art.4. §.1.ad penult. vbi primùm ait impoſſibile eſſe vt aliquis decedens ſine gratia,decedat in ſolo veniali.Vbi nõ intelligit(vt alij exiſtimarent)in ſolo veniali, ſecludendo ſolum mortale, ſed ſimul etiã originale. Et ſic eſt euidens propoſitio ſecundùm præſentẽ rerum ſtatũ, quia carentia gratiæ nunc eſſe non poteſt per modũ negationis,ſed priuationis:& ideò eſſe nõ poteſt ſine culpa originali,vel mortali,nã ſola venialis nõ priuat gratia.Vnde ſtatim ſubdit, *ſi aliquis decedat cum originali,& veniali, vel cum mortali & veniali, promeretur pro veniali aliquantulam pœnam intenſiorẽ, ſed ratione cõiuncti pœna illa erit æterna.* Ex quibus verbis conſtat ipſum cõcedere ſequelã,idéq; iudiciũ ferre de veniali cõiuncto originali,vel mortali. Quod clariùs docuit Richad.4.d.45.art.1.q.2.vbi & ſuppoſitionẽ,& conſequutionẽ admittere videtur,& Cord.lib.2. q. 5. ad 4.Soto etiam ibi q.1.a.1.dicit, admiſſo illo caſu,illum hominem puniendũ eſſe perpetuò in inferno propter peccatũ veniale.Et idẽ affirmat Ledeſm.2.p.4. q. 71. art.1.verſus finem.Et fuit etiam ſententia D. Tho. in 4.d.45.q.1.art.3.ad 6.& q.7.de mal.ar.10.ad 8. Difficile tamen creditu eſt,illum hominem fore puniendum in inferno damnatorũ,*qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*,& ſociis eorum,in modo culpæ,id eſt, in culpa mortali propria, quia non eſt veriſimile hominem illum, qui tantùm venialiter peccauit, fore obſtinandum in malo,& ita eſſe cruciandum, vt Deum odio habeat, videtur enim valdè improportionata pœna pro tam leui culpa.Et ideò fortaſſe detinebitur perpetuò in illo loco ſubterraneo,qui eſt limbus puerorum,& ibi aliquam triſtitiam patietur. Nam, cùm hæc fiat perpetua tantùm ratione adiuncti,debet dari cum proportione ad illud peccatum cui adiungitur:peccatum autem originale non meretur illam ſocietatem damnatorum.

Richar. Cordub. Soto. Ledeſm. D.Thom.

19. Alia reſolutio dubij. Quòd ſi hoc non ſatisfacit,quia incertum eſt, dici poteſt ad prouidentiam Dei pertinere,vt non permittat in eo ſtatu aliquem decedere,quod certe videtur inſinuaſſe Conc.Flor.ſuprà, diſtinctè ac præcisè numerando duos ſtatus decedentium ad inferna,ſcilicet,vel in actuali mortali peccato,vel in ſolo originali. Poteſtque ita declarari. Nam in primis hoc eſt conſentaneum,moraliter loquendo:rebus ipſis: quia homo carens gratia,& ſciens peccare,nõ poteſt multo tempore perſeuerare quin mortaliter peccet : Deinde,ſi intra illud breue tempus articulus mortis occurrat,tenetur ad Deum conuerti,& de ſuo fine vltimo deliberare,& quantùm in ſe eſt in ordine ad hãc conuerſionẽ facere.Nã,eſtò ad hoc non teneatur ſtatim in principio vſus rationis, quando alia neceſſitas nõ vrget,tamen periculo moris vrgẽte,ſemper tenebitur:& ideò,ſi faciat quod debet, veriſimile eſt fore illuminandũ à Deo vt iuſtificetur: ſi verò non faciat quod tenetur,iã peccabit mortaliter,& tunc procedet ſententia D.Tho.ſic limitata.Solũ poſſunt excogitari caſus, in quibus hic homo in originali conſtitutus, poſtquàm venialiter peccauit,repentino euentu moriatur antequàm poſſit aut conuerti, aut mortaliter peccare.Et hi caſus ſunt rariſſimi, & facilè credi poteſt,Deum illos non permittere,vel ita hominum res & ſucceſſus diſpoſuiſſe, vt illi non contingant, quia noluit propter paucos homines, & culpas leues ſpecialem locum, & modũ æternæ pœnæ ſenſibilis deſtinare.Quòd ſi tandem hoc etiam incertum eſſe dicatur,fatebimur in hac re ſolũ eſſe certum, ſine gratia,aut beneficio Dei nõ poſſe veniale peccatum tolli,in eo verò caſu,nõ defuturum modũ diuinæ prouidentiæ,quo illum hominem vel præueniat,ne in eo ſtatu decedat, niſi velit aliqua diſpenſatione vti cum his, qui voluntate ſua gratiam non amiſerunt, neque illam iam recuperare poſſunt.

---

## *Aſſertio ſecunda.*

.o

D.Thom. DIco ſecundò,Quanuis remiſſio venialis peccati formaliter, ac per ſe non requirat infuſionem gratiæ habitualis, nunquàm tamen fit ſine infuſione, vel augmento eius. Priorem partem expreſsè docuit D.Tho.in priori parte artic.2.Et optimè probat ratione ibi declarata,quia gratia habitualis, quãtumuis intenſa, præſertim quandiu eſt gratia viatoris,per ſe, ac formaliter non repugnat cũ veniali culpa : ergo formaliter non expellit illam:ergo infuſio, vel intenſio talis gratiæ non eſt formaliter requiſita ad remiſſionem talis culpæ.Contra hãc verò partem ſentire videtur Alenſ.dict.q.15.vel 65.memb.3. ar.4. §.1.quem ad literam ſecutus eſt Bonau.in 4. d. 21. 1. p.eius.art.q.1.Quorum fundamentum eſt,quia peccatum veniale aliquo modo fœdat animam; efficitq; vt aliqualiter Deo diſpliceat :omnis autẽ nota diſpliCentiæ apud Deum nõ tollitur niſi per habitum gratiæ:ſic enim inquiunt, *Decreuit nos ſanare diuina miſericordia.* Sed hoc vltimum, quod eſt totius rationis fundamentum,ab eis non probatur, ſed ſupponitur. Reſpondetur ergo, ſufficienter hoc fieri per motum gratiæ, vel ad ſummum probari gratiam ſupponi, & vt ſic in aliquo alio genere cauſæ concurrere, vt iam declarabitur.

Alenſis & Bonauen. contrarium tenentes improbantur.

21. Probatur ſecunda pars cõcluſionis. Poſterior ergo pars concluſionis probatur, nam peccatum veniale,vt ſuprà dicebam, remitti poteſt, aut ſimul tempore cũ mortali,aut per ſe ſolùm. Quãdo ergo priori modo remittitur,iam ex dictis conſtat non poſſe tolli ſine noua infuſione gratiæ, quia non poteſt tolli ſine remiſſione mortalis,& hæc non fit ſine infuſione gratiæ. Quia verò illa gratia per ſe repugnat peccato mortali,illud formaliter expellit:veniale verò concomitanter. In quo verò hæc concomitantia conſiſtat,vel vnde proueniat, ſtatim declarabo.

22. Dubium 1. de cõcomitãtia remiſſionis venialis peccati cum infuſione primæ gratiæ. Dubitari enim poteſt in primis circa hãc partẽ,an hæc concomitantia perpetua ac neceſſaria ſit, ita vt nunquã infundatur prima gratia remittẽs peccatum mortale,quin expellantur omnia venialia,quæ cũ illo coniuncta erant.Nam D. Tho. in poſteriori parte articuli videtur id affirmare.Sed illum locũ ſatis in cõmentario expoſuimus.Et ex ibi dictis colligitur reſolutio,ſcilicet,hanc concomitantiã nõ eſſe ſimpliciter neceſſariam,ſed pro ratione diſpoſitionis.Nam ſi diſpoſitio,ſeu cõtritio, ratione cuius infunditur gratia, talis eſt, vt vel formaliter, vel virtute vniuerſaliter complectatur venialia peccata, ſemper remittentur in infuſione gratiæ: quia, ſi illa diſpoſitio ſufficit ad remiſſionem mortalis, multò magis ad remiſſionem venialis ſufficiet, quia iam homo facit quod moraliter poteſt,ac debet ad talem effectum. Si verò contritio eſt limitata ad ſola mortalia, vel ſe extendit ad quædam venialia,& nõ ad omnia (omnibus enim his modis haberi poteſt, vt ex ſuprà dictis ſupponimus, tunc,licèt infundatur gratia,non remittentur illa venialia,

nialia, quæ nullo modo sub talem contritionē ca- A
dunt. Probatur contraria ratione, quia homo ad illam remissionē nullo modo se disponit, neque auertit voluntatē suam à tali culpa: imò, quantùm est ex vi talis contritionis, posset esse actualis complacentia in illo peccato veniali simul cum ea: ergo non remittitur tale peccatum. Probatur consequentia, tum quia remissio venialis & mortalis non sunt inter se connexa, vt est per se notum: nā potest quis esse in gratia, imò & consequi gratiam, dum actu peccat venialiter. Neque etiam sunt connexa in dispositione, vt supponimus, neque etiā est aliqua lex, vel promissio Dei de remittendis omnibus peccatis venialibus quoties infunditur gratia: ergo. Tum etiam, quia hæc remissio debet fieri aliquo modo ex opere operantis (sic enim nunc loquimur, nam de remissione ex opere operato posteà dicemus:) ergo requirit saltem dispositionē sufficientem ex parte operantis. Et declaratur, nam, si quis existens iam in gratia, & habens plura venialia peccata, doleat sufficienter de quibusdam, & nullo modo de aliis, remittentur quædam, & non omnia: ergo à fortiori idem fiet in prima infusione gratiæ, seruata proportione in dispositione ipsa.

Sed iam oritur secundum dubium, quomodo tūc concurrat gratia gratum faciens ad remissionem venialium, quæ simul cum mortalibus remittūtur. Cum quo est tertium dubium coniunctum, scilicet, an hæc remissio gratis fiat, vel de condigno & iustitia. Tres namque modi excogitari possunt. Primus est vt peccatū veniale formaliter, & quasi physicè expellatur per ipsummet actum contritionis, & iuxta hunc modum infusio gratiæ habitualis se habet quidem concomitanter in temporis duratione, ordine tamen naturæ, tanquàm quid consequens & natura posterius. Et consequenter aliter remissio fit gratis, in quantùm auxilium ad illam datur gratis: posteà verò habita cōtritione, nec propriè fit gratis, nec etiā ex iustitia, sed quasi naturali quadam necessitate, & informatione ipsius contritionis, vel, vt ita dicam, necessaria reformatione, quam secum formaliter affert ipsa contritio. Hæc verò sententia ex falso fundamento procedit, vt latiùs dixi in 1. tom. 3. p. disp. 4. & iterum attingam in sect. sequenti, & ideò illam omitto.

23. Quomodo tunc cōcurrat gratia gratū faciens ad remissionem venialium. Primus dicēdi modus.

Improbatur.

24. Secundus modus.

Secundus modus dicēdi esse potest, suppositā prædicta dispositione, quæ ordine naturæ antecedit remissionem vtriusque peccati, Deum simul etiam natura remittere vtrāque culpā, mortalē, & venialē, infundendo gratiam, ex ea lege vniuersali, quia statuit remittere homini omnē culpā, ad cuius ablationem D
sufficienter se disponit, vnamquamque secūdùm modum illi accommodatū, scilicet, per formam intrinecam vbi necessaria est, vel sine illa vbi necessaria nō est: & quia illa dispositio æquè complectitur vtramque culpam, & sine vllo ordine naturæ inter ipsas, ideò simul etiam conceditur vtriusque remissio sine vllo ordine earū inter se. Et hæc est ratio concomitātiæ, quæ tūc est inter infusionem gratiæ, & remissionem venialis peccati. In qua (iuxta hunc explicandi modū) nullam causalitatem habet circa remissionem peccati venialis, sed solam cōiunctionem, quia neque est forma, nec dispositio præuia, sed concomitans, nec principium efficiens ipsius contritionis, vt suppono. Ac denique iuxta hūc modum remissio venialis peccati tunc gratis datur, id est sine merito, vel satisfactione de condigno, quia nec ordine naturæ, nec tempore supponit personam gratam, sed simul omninò cum ipsa gratia confertur: & ideò, sicut gratis datur, ita & hæc remissio, quia ante gratiam sanctificantem nulla ratio iustitiæ, nec meritum, aut satisfactio de condigno in nobis esse potest. Atque hic dicendi modus est satis probabilis.

Tertius tamen esse potest, stante dispositione prædicta, Deum priùs natura infundere homini gratiam suam, & constituere illum amicum, & imniunem ab omni culpa amicitiæ contraria: deinde verò propter eandem cōtritionem iam gratia informatam remittere culpam venialem. Iuxta quem modum, licèt infusio gratiæ, & remissio venialis peccati in duratione temporis concomitanter se habeant, tamen ordine naturæ gratia antecedit, & est causa talis remissionis, non quidem formalis, sed moraliter effectiua, vel potiùs dignificatiua illius actus, per quem talis remissio cōparatur, nam sanctificando personam, moraliter dignificat, & informat contritionis actum. Quo tandem fit, vt iam illa remissio venialis peccati non gratis fiat, sed ex iustitia, quia illa contritio sic informata, iam est satisfactoria & meritoria de condigno B
posteriorum effectuū. Quæ omnia optimè inferūtur. Solùm oportet reddere rationem illius primi fundamenti, scilicet, quòd sit aliquis ordo naturæ inter remissionem peccati venialis, & mortalis. Hæc autem reddi potest, vel ex parte ipsarum rerum, quia secundùm ordinē naturæ priùs est rē substantialiter fieri, posteà perfici: & ideò priùs natura constituitur amicitia diuina, quàm tollantur maculæ eius: nam hoc pertinet ad perfectionem accidentalem eius. Et in hoc est magna differentia inter peccatum mortale, & veniale: nam remissio mortalis culpæ est, vt ita dicam, de substantia amicitiæ diuinæ: & ideò quantumuis ordine naturæ, vel rationis potiùs præintelligatur infusio gratiæ remissioni peccati mortalis, non intelligitur persona plenè sanctificata, neq; capax meriti, aut satisfactionis de condigno. Quod secus est in culpa veniali, nam, cū illa potest esse persona verè sanctificata, & sufficiens ad merendum & satisfaciendū de cōdigno: & ideò eius remissio est quasi accidentaria, atque adeo simpliciter natura posterior in prima hominis sanctificatione. Vel etiam potest reddi ratio ex parte Dei, qui, vt perfectiori prouidentia omnia confert, id tantum gratis remittit, quod homo mereri non potest in his, quæ ex opere operantis remittit: & ideò voluit in hac remissione seruare illum ordinem, qui simul iustitiam cum misericordia coniungeret, quantùm fieri posset. Atque hic modus est etiam satis probabilis: & vnicuiq, liberum esse potest, alterutrū ex his duobus eligere. Mihi tamen hic vltimus magis aridet, nam est conformior diuinæ prouidentiæ: & Deus simul in illo se ostendit fidelem, & iustum, remittendo peccata, vt Ioan. dixit.

25. Tertius modus.

Probatur.

---

## *Quid dicendum quando veniale per se solùm remittitur.*

SVpereſt dicendū de altero mēbro, quando venia- 26.
le per se solum remittitur. De qua remissione iam dictū est, necessariò supponere in persona gratiā gratum facientem, à qua non expellitur formaliter, cùm contingat esse simul, potest tamen dici expelli effectiuè, quia ab hac gratia proueniunt actus, per quos talis remissio comparatur. Et ab illa etiam habēt illi actus rationem meriti, vel satisfactionis condignæ, vt illa remissio de iustitia obtineatur, iuxta ea quæ tradidimus in citato loco 1. tom. Rursus dubiū non est, quin ille actus, per quem peccatum veniale tollitur, secum possit afferre augmentū gratiæ, cùm illud mereatur, quandoquidē est bonus, supernaturalis, liber, & à persona grata. Difficultas verò est, an hoc augmentum gratiæ semper fiat, quando sit talis remissio venialis peccati, estò non requiratur per se ac formaliter propter illā. Et è cōtrario etiam quæri posset, an, quoties

augetur

augetur gratia,remittatur peccatũ veniale,quod erat in tali perſona. Videri enim poſſet,ita eſſe neceſſariũ quia,ſi ille ſit ſanctior,& magis amabilis Deo, etiam fiet purior ab omni macula,qua poſſit Deo diſplicere. Sed quoad hoc poſterius certum eſt,illa duo non ſemper eſſe coniuncta, quia ex intenſione gratiæ non ſequitur per ſe ac formaliter expulſio venialis peccati, vt oſtenſum eſt, quia poſt gratiam ſic intenſam poteſt ſimile peccatũ veniale de nouo commiſſum, ſimul cũ illa eſſe ac permanere. Neque etiã cum illo augmento gratiæ eſt neceſſariò coniunctus aliquis actus,qui ſit incompoſſibilis cum peccato veniali,aut ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionẽ eius:nam poteſt peccatum veniale,v.g.eſſe mendacium leue,& augmẽtum gratiæ fieri per actũ eleemoſynę,qui nullã proportionẽ habet ad remiſſionẽ illius culpæ. Nec bene infertur,ſi perſona ſit gratior intenſiuè,etiã fieri B purioré quoad omnes maculas, nam hæ ſunt res diuerſarum rationum,quæ neque inter ſe,neque in aliquo tertio habent neceſſariam cõnexionem. Qui autem dicunt,gratiam & charitatem extra ſacramẽta,vt loquimur, nunquam augeri niſi per actum intenſioris charitatis Dei, apparenter dicere poſſent,quoties augetur charitas,remitti veniale peccatum. Sed neque illa ſententia nobis probatur,neque etiam conſecutio eſt formalis,aut ſimpliciter neceſſaria, vt ex dicendis in ſequenti ſectione magis patebit.

Non quoties gratia augetur, remittitur veniale peccatum.

27. An ſemper augeatur gratia cum veniale remittitur. Thomiſtarum opinio.

In altera verò comparatione diſcipuli D. Thomæ communiter ſentiunt, remiſſionem peccati venialis in homine iuſto nõ eſſe ſemper coniunctam cum augmento gratiæ: quia poteſt aliquis actus bonus eſſe ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem venialis peccati,& non ad augmentum gratiæ,vt patet in actu C contritionis de peccato veniali, qui ſit remiſſior quàm gratia,nã per ſe, & ratione ſuæ entitatis eſt ſufficiens diſpoſitio ad tollendum peccatum veniale, vt ſuprà dictum eſt de contritione reſpectu mortalium,quod maiorem vim habet reſpectu venialium. Et tamen propter remiſſionem non erit ſufficiens diſpoſitio ad augmentum gratiæ, etiamſi mereatur illud iuxta

D. Thom. doctrinam D. Thomæ 1.2.q.114.art.8.ad.3. qui planè ita ſentit hîc ad 2.vbi, vt oſtendimus loquitur de infuſione gratiæ etiam pro augmento, & negat fieri per omnem actum pœnitẽtiæ virtutis,per quam tollitur peccatum veniale. Et ita etiam opinatur Paludanus in 4.d.16.q.1.ar.2. Et hæc opinio procedit conſe-

Palud.

Soto. quenter, Nam diſtinctio, qua vtitur Soto ſuprà de D gratia in eſſe gratiæ,vel in eſſe qualitatis:dicens priori modo ſemper augeri, cùm peccatum veniale remittitur, non autem poſteriori modo,neque eſt conſequenter tradita, nec ſatis probabilis:tum quia eſſe gratiæ nihil aliud eſt quàm eſſe ſpecificum illius qualitatis:repugnat ergo augeri in eſſe gratiæ, & non in eſſe qualitatis. Tum etiam quia actus remiſſus ita eſt diſpoſitio ad augmentum gratiæ in eſſe gratiæ,quàm in eſſe qualitatis.

28. Vera ſententia affirmãs.

Quia verò probabilius credimus, per omnem actum meritorium augmenti gratiæ, ſtatim gratiam augeri,abſque alia diſpoſitione,præter ipſum meritũ, & capacitatem merentis ſecundũ ſtatũ viæ in ordine ad tale præmiũ: ideò probabilius credimus, quoties homo iuſtus ita operatur, vt remiſſionem venialis E peccati obtineat,ſemper etiam obtinere aliquod augmentũ gratiæ, quia in tali actu ſemper ſunt omnes conditiones neceſſariæ ad meritũ talis augmenti. Nã eſt ab homine grato, vt ſupponitur: & eſt bonus,& liber, vt per ſe notum eſt: & eſt etiam aliquo modo ſupernaturalis,vt ſequenti ſectione oſtendemus:ergo habet omnes conditiones neceſſarias ad prædictum meritum, quia non requiruntur plures ex parte merentis, vt conſtat ex materia de merito.

## SECTIO III.

### *Quis actus pœnitentiæ ſufficiat, vel neceſſarius ſit ad remiſsionem venialis peccati.*

1. Senſus quæſtionis.

IN hac quæſtione ſermo eſt de remiſſione venialis ſolius,ſeu per ſe,quę iuxta dicta ſolùm habet locum in homine iuſto:nam de remiſſione venialis ſimul cum mortali iam ſatis dictum eſt. Agimus etiam de remiſſione ex diſpoſitione, ſeu opere operantis: nam ſi fieri poteſt ex opere operato, quid tunc requirat,dicam in ſect.ſequente. Deniq; ſupponunt omnes ad hanc remiſſionem aliquid requiri ex parte hominis,præter ceſſationem ab actuali peccato veniali,tum quia hoc poſtulat ratio iuſtitiæ, & prouidentiæ diuinæ:tum etiam quia aliàs nunquàm homo eſſet in veniali peccato, niſi quandò illud committit,cuius oppoſitum in ſectione præcedente oſtẽſum eſt:& videtur communis conſenſus totius Eccleſiæ.

2. Prima opinio. Scot.

Eſt igitur prima ſententia, veniale peccatum remitti per quẽlibet bonũ motũ hominis iuſti. Ita ſentit Scotus in 4.d. 21. q.1. Vbi tamen requirit, quòd motus ille plus placeat Deo:quàm diſplicuerit peccatũ veniale, & quòd ab operante in hunc finẽ referatur,vel à Deo acceptetur. Cur autẽ dicat hoc poſterius,explicabimus ſectione ſequente. Abſolutè verò & ſine vlla reſtrictione tenet hanc ſententiã Gabriel. Gabr. in 4.d.16.q.5.art.2.concluſ.4.& art. 3. dub. 3. idem ſentit ibi Maior q.1. Abulenſ. 4. Reg.2.q.39. Medina Maior. tract.1.de Pœnit.q.3. Fundamentũ eſſe poteſt, quia Abulenſ. bonus actus iuſti hominis eſt gratior Deo,quã fuerit Medin. ingrata venialis offenſa. Et cõfirmatur,quia per talem actum meretur homo augmẽtum gratiæ,& gloriæ,& amicitiæ diuinæ:ſed ad perfectionẽ amicitiæ pertinet leuiores offenſas remittere:ergo. Tandẽ, ſi eſſet neceſſarius actus pœnitentiæ, vel eſſet ex neceſſitate præcepti,vel medij: non primum, quia vbicunque Scriptura loquitur de præcepto pœnitẽtiæ, eſt in ordine ad peccatũ mortale. Cuius ſignũ eſt,quia comminatur æternam pœnam non agentibus pœnitentiam. Neque etiam ſecundum, tum quia illud ſupponit primum:tum quia ſunt alia media ſufficientia, vt infrà videbimus.

3. Secunda opinio. Aclnſ.

Secunda ſententia eſt,requiri formalem pœnitentiam, ſeu contritionem, vt remittatur veniale peccatum. Ita ſentit Alexander Alenſis 4.p.q.15. aliàs 65. memb.4.art.4.& q.27.aliàs 69.memb.3.art.5. Vbi neſcio quid ſibi velit, dicens, requiri contritionem in actu,vel in habitu: niſi fortè per habitum intelligat diſpoſitionem relictã ex actu præcedente. Tamen illa non poteſt eſſe ſufficiens, ſi præcedens actus per ſe non erat ſatis, niſi fortè loquatur in ordine ad ſacramentum, aut per contritionẽ in habitu intelligat virtualem, ſeu implicitam contritionem, quæ includitur in amore,aut alio ſimili actu. Clarius ergo tenet illam ſententiam Thomas de Argentin.d.16.art.4.& Argent. expreſſiùs d.21.art.4.ad 1. vbi etiam Rich.art.4.q. 1. Richard. idem indicat. Ipſe tamen d.16.art.5.q. 1. locutus fuerat de pœnitentia implicita, vel explicita venialium. Quid autem per implicitam intelligat, non declarat. Durandus etiam d.16.q.2.& d.21.q.1.& 2.requirere Dur. videtur diſplicentiam formalem, quamuis non contritionem. Denique citatur pro hac ſententia Abu- Abul. lenſis in 25.cap.Matthæi,q.718.& Paludanus d.16.q. Palud. 1.art.2.ait, requiri contritionem implicitam vel explicitam, ideſt, particularem, vel generalem, vt exponit

ponit. Ratio esse potest, quia voluntas venialiter peccando conuertitur aliquo modo ad creaturam inordinatè: ergo, vt illa inordinatio tollatur, necessaria est retractatio formalis eiusdem voluntatis, quæ propriè & perfectè non fit, nisi per formalem pœnitentiam & detestationem, quia cum quolibet alio actu potest compati peccatum veniale. Vt autem talis detestatio per se sufficiat ad tollendam hanc culpam, necessarium est vt principaliter respiciat offensionem Dei, cùm peccatum veniale verè sit Dei offensa: ergo requiritur contritio. Et confirmari hoc solet ex Augustino, lib. de vera & falsa pœnit. c. 18. Tamè ibi solùm dicit esse vtilem non verò necessariam.

Auguſt.

4. Tertia opinio. D. Thom. Bonau. Soto. Ledesm. Petr. Sot.

Tertia opinio est, requiri pœnitentiam formalem vel virtualem. Hæc est D. Thomę hîc, qui per virtualem solùm videtur intelligere illam, quæ includitur in feruenti amore Dei. Idem habet q. 7. de Malo, art. 11. & 12. & in 4. d. 16. q. 2. art. 2. quæst. 2. Bonau. d. 21. a. 1. q. 2. Soto d. 15. Ledesma, & alij Moderni & Petrus Soto lect. 18. Fundamentum est, vt requiratur aliqua pœnitentia, idem quod præcedentis opinionis: vt verò sufficiat virtualis, quia offensio est leuis, & propter alia quæ in prima opinione dicta sunt. Et hæc opinio mihi placet: vellem tamen illam aliquantulum declarare, & ampliare.

---

*Formalem contritionem venialium sufficere ad illa tollenda, non tamen esse necessariam. Assertio* 1.

5. Proponitur dubium.

Dico ergo primò, Formalis contritio de peccatis venialibus, est sufficiens ad illa tollenda, non tamen necessaria. Prima pars manifesta est, quia si sufficit ad tollenda mortalia, multò magis ad venialia, si de illis habeatur. Altera pars patebit ex dicendis. Hîc verò inquiret aliquis, an huiusmodi contritio tollat prorsus omnia peccata venialia, si de omnibus generaliter sit vel formaliter, vel virtualiter ex vi motiui, iuxta superiùs dicta de contritione. Aliqui enim negant sufficere. Quod sentit Paludanus in 4. d. 21. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. Et fauet D. Thomas q. 7. de Malo, artic. 12. ad 4. vbi indicat hoc fundamentum *quia fieri* (inquit) *potest, vt cum illo actu generali sit habitualis dispositio voluntatis: repugnans remissioni alicuius peccati, scilicet quia voluntas est ita affecta, vt, si occurreret tale peccatũ, illud non detestaretur, vel potius illud committeret*: & hunc vocant alij, affectum virtualem. De quo multa disputat Ledesma 1. p. 4. q. 28. a. 1. dub. 7. & 8. impugnans illam sententiã. Et meritò, si vt sonat, intelligatur: quia illę conditionales propositiones nihil referunt, vt in præsenti ponatur obstaculum vel gratiæ, vel remissioni culpæ: quia illud quod faceret voluntas, si hoc vel illud ei occurreret, nunc non imputatur ei ad culpam, iuxta certam doctrinam: imò, non obstante quacunque habituali dispositione voluntatis, illud est ita contingens, vt solus Deus possit cognoscere certò an ita futurum esset. Quapropter etiam talis dispositio habitualis per se non potest esse sufficiens impedimentum.

Paludani sententia.

Ledesma.

6.

Quocirca, vt illud fundamentum locum habeat, supponere oportet præsentem actum contritionis talem esse, vt non sit simpliciter incompossibilis cum tali peccato veniali, ita vt, si occasio illius nũc occurrat, non repugnet habere complacentiam in illo, non obstante tali actu contritionis: tunc enim est sufficiẽs indicium, contritionem illam non esse sufficientem ad remitiendum illud peccatum, quia non excludit omnino voluntatem sic peccandi, sed admittit contrarium propositum absolutum, saltem virtuale. Et in hoc sensu erit quidem illa doctrina vera, tamen ille actus contritionis non erit vniuersalis, vt supponebatur. Et ideò Paludanus, etiam supposita generalitate actus, in hoc fundatur, quòd potest esse valdè remissus, & ideò insufficiens ad tollenda omnia venialia. Et potest in hunc modum declarari, quia hæc remissio fit per modum condignæ satisfactionis & meriti: ergo tot possunt esse venialia, & tam grauia, & aliunde tam tepida, & remissa contritio, vt non tollat omnia. Et confirmatur, quia aliàs sæpè esset homo iustus sine vlla veniali culpa, contra illud, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

7. Quamcunq; contritionẽ tollere respectiuè omnia venialia. Vera resolutio. Caiet. D. Thom.

Nihilominus censeo, quamcunque contritionem tollere respectiuè omnia peccata venialia, id est, illa de quibus habetur: vnde, si sit vniuersalis de omnibus omnia tollet. Ita sentiunt Caietanus hîc art. 1. & alij Thomistæ. Et fauet D. Thomas dict. qu. 7. de Malo, art. 11. ad 4. & in 4. d. 16. q. 2. art. 2. quæst. 4. ad 3. Et ratio est, quia maiorem proportionem habet contritio ad tollenda venialia, quàm mortalia, respectiuè: sed vniuersalis contritio omnium mortalium, tollit omnia mortalia: ergo vniuersalis contritio omnium venialium tollit omnia venialia. Maximè cùm in persona supponatur gratia, à qua ille actus habet valorem: vnde & est proportionata dispositio ad illum effectum, quod satis est: & est etiã sufficiẽs ad meritum & satisfactionem pro tali culpa, quia ad huiusmodi condignitatem sufficit proportio actionis, & dignitas personæ operantis. Remissio autem, aut intẽsio actus ad hunc effectum necessaria non est, vt suprà in generali de contritione ostendimus. Et ita manet solutũ fundamentum oppositum. Neque est inconueniens vt iustus ad breue tempus sit absque aliqua culpa, vt etiam D. Thomas suprà aduertit. Sensus autem illius loci est, non posse aliquem verè dicere, se nunquàm peccasse, vel nunquàm peccare. Addo etiam, nũquàm posse hominem de se affirmare, quòd sit sine peccato, quia non est certus de tali cõtritione. Denique, licèt hæc contritio sufficiat ad tollendam omnem culpam, non tamen omnem pœnam, quia ad hoc maior satisfactio pœnalis necessaria est.

Fundamentũ Paludani soluitur.

---

*Per amorem absque formali pœnitentia posse remitti venialia. Assert.* 2.

8.

Dico secundò, etiam amor Dei super omnia per se potest remittere venialia peccata absque formali pœnitentia. Hæc est sententia D. Thomæ, & communior inter alios, Auctores: & rectè explicata, mihi videtur certa. Patetque sufficienter ex his, quæ suprà dicta sunt de remissione peccati mortalis per amorem: illa enim à fortiori conuincunt de venialibus. Imò in hoc est aduertenda differentia, quod amor, per se loquendo, requirit dolorem ad tollendũ peccatum mortale: & ideò quando talis dolor formaliter non concurrit, in voto & proposito continetur. Ad remissionem autem venialis peccati non oportet, vt hoc votum in amore includatur, quia ad hunc effectum non est dolor ita per se necessarius. Quod satis conuincunt fundamenta primæ & tertiæ sentẽtiæ, nullum enim ostendi potest de hac re præceptum quapropter neque necessitas medij hic interuenit, ergo nec votum. Item hac ratione, peccata venialia non sunt materia necessaria sacramenti pœnitentiæ: ergo nec sunt (vt sic dicam) materia necessaria virtutis pœnitentiæ. Denique hæc peccata facillimè committuntur, & sæpe sunt quodammodò inuoluntaria: ergo faciliùs etiam remitti debent. Amor ergo per se & virtute sua ad eorum remissionem sufficit.

9. Qualis esse debeat hic amor.

Interrogabit aliquis, qualis debeat esse hic amor. Nam D. Thomas requirit feruentem amorem perfectum. Quod nimium videtur, quia ad tollẽdum peccatum mortale, etiam remissus amor sufficit. Respõdetur,

Duplex perfectio amoris.

detur, Duplex intelligi poteſt perfectio huius amoris: vna eſt obiectiua ſecundùm extenſionem ad venialia peccata: alia extenſiua ex conatu potētiæ. Prior eſt per ſe neceſſaria ad remiſſionem venialis peccati, quia ſecundùm illam habet actus amoris oppoſitionem cum veniali peccato, & mutat voluntatem à cōuerſione eiuſdem peccati: & ideò ſiue talis amor ſit intenſus ſiue remiſſus ex conatu potentiæ, remittit illa peccata venialia, cum quibus habet virtualem oppoſitionem. Vnde remittet omnia quoad culpam, ſi ad omnia virtualiter extenditur, vel aliqua, ſi tātùm in illa cadit, ſeu illa reſpicit; iam enim ſuprà diximus contritionem venialium non ſemper eſſe de omnibus: & idem eſt proportionaliter de amore.

10. Quod optimè declaratur ex propoſito, nam poteſt quis habere propoſitum efficax abſolutum vitandi quædam peccata venialia grauiora, etiam ex amore Dei, non verò reliqua. Vnde etiam fieri poteſt, vt interdum vnum veniale ſine aliis remittatur, quia in nullo principio, vel forma, aut diſpoſitione habent neceſſariam connexionem quoad remiſſionē. At verò quando amor eſt feruens in intenſione, ſecundùm extenſionē autem non ita opponitur venialibus peccatis, per ſe loquendo non eſt adeò apta diſpoſitio ad eorum remiſſionem, quia non ita mutat voluntatem. Nihilominus tamen probabile eſt, Deum propter talem actum remittere vel omnia, vel aliqua peccata venialia, iuxta diſpoſitionem ſuæ ſapientiæ: tum propter meritum, & ſatisfactionem talis actus: tum etiā quia veriſimile eſt, eum, qui tali feruore amat Deum, deteſtaturum fuiſſe veniale peccatum, ſi illi occurriſſent, & ideò ſatis proportionatus eſt, vt acceptetur tanquam meritum vel diſpoſitio ſufficiens ad talem remiſſionem. Ex quo etiam probabilius cenſeo, per huiuſmodi actum (& idem opinor de contritione) nō tolli peccatum veniale formaliter tanquàm per formam phyſicam, ſed diſpoſitiuè, ſicut dixi de contritione reſpectu mortalium. Solùm interuenit hîc perfectius meritum, & ſatisfactio ſcilicèt, de condigno. Quod latiùs tractaui in dict. 1. tom. 3. partis, diſputatione 4. ſect. 11.

---

## *Venialia tolli per attritionem. Aſſert. 3.*

11. DIco tertiò, Probabile eſt, venialia peccata tolli per ſolam attritionem, imò & per contrarium propoſitum, vel per actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato, & excludentem complacentiam illius. Ita interpretor ſententiam D. Thomæ. Et tenent hanc aſſertionem omnes Auctores primæ ſentētiæ. Et bene Bonauent. in 4. d. 21. a. 1. q. 2. indicat Paludanus d. 16. q. 1. a. 1. concluſ. 2. Et fauet D. Auguſt. in Enchiridio, cap. 71. Et refertur in Cōcilio Toletano 4. c. 5. & in decretis de pœnitentia, d. 3. capite *De quotidianis*. Vbi ait, hæc peccata tolli per orationem Dominicam, & alia opera pietatis. Idem habet Auguſtinus lib. de Fide, & Symbolo, c. 6. & epiſtol. 108. ad Seleucianum. Et Marianus Victor quodam libro de Confeſſione cap. 10. ait tolli hæc peccata per quemlibet actum religionis, quo aliquis intendit placere Deo, ratio verò eſt ſæpe tacta, quia hæc venialia ſunt leues offenſiones, & ſæpe ſunt imperfectè voluntariæ: & aliunde gratia, quæ in perſona ſupponitur, dat magnum valorem his actibus, qui etiam aliquo modo mutant voluntatem, & auertunt illam à priori defectu: ergo veriſimile eſt hoc ſatis eſſe ad conſequendam huiuſmodi remiſſionem.

Bonauent. Palud. Auguſt. Conc. Toletan 4. Marian. Vict

12. Vnde in particulari, attritio in hoc excedit, quòd eſt formalis dolor, & auerſio à priori culpa: & quanuis non ſit ex ſupremo motiuo, tamen gratia id ſupplet. Vnde dicere ſolent Theologi hominem fieri ex attrito contritum, cùm attritioni gratia cōiungitur. Oportet tamen vt talis attritio ſit de tali peccato: nam attritio vnius peccati non ſufficit ad tollendum aliud diſparatum, & omninò diuerſum: quia reſpectu illius non habet rationem diſpoſitionis. Ex quo facile diſſoluitur quod Ledeſma ſuprà obiicit dubio 7. quia cum attritione (inquit) ſtat complacentia de peccato veniali. Hęc enim ratio ſolùm procedit de attritione alterius peccati omninò diuerſi: poſſunt enim eſſe ſimul complacentia vnius, & attritio alterius, non tamen vnius & eiuſdem, quia vera attritio excludit voluntatem peccandi, vt Concilium Tridentinum dixit.

Obiectioni occurritur.

B Quod verum eſt de omni attritione propriè ac formaliter comparata ad obiectum ſuum.

13. Alia obiectio.

Aliter verò obiici poteſt, quia peccatum veniale eſt ſufficiens materia confeſſionis: ergo poteſt aliquādo remitti virtute clauium, & per abſolutionem ſacerdotis, antequam per actum ipſiusmet pœnitentis remiſſum ſit: ergo ad illud tollendum non ſufficit attritio. Patet conſequentia, quia attritio eſt neceſſaria vt fiat digna confeſſio talis peccati, ergo ſemper illud tolleret ante abſolutionē ſacerdotis: ſimili enim ſeu proportionali ratione probamus contritionem de peccato mortali non eſſe neceſſariam ſemper ante ſacramentum, quia aliàs peccatum numquàm tolleretur per ſacramentum. Propter hoc adhiberi poſſet limitatio ex Soto ſuprà, attritionem per ſe ſolam ſufficere in ſacramento ad remiſſionem venialis peccati: extra ſacramentum verò non ſufficere ſine imperio charitatis. Sed hoc non placet, quia tunc illa remiſſio potiùs tribuitur dilectioni quam attritioni. Imò ſi actus ille charitatis, à quo imperatur, perfectus eſt, tota illa diſpoſitio quandam rationē contritionis habet, & ad expellendum peccatū mortale ſufficiēs eſt, vt in ſuperioribus eſt tactum. Nos autem contendimus attritionem ipſam, ſi in ſe ſupernaturalis ſit, ſufficere, quia formaliter opponitur inordinationi peccati venialis, & natura ſua tendit in Deum vt finem ſupernaturalem, eò quòd ipſa ſupernaturalis ſit: & hac ratione habet ſufficientem oppoſitionem cum peccato veniali, etiam vt eſt aliqualis offenſa Dei: & ideò in ratione diſpoſitionis videtur non minùs proportionata ad hunc effectum, quàm ſit contritio ad remiſſionem peccati mortalis. Eſt enim duriſſimum, æqualem diſpoſitionem ad vtrumque requirere, vel etiam maiorē, quia contritio de veniali peccato quodammodò perfectior eſt, vt ex ſuprà dictis conſtat: præſertim cùm in ratione meriti & ſatisfactionis, valor ex dignitate gratiæ accedat.

Soti reſponſio. Reiicitur.

14. Alia ſolutio.

Aliter dici poteſt, ex alia doctrina eiuſdem Soti, vt remittatur peccatum veniale per ſacramentum confeſſionis, ſufficere naturalem attritionē ex virtute acquiſita: extra ſacramentum verò neceſſariam eſſe attritionem infuſam: ideóq; fieri poſſe vt aliquis attritus confiteatur peccatum veniale nōdum ſibi remiſſum, quia attritio erat tantùm naturalis, & tamē quòd per abſolutionem remittatur. Hæc verò reſponſio quoad prius membrum nobis non probatur. Primò quia probabilius credimus non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad ſubſtantiam ſacramenti pœnitentiæ neceſſariam eſſe ſaltem attritionem ſupernaturalem, vt ſumitur ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 14. & infrà ſuo loco latiùs probabimus. Secundò, quia ſuprà in materia de ſacramentis in genere oſtendimus, attritionem naturalem etiam cum ſacramento baptiſmi non ſufficere ad eius effectum obtinendum: ergo minùs ſufficiet cum ſacramento pœnitentiæ. Et quanuis hęc ratio directè procedat de effectu gratiæ, tamen etiam extenditur ad effectum remiſſionis venialis

Improbatur.

Conc. Trid.

pecca

peccati: quia, licèt remissio venialis peccati per se non requirat infusionem gratiæ, tamen in sacramento nunquàm datur sine collatione gratiæ, vt infrà videbimus: & ideò, quæ non fuerit sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento obtinendam, etiam ad remissionem peccati venialis in sacramento impetrandam non sufficiet.

15. Improbatio ni respondetur.

Video responderi posse, eum, qui cõfitetur solùm peccatum veniale (de hoc enim agimus) accedere in gratia, & ideò, licèt solùm habeat attritionem naturalem, esse satis dispositum, vt per sacramentum recipiat gratiæ augmentum, quia ad hũc effectum sacramentalem non est semper necessaria actualis dispositio supernaturalis, sed habitualis sufficit: & alioqui ad effectum quasi secundarium sufficit dispositio per naturalem attritionem. Nam si Durandus, Gabriel, & alij volunt hanc attritionem sufficere ad hũc effectum per se, & sine sacramento, imò & sine gratia, quid mirum quòd cum sacramento valeat, præsupposito statu gratiæ? Posset ergo hæc opinio sic explicata probabiliter sustineri. Ego verò illi non assentior, tum propter priorem rationem de substantia sacramenti, tum etiam, quia rationes suprà factæ contra Durandum hîc suo modo locum habent, scilicet quod actus solius liberi arbitrij per naturales vires eius, numquam est sufficiens dispositio ad supernaturale donum obtinendum etiam in sacramento: remissio autem peccati venialis est supernaturale donum, vt suprà probatum est. Item, quia peccatum veniale, vt nunc aliquam deordinationem includit à fine supernaturali, & ideo proportionata dispositio ad remissionem eius debet esse supernaturalis. Item, quia ex parte intellectus semper requiritur dispositio supernaturalis, debet enim totum hoc negotium in fide fundari: ergo ex parte etiam voluntatis aliquis motus supernaturalis est necessarius. Tandem specialiter displicet illa sentẽtia in hoc sacramento, quia illud per se tendit ad dandam gratiam primam & accidentarium illi est dare secundam: & ideò per se requirit supernaturalem dispositionem circa illam materiam, in quam cadit sacramentalis absolutio.

Replica.

16. Alia respon sio.

Aliter ergo respondetur, in ordine attritionis supernaturalis posse dari latitudinem, ita vt aliqua sufficiat ad remissionem peccati venialis cum sacramento, quę sine sacramento non satis esset, nisi fieret perfectior. Potestque ita declarari: nam hæc remissio nõ fit sine condigna satisfactione vel merito: fieri autem potest vt venialia sint quamplurima, & grauia: ideóque attritio & remissa, & confusa per simplicem & vniuersalem motum, non statim sufficiat ad omnia illa tollenda absque sacramento, sicut diximus suprà quosdam opinari de contritione, remissa. Est autem multò maior ratio de attritione, quia cõtritio per sese est nobilior actus, & ex vi suæ substantiæ digno & proportionato modo cõuertit voluntatem in Deum, quod non habet attritio, vt per se constat: & ideò oportet vt ex accidentalibus perfectionibus dignitas illa compleatur: potest ergo ex defectu accidentalis perfectionis nõ sufficere ad dictũ effectum sine sacramento, & tamen cum sacramento sufficere, ex illo principio, quòd Deus minorem dispositionem requirit in sacramento, quàm extra.

17. Incertare putatur.

Atque hæc sententia est etiam probabilis, licèt incerta ex parte: nam quòd illa attritio sufficiat cum sacramento, mihi non est dubium, vt planè constabit ex dicendis infrà de hoc sacramento. Quod autem aliqua vera, & supernaturalis attritio de aliquo, vel aliquibus peccatis commissis, & existens in homine grato non sufficiat saltem per modum dispositionis condignę ad eorum remissionem, mihi incertum est: quia hinc video illam dispositionem secundum se esse imperfectam, & posse esse nimis remissam, vel confusam, vt declaratum est: aliunde verò video ex coniunctione ad gratiam accipere illum actum magnum valorem moralem, ratione cuius plus valet apud Deum in ordine ad meritum, quàm ipsa contritio vt est prior, quàm gratia. Et ideò neutram partem existimo posse satis probari.

18. Germana solutio.

Non censeo igitur vllum inconueniens, quòd peccatum veniale, quando de illo sit confessio, nunquam ita tollatur per absolutionem, quin sit iam priùs expulsum per attritionem. Primò quidem, quia satis est quòd aliquando peccata venialia tollantur per absolutionem, nimirum quando tolluntur simul cum mortalibus in homine tantùm attrito, nam hic effectus satis ostendit claues per se habere vim ad tollẽda peccata venialia, quando dispositio pœnitentis per se sola non sufficit. Vnde, quòd in homine grato semper supponantur ablata ante absolutionem per cõdignam satisfactionem, est accidentarium ad virtutem clauium, & non tollit veritatem formæ. Nec verò inde fit vt confessio talium peccatorum sit superflua, quia, licèt non conferat ad maiorem certitudinem de remissione ipsorũ, sicut cõfert in mortalibus, & in venialibus quæ cum illis simul remittuntur, confert tamen ad pleniorem remissionem quoad pœnam, &, quod caput est, ad specialem gratiã remissiuam, imò & de se præseruatiuam obtinendam. Rectè autem ex illo principio (præter alia) colligitur, confessionem talium peccatorum non esse necessariam ad eorum remissionem. In quo est magna differentia inter peccata mortalia, & venialia, nam mortalia sunt de necessitate confessionis, & confessio est per se necessaria ad eorum remissionem, ideóque absurdum esset, talẽ dispositionem ad illum effectum postulare vt necessariam, quæ semper ipsum peccatũ expelleret: at verò peccata venialia nec sunt necessaria materia, nec confessio est necessaria ad illa tollenda. Et ideò nullũ inconueniens est, quòd per dispositionem supponãtur ablata: maximè cùm illa dispositio hoc non habeat ex se sola, sed ex coniunctione ad gratiam sanctificantem, quæ illi accidentaria est. Sicut peccata semel confessa sunt materia confessionis, & clauium, & nihilominus iam supponuntur remissa; tamen quia non sunt materia necessaria, hoc nullum est inconueniens. Et hæc de attritione.

19. De actu orationis.

Supereſt vt dicamus in particulari de aliis actibus bonis & meritoriis. Et in primis de actu orationis, quo quis petit veniam de venialibus peccatis ex affectu illis carendi, est probabile sufficere (vt Vega dicebat de mortalibus) quia hîc minor dispositio sufficit, & non est tanta necessitas pœnitentiæ, & illa oratio indicat sufficientem mutationem voluntatis.

De formali proposito nõ commit tendi veniale.

Præterea idem censeo de formali proposito absoluto non committendi tale peccatum, v.g. mẽdacium, propter easdem rationes.

De actu virtutis veniali opposito.

Ac denique; idem sub eadem probabilitate censeo de actu virtutis opposito priori peccato, & ex affectu ad virtutem illi oppositam, quia ibi etiam est repugnantia, & meritum, & aliæ rationes suprà positæ locum habent. Et hæc omnia sunt consentanea, his quæ Caietanus hîc docet art. 2. Quòd verò actus cuiuscunque virtutis sit sufficiens ad tollendũ quodcunque veniale omnino disparatũ, & cui nihil repugnat, non censeo probabiliter dici, quia illa nullo modo est proportionata dispositio: quod in huiusmodi effectu præcipuè requiritur.

20. Debent tamen hi actus aliquo modo esse supernaturales.

Imò addendum cẽseo, in omnibus prædictis actibus requiri, vt aliquo modo supernaturales sint, quia debent disponere ad effectum supernaturalem, vt suprà dixi, & quia peccatum veniale aliquo modo lædit supernaturalem amicitiam. Quanta verò esse debeat hæc perfectio supernaturalis, non constat. Exi-

ſtimo tamen quamcunque ſufficere quæ conſtituit actum in ſupernaturali ordine, & relatum aliquo modo ad finem ſupernaturalẽ: nam ſi hoc habeat cũ aliis conditionibus ſuprà poſitis, ſatis eſſe videtur ad proportionatam diſpoſitionem. Vnde etiam intelligitur non omnem actum meritorium vitæ æternæ ſemper mereri remiſſionem peccati venialis, vt v.g. quando neque ex ſe habet proportionem aliquam ad illum effectum, neque ab operante ad illum refertur. Nec rectè colligitur, ſi ille actus habet valorem ad merẽdum aliquid maius, ſcilicet vitam æternam, habere etiam ad id quod eſt minus, ſcilicet remiſſionem venialis peccati: tum quia ſimpliciter maius eſt mereri ſimul vitam æternam, & remiſſionem venialis peccati, quàm ſolam vitam æternam: tum etiam quia in his quæ ſunt diuerſarum rationum, non eſt bona illa collectio: nam poteſt eſſe cauſa, vel actio proportionata ad meliorem effectum, & non ad inferiorem.

Non omnis actus meritorius vitæ æternæ meretur remiſſionem venialis.

21. Valet tamen ad eius remiſsionẽ qui libet actus meritorius relatus ad hunc finem. Scot.

Probabile autem eſt quod Scotus dixit, quemlibet actum meritorium relatum ab operante ad hunc effectum obtinendi à Deo remiſſionem venialis peccati, mereri, & obtinere illam: quia ille actus ſub illa intentione factus, includit virtualem diſplicentiam venialis peccati: & alias, qui ſic operatur, verè meretur apud Deum de condigno: ergo veriſimile eſt obtinere illum effectum. Quod ſpecialiter dixit Marianus Victor loco ſuprà citato de quolibet actu religionis facto ad placandum Deum, quia illa opera ſunt magis proportionata ad tollendam illam Dei offenſionem, quàm veniale peccatum includit. Et Bonau. ſpecialiter hoc dixit de operibus factis ex quadam animi ſubiectione ad Deũ, qua homo ſe agnoſcit peccatorem, & Deo ſubiicitur, vt ab eo ſanetur. Auguſtinus verò generalius loquitur de operibus pietatis, & miſericordiæ ad hunc finem relatis: & non videtur loqui de ſola remiſſione pœnæ, nam etiam hoc modo ad remiſſionem mortalium valent illa opera: ipſe autem diſcrimen in hoc conſtituit inter veniale & mortale peccatum. Imò ad ſatisfaciendum pro ſola pœna poſt remiſſam culpam, nõ oportet vt actus ex ſpeciali intentione operantis ad illum finem referatur, ſed ex ſe eſt proportionatus ad ſatisfaciendum pro pœna: cùm ergo poſtulatur vt ſpeciali intentione ad hanc remiſſionem ordinetur, ſermo eſt de remiſſione quoad leuem culpam.

Marian. Vict.

Bonau. Auguſt.

22. Obiect. Sed obiicitur, quia hæc relatio operantis non facit vt opus ſit dignius, aut magis repugnans peccato veniali: ergo, ſi opus meritorium abſque relatione non ſufficit ad peccatum veniale tollendum, neque cum illa ſufficiet: niſi fortè quis recurrat ad diuinam acceptationem, quod fieri non debet: aliàs tolleretur peccatum veniale per extrinſecum Dei fauorem, & non per internam renouationem: quod falſum eſt, & fortaſſe impoſſibile. Et confirmatur, quia aliàs quodlibet opus meritorium ſic relatũ, tolleret omnia peccata venialia, quantumuis multa & grauia: quod videtur inconueniens. Sequela patet, quia non eſt maior ratio de quibuſdam, quàm de aliis: ergo vel omnia debet, vel nullum.

23. Soluitur. Ad argumentum reſpondetur primò negando aſſumptum, quia cæteris paribus propter illam relationem opus meritorium eſt dignius, quia refertur in nouum finem, bonum, & gratum Deo. Eſt etiam magis repugnans peccato veniali, quia includit virtualẽ diſplicentiam eius, & voluntatẽ carendi illo, quæ, licèt per ſe non ſufficiat ad expellendum illud, tamen eſt congrua diſpoſitio, vt Deus acceptet illum effectum ad tale meritum. Vnde ad alteram partem negamus etiam eſſe inconueniens, in hoc effectu interuenire & requiri acceptationem diuinam, qualis in omni merito, & ſatisfactione, vt habeat effectum, neceſſaria eſt, ſuppoſita tamẽ interna iuſtitia, & proportionata actione, vel diſpoſitione operantis. Vnde non ſequitur, hanc remiſſionem fieri per ſolum extrinſecum fauorem ſine intrinſeca renouatione: bene autem ſequitur, non fieri per ſolam internã renouationem, ſine externa remiſſione. Quod in remiſſione venialium peccatorum non ſolùm non eſt impoſsibile, ſed omninò neceſſarium, quia non tolluntur per intrinſecam & inhærẽtem formam illis formaliter repugnantem: vt euidentius eſt in remiſsione quæ fit ex opere operato, de qua infrà dicemus. Et in ea, quæ fit ex opere operantis, etiã ex dictis patet, quia nec ſemper eſt neceſſarius actus contritionis, vel amoris Dei, neque etiam illi actus per ſe ſoli habent illam formalem, ac phyſicam repugnantiam cum habituali culpa veniali: ergo præter intrinſecũ actũ ſeu formã, neceſſaria ſemper eſt diuina remiſsio: & ideo dicimus præter intrinſecã renouationem phyſicam, & poſitiuam, requiri extrinſecam remiſsionem, quæ ſemper eſt aliquo modo debita extrinſeco actui, vel tanquam diſpoſitioni proportionatæ, vel etiã tanquã merito, aut ſatisfactione condignæ reſpectu venialis culpæ. Poteſt etiam dici, per illam remiſsionem præcisè ſumptam interiùs renouari animam moraliter, nõ quoad promotionem boni, ſed quoad expulſionem mali, quia per illam verè tollitur illa moralis macula.

24. Confirmatio enodatur. Ad confirmationem reſpondetur primò, non eſſe inconueniens, vt per omnem actum meritorium omnia venialia tollantur, vt ſuprà dixi. Secundò nihil etiã impedit, ſi opus non ſit proportionatum, vt remittãtur quædam peccata, & non alia, ſi remittantur per modum meriti, quod in iudicio diuino æſtimetur ſufficiens, vt condignitatem habeat ad remiſsionem aliquorum & non omnium: & tunc non oportet, vt ex parte ipſorum peccatorum ſit maior ratio devno, quã de alio: ſed Deus ſuo arbitrio id facere poterit, ſi ſupponamus ex parte peccatoris omnia eſſe æqualia, ſicut in remiſſione ex opere operato etiam contingit, & ferè in remiſſione pœnæ debitæ pro vno vel alio peccato.

## SECTIO IIII.

*Vtrùm pœnitentia etiam ſufficiat poſt hanc vitam ad peccata venialia tollenda.*

1. Senſus quæſtionis. HÆc quæſtio locum non habuit in mortalibus peccatis, quia certum eſt, eum, qui in mortali moritur, in æternum puniri, & ideò ſtatim poſt mortem ita obſtinari in malo, vt verè pœnitere non poſſit. Ac propterea etiã non habet locum quæſtio in peccatis venialibus, quæ poſt hanc vitam manent coniuncta mortalibus, quia etiam de illis non poſſunt obſtinati verè pœnitere, & per ſolas pœnas numquam auferuntur, vt ſuprà dixi. Verſatur ergo quæſtio de culpa veniali, quæ poteſt manere in anima quæ iuſta ſeparatur à corpore.

2. Quorũdam opinio. Refellitur. Non defuerunt tamen qui dicerẽt, caſum eſſe impoſſibilem, quia vel iuſtus habens peccatum veniale tempore mortis, agit quod poteſt ad illius expiationem, vel non: ſi primum, tollitur peccatũ ante mortẽ: ſi ſecundũ, graue peccatũ committit, ita vt gratiam amittat, quia ille eſt quidã contẽptus propriæ ſalutis, & diuinæ offenſæ, ac ſatisfactionis. Veruntamen hæc ſententia falſa eſt, & nimis rigoroſa. Primò quidem, quia, licèt aliquis vel ex negligentia, vel etiam ſciens, & videns omittat adhibere remedium peccatis venialibus, ante mortem, non propterea peccat mortaliter: quia nullum oſtendi poteſt de hac re præceptum: & contemptus, qui præſumitur, non eſt verus, poteſt enim eſſe ſola negligentia, vel nimia ſolitudo, circa

circa corpor is salutem,vel aliàs res temporales, cum illa spe, quod malum illud veniale post mortem habet remedium:sicut negligentia in satisfactione pro pœna temporali,propter easdē rationes non est peccatū mortale,per se loquendo. Deinde illa sententia non sufficienter distinguit, potest enim accidere, vt homo iustus neque adhibeat remediū veniali peccato,neq; illud voluntariè omittat,vt in repentinamorte,vel in quacunque naturali inaduertentia.

3. Alia opinio. Alens. Maior.

At verò Alēsis,qui ex parte adhæsit huic sentētiæ in 2.p.q.124.aliàs 107.mēb.10.& 4.p. q.57. & q.65. aliàs 17. & 27. & Maior in 4.d.21. q. 3. dicunt in eo casu peccata venialia remitti in tempore ante mortē per gratiam,quam vocant finalem,absq;alio actu hominis. Vnde concludunt;numquā contingere, vt iustus moriatur in solo peccato veniali,quia semper decedit cum gratia finali. Potestque in huius sententiæ fauorē citari Greg.4.Dial.c.24. quatenus dicit,Deū pūrgare leuia peccata iustorum ipsa mortis acerbitate. Hanc verò sententiam meritò impugnat D. Tho. in 4.d.21.qu.1.art. 3. quia loquitur fine fundamento. Quid enim addit gratia finalis suprà gratiā toto tēpore vitæ habitā? nihil prorsus,nisi durationem vsq; ad mortē seu coniunctionē cū morte: hoc autē non est remedium contra veniale peccatum. Vbi enim institutū est? aut qua lege constat? Itē illud est dicere omnem mortem iusti ex opere operato tollere veniale. Quod si hoc licet sine fundamento dicere,eodē modo posset quis fingere omnē mortem iusti tollere etiā ex opere operato, pœnas talium peccatorū. Item dicere,tunc gratiā ita roborari,vt fomitē extinguat, falsum est:quia gratia in se non mutatur, nec fomes ex parte animæ seu virtutis extinguitur, sed solum vires corporis deficiunt (vt rectè D. Thom. notauit quod ad remissionem venialis nihil refert.

Greg. D.Thom.

4. Item declaro in hunc modum, quia vel peccatum veniale tollitur in ipso mortis instanti:& sic iam anima non est in corpore,quia est primum non esse hominis; vel in aliquo alio instanti ante mortem: & sic nondū gratia est finalis. Quòd si dicatur dari instans, in quo iam est infallibile illam gratiam futuram esse finalem:hoc,licèt verum sit,nihil confert ad nouum effectum gratiæ,nisi ex aliquo speciali priuilegio, vt in martyrio:quòd hîc affirmari non potest. Neq; etiā potest dici remissionē illam,nec fieri in instanti mortis,neque in aliquo instanti signato ante mortem,sed in tempore immediato ante instans mortis:id enim est impossibile,quia, si remissio illa facta est in tempore, durante vita, ergo necesse est dari aliquod instans diuidens tempus in quo homo erat in statu peccati venialis, à tempore in quo iam fuit sine illo: ergo illud instans fuit vltimum esse,vel saltem primū non esse talis peccati(nihil enim refert ad præsens alterutrū dicere)ergo non fuit facta remissio in tēpore immediato ante instans vltimum,& consequēter nec per gratiam finalē. Accedit denique,excogitari posse casum, in quo homo existat in actuali complacentia peccati toto tempore immediato ante instans mortis: tale autem peccatum nō potest illo tempore remitti.

5. Gregorio fit satis.

Nec Gregorius citato loco aliquid fauet dictæ sententiæ,quia nec loquitur vniuersaliter de omni morte iustorū,sed de morte acerba,& violenta,quā Deus interdum permittit,etiam in electis, & sanctis viris. Nec etiam loquitur de morte ipsa pro nuda separatione animæ à corpore, seu quatenus est terminus viæ:sed loquitur de morte ratione doloris,& pœnalitatis eius,per quam,ratione pœnæ volūtariò acceptatæ,purgātur peccata quoad reatū pœnæ,nō semper omninò & perfectè,sed iuxta proportionem pœnalis mortis & reatus. Tamen,si mors sit acerba, & reatus sit de solis venialibus, & persona sit iusta, & sancta, verisimile est omninò purgari: & hoc fortassè voluit Gregorius. Quòd si etiā loquatur de remissione culpę venialis propè tēpus mortis cōmissę,vt indicat asserens exemplum de Propheta occiso à leone.3.Reg. 3.intelligendus est,quatenus per talē mortem Deus excitat in voluntate iusti actum doloris, vel submissionis ad Deum sufficientē vt culpa illa remittatur.

6. Quando tollantur venialia post hāc vitam.

Cvm ergo certum sit posse animam separari à corpore cum gratia,& culpa veniali,explicare necesse est quando,per quid, & quomodo tollatur. Nam quòd aliquando tollatur, dubitari non potest, cùm certum sit animam habentem peccatum veniale,non posse videre Deum,quia, *nihil coinquinatum introibit in illam*: & alioqui etiam sit certum,animam perseuerantem in gratia vsque ad mortem, aliquando visuram esse Deum,quia propter solum veniale peccatum nemo punitur in æternum. Et in hoc conueniūt cæteri omnes Scholastici in 4.d.21. & D.Th.q.7.de Mal.art.11.Gabr.d.16.q. 1. Soto d.15. q.2.a.2.Adr.in 4.q.4.de Confes.Abulensis Matth.25.q.9.Et tanquā rē certam eam supponit Gregorius lib.4.Dialog.ca. 39.& habetur in c. *Qualis* d. 25. & alij infrà citandi. In modo autem explicandi hanc remissionem est diuersitas opinionum.

Apocal. 21. D.Thom. Gabr. Soto. Adrian. Abulens. Gregor.

7. Prima opinio.

Prima est eorum, qui dixerunt peccata venialia paulatim & successiuè remitti per ipsam pœnā ignis purgatorij. Quod cōsequenter dicēt Gabriel,& Medina, aliique, qui putant veniale peccatum nihil esse aliud post transactum actum,nisi reatum pœnæ,nam hic reatus solutione pœnæ tollitur:vnde, sicut pœna successiuè infligitur,ita etiā reatus successiuè minuitur,donec tollatur. Hæc verò sententia habet falsum fundamentum,vt ex suprà dictis constat.

Primum fundamentū. Reiicitur.

8. Aliud fundamentum.

Et ideo aliqui dixerunt remitti quidem peccatum veniale successione temporis, quo purgatur anima, non tamen per solam pœnam, sed per bonos actus quos tunc anima exercet,præsertim per voluntariam acceptationem,& patientiam in toleranda illa pœna. Indicat D.Tho.in 4.d.21.q. 1.ar.3. clariùs Bonau.ar. 2.q.1.Carthus.q.1.Abulensis Matth.25.q.7 18.Et idē sentit Scotus d.15.q. 2. art. 2. Et potest suaderi, quia Scripturæ sanctæ, sanctique Patres significant hæc peccata remitti in purgatorio, & per ignem illius,ex illo 1.ad Corint.3. *Saluus fiet,sic tamen quasi per ignem:* loquitur enim de illo, qui *lignū,fœnum, & stipulas superædificat*, per quæ peccata venialia intelliguntur, vt docuit Aug.in Enchiridio c.69.& 21. de Ciuit.ca. 26.& de Fide & operibus,c.15.& de vera,& fals.pœnit.c.18.Et refertur in Decreto d. 25. c.penul.Et in c. *Qualis*.refertur eadem sententia ex Greg. lib.4.Dial. cap.39.qui eam colligit ex illo Matth.12. *Non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro*: nā inde infert aliqua peccata remitti in futuro seculo:*non mortalia* (inquit) *sed venialia,quæ remittuntur in purgatorio*: quod necesse est intelligi quoad culpā, nā quoad pœnam, quę relinquitur post remissam culpam,etiam mortalia ibi remittuntur. Eadem sententia sumitur ex Isidoro lib.1.de Diuinis officiis, c. de Sacrificio,& Richardo de Sancto Vict. in Opusculo de Differentia venialis,& mortalis peccati.

D. Thom. Bonau. Carthus. Abulens. Soto. Paul. Augustī. Gregor. Isidor. Richard. de S. Vict.

9. Improbatur opinio.

Sed nihilominùs hęc opinio quoad illam temporis dilationem, & successiuam remissionē culparū, mihi non probatur:quia aut actus, per quem remittuntur illa peccata,est sufficiens dispositio,vel forma ad expellenda illa,vel non:si primum dicatur, ergo in eodem momento,in quo ille actus est,tolluntur peccata,quia,vt suprà ostendi,temporalis duratio actus nō est necessaria ad effectū remissionis: si autē actus est imperfectus, nihil efficiet circa remissionem culpæ, donec perficiatur, & tunc statim & sine successione illam expellet, quia illa perfectio non oportet vt sit inten

intensiua, vt etiam suprà ostensum est: ergo solùm esse potest substantialis perfectio ipsius actus, quæ simul cũ ipso actu, & instanti efficitur. Et prætereà interrogo, an illa successio fit propter multitudinẽ peccatorum venialium, vel in vno & eodem. Hoc posterius non est verisimile, aliàs ipsamet culpa per partes & successiuè remitteretur: quòd est improbabile; quia actus per quẽ remittitur, toti culpæ æquè opponitur. Priùs etiam, licèt impossibile non sit, non est tamen necessarium: quia dispositio sufficiens ad remissionẽ venialium peccatorum, simul, & in vno momento haberi potest, vt suprà declaratum est: & alias anima exuta corpore, non est impedita: ergo non indiget successione: præsertim quia supponimus esse iustam, & habere perfectam cognitionem sui status.

10. Venialia remitti in instanti separationis animę. Vera solutio

Concludendum igitur est, omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remitti quoad culpam in primo instanti separationis animæ à corpore. In quo conueniunt reliqui Auctores citati & citandi. Et præter dicta, probabitur latiùs ex sequenti. Nec testimonia adducta repugnãt, quia ab illo instãti incipit anima purgari intrinsecè: & ideò quamuis tunc remittantur hæc peccata, verè dicentur remitti in purgatorio. Præsertim, quia plena remissio, scilicet quo ad culpam & pœnam: non consummatur in eo instanti, sed per purgatorium ignem.

11. Per quid tũc remittãtur. Prima opinio. Refellitur.

Per quid autem tunc remittantur, variè etiã explicatur. Quidã asserunt remitti à solo Deo per extrinsecam condonationẽ, sine interuẽtu causæ secundæ, & sine respectu ad opus hominis. Sed hoc nec fundari potest, nec est cõsentaneum rationi. Nã, si Deus ita remittit peccata illa, cur nõ anteà remiserat, siquidem ex parte hominis eadem erat dispositio, vel potiùs non repugnantia? Dicere enim, quod propter solam mortẽ id fiat, est tribuere hunc effectũ ipsi morti quasi ex opere operato. Atque ita rationes suprà factæ contra Alens. contra hanc sententiam procedunt.

12. Secũda sententia. Scotus.

Secũda sententia circa hoc fuit Scoti, d. 21. q. 1. dicentis Deum remittere omnia peccata venialia in illo instanti propter præcedentia merita, etiamsi in illo instanti anima nihil operetur, vel sine respectu ad speciale opus, quòd tũc operatur: sed quia ipse homo retulit opera huius vitæ in illum finem: vel quia ipso etiam non referẽte, Deus acceptauit: & hoc posterius videtur magis sentire Scotus. Significat enim omnia opera meritoria acceptari à Deo ad remissionẽ venialium, sed diuerso modo: nam, si ab operante referantur ad hunc finem, acceptantur ad remissionem, quę statim fit: si verò non referantur, acceptari ad remissionem in instanti mortis faciendam. Quod si obiiciat Almain. q. 1. interdum posse decedere iustũ cũ peccato veniali, & sine meritis. Respondere potest Scotus necessarium esse, vt saltem merita Christi illi fuerint applicata per sacramentum, & in illis eandem acceptationem, seu applicationem interuenire. Atque hanc sententiam quantum ad priorem partem, quòd remissio fiat cum respectu ad merita præcedentia, tenuit Albertus d. 21. art. 1. estque probabilis, vt statim dicam. Tamen quoad aliam partem excluiuè non placet, quia si priora merita erant digna illa remissione: cur non statim data fuit? Certè non potest alia ratio reddi, nisi quia anima nõ erat dispositа: ergo ob eandem rationem non remittentur in primo instanti sine congrua dispositione animæ. Nam dicere in hoc esse concessum priuilegium aliquod ipsi morti, est omninò gratis dictum: & contra id possunt fieri omnes rationes factæ contra Alensem. Est etiã incõueniẽs admittere quòd de facto fiat remissio peccati venialis, sine aliqua mutatione intrinseca proportionata voluntati, quia hic non est consentaneus modus sanctificationis, & remissionis. Atque in hunc modum potest vrgeri argumentum Almaini. Nam, si quis baptizatus adultus, habeat peccata venialia, & nulla merita, verisimilẽ non est illi remitti peccata venialia in instãti mortis propter Christi merita, sine alia dispositione, vel applicatione, quia, vel illa peccata fuerunt commissa ante Baptismum, & non fuerunt remissa propter obicem, & sic neque in mortis instanti auferentur, nisi obex auferatur per aliquam dispositionem. Vel illa peccata fuerunt post Baptismum cõmissa, & sic Baptismus per se non habet efficaciam circa peccata venialia, quæ post illum committuntur, vt suo loco ostensum est: & ideo non est verisimile applicari per illum merita Christi ad remissionem futurorum peccatorum venialium in instanti mortis faciendã, sine alia dispositione. Atque idẽ ferè argumẽtum fieri potest cũ proportione de cæteris sacramentis, & de meritis propriis saltem respectu peccatorum, quæ post illa fiunt.

13. Venialia in illo instanti tolli per ferueremdilectionẽ, & cõtritionẽ animæ. Vera sententia. D. Thom. Richard. Palud. Durand. Maior. Almain. Abulens.

Dicendum ergo est, in primo instanti separationis animæ à corpore habere animam feruentem actum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectã omnium præcedentium culparum. Ita sentit D. Thom. q. 7. de Mal. art. 11. Rich. d. 21. ar. 2. q. 1. Palud. q. 1. ar. 1. concluſ. 3. Dur. & Maior, & Almain. q. 1. Abul. Matth. 25. q. 723. & alij suprà citati. Probatur, quia talis anima in eo momento optimè cognoscit statũ suum, & est expedita ad operandum: & ex parte Dei habet auxilium efficaciſsimum iuxta mensuram suæ gratiæ: & ipsa statim sine mora operatur, & perfectè tendit in Deum, & auertitur ab omnibus venialibus: ergo ille actus sufficit vt statim tollantur omnia illa peccata quoad culpam. Atque ita constat pœnitentiam posse remittere hæc peccata, etiam post hanc vitam. Neque oportet vt in eo instanti multiplicentur actus, vt quidam dixerunt, quãdo peccata remittenda sunt multa, & varia: quia, vt suprà ostẽsum est, vnus actus efficax, & vniuersalis sufficit ad omnia tollenda: plures ergo actus amoris, aut pœnitentiæ nec necessarij sunt, nec fortaſsè iuxta ordinarium modum operandi, possunt in illo instanti haberi: plures verò actus aliarum virtutum particularium, quib. venialia peccata opponebantur, fortè haberi possunt, tamen formaliter ad remissionem talium culparum necessarij non sunt.

## *In quo genere causæ talis actus remittat illas culpas.*

14. Non remittit vt forma physica, sed per modũ dispositionis. An concurrat meritum de cõdigno.

VLTIMO verò exponendũ superest, quo modo seu in quo genere causæ talis actus remittat tunc illas culpas. In quo duo suppono ex superioribus: vnum est, non remittere vt propriam formam physicè ac formaliter repugnantem, propter rationes suprà dictas. Aliud est expellere, seu concurrere per modum dispositionis sufficientis: quod genus causalitatis satis erit, etiamsi aliud non interueniat, vt ex superioribus satis constat. Nihilominùs tamen dubitari potest, an etiam tunc concurrant meritum & satisfactio de condigno. Et quidem Caiet. 1. p. q. 63. artic. 5. in fine docet, animam in illo instanti esse non solùm in statu merendi, sed etiam demerendi, quia *nondum est* (ait) *omnino extra viam, sed in termino viæ*. Quæ sententia semper mihi displicuit, quia ex illa sequitur, posse hominem esse in gratia toto tẽpore vitæ, & in illo instanti illam amittere: quod, vt opinor repugnat Scripturis vt alibi latius. Itẽ si est in termino viæ, non est in via, quia ille terminus extrinsecus est. Anima ergo in eodem instanti, quo separatur à corpore, si iusta fuit immediatè antè, ita cõfirmatur in iustitia, vt cadere nõ possit, & statim existit extra statum merendi præmium essentiale, vel augmẽ

Caiet.

Anima in instanti mortis est in gratia, confirmatur & existit extra statum merendi.

augmentum gratiæ : & manifestè patet in animabus quæ purgatione non indigent.

15. Nihilominùs tamen posset quis probabiliter dicere, quando anima indiget purgatione, esse adhuc in statu merendi aliquid accidentale, siue necessarium, vt est remissio venialis culpæ : quia quantùm ad hoc adhuc non est in termino, sed quodámodò in via. Vnde D. Thom. de D. Thomas in 4. d. 21. saltem meritum de congruo admittit. Idem verò D. Tho. q. 7. de Malo, art. 11. simpliciter negat meritum in tali actu. Quod etiam censent Bonauent. & Richard. dict. d. 21. & Adrianus q. 4. de Confessione. Et videtur probabilius, quia status merendi cum vita finitur, quantùm ex Scriptura colligi potest: neque illud meritum est necessarium, cùm alia causalitas sufficiat. Dices, Deus tenetur ex iustitia remittere illam culpam, quia non potest, seruato ordine iustitiæ à se præscripto, punire perpetuò illam animam, priuando illam gloria, nec potest dare gloriam, nisi priùs remittat culpam. Respondetur, ad hoc prodesse merita præcedentia, vel propria, vel Christi Domini applicata, vt ratione illorum negari non possit hæc remissio, si alioqui ex parte hominis, vel animæ sit sufficiens dispositio.

D. Bon. Richard. Adrian. Etiã de cõgruo.

Obiectio.

Enodatur:

## *Quid de satisfactione pro pœna.*

16. SED quid de satisfactione, nam cùm ille actus contritionis, & doloris, pœnalis sit, erit etiam satisfactorius pro tota, vel saltem pro parte pœnæ debitæ, atque ita ratione illius actus minuetur pœna purgatorij, quod videtur inconueniens: alioqui tam intensa posset esse contritio in illo instãti, vt omninò expiaret pœnã purgator; debitã illi culpæ. Circa hoc aliqui concedunt, aliquid pœnæ remitti propter illum actũ. Et sanè, qui asserunt ad satisfaciendũ pro pœna temporali non esse necessarium pactum, vel promissionem vllam ex parte Dei, sed ex natura rei fieri, ac necessariò cõsequi, vt qui vnam pœnam assumit, non sit dignus alia: qui hoc (inquam) asserunt, non video quomodo negare possint tantã pœnam remitti ex vi illius contritionis: quãta remitteretur cæteris paribus per similẽ contritionem habitam ante mortem, quia, si nudam rei naturam inspiciamus, tam valida, & efficax est contritio in vno statu, sicut in alio: imò in instanti mortis eò est vehemẽtior dolor, quò maior est culpæ cognitio, maiusque desiderium purgandi delictum. Neque ex sola rei natura reddi potest ratio, ob quam efficacitas cõtritionis ad satisfaciendum duret in toto vitæ tempore, & in instanti mortis iam nõ sit. Præsertim, quia iidẽ Auctores asserunt, contritionem in illo instanti esse condignam satisfactionẽ pro culpa veniali, nõ ex pacto, aut per modũ meriti, sed quia per modum formæ conuertit, & rectificat voluntatẽ: ergo eadem ratione consequenter dicere debent, vt est quędam pœna, formaliter expellere reatum alicuius pœnæ temporalis. Hæc tamen sententia probanda non est: imò hinc à posteriori intelligi potest, fundamentum, in quo nititur, falsum esse: nam ex illo sequitur illud consequens, quod probandum non est: tum propter rationem factam, quòd sæpe posset per talem actum culpa, & reatus pœnæ totus expelli: tum etiã, quia eadẽ ratione omnes actus pœnales voluntariè eliciti in purgatorio toto tempore quo durant essent satisfactorij, & per se ac natura sua expellerent aliquẽ reatum, seu dignitatem pœnę: nam, si legẽ Dei secludamus, nulla ratio reddi potest, cur talis actus habeat ex natura sua hunc effectum formalem expellendi talem reatum quodam tempore, & non alio.

Quorundam sententia.

Reijcitur.

17. Secunda sententia. Alij verò, etiamsi fateantur negotium hoc satisfactionis nostræ pendere ex pacto & lege Dei, nihilominùs dicunt in illo instanti fieri aliquam remissionem pœnę debitę pro tali culpa veniali, ex alio principio, quòd Deus non remittit aliquam culpam, quin commutet pœnam illi debitam in minorem: hoc autem non fit sine remissione alicuius pœnæ. Assumptum patet, tum quia quoties culpa mortalis remittitur, commutatur pœna æterna in temporalem: ergo multò magis quoties remittitur culpa venialis, commutabitur pœna temporalis in breuiorem, vel remissiorem: tum etiam, quia quandiu homo in se habet culpam, dignior est pœna quàm cùm illa caret. Contra hanc verò sententiam etiam vrget argumentum illud, quòd per talem attritionem posset omninò expiari illa pœna. Sequitur etiam, in eodem instanti per contritionem de peccatis mortalibus posse vel tolli, vel saltem remitti pœnam temporalem debitam pro eisdem peccatis. Denique sequitur, per actus pœnales voluntariè elicitos post hanc vitam posse pœnas purgatorij, aut breuiores, aut leuiores fieri. Quæ omnia censeo esse inconuenientia, & contra communem sententiam Theologorum, vt latiùs in materia de Satisfactione: & Purgatorio dicetur.

Improbatur.

Respondeter ergo, in illo instanti nullam pœnam purgatorij remitti ex vi illius cõtritionis, quæ est sententiæ D. Thomæ q. 7. de Malo, ar. 10. Et ratio à priori est, quia Deus statuit tempus huius vitæ ad satisfaciendum per nostros actus, vel pœnas huius vitæ, tempus autem vitæ futuræ ad sustinendam condignã, pœnam ignis. Sicut autem in instanti mortis extrinsecè finitur hæc vita, & intrinsecè incipit alia, ita in illo iam non habet locum modus satisfaciendi huius vitæ, sed intrinsecè incipit satisfactio per purgatoriũ ignẽ. Nec est necesse, vt illa remissio fiat cum cõmutatione pœnæ in minorem, nisi quatenus in eodem instanti incipit cum ipsa remissione pœna ignis, per quam aliquid soluitur, quanuis illa non fit propriè diminutio pœnæ quoad durationem temporalem: sed quoad intrinsecum terminum eius, & hæc ipsa non fit propriè per remissionem, sed per solutionem. Neque est simile de remissione peccati mortalis, nam illa fit per gratiæ infusionem de nouo, & ideò necessariò tollit æternitatem pœnæ: sit etiã semper in hac vita: & ideò, si fiat per actum proprium, fit cum aliqua satisfactione pro pœna temporali. Ex eademque causa prouenit, vt remissio venialis culpæ in hac vita semper fiat cum aliqua diminutione pœnę sẽsus, quia semper fit cum aliqua satisfactione: per se autem necessarium non est, vt quoties remittitur culpa venialis, minuatur pœna tẽporalis, vel quoad durationem vel quoad intensionem eius. Nam quoad quandã carẽtiam familiaritatis, vel fauoris diuini, quã suprà diximus esse coniunctam cũ culpa quandiu durat, concedere possumus, hanc pœnam remitti etiam in anima separata in eodẽ instanti, in quo remittitur culpa, quia est intrinsecè illi annexa, vt suprà declaratum est. Id autem intelligendum est iuxta capacitatem illius status, vt latiùs infrà in proprio loco.

18. In illo instãti nullam purgatorij pœnam remitti ex vi illius cõtritionis. Vera solutio D. Tho.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, &c. huiusmodi.*

ADtertium sic proceditur. Videtur quòd venialia peccata nõ remittantur per aspersionem aquę benedictæ, & Episcopalem benedictionẽ, & alia huiusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine pœnitentia, vt

Suprà q. 65. art. 1. ad 6. & 8. & q. 83. ar. 3. ad 3. & 4. dist. 16. q. 2. art. 2. q. 4. & di. 17. q. 3. ar.

dictum eſt. Sed pœnitentia per ſe ſufficit ad remiſſionẽ venialium peccatorum. Ergo iſta nihil operantur ad huiuſmodi remiſſionem.

2.q. 3. & di. 21.q 2.a.1.& 2.& mal.q.7. art.12. art.1. huius q.

Prætereà, Quodlibet iſtorum eandem relationem habet ad vnum peccatũ veniale, & ad omnia. Si ergo per aliquod iſtorum remittitur aliquod peccatum veniale, ſequitur quòd pari ratione remittantur omnia. Et ita per vnam tunſionem pectoris, vel per vnam aſperſionem aquæ benedictæ, redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus, quod videtur inconueniens.

Prætereà, Peccata venialia inducunt reatum alicuius pœnæ, licèt temporalis: dicitur enim 1. Cor. 3. de eo, qui ſuperædificat lignum, fœnum, & ſtipulam, quòd ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Sed huiuſmodi, per quæ dicitur peccatum veniale dimitti, vel nullam, vel minimam pœnam in ſe habent. Ergo non ſufficiunt ad plenam remiſſionem venialium peccatorum.

In libr. de medicina pœnit. c. 2. tom. 9.

Sed contrà eſt, quòd Aug. dicit in lib. de Pœnit. quòd pro leuibus peccatis pectora noſtra tundimus, & dicimus, Dimitte nobis debita noſtra. Et ita videtur quòd tunſio pectoris, & oratio Dominica cauſent remiſſionem venialium peccatorum. Et eadem ratio videtur eſſe de aliis.

Art. 2. huius q.

Reſpondeo dicendũ, quòd (ſicut dictũ eſt) ad remiſſionẽ venialis peccati nõ requiritur nouæ gratiæ infuſio: ſed ſufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis deteſtetur peccatum, veniale vel explicitè, vel ſaltem implicitè: ſicut aliquis feruenter mouetur in Deum. Et ideò triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium peccatorum. Vno modo, in quãtùm in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, vt ſuprà dictũ eſt. Et hoc modo per Euchariſtiam, & Extremam vnctionem, & vniuerſaliter per omnia ſacramenta nouæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundò, in quantùm ſunt cũ aliquo motu deteſtationis peccatorum. Et hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum: nam in oratione Dominica petimus: Dimitte nobis debita noſtra. Tertio modo, in quantùm ſunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet ſacramentalis vnctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt huiuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.

Ad 1. ergo dicendum, quòd omnia iſta cauſant remiſſionem peccatorum venialium, in quantùm inclinant animum ad motum pœnitentiæ: qui eſt deteſtatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè.

Ad 2. dicendum, quòd omnia iſta, quantùm eſt de ſe, operantur ad remiſſionẽ omnium peccatorum venialium. Poteſt tamen impediri remiſſio quantùm ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret: ſicut & per fictionem interdum impeditur effectus Baptiſmi.

Ad 3. dicendum, quòd per prædicta tolluntur quidem peccata venialia, quantùm ad culpam, tũ virtute alicuius ſatisfactionis, tum etiã virtute charitatis, cuius motus per prædicta excitatur. Non autem per quodlibet prædictorum ſemper tollitur totus reatus pœnæ: quia ſic qui eſſet omninò immunis à peccato mortali, aſperſus aqua benedicta, ſtatim euolaret. Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta ſecundùm modum feruoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoq; magis, quandoque autem minùs.

## COMMENTARIVS.

QVANVIS *D. Thomas in titulo, præcipuè videatur quærere de virtute, quam ſacramentalia habent ad tollenda peccata venialia, tamen in corpore etiam de ſacramentis reſpondet. Et de illis in primis dicit, per omnia ſacramenta nouæ legis peccata venialia remitti. Quod probat, quia per omnia ſacramenta infunditur gratia: per infuſionem autem gratiæ, tolluntur peccata venialia*, vt ſuprà (*inquit*) dictum eſt, *ſcilicet art. præcedente. Non declarat autem D. Thomas quid requirant ſacramenta vt habeant hunc effectum: neque an ſingula ſacramenta remittant omnia peccata venialia, quæ inueniunt in homine, vel quæ, aut qualia, ſed tantùm indefinitè loquitur. Nec denique an ſemper hoc faciant, vel aliquando: inſinuat tamen, quandocunque gratiam infundunt, tollere etiam venialia peccata. Sed hæc omnia explicabimus diſput. ſequente.* 1.

*Ratio autem D. Thomæ prætermitti hîc non poteſt. Nam, vel deſtruit expoſitionem à nobis datam articulo 2. vel non rectè colligit. Cùm enim ibi dixit Diuus Thomas, per infuſionem gratiæ tolli peccata venialia, interpretati hoc ſumus de infuſione primæ gratiæ, quatenus habet adiunctum motum in Deum, & in peccatum: at ſacramenta non omnia infundunt hoc modo primam gratiam, ſaltem per ſe loquendo: nec requirunt ad ſuos effectus motum in Deum, & in peccatum: ergo, vel D. Thomas non rectè ſubſumit, vel prior illa propoſitio malè à nobis expoſita eſt. Quocunque autem iſtorum cõceſſo, infirma redditur ratio. De primo per ſe conſtat. De ſecũdo probatur, ſic enim fundamentum rationis erit, per omne augmentum gratiæ illa peccata remitti: quod falſum eſſe ſuprà oſtendimus.* 2.

*Reſpondeo, obiectionem concludere obſcurum eſſe ſenſum illius propoſitionis D. Thomæ*, quando infunditur gratia adulto, venialia peccati remitti. *Tamen, quia nec veritas ipſa aliud patitur, nec verba etiam D. Thomæ in art. 2. vt ibi oſtendimus, ideò ab interpretatione ibi data diſcedendum non eſt. Hunc verò locum dupliciter poſſumus interpretari. Primò, licèt non omnia ſacramenta per ſe ſint inſtituta ad dandam primam gratiam: omnia tamen aliquando illam dare poſſe, iuxta ſententiam D. Thomæ,* 3. Conciliantur loca D. Tho.

*Thomæ, vt in superiori tomo latiùs vidimus: ideoque D. Thomam hìc non loqui de sacramentis in omni operatione sua, sed quando primam gratiam infundunt: ita vt ex hoc articulo non habeamus ex sententia D. Thomæ, sacramenta semper remittere venialia peccata, sed tunc solùm quando primam gratiam infundunt. Et adhuc, tunc non omninò semper, sed regulariter, & interueniente ex parte hominis sufficiente motu contra peccatum veniale. Et in hoc sensu procedit ratio aptissimè, & cessant omnes difficultates. Multùm autem dubito, an hæc fuerit mens D. Tho. propter absoluta & vniuersalia verba eius. Et ideò addere possumus, quanuis sacramenta non infundant semper primam gratiam, nec per se, tamen, quoties aliquam gratiam infundunt, ea efficacitate illam conferre, quæ sufficeret ad dandam primam gratiam, si in subiecto non præcessisset, dummodò obicem non poneret (quod semper præsupponendum est) & ideò hìc subsumit omnia sacramenta infundere gratiam, scilicet, vel actu, vel quantùm est ex sua efficacia. Et ideò ad hanc rationem necesse non est, vt quoties augetur gratia, remittantur venialia: sed quoties augetur tali modo, & tali efficacitate, quæ ex se ad dandam primam gratiam sufficeret. Quanuis autem D. Thomas non declaret, subintelligit tamen requiri dispositionem ex parte recipientis, sicut in art. 2. explicuerat, ad quem se remittit. Qualis autem, & quanta esse debeat hæc dispositio cum sacramento coniuncta, nos posteà declarabimus.*

4. *Secunda assertio, quæ ex reliqua parte articuli colligitur, est, Sacramentalia operantur ad remissionem venialium peccatorum, inquantùm fiunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, aut reuerentia in Deum, vel res diuinas. Non explicat autem D. Thomas qualis debeat esse ille motus: satis tamen ex verbis eius constat non postulare, vt sit verus actus contritionis, vel amoris Dei super omnia, sed quælibet detestatio formalis: vel virtualis de peccato veniali, dummodò in charitate, & aliquo modo ex gratia fiat, vt in solutione ad 3. declarat. Rursus non exponit D. Thomas quomodo hæc sacramentalia operentur ad excitandum hunc motum & an suppleant aliqua ex parte eius insufficientiam, & defectum: sed hæc tradentur à nobis disp. sequente. Argumentorum solutiones non indigent aliqua expositione.*

## ARTICVLVS IIII.

### *Vtrùm veniale peccatum possit remitti sine mortali.*

Infrà q. 90. a. 4. ad 3. & 4. dist. 16. q. 2. art. 1. q. 2. & 3.

Ex Cyrillo li. 5. in Ioan. c. 16. & 17.

ADquartum sic proceditur. Videtur quòd veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia super illud Ioan. 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: dicit quædam Glossa, quòd omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur per cæremonias. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

Præterea, Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio. Requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

Art. præce. ad 2 & qu. præced. ar. 3.

Præterea, Plus distat peccatum veniale à mortali, quàm ab alio veniali. Sed vnum veniale potest dimitti sine alio: vt dictum est. Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

Sed contrà est, quòd dicitur Matth. 5. Amen dico tibi, non exies inde (scilicet ex carcere, in quem intruditur homo pro peccato mortali) donec reddas nouissimũ quadrantem. Per quẽ significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

q. præce. art. 6. & q. 86. a. 3.

Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) remissio culpæ cuiuscunque nũquàm fit, nisi per virtutem gratiæ: quia, vt Apostolus dicit Rom. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quòd Deus alicui nõ imputet peccatum: quod Glossa ibi exponit de veniali: ille autem, qui est in peccato mortali caret gratia Dei. Vnde nullum veniale sibi remittitur.

Gloss. interlinearis ibid. super illud: Beatus cui non imputauit Dominus peccatũ.

Ad 1. ergo dicendum, quòd venialia ibi dicuntur irregularitates siue immunditiæ, quas contrahebant secundùm legem.

Ad 2. dicendum, quòd licèt ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio habitualis gratiæ; requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali.

Ad 3. dicendum, quòd peccatum veniale non excludit omnem actũ gratiæ, per quem possunt omnia peccata venialia dimitti. Sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ: sine quo nullum peccatum mortale, vel veniale remittitur. Et ideò non est similis ratio.

LITERA Diui Thomæ est clara: & res ipsa iam explicata est.

## DISPVTATIO XII.

HÆc Disputatio propriè non spectabat ad hunc locum, sed ad varia, pro diuersitate rerum, quibus solet hic effectus ex opere operato tribui: tamen, quia D. Thomas eam attigit in art. 3. & quia ad completum huius materiæ est necessaria, prætermitti non potuit: præsertim, quia exponere necesse est quem concursum habeat virtus pœnitentiæ ad hunc effectum, etiamsi ex opere operato fiat. Duo autem sunt capita, ad quæ reducuntur omnes causæ, quibus illo modo potest tribui talis effectus, scilicet sacramenta, & sacramentalia: & sub vtroque varia membra continentur, de quibus sub generali quæstione breuiter dici potest. Addi etiam hìc posset sacrificium Missæ, quod formaliter est distinctum à prædictis. Sed de illo sufficienter dixi superiori tomo disp. 79. sect. 5.

## SECTIO I.

### *Vtrùm veniale peccatum tollatur eis opere operato per sacramenta.*

1. Proponitur difficultas.

PRIMVM inquiri posset, an hæc causalitas ex opere operato, habeat locum in remissione peccati venialis: nam si habet, nemo prudens negabit quin per sacramẽta nouæ legis generatim loquendo, interdum fiat quamuis de particularibus sacramentis possit esse

esse dubitatio. Nã. cùm hæc sacramenta instituta sint ad homines perfectè sanctificandos ex opere operato, & hæc sanctificatio ex parte consistat in remissione venialium peccatorum, non potest toto huic generi sacramentorum hæc efficacitas denegari, si possibilis est. Ratio autem dubitandi de hac possibilitate est suprà tacta, quia vel homo est saltè attritus de peccato veniali, vel non: si non, nunquàm poterit tolli ex opere operato, aliàs tolleretur sine sufficienti mutatione voluntatis humanæ: quod dicendum non est. Si autem voluntas humana iam fuit sufficienter mutata, statim aufertur peccatũ veniale ex dispositione operãtis, priusquàm interuenire possit efficacitas ex opere operato. Ergo nunquàm datur locus huic modo remissionis venialis peccati.

Ratio dubij.

B

2. Remissio venialis, quæ fit simul cũ mortali, potest. & fit ex opere operato per sacramenta.

Hæc difficultas præsertim procedit in remissione venialis peccati, quæ per se fit sine cõiunctione cum mortali peccato, & ideò oportet de illa specialiter loqui. Nam de altera, quæ fit simul cũ mortali, pro certo supponẽdũ est, posse fieri ex opere operato, & de facto fieri per sacramenta, vel plura, vel omnia. Primum patet ex ratione contraria, quia tunc peccatum veniale non potest tolli per solam attritionẽ, etiamsi illa ad veniale extendatur, quia non potest tolli sine mortali, quod per solam attritionem non tollitur: ergo, adueniente sacramento, poterit veniale ex opere operato tolli, sicut tollitur mortale. Sed fortasse negabit aliquis similitudinẽ, quia per sacramentũ infũditur gratia, quę est forma natura sua incompossibilis cum peccato mortali, & ideò potest ex opere operato excludi: non est autem illa forma incompossibilis

C

cum peccato veniali: & ideò non sequitur respectu illius esse possibilẽ efficacitatẽ ex opere operato. Sed contrà, nam, vt Deus remittat peccatum veniale, non est necesse vt infundat formam physicã formaliter incompossibilem illi, quia reuerà, in rigore loquendo, nulla talis est, & saltem est certum sæpe fieri sine illa, vt suprà significatum est, & ex dicendis amplius constabit: ergo per sacramentum potest Deus remittere ex opere operato simul peccatum veniale cum mortali, applicando Christi meritum, & ordinando gratiam ad vtrumque effectum.

3. Et hoc ipsum probatur, ostendendo alterã partem inductione sacramentorum. Nam de Sacramento pœnitentiæ suprà id ostendimus, ex principio, quòd sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, qua

D

propteteà rectè & vtiliter in confessione dicuntur vt dixit Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 5. Comprehenduntur que sub illis verbis Christi, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. 20. Ergo, sicut per potestatem clauium remittuntur peccata mortalia ex opere operato, ita etiam venialia illis cõiuncta, cum proportionali dispositione, & attritione. Præterea idem est certissimum de Baptismo, vt latè osteusum est iuperiori tomo, disput. 28. sect. 3. Vbi non solùm omnem culpam, sed etiam omnem pœnã ostendimus remitti per Baptismum homini sufficienter attrito: atque etiam probauimus nõ oportere, vt attritio in contritionẽ mutetur: quod etiam de Sacramẽto pœnitentiæ infrà repetemus. De aliis verò sacramentis, quoad hũc modum remissionis, nihil est omninò certum, quia incertum etiam est, an aliquando dent primam gratiã, tamen, supposita probabili opinione affirmante, aliquando dare illam, si bona fide, & cum sufficienti attritione suscipiantur: consequenter dicendum videtur, etiam auferre venialia, quæ inueniunt cum mortalibus coniuncta, si attritio ad illa etiam extendatur (agimus autem de remissione tãtùm quoad culpam.) Quod apertè sentit D. Tho. hîc, & idem sentiunt alij Doctores infrà citandi. Ratio verò est, quia, si gratia infusa per sacramentum

Conc. Trid.

Ioan.

E

cum tali dispositione, remittit peccatũ mortale, verisimile est ordinari etiam à Deo ad remittẽdum veniale: vel aliter, si cum æquali dispositione iustificat Deus hominem à peccato mortali, multò magis iustificabit à veniali: vel, si Deus propter Christi merita applicata per sacramentum, acceptat illam dispositionem vt sufficientem ad remissionem mortalium, quanuis ex se non sufficeret. multò magis acceptabit illã ad remissionem venialium. Ex hac autẽ ratione solùm concluditur, per sacramenta remtti hoc modo ea peccata venialia, quorum homo habet veram & supernaturalẽ attritionem. An verò alia etiam tollantur, vel tolli possint, in sequenti puncto dicemus, nam quoad hoc eadem est ratio in hoc, & in sequenti modo remissionis venialis peccati.

---

## *Quid de remissione venialis quãdo per se sola fit.*

DICENDVM ergo superest de remissione culpæ venialis quando per se sola fit sine remissione mortalis: nam tunc videtur nunquàm habere locum opus operatum sacramenti, non quia sacramento ex se virtus desit, sed quia semper præuenitur à dispositione pœnitentis, quæ informata per gratiam habet vim satisfaciendi, & expellendi peccatum veniale, antequàm sacramẽtũ adueniat: & ita dici poterunt sacramenta de se esse remissiua peccati venialis, quoties inuenerint illa in homine bene disposito, de facto tamen nunquàm remittere illa in homine iusto, quia iam inuenient remissa, si ille est bene dispositus. Nihilominùs dicendum censeo, sacramenta aliquando tollere peccata venialia ex opere operato in hominibus iustis. Quod licèt in quibusdam sacramentis sit certius quàm in aliis, de omnibus tamen est verisimile. De Baptismo sufficiunt dicta in citata sectione 3. cũ his quæ inferiùs addemus. Et idem est de sacramento Pœnitentiæ: coniungendo quæ in præcedenti disputatione attigimus, cum his quæ statim dicemus. Quia verò hæc duo sacramenta, per se loquendo, sunt sacramenta mortuorum, ideò in Baptismo non habet locum hic casus, nisi quando supponitur adultus priùs iustificatus per contritionem cum Baptismo in voto, & posteà venialiter peccasse, & sic accedere ad sacramentum Baptismi cum aliqua dispositione, quæ per se non sufficiat, vt tollatur peccatum veniale, nisi accedat vis sacramenti: de qua dispositione statim dicemus. In sacramento autem pœnitentiæ frequentius & magis per se habet locum hic casus: scilicet, quando homo iustus de solis venialibus confitetur. Et tunc etiam potest intelligi duplex efficacia in tali sacramento ad tollenda venialia peccata: prima est quasi propria & per se, quæ solùm versatur circa ea peccata quæ sunt materia talis confessionis: & de hac sufficienter dictum est in disputatione precedenti, sect. 3. Alia verò efficacitas esse potest ad tollenda peccata venialia omissa in tali cõfessione, vel ex obliuione, vel voluntariè, quod potest fieri sine culpa, & quoad hoc videtur esse eadem ratio de hoc sacramento, & de cæteris: quia, si habet hanc vim, magis est ex generali ratione sacramenti nouæ legis, quàm ex propria talis sacramenti. In quo differt à Baptismo, nam hic ex propria & specifica institutione omnia delet, quia est regeneratio, & perfecta ablutio, vt significant tam actio materiæ, quàm verba formæ: nihilominùs tamen quoad dispositionem necessariam ad talem effectũ, eadem est vtriusque ratio.

4.

Omnia sacramenta aliquando tollere peccata venialia ex opere operato in iustis.

Vera solutio.

De Baptis.

De Pœnit.

De cæteris verò sacramentis viuorum, de duobus mihi ferè certum est, hunc habere effectum quãtùm est ex vi ipsorum. Vnum est sacramentum Extremæ vnctionis, de quo infrà in hoc eodẽ opere ex profes-

5. De Extrema vnctione.

so

Conc. Trid. so dicam: nunc sufficiant verbā Concilij Tridentini, sess.14.cap.2,& can.2.de Extrema vnctione, definiētis,illud sacramentū *& dare gratiam, & remittere peccata*,seu *delicta*: & addit, *Si quæ sunt adhuc expianda: ac peccati reliquias abstergit.* Vbi & distinguit peccata à reliquiis peccatorum: & dum dicit, *Si quæ sunt expianda*, planè significat se loqui de peccatis, quæ manere possunt in homine iam iustificato. Nisi quis velit id intelligere de solo reatu pœnę tēporalis,quod violentum est, & præter vim verborum, præsertim quia ille reatus potiùs pertinet ad reliquias peccatorum. Aliud est sacramentum Eucharistię,de quo id latè tractaui superiori tom.disput.63.sect.10. De aliis verò tribus sacramentis hoc absolutè negat Soto in 4.d.11.q.2.art.4.Idem tamen Soto d.15.art. 3. oppositum docere videtur: &, cùm in priori loco videatur maiorem efficaciam in hoc tribuere sacramentalibus,quàm his sacramentis:in posteriori ait, si aqua benedicta habet hanc vim(quod ipse indicat) à fortiori habere omnia sacramenta. Atque hæc opinio est magis recepta inter Theologos,vt patet ex D. Thoma hîc,& Bonau.in 4.d.21.art.1.q.2.& Alense dict. q.65.memb.3.art.4. §.2. Ledesma 1.p.4.q. 28. art. 3. Petro Soto lect.12.de Eucharistia,& 18.de Pœnitentia. Et hæc sententia,licèt certa authoritate nō cōstet, neque necessaria ratione probari possit, pobabilior est,& magis pia. Quia in primis non repugnat, Christum Dominum hanc virtutem dedisse his sacramentis. Deinde est cōsentaneum fini omnibus sacramentis communi,quia omnia sunt instituta ad curationem & sanctificationem animarum. Deinde est consentaneum fini proprio vniuscuiusq; sacramenti,qui est vt aliquod munus sanctè, & modo Deo grato perficiatur,quod possunt venialia peccata suo modo impedire,& maximè illa,quæ in vnoquoque sacramēto specialiter repugnat fini eius. Tandē ob similes rationes probabiliter creditur, quodlibet sacramentum,bona fide susceptum,tollere mortale peccatum,si illud inueniat:ergo à fortiori idem dicendum est de peccato veniali,si ex parte pœnitentis sit simil is, aut proportionalis dispositio.

Euchar. De reliquis tribus sacramentis. Soto.

D.Thom. Bonau. Alens. Ledesm.

A

B

C

## *Quænam dispositio sufficiat ad hunc effectum.*

6. Primus disponendi modus.

Secundus.

Pet.Soto.

Alens. D.Bonau. Dur.

IAM verò explicandum sequitur quænam sit illa dispositio: duobus enim modis intelligi & cogitari potest. Primò,quòd sacramenta immediatè præbeant aliquod auxilium,excitans in nobis motum sufficientem ad tollendum peccatum veniale. Secundò quòd ipsum sacramentum per se remittet veniale peccatum,etiam absq; motu voluntatis per se sufficiente ad expellendum illud. Priorem modum sequuntur Petrus Soto,& alij moderni: & attribuunt D. Thomæ hic,& suprà q.79.ar.4. & tenet apertè Alensis suprà, & Bonauen.suprà,& d.23.art.1.q.1.vbi Durandus,& alij ita sentiunt de Extrema vnctione. Iuxta quam sententiam nunquàm per sacramentum remittitur peccatum veniale sine sufficiente dispositione, seu opere operantis. Dicitur tamen nihilominùs tolli ex opere operato, quia illemet actus hominis operantis prouenit à sacramento ex opere operato. Ratio esse potest,quia sacramentum nō remittit culpam aliquā nisi mediante aliqua forma inhærente incompossibili cum tali peccato: hæc autem forma respectu venialis peccati,non potest esse solus habitus, vt suprà ostensum est:ergo esse debet aliquis actus.

D

E

7. Sacramentū per se remittere, veniale sine motu

Nihilominùs contrariam sententiam censeo veriorem,& esse D.Thomæ, vt explicui latiùs dict. q. 79.art.4. Eandem tenet Soto ita intelligens D.Thomam hoc loco. Indicāt etiam Paludanus,& Capreolus in 4.d.25.Et de Eucharistia, & Baptismo id probaui in locis suprà citatis. Ratio verò generalis esse potest,quia omnia sacramenta tollunt peccatū mortale absque dispositione, quæ per se ipsam sufficiat. Vnde non tantùm excitant meliorem dispositionem, sed cum illa imperfecta per se immediatè tollunt ipsum peccatum mortale:cur ergo nō magis ita operabuntur remissionem venialis peccati? Et confirmatur, nam aliàs hæc remissio, vel nunquàm vel rarissimè fieret per sacramentum, quia raro contingit, vt in illo momento,in quo sacramentum absoluitur, homo excitetur,& perficiat meliorem actum, & dispositiorem,quàm toto tempore præcedēte habuerat. Quod ipsa experientia satis ostendere videtur, etiam in his qui mediocri diligentia & attentione ad sacramenta accedunt. Et declaratur, quia vel hic effectus sacramenti est aliquod auxiliū excitans, quod à solo Deo operante confertur: & hoc non videtur esse infallibile,aut certa lege dari ex vi sacramenti, quia homines etiam bene dispositi, non semper recipiunt has speciales motiones in ipso momento, quo sacramēta suscipiunt. Vel est solùm concursus actualis gratiæ adiuuantis: & hic etiam cùm non sit, nec fiat actu in nobis sine nostra actuali cooperatione libera, non videtur esse immediatus effectus ex opere operato alicuius sacramenti. Respondeti autē potest, ratione sacramentorū dari aliqua auxilia actualia præueniētia, quāuis nō semper dentur in ipsa actuali susceptione sacramenti,sed posteà cōgruis tēporibus. Respōdeo, si tale auxilium in ordine ad remissionem peccati venialis esset effectus sacramenti ex opere operato,nullum tempus esset magis congruum ad illud dandum, quàm sit illud in quo recipitur sacramentum. Neque aliquis Auctorum dixit peccata venialia,quæ non remittuntur in ipsa susceptione sacramenti,remitti posteà aliquando virtute sacramenti, quando per se, & non simul cum mortalibus remittūtur, vt fieri potest per Baptismum,vel pœnitentiam.

volūtatis ad id sufficiente, vera resolutio. D.Thom. Soto. Palud. Capreol.

8. Soluitur cōtrarium fundamentum.

Nec fundamentū oppositū firmum est,quia,vt supra ostendi,etiam actus, quo tollitur veniale peccatum,non semper est incompossibilis ex se, & natura sua cū peccato veniali: & ideò semper in his effectibus adiungēda est ordinatio diuina,suppositā ex parte causæ,vel dispositionis proportione aliqua. Sic ergo in præsenti dicimus, quanuis ex parte hominis nō præcedat actus sufficiens,ipsam gratiam sacramentalem,vt talis est, esse formā moraliter sufficientem ad hūc effectū. Et ideò D. Tho. hic solùm probat hunc effectū ex eo, quòd sacramenta gratiam infundunt. Hæc autem gratia sacramentalis quoad præsens, non addit supra ipsam gratiā nisi ordinationē diuinam,qua voluit, vt gratia per talem causam,& ad talem finem indita, remitteret venialia,si homo sic recipiens non poneret obicem.

## *Quid necesse sit vt homo imponat obicem ad hunc effectum.*

9.

SED tunc supereſt explicandum, quid necesse sit vt homo non ponat obicem ad hunc effectum. Et ratio dubij est suprà tacta, quia respectu mortalis peccati obex non tollitur nisi per aliquem actum, saltem imperfectum,scilicet, attritionē: ergo aliquid simile necessarium erit respectu venialis peccati, saltem ex eo quòd fuit actuale. At verò,si attritio requiritur,illa sine sacramento tollet hoc peccatum, vt suprà dictum est: ergo nunquam sacramentū tollet huiusmodi peccatū sine dispositione per se sufficiente: imò loquendo moraliter, seu regulariter, nunquam tollet,sed supponet ablatum per ipsum actum. Circa hoc, qui senserit peccatū veniale nunquam tolli per solam

solam attritionem,etiamsi persona sit grata,facilè explicabit hunc effectũ respectu sacramentorum, dicẽdo sacramenta facere hominẽ ex attrito cõtritum,vt sic dicam, etiam respectu venialium, atque ita tolli obicem per attritionem, & soluitur difficultas tacta, quia negatur fundamentum eius. At verò suppositasententia à nobis posita,quòd attritio in homine grato sine sacramẽto sufficit ad tollenda venialia: dicendum consequenter est, ad tollẽdum obicẽ minùs requiri quàm attritionem,quandoquidẽ sola attritio ad totum effectum sufficit. Vt ergo homo susciplens sacramentum non ponat obicem huic effectui, satis est(opinor) quod accedat sine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate ac desiderio recipiendi sacramentum, & effectum eius.Ita etiam sentiunt Soto,& Ledesma.Et probatur retorquendo rationem factam: quia ad hunc effectum non potest sacramentum postulare & exigere attritionem, aliàs postularet ipsum effectũ iam factum:ergo nihil aliud potest cogitari nisi illa carentia complacentiæ cum prædicta voluntate.Quod etiam docet D. Thom. in citatis locis ad 2.Addunt præterea Soto, & Ledesma illam voluntatem circa sacramentum, & effectum eius,esse virtualem quandam retractationem peccati venialis,quatenus homo vult medicinam illius assumere.Item coniecturæ sæpe adductæ de leuitate peccati venialis, & de dignitate gratiæ, quæ in homine supponitur, hoc etiam confirmant. Quapropter non est in hoc æqualis ratio, seu dispositio petenda respectu venialis peccati,& mortalis,nã per mortale multò magis auertitur homo à Deo,& ante remissionem eius caret homo gratia:at verò veniale peccatum est imperfecta,seu ferè nulla auersio,& aliunde relinquit gratiam in homine, quæ semper est dispositio ad remissionem talis peccati:& ideò, si accedat sacramentum,& non inueniat complacentiam formalem, aut virtualem,tollit illud.

Voluntas sacramenti sine complacentia peccati sufficit.

10. An tollantur omnia venialia, quibus homo nõ est actualiter affectus.

Sed hinc oritur difficultas, nam videtur sequi ex dictis, per quodlibet sacramentũ tolli semper omnia peccata venialia, quibus homo nõ est actualiter affectus,quod non videtur verisimile.Sequela probatur, quia ad hunc effectũ nõ est necessaria positiua dispositio,sed tantùm carentia complacentiæ:ergo, si hæc non sit circa vllum peccatum,omnia tollentur. Patet consequentia,tum ex illo principio, quòd sacramenta dant suos effectus non ponentibus obicem: tum etiam, quia inductione facta per singula peccata, quodlibet auferri potest ex vi sacramẽti,suppositacarentia complacentiæ, & non est maior ratio de vno, quàm de alio:ergo auferentur omnia. Ad hanc difficultatẽ,quidã concedunt totũ:ita Sotus,& Ledesma.

Opinio negans.

D.Tho. D.Bon. Richar. Alens. Gabr. D.Ant.

Alij verò negant,sacramentũ æqualiter tollere peccata venialia,vbi non est æqualis dispositio. Et quidem antiqui Theologi disputãtes in particulari de Eucharistia ita sentiunt in 4.d.12.vt videre licet in D.Thoma q.2.artic.2. D. Bonauentura 2.part. distinctionis artic.1.quæst.3.Richardo art.5.q.2. Alens.4.p. q. 41. memb.1.art.1.& Gabriele lect.85.in Canonem,& D. Antonin.3.p. tit.14.c.12.§.5.Et ratio est,quia,licèt sacramenta dent suos effectus non ponẽtibus obicem, non tamen æqualiter dant omnibus, sed pro ratione dispositionis,vt patet tam in effectu gratiæ, quàm in effectu remissionis pœnæ temporalis, non enim totam remittunt etiam non ponenti obicem, sed pro gradu & qualitate dispositionis: ergo idem dicẽdum est de peccatis venialibus.Propter quod hęc res mihi dubia videtur,& incerta. Nam, affirmando priorem sententiam,nullum absurdum, vel inconueniens sequi video,quanquã efficaci fundamento ostendi non possit, præsertim de omnibus sacramentis, vt ratio in contrarium facta declarat.Multùm tamen fauet illi sententiæ D.Tho.hoc loco,& vt minimùm videtur probabilius omnia sacramenta habere vim ad hanc vniuersalem remissionem,si ex parte hominis sit proportionata dispositio:quia ex parte ipsorum sacramẽtorum non potest esse imperfectus,& dimidiatus hic effectus,cùm nitantur in merito Christi infinito, & nulla ratione probabili fingi possit, esse de se determinata ad certum numerum & qualitatem peccatorum venialium,magis quàm mortalium.

Opinioaffirmans verisimilior.

Iam verò descendendum est ad particularia.Et de Baptismo sine dubio est probabilius auferre omnem culpam,etiam venialem, vbi nõ inuenerit voluntatem resistentem,quia est regeneratio, & renouatio totius hominis. Et hoc etiam affirmauit hic D. Thomas art. 1.ad 2.de Baptismo sanguinis, & solùm requirit ne adsit complacentia actualis contraria.Caietanus verò in commentario illius solutionis nescio quod discrimen inuenit inter Baptismum sanguinis,& aquæ: nã, si catechumenus v. g. habẽs propositum mentiendi, in somno interficiatur pro Christo, dicit illi remitti illud peccatum veniale, non obstante illa voluntate virtuali ex priori proposito manente,si tamen baptizetur Baptismo aquæ,dicit non tolli illud veniale peccatum propter virtualem complacẽtiam. Nullam verò affert probationem: neque ego illam video. Nam,si illa virtualis complacentia est obex, ita vt illi omninò repugnet remissio venialis peccati, etiam per martyrium non tolletur:si verò non est obex,per Baptismum aquæ tolletur, quia Baptismus omnia remittit non ponenti obicem.Dicere autem quòd respectu vnius sit obex, & non respectu alterius,nõ video quo fundamento dicatur.In vtroque autem casu, si illud peccatũ veniale nullo modo fuit retractatum, neque post illud habuit homo aliquẽ actum:quo, vel formaliter,vel saltẽ virtualiter voluerit illud à se expellere,vel remediũ aliquod adhibere,desiderando v. g.Baptismũ,vel martyriũ,vel aliquid simile,nó existimo remitti illud peccatum etiã per illa Baptismata, quæ maiorem in hoc habent priuilegiũ,quia existimo semper requiri aliqualẽ dispositionẽ,vel mutationem voluntatis:hanc verò oportet esse posteriorem, quàm propositum ipsum peccandi venialiter. Si autem post tale propositũ homo habet aliud desiderium, vel voluntatem aliquo modo repugnantem ipsi peccato veniali,id satis erit vt auferantur tam per Baptismum aquæ, quàm sanguinis,propter rationem factam.

Probatur in Baptismo opinio affirmans.

Caietani distinctio inter Baptismum aquæ & sanguinis, reiicitur.

12. Idem in Pœnitentia ostẽditur.

Deinde de pœnitẽtia,existimo auferre omnia peccata venialia,quæ vel homo confitetur iuxta aliquem probabilem modum ex superiùs positis disp. præcedente: vel si in illis peccatis hoc locum non habet propter speialem rationem huius sacramenti requirentis formalem pœnitentiam ad sui constitutionem: saltem remittet alia peccata,de quibus homo non est attritus, maximè si sint oblita, & non voluntariè omissa,quia quantùm est ex se,omnia illa subiicit clauibus,& quia illud sacramentum habet vim tollendi peccata,etiam oblita, si non inueniat obicẽ.At verò de aliis peccatis quæ homo voluntariè non subiicit clauibus,nõ est res adeò certa: & fortasse maior aliqua dispositio circa illam requiritur.De extrema verò vnctione probabile est semper omnia remittere,si sint aliquo modo ex suprà declaratisretractata.Quod significatur Iacob. 5. *Si in peccatis est, remittentur ei.* Et in suprà citat. verbis Conc. Trid.Item, quia illud est copiosum, & extremum remedium ad hunc finem collatum.

Idẽ de Extrema vnctione iudicatur. Iacob.

13. In aliis sacramentis opinio negans censetur probabilis.

De aliis verò sacramentis res est dubia.Tamen verisimilior est posterior sententia propter rationem factam.Vnde, licèt verum sit, quod suprà diximus, solam voluntariam susceptionẽ sacramenti, ablato obice,sufficere ad remissionem venialiũ, sicut sufficit

ad

ad augmentum gratiæ: nō tamē inde fit vt ſufficiat ad remiſſionē omniū venialiū, ſicut nec ſufficit ad omne augmentū gratiæ: ſicut ergo ſic recipienti tale ſacramentū ex inſtitutione diuina definitus eſt certus gradus gratiæ, quia augebitur in meliùs diſpoſito, ita eodem modo definita eſt certa remiſſio aliquorum venialium, quæ erit maior in meliùs diſpoſitio, & poterit eſſe integra & totalis imperfectè diſpoſito. Et ad illam interrogationem, quando non tolluntur omnia, cur potiùs hæc quàm illa tollantur, cùm & diſpoſitio, & ſacramentum ſit æquè indifferens. Reſpōdeo primò, eandem interrogationem fieri poſſe de remiſſione pœnæ, quando ſcilicet, non tollitur tota: quare remittatur ea, quę debetur huic peccato potiùs quàm alteri. Secundò ergo dicitur hoc poſſe remitti in diuinam voluntatem, quia cum ex parte noſtra non detur cauſa, ipſe remittit quod vult. Tertiò dici poteſt probabiliter, vnumquodq; ſacramentum eſſe magis inſtitutum ad quædam peccata tollenda, quàm alia, & illa priùs tollere, deinde illa, quę eiſdem propinquiora ſunt: vt Euchariſtia priùs tollit peccata venialia repugnantia charitati, primū Dei, deinde proximi: quòd ſi hæc non inueniat, vel plura poſſit remittere, tollit deinde ea, quæ repugnant ſpei, vel fidei, deinde ea, quæ religioni, & ſic de aliis. Confirmatio fortaſſe per ſe primò tollit ea, quæ repugnant fidei: Ordo quę repugnant religioni: Matrimonium, quæ caſtitati, & ſic de aliis. Fortaſſe etiam quando cætera ſunt paria, illud peccatum priùs tollitur, quod antiquius eſt, vel ſecundùm aliam ſimilem proportionem.

Reſpōdetur interrogationi affirmantis ſententiæ.

## SECTIO II.

### *Vtrùm Sacramentalia remittant peccata venialia ex opere operato.*

1. DE his ſacramentalibus quatenus ſunt cæremoniæ quædam inſtitutæ ab Eccleſia ad ornatum, ſolennémque ritum ſacramentorum, diſputaui ſuperiori tomo diſp. 15. vbi in ſect. 4. nonnulla etiam de hac materia attigi. Hîc verò latiùs vtimur hac voce pro quibuſdam rebus, vel actionibus ſacris, quibus hîc effectus remittendi venialia ſolet attribui, quę ſolent numerari, quæ hoc verſu comprehenduntur:

Sex cæremonialia, quibus remiſſio venialis ſolet attribui.

*Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.* Id eſt, oratio Dominica, aqua benedicta, panis benedictus, confeſſio generalis, eleemoſyna, Epiſcopi, vel abbatis conſecrati benedictio: illæ enim ſex voces ad hæc ſex membra accommodantur. Adduntur autem tria alia, ſcilicet, Oratio in Eccleſia conſecrata, tunſio pectoris, & ſacra Vnctio. Sed duo priora reduci poſſunt ad orationem: ſacra verò Vnctio principaliter ſumpta, ſacramentum eſt, & non ſacramentale, vel, ſi fit ſermo de cæremoniali vnctione, poteſt reduci ad tinctionē. Vnde autem hæc omnia colligantur, & quo fundamento dicantur eſſe remedia ad tollendum peccata venialia, in diſcurſu videbimus.

### *Prima opinio affirmans.*

2. DE his ergo ſacramentalibus duplex eſt opinio. Prima eſt, hæc omnia habere hunc effectum ex opere operato: quæ tribus modis explicatur. Primus eſt, hoc facere tantùm mediatè, excitando actum ſufficientem. Ita Petrus Soto lect. 18. & videtur fauere D. Thomas hîc art. 3. & q. 7. de Malo, art. 2. Significat Gabriel in 4. d. 16. qu. 5. art. 3. dub. 3. Secundus modus eſt, remittere immediatè, ita tamen vt requirant attritionem, ſaltem imperfectam. Ita ſignificant

Tripliciter explicatur.

Primò.

Secundò

A Paludanus d. 16. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 4. & D. Antonius 1. part. titul. 10. c. 1. §. 5. Bonau. d. 2. art. 1. qu. 2. quanuis Bonauent. non requirat formalem motum attritionis, ſed ſubmiſſionis, deuotionis, vel reuerētiæ in Deum. Non declarant autem hi Auctores, an talis actus interior debeat eſſe per ſe ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, vel quo modo iuuetur ab actu exteriori. Tertius modus eſt, immediatè id facere ad modum ſacramentorum, ſi non inueniant complacentiam contrariam, & homo vel pia actione, vel religioſè vtatur aliqua ex his rebus. Ita Victoria in Summa quarti, nu. 99. de Pœnitentia. Et eum ſecuti ſunt Soto in 4. d. 11. q. 2. art. 4. & d. 15. q. 2. art. 3. Ledeſma 1. p. 4. q. 28. art. 3. Cano lib. 12. de Locis, cap. 13. ad 9. & idem ſentit Maior in 4. d. 13.

Palud. D. Ant. Bonau.

Tertiò.

Victoria.

Soto. Ledeſm. Cano. Maior.

B In vnoquoque autem ex illis modis ſumitur fundamentum ex impugnatione aliorum, quod breuitatis cauſa omitto, & quia facilè ex dictis colligi poteſt. Primus enim modus fundatur in generali principio, quòd peccati venialis remiſſio non fit ſine ſufficienti motu interiori: & ideò, ſi hæc ſacramentalia habent aliquam ſpecialem vim, neceſſe eſt vt illa ſit ad excitandum talem motum. Secundus autem modus in hoc fundari poteſt, quòd peccati venialis remiſſio, licèt requirat motum internum, non tamen ſemper perfectum, & per ſe ſufficientem: & ideò iuuari poteſt per hos actus exteriores ex Eccleſię inſtitutione: quia ſicut Eccleſia poteſt concedere indulgentias, ita videtur poſſe hoc facere. Tertius verò vltra hoc addit, neceſſarium eſſe hunc effectum eſſe infallibilem, ſi homo non ponat obicem actualis, vel virtualis complacentiæ, quia aliàs non eſſet propriè ex opere operato, quod tamen videtur neceſſarium, cùm hæc aſſignentur, vt ſpecialia remedia cōtra hæc peccata, quaſi vi propria aliquid contra illa operentur: ad illud autem ſatis eſt quòd homo his rebus vtatur cum voluntate religioſa obtinendi per illa effectum ab Eccleſia inſtitutum: nam illa voluntas, ſuppoſita Eccleſiæ inſtiturione, eſt quædam virtualis diſplicentia venialis peccati. Maior vero ſpecialiter fundatur in hoc, quòd remiſſio venialis peccati tantùm eſt remiſſio pœnæ, quam Eccleſia concedit per indulgentias, & ita etiam poteſt concedere per hæc ſacramentalia.

C

### *Secunda opinio negans.*

D SECVNDA verò opinio generaliter negat his omnibus efficaciam ex opere operato. Hæc eſt antiquorum Theologorū opinio, quam magis indicat D. Thom. citatis locis: nunquàm enim dixit illam excitationem fieri ex opere operato. Clariùs in 4. d. 16. q. 2. art. 2. quæſt. 4. & d. 21. q. 2. art. 1. Alenſis 4. p. q. 65. memb. 3. art. 4. Durandus d. 21. q. 3. & ibi Bonauent. art. 3. q. 1. Richard. art. 3. q. 1. Abulenſis 4. Reg. 2. q. 39. Turrecrem. in c. *Tres autem.* de Pœnit. d. 1. art. 3. & in c. *Aquam.* de Conſecrat. d. 3. & alij. Fundamentum eſt, vel quia Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi cauſam, quæ poſſit hunc effectum ex opere operato conferre: vel quia, etiamſi habeat, non conſtat de tali inſtitutione. Et hęc ſententia mihi probatur. Vt tamen eius fundamentum intelligatur, aduertendum eſt hæc ſacramentalia non habere efficaciam ex inſtitutione Chriſti, quia non ſunt à Chriſto inſtituta, ſed ab Eccleſia, vt in priori loco citato ex 3. tom. latiùs tractaui. De inſtitutione autem Eccleſiæ, & actio, & poteſtas dubiæ ſunt, quoad hunc effectum ex opere operato. Et ideò breuiter de vtraque dicam.

D Tho. Alenſ. Dur. Bonau. Richard. Abul. Turrecr.

E

*Sacramentalia non tollere peccata ex opere operato. Concl.1.*

5. Aſſert. 1. Oratio Dominica. Tunſio pectoris. Eleemoſyna.

DIco ergo primò, Nullum ſacramentale eſt in Eccleſia de quo conſtet eſſe inſtitutum ad tollendas, culpas veniales ex opere operato. Hoc probo breuiter, diſcurrendo per omnia ſuprà numerata. Et in primis, oratio Dominica, tunſio pectoris, & eleemoſyna immeritò numerantur inter ſacramentalia, nulla enim eſt in Eccleſia ſpecialis inſtitutio, aut benedictio circa huiuſmodi res: neque in decretis aliquid huiuſmodi inuenitur. Nam quæ citari ſolent ex c. *Treſ ſunt. & c. Medicina.* & c. *Medicamentum.* & c. *Quamobrem.* de Pœn. d. 1. & c. *De quotidianis* de Pœnit. d. 3. ſumpta ſunt ex Auguſt. de Pœnit. medicina. c. 2. & li. 50. homiliarum, homil. vlt. c. 3. Hier. Daniel. 4. Chryſoſt. homil. 9. ad Heb. Et Amb. de Elia & Enoch, de tunſione pectoris loquitur ſpecialiter Aug. in epiſt. 108. Qui non de aliqua inſtitutione Eccleſiæ loquũtur, ſed de efficacia, quam illa opera, vt ſunt actus virtutum, habent ad obtinendam remiſſionem peccatorum, per modum impetrationis, vel diſpoſitionis. Vnde reſpectu mortalium peccatorum illis tribuunt aliquam efficaciam, vt etiam colligi poteſt ex Conc. Toletano 4. c. 9. ſed quò peccata venialia minora ſunt, eò maior eſt virtus in illis operibus ad eorum remiſſionem.

Auguſt. Hieron. Chryſoſt. Ambr.

Conc. Tolet. 4.

6. Confeſſio generalis.

Idem certum videtur de confeſſione generali, nullum enim eſt decretum continens, vel indicans ſpecialem inſtitutionem, nec antiqui Theologi eius meminerunt: ſed, quia illa cõfeſſio eſt exterior actus pœnitentiæ, ſi debito modo fiat, & illi correſpondeat interior actus proportionatus: delebit quidem peccata venialia, non ex opere operato, ſed ex diſpoſitione operantis, quia eſt vniuerſalis deteſtatio peccatorum. Quod etiam notauit Soto ſuprà, dicens (& merito) id non probari ex dict. cap. *De quotidianis.* Quod eſt Aug. in Enchir. c. 71. & in eo nulla eſt mentio de confeſſione generali. Addit verò Soto hoc eſſe receptum cõmuni conſuetudine Eccleſiæ, & ſentit ſufficere ad hanc efficaciã ex opere operato. Sed reuerà non ſufficit ſine inſtitutione, quia, ſi eſt ſermo de cõſuetudine tantùm illius boni operis, illa non magis poteſt hoc præſtare in hoc opere, quã in aliis operibus bonis. Si verò ſit ſermo de conſuetudine ſub hac apprehenſione, ſi apprehenſio eſt falſa, nihil poterit conferre ad hunc effectũ. Addo etiã, non eſſe verũ dari hanc conſuetudinẽ hoc modo explicatã, cũ plures, & ferè omnes docti viri oppoſitã exiſtimationẽ habeant. Ac denique, qualiſcunque eſſet illa conſuetudo, non poſſet ſufficere ad hunc effectũ, ſicut neq; ad indulgentiam, vel remiſſionẽ pœnæ, niſi præcedat cõfeſſio habentis poteſtatem. Aiunt verò quidam Moderni quanuis cõfeſſio per ſe ſola non ſufficiat ad remiſſionem, tamen deprecationẽ illã, quæ ſolet ex vſu Eccleſiæ dici à Sacerdote (ſcilicet, *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionẽ, &c.*) tollere ex opere operato venialia. Quod affirmat Soto d. 18. q. 4. art. 1. quando dicitur à Sacerdote. Victoria verò in Summa 4. & Ledeſma 2. p. 4. q. 7. artic. 3. hoc oſtendunt, etiamſi dicatur à laico. Sed nullus eorum adducit fundamentum: vnde, qua facilitate dicitur: reiicitur: quia in re, quæ pendet ex poſitiua inſtitutione, nihil affirmari poteſt, niſi vel cõſtet ex decreto aliquo, vel ex aliqua auctoritate aut traditione: neutrum autem hîc inuenitur. Illa ergo ſolùm eſt quædã deprecatio, quæ, ſi fiat à miniſtro Eccleſiæ, nomine eius habebit aliquam maiorem vim impetrandi, propter Eccleſiæ merita.

Soto. Victoria. Ledeſm.

7. De Epiſcopali benedictione.

Et idem cenſeo de Epiſcopali benedictione. Et ſumo ex Augu. epiſt. 59. q. 5. vbi eam vocat *interpellationem quandam.* De qua videri poſſunt plura apud Ioãnem Durantum lib. 2. de Ritibus Eccleſiaſticis, cap. penult. Citari autem ſolet de hac benedictione, & pro hoc effectu cap. *Benedictio,* & c. *Dictum,* & c. *Maledicam.* 1. q. 1. Sed nihil ad rem præſentẽ faciunt. Nam in 1. & 3. cap. nulla de hac re, aut alia ſimili mentio fit: in ſecundo verò ſolum ait Auguſtinus, ſacramentalium conſecrationem, ſeu benedictionẽ non priuari ſuo effectu, etiamſi ſacerdos miniſtrans malus ſit. Denique ſolent Epiſcopi cõcedere indulgentiã quando ſoleniter benedicũt: illa verò ſpectat, vel ad impetrationem aliquam, vel ad remiſſionẽ alicuius pœnæ, nõ culpæ. Prætereà, oratio facta in Eccleſia conſecrata habet fortaſſe apud Deũ aliquã maiorẽ vim ad impetrandum propter Eccleſiæ merita, tamen effectum ex opere operato nullũ habet, vt latiùs oſtendi dict. diſp. 15. Quod verò Palud. adducit ex 3. Reg. 4. *Qui orauerit in domo hac, &c.* vel nihil probat, vel ad ſummum declarat à ſimili genus illud impetrationis.

Durant. Cap Benedictio. Cap. Dictũ. Cap. Maledicam.

De oratione facta in Eccleſia conſecrata. Palud. 3. Reg. 4.

8. De Sacramẽto Vnctionis.

Prætereà, *de Sacramento Vnctionis* extat titulus in Decretalibus, qui ſolet citari ad hoc: ſed ſine cauſa, quia ibi ſolùm fit mentio Extremæ Vnctionis, & Cõfirmationis, quæ non ſunt ſacramentalia, ſed ſacramenta. Recenſentur etiam quædam aliæ vnctiones cæremoniales: ſed de nulla dicitur, quòd fiat ad tollenda venialia, ſed & ad ornatum, & ad aliquã ſacram ſignificationẽ, & fortaſſe etiã ad aliquam impetrationẽ. De pane benedicto cõſtat nobis eius vsũ eſſe antiquiſſimum: de quo multa videri poſſunt apud Vualdenſem de Sacramentalibus, c. 167. & Durant. dict. lib. 2. c. vlt. Inter alios verò eius meminit Auguſt. lib. 2. de Peccatorũ meritis, c. 26. & vocat *panẽ catechimenorum:* nam illis non dabatur Euchariſtia, ſed loco illius dabatur hic panis benedictus. Vnde conſtat non fuiſſe inſtitutũ ad tollenda venialia ex opere operato, quia catechumeni non erant capaces huius effectus ante Baptiſmũ. Solebant autẽ fideles communicare diebus Dominicis: poſteà verò, cùm illa conſuetudo paulatim aboleretur, introductũ eſt, vt panis benedictus daretur etiam baptizatis, quaſi in memoriam, & ſignificationem Euchariſtiæ: ergo nullum eſt hîc fundamentum huius effectus. Nam c. *Cùm omne crimen.* de Conſecrat. d. 2. quod Soto ad hoc propoſitum affert, nihil omninò ad cauſam facit, quia ibi ſolum dicitur, omne crimen atque peccatum, oblatis Deo ſacrificiis, deleri, & totus ille textus eſt de ſacrificanda, & miniſtranda Euchariſtia; de pane autem benedicto nullum eſt ibi verbum.

De pane benedicto. Vualdenſ. Durant. Auguſt.

Cap. Cùm omne crimen.

9. De aqua luſtrali. Alex.

Supereſt ſola aqua luſtralis inſtituta ab Alexandro I. vt habetur in 1. eius epiſt. & in c. *Aquam.* de Conſecratio. d. 3. Et de hac eſt aliqua maior veriſimilitudo, quia in eius inſtitutione, ſeu benedictione dicitur, vel potiùs petitur, *vt ſit in ſanctificationem,* & comparatur cum legalibus cæremoniis, quæ ſuo modo ſanctificabant ex opere operato. Nihilominùs cenſeo, etiam de hac oppoſitũ eſſe verius: quia, cùm hæc res ſit grauis, debuiſſet inſtitutio eſſe clara, & expreſſa, ſi ad hũc effectum ordinaretur. Verbũ autẽ illud *ſanctificandi,* ampliſſimũ eſt. Et de legalibus cæremoniis affirmat Aug. de vera & falſ. pœn. c. 20. abſtuliſſe peccata venialia, quod ſine dubio nõ faciebant ex opere operato. Sed, quia erant actus religionis & humiliationis cuiuſdã, ideò, ſi debito modo fierent, poterant ex diſpoſitione operantis conferre illum effectum. Ita ergo de hac cæremonia intelligendum eſt. Addit verò D. Tho. ex interceſſione Eccleſiæ, quę ex vi talis inſtitutionis applicatur, habere huiuſmodi aquam vim quandã moralem ad tollenda impedimenta, vel coërcendos dæmones, ſicut fit exorciſmis: vel excitando in homine bonũ motum: & hoc modo, ait, deſeruire ad iuſtificationem, vt videre eſt in 4. d. 6. q. 2. art. 3. quæſt. 2. ad

Auguſt.

D. Tho.

4.& d.16.q.2.ar. 2. q. 4. Quod per modum impetrationis optimè,iuxta mentem eius,intelligitur.Vnde ferè omnes Doctores citati non tribuunt in hoc maiorẽ vim aquæ benedictæ ex opere operato,quàm aliis sacramentalibus,vt videre etiam licet in Turrecremata in c. *Aquam*.de Consecratione d. 3. Nullum ergo inuenitur sacramentale de facto institutum ad tollenda peccata venialia ex opere operato.

Turrecre.

---

## *Non esse in Ecclesia potestatem ad instituenda signa sensibilia,quæ vt instrumenta hunc effectum conferant.Concl.2.*

10. DIcendum secundò est, probabilius videri non esse in Ecclesia potestatem ad instituenda signa sensibilia,& quasi instrumenta,quæ ex opere operato tollant peccata venialia. In hac conclusione non est certitudo,quia non videtur dubium, quin potuerit Christus hanc potestatem dare Ecclesiæ. Quãuis non desint qui negent potuisse Christum dare Ecclesiæ potestatem instituendi signum remissiuũ peccati venialis ex opere operato,nisi dando etiam potestatem ad instituendum signum efficax gratiæ sanctificantis ex opere operato, quia, licèt ad remissionem peccati venialis absolutè non sit necessaria infusio gratiæ,tamen ad remissionem eius ex opere operato est necessaria,quia non potest peccatum veniale tolli,nisi per internam renouationẽ, & sanctificationem:& ideò, si hæc renouatio non fit per actum ex se sufficientem ad expellendum peccatum veniale, necesse est vt fiat per infusionẽ habitus,vel augmentum eius. Quòd si hoc verum esset optimè probaretur Ecclesiam nõ habere hãc potestatem instituendi signum,vel causam remissiuã peccati venialis ex opere operato,quia non potest instituere signum efficax gratiæ:non enim potest instituere sacramenta.

11. Veruntamen fundamentum illud existimo esse falsum:potuisset enim Christus, si voluisset, vel per seipsum instituere huiusmodi signum remittens venialia, & non dans gratiam, vel dare Ecclesiæ potestatem ad illud instituendum. Quod planè supponunt omnes Auctores qui tractãt de his sacramentalibus: nullus enim eorum dixit implicare contradictionem quòd dentur talia sacramentalia:sed supponẽdo non implicare, inquirunt an de facto sint, vel in Ecclesia sit potestas ad illa instituenda.Deinde,cum infusione gratiæ habitualis,absq; actu per se sufficiente, potest Deus remittere peccatum veniale, ergo etiam sine gratia potest id facere:quia illa gratia non concurrit formaliter ad illam remissionem, sed concomitanter: & ideò posset fieri infusio illius sine tali remissione: ergo & è contrario posset fieri remissio sine illa:quia non est maior connexio,aut per se dependẽtia.Vnde, non solum de possibili, sed etiam de facto existimo probabile aliquando ita fieri, saltem per sacrificium Missæ,vel in ipsis offerentibus, vel in his pro quibus offertur,si habeant aliquem bonum motum contra peccatum,quanuis per se non sufficeret.Ratio autem est,quia de potentia absoluta potest Deus remittere peccatum veniale sine vlla interna renouatione physica,& de facto posset remittere per aliqualẽ renouationem actualem, id est, per actum virtutis aliquo modo oppositum veniali peccato, licèt non per se sufficientem ad expellendum illud, vt esset in præsenti vsus religiosus talis sacramentalis cum aliqua submissione ad Deum,quãuis ergo sit certum Christum Dominum non dedisse Ecclesiæ potestatem ad instituendum signa,quibus gratia infundatur:tamen, cùm ad tollendum peccatum veniale per se non requiratur gratiæ infusio, adhuc manet incertum, an dederit potestatem instituendi prædicta signa remissiua ex opere operato venialium peccatorum.

12. Nihilominùs tamen conclusio posita vera videtur,quia in re graui,& supernaturali non est affirmãdum,nisi quod ex sacra Scriptura, vel ex traditione, & vsu Ecclesiæ, vel ex vrgente ratione deducta ex aliis principiis reuelatis, colligi potest:hîc autem nihil horum interuenit. Nam ex Scriptura solùm habemus illa verba Ioan.20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittũtur eis*:vel illa Matt. 16..& 18.*Quæcunque solueritis super terram,&c.* At verò priora verba intelliguntur de potestate remittendi peccata per sacramentum pœnitentiæ, vt constat ex Concilio Tridentino, sessione decimaquarta, & infrà latiùs dicemus. Posteriora autem verba, si de absolutione peccatorum intelligantur, eundem sensum habent:extenduntur verò ad potestatem remittendi pœnas per indulgẽtias,& ad potestatem ligandi,& soluendi per censuras,& alia præcepta, quæ ad gubernationem Ecclesiæ pertinent.

Ioan. Matth. Conc. Trid

13. Rursus ex traditione, & vsu nihil habemus, quin potiùs ex non vsu potest sumi argumentum,quod in huiusmodi materiis efficax est.Ostendimus enim hactenus, Ecclesiam non instituisse aliquod signum huiusmodi:ergo signum est non recepisse ad hoc potestatem.Præterea nec est vlla ratio,vel necessitas ob quam hæc potestas data sit. Nam Christus instituit septem sacramenta,quæ ex opere operato tollant venialia:sunt etiam plura alia remedia,quæ ex opere & dispositione operantis hunc effectum conferãt:quid ergo necesse fuit alia signa ex opere operato per Ecclesiam instituisse? Neque ex remissione temporalis pœnæ sumi potest argumentum, tum quia malum culpæ difficiliùs tolli debet, & magis requirit proprium actum ipsius hominis:tum etiam quia pœna temporalis non remittitur ex concessione vel indulgentia Ecclesiæ, nisi applicando ex Christi, vel Sanctorum satisfactionibus quantùm est necesse ad huiusmodi solutionem: quod non ita proprium locum habet in remissione culpæ.Quapropter,ex cõmuni sententia, per indulgentias remittuntur pœnæ,non verò culpæ etiam veniales, vt latiùs in proprio loco dicemus.

Vlteriùs sua detur.

14. Solùm oportet vt satisfaciamus interrogantibus, cur effectus remittendi peccata venialia, potiùs tribuatur his sacramentalibus,quàm aliis actibus, quãdoquidem ipsa per se nihil conducunt: quòd enim excitare possint mentem hominis ad dolorẽ peccati, vel reuerentiam Dei,vel alium similem motum,quo remittantur peccata venialia,cõmune est aliis rebus, vt imaginibus,concioni;vel lectioni sacræ, &c. Respondetur in primis,hunc numerum sacramẽtalium quoad hunc effectum non esse certa aliqua ratione, aut auctoritate fundatum,& ideò non esse inconueniens,quòd possit augeri,vel minui iuxta probabilem aliquam rationem. Nam inter Doctores etiã alij sex numerant, alij nouem: & in rudimentis doctrinæ Christianæ tria ex illis omittuntur, & adduntur alia tria remedia,scilicet communicare, audire Missam, & concionem sacram,quæ sine dubio sacramentalia nõ sunt.Deinde dicitur triplici titulo aliquam actionem externam numerari inter hæc remedia. Primus est, quia ex genere suo, & ex modo quo fit, habet adiunctum aliquem dolorem peccatorum,vel significationem eius, vt confessio generalis, vel tunsio pectoris.Secundus est,propter specialem vim impetrandi remissionẽ peccatorum, fundatam vel in aliqua promissione Dei,seu locutione Scripturæ, vt est in eleemosyna,vel in propria petitione,vt est in oratione Dominica. Tertius est,ob specialem impetrationem diuini auxilij,vel motionis, fundatam in ora-

Cur hic effectus tribuatur magis his sacramẽtalibus, quãaliis actibus

tionibus Ecclesiæ, quæ per specialem consecrationem, vel benedictionem ad hunc effectum applicantur: & huiusmodi est aqua benedicta, quæ propterea non vtcunque operatur ex apprehensione sumentis illam, alioqui tantundem valeret, si existimaretur benedicta, quanuis non esset, vel, si homo illam assumeret vt signum excitatiuum, sine alia benedictione eundem effectum haberet: quod est præter Ecclesiæ sensum. Habet ergo vim moralem quasi applicandi Ecclesiæ intercessionem, quam fortasse vim habent etiam aliæ res, quæ ferè eisdem verbis ab Ecclesia benedicuntur, vt ex Pontificali Romano, constat, de consecratione Episcoporum, Abbatum &c. Cætera verò, in quibus aliquis titulus istorum non reperitur, non est cur in hoc ponantur numero, vel si vulgò ponuntur, est propter aliquam similitudinem, vel participationem eorum quæ diximus.

## QVÆSTIO LXXXV III.

*De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum, in quatuor articulos diuisa.*

DEINDE considerandum est de reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

*Primò, vtrùm peccata per pœnitentiam dimissa, redeant simpliciter, per sequens peccatum.*

*Secundò, vtrùm aliquo modo per ingratitudinem redeant specialiùs secundùm quædam peccata.*

*Tertiò, vtrùm peccata redeant in æquali reatu.*

*Quartò, vtrùm illa ingratitudo, per quam redeunt, sit speciale peccatum.*

### ARTICVLVS I.

Infrà art. 2. & 3. co. & 4. dist. 22. q. 1. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd peccata dimissa redeãt per sequens peccatũ. Dicit enim Aug. in lib. de Baptismo: Redire dimissa peccata, vbi frater na charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio docet in illo seruo, à quo dimissum debitum Dominus repetiit, eò quòd ille conseruo suo debitum nollet dimittere. Sed fraterna charitas tollitur per quodlibet peccatum mortale. Ergo per quodlibet sequens mortale peccatum redeunt peccata priùs per pœnitentiam dimissa.

Lib. 1. de Baptismo, cõtra Donatist. c. 12. in medio, to. 7.

Præterea, Super illud Luc. 11. Reuertar in domum meam vnde exiui, dicit Beda: Timẽdus est iste versiculus, necnon exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Hoc autem non esset nisi rediret. Ergo culpa per pœnitentiam dimissa redit.

Beda in Lucã, c. 58. non multùm remotè ante finem, to. 2.

Præterea, Ezechiel. 18. Dominus dicit: Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. Sed inter alias iustitias, quas fecit etiam præcedens pœnitentia continetur, cùm suprà dictum sit, pœnitentiam esse partem iustitiæ. Ergo postquàm pœnitens peccat, non imputatur ei præcedens pœnitentia, per quam consecutus est veniã peccatorũ. Redeunt ergo illa peccata.

Præterea, Peccata præterita per gratiam teguntur, vt patet per Apostolorum Roman. 4. inducentem illud Psalmistæ: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Sed per peccatum mortale sequens, gratia tollitur. Ergo peccata, quæ fuerant priùs commissa, remanent detecta. Et ita videtur quòd redeant. quæ. 85. ar. 3

Sed contrà est, quòd Apostolus dicit Rom. 11. Sine pœnitẽtia sunt dona, & vocatio Dei. Sed peccata pœnitentis sunt dimissa per donum Dei. Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deus de dono remissionis pœniteat.

Præterea, Augustinus dicit in lib. responsionum Prosperi: Qui recedit à Christo, & alienus à gratia, finit hanc vitam: quid, nisi in perditionem vadit: sed non in id, quod remissum est, recidit, nec pro originali peccato damnabitur. Refertur hoc de pœnit dist. 4. c. Qui recedit. id habet Prosper in respon. ad 2. rationem Gallorum. q. 86. ar. 4.

Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) in peccato mortali sunt duo, scilicet auersio à Deo, & conuersio ad bonum creatum. Quicquid autem est ex parte auersionis in peccato mortali, secundùm se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus: quia per quodlibet peccatum mortale homo auertitur à Deo. Vnde & per consequens macula, quę est per priuationem gratiæ, & reatus pœnæ æternæ, communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundùm hoc intelligitur id quod dicitur Iacob. 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Sed ex parte conuersionis, peccata mortalia sunt diuersa, & interdum contraria. Vnde manifestum est, quòd ex parte conuersionis, peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia priùs abolita, alioqui sequeretur, quòd homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem auaritię priùs abolitę. Et sic contrarium esset causa sui contrarij: quod est impossibile. Sed considerando in peccatis mortalibus id, quod est ex parte auersionis absolutæ, per peccatum mortale sequens redit illud, quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, in quantùm per peccatum mortale sequens, homo priuatur gratia, & fit reus pœnæ æternę, sicut & priùs erat. Verùm, quia auersio in peccato mortali ex conuersione quodammodò causatur, recipiunt ea, quæ sunt ex parte auersionis, quodammodò diuersitatem per comparationem ad diuersas conuersiones, sicut

ad

ad diuerſas cauſas: ita quòd ſit alia auerſio, & alia macula, & alius reatus, prout conſurgit ex alio & alio actu peccati mortalis. Et hoc modo in quæſtionem vertitur, vtrùm macula & reatus pœnæ æternæ, ſecundùm quòd cauſabantur ex actibus peccatorum priùs dimiſſorum, redeant per peccatũ mortale ſequens. Quibuſdam igitur viſum eſt, quòd ſimpliciter etiam hoc modo redeant. Sed hoc non poteſt eſſe: quia opus Dei per opus hominis irritari non poteſt. Remiſſio autem peccatorum priorũ fuit opus diuinæ miſericordiæ. Vnde non poteſt irritari per ſequens peccatum hominis, ſecundùm illud Rom. 3. Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuauit? Et ideò alij ponentes peccata redire, dixerunt, quòd Deus non remittit peccata pœnitenti poſtmodùm peccaturo, ſecundùm præſcientiam, ſed ſolùm ſecundùm præſentem iuſtitiam, præſcit enim ſe pro his peccatis eum æternaliter puniturum, & tamen per gratiam facit eum præſentialiter iuſtum. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia ſi cauſa abſolutè ponatur, & effectus ponitur abſolutè. Si igitur non abſolutè fieret per gratiam, & gratiæ ſacramenta peccatorum remiſſio, ſed cum quadam conditione in futurum dependente, ſequeretur quòd gratia, & gratiæ ſacramenta non eſſent ſufficiens cauſa remiſſionis peccatorum. Quod eſt erroneum: vt pote derogans gratiæ Dei. Et ideò nullo modo poteſt eſſe, quòd macula & reatus præcedentium peccatorum redeant ſecundùm quòd ex talibus actibus cauſabantur. Contingit autem quòd ſequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, inquantùm ſcilicet aliquis homo ſecundò peccans, ex hoc ipſo videtur grauiùs peccare, quàm priùs peccauerat: ſecundùm illud Rom. 2. Secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, ex hoc ſcilicet ſolo, quòd contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat. Multò autem magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati, ſecundò peccatum iteretur: quantò maius eſt beneficium peccatũ remittere, quàm peccatorẽ ſuſtinere. Sic igitur per peccatũ ſequens pœnitentiam, redit quodammodò reatus peccatorũ priùs dimiſſorum, non inquantùm cauſabatur ex illis peccatis priùs dimiſſis, ſed in quantùm cauſabatur ex peccato vltimo perpetrato, quod aggrauatur ex peccatis prioribus. Et hoc non eſt peccata dimiſſa redire ſimpliciter, ſed redire ſecundùm quid, in quantùm ſcilicet virtualiter in peccato ſequenti continentur.

Vt patet ex decret de pœnit. diſt. 4. c. 7. & c 8. non longè ante finem, &c. 11.

Ad 1. ergo dicendum, quòd illud verbum Auguſt. videtur eſſe intelligẽdum de reditu peccatorum, quantùm ad reatum pœnæ æternæ in ſe conſideratum: quia ſcilicet poſt pœnitentiam peccans, incurrit reatum pœnæ æternæ, ſicut & priùs: non tamen omninò propter eandem rationem. Vnde Auguſt. in lib. de reſponſionibus Proſperi, cùm dixiſſet, quòd nõ id, quod remiſſum eſt, recidit, nec pro originali peccato damnatur: ſubdit, qui tamen ea morte afficitur, quæ ei propter peccata dimiſſa debebatur: quia ſcilicet incurrit mortem æternam, quam meruerat per peccata præterita.

Proſper in reſponſione ad 2. rationẽ Gallorum. Et refertur de Pœnitẽt. diſt. 4. c. Qui recedit.

Ad 2. dicendum, quòd in illis verbis non intendit dicere Beda, quòd culpa priùs dimiſſa hominem opprimat per reditum reatus præteriti: ſed per iterationem actus.

Ad 3. dicendum, quòd per ſequens peccatum, iuſtitiæ priores obliuioni traduntur, in quantùm erant meritoriæ vitæ æternæ: non tamen in quantùm erant impeditiuæ peccati. Vnde ſi aliquis peccet mortaliter, poſtquàm reſtituit debitum, non efficitur reus, quaſi debitum non reddidiſſet. Et multò minùs traditur obliuioni pœnitentia priùs acta, quantùm ad remiſſionem culpæ, cùm remiſſio culpæ magis ſit opus Dei, quàm hominis.

Ad 4. dicendum, quòd gratia ſimpliciter tollit maculam, & reatum pœnę æternæ. Tegit autem actus peccati pręteritos: ne, ſcilicet propter eos Deus hominem gratia priuet, & reum habeat pœnæ æternæ. Et quod gratia ſemel fecit, perpetuò manet.

## COMMENTARIVS.

1. Concluſio D. Tho.

ASSERTIO *D. Thom. eſt, Peccata remiſſa non redire ſimpliciter, redire autem ſecundùm quid, propter ſubſequens peccatum. Explicat D. Thomas quid ſit redire ſimpliciter, quid ſecundùm quid. Et ad hoc ſupponit in peccato duo eſſe (loquitur præcipuè de mortalibus & cum proportione applicari debet ad venialia.) Sunt ergo in peccato conuerſio, & auerſio: in auerſione conueniunt omnia, & conſequenter in ſubſtantiali macula, ſeu priuatione gratiæ: in conuerſione autem differunt, id eſt, in tendentia ad propria obiecta, & conſequenter in vitioſa inclinatione, diſpoſitione, vel habitu, quem relinquunt.*

Infertur primò.

*Atque hinc duo certa inferuntur, vnum eſt, quoad maculam redire per peccatum ſubſequens id, quod ablatum fuerat, per priorem remiſſionem, quia redit eadem priuatio gratiæ ſecundùm ſpeciem, eadémque moralis, & habitualis auerſio à Deo.*

Infertur ſecundò.

*Aliud eſt, non redire eandem ſpecificam conuerſionem, quæ fuerat in prioribus peccatis, niſi fortaſſe peccatum ſubſequens ſit eiuſdem ſpeciei cum præcedentibus. Quod probat D. Thomas, quia aliàs peccatum auaritiæ faceret redire prauam diſpoſitionem prodigalitatis priùs abolitam. Quod poteſt intelligi, aut diſpoſitione phyſica, & habituali: & ſic eſt manifeſtè falſum conſequens, quia vnum contrarium non poteſt inducere inclinationem vel diſpoſitionem ad actus ſibi contrarios, vel poteſt intelligi ſolùm de morali relatione, ſeu habituali conuerſione: & de hac eſt propriè in præſenti ſermo: quamuis Diuus Thomas in pra*

*in prædicta ratione magis videatur in priori sensu loqui. tamen cum proportione potest ratio applicari, quia etiam fieri non potest, vt moralis conuersio ad vnum obiectum, fiat per conuersionem ad effectum contrarium.*

2. *Quamuis autem macula peccatorum substantialiter sit eadem, recipit tamen moralem quandam diuersitatem, & diminutionem, vel augmentum ex respectu morali ad actualia peccata, per quæ inducitur: vnde tunc est eadem macula, quando cum respectu morali ad eadem peccata inest: tunc autem est diuersa simpliciter, quando respicit peccata omninò diuersa, & quorum vnum nullo modo aliud includit, nec respicit. Tunc denique, erit macula secundùm quid eadem, licèt absolutè diuersa, quando respicit quidem peccata seu conuersiones diuersas, tamen altera earum respicit vnum peccatum vt continens aliud aliquo modo, ideſt, vt factum est grauius per respectum ad remissionem alterius. Sic ergo peccata quoad maculam* B *dicerentur redire simpliciter, si rediret macula ex vi eorundem peccatorum, quæ remissa fuerunt, ita vt nouum peccatum non solùm inducat nouam maculam, sed etiam reuocet antiquam, & augeat illam, addendo respectum ad seipsum, sicut se haberet illa macula si semper durasset absque interuentu remissionis peccatorum. Secundùm quid autem dicentur peccata redire, si macula quidem formaliter non respiciat peccata remissa, nec propter illa secundùm se inducatur, peccatum tamen illud, per quod inducitur, moraliter grauius sit, propterea quòd post cõparatam remissionem præcedentium committitur. Quod si neutro modo maneat illa macula, nullo modo redibunt peccata præterita, nec secundùm quid, nec simpliciter, sed solùm redibit aliquid, quod secundùm substantiam suam commune est omnibus peccatis.*

3. Primus error impugnatur à D. Thoma. *Iam ergo probat D. Thomas priorem partem negatiuam, scil. est talia peccata non redire simpliciter, excludendo duos errores. Vnus est, priora peccata non fuisse remissa simpliciter, sed solùm sub conditione, seu secundùm præsentem iustitiam, id est, nisi, vel donec iterum peccet. Hic autem error impugnatur à D. Thoma, quia ex illo sequitur gratiam, & sacramentum gratiæ non esse sufficientes causas remissionis peccatorum:* quod est, *inquit*, erroneum vtpote derogans gratiæ Dei. *Sequela probatur, quia si causa absolutè ponitur, etiam effectus absolutè ponitur, scilicet, si causa est efficax: sed gratia, & sacramentum absolutè ponitur: ergo vel absolutè habet effectum, vel non est causa sufficiens.*

4. Difficultas circa impugnationem. *Hæc verò ratio non caret difficultate, quia, vt causa sit sufficiens & perfecta, satis est vt posita illa, ponatur effectus, quandiu illa fuerit & durauerit, non est enim causa* D *insufficiens, eò quod effectus semper pendeat ab illa, vt ex Metaphysica constat: at verò gratia non absolutè donatur, sed sub conditione,* nisi mortaliter peccauerit recipiens, *vel secundùm præsentem iustitiam: ergo nihil derogat gratiæ quòd solum expellat peccatum sub eadem conditione, seu quandiu ipsa durat.*

5. Soluitur. *Respondetur, in effectibus priuatiuis, seu qui consistunt in destructione alicuius rei, non habere locum illam dependentiam durationis effectus à duratione causæ. Nam, si res verè destruitur, iam non pendet in suo non esse à causa destruente, quia ipsum non esse, vt sic, non pendet à causa positiua: & ideò, siue illa causa, quæ aliquam rem destruxit, postea duret in suo esse, siue non duret, res semel destructa, perpetuò destructa manebit, nisi ab alia causa proportionata iterum producatur, &* E *tunc (secundùm communem rerum cursum) erit res distincta ab ea, quæ anteà fuerat, & non eadem iterum producetur. In proposito ergo, remissio peccati, vt intelligitur esse quid distinctum ab infusione gratiæ, est effectus quasi priuatiuus, & destructio quædam ipsius peccati: vel ergo gratia semel infusa, simpliciter destruit peccatum vel non: si primum, non redibit iterum illud idem peccatum, etiamsi contingat gratiam iterum amitti: si verò non simpliciter illud destruit, iam gratia insufficiens causa est remissionis peccati: & hæc est illatio D. Thomæ, quæ in virtute omnia dicta continet.*

A

6. Alius error propugnatur. *Alius error, quem Diuus Thomas refert, vel potiùs indicat, est, quanuis Deus quantùm est in se, absolutè remiserit peccatum, sicut donauit gratiam, postea propter nouum peccatum hominis quasi retractare remissionem, & illud iterum imputare. Quem errorem D. Thomas, impugnat, quia opus hominis non potest irritare opus Dei, iuxta illud ad Rom. 3.* Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Absit: *sed remissio peccati fuit opus misericordiæ Dei: ergo non potest irritari per subsequens peccatum hominis.* Paulus.

7. Obiectio cõtra impugnationem. *Statim verò se offert obiectio, quia etiam infusio gratiæ est opus misericordiæ Dei, & tamen hoc irritatur propter opus hominis, vel potiùs Deus irritat suum opus propter peccatum hominis: ergo idem dici potest de remissione peccati. Vnde, vel prima propositio, quam D. Thomas sumit, non est in vniuersum vera, vt probat exemplum adductum, vel argumentum procedit ex puris particularibus. Et testimonium Pauli non est ad rem, quia ibi solùm loquitur de diuina veritate, quam non potest falsitatis arguere humana incredulitas.*

8. Enodatur. *Respondeo, hanc obiectionem ex præcedenti esse soluendam. Supponit enim Diuus Thomas, hunc errorem esse distinctum ab alio, qui dicebat hanc remissionem esse conditionatam: ergo hic error procedit supponendo hanc remissionem fuisse absolutam: at verò remissio absoluta irreuocabilis est, nisi mutetur qui remisit, & suammet voluntatem irritet: hoc autem impossibile est facere Deum in operibus suis propter opus hominis, & ideò si remissio est absoluta, impossibile est vt peccata remissa redeant propter subsequens peccatum. Vnde hac est etiam differentia inter remissionem peccati,* C *& donationem gratiæ, quòd illa, cùm sit absoluta, fit per absolutam, & efficacem Dei voluntatem, & ideò non potest reuocari, nisi Deus irritet voluntatem suam: gratia verò infusa quantùm ad perpetuitatem suam semper includit conditionem.* nisi homo peccet. *Oritúrque hæc differentia ex alia suprà tacta, nam peccatum semel destructum per absolutam voluntatem remittendi illud, iam non pendet in suo non esse ex continuata, vt sic dicam, voluntate Dei: & ideò vera remissio peccati, quæ sit eius destructio, vt sit perpetua, nullam includit conditionem de futuro, ac proinde est irreuocabilis: at verò gratia, licèt quoad infusionem detur per absolutam voluntatem, quia tamen pendet ex continuo influxu Dei vt permaneat, ideò quoad talem influxum pendet ex continuata voluntate Dei, quæ potest esse conditionata,* si homo non peccauerit: *qua* conditione impleta, etiamsi Deus destruat effectum suum, *scilicet gratiam, verè tamen ac propriè non irritat opus suum, sed potiùs complet ipsum, prout statuerat. Atque ita constat quem sensum habeat illa propositio D. Thomæ,* Opus Dei non potest irritari per opus hominis: *intelligitur enim de opere Dei, prout ab ipso absoluta voluntate est factum, vel promissum, seu de irritatione contraria absolutæ, & efficaci Dei voluntati. Et ita optimè adducit verba Pauli, quorum sensus est, veritatem diuinæ promissionis non frustrari propter opus hominis: nam, si promissio Dei est absoluta, non obstante quocunque opere hominis, implebitur. Atque in eodem sensu subsumit D. Thomas, remissionem peccati esse opus misericordiæ Dei: quod sine probatione assumit, & tanquàm concessum ab illa sententia, & tanquàm probatum contra aliam.*

9. Probatur cõclusio à D. Thoma. *Ex impugnatione ergo horum errorum tacitè concludit D. Thomas probationem huius partis. Nam, si remissio peccati est absoluta, est etiam irreuocabilis, non obstante quocunque opere hominis, ideóque idem peccatum remissum redire non poterit: sed remissio peccati est absoluta, & non conditionata tantùm: ergo peccatum semel remissum iterum redire non potest simpliciter propter subsequens peccatum. Alteram verò partem breuius probat D. Thomas, scilicet quodammodo redire reatum præcedentium peccatorum, quia*

subse

*ſubſequens peccatum aggrauatur ex remiſſione prioris, quia quodammodo contemnitur bonitas Dei, qui priora peccata remiſit. In qua probatione ſtatim inquirendum occurrit quæ ſit hæc grauitas, & qualis, ac quanta. Sed hæc in diſputatione latiùs dicam. Solutiones autem argumentorum ſunt faciles, ſuppoſitis, quæ diximus circa rationes D. Thomæ: & ſi quid ſupereſt, præſertim quoad loca Patrum quæ exponit, dicetur commodiùs in eadem diſputatione.*

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm peccata dimiſſa redeãt per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundùm odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſsionis, & dolorem de pœnitentia habita.*

4. d. 22. q. 1. ar. 1. cor. & art. 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd peccata dimiſſa non redeãt per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundùm quatuor genera peccatorum, ſcilicet ſecundùm odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſſionis, & dolorem de pœnitentia habita, ſecundũ quòd quidam metricè dixerunt.

*Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri,*
*Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.*

Tantò enim eſt maior ingratitudo, quãtò grauius eſt peccatum, quod quis contra C Deum committit poſt beneficium remiſſionis peccatorum. Sed quædam alia peccata ſunt his grauiora: ſicut blaſphemia contra Deum, & peccatum in Spiritum ſanctum. Ergo videtur quòd peccata dimiſſa non redeant magis ſecũdùm ingratitudinem commiſſam, ſecundùm hęc peccata, quàm ſecundùm alia.

Habetur de pœnit. diſt. 4. c. Si Iudas.

Prætereà, Rabinus dicit, Nequã ſeruum tradidit Deus tortoribus, quoaduſque redderet vniuerſum debitum, quia non ſolùm peccata, quæ poſt Baptiſmũ homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, ſed & originalia, D quæ in Baptiſmo ſunt ei dimiſſa. Sed etiam peccata venialia inter debita computantur, pro quibus dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Ergo ipſa etiam redeunt per ingratitudinem. Et pari ratione videtur, quòd per peccata venialia redeant peccata priùs dimiſſa, & non ſolùm per peccata prædicta.

Libr. 2. Confeſ. c. 7. ante mediũ, to. 1.

Prætereà, Tantò eſt maior ingratitudo quantò poſt maius beneficium acceptum aliquis peccat. Sed beneficium Dei eſt etiam ipſa innocentia, qua peccatum vitamus: dicit enim Auguſt. in Confeſſ. Gratiæ tuæ deputo quæcunque peccata non feci. Maius autem donum eſt innocentia, quàm etiam remiſſio omnium peccatorum. Ergo non minùs eſt ingratus Deo qui peccat poſt innocentiam, quàm qui peccat poſt pœnitẽtiam. Et ita videtur quòd per ingratitudinem, quę fit ſecundùm peccata prædicta, non maximè redeant peccata dimiſſa.

A Sed contrà eſt, quòd Greg. dicit. 18. Moral. Ex dictis Euangelicis cõſtat, quòd ſi quid in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Et ita propter odium fraternum ſpecialiter peccata dimiſſa redeunt ſecundùm ingratitudinem. Et eadem ratio videtur de aliis.

Lib. 4. Dialog. c. 60. circa finem.

Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut ſuprà dictum eſt) peccata dimiſſa, per pœnitentiam redire dicuntur, in quantùm reatus eorum ratione ingratitudinis, virtualiter continetur B in peccato ſequenti. Ingratitudo autem poteſt committi dupliciter: vno modo ex eo quòd aliquid fit contra beneficium. Et hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remiſit. Et ſic per quodlibet peccatum mortale ſequens, redeunt peccata priùs dimiſſa, ratione ingratitudinis. Alio modo committitur ingratitudo, non ſolùm faciendo contra ipſum beneficium, ſed etiam faciendo contra formam beneficij præſtiti. Quæ quidem forma, ſi attendatur ex parte benefactoris, eſt remiſſio debitorum. Vnde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam, non remittit: ſed odium tenet. Si autem attendatur ex parte pœnitentis, qui recipit hoc beneficium, inuenitur ex parte eius duplex motus liberi arbitrij. Quorum primus eſt motus liberi arbitrij in Deum, qui eſt actus fidei formatę. Et contra hoc facit homò apoſtatando à fide. Secundus autem eſt motus liberi arbitrij in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ. Ad quem primò pertinet (vt ſuprà dictum eſt) quòd homo deteſtetur peccata præterita: & contra hoc facit ille, qui dolet ſe pœnituiſſe. Secundò pertinet ad actum pœnitentiæ, vt pœnitens proponat ſe ſubiicere clauibus Eccleſiæ per confeſſionem: ſecundùm illud Pſalm. 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri, ſecundùm quòd propoſuerat. Et ideò dicitur, quòd ſpecialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata priùs dimiſſa.

Art. præced.

q. 85. ar. 5. & 6.

Ad 1. ergo dicendum, quòd hoc non dicitur ſpecialiter de iſtis peccatis, quia ſint cæteris grauiora: ſed quia directiùs opponuntur beneficio remiſſionis peccatorum.

In corpore art.

Ad 2. dicendum, quòd etiam peccata venialia, & ipſum originale redeunt modo prędicto, ſicut & peccata mortalia, in quantum cõtemnitur Dei beneficium, quo hęc peccata ſunt remiſſa. Non tamen per peccatũ veniale aliquis incurrit in ingratitudinem: quia homo peccando venialiter, non facit contra

Deum,ſed præter ipſum. Et ideò per peccata venialia, nullo modo peccata dimiſſa redeunt.

Ad 3. dicẽdum,quòd beneficium aliquod habet penſari dupliciter. Vno modo,ex quãtitate ipſius beneficij. Et ſecundùm hoc innocentia eſt maius Dei beneficium, quàm pœnitentia,quæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragiũ. Alio modo poteſt penſari beneficium ex parte recipientis, qui minùs eſt dignus,& ſic magis fit ſibi gratia:vnde & ipſe magis eſt ingratus ſi contemnat.Et hoc modo beneficium remiſſionis culpæ eſt maius, in quantùm præſtatur totaliter indigno, & ideò ex hoc ſequitur maior ingratitudo.

Vt dictũ eſt q.54.ar.6.

## COMMENTARIVS.

1. Quorũdam aſſertio. D. Bona.

REPERT *Bonauentura in 4.diſt. 22. art.1.q. 1.quoſdam aſſeruiſſe,peccata remiſſa formaliter & ſimpliciter aliquando redire, non tamen per omnia ſubſequentia peccata, ſed per quatuor ſpecialia,ſcilicet odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſſionis, retractationem ſeu dolorem de pœnitentia priùs acta: & eodem modo refert eandem*

D. Thom. *ſententiam ibi D.Tho.q.1.art.1. In hoc verò articulo eam interpretari, & ad meliorem ſenſum accõmodare conatur.*

In verũ ſenſum reducitur à D. Th. *Supponit ergo, formaliter ac ſimpliciter non poſſe peccata dimiſſa redire, etiam per illa quatuor genera peccatorum ex rationibus factis articulo præcedenti: nam generaliter probant de omni peccato. Addit verò hîc D. Thomas, eo modo quo peccata redeunt ſecundum quid in grauitate ſubſequẽtis peccati,illa quatuor peccata habere ſpecialẽ quandam rationẽ aggrauandi, propter quam hoc illis ſpecialiter tribuitur:ſcilicet,quia vel ſpecialiter repugnant beneficio remiſſionis peccati, vt eſt odium fraternũ,vel propriæ diſpoſitioni, & medio quibus comparatur remiſſio peccati, vt ſatis clarè D. Thomas in articulo exponit: nec oportet in hoc immorari,cùm ſolùm ſit accõmodatio quædã. Non exponit autem D. Thomas quã auctoritatem habeat hæc attributio,aut ex quo fonte,aut auctore manauerit.Videtur autem,quantùm ad peccatum odij fraterni,ortum habuiſſe ex parabola Matthæi 18.& ex nonnullis ſententiis quæ occaſione illius à ſanctis Patribus dicuntur:quæ omnia infrà tractabimus.De aliis verò nihil inuenio ab aliquo graui auctore, & antiquo ex propria ſententia ſcriptum: ideóque nihil de eis dicere oportebit, præter ea quæ D.Thomas dicit, & quæ per proportionem intelligi poſſunt ex iis quæ de odio dicta fuerint.*

2. Attingit D. Tho. tres quæſtiones. Prima.

*In ſolutione ad 2.& 3. attingit D. Thomas tres quæſtiones:Prima eſt,an peccata venialia,& originale,remiſſa, redeant per ſubſequens peccatum mortale. Cui reſpondet, quoad hoc eandem eſſe rationem de his, & de mortalibus,quia ſimpliciter non redeunt, aggrauãt autem ingratitudinem peccati poſterioris, & ideò ſecundùm quid*

Secunda. *redeunt:neque in hoc occurrit ſpecialis difficultas. Secunda quæſtio eſt, an per venialia peccata ſubſequentia redeant aliquo modo peccata remiſſa. Et reſpondet D. Thomas, nec ſimpliciter,nec ſecundùm quid redire, & loquitur generaliter de quibuſuis peccatis priùs remiſſis, ſiue venialia, ſiue mortalia fuerint. Et rationem reddit, quia peccatum veniale non eſt ingratitudo reſpectu Dei, quia non eſt contra Deum, ſed præter ipſum. Quod ſanè non caret difficultate, quam infrà tractabo. Nunc interpretor D.Thomam loqui de ingratitudine ſimpliciter,& de reditu peccatorum, de quo in præcedenti articulo locutus fuerat, qui vel non habet locum niſi vbi interuenit noua macula ſimpliciter,qualis eſt macula peccati mortalis:vel certè poſtulat offenſionem aliquo modo contrariam remiſſioni priùs factæ.Tertia quæſtio eſt,quod ſit maius Dei beneficium,innocentia,an pœnitentia, & quæ ſit maior ingratitudo,cadere ab innocentia,vel cadere poſt veniam prioris peccati.Cui quæſtioni non videtur D.Tho.ſimpliciter reſpondere:& ideò poſteà de ea tractabimus.*

Tertiã.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum.*

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum. Quia ſecundùm magnitudinem peccati eſt magnitudo beneficij, quo peccatum remittitur, & per conſequens magnitudo ingratitudinis, qua hoc beneficium contemnitur. Sed ſecundum quantitatem ingratitudinis, eſt quantitas reatus conſequentis. Ergo tantus eſt reatus, qui conſurgit ex ingratitudine ſequentis peccati, quantus fuit reatus omnium præcedentium peccatorum. 4.d.22. q.1. art.1.q.3.

Præterea,Magis peccat qui Deum offendit,quàm qui offendit hominem.Sed ſeruus manumiſſus ab aliquo domino,reducitur in eandem ſeruitutem, à qua priùs fuit liberatus,vel etiam in grauiorẽ.Ergo multò magis ille,qui contra Deum peccat poſt liberationem à peccato,reducitur in tantum reatum pœnæ,quantum primò habuerat.

Præterea,Matth.18. dicitur, quòd iratus Dominus tradidit eum (cui replicabantur peccata dimiſſa,propter ingratitudinẽ) tortoribus,quoadu ſq; redderet vniuerſum debitum. Sed hoc non eſſet, niſi conſurgeret ex ingratitudine tantus reatus,quantus fuit omnium præteritorum peccatorum. Ergo æqualis reatus per ingratitudinem redit.

Sed cõtrà eſt,quòd dicitur Deut.25.Promẽſura peccati erit & plagarum modus.Ex quo patet,quòd ex paruo peccato non conſurgit magnus reatus. Sed quandoque peccatum mortale ſequens, eſt multò minus quolibet peccatorum priùs dimiſſorum.Non ergo ex peccato ſequenti redit tantus reatus, quantus fuit peccatorum priùs dimiſſorum.

Reſpondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd ex peccato ſequenti, propter ingratitudinem conſurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum priùs dimiſſorum ſuper reatũ proprium huius peccati. Sed hoc non eſt neceſſarium: quia ſicut ſuprà dictum eſt, reatus præcedentium Art.1. huius quæſt.

pecca

peccatorum non redit per peccatum ſequẽs, in quantùm ſequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, ſed in quantùm conſequitur actum ſequentis peccati. Et ideò oportet quòd quantitas reatus redeuntis ſit ſecundùm grauitatem peccati ſubſequentis. Poteſt autem cõtingere, quòd grauitas peccati ſubſequentis adæquetur grauitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non ſemper eſt neceſſe, ſiue loquamur de grauitate eius, quam habet ex ſua ſpecie (cùm quandoque peccatum ſequens ſit fornicatio ſimplex, peccata verò præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, ſeu ſacrilegia) ſiue etiam loquamur de grauitate, quam habet ex ingratitudine annexa. Nõ enim oportet, quòd quantitas ingratitudinis ſit abſolutè æqualis quantitati beneficij ſuſcepti, cuius quantitas attenditur ſecundùm quantitatem peccatorum priùs dimiſſorum: contingit enim quòd contra idem beneficiũ vnus eſt multùm ingratus vel ſecundùm intenſionem contemptus beneficij, vel ſecundùm grauitatem culpæ contra benefactorem cõmiſſæ, alius autem parum, vel quia minùs contemnit, vel quia minùs contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficij: ſuppoſito enim æquali contemptu beneficij, vel offenſa benefactoris, tantò erit grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius. Vnde manifeſtum eſt, quòd non eſt neceſſe, quòd propter ingratitudinem, ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt quòd proportionaliter quantò peccata priùs dimiſſa plura fuerunt, & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecunque ſequens mortale peccatum.

Ad 1. ergo dicendum, quòd beneficium remiſſionis culpæ recipit quantitatem abſolutam, ſecundùm quantitatem peccatorum priùs dimiſſorum. Sed peccatum ingratitudinis non recipit quantitatem abſolutam ſecundùm quantitatẽ beneficij, ſed ſecundùm quantitatem contemptus, vel offenſæ: vt dictum eſt. Et ideò ratio non ſequitur.

In corpore art. Ad 2. dicendum, quòd etiam ſeruus manumiſſus non reducitur in priſtinam ſeruitutem pro qualicunque ingratitudine, ſed pro aliqua graui.

Ad 3. dicendum, quòd illi, cui peccata dimiſſa replicantur propter ſubſequentem ingratitudinem redit vniuerſum debitum, in quantùm quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter inuenitur in ingratitudine ſubſequenti, non autem abſolutè: vt ſuprà dictum eſt. In corpore art.

## COMMENTARIVS.

*RESOLVTIO D. Thomæ, & ratio articuli clariſſima eſt. Ait enim poſſe quidem accidere, non tamen eſſe neceſſarium, vt reatus ſubſequentis peccati ſit adæquatus reatui omnium præcedentium peccatorum remiſſorum, quia in ſua ſpecie & intenſione poteſt eſſe minùs graue quolibet illorum: circunſtantia autem ingratitudinis non ſemper aggrauat ad æqualitatem beneficij. Nam, licèt cæteris paribus quò maius eſt beneficium, eò maior ſit ingratitudo, tamen vbi cætera non ſunt paria, & reſpectu eiuſdem beneficij, & reſpectu minoris, poteſt eſſe maior ingratitudo ex maiori contemptu, vel maiori offenſione, &c. Sic ergo, quamuis ille cui plura, & maiora peccata remiſſa ſunt, ex eo capite grauiùs peccet iterum offendendo benefactorem, quàm cui minora, vel pauciora fuerant peccata remiſſa, non tamen neceſſe eſt, vt tantùm in ea ingratitudine peccet, quantùm priùs offenderat in peccatis dimiſſis, quia poterant eſſe in illis peccatis aliæ circunſtantiæ, vel rationes maiorem grauitatem conferentes, vt per ſe notum eſt: D. Thomas autem optimè conſiderat peccata dimiſſa comparari ſuo modo tanquàm obiectum ad ingratitudinem, quæ admiſcetur in ſubſequenti peccato, & ideò non eſſe comparanda ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm proportionem tantùm: quod etiam Caietanus aduertit. Et de illo principio latiùs ſcripſimus in primo tomo huius tertiæ partis, diſp. 4. agentes de infinitate meritorum Chriſti. In ſolutionibus argumentorum ſolùm occurrebat explicanda parabola Matt. 18. ſed hoc commodiùs præſtabimus in diſputatione ſequenti.*

## ARTICVLVS IIII.

*Vtrùm ingratitudo, ratione cuius ſequens peccatum facit redire peccata priùs dimiſſa, ſit ſpeciale peccatum.*

ADHVC quartum ſic proceditur. Videtur quòd ingratitudo, ratione cuius ſequens peccatum facit redire peccata priùs dimiſſa, ſit ſpeciale peccatum. Retributio enim gratiarum pertinet ad contrapaſſum, quod requiritur in iuſtitia: vt patet per Philoſophum 5. Ethic. Sed iuſtitia eſt ſpecialis virtus. Ergo ingratitudo eſt ſpeciale peccatum. 2. 2. q. 107. art. 2. ad 1. & 4. d. 22. q. 1. art. 3. q. 3. Lib. 5. c. 5. nõ remotè à princip. to. 5. Lib. 2. de inuentio. fol. 4. ante finem libri.

Præterea, Tullius in 2. Rheto. ponit, quòd gratia eſt ſpecialis virtus. Sed ingratitudo opponitur gratiæ. Ergo ingratitudo eſt ſpeciale peccatum.

Præterea, Specialis effectus à ſpeciali cauſa procedit. Sed ingratitudo habet ſpecialem effectum, ſcilicet quòd facit aliqualiter redire peccata priùs dimiſſa. Ergo ingratitudo eſt ſpeciale peccatum. Art. 2. huius quæſt.

Sed contrà, Illud quod conſequitur omnia peccata, non eſt ſpeciale peccatum. Sed per quodcunque peccatum mortale aliquis efficitur Deo ingratus: vt ex præmiſſis patet. Ergo ingratitudo non eſt ſpeciale peccatũ.

Reſpondeo dicendum, quòd ingratitudo peccantis quãdoque eſt ſpeciale peccatum: quandoque autem non, ſed eſt circunſtantia generaliter conſequens omne peccatũ mortale,

Libr.5.c 2. non remotè à princ.to 5.

tale, quod contra Deũ cõmittitur. Peccatũ enim ſpeciem recipit ex intentione peccantis, vnde, vt Philoſ. dicit 5. Ethic. ille qui mœchatur, vt furetur, magis eſt fur, quàm mœchus. Si igitur aliquis peccator in contẽptum Dei & ſuſcepti beneficij, aliquod peccatum cõmittat, illud peccatum trahitur ad ſpeciem ingratitudinis. Et hoc modo ingratitudo peccantis, eſt ſpeciale peccatum. Si verò aliquis intendens aliquod peccatum committere (putà homicidium, aut adulterium) non retrahatur ad hoc propter hoc, quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit ſpeciale peccatum: ſed trahetur ad ſpeciẽ alterius peccati, ſicut circunſtãtia quędã.

In li de nat. & gra. c.29. tom.7.

Vt autẽ Aug. dicit in libro de Natura & gratia, non omne peccatum eſt ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemnitur in ſuis præceptis. Vnde manifeſtum eſt, quòd ingratitudo peccãtis quandoq; eſt ſpeciale peccatum, ſed non ſemper. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. Nam primæ rationes concludunt, quòd ingratitudo ſecundùm ſe ſit quædam ſpecies peccati. Vltima autem ratio cõcludit, quòd ingratitudo ſecundùm quòd inuenitur in omni peccato, non ſit ſpeciale peccatum.

## COMMENTARIVS.

RESPONDET *D. Thomas, ingratitudinem non eſſe ſpeciale peccatum, neque addere malitiam ſpecie diſtinctam à malitia peccati cui adiungitur, niſi ſit directè intenta à peccatore, volente Deum offendere in contemptum eius. Cuius aſſertionis nullam aliam probationem adducit, niſi quia peccatum recipit ſpeciem ex intentione peccantis. Quod principium nudè ſumptum, non videtur rem concludere, quia quoad malitiam ſæpe ſumit actus aliquam ſpeciem præter intentionem peccantis, quanuis non præter obligationem, & voluntatem, ſaltem indirectam. Et ideò cum hoc principio coniungenda eſt alia propoſitio, quam D. Thomas* D *tacitè præmittit, ſcilicet, ingratitudinem hanc eſſe circunſtantiam generalem conſequentem omne peccatum mortale: nam huiuſmodi circunſtantiæ, niſi ſint ſpecialiter intentæ, non dant ſpeciem, vt poſteà dicemus.*

## DISPVTATIO XIII.

### *De perfectione effectus pœnitentiæ, eò quòd irreuocabilis ſit, & abſoluta peccatorum remiſſio.*

IN hac quæſtione 88. non explicauit D. Thomas nouum pœnitentiæ effectum, ſed perpetuitatem potiùs, & immutabilitatem remiſſionis peccatorum, quam per hoc declarauit, quòd illa peccata propriè, & per ſe redire ampliùs non poſſunt: nam ſub illis verbis diſputant hanc quæſtionem cæteri Theologi cum Magiſtro in 4.d. 22. & Iuris interpretes cum Gratiano d.4. de Pœnitentia, & Expoſitores Euangelij Matthæi 18. Quia verò D. Thomas diſtinxit debitum ſimpliciter, & ſecundùm quid, quæ in Commentario explicata reliquimus; de illis ſigillatim & ſuo ordine dicemus. Et, quia in peccato ſunt duo formaliter, vel ratione diſtincta, ſcilicet, culpa ſeu macula propria, & reatus pœnæ, de quibus eſſe poteſt diuerſa ratio, vel de facto, vel ſecundùm potentiam Dei abſolutam, ideò hæc etiam in diſputatione ſeparabimus.

Magiſt. Gratian.

## SECTIO I.

### *Vtrùm peccata remiſſa per pœnitentiam, in ſe ac formaliter redeant quoad culpam, propter ſubſequens peccatum mortale.*

OMITTO errorem hæreticorum, qui dixerunt hæc peccata redire vel in reprobis, vel etiam in aliis, quia non fuerunt verè & in re ablata, ſed recta (vt ipſi aiunt) ſeu rata, non radicitùs euulſa, nam iuxta hunc errorem reuerà peccata non redeunt, ſed permanent, licèt ad tempus Deus ea diſſimulet, vel non imputet. Nos autem ſupponimus id, quod de fide eſt, peccata verè & abſolutè tolli ac deſtrui cùm remittuntur: hoc enim probant omnia, quæ de prędicto effectu hactenus diximus. Idemque definit Concilium Tridentinum, ſeſſ.5.6. ac 14. & in materia etiam de charitate & gratia illi errores latiùs impugnantur.

1. Error hæreticorum.

Concluſio de fide.

Conc. Tr.

Stante igitur hac fidei veritate, aliqui Catholici dixerunt, peccata remiſſa iterum redire per ſubſequens peccatum mortale. Ita tenuit Hugo Victorinus lib.2. de Sacramentis, p.14.c.9. & Gratianus d.4 de Pœnit. in principio. Magiſter autẽ dict.d.22.cap.vlt. non audet iudicium ferre contra hanc ſententiam, Medina etiam Codice de Pœnitẽtia, tract 1.q.8. conatur ſoluere argumenta contra illam. Fundamentum ſumitur ex illa parabola Matth.18. illis verbis. *Omne debitum remiſi tibi, quia rogaſti me:* & tamen poſteà ſubditur, *Non exeat inde, donec ſoluat vniuerſum debitum*, ſcilicet, propter peccatum non miſerendi ſui debitoris. Ex quo loco ait Auguſt. li. 1. de Baptiſmo paruulorum, cap.12. & 13. euidenter colligi, peccata remiſſa aliquando redire: & lib.3. de Baptiſmo, cap.13. & ſermone 15. de verbis Domini, cap. 6. eundem locum exponens, ait, *Si non dimiſeris, reuocabo te: & quidquid tibi dimiſeram, replicabo.* Et multa ſimilia ex Ambroſio, Gregorio, & aliis congerunt Gratianus ſuprà, & Abulenſis Matth.18. quæſt.140. & ſequentibus. Et videri etiam poſſunt Patres circa eundem locum.

2. Quorũdam ſententia. Hug. Vict. Gratian. Magiſt. Medin. Fundamentum ex Scriptura. Matth.

Auguſt.

Abulen.

Ratio autem eſſe poteſt, quia non repugnat peccatum remiſſum redire vt Scotus, Gabriel, & alij fatentur dict.d.22. Nam potuit veluti ſub ea conditione remitti: peccatum autem ſubſequens dignum eſt huiuſmodi pœna, vel effectu: ergo veriſimile eſt ita eſſe rem hanc ſtatutam ex lege Dei. Confirmatur primò, quia in remiſſione peccati duo fiunt propter pœnitentiam: datur enim gratia, & remittitur peccatũ: ſed gratia ſub ea cõditione datur, vt tollenda ſit propter ſubſequens peccatum mortale: ergo & è contrario ita peccatum tollitur, vt propter eandem cauſam rediturum ſit. Confirmatur ſecundò, quia merita per peccatum mortificata, redeunt per ſubſequentem pœnitentiam: ergo & è conuerſo demerita per pœnitentiam ablata, redeunt per ſubſequentem culpam: quia peccatum ex ſe non eſt minùs efficax ad malum inferendum & reuocandum, quàm pœnitentia ad bonum.

3. Ratione ſua detur.

### *Culpas remiſſas nunquàm formaliter redire, Vera ſententia.*

NIHILOMINVS dicendum eſt, Culpas remiſſas formaliter, & in ſe nunquam redire, quantumuis

D. Tho. Albert. Bonau. Richar. Scotus. Gabr. Altisiod. Medin. Pet. Soto. Soto. Gela. Pa.

tumuis noua peccata multiplicentur. Hæc est sententia D. Thomæ, quam omnes Scolastici secuti sunt d. 22. Albertus art. 5. Bonauent. art. 1. q. 1. & 2. Richard. art. 1. q. 2. & 3. Scotus, Gabriel, & alij, Altisiodorensis lib. 4. Summæ, tract. 6. cap. 6. q. 1. Medina suprà qu. 9. Petrus Soto lect. 7. de Pœnit. Soto d. 16. Et videtur res certa. Eamque docuit expressè Gelasius Papa, quem Gratianus refert c. vlt. de Pœn. d. 4. Vbi sic inquit. *Diuina clementia peccata semel remissa in vltionem iterum redire non patitur.* Vbi formaliter quidem loquitur de pœna: tamen à posteriori, & à fortiori, idem concluditur de culpa: nam, si culpa rediret, Deus illam impunitã non relinqueret. Et hoc modo confirmant hanc veritatem alia, quæ ex Patribus Gratianus suprà congerit, & in sequẽti sect. attingemus. Imò eodem mo-

Ezec. 18.

do probari potest ex illis verbis Ezech. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, scilicet post condignam pœnitentiam. Fateor tamen, hoc testimonium præcisè sumptum non conuincere, posset enim aliquis exponere illam promissionem fieri sub conditione, *si perseuerauerit in iustitia.* Nam ibidem de iusto dicitur, si ceciderit à iustitia sua, omnium operum eius non esse futurã memoriam: quod tamen sub conditione simili intelligendum est, scilicet si ita ceciderit, vt non resurgat, vt latiùs disputatione sequenti dicemus. Sed licèt ex forma verborum testimonium non conuincat, tamen iuxta materiam subiectam non potest illo modo intelligi, quia illa verba, *Non recordabor amplius*, significant ita remitti talia peccata per pœnitentiam, vt iam moraliter non maneant, neque in ipso homine, neque, vt ita dicam, in acceptatione, seu potiùs indignatione Dei: vnde fit, vt nullo modo redire possint.

5. Ratione probatur.

Quod ratione ita ostenditur, quia malum culpæ non potest à solo Deo fieri, ergo neque potest à solo Deo reproduci, nam reproduci est de nouo iterum fieri: sed quando homo iterum peccat, post peccata remissa ipsa homo non facit, neque committit priora peccata, sed aliud nouum ab eis distinctum: ergo priora non redeunt per actionem ipsius hominis: deberẽt ergo redire per actionem solius Dei. Dicet aliquis, per se quidem non fieri, neque à Deo, neque ab homine, sed quasi resultare & consequi ex noua actione peccaminosa hominis. Sicut quando infans concipitur, incipit in eo esse peccatum originale, non per propriam actionem Dei, neque per se per actionem hominis, sed vt resultans ex tali generatione. Sed hoc intelligi non potest, quia peccatum subsequens ex se, & vi sua non affert secum præcedentia peccata, vt per se notum est: neque etiam in virtute præcedentium peccatorum, quatenus commissa fuerunt, quia iam illa prorsus ablata & deleta fuerunt, & peccatum subsequens nullo modo illa cõtinet, neque est veluti virtus ab eis relicta ad ea reproducenda: nõ ergo hoc facere potest, vel physicè, vel moraliter. Neque etiam per accidens, seu remouendo prohibens, quia oportet illa peccata adhuc durare moraliter, aut de nouo fieri per aliquam voluntatem, quæ non potest esse diuina, cùm Deus non sit causa peccati: neque etiam humana, quia nõ iterum illa cõmittit. Et ideò non est simile de peccato originali: nam illud non dicit respectum ad actum voluntatis eius, qui illud contrahit, sed ad peccatum Adæ, quod nunquàm fuit plenè & efficaciter ablatum, vt fuit peccatum totius naturæ, sed tantùm vt fuit peccatum personæ.

Obiect.

Solutio.

6. Paulus.

Solet etiam hoc confirmari ex illo ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*: hoc enim testimonio vtitur D. Thom. hîc art. 1. in arg. *Sed contrà.* & omnes Scholastici; & est efficax, supppsitis, quæ diximus in commentario illius artic. quòd remissio hæc absolutè concessa, talis effectus est, vt iam non pendeat ex humana voluntate, sed ex solo decreto Dei, quod mutari non potest. nã in hoc sensu dicuntur dona Dei esse *sine pœnitentia.* Quin potiùs non solùm ratione immutabilitatis, sed etiam ratione talis materiæ, seu effectus repugnat in hoc mutari diuinũ decretum. Vt inter homines, si creditor absolutè dimisit debitum alteri, licèt posteà eum possit remissionis factæ pœnitere, & velit remissionem retractare; non tamen poterit id efficaciter consequi, vel alium iterum debitorem constituere, quia non est talis ille effectus, vt sola eius voluntate fieri possit. Sic ergo, præter immutabilitatem Dei, licèt per impossibile in aliis rebus posset Deus mutare suum decretũ absolutum; in hoc non posset, quia talis est ille effectus, scilicet, destructio peccati, vt oppositum eius, scilicet, esse in peccato, non possit fieri per solam Dei voluntatem. Hæc verò omnia procedunt suppositа absoluta remissione peccati prout nunc fit, Dubitari tamen posset, an de potentia absoluta posset peccatum aliter remitti sub tali modo & conditione, vt per subsequens peccatum rediret quoad eandem culpam. Et de hoc dicemus statim.

## *Parabolæ Matthæi 18. fit satis.*

AD parabolam Matthæi 18. respõdere vno verbo possumus, ibi non esse sermonem de reditu culparum, de quibus loquimur: sed pœnarum, de quibus nunc non agimus. Sed ne oporteat iterum ad illam parabolam redire, seruanda in primis est regula Chrysost. homil. 48. & 65. in Matthæum, in parabolis præcipuè attendẽdum esse finem à Christo Domino in vnaquaque intentum: singula autem verba, vel non esse semper accommodanda tanquàm pertinentia ad finem parabolæ, vel non semper afferri, vt absolutè probetur factum, quod in parabola proponitur, sed solùm vt per quandam analogiam declaretur quod intenditur. Exemplum inter alia est de villico iniquitatis Luc. 16. vbi dicitur laudasse dominum villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset: cuius non est sensus, quòd laudauerit factũ, sed artificium, & solertiã, quam Christus proposuit, non vt illam imitemur in tali materia, sed in altiori, & honestiori. Sic ergo in prædicta parabola admittere possumus Regem illum exegisse à seruo omne debitum quod antè dimiserat, propter crudelitatem in conseruum, non tamen propterea indicat se approbare factum, sed indignationem contra fraternum odium. Neque etiam significat Deum exigere à nobis debita remissa propter simile peccatum, quia non oportet quoad omnia accommodare parabolam; sed solùm quoad hoc, vt intelligamus Deum maximè habere odio huiusmodi peccatum, & ratione illius prouocari, vt ampliùs hominis non misereatur, sed ab illo rigorosè exigat omne debitum, quod in illo inuenerit, siue illud contractum sit per ipsummet peccatum non miserendi proximi, siue propter ingratitudinem cum illo coniunctam, siue propter subsequentia peccata, quæ interdum plura multiplicantur, denegante Deo suam misericordiam, & speciale auxiliũ propter illam ingratitudinem in Deum, & crudelitatem in proximum. Et iuxta hunc sensum conclusio, & quasi argumẽtum à fortiori parabolæ erit. Si Rex ille exegit à seruo suo priora debita, iam non verè debita, sed remissa, multò magis Pater meus exiget à vobis vera debita, si non remiseritis fratribus vestris.

7. Regula Chrysostomi de parabolis interpretandis.

8.

Atque hæc expositio videtur mihi satis facilis, & accommodata, quanuis non communis, nec simpliciter necessaria. Quia etiam in parabola non dicitur, Regem illũ exegisse à seruo illud idem debitũ, quod mise

miserat, sed absolutè, *Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum*: quod potest intelligi de debito denuò contracto per nouam ingratitudinem, & immisericordiam circa conseruum suum, quæ etiam in quandam iniuriam ipsius Regis redúdabat. Maximè autem loquitur Scriptura, & Christus Dominus de hoc debito tanquàm de eodem, quia respectu Dei secúdú substantiam idem debitum æternæ pœnæ contrahitur; & gehennæ ignis, & maximè priuationis beatitudinis, & amicitiæ diuinæ, & quoad culpam incurritur eadem auersio à Deo. Et quanuis hoc verum sit de quocunque peccato mortali post remissionem aliorum cõmisso, tamẽ specialiter hoc declarauit Christus Dominus de peccato immisericordiæ: tum, vt ostenderet illud esse peccatum mortale, quod fortasse nõ facilè homines crederent: tum etiã vt exaggeraret quantùm illud abhorreat. Sicut Matth. 25. in finali sententia solùm proponuntur peccata contra misericordiam, propter easdem causas, quanuis non minùs sint punienda alia peccata. Addunt denique D. Tho. hîc, & omnes Scholastici, peccata priùs remissa quodammodò puniri in superueniente peccato, propter circunstantiam ingratitudinis, ex qua grauius redditur ratione præcedentis remissionis. Nam licèt hoc etiam commune sit omnibus peccatis cõmissis post remissionem aliorum, maximè tamen id accõmodatur peccato immisericordiæ proximi propter causas dictas, & quia specialem formã ingratitudinis continet, vt D. Thom. art. 3. declarat.

Matth.

Ad Patres eadem accõmodanda est responsio. Nã Augustin. qui obscuriùs loqui videtur, euidẽter loquitur de reditu peccatorú quoad carẽtiã gratiæ, & reatum æternæ dãnationis: vnde interdũ ait redire dissimilia peccata, scilicet schisma, hæresim, & cætera: interdũ similia, quæ vocat eadẽ, non quia eadẽ numero iterum imputentur, sed quia similia iterũ cõmittuntur, vel virtute per ingratitudinẽ, vel formaliter, permittente Deo, & quasi deserẽte, vt supra dicebamus. Hoc enim modo sæpe replicantur peccata priora, dũ Deus negat superabundans auxiliũ ad cauẽda illa. Quod tamẽ nõ est ita intelligendũ, vt Deus semper neget hæc auxilia propter huiusmodi peccata, neque etiam quòd deneget misericordiam, & remissionem illius peccati, si post illud homo iterum conuertatur: sed quòd speciali ratione peccatũ illud mereatur denegationem diuinę misericordię, vel auxilij: ideoque sæpe contingat hominem propter hãc causam damnari, & à Deo relinqui. Sic etiam intelligendum est quod Chrysostomus ait hom. 62. in Matthæum, *Charismata irreuocabilia propter hanc malignitatem reuocari*: & quod ait Hilarius Canone 18. *per hoc vitium munificentiam Domini amitti*: non enim hęc dicuntur, eò quòd priora debita, formaliter loquendo, imputentur, sed quia homo incidit in similia, & in speciale odium Dei, vt declaratum est.

9. Patres explicantur.

Chrysost. Hilar.

Ad rationem respondetur primò, etiamsi ille reditus peccatorum esset possibilis de potentia absoluta, non tamen de lege, nec esse consentaneum diuinę liberalitati. Secundò dicitur, supposito modo remissionis peccati, quem Deus nunc seruat, omninò repugnare, vt illa peccata redeant quoad culpã, vt probat ratio qua confirmaui conclusionem. Aiunt verò Scotus, Gabriel, Almainus, & alij potuisse Deum remittere peccatum alio modo, scilicet, non absolutè, sed conditionatè, scilicet, *Nisi iterum peccaueris*: & tunc, posita contraria conditione, peccata illa fuisse reditura. Sed hi Auctores solùm loquuntur de reatu pœnæ æternæ: de quo certè id probabile est, vt ex sequenti sectione magis constabit. Ipsi tamen non distinguunt culpam habitualem ab hoc reatu, & ideò tunc consequenter aiunt culpam redire.

10. Ratio in cõtrarium enodatur.

Distinguendo autẽ culpam à reatu, vt verè distinguenda est, non potest satis intelligi ille modus remissionis culpæ, si verè in præsenti ita tollitur culpa, vt homo simpliciter maneat iustus, & moraliter rectus: necesse est enim vt talis culpa, quæ iam physicè transierat, moraliter etiá destruatur: & ideò arbitror fieri non posse, vt talis culpa in ratione culpæ redeat: quod magis patebit ex sect. sequenti. Dicet aliquis, saltem posse redire per commissionem eiusdem numero peccati. Respondetur primò, id esse impertinẽs quia hîc non agimus de reditu peccati ex noua commissione, sed ex vi præcedentis, quæ remissa fuit. Et deinde, licèt in aliis actionibus miraculosè fieri possit vt eadẽ numero redeat, tamen in actionibus peccaminosis illud miraculum nec necessarium, nec conueniens est, nec videtur decens diuinam bonitatem. Et prætereà illo posito, quanuis actio illa physicè esset eadem, tamen moraliter illa actio bis repetita, quoad iniuriam & demeritum perinde se haberet, ac duo peccata numero distincta.

11. Obiectio soluitur.

Ad primam confirmationem negatur similitudo, quia gratia per pœnitentiam data, non infunditur vt absolutè perpetuò duratura; sed quãtùm est ex parte Dei: ex parte verò hominis quandiu non posuerit obicem conseruationi eius: hoc autem obstaculo posito, Deus ipse potest suspẽdere suum influxũ, & potest esse auctor priuationis gratiæ, quæ secundùm se sumpta, pœna quædam est. Similiter ad secundã cõfirmationẽ negatur similitudo, quia merita nõ prorsus delentur per peccatum subsequens, sed manẽt in acceptatione diuina; peccatumque solum impedit, quandiu est, effectum eorum, vt infrà latiùs dicetur.

12. Soluitur prima confirmatio. Soluitur secunda.

## SECTIO II.

### *Vtrùm peccata remissa, propter peccatum subsequens redeant, saltem quoad pœnam.*

1.

DVPLEX modis intelligi potest pœnam peccati remissi redire: primò materialiter tantùm, secundò formaliter. Formaliter dico redire, si eadem pœna propter illudmet peccatum, quod remissum fuit, imponatur: materialiter autem erit, si eadem quidem pœna inferatur, non tamẽ propter illud peccatum, nec cum habitudine ad illud; sed propter aliud simile, vel æquiualens. Et quoniam peccato respondet & pœna damni, & pœna sensus, de vtraque hoc quæri potest.

### *Nec pœnam damni, neque sensus posse redire formaliter. Assertio 1.*

2.

PRIMO ergo manifestum est ex dictis, neutram ex illis pœnis formaliter redire. Hæc est communis sententia Theologorum cum D. Thom. hîc, & in 4. c. 22. quos cum aliis retuli sectione præced. Et locus Gelasij, quem ibi adduxi, hoc formaliter probat, vt notaui. Locus etiam quem D. Thom. artic. 1. affert ex Augustino, optimus est: reperitur autem apud Prosperum in responsione 2. ad obiectiones Gallorum, *Qui recedit* (inquit) *à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ dimissa sunt, debebatur.* Quæ vltima verba attingunt secundam partem dubitationis statim tractandæ. Et referuntur etiam à Gratiano de Pœnit. d. 4. cap. *Qui recedit*. Omnia denique, quæ ex Scriptura adduximus, hanc etiam veritatem confir

D. Tho.

Prosper.

Cap. Qui recedit.

cõfirmant,nam expressiùs loquuntur de pœna,quàm de culpa:Deum enim recordari peccatorũ metaphoricè idem significat, quod illa punire; promittit autem Deus perpetuam obliuionem eorum peccatorum,quæ semel per pœnitentiam remisit,Ezech.18. *Non recordabor amplius.* Quamuis enim Medina contendat illa verba nõ magis probare de pœna peccatorũ,quàm alia similia de præmio iustorũ,& ex vi & formalitate verborũ ita appareat;tamen ex materia subiecta satis intelligitur diuersum esse sensum verborum,vt suprà tactum est,& latiùs sect.sequenti.

Ezec.18.

3 Locus Nahum 1.expẽditur.

Afferri etiam solent ad hoc confirmandum verba Nahum 1.*Deus non iudicabit bis in idipsum:* ita enim referunt hunc locum Scholastici, & ad hoc confirmandum illo vtuntur. Tamen apud LXX.non ita legitur; sed, *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.* Et sic nullam vim habere videtur hoc testimonium; quia Deus non vindicabit peccata, quæ remisit, & ideò,licèt posteà ea puniat,non bis ea vindicabit. Et adhuc iuxta vulgatam lectionem minùs videtur probare hoc testimonium, scilicet, *Non consurget duplex tribulatio.* Et ad literam intelligitur de populo Iudaico, quem Deus afflixerat, tradendo potestati Assyriorum decem tribus: illis autem verbis promittit non permissurum secundam tribulationem, nimirum, quòd aliæ duæ tribus darentur in manus Sennacherib,& Assyriorum. Nihilominùs tamen, quauis ad literam ibi non sit sermo de punitione peccatorum,præsertim in alia vita, hic locus contemnendus non est. Nam diuus Hieronymus illum interpretatur de punitione peccatorum,considerans magis spiritum, & rationem illorum verborum, quàm corticem literæ.Et(quod amplius est) Diuus Cyprianus in sermone de Passione Domini, illa verba accommodat ad rem de qua tractamus, dicens:*Eos,qui vitæ suæ quocunque articulo temporis veri sunt iudices, non iterum iudicari: quia,cùm iudicis, & tortoris vices,sibi non parcens, peccator assumit,semet ipsum persequens,dum confessionem confusione honorat,holocausti huius incensio in conspectu Dei veniam impetrat.* Et subdit; *Non enim bis in idipsum iudicat Deus:sed impœnitentes ipse iudicat,& damnat:pœnitentes verò,quia à seipsis suscipit iudicatos,absoluit: neque iudicio, quod pœnitentiæ humanæ seueritas protulit, aliquid iustitia cœlestis apponit.* Vbi Cyprianus,sequens lectionem LXX.perinde reputat dicere,*non iudicabit*, ac,*non vindicabit*,quia sermo est de iudicio vindicatiuæ iustitiæ:deinde pro eodem reputat,*vindicare Deum* & acceptare vindictam, vel satisfactionem à peccatore assumptam,& oblatam, & propter illam remittere culpam,& pœnam æternam,commutando illam in temporalem,vel hanc etiam remittendo,si peccator pro illa satisfaciat. Postquàm ergo Deus hanc vindictam qualemcumque sumpsit,& illa contentus fuit,remittendo, & quasi definitiuam sententiam in illa causa proferendo, nõ iterum iudicat in idipsum, vt puniat hominem propter eadem peccata,quæ semel remisit.Hac ergo ratione probabiliter potest accommodari locus ille.

Hieron.

Cyprian.

4 Ratio à priori assertione.

Ratio tamẽ à priori est suprà tacta,quia Deus non potest retractare suam voluntatem,neque agere contra absolutum suũ decretum:sed per priorem remissionem abstulit simpliciter & absolutè debitum pœnæ:ergo non potest eadem pœna formaliter, id est, propter eadem peccata redire. Quod ampliùs declaratur in hunc modum. Nam, licèt Deus possit illud malũ,quod est pœna,homini inferre, nullo supposito debito ex parte hominis,tamen sub ratione pœnæ non potest,nisi supponatur debitum: at verò, ablata culpa,ablatum est debitum,quia homo non est debitor pœnæ,nisi propter culpã:ergo nõ potest redire illa pœna formaliter,nisi redeat debitum:quod tamen

A B C D E

ostensum est non redire. Dices,Pœna temporalis,quæ post peccatũ remissum relinquitur,iterum fit æterna per subsequens peccatũ mortale,quia nunquã homo pro illa satisfacit, si in tali peccato moriatur, iuxta probabilẽ sententiam D.Thomæ,& aliorũ:ergo propter subsequẽs peccatum redit æterna pœna,quæ remissa fuerat.Respondetur dato antecedente, ex parte Dei nullam nouam pœnã imponi ob peccatum priùs commissum, sed ipsum hominem peccãdo se constituere in eo statu, in quo non possit satisfacere, nec satisfpati:& inde consequi,vt, quandiu ille status durat,duret pœna. Vnde vlteriùs dicitur,quando remittitur peccatum mortale,non omninò absolutè,ac definitè commutari pœnam æternã in temporalem,sed ea lege & conditione, vt talis pœna in statu gratiæ persoluatur, & alioqui tandiu quis indignè patiatur illam,quãdiu dignè nõ satisfecerit:& ideò nihil quod remissum fuerat,redit,sed,quia non impletur conditio sub qua talis pœna temporalis facta est, ideò veluti ad priorem statum homo reuertitur.

Obiect.

Enodatur.

Dices, Ergo potuisset tota pœna damni & sensus sub ea conditione remitti,vt si homo iterum peccet, puniatur propter priora peccata,ac si remissa nõ fuissent.Respondeo,de potentia absoluta nullam in hoc apparere contradictionẽ. In quo bene senserunt Scotus,Gabriel,& alij. Tamen de lege non ita fit,sed absolutè remittitur pœna simul cum culpa,quantùm ad illum reatum qui cum illa tollitur:qua remissione facta,fieri non potest,vt idem reatus formaliter redeat, quia iam homo non est reus illius pœnæ absolutè,& absque vlla conditione, & ideò non potest iterum constitui debitor,nisi per propriam actionem & culpam: hoc enim debitum pœnæ non potest merè ab extrinseco prouenire.

5 Alia obiectio. Soluitur.

---

## *Obiiciuntur nonnulla loca Scripturæ,& Patrum.*

6

CIRCA hanc verò doctrinam nonnullæ obiectiones soluendæ supersunt. Prima sumitur ex nonnullis locutionibus sacræ Scripturæ, in quibus Deus dicitur recordari peccatorũ, quorũ priùs oblitus fuerat,3.Regum 17.*Quid mihi, & tibi vir Dei reuersus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ.* Et Ps. 108.*In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Per hanc autem metaphoram significari videtur,Deum punire peccata quæ remiserat: nã obliuisci peccatorum, nihil aliud est quàm ea remittere:recordari ergo illorũ, est punire:si autem Deus hoc aliquando facit,& falsum est illud esse impossibile, & verisimile est maximè id facere propter subsequens peccatũ. Facit etiam illud Psalm. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Vbi per cicatrices significari videntur peccata remissa,quæ putrescere & corrumpi dicuntur à facie insipientiæ, quando propter peccatum subsequens ad pœnam æternam imputantur. Quod significauit ibi Glossa interlinearis circa præcedentia verba, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*,dicens,*Quia planè per Baptismum sanatæ conputruerunt, & iam peccato consentitur.* Secundò obiiciuntur nonnullæ locutiones Sanctorum,quæ cõgerit Gratianus de Pœnitentia,d.4.cap.1.vsque ad 7.& Magister in 4.d.22.Tertiò obiici potest ratio,quia nõ repugnat peccatum redire integrè,etiam quoad pœnam æternam:sed non est reuelatum,neque sufficiẽti ratione conuincitur, non ita remitti de facto peccata, quin pœna redeat, posita ingratitudine noui peccati:quin potiùs hic videtur melior prouidentiæ modus,magísque consentaneus diuinæ iustitiæ:ergo ita potiùs existimandum est.Maior supponitur ex dictis.

3.Reg.17. Psal.108.

Psalm.37.

Gratian. Magis. Ratio obiici tur.

ctis. Minor declaratur, quia omnia quæ ſcriptura dicit de remiſſione harum pœnarum intelligi poſſunt ſub illa conditione, *ſi iterum non committatur peccatum:* & rationes factæ non probant, remiſſionem non eſſe conceſſam hoc modo, ſed omnes ſupponunt factam eſſe abſolutè, & non ſub prædicta conditione. Quod verò ſit magis conſentaneum diuinæ iuſtitiæ, ex eo apparet, quòd hoc modo peccata iuſtiùs vindicantur: & quia qui Deum offendit, non meretur liberaliorem remiſſionem.

7 Teſtimoniis Scripturæ ſatisfit. Pſ. 108.

Reſpondetur primùm in illis locis nõ eſſe ſermonẽ de ſuppliciis propriis peccatorũ, quæ ſunt pœnæ alterius ſeculi, ſed de pœnis tẽporalibus huius vitæ. Nam in illis verbis Pſal. 108. eſt ſermo de ea pœna, quæ interdũ ſolet dari filiis propter peccata parentũ, quæ pœna tantùm tẽporalis eſt, vt conſtat. Deinde, *Deum obliuiſci peccatorum*, nõ ſemper ſignificat remittere illa quoad illam pœnam, vel effectũ, reſpectu cuius dicitur Deus oblitus talium peccatorũ, quia ſcilicet talem pœnam vel effectũ propter illa non operatur: ſed ſignificat moram quãdam, ſeu diuturnã dilationẽ talis pœnæ: exiſtimatur enim iam quaſi omninò remiſſa, & oblita, quia non executioni mandatur: maximè quando Deus, non obſtantibus peccatis, beneficia confert, & patienter agit, ac diſſimulat, vt aliis locis Scriptura loquitur. Aliud eſt ergo poſitiuè, vt ſic dicam, remittere pœnam: aliud verò non punire. Imò aliquando contingit peccatum eſſe remiſſum quoad culpam, & nõ quoad pœnam temporalem, laborem, & afflictionẽ huius vitæ, licèt multo tempore executio differatur. Quando ergo Sancti poſtulant à Deo ne recordetur præteritorũ peccatorũ, nõ poſtulant, ne puniat peccata iam poſitiuè remiſſa: ſed ne pœnam, quam multo tempore diſtulit, tandem exequatur: nam hoc fortaſſe facit Deus propter ſubſequentia peccata: expectat enim, & differt ſupplicia, vt homines emendentur. Quod ſi nõ faciant, vel emendari incipiant, & nõ perſeuerent, exequitur Deus huiuſmodi pœnam, tam propter præſentia, quàm propter præterita peccata: quia quoad illam pœnam ea non dimiſerat, ſed ſuſpenderat. Atque hoc eſt quod orabat Dauid Pſalm. 78. *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Hoc etiam modo dicitur Deus interdum punire filios propter peccata parentum, vt ſignificatur in verbis citatis Pſalmi 108. quia ſæpe differt huiuſmodi ſupplicia externa, & ſenſibilia etiã vſque ad poſteros, & in eis tandẽ illa exequitur, præſertim ſi filij impietatem parentum imitantur, Deut. 5. Ezechielis cap. 18. & aliis locis.

8 Explicatur teſtimoniũ Pſal. 37. Titelm. Ianſem. Genebr. Auguſt.

Ad illa autem verba Pſal. 37. reſpondetur, ſine fundamento per *cicatrices*, intelligi peccata remiſſa: nam ad literam ſignificãtur vulnera peccatorum, vt exponunt Titelmanus, Ianſenius, & Genebrardus: & Auguſtinus etiam legit, *liuores* alij *tumores*, & *vlcera*, quæ putreſcere dicuntur, quando peccata peccatis adduntur, quæ eſt ſumma inſipientia. Et retinẽdo nomen *cicatricum*, potuerunt ſic appellari peccata inueterata, non quia verè remiſſa, aut ſanata fuerunt, vt bene notauit Auguſtinus, ſed quia exteriori tantùm ſpecie curata, vel tecta fuerũt. Et ideò rectè etiam dicitur, *à facie inſipientiæ meæ*, quia nihil eſt inſipientius quàm de peccato malè curato ſecurum eſſe, & in eo quaſi putreſcere. Deinde, etiamſi demus ſermonẽ eſſe de peccatis remiſſis, per *cicatrices*, intelligi poſſunt reliquiæ peccatorum: de quibus videtur præcipuè locutus Caſſiodorus in illa Gloſſa interlineari: nam in peccato originali, de quo ipſe loquitur, fomes peccati, & paſſiones eius circatrices dici poſſunt, quæ manent etiam poſt illud remiſſum, & putreſcere dicuntur, cùm ad peccati conſenſum hominem pertrahunt propter eius inſipientiam, qui non bene vtitur viribus gratiæ in Baptiſmo ſuſceptis.

9 Reſpondetur teſtimoniis Patrum.

Ad teſtimonia Sanctorum iam ſuprà ex parte reſponſum eſt: multi enim ex illis loquuntur, iuxta ea, quæ diximus circa parabolam de ſeruo nequam & præcipuè intendunt redire peccatorũ pœnam, vel ſecundùm ſpecificam rationem, quia homo incidit in Dei inimicitiam, & amittit gratiam, & fit reus æternæ pœnæ: vel intelligunt aliquo modo redire ſecundùm grauitatẽ præſentis peccati, vt Theologi exponunt. Et priorẽ ſenſum præcipuè indicat Ambroſius ex quo hæc verba refert Magiſter ſuprà, *Donate inuicem, ſi alter in alterum peccat, alioquin Deus repetet dimiſſa.* Sed hæc non inueniuntur apud Ambroſ. ſed in Gloſſa interlineari ad Epheſ. 4. in fine. Quæ piè interpretanda ſunt aliquo ex dictis modis. Verba autem Ambroſij in hoc loco ſunt: *Si Dominus per filiũ ſuum ſeruorum miſertus eſt, quantò magis ſerui ipſi ſui debent inuicem miſereri, & donare, ſi alter in alterum peccet? Hæc præcepta eius ſunt, qui miſeratus eſt, qui, ſi in his contemptus fuerit, ſine dubio reuocabit ſententiam.* Et ita interpretatur parabolam Matth. 18. *Reuocare* autem *ſententiam* in rigore nihil aliud eſt, quàm iuſtitiam priùs collatam auferre. Aliquando verò loquuntur Patres, iuxta phraſim Scripturæ proximè declaratam de reditu peccatorum quoad pœnam, non quidem dimiſſam, ſed ſuſpenſam, nondumque executioni mandatã. Quomodo dicit Auguſtinus citatus à Gratiano ſuprà capite primo ex Enarratione in Pſalmum 108. Si Iudas non fuiſſet parentes ſuos imitatus, non fuiſſe puniẽdum propter peccata parentum, & ſua: quod intelligendum eſt de pœna aliqua huius vitæ, vt diximus, vel etiam quoad aliquam deſertionem, vel denegationem ſpecialis auxilij gratiæ: nam ad hunc etiam puniendi modum interdum hæc pœna extenditur.

10 Quorundã ad rationem reſponſio.

Ad tertium quidam propterea putant omninò repugnare pœnam (præſertim æternam) remitti, ita vt redeat propter eandem culpam: & rationem eius in hoc conſtituunt, quòd homo quãdo iuſtificatur, ſatisfacit ſufficienter Deo pro culpa, & pœna æterna, & ideò per condignam ſatisfactionem ſe liberat à debito pœnæ: ideóque redire poteſt idem debitum, ſed ſolum aliud ſimile contrahi per nouum peccatũ. Quod ſi quis dicat, hoc verum eſſe de iuſtificatione prout nunc fit: reſpondent idem eſſe de qualibet poſſibili, quia vel per illam non fit vera remiſſio peccati, & conſequenter neque eſt vera iuſtificatio: vel, ſi eſt huiuſmodi, neceſſariò mutatur homo intrinſece, & ex debitore fit non debitor pœnæ, quia repugnat, peccatum eſſe ablatum, & manere debitorem eiuſdem pœnæ. Et declaratur in hunc modum: nam, ſi fieri poteſt vt per peccatum ſubſequens redeat reatus eiuſdem pœnæ æternæ: ergo de facto redit, eſtò Deus ex miſericordia nolit hominem punire propter peccatum præteritum. Aliud eſt enim, hominem eſſe dignum pœna, aliud verò Deum illam exequi, & poteſt eſſe illud prius ſine poſteriori: dignitas ergo nunc redibit, qnanuis non redeat pœna: quod ſatis abſurdum eſt. Hæc autem ſequela probatur, quia, vel peccatum ſubſequens eſt ſufficiens vt homo efficiatur dignus tota pœna præteritorum peccatorum, vel non: ſi non, impoſſibile eſt vt illa pœna redeat ſub ratione pœnæ, quia ſine pœnæ dignitate non poteſt pœna infligi, licèt inferatur totum malum, quod poſſet eſſe pœna. Si autem peccatum ſubſequens eſt ſufficiens ad conſtituendum hominem dignum tota illa pœna, id non habet ex Deo, vt ſic dicam, ſed ex natura præcedentium peccatorum, quæ conſtituunt hominem in tali ſtatu & dignitate: ergo idem nunc efficient.

11 Impugnatur ſolutio.

Hæc verò rario, & doctrina ſic declarata, multa ſupponit falſa fundamenta. Vnum eſt, iuſtificationem

nem fieri per condignam satisfactionem pro culpa & pœna æterna ex parte peccatoris: de quo multa dixi in superioribus,& in 1.tom.3.p.& ideò non immoror. Aliud,quod virtute supponitur,licèt non exprimatur,est,contritionem tantam ex se habere vim ad tollendum reatum pœnæ æternæ simpliciter & absque vlla conditione, vt non possit Deus hunc effectum impedire posita contritione, neque aliter illam pœnam remittere. Quod quidem mirabile est,nam, vt suprà argumentabamur,si contritio habet tantam vim, qui fieri potest vt maneat reatus pœnæ temporalis? vel estò maneat, quomodo secunda contritio vt sua totum illud non extinguit? quomodo etiam contritio de peccato veniali non semper delet illud omninò quoad culpā & pœnam? vel potiùs quomodo contritio, quam habet anima discedens cum peccatis venialibus in primo instanti separationis à corpore ita remittit culpam venialem, vt tamen reatum pœnæ non solùm non tollat,verum etiam nec minuat.

12 Atque hæc argumenta ostendūt etiam falsum esse aliud principium ibi insinuatum, idem esse manere dignū pœna,& manere in peccato:nam anima in primo instanti separationis à corpore nō manet in peccato, & tamen manet digna eadem pœna pro culpa veniali remissa.Potest ergo manere homo dignus eadem pœna propter peccatum præteritum iam remissum quoad culpam:ergo eadem ratione posset redire dignitas pœnæ, licèt non rediret eadem culpa quantum est ex vi identitatis, vel distinctionis harum rationum.Prætereà quādo peccati remissio fit sine contritione, per solam attritionem, vel etiamsi fieret (prout posset)per solam infusionem habituum;tunc dici non potest reatum pœnæ tolli per condignam satisfactionem,seu solutionem: cur ergo non posset Deus tunc non remittere absolutè pœnā,etiam æternam,sed tantùm sub conditione?Dicere enim, Deum ita remittere,ac si interceſſisset satisfactio, non satis est,nisi ratio reddatur, cur necessariò ita remittat;nā quòd possit absolutè remittere,non est dubium. Tamē cùm illa remissio sit merè liberalis,nihil est,quod necessariò diuinam voluntatem determinet,vt absolutè remittat,& non sub conditione.

13 Rplica. soluitur. Dici potest,ipsammet gratiæ naturam determinare ad absolutam remissionem. Sed hoc etiam dicitur sine fundamento in ordine ad potentiam absolutam, & maximè quoad remissionem pœnæ.Nam,licèt daremus(quod non concedimus)gratiam habitualē ita excludere culpā mortalē,vt non possit esse simul cum illa,etiam de potentia absoluta:nihilominùs de reatu pœnæ ætetnæ quasi cōditionato,id nō videtur verisimile,cùm talis reatus pœnæ non excludat veram sanctitatem:& intrinsecam rectitudinem,& dignitatem vitæ æternæ secundùm præsentem iustitiam, & consecutionem eius,si homo in ea perseuerauerit.Denique,si homo conditus in puris naturalibus Deum offenderet,posset aliquo medio illi statui accōmodato veniam illius peccati à Deo liberaliter obtinere:tūc autem, nec condignè Deo satisfaceret, nec gratiam infusam reciperet: cur ergo non posset tolli culpa absque pœna, vel saltem sine absoluta remissione eius, cum sola conditionata?

14 Vera solutio de Potentia absoluta. Dico ergo,de potentia Dei absoluta hoc nō repugnare,etiā supposita iustificatione per infusionē gratiæ supernaturalis.Circa quā solùm aduerto quod suprà disp.3.sect.4. notaui,pœnā æternā,quæ nunc destinata est damnatis,habere quandā intrinsecā repugnantiā cum gratia iustificationis,quæ nunc cōceditur in remissione peccatorum:& ideò ex natura talis gratiæ intrinsecè sequi exclusionē illius pœnæ æternæ secūdū præsentē iustitiam:ita vt intrinsecè repugnet homo sic iustificatus,ordinatus maneat ad illam pœnam æternā in sensu cōposito, vt sic dicam,id est, vt eam sustineat,etiāsi in illa iustitia moraliter perseueret.Rursus,quia ipsa gratia natura sua reddit hominem acceptabilem ad vitam æternam, & dignum illa, ideò etiā est connaturale tali gratiæ,& ex natura rei illi debitum, vt excludat reatū,seu ordinationem ad quancunque pœnā æternam,stante,& perseuerāte ipsa gratia,quia nulla pœna æterna esse potest simul cum vita æterna. Nihilominùs tamen de absoluta potentia posset Deus non ordinare hominem sic iustificatum ad vitam æternā cum effectu consequendam,vt per se constat.Et consequenter posset,remittendo culpam mortalem,non remittere omnem pœnam æternam,sed relinquere,verbi gratia,perpetuam carentiam visionis beatæ, quia, vt suprà dixi,in hoc nulla est repugnātia,neque enim hoc opponitur sanctitati, quam gratia confert, ita vt illam formaliter destruat. Vlteriùs etiam posset Deus,quanuis secundùm præsentem iustitiam remittat pœnam æternam cuiuscunque rationis, nihilominùs nō remittere absolutè;sed sub illa conditione, *Nisi me iterum offendas:* quia hoc etiam non repugnat formaliter sanctitati gratiæ, neque alicui attributo diuino, neque aliunde ostendi potest implicatio contradictionis.

15 Quid dicendum de potentia ordinaria. Ex his ergo (descendendo ad hanc remissionem, prout de facto fit)intelligitur, remissionem pœnæ æternæ,quæ nunc est præparata dānatis,esse quidem beneficium gratiæ,maximè tamen intrinsecum ipsi, & remissioni culpæ,saltem secundùm præsentem iustitiam seu sub conditione persistendi in illa.Idemque est de remissione cuiuscunq; pœnæ æternæ,quāuis non cum tam intrinseca cōnexione,& repugnantia, sed quasi in secundo ordine. Et ideò quoad hæc duo sufficienter probatur talis remissio ex ipsa natura gratiæ, & ex testimoniis Scripturæ, quibus constat Deum acceptare iustum ad vitā æternam iuxta exigentiam gratiæ,& filiationis diuinæ adoptiuæ.Quòd autem hæc remissio æternæ pœnæ de facto sit absoluta, & non tantùm secundùm præsentem iustitiam est quidem consentaneum ipsi gratiæ, minùs tamen intrinsecè connexum cum illa: & ideò magis dici potest nouum beneficium gratiæ pendens ex speciali voluntate Dei: & hoc probant omnia quæ adduximus. Quo tandem fit, vt probatio huius beneficij maximè petenda sit ex reuelatione, per quam nobis solet voluntas Dei manifestari: & ad hoc faciunt testimonia Scripturæ,Pontificum & Patrum suprà adducta, & communis sensus & traditio totius Ecclesiæ.Potestque ita declarari, nam ex his omnibus habemus,æternam pœnam verè remitti in iustificatione:remissio autem sub conditione reuerà non est remissio,sed quædam suspensio,donec impleatur conditio. Et hoc modo adiungitur optimè congruentia ex natura gratiæ, & charitatis, quæ est constituere amicum simpliciter:& ideò connaturalis illis est talis remissio absoluta æternæ pœnæ.

## *Qualis pœna materialiter redeat. Assertio 2.*

16 SECVNDO, quod attinet ad materialem reditū eiusdem pœnæ, certum est aliquando redire eandem, vel potiùs similem pœnam,& aliquo modo dissimilem.Hoc facilè declaratur in pœna sensus,eadem enim secundùm speciem respondet vel omnibus vel pluribus peccatis mortalibus, omnia enim illa puniuntur pœna ignis,quæ quidē eiusdē rationis est, quantū ex proximo instrumēto, & aliis circūstantiis colligi potest:vtrùm enim ille ignis actiones & afflictiones diuersas specie inferre possit, incertū est.Sūt etiam in inferno aliæ pœnæ sensibiles,& alia instrumenta

menta diuinæ iuſtitiæ,quæ varias afflictiones inferũt iuxta proportionem peccatorum. Si ergo ſubſequẽs peccatum ſit omninò ſimile, & æquale peccato remiſſo, materialiter eadem pœna ſenſus redibit & in ſpecie, & in gradu: ſi verò illa peccata ſint ſimilia ſpecie, tamen inæqualia in quantitate, eadem proportione redibit pœna eadem. At verò, ſi peccata ſint etiam ſpecie diſſimilia, fortaſſe quantùm ad aliquam afflictionem priori peccato ſpecialiter proportionatam, nó reſpondebit eadẽ pœna etiã in ſpecie, ſed alia loco illius accómodata ſubſequẽti culpæ, Quorum omniũ vnica eſt ratio, quia pœna debet eſſe proportionata culpæ: & quia iam non punitur culpa prior, quæ remiſſa fuit, ſed tantùm poſterior, quæ ſemper permanet, cuíque pœna eſt accommodata.

17 Oſtenditur in pœna dãni. Duo diſtinguenda in pœna damni.

De pœna autẽ damni ferè eodem modo philoſophandũ eſt: quãuis in hac ſit ſpecialis difficultas propter priuationẽ in qua cõſiſtit. Oportet ergo duo diſtinguere in hac pœna, ſcilicet poſitiuũ, & priuatiuũ. Priuatiuum eſt carentia diuinæ viſionis, deſertio Dei, & negatio omium auxiliorũ ad bene operandũ. Poſitiuum eſt vehemẽs apprehẽſio illius ſtatus, triſtitia, deſperatio, & omnis alia obſtinatio quæ inde naſcitur: quanuis enim hęc ab aliquibus numerentur inter pœnas ſenſus, nihil refert, ſolùm enim ſpectat ad loquendi modũ: & cùm proximè ac potiſſimè comitẽtur dictas priuationes, meritò ad pœnã damni pertinere cẽſentur. Hæc ergo omnia, generatim loquẽdo, eiuſdẽ ſpeciei ſunt in omnibus damnatis, reſpondent enim propriæ auerſioni peccati, quæ eiuſdẽ rationis eſt in omnibus peccatis mortalibus: & ideò quãtũ ad hanc identitatem ſpecificam, eadẽ pœna, quę remiſſa fuerat, redit per ſubſequens peccatũ mortale. At verò quantùm ad gradum in illis omnibus, quæ poſitiua ſunt, non redit eadem ſeu æqualis, quia peccata non ſemper ſunt æqualia, & in illis poſitiuis facilè poteſt magis & minùs inueniri. Reſpondet ergo iuxta proportionẽ peccati. Et hactenus conueniunt Theologi.

18 Quorundã opinio de pœna damni quoad priuationem. Dur. Palud. Capreol. D. Bona. Media. D. Thomas.

Diſſentiunt verò quantùm ad pœnam damni priuatiuam. Quidam enim dicunt redire tam in ſpecie, quàm in gradu. Ita Durand. Palud. Capreol. & Bonauentura in 4. diſt. 22. & Medin. tract. 1. de Pœnit. q. 8. Fundamentum eſt, quia illa pœna non poteſt recipere magis & minùs, ſed eſt ſemper ſumma, quæ eſſe poteſt, quia conſiſtit in totali priuatione: priuatio autem totalis non ſuſcipit magis & minùs, vt docuit etiã D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 2. & q. 82. art. 4. & 5. Nam totum eſſe priuationis eſt excludere formam oppoſitam, ergo, ſi totam omninò excludit, eſt maxima priuatio, quæ eſſe poteſt: ergo ſolùm per admiſtionem alicuius gradus formæ poteſt illa priuatio ſuſcipere magis, vel minùs: in damnatis autem nulla eſt talis admiſtio formæ contrariæ.

19 Aliorum opinio. Abul. Sup. Gab. Maior. Scot. Almain. Soto. Ledeſm. Viguer.

Alij docẽt hanc pœnam non ſemper redire æqualem, ſed iuxta proportionem culpæ. Ita tenuit Abulenſ. Matth. 29. quæſt. 639. 640. & ſequẽtibus. Supplementum Gabrielis in. 4. d. 44. q. 3. art. 1. & d. 50. q. 2. & Maior ibi q. 2. & ſignificat Scotus poſt quæſtionẽ 6. §. *Ad primam quæſtionem.* & Almain. in Moralib. tract. 1. c. 29. Soto in 4. d. 16. q. 1. art. 1. Ledeſma q. 29. art. 1. Viguerius in Sũma, c. 6. §. 4. verſ. 35. Fundamentum eſt, quia, cùm hæc ſit potiſſima, & quaſi eſſentialis pœna inferni, videtur eſſe contra ordinem diuinæ iuſtitiæ, vt æqualis redeat, ſi culpa non eſt æqualis. Et non eſt dubium, quia ratio conuincat, ſi pœna illa eſt capax inæqualitatis; quòd autem huiuſmodi ſit, generali ratione oſtendi poteſt, quia in auerſione eſt inæqualitas, quamuis in priuatione conſiſtat: ergò etiam poterit eſſe in illa pœna. Item iuxta doctrinam D. Thomæ hîc, quamuis macula peccati mortalis includat totalem priuationem gratiæ: nihilominùs in ea poteſt eſſe aliqua diuerſitas per reſpectum ad peccata, quibus cõtrahitur: ergo poteſt etiam illa macula eſſe moraliter inæqualis per reſpectum ad maiora, vel minora, plura, vel pauciora peccata: ergo idẽ dicendum eſt de pœna damni. Modus autem huius inæqualitatis variè à dictis Auctoribus explicatur.

20 Variis modis explicatur inæqualitas pœnæ damni. Prior modus.

Quidam aiunt, carentiã diuinæ viſionis, licèt in eſſe negationis ſit eadẽ in omnibus, tamen in eſſe priuationis eſſe inæqualem. Priorem partẽ probat ratio prioris ſentẽtiæ. Dicitur autẽ illa negatio, quia ſolùm reſpicit abſolutè naturã hominis, ſeu capacitatem remotam, non tamen proximã, quæ eſt per merita. Vnde propriam rationẽ priuationis dicitur habere illa carentia, quãdo eſt negatio viſionis iã debitæ per merita præcedentia. Et quia in his meritis poteſt eſſe inæqualitas, ideò etiã erit in illa carentia, quatenus priuat viſione debita maioribus, vel minoribus meritis.

21 Reiicitur.

Hæc verò ſententia defendi non poteſt, primò quia ſequitur, non eum, qui plus peccauit, ſed eum, qui poſt maiora merita peccauit, habere maiorẽ pœnam damni. Conſequens eſt cõtra rationem iuſtitiæ: nam grauitas pœnæ reſpondet culpæ grauitati, non meritis præcedentibus: ergo, Sequela patet, quia fieri poteſt, vt homo poſt multa merita ratione quorum habebat ius ad magnam gloriam, vnum leue peccatum mortale committat, & totam gloriam perdat: alius verò, vel nihil, vel parum meruerit in vita, & propter magna, & grauiſſima peccata damnetur: ergò hic poſterior habebit minorem carentiam viſionis in ratione priuationis, & conſequenter maiorẽ pœnam damni, cùm tamen ſupponatur habere graviora peccata. Vnde ſecundò deficit illa opinio, quia conſiderat id, quod accidentarium eſt ad rationem, & grauitatem pœnæ. Quid enim ſi nulla merita præceſſerunt, & peccata nihilominùs inæqualia ſunt? Denique ex illa opinione ſequitur, per ſubſequens peccatum ſemper redire totam priorem pœnã damni, quia ſemper ratione illius peccati priuatur homo tota viſione debita præcedentibus meritis, ſuppoſito quòd priùs habuerit merita, & poſt illa remiſſionem alicuius peccati, quod priuatione viſionis debitæ, præcedentibus meritis puniendum eſſet: nam hæc priuatio per pœnitentiã ſubſequentem, & remiſſionem conceſſam propter illam iam fuerat ablata, ſaltem in radice, ſeu in debito eius: quoties autem homo poſteà peccat, ſemper redit illa priuatio, quia ſemper priuatur homo viſione debita illis meritis. Imò quãuis homo nihil anteà peccaſſet, ex ſolis meritis præcedentibus aggrauaretur illa pœna, iuxta quantitatem eorum, & non iuxta grauitatem peccati: quod valdè abſurdum eſt.

22 Secunda explicatio Almain. Refellitur.

Aliter ergo reſpõdet Almainus, priuationem illam in eſſe priuationis ſemper eſſe æqualem, tamen in eſſe pœnæ eſſe inæqualẽ. Et huius rationẽ eſſe ait, quia infertur propter maiorẽ vel minorem culpam. Sed hoc non videtur ſufficiens ad conſtituendã maiorem, vel minorem pœnam: nam pœna nõ ideò eſt maior, quia datur propter maiorem culpam, ſed potiùs è conuerſo, quia ipſa maior eſt, ideò datur propter maiorẽ culpam. Nam in pœna duo conſiderantur: vnum eſt illud incommodum naturæ ſeu priuatio boni, in qua conſiſtit: alterum eſt reſpectus ad culpam. Primum ſupponi debet in ipſa pœna ſecundum ſe: & illud eſt propter quod ob culpam imponitur: ergo, vt ſit etiam maior pœna & proportionata maiori culpæ, ſupponi debet in ſe eſſe maius malum, vel incommodum. Quod ſic ampliùs declaratur, quia in pœna, quæ eſt propter culpam, duo poſſunt conſiderari. Vnum eſt quaſi extrinſecum, quod eſt dedecus, ignominia, & inhonoratio: aliud eſt intrinſecum incommodum, ſeu detrimentum, quod in pœnam

nam infertur. Idem ergo incommodrm illatum propter plures, vel grauiores culpas dici potest habere maiorem quandam rationem pœnæ sub priori ratione, quia est maius dedecus & ignominia: pœna autē damni, vt sic, non consistit in dedecore, sed in intrinseco incommodo & detrimento: ergo vt sit maior, non est satis illa relatio ad plures culpas. Et confirmatur, quia aliàs, etiam in pœna sensus, possent omnia peccata puniri eadem & æquali actione ignis, quia, licèt in suo esse haberet æqualitatem; in ratione pœnæ esset inæqualis, quia daretur propter maiorē, vel minorem culpam: quod est omninò falsum: & exemplis etiam sensibilibus in humanis pœnis id facilè intelligi potest. Ac denique à cōtrario, quia præmium non est maius ex hoc præcisè, quia datur propter maiora merita: aliàs possent omnes Beati esse æquales in visione, & nihilominùs inæquales in essentiali præmio. De quo latiùs in Relectione de reuiuiscentia meritorum, disput. 2. sect. 1.

23 Ledesmæ enodatio. Ideò aliter respondet Ledesma, illam carentiam æqualem esse in ratione priuationis; tamē in ratione pœnæ esse inæqualem, quia magis affligit, & contristat; pœna autem in ratione pœnæ videtur constitui quatenus afflictiua est. Sed inquiram vlteriùs, vnde proueniat quòd illa priuatio magis contristet vnum, quàm alium, cùm in vtroque æquale malū sit, & tristitia consurgat ex præsenti malo. Neque enim dici potest prouenire ex aliqua falsa apprehensione, qua vnus apprehendit malum illud vt maius: quia illa falsa apprehensio non potest esse à Deo: ergo non est per se necessaria ad illam pœnam: nam quidquid est ad illā necessarium potest fieri virtute, seu imperio Dei. Neque etiā dici potest prouenire ex eo, quòd vnus apprehendit illud malum cum respectu ad maiorem culpam, quia in volūtate omninò inordinata, vt est voluntas damnatorum, ille respectus per se non sufficit ad augendam tristitiam, quia ipsi non dolent de culpa: habere autem æquale incōmodum, etiamsi culpa maior fuerit, potiùs videtur consolatio aliqua, quàm causa tristitiæ, si hæc non sit de ipsa culpa, vt malum culpæ est. Et quamuis apprehensa sub illo respectu possit etiam sub ratione maioris ignominiæ & dedecoris apprehendi, & vt sic possit etiam maiorem excitare tristitiam, tamen sub ea ratione illa nō pertinet ad pœnam damni, quæ est quasi essentialis, sed ad aliam accidentalem afflictionem.

Difficultas circa illam.

24 Solutio alia difficultatis. Alio tamen probabiliori modo responderi potest, illam inæqualitatem tristitiæ prouenire ex vehemētiori apprehensione illiusmet priuationis, non quidem ex parte obiecti, apprehendendo illam vt maiorem, sed ex parte subiecti, fortiùs illam apprehendendo, & incommodum eius, & consequenter efficiendo vt illa magis inuoluntaria sit, atque adeò magis contristet. Sed si attentè consideremus totū hoc, non repugnat priori sententiæ: nam tota hæc inæqualitas est in positiuis actibus, non in ipsa priuatione.

Improbatur.

25 Verior explicatio. Quapropter probabiliter addo, in illamet priuatione considerari posse moralem quādam inæqualitatem, non quidem in ordine ad merita præcedētia, vt in primo modo dicebatur, sed in ordine ad actus proprios, propter quos homo dānatur, & contrahit priuationem illam. Est enim considerandum, in illis actibus esse priuationem quandā rectitudinis debitæ vnicuique actui, considerato secundùm moralem rationem, & secundùm eas circunstantias cum quibus fit, cui rectitudini & bonitati respōderet apud Deum aliquod præmium, si cum debito modo, & condigno actus illos operatus fuisset. Ex quo sequitur, vt priuatio beatitudinis censeatur peculiari modo respondere illis actibus, quia ratione illorum caruit homo veluti prima dispositione, per quam futurus esset proportionatus ad talem gloriam. Atque ita fit, vt, sicut in illis actibus est inæqualitas in rectitudine illis debita, ita in priuatione visionis moraliter sumpta sit etiam inæqualitas. Fit etiā hinc, vt nunquàm redeat moraliter priuatio illa, quæ respondebat prioribus peccatis, quia non respondet vt proportionata illis, sed tantùm vt proportionata subsequenti culpæ. Ac denique hinc fit, vt illa priuatio, etiā obiectiuè sumpta, magis, vel minùs contristare possit. Et hæc explicatio probabilis est. Nec aliter probatur quàm ex impugnatione aliarum: & quia sufficiēter declarat proportionem pœnæ ad culpam.

---

## *Obiectiones contra vltimam explicationem inæqualitatis pœnæ damni.*

CONTRA hanc vltimam rationem explicandi pœnam damni occurrit difficultas, quia licèt in actu peccati sit priuatio rectitudinis debitæ, non illi correspondet priuatio alicuius certi gradus gloriæ, seu visionis beatæ, quæ possit habere rationem pœnæ damni comparatione talis peccati: ergo hæc inæqualitas non rectè illo modo explicatur. Antecedens patet, quia, si talis priuatio gloriæ responderet priuationi rectitudinis, maximè, quia talis actus fuisset meritorius tantæ gloriæ, si fuisset bonus: sed hoc non est in vniuersum verum, quia, si homo ille erat in peccato, talis actus non fuisset meritorius. Item, quia ille non tenebatur facere actum meritorium; sed satisfaciebat suæ obligationi faciendo actum bonum: ergo hac etiam ratione illa carentia in ordine ad meritum non habet rationē priuationis moralis: Rursus, quia, licèt ille actus, si fuisset rectus, haberet aliquod meritum, non tamen determinatum, quia idem actus secundùm varias circunstantias, & in eodem supposito magis vel minùs grato, cæteris paribus, erit magis, vel minùs meritorius. Ponamus ergo, duos homines habentes inæquales gratias cōmittere simile peccatum, in cæteris circunstantiis æquale, tunc is, qui maiorem haberet gratiam, necessariò incurreret maiorem pœnam damni, quia, si debitam rectitudinē in actu suo posuisset, maior gloria illi correspōderet: quod tamē videtur absurdum.

Prima. Secunda. Tertia.

Et augetur difficultas, quia iuxta hanc proportionem, etiam peccato veniali respondebit propria pœna damni: quia etiam illi actui debetur aliqua rectitudo, cui respōderet apud Deum aliquod præmium, si illam habuisset: ergo etiam carentia illius habet rationem priuationis moralis: augebitur ergo pœna damni æterna etiam ex peccatis venialibus. Tandem, sicut præmium essentiale respondet merito, ita hæc pœna damni deberet respōdere demerito peccatorū, & nō merito beatitudinis, quod inesse posset, vel deberet talibus actibus moralibus secundùm se spectatis, si rectè & cōuenienter fieret: at verò demerito peccatorum mortaliū respondere nō potest, quia quodlibet peccatum mortale meretur priuationem totius beatitudinis, & visionis Dei ergo. Sicut è conuerso, si actus bonus mereretur visionem adæquatā & comprehensiuam Dei, non posset esse inæqualitas in præmio essentiali respectu plurium, vel pauciorum meritorum,

27 Quarta. Quinta.

Respondeo, has obiectiones satis declarare quàm sit res incerta, & ad declarandum difficilis. Nihilominùs ab vltima incipiendo, ex illa intelligi potest, carentiam visionis Dei, prout habet rationem pœnæ, non esse sumendam secundùm totam latitudinem visionis possibilis. Nam, licèt quodlibet peccatū mortale suo modo formaliter repugnet gratiæ diuinæ, in quocumq; gradu remissio, vel intēsio, tamen sub pro-

28 Vltima obiectio soluitur.

pria ratione demeriti, & pœnæ non quolibet peccatum meretur per ſe ac proprie priuationem infinitorum graduum gratiæ: & idem pari proportione eſt de viſione, quia neque in peccato eſt infinitum meritum pœnæ ſecundùm intenſionem, vt nunc ſuppono: neque eſt cur fingamus totam illam carentiam ſecundùm totam latitudinem graduum poſſibilium habere rationem pœnæ: nam ex ratione communi peccati mortalis, vt ſic, per ſe ſolùm ſequitur, vt mereatur priuationem beatitudinis abſolutè: latitudo autem graduum quantùm ad hoc accidentaria eſt. Hinc ergo veriſimile eſt quod in hac vltima obiectione aſſumitur, iuxta diuerſam grauitatem peccatorum eſſe in eis certam quantitatem meriti, ſeu demeriti in ordine ad talem pœnam, & ex diuina ordinatione aliquid maius reſpondere per modum pœnalis priuationis grauiori peccato, quàm leuiori.

29 Vnde quoad hoc verum eſt quod in ea obiectione aſſumitur hanc inæqualitatem pœnæ damni non eſſe ſumendā proximè & formaliter ex quantitate meriti, quæ ineſſe poſſet, & deberet talibus actibus, ſi recti eſſent: ſed ex quantitate demeriti, quod ineſt talibus actibus ratione ſuæ malitiæ: & hoc bene probatur prædicta obiectione, & ferè reliquis omnibus. Nam omnes videntur contrarium ſupponere, & ita interpretari rationem inæqualitatis, ſeu proportionem vltimo loco poſitam, cùm tamen non ita ſit intelligenda, vt iam declaramus. Et hoc etiam rectè confirmat proportio meriti ad præmium eſſentiale, & demeriti ad pœnam: nam vtrumque finitum eſt in ſuo ordine, & ideò vtrique reſpondere debet aliquid finitum ſecundùm intenſionem eo modo quo in pœna, vel præmio reperiri poteſt, ſcilicet, priuatiuè, vel poſitiuè. Et quoad hoc non eſt ſimile illud quod afferebatur de merito viſionis comprehenſiuæ Dei, nam illud, ſi per impoſſibile admittatur, eſſet infinitum ſimpliciter in illo ordine, & ideò non poſſet in ipſo dari augmentum proprium & intenſiuū: hæc autem infinitas non reperitur in quolibet demerito peccati mortalis.

30 Aliæ obiectiones ſoluuntur. Igitur dicendum eſt, grauiori peccato mortali, ceteris paribus, reſpondere maiorem carētiam viſionis in ratione moralis, ac pœnalis priuationis, propter maius demeritum talis peccati: hoc autem demeritum, & dictam rationem priuationis dicimus menſurandam eſſe ex rectitudine debita tali actui ſecundùm ſe ſpectato, quia ratio demeriti in malitia fundatur: malitia autem, quæ in priuatione conſiſtit, per ſuum poſitiuum, quatenus eſt debitum tali actui humano, vt ſic, menſurāda eſt. Quod maximè verum eſt, cōſiderando in peccato rationem auerſionis, & iniuriæ diuinæ, cui veluti per ſe ac formaliter reſpondet pœna damni, vt D. Thomas docet. Quia verò iuxta modum, & grauitatem conuerſionis eſt maior auerſio, & grauitas conuerſionis attenditur ſecundùm quantitatem rectitudinis debitæ ineſſe in tali materia, & cum talibus circumſtantiis: ideò quaſi radicaliter dicitur hæc menſura ſumenda ex rectitudine, quæ ineſſe debet actui: & hæc rectitudo explicatur per oppoſitam rationē meriti, & præmij. Quod non eſt intelligendum de merito actuali, quatenus pendet ex conditionibus perſonæ, nam hoc accidentariū eſt: ſed de merito aptitudinali, ſeu valore, quem haberet oppoſitus actus includēs oppoſitam relationem, ſeu rectitudinem ad promerendam eſſentialem beatitudinem, & coniunctionē cum ipſo vltimo fine. Hic enim valor determinatus eſt in tali actu cum talibus circumſtantiis, ſi ex parte perſonæ operantis ſupponatur id, quod præcisè neceſſarium eſt ad valorem meriti præſcindendo ab omni ſpeciali dignitate talis perſonæ: hunc enim valorem actuum moralium optimè nouit ponderare diuina ſapientia, vt iuxta illius quantitatem præmia, vel pœnas taxare poſſit.

Et quia ratio diſpoſitionis magis videtur præſcindere à dignitate perſonæ operantis: ideò per rationem proximę diſpoſitionis hoc etiam explicatur iuxta prædictam ſententiam. Nam, ſicut opera amicitiæ per ſe & natura ſua diſponunt ad augmentum eius, ita opera inimicitiæ ad eius incrementum. Vnde, ſi inimicitia Dei ex parte hominis conſiſteret in poſitiuo habitu, ſicut conſiſtit amicitia, augeretur planè poſitiuè ex incremēto & multiplicatione peccatorum, ſicut augetur charitas per augmentū meritorū. Quanuis ergo non conſiſtat inimicitia in poſitiuo habitu, rectè intelligitur augeri moraliter in ratione priuationis: nam ſine dubio quò ſūt plura, vel maiora peccata, eò eſt maior inimicitia inter Deum, & hominem. Quod augmentum rectè ita explicatur, quia ſi in illis actibus tantùm fuiſſet dilectionis diuinæ, quantùm nunc eſt virtualis odij, auxiſſent charitatem vſque ad talem gradum: ergo contraria peccata proportionaliter augent inimicitiam, ſeu (quod idem eſt) moralem & proximam priuationē charitatis, cui priuationi cum proportione reſpondet pœna damni, ſicut è conuerſo eſſentiale præmium reſpondet charitati. Secundùm hanc ergo proportionem ſatis probabiliter explicatur inæqualitas illius pœnæ. 31

Neque oportet ad ſingulas obiectiones in particulari plura reſpondere, nam omnes videntur procedere ex mala intelligentia illius opinionis, & maiorem illius explicationem poſtulare, quæ tradita iam eſt. Solùm ad illud de peccato veniali reſpondere oportet, primò negando paritatē rationis, quia peccatum veniale nec eſt actus inimicitię propriæ, nec in eo eſt propria malitia auerſionis. Dico tamen vlteriùs, ſi peccatum veniale quoad culpam ſit coniunctū cum peccato mortali, non eſſe inconueniens concedere ratione illius augeri perpetuam pœnam damni, ſicut augetur perpetua pœna ſenſus. Si autem per ſe conſideretur, in primis non habet in illo locum æternitas pœnæ, neque etiā iam extat moraliter eius culpa, quando in purgatorio temporaliter punitur: nihilominùs tamen probabile eſt etiam illam temporalem pœnam damni, quam patiuntur animæ ſanctæ in Purgatorio detentæ, eſſe inæqualem in eis pro grauitate peccatorum venialium, vel etiam mortaliū remiſſorum, propter quæ ibi detinentur, & non pro inæqualitate beatitudinis, quā de facto poſteà habituræ ſunt: alioqui quò plura merita anima ſancta haberet, maiorem haberet pœnam damni, quia à maiori beatitudine retardatur, etiāſi pauciora habuiſſet peccata venialia: quod non videtur iuſtitiæ conſentaneum. Sed de hoc iterum occurret ſermo infrà tractando de Purgatorio: nunc ſatis ſit hæc per occaſionem dixiſſe de hoc puncto, quod non ſolùm in peccatis remiſſis, ſed etiam in quibuſlibet peccatis venialibus locum habet. 32 Quarta obiectio ſoluitur.

## SECTIO III.

*Vtrùm peccatum cōmiſſum poſt præcedētia remiſſa ex eo capite grauius ſit: ideóque remiſſa peccata virtute, ſeu æquiualenter redeant.*

OMNES Theologi conueniunt cum diuo Thoma hîc, ex hac circumſtantia aggrauari ſubſequens peccatum. Primò propter ingratitudinem prioris beneficij: habet enim quandam deformitatem offenſio circa benefactorem, & præſertim circa eum, qui tam facilem ſe exhibuit in remittendis prioribus 1 ſubſequens peccatum aggrauari ex remiſſione precedentis.

prioribus iniuriis. Accedit, quòd videtur quidam virtualis contemptus, & abusus diuinæ misericordiæ. Ac tãdem, quia quò homo recipit maiorem gratiam, eò potest faciliùs vitare culpam, & ideò ex hac parte crescit culpa, si illam non vitet.

2 Ratio Scoti, & Gabrielis. Impugnatur

Aliam rationem habet Scotus in 4. dist. 22. q. vnica, artic. 3. quem ibi sequitur Gabriel art. 2. scilicet, qui sic peccat, agere contra promissionem in iustificatione factam, non iterum offendendi Deum. Sed si loquatur de promissione propriè, improbabilis est opinio. Aliàs omne peccatum post iustificationem factum esset contra votum. Et in hoc sensu illã rationem impugnãt Medina Codice de Pœnit. q. 9. & Soto in 4. d. 16. Si verò loquamur largo modo de promissione prout dici solet de proposito: sic illud per se non auget malitiam, nisi in quantùm est contra gratitudinem.

Medin. Soto

---

## *Quædam obseruanda circa assertionem.*

Primò.

IN prædicta verò communi sententia obseruandum est primò, non oportere, vt hæc grauitas quæ accrescit posteriori peccato, sit moraliter æqualis omnibus præcedentibus culpis. In quo etiam cõueniunt D. Thomas, & Doctores: quia possunt præcedentia peccata esse grauissima; illud autem augmentum, licèt sit aliquale, tamen non est adeò graue, vt necessariò æquiparetur moraliter omnibus peccatis præcedentibus, quæ iam commissa fuerunt, vt in commentario articuli secundi satis declaratũ relinquitur. Deinde obseruandum est ex D. Thoma art. 4. hanc circumstantiam non addere malitiam specie distinctam, sed solùm esse occasionem, vt propria malitia peccati grauior sit. Hoc docuit D. Thomas 2. 2. q. 107. art. 2. Altisiodorensis lib. 4. Sũmæ, tractatu 6. c. 6. q. 2. Durandus, & Scotus in 4. d. 22. q. 1. & ibi Bonauentura dub. 3. circa literam Magistri, Soto d. 16. q. 1. art. 4. Petrus Soto lect. 7. de Pœnit. Idémque tenet Richardus d. 22. art. 1. q. 4. ad primũ. Vbi eodem modo loquitur de ingratitudine, ac de obedientia. Ratio est, quia hæc circũstantia ingratitudinis secũdùm cõmunem rationẽ suã generalis est omnibus peccatis, quia nullus est homo, qui nõ obligetur Deo vt benefactori: circũstantia autẽ generalis, vt cõstat ex 1. 2. si nõ sit specialiter intẽta, nõ cõfert specialẽ malitiã. Neq; etiã variat speciem ingratitudinis, quòd sit contra hoc vel illud beneficium: & ideò per se loquendo, hæc circũstantia generalis manet: nullus enim homo hac intentione operatur, vt contemnat beneficium Dei, vel vt benefactorẽ offendat: & ideò solùm intra eandem speciem aggrauat.

Secundò.

D. Tho. Altisiod. Duran. Scot. Bonau. Soto. Pet. Soto. Richard.

4 Non est necesse hanc circumstantiam confiteri.

Ex quo fit vlteriùs, vt per se, ac moraliter loquẽdo necessariũ non sit hanc circumstantiam in confessione aperire, quia neque mutat speciem, nec notabiliter aggrauat: & cùm alioquin generalis sit, in ipsa confessione peccati includitur secũdùm communem rationem ingratitudinis: quatenus verò est specialiter contra tale beneficium remissionis peccati, non oportet vt distinctè cognoscatur à confessore, quia moraliter non multum variat iudiciũ eius. Soto verò hoc limitat, nisi peccata priùs remissa, fuerint grauissima. Sed neque tunc credo esse necessarium, propter rationem factam, & ne cogatur pœnitẽs iterum mẽtionem facere illorum peccatorum in confessione: nam siue in specie illa repetat, siue sub illa ratione communi, quòd grauissimè peccauit priùs, estque veniam consecutus; est valdè onerosum: & ideò, cùm ratio, vel necessitas non cogat, imponẽdum non est tale onus. Quod intelligo ex vi huius circũstãtiæ: nã, si aliunde sit necessariũ ad declarãdum statum præsentem conscientię, & occasionem, vel aliam obligationem, quam in præsenti habet, secùs erit, vt posteà latiùs suo loco.

Soti limitatio reiicitur.

A

Contrà hanc verò doctrinam opinantur Abulensis Matt. 18. q. 141. & 142. & Medina dicto q. 9. de Pœnit. Fundamentum eorum esse potest, quia, vt peccatum recipiat speciem aliquam malitiæ, sufficit voluntarium indirectum, etiamsi circumstantia non sit directè ac per se intenta, vt constat in homicidio, v. g. clerici, quod sacrilegium est ex illa circumstantia, licèt nõ sit per se intenta, imò etiamsi sit vincibiliter ignorata. Est autem respõsio communis hoc esse verum in circumstantiis specialibus, non autem in generalibus. Quæ non videtur in præsenti satisfacere, quia dupliciter potest esse circumstãtia generalis: vno modo tanquàm genericè inclusa in quacunque specifica ratione peccati, sicut est fortasse circumstãtia inobedientiæ, & similes: & de hac est verum non dare speciẽ, nisi sit per se intẽta. Et ratio est clara, quia ipsa ex se non habet rationem speciei, sed generis: vnde, nisi ex intentione operantis instituatur tanquàm specifica, non dabit peculiarem speciem. Alio verò modo potest circumstantia esse generalis quasi formali communicatione, licèt in se specifica sit, vt est v. g. ratio iniurię diuinæ inclusa in omni peccato mortali: atque hæc circumstantia dare potest propriam speciẽ, quãuis non sit per se intenta, vt patet in exemplo adducto, iuxta ea quæ in superioribus diximus. Et ratio est, quia illa circumstantia ex se est specialis: quòd autẽ inueniatur in multis, aut in paucioribus, aut in omnibus actibus malis, parum refert. Nam, quòd accidens sit in pluribus, vel paucioribus subiectis, non mutat specificã rationem eius. Circumstãtia autem ingratitudinis videtur esse generalis hoc posteriori modo, quia per se non spectat ad generalem rationem peccati, & specificè distinguitur à malitia iniustitiæ, odij, & aliis similibus.

5 Obiectio Abulensis, & Medinæ.

Respõsio communis

Replica.

B

C

Respondetur nihilominùs, priorem sententiam veram esse, quia non obligatur homo speciali præcepto gratitudinis diuinæ ad vitandum peccatum, quia offensiuum Dei est: quia, cùm ad hoc sufficiat præceptum iustitiæ ad ipsum Deum, nõ est cur multiplicẽtur præcepta propria & specialia sine necessitate. Deinde ratio illa de circumstantia generali optima est, si ampliùs explicetur. Aduertendum est enim, sicut sunt quædam peccata, quæ per se cõsũmantur in corde, vt hæresis, alia verò quæ in opere externo, vt homicidium, detractio, vt rectè notauit Caietanus 1. 2. q. 72. artic. 7. ita è contrario sunt quædam virtutes, quæ principaliter consũmantur in corde, vt charitas seu amicitia: aliæ verò quæ per se primò ordinantur ad actum externum, vt temperantia, iustitia, & c. Quando ergo circumstantia peccati est contra virtutem, quæ per se requirit medium in ipsa actione exteriore seu imperata, tunc regulariter sufficit voluntarium indirectum ad dandam speciem peccati, quia ad communem rationẽ mali moralis seu peccati hoc voluntarium sufficit, vt ex 1. 2. suppono: & in tali materia sufficit etiam ad talẽ speciem mali, eò quòd cõtraria virtus per se primò intendit, & requirit contrariam rectitudinem in tali materia. Quando verò circumstantia exterioris actus (sub quo semper includo omnem actum imperatum) est contra virtutem, quæ per se primò cõsummatur in interiori actu, non dat speciẽ, nisi sit specialiter intenta, aut nisi specialis aliqua obligatio ex tali virtute occurrat ad illum vitandum, vel ad oppositum actum efficiendum. Et ratio est opposita, nam, cùm talis virtus per se primò cõsummetur in interiori actu, regulariter & propter solum modum generalem operandi nõ requirit specialem rectitudinem in exterioribus actibus.

6 Enodatur obiectio.

Caiet. Quæ circũstantia sufficiat ad dandam speciẽ peccato.

D

E

Et in huiusmodi virtutibus maximè verum habet quòd circumstantia generalis non dat speciem, siue sit generalis ex formali ratione peccati in communi, siue ex alia conuenientia quasi materiali actuum humanorum. Quod rectè explicatur in odio: nam iniuria facta proximo, sine dubio est contra beneficentiã debitam charitati proximi: & hoc generale est omnibus actionibus quæ fiunt cõtra bonum proximi: & nihilominùs, nisi ex odio intendatur, non habet inde actus specialem malitiam ex omniũ sententia. Cuius ratio esse videtur, quia amicitiæ virtus, & odium ei oppositũ præcipuè consummãtur in corde: & ideò communis effectus actionis exterioris neque specialiter attribuitur odio, neque cẽsetur opponi charitati secundùm specialem malitiam, si nõ specialiter intendatur: sed dicitur opponi materialiter, & includere virtute malitiã eius. In hoc ergo ordine collocanda est virtus gratitudinis, quæ in corde præcipuè cõsummatur. Et ideò, sicut actus exterior obsequij, aut beneficij erga alterũ, vt sit gratitudo, necesse est, vt ex intentione grati animi procedat: ita è contrario iniuria, vel offensio benefactoris nõ habet specialem malitiam ingratitudinis, nisi vel sit specialiter intenta, vel nisi talis circunstantia temporis intercedat, pro quo gratitudinis præceptum specialiter obliget.

2 Tertiò obseruandum est, huiusmodi circunstantiam vel grauitatẽ inueniri in quocumque peccato mortali comisso post remissionẽ præcedentiũ. Quod sequitur ex dictis, quia circunstantia est generalis: & quia cùm omne peccatum mortale sit grauis iniuria Dei, in omni illo includitur dicta ingratitudo. Nihilominùs tamẽ specialiter solet hoc tribui quibusdam peccatis propter peculiarem repugnãtiam quam habent cum diuina misericordia, & gratia: quæ numerat D. Thomas hîc art. 2. & sufficienter rem declarat, vt ibi visum est. Addit verò in solutione ad secũdum per peccatum veniale nõ redire peccata priùs remissa, etiam hoc modo: vnde sentit non aggrauari ex hac circunstantia ingratitudinis. Et idem habet in 4. d. 22. Quod ego maximè verum censeo de his peccatis venialibus, quæ sine plena deliberatione fiunt: nam, cùm illa quodammodò naturalia sint, non potest aliquis existimari ingratus ratione illorum. At verò quando veniale fit cum plena deliberatione, aggrauari potest ex illa circunstantia: quia, licèt non sit perfecta iniuria, est aliqualis offensio Dei: vnde, si plenè voluntaria sit ex hac parte repugnat gratitudini illi debitæ. Item qui maiora gratiæ auxilia recipit, cæteris paribus, grauiùs peccat, offendendo Deum, etiam venialiter. Denique inter homines, etiam leuis offensio, cæteris paribus fit grauior, si ad benefactorem fiat: ergo similiter, &c. Propriè tamen ob eam solam causam non dicentur peccata mortalia priùs cõmissa aliquo modo redire quatenus mortalia sunt: quia tota illa grauitas & malitia venialis peccati est inferioris rationis & ordinis. Et ita est intelligendus D. Thomas, vt in commentario diximus.

Tertium obseruandũ.

D. Thomas.

Per veniale priùs remissum non aggrauari subsequentia, quomodo intelligendum.

9 Quartò est obseruandum, quòd licèt peccatũ subsequens aggrauetur ex remissione præcedentis, non tamen est illa causa adequata similis grauitatis, etiam in ratione ingratitudinis. Quod etiam sequitur ex dictis, quia hæc circunstantia generalis est. Vnde etiã qui non est consecutus remissionem prioris peccati, alio titulo ingratus est iterum peccando, vel quia Deus expectabat illum, vt pœnitentiam ageret: quod est peculiare beneficium, vel quia semper auxilia, & vocationes tribuit Deus, quibus homo nõ solùm non consentit, verùm etiam iterum peccat. Si autem hæc inter se conferantur, cæteris paribus, grauius est peccare post remissionem, quia illud fuit maius beneficium gratiæ, quàm sit expectare peccatorem: & quia iteratio peccati magis repugnat cum eius remissione.

Vltimò Vltimum obseruandũ.

10 In primo mortali includi circunstantiam ingratitudinis.

Vltimò concluditur ex dictis, etiam in primo peccato mortali, quod homo committit, includi hanc circunstantiam ingratitudinis, non solùm ratione beneficij creationis, & aliorum, quæ homo à Deo recepit: sed etiam propter speciale beneficium perseuerantiæ, & innocentiæ, quod vsque ad illud tempus recepit: nam hoc etiam est magnum diuinæ gratiæ beneficium, cui homo est specialiter ingratus, innocentiam amittendo.

---

## *Quod sit maius beneficium, innocentia, aut pœnitentia.*

11 QVA occasione quæri hoc loco solet, vnde grauius fiat peccatum, vel quæ sit maior ingratitudo, offendere Deum postquàm præcedentia peccata remisit, vel postquàm à peccatis hominem præseruauit. Quæ dubitatio coincidit cum alia communi, scilicet, quod sit maius beneficium, pœnitentiæ, vel innocentiæ. Quam attigit D. Thomas hîc art. 2. ad 3. & 2. 2. q. 106. art. 2. Et neutro loco videtur simpliciter respondere, sed sub distinctione. Nam duobus modis potest quantitas beneficij considerari, scilicet, absolutè & secundùm se, & respectiuè seu cum proportione ad talem personam. Priori modo illud est maius beneficium, in quo maius donum confertur: & sub hac consideratione excedit innocentia, cæteris paribus, quia includit quandam dignitatem moralem magnæ æstimationis, quam non includit, neque conferre potest pœnitentia, scilicet nunquàm offendisse Deum. Posteriori autem modo dicitur maius beneficium, quod datur homini minùs digno respectu dantis: & ex hoc capite excedit beneficium remissionis peccati, cæteris paribus, quia peccator de se erat dignus odio, & pœna.

D. Thomas.

12 Prior opinio.

Quæ autem ex his cõditionibus maioris sit ponderis, vt propterea aliquod ex his beneficiis maius simpliciter dicatur, D. Thomas nõ satis expresè declarat: indicat tamen simpliciter & in indiuiduo beneficium remissionis peccati maius esse. Et ita etiam exponit Caietanus, qui latissimè hoc disputat 2. 2. loco citato. Et idem tenet Soto in 4. d. 16. q. 1. art. 2. Petrus Soto lect. 7. de Pœnit. Richardus in 4. d. 22. art. 1. q. 5. Medina C. de Pœnit. q. 9. Qui non vtuntur alio fundamento, nisi quia donum remissionis peccati ex parte recipientis maior gratia est propter illius indignitatem. Veruntamen licèt hoc sit verum, cæteris paribus, hîc tamen nõ sunt cætera paria, quia donum innocentiæ aliquod bonum & dignitatem includit, quæ non datur per beneficium pœnitentiæ: nõ est autem probatum à dictis Auctoribus, quòd ille excessus ex parte recipientis ita superet excessum ipsius doni secundùm se, vt constituat maius beneficium simpliciter. Ac propterea alij Auctores putant excessum illius doni innocẽtiæ maioris æstimationis esse, ideóque simpliciter esse maius beneficium. Ita sentiunt Bonauent. in 4. d. 22. art. 1. q. 2. Scotus art. 3. Gabr. art. 3. dub. 1. Dionys. Cistercien. d. 23. q. vlt. Tamen hi etiã Auctores non satis ostendunt illum excessum ex parte doni esse simpliciter maius, quàm aliud ex parte recipientis: constat enim quantitatem proportionalem interdum magis æstimari, quàm absolutam. Sic enim vetula duo minuta offerens, dicitur plus cæteris obtulisse.

Caiet. Soto. Pet. Soto. Richard. Medin.

Altera opinio.

Bonau. Scotus. Gabr. Dionys. Cisterc.

Vide Abulensem Matthæi 18. q. 144.

* * *

Varij

*Varij innocentiæ gradus distinguuntur, & inter se conferuntur.*

13 IN hac ergo re oportet distinguere varios innocẽtiæ gradus: loquimur autẽ secundùm præsentẽ statum humanæ naturæ, vt omittamus statum iustitiæ originalis, qui veluti per antonomasiam dicitur status innocentiæ, quãquàm ex dicendis constare etiam poterit quid de illo sentiẽdum sit. Primus gradus est. si homo perueniens ad vsum rationis cõseruetur sine nouo peccato mortali, non tamen accipiat remissionem originalis peccati, nec veram iustitiam. Et hæc non potest reputari, aut dici innocentia simpliciter, sed tantùm secundùm quid: quia vera innocentia non est, nisi vbi est iustitia apud Deum: & ideò ex hoc capite parum aggrauatur peccatum, quod posteà primò committitur, quia, moraliter loquendo, & secundùm legem ordinariam, illud tempus innocentiæ non potest esse diuturnum, quia sine gratia sanctificante non potest homo conceptus in peccato originali diu sine peccato mortali conseruari: committetur ergo illud peccatum post breue tempus. Hæc autem non est circunstãtia aggrauans notabiliter, sed est minima, quæ ex hoc capite esse potest in humano peccato: maximè cùm ad hoc genus innocentiæ per breue tempus non sit necessarium speciale auxilium gratiæ.

Primus gradus.

14 Quòd si fingamus, Deum cõferre hoc beneficium alicui homini per longum tempus, per specialia auxilia, absque remissione originalis peccati, & vera sanctificatione, erit quidem maius illud beneficium: non est tamẽ cõparabile cum beneficio sanctificationis, & remissionis peccati originalis, vt per se manifestũ est; nam ex parte recipientis vtrumque confertur æquè indigno propter originale peccatum, & ex parte doni multùm excedit innocentia, quæ veram sanctitatem, & amicitiam Dei includit. Vnde, licèt ponamus vnum hominem post multa peccata actualia posteà iustificari, alium verò præseruari diu à multis mortalibus, nunquàm tamen verè iustificari, aut remissionem originalis peccati obtinere: longè maius beneficium confertur priori, tum ex parte doni, tum ex parte recipientis, quia indigniori datur. At verò, si fingeremus alium modũ remissionis peccati per solam condonationem, sine vera iustificatione, & hoc modo vni homini remitti peccata mortalia cõmissa, sine infusione iustitiæ, vel remissione originalis peccati, alium verò præseruari ab eisdem peccatis actualibus ex speciali prouidentia gratiæ, durãdo etiam in peccato originali, existimo huic posteriori fieri simpliciter maius benficium, quia altiori modo liberatur ab illis malis vt statim in simili dicam.

*Secundus innocentiæ gradus.*

15 SECVNDVS gradus innocentiæ est magis prosprius, scilicet, quem homo habet post acceptam gratiam baptismalẽ quandiu mortaliter non peccat. Quod potest contingere vel post breue tempus, vel post diuturnum. Et non est dubium, quin eò præcedat maius beneficium, quò tempus illud innocentiæ maius est, quia illa perseuerantia est gratiæ beneficiũ, quod eò magis crescit, quò perseuerantia diuturnior est. Vnde, si hoc donum conferatur cum dono iustificationis post commissum peccatũ mortale, has omnes circunstantias expẽdere oportet, vt rectè fiat cõparatio. Vt v.g. si donum iustificationis datum homini habenti solùm peccatum originale, absq; speciali prouidentia & manutenentia Dei, conferatur cum simili dono dato homini habenti originale peccatũ & mortale: hoc sine dubio est maius beneficium, quia & indigniori datur, & plus ei remittitur. Oportèt tamen supponere vtrumq; æqualẽ recipere gratiã: nam, si in hoc non sit æqualitas, semper cẽseo esse absolutè maius beneficiũ, quando maior gratia sanctificans confertur, etiãsi in modo, vel in aliis respectibus non sit æqualitas: quia excessus in ipsa sanctitate & amicitia Dei est simpliciter maioris æstimationis. Ideoq; quoties quis peccat post maiorẽ gratiã sãctificationis acceptã, siue illã acceperit post peccatũ mortale cõmissum, siue anteà, simpliciter est magis ingratus Deo ex parte accepti beneficij: & consequenter ex illo capite grauiùs peccat. Cõparatio ergo debet fieri supposita æquali sanctificatione: & tunc dicimus maius beneficium recipere, qui cum gratia simul accipit remissionem peccati mortalis. Addidi verò nisi ex parte alterius præseruatio à simili peccato sit absque speciali præseruatione, ac prouidẽtia gratiæ, vt cõtingere potest quando innocentiæ tẽpus breuissimũ fuit: nam si ipsa præseruatio à peccato sit diuturna, & ex speciali prouidentia gratiæ, cẽseo multùm augere huiusmodi beneficium, & ex suo genere esse maius donũ, quàm sit remissio peccati, si cum proportione fiat cõparatio: nam in indiuiduo, si præseruatio sit ab vno vel altero peccato tantùm, remissio autem fiat de multis, grauissimísque peccatis, poterit pœnitentiæ donum esse maius, quàm innocentiæ.

16 Tertius innocentiæ gradus.

Tertius gradus innocentiæ esse potest, quo homo iustificatus, antequàm peccet mortaliter, ita conseruatur vsque ad finem vitæ: & potest talis innocens comparari cum alio homine, qui post multa peccata peruenit ad finem vitæ cum æquali gradu gratiæ & sanctitatis: hoc enim, vt dixi, semper supponere necesse est. Nam, si quis ad finem vitæ peruenit: cũ maiori sanctitate, & acceptus ad maiorem gloriam, quãuis peccando, & resurgendo, illud tandem bonum consequatur, simpliciter maius beneficium recipit, quàm qui cum vita innocente minorem consequitur gratiam, propter rationẽ superiùs tactam. Cæteris autem paribus, quoad gradũ sanctitatis, existimo maius beneficium esse talem innocentiã, quàm pœnitentiã. Hoc declaratur optimè in B. Virgine, non solùm si conferatur cum Maria Magdalena, vt Scotus & alij argumentantur: sed etiã si conferatur cum alia persona, vel secũ ipsa, fingendo quòd per viam pœnitẽtiæ, tandẽ peruenisset ad æqualem gradũ gratiæ cum illo, quem nunc habet. Nam sine dubio maius beneficium contulit Deus B. Virgini, perducendo illam ad tantam gratiã, & gloriã per viam innocentiæ, & præseruationis ab omni peccato: quàm, si permittendo lapsum aliquem, & illum reparando, ad eundem gradum gratiæ & gloriæ illam perduceret. Quod supponunt tanquã certũ omnes Doctores, qui disputãt de innocentia Virginis. Et qui sentiunt illã fuisse præseruatã à peccato originali, in hoc maximè fundantur: qui verò negãt fuisse præseruatã, nõ negãt illud futurum fuisse maius beneficium: sed propter alias causas dicunt nõ oportuisse tantum beneficium illi fieri. In hac ergo comparatione, maius beneficium, absolutè loquendo, est innocentia, quàm pœnitentia.

17 Cyprian. Hugo Victor.

Quod planè sensit Cyprianus epist. 3. dicens, *Primum fœlicitatis genus est, non delinquere: secundum verò, delicta cognoscere & retractare.* Et Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, p. 14. ca. 4. dicens, *Si magnum est aliquando surgere, maius certè est nunquàm cecidisse: si bonum est sanatum esse, melius est nunquàm fuisse corruptũ.* Ratio verò est, quia huiusmodi innocentia & cõtinet magnam dignitatem moralem sanctitatis, & virtute includit quidquid boni est in remissione peccati, & excellentiori modo, nimirum liberationem à

peccato

peccato per præseruationem: quod est maximum beneficium gratiæ, propter quod homo non minores gratias Deo debet, quàm propter remissionem peccatorum, cæteris paribus, vt sensit, & docuit Augustinus lib. 12. Confessionum, cap. 11. & lib. 50. Homil. homil. 23. Imò etiam maiores gratias debet, quia modus ille liberandi à malo per præseruationem excellentior est, & ex maiori amore. Cuius etiam optimum signum est, quia quos Deus magis dilexit, maximéque honorare voluit, illis hoc donum concessit.

Augustin.

18 In hoc autem vltimo gradu innocentię non videtur habere locum comparatio hîc intenta de maiori ingratitudine peccati, quia cum innocentiæ vsque ad finalem gratiam non habet locum ingratitudo peccati. Fieri tamẽ potest comparatio hîc vel ex hypothesi, sola mentis consideratione: nam si fingeremus posteà subsequi peccatum, maius esset ex circunstantia ingratitudinis in innocente, quàm in pœnitente. Vel etiam fieri potest comparatio (seruata proportione ante consummationem gratiæ) inter innocentiã conseruatam vsque ad talem vitæ terminum, & æqualem iustitiam intra eundem terminum per pœnitentiam comparatam: nam est eadem proportionalis ratio. Solùm oportet aduertere, vt illa duo præcisè comparentur, prout facilè fit in diuersis personis, non verò includendo vnum in alio: quod fiet si in eadem persona fiat comparatio. Vt v.g. si quis habuit vitam innocentem per longum tempus, & posteà peccet, deinde verò per pœnitentiam gratiam recuperet, atque iterum peccet: magis ingratus est in hoc secundo peccato, quàm in priori, quamuis primum videatur esse contra beneficium innocentiæ: secundum verò contra beneficium pœnitentiæ, quia hoc non est cum præcisione, nam posterius peccatum semper est contra omnia beneficia præcedentia: & ita est etiam contra beneficium innocentiæ priùs collatum vsque ad talem terminum. Et ob hanc causam simpliciter verum est, in quolibet iterante peccatum maiorem esse ingratitudinem ob circunstãtiam prioris peccati remissi, quamuis non ex illa sola, sed etiam ex aliis beneficiis hæc grauitas oriatur.

Quid si cõparatio fiat respectu eiusdem personæ.

## QVÆSTIO LXXXIX.

*De virtutum recuperatione per pœnitentiam, in sex articulos diuisa.*

DEinde considerandum est, de recuperatione virtutum per pœnitentiam.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

*Primò, vtrùm per pœnitentiam restituantur virtutes.*

*Secundò, vtrùm restituãtur in æquali quãtitate.*

*Tertiò, vtrùm restituatur pœnitenti æqualis dignitas.*

*Quartò, vtrùm opera virtutum, per peccatum sequens mortificentur.*

*Quintò, vtrùm opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reuiuiscant.*

*Sextò vtrùm opera mortua, id est, absque charitate facta, per pœnitentiam viuificentur.*

SVPERIORI anno inter alia Opuscula relectionem quandam in lucem protuli, in qua totam huius quæstionis materiã ex professo disputaui, ideóque ad locum illum Lectorẽ duxi remittendum; superuacaneam est enim in eandem rerum repetitione immorari. Solùm ergò articulis D. Thomæ cõmentarios adiiciam, eiúsque sententiam, & mentem explicabo. Quod in dicta etiam relectione prætermissum omninò non est: sed in præsenti loco fortasse meliùs intelligetur.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm per pœnitentiam virtutes restituantur.*

AD primum sic proceditur. Videtur quòd per pœnitentiam virtutes non restituantur. Non enim possent virtutes amissæ; per pœnitentiam restitui, nisi pœnitentia virtutes causaret. Sed pœnitentia cùm sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum: præsertim cùm quædam virtutes sint naturaliter priores pœnitentia, scilicet fides, spes, & charitas: vt suprà dictum est. Ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes.

Suprà q. 15. art. 3. & ad 3. 4. d. 14. q. 2. ar. 2.

q. 85. art. 6.

Prætereà, Pœnitentia in quibusdam actibus pœnitentis consistit. Sed virtutes gratuitæ non causantur ex actibus nostris: dicit enim Aug. in lib. de Libero arbitr. quòd virtutes Deus in nobis sine nobis operatur. Ergo videtur quòd per pœnitentiam non restituantur virtutes.

Prætereà, Habens virtutem sine difficultate & delectabiliter actus virtutem operatur: vnde Philos. dicit in 1. Ethic. quod non est iustus, qui non gaudet iusta operatione. Sed multi pœnitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Non ergo per pœnitentiam restituuntur virtutes.

Lib. 1. c. 8. à medio. to. 5

Sed contrà est, quòd Luc. 15. legitur: Pater mandauit, quòd filius pœnitens indueretur stola prima. Quæ secundùm Ambros. est amictus sapientiæ. Quam simul consequuntur omnes virtutes: secundùm illud Sapient. 8. Sobrietatem, & iustitiam docet, prudentiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Ergo per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur.

Lib. 8. in Luc tit. de duobus filiis, & c. post m. diũ. super ei locum Lucę, tom 5.

Respondeo dicendum, quòd per pœnitentiam remittuntur peccata, vt dictum est. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiæ. Vnde relinquitur quòd per pœnitentiã homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ: vt in Secũda parte habitum est. Vnde relinquitur quòd per pœnitentiã omnes virtutes restituantur.

qu. 86. art. 1.

1. 2. qu. 110. ar. 4. ad 1.

Ad 1. ergo dicendum, quòd eodem modo pœnitentia restituit virtutes, per quem modum est causa gratiæ: vt iam dictum est. Est autem causa gratiæ in quantùm est sacramentum: nam in quantùm est virtus, est magis gratiæ effectus. Et ideò non oportet quòd pœnitentia, secundùm quòd est virtus,

Ex corp. art.

tus, ſit cauſa omnium aliarum virtutum: ſed quòd habitus pœnitentiæ, ſimul cum habitibus aliarum virtutum, per ſacramentum pœnitentiæ cauſentur.

Ad 2. dicendum, quòd in ſacramento pœnitentiæ actus humani ſe habent materialiter: ſed formalis vis huius ſacramenti dependet ex virtute clauium. Et ideò virtus clauium effectiuè cauſat gratiam & virtutem, inſtrumentaliter tamen: ſed actus primus pœnitentis ſe habet, vt vltima diſpoſitio ad gratiam conſequendam, ſcilicet contritio: alij verò ſequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia & virtutibus.

q.86.art.5. Ad 3 dicẽdum quòd (ſicut ſuprà dictum eſt) quandoque poſt primum actum pœnitentiæ, qui eſt contritio, remanent quædam reliquiæ peccatorum, ſcilicet diſpoſitiones ex prioribus actibus peccatorum cauſatæ, ex quibus præſtatur difficultas quædam pœnitenti, ad operandum opera virtutum. Sed quantùm eſt ex ipſa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutis delectabiliter & ſine difficultate operatur: ſicut ſi virtuoſus, per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis, propter ſomnum, aut aliquam corporis indiſpoſitionem.

## COMMENTARIVS.

1 In hoc art. agitur de pœnitentia mortalium.

SVPPONIT *D. Thomas per peccatum virtutes amitti: & ideó inquirit, an per pœnitentiam iterum acquirantur. Vnde conſtat ſermonem eſſe de pœnitentia peccati mortalis; nam per venialia peccata nec amittuntur virtutes, nec remittuntur, iuxta veram doctrinam, & ideò per pœnitentiam venialis peccati nec virtutes, nec aliquis gradus earum reſtituuntur. Nam ſi ratione talis pœnitentiæ aliquid perfectionis additur prioribus virtutibus, illud eſt nouum augmentum, non reſtitutio alicuius rei deperditæ.*

2 Sermo item eſt de virtutibus per ſe infuſis.

*Conſtat deinde ſermonem eſſe de virtutibus per ſe infuſis: nam acquiſitæ non amittuntur per peccatum mortale, vt ſic, etiamſi contingat illas fuiſſe antè infuſas per accidens, & ideò nec per pœnitentiam reſtituuntur. Vt in Adamo v.g. qui à principio creationis ſuæ habuit non ſolùm gratiam, & virtutes per ſe infuſas ſed etiam eas, quæ naturalis ordinis ſunt, per accidens infuſas: veriſimilius eſt non amiſiſſe peccando has virtutes poſteriores, quia non ſunt per ſe connexæ cum gratia, quam peccatum expellit, neque ab illa pendent in ſuo eſſe reali, ſeu in eſſe habitus, ita enim loquimur: & ideò neque amittuntur amiſſa gratia per peccatum, neque reſtituuntur illa reſtituta. Dixi autem,* per peccatum mortale vt ſic: *quia per peccatum quatenus eſt actus alicuius vitij, ſi ſæpius fiat, & cum ſufficienti feruore & intenſione, poterit expelli virtus acquiſita quatenus per illos actus acquiritur habitus vitij contrarij. Proportionali autem modo reſtitueretur, vel potiùs iterum de nouo acquireretur talis virtus ab homine pœnitenti, non ex vi ſolius pœnitentiæ vt ſic, & vt eſt diſpoſitio ad gratiam, ſed exercendo actus talis virtutis ſufficientes ad illam generandam. Et ob eandem cauſam, per pœnitentiam non ſtatim expelluntur omnia vitia per actus peccatorum acquiſita, quia non repugnant formaliter gratiæ, & virtutibus infuſis.*

A *Denique conſtat ex dicto fundamento, quæſtionem hanc intelligendam eſſe vniuerſaliter, tamen cum diſtributione accommoda, id eſt, de omnibus virtutibus, quæ per peccatum amittuntur. Non enim ſpectat ad hunc locum examinare, quænam virtutes infuſæ amittantur per peccatum, ſed quæcunque illæ ſint (certum eſt enim aliquas amitti) an illæ omnes, quæ amittuntur, per pœnitentiam reſtituantur.*

3 Quæſtio eſt intelligenda vniuerſaliter cum diſtributione accommoda.

*In hoc ergo ſenſu reſpondet D. Thomas, affirmando omnes virtutes gratuitas per pœnitentiam reſtitui. Quod breuiter & dilucidè probat ex eo, quod reſtituitur gratia, ex qua dictæ virtutes ſequuntur. Vnde fit, ita reſtitui has virtutes, ſicut gratiam ad quam conſequuntur. Nam, ſi comitantur illam ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſeu ineſſe habitus, etiam reſtituuntur quoad entitates ſuas:*

4 D. Thomæ concluſio.

B *ſi verò ſolùm conſequuntur ad gratiam ſanctificantem, ſe ab illa pendent ineſſe virtutis, ſecundùm eandem tantùm rationem neceſſe eſt reſtitui per pœnitentiam, vt de fide, & ſpe circa ſolutionem ad primum explicabimus. Atque hoc modo etiam virtutes acquiſitæ dici poſſunt per pœnitentiam reſtitui ad ſtatum virtutis Chriſtianæ: nam ſine charitate dici poſſunt potiùs virtutes philoſophicæ, quàm Chriſtianæ, vt in materia de virtutibus latiùs traditur. Atque hinc etiam ſequitur, quod D. Thomas docet de virtutibus, intelligi etiam de quibuſcumque donis Spiritus ſancti, quæ gratiam per ſe comitantur, cùm de illis eadem ſit ratio. Non intelligit autem D. Thomas reſtitui eaſdem numero virtutes, ſicut neque eandem numero gratiam, quia hoc impertinens eſt ad veram & perfectam iuſtificationem: nec oportet ſpeciale miraculum, aut extraordinarium modum productionis fingere ſine fundamento.*

C *Solutiones ad 1. & 2. ſunt valdè notandæ: nam in eis non obſcurè ſignificat D. Thomas, pœnitentiam illam per quam reſtituuntur virtutes, non elici ab habitu virtutis, ſed illum antecedere. Sic enim obiicit in primo argumento,* Pœnitentia non poteſt eſſe cauſa aliarum virtutum: ergo ratione pœnitentiæ non reſtituuntur omnes virtutes: quia hoc eſſe non poſſet ſine cauſalitate. *Reſpondet autem diſtinguendo de pœnitentia vt eſt ſacramentum, & vt eſt virtus: & vt eſt ſacramentum, ait reſtituere omnes virtutes: vt eſt autem virtus, potiùs ipſam reſtituit ſimul cum aliis virtutibus, per ſacramentum pœnitentiæ. Quæ doctrina vera eſt de virtute pœnitentiæ, quoad habitum, ſupponendo, contritionem ſeu actum pœnitentiæ, quo homo diſponitur ad iuſtitiam, non elici à tali habitu. Nam, de actu ipſo contritionis, etiam ſeclusa ratione ſacramenti, ſeu ante inſtitutionem illius,*

Virtutes reſtituuntur ab actu pœnitentiæ, nõ verò ab habitu.

D *negari non poteſt, quin ſit aliquo modo cauſa gratiæ, ſcilicet, diſpoſitiua, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: vnde conſequenter, & in eodem genere etiam eſt cauſa omnium virtutum, quæ gratiam conſequuntur. Hoc ergo modo non ſolùm de ſacramento pœnitentiæ, ſed etiam de virtute, ratione actus eius, verum eſt, reſtitui virtutes omnes per illam. Neque eſt inconueniens actum vnius virtutis eſſe diſpoſitionem ad omnes mediante gratia. Nec D. Thomas hoc negare voluit, ſed potiùs vt manifeſtum reliquit, & ſub ſacramento incluſit hunc actum virtutis, quia eſt pars eius: & quia, ſi nunc habet hanc cauſalitatem extra ſacramentum, illam non habet niſi includendo votum eius. Loquitur ergo de habitu virtutis.*

E *At verò ſi habitus efficeret illum actum pœnitentiæ, qui eſt diſpoſitio ad gratiam, non poſſet ille habitus non eſſe cauſa illius gratiæ, & aliarum virtutum, quæ conſequuntur illam: quia qui efficit vltimã diſpoſitionem, efficit etiam aliquo modo, ſeu eſt cauſa formæ, & proprietatum, quæ ad illam conſequuntur in tali ſubiecto, Cùm ergo D. Thom. ſimpliciter neget habitui pœnitentiæ hanc cauſalitatem, ſupponit certè illum non efficere talem diſpoſitionem: nec video quomodo poſſit hæc litera D. Thom. veram aliam expoſitionem aut ſenſum recipere. Idq; manifeſtè confirmat in ſolutione ad 2. cùm enim obiecisſet, virtutes infuſas non cauſari*

*sari ex actibus nostris, ideóque non posse per pœnitentiam, quæ in nostris actibus consistit, reparari: Respondet, actum pœnitentiæ ex se non habere virtutem efficiendi gratiam, & virtutes, eam tamen participare virtute clauium, quatenus est pars sacramenti. In quo etiam supponit habitum gratiæ non esse causam efficientem talis dispositionis, alioqui non posset simul ab ipsa effici etiam instrumentaliter. Deinde addit contritionem (scilicet secundum se) quam vocat primum actum pœnitentis, esse vltimam dispositionem ad gratiam consequendam. Et subiungit,* Alij verò sequẽtes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia & virtutibus: *ergo apertè sentit illum primum actum ab eis non procedere.*

*Vnus verò supereſt scrupulus in primo argumento, in quo specialiter D. Thom. obiecit de fide, & spe, & charitate, quæ pœnitentiam antecedunt. Quæ obiectio in claritate difficultatem non habet, quia habitus charitatis nec tempore, nec natura præcedit illum actum pœnitentiæ, qui est vltima dispositio ad gratiã: actus autẽ charitatis, quanuis interdum præcedat ordine naturæ, nihil ad præsens refert, quia non agimus de restitutione virtutum quoad actus, sed quoad habitus: neque ita tribuitur hic effectus actui pœnitentiæ, vt secludatur actus charitatis, vt suprà declaratum est agendo de effectu iustificationis, à quo in re non distinguitur hic effectus de restitutione virtutum. In fide autem, & spe, habet illa obiectio nonnullam difficultatem, quia non solum actus, sed etiam habitus harum virtutum ordinariè antecedunt pœnitentiã, non modò naturæ ordine, sed etiã tempore. Dicendum est autem, si sermo sit de ordinariis peccatis, quæ his virtutibus non opponuntur, & ideò habitus illarum non excludunt verum esse per pœnitentiam talium peccatorum non restitui habitus fidei, & spei quoad substantiam suam, quia amissi non fuerant: & ita non procedit obiectio, quia quæstio, & resolutio eius intelliguntur de virtutibus, quæ per peccatum amittuntur, vt exposuimus: tunc autem restituuntur fides, & spes ad esse virtutis, quia per peccatum mortuæ remanserant, & per pœnitentiam vitam accipiunt, & statum virtutis. Si autem sit sermo de illis peccatis, per quæ hi habitus amittuntur, vt sunt hæresis, vel desperatio, tunc verum est etiam restitui habitus harum virtutum per pœnitentiam.*

Difficultas de restitutione fidei & spei. Soluitur.

*Est autem aduertendum, tunc necessarium esse vt homo habeat actum fidei, & spei priori infidelitati, aut desperationi contrarium, quia & sunt necessariæ dispositiones ad tales habitus, & sine illis non potest haberi vera contritio. Contingit autẽ hos actus fidei, & spei haberi priùs tempore, quàm pœnitentiam, & aliquando etiam fieri potest, vt in eodem instanti omnes illi actus concipiantur, quanquàm id rarum, & extraordinarium videatur. Si ergo aliquando ita contingat, cessat obiectio, quia tunc habitus fidei, & spei non restituuntur priùs tempore, quàm pœnitentia habeatur, vt ex hypothesi clarum est, quia non infunduntur ante proprios actus: supponimus autem illos actus non antecedere duratione actum pœnitentiæ in dicto casu. Neque tunc necessarium est intelligere, habitum fidei, & spei priùs natura infundi, quam sit actus pœnitentiæ: quia licèt actus fidei, & spei ordine naturæ præcedant, tamen in eo casu non procedunt ab habitibus, ad quos disponunt: atque ita illi habitus nullam causalitatem habent in actu pœnitentiæ, ratione cuius priùs natura esse dicantur. Quanquàm, si quis contendat ibi esse aliquam prioritatem naturæ, non multùm resistam, aut contendam: nam id etiam facilè ex sequenti puncto declarari potest, si omnis prioritas independentiæ, seu in subsistendi consequentia, prioritas naturæ dicatur.*

Quid si habeantur actus fidei & spei, simul cum actu pœnitentiæ.

*Quando ergo contingit actum fidei, & spei in tali peccatore duratione præcedere actum veræ pœnitentiæ, difficultas est inter Doctores, an habitus fidei & spei statim restituantur, vel expectetur semper vera iustificatio per pœnitentiam. Quidam enim hoc posterius affirmant: & illi facilè defendunt, quoties hæ virtutes per peccatum admittuntur, per pœnitentiam restitui, & nunquàm præcedere, nec tempore, nec natura, quia non restituuntur, nisi vt proprietates gratiam comitantes. Ego verò probabilius existimo habitus harum virtutum restitui statim, ac peccator disponitur per actus fidei, & spei illis habitibus proportionatos, vt in simili puncto latiùs dixi, tractando de Baptismo. Tunc ergo concedendum est hos habitus priùs tempore restitui, quàm pœnitentia habeatur. Ad obiectionem verò respondeti potest primò, cum dicimus, per pœnitentiam restitui virtutes omnes, intelligendũ id esse de virtutibus, quæ nondũ restitutæ sunt quales sunt omnes, quæ à gratia nunquàm separantur, quas fortasse D. Tho.* gratuitas virtutes *appellauit. Vel etiam dici potest, sub pœnitẽtia, quæ restituit virtutes, cõprehendi ea, quæ necessaria sunt ad talem pœnitentiam, inter quæ actus fidei, & spei computantur: ideóque verè dicitur, per pœnitentiam restitui omnes virtutes, cum debita proportione & ordine, scilicet, vt per illos actus, qui sunt veluti fundamenta pœnitentiæ, restitui incipiant virtutes quoad illas quæ sunt quasi fundamenta reliquarum, & ad suum esse per se non requirunt gratiam sanctificantem. Eò vel maximè quòd in talibus actibus includitur quædam pœnitentia priorum peccatorum, quatenus repugnabant talibus virtutibus, sub qua solùm ratione fuerunt causæ amissionis earum.*

Quid si actus fidei & spei antecedant pœnitentiam.

Quorumdã sententia.

Habitus fidei, & statim restituti ac peccatorum actus elicit.

Verior sententia.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute.*



Infrà ar. 5. ad 3. & 3. d. 31. q. 1. art. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute. Dicit enim Apost. Rom. 8. Diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum. Vbi dicit Glos. Aug. quòd hoc adeo verum est, vt si qui horum deuient, & exhorbitent, hoc ipsum eis Deus faciat in bonum proficere. Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo videtur quòd nunquã pœnitens resurgat in minori virtute.

Aug. in lib. de corr. & gratia, ca. 9. post med. tom. 7. Hoc habet August. 3. Hypognosticum à medio illius, to. 7.

Prætereà, Ambros. dicit, quòd pœnitentia res optima est, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Sed hoc non esset, nisi virtutes in æquali quantitate recuperarentur. Ergo per pœnitentiam semper recuperatur æqualis virtus.

Prætereà, Super illud Gen. 1. Factum est vespere & mane dies vnus, dicit Gl. Vespertina lux est, à qua quis cecidit: matutina, in qua resurgit. Sed lux matutina est maior vespertina. Ergo aliquis resurgit in maiori gratia vel charitate, quàm priùs habuerit. Quod etiam videtur per id, quod Apost. dixit Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Ex Beda super Gen. c. 1. colligitur.

Sed contrà, Charitas proficiens vel perfecta, est maior quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit à charitate proficiente, resurgit autẽ in charitate incipiente. Ergo semper resurgit homo in minori virtute.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum

Art. præcedenti, ad 3.

ctum est) motus liberi arbitrij, qui est in iustificatione impij, est vltima dispositio ad gratiam. Vnde in eodem instanti est gratiæ infusio cum prædicto motu liberi arbitrij, vt in Secunda parte habitum est. In quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ, vt suprà dictum est. Manifestũ est autem, quòd formæ, quæ possunt recipere magis & minùs, intenduntur & remittuntur secundùm diuersam dispositionem subiecti, vt in Secunda parte habitum est. Et inde est, quòd secundùm quòd motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior vel remissior, secundùm hoc pœnitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intensionẽ motus pœnitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiæ, quàm illa, à qua ceciderat per peccatum: quandoque autem æquali, quandoque verò minori. Et ideò pœnitens quandoque resurgit in maiori gratia, quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.

quæ. 113. art. 5. & 7. in 3.

1.2.q.52.art 1.& 2.ſt q. 66.a.1.

Ad 1. ergo dicendum, quòd non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonũ hoc ipsum, quòd per peccatum à Dei amore cadunt: quod patet in his, qui cadunt, & nũquam resurgunt, vel qui resurgunt, iterum casuri. Sed his tantùm, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, id est, prædestinatis, qui quotiescunque cadunt, finaliter tamẽ resurgunt. Cedit ergo eis in bonum hoc, quòd cadunt, nõ quia semper in maiori gratia resurgant: sed quia resurgunt in permanentiori gratia. Non quidem ex parte ipsius gratiæ (quia quantò gratia est maior, tantò de se est permanentior) sed ex parte hominis, qui tantò stabilius in gratia permanet, quãtò est cautior, & humilior. Vnde & glos. ibidem subdit, quòd ideò proficit eis in bonũ, quòd cadunt, quia humiliores redeunt, atq; doctiores.

Aug. loco citato in arg.

Ad 2. dicendum, quòd pœnitentia, quantùm est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promouendi in vlteriorem statum. Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissiùs mouetur in Deum, & in detestationem peccati: sicut etiam in Baptismo aliqui adulti cõsequuntur maiorem, vel minorem gratiam, secundùm quòd diuersimodè se disponunt.

Ad 3. dicendum, quòd assimilatio illa vtriusque gratiæ ad lucem vespertinam & matutinam, fit propter similitudinem ordinis: quia post lucem vespertinam sequuntur tenebræ noctis: post lucem autem matutinam sequitur lux diei: non autem propter similitudinem maioris, vel minoris quantitatis. Illud etiam verbum Apostoli intelligitur de gratia Christi: quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem est verùm in omnibus, quòd quantò abundantiùs peccauit, tantò abundantiorem gratiam consequatur, pensata quantitate habitualis gratiæ. Est tamen superabundãs gratia quãtùm ad ipsam gratiæ rationem: quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur. Quanuis quandoque abundanter peccantes abundanter doleant: & sic abundantiorem habitum gratiæ & virtutum consequuntur: sicut patet in Magdalena.

Ad id verò, quod in contrarium obiicitur, dicendum, quòd vna & eadem gratia maior est proficiens, quàm incipiens. Sed in diuersis hoc non est necesse, vnus enim incipit à maiori gratia, quàm alius habeat in statu profectus, sicut Gregor. dicit in 2. Dialog. Quatenus & præsentes & sequuturi omnes agnoscerent, benedictus puer conuersationis gratiam à quanta perfectione cepisset.

Lib.2.c.2. antemedium

## COMMENTARIVS.

1. Conclusio Diui Thom.

*IN hac quæstione sermo est de æqualitate in gradu perfectionis seu intensionis: nam de æqualitate in numero, seu multitudine virtutum, iam satis dictum est superiori articulo. Est autem valdè difficile, veram mentem & resolutionem D. Thomæ explanare. Respondet enim non semper restitui hominem ad æqualem virtutem seu gratiam, sed interdum ad maiorem, nonnunquàm ad minorem, aliquando ad æqualem. Ratio eius est, quia actus Pœnitentiæ est dispositio ad infusionem gratiæ, & virtutum: ergo iuxta maiorem vel minorem infusionem actus pœnitentiæ consequitur pœnitens maiorem, vel minorem gratiam: sed intensio cõtritionis potest esse & minor, & æqualis, & maior, quàm fuerit intensio gratiæ per peccatum amissæ: ergo etiã grãtia restituta potest esse aliquãdo minor, aliquando maior, vel æqualis.*

3. Difficultas circa assertionẽ & discursum D. Thom.

*In qua assertione, & discursu videtur D. Thomas supponere peccatori agenti pœnitentiam non infundi intensiorem gratiam, quàm sit illa, quæ est proportionata intensioni contritionis per se ac secundùm se spectatæ. Hoc autẽ est creditu difficillimum, propter multa quæ in dict. Relectione disputaui. Quod autem D. Thomas hoc supponat, videtur manifestum, quia hoc est totum fundamentum discursus eius. Estque id euidẽtius in illis duobus membris, scilicet, quando contritio est æqualis, vel minor quàm gratia amissa. Nam, si gratia, quæ restituitur obtalem contritionem, non esset omninò commensurata illi, sed posset ex aliquo alio titulo esse minor, non rectè colligeret, D. Tho. eandẽ proportionem, minorem, vel æqualem seruare gratiam restitutam ad gratiã amissam, quã seruat contritio ad eandẽ perditam gratiam. At verò in alio membro, quando, scilicet, contritio est maior, quàm fuerit gratia deperdita, non est tam clara sentẽtia D. Tho. quia solũ dicit, quando contritio in intensione excedit priorem gratiã amissam: hominem esse aut resurgere in maiori gratia, non tamen dicit in eadem proportione, & non in maiori excedere gratiam restitutam, amissam, in qua contritio eandem gratiam amissam excedit.*

Quomodo aliqui mẽtẽ D. Thom. interpretẽtur.

*Vnde aliqui putant mentem D. Thomæ esse, tunc hominem ita resurgere in maiori gratia, vt non solùm recipiat gratiam proportionatam suæ contritioni, sed etiã to-*

tam gratiam, quam priùs obtinuerat, vel meritus fuerat. A

Nó esse iuxta mentem eius ostenditur.

Quæ sententia in se quidem vera est, non video tamen quomodo ex verbis D. Thomæ in toto hoc articulo colligi possit. Quia potiùs, vt verum fatear, magis insinuat priorem sensum, si discursus eius attentè consideretur. Nam in primis pro fundamento assumit, secundùm quòd motus liberi arbitrij in peccata est intensior, vel remissior, secundum hoc pœnitentem consequi maiorem, vel minorem gratiam: quod planè intelligit secundum absolutam proportionem. Alioqui in suo discursu non rectè colligeret: subsumit enim motum pœnitentis quandoque esse proportionatum maiori gratiæ, quàm fuerit illa, à qua homo ceciderat, quandoque æqualem, quandoque minorem, & inde colligit quoties contritio est æqualis, vel minor, gratiam etiam restitutam esse æqualem, vel minorem, quod non rectè inferret, nisi intelligeret gratiam restitui B secundùm absolutam proportionem ad contritionem, vt iam declaraui: ergo in hoc sensu sumit illud principium fundamentale: ergo cùm dicit, si maior sit contritio hominem resurgere in maiori gratia: præcisè intelligit resurgere in maiori, iuxta absolutam proportionem contritionis.

4. Duplex moderatio assertionis D. Thom.

Supposito ergo hoc sensu, duobus modis possumus illum moderari, ne sententiam nimis rigorosam contineat, nimirũ nullum gradum gratiæ dari homini resurgenti à peccato propter præcedentia merita distinctum ab his gradibus qui correspondent contritioni, secundùm se: hoc enim planè sequitur ex prædicto sensu. Et præterquàm quòd res ipsa falsa est, vt in citato loco ostendi, difficile creditu est, D. Thomam id sensisse, vt ex sequentibus articulis patebit.

Prima.

Prima ergo moderatio esse potest, vt Diuus Thomas intelligat, statim ac peccator conteritur, non plus gratiæ illi dari, quàm contritioni eius secundùm absolutam proportionem respondeat, nihilominùs tamen gratiam, quam priùs meruerat, aliquando, congruo scilicet tempore, restitui. De qua moderatione solum dicere possum, ex D. Thom. hoc loco ad summum haberi priorem partem, negantem in iustificatione peccatoris aliquẽ gratiæ gradum restitui præter eos, qui sunt proportionati contritioni: aliam verò partem affirmatem, aliam gratiam posse restitui, nec affirmari hîc à D. Thoma, nec negari: quid verò ipse magis sentiat, dicemus in art. 5. nam ex illo potiùs videtur colligi oppositum etiam quoad hanc partem.

5. Secũda moderatio.

Altera moderatio est, D. Thomam hoc loco solùm considerasse, quid contritioni secundùm se respondeat: & hoc tantummodo præcisè comparasse gratiam restitutam respectu contritionis ad gratiam perditam, dixisséque posse esse maiorem, minorem, vel æqualem, iuxta proportionem contritionis. An verò ex alio capite aut titulo possit gratia restituta crescere, & consequenter esse æqualis, vel maior D quàm gratia perdita, etiamsi contritio minor sit, diuum Thomam hoc loco non tractasse, quia nondum egerat de reuiuiscentia meritorum per pœnitentiam. Et iuxta hanc interpretationem saltem habetur in hoc loco non docuisse diuum Thomam illam sententiam neque oppositam: de aliis verò locis posteà considerandum est. Solum potest huic expositioni obstare,

Obiectio circa illam.

quia Diuus Thomas tanquàm manifestum sumit illud principium, quòd formæ, quæ possunt recipere magis & minus, intenduntur & remittuntur secundùm diuersam dispositionẽ subiecti: quod videtur intelligere in sẽsu exclusiuo, alioqui non rectè procederet in suo discursu, sed in virtute argumentaretur ex puris particularibus: ergo intelligit gratiam restitutam per pœnitentiam ita commensurari dispositioni, vt ex nullo alio capite crescat.

Soluitur.

Respondeti potest, hoc verum esse absolutè loquendo, fieri tamen posse, vt E dispositio ex alio capite: & alia cõsideratione crescat, vt posteà dicemus: vel certè totum illud intelligendum esse sub eadem præcisione, nam considerando gratiam iustificationis præcisè, vt talis est, proximè non habet vnde sit maior vel minor, nisi ex dispositione pœnitentis, cui diuina voluntas suam efficacitatem accommodare statuit, quanuis inæqualitas ipsiusmet dispositionis primordialiter ex diuina voluntate procedat. Et hæc sunt quæ de hoc difficili D. Thomæ textu hactenus excogitare potueram.

Nunc verò alia interpretatio occurrit, quam non censui omittendam, vt alij facilius de re tota iudicare possint. Aduerto ergo, quòd licèt D. Thomas dicat gratiam restitui maiorem, vel minorem pro ratione contritionis, non tamen dicere huiusmodi gratiam semper esse æqualem ipsi dispositioni in gradu intensionis. Neque etiam hoc sequitur ex principio quod assumit, nimirum formas, quæ intenduntur & remittuntur, fieri magis vel minùs intensas secundum variam dispositionem subiecti: hoc enim non est generaliter verum de æqualitate intẽsionis: nam habitus, qui fit per actus, non semper est tam intensus, quàm actus, etiamsi actus sit dispositio ad habitum: & quamuis humiditas verbi gratia sit dispositio ad frigus, vel calor ad leuitatem, vel diaphaneitas ad lumen, non semper lumen sit tam intensum quantùm est diaphanum, & sic de aliis. Est ergo verum illud principium, intellectum secundum aliquam proportionem seu proportionalitatem: non verò erit generaliter verum, si secundùm æqualitatem intelligatur. Ergo ex vi illius principij non est necesse, vt gratia restituatur æqualis contritioni secundùm intensionem, sed solùm vt restituatur iuxta proportionem contritionis: ita vt maiori contritioni maior gratia respondeat cum proportione. Quam doctrinam in se veram esse saltem in hoc gradu, vt oppositum non possit cum sufficienti fundamento affirmari, in prædicta relectione latiùs dixi.

6. Alia diui Thomæ interpretatio.

Hoc ergo supposito, facilè defendi potest, ex hoc loco D. 7. Thomæ non rectè colligi, per contritionem non restitui aliquem gradum superioris gratiæ deperditæ, sed solùm non restitui semper totam priorem gratiam, sed cum aliqua proportione ad præsentem contritionem, vt multi C Thomistæ intellexerunt, quorum sententiam in dicta relectione absolutè improbauimus, etiam secundùm mentem D. Thomæ. Tamen quoad hanc vltimam partem posset iuxta hanc interpretationem defendi. Nam, licèt homo resurgat cum contritione æquali, & recipiat aliquem gradum præcedentis gratiæ, non sequitur resurgere ad maiorem gratiam (vt ibi obijciebamus,) quia non est necesse vt gratia quæ datur ex vi talis contritionis secundùm se, sit æqualis gratiæ deperditæ: & ideò, licèt aliunde ei adiungatur aliquis gradus, non sequitur fore maiorem. Et idem proportionaliter responderi poterit quando fuerit contritio minor. Atque ita iuxta hanc sententiam dicendum erit, si quid gratiæ respondet prioribus meritis, præter illam quæ daretur ratione solius contritionis, cum tali proportione dari, vt nunquam tota gratia, quæ tunc infunditur, excedat gratiam amissam, nisi contritio etiam illam excedat: neque etiam exæquet, nisi contritio etiam æqualis sit.

8. Sed nõ iuxta eius mẽtem.

Et hæc quidem interpretatio habet nescio quid acuminis ad fugiendum sententiam illam, ne D. Thomæ illam attribuamus. Valdè tamen dubito, an hæc fuerit mens D. Thomæ, quia nullam eius significationem inuenio in toto hoc articulo, cùm tamen, si ita sensisset, id facilè explicare potuisset. Et iuxta illum sensum nonnulla argumenta facilius solueret. Præterquàm quòd difficillimum est explicare quo modo, aut qua proportione & infundatur gratia commensurata contritioni, & restituatur illa quæ prioribus meritis debebatur, ita vt gratia restituta nunquàm sit æqualis deperditæ, si contritio sit minor: neque maior, si contritio sit æqualis. Imò nec est facile colligere, gratiam restitutam necessariò futuram esse maiorem deperdita, si contritio sit maior: quia, si gratia illa non est æqualis contritioni, fortasse id, quod additur ratione præcedentium meritorum, non habet tantam quantitatem, vt faciat gratiam illam semper esse intensiorem. Itaque tota hæc interpretatio lubrica est, & gratis excogitata. Et ideò pro nunc secundæ moderationi magis adhæreo, quanuis nihil inuenio, quod ex omni parte mihi satisfaciat.

AR

## ARTICVLVS III.

*Vtrum per pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem.*

3 d.31.q.1.a. 4.q.1.ad 2 & 4 d.14.q.1.a. 5.q.1.ad 3 & distin.19.q.1. a.3.q.2.ad 2. & d.37. q.2. a.2.ad 4. Glo.ord. ib Refertur. in Decr d.50.c. Quicunque Innoc.1. Ep. 6.ad Agapitum & Maced. habetur d.50.c.60. can.apud.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd per pœnitentiam non restituatur homo in pristinā dignitatē. Quia super illud Amos 5. Virgo Israel cecidit: dixit Glos. Non negat posse resurgere, sed non resurget virgo Israel: quia semel aberrans ouis, etsi reportetur humeris pastoris, non habet tantā gloriā, quā tā quæ nū quā errauit. Ergo per pœnitētiā non recuperat homo pristinam dignitatem.

Præterea Hier dicit, Quicunque dignitatem diuini gradus non custodiunt, contenti fiant animam saluare, reuerti enim in pristinum gradum difficile est. Et Innocent. Papa dicit, quòd apud Nicæam constituti canones, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt. Non ergo per pœnitentiam homo recuperat pristinam dignitatem.

In Decr. di. 50.c. Hi qui altario.in c. Ilerd.c.5.

Præterea, Ante peccatum potest aliquis ad maiorem gradū ascendere. Non autē hoc post peccatū cōceditur pœnitenti: dicitur enim Ezech. 44. Leuitæ, qui recesserunt à me nū quam appropinquabunt mihi vt sacerdotio fungātur. Et sicut habetur in Decret. dist. 50. in Hilerdensi Concilio legitur, Hi, qui sancto altari deseruiūt, si subito in fienda carnis fragilitate corruerint, & Domino respicie te dignè pœnituerint, officiorum suorum sic loca recipiant, vt non possint ad altiora officia vlteriùs promoueri. Non ergo pœnitentia restituit hominem in pristinam dignitatem.

Greg. lib. 7. sui Regist. c 53. circa med. refertur d. 50.ca Quia sanctitas tua. Refertur d. 50. c. Contumaces. & sumitur ex Cōc Agathensi.c. 2.vel 1. vt alii qui libri habent.

Sed contrà est, quòd sicut in eadem dist. legitur, Gregor. scribens Secundino, dicit, Post dignam satisfactionem credimus hominem posse redire ad suum honorem. Et in Concilio Agathensi legitur: Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigātur: ita vt cùm eos pœnitētia correxerit, gradum suum dignitatémque recipiant.

Respondeo dicendū, quòd homo per peccatum duplicem dignitatem amittit: vnam quantum ad Deum: aliam verò quantùm ad Ecclesiam. Quantùm autem ad Deum, amittit duplicem dignitatem: vnam principalem qua, scilicet, computatus erat inter filios Dei per gratiam. Et hanc dignitatem recuperat per pœnitentiam: quod significatur Luc. 15. in filio prodigo, cui pœnitenti pater iussit restitui stolam primam, & annulum, & calceamenta. Aliam verò dignitatem amittit secūdariam, scilicet, innocentiam: de qua (sicut ibidem legitur) gloriabatur filius senior dicens, Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui. Et hanc dignitatem pœnitens recuperare non potest. Recuperat tamen quandoque aliquid maius: quia, vt Greg. dicit in Hom de centū ouibus. Qui errasse à Deo se considerant, damna præcedentia lucris sequētibus recompensant. Maius ergo gaudium de eis fit in cælo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter remit: quàm illum, qui nunquàm terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Dignitatem autē ecclesiasticam homo per peccatū perdit: quia indignum se reddit ad ea, quæ cōperunt dignitati Ecclesiasticæ exercenda, quam quidem recuperare prohibetur. Vno modo, quia non pœnitet. Vnde Isidor. ad Missianum Episcopum scribit (sicut in eadem dist. legitur capit. Domino) Illos ad pristinos gradus redire Canones præcipiunt, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel cōdigna peccatorum confessio: at contrà hi, qui à vitio corruptionis non emendātur, nec nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Secundò, quia pœnitentiam negligenter facit: vnde in eadem distinct. capit. Si quis diaconus, dicitur, Cùm in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec ieiuniis, vel lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere si ad pristinos honores redirent, cum quanta negligentia permanerent.

Hom. 34. in Eua. in illud Gaudiū est in cœlo super vno.

In Decr. di. 50.c. Domino sancto, patum à principio.

In Decr. di. 50.c. Si quis diaconus circa medium.

Tertiò si commisit aliquod peccatū, quòd habet irregularitatem annexam: vnde in eadem distinct. ex Concilio Martini Papæ dicitur, Si quis viduam, aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum: quòd si irrepserit, deiiciatur. Similiter si homicidij, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post Baptismum conscius fuerit. Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. Quartò, propter scandalum: vnde vt in eadem dist. legitur, cap. De his verò: Rabanus dicit, Hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundùm canonum sacrorum instituta à proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere. Qui autem de prædictis peccatis absconsè à se commissis, occultè sacerdoti confitētur, si se per ieiunia, & eleemosynas, vigiliásque, & sacras orationes purgare curauerint, his etiam gradu proprio seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est. Et hoc est quod dicitur extra de Qualitate ordinādorum, c. Quæsitum. Si crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non

Dist. 50. c. si quis viduā.

Rabanus in lib. Pœnit. c. 1 Refertur d. 50 c. De his verò.

In Decr. lib. 1. tit. 11. Et est de tēporibus ordinationum. c. 17. & est vltimum.

In Decr.lib.1. tit 11. Et est detemporib. ordinationũ cap.17.& est vltimum.

non fuerint,præter reos homicidij, post pœnitentiam in susceptis, vel iam suscipiendis ordinibus impediri non possunt,

Ad 1.ergo dicendum, quòd eadem ratio est de recuperatione virginitatis,& de recuperatione innocentiæ,quæ pertinet ad secũdariam rationem quoad Deum.

Ad 2.dicendum quòd Hier.in verbis illis non dicit esse impossibile, sed esse difficile hominem recuperare post peccatum, pristinum gradum:quia hoc non conceditur, nisi perfectè pœnitenti:vt dictum est. Ad statuta autem canonum,quæ hoc prohibere videntur, respondet Aug. Bonifacio scribens: Vt constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis pœnitẽtiam, clericatum accipiat,vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat,non desperatione indulgentiæ; sed rigore factum est disciplinæ: alioquin contra claues Ecclesiæ datas disputabitur:de quibus dictum est: Quæcunque solueritis super terram,soluta erunt & in cœlo. Et postea subdit: Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamẽ in honore suo perstitit: & beatum Petrum quando amarissimas lacrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit,& tamen Apostolus permansit. Sed non ideo putanda est superuacua posteriorum doctorum diligentia:qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt:experti,vt credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias.

In c. 2. Aug. in ep. 50. ad Bonifacium, aliquantulũ ante finẽ ep. tom.2.

Eodem loco nunc proximè dicto & habetur Decret.dist. 5.c. 24.

Ad 3. dicendum,quòd illud statutum intelligitur de illis, qui publicam pœnitentiam agũt: qui postmodùm non possunt ad maiorem prouehi gradum. Nam & Petrus post negationem, pastor ouium Christi constitutus est:vt patet Ioan vlt. Vbi etiam Chrysostomus dicit:quod Petrus per negationem & pœnitentiam, ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum: qui enim in cœna nõ audebat interrogare,sed Ioanni interrogationẽ commisit; huic posteà & præpositura fratrum credita est: & non solùm non committit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipso pro Ioanne magistrum interrogat.

Hom. 87. in Ioan. parum ante mediũ tomo 3.

## COMMENTARIVS.

HIc *articulus, vt D.Thomas in principio corporis declarat,intelligi potest,vel de dignitate apud Deum,vel apud Ecclesiã: & in vtroq; sensu tractatur quæstio à D.Thoma.Prioris tamen resolutio facillima est. Distinguit enim D. Thomas duplicem dignitatem apud Deum,& tertiam subindicat.Primam possumus essentialem seu substantialem appellare, quæ est dignitas filij Dei: & ad hanc certum est restitui hominem per pœnitentiã: quia sine gratia sanctificante non remittitur peccatum mortale. Et huc spectant omnia tractata in artic. 1. & omnia quæ de iustificatione peccatoris docet fides,præsertim Concilium Trident.sess.6.& 14. scilicet iustificationẽ fieri per infusionem gratiæ, & donorum,& hoc etiam modo remitti peccatum per pœnitentiam. De hoc etiam loquitur Crysostomus homil.80.ad populum,cùm ait:* Cùm Deus remittit peccata per pœnitentiam, cum sanitate pulchritudinem etiam restituit: cum liberat à pœna,iustitiam etiã confert,& præuaricatorem non præuaricatori similem facit, *Secũda dignitas appellari potest intensiua, & positiuè pertinens ad maiorem substantialem perfectionem eiusdem filiationis diuinæ: Et de hac insinuat D.Thomas aliquando restitui hominem non solum ad eandem,sed etiam ad maiorẽ dignitatẽ: quod etiã dixerat in præcedẽti articulo:nã omnia ibi dicta,& multa alia quæ de restitutione prioris gratiæ in prædicta relectione disputauimus,ad hanc dignitatem pertinent. Et ideò de illa plura dicenda non sunt.*

1. Quæ dignitas quoad Deum per pœnitẽtiam restituatur. Prima. Conc. Trid. Chrysost. Secunda.

*Tertia dignitas vocatur à D.Thoma secundaria, quæ non consistit in positiua aliqua,& physica perfectione, sed in morali quadam ratione, fundata in negatione præcedentis actus,quæ dignitas est innocentia, quæ in hoc consistit vt homo nunquàm peccauerit. Et hanc dignitatem ait D.Thomas non restitui per pœnitentiam: quòd est manifestum, quia postquàm peccatum commissum est, non potest fieri, vt non sit commissum, quia ad præteritum non est potentia. Quo modo multi intelligunt illud Nahũ* 1.Mundans non facit innocentem: *quia Deus remittendo peccatum per pœnitentiam,innocentiam nõ restituit. Et eodem modo ait hîc D. Thomas ad virginitatem non restitui per pœnitentiam, iuxta Glossam in illud Amos 5.* Virgo Israel proiecta est in terram suam, & non est qui suscitet eam: *quia virginitas etiam includit negationem præteriti, quæ iam inuoluit repugnantiam suppositæ commissione peccati quam pœnitentia supponit. Neque oportet nunc disputare cum illis Theologis, qui tam de virginitate,quàm de innocentia oppositum sentiunt, vt videre licet in Altisiodorensi libr.1.Summæ, cap. 11.q.6.& Gregorio in 1.d.42:q.1.circa finem:nam illi in eo fundãtur,quòd potest fieri vt præteritum non fuerit,etiam in sensu composito:quòd planè est incredibile,cùm apertè inuoluatur contradictio.vt latiùs traditur 1.p.q.25.*

2. Tertia dignitas. Glossa in Amos. Altisio. Gregor.

*Sed oritur difficultas, nam hinc sequitur aliquam virtutem amitti per peccatum quæ non restituitur per pœnitentiam:quod repugnat dictis in art.1. Sequela patet, quia innocentia,& virginitas sunt speciales virtutes & tamen illæ non restituuntur per pœnitentiam, si amittantur per peccatum.Respondeo,de innocentia rem certam esse,non esse specialem virtutem, sed significare solùm quandam continuationem in iustitia,absque interruptione per peccatum, quæ interruptio si semel facta est,non potest fieri per pœnitentiam vt non sit facta:& ideò, licèt omnes virtutes restituantur, non restituitur innocentia,quia non restituitur vt sic dicam, illa continuitas seu perseuerantia. Quod si quis dicat affectum huius continuitatis, seu perseuerantiæ ad aliquam specialem virtutem pertinere, cum honestus sit:respondemus,in vnaquaq; materia pertinere illum affectum ad singulas virtutes: generatim autem sumptum sub illa negatione non peccandi pertinere ad charitatem vel obedientiam, aut iustitiam ad Deum: quæ omnes virtutes restituuntur per pœnitentiam,quamuis innocentia ipsa,quæ est veluti obiectum illius effectus,non restituatur.*

3. Obiect. Soluitur de Innocentia.

*De virginitate autem quidam existimant esse virtutem specialem, etiam in ordine infusarum virtutum. Et potest sumi ex D.Thoma 2.2.q.152. art. 3. & tenet Ledesma in Commentario huius articuli: qui etiam ait illam virtutem ita admitti per peccatum,vt per pœnitentiam nõ restituatur,si vel gratia fuit perdita per peccatum virginitatis contrarium, vel tale peccatum poesta commissum fuit, vel certè si ante gratiam restitutam virginitas quo-*

4. Quorũdam sententia de virginitate. D.Thom. Ledesm.

ad

*ad integritatem carnis amissa fuit sine peccato scilicet, per copulam coniugalem, siue hæc post peccatum commissum in altera specie subsecuta sit, siue præcesserit. Quòd si obicias, aliquam virtutem infusam posse admitti sine peccato, nam si virgo in gratia existens, matrimonium contrahat & consummet, hanc specialem virtutem virginitatis amittet. Consequens autem falsum est, vt etiam dictus Auctor intellexit: quia virtus semel infusa non aufertur à Deo, nisi homo apponat aliquam dispositionem illi repugnantem: actus autem qui non est vitium neque peccatum, non est dispositio repugnans alicui virtuti. Responderi potest, negando sequelam, quia quando homo peccat, habet dispositionem repugnantem huic virtuti, non tamen quando sine peccato integritatem carnis amittit. Sed hæc diuersitas est sufficiens vt in vno casu amittatur hæc virtus, & non in alio, non tamen est sufficiens vt semel amissa non restituatur per pœnitentiam propter solam integritatem carnis amissam, vt continget in virgine, quæ mortaliter peccauit per furtum v. g. & postea nupsit, & matrimonium consummauit, vel si è contrario vsque ad consummationem matrimonij iustitiam & integritatem conseruauit, postea verò peccando in alia materia, gratiam, & virtutes perdidit: nam in his casibus (si consequenter loquamur) dicendum est, postea per pœnitentiam talem virtutem restitui, si propter solum defectum integritatis carnis non amittitur. Probatur quia vel ille defectus materialis virginitatis est dispositio repugnans formali virtuti infusæ virginitatis, vel non: primum dici non potest, vt ex dictis patet: alias propter illum solum defectum priuaretur homo tali virtute, etiam nullo interueniente peccato: si autem illa non est dispositio repugnans tali virtuti quoad conseruationem eius, etiam non repugnabit iteratæ infusioni eius, nam est eadem vtriusque ratio: illa enim non repugnantia non oritur ex productione, vel conseruatione, sed ex formali ratione virtutis. Si autem ille defectus materialis non repugnat restitutioni talis virtutis, sine dubio restituitur per pœnitentiam: nam Deus infundendo gratiam, semper infundit omnes virtutes, quæ natura sua comitantur gratiam, si in subiecto non inueniat dispositionem repugnantem: quia hic modus productionis est connaturalis ipsi gratiæ, quem Deus sine causa non immutat: & quia pœnitentia, quantùm est ex se, perfectè restituit totam interiorem iustitiam, si ex parte hominis aliquod impedimentum non interueniat.*

5. *Atque hinc vlteriùs concludere possumus, talem virtutem, etiamsi esset specialis, & amitteretur per peccatum ipsi virginitati contrarium, per pœnitentiam fore restituendam. Probatur, nam in primis, si illud peccatum fuisset merè internum, eo non obstante, posteà posset talis persona perpetuam virginitatem conseruare, imò & aureolam virginis consequi: ergo adhuc est capax virtutis virginitatis non obstante tali peccato: ergo restituitur illi, si pœnitentiam agat: ergo, etiamsi peccasset exterius contra virginitatem, adhuc esset capax talis virtutis, pœnitentiam agendo. Probatur consequentia, quia si esset incapax: vel id esset ratione formalis peccati, seu interioris consensus, vel ratione materialis seu corporalis corruptionis: non primum, quia ille consensus vel fortè maior fuit in eo, qui solum per desiderium peccauit, ergo sicut in illo remouetur tale impedimentum per pœnitentiam, ita & in altero. Neque etiam dici potest secundum, quia ablato formali impedimento peccati, solus materialis defectus non repugnat infusioni virtutis, vt in superiori puncto ostensum est: & patet etiam in virgine, quæ per vim absque peccato corporaliter violentur: nam si per aliud genus peccati gratiam amittat, & posteà per pœnitentiam resurgat, sine dubio omnes virtutes illi restituentur. Et ratio à priori est, quia, non obstante defectu corporali, & præcedente peccato, potest talis virtus exercere munus suum circa talem personam post pœnitentiam vt statim declarabo.*

6. Vera solutio obiectionis de Virginitate. *Hoc igitur modo facilè soluitur argumentum negando sequelam etiamsi gratis daremus hanc virtutem esse specialem, & ab aliis omnibus distinctam. Veritas tamen est, hanc virtutem non esse distinctam à virtute castitatis, quia in suo obiecto, & actu non respicit honestatem, aut medium alterius rationis, sed eandem cum quadam maiori integritate & perfectione. Scio Caietanum suprà quæst. 85. a. 2. docuisse virginitatem non esse specialem virtutem ab aliis omnibus distinctam, esse tamen ipsam religionem determinatã ad tam excellentem materiam. Sed hoc secundùm mihi non placet: quia, licèt vouere virginitatem sit actus elicitus à religione, tamen amare & seruare virginitatem ob propriam honestatem non est actus religionis, sed castitatis: sicut vouere obedientiam est actus à religione elicitus: tamen ipse affectus obedientiæ, & executio eius vt sic non est actus elicitus à religione, sed à propria virtute cui imperare potest religio. Ita ergo est in præsenti, si in virginitate solum consideretur honestas illa, quæ est in amanda perfecta integritate, & priuatione omnis venereæ delectationis: quanquam, si consideretur finis vacandi rebus diuinis, ille pertineat ad religionem. Cùm ergo constet, tam religionem, quàm castitatem infusas restitui per pœnitentiam, constat etiam virginitatem, quatenus est virtus, per pœnitentiam restitui. Quod ex eo etiam patet, quia post virginitatem amissam vel absque peccato, vel cum illo, potest homo exercere virginitatis affectum, & dolere de virginitate amissa propter eius intrinsecam honestatem & pulchritudinem, qui actus ab eadem virtute eliciuntur: ergo propter illos restitui potest, & debet: illos autem castitas ipsa exercet. Cùm ergo dicitur virginitas semel perdita non restitui per pœnitentiam, intelligitur non quoad formale virtutis, sed quoad materialem carnis integritatem, vt rectè docuit D. Thomas 2.2. quæst. 152. artic. 3 ad 2. & 3. Cùm verò alteriùs dicitur non posse restitui (etiam à Deo) virginitatem semel amissam, nec de sola formali virtute, nec de sola carnis integritate intelligendũ est, vtramque enim potest Deus restituere, vt per se constat, & docuit D. Thom. suprà, & 1.p.q.25.art.4.ad 3. Sed intelligitur de negatione connotata, quæ est hominẽ non esse expertum voluntariè venereã delectationem corpoream, &c. Et in hoc sensu comparat hic D. Thom. ad 1. virginitatem cum innocentia: nam virginitas in eo sensu dicit quandam innocentiam, vt sic dicam, in tali materia & vsu castitatis.*

7. De dignitate Ecclesiastica. *Superest dicendum de altero sensu quæstionis quoad Ecclesiasticam dignitatem: quæ quidem non solet amitti per quodlibet peccatum mortale, sed per aliqua, quæ digna visa sunt tali pœna, quæ interdum ipso facto, interdum verò per iudicis sententiam imponitur, iuxta varias canonum dispositiones, ex quibus tota hæc res pendet, vt latiùs in alijs materiis, præsertim de censuris, tractandum est. Atque ex eisdem decretis Ecclesiasticis pendet restitutio dignitatis amissæ, vel eius denegatio, etiam post peractam pœnitentiam. Quia non est cum illa necessario connexa, quia non est necessaria ad perfectam peccati remissionem coram Deo: nam etiam ipse Deus interdum licèt remittat culpam, non remittit omnem pœnam temporalem, præsertim huius vitæ. Neque etiam repugnat restitui per pœnitentiam Ecclesiasticam dignitatem, imò interdum est valdè ratione consentaneum, si pœnitentia perfecta sit, & proportionata culpæ. Vnde in multis decretis, quæ hic attingit D. Thomas, & referuntur à Gratiano dist. 50. Statuitur vt peccatores si condignam pœnitentiam agant, ad pristinam dignitatem redeant, nisi vel graue scandalum, vel aliqua irregularitas impediat. Has enim duas exceptiones tantùm ponit hic D. Thom. si attentè legatur. Quibus nonnulla addere necesse est, præsertim circa secundam.*

8. Irregularitas & canonicum impedimentũ impediũt reditũ ad pristinã dignitatem, etiã post pœnitẽtiam. *Primum est, irregularitatem ita impedire reditũ ad pristinam dignitatem, vt tandem ipsa irregularitas per Ecclesiasticam potestatẽ tollatur, & restituatur homo ad dignitatẽ pristinã. Tamẽ, quia ipsa irregularitas nõ tollitur per pœnitẽtiam, sed per dispensationem superioris: quãuis ad hanc obtinendam pœnitentia sit congrua dispositio: verum simpliciter est pœnitentiam per se non restituere sic delinquentem ad talẽ dign;*

*dignitatem. Loquendo autẽ in hoc sensu, non solùm propter irregularitatem, sed etiam propter aliquas censuras & pœnas impeditur homo ne ad pristinã dignitatem vel vsum eius redeat per pœnitentiam, nimirum per excommunicationem, interdictum vel suspensionem. Nam etiam hæ cẽsuræ non tolluntur per pœnitentiam, sed per aliam absolutionem Ecclesiasticam, diuerso tamen modo. Nam in excommunicatione absolutio à censura debet præcedere, quia absolutio sacramentalis, per se loquendo, supponit absolutionem ab excommunicatione, licèt absolutio ipsa à tali censura supponat pœnitentiæ virtutem ex parte hominis, id est, recessum à contumacia & inobedientia Ecclesiæ cum debita satisfactione, qua existente statum debita est absolutio à tali censura: & ideò non necessariò priuat aliqua dignitate. Et quoad hoc ferè idem est de interdicto personali, ac particulari, quatenus propter propriam culpã fertur, & impedit sacramentorum vsum, vel administrationem. Suspensio autẽ per se non impedit sacramentalẽ absolutionem pœnitentiæ in recipiente, nec debetur absolutio eius homini quantumcunque pœnitenti, maximè quando suspensio imponitur vt pura pœna, & non vt medicina. De illa ergo suspensione verum est, ita deijcere clericum à gradu suo, vt per pœnitentiam non possit restitui, absque superioris relaxatione, vel per temporis lapsum si pro certo tempore lata sit. Adde, multo magis hoc procedere in Depositione, & degradatione, per quas ita priuatur homo Ecclesiastica dignitate, vt secundum ordinarium Ecclesiæ cursum priuetur etiam spe restitutionis, quantancumque pœnitentiam agat. Quod ergo D. Thomas dixit de irregularitate extendendum est ad omne canonicum impedimentum, quod sæpe etiam sub ea voce latè sumpta comprehendi solet.*

9. Priuatus beneficiis non restituitur per pœnitẽtiam.

*Vlteriùs verò considerare oportet, si sub nomine dignitatis comprehendantur beneficia Ecclesiastica, quibus homo sæpe priuatur propter crimina, vel ipso iure, vel à iudice, vel cum aliis censuris, vel sine illis, post semel factam priuationem talis dignitatis, hominem non restitui ad illam per pœnitentiam quantumuis perfectam, quia illa est pœna quædam, quæ semel imposita omninò transit in rem iudicatam, & homo amittit dominium talis rei, sicut quando priuatur pecuniis, & fructu beneficiorum, non restituũtur illi, etiamsi pœnitentiam agat. Denique aduertit Caietanus, quòd D. Thomas ait de irregularitate homicidij, incurri videlicet, etiamsi homicidium contingat in propriã defensionem, hoc non habere locum quando medium illud fuit necessarium ad se defendendum, iuxta c. vnicum de Homicidio. in 6. Sed de hoc latiùs in sequenti tomo in propria materia.*

## ARTICVLVS IIII.

### *Vtrùm opera virtutum in charitate facta possunt mortificari.*

2.2.q.132 a. 3. ad 1. & 3. d.36.ar.5 ad 1. & 4. d. 14. q.2.ar.3.q.2. & d.21. q.1. a.1.q.5.ad 3 & d.22.q.1. a.1. ad 6. & Heb.6.co.1. siu.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd opera virtutum in charitate facta, mortificari non possint, quod enim non est, immutari non potest. Sed mortificatio est quædam mutatio de vita in mortem. Cùm ergo opera virtutum postquàm facta sunt, iam non sint, videtur quòd vlteriùs mortificari non possint.

Præterea, Per opera virtutum in charitate facta, homo meretur vitam æternam. Sed subtrahere mercedem merenti, est iniustitia, quæ non cadit in Deum. Ergo non potest esse, quòd opera virtutum in charitate facta, per peccatum sequens mortificentur.

Præterea, Fortius non corrumpitur à debiliori. Sed opera charitatis sunt fortiora quibuslibet peccatis: quia, vt dicitur prouerb. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Ergo videtur, quòd opera in charitate facta, per sequens mortale peccatum mortificari non possint.

Sed contrà est, quod dicitur Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.

Respondeo dicendum, quòd res viua, per mortem perdit operationem vitæ, vnde per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur à suo proprio effectu vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad vitam æternam. Quod quidẽ impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundùm hoc opera in charitate facta, mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale.

Ad 1. ergo dicendum, quòd sicut opera peccatorum transeunt actu & manent reatu, ita opera in charitate facta, postquam transeunt actu, manent merito in Dei acceptatione. Et secundùm hoc mortificantur, in quantùm impeditur homo ne consequatur suam mercedem.

Ad 2. dicendum, quòd sine iniustitia potest merces subtrahi merenti, quando ipse reddidit se indignum mercede per culpam sequentem. Nam & ea, quæ homo iã accepit quandoque iustè propter culpam perdit.

Ad 3. dicendum, quòd non est propter fortitudinem operum peccati, quòd mortificantur opera priùs in charitate facta: sed est propter libertatem voluntatis, quæ potest à bono in malum deflecti.

## COMMENTARIVS.

*HIc articulus non indiget expositione, quia D. Thom. solùm illum proposuit ad vocem explicandam, quæ iam satis nota est, supposita ipsa re, quæ satis etiam est clara, nimirum peccatum mortale superueniens post quæcunque bona opera impedire consecutionem præmij, quandiu in homine durat: Et hoc ipsum est bona opera prius facta mortificari per peccatũ subsequens, cuius rei fundamentũ est, quia per peccatum fit homo indignus & incapax talis præmij: & ideò hoc non fuit bonis operibus promissum, nisi sub conditione, vt homo in peccato vsque ad finem vitæ non perseueret, quæ licèt ad vocis interpretationem pertineant, sunt valdè notanda pro materia sequentis articuli, propter quem D. Thomas hunc præmisit.*

ARTI

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reuiuiſcant.*

4.di.14.q.2.ar.3 q.3. & d.22.qu.1.art.1.ad 6. & Hebr.6. lect 1.col. 2. & lect. 3. col.2. qu.præc.a.1.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam non reuiuiſcant. Sicut enim per pœnitentiã ſubſequentem remittũtur peccata præterita: ita etiã per peccatũ ſequens mortificantur opera priùs in charitate facta. Sed peccata dimiſſa per pœnitentiam non redeunt, vt ſuprà dictum eſt. Ergo videtur quòd opera etiam mortificata, per charitatem non reuiuiſcant.

Art.præced.

Præterea, Opera dicuntur mortificari, ad ſimilitudinem animalium, quæ moriuntur: vt dictum eſt. Sed animal mortuum non poteſt iterum viuificari. Ergo nec opera mortificata, poſſunt iterum per pœnitentiam reuiuiſcere.

Præterea, Opera in charitate facta, merentur gloriam ſecundùm quantitatem gratiæ vel charitatis. Sed quandoque per pœnitentiam homo reſurgit in minori gratia vel charitate. Ergo non conſequitur gloriam ſecundùm meritum priorum operum. Et ita videtur, quòd opera per peccatum mortificata, non reuiuiſcant.

Gloſſ. interlinearis ibidem.

Sed contrà eſt, quòd ſuper illud Ioel. 2. Reddã vobis annos, quos comedit locuſta. dicit Gloſſa, Non patiare perire vbertatem, quã cũ perturbatione animi amiſiſti. Sed illa vbertas eſt meritum bonorum operũ, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per pœnitentiam reuiuiſcunt opera meritoria priùs facta.

Reſpondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd opera meritoria per peccatum ſequens mortificata, non reuiuiſcunt per pœnitentiam ſubſequentem, conſiderantes, quòd opera illa non remaneant, vt iterum viuificari poſſint. Sed hoc impedire non poteſt, quin viuificentur. Non enim habent vim perducendi in vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam ſolùm, ſecundùm quòd actu exiſtunt: ſed etiam poſtquam actu eſſe deſinunt, ſecundùm quòd remanent in acceptatione diuina. Sic autem remanent quantùm eſt de ſe, etiam poſtquàm per peccatum mortificantur: quia ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt: ſecundùm illud Apoca. 2. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Sed quòd iſti qui ea fecit, non ſint efficacia ad ducendum in vitam æternam, prouenit ex impedimento peccati ſuperuenientis, per quod ipſe redditus eſt indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantùm per eam remittuntur peccata. Vnde reſtat, quòd opera priùs mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam: quod eſt ea reuiuiſcere. Et ita patet quòd opera mortificata per pœnitentiam reuiuiſcunt.

Ad 1. ergo dicendum, quòd opera peccati, per pœnitentiam abolentur ſecundùm ſe: ita ſcilicet quòd ex eis vlteriùs, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Sed opera in charitate facta nõ abolentur à Deo, in cuius acceptatione remanent: ſed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis. Et ideò remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur.

In corpore art.

Ad 2. dicendum, quòd opera in charitate facta non mortificantur ſecundùm ſe) vt dictum eſt) ſed ſolùm per impedimentum ſuperueniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur ſecundùm ſe, in quantùm priuantur principio vitæ. Et ideò non eſt ſimile.

Ad 3. dicendum, quòd ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundùm quantitatem charitatis, in qua inuenitur. Habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quàm de opetibus, quæ in ſecunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.

## COMMENTARIVS.

1.

RESPONDET *D. Thomas affirmando merita mortificata per peccatum viuificari: quod egregiè probat declarando quid ſit hæc viuificatio per comparationem ad mortificationem operum: nam vnum oppoſitorum rectè per comparationem ad aliud cognoſcitur. Igitur merita mortificari nihil aliud eſt, quàm reſpectu talis perſonæ reddi ineffacia, vt ſecundùm præſentem ſtatum perducant hominem in vitam æternam propter impedimentum peccati. Ergo talia merita viuificari nihil aliud erit, quàm illud impedimentum tolli: quo ablato, illa merita tam erunt efficacia reſpectu talis perſonæ in ordine ad vitam æternam: quia ipſa merita ſecundùm ſe ſemper retinuerunt eandem vitam, & efficacitatem in diuina acceptatione, totáque ineffacia quoad inducendum effectum circa talem perſonam prouenichat ex impedimento eius: ergo hoc ſublato, viuificantur omninò talia merita: aufertur autem tale impedimentum per pœnitentiam: ergo per eandem viuificantur mortificata merita. Ex qua ratione, ſi eius vis attentè conſideretur, concluditur primò, merita mortificata viuificari in ordine ad vitam æternam quoad eſſentiale præmium, quia hoc eſt propriè vita æterna: & quia meritorum efficacia in ordine ad hoc præmium maximè conſiſtit. Concluditur deinde, viuificari integre quoad totum illud præmiũ, ita vt tam viua & efficacia ſint, ſicut anteà erant. Patet, quia ex parte ipſorum nihil eis deeſt: ex parte verò hominis ſolum erat impedimentum, quod totum ſublatum eſt*

Quid ſit merita viuificari.

per pœnitentiam: ergo nihil est vnde efficacitas illorum meritorum diminui poterit.

2. Quare merita redeant per pœnitẽtiam, non autẽ peccata per peccatum.

Atque ex hac doctrina optimè, ac facillimè dissoluit D. Thomas primum argumentum, in quo petebatur cur opera mortificata viuificentur per pœnitentiam, & peccata per pœnitentiam dimissa non redeant per subsequens peccatum. Respondet autem D. Thomas, differentiam esse. quòd merita non abolentur, seu destruuntur in se, seu prout sunt in acceptatione diuina, sed solùm ex parte hominis ponitur impedimentum effectui eorum. At verò peccatum cùm remittitur, in seipso destruitur ac aboletur, & ab homine in quo erat, aufertur, & ideò redire non potest: quia neque homo iterum illud idem committit, nec Deus illud immittit. Et eodem reuocatur solutio ad secundùm, quæ difficultatem non habet.

3. Prima solutio ad 3.

Tota ergo difficultas huius articuli, imò huius materiæ quoad mentem D Thomæ posita est in solutione ad 3. quod est huiusmodi, Opera in charitate facta merentur gloriam secundùm quantitatem gratiæ & charitatis: sed quandoque homo resurgit in minori gratia & charitate: ergo non consequitur gloriam secũdum meritum priorum operum: ergo non reuiuiscunt. Cuius argumenti vis tota fundata est in resolutione articuli secundi, vt per se constat, eiúsque solutio facillima fuisset; si aliquis sensus ex ibi pertractatis fuisset à D. Thoma intentus. Nam in primis distingui posset maior propositio assumpta, scilicet, opera mereri gloriam secundùm quantitatem gratiæ & charitatis: nam si intelligatur secundùm quantitatem gratiæ, quæ debetur homini ratione talium meritorum, id verissimum est: si verò intelligatur de quantitate gratiæ in qua homo à peccato resurgit, negari id posset, iuxta primam interpretationem ibi datam: quia potest homini plus gratiæ deberi propter præcedentia merita, quàm statim restituatur propter præsentem contritionem. Et ita etiam posset in fine vitæ dari maius præmium gloriæ, data etiam maiori gratia propter eadem merita. Hanc verò responsionem D. Thomas non admittit: & ideò dixi suprà, D. Thomam nunquàm insinuasse primam illam expositionem. Et simpliciter non est vera illa responsio, quia tota gratia, quæ homini debetur propter merita, statim ei datur, si ex parte eius non sit impedimentum: neque vnquàm homo acceptatur ad maiorem gloriam, nisi per maiorem gratiam,

4. Secunda.

Rursus potest distingui minor propositio, scilicet, posse hominem resurgere in minori gratia: aut enim hoc intelligitur cum præcisione seu ex vi solius contritionis, vt est dispositio ad primam iustificationem: vel simpliciter, & ex omni capite. Priori modo est vera illa propositio, iuxta secundam expositionem datam in articulo 2. sic tamen facilè negabitur prima consequentia argumenti: quia gloria non respondet quantitati gratiæ, quæ respondet contritioni secundùm se, seu præcisè conceptæ, sed simpliciter quantitati gratiæ, quæ quocunque titulo homini datur, vt per se notum est. Vnde, si in altero sensu illa minor propositio intelligatur, negari facilè poterit: nam homo qui habuit plura merita gratiæ, quæ per peccatum mortificauit, si posteà conteratur, licèt ex vi solius contritionis non consequatur tantam gratiam, quantã perdiderat, tamen coniungendo contritioni præcedentia merita, maiorem gratiam consequitur. Atque hanc ego esse opinor veram illius argumenti solutionem. Video tamen D. Thomam longè aliter respondisse: & ideò dixi suprà in artic. 2. illam secundam expositionem non videri menti eius consentaneam.

5. Tertia.

Tertiò responderi posset iuxta vltimam expositionem in art. 2. tractatam, negando simpliciter vtramque illationem: nam, licèt contingat hominem resurgere cũ minori gratia, quàm fuerit prius amissa, nihilominus tamen illa gratia semper est maior ratione præcedentium meritorum, quam esset ratione solius contritionis, sit alia merita non processissent: & ideò non sequitur hominem non consequi gloriam ratione priorum meritorum, sed solùm sequitur non consequi propter illa tantam gloriam, quantam consequeretur si aut merita mortificata non fuissent, aut cum feruentiori contritione surrexisset. Veruntamen hunc etiam respondendi modum D. Thomas prætermisit: & ideò non censeo doctrinam in eo contentam esse ad mentem eius, nec simpliciter veram: tum quia nulla ratio aut modus illius proportionis, & viuificationis meritorum reddi aut explicari potest, qui satisfaciat: tum maximè propter rationem à nobis explicatam in corpore articuli huius, quia merita plenè reuiuiscunt, cùm omninò tollatur impedimentum: & ideò non est cur ratione illorum minor gratia vel gloria conferatur, etiamsi contritio minor sit, quia illa non occurrit ad illum effectum, vt dispositio per se requisita, sed vt remouens prohibens, in quo tantum effectum habet minor, sicut maior contritio.

6. D. Thom. solutio.

His ergo omnibus silentio præteritis D. Thom. respondet, eum, qui resurgit in minori charitate, solum præmium essentiale consecuturum secundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur, habiturum tamen quoddam præmium accidentale priorum operũ, quia habebit maius gaudium de operibus in prima charitate factis. Non declarat autem D. Thomas, an illud præmium essentiale vel totum, vel ex parte detur propter præcedentia merita: an verò solùm detur propter contritionem & opera in secunda charitate facta, & ratione priorum operum solùm detur præmium illud accidentale: hoc tamen posterius insinuat D. Thom. quia de hoc solo mentionem facit, & quia soli charitati, quæ contritioni respondet, præmium essentiale attribuit. Aliunde verò incredibile videtur hoc sensisse D. Thomam, quia directè repugnat cum conclusione, & ratione corporis articuli. in quo dicit merita mortificata ita viuificari per pœnitentiam, vt recuperent efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam. Neque etiam verisimile est, per vitam æternam solum præmium accidentale intellexisse: neque efficacia meritorum alia est, quàm consecutio præmij illis debiti. Præterquàm quòd illa doctrina in se valdè falsa est, vt in dicta relectione latè ostendi, & parum consentanea doctrinæ eiusdem D. Thomæ in aliis locis. Et præsertim notandus est locus in quodlib. 5. q. 12. art. 1. nam magna ex parte confirmat doctrinam à nobis datam in illa relectione: dicit enim, aureolam semper præsupponere auream, & ideò qui non meretur auream, id est præmium essentiale, non mereri aureolam, id est, accidentale: quod intelligit non tantùm respectu eiusdem subiecti, sed etiam respectu eiusdem operis: nam hinc concludit, eum qui docet propter vanam gloriã, quia non meretur auream, neque aureolam mereri. Ex quo vlteriùs infert, quanuis posteà illius peccati pœnitentiam agat, non recuperare aureolam: quia pœnitentia (inquit) restituit homini præmia priùs habita, non tamen ea quæ non habuit, nisi in quantùm ipse motus contritionis est meritorius. Pœnitentia ergo ex mente D. Th. restituit non tantùm præmium accidẽtale, sed etiam essentiale, & , si hoc non restitueret, neque illud conferret: quia sicut à principio non potuit quis mereri aureolã sine aurea, ita nec posteà potest viuificare meritum ad aureolam, si non potest ad auream: est enim eadem vtriusque ratio, scilicet, quia aureola præsupponit auream, sicut comparatiuus positiuum.

7.

Propter hoc ergo fatentur Thomistæ præmium illud essentiale, quod respondet charitati etiam minori, dari (ex mente diui Thomæ) propter priora merita iam viuificata. Propter alias verò difficultates addiderunt nonnulli, hoc præmium neque aliud, neque maius esse, quàm responderet præsenti contritioni, sed idem dari pluribus titulis: quòd etiam Caietanus hic insinuauit. Veruntamen neque hoc diuus Thomas vnquàm explicuit, neque in se verum est, aut probabile, vt in dicto loco latè ostendi. Fateor ergo me non satis intelligere quid D. Thomas in hac solutione sibi voluerit. Et libentius dicerem non satis

accuratè

*accuratè hic respondisse, quàm propter vnum verbum, quod excidere solet in solutione vnius argumenti, sententiam aliquam improbabilem, & aliis principiis eius repugnantem, illi imponere.*

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm per pœnitentiam subsequentem, etiam opera mortua viuificentur.*

4 dist. 14. q. 2. art. 3. q. 1. dist. 15 q. 1. ar. 3. q. 4. & 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd per pœnitentiam subsequentem etiam opera mortua (quæ scilicet non sunt in charitate facta) viuificentur. Difficilius enim videtur quòd ad vitã perueniat illud, quod fuit mortificatum (quod nũquàm fit secundùm naturã) quàm illud, quod nunquàm fuit viuum, viuificetur: quià ex nõ viuis, secundùm naturam aliqua viua generantur. Sed opera mortificata, per pœnitentiam viuificantur: vt dictum est. Ergo multò magis opera mortua viuificantur.

Art. præced.

Prætereà, Remota causa, remouetur effectus. Sed causa quare opera de genere bonorum sine charitate facta, non fuerunt viua, fuit defectus charitatis & gratiæ. Sed iste defectus tollitur per pœnitentiam. Ergo per pœnitentiam opera mortua viuificantur.

In illud Aggæ. Semina sti multùm. tom. 6.

Prætereà Hier. dicit: Si quando videris inter multa mala opera, facere peccatorẽ quẽquam aliqua, quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorũ. Sed hoc maximè videtur quando mala præterita per pœnitentiam tolluntur. Ergo videtur quòd post pœnitentiam Deus remuneret priora bona opera in statu peccati facta: quod est ea viuificari.

Sed contrà est, quòd Apostolus dicit primæ Corint. 1. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest. Hoc autem non esset, si saltem per pœnitentiam subsequentem viuificarentur. Non ergo pœnitentia viuificat opera priùs mortua.

Respondeo dicendũ, quòd opus aliquod dicitur mortuum dupliciter. Vno modo effectiuè: quia, scilicet, est causa mortis. Et secũndùm hoc opera peccati dicuntur opera mortua: secundùm illud Hebræ. 9. Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis. Hæc igitur opera mortua non viuificantur per pœnitentiam, sed magis abolentur: secundùm illud Hebr. 6. Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ad operibus mortuis. Alio modo dicũtur opera mortua priuatiuè, scilicet, quia carent vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo viuit, sicut corpus per animam. Et per hunc modum etiam fides; quæ est sine charitate, dicitur mortua, secundùm illud Iac. 2. Fides sine operibus mortua est. Et per hunc etiam modum omnia opera, quæ sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mottua: in quantùm scilicet, non procedunt ex principio vitæ, sicut si dicamus Sonum citharæ vocem mortuam. Sic igitur differentia mortis & vitæ in operibus, est secundùm comparationem ad principium, à quo procedunt. Opera autem non possunt iterum à principio procedere (quia transeunt) & iterum eadem numero resumi non possunt. Vnde impossibile est quòd opera mortua iterum fiant viua per pœnitentiam.

Ad 1. ergo dicendum, quòd in rebus naturalibus, tam mortua, quàm mortificata carent principio vitę. Sed opera dicuntur mortificata non ex parte principij, ex quo processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci. Mortua autem dicuntur ex parte principij. Et ideò non est similis ratio.

Ad 2. dicendũ, quòd opera de genere bonorum sine charitate facta, dicuntur mortua propter defectum charitatis & gratiæ, sicut principij. Hoc autem non præstatur eis per pœnitentiam sequentem, vt ex tali principio procedant. Vnde ratio non sequitur.

Ad 3. dicendum, quòd Deus recordatur bonorum, quæ quis facit in statu peccati, non vt remuneret ea in vita æterna: quod debetur solis operibus viuis, id est, ex charitate factis. Sed remunerat ea temporali remuneratione: sicut Greg. dicit in Homilia de Diuite & Lazaro: quòd nisi diues ille aliquod bonũ egisset, & in præsenti seculo remunerationem accepisset, nequaquã ei Abraham diceret: Recepisti bona in vita tua. Vel etiã hoc potest referri ad hoc, quòd patietur tolerabiliùs iudicium. Vnde dicit Augustinus in lib. de Patientia: Non possumus dicere, Schismatico melius fuisset, vt Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo, sed existimandum est, tolerabilius ei futurum iudiciũ quàm si Christũ negando, nihil eorũ pateretur, vt illud quod ait Apostolus: Si tradidero corpus meũ ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi supplicij iudicium tolerabiliùs subeundum.

Homil. 40. in Euang. circa medium illus.

Lib. de Patientia, c. 26. in medio, to. 4.

1. Cor. 13.

## COMMENTARIVS.

PRIMO *declarat D. Thom. quid opus mortuum sit: quod satis clarum est: deinde respondet, talia opera non viuificari. quod etiam per se satis euidẽs est, quia nunquam habuerunt vitam, neque valorem. Atque ita hæc reso-* 1.

*resolutio non solùm est vera de operibus malis, & de bonis extra charitatem factis, sed etiam de aliquibus bonis factis in charitate, si aliqua fortasse sunt, quæ dum fiunt, merito carent: Vnde hic optimè applicatur doctrina, quam ex eodem D. Thoma in quodlib. 5. in superiori articulo referebamus, scilicet, pœnitentiam non conferre homini noua præmia propter priora opera, si per illa non meruit, sed solùm tollere obstaculum his quæ meruit. Ideoque generalis regula sit, pœnitentiam non viuificare aliquod opus, quod à principio quando fuit factum, non fuit meritorium.*

Regula notanda.

2. *Ex hoc autem principio colligi posse videtur, si aliquod opus est meritorium præmij accidentalis tantùm, quoad illud viuificari posse per pœnitentiam, si mortificatum fuit per peccatum: quod tangit D. Thomas in solut. ad 3. (nam aliæ duæ solutiones difficultatem non habent) tamen quia nullus meretur per aliquod opus præmium accidentale, si non mereatur essentiale, vt ex D. Thom. in quodlib. 5. adduxi ar. præced. & latiùs ostendi in dict. relect. ideò consequenter dicitur, opus meritorium de condigno nec mortificari, nec viuificari ad vnum præmium absque alterò. Addo præterea, in ordine ad præmia futuræ vitæ nullum esse præmium tantùm de congruo: quod tacitè sensit D. Thomas in hac solut. ad 3. dicens opera mortua, quatenus bona sunt, habere aliquam remunerationem in hac vita, non verò in futura, quia scilicet illa tantùm de congruo aliquid merentur: idemq; opinor de operibus bonis iustorum, si quæ sunt non meritoria præmij essentialis: illa enim non sunt propriè meritoria præmij accidentalis gratuiti etiam de congruo. Nam accidentale gaudium, quod de illis habebunt Beati, non tam est præmium, quam proprietas necessariò consequens, suppositis talibus operibus, & memoria eorum: vnde illud etiam esse poterit de operibus bonis in statu peccati factis, quatenus bona fuere. Præter hoc autem nullum aliud speciale præmium promissum est his operibus in vita æterna: neque est vlla congruitas, aut specialis ratio ob quam detur.*

3. *Ex quibus tandem concludo, nunquam talia opera viuificari per pœnitentiam ad præmium accidentale: quod etiam sensit D. Thomas in illa solutione ad 3. Et patet, quia viuificatio meritorum solùm est in ordine ad præmium vitæ futuræ, & ad gratiam in qua illud fundatur (nam si quæ sunt præmia, quæ in hac vita propter hæc opera dentur, illa dari possunt, & solent hominibus etiam in peccato mortali permanentibus) ergo talia opera nõ mortificantur per peccatum: ergo nec viuificantur per pœnitẽtiam: Antecedens patet primùm, quia hæc præmia maximè sunt temporalia bona, vt D. Thomas ait in hac solutione, quæ Deus peccatoribus facilè confert. Si verò aliqua sunt spiritualia, ad summum sunt quædam auxilia, quibus homo paulatim promouetur, vt tandem perfectè se ad iustitiam disponat, quæ auxilia etiam dantur peccatoribus. Imò, si daremus (quod aliqui volunt) posse peccatorem mereri de congruo vocationem congruam ad iustificationem, adhuc illa opera non reuiuiscerent per pœnitentiam, seu potiùs præmiarentur per vocationem ad pœnitentiam, quæ saltem ordine naturæ illam antecedit: sed de merito iustorum operum latiùs in materia de Gratia dicendum est. Et interim videri possunt Soto li. 2. de Nat. & grat. c. 4. & Vega q. 7. de Iustificatione, & Nauarrus in Summa, prælud. 7. nu. 3. c. 3. n. 8. & c. 27. n. 267. & de Pœnit. d. 6. c. 1. n. 45. & infrà in materia de Satisfactione aliquid dicemus.*

## DISPVTATIO XIIII.

### *De vltimo effectu pœnitentiæ, qui est reparatio meritorum mortificatorum.*

HANC Disputationem tractaui latè in tom. Opuscul. relect. 2. ad quam propterea Lectorem remitto.

## QVÆSTIO XC.

### *De partibus pœnitentiæ in generali, in quatuor articulos diuisa.*

DEinde considerandum est, de partibus pœnitentiæ.

*Et primò, in generali.*
*Secundò, in speciali de singulis.*
*Circa primum quæruntur quatuor.*
*Primò, vtrùm pœnitentia habeat partes.*
*Secundò, de numero partium.*
*Tertiò, quales partes sint.*
*Quartò, de diuisione eius in partes subiectiuas.*

IN hac quæstione incipiebat D. Thomas tractare tertium membrum totius materiæ de pœnitentia, ex iis quæ suprà in initio quæstion. 84. proposuerat: & propinquiùs accedebat ad tractandum de sacramento pœnitentiæ: nam quæ hactenus dixit, ferè cõmunia sunt virtuti pœnitentiæ, vt ex iis, quæ circa illa disseruimus, constat. Et quoniam de forma huius sacramenti sufficienter dictum esse in quæst. 84. D. Thomas existimauerat, hic incipiebat agere de materia eius. Et in hac quæstione communem illius diuisionem præmisit, dicturus posteà de singulis membris seu partibus eius. Deinde de subiecto, ministro, & accidentibus huius sacramenti. Quia verò in hac quæstione aliqua dicit communia virtuti pœnitentiæ, visum est eam priùs explicare, vt absoluto priùs tractatu de virtute, ad differendum de sacramento pœnitentiæ transeamus.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm pœnitentiæ debeant partes assignari.*

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd pœnitentiæ non debeant partes assignari. Sacramenta enim sunt, in quibus diuina virtus secretiùs operatur salutem. Sed virtus diuina est vna & simplex. Non ergo pœnitentiæ, cùm sit sacramentum, debent partes assignari. 4. dist. 16. q. 1. art. 1. q. 2. & 4.

Præterea, Pœnitentia & est virtus, & est sacramentum. Sed ei, in quantùm est virtus, non assignantur partes, cùm virtus sit habitus quidam, qui est simplex qualitas mentis, similiter etiam & pœnitẽtiæ, in quantùm est sacramentum, non videtur quòd sint partes assignãdæ: quia Baptismo, & aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo pœnitentiæ nullo modo debent partes assignari.

Præterea, Pœnitentiæ materia est peccatum: vt suprà dictum est. Sed peccato non assignantur partes: Ergo etiam nec pœnitentiæ qu. 84. ar. 2.

tentiæ ſunt partes aſſignandæ.

Sed contrà eſt, quòd partes ſunt, ex quibus perfectio alicuius integratur. Sed pœnitentiæ perfectio integratur ex pluribus, ſcilicet ex contritione, confeſſione & ſatisfactione. Ergo pœnitentia habet partes.

Reſpondeo dicendum, quòd partes rei ſunt, in quas materialiter totum diuiditur. Habent enim ſe partes ad totum, ſicut materia ad formam. Vnde in ſecundo Phyſ. partes ponuntur in genere cauſæ materialis, totum autem in genere cauſæ formalis. Vbicũque igitur ex parte materiæ inuenitur aliqua pluralitas, ibi eſt inuenire partium rationem. Dictum eſt autem ſuprà, quòd in ſacramento pœnitentiæ, actus humani ſe habent per modum materiæ. Et ideò, cùm plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, ſcilicet, contritio, confeſſio, & ſatisfactio (vt infrà patebit) conſequens eſt, quòd ſacramentum pœnitentiæ habeat partes.

Lib. 2. tex. 31. tom. 2.

q. 84 art. 1. & 3.

Art. ſequẽti.

Ad 1. ergò dicendum, quòd quodlibet ſacramentum habet ſimplicitatem ratione virtutis diuinæ, quæ in eo operatur. Sed virtus diuina propter ſui magnitudinem, operari poteſt & per vnum, & per multa, ratione quorum alicui ſacramẽto poſſunt partes aſſignari.

Ad 2. dicendum, quòd pœnitentiæ, ſecundùm quòd eſt virtus, nõ aſſignantur partes: actus enim humani, qui multiplicantur in pœnitentia, non comparantur ad habitum virtutis, ſicut partes, ſed ſicut effectus. Vnde relinquitur, quòd partes aſſignentur pœnitentiæ, in quantùm eſt ſacramentum, ad quod actus humani comparantur, vt materia. In aliis autem ſacramentis materia non ſunt actus humani, ſed aliqua res exterior vna, ſiue ſimplex, vt aqua, vel oleum: ſiue compoſita, vt chriſma. Et ideò aliis ſacramẽtis non aſſignantur partes.

Ad 3. dicendum, quòd peccata ſunt materia remota pœnitentiæ: in quantùm ſcilicet ſunt materia vel obiectum humanorum actuum, qui ſunt propria materia pœnitentiæ, prout eſt ſacramentum.

---

## COMMENTARIVS.

1. QVANQVAM D. Thomas in titulo non explicet, de quibus partibus loquatur, vt tamen ex corpore articuli, & expreſſius, ac diſtinctius ex articuli ſequente conſtat, non loquitur de partibus eſſentialibus, quæ ſunt materia, & forma, has enim iam declarauerat in quæſt. 84. ſed de partibus materiæ, quæ in rebus materialibus integrales appellari ſolent. Atque ſic intellecto titulo, facilis eſt reſolutio: & ratio articuli · meritò ſcilicet in hoc ſacramento diſtingui partes materiales: quia plures actus pœnitentiæ ſunt partes aſſignandæ.

A tis ad conſtitutionem, & integritatem huius ſacramenti neceſſarij ſunt. Actus autem pœnitentis ſunt materia huius ſacramenti, vt in quæſt. etiam 84. oſtenſum fuit: habet ergo hoc ſacramentum plures partes materiales: ergo illas diſtinguere neceſſarium fuit, ad diſtinctam, & exactam notitiam huius ſacramenti tradendam.

Ex argumentis primum difficultatem non habet. Secũdum verò duo media ſeu argumenta continet ex duobus diuerſis exemplis ſumpta. Vnum eſt, quia in virtute pœnitentiæ non diſtinguuntur hæ partes: & ideò videtur nec in ſacramento debere diſtingui. Et reſpondet D. Thomas negando conſequentiam, quia actus pœnitentiæ non ſunt partes virtutis pœnitentiæ, ſed effectus: ſunt autem partes ſacramenti. Atque ita ſupponere videtur D. Tho. diuiſionem illam partium pœnitentiæ in contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quam ſtatim articulo ſequenti declarat, non habere locum in virtute pœnitentiæ: B quod eſt verum, loquendo de illis membris formaliter in ratione partium integrantium vnum totum quaſi artificiale. At verò ſi ſolùm conſiderentur in ratione ſpecialium actuum pœnitentiæ, ſi poſſet etiam virtus pœnitentiæ non habitualis, ſed actualis in illa tria membra tanquàm in actus diuerſarum rationum diſtingui. Quo modo diuiſionem illam explicuimus, & ad virtutem pœnitentiæ accommodauimus ſuprà diſp. 6. ſect. 2. Frequentius tamen traditur in ordine ad ſacramentum, quod hic D. Thomas intendit. Et ſic eam declarat artic. ſequenti, vbi id videbimus.

2.

Quomodo partes materię ſacrameti pœnitentiæ habeãt locum in virtute.

Aliud exemplum erat de Baptiſmo, in cuius materia non diſtinguuntur partes, & ideò neque in pœnitentia diſtinguenda videntur: Reſpondet autem D. Thomas negando conſequentiam, quia materia Baptiſmi nõ eſt actus humanus, ſed quædam res exterior. Et in reſponſione extendit D. Thomas ſermonem ad alia ſacramenta, dicens propter hanc cauſam in aliis ſacramentis non diſtingui partes materiæ, ſicut in pœnitentia. Sed hoc permiſſiuè intelligendum puto, non diſtributiuè. Oportet ergo (quod D. Thomas ſtatim in ſolutione ad tertium fecit) in hoc ſacramento diſtinguere in ſacramentis materiam remotam & proximam, licèt ergo materia remota Baptiſmi, vel aliorum quorundam ſacramentorum non ſit actus humanus, ſed aliqua res exterior, tamen materia proxima ſæpe eſt actus humanus, vt in Baptiſmo ablutio, in Confirmatione, Extrema vnctione, vnctio, in Matrimonio traditio corporum, in Ordine tactus, vel quid ſimile: vnde ſola Euchariſtia eſt, in qua res exterior ita eſt materia: vt nullus D actus humanus ex parte materiæ neceſſarius ſit. Eſtque ratio ſpecialis, quia ſolùm illud ſacramentum non conſiſtit in vſu: & ideò ſumptio illius iam non ad conſtitutionem ſacramenti, ſed ad vſum ſpectat.

3.

Differentia inter materiã pœnitentiæ, & aliorũ ſacramentorum.

Rurſus pro ſacramentorum varietate ita ſe habet hæc materia, vt in quibuſdam ſit ſimplex, ſeu vna tantùm ſine propria partium diſtinctione, tam ex parte rei exterioris, quam ex parte actus hominis, qui ibi interuenit. Quod videre licet in Baptiſmo, & Confirmatione, quæ ſunt exempla D Thom. quanuis Baptiſmus excedat, quia ſimpliciorem habet materiam, tam proximam, quam remotam. Aliquando verò ſacramentum non habet partes ex parte rei exterioris, habet tamen illas ex parte humani actus, vt in Extrema vnctione oleum benedictum eſt vnica & ſimplex materia: vnctiones tamen debent eſſe plures, quæ reuerà ſunt plures partes integrantes ſeu materiales. E Aliquando verò ex vtroque capite poſſunt diſtingui partes materiales, vt in matrimonio corpora vtriuſque coniugis ſunt partes materiæ remotæ: duplex verò traditio eſt quaſi duplex partialis materia proxima talis ſacramenti: & in ſacramento Ordinis poſſunt eſſe plura exempla, vt ſuo loco videbimus. Denique in Euchariſtia, vbi ſola res exterior eſt materia, duæ ſunt illius partes, panis, & vinum. Habere igitur partes materiales non eſt ita proprium huius ſacramenti, vt aliis non conueniat, ſed ita vt

4.

non

*non omnibus necessariò conueniat. Cur autem tanta varietas in materia sacramentorum inueniatur, ex voluntate instituentis pendet. Generalis verò ratio esse potest, quia pro effectuum varietate est etiam illa varietas necessaria. Et in singulis sacramentis inuenitur propria congruitas, ob quam talis simplicitas, vel compositio fuerit illis accommodata.*

5. *In solutione ad tertium ait D. Thom. peccata esse materiam remotam: actus verò pœnitentis circa peccata esse materiam proximam pœnitentiæ: quod, quantùm ad virtutem spectat, explicatum reliquimus in Disputatione secunda. Quantùm verò pertinet ad sacramentum declarabitur statim disp. 17. quæ erit secunda de Sacramento.*

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm conuenienter assignentur partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio.*

4. dist. 16. q. 1. art. 1. q. 2. & 4. & dist. 17. q. 3. art. 3. qu. 4. col. & dist. 22. q. 2. ar. 1. q. 2. ad 3. & 2 Cor. 7. le. 3. col. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter assignentur partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio. Contritio enim est in corde (& sic pertinet ad interiorem pœnitentiam) confessio autem est in ore, & satisfactio in opere, & sic duo vltima pertinent ad exteriorem pœnitentiam. Pœnitentia autem interior non est sacramentum, sed sola pœnitentia exterior, quæ sensui subiacet. Non ergo conuenienter assignantur hæ partes sacramento pœnitentiæ.

q. 62 a. 1. & 3. Præterea, In sacramento nouæ legis confertur gratia: vt suprà habitum est. Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

Præterea, Non est idem fructus rei, & pars. Sed satisfactio est fructus pœnitentiæ, secundùm illud Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Ergo non est par pœnitentiæ.

Præterea, Pœnitentia ordinatur contra peccatum. Sed peccatum potest perfici solùm 1. 2. q. 72 a. 7. in corde, per consensum: vt in Secunda parte habitum est. Ergo & pœnitentia. Non ergo pœnitentiæ debent partes poni confessio oris, & satisfactio operis.

Sed contrà, Videtur, quòd debeant poni plures partes pœnitentiæ. Pars enim hominis ponitur non solùm corpus, quod est eius materia, sed etiam anima, quæ est eius forma. Sed tria prædicta, cùm sint actus pœnitentis, se habent sicut materia: absolutio autem sacerdotis se habet per modum formæ. Ergo absolutio sacerdotis debet poni quarta pars pœnitentiæ.

Posita in argumẽto primo.

Li. 5. tex. 7. tom. 3. Respondeo dicendum, quòd duplex est pars vt dicitur in 5. Metaph. scilicet pars essentiæ, & pars quantitatis. Partes essentiæ, sunt naturaliter quidem forma, & materia, A logicè autem est genus, & differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam, & formam, sicut in partes essentiæ. Vnde & suprà dictum est, quòd sacramenta consistunt in rebus, & verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ, partes quantitatis sunt partes materiæ. Et hoc modo sacramento pœnitentiæ specialiter assignantur partes (vt dictum est) quantùm ad actus pœnitentis, qui sunt materia huius sacramenti. Dictum est autem suprà, quòd alio modo fit recompensatio offensæ in pœnitentia, & in vindicatiua iustitia. Nam in vindicatiua iustitia fit recompensatio secundùm arbitrium iudicis, non secundùm voluntatem offendentis, vel offensi. Sed in pœnitentia fit recompensatio offensæ secundùm voluntatem peccantis, & secundùm arbitrium Dei, in quem peccatur: quia hîc non quæritur sola redintegratio æqualitatis iustitiæ (sicut in iustitia vindicatiua) sed magis reconciliatio amicitiæ: quod fit dum offendẽs recõpensat secundùm voluntatem eius, quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pœnitentis: primò quidem voluntas recompensandi, quòd fit per contritionem: secundò, quòd se subiiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione: tertiò, quòd recompenset secundùm arbitriũ ministri Dei, quod fit in satisfactione: Et ideò contritio, confessio, & satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ. qu. 60. ar. 5. & 6. Arti. præced. quæ. 85. art. 3. ad 3.

Ad 1. ergo dicendum, quòd contritio secundùm essentiam quidem est in corde, & pertinet ad interiorem pœnitentiam. Virtualiter autem pertinet ad exteriorem pœnitẽtiam: in quantùm scilicet implicat propositum confitendi, & satisfaciendi.

Ad 2. dicendum, quòd satisfactio confert gratiam, prout est in proposito: & auget eam, prout est in executione, sicut etiam Baptismus in adultis, vt suprà dictum est.

Ad 3. dicendum, quòd satisfactio est pars pœnitentiæ sacramenti, fructus autem pœnitentiæ virtutis. quæ. 68. a. 2. & q. 69. ar. 8.

Ad 4. dicendum, quòd plura requiruntur ad bonum, quod procedit ex integra causa, quàm ad malum, quod procedit ex singularibus defectibus, secundùm Dionys. 4. cap. de Diui. nom. Et ideò, licèt peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen pœnitentiæ requiritur & contritio cordis, & confessio oris, & satisfactio operis. Capit. 4. par. 4. inter finẽ & medium.

Ad contrarium verò patet solutio per ea, quæ dicta sunt. In corpore art.

COM

## COMMENTARIVS.

1.

DVo, vt ex argumentis constat, interrogantur in hoc titulo. Primum, an omnes hæ sint partes huius materiæ. Aliud, an hæ partes sufficienter complectantur, seu constituant hanc materiam. Et vtrique vnica & simplici responsione ac ratione D. Thomas satisfacit. Dicens optimam esse illam diuisionem, & ideò neque continere aliquid quod materia non sit, neque etiam desiderari aliquid, quod materia sit. Assũptum verò declaratur, quia ad finem pœnitentiæ illæ tres partes sufficiunt, & necessariæ sunt, vt fiat Deo voluntaria recompensatio pro peccato secundùm arbitrium eius: hic enim est pœnitentiæ finis, ad quem comparandum perfectè illa tria concurrunt, & sunt necessaria secundùm diuinam institutionem. Aduertere enim oportet circa hanc literam D. Thomæ, ipsum supponere, recompensationem hanc ex parte quidem hominis voluntariam esse debere, quia est (vt ita dicam) amicabilis, seu ad restituendam diuinam amicitiam ordinata: tamen nõ esse in arbitrio hominis modum, seu rationem exhibendi Deo hanc recompensationem, imò neque esse ex sola rerum natura determinatam, sed pendere ex arbitrio diuino, vt sæpe dictum est suprà, & hìc D. Thomas apertè docet. Vnde ratio à priori, cur illa tria, & non plura, sint necessaria in lege noua est, quia Deus ita instituit. Congruentia autem est, quàm hìc affert D. Thom.

D. Thom. concl.

2.

Circa quam oportet vlteriùs aduertere, D. Thomam solum tribuere contritioni voluntatem recompensandi, confessioni verò subiectionem, quæ fit homini loco Dei, vt de recompensatione iudicet seu arbitretur: satisfactioni verò à ministro Dei impositæ tribui ipsam recompensationem. Quæ quidem nonnullas habent difficultates, quia ad contritionem non solùm spectat voluntas recompensandi, sed multò magis recompensatio ipsa pro culpa, quatenus ab homine exhiberi potest per detestationem peccati. Atqua ita non rectè videtur tribui satisfactioni (quæ est tertia pars pœnitentiæ) tota recompensatio pro peccato: sed solùm illa, quæ est pro pœna temporali. Vnde etiã confessio non principaliter ordinatur ad hanc recompensationem pro pœna, quæ quasi secundaria est, sed ad ipsius culpæ remissionem. Quæ quidem omnia partim constant ex suprà tractatis de virtute, partim constabunt ex dicendis de sacramento pœnitentiæ. Quo fit, vt contritio eadem ratione in lege noua exigatur, qua ex se, & in quacunque lege necessaria est, scilicet, vt auertat hominem à peccato, & conuertat ad Deum, atque ita disponat illum ad veniam obtinendam. Et præterea, quia sine illa non potuisset confessio veram rationem accusationis habere, vt suo loco dicemus. Confessio autem exterior, & sacramentalis, de qua hìc est sermo, specialiter postulata est in lege noua, vt posset ab hominibus loco Dei iudicium de peccatis ferri, quod factum est, vt medicina peccatorum & facilior esset, & vtilior. Vnde etiam talis actus, licèt exterior sit, tamen, vt ab interiori procedit, & totum hominem Deo subiicit in suo ministro, quodammodò concurrit ad ipsam recompensationem etiam pro offensa, qualis ab homine exhiberi potest: & ideò interdum etiam suo modo complet dispositionem ad veniam obtinendam, & reconciliandam amicitiam saltem per sacramentũ, vt quando contritio imperfecta est, seu sola attritio. Tandem verò adiuncta est satisfactio propter vindictam peccatorum & recompensationem pœnæ temporalis quoad reatum eis relictum.

Prima difficultas circa doctrinam diui Thomę

Respondeo, hæc vera esse, nec à D. Thoma in præsenti negari, licèt non omnia explicuerit, sed per effectum clariorem, & in quo magis cernitur ratio iustitiæ punitiuæ, vsum & necessitatem prædictarum partium declarauerit. Quanquàm primum membrum, scilicet, ad contritionem pertinere voluntatem recompensandi, intelligi posset non tantùm de recompensatione pro pœna, sed etiam pro culpa, qualis ab homine exhiberi potest, & consequenter intelligetur de voluntate efficaci, quæ operatur etiam quod potest: sic enim pœnitentia vult recompensare, vt statim exhibeat quod potest ad recompensationem, scilicet, detestationem, & contritionem: & ideò totum hoc includit D. Thomas sub illo primo membro. Et consequenter in secundo verissimè dicit pœnitentem per confessionem subiici homini loco Dei, non tantùm ad pœnalem satisfactionem suscipiendam, sed maximè vt de culpa ipsa iudicetur & consequenter de dispositione ad veniam obtinendam necessaria. Post quod iudicium satisfactio quæ supererit, solùm est pro pœna. Ex his ergo satis constat prædicta diuisio, quæ & communis est apud Theologos antiquos, & approbatur à Conciliis Florentino, & Tridentino, sess. 14 cap. 3.

Concil. Florent. & Trid.

*In solutione ad 1. explicat D. Thomas, quomodo contritio, cum sit actus interior, possit esse pars sensibilis sacramenti, & in summa dicit rationem esse, quia, licet secundũ essentiam sit interior, virtualiter tamen pertinet ad exteriorem pœnitentiam, in quantùm implicat propositum confitendi & satisfaciendi. Circa quam responsionem dubium proponit Caietanus. Supponens* D. Thomam dicere contritionem secundùm essentiam non esse partem sacramenti, sed vt virtualiter pertinet ad exteriorem pœnitentiam. Ex quo videtur sequi, contritionem, vt est distincta à confessione, & satisfactione, non esse partem pœnitentiæ. Et respondet in contritione plura inueniri, inter quæ vnum est velle recompensare ad arbitrium sacerdotis: & vt sic, esse primam partem sacramenti pœnitentiæ: distinguique à confessione, & satisfactione tanquàm initium pœnitentiæ exterioris, & satisfactionis reconciliatiuæ. Et hanc voluntatem ait intellexisse D. Thomam, cùm dixit, contritionem, vt implicat propositum confitendi, & satisfaciendi, virtualiter pertinere ad pœnitentiam exteriorem.

Dubium Caietani.

Eiusdem solutio.

*Mihi tamen nec dubitatio hæc videtur habere fundamentum in verbis* D. Thomæ, *nec placet doctrina, quæ occasione illius datur. Primum declaro, quia* D. Thomas non habet illam propositionem negatiuam, Contritio secundùm essentiam non est pars sacramenti pœnitentiæ: neque est vera, in sensu in quo illa particula secundum, in præsenti accipi debet. Potest enim accipi reduplicatiuè seu causaliter, id est, non includi in essentia contritionis, quod sit pars sacramenti, seu contritionem præcisè ex vi suæ essentiæ non habere quod sit pars sacramenti. Et sic quidem propositio est vera, tamen impertinens ad propositum: quia non refert ad rem, de qua agitur, & est res per se nota, quia essentia contritionis antiquior est sacramento, & non pendet ex institutione, sicut sacramentum vnde esse partem sacramenti, accidentarium illi est, & extrinsecum, sicut est extra essentiam aquæ, quòd sit materia sacramenti. Alio ergo modo sumitur illa particula specificatiuè, seu ad designandum id quod substantialiter, vt sic dicam, est materia seu pars materiæ, ac si diceremus, panem secundùm substantiam & essentiam suam esse partem materiæ Eucharistiæ, & in hoc sensu falsum esse censeo negare contritionem secundùm essentiam suam esse partem sacramenti: nam essentia contritionis in detestatione peccati commissi cum proposito cauendi de cætero consistit, & sub ea ratione dicitur esse pars huius sacramenti in Concilio Florentino, & Tridentino, & infrà suo loco latiùs ostendemus. Nec* D. Thomas hoc negat, sed affirmat solùm contritionem secundùm essentiam suam esse in corde & esse actum interiorem, quod longè diuersum est, neque ex hac affirmatione sequitur altera negatio. Neque etiam ex eo, quod D. Thomas subdit, contritionem virtualiter pertinere ad exteriorem pœnitentiam in quantum implicat propositum, &c. nam potius verbis voluit explicare rationem, ob quam licet contritio secundùm essentiam sit actus interior, nihilominus secundum

3. Refellitur dubium.

*cundum illam sit pars sacramenti, quia secundum illam est radix ipsius confessionis, & satisfactionis, vt statim declarabo, & latius infrà in disputationibus.*

9. Doctrina à Caietano adducta in dubij solutione reiicitur.

*Vnde etiam non probo quod Caietanus ait, cùm in contritione plura inueniantur, quorum vnum est, velle satisfacere ad arbitrium sacerdotis, solum ratione huius poni primam partem pœnitentiæ: nam Concilia alia citata non sic loquuntur, sed potiùs supponunt illam esse primam partem ratione detestationis peccati commissi, & propositi non peccandi de cætero, seu seruandi mandata. Imò hæc sola propriè sunt de ratione contritionis: nam illud velle satisfacere ad arbitriũ sacerdotis, in tantùm potest esse necessarium ad contritionem, in quantùm sic satisfacere cadit sub obligatione pœnitentis. Vnde si vera esset sententia eorum qui dicunt, pœnitentem non teneri ad acceptandam vel implendam pœnitentiam à confessore iniunctam, illa voluntas satisfaciendi ad arbitrium confessoris nullo modo pertineret ad rationem contritionis, neque ex necessitate includeretur in illa: & sic sine tali voluntate posset contritio esse pars sacramenti. Et quanuis illa opinio generaliter vera non sit, fortasse in confessione de solis venialibus verum habet, & tamen etiam in confessione illorum contritio est pars sacramenti. Igitur contritio nec solùm, nec præcipuè ratione illius voluntatis est pars sacramenti, sed secundùm se, & ratione totius substantiæ suæ: & illa voluntas in tantum potest esse pars, in quantùm spectat ad substantiam contritionis. Nec D. Thomas, cùm ait, contritionem, vt implicat propositum confitendi, & satisfaciendi, esse virtualiter pœnitentiam exteriorem, significat solam illam voluntatem esse partem sacramenti, nullam enim connexionem aut consecutionem habent hæ propositiones, vt per se constat, sed significat contritionem ex virtute suæ essè radicem, & quasi moralem formam confessionis, & satisfactionis, & ideò esse aptam, vt sit pars materiæ huius sacramenti. Cui addendum est, fieri actu partem quatenus actu coniungitur confessioni, & per illam exterius significatur, vt iterum in disputationibus dicemus.*

*In solutione ad 2. ait D. Thomas, satisfactionem conferre gratiam, prout est in proposito, & augere eam, prout est in executione: non dicit autem expressè hæc facere ex opere operato: Caietanus autem ita intelligit fieri illud augmentum & coniungendo solutionem cum argumento, videtur esse mens D. Thomæ. An tamen vera sententia sit videbimus infrà disputãdo de satisfactione, Reliquæ solutiones non habent difficultatem.*

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ.*

4.d 16. q. 1. a. 1. q. 3. q. 84. ar. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod prædicta tria non sint partes integrales pœnitentiæ, pœnitentia enim, vt dictum est, contra peccatum ordinatur. Sed peccatum cordis, oris, & operis, sunt partes subiectiuæ peccati, & non partes integrales: quia peccatum de quolibet horum prædicatur. Ergo etiam in pœnitentia contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis non sunt partes integrales.

Præterea: Nulla pars integralis in se continet aliam ibi condiuisam. Sed contritio continet in se confessionem, & satisfactionem in proposito. Ergo non sunt partes integrales.

Præterea, Ex partibus integralibus, simul & æqualiter constituitur totum: sicut linea ex suis partibus. Sed hoc non contingit hîc. Ergo prædicta non sunt partes integrales pœnitentiæ.

Sed contrà, Illæ dicuntur partes integrales ex quibus perfectio totius integratur. Sed ex tribus prædictis integratur perfectio ipsius pœnitentiæ. Ergo sunt partes integrales pœnitentiæ. Ar. præced. positis in arg. 1.

Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt hæc tria esse partes subiectiuas pœnitentiæ. Sed hoc non potest esse: quia singulis partibus subiectiuis adest tota virtus totius, & simul & æqualiter, sicut tota virtus animalis, in quantùm est animal, saluatur in qualibet specie animalis, quæ simul & æqualiter diuidunt animal. Sed hoc non est in proposito. Et ideò alij dixerunt, quòd sunt partes potentiales. Sed nec hoc verum esse potest, quia singulis partibus potentialibus adest totum secundùm totam essentiam: sicut tota essentia animæ adest cuilibet eius potentiæ. Sed hoc non est in proposito. Vnde relinquitur, quòd prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ. Posita in ar. 2. huius q. a. 1.

Ad quarum rationem exigitur, vt totum non adsit singulis partibus, neque secundùm totam virtutem eius, neque secundùm totam eius essentiam, sed omnibus simul.

Ad 1. ergo dicẽdum, quòd peccatum, quia rationem mali habet potest in vno tantùm perfici, vt dictum est. Et ideò peccatum, quod in solo corde perficitur, est vna species peccati. Alia verò species est peccatum, quod perficitur in corde & ore. Tertia verò species est peccatum, quòd perficitur in corde & opere. Et huiusmodi peccati partes quasi integrales sunt, quod est in corde, & quod est in ore, & quod in opere. Et ideò pœnitentiæ, quæ in his tribus perficitur, hæc tria sunt partes integrales. Art. præced. ad 4.

Ad 2. dicendum, quod vna pars integralis, potest continere totum, licèt non secundùm essentiam: fundamentum enim quodammodò virtute continet totum ædificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam.

Ad 3. dicendum, quod omnes partes integrales habent ordinem quendam adinuicem. Sed quædam habent ordinem tantùm in situ siue consequenter se habeant, sicut partes exercitus, siue se tangant, sicut partes acerui: siue etiam colligentur, sicut partes domus, siue etiam continuentur, sicut partes lineæ. Quædam verò habent insuper ordinem virtutis sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, & aliæ quodam ordine virtutis dependent ab inuicem.

Tertio

Tertio modo ordinantur ordine temporis: A sicut partes temporis & motus. Partes igitur pœnitentiæ habent ad inuicem ordinem virtutis & temporis, quia sunt actus : non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

## COMMENTARIVS.

RESPONDET *D.Thomas affirmando esse partes integrales. Quam assertionem probat, ostendendo non esse partes subiectiuas nec potentiales, quia non tota essentia sacramenti pœnitentiæ adest singulis harum partium, neque essentialiter,* B *nec secundum virtutem. Nullam tamen mentionem facit partium essentialium, cum tamen de hoc membro posset esse præcipua quæstio. Sed D. Thomas supponit, quatenus hoc sacramentum constat ex materia & forma, in his partibus includi aliquid, quod est de essentia sacramenti. Quod autem illud sit, hoc loco non declarauit declaraturus postea fortasse in singulis partibus. Comparando autem partes illas ad totam materiam huius sacramenti, sic rectè concludit esse partes integrales illius. Manifestum enim est, non posse dici potentiales eo sensu, quo D.Thomas hac voce vtitur non solum propter rationem eius, sed etiã quia non sunt potentiæ ipsius essentiæ seu substantiæ, sed componẽtes aliquo modo ipsam substantiam. Et eadem ratione non possunt dici partes subiectiuæ, quia hæ non componunt substantiam eius,* C *cuius dicuntur esse partes, quod intelligitur, vt diximus, in ordine ad sacramentum: nam in ratione actus virtutis pœnitentiæ, rectè possent hæ dici partes subiectiuæ: quia in omnibus illis vera ratio actus pœnitentiæ inuenitur, vt constat ex superius dictis disp. 6.*

## ARTICVLVS IIII.

### *Vtrùm conuenienter diuidatur pœnitentia in pœnitentiam ante Baptismum, pœnitentiam mortalium & pœnitentiam venialium.*

AD quartum sic proceditur. Vitur, quòd inconuenienter diuidatur pœnitẽtia in pœnitentiam ante Baptismum pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium. Pœnitentia enim est secunda tabula post naufragium (vt suprà dictum est) Baptismus autem prima. Illud ergo quod est ante Baptismum non debet poni species pœnitentiæ.

4.d.16.q.1.a 2.q.1. & 5. cor. & Matt. 3.co.2.fin.

q.84 a. 6. & locis ib. citatis.

Prætereà, Quod potest destruere maius, potest etiam destruere minus. Sed mortale est maius peccatum, quàm veniale. Illa verò pœnitentia, quæ est de mortalibus, eadem etiam est de venialibus. Non ergo debent poni diuersæ species pœnitentiæ.

Prætereà, Sicut post Baptismum peccatur venialiter & mortaliter, ita etiam ante Baptismum. Si ergo post Baptismum distinguitur pœnitentia venialium & mortalium, pari ratione debet distingui ante Baptismum. Non ergo conuenienter diuiditur pœnitentia per has species.

Sed contra est, quòd Augustin. in libro de Pœnit. ponit prædictas tres pœnitentiæ species.

In lib. de vti. pœn. & de medicina pœn. c. 2. tomo 9 Posita in arg. 1.

Respondeo dicendum, quòd hæc diuisio est pœnitentiæ, secundùm quòd est virtus. Est autem considerandum, quòd quælibet virtus operatur secundùm congruentiam temporis, sicut & secundùm aliàs debitas circunstantias. Vnde & virtus pœnitentiæ actum suum habet in hoc tempore, secundùm quod conuenit nouæ Legi. Pertinet autem ad pœnitentiam, vt detestetur peccata præterita, cum proposito immutandi vitam in meliùs, quod est quasi pœnitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundùm finem (vt in secunda parte habitum est) conueniens est, quòd diuersæ species pœnitentiæ accipiantur secundùm diuersas mutationes, quas pœnitens intendit. Est autem triplex immutatio à pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in nouam vitam, & hæc pertinet ad pœnitentiam, quæ est ante Baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ iam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium post Baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis, vt suprà dictum est.

1.1. q.1. a.3 & q.18. a.4. & 6.

q.87. a. 2. & 4.

Ad 1. ergo dicendum, quòd pœnitentia, quæ est ante Baptismum, non est sacramentum, sed est actus virtutis, disponens ad sacramentum Baptismi.

Ad 2. dicendum quòd pœnitentia, quæ delet peccata mortalia, delet etiam venialia: sed non conuertitur. Et ideò hæ duæ pœnitentiæ se habent, sicut perfectum & imperfectum.

Ad 3. dicendum, quòd ante Baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest (vt suprà dictum est) ideò ante Baptismum non distinguitur pœnitentia mortalium & venialium.

q.87. at. 4.

## COMMENTARIVS.

HIC *articulus per occasionem insertus est à D.Thoma hoc loco ad explicandum dictum D. Augustinus libr. de Pœnit. medecin. cap. 2. & libr. 50. homil. hom. vlt. ca. 2. & habetur in cap.* Tres sunt. *de pœnit. d. 1. Vt igitur D.Thom. hanc diuisionem explicet, supponit eam dari de pœnitentia, vt est virtus, non vt est sacramentum. Quod quidem manifestum est, loquendo de diuiso: quia ante Baptismum non habet locum pœnitentia, quæ est sacramentum: ergo, vt hoc membrum sub illo diuiso comprehendatur, non potest hic diuidi pœnitentia sacramentalis. Sed dicet aliquis, ob rationem proportionalem non posse pœnitentiæ virtutem esse diuisum huius diuisionis: quia post Baptismum non sola hæc pœnitentia, sed sacra-*

1. August.

Quod sit diuisum in hac diuisione. Obiectio.

mentalis agenda est. Videtur ergo necessarium, vt diuisum abstrahat à pœnitentia, vt est virtus & sacramentum. Soluitur. Dicendum verò est, pœnitentiæ sacramentum, quatenùs ex parte pœnitentis exercendum est, ex actibus virtutis pœnitentiæ constare, ita vt ipsamet confessio ab interna pœnitentiæ virtute imperanda sit, vt rectè fiat. Et ideo, licèt pœnitentia post Baptismum sacramentalis esse debeat, hoc non excludit quominùs diuisum illud possit esse pœnitentiæ virtus, & adæquatè illa omnia membra comprehendere. Præterea distingui posset pœnitentia agenda, & recipienda: nã Augustinus præcipuè diuidere intendit pœnitentiam agendam ab ipso suscipiente: & hæc semper est virtus, seu actus virtutis etiamsi post Baptismum in ordine ad conficiendum sacramentum facienda sit: non est tamen hoc semper necessarium, præsertim quando aliquis semel confessus est peccata commissa.

2. D. Thom. conclusio. Hoc ergo supposito, respondet D. Thomas, rectè esse diuisionem illam traditam, quia virtus pœnitentiæ mouet hominem ad agendam pœnitentiam conuenientem & statui ipsius hominis, & grauitati peccatorum, quia, cùm sit virtus, operatur secundùm debitas circunstantias. Sed alia pœnitentia necessaria est de peccatis mortalibus ante Baptismum, & alia post Baptismum, & alia rursùs de venialibus: ergo conuenienter data est illa diuisio. Minorem declarat D. Thomas ex fine pœnitentiæ, qui est vitam in melius commutare: quia species (inquit) rerum moralium ex fine distinguuntur: finis autem pœnitentiæ ante Baptismum est regeneratio in nouam vitam: post Baptismum verò est reformatio vitæ priùs habitæ, & corruptæ, quando pœnitentia est de mortalibus: per pœnitentiam autem venialium solùm fit mutatio in perfectiorem operationem vitæ: ita ergo aptè diuisio illa data est.

3 Sitne distinctio essentialis, vel accidentalis. Ex qua declaratione posset aliquis intelligere, hanc diuisionem dari in diuersas species pœnitentiæ, quia distinctio actuum moralium ex fine specifica est, & essentialis. Sed reuerà illa diuisio accidentalis est, nam sumitur aut ex diuersis statibus pœnitentis, vt sunt esse, vel non esse baptizatum: aut ex diuersis obiectis materialibus, qualia sunt diuersa peccata. Ex illis autem diuersis statibus prouenit, vt secundùm diuinam institutionem alius pœnitẽtiæ modus sit necessarius ante vel post Baptismum, vt totum nocumentum, quod peccatum intulit, remoueatur. Et quia hic est finis pœnitentiæ, ideò in ordine ad illum finem distinguantur illa membra. Quæ magis est distinctio in mediis ad illum finem, qualia sunt illa duo sacramenta: quàm in proprio & intrinseco fine ipsius pœnitentiæ. Quamuis considerando effectum proximum Baptismi, aut absolutionis, ille habeat rationem finis: & sic etiam distinguantur illæ pœnitentiæ ex parte finis: qui tamen extrinsecus est respectu pœnitentiæ, & ideo non distinguit essentiales species.

4. Diuisio hæc locum habet in actibus internis. Secundò, vt hoc amplius explicemus, possumus ex dicta doctrina colligere, diuisionem illam habere locum suo modo in interiori pœnitentia, maximè autem in exteriori, de qua potissimum loquitur Augustinus. Primum explicatur: nam interior pœnitentia, secundùm essentialem rationem suam, eadem haberi potest, vel debet de peccatis mortalibus, siue ante, siue post Baptismum commissa sint. Nã si sit contritio, semper est eiusdem rationis essentialis: si verò habeatur attritio, hæc, vt in superioribus tractando de Baptismo ostendi, & infrà etiam attingetur, eadem secundùm substantiam necessaria est de peccatis mortalibus ante, vel post Baptismum commissis. Nihilominus differunt hæ duæ pœnitentiæ, quòd prior respicit semper medium Baptismi, quod saltem in voto includit vt sit efficax ad destruendum peccatum, qui est finis pœnitentiæ: posterior verò respicit sacramentum confessionis: & quia hæc duo sacramenta habent diuersos fines proximos, ideò etiam illæ duæ pœnitentiæ eosdem fines respicere dicuntur, & secundùm eos distingui: quæ tamen distinctio in ordine ad pœnitentiæ virtutem accidentalis est vt declarauí.

Atque hinc fit, vt magis differant hæ duæ pœnitentiæ in actibus externis. Primo quidem in ordine ad remissionem culpæ: nam vna imperat exteriorem confessionem: alia verò exteriorem ablutionem, quæ quatenùs fit ex intentione destruendi culpam, præsertim actualem, à virtute pœnitentiæ imperatur, & inter actus eius externos numerari potest. Quantum ad remissionem autem pœnæ, est discrimen, quia de peccatis mortalibus ante Baptismum commissis, per se loquendo, non est necessaria exterior pœnitentia satisfactiua præter Baptismum, quia, cùm in illo fiat renouatio per modum regenerationis, omnis pœna per illum remittitur. Quod secus est in pœnitentia, quæ agitur de peccatis commissis post Baptismum vt infrà latiùs dicemus. Dixi autem per se, tum quia si Baptismus suscipi non possit, tunc poterit esse necessaria talis pœnitentia, etiam de peccatis ante Baptismum, vt plenè remittantur: tum etiã, quia licèt propter dictam satisfactionem non sit necessaria talis pœnitentia exterior, propter curationem tamen vitæ futuræ, vel propter excitandum animum ad veram interiorem pœnitentiam necessaria esse potest. Et propter hanc præcipuè causam videtur Augustinus distinxisse illa duo membra. 5. Maximè tamen habet in externis.

Sed tunc occurrit difficultas circa tertium membrum, quo modo in illa diuisione sit additum. Et ratio dubitandi est, quia illud membrum non opponitur aliis duobus, sed pœnitentiæ de mortalibus: nam, cùm venialia peccata possint & ante, & post Baptismũ committi, etiã pœnitentia illorum potest in illa duo membra distingui: non ergo rectè condistinguitur hoc membrum aliis duobus. Duobus modis possumus hoc declarare: & in vtroque trimembris illa diuisio duas bimembres in virtute seu implicitè continet, quamuis diuersimodè. Prior modus est, vt duo prima membra intelligantur de pœnitentia mortalium peccatorũ ante vel post Baptismum commissorum. Ita vt prior diuisio sit, pœnitentia alia est de mortalibus, alia de venialibus peccatis. Et rursùs pœnitentia de mortalibus alia est ante, alia post Baptismum. Statim verò se offert interrogatio, cur hæc subdiuisio non detur etiam de pœnitentia venialium. Facilis verò est responsio, si dicamus, pœnitentiam venialium eandem sufficere ante, vel post Baptismum. Imò nec pœnitentiam formalem de illis necessariam esse, sed virtualem sufficere per feruorem charitatis, vt suprà dictum est, & hic repetit D. Thom. Quapropter hic diuidendi modus, & ad doctrinam huius articuli in corpore non malè accommodatur, &, si rem ipsam per se spectemus, abstrahẽdo à mente Augustini satis probabiliter satisfacere videtur. Alius modus est, vt priùs intelligatur diuidi pœnitentia in eam, quæ est ante, vel post Baptismum: & rursùs illa quæ est post Baptismum subdiuidatur in eum, quæ est mortalium aut venialium peccatorum. Et hunc modum magis insinuat D. Thomas præsertim in solutionibus argumentorum, vt iam videbimus. 6. Difficultas circa tertiũ membrũ declaratur.

Sed oritur obiectio, quàm D. Thomas proponit in argumento tertio, cur videlicet illa subdiuisio pœnitentiæ mortalium & venialium non sit data de peccatis ante Baptismum, cum etiam ante Baptismum venialia peccata præcedant. Respondet D. Thomas rationem esse, quia ante Baptismum eadem pœnitentia tolluntur venialia, qua mortalia, & per illam solam. Huius autem ratio est, quia ante Baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus, neque etiam possunt auferri sine mortalibus. Circa quam responsionẽ Scotus, & alij obiiciũt contra secundùm principium assumptum. Sed illud nos in superioribus definiuimus, & ostendimus, quoties veniale peccatum coniunctum est mortali, nunquàm auferri saltem de lege ordinaria sine mortali. Maior nobis difficultas est in alio principio, scilicet quòd ante Baptismum non possit esse peccatum veniale sine mortali. Et ratio dubitandi sumitur ex 1. 2. quia non oportet vt primum peccatum hominis non baptizati peruenientis ad vsum rationis sit peccatum mortale, sicut nec in homine iam Baptizato in infantia idem vide 7. Obiect. Enodatur à D. Thom. Difficultas circa solutionem.

videtur necessarium. Sed D. Thomas ad hoc respondet negando assumptum. Qui verò nollet ad illam coarctari doctrinam, quia reuerà difficilis est & rigorosa, posset in præsenti dicere, perinde esse, quòd peccatum veniale sit coniunctum originali, vel mortali, nam siue illo remitti non potest. Atque ita semper tollitur per illud remedium, quo tollitur peccatum mortale, vel originale, siue hoc sit pœnitentia, siue non: & ideò non oportuit assignare pœnitentiam, quæ sit remedium venialium peccatorum.

Satisfit difficultati.

8. Obiectio altera.

Sed tunc occurrit secunda obiectio, nam illa ratio solùm procedit de peccatis venialibus, quæ committuntur durante originali: potest autem contingere vt priùs homo non baptizatus iustificetur per dilectionem Dei super omnia, & tùc peccet venialiter, priùs quàm mortaliter, quod est extra controuersiã: ergo tunc agi poterit ante Baptismum pœnitẽtia propria venialium tantùm peccatorum, sicut agi poterat ante institutum Baptismum. Sed responderi posset, defendendo literam Diui Thomæ, nunc pœnitentiam illam venialium censeri veluti post Baptismum: quia licèt non sit in re susceptus, est susceptus in voto, aliàs non potuisset originale peccatum esse sublatum. At verò ante Baptismum institutum, posset distingui pœnitentia venialium à pœnitentia mortalium eodem modo, quo hic D. Thomas illa duo membra declarat, tamen illa diuisio tunc esset proportionalis illi, quæ nunc de pœnitentia post Baptismum datur: nunc verò solùm agimus de pœnitentia secundùm præsentem institutionem. Sic ergo probabiliter defenditur hæc responsio Diui Thomæ. Aliter verò respondet idem D. Thomas in 4. d. 16 quæst. 1. art. 2. quæst. 5. ad 1. vbi ait statum hominis ante Baptismum non diuersificari per veniale & mortale, quantùm ad hoc quod est esse, vel non esse in Ecclesia: post Baptismum verò diuersificari, quia per mortale fit homo extra Ecclesiam meritò, licèt non per veniale.

Prior obiectio.

Enodatio altera.

9. Germana euasio, iuxta Augustini mentem.

Quæ responsio nõ caret suis difficultatibus, sed illas omitto, & magis iuxta mentem Augustini rem explicando, dicendum censeo, Augustinum non distinxisse actus pœnitentiæ secundùm se, sed modos exterioris pœnitentiæ, quos instituit, vel habet Ecclesia ad subueniendum peccatori: quia secundùm se & parum distinguuntur pœnitentia venialium, vel mortalium peccatorum, & eo modo etiam ante Baptismum distinguũtur. Nam si sit sermo de interiori pœnitentia, secundùm essentialem rationem virtutis non differunt, vt suprà declaratum est: differunt autẽ, vel secundùm maiorem, aut minorem necessitatem, quia magis necessaria est pœnitentia de mortalibus, quàm de venialibus peccatis: vel secundùm maiorem, aut minorem perfectionem, si sub quadam præcisione sumantur. Nam secundùm rem idem actus pœnitentiæ potest esse de mortalibus, & de venialibus peccatis, generaliter omnia detestando vno actu sub cõmuni ratione offensæ diuinæ, vel alicuius malitiæ moralis, & tũc solùm distinguũtur pœnitẽtia venialiũ, & mortaliũ secundùm rationem & habitudinẽ ad diuersa peccata. Aliquando verò potest esse actus pœnitentiæ de solis mortalibus, vel formaliter de solis venialibus, & tunc, licèt pœnitentia mortalium ex ea parte, qua est de maiori malo, videatur esse maior, re tamen vera illa, quæ est de venialibus, est perfectior cæteris paribus. Vnde virtute complectitur pœnitentiam mortalium, non verò è conuerso. Hæc verò differentia tantùm est secundùm magis & minus, si eadem ratio formalis detestandi retineatur, quæ omnia constant ex superius dictis de actibus pœnitentiæ virtutis. Si verò sit sermo de pœnitentia exteriori, solùm potest esse diuersitas, quia grauior postulatur, magisque necessaria est de mortalibus, quàm de venialibus peccatis. Et hæc omnia vera sunt tam ante Baptismum, quàm post Baptismum, & tam tẽpore legis gratiæ, quàm scriptæ, ante, vel post circunciſionẽ, & in tẽpore legis naturæ, ante, vel post remediũ originalis peccati. Ac denique etiamsi nullum fuisset originale peccatum, haberet locum ille distinctionis modus.

Non ergo de ea re locutus est Augustinus, sed distinxit tres actus seu modos pœnitentiæ, quos pro diuersis hominibus Ecclesia exercet. Vnus est pro cathecumenis, quos Ecclesia præparat ad Baptismum per actus aliquos pœnitẽtiæ exterioris, ne obicem ponant, & in eis non distinguit inter peccata mortalia, & venialia: quia ad prædictum finem necessarium non est, quia remedium Baptismi de se aquè tollit peccata mortalia, ac venialia, remoto obice. Et hæc vocata est ab Augustino pœnitentia ante Baptismum. Alius modus pœnitentiæ est pro hominibus iam baptizatis, mortuis tamen spiritualiter. Et hæc pœnitentia propriè ac per se consistit in confessione, & satisfactione sacramentali: nam his hominibus necessaria est, & pro illis est per se primò instituta, licèt propter excellentiam illius remedij complectatur etiam venialia. Tertium genus hominum est, qui & baptizati sunt, & iusti, qui re & merito dicũtur esse viua membra Ecclesiæ, & quia hi sæpius venialiter delinquunt, ideò pro his leuiora remedia sunt instituta, vt suprà vidimus: & hæc specialiter vocatur pœnitentia venialium peccatorum. Et ita est facilius diuisio, & ratio ob quam post Baptismum distincta fuerint ab Augustino illa duo membra, & non anteà.

11. Circa solutionem ad primum obseruandum est, D. Thomam respondere argumento, supponendo metaphoram illam, qua dicitur pœnitentia secunda tabula post naufragium, conuenire sacramento pœnitentiæ comparatione Baptismi, qui est prima tabula. Quia verò accommodari etiam potest pœnitentiæ virtuti comparatione innocentiæ, vt suprà dictum est, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ in quæst. 84. ar. 6. ideò addendum est pœnitentiam ante Baptismum, si sit de mortalibus, vocari secundam tabulam, non comparatione Baptismi, sed comparatione innocentiæ, seu amoris, & obedientiæ erga Deum.

12. Circa solutionem ad 2. notanda est illa propositio, Pœnitentia quæ delet peccata mortalia, delet etiam venialia, sed non conuertitur. Ex qua colligit D. Thomas hæc duo differre sicut perfectum, & imperfectum. Virumque autem videtur esse contra superiùs dicta: nam diximus contritionem de mortalibus non necessariò includere venialia: è conuerso verò detestationem venialium esse virtualem detestationem mortalium, & delere illa, si sit contritio. Ex quo paulò anteà inferebamus, cæteris paribus, perfectiorẽ esse internam pœnitentiam de venialibus, quàm de mortalibus. Respondetur, D. Thomam loquutum esse de exterioribus remediis pœnitentiæ, quæ sunt in Ecclesia pro mortalibus peccatis, vel pro solis venialibus, & in hoc sensu nulla est difficultas. Generaliùs tamen loquendo, dicendum est, aliud esse loqui de remedio contra peccatum secundùm se, seu in specie, aliud verò in particulari, & indiuiduo: nam priori modo verũ est, omnem pœnitentiam, quæ sufficit ad delenda mortalia, sufficere ad delenda venialia, si tamen ad illa applicetur, & ita contritio de se, ad vtraque delenda sufficit: quauis contritio in particulari talis esse possit, vt non sufficiat ad delenda venialia, quia ad illa non applicatur, sicut etiam aliqua absolutio, vel confessio potest ex se tollere mortalia, & non venialia, si non sint illi applicata in ratione materiæ. Et in eodem sensu verum est, pœnitentiam, quæ secundùm speciem suam est pœnitentia mortalium, perfectiorem esse, quàm quæ est tantùm venialium: quia illa prior de se etiam extenditur ad venialia. Quòd si in indiuiduo interdum est minùs perfecta, ideò est, quia non extenditur ad venialia. E contrario verò contritio venialium censetur perfectior in indiuiduo, quia ex specie sua potest delere mortalia, & virtualiter saltem illa attingit, & destruit.

Explicatur D. Thomæ propositio.

## DISPVTATIO XV.

### *De præceptis virtutis pœnitentiæ.*

HÆc disputatio necessaria hoc loco visa est ad complementum huius prioris partis de virtute pœni

pœnitentiæ : nam obligatio pœnitentiæ antiquior est quàm sacramentum, tanquàm ipsi virtuti per se annexa. Duo autem sunt munera pœnitentiæ. Vnũ est, satisfacere pro culpa, seu disponere hominem ad illius remissionem obtinendam, quòd per internum actum cõtritionis maximè fit. Aliud est, satisfacere pro pœna, quæ manet remissa culpa: quòd etiam per actus externos fit. Et de vtroque munere dicendum est, an sub præceptum cadat, & quo tempore.

## SECTIO I.

### *Vtrùm qui mortaliter peccauit, teneatur sub præcepto de peccato conteri.*

PARTEM negantem docuit Victoria, vt referũt alij moderniores Thomistę. Dicebat enim ille, pœnitentiam quidem esse necessariam ad iustificationem & salutem æternam necessitate medij, ideóque si non habeatur, hominem damnari, non propter nouũ peccatum, sed propter antiquum, quod commisit. Neque oportere obligationes, & peccata multiplicare, quando nec conuenienti ratione conuinci possunt, neque alicubi sunt expressa, vt in præsenti contingit : nam omnia quæ de necessitate pœnitentiæ, & de periculo, & obiurgatione impœnitentiæ in Scriptura leguntur, possunt sufficienter intelligi ob necessitatem medij.

### *Contritionem per se cadere sub præcepto. Conc. 1.*

NIhilominus dicendum est primò, contritionem cadere sub speciali præcepto suppositio mortali peccato. Hæc assertio, si de propria & intrinseca contritione sumatur, intelligenda est per se, & secluſa institutione sacramenti, nam post illud dubitari potest an cessauerit hoc præceptum, stante iustificatione per solam attritionem cum sacramento : quòd infrà videbimus : si autem sub contritione intelligere velimus tam intrinsecam & propriam contritionem, quàm attritionem æquiualentem illi ex coniunctione ad sacramentum; ita generatim explicata conclusio verificatur de omni tempore, & lege : estque, vt existimo, communis Theologorum. Eam significat D. Thomas suprà q. 84. ar. 7. ad. 1. q. 85. ar. 2. q. 86. ar. 6. ad 3. Et idem sentit 2. 2. q. 79. ar. 3. ad 2. vbi ait esse peccatũ omissionis non pœnitere de peccato præterito. Et q. 88. ar. 3. ad 2. ait, qui peccauit contra votum, teneri de propria culpa pœnitentiam agere. Clariùs hoc docet in 4. d. 17. q. art. 1. quæst. 2. ad 4. & q. 3. artic. 1. quæst. 4. Et ibi Bonauent. 2. p. artic. 1. q. 1. Rich. a. 3. Durand. quæst. 10. num. 5. Maior q. 9. Alensis 4. p. q. 18. memb. 2. artic. 3. Marsil. q. 12. art. 1. Soto d. 17. q. 2. art. 6. Cano relect. de Penit. p. 4. Potrus Soto lect. 13. de pœnitẽt. Viguerius in summa, cap. 16. §. 4. vers. 11. Vega lib. 13. in Tridentinum, cap. 19. & 20. Medina Cod. de Pœnit. quæst. 2. Sumitúrque ex Hieronymo Eccleſiast. 3. & Augustino libr. 50. homiliarum, homil. 50. in cuius vltimis ferè verbis ita concludit persuadendo pœnitentiam, *Circũstat ergo nos & præcepta rectè viuendi, & exẽpla pœnitendi non tantum rectè facientium, sed etiam pœnitentium.* Clariùs Tertullianus in lib. de Pœn. c. 4. vbi ad persuadendam bonam esse pœnitentiam, hoc medium sumit : *Bonum atque vtile esse quòd Deus præcipit:* & iuſrà, *Bonum est pœnitere, an non? quid refŏluis? Deus præcepit.*

D. Thom. Bonauent. Rich. Durand. Maior. Alens. Marsil. Soto. Cano. Petr. Soto. Vega. Viguer. Medin. Hieron. August. Tertul.

3 Suadetur assertio ex Scriptura. Esai. Hierem.

Prætereà ex sacra Scriptura possunt ad hoc suadẽdum afferri ex veteri Testamento grauissimæ reprehensiones Prophetarum, Esai. 65. Hierem. 8. & sæpe aliàs, contra eos, qui voces Dei non audiunt, & pœnitentiam non agunt : non enim solent hoc modo reprehendi homines, nisi quia præcepta non seruant. Ex nouo autem Testamento non infimum argumentum est, quòd Christus Dominus, Ioannes Baptista, & omnes Apostoli Matth. 3. Marci. 1. Actor. 2. Prædicationẽ suam à pœnitentia inchoarunt : nec persuadebant solùm vitæ mutationem, sed etiam priorum peccatorum detestationem, vt in superioribus visum est : non persuadebant autem illam tanquàm rem vtilem, & solùm sub consilio existentem; neque noua præcepta quoad hoc imponebant, vt ex verbis eorum constat; sed supponebant omnibus esse cognitam illius rei necessitatem & obligationem. Quam expressiùs declarauit Christus Lucæ 13. dicens, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quæ verba ante institutionem sacramenti dicta fuere : & declarant hanc pœnitentiam omni tempore fuisse necessariam, vt docuit etiam Concilium Tridentinum, sessio. 14. cap. 14.

Matth. Marc. Actor. Luc. Conc. Trid.

4 Euasio præcluditur. Replica sũpta ex duplici discrimine inter pœnitentiã & alia sacramenta.

Sed aiunt, his omnibus rectè concludi necessitatem medij, & cum illa sufficienter saluari : & ideò non satis probare necessitatem præcepti. Sed contrà, nam ex similibus verbis colligimus in Eucharistia necessitatem præcepti, & in Baptismo, & in confessione vtrumque, necessitatem medij, & præcepti : ergo idem dicendum est in præsenti de pœnitentia secundum se sumpta, & secluso sacramento. Respondere possunt, esse duplex discrimen : nam illa verba conditionata ex vi sua significãt necessitatem, & hanc immediatè cõcludunt in quacumque materia : in illis autem tribus sacramentis nulla esset necessitas ex sola rei natura, nisi ex præcepto orta esset : & ideo ex verbis illis in tali materia optimè concluditur necessitas præcepti : necessitas autem medij solùm iuxta exigentiam materiæ, vt in propriis locis declaraui. At verò pœnitentia interior per se & natura sua est necessarium mediũ ad remissionem peccati : & ideò secluso speciali præcepto pœnitentiæ verificantur illa verba, *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*, videlicet non propter speciale impœnitentiæ peccatum, sed propter peccatum, quod per pœnitentiam non deletur. Et hoc est primum discrimen à priori, ratione cuius ex his verbis non videtur colligi præceptum, cùm ad eorum veritatem necessarium non sit. Aliud discrimen è posteriori est, quia in dictis tribus sacramentis necessitas illorum manet, etiamsi homo iustificatus sit sine reali susceptione illorum : quod est signum illa non tantùm esse media necessaria ad iustificationem, sed etiã ex præcepto. Secus verò est in contritione : nam si aliquis sine illa iustificatus est, iam non est illi necessaria : ergo signum est, in illa tantùm esse necessitatem medij.

5. Replica. soluitur.

Cõtra hanc verò responsionem obiicitur, vtrumq; discrimen in rigore falsum esse. De primo patet, quia formalis actus pœnitentiæ licèt habeat magnam proportionem ad talem effectum, & hac ratione dici possit esse intrinsecum & connaturale medium : nihilominùs tamen non habet ex se necessitatem simpliciter ad illum finem : nisi ex diuina voluntate & ordinatione descendat. Tum quia ipsa sufficientia, vel efficacitas, vt sic dicam, contritionis ad delendum peccatum in suo genere, non est per solam naturalem causalitatem eius, nisi intercedat etiam Dei ordinatio, & remissio, vt alibi dictum est latè. Tum maximè, quia, si contritio, seu formalis pœnitentia haberet illam causalitatem, etiam illam haberet amor diuinus, & consequenter (etiam in illa opinione) formalis pœnitentia ex sua natura, & sine diuina ordinatione non posset esse medium necessarium, quia alius actus per se sine illo sufficeret. Falsum est ergo primum discrimen : nam, licèt institutio illorum sacramentorum & magis

magis noua ſit, & magis extrinſeca videatur: tamen etiam neceſſitas contritionis non eſt ſine inſtitutione pendente ex præcepto, & voluntate diuina. Cuius ſignum eſt, quia hæc inſtitutio ex parte mutata eſt in lege noua, vt infrà dicam.

6. Secundum etiam diſcrimen falſum eſt, vt rectè notarunt Medina, & Vega ſuprà; & conſtat ex dictis ſuprà de neceſſitate huius medij. Diximus enim, ſi contingat aliquem iuſtificari per ſolum amorem ſine formali pœnitentia, teneri poſteà ad formalem pœnitentiam habendam: ergo, ſi hoc eſt ſignum præcepti, potiùs inde concluditur dari præceptũ formalis pœnitentiæ, ſeu, quod idem eſt, contritionis: nã alij actus minùs perfecti, nec per ſe neceſſarij sũt, nec ſufficiũt. Addo prætereà, ex ipſa neceſſitate medij optimè colligi, vel nunquàm poſſe iuſtificari hominem ſine tali actu, vel ſi interdum abſque illo iuſtificatur, manere obligatum ad illum poſteà exercendum. Nam aliàs, neque in re eſſet neceſſarium illud medium, neque in voto: nullo ergo modo eſt medium neceſſarium, hactenus enim alius modus inuentus non eſt. Sicut nũc, poſtquàm aliquis iuſtificatus eſt per contritionem, ſi nõ maneret obligatus ad confeſſionem peccatorum, non poſſet dici confeſſio medium neceſſarium ad talem effectum. Et ratio eſt, quia illa ſola cauſa eſt neceſſaria ad effectũ, ſine qua fieri nõ poteſt, alioqui erit cauſa ſufficiens, non tamen neceſſaria: medium autem eſt cauſa illius effectus, ad quem dicitur neceſſarium.

7. Eadem replica ſecundò improbatur, & probatur aſſertio ratione.

Secundò obiicio contra dictam reſponſionem, & probo ſimul aſſertionem poſitam: quia, licèt daremus, illa verba Chriſti immediatè intelligi de neceſſitate medij, ex illa optimè infertur neceſſitas præcepti, ſi mediũ tale ſit, vt ſit actus humanus pendens ex libera hominis volũtate, vt excludamus primũ auxiliũ præueniẽtis gratiæ & habitus: nam hęc, quę à Deo in nobis ſine nobis fiunt, nõ poſſunt cadere ſub præceptũ, niſi quatenus aliquid horum pendet ex diſpoſitione nobis libera, quia præcepta ſolùm eſſe poſſunt de his, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Quòd ergo tale mediũ, ſi neceſſarium ſit ad ſalutem, nobis præcipiatur, videtur eſſe communis cõſenſus Theologorum. Et inductione conſtat in actu fidei, ſpei, & charitatis, &c. Ratio etiam moralis eſt euidens, quia præcepta dantur in ordine ad finem vltimum cõſequendum, & honeſtè vitam inſtituendam: ſed nihil eſt magis neceſſarium ad honeſtatem vitæ, & ad cõſequutionem vltimi finis, quàm id ſine quo non poteſt ſtare illa honeſtas, neque ille finis: ergo nihil magis poteſt cadere in præceptum, quàm hoc medium. Quid enim præcipi debet, ſi hoc non præcipitur? aut quomodo legiſlator ſufficienter prouidet hominibus, ſi hæc media in ſuis legibus prætermittit? Et in præſenti declaratur ſpecialiter, ſupponendo amorem Dei infuſum & ſuper omnia, ſi habeatur, ſufficere per modum diſpoſitionis ad remiſſionẽ peccati, & iuſtificationem. Conſtituamus ergo hominem habentem conſcientiam actualem peccati mortalis, & actualiter cogitantem de pœnitentia illius, & iudicantem ſibi non eſſe præceptum: probo igitur pœnitentiam non poſſe eſſe medium neceſſarium ſtante hac rerum diſpoſitione. Quia ille poteſt ſine peccato nolle pœnitere, & conſequenter Deum poterit ſuper omnia amare, ergo rectè concludit pœnitentiam non poſſe eſſe medium neceſſarium, niſi etiam ſit præceptum.

## *Triplex motiuum, ex quo poteſt oriri præceptum pœnitentiæ, proponitur.*

8. Primum.

TERTIO, vt propriam rationem huius præcepti declaremus, & ad quam virtutem ſpectet, aduertendum eſt, tribus modis, ſeu ex triplici motiuo poſſe oriri hoc præceptum, ſcilicet ex lege iuſtitiæ, qua tenetur vnuſquiſq; ſatisfacere iniuriæ factæ: quæ lex in propoſito pertinet ad ſpecialem virtutem pœnitentiæ, iuxta ſuprà tractata. Secundò ex lege charitatis diuinæ, quæ ſicut obligat ad diligẽdum Deum ſuper omnia: ita obligat etiam hominem vt quod in ſe eſt, faciat ad recuperandam amicitiam diuinam, ſi illã perdidit, ac denique ad habendum Deum pro vltimo fine. Tertiò, ex lege charitatis propriæ, quatenus homo tenetur habere curam animæ ſuæ, & conſequenter adhibere media neceſſaria ne in æternum pereat, ſi enim charitas proximi obligat vt vnuſquiſque prouideat alteri in neceſſitate ſpirituali, ſi vnus poteſt, & alter grauiter indiget, multò magis charitas propria obligabit, vt vnuſquiſque prouideat ſibi ipſi. Quæ omnia indicauit D. Thomas q. 84. art. 5. ad 2.

Secundum.

Tertium.

D. Tho.

Ex his autem tribus rationibus non omnes ſunt æquè certæ. Nam prima pendet ex illa quæſtione, an pœnitentia ſit ſpecialis virtus diſtincta à charitate: quia ſi diſtincta non eſt, nec præceptum illud poteſt eſſe diſtinctũ à præcepto pertinente ad charitatẽ: vnde, ſi fortaſſe Victoria hoc ſolũ negare voluit, minùs improbabilis eſt eius opinio. Nihilominùs tamẽ, ſicut probabilius eſt pœnitentiã eſſe ſpecialẽ virtutẽ iuſtitiæ ad Deum, à charitate diſtinctã, ita verũ cẽſeo, eſſe ſufficientem illam rationem huius præcepti, imò hoc eſſe proprium præceptum pœnitentiæ, quod inquirimus, vt bene ſentit Petrus Soto ſuprà: & ſignificauit D. Thomas loco proximè citato, dicẽs, *Requirit charitas quòd homo deleat de offenſa in amicum commiſſa, & quòd homo ſtudeat ſatisfacere.* Nam primũ horum pertinet ad charitatẽ immediatè & ratione ſui, ſecundum autem potiùs imperatiuè, ſeu ratione iuſtitiæ. Sicut inter homines charitas requirit, vt ſatisfactio exhibeatur; illud tamen eſt remotè: nam proximè pertinet ad iuſtitiam. Cùm ergo pœnitentia ſit quædam iuſtitia ad Deum, cui per peccatum iniuria illata eſt: ad illam proximè ſpectat obligatio ſatisfaciendi, prout homo poteſt, & Deus offenſus exigit. Imò, ſi præceptum pœnitentiæ non eſſet huiuſmodi, ſatisfactio pro iniuria Deo illata nõ caderet ſub præceptum propter ſe, ſeu propter rationem iuſtitiæ, ſed ſolum amicitia diuina, ſeu eius redintegratio, & reliqua, quatenus ſunt media ad hunc finem neceſſaria. Conſequens autem eſt falſum, tum quia ipſa æquitas iuſtitiæ ſecum affert obligationem ſatisfaciendi propter ſuam honeſtatem, ſeu propter ius alterius: tum etiam quia aliàs amor Dei per ſe ſufficeret ad hunc finem reſtituendi hominem in amicitiam Dei, & ſine cauſa exigeretur pœnitentia, & alia ſatisfactio.

Pœnitentiã cadere ſub præceptũ, vt procedit ex iuſtitia ad Deum. Aſſert. 2. Petr. Sot.

10. Obiectio.

Sed obiici poteſt, quia præceptum pœnitentię non obligat ad exercendum actum pœnitentiæ ſub ſpeciali motiuo illius virtutis: nam ſi homo contritionem eliciat ex motiuo charitatis, ſatis implet hanc obligationẽ pœnitentiæ: ergo nullum interuenit hic præceptum proprium illius virtutis, quia virtus non obligat, niſi ad proprium & ſpecialem actum, qui ſub proprio illius motiuo fiat. Reſpondetur hic duo eſſe diſtinguenda: vnum eſt, velle ſatisfacere Deo: aliud eſt ipſum ſatisfacere, quod comparatur ad illam voluntatem, tanquàm actus exterior ad interiorẽ. Præceptum ergo per ſe cadit in ipſam ſatisfactionem, quatenus eſt conſtitutiua æqualitatis & iuſtitiæ: & ſub hac ratione pertinet ad virtutem iuſtitiæ & conſequenter cadit in voluntatem talis ſatisfactionis, quia præcepit illam vt actum voluntarium, & humanum. Sicut inter homines præceptum reſtituẽdi per ſe cadit in actum exteriorem, conſequẽter verò in voluntatẽ reſtituendi: nam licèt vterque actus per modum vnius præcipiatur, quatenus componunt vnum actum moralem, nihilominùs, quatenus diſtincti

Soluitur.

ſtincti ſunt, vnus præcipitur, ratione alterius. Atque A hinc fit vt voluntas illa ſatisfaciendi Deo, per ſe cadat ſub hoc præceptum pœnitẽtiæ, imò & immediatiùs ordine excutionis vt ſic dicam: nam licèt ordine intentionis ipſa ſatisfactio ſit priùs intenta, executio tamen incipere debet à voluntate. Contingit tamen aliquando, vt priùs quàm illa ſpecialis virtus pœnitẽtiæ velit, aut imperet illam ſatisfactionem ſub propria ratione, homo exerceat illam eandem ſatisfactionẽ ex puro motiuo charitatis Dei, exercendo cõtritionẽ verã: & tũc re ipſa adimplet obligationẽ præcepti pœnitentiæ, etiã vt pertinet ad virtutẽ iuſtitiæ, quia in re ipſa fit ille actus, qui per illud præceptũ per ſe intenditur: quod ſatis eſt vt ceſſet, ſeu impleatur obligatio eius. Sicut inter homines, ſi quis de facto reſtituat alienum, etiamſi id non faciat per formalem actum iuſtitiæ, & intendendo honeſtatem eius, ſed vel ex amore alicuius, vel ex timore pœnæ, B nihilominùs ſatisfacit obligationi iuſtitiæ, quia id ſatis eſt, vt nec tranſgrediatur illam obligationem, neque ampliùs illa teneatur.

11. Ex quo etiam intelligitur, voluntatem illam iuſtitiæ (tam reſpectu Dei, quàm hominis) id eſt, elicitam à propria virtute iuſtitiæ, non ita cadere abſolutè in præceptum, vt ſine illa non poſſit ſatisfieri obligationi præcepti per aliam voluntatem, quæ habeat eundẽ effectum, quanuis ſub alio motiuo. Sed nihilominùs verum eſt, talem virtutem iuſtitiæ ex ſe obligare ad talem voluntatem, ſi neceſſaria ſit ad talem effectum ſatisfaciendi vel reſtituendi, vel quia, ſi aliunde non præueniatur, ipſa virtus iuſtitiæ efficaciter mouet, & ex neceſſitate præcepti ad talem voluntatem. Quòd autem ex præuẽtione alterius, vt ita dicam, ceſſet materia eius, & conſequenter ceſſet obligatio habendi illam, accidentarium eſt. Nam talis obligatio ex præcepto affirmatiuo eſt, quòd non obligat pro ſemper, ſed pro tempore neceſſitatis: quia ergo exhibita ſatisfactione, vel reſtitutione in re ipſa, quacunque via id factum ſit, iam ceſſat neceſſitas illius voluntatis, ideò ceſſat etiam obligatio. Quæ doctrina ad plures alias virtutes, ſcilicet religionis, miſericordiæ, & ſimiles applicari poteſt. Hoc igitur modo præceptum hoc per ſe pertinet ad ſpecialem virtutem pœnitentiæ, quanuis in re ipſa expleri poſſit actibus ſolius charitatis.

Sed inſtabit aliquis, nam hinc ſequitur præceptum vnius virtutis obligare ad actũ alterius, vt præceptum D
12. Inſtantia. iuſtitiæ ad actum charitatis: huiuſmodi enim eſt præceptum pœnitẽtiæ, quod per ſe primò dicitur obligare ad ſatisfactionem poſſibilẽ Deo exhibendam; quæ tamen non exhibetur, niſi per actum contritionis, qui eſt elicitus à charitate. Conſequẽs autem videtur eſſe inconueniens, quia ſicut virtus non operatur extra proprios terminos, ita nec præceptum eius extra illos
Vnã virtutẽ poſſe obligare ad actum alterius. obligat. Reſpondetur, ſicut vna virtus poteſt imperare actum vlterius, ita non eſſe inconueniens, vt obliget ad actum alterius, vt imperabilem ab ipſa: nam
Reſponſio. ſub ea ratione actus imperatus ad eam virtutem ſpectat, vt actus externus: præcepta autẽ virtutum obligant etiam ad actus externos. Exemplum facile eſt in religione, nã ſi hîc & nunc ad reddendum Deo cultum debitum ſit neceſſarium exercere actum fidei, E ipſa virtus religionis obligabit ad exercendum illum; ita vt omiſſio talis actus tunc nõ ſit contra fidem, ſed contra religionem. Idemque eſt quoties neceſſitas exercendi actum vnius virtutis oritur ex alia virtute, quæ requirit actum alterius, vt medium ſibi neceſſarium. Sic ergo in præſenti cõtritio quatenus eſt actus imperabilis à virtute pœnitẽtiæ, & medium neceſſarium ad implendam obligationem illius virtutis, poteſt exigi ex vi præcepti ad illam virtutem pœnitẽtiæ.

*Pœnitentiam cadere ſub præceptum, vt procedit ex charitate diuina. Aſſert. 3.*

13. SECVNDA radix huius obligationis ſuprà tactæ vera eſt, & mihi certa ſuppoſita neceſſitate pœnitentiæ ad amicitiã Dei ſemel amiſſam recuperandam. Quia nullus actus charitatis maiori ratione cadit in præceptum eiuſdem charitatis diuinæ, quàm ille, qui neceſſarius eſt ad ipſammet charitatem habendam: ſi ergo contritio eſt neceſſaria ad charitatem habendam, quia eſt neceſſaria ad reconciliationem cum Deo, quæ per charitatem fit, præceptum charitatis Dei obligat ad contritionem. Et hanc radicem huius præcepti tetigit D. Thomas ſuprà, & frequentiùs Doctores ſuprà citati.

14. Obiect. Solùm poteſt obiici, quia modus virtutis non cadit ſub præceptũ: ergo nec dolere de peccato ex gratia & charitate, nec talis dolor, vt per illum conſequamur gratiam & charitatem, cadit ſub præceptũ. Vnde Adrianus quodl. lib. 6. q. 3. ad vltimum quandam confirmationem ait, poſſe hominem dolere de peccato imperfectè, vt non conſequatur gratiam, & nihilominùs per illum dolorem implere hoc præceptũ pœnitentiæ. Dico tamen ſententiam Adriani falſam eſſe, & repugnantiam inuoluere, ſub quocunque titulo hæc obligatio pœnitentiæ conſideretur. Nam, ſi agamus de titulo iuſtitiæ, interrogo, an homo per illũ dolorem ſatisfaciat Deo quantum ipſe exigit, nécne. Si ita ſatisfacit, ſtatim conſequitur iuſtitiam, & recõciliatur Deo: hæc enim eſt promiſſio eius, vt in ſuperioribus viſum eſt: ſi verò non ita ſatisfacit, non facit C æquitatem iuſtitiæ quãtum poteſt, & debet: ergo non implet præceptũ pœnitentiæ prout ad iuſtitiam pertinet. Similiter ratio ſumpta ex diuina amicitia apertè cõuincit legem charitatis Dei obligare ad talem pœnitentiam, quæ ad reconciliationem cum Deo ſufficiat: & pari modo, vt dicemus, ratio charitatis propriè obligat ad eam pœnitentiam, quæ eſt medium ſufficiens & neceſſarium ad ſalutem: quandiu ergo non fit tam perfecta pœnitentia, vt habeat hunc effectum, non impletur hoc præceptum, vt bene notauit Vega dict. lib. 13. c. 24.

Adrianus improbatur.

Vega.

15. Obiectioni occurritur. Ad obiectionem ergo reſpondeo, modũ virtutis, qui formaliter in hoc conſiſtit, vt actus eliciatur ab habitu virtutis, aut quòd informetur habitu virtutis, hunc, inquam, modum per ſe ac directè non cadere ſub præceptum, tanquàm materiam eius: quia hoc modo habitus non cadunt ſub præceptũ, neque eorũ infuſio, cùm nõ ſit à nobis, ſed à Deo, neque eorũ efficientia quatenus infuſionẽ ſupponit. Nihilominùs tamẽ aliquis modus virtutis poteſt cadere ſub præceptum, & eſſe materia eius, quo poſito infallibilis ſit gratiæ & charitatis infuſio ex promiſſione diuina. Patet in amore Dei ſuper omnia, nã ſub illo modo cadit ſub præceptũ, vt per ſe notũ eſt: ſi autem illo modo exerceatur, ſtatim infundentur gratia, & charitas, ſi anteà non erant, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: eodem ergo modo cadit ſub præceptum dolor de peccato ſuper omnia, quo poſito, ſtatim etiam ſequitur iuſtificatio. Ac denique addo, actũ habentẽ talẽ modum intrinſecum, & ſubſtantialem, non ſolùm poſſe præcipi propter ſe, & propter honeſtatem ſuam, ſed etiam propter reconciliationem cum Deo, & propter ſanctificationem & gratiæ infuſionem: tunc autem ipſa gratiæ infuſio non eſt materia præcepti, ſed finis: ſed materia eſt talis actus virtutis, non quidem vt informatus gratia, formaliter loquendo, ſed vt informabilis gratia, ſeu vt vltima diſpoſitio ad illam. Atque ex hac doctrina obiter expediũtur multę queſtiones, quę hîc interrogari poſſent, ſcilicet an intenſio

Ille tantùm modus conſ-

sio contritionis vel duratio, vel alij modi similes cadant sub hoc præceptum. Dicendum est enim illum tantùm modum cadere, qui est de substantia & ratione contritionis, quia illa sufficit ad reconciliationem cum Deo, & ad congruam satisfactionem, quæ ab homine postulatur. Quis autem sit ille modus, suprà declaratum est explicando rationem contritionis.

contritionis præcipitur, qui est de eius substantia.

## *Pœnitentiam præcipi, vt procedit ex charitate propria. Assertio 4.*

16 TERTIA radix huius obligationis, scilicet ex charitate, seu misericordia propria tangitur à D. Thoma citato loco his verbis, *Requirit etiam ipsa misericordia ordinata, vt homo subueniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit.* Et eandem docuerunt Medina dict. Cod. de Pœniten. q. 3. Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 20. Soto d. 17. qu. 2. art. 6. Attigitque Scotus ibi q. 1. dicens, pœnitentiæ obligationem non tantùm ex illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*; sed etiam ex illo, *Diliges teipsum*, oriri. Et mihi etiam videtur verissima: nam sine dubio obligatur homo aliquo speciali præcepto vt curam habeat suæ salutis, iuxta illud Ecclesiast. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo: & contine, & congrega cor tuum in sanctitate.* Quod præceptum nonnisi ad charitatem & misericordiam erga seipsum pertinet. Etenim, si ex charitate obligatur homo, vt sibi prouideat in corporalibus; cur non magis in spiritualibus? Item, si ex charitate obligatur homo ad subueniendum proximo in spiritualibus; cur non magis sibiipsi? Quo argumento vsus est Augustinus in Enchirid. cap. 76. dicens: *Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare.* Et propter hunc dilectionis ordinem ait dictum esse, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et subdit deinde, primam eleemosynam hominis erga seipsum esse debere, remissionem peccatorum sibi procurare. Eandem doctrinam habet 21. de Ciuitate, c. 27. Si ergo tenetur homo ex charitate propria sibi prouidere in spiritualibus, profectò maximè vrgebitur hac obligatione vbi periculum æternæ damnationis imminet: at hoc non solum imminet, sed etiam certissima est damnatio, si de peccatis commissis pœnitentiam non agat: ergo etiam ex vi huius præcepti charitatis ad pœnitentiam agendam obligatur.

D.Tho. Medin. Vega. Soto. Scotus. Eccles. August.

## SECTIO II.

### *Vtrùm impœnitentia sit speciale peccatum ab alijs separabile.*

1. Prima difficultas. QVONIAM peccatum præcepto opponitur, & oppositа inter se comparata meliùs cognoscuntur, ideò tractãda est hoc loco duplex difficultas, quæ circa peccatum impœnitentiæ insurgit. Prior est, quia ex resolutione data, & ex multiplici obligatione ad pœnitẽdum, quam explicuimus, sequitur, omissionem pœnitentiæ tempore debito, esse speciale peccatum, quia est cõtra speciale præceptum. Consequens est contra D. Thomam 2. 2. q. 14. art. 1. ad 3. vbi exponens Augustinum dicentem, peccatũ in Spiritum sanctum esse finalem impœnitentiam, dicit, huiusmodi impœnitentiam finalem non esse speciale peccatum. Quòd si hoc verum est de impœnitẽtia in fine vitæ, à fortiori habebit locum in omni alia impœnitentia, quocunque tempore habeatur. Indicat autẽ D. Tho. rationẽ, quia impœnitentia est circunstantia generalis, quæ cuicumque peccato adiungi potest; talis autem circunstantia non dat specialem malitiam, nisi sit specialiter intenta, vt in superioribus etiam dictũ est: ergo. Confirmatur, quia aliàs sequitur processus in infinitũ: nam si impœnitẽtia de primo peccato est secundum peccatum, impœnitentia de hoc secundo erit tertium, & de tertio erit quartum, & sic in infinitum.

D.Tho.

Altera difficultas est, nam si impœnitentia est speciale peccatum, non erit vnum, sed triplex peccatum, iuxta tres obligationes pœnitẽdi suprà declaratas. Sequela patet, quia tres illæ obligationes sunt diuersarũ rationum, scilicet iustitiæ ad Deum, & charitatis Dei, & sui ipsius: & non est maior ratio cur transgressio vnius constituat speciale peccatum, quàm alterius. Consequẽs autem per se videtur absurdũ, aliàs homo nunquã posset mori in peccato mortali, quin quatuor ad minimum peccatorũ mortalium reatũ habeat, scilicet illius, quod cõmisit, & triplicis impœnitentiæ. Imò vlteriùs sequitur, quoties homo peccat mortaliter, quatuor peccata committere, vnum pertinens ad specialẽ materiã, verbi gratia furti, aut homicidij, &c. aliud iniuriæ cõtra Deum, nam si iustitia erga Deum obligat ad satisfaciendũ illi pro iniuria illata, à fortiori obligat semper, & pro semper ad non inferendum illi iniuriam; tertiũ erit contra charitatẽ Dei, ob similem rationẽ: nam si charitas Dei obligat ad procurandam Dei amicitiam iam amissam, à fortiori obligabit ad non amittendam illã: quartum erit cõtra charitatẽ propriam eãdẽ proportione: nam si tenemur ex propria charitate facere quod in nobis est ad recuperandam gratiã amissam; ergo multò magis ad non amittendũ illam, neque nos spiritualiter occidendũ: ergo, si ad multiplicanda peccata impœnitẽtiæ sufficit hæc multiplex obligatio, sufficiet ad multiplicandas malitias in cuiuslibet peccati commissione.

2. Secunda difficultas.

Nihilominùs dicendum est, impœnitentiam esse posse speciale peccatum: hoc enim manifestè sequitur ex resolutione præcedentis sectionis: nam si præceptũ pœnitendi speciale est, violatio eius esse poterit peculiare peccatũ, nam habet propriam deordinationem. Et ita in hac generali assertione omnes Auctores citandi cõueniunt. Difficultas verò est, quis modus voluntatis, seu voluntarij necessarius sit ad hoc speciale peccatum; aliquod enim voluntariũ necessarium esse, manifestum est, quia peccatum aut voluntarium est, aut peccatũ non est, vt ex sententia Augustini vulgatum est apud Theologos. Quocirca, si contingat aliquem omittere pœnitentiã tempore mortis, aut quocumque alio tempore debito, & omissionẽ illam nullo modo voluntariam esse nec directè, nec indirectè, tunc certum est illã impœnitentiam non esse speciale peccatum, quia non est voluntaria transgressio præcepti pœnitendi. Potest autẽ hoc cõtingere in hac omissione sicut in aliis, ex inuincibili ignorantia, naturali obliuione, vel inconsideratione, aut alia simili impotentia. Tunc ergo erit impœnitentia materialis (vt sic dicam) potiùs quàm formalis: vt ergo formalis sit, aliquod voluntarium necessarium est.

3. Assertio primo generaliter affirmans.

Duobus autẽ modis potest omissio aliqua voluntaria esse; primò, directè per expressum actũ, ac propositum voluntatis, habens pro obiecto ipsam omissionem præcepto contrariam, qualis in præsenti materia est, non pœnitere tempore debito. Velle enim non pœnitere, seu nolle pœnitere pro eo tempore, pro quo nondũ præceptum pœnitẽtiæ obligat, non est propria impœnitentia, quæ sit specialis culpa, quia non est transgressio præcepti, quia illud nõ pro semper obligat, vt infrà latiùs videbimus. Oportet ergo, vt ex parte obiecti voluntas feratur in omissionem pœnitẽtiæ pro eo tẽpore, pro quo eius præceptũ obligat. Dico autem, *ex parte obiecti*, quia ex parte actus

4. Duplex impœnitentiæ modus.

actus voluntatis non eſt id ſemper neceſſarium: nam ſi quis nunc velit non pœnitere tempore mortis: iam peccat peccato impœnitentiæ, ſaltem ſecundùm affectum, vt conſtat in propoſito omittendi Miſſam, vel in quacúque alia omiſſione. Ratio autem eſt, quia præceptum affirmatiuum licèt non obliget pro ſemper ad exercendum actum præcepti, obligat tamen ad non habendum affectú ſibi repugnantem, & quoad hoc habet vim præcepti negatiui. Alio modo contingit, omiſſionem eſſe voluntariam ſolùm indirectè, ſeu interpretatiuè, quando ſcilicet ex negligentia culpabili actus omittitur tépore debito: vel ex ignorantia vincibili, vel ex certa ſcientia, ſine voluntate quidem directa omittendi, cum voluntate tamen agendi, vel retinendi aliquid incompoſſibile præcepto.

5. Secunda aſſertio affirmãs de propoſito non pœnitendi.

De primo ergo modo voluntatis certum eſt, impœnitentiam illo modo volútariam eſſe ſpeciale peccatũ, vel in affectu tantùm, ſi ſit in ſolo propoſito ante illud tempus, pro quo obligat præceptũ pœnitentiæ, vel etiam in effectu, ſeu quaſi opere conſummato, ſi vſq; ad tempus obligationis duret. Hoc docuit expreſsè D. Thom. in 2.2.q.14.art.2.vbi dicit, impœnitentiam prout numeratur inter ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, non dicere ſolam permanentiam in peccato, ſed propoſitum non pœnitendi: imò in 2. d.43. ſignificat vnicum modum cõmittendi hoc peccatum ſpeciale, eſſe per formale propoſitum, de quo poſteà videbimus, quoad partem excluſiuam. In hac etiam aſſertione omnes Theologi conueniunt, & cõuincitur ratione ſuprà facta; nam tranſgreſſio ſpecialis præcepti eſt ſpeciale peccatum: ergo tunc maximè erit, quando tranſgreſſio illa directè voluntaria eſt. Item, propoſitum illud eſt ſpecialis actus tendens in obiectum habens ſpecialẽ malitiam: ergo eſt ſpeciale peccatum. Tandem, illa voluntas habet malitiam moralem, & per ſe non habet aliam, niſi malitiam impœnitentiæ: nam qui eſt fornicatus, & poſteà non vult pœnitere, nõ habet nouam malitiã fornicationis; ſed impœnitentiæ tantùm: vnde periurus, & fornicarius, ſi pœnitere nolint, peccatum eiuſdem ſpeciei committent, etiamſi peccata, in quibus permanent, ſint ſpecie diuerſa: eſt ergo talis impœnitentia ſpeciale peccatum.

6. Tertia aſſertio affirmans etiam de quacunque voluntaria impœnitentia.

De alio autem modo voluntarij nonnulla dubitatio eſt, propter D. Thomæ teſtimonium ſuprà adductum. Nihilominùs dicendum ſecundò eſt, impœnitentiam illo modo voluntariam, addere ſpecialem malitiam, & in hoc ſenſu eſſe ſpeciale peccatum. Probatur, quia in omni alia omiſſione ſpecialis præcepti illud voluntarium ſufficit ad ſpecialem malitiã contrahendam, & hic nulla eſt ratio faciendi exceptionem, vt conſtabit reſpondendo ad rationes in oppoſitum. Item, quia rationes factæ in ſuperiori aſſertione, hic poſſunt cum proportione applicari: quia negari non poteſt quin ſit culpabile, ac moraliter malum omittere pœnitentiã eo tempore, quo præcepta eſt, voluntariè dicto modo, illa autem malitia moraliter non eſt alterius rationis à malitia omiſſionis directè volita, nec poteſt cogitari alia ſpecies, in qua conſtituatur. Vnde etiã hæc malitia eſt eiuſdẽ rationis in eo, qui non agit pœnitentiam periurij v.g. & in eo, qui nõ agit pœnitentiam adulterij cum eodem modo voluntarij indirectè: ergo ſignum eſt, tale voluntarium ſufficere ad hanc ſpecialem malitiam.

Satisfit prio ri difficultati.

Prima expoſitio Diui Thomæ.

Sed quid ad D. Thomã? Tribus modis exponi poteſt. Primus eſt, vt non loquatur de ſpeciali peccato in quacunq; ſpecie malitiæ, ſed de peccato ſpeciali in Spiritum ſanctum iuxta ſubiectam materiam, de qua ibi tractabat. Retulerat enim ibi ſententiam Auguſtini, dicentis, impœnitentiam eſſe peccatum, ſeu blaſphemiam in Spiritum ſanctum, & in eo ſenſu dicit, impœnitentiam non accipi ab Auguſtino pro ſpeciali peccato, ſed prout eſſe poteſt generalis circunſtantia cuiuſcunque peccati, nam Auguſtinus loquitur de impœnitentia prout dicit ſolam permanentiã in peccato vſque ad mortem, vt ibidem in artic. 2. idem D. Thom. expoſuit. Iuxta quam interpretationem propoſitum non pœnitendi nõ ſolùm eſt ſpeciale peccatum, quia eſt contra ſpeciale præceptum pœnitendi, ſed etiam quia eſt ſpeciali modo contra Spiritum ſanctum, omiſſio autem pœnitentiæ, etiamſi ſit ex negligentia, & indirecta voluntate, non eſt ſpeciali modo cõtra Spiritum ſanctum, etiamſi ſit aliàs ſpeciale peccatum in ſuo ordine, quatenus eſt contra ſpeciale præceptum.

8. Reiicitur.

Veruntamen hæc expoſitio mihi non videtur iuxta mentem D. Thomæ, & in ſe continet difficilem doctrinam. Nã ſi propoſitum non pœnitendi eſt ſpecialiter contra Spiritum ſanctum; interrogo, an hoc intelligatur de omni directo propoſito non pœnitendi, vel de aliquo ſpeciali, quod ex peculiari motiuo, vel cõtemptu Spiritus ſancti habeatur. Multis enim placet hoc ſecundum, quia ſine contemptu non committitur ſpeciale peccatum contra Spiritum ſanctum, poteſt autem haberi propoſitum non pœnitendi ſine contemptu: nihilominùs tamẽ hæc pars videtur contra D. Thomam, tum quia ſimpliciter dicit, impœnitentiam prout importat propoſitum non pœnitẽdi, numerari inter ſpecies peccati contra Spiritum ſanctum. Vnde ſentit in tali propoſito ſemper includi ſufficientem contemptum Spiritui ſancto repugnantem, quia dum eius gratia, & remiſſio directè refutatur, ipſe Spiritus ſanctus contemnitur. Tum etiam, quia D. Thom. tantùm duplicem impœnitentiam diſtinguit, vnam per propoſitum non pœnitendi, alterã ſine illo: quæ diſtinctio inſufficiens eſſet, ſi propoſitum non pœnitendi quoddam eſſet cum contemptu contra Spiritum ſanctum, aliud ſine illo. Addo, in aliis ſpeciebus peccati cõtra Spiritum ſanctũ, quas ibi numerat, vt ſunt deſperatio, præſumptio, &c. non diſtingui, an committantur ex contemptu, necne, ſed eo ipſo, quòd talia peccata ſunt, cẽſentur includere ſufficientem contemptum: ergo idem eſt in præſenti. Eò vel maximè, quòd difficillimum eſt exponere quale debeat eſſe illud propoſitũ, vel ex quo motiuo, vel quidnam ſit ille cõtemptus, qui vltra directã voluntatem non pœnitendi neceſſarius dicitur, vt illud propoſitum ſit ſpeciali modo contra Spiritum ſanctum. Si autem membrum aliud eligatur, & omne propoſitum non pœnitendi tempore debito dicatur habere ſpecialem malitiam contra Spiritum ſanctum quam non habet impœnitentia indirectè voluntaria; primum explicare oportet, quænam ſit illa ſpecialis malitia, diſtincta à malitia omiſſionis pœnitentiæ: aut contra quam virtutem, vel contra quod ſpeciale præceptũ ſit. Deinde oportet rationem reddere, cur illa malitia contrahatur per voluntarium directum, & non per indirectum: neutrum autem, vt opinor, poteſt ſufficienti ratione explicari.

9. Secunda expoſitio Diui Thomæ.

Eſt ergo ſecunda expoſitio, D. Thomam in priori loco cùm negat, impœnitentiam eſſe ſpeciale peccatum, loqui de impœnitentia materiali, quæ nullum volũtarium includit, ſed ſolam permanentiã in peccato mortali vſque ad mortem, Cùm autem dicit, hãc permanentiam eſſe poſſe circunſtantiã cuiuſcunque peccati, non loquitur de circunſtantia morali, quæ auget peccati malitiam; ſed de conditione, vel accidente cuiuſcunque rei, prout duratio rei in ſuo eſſe dicitur accidens eius. Cùm verò D. Thomas in poſteriori loco dicit, propoſitum non pœnitendi eſſe ſpeciem peccati contra Spiritum ſanctum, intelligendus

gendus est iuxta hanc expositionem non tantùm de
A propositò formali, & directo, sed etiam de virtuali,
& indirecto: nã hæ duæ voluntates moraliter æqui-
ualent in ordine ad moralem malitiã; neque hîc po-
test assignari specialis ratio, ob quam per directã vo-
luntatem fiat specialis iniuria Spiritui sancto, & non
per omissionem indirectè voluntariam: nam licèt
voluntarium directum, cæteris paribus, augeat ma-
litiam, non tamen est simpliciter necessarium ad spe-
ciem eius; & aliàs sicut directum propositum nõ pœ-
nitendi potest oriri, vel ex prauo habitu, vel ex nimia
malitia & contemptu: ita etiam ipsa omissio vtcum-
que voluntariè exercita, vt sic dicam, potest ex eis-
dem causis oriri: & è conuerso, sicut omissio potest
esse ex quadam accidia, vel passione, aut inconside-
ratione, vel ignorantia, aut errore: ita etiam propo-
B situm non pœnitendi potest easdem radices, seu voca-
tiones habere: cur ergo non sufficiet voluntas indi-
recta, vt tale peccatum sit contra Spiritum sanctum,
si directa sufficit? Atque hanc expositionem signifi-
cat Cano loco citato, sectione præcedenti. Soto au-
tem, & Vega ibidem citati etiam intellexerunt, D.
Thomam in priori loco, cùm negat impœnitentiam
esse specie peccatum, loqui de impœnitentia, quæ
non addat, neque augeat malitiam: sed non existi-
mant illam esse huiusmodi, eò quòd voluntaria non
sit: sed quia sit carentia pœnitentiæ non per modum
priuationis, sed per modum negationis tantùm, id
est, quia solùm est pro eo tempore, pro quo nondum
præceptum pœnitentiæ obligat, nam de hac impœni-
tentia putant D. Thomam loqui. Sed in hoc manife-
stè errant, quia D. Tho. loquitur de impœnitentia fi-
C nali, de qua etiam agit August. manifestum est autem
talem impœnitentiam includere tẽpus aliquod, pro
quo obligat præceptum pœnitẽtiæ: nam includit tẽ-
pus mortis, pro quo maximè illud præceptum obli-
gat. Igitur priori modo declarato sumenda est hæc
expositio; estque valdè probabilis, & satis consenta-
nea verbis, & intentioni D. Thomæ.

10. Duplex tamen difficultas circa illam occurrit.
1. Difficultas Prior est, quomodo impœnitentia materialis tan-
tùm & omninò inuoluntaria potuerit ab Augusti-
no appellari peccatum contra Spiritum sanctum,
2. Difficul- cùm talis impœnitentia nullam malitiam habeat. Se-
tas. cunda est, quomodo voluntarium indirectum suffi-
ciat ad constituendam propriam speciem peccati cõ-
tra Spiritum sanctũ, iuxta aliam interpretationem, seu
acceptationem illius peccati: nam ad illas species re-
quiritur contemptus, vt D. Thomas ait: contemptus
D autem non includitur in volũtario tantùm indirecto,
quod potiùs est per negligentiam vel passionem. Ad
priorem difficultatẽ responderi potest, Augustinũ nõ
vocare peccatũ cõtrà Spiritum sanctum ipsam nega-
Responsio tionem pœnitentiæ, sed peccatum illud, cui talis ne-
ad primam. gatio adiungitur: quia licèt ex hac negatione non au-
geatur eius malitia propriè, & intẽsiuè, augetur quasi
Ad 2. extẽsiuè quoad durationẽ, ratione cuius irremissibile
fit, si vsq; ad mortem perueniat. Ad alteram partẽ re-
spondetur, sicut peccatum illud est voluntarium, ita
includere contemptum virtualem, quod sufficit quã-
do ipsum peccatum ex sua specie tale est, vt remoueat
aliquid eorum, per quæ potest homo ab electione
peccati impediri, vt in articulo secundo eiusdem q.
E D. Thom. explicauit. Quod si alicui hæc non satisfa-
ciant, potest tertiam expositionem adhibere.

11. Tertia igitur expositio sit, D. Thom. solùm nu-
Tertia ex- merare inter species peccati contra Spiritũ sanctum
positio D. illam impœnitentiam, quæ est per directum propo-
Thom. situm non pœnitendi, quia non solùm requirit ad il-
lam denominationem peccati contra Spiritum san-
ctum talem speciem malitiæ, sed etiam talem modum

A contrahendi illam. E contrario verò impœnitentiam
etiã culpabilem per voluntarium indirectum, quæ ab
August. in alio sensu appellatur peccatum cõtra Spi-
ritum sanctum, non vocari à D. Thom. speciale pec-
catum, sed circunstantiam aliorum. De hac verò cir-
cunstantia non tractauit ibi D. Thom. an cõferat no-
uam malitiam, necne: neque, si addit malitiam, an
illa sit specialis, seu in noua specie: nam hæc nihil re-
ferebant ad rem, de qua ibi tractabat. Nos autem di-
cẽdum, credimus, addere specialẽ malitiam, quia addit
voluntariã omissionem speciali præcepto repugnan-
tem, vt in superioribus definitum est. Vt autem hoc
non appareat contrarium illi modo loquẽdi D. Tho-
mæ, est vlteriùs considerandum, quando vnum pec-
catum habet plures circunstantias addentes malitias
specie diuersas, non vocari à D. Thoma plura pec-
B cata, sed vnum, quod ex obiecto est vnius speciei: ha-
bet tamẽ plures circunstantias. In hoc ergo sensu in-
telligendum est in præsenti, permanentiam in pecca-
to vsque ad mortem, etiamsi peccaminosa sit, non es-
se speciale peccatum, sed circunstantiam peccati, se-
cluso formali proposito nõ pœnitendi, quia videlicet
non per se committitur, sed vt circunstantia alterius
peccati, quamuis, supposita circunstantia temporis
necessarij ad pœnitendum, illi addat specialem ma-
litiam.

12. Vnde etiam fit, hanc malitiam non esse specie di-
Corollariũ uersam ab ea, quæ est in proposito nõ pœnitendi, quia
primum. voluntarium directum vel indirectum nõ variat spe-
ciẽ peccati (vt ex 1. & 2. suppono) si in obiecto & ra-
tione malitiæ sit sufficiens cõuenientia, vt est in præ-
C senti, neque etiam repugnat malitiam eiusdem spe-
ciei in vno peccato directa voluntate commisso esse
primariam, in alio esse accidentariam. Rursus hinc fit, Corollariũ
impœnitentiam, quæ dicitur esse peccatum contra secundum.
Spiritum sanctum speciali modo, & illam, quæ di-
citur esse circunstantia moralis peccati, non differre
specie quoad malitiam moralem, sed solùm in modo
& perfectione voluntarij, ratione cuius includit con-
temptũ bonitatis, propter materiam in qua talis vo-
luntas versatur, nam per eam directè abiicit medium
necessarium ad sanctificationem, quæ Spiritui sancto
appropriatur. Tandem intelligitur non repugnare Corollariũ
quòd de pœnitentia sit datum speciale præceptum, & tertium.
quòd nihilominùs impœnitentia peccaminosa, sæpe
sit circunstantia alterius peccati in sensu explicato:
nam etiam circunstantia addens specialem malitiam,
requirit speciale præceptum: satisque est, quòd pro-
D positum nõ pœnitendi sit quasi per se speciale pecca-
tum, nam hoc etiam exigit speciale præceptum. Eò
vel maximè, quòd etiam ipsa omissio pœnitentiæ, sub
alia consideratione, & loquendi ratione, dici potest
speciale peccatum, vel præcisè considerando illam
in ratione omissionis, vel considerando in peccato id,
quod est formale, scilicet malitiam.

13. Neque contra hanc vltimam interpretationem &
Soluuntur doctrinam habet vim ratio superiùs tacta: falsum est
aliæ ratio- enim, circunstantiam permanendi in peccato, eo
nes. etiam tempore pro quo eius pœnitentia præcipitur,
esse circunstantiam generalem: quia nõ est per se nec
necessario coniuncta cum omni peccato, vt per se
constat. Imò, loquendo de peccato actuali, respectu
cuius considerantur circunstantiæ generales vel spe-
ciales, hæc neutro modo est circunstantia eius, per se
E loquendo, quia non concurrit eo tempore quo tale
peccatum committitur: non enim pro eodem tem-
pore, in quo homo peccat, tenetur eiusdem peccati
pœnitentiam agere: propria autem circunstantia pec-
cati actualis debet simul eodem tempore occurrere,
alioqui non posset esse accidens eius. Si verò sit ser-
mo de habituali peccato, sic permanentia in illo est

generali

generaliter quædam conditio vel accidés eius:tamen quòd hæc duret etiá tempore prohibito, ſeu pro quo pœnitentia præcepta eſt,hoc non eſt generale,ſed accidentarium omninò, & ſpecialem dicens deordinationem.Et ideò, licèt talis circunſtantia tantùm indirectè volita ſit, dat ſpecialem malitiam. Malè verò hinc infertur in cõfirmatione proceſſus in infinitum, quia impœnitentia plurium peccatorum non eſt multiplex,ſed vna:& ideò,licèt aliquis quãdo eſt impœnitens vnius peccati,verbi gratia,furti, ſit etiam impœnitens ipſius peccati impœnitentiæ, nõ propterea multiplicatur peccatum, quia tantùm eſt vna omiſſio vnius actus præcepti. Obiect. Dices, ſaltem impœnitentia de pluribus peccatis grauior eſt: ergo ſaltem cum proportione inferri poterit augmẽtum in infinitum? Reſpondetur, Enodatur. etiamſi in aliis peccatis fortaſſe id verum ſit;in peccato impœnitentiæ non habere locum illud augmentum reſpectu ſuiipſius, quia intrinſecè repugnat habere pœnitentiam talis peccati illo eodem tẽpore, nam eſſentialis eius malitia conſiſtit in omiſſione pœnitentiæ. Et ideò non poteſt ex illo eodem capite addi illi grauitas accidentalis.

*Secundæ principali difficultati ſatisfit.*

14 ATQVE ex his(vt ad difficultatem poſteriorem reſpondeamus)infertur primo,aliquando poſſe contingere,vt aliquis homo in vno tantùm peccato moriatur ſine ſpeciali peccato impœnitentiæ, nimirum ſi nec voluntatem directam habuerit non pœnitendi:neque etiam indirectam,vt ſi morte præueniatur priùs quàm de pœnitentia agenda cogitare poſſit, Extra hunc verò caſum verum eſt,neminem mori in peccatò mortali, quin peccatum impœnitentiæ, ſeu malitiam eius(quod perinde eſt)priori peccato adiũgat, Hierem. & propter hoc etiam puniatur,iuxta illud Hier.8. *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, non ſunt confuſi, erubeſcere neſcierunt: idcirco cadent inter corruentes, dicit Dominus:* vt ibi exponit Hieronymus. Hieron. Neque hoc eſt vllum inconueniens,ſed maximè conſentaneum diuinæ inſtitiæ.

15. Secundò infertur,non eſſe neceſſarium vt peccatum impœnitentiæ ſemper includat triplicem malitiam, contra triplicem obligationem ſuprà declaratam. Hoc facilè patet, in primis quando hoc peccatum fit per modum omiſſionis abſque directo propoſito:quia illa omiſſio non eſt peccatum,niſi, pro eo tempore,pro quo vrget præceptum pœnitentiæ.Non eſt autem neceſſe vt illæ tres obligationes ſemper eodem tempore concurrant: nam pro aliquo tempore obligare poteſt ratio iuſtitiæ, pro quo ſola ratio charitatis per ſe non obligaret: & tunc omiſſio illa habebit tantùm ſpecificam malitiam virtuti pœnitentiæ contrariam:contra charitatem autem Dei, vel ſui ſolùm erit eo generali modo, quo cætera peccata ſunt contra charitatem. At verò, ſi contingat illas tres obligationes ſimul & pro eodem tempore concurrere, vt maximè videtur contingere in articulo mortis, non cenſeo inconueniens admittere tunc impœnitentiam habere triplicem illam malitiam, nam includit tres circunſtantias diuerſarum rationum, & contra diuerſa præcepta propria & ſpecifica, & per ſe ac ſigillatim obligantia. Atque hinc etiam conſtat quid dicendum ſit quando impœnitentia eſt per propoſitum formale non pœnitendi: nam inſpiciendum eſt pro quo tempore velit quis nõ pœnitere;nam ſi illud tempus ſit pro quo obligat ſola ratio iuſtitiæ, vt fortaſſe nunc eſt tempus Quadrageſimæ, illa voluntas tantùm habebit vnam ſpeciem malitiæ.Si verò tempus illud eſſe pro quo concurrerent & vrgerent omnes illæ obligationes, tunc concedo voluntatem illam habituram tres malitias, ex quibus illa, quæ eſt contra iuſtitiam,videtur magis propria, & intrinſeca aliæ verò magis accidentariæ & extrinſecæ.

16 Tertiò colligitur, quid dicendum ſit ad inconueniens illatum de commiſſione cuiuſcunque peccati mortalis, quòd nimirum præter malitiam propriam habeat ſemper tres malitias contra tres alias obligationes.Dicendum eſt enim, quoad malitiam iniuſtitiæ,ſeu iniuriæ diuinæ, verũ eſſe eam propriè ac formaliter includi in quolibet peccato mortali, vt apud me conuincit argumentum factum,quia, ſi lex iuſtitiæ reſpectu Dei obligat ad ſatisfaciendum, ſupponit iniuriam factam:ergo multò magis obligarat vt non fieret:hæc autem lex ſpecialis eſt,& eiuſdem virtutis: ergo violatio eius infert ſpecialem malitiam. Nec refert quòd hæc circunſtantia generalis ſit omnis peccati mortalis, quia non eſt generalis tanquàm illi addita,ſed tanquàm conſtituens in eſſe peccati mortalis vt ſic: nam obiectum creatum per ſe non ſufficit ad peccatum mortale perficiendum.Denique hæc eadem eſt malitia auerſionis, à qua peccatum mortale habet ſpecialem grauitatem ſuam. Quoad malitiam verò contrariam charitati Dei, dicendùm eſt, per ſe loquendo ac regulariter, illam non eſſe in quolibet peccato mortali formaliter,& ſpecificè diſtinctam à priori malitia iniuriæ diuinæ, ſed ſolùm eſſe generalem circunſtantiã incluſam in omni peccato. Si verò contingeret hominem peccare mortaliter eo tempore,quo aliunde ex ſpeciali titulo, & obligatione charitatis Dei tenebatur Deũ ſuper omnia diligere, tunc verum eſt,peccatũ illud ex circunſtantia temporis habere ſpecialem malitiã contra charitatẽ Dei: quia illa circunſtantia non eſt generalis, ſed valdè ſpecialis,& habet propriã ac ſpecificã deformitatẽ.Et ita ſeruatur eadem proportio cum doctrina data de peccato impœnitentiæ,vt facilè ex dictis patet.

17. Addo verò, eos, qui negant ſpeciale præceptum pœnitentiæ ad iuſtitiam pertinens,& admittunt illud ex ſola Dei charitate,ſi conſequenter loquantur,conceſſuros eſſe,in quolibet peccato mortali includi ſpecialem malitiam contra charitatem Dei, quia tunc illa malitia eſſet, quæ primò conſtitueret peccatum mortale:vt ſic:& alia ratio facta de ratione iniuſtitiæ, tunc haberet locum in charitate Dei,quia tunc prima obligatio ad Deum eſſet ipſius charitatis. Nunc autem non ita eſt:& ideò non eſt ſimilis ratio:quia,cùm interuenit ſpecialis obligatio iuſtitiæ, charitas per ſe & immediatè non obligat ad non faciendam iniuſtitiam, ſed ſolùm tanquàm generaliter, vel virtualiter mouens alias virtutes: quanquàm in aliquo ſpeciali caſu & tempore ipſa etiam inferat ſuam ſpecialem obligationem.

18. Denique eadem proportione dicendum eſt de malitia contra charitatem propriam: nam per ſe etiam, ac regulariter non quoties homo mortaliter peccat, committit ſpecialem malitiam contra charitatem propriam, ſed tantùm generali quadam ratione. At verò ſi in illo ſpeciali tempore pro quo obligat hominem præceptum charitatis propriæ ad prouidendum animæ ſuæ, & cauendum periculum æternæ mortis, ipſe de nouo mortaliter peccaret, ex circunſtantia talis temporis haberet peccatum illud ſpecialem malitiam, quia illa iam non eſt generalis circunſtantia, ſed ſpecialis, addens peculiarem malitiam. Et ideo dixi ſuprà dupliciter poſſe contrahi ſpecialem malitiam ex generali circunſtantia, ſcilicet, vel directa intentione agendo contra illam,vel eam violando in illo ſpeciali tempore, pro quo inducit propriam obligationem, quia iam tunc non ſumitur vt generalis, ſed vt ſpecialis circunſtantia: atque hoc modo doctrina data ſemper & in omnibus

nibus cum eadem proportione vera existit.

9. Obiectio. Dices, cur ratio charitatis propriæ non obligat hominem semper & pro semper speciali obligatione, vt non se occidat spiritualiter, vel priuet gratia, sicut obligat aliquando ad reparandam illam? Respondetur, quia non semper est homini æquè necessarium esse in gratia, neque æquè periculosum cadere ab illa. Vnde, sicut ex vi charitatis propriæ non obligatur homo, qui est in peccato, ad agendam statim pœnitentiam, & deserendum illum statum, sed solùm quando vel extrema, vel grauis necessitas ita vrget, vt damnum fiat moraliter irreparabile: ita etiam ex hoc præciso titulo charitatis propriæ non inducit semper, & omni tempore specialem obligationem non peccandi, vel non amittendi gratiam, ita vt eo titulo incurratur specialis malitia, sed tunc solùm, quando ratio, & tempus specialis necessitatis occurrit.

Soluitur.

## SECTIO III.

### *Vtrùm præceptum pœnitentiæ naturale sit, vel positiuum.*

1. Pœnitentiæ præceptum diuinum est. CERTVM est, ac per se notum, præceptum hoc diuinum esse: nam antiquius est omni humano, imò omnium hominum voluntates præuenit, ipsumque etiam Adamum obligauit. Denique per nullam humanam potestatem auferri, vel dispensari potest. Difficultas ergo est, an sit diuinum naturale, an verò sit positiuum, & ex libera Dei voluntate ortum.

Opinio affir mãs pœnitẽtiã esse de iure naturæ. Quòd enim prioris generis sit, videtur probari, quia ante legem scriptam nulla fuerunt præcepta diuina positiua, propter quod tempus illud dicitur fuisse legis naturæ, in quo tempore etiam hoc extitit præceptum. Item quia præcepta iustitiæ, & charitatis naturalia sunt proportionatè, id est, præcepta iustitiæ moralis, & humanæ, & amicitiæ etiam, seu beneuolentiæ connaturalis homini, vt sic, connaturales sunt etiam respectu humanæ naturæ per se, ac nudè sumptæ: præcepta autem iustitiæ, ac charitatis infusæ, ac diuinæ connaturalia sunt homini, vt eleuatio per gratiam ad finem supernaturalem. Præceptum autem hoc pœnitentiæ per se, ac primariò est præceptum cuiusdam iustitiæ infusæ, quæ natura sua obligat ad resarciendam iniuriam Deo factam: est ergo præceptum illi connaturale. Idemque argumentum cum proportione fieri potest de charitate. Atque eadem ratione, etiamsi homo fuisset conditus in puris naturalibus, & in eo statu peccaret mortaliter, obligaretur, per se loquendo, ad se conuertendum in Deum, eique satisfaciendum, vt posset: tunc autem præceptum illud non esse positiuum diuinum, quia ille status in puris naturalibus non requirit hęc pręcepta: fuisset ergo illud præceptum naturale: ergo eadem ratione in statu & ordine gratiæ præceptum pœnitentiæ supernaturalis est connaturale ipsi gratiæ, seu homini, vt illustrato per fidem. Fauetque huic parti

D. Tho. D. Thom. suprà quæst. 84. art. 7. ad primum, quatenus ait, *de iure naturali esse, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit.* Et in eodem sensu, q. 86. art. 6. ad vltimum, dicit sacramentum pœnitentiæ aliquo modo fuisse in lege veteri, quatenus pœnitentia, quæ de iure naturali est, aliquam determinationem habuit in ea lege, prout ipse etiam dixerat in quæst. 84. art. 7. ad 2. vbi

Caiet. Cano. Alens. Bonau. Rich. Maior. Marsil. Caietanus etiam hoc sentit, & Soto dist. 14. quæst. 1. articul. 7. & Cano relection. de Pœnit. part. 3. Alij etiam Scholastici ita loquũtur, vt Alensis 4. p. quæst. 18. membro 2. artic. 3. §. 2. Bonauentura in 4. dist. 17. 2. part. articul. 3. quæst. 1. Richardus artic. 2. quæstion. 3. Maior quæst. 9. Marsil. in 4. quæst. 12. artic. 1. & quæst. 18. Idem tenet Vega libr. 13. in Tridentinum, c. 20. & Iacobus Latomus in art. 3. contra Lutherum.

Vega. Iacob. Latom.

Contraria verò pars, scilicet præceptum hoc esse positiuum, suadetur primò, quia præcepta naturalia in præceptis Decalogi continentur, vel formaliter, vel virtute: hoc autem præceptum pœnitendi in nullo in præceptorum Decalogi continetur formaliter, vt per se constat: neque etiam potest per euidentem consequentiam ex aliquo illorum colligi, vt virtute in eis contineri dicatur: ergo. Secundò, præcepta naturalia immutabilia sunt, vel saltem secundùm ordinariam legem, & prouidentiam Dei non mutantur, seu auferuntur: sed hoc præceptum pœnitentiæ mutabile est: potuit enim Deus non exigere ab hominibus formalem pœnitentiam peccatorum, sed sola dilectione contentus esse: potuit etiam per solã attritionem eos iustificare, nõ præcipiendo contritionem. Iam etiam in lege gratiæ facta est mutatio in hoc præcepto: nunc enim non obligat simpliciter præceptum contritionis, sicut anteà obligabat: nam si quis per attritionem cum sacramento iustificatus sit, iam non tenetur ad contritionem: in quo non cum vno vel altero homine dispensatum est, sed generali & ordinaria lege pro omnibus hominibus huius temporis id stabilitum est: ergo signum est, hoc præceptum non fuisse absolutè de lege naturæ. Tandem, vel lex naturalis obligat ad actum pœnitentiæ propter naturalem rectitudinem humanæ voluntatis: & hoc non, quia ad hoc sufficeret cessatio à peccando, & noua vita, seu propositum deinceps rectè operandi: nam sicut bonus habitus excludit prauum, ita boni actus sufficiunt ad excludendam inordinationem, quæ relicta fuit in volũtate. Vel obligat propter satisfaciendum Deo: & hoc etiam non, quia nulla satisfactio hominis etiam ex gratia operantis est æquiualens, sed necesse est, vt illam Deus gratis acceptet, quod non facit, nisi per aliquam legem, qua suam voluntatem declarat: ergo sine aliqua lege positiua Dei non potest intelligi obligatio huius præcepti. Atque ita opinatus est Medina Codic. de Pœnitentia, tractatu primo, quæst. 2. art. 2. post medium.

2. Opinio affirmans, esse de iure positiuo.

Medin.

Inter has sententias mediam viam tenendam censeo, quæ fortasse potest esse earum conciliatio. Aliud est enim quærere, an obligatio satisfaciendi Deo pro iniuria illata per peccatum, sit ex intrinseco naturali iure: aliud verò, an modus satisfactionis per formalem pœnitentiam, & contritionem oriatur etiam ex intrinseca rei natura, ideóque idem præceptum naturale obligans ad satisfactionem, obliget etiam ad talem satisfactionis modum, vel necessariũ fuerit hanc determinationẽ esse ex peculiari institutione diuina.

3. Tertia opinio inter vtrãque media, & earũ reconciliatio, vera cẽsetur.

Circa priorem partem dicendum censeo, præceptum satisfaciendi Deo pro iniuria illata per peccatum, naturale esse, satisfaciendi, inquam, quantùm homini possibile est, quia præcepta non dantur de rebus impossibilibus. Hanc conclusionem intendunt præcipuè Auctores prioris sententiæ. Et eam non negat Medina, sed potiùs expresse eam distinguit, & concedit. Et sufficienter probatur argumentis primæ sententiæ. Quorum summa & ratio à priori est, quia omnis iustitia ad alterum, seruata proportione, intrinsecè & naturaliter obligat ad satisfactionem iniuriæ illatæ, quia obligat ad medium constituendum in suo obiecto, id est, ad æqualitatem resarciendam, quam iniuria abstulerat. Dices, Hac ratione probaretur, etiã in puris naturalibus dari hoc naturale præceptum, quia peccatum in illo statu etiam esset iniuria Dei: consequens autem videtur falsum, quia satisfactio Dei est quid omninò supernaturale, pertinens ad ordinem gratiæ. Respondetur, quantùm est vi pecca-

4. Præceptum satisfaciẽdi Deo pro iniuria illata naturale esse.

Concl. 1.

Obiect.

Soluitur.

ti eandem obligationem oriri etiam in puris naturalibus: an verò tunc excuſaretur homo propter impotentiam, vel ad quid obligetur homo in tali ſtatu ex vi talis præcepti, conſtabit ex dicendis.

5. Nullũ actũ peccatoris eſſe ex natura ſua ſufficientem diſpoſitionem pro iniuria Deo facta. Concl. 2.

Circa poſteriorem partem in primis exiſtimo, nullum actum, qui poſſit fieri à peccatore etiam per auxilium gratiæ, eſſe ex ſe, & ex natura ſua ſufficientem ſatisfactionem pro iniuria facta Deo per peccatum. Hanc aſſertionem ponit expreſsè Medina, & Auctores citati in ſecunda ſententia eam non negant, ſed aliis locis illam docent, vt latiùs oſtendi, & probaui in primo tomo 3. parte diſputat. 4. & ideò hîc plura non addo. Atque hinc infero, quanuis iuſtitia de ſe nata ſit obligare ad condignã ſatisfactionem; tamen in præſenti caſu vel nõ obligare hominem, vel (quod perinde eſt) excuſari hominem ab huiuſmodi obligatione propter impotentiam: ſicut inter homines, qui alterum occidit, ex vi iuſtitiæ obligaretur ad vitam reparandam ſi poſſet; tamen propter impotentiam non obligatur, ſeu excuſatur.

6. Hominem gratia adiutum poſſe de cõgruo ſatiſfacere, & ad id teneri. Concl. 3.

Vlteriùs verò dico, quanuis non poſſit homo condignè ſatisfacere; tamen excitatum & adiutum diuina gratia, poſſe aliqualiter ſeu imperfectè, ſeu de congruo, vt vocant, ſatisfacere, ac proinde ad huiuſmodi ſatisfactionem, ſuppoſita poſſibilitate, obligari ex lege connaturali ipſimet gratiæ. Priorem partem ſuppono ex dictis in primo tomo, loco citato. Et ex hac priori parte ſequitur manifeſtè poſterior (ſuppoſita prima aſſertione) quia ex vi eiuſdem legis iuſtitiæ, qua obligatur homo ad condignam ſatisfactionem, ſi poteſt eam exhibere, obligatur etiam, ſi non poſſit integram, ſaltem eam, quam poſſit, exhibere, præſertim ſi ſeruetur aliqua proportio in eodem genere ſeu ordine rerum. Hoc addo, vt abſtineam ab illa quæſtione, an teneatur quis ſatiſfacere, vel reſtituere damnum in bonis ſuperioris ordinis per bona inferioris ordinis, quando non poteſt facere per bona eiuſdem ordinis. Quamuis enim probabile ſit etiam tunc teneri hominem ad ſatisfaciendum prout poteſt, infamiã verbi gratia, pecuniis compenſando; multò tamen certius eſt dari hanc obligationem in bonis eiuſdem ordininis, etiamſi inæqualis & inſufficiens futura ſit. Vi ſi quis alium infamauit, licèt non poſsit integrè infamiam tollere; ſi tamen poteſt minuere, vel efficere ne augeatur, tenetur id facere. Et qui alteri contumeliam fecit, quanuis non poſſit integrè reparare honorem; tenetur tamen quod in ſe eſt facere ad exhibenda ſigna honoris, quibus prior iniuria, prout fieri poterit, reſarciatur. Et ratio omnium eſt, quia iuſtitia, quę obligat ad æqualitatem faciendam integrè, ſi poſſibilis eſt, conſequenter vel à fortiori obligat ad faciendam illam ex parte, ſeu inæqualitatem minuendo, quantùm poſſibile eſt. Sic igitur in præſenti eadem proportione iudicandum eſt de ſatisfactione Deo exhibenda: nam homo peccando, quandam contumeliam Deo intulit, contra eius honorem, & dignitatem vltimi finis: & quanuis non poſſit condignè ſatisfacere, poteſt tamen per auxilium gratiæ ad Deum conuerti, ſeque totum illi ſubmittere, eumque vt vltimum finem, quantùm poteſt, honorare: quæ ſatisfactio licèt imperfecta ſit ex parte hominis, tamen ex parte ipſius Dei meritò dici poteſt eſſe in bonis eiuſdem ordinis. Tenetur ergo homo ex naturali lege iuſtitiæ ad Deum illam exhibere. Et confirmatur inductione, ſeu exemplis non diſſimilibus. Non enim poteſt homo condignas Deo agere gratias pro beneficiis acceptis; debet tamen referre quas poteſt. Item non poteſt tribuere Deo adorationem, & cultum cõdignum tantæ maieſtati; tenetur tamen prout potuerit colere. Sic igitur dicendum eſt in præſenti de ſatisfactione pro peccato: eſt enim hic quidam honor, ſeu cultus Deo debitus ſpeciali quodam, & quodammodò magis rigoroſo titulo iuſtitiæ, ratione iniuriæ illatæ.

Qui alteri damnum intulit, tenetur illud reſarcire in bonis eiuſdẽ ordinis.

## *An obligatio ſatisfaciendi Deo ex natura rei ſit determinata ad formalem actum contritionis.*

7. ADHVC verò ſupereſt declarandum, an hæc obligatio ſatisfaciẽdi Deo ex natura rei abſque alia ordinatione diuina ſit determinata ad formalem actum pœnitentiæ, ſeu contritionis. Duos enim actus in ſuperioribus diſtinximus. Vnus eſt voluntas ſatisfaciendi, quæ eſt veluti intentio ſeu actus imperans: & de hoc actu manifeſtum eſt cadere ſub obligationẽ dictæ legis naturalis abſque alia ſpeciali ordinatione diuina, ſi in prædicta abſtractione & generalitate ſumatur. Alius actus eſt formalis deteſtatio actus peccati per contritionem, quæ eſt veluti actus imperatus, ipſaque ſatisfactionis exhibitio: & de hoc actu inquirimus, an lex ipſa iuſtitiæ, quæ ex ſe obligat ad ſatisfaciendum Deo, obliget etiam ad ſatisfaciendum tali modo, ſeu per talem actum. Et ad hoc dicendum eſt vltimò, hunc quidem actum ex ſe & natura ſua eſſe valdè proportionatum ad hanc ſatisfactionem exhibendam, abſolutè tamẽ nõ eſſe ſimpliciter neceſſarium abſque ſpeciali ordinatione diuinæ voluntatis, determinãtis talem ſatisfactionis modum. Prior pars ſæpe tradita eſt in ſuperioribus, cùm oſtenderemus honeſtatem, vtilitatem, & neceſſitatem actus pœnitentiæ. Nam ille actus eſt proportionatus ad ſatisfaciendum pro iniuria, qui eſt etiam aptus ad obtinendam veniam: ſed nullus eſt actus aptior ad veniam impetrandam, quàm deteſtatio & dolor de iniuria illata, maximè ſi procedat ex vero affectu ad eum, qui iniuriam paſſus eſt: eſt igitur in actu contritionis ex ſe & ex natura ſua magna proportio ad hanc ſatisfactionem exhibendam. Quòd verò non ſit abſoluta neceſſitas ſine Dei ordinatione (quod in altera parte dicebamus) probant, vt opinor, ſufficienter argumenta ſecundæ ſententiæ: & ex ſolutionibus argumentorum prioris opinionis magis confirmabitur, & declarabitur. Ac denique nullum eſt principium ſimpliciter neceſſarium ex vi æquitatis iuſtitiæ, etiam infuſæ & ſupernaturalis, ex quo neceſſaria conſecutione inferri poſſit, iuſtitiam ipſam per ſe obligare ad ſatisfaciendum per hunc actum.

Pœnitentiã ex diuina ordinatione eſſe proportionatam ad ſatisfaciendum Deo. 4. Concl.

8. Quorumdã reſponſio. Reiicitur.

Dicunt aliqui, hunc actum per ſe & vi ſua expellere peccatum abſque alia acceptatione Dei, atque ita ex ſe tollere inæqualitatem, & reparare æqualitatem: ac propterea iuſtitiam ipſam, de ſe ad illum obligare. Sed hæc reſponſio & falſum aſſumit, vt in citato loco primi tomi oſtendi, & malè infert: quia, ſi ille actus eſſet ſufficiens ad illum effectum, etiam actus ſolius dilectionis per ſe ſufficeret: ergo ex ſola natura rei non poteſt oriri obligatio ad formalem actum pœnitentiæ, ſeu contritionis. Quando enim ex duobus actibus alter ſufficit ad integram ſatisfactionem faciendam, neuter eorum determinatè cadit ſub præceptum ſatisfaciendi, neque ambo ſimul, ſed vnus vel alter arbitrio ſatisfacientis. Atque hoc à fortiori procedit in ſatisfactione imperfecta: nam quando ſatisfactio eſt æqualis, magis eſſe ſolet ex natura ſua determinata ad vnum vel alium modum, quando verò eſt de ſe inſufficiens, modus ſatisfactionis magis pẽdere ſolet ex voluntate eius, cui fit ſatisfactio, quia debet illa eſſe contentus. Cùm ergo ad hoc non cogatur ex vi ſatisfactionis, quia inſufficiens eſt, oportet vt ſit ex aliqua libera pactione vel ordinatione. Ita ergo eſt in præſenti: nam, cùm ſatisfactio hominis

nis ad Deum ex se sit insufficiens, nullus modus satisfactionis est de se determinatus tanquàm necessarius, sed quem Deus ipse determinat, seu quo vult esse contentus.

9. Corollariũ. Atque hinc fit, hoc præceptum contritionis in particulari non ita esse naturale, vt excludat omnem Dei determinationem, aut ordinationem, sed esse naturale formaliter (vt sic dicam) quoad rationem satisfactionis: at verò materialiter quoad talem modum satisfactionis esse ex diuina ordinatione: vtrumque enim horum satis constat ex dictis, Non deerit fortasse quispiam, qui etiam circa talem modum satisfactionis per contritionem, præceptum ab institutione seu ordinatione distinguat, & præceptum dicat esse naturale, supposita ordinatione Dei, qua declarauit se velle talem modum satisfactionis, & nulla alia fore contentum. Hæc enim duo possunt intelligi formaliter diuersa. Aliud est enim designare hunc modum satisfactionis, vt vnicum sibi placitum; aliud verò obligare ad illum exhibendum. Dicetur ergo illud prius pendere ex libera Dei voluntate & determinatione: & hanc solam reddi posse causam, ob quam nunc sit necessarius actus formalis contritionis præter actum amoris, & neuter per se sufficiat: facta autem illa diuina determinatione, obligationem statim oriri ex natura rei, ex ipsa lege iustitiæ. Iuxta quam cõsiderationem dicitur etiam necessitatẽ præcepti in hoc particulari actu oriri ex necessitate medij, & hanc fuisse voluntariam Deo; illa verò supposita necessitatem præcepti esse omninò naturalem. Hic modus dicendi probabilis est, & fortasse est intentus ab Auctoribus prioris opinionis. Nihilominùs tamen non videtur necessarium hæc tam scrupulosè distinguere, quia vix potest concipi, vt hæc ordinatio, quæ necessitatem medij inducat, à præcepto præscindatur: vt latiùs infrà ostendam, tractando de præcepto confessionis.

10. Satisfit rationibus primæ opinionis. Ad rationes igitur prioris opinionis respondetur, vt hoc præceptum à principio fuerit in lege naturæ, satis esse quòd sit præceptum naturale modo explicato: nec ratio, aut lex naturalis iustitiæ plus ostendit: nam lex iustitiæ non dat homini potestatem satisfaciendi, sed vel supponit illam, vel si hæc desit, solùm potest præcipere eam satisfactionem, quam alter rationabiliter exigit. Petitur tamen in illis rationibus, quomodo potuerit in lege naturæ lex ipsa iustitiæ ad Deum obligare determinatè ad hunc actum, cùm in illo statu nulla fuerit determinatio facta ex peculiari institutione positiua. Respõdetur etiam tunc factam esse determinationem illam à Deo: nam sicut Deus reuelauit Adæ alia ad salutem necessaria, ita etiam reuelauit hanc suam voluntatem, & determinationem, quæ ad posteros per traditionem manauit. Atque ita illa veritas, quam Christus prædicauit. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, à principio fuit intimata Adæ, semperque fuit à fidelibus credita: sicut enim semper fuit Deus propositus fidelibus, vt iustificator, & remissor peccatorum: ita etiam fuit propositus modus & via iustificationis per pœnitentiam: & inde fuit cognitio huius veritatis per continuam traditionem à patribus ad filios, vsque ad tempus legis scriptæ, conseruata. In qua, inter alia præcepta moralia, hoc sæpe traditum fuit, vt constat ex suprà adductis cùm ageremus de necessitate medij pœnitentiæ. Imò & per cæremonialia præcepta aliquam determinationem accepit, quantùm ad modum pœnitentiæ, exterioris, & significationem interioris pœnitentiæ. Et hoc est quod intendit D. Thomas in locis adductis.

An in lege naturæ fuerit facta determinatio pœnitentiæ ex institutione positiua.

11. Cõmune dictũ exponitur. Quod ergo communiter dicitur, intempore legis naturæ ante legem scriptam non fuisse data aliqua specialia præcepta positiua, nec determinationem præceptorum naturalium, sed hanc relictam esse hominum dispositioni. Hoc, inquam, intelligendum est præcipuè de actibus externis, & quoad particulares cæremonias sacrificiorum, & sacramentorum, vt in superiori tomo latiùs declaraui. At verò quoad interiores actus, quanuis non fuerint præcepta positiua, sed connaturalia ipsis virtutibus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, &c. negari non potest, quin fuerit aliqua determinatio talium actuum, quoad materiam eorum, vt patet in spe, quæ determinata fuit ad sperandam à Deo iustitiam, remissionem peccatorum, & præmium bonorum operum: quæ spes supponit aliquam promissionem & ordinationem Dei ex libera eius voluntate pendentem. Sic ergo pœnitentia, & eius obligatio supponit ordinationem Dei exigentis satisfactionem pro peccato per pœnitentiam, & non promittentis aliter remissionem eius.

12. Quid si Deus nullã determinationem adhiberet, sed tantùm declaret se peccatis offẽdi. Sed quid, si fingamus Deum nullam determinationem adhibere huic satisfactioni pro peccato, neque promittere remissionem eius propter pœnitentiam, vel propter alios actus, neque aliquid de toto hoc negotio hominibus reuelare, nisi hoc solum, quòd ipse peccatis offenditur: & ideò illa grauissimè punit, quamuis non deneget auxilium peccatoribus, vt conuertantur, & vitam mutent, sibi nihilominùs integrũ relinquens eis remittere, vel non remittere peccatũ pro suo arbitrio; nunquid in eo casu teneretur homo pœnitentiam agere, etiamsi nõ esset certus de fructu eius quoad remissionem peccati? Videtur enim adhuc, manere posse talem obligationem. Sicut inter homines, qui alterum affecit tali iniuria, vt non possit condignè pro ea satisfacere, quanuis non sit certus alium acceptaturum suam imperfectam satisfactionem, nihilominùs tenetur, quantùm in se est, facere ad illam exhibendam, petendo veniam, vel alio simili modo. Ergo similiter respectu Dei teneretur homo facere quod in se est, etiamsi non esset certus acceptaturum Deum ipsius pœnitentiam. Quòd si hoc ita est, meliùs intelligitur hoc præceptum esse omninò naturale, inducens obligationem, etiamsi non præcedat promissio, seu institutio Dei de pœnitentia acceptanda, aut specialiter postulanda. Respondeo in primis, illam hypothesim esse præter ordinaria prouidentiam Dei in quolibet statu & lege. Semper enim fuit pœnitentibus necessaria firma spes obtinendi venium, si veram agant pœnitentiam: cuius spei necessarium fundamentum est certa fides de venia peccatorum præstanda veram pœnitentiam agentibus: quæ fides supponit promissionem, seu determinationem diuinæ voluntatis hominibus patefactam. Est ergo illa hypothesis præter ordinatam prouidentiam pro quocunque statu etiam legis naturæ. Imò etiam est præter naturam talium actuum supernaturalium, & præter id, quod est maximè consentaneum diuinæ bonitati, vt latè in citato loco primi tomi declaraui. Nihilominùs tamen illa hypothesis vtilis est ad meliùs declarandum quo modo hoc præceptum naturale sit. Et ideò illa admissa, dicendũ censeo, adhuc manere obligationem diligendi Deum super omnia, quia hæc est maximè connaturalis & homini, & gratiæ, & per se conueniens, etiam secluſa necessitate peccati. Est item per se necessaria ad diuinam amicitiam, & ad rectè instituendas & dirigẽdas humanas actiones. Verisimile etiam est, futurã fuisse tunc obligationem faciendi aliquid ex parte hominis cum auxilio Dei, ad obtinendam reconciliationem cum Deo, & satisfaciendum illi prout posset, vt probabiliter suadet ratio facta: & præterea quia non semper necessaria est certitudo effectus, seu consecutionis finis, vt homo teneatur causas applicare, seu media adhibere; sed sufficit

Tunc manet obligatio diligendi Deum super omnia, & faciẽdi aliquid cum auxilio gratiæ.

ficit interdum probabilis ſpes. Quo modo obligatur homo ſæpe ad petendum à Deo, etiamſi non ſit certus ſe conſequuturum quod petit. Ergo idem poteſt intelligi in prædicto caſu. Non exiſtimo tamen tunc futuram fuiſſe obligationem ſpecialem exercẽdi formalem actum pœnitentiæ, qui eſt contritio & deteſtatio peccatorum: quia licèt homo teneretur procurare reconciliationem cum Deo, ad quam ſpectat ille primus actus virtutis pœnitentiæ, qui eſt voluntas expellendi à ſe culpam: nihilominùs non teneretur exiſtimare hunc actum dolendi de peccato eſſe ſibi neceſſarium ad illum effectum, & poſſet probabiliter credere actum dilectionis ſibi ſufficere. Item poſſet adiungere inſtantem petitionem veniæ, & propoſitum melioris vitæ: ergo nullum eſt ſufficiens principium vnde poſſet concludi tunc præciſa obligatio ad illum actum, ſed tantùm vtilitas, vel congruitas. Atque ita magis conſtat hoc præceptum contritionis, vt ſic, quanuis naturale ſit, non inſurgere donec Deus deſtinet illum actum, vt neceſſarium ad eam ſatisfactionem, quam ipſe pro peccato poſtulat.

Non tamen ad formalẽ actum pœnitentiæ.

13. Quid in ſtatu puræ naturæ.

Tandem ex his intelligitur, quid dicendum eſſet in ſtatu puræ naturæ (nam hoc etiam in argumentis prioris ſententiæ poſtulatur) cum eadem enim proportione loquendum eſt. Nam etiam tunc teneretur homo de ſe ad ſatisfactionem pro peccato exhibendam, prout poſſet, & ad expellendum à ſe peccatum, ſi aliqua via id aſſequi poſſet. Probabile namque eſt, quòd in eo ſtatu pertineret ad prouidentiam Dei, naturæ & fragilitati hominum accommodatam, ordinare aliquem modum, quo poſſet homo veniam peccati impetrare, ſiue per amorem naturalẽ Dei, & dolorem peccati illi proportionatum, ſiue etiam per alios actus. Quamuis enim hoc genus prouidentiæ nõ poſſit habere locum ſine aliqua liberalitate & gratuito beneficio Dei: nihilominùs non excedit ſuauem Dei prouidentiam naturæ hominis conſentaneam etiam pro illo ſtatu. Neceſſarium tamen eſſet vt homini conſtaret aliqua via de tali voluntate & determinatione Dei: & tunc ſine dubio teneretur ex vi naturalis legis iuſtitiæ ad eam ſatisfactionem, vel diſpoſitionem præſtandam, quam Deus deſignaret. Et veriſimile eſt, naturalem pœnitẽtiam peccati aptiſſimam fuiſſe futuram in illo ſtatu ad hunc finem ſeu effectum. Si tamen Deus ſpecialiter illam non deſignaret, nec de remiſſione peccati aliquid hominem docuiſſet, ſed ſolùm naturali diſcurſui illum reliquiſſet: non video vnde poſſit ſufficienter colligi pro tali ſtatu naturale præceptum pœnitentiæ formalis: quia etiam tunc poſſet exiſtimari ſufficiens dilectio, & petitio veniæ, &c.

14. Satisfit argumentis ſecundæ opinionis. Solutio ad primum.

Argumenta ſecundæ opinionis procedere poſſent contra ea, quæ diximus in primo puncto: & ideò illis ſatisfaciendum eſt. Circa primum ergo argumentum Vega lib. 13. in Tridentinum, cap. 20. laborat vt hoc præceptum reuocet ad aliquod ex præceptis Decalogi: & tandem dicit reduci ad quintum præceptum non occidendi: quia, ſi homo tenetur alios non occidere, multò magis ſeipſum: & ſi tenetur non ſe occidere corporaliter, multò magis ſpiritualiter. Sed non placet, tum quia eſt reductio nimis remota & metaphorica: & eodem modo dici poſſet, illo præcepto obligari hominem ad non peccandum mortaliter, ne ſe ſpiritualiter occidat. Tum etiam, quia hoc modo non explicatur hoc præceptũ, vt continens iuſtitiam ad Deum, ſed charitatem ad ſeipſum. Vnde ſimili modo faciliùs reduci poſſet ad idem, vel ad ſeptimum præceptum Decalogi, quatenus continent iuſtitiam ad alterum, ad quam ſpectat ſatisfacere vnicuique pro offenſa illata. Veritas tamen eſt, non oportere vt omnia ſpecialia præcepta legis naturæ in Decalogo contineantur. Quod rectè notauit Cano dict. relect. de Pœnit. p. 3. Sufficit enim vt ex principiis naturaliter notis colligatur, vel certè vt ad ipſamet principia pertineat. Sic enim præceptum dilectionis Dei, vel proximi, vt eſt ſpeciale, non cõtinetur formaliter in mandatis Decalogi, ſed eſt potiùs principium & radix illorum. Alia verò ſunt præcepta magis particularia, quæ ex præceptis Decalogi per conſequentias deducuntur. Præceptum ergo pœnitendi, ſeu ſatisfaciendi Deo pro peccato, radicaliter quidem continetur in præcepto dilectionis Dei; formaliter verò eſt quædam lex naturalis iuſtitiæ: quæ reduci poteſt ad præceptum colendi & honorandi Deum.

Reiicitur.

Vera ſolutio.

Cano.

15. Soluitur ſecundum argumentum.

Circa ſecundum argumentum Medina ſuprà concedit hoc præceptum contritionis non eſſe ita naturale, quin diſpenſabile ſit. Veruntamen, licèt res ipſa, quam docere intendit, vera ſit, modus tamen loquendi eſt improprius. Obligatio ergo ſatisfaciendi Deo pro iniuria illata eſt naturalis, vt non poſſit in eam cadere diſpenſatio magis quàm in alia naturalia præcepta, quia non habet minùs intrinſecam honeſtatem. Nihilominùs tamen poteſt Deus cedere iuri ſuo, & remittere offenſam ſine vlla hominis ſatisfactione: & tunc quidem ceſſabit obligatio in homine, non tamen propter diſpenſationem, ſed propter materiæ mutationem. Sicut inter homines poteſt vnus remittere offenſam ſine ſatisfactione alterius, in quo ſtatim ceſſat obligatio, non quia alius diſpenſet, ſed quia materia ſatisfactionis tollitur. Simili etiam, vel faciliori modo poſſet Deus nòn deſignare contritionem ad hanc ſatisfactionem, ſed aliis actibus eſſe contentus: & tunc ceſſaret etiam obligatio contritionis, non quidem propter diſpenſationem, ſed propter mutationem materiæ: iam enim oſtenſum eſt præceptum illud per ſe ac nudè ſumptum non obligare ad contritionem, ſed ſolùm ſuppoſita determinatione diuina deſignante talem actum ad ſuam ſatisfactionem. Et hoc fortaſſe modo nunc facta eſt mutatio in neceſſitate contritionis, vt poſteà dicemus: huiuſmodi autem mutatio non repugnat naturali præcepto, quia propriè non fit in ipſo, ſed in materia eius.

16.

Circa tertium argumentum in primis dicitur, Pœnitentiam non ſolùm eſſe neceſſariam propter tollendam inordinationem auerſionis, quæ eſt reſpectu Dei: ſed etiam ad tollendam inordinatam conuerſionem ad creaturam, quæ etiam manet per modum habitus, quandiu peccatum non remittitur. Eſt enim conſiderandum, peccatum poſſe relinquere in voluntate inordinationem naturalem quaſi phyſicam, quæ conſiſtit, vel in priuatione habituum virtutum, vel in inclinatione habitus mali, vel alterius prauæ diſpoſitionis per peccatum acquiſitæ: & hæc inordinatio tolli poſſet ſine formali pœnitentia, vt argumentum probat. Hoc tamẽ procedit ex hypotheſi, quòd homo faciat actus bonos ſufficientes ad comparandam virtutem acquiſitam, vel tollenda prædicta impedimenta, antequàm deleatur peccatum. Quæ ſuppoſitio aliunde habet difficultatem, quia homo ſine gratia non poteſt operari virtutem: ſed hæc difficultas extrinſeca eſt, poſſetque homini dari tale auxilium ſufficiens abſque remiſſione peccati ad illos actus efficiendos. Ac denique illa conditionalis vera eſt, quòd ſi tales actus fiant, tollunt huiuſmodi defectum, quia hæc inordinatio non pertinet ad eſſe peccati, ſed poteſt tolli illo manente, & poteſt manere illo ablato, vt per ſe notum eſt. Aliam ergo inordinationem moralem relinquit peccatum in ordine ad creaturam, quã per peccatum mortale plus homo dilexit, quàm Deũ: & hæc non poteſt tolli niſi per pœnitentiam, ſicut neque ipſum peccatum, quia peccati macula vtramque inordinationem inuoluit, conuerſionis, & auerſionis,

& iniu

& iniuria Deo facta vtramque etiam inuoluit, & ideò neutra illarum tollitur nisi per pœnitentiam, seu cõtritionem. Nihilominùs tamen fatemur, argumentum illud rectè probare hanc necessitatem pœnitentiæ vel contritionis in particulari, non posse colligi ex sola rei natura, sed suppositа solùm diuina determinatione, vt declaratum est.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm præceptum pœnitentiæ semel tantùm in vita obliget.*

1. Quoties homo post pœnitentiam peccat, tenetur iterum conteri.

ROTEST hæc quæstio intelligi circa eadem, vel circa diuersa peccata. Et prior sensus est formalis, atque intentus: nec in posteriori est aliqua difficultas. Nam certum est, quoties homo post contritionem priorũ peccatorum iterum peccat, iterum obligari ad pœnitentiam: sicut quoties furatur, tenetur restituere, quia fit similis inæqualitas, ex qua consurgit obligatio iustitiæ. Ad hoc enim supponimus pœnitentiam hoc modo esse iterabilem, semperque posse habere eundem effectum, quod suprà demonstratum est. Solùm posset quis dicere esse liberum homini, quanuis peccata multiplicet, eorum pœnitentiam differre, vt de omnibus vnam contritionem, & satisfactionem exhibeat in fine vitæ; atque hoc modo semel tantũ obligari ad contritionem etiam circa diuersa peccata. Sed de hoc posteà videbimus, an scilicet sit licita homini tanta dilatio: tamen illa posita, iam tunc multa peccata accipiuntur per modum vnius integri debiti, & non per modum plurium, pro quibus sigillatim satisfaciendum sit.

### *An circa eadem peccata pœnitentia semel tantùm obliget in vita.*

2. Ratio dubitandi.

RATIO ergo dubitandi esse potest, quia homo per pœnitentiam semel exhibitam non satisfacit condignè: ergo adhuc manet in illo obligatio ampliùs satisfaciendi vel pœnitendi. Item, quia ratione cuiuscunque peccati mortalis tenetur homo ad contritionem eliciendam: cõtingit autem hominem post multa peccata mortalia vnam de omnibus habere contritionem: ergo non est verisimile per illam semel exhibitam satisfacere huic præcepto: Tenetur ergo saltem toties contritionem elicere, quoties mortaliter peccauit. Tandem, si aliqua esset ratio ob quam semel tantùm obligat hoc præceptũ, maximè quia per contritionem semel habitam peccatum remittitur, & de peccato semel remisso non tenetur homo ampliùs conteri: at hoc posterius falsum est, quia sæpe tenemur de peccato remisso cõtritionem habere, vt suprà diximus de peccato remisso per solum amorem absq; formali pœnitentia: & in lege gratiæ, quamuis peccatum sit remissum per sacramentum confessionis cum sola attritione, adhuc tenetur homo ad contritionem habendam: quia, cùm præceptum contritionis sit naturale, & ad perfectionem internæ iustitiæ pertineat, non est verisimile fuisse sublatum in lege gratiæ: fuisset autem sublatum, si non obligaret saltem post confessionem.

Prima opinio. Alens. Bonau. Rich. Gabr. Palud. D. Tho.

In hac re fuit opinio Theologorum antiquorum dicentium hoc præceptum sæpiùs obligare, quoties scilicet peccata practicè memoriæ occurrunt, etiam postquàm remissa sunt. Ita tenet Alex. Alens. 4. p. q. 68. membr. 2. aliàs q. 17. membr. 2. art. 2. §. 2. Bonau. in 4. d. 16. art. 3. q. 2. Rich. d. 14. ar. 9. q. 1. & ibi Gabr. q. 3. art. 3. & Palud. d. 17. q. 1. art. 3. vbi id insinuat D. Th. q. 3. art. 1. quæst. 4. Qui tamen non simpliciter loquitur, sed statim addit, *Præcipuè si occurrat articulus mortis, vel alia necessitas.* Eandem opinionem tenet Sylu. verb. *Contritio*, q. 2. Viguer. in Summa, c. 16. §. 4. vers. 11. Citanturque in huius sententiæ fauorem nonnulli antiqui Doctores dicentes, pœnitentiam in hac vita debere esse perpetuam, Deumque licèt hominem à culpa soluat, obligare illum ad perpetuam peccati detestationem, vt ab Hug. de S. Vict. insinuatur lib. 2. de Sacramentis, p. 14. c. 1. & Isidor. lib. 2. de Summo bono, & Aug. lib. de vera & falsa pœnit. c. 13. A quo ratio huius necessitatis insinuatur ex illis verbis Ioan. 8. vbi Christus ad adulteram dixit, *Vade & amplius iam noli peccare.* In quibus expendit Augustinus non dixisse Dominum, *Ne pecces*, sed, *nec voluntas peccandi in te oriatur*, Et subdit, *Quod quo modo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur?* Hoc enim intelligi non potest de continuitate physica: ergo debet intelligi de morali proportionata materiæ, & rei, de qua agimus. Hæc autem esse videtur, vt quoties homo practicè de peccatis cogitat, ea detestetur: quia necesse est, tunc habere aliquem actum voluntatis circa illa peccata: alioqui (ait Gab.) videretur homo illa parui pendere, vel in ea tacitè consentire, aut se exponere periculo consentiendi. Vt ergo eorum cõplacentiam omninò non admittat, tenetur talium peccatorum contritionem habere. Et hoc esse videtur quod Augustinus dixit, *Quod quo modo seruabitur*, scilicet, vt voluntas peccandi non oriatur, *nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur?*

Sylues. Viguer. Hugo de S. Vict. Isidor. August. Ioan. 8.

4. De illa iudicium fertur.

Hæc tamen opinio propriè & in rigore intellecta, vt sonat, vera non est. Vnde aduertendum est ex D. Thoma suprà, post peccata remissa duobus modis posse intelligi pœnitentiam esse perpetuam: vno modo negatiuè: quia talis pœnitentia nec displicere, nec retractari debet: & ideò censetur perpetuò manere, vel in habitu, vel secundùm moralem rationem: quatenus homo censetur moraliter manere in ea voluntate, quam semel habuit, & nunquam retractauit. Alio modo dici potest pœnitentia perpetua positiuè & actualiter: quia videlicet semper tenetur homo actus contritionis habere congruis temporibus de eisdem peccatis. Priori modo verissimè dicitur, pœnitentiam debere esse perpetuam ex vi præcepti eius, non quidẽ affirmatiui, sed negatiui. Quod duplicem obligationem inducit: vna est, vt nunquàm displiceat pœnitentia, seu contritio priùs habita: est enim talis displicentia intrinsecè mala, & huic virtuti specialiter repugnans, eò quòd sit quidam contemptus ipsius pœnitentiæ, & virtualis complacentia in iniuria Dei. Alia obligatio est nunquàm complacendi iterum in peccatis, quæ semel displicuêre, seu vt nunquã homo similia venit: nam hoc repugnat proposito non peccandi de cætero, quod in contritione includitur. Vnde, si illa complacentia in peccato priùs detestato haberetur de illo, quatenus est iniuria Dei, esset formalissimè contraria pœnitentiæ, & speciale peccatum illi proximè repugnans: si autem habeatur illa complacentia vel voluntas peccati (de quo priùs est pœnitentia acta) solũ sub specifica ratione eius, scilicet, vt est adulterium, vel furtum, sic præceptum negatiuum non habendi talẽ actũ semper spectat ad specialem virtutẽ, cui tale peccatũ contrarium est: generaliter autem etiam spectat ad virtutem pœnitẽtiæ, quatenus prohibet omnẽ iniuriã Dei. Atque hoc sensu locuti sunt antiqui Patres de perpetuitate pœnitentiæ: quãuis etiã significẽt aliud, quod infrà explicabimus.

Pœnitentia perpetua duplex, positiua & negatiua.

Pœnitentia negatiua semper habenda, ex negatiuo præcepto.

5. Pœnitentia positiua nõ semper habẽda quoties peccata recogitantur.

Posteriori autẽ modo necesse non est, pœnitẽtiam perpetuam esse in eo sensu, vt necessarium sit quoties peccata recogitantur, circa illa, formalem actum pœnitentiæ, aut displicentiæ exercere: nullum enim tale extat

extat præceptum affirmatiuum pœnitentiæ, vt rectè A
D.Tho. Caiet. Medin. Soto. Nauar. sensit D.Tho.suprà q.84.a.8.& 9.& ibi etiam annotauimus, & Caiet. ibid.& 1.tom.Opusc.tract.17.q.1. Medina Codice de Pœnit.q.6.dub.2. Soto d.14.ar.9. & d.17.q.2.ar.6.Nau.in Sum. c.1.n.22. & alij sectione sequenti citandi. Ratio verò est, quia nullum est principium, ex quo talis obligatio vel præceptum sufficienter colligatur:vnde, cùm grauissimum onus imponat hominibus,non est sine fundamento asserẽdum.Assumptum declaratur:nam, quòd hoc præceptum non sit positiuum,omnes pro comperto habẽt: quia humanum esse non potest,cùm agamus de obligatione per se ad actum merè interiorem:nec diuinũ est,cùm nec scriptum sit,neque speciali traditione receptum. Quòd verò nec naturale sit, patebit facilè soluendo fundamentum contrariæ sententiæ.Directè B verò ita ostenditur: quia vel hæc obligatio est per se ad ipsam recogitationem peccatorum dolorosam, vt sic dicam:& hoc non,vt in sequenti puncto ostendã: vel est solùm quasi per accidens, ob recogitationem peccatorum,quę supponitur.Quo sensu videntur loqui citati Doctores. Et hoc etiam dici nõ potest:quia sola recogitatio peccati non habet vnde inducat hãc positiuam obligationem eliciendi nouum dolorem talis peccati.Nam,vel hęc obligatio esset purè,ac per se solùm propter actum pœnitentiæ:& hoc non,quia non tenetur homo quoties de aliquo obiecto cogitat,habere in voluntate actum illi obiecto proportionatum, sed potest vel nullum habere, vel solùm habere C voluntatem cogitandi de tali obiecto, vt quando homo cogitat de Deo, non statim tenetur illum super omnia amare, ex vi solius cogitationis,vel si de beatitudine cogitat,non statim tenetur elicere actum desiderij, vel spei illius. Quæ enim fingi potest ratio huius obligationis per se, & ex vi solius cogitationis? Vel illa obligatio est quasi per accidens,quatenus illa detestatio necessaria videtur ad vitãdũ nouũ aliquod peccatũ per contemptum pœnitentiæ, aut cõplacentiam peccati recogitati, & hoc etiam moraliter loquendo ac regulariter non ita est:tum quia semper suppetit aliud remedium,vel diuertẽdi cogitationem ad alia obiecta honesta,in quo nullus est contemptus pœnitentiæ,sed solùm quædam negatio seu simplex non vsus illius, & potiùs est ille quidam contemptus D talis peccati, & interdum solet esse hoc remedium contra tentationes,vt & peccatum ipsum, & qui ad illud excitat; parui pendi videatur:vel etiam est sufficiens remedium habere simplicem voluntatem nolendi committere peccatum illud, quod recogitatur, qui actus non est propria pœnitentia, sed esse potest actus castitatis,vel iustitiæ,iuxta materiam peccati recogitati. Tum propterea:quia, etiamsi neutrum horum fiat, facilè fieri potest, vt nullum sit periculum noui consensus & complacentiæ in tali peccato, vt si homo se sentiat constantem in proposito non peccandi, periculum etiam contemptus, moraliter loquendo,nullum est,cùm facilè possit pœnitentia non exerceri hîc & nunc,non quia contemnatur,sed quia non proponitur, vt necessaria.Imò fieri potest,vt li- E cèt peccata cogitentur, de pœnitentia ipsorum non occurrat cogitatio, neque etiam obligatio applicandi se ad talem cogitationem.

6. Obiect. Cani solutio. Dices ergo saltem,si cum cogitatione peccatorum occurrat actualis cogitatio de contritione eorum, tunc necessarium erit contritionem exercere.Ad hoc Cano in relect. de pœnit,p.4.concedit in eo casu necessarium esse habere actum contritionis saltem ad vitandum peccatum veniale, non tamen ex obligatione intrinseca præcepti pœnitentiæ, sed ex aliis principiis extrinsecis. Vnum principium est difficillimum,scilicet,esse,ac ferè impossibile continere voluntatem ab omni actu circa obiectum sibi propositum:ergo necesse est,aut velle contritionem, & cõsequenter exercere illam,nam qui vult facere aliquid & potest,statim facit:aut nolle actualiter conteri, & hoc non fit sine aliquo peccato saltem veniali:quia licèt in obiecto non sit necessitas, sed indifferentia:tamen illa nolitio est actus otiosus, cùm non possit habere honestum finem.

Veruntamen neque hanc necessitatem inuenio eliciendi contritionem pro eo tempore. Primò quia 7. Reiicitur,& vera solutio traditur. non est physicè,nec fortè moraliter impossibile nullum actum voluntatis habere circa obiectum sic recogitatum: nihil enim est, quod necessitet voluntatem ad exercitium alicuius actus.Secundò, quia potest voluntas tunc habere simplicem complacentiam in honestate, & pulchritudine contritionis, & non habere efficacem volitionem exercendi illam. Tertiò,quia potest tunc homo velle applicare intellectũ ad intensiorem cogitationem turpitudinis peccatorum, vel alicuius restitutionis,vel obligationis, quæ ex eis resultat, & ita diuertere illum à cogitatione contritionis.Quartò, quia simili modo potest absque peccato veniali formaliter nolle nunc exercere actum contritionis:quia necesse non est vt desit finis honestus, vel quia oportet alteri rei magis necessariæ intendere, vel quia homo vult priora peccata omninò obliuioni tradere, ideóque etiam vult omnem cogitationem,omnemque motum circa illa diuertere, & ad alia applicare.

Igitur per se loquendo, ex cogitatione peccato- 8. rum absolutè non oritur necessitas contritionis,semper tamen regulariter loquendo erit vtilis, & interdum esse posset periculosum sæpiùs cogitare de peccatis, sine vlla dispicentia illorũ, vel voluntate cauendi illa:tantumque posset esse hoc periculũ in aliquo particulari casu,vt oriretur obligatio statim exercendi contritionem, vel motum aliquem peccato cõtrarium sufficientem ad occurrendum illi periculo: illa verò obligatio non erit ex proprio præcepto affirmatiuo contritionis,sed ex illo negatiuo,quod obligat ad non committendum tale peccatum.Vnde non solùm potest contingere hoc periculum in recogitatione peccati commissi,sed etiam cuiuslibet nũquàm commissi:quanuis in peccato commisso propter præteritum experimentum delectationis eius,maior possit esse excitatio, & consequenter maius periculum ex recogitatione eius. Sed hæc omnia per accidens sunt ad præceptum contritionis, de quo nunc agimus.

Ex his ergo concludo, præceptum pœnitentiæ ex 9. Præceptum pœnitendi semel tantũ obligare circa eadẽ peccata, vera opinio. se semel tantùm obligare circa eadem peccata. Probatur, quia vel hoc præceptum consideratur quatenus pertinere potest ad charitatem Dei, vel sui, & hoc modo satis impletur per vnum actum contritionis:nã per illũ statim homo recipitur ad diuinam amicitiam,& liberatur à periculo æternæ mortis:quia propter talia peccata, de quibus contritus est, iam illam non incurret: quòd si iterum peccet, indigebit noua contritione illius peccati quod commisit, non verò prioris, per se loquendo, nisi quatenus contritio vnius peccati virtualiter est contritio omnium. Si verò præceptum hoc consideretur, vt est proprium pœnitentiæ seu iustitiæ ad Deum, sic etiam exactè completur per vnum actum, post quem statim deest propria materia illius obligationis, quæ est satisfactio exhibenda Deo pro iniuria illata. Hoc enim factum est per illum primum actum: ex vi autem iustitiæ tantùm tenetur homo semel satisfacere aut restituere. Nec refert quòd satisfactio illa ex parte hominis non est integra seu condigna: nam talis est, qualis à Deo offenso exigitur,& ab ipso ita accepta

ceptatur vt simpliciter remittat iniuriam: & ideò perinde se habet debitor, ac si integrè soluisset. Quòd verò ita se gerat Deus cum homine verè pœnitente patet, tum quia numquàm à peccatore postulat, vt de eodem peccato sæpiùs conteratur, sed solùm quòd ex toto corde conteratur, & conuertatur ad ipsum: tum etiam, quia aliàs nunquàm peccatum remitteretur per vnam contritionem, nisi in voto alterius vel aliarum, quod inauditum est, & improbabile. Tandem potest confirmari à simili: nam propter rationes similes præceptum confessionis semel tantùm obligat, per se loquendo, de eisdem peccatis.

10. Soluuntur duæ priores rationes dubitandi.

Duæ igitur primæ rationes dubitandi ex ratione proximè facta solutæ sunt. Quanuis enim nostra satisfactio de se condigna non sit, Deus tamen acceptat illam, quoties per veram contritionem exhibetur, & simpliciter remittit offensam, siue vna sit, siue multiplex: nullam enim in hoc differentiam facit in iustificatione peccatoris, siue vnum, siue plura peccata remittat, semper enim vna perfecta contritione contentus est: & ideò cessat obligatio iterum satisfaciendi, aut se disponendi ad iustitiam.

11. Dubia duo circa tertiã rationẽ dubitandi resoluuntur.

In tertia verò ratione dubitandi duo dubia petuntur. Primum est, an hoc præceptum obliget aliquando post iustificationem, & remissionem peccati consecutam. Ex ratione enim facta videtur sequi pars negatiua: quia in dicto casu semper cessat vera necessitas medij ad reconciliationem cum Deo, & cessat etiam necessitas satisfactionis ex obligatione iustitiæ, quia remisso debito, tollitur hæc obligatio. Atque ita sentiunt aliqui. Ego verò censeo, secluſa institutione sacramenti confessionis, de quo statim dicetur, obligationem huius præcepti contritionis verè ac propriè non cessare, aut tolli, donec per aliquem actum formalem contritionis expleatur: quia hoc præceptum non obligat (ex vi legis naturæ) solum sub hac conditione, nisi aliunde iustificatio & remissio peccati compararetur, sed simpliciter obligat ad habendam cõtritionem de peccato, tanquam medium simpliciter necessarium ad remissionem peccati. Et ideò non diximus hoc præceptum obligare tantùm quandiu remissio peccati consecuta non est, sed obligare tãtùm semel in vita circa eadem peccata. In quo duo includũtur: vnum negatiuum, scilicet non obligare sæpiùs, aliud affirmatiuum, scilicet aliquando obligare: & vtrumque est simpliciter verum, alioqui hoc præceptum non esset de medio simpliciter necessario. Vnde, quando contingit hominem iustificari per solum amorem, non remittitur ei culpa, nisi sub onere habendi contritionem, nec Deus acceptat illam satisfactionem, vt omninò & absolutè sufficientem iuxta ordinationem suam: sed solùm acceptat illam vt continentem in voto contritionem, per quam veluti formaliter complenda est: quandocunque autem remissio iniuriæ, & acceptatio satisfactionis hoc modo fit, optimè potest manere obligatio ad aliquid aliud faciendum: ita verò in præsenti fieri, ex necessitate simpliciter formalis pœnitentiæ sufficienter colligimus. Et ita senserunt Medina, Vega, & Corduba locis citatis in superioribus.

Primum Obligatio contritionis non cessat, donec per actum formalem eius cõpleatur.

Medin. Vega. Cordub.

12. Secundum dubium.

Hinc verò oritur secunda difficultas, quę in prædicta ratione postulatur, scilicet, an etiam in lege gratiæ post obtentam iustificationem per sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione, maneat hæc obligatio habendi contritionem. Videtur enim ex dictis sequi pars affirmans: quia, licèt Deus pro tunc acceptauerit illam dispositionem, vt sufficientem ad dãdam gratiam ob Christi merita applicata per sacramentũ, tamen de facto & in re ipsa non fuit exhibita sufficiens satisfactio, quam homo potest, & debet exhibere: ergo semper manet obligatio conplendi illam satisfactionem per veram contritionem. Et confirmatur: quia hoc per se spectat ad obsequium Deo debitum ratione iniuriæ factæ: pertinet etiam ad maiorem sanctitatem, & internam iustitiam ipsius hominis: ergo, quanuis Christus instituerit faciliorem quandam viam consequendi gratiam & veniam peccati per sacramentum, non est cur abstulerit aliam obligationem naturalem intrinsecam, quæ non repugnat cum illo priuilegio sacramenti, imò illud potiùs iuuare potest, vt homo iam iustificatus per gratiam, meliùs impleat obligationem contritionis.

13. Vera resolutio.

Nihilominùs dicendum est, per se loquendo, non manere in lege noua obligationem hanc post prædictam iustificationem. Ita sentiunt omnes, qui putant sacramentũ pœnitentiæ iustificare cum sola attritione cognita: quam opinionẽ nunc vt veram supponimus, & ex illa inferimus assertionem. Primò, quia iam cõtritio non est medium necessarium: nam, si esset, deberet, per se loquendo, in ipsa prima iustificatione adhiberi, atque ita non liceret cum sola attritione cognita ad sacramentum accedere, sed semper conandum esset ad contritionem habendam: ideoque talis obligatio pugnat cum illo priuilegio sacramenti. Secundò, quia sacramentum non remittit peccatum attrito in voto futuræ contritionis, alienum enim esset hoc à sensu Ecclesiæ, & Conciliorum, quæ potiùs dicunt contritionem aliquando remittere peccatum in voto sacramenti, non verò è contrario: quia in sacramento fertur veluti vltima, & definitiua sententia illius causæ: & ideò simpliciter remittitur culpa absque alio onere ampliùs satisfaciendi pro illa (aliud est enim de pœna temporali) & ideò non est vnde maneat illa obligatio.

14. Differentia inter remissionẽ peccati per amorẽ, & per attritionem cum sacramento.

Et in hoc est magna differentia inter remissionem peccati comparatam per solum amorem sine vlla pœnitentia formali, & comparatam per sacramentum cum attritione: nam illa prior non est dispositio per se sufficiens, nec formaliter continet satisfactionem à Deo requisitam: & ideò per illam non fit remissio nisi sub onere & voto pœnitentiæ: hæc verò est dispositio & quasi satisfactio per se sufficiens ex institutione Christi, à quo facta est veluti commutatio quædam necessitatis contritionis in necessitatem cõfessionis cum omnibus ad illam requisitis: & ideò illam absolutè acceptat vt satisfactionem sufficientem, suppletúrque ex meritis Christi per sacramentũ applicatis, quod ex parte hominis deest, ac proinde non manet obligatio vlterioris cõtritionis: hîc enim habet locum ratio suprà tacta, quòd remissa simpliciter iniuria, cessat obligatio iustitiæ. Accedit etiam, quòd institutio hæc, & priuilegium sacramenti non debuit fieri cum tanto grauamine, nimirum vt relicta absolutè obligatione contritionis, adiungeretur onus confessionis: ergo facta potiùs est per modum commutationis: nam attritio coniuncta sacramento æstimatur & acceptatur per modum contritionis.

15. In iustificatione per attritionẽ cũ sacramento, non dispensatur in præcepto, sed mutatur materia eius.

Nec verò propter hoc in lege noua dispensatum est præceptum contritionis, aut omninò sublatum. Primum patet: quia, quòd præceptum contritionis non obliget obtenta remissione peccati per sacramẽtum pœnitentiæ, non est propter dispensationem in illo præcepto: sed quia nouum medium institutum est per se sufficiens ad dictam remissionem, & reconciliationem hominis cum Deo: & ideò, obiecto seu materia mutata, per se cessat obligatio præcepti affirmatiui, absque dispensatione alia, vt in aliis præceptis naturalibus sæpe contingit. Secundum verò patet: quia, quando medium confessionis applicari non potest, tunc præceptum contritionis obligat: ergo absolutè sublatum non est in hac lege, sed solùm dimi-

nutæ ſunt, vt ſic dicam occaſiones, & tempora pro quibus obligare poteſt. Addo præterea, quamuis hoc præceptum contritionis, vt obligat ad formalem teſtationem peccati ex motiuo charitatis, aut pœnitentiæ, non obliget hominem iam iuſtificatum per ſacramentum, nihilominùs præceptum diligendi Deum ſuper omnia ſemper obligare pro aliquo opportuno tempore, etiam poſt prædictam iuſtificationem: nam nic actus amandi Deum non præcipitur primò ac per ſe propter ſatisfactionem pro peccato, aut propter iuſtificationem obtinendam: ſed homini etiam iuſtificato per ſe neceſſarius eſt, propter debitam vnionem cum ſuo fine vltimo, & ad vitam, omnémque aliam actionem moralem conuenienter inſtituendam, & ordinatam, ac propterea hæc obligatio non ceſſat in lege noua, etiamſi homo per ſacramentum cum attritione ſola iuſtificatus ſit. Sicut infans iuſtificatus per Baptiſmum, quando ad ætatem adultam peruenit, tenetur conuenienti tempore Deum ſuper omnia diligere: & quamuis homo adultus baptizaretur, & iuſtificaretur ſine tali dilectione, nihilominùs poſtea teneretur conuenienti tempore illum actum exercere: ſicut enim actus fidei, & ſpei per ſe neceſſarij ſunt adultis, non obſtante iuſtificatione per ſacramentum: ita etiam, & multò magis actus charitatis: quod ſecus in actu doloris: quia non eſt per ſe neceſſarius, ſed tantùm ratione peccati.

16. Tunc autem non ceſſat præceptum diligendi Deum.

---

*Dubium de contritione habenda in articulo mortis.*

17. TANDEM verò inquiri hîc poteſt, an ſaltem per accidens ratione dubij ſeu periculi teneantur fideles in lege gratiæ ad habendam contritionem ſaltem in articulo mortis, ſi mortaliter peccauerunt, etiamſi cum attritione cognita confeſſi ſint, vel confiteri poſſint, eſt enim valdè veriſimile hanc obligationem durare ſaltem ex lege charitatis. Nam, licèt ſit probabilis opinio, attritionem cognitã cum ſacramento ſufficere ad iuſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa. Quod ſi fortaſſe in re ita eſt probabilis illa exiſtimatio, non ſufficit vt homo ſaluetur: ergo qui ſciens & videns ita ſe mori permittit, voluntariè exponit ſe periculo morali æternæ damnationis: nam vbi eſt morale dubium, eſt morale periculum, præſertim in re tam graui: hîc autem eſt morale dubium, cùm illa opinio nec valdè antiqua, nec multùm communis ſit. Neque habet locum hîc diſtinctio de dubio practico, vel ſpeculatiuo: nam quando dubium eſt de re ipſa, ſeu effectu an fiat: nécne: tam dubium ſpeculatiuum, quàm practicum ſufficit ad rem ipſam in periculo conſtituendam. Videtur autem profectò charitas obligare hominem ne ſit adeò negligens ſuæ ſaluris æternæ, vt eam tanto periculo exponat: ergo obligat illum ad faciendum quod in ſe eſt, & conandum ad habendam contritionem.

18. Opinio negans. Quæ ſententia mihi ſemper valdè probabilis viſa eſt, nunc etiam videtur: quanquàm videam multis viris doctis, atque etiam piis, difficile ac rigoroſum hoc videri: quia putant ſententiam illam de iuſtificatione per ſacramentum pœnitentiæ, cum attritione cognita, iam eſſe adeò receptam, & autoritate Concilij Tridentini munitam, vt videatur ſufficiens ad tollendum morale periculum. Item quia aliàs etiam non liceret homini vnquàm confiteri cum attritione cognita: quia exponit ſe morali periculo nõ recipiendi ſacramentum, vel ſaltem non recipiendi gratiam. Tandem: quia nimis coarctamus viam ſalutis, & iniicimus hominibus ſcrupulos, vt quoties inſurgunt dubia circa ſtatum peccati, vel remiſſionem eius, teneantur contritiones iterare.

Dico tamen, fidelẽ hunc conſtitutum in articulo mortis, qui bene nouit ſolã attritionẽ de peccatis ſuis habuiſſe, & cum ea tantùm confeſſum & abſolutum eſſe, ex vi iuſtitiæ ad Deum, ſeu pœnitentiæ non teneri ad perfectionẽ pœnitentiam agendã: quia iuxta probabilem opinionem & practicè certam ſatisfecit, quantùm debuit, neque ex hac præciſa ratione exponit ſe alicui morali periculo, ſi omnem aliã obligationem impleat, vt iam dicam. Nihilominùs verò exiſtimo tam ex charitate Dei, quàm propria teneri huiuſmodi hominem maiorem diſpoſitionem procurare ad æternam ſalutem conſequendam, grauitérq; peccare, ſi voluntariè ita ſe mori ſinat. Nam in primis tenetur hic homo diligere Deum ſuper omnia priuſquã moriatur: quia, vt dixi, hic actus per ſe neceſſarius eſt, & non tantùm ratione peccati. Nec ſatis eſt, quòd talis homo priùs aliquãdo in vita Deum ſuper omnia dilexerit, tum quia hoc præceptum non tantùm ſemel obligat, ſed etiam ſæpiùs, & tempus maximè neceſſariũ eſt articulus mortis: tũ etiã, quia poſtquàm homo priorem dilectionem per ſubſequẽs peccatum mortale virtualiter retractauit, tenetur denuò illum diligere, & ſe & omnia in eum referre, nõ ſecùs ac ſi denuò procreatus eſſet. Hæc ergo obligatio cùm ſit per ſe & intrinſeca charitatis, etiam nunc manet: ſi ergo ille homo in tali ſtatu & articulo cõſtitutus, Deum ſic diligere conetur, non credo obligari ad aliam contritionem, ſeu formalem pœnitentiam: quia obligationi pœnitentiæ iam ſatisfactũ fuit, vt dixi: &, ſi quid erat dubij aut periculi de effectu pœnitentiæ ſecuto, per illum actum amoris ſufficiẽter tollitur, ſatis enim certum eſt neminem damnari, qui Deum ſuper omnia diligit, & maximè poſt receptum ſacramentum pœnitentiæ cum attritione. At verò, ſi quis voluntariè talem actum omitteret, ex hac parte contra charitatem Dei ageret, & omittendo etiam contritionem contra propriam charitatem ſeu miſericordiam, quam circa ſeipſum exercere tenetur, etiam ſpecialiter peccaret, propter rationem factam quæ apud me efficaciſſima eſt.

19. Homo attritus cũ ſacramento, non tenetur ex vi iuſtitiæ ad Deum cõteri in mortis articulo.

Tenetur tamen ex charitate Dei & propria.

Nec propterea coarctamus viam ſalutis, ſed debitam & neceſſariam diligentiam ad illam ab hominibus requirimus. Neq; alij caſus ſimiles ſunt, vel quia non eſt æquale dubiũ, ſeu periculũ, vel quia non eſt de nocumento adeò graui & irreparabili. Quòd ſi tãdem contingeret hominem in eo caſu mori ſine actu amoris, vel cõtritionis, & ſine nouo peccato, vel quia raptus eſt priuſquàm hoc aduertere poſſet, vel quia illos omiſit ex probabili ignorantia obligationis ſeu iuris aut etiã facti, quia videlicet conatus eſt ad talẽ actum habendum, & putauit ſe habere, re tamen vera non habuit: in his, inquam, caſibus ille homo ſaluabitur: quia tunc neceſſitas talis actus non eſt neceſſitas medij in re ipſa omninò requiſiti, ſed præcepti, à cuius tranſgreſſione tunc excuſabitur propter aliquam ex dictis circunſtantiis: & ideo non amittit iuſtitiam, quam per ſacramentum conſecutus fuerat, ergo ex vi illius ſaluabitur. Non poſſumus autem maiori cum certitudine tali homini ſalutem promittere, quàm ſit certa opinio illa, quæ aſſerit ſacramentum cum ſola attritione cognita iuſtificare, & quàm ſit etiam certum in illo ſacramento conficiendo nullum ſubſtantiale impedimentum interueniſſe.

20. Soluũtur rationes in cõtrarium.

SEC

## SECTIO V.

### *Vtrùm præceptum contritionis obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum.*

1. Quorumdã opinio.

QVONIAM præceptum contritionis affirmatiuum eſt, cuius natura eſt, vt non obliget pro ſemper, ſed pro determinato aliquo tẽpore, ideò videndũ ſupereſt quod ſit tempus pro quo vrget obligatio huius præcepti. Fuit enim grauium Doctorũ opinio, hanc obligationẽ ſtatim oriri ac homo peccauit. Quod autem dicimus ſtatim, non eſt metaphyſicè, ſeu ſpeculatiuè ſumendum, ſed practicè, ac moraliter, id eſt, quàm primũ poſt finitũ peccatum occurrit, & cogitatio ipſius peccati, aut aliquid quod ſufficienter excitet ad illam practicè habẽdã, & aliunde ſit etiã opportunitas ad exercendã contritionem: quia videlicet nullum

Guillel. Pariſ. Argent. Palud.

neceſſariũ impedimentũ interuenit. Ita tenuit Guillel. Pariſienſ. in lib. de Sacramentis, & Thom. de Argent. in 4. d. 17. art. 4. ad 4. vbi idem ſentit Palud. q. 1. art. 3. concluſ. 2. Item alij Auctores præced. ſect. citati, qui dicũt teneri hominem ad contritionem de peccatis, quoties memoriæ occurrunt, etiam poſtquàm remiſſa ſunt, à fortiori dicent teneri antequàm remittantur, vel potiùs vt remittantur, ad deteſtanda illa ſtatim ac

Alenſ. Maior.

opportunitas occurrit. Quod ſpecialiter ſentit Alenſ. 4. p. q. 77. membr. 4. art. 1. & Maior d. 17. q. 5. & 9. &

Anton.

Diuus Anton. 3. p. tit. 14. cap. 18. §. 2. vbi in hanc ſententiam citat D. Thomam, Bonauenturam, &

Durandum, non tamen deſignat loca: quid verò illi ſenſerint, ſtatim dicemus: idem ſentit Sylu. verb. *Contritio*, n. 4. & Marſilius in 4. q. 12. art. 1. p. 5. Qui addit,

Sylueſt. Marſil.

maximè hoc procedere, quando, & peccata practicè memoriæ occurrunt, & homo ſentit aliquem Dei impulſum ad contritionem habendam: quia tunc videtur ſe habere Deus tanquàm creditor exigens ſolutionem à debitore, quo tempore videtur maximè

Bonau.

obligare præceptum ſoluendi, ſeu ſatisfaciendi. D. etiam Bonauentura in 4. d. 17. in 2. p. illius articul. 4. q. 3. in eandem ſententiam inclinare videtur, quanuis ſubobſcurè. Conſtituit tamen neſcio quam differentiam inter religioſos & ſeculares, vt magis religioſi obligentur ad agendam ſtatim pœnitentiã de peccato commiſſo, propter ſtatum religionis quem profitentur, quàm ſeculares. Sed hoc non habet fundamentum, cùm tale præceptum ſpeciale ex vi profeſſionis, & votorum non ſequatur, neque in regula cõtineatur. Sed quia Bonauent. magis ibi loquitur de præcepto confeſſionis, ideò infrà in propria materia hoc latiùs examinabimus. Hanc prætereà ſentẽtiam

Caiet.

docuit Caietanus 2. 2. q. 66. artic. 3. circa ſecundum, & 1. tom. Opuſcul. tract. 17. quibus locis comparat hoc præceptum cum præcepto reſtituendi, quod licèt affirmatiuum videatur, includit negatiuum non detinendi apud ſe rem alienam, & ratione huius negatiui obligat ad ſtatim reſtituendum: ita enim præceptũ contritionis, quod ſpeciem habet affirmatiui, includit negatiuum non permanendi in diuina offenſione, & hac ratione obligat ad ſtatim ſatisfaciendum Deo pro peccato. Atque hoc modo fauet huic ſententiæ

D. Tho.

D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 8. vbi in ſolutione ad 1. de præcepto reſtitutionis ait, licèt ſecundùm formam ſit affirmatiuum, implicare negatiuum. In corpore verò inde probat illud præceptum ſtatim obligare: quia nec per modicum tempus licet in peccato immorari? ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere. Eandem ſententiam tenet Petrus Soto lect. 13. de Pœnitẽtia, &

Petr. Sot. Abul.

Abulenſis lib. 1. Paralipom. cap. 16. q. 36. & ex

A Canoniſtis Archidiaconus in c. *Ille Rex.* de Pœnit. d. 3. & Innocentius in c. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœn. & remiſſ. qui de confeſſione loquũtur: videtur autem eadem, vel maior ratio de contritione. Fundamenta huius ſententiæ ſatis inſinuata ſunt inter eam referendam, & inter reſpondendum, & probandam oppoſitam ſententiam clariùs proponentur.

Archid. Innoc.

### *Præceptum pœnitentiæ non obligare ſtatim poſt peccatum commiſſum.*

2.

DICENDVM nihilominùs eſt, hoc præceptum non obligare ad agendam pœnitentiam ſtatim poſt peccatum commiſſum, etiamſi opportunitas occurrat, ſeu licèt facilè fieri poſſit. Hanc opinionem ma-

B gis inſinuat Diuus Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſt. 4. vbi licèt dicat teneri hominem ad contritionem quãdo peccata memoriæ occurrũt, ſubiũgit: *Cùm præcipuè in periculo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione peccatũ oporteat eum incurrere.* Et in ſolutione ad 2. ait: *Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, quòd ſtatim medicum quærat, niſi quando neceſſitas curationis incumbit, & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali.* Hoc etiam magis inſinuat Alenſis dict. q. 77. aliàs quæſt. 17. memb. 2. art. 2. §. 2. & Bouauent. dict. quæſt. 3. vbi ait, teneri hominem ad contritionem quando recogitat culpam commiſſam, & Dei offenſam, vel quando recogitare debet, ſicut in hora mortis, vel in aliquo alio ſimili periculo. Vbi duplicem inſinuat obligationem eius actus: vnam quaſi acci-

C dentariam ex oblata cogitatione peccati, quæ poteſt dici ex ſuppoſitione: quia abſolutè non tenebatur homo conteri, tamen ſuppoſito quòd de peccato cogitet, iam tenetur: & hæc obligatio non pertinet ad præſentem ſectionem, ſed ad præcedentem, vbi eam refutauimus. Alia eſt obligatio ſimpliciter ac per ſe (quæ ad præſens ſpectat) & de illa ait Bonauentura, non ſtatim oriri, ſed in aliquo articulo neceſſitatis, vt in ſolutionibus argumentorum clariùs dicit. Exceptio autem, quam de religioſis inſinuat, non ſpectat ad rem præſentem: nam, licèt vera eſſet, non eſſet ex vi huius præcepti, ſed ex alia extrinſeca obligatione. Expreſſiùs hoc tenet Durand. in 4. d. 17.

D. Tho. Alenſ. Bonau. Durand. Angel. Medin. Adrian. Soto. Cano. Viguer.

q. 10. n. 5. Angel. verb. *Contritio*, n. 5. Medin. Codic. de Pœnit. tract. 1. q. 6. & tract. 2. q. de Confeſſione ſtatim agenda. Adria. in 4. q. 3. de Cõfeſſione, Soto d. 17. q. 2.

D art. 6. Cano relect. de Pœnit. 4. p. Viguerius in Sum. c. 27. & 29. & latiùs de Pœn. d. 5. in principio, circa 3. partem Gloſſæ, n. 4. & ſeq.

3. Aſſertio probatur ab incommodis.

Poteſt autem hæc aſſertio primò probari à poſteriori, ab incommodis: quia aliàs homo, qui ſemel peccauit, differendo pœnitentiam, continuò ac ſemper peccaret nouo & ſpeciali peccato: quod eſt apertè falſum. Sequela patet: nam, qui non implet præceptum eo tempore quo obligat, peccat: ergo, ſi præceptum illud ſit virtuale negatiuum, & perpetuò obligans, ſemper etiam peccatur toto tempore, quo actus omittitur, vt patet in præcepto reſtituendi, quod cõtinet obligationem non contrectandi, ſeu detinendi

E rem alienam. Dicetur fortaſſe, etiam illum, qui non reſtitit pro aliquo tempore, non peccare actualiter toto illo tempore: quia dum dormit, vel de aliis rebus cogitat, nom actualiter peccat: quia ſine actuali voluntario, non eſt actuale peccatum. Sed contrà: nam ſaltem ſequitur, quoties homo aduertit ſe eſſe in ſtatu peccati, & poſſe per contritionem ab illo exire, de nouo peccare non ſtatim contritionem habendo, ſiue directè velit non conteri, & permanere in eo ſtatu: ſiue tantùm indirectè ſe ſe ad alia applicando, & nihil de contritione curando. Sicut in

Euaſio. Præcluditur

ſimili

ſimili caſu toties aliquis peccat contra iuſtitiam detinendo rem alienam, quoties habet ſimilem voluntatem directam, vel interpretatiuam non reſtituendi ſtatim cùm poſſit. Conſequens autem videtur duriſſimum, & contra communem vſum Eccleſiæ: ſolent enim fideles ſemel tantùm in anno confiteri, nulla in diſcurſu anni habita cõtritione peccatorũ, qui de hac dilatione, vel omiſſione nunquàm confitentur: neque examinant, an illa omiſſio fuerit voluntaria, nécne, neque confeſſores, etiam docti, hoc interrogant: ergo communiter omnes ſentiunt non eſſe hoc ſpeciale peccatum, neque præceptum contritionis ita ſtrictè ad ſtatum obligare. Item ſequitur, peccare fidelem quoties peccata ſua nondum remiſſa recogitans, ſciens & videns, ſolam attritionem de illis habet, quia tacitè vult pro tunc omittere perfectiorem dolorem. Conſequens autem eſt planè falſum, & contra ſenſum totius Eccleſiæ, imò & contra doctrinam Concilij Tridentini, ſeſſion. 14. cap. 4. & ſeſſ. 6. cap. ſexto & ſeptmo.

4. A priori probatur aſſertio.

Secundò probatur à priori: quia hoc præceptum contritionis affirmatiuum eſt: præceptum autem affirmatiuum per ſe nec pro ſemper obligat, nec ſtatim: ergo neque hoc ita obligat: nulla enim ſpecialis ratio efficax hîc afferrí poteſt. Nam quod Caietanus dicit, præceptum hoc affirmatiuum inuoluere negatiuum non permanendi aliquo tempore in ſtatu peccati, voluntariè dictum eſt: quia hæc abſoluta negatio reuera non eſt in præcepto, loquendo de peccato purè habituali, iam relicto ex præcedenti actuali, Antequàm enim hoc committatur, tenetur homo ad vitandum huiuſmodi ſtatum peccati: quia tenetur non peccare actualiter, tamen poſtquàm iam peccauit, & in eo ſtatu inuenitur, nullum eſt ſpeciale præceptum negatiuum, quo obligetur homo, vt nullo tempore in tali ſtatu ſe eſſe permittat. Et quoniam punctus controuerſiæ in hoc videtur conſiſtere, poſſumus id oſtendere diſcurrendo per illa tria capita quæ ſuprà tetigimus, ex quibus oriri poteſt obligatio habendi contritionem: nam ex eiſdem tantùm naſci poterit obligatio non permanendi voluntariè (vel minimo tempore) in ſtatu peccati: ſi ergo oſtenderimus ex nullo talium capitum oriri illam obligationem rectè concludemus nullam eſſe. Simúlque fundamenta contrariæ ſententiæ diſſoluemus.

---

## *Præceptum pœnitentiæ non obligare ſtatim ex lege iuſtitiæ, oſtenditur.*

5.

PRIMVM caput eſt lex iuſtitiæ, quæ priùs obligauit, ad non inferendam Deo iniuriam, poſt illam verò factam, obligat ad ſatisfaciendum pro illa. Hæc ergo lex vt affirmatiua eſt ex ſe non obligat ſtatim, vt verò eſt negatiua, ſolùm obligat poſt factam primam iniuriam, vt non addatur altera, neque illa prior augeatur. Ex eo autem quòd homo non ſtatim ſatisfaciat pro iniuria priùs Deo facta per peccatum, non augetur illa prior iniuria: quia reuerà non creſcit illud peccatum, quod commiſſum fuit. Neque etiam noua iniuria committitur: quia vel hæc eſſet ſola ipſa dilatio contritionis, & in hoc petitur principium: quia de hac inquirimus an ſit, & contendimus eſſe non poſſe propter ſolam dilationem, niſi aliunde iniuriam nouam ſupponat: vel eſſet aliqua alia offenſio diuina, quæ ibi admiſcetur, & hæc fingi non poteſt, quia ſupponimus hominem non habere aliquam voluntatem peccandi.

6. Soluitur argumentum.

Et declaratur ampliùs ex differentia inter ſatisfactionem hanc reſpectu Dei, & reſtitutionem reſpectu hominis, & ex reſponſione ad vnam ex præcipuis difficultatibus prioris ſententiæ. Ita enim argumentatur. Lex iuſtitiæ inter homines obligat ad reſtituendum ſtatim rem furto ſublatam, aut damnum illatum: quia ſimpliciter obligat ad non contrectandam rem alienam: ergo & lex iuſtitiæ ad Deum obligat ad ſtatim ſatisfaciendum Deo, & non permanendum in iniuria eius. Reſpondet Medina, hanc obligationem ad Deũ non oriri ex nudo delicto, ſed ſimul coniungi determinationem voluntatis diuinæ definientis modum in ſatisfactione ſibi exhibenda: quia ergo ipſe non præſcripſit, vt hæc ſatisfactio ſtatim fieret, ideò non ſtatim oritur talis obligatio. Vnde inquit, hanc obligationem magis eſſe comparandam cum illa, quæ inter homines naſcitur ex conuentione mutua, quæ non obligat ſtatim, ſed iuxta partium conuentionem, quam cum obligatione quæ naſcitur ex damno illato, vel re aliena, quæ ſtatim naſcitur, quia ex re ipſa eſt, & non ex voluntate.

contrariæ ſẽtentiæ de reſtitutione à Med

Hæc verò reſponſio mihi non placet: quia licèt verum ſit, neceſſitatem contritionis ad ſatisfaciendum Deo ortam eſſe ex præſcripto voluntatis diuinę, tamen obligatio ſatisfaciendi Deo abſolutè, & ſimpliciter, naſcitur ex delicto: ergo illa obligatio ad ſatisfaciendum præcisè conſiderata, vt naſcitur ex delicto erit ad ſatisfaciẽdum ſtatim: ergo hoc ipſo quòd Deus determinauit, vt modus ſatisfactionis eſſet per cõtritionem, ex vi eiuſdẽ legis iuſtitiæ & iniuriæ illatę determinatur illa obligatio ad contritionem ſtatim habẽdam, vt ſtatim fiat ſatisfactio, Quanuis enim Deus non declarauerit ſe velle, aut præcipere, vt contritio ſtatim habeatur, tamen etiam non declarauit ſe velle in hoc negotio cedere in re aliqua iuri ſuo, & quaſi expectare aliquo tempore debitam ſatisfactionem: quo modo etiam inter homines poteſt ſine peccato differri ſatisfactio ex conſenſu perſonæ offenſæ: nullo tamen modo oſtendi poteſt Deum hunc conſenſum præbuiſſe, aut talem voluntatem ſignificaſſe. Solùm ergo petiit contritionem pro ſatisfactione: reliqua verò naturali lege iuſtitiæ de ſatisfactione exhibenda commiſit: ergo hoc ipſo quòd expreſsè, & poſitiuè non conceſſit dilationem, erit obligatio ad ſtatim ratione delicti ſeu iniuriæ. Sicut etiam inter homines, ſi non ceſſet determinatus modus ſatisfactionis pro aliqua iniuria, & arbitrio prudenti conuenirent patres in tali modo ſatisfactionis, eo ipſo quòd nullum ſpeciale tempus deſignarent, naturalis lex obligaret ad exhibendam ſtatim talem ſatisfactionem.

7. Reiicitur ſolutio.

Aliter reſpondet Soto dicto articulo ſexto poſt ſecundam concluſionem, eſſe quidem in nobis obligationem non permanendi in peccato commiſſo, hanc verò obligationem non oriri ex aliquo ſingulari præcepto, ſed ex omnibus illis, quibus ſingula peccata prohibentur. Et ideò, inquit, qui occidit verbi gratia, differendo pœnitentiam, auget culpam homicidij, non tamen committit ſpecialem culpam omiſſionis pœnitentiæ, donec ſpecialis neceſſitas occurrat. Et ſimiliter de reſtitutione ait, ex dilatione eius augeri peccatum furti, non tamen nouum committi peccatum, donec noua ratio neceſſitatis creditoris, vel alia occurrat.

8. Soti ſolutio.

Hæc etiã reſpõſio multa inuoluit, quæ non videtur vera, nec ſatisfacere. Nã in primis quod ait teneri nos ex præcepto aliquo nõ eſſe extra gratiã, vel amicitiã Dei aliquo tẽpore, falsũ eſt: quia nullum extat de hac re præceptũ, vt in hoc diſcurſu paulatim oſtendimus. & Soto ipſe admittit non pertinere hoc ad ſpeciale aliquod præceptũ. Quod verò non pertineat ad omnia, vt ipſe dicit, probatur, quia poſtquã aliquis commiſit homicidium, aut periuriũ, quãtumcunq; differat pœnitẽtiã, & extra gratiã Dei permaneat, nõ ampliùs

9. Reprobatur

peccat

peccat contra præceptũ non occidẽdi, aut non periurandi: neq; ex hoc capite augetur culpa homicidij, vt sic, quãdoquidem neq; illa est circũstantia homicidij, neq; ad virtutem iustitiæ cõmutatiuæ inter homines, cuius ad illud præceptũ non occidendi, pertinet, quòd homo sit, vel non sit diu extra gratiã Dei. Vnde si aliquòd esset de hac re præceptũ, necessariò pertinere deberet ad aliquam virtutẽ respicientem aliquo modo Deum, vel amorẽ, aut satisfactionem illi debitã, re tamen vera nullum est tale præceptum absolutè negatiuũ, quod pro omni tẽpore obliget, sed ad summũ est præceptum obligans, vt non semper, vel non nimio tempore extra gratiam Dei persistamus. Hoc autem præceptum necesse est vt sit speciale, tum quia, vt ostensum est, nõ pertinet ad omnia mandata, vel omnes virtutes: tum etiam, quia continet specialem rectitudinem & honestatem respectu Dei: tum deniq;, quia aliàs omissio pœnitentiæ nũquam esset speciale peccatum, sed semper reduceretur ad illud in quo homo habitualiter perdurat. Sicut ergo impœnitentia aliquando speciale peccatum est, ita etiam est speciale præceptum non permanendi in peccato: hoc autem non est per se negatiuum, & ex consequenti obligans ad aliquod positiuum, vt Caietanus putauit: sed potiùs è conuerso per se est affirmatiuum, obligans hominẽ vt Deo satisfaciat, vel se ad illum conuertat.

10. Germana solutio, & discrimẽ inter iustitiam ad Deum, & ad hominem traditur.

Dicendum est ergo, proprium discrimen inter Deum & hominem in hoc consistere, quòd aliter læditur homo per furtum, vel aliam similem iniuriam, quàm offendatur Deus per peccatum: homo enim ita læditur, vt detrimentum aut damnum patiatur in propriis bonis sibi vtilibus, quibus carere cogitur, quandiu res ablata ei non restituitur: & ideò iustitia non tantùm obligat ad non accipiendam rem alienam, sed etiam ad non detinendam illam apud se, quia illa carentia rei propriæ continuata, est quasi continuum nocumentum proximi: quod moraliter grauius est, quantò priuatio est diuturnior: quia semper impedit dominum ab vsu rei suæ ipso inuito, & sic semper facit ei iniuriam, vt rectè dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 62. artic. 8. Atque hinc est, vt obligatio restituendi per se primò oriatur ex præcepto negatiuo, non detinendi apud se rem alienam, ac proinde, vt moraliter statim, ac pro quolibet tempore opportuno obliget. Quo modo autem, quandiu restitutio non fit, peccatum committatur, augeatur, vel multiplicetur, ad hunc locum explicare non spectat, sed ad 2. 2. quæst. 62. arti. 8. & inferiùs agentes de numero peccatorum in ordine ad confessionem aliquid fortasse attingemus. Nũc solùm dicimus ad explicandum quoddam Diui Thomæ testimonium suprà adductum, omissionem illam continuam restitutionis debitæ, quantùm est ex se, sufficere ad continuum peccatum: quia verò illa est exterior transgressio præcepti, quæ non est actuale peccatum, nisi sit voluntaria, ex hac parte fieri potest, vt illa trangressio non continuetur in ratione actualis peccati, quia non semper voluntaria est. Quia verò hoc est per accidens ex distractione vel occupatione humanæ mentis, per se autem est vt illa sit vera transgressio præcepti, ideò rectè dixit D. Thomas in illo artic. 8. statim teneri hominem ad restituendum, quia statim tenetur peccatum deserere, & nunquàm licet, vel per modicum tempus, in peccato morari: est enim hoc verissimum de peccato actuali, de quo D. Thomas loquitur, non de solo habituali: quia non restituere per se ac de se actuale peccatum est. At verò Deus, licèt nostris peccatis offendatur, non tamen ita læditur, vt priuetur aliqua re sibi vtili, aut detrimentum aliquod in hoc genere patiatur: sed solùm quia priuatur honore iure sib debito, vt finis vltimus est, & supremus gubernator & ideò post transactam actualem iniuriam nullum ei nocumentum accrescit ex eo, quòd satisfactio pro iniuria non statim fiat, nec propriè homo apud se detinet aliquod bonum Deo vtile, neque impedit illum ab vsu alicuius rei suæ. Ac propterea, quanuis hæc obligatio ad Deum alioqui grauior sit, non tamen ita confestim vrget, neque eius dilatio habet tam intrinsecam rationem iniuriæ, sicut dilatio restitutionis.

Dices, interdum etiam inter homines ex dilatione restitutionis non crescit detrimentum alterius, vt patet in infamia, quæ non crescit propterea quòd eius restitutio differatur, si aliunde non multiplicetur aut diffundatur: idemque videtur esse in honore, & satisfactione pro iniuria illata contra honorem, nam hæc etiam non crescit ex sola temporis dilatione. Interdum etiam potest accidere in solutione pecuniarum, vt detentio earum nullum alteri sit nocumentum, quia pro eo tempore non erat illis vsurus: ergo in his etiam casibus præceptum restituendi non obligabit statim. E contrario verò, licèt Deus non patiatur detrimentum in bonis intrinsecis; in extrinsecis verò, quæ sunt fama, & honor, interdum illud patitur ptopter peccatum hominis: vnde ex hac parte poterit esse obligatio ad satisfaciendum statim Deo, ne eius infamia, vel iniuria crescat. Vt si quis v.g. Deũ suo modo infamet, falsa inter homines de illo seminando, tenetur quàm primùm possit damnum illud separare. 11. Obiect.

Respondetur, in his consideranda esse quæ sunt per se & intrinseca, non quæ per accidens, & extrinsecus contingere possunt, inter homines enim, per se loquendo, dilatio satisfactionis vel restitutionis, est nociua alteri, ac proinde rationabiliter inuoluntaria: nam infamia, quò magis durat, eò magis radicari solet, aut diffundi: dilatio etiam satisfactionis post ablatum honorem crescit in contemptum, & illamet carentia honoris semper fit onerosior, & secum affert alia incommoda, quia humana vita multùm ex huiusmodi bonis pendet, & honor, ac fama inter homines, ad bona etiam vtilia spectant. Ipsa denique carentia pecuniæ, vel cuiuscunque rei propriæ de se est nocumentum quoddam: & ideò, per se loquendo, restitutio inter homines statim facienda est. Probabile tamen est, vt si in particulari casu manifestè cesset omne detrimentum, vel augmentum eius, & alioqui intercedat aliqua rationabilis causa, possit pro aliquo tempore restitutio aut satisfactio differri: & ideò non est tam intrinsecè malum (etiam inter homines) differre restitutionem, sicut accipere rem alienam: & aliqua causa potest esse sufficiens ad honestandam dilationem, & non acceptionem. Respectu verò Dei per se loquendo non crescit iniuria, vel nocumentum aliquod etiam in bonis extrinsecis Dei, propter solam dilationem satisfactionis pro iniuria, quæ cum peccato mortali, vt sic, coniuncta est: in particulari verò ex aliquo speciali genere peccati, vel ex aliqua peculiari occasione, aut hominis dispositione fieri potest. vt oriatur noua iniuria Dei, vel morale periculum eius: & tunc poterit esse obligatio ad exhibendam satisfactionẽ, statim ac necessarium fuerit ad illud damnũ euitãdum. Exemplũ huius posterioris casus afferemus in secundo puncto. Prioris verò casus optimum exẽplum est illud positum de infamatione Dei per falsam doctrinã: nam sine dubio tenetur quis ad illud damnum statim reparandum: quæ obligatio propriè nõ spectat ad præceptum pœnitentiæ, de quo nunc agimus, nam sine vera pœnitentia posset illa satisfactio fieri quatenus est restitutio famæ, seu destructio erroris: sed pertinet ad aliam rationem iustitiæ vel respectu hominum propter damnum illis illatum, vt aliqui existimant, vel etiam respectu Dei, vt ego 12. Responsio.

opinor,

opinor, propter ſpecialem iniuriam illi factam per illud peccatum, non tam per maliiám auerſionis, cómunem omni peccato, quàm per malitiam conuerſionis, ſpecialem & propriam illius peccati.

13. Ex hac ergo differentia optimè concluditur, præceptum contritionis, quatenus eſt præceptum iuſtitię ad Deum, non obligare ſtatim ad illam habendá: quia non obligat ex vi præcepti negatiui, quo homo ex iuſtitia teneatur nunquàm eſſe in peccato habituali, ſed ex ſolo affirmatiuo ſatisfaciendi Deo, cuius natura non eſt obligare ſtatim, ſed pro aliquo articulo neceſſitatis. Neque ad hoc etiam ſatis eſt (quod Marſilius aiebat) quòd homo in ſe ſentiat excitationem, aut motionem Dei ad pœnitentiá agendam, quia hæc ſola circunſtantia per ſe non inducit præcepti obligationem, & præſertim iuſtitiæ, niſi aliunde ſupponatur ſpecialis aliqua ratio, ob quam hîc & nunc obligatio iuſtitiæ vrgeat. Nam etiam inter homines quòd creditor petat debitum, non inducit obligationem iuſtitiæ pro illo tempore, ſed ſupponit illá, niſi fortè in eo caſu, in quo inter creditorem & debitorem conuentum eſſet, vt teneatur vnus ſoluere debitú ſtatim, ac alius petat: nunquàm autem nobis declarauit Deus velle nos obligare ex præcepto ad pœnitentiam agendam, ſtatim ac nos ad illam vocat, ſæpe enim nos vocat ad ea, quæ meliora & vtiliora ſunt.

Excitatio Dei ad pœnitentiam non inducit illius obligationem.

---

*Probatur præceptum pœnitendi non obligare ſtatim ex charitate Dei.*

SECVNDVM caput obligationis pœnitentiæ eſt charitas Dei. In quo ſimilis poteſt fieri diſcurſus:

1. quia etiam hoc titulo præceptum hoc eſt per ſe affirmatiuum, & nó ſupponit illud negatiuú non permanẽdi aliquo tẽpore extra Dei amicitiam, ſeu in ſtatu habitualis inimicitiæ Dei. Nam præceptum negatiuum charitatis Dei obligat quidem ad non concipiendum Dei odium, & nó faciendum aliquid contrarium amori Dei, tamẽ quòd vltrà hoc detur præceptum, vt homo nullo tempore in ſe permittat illum ſtatum habitualis inimicitiæ, nimis rigoroſum eſt, nullàque ſufficienti ratione probari poteſt: quãuis non deſint apparentia argumenta, ex quorum ſolutionibus hoc magis confirmabitur.

15. Impugnatur reſolutio, primò. Primum ergo argumentum ſit, quia ſtatus habitualis inimicitiæ Dei eſt obiectú ita intrinſecè malum, vt nullus poſſit honeſtè illud velle: ergo ille ſtatus vt voluntarius, ſemper, & pro ſemper eſt prohibitus: datur ergo hoc præceptum negatiuum non permanendi voluntariè in illo ſtatu, vel minimò tempore: quod præceptum charitatis Dei eſt: quia turpitudo illius ſtatus charitati ſpecialiter contraria eſt: & ideò ad illam ſpectat obligatio nolendi, ſeu non volendi talem ſtatum. Ergo ex vi eiuſdem præcepti voluntaria impœnitentia peccati omni tempore prohibita eſt: quia virtualiter eſt voluntaria permanentia in eo ſtatu: ergo è contrario præceptum pœnitẽtiæ ex eadẽ charitate obligat ad agẽdã de peccato pœnitentiá ſtatim oblata opportunitate. Pater conſequẽtia: quia non poteſt volũtaria impœnitentia ſemper eſſe mala, niſi pœnitẽtia sẽper ſit præcepta: nam voluntaria omiſſio rei nó præceptæ non eſt mala. Secundò, ille ſtatus ſemper cóſtituit hominem in periculo morali nouæ inimicitiæ, ſeu offenſionis Dei: charitatis autem Dei obligat ad vitãdum ſemper tale periculum: ergo. Maior patet: quia ſine gratia Dei habituali non poteſt homo omnia peccata mortalia vitare, vt docent omnes Theologi cum Gregorio dicente, *Peccatum, quod per pœnitentiã non citò deletur Deo permittente, ſuo põdere in aliud trahit,*

Impugnatur ſecundò.

D. Greg.

A vt ſumitur ex hom. 11. in Ezec. Tertiò ſi vnus homo gerat inimicitias cum alio homine, tenetur ſtatim & ſine vlla mora illas deponere, & ad amicitiã eius redire, iuxta illud Chriſti verbum Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinquo ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Vbi ſignificat, reconciliationem cum fratre non eſſe differendam, etiam propter ſacrificiũ offerendum, nec poſſe ſacrificium Deo placere, niſi ablata priùs inimicitia cum proximo: ergo multò magis neceſſarium eſt inimicitiam cum Deo ſtatim auferre ex intrinſeca lege ipſius amicitiæ, quæ nihil magis expetit, quàm deſtructionem ſui contrarij, ſcilicet inimicitiæ.

Impugnatur tertiò. Matth.

16. Declaratur quomodo homo excitatus ad pœnitentiá poſſit ſe gerere ceſſando ab actu, vt non peccet.

B In primo argumento poſtulatur, vt explicemus, ſi homo, qui eſt in peccato, etiam oblata occaſione contritionis, non tenetur ſtatim conteri, aut deſerere ſtatum peccati, quo modo poſſit tunc ſe gerere in volũtate ſua, ita vt non peccet de nouo. Et in primis dicitur, ſi neutrũ illorũ directè velit, ſcilicet nec permanẽtiá in peccato, nec carentiam contritionis, nihil peccaturum, ſi voluntatem ſuam applicet ad alia obiecta honeſta. Atque hoc ſufficit, vt intelligamus, charitatẽ tunc non neceſſariò obligare ad actũ contritionis: quia poteſt homo nec inimicitiá Dei velle: nec tamen actu conteri. Vnde cõcedo vlteriùs, directè, ac poſitiuè velle carẽtiam gratiæ, aut illum ſtatum inimicitiæ Dei, eſſe intrinſecè malum, vt cõuincit argumẽtum factũ, quia obiectum illius actus intrinſecè malum eſt, imò adeò prauum, vt velle illud, planè ſit peccatum mortale: quia habet grauem deformitatem contrariam charitati Dei. Nec verò ex hoc infertur neceſſitas actus cõtritionis, cùm poſſit volũtas vtroq; actu carere volũtariè, ſaltẽ indirectè.

C

17. Addo verò vlteriùs, etiam in eo caſu poſſe hominem directè velle nõ elicere contritionis actũ. Hoc ſuprà dixi de homine iam iuſtificato recogitãte peccata præterita: eadem autem ratio eſt de nondum iuſtificato, cùm in eo etiam omiſſio illa, pro tali tẽpore, non ſit contra præceptum. Solum eſt diſcrimẽ, quia in homine iam iuſtificato per contritionẽ, velle nunquàm ampliùs conteri de illis peccatis, nõ eſt per ſe peccatum, nec contra charitatem, nec contra pœnitentiam: quia contra nullum eſt præceptũ, cùm obligatio habendi contritionẽ iam fuerit impleta. At verò in homine nõdũ iuſtificato peccatum eſſet, velle nunquàm conteri de peccato commiſſo: quia talis voluntas comprehendit etiam illud tẽpus pro quo obligare poteſt tale præceptum quod nondum impletum eſt. Cum limitatione autem, velle nõ cõteri pro hoc tempore, pro quo nõdum obligat præceptum, nullum peccatum eſt, per ſe, & ex vi talis obiecti: quia illud obiectum nõ eſt intrinſecè malũ. Nam licèt contritio ſit intrinſecè bona, tamen carentia eius non eſt intrinſecè mala, niſi quando debita eſt: quod commune eſt cuilibet actui virtutis: ſed pro illo tempore ille actus non eſt debitus, quia vt ſupponimus, nondum obligat præceptú cõtritionis: ergo pro tunc carentia illius actus non eſt mala, quanuis nec per ſe bona ſit: eſt ergo indifferens.

D

18. Palacios reiicitur. Sine fundamento ergo quidam dicunt illam volũtatem eſſe intrinſecè malam, & peccatum mortale. Quod ſenſit Palacios in 4. d. 17. q. 2. Non poteſt tamen explicari, in quo ſita ſit talis malitia, neque aſſignari præceptũ, quod per illũ actũ tã grauiter violetur. Nam oſtenſum eſt, præceptũ contritionis non violari: nullum autem aliud excogitari poteſt. Soto verò ibidem qu. 2. art. 6. dicit eſſe peccatum veniale quia eſt nolitio boni obiecti, & addit non eſſe cõtra præceptum contritionis, ſed cõtra alia præcepta de

E

Soto impugnatur.

non

non perseuerando in furto, vel homicidio, &c. Sed neutrum est rectè dictum. Non quidem primũ, tum quia ille actus explicatus per modum voluntatis positiuæ, habet obiectum indifferens, vt ostensum est: tum etiam, quia nolitio boni obiecti per se, & intrinsecè non est peccatum veniale, nisi quando tale bonum necessarium est: aliàs nolle dare eleemosynam aut nolle religiosum esse, vel perpetuam virginitatem seruare, semper esset veniale peccatum: quod falsum est. Non etiam secundum, nam secluso speciali præcepto pœnitentiæ, vel charitatis, alia præcepta non furandi, occidendi, &c. licèt obligent ad non perseuerandum in peccato actuali vnicuique contrarium, nõ tamen ad non permanendum in peccato habituali, quia status in peccato habituali formaliter non est contrarius præcepto non peierandi, v.g. nisi ratione actus præteriti: ergo tale præceptum per se non obligat vt homo non maneat in illo statu. Et multò certius est, tale præceptum non obligare ad statim deserendum statum illum: quia, si charitas, vel pœnitentia ad hoc non obligat, cur alię virtutes particulares obligabunt.

19. Meliùs ergo Medina, & Cano docent actum illum esse indifferentem ex obiecto. Sed Cano ait, ex accidenti fore semper actũ illum veniale peccatum, quia non potest habere honestum finem, & ideò ad minimum esse actum otiosum. Medina verò ait, interdum posse habere honestum finem: quod mihi videtur verum: nam, licèt sit rarum, non tamen impossibile. Quia potest quis hîc & nunc esse obligatus ad aliàs actiones honestas, & vt eas attẽtiùs, ac diligẽtiùs exequi possit, velle nunc non cogitare de pœnitentia agenda. Item posset aliquis se sentire nunc valdè indispositum ad contritionem eliciendam: ergo, licèt directè nolit nunc conari ad talem actum, sed librum aliquem legere, vel virum pium alloqui, vt paulatim excitetur, nihil peccabit.

20. Obiect. Sed dicet aliquis, Qui vult non conteri de peccato commisso, virtute vult permanere in statu peccati, & inimicitiæ Dei: ergo, si hoc est intrinsecè malũ, etiã illud: nam in moralibus perinde est velle aliquid virtualiter, ac formaliter. Antecedens probatur, quia illud consequens sequitur ex illo antecedenti, qui autem vult antecedens, virtute vult consequens. Soluit. Respõdetur negando antecedens, quia illud consequens, scilicet esse in statu peccati, non sequitur per se ex illo antecedẽti, sed tantùm per accidens, scilicet quia nõ applicatur causa, quæ posset destruere malum illud: in huiusmodi autem causa seu antecedente, non cẽsetur quis velle virtualiter effectum, nisi quando tenetur talem causam applicare, & non vult, alioqui solùm censetur permittere effectum. Quanuis autem velle statum peccati intrinsecè malum sit, velle autem permittere aliquam permanentiam in illo statu, non est intrinsecè malum. Soluitur primũ argumẽtum. Vnde, cùm in primo argumento sumitur, statum peccati voluntarium esse intrinsecè malum, distinguendum est: nam, si voluntarium significet, id est volitum, verum est assumptum; mala verò est consequentia, quia ex voluntaria dilatione pœnitentiæ, non sequitur statum peccati esse hoc modo voluntarium, si autem in illo antecedente voluntarium significet permissum, sic falsum est.

21. Secundi argumenti solutio. Ad secundum argumentum primò respondeti potest, ad vitandum nouum peccatum mortale non esse per se necessariam gratiam habitualem, nec remissionem peccati commissi; sed sufficere actualem gratiam excitantem, & adiuuantem: nam hæ per se & immediatè præbent vires ad operationes, & ad vincendas tentationes: gratia autem habitualis, præsertim quę est est in essentia animæ, parum ad hoc confert. Neque etiam peccatum habituale, vt est pura culpa, inclinat, vel est pondus ad nouum peccatum; sed hoc faciunt habitus vitiorum, qui sunt per accidens ad statũ peccati, de quo agimus: & præterea ad illos vincendos sufficiunt auxilia gratiæ, sine habitibus. Reiicitur. Hæc verò responsio, licèt in rigore physico & speculatiuo sustineri posset, tamen iuxta Theologicam doctrinam non est probanda: nam grauiores Theologi docent, hominem in statu peccati mortalis permanentem diu, non posse multo tempore persistere, quin iterũ mortaliter peccet. Estque id consentaneum definitioni, ac doctrinæ Concilij Mileuitani, can. 3. dicentis, gratiam Dei, qua iustificatur per Iesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad remissionem peccatorum, quæ iam commissa sunt, sed etiam ad adiutorium ne committantur valere. Cõc. Mileuit Et inferiùs exponit ita valere, vt etiam necessaria sit, detque non tantùm faciliùs, sed etiam simpliciter posse. Et licèt Concilium possit de auxiliante, seu actuali gratia exponi; tamen *gratia iustificationis*, vt ibi, & cant. 5. appellatur, plus includit, scilicet gratiam etiã remissionis peccatorũ, in qua gratia habitualis continetur. Imò Concilium Tridentinum, sess. 6. canon. 3. gratiam iustificationis distinguit à gratia præueniente, & adiuuante, dicens, has esse necessarias, vt homo pœnitentiam agat, *sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Et can. 9. & 11. & sæpe distinguit gratiam qua iustificamur, ab actibus illis, quibus ad remissionem peccatorum disponimur; cùm tamen hi actus includant, vel supponant gratiam excitantem, & adiuuantem. Conc. Trid.

22. Non nego quidem hęc auxilia gratiæ pertinere ad gratiam iustificationis, & sub ea includi quatenus dantur, vt nos ad eam præparent; sed dico gratiam iustificationis in rigore plus includere, & quasi compleri per habitualem gratiam: ideóque rectiùs intelligi illam doctrinam de tota hac gratia. Quia, licèt auxilia gratiæ, si darentur copiosa, sine dubio sufficerent ad vitandum nouum peccatum, etiam longo tempore quanuis prius peccatum non esset remissum: tamen, cùm illa auxilia soli gratiæ habituali sint cõnaturalia, & peccatori non tantùm non sint debita, verùm etiam ille sit eis indignus: ita sunt coniuncta cum gratia habituali, vt secundùm legem ordinariam ab ea non separentur. Accedit etiam quod habitus gratiæ aliquid adiuuant: boni etiam motus, quibus homo se præparat ad remissionem prioris peccati, nonnullam facilitatem relinquunt: & ideò, pensatis omnibus ac cæteris paribus, minora auxilia requirit homo iustificatus, vt vitet nouum peccatum, quàm qui in peccato persistit, illi autem non dat Deus secũdùm communem legem maiora auxilia, sed proximè dat illi auxiliũ ad resurgendũ quòd si illo benè non vtitur, relinquit illũ cum cõmuni concursu gratiæ. Et hoc est quod significauit Gregor. loco citato. Vide epistolã 95. ad Augustinum & Epistolã 105. eiusdem & Prosperũ cõtra collatorẽ c. 35.

Concedo igitur, eum, qui in peccato mortali perseuerat, non diu permansurum sine nouo peccato. Nihilominùs potest aliquo breui tempore non peccare: & ideò non sequitur teneri ad statim habendã contritionẽ, quia non statim est in periculo peccati: sed ad summum sequitur teneri non diu differre conuersionem suam, quod probabile est, non tam ex hoc capite, quàm per se, vt sequenti sectione dicemus. Nã ex vi huius periculi non videtur consequi hæc obligatio, tum quia non constat quantum sit illud tempus in quo homo potest perseuerare sine nouo peccato mortali absque statu gratiæ: multóque minus constat quando sit Deus negaturus auxilium efficax ad vincendam aliquam tentationem; tum quia in quolibet signato tempore potest homo non committere nouũ peccatum quantum est ex hoc capite, & post quodlibet tempus potest homo sibi persuadere hîc & nunc 23. Vera solutio ad 2.

non esse illud morale periculum ob illam solã causã. Quod semper addo, vt excludã extraordinarios casus ob quos esse potest necessaria gratia habitualis ad vitandum peccatum, de quibus sequenti sectione dicemus. Ac propterea, moraliter loquendo, non est tale hoc periculum, vt censeatur proximum, ac morale, ita vt propter illud specialiter obligemur ad gratiam habitualem procurandam.

24. Tertiò argumento satisfit.

Ad 3. argumentum respondetur etiam inter homines aliud esse non odisse proximum, aliud amare illum: ad primum enim statim, ac semper tenemur; ad secundum autem nec statim, nec semper, sed temporibus humano modo necessariis, iuxta doctrinam D. Thomæ & communem 2. 2. qu. 25. ar. 8. Si quis ergo inimicitia priùs cum proximo duxit, ad duo tantùm postea tenetur statim ac semper: vnũ est, ad deponendum odium formale, vel virtuale, si quod habebat: B aliud est, ad tollendum proximo scandalũ, quod daret si se illi inimicum ostenderet. Oportet ergo omnia signa inimicitiæ tollere, & affectum odij ablatum esse, significare: & à fortiori etiam est necessarium statim restituere nocumenta vel iniurias, si quæ fortasse occasione inimicitiarum illatę fuerant. Et hæc omnia significauit Christus in verbis in argumento citatis. Inire autem nouam & specialem amicitiã, necessariũ non est, nec statim, nec etiam posteà, per se loquendo.

25.

Vnde in illatione, quæ fit ad amicitiam cum Deo, in aliquibus est similitudo, in aliis verò minimè. Nam respectu Dei est specialis obligatio diligendi eum, vt vltimum finem, peculiari modo, & affectu interno, non propter indigentiam, quæ sit ex parte ipsius Dei, nec propter contingentes euentus, sed propter dignitatem ipsius Dei seu propter subordinationẽ & vnionem quàm per se illi debet humana natura. Et quoniã hæc obligatio ex ordine gratiæ eleuata est ad amorem infusum & supernaturalem, ideò extenditur etiã hæc obligatio ad ineundam specialem quandam, & excellentiorem amicitiam cum ipso Deo, quæ suo modo etiam ad proximos extenditur. Hinc etiam tenetur homo statim ac semper ad non habendum in se Dei odium formale, nec virtuale: & huc etiam spectat non habere propositum formale, vel virtuale iterum peccandi. Vnde, si quis peccauit, & ea ratione inimicitiam cum Deo contraxit, statim tenetur tollere voluntatem peccandi, & omne id quod ad actualem, vel, vt sic dicam positiuam inimicitiam ex parte sua pertinere potest, quale est omne propositum peccandi, aut moralis, & proxima occasio eius: quanuis hæc obligatio non semper spectet ad charitatẽ proximè & elicitiuè, D sed remotè & imperatiuè, nam proximè pertinere potest ad iustitiam, &c. Præter hoc autem non tenetur homo statim positiuè inire nouam amicitiã cum Deo, sed potest in aliud vel commodum, vel magis necessarium tempus illud reseruare. Neque etiam tenetur ad tollendam statim illam priuationem amicitiæ, quæ tantùm per modum habitus in ipso manet per peccatum, & reddit illum de se dignum odio diuino, quia ex vi illius præcisè sumptæ non habet actuale, aut virtuale odium Dei, aut propositum peccandi. Denique respectu Dei nõ est necessarium exhibere aliquod signum depositionis odij vel mali propositi, quia per se ipse intuetur cor.

---

*An præceptum pœnitentiæ statim obliget ex charitate propria.*

26. Pars negatiua suadetur.

TERTIVM caput huius obligationis esse potest ex charitate propria. In quo non minor potest esse difficultas, quia homo ex vi charitatis ad seipsum tenetur statim adiicere, vel remedium adhibere omni graui malo proprio, quod vel corpori, vel A animæ potest esse nociuum: quod in corporalibus quidem manifestum est: videtur autem esse maior ratio de spiritualibus, quia plus tenetur diligere animam quàm corpus: peccatum autem grauissimum malum est animæ & in ea durans, non potest non afferre illi maxima nocumenta: ergo. Et confirmatur, nam plus tenetur homo seipsum diligere in spiritualibus, quàm proximum, sed proximum tenetur corripere, vt à peccato excitetur, quàm primum potest, id est, absque suo incommodo, & cum spe vtilitatis proximi, & nisi meliorem occasionem & opportunitatem probabiliter expectet, iuxta doctrinam Augustini 1. de Ciuitate, cap. 9. & D. Thomæ 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3. ergo à fortiori tenetur homo seipsum corrigere, & à peccato resurgere statim ac potest, quia sine suo vllo incommodo semper id facere potest, & non est quòd meliorẽ occasionem expectet, quia semper illi meliùs est præsenti occasione bene vti, & in sequenti proficere. Præsertim, quia semper est in manu eius remedium peccato adhibere, saltem per contritionem perfectam. August. D. Thom.

27. Diluuntur rationes opinionis negãtis.

Sed hæ rationes non ostendunt specialem obligationem charitatis ad contritionem statim habendam, sed potiùs ad oppositum probandum retorqueri possunt. Ad primam enim respondetur, magis teneri hominem ad non inferendum sibi aliquod graue damnum, quam ad non tolerandum illud aliquo tempore, seu ad repellendum illud statim si iam illud illatum est: ostensum est autem suprà non peccari specialiter contra charitatem propriam, peccando mortaliter, vel inferendo sibi damnum illud, quod peccatum secum affert; ergo multò minùs ex vi huius charitatis erit posteà specialis obligatio ad abiiciendum statim malum illud. Et in hoc est aliqua differerentia inter corporalem vitam seu salutem, & spiritualem: nam ad non nocendum grauiter corpori proprio tenemur ex speciali lege iustitiæ, quia non sumus Domini vitæ corporalis: quæ obligatio iustitiæ non habet locum in spiritualibus respectu nostri, quia sumus aliquo modo Domini illorum, saltem ratione nostræ libertatis. Ad expellendum autem à nobis corporalem ægritudinem, vel aliud nocumentum corporis, nõ tenemur ex lege iustitiæ, sed solùm ex misericordia, seu charitate. Addit præterea Cano suprà, teneri hominem non differre curationem, sed statim remedium adhibere: & in hoc etiam constituit differentiam inter corporalia & spiritualia, ex illo principio; quòd homo non est Dominus vitæ corporalis. Sed certè ex illo nõ potest colligi hęc obligatio ita vrgẽs, quia, licèt quis teneatur non inferre damnum rei alienæ, non tamen æquè tenetur illi remedium adhibere, si aliundè inferatur. Sicut magis obligatur homo vt non se occidat, quàm vt se defendàt. Propter quod censeo in dicto casu non statim committi speciale peccatum contra propriam misericordiam, vel charitatem, si remedium illud aliquantulum differatur, quia obligatio se diligendi in his corporalibus rebus non est adeò vrgens, vt statim & sine vlla mora postulet executionem remedij, seu medicinæ: nulla enim sufficiens ratio ad hoc afferri potest, quandoquidem nullũ nouũ detrimentum graue ex illa dilatione timetur, vt supponitur. Sola autem illa duratio non est per se graue damnum, vt propterea ex præcepto negatiuo cogamur illam non permittere vllo tempore. Aliundè verò E obligatio adhibendi medicinam ex præcepto affirmatiuo est, quòd non pro semper, nec statim obligat. Et quoad hoc est aliqua similitudo inter hoc exemplum ex corporalibus sumptum, & spirituale detrimentum proprium, quod ex peccato prouenit: concedimus enim, aliquando posse charitatem propriam specialiter nos obligare ad expellendum à nobis malum illud, non tamen obligare pro semper, seu statim

ac nobis ineſt malum illud: ſed quando extrema, vel grauis neceſſitas vrgeret, vel timeretur periculũ grauioris mali, præſertim mortis æternæ, propter rationem ſuperiùs tactam ſectione 2. Atque ita reſpondet ad hanc difficultatem D. Thomas in 4. d. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 4. ad 2.

D. Thom.

28. Enodatur primò confirmatio de correctione fraterna.

Ad confirmationem primò reſponderi poteſt exẽplum non eſſe ſimile, quia nunc agimus de remedio quod homo tenetur adhibere peccato commiſſo, vt ſic, etiamſi ampliùs committendum non ſit: correctio autem fraterna non obligat ad corripiendum proximum de peccato commiſſo, vt ſic, ſed ſolùm quatenus in futurum pendet, quia nimirum proximus in ea eſt diſpoſitione, vt ſit in periculo iterum atque iterum committendi tale peccatum, vel continuandi illud, vt ſumitur ex Matthæi 18. Vbi hoc præceptum proponitur, & materia eius dicitur eſſe peccatum proximi ita continuatum, vt ſi ab illo non deſtiterit, etiam poſt Eccleſiæ admonitionem, excommunicandus ſit: conſtat autem materiam excommunicationis non eſſe peccatum præteritum, vt ſic, ſed quatenus in futurum pendet: ergo eadem eſt materia correptionis fraternę.

Matth.

Gloſſ. in cap. Si peccauerit.

Quod etiam ſenſit Gloſſ. in c. *Si peccauerit*. 2. q. 1. Ex qua doctrina conſtat, argumentum factum nonſolùm non vrgere, verùm etiam contrarium probare aliquo modo. Nam homo non tenetur corripere proximum ex charitate ſolùm propter emendationẽ peccati præteriti, ſed tantùm vt nouum peccatum euitet, quando eius imminet morale periculum: & tunc mirum non eſt, quòd præceptum correctionis obliget ſtatim, quia periculum peccandi, ſtatim vitandum eſt: ergo neque homo tenetur ſeipſum ſtatim curare à peccato cõmiſſo, ſi propterea non immineat periculũ noui peccati.

29. Reiicitur ſolutio.

Huius autem reſponſionis fundamentum ſolidum non eſt: vt enim notauit Soto relect. de Secreto, mẽb. 2. qu. 2. concl. 2. duobus modis intelligi poteſt præceptum correctionis non obligare ad præteritum: primò ſi ita præteritum ſit, vt ſit iam curatum & emendatum: & in hoc ſenſu eſt veriſſimum, quia miſericordia non obligat ad ſubueniendum proximo, niſi exiſtenti in miſeria & neceſſitate: tunc autem iam ceſſauit neceſſitas & miſeria proximi, quia iam non eſt in peccato: ergo ceſſauit etiam obligatio correctionis. Item finis huius præcepti eſt lucrari fratrem, ex Matt. 18. Sed iam hic finis obtentus eſt: ergo ceſſauit obligatio obtinendi illum. Denique iam illa non eſſet correptio, ſed vindicta & punitio, quæ non pertinet ad charitatem fraternam, ſed vel ad paternam, vel ad iuſtitiam legalẽ. Propter quod rectè dixerunt Angelus, & Sylueſter verb. *Correctio*, in principio præceptum correctionis ſolùm obligare circa peccatum quod habeat permanentiam, id eſt, emẽdatum non ſit, quia corripere peccatum præteritum, ſolùm quia commiſſum fuit, tantùm ad Prælatos pertinet. Et eodem modo dixit rectè Caietanus in Summa Verb. *Correctio fraterna*, hoc præceptum correptionis eſſe eleemoſynæ, quæ non eſt facienda niſi indigẽti. Alio modo poteſt dici peccatum præteritum, quia cõmiſſum eſt, & ita tranſiit, vt nullum timeatur periculum reincidendi, non eſt tamen emendatum, ſed proximus adhuc manet in peccato & in hoc ſenſu falſum eſt, non obligare hoc præceptum etiam circa peccatum præteritũ, vt rectè notauit Adrian. in 4. q. 1. de Correctione fraterna cõcluſ. 2. Et ſentiunt reliqui Auctores citati, & alij communiter in ea materia. Et colligitur ex verbis Chriſti, *Si te audiret, lucratus eris fratrem tuum*: ergo hic eſt finis huius præcepti: lucrari autem fratrem, nõ ſolùm eſt impedire nouum peccatum eius, ſed etiam illum ad ſalutẽ reuocare, vt Auguſtinus, Hieronymus Chryſoſtomus, & alij Patres notarunt: ergo, quandiu hic finis comparatus non eſt, quia proximus in peccato manet habet locum correctio fraterna, & obligatio eius. Et ratio etiam eſt euidens, quia hoc præceptũ eſt miſericordiæ & eleemoſynæ ſpiritualis & proximus adhuc eſt in miſeria, & maximè indiget: ergo eſt illa ſufficiẽs materia huius præcepti. Reſpõſio ergo data, ſi in hoc poſteriori ſenſu intelligitur, falſo vtitur fundamento: ſi verò in priori, non ſatisfacit, quia argumentum proportionaliter procedit de peccato cõmiſſo nondum per pœnitentiam deleto.

Sylueſt.

Caietan.

Adrian.

Auguſt. Hieronym. Chryſoſt.

Reſponderur ergo ſecundò, præceptum correctionis quatenus obligat ad corripiendum fratrem ſolùm ad finem hunc, vt agat pœnitentiam de peccato commiſſo, non obligare ſtatim, ſed pro loco & tempore, pro quo indiget proximus tali correctione quia hoc præceptum affirmatiuum eſt, & ideò generalem regulam præceptorum affirmatiuorum participat, neque eſt vlla ſpecialis ratio cur excipiatur. Ita reſpondet Adrianus dict. quæſt. 3. de Confeſſione, citans Auguſtinum 1. de Ciuitate capite 9. dicentem, *Si propterea quiſqueo biurgãdis & corrigendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, conſilium eſſe charitatis.* Et eandem ſententiam ſupponunt Auctores citati, & alij de correctione ſcribentes. Nam Caietanus expreſſè dixit, illud præceptum obligare pro loco, & tempore neceſſitatis. Idem Armilla numero 2. & ferè Sylueſter, Angelus, & Soto 4. concluſ. ad finem. Quod autem ſit hoc tempus neceſſitatis dicti Auctores non aliter declarant, quàm dicendo debere tempus eſſe opportunum, tum ex parte corripientis, vt ſcilicet poſſit id facere ſine magno incõmodo ſuo, tum ex parte alterius, ſcilicet, vt ſit ita diſpoſitus, quòd habeatur ſpes fructus. His autem concurrentibus ſignificant dicti Auctores teneri hominem ad corripiendum ſtatim proximum péccantem. Ex qua declaratione non ſoluitur, ſed integrum manet argumẽtum factum: nam, ſi illis concurrentibus ſtatim tenetur homo corripere proximum, vt emendetur: ergo eiſdem concurrentibus tenetur ſtatim emendare ſeipſum per contritionem: ergo ſimpliciter ſtatim tenetur conteri, opportunitate, & memoria peccatorum oblata, quia ſemper poteſt id facere ſine graui incommodo, & cum fructu, quia ex ſua voluntate pendet, nam gratia Dei præſtò eſt.

30. Alia eiuſdẽ confirmationis ſolutio.

Adrian. Auguſt.

Caiet. Armill.

Sylueſt. Angel. Soto.

Cano igitur dicta Relectione, abſolutè concedit antecedens, ſcilicet, præceptum correctionis obligare ſtatim ac ſe offert occaſio opportuna, nam hoc ipſo neceſſaria exiſtimatur, quando moraliter, ac probabiliter alia opportunior non ſperatur: qui videtur ſenſus Auguſtini in loco citato. Nihilominùs tamen negat conſequentiam argumenti & plures differentias conſtituit inter emendationem fratris per correctionem, & propriam per contritionem. Prima eſt, quia homo eſt domus vitæ ſpiritualis propriæ, non tamen proximi, & ideò poteſt cedere iuri ſuo, non tamen iuri proximi: ſicut in temporalibus, ſi quis videat propriam famam lædi, aut vineam comburi, poteſt ſine peccato ſaltem mortali tacere, vel non ſuccurrere, etiamſi commodè poſſit: ſi tamen ſimile quid videat circa famam, vel res proximi grauiter peccabit, ſi, cùm poſſit commodè eas tueri, non faciat. Hæc verò differentia in præſenti non ſatisfacit; quia non tractamus de obligatione iuſtitiæ, ſed charitatis, quæ locum habet etiam in his bonis, quorum homo eſt dominus: nec agimus de temporalibus, ſed de ſpiritualibus bonis, in quibus tenetur homo magis ſeipſum quàm proximum diligere, vt eſt certum. Si ergo his bonis ita tenetur diligere proximum, vt nacta opportunitate, teneatur illum ſanare, ſi poteſt: ergo multò magis tenetur hoc modo diligere ſeipſum

31. Dilutio tertia confirmationis. Differentiæ variæ inter præceptum correctionis fraternæ, & cõtritionis.

ſum: ergo licèt in hoc cedendo iuri ſuo excuſetur à peccato contra iuſtitiam, non tamen à peccato contra charitatem. Vnde non eſt aptum exemplum de fama, aut vinea, quia in his rebus temporalibus nõ ſemper tenemur nosipſos magis quam proximos diligere, & aliquando poſſumus ea prodigere ſine graui culpa, etiam contra charitatem propriam. Eſt etiam aliud diſcrimen, quia exemplum procedit quando proximus patitur damnum temporale inuitus, & non poteſt ſe tueri, nam ſi poſſit, & nolit, non tenetur alter illi ſubuenire, ſaltem ſub graui culpa: ſpirituale autem damnum patitur voluntariè, & poteſt ſibi ſuccurrere. Vnde fortius redditur argumentum, nam ſi hoc non obſtãte, tenetur homo corripere proximum cùm primùm poteſt, propter ſpirituale eius commodũ, multò magis tenebitur ſtatim emendare ſeipſum.

32. Secũda differentia.

Addit ergo Cano aliam differentiam, nimirum voluntatem propriam ſemper eſſe in hominis poteſtate, & ideò non obligari ad bene vtendum illa, quoad cõtritionem in prima opportunitate, vt ſic dicam, ſed poſſe aliam & aliam expectare, quia ſemper eſt in ſuo arbitrio, donec aliqua vrgeat neceſſitas: voluntatem autem proximi non ſemper eſſe in manu alterius, ideóque fieri facile poſſe, vt, ſi nunc ſit opportunitas cum ſpe conuertendi illum & illa prætermittatur, poſteà alia ſimilis non occurrat, vel vt priuſquam occurrat, proximus patiatur aliquod graue ſpirituale detrimentum: & ideò reſpectũ proximi, opportunitas tẽporis habet vim neceſſitatis, non tamen reſpectu ſui. Quę quidem differentia eſt ſatis probabilis, adhuc verò non euacuat difficultatem. Nam in primis, ſi poſt illam opportunitatem ſperetur alia æqualis, & interim non timeatur mortaliter aliquod ſpeciale nocumentũ ſpirituale proximi præter durationem peccati habitualis, licebit correctionem differre vſque ad illam. Sequela patet, quia tunc iam ceſſat omnis moralis neceſſitas, & tota ratio differentiæ ſignatæ: nec caſus ille eſt ſpeculatiuus, ſed poteſt eſſe moralis, & frequens. Quod ſi illud conſequens concedatur, iam ſimpliciter falſum eſt præceptum correctionis obligare ſtatim nacta opportunitate, & tunc emendatio proximi, & propria omninò æquiparabuntur, ſeruata proportione. Nam, ſi in vtroque ita occurrit opportunitas emendę, vt illa amiſſa non ſperetur alia ſimilis, vel interim nouum ſpirituale damnũ timeatur, ſtatim obligat præceptum emendationis tam reſpectu ſui, quàm proximi: ſi autem, non obſtante præſente opportunitate, ſperetur alia ſufficiens abſque interuentu noui detrimenti ſpiritualis præter durationem peccati habitualis, nec reſpectu proximi, nec reſpectu ſui obligat ſtatim præceptum.

33. Vera ſolutio

Hanc ergo exiſtimo eſſe veram huius difficultatis ſolutionem. Vnde concedo opportunitatem temporis non ſtatim inferre obligationem corripiendi, niſi illa opportunitas in aliquam tranſeat neceſſitatem, ex generali principio, quòd præceptum affirmatiuum non obligat, niſi in articulo neceſſitatis. Hæc autem neceſſitas in hoc conſiſtit, quòd proximus hîc & nunc indigeat correctione: nam, cùm hoc ſit præceptum eleemoſynæ, ſupponit in alio indigentiam, & in ea fundatur, & conſequenter, & hîc & nunc obliget, ſupponit talem indigentiam, quæ hic & nunc requirat remediũ ab alio, quia obligatio commenſuratur indigentiæ, vt in aliis actibus eleemoſynæ facilè oſtendi poteſt. Eſt autem in hac differentia inter correctionem, quæ ordinatur ad impediendam continuationem, ſeu iterationem actualis peccati, vel quæ ſolùm ordinatur ad tollendum peccatum commiſſum: nam in priori caſu indigẽtia proximi ſemper eſt præſentanea, & actualis, quia ſemper & continuè timetur nouum ſpirituale nocumentum proximi, quale eſt nouum peccatum mortale, ſeu continuatio eius quoad actualem culpam, & ideò tunc quodlibet opportunum tempus ad corripiendum proximum, eſt etiam tempus neceſſitatis, quia ſupponitur proximus in morali periculo grauiſſimi, & noui damni ſpiritualis. Nec refert, quòd nocumentum illud ſit voluntarium, quódque abſolutè poſſet ipſa ſua voluntate vitare cum gratia Dei: nam vt obliget charitas in re tam graui, ſatis eſt quòd hoc remedium correctionis cenſeatur hîc & nunc vtile, & moraliter neceſſarium, vt proximus bene vtatur libertate ſua, vel vt efficacius excitetur diuina gratia. Quoad hoc autẽ etiam æquiparatur obligatio hominis ad ſeipſum, quia etiam tenetur ſtatim, ac ſemper interrumpere, & vitare actuale peccatum, & tollere morale periculum eius. Solùm eſt differentia, quòd reſpectu proximi hęc obligatio eſt ſpecialis charitatis fraternæ, quia aliæ particulares virtutes per ſeſe non poſſunt ad hoc obligare: reſpectu verò ſui non eſt obligatio propria charitatis, ſed remotè tantùm, & imperatiuè, proximè verò ratione iniuriæ diuinæ vitandæ pertinet ad pœnitentiam, ratione verò malitiæ conuerſionis pertinet ad ſingulas virtutes, quibus ſingula peccata opponuntur, quia vnaquæque obligat hominem proximè & immediatè vt vitet peccatum ſibi contrarium.

34.

At verò quando correptio proximi ordinatur ſolùm ad remedi ũ peccati commiſſi, vt tempus opportunum ad corripiendum ſit etiam neceſſarium, requiritur non ſolùm ſpes fructus, ſed etiam neceſſitas illius, vel ad vitandum impœnitentiæ peccatum, vel ad vitandum mortem æternam: nam, ſi nihil horum interueniat, nulla eſt vera indigentia ex parte proximi, quæ obliget hîc & nunc ad ſubueniendum illi. Et quo ad hoc rectè procedit argumentum factum: quia, ſi ipſemet non tenetur ſibi ipſi ſubuenire cùm poſſit; neque ego etiam teneor. Item, ego non poſſum corripere pro facto pręterito, vt ſic, id eſt, ſolùm quia factũ eſt, vt oſtendimus: ergo debeo corripere de illo, prout manet, ſeu eò quod per pœnitentiam non tollitur: ſed qui adhuc non tenetur ad talem pœnitentiã nondum eſt dignus tali correctione: ergo non poteſt vrgere tunc obligatio ad illam faciendam.

35. Obiectioni occurritur.

Dices nomine correctionis non tantùm intelligi reprehenſionem de malo facto, ſed etiam admonitionem de malo vitando. Sed de hac poteſt fieri idem argumentum: nam quando alter non tenetur admonitionem acceptare, ſed abſque peccato reſpondere poteſt, quòd ſuo tempore pœnitentiam aget: neque alter tenetur ex præcepto tunc illum admonere, ſi nullum tunc inſtet præceptum. ſed ad ſummum erit cõſilium. Exemplum quotidianum eſt in pœnitentia ſacramentali, nam, quia fideles non tenentur confiteri ſtatim, ac peccant, licèt videamus aliquem peccantem, ſeu in peccato permanentem, abſque iteratione, vel continuatione, &c. non tenemur illum admonere, vt confiteatur, quia ipſe reſpondere poteſt ſe nunc non teneri. Si tamen iam adeſſet tempus anni completi pro quo obligat tale præceptum, tunc poſſet vrgere obligatio talis admonitionis, ſi mortaliter timeretur alium non eſſe expleturum obligationem ſuam ſine tali admonitione; nam ſi alius eſt per ſe facturus, non indiget tali admonitione. Imò ſi nullum ſit indicium ad præſumendum alium nõ eſſe facturum tempore quo tenetur, nulla eſt obligatio charitatis ad præueniendum & admonendum illum, vt per ſe conſtat: ſicut non teneor eleemoſynam dare alicui, ſi nullum indicium habeo indigẽtiæ eius. Eâdem ergo proportione ratiocinandum eſt de pœnitentia interiori, & admonitione ad illam agendam: donec enim inſtet aliqua obligatio, vel neceſſitas cum aliqua probabilitate quòd alter indigeat admonitione vt expleat

obliga

obligationem suam, reuerà non instat talis obligatio.

36. Addendum verò est, hanc obligationem nõ solùm posse oriri ob nouum peccatum impœnitentiæ, quod in proximo timetur, sed etiam ob periculum moriendi sine gratia, etiamsi id contingeret sine nouo peccato: vt si quis sciat proximum esse in periculo mortis subitaneæ, aut violentæ, quod ipse ignorat, tenetur illum admonere vt pœnitentiam agat, quia illa per se est magna indigentia, & necessitas: & ideo sub disiunctione diximus tunc tantùm obligare præceptum correctionis, seu admonitionis sub hac consideratione, quando imminet periculum mortis, vel noui peccati impœnitentiæ. Vnde etiam constat, sub hac consideratione seruari proportionem inter correctionẽ proximi & propriam, & in rigore falsum esse, teneri nos statim ad corripiendum proximum, vt pœnitentiam agat peccati commissi: quod in antecedẽte illius confirmationis sumebatur.

## SECTIO VI.

### *Pro quo tempore obliget hoc pœnitentiæ præceptũ.*

1. Certum est pœnitentiæ præceptum obligare in articulo mortis.

HÆc est potissima difficultas, quæ resultat ex assertione definita in sectione præcedenti: nam, si hoc præceptum non obligat statim, nulla videtur esse ratio designandi illud in toto discursu vitæ vsque ad articulum mortis. De illo enim nulla potest esse controuersia, quin, si ante illum hæc obligatio impleta non sit, necesse sit, tunc saltem impleri. Alioqui consummabitur transgressio præcepti, quia lapsum erit totum tempus intra quod impleri poterat, & debebat. Nam præceptum pœnitentiæ de mortalibus peccatis non obligat pro futura vita, sed pro præsente, quia post hanc vitam, non est iam tempus pœnitentiæ agendæ: nam, si in præsenti acta non sit, homo statim in æternum damnatur. Non est ergo dubium quin, instante morte, sit articulus maximæ necessitatis exequendi hoc præceptum, si status peccati adhuc duret.

2. An hoc præceptũ ante articulum mortis obliget. Prior sententia. D. Thom. Durand.

Difficultas verò est, ante illum articulum sit aliquod tempus pro quo obliget hoc præceptum. In qua re est multorum opinio, hoc præceptum per se & natura sua tantùm obligare pro articulo mortis. Ita sentit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. art. 4. vbi Confessione loquitur: est autem eadem ratio de pœnitentia interiori, & Durandus ibi qu. 10. num. 5. & 6. qui similiter agens de Confessione, nullum assignat tempus necessitatis præter articulum mortis, nisi propter casus extrinsecos & accidentarios, vel positiuum præceptũ. Et eodem modo sumitur hæc opinio ex Caietano in Summa, verbo *Contritio*, Adriano quæst. 3. de Confessione, Medina Codic. de Pœnit. tract. 1. q. 6. art. 1. ad argumenta, Soto d. 17. q. 2. art. 6. Nauarro in Summa, c. 1. n. 31. Et fundamentum est in principio positum, quia supposito, quòd præceptum non statim obliget, ante articulum mortis, nulla est maior ratio designandi vnum tempus, quàm aliud: imò neque est ratio designãdi aliquod, quia in nullo est vera necessitas: præceptum autem affirmatiuum tantùm obligat pro articulo necessitatis.

Caietan. Adrian. Medin. Soto. Nauarr.

3. Posterior sententia.

Probatur ex Patribus.

In contrarium verò afferri possent plures coniecturæ tam ex Scriptura, & Patribus, quàm ex morali cõsideratione sumptis, quæ suadent magnam esse inordinationem differre pœnitentiam vsque ad mortem, ideóq; dari hoc præceptum negatiuũ non differendi pœnitentiam vsque ad mortem, aut nimio tempore, ex quo necessariò sequitur affirmatiuum aliquando pœnitendi ante mortem. Probatur ergo primò, quia sancti Patres valdè reprehendunt longam dilationem pœnitentiæ & præsertim vsque ad finem vitæ, adeò vt dixerit Augustinus serm. 57. de tempore, pœnitentiam reseruatam vsque ad finem vitæ, esse valdè incertam & dubiam: & inter alia inquit, *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est: quæ autem à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Ergo voluntariè differre pœnitentiam vsque ad illud tempus, est per se valdè dissentaneum rationi, & est quodammodò se exponere periculo non agendi veram pœnitentiam. Vnde idem Augustinus serm. 71. ad fratres in Eremo, *Satis* (inquit) *alienus est à fide, qui ad agendum pœnitentiam tempus senectutis expectat.* Hinc Cyprianus libr. 4. epist. 2. aliàs epistol. 52. numer. 6. circa finem dicit, Iis, qui toto vitæ tempore pœnitentiam contempserunt, & vrgente necessitate eam petere incipiunt, negandam esse pacem, & communionem: *quia rogare illos* (inquit) *non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non recogitauit esse moriturum.* In qua pœna & censura excessit hîc Doctor sanctus: propter quod reuocarunt illam sancti Pontifices. Leo primus Epist. 69. circa finem, & Cælestinus 1. epist. 2. capite 2. satis tamen indicauit Cyprianus, quàm sit graue crimen differre pœnitentiam vsque ad mortem. Quod etiam confirmari potest ex illo ad Rom. 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Indicauit ergo Paulus ante mortem dari talem pœnitentiam, quæ thesaurizet iram Dei: quod non est sine graui peccato. Ad quem modum videtur exponere Hieronymus illud Psalm. 37. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: quia nolebam* (inquit Hieronymus) *agere pœnitentiam.*

August. Cyprian. Leo primus Cæleſt. 1. Ad Rom. 2. Hieronym.

4. Ratione sua detur sententia.

Ratione verò confirmari hoc potest, primò à simili de aliis actibus, qui sunt necessarij ad salutem, vt sunt fidei, charitatis, &c. quia eorum necessitas & obligatio non reseruatur in tempus mortis: nõ est autem minùs necessaria pœnitentia ad rectè vitam instituendam in ordine ad consequendũ vltimum finẽ, ad quem ordinatur tota necessitas istorum actuum. Vnde confirmatur, quia, si contritio consideretur, vt medium, seu dispositio necessaria ad obtinendam gratiam videtur sanè præceptũ eius debere obligare ante mortem, quia contra omnem rationem est, vt toto vitæ tempore voluntariè homo perseueret extra gratiã Dei, & eius assecutionem reseruet in finem vitę. Si verò consideretur, vt est satisfactio diuinæ iniuriæ, etiã videtur esse quidam implicitus contemptus iniuriæ diuinæ, prætermittere voluntariè hanc satisfactionẽ toto vitæ tempore, præsertim cùm Deus sæpe illam inspiret seu vocet hominem ad illam reddẽdam. Vnde huius vocationis contemptum, seu dilationem nimiam sæpe Deus grauiter reprehendit, vt Isaiæ 65. *Omnes in cæde corruetis, propterea quod vocaui sæpè, & nõ respondistis.* Vnde Gregorius homil 11. in Ezech. circa illa verba, cap. 33. *Si auersus iustus fecerit iniquitatem, &c. Peccatores* (inquit) *Deus diu expectat, vt redeat: non redeuntibus verò etiam offendiculum ponit, vt grauius impingant.* Ex quo intelligitur, Deum sæpe deserere peccatorem propter dilationem pœnitentiæ, quæ pœna est grauissima, & indicat grauem culpam. Et quanuis dici possit hoc non esse ob solam dilationem pœnitentiæ, sed quia cum hac dilatione sæpe coniuncta sunt alia peccata. Hoc imprimis non tollit, quin ipsa impœnitentia etiam peccatum sit. Et deinde ipsum morale periculum in quod coniicitur peccator nimium differendo pœnitentiam, ostendit quàm sit rationi consentaneum, vt hoc præceptum obliget aliquando in ipsa vita ante mortem. Præsertim cùm ipsa pœnitentia ex ratione sua propria obliget, non tantùm

Isai. Gregor. Præcluditur responsio.

tum ad deteſtanda peccata præterita, ſed etiam ad cauenda futura: propter quod non ſola diſplicentia præteritorum, ſed etiam propoſitum in futurum eſt de neceſſitate pœnitentiæ. Et hoc etiam maximè confirmat obligatio charitatis, quia, vt inquit Chryſoſtomus hom. 80. ad Populum. *Tam bona, quam mala, ſi nimium fuerint immorata potentiora fiunt.* Quod etiam ſignificauit Gregorius in id Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.* Ac denique S. Bonauentura tom. 1. Opuſc. in collatione, de contemptu ſeculi in fine: *Hoc*, inquit, *teneo, hoc verum puto, quòd ei non bonus finis eſt, cui ſemper fuerit mala vita.* Eſt ergo contrarium ſaluti, & charitati propriæ adeo differre pœnitentiam.

Chryſoſt.

Gregor.

Bonau.

A

## *Quibus temporibus pœnitentiæ præceptum ex accidenti obliget.*

B

5. Primus caſus.

PRo reſolutione ſuppono, duobus modis poſſe determinari tempus huius obligationis. Primo ex aliquo fine extrinſeco, & accidentario virtuti pœnitentiæ, vt ſic: ſecundo per ſe, & intra latitudinem & obligationem huius virtutis. Priori modo aſſignantur varij caſus ab auctoribus: qui reuerà nec pertinent ad præceptum de quo agimus, nec ex principiis præſentis materiæ definiri poſſunt: ſed illius ad quam ſpectat finis vel occaſio ex qua oritur talis neceſſitas. Id patebit numerando breuiter caſus, qui ab auctoribus attinguntur.

6. Primus eſt, quando neceſſe eſt exercere aliquam actionem, quæ propter ſanctitatem ſuam requirit ſtatum gratiæ in operante, nec poteſt ſine nouo peccato exerceri in ſtatu peccati mortalis, vt eſt miniſtrare ex officio aliquod ſacramentum vel recipere Euchariſtiam (vbi non eſt copia confeſſoris) vel aliud ſacramentum viuorum: in his enim euentibus neceſſario eſt præmittenda contritio (agimus enim ſecluſa confeſſione.) Ita docent omnes auctores citati, & verè; tamen illa obligatio non oritur ex præcepto contritionis, vt ſic: ſed ex præcepto dignè tractandi res ſacras. Vnde fit, vt, qui non præmiſſa contritione in eo caſu recipit, vel miniſtrat ex officio ſacramentum, non committat duo peccata, vnum omiſſionis contritionis contra hoc præceptum, alterum indignè tractando ſacramentum, ſed ſolùm hoc poſterius, quod eſt commiſſionis, contra præceptum negatiuum non irrogandi iniuriam ſacramento. In quo neſcio quam differentiam conſtituunt Soto, & Cano inter ſacramentum Euchariſtiæ, & reliqua: ſed reuera nulla eſt quoad modum, ſeu, ſpeciem obligationis, ſed ſolùm quoad grauitatem eius propter excellentiam illius ſacramenti: excepta illa ſpeciali obligatione præmittendi confeſſionem ante communionem, ſuppoſita conſcientia peccati mortalis. Quæ omnia in materia de ſacramentis in genere, & de Euchariſtia fuſiùs tractata ſunt.

7. Secundus caſus eſt, ſi occurrat vehemens tentatio & occaſio peccandi hic & nunc, ad quam vincendam cenſeatur moraliter neceſſaria diuina gratia & amicitia. Ita Soto, & alij. Duo tamen ſunt obſeruanda. Vnum eſt hunc caſum, per ſe loquendo, non eſſe moralẽ, quia ad vincendam quamcunq; tentationẽ auxilium gratiæ excitantis, & adiuuantis ſufficit, & nullũ eſt principium ſufficiens quo ſibi homo perſuadeat, non poſſe tale auxilium ſufficiens, vel efficax obtineneri ſine gratia habituali, aut ſemper negariei, qui non conteritur. Præſertim quia ſuppoſita tali occaſione peccandi tunc habere contritionem, eſt vincere illam, quia includit propoſitum non peccandi etiam in ea occaſione: ergo contritio non eſt medium ad obtinendum auxilium neceſſarium ad illam victoriam: nam potiùs ipſa contritio eſt effectus talis auxilij, & cum minori auxilio poſſet illa ſpecialis tentatio ſuperari, per ſolam negationem conſenſus, ſeu nolitionem talis actus ſeu obiecti. Quod ſi illa occaſio non conſideretur tantùm vt præſens, & quaſi momentanea, ſed vt futura & perſeueratura, & ſtatus gratiæ dicatur eſſe diſpoſitio ad conſtanter reſiſtendum, ſic fateor illam eſſe aptiſſimam diſpoſitionem & moraliter aliquando cenſeri poſſe neceſſariam, ſi perſeuerantia, ſeu continuatio occaſionis, & tentationis ſit diuturna. Tamen, quia hoc nunquam in præſenti conſtare poteſt, & in quolibet tempore ſignato poſſunt ſperari ſufficientia auxilia gratiæ, etiamſi habitualis gratia deſit; ideò vix credo, ad hunc finem poſſe iudicari hoc medium ita neceſſarium, vt inde oriatur obligatio. Dixi *per ſe loquendo*, quia ex dictamine conſcientiæ, vel ignorantis, vel timidæ id non repugnat.

7. Secundus. Soto. Duo notanda circa illũ.

C

Tunc autem aduertendum eſt ſecundò, illam neceſſitatem eſſe extrinſecã, & oriri, verbi gratia ex præcepto caſtitatis, ſi tẽtatio ſit illi cõtraria, & ſic de aliis: ideò tunc omiſſionem contritionis non eſſe ſpeciale peccatum contra præceptum pœnitentiæ, ſed eſſe ſolùm circunſtantiam peccati contra caſtitatem, quod commiſſum fuit, vel conſentiendo tentationi, vel exponendo ſe periculo morali eius, omittendo medium, quod ad eum finem exiſtimabatur neceſſarium. Quod ſi quis inſtet etiam illud peccatum eſſe contra virtutem pœnitentiæ, quatenùs eſt iuſtitia ad Deum, nam peccatum illud eſt iniurioſum Deo: propter quod dicimus propoſitum non peccandi de cætero, & tollendi morales occaſiones peccatorum pertinere ad virtutem pœnitentiæ. Reſpondetur, concedendo ſub hac ſpeciali ratione peccatum hoc eſſe contra hanc virtutem, non tamen ſub ſpeciali ratione impœnitentiæ. Diſtinguere ergo oportet in hac virtute duo præcepta: vnum non inferendi iniuriam Deo, cui repugnat omne peccatum: aliud affirmatiuum ſatisfaciendi pro iniuria, cui repugnat impœnitentia: illud ergo peccatum eſt contrarium priori præcepto, non tamen poſteriori, quia pro tunc non obligat, & de hoc in præſenti agimus.

8.

Obiectioni occurritur.

9. Tertius caſus. Adrian. Nauar. Petr. Soto.

D

Tertius caſus eſt, quando cõmune mãlum Reipub. imminet & membra eius tenentur orare Deum, vt illi malo ſubueniat. Ita Adrianus, Nauarrus, & Petrus Soto. Et poteſt fundari, quia, ſi tenemur orare Deum, tenemur ita orare, vt exaudiamur quãtũ in nobis eſt: fruſtrà enim eſt petere, & aliunde impedimentũ ponere: ſed nihil magis poteſt impedire impetrationem quam ſtatus peccati: ergo, &c. Quæ ſententia eſt ſatis pia, & probabilis; tamen circa hunc caſum eadem aduerti poſſunt, quæ circa præcedentem. Raro enim obligabitur homo ad apprehendendum hoc medium tanquam neceſſarium, cum oratio videatur ſufficere, quæ non tam nititur in iuſtitia orantis, quàm in miſericordia Dei, qui peccatores etiam exaudit; præſertim quia particularis perſona ſemper poteſt præſumere eſſe in communitate plures iuſtos, propter quos exaudiat Deus ſimul orantes peccatores. Poſita verò aliquando huiuſmodi obligatione, etiam tunc illa non oritur ex hoc præcepto pœnitentiæ, ſed ex charitate, qua tenemur patriam diligere, & bonum eius procurare.

E

## *Quando ex poſitiuo iure determinetur tempus contritionis.*

10. RVRSVS aduertendum eſt, determinationem temporis huius præcepti per ſe intra latitudinem eius duobus modis intelligi poſſe primò ex aliquo præcepto poſitiuo: ſecundo ex natura rei ſeu talis

talis præcepti. Et de vtroque modo dicẽdum est, quia etiã priori assignari solent nonnulli casus, quos oportet expendere. Primus sumitur ex opinione eorum, qui dicunt teneri peccatorem ad contritionem habendam saltem omnibus diebus festis. Quam tenuit Marsilius in 4. q. 12. art. 1. part. 5. & Angelus verb. *Feriæ*. n. 41. qui citat illud Leuitici 21. *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras: anima, quæ non fuerit afflicta die hac, peribit.* Idem sentit Antoninus 2. p. tit. 9. ca. 1. quatenus ait, illo præcepto maximè præcipi quietem mẽtis in Deum. Inclinant etiam Petrus Soto lect. 13. de Pœnit. & Viguerius in Summa, c. 16. §. 4. vers. 11. Fauet etiam Scotus in 3. d. 27. art. 3. §. *Quantùm ad secundum:* & d. 37. §. *Ad primum*, quem ibi Gabriel sequi videtur art. 1. in fine. Qui sentiunt, obligari hominẽ ad diligẽdũ Deũ super omnia singulis diebus festis; nam putant tertium præceptũ Decalogi esse determinationem præcepti dilectionis Dei: eadem autem est ratio de contritione, suppositò peccato, maximè cùm, per se loquendo, haberi tunc non possit dilectio sine contritione. Fundamentum verò aliorum est, quia ex vi huius præcepti tenemur vacare Deo, & cultui eius, quod non potest facere cõuenienter qui est in peccato, nisi de eo doleat. Item quia institutio festorum ad hoc ordinatur, vt in illis diebus anima sanctificetur.

Primus casus expenditur.

Marsil. Angel.

Anton.

Per. Soto. Viguer. Scot.

Gabriel.

11. In hoc casu non obligare præceptũ contritionis, ostenditur. Medina. Soto. Cano.

Veruntamen hæc sententia falsa est, & sine fundamento, vt Medina, Soto, & Cano locis citatis latiùs prosequuntur. Et probatur breuiter, quia talis obligatio, neque ex verbis ipsius præcepti de obseruandis diebus festis, neque ex re ipsa præcepta colligi potest. Primum patet, quia hoc præceptum, vt est nunc in vsu Ecclesiæ, non habet certa & determinata verba, nisi solùm, vt huiusmodi dies sint sanctificati, seu deputati cultui diuino, cuius præcepti sensus ex vsu & traditione Ecclesiæ sumendus est: hæc autẽ traditio habet, vt negatiuè obliget hoc præceptum ad abstinẽdum ab omni opere seruili; affirmatiuè autem, seu positiuè ad sacrum audiendum. Vt habetur in cap. *Missas*, de Consecratione. d. 1. ex Concilio Agathensi, vbi de die Dominico est sermo, sed extẽditur ad omnes festos dies. At verò vtrumque horum potest obseruari, & impleri sine actu cõtritionis, & in statu peccati mortalis, Quod quidem de parte negatiua per se notum est. De affirmatiua verò etiam constat, quia is, qui est in peccato mortali, potest efficere actum religionis externum, & etiam internum, prout præceptus est, quanuis ille nõ sit meritorius, neque ex gratia sanctificante profectus; qui modus præceptus non est: ergo sub hoc præcepto nõ cadit contritio: præsertim cùm hoc præceptum, quantùm ad hanc determinationẽ, sit Ecclesiasticum, & Ecclesia non possit præcipere actum merè internum, nisi prout coniungitur necessariò cũ alio externo, ostensum est autem, interiorem actum cõtritionis non esse necessarium ad externum actum, qui per hanc legem præcipitur, ergo.

Conc. Agathens.

12. Explicatur locus Leuit. 23.

Si verò considerentur verba, quibus hoc præceptum traditum est in lege veteri de obseruatione sabbati, primò non multũ, vel nihil hoc ad nos referret: quia præceptũ illud, quatenus cæremoniale fuit illius legis, iam cessauit. Deinde etiam in lege nullum est verbum, ex quo talis obligatio colligi possit, quia solùm præcipitur cessatio, vel quies ab omni opere seruili, & cultus Dei in genere. Verbum autem illud, *Affligetisque animas vestras*, non habetur in præcepto de obseruatione sabbati, vt patet Leuitic. 16. & 23. & Exod. 16. & 20. & Numer. 29. sed specialiter ponitur verbũ illud in quodam festo, quod celebratur die decimo septimi mẽsis, & dicebatur festum expiationis, propitiationis, & emundationis à peccato. Vnde probabile est, pro illo die festo fuisse specialiter præceptũ actũ pœnitẽtiæ, vel externũ, qui consistit in aliqua afflictione corporis (ita enim solet vsurpari illa locutio in sacra Scriptura, vt patet Numer. 30.) vel certè etiam internum. Iuxta quam expositionem, per illam legem determinatum fuit præceptum contritionis pro eo tempore, vt saltem singulis annis reconciliarentur peccatores cum Deo per contritionem quæ tamen lex, vt pote cæremonialis, iam cessauit. Et ex his etiam constat altera pars in principio sumpta, scilicet, quòd neque ex re ipsa præcepta possit colligi hæc determinatio vel obligatio in diebus festis, quia res illa præcepta solùm est cultus Dei vel in genere, vel in specie, audiendi sacrum: & vtrumque fieri potest sine contritione. Et quamuis fortassè finis huius præcepti sit, vt homo placeat Deo, & conuertatur in ipsum; tamen finis præcepti non cadit sub præceptum, nisi sit etiã materia præcepti, talis autem finis non est materia huius præcepti, vt explicatũ est.

13. Secũdus casus præcepti positiui de annuali cõtritione expenditur. Soto.

Secũdus modus ponẽdi determinationem temporis in hoc præcepto pœnitentiæ ex iure positiuo, & Ecclesiastico est Soti suprà dicentis, per legẽ annualis cõfessionis determinatum etiam esse præceptum contritionis, vt saltem singulis annis habeatur, ita vt si aliquis debito tempore confiteri non possit, intra annum teneatur ex vi præcepti Ecclesiastici saltem habere contritionem: quia, licèt excusetur ab eo quod non potest facere, non tamen ab illo quod seruare potest. Sed hæc sententia mihi non videtur vera, quia, vt rectè notauit Caietanus verb. *Contritio*, circa finem, ex vi legis de confessione annuali solùm tenetur homo habere illum actum interioris pœnitentiæ, qui necessarius est ad verum sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, quia hoc est quod illa lege præcipitur, & lex de sacramento pœnitentiæ distincta est à lege contritionis, vnde non determinat illam, nisi quatenus includitur ipsa contritio in sacramento: suppono autem, sacramentum non requirere contritionem perfectam, sed attritionem tantùm. Ex quo infero, eum, qui propter impotentiam excusatur à confessione debito tẽpore, nõ teneri ex vi præcepti Ecclesiastici ad habendam verã contritionem. Quia tale præceptum illam non requirit, sed solam attritionem: ergo, etiamsi fingamus hominem teneri ad faciendam illam partẽ præcepti, quã potest, nõ tenebitur ad contritionem, sed ad attritionem tantùm.

Caiet.

14. Obiectioni occurritur.

Dicitur fortassè, teneri ex illo præcepto se disponere ad gratiam: & quia tunc non sufficit attritio ad huiusmodi dispositionem, obligabitur ad contritionem. Sed contrà, nam illud non est materia huius præcepti, quanuis fortasse sit finis eius, vel quid consequens ad illud. Nam, si quis per possibile vel impossibile possit recipere verum sacramentum pœnitentiæ informe, satisfacit huic præcepto Ecclesiastico: &: licèt peccet contra generale præceptum de sacramentis dignè recipiendis, non tamen contra speciale præceptum de annua confessione, vt est communis sententia Theologorum, quam Soto etiam sequitur: ergo ex vi huius specialis præcepti, non tenetur homo se disponere ad gratiam. Et deinde, in illo casu neque ad attritionem tenetur homo ex vi huius præcepti: quia quando Ecclesia præcipit aliquem actum externum principaliter, & consequenter præcipit internũ ad illum necessarium, cessante obligatione exterioris actus, cessat etiam interioris. Quod patet exemplis: nã Ecclesia præcipiendo orationem vocalem, præcipit attentionem internam ad Deum: qui autem excusatur propter impotentiam ab oratione vocali, non tenetur pro illo tempore interiùs attendere ad Deum. Deinde ratio est, quia Ecclesia per se non determinat, nec præcipit internum, sed solùm propter externum, quia actus interior secundùm se non cadit directè sub iurisdictio

dictionem Ecclesiæ. Et confirmatur, nam si quis ex voto, vel propter statum religionis teneatur v. g. singulis mensibus, vel hebdomadibus confiteri, & excusetur propter impotentiam à confessione, non tenetur ad contritionem: ergo similiter, &c.

15. Scoti dictũ refellitur.

Vnde etiam colligo, falsum esse quod idem Soto ait, quando est periculum obliuionis peccatorum, necessarium esse de illis contritionem habere: vel ex natura rei secluſa Confessione, vel etiá nunc si non possit quis statim confiteri. Hoc (inquam) falsum est, quia ex vi contritionis non tenetur homo conteri de singulis peccatis distinctè recogitatis, & in memoriam reuocatis, vt suprà ostensum est: ergo ex vi naturalis præcepti contritionis non est necessarium statim conteri propter metum obliuionis. Neq; etiam id est necessarium propter defectum Confessionis, quãdo quis confiteri non potest, quia iam est ostensum, non teneri hominem ad contritionem habendam ex eo solùm, quod confiteri non potest quando tenetur, si alia nulla instet necessitas. Præsertim, quia non est certum teneri quempiam ad confitendum statim propter periculum obliuionis: de quo infrà suo loco dicam. Concludo igitur quoad hanc partem nullam esse determinationem iuris positiui, quia neque iure humano esse potest, vt rationes factæ ostendunt: à diuino autem nihil habemus, præter ipsum pœnitentiæ sacramentum, à quo nulla determinatio contritionis extra ipsum sacramentum exercendæ sumi potest, vt rationes factum etiam ostendunt.

---

## *De tertio modo determinationis temporis huius obligationis.*

16. Hoc præceptum non obligare ex iustitia ad Deum ante periculum mortis.

SVPEREST dicendum de tertio modo determinandi tempus obligationis in hoc præcepto, scilicet per se, & ex vi illius tantùm, soláque ratione naturali seu connaturali gratiæ, & fidei. Et in hoc puncto probabilem esse iudico sententiam communem in principio relatam, nam fundamentum eius valdè efficax est. Vt verò illam magis explicemus, & aliquantulùm moderemur (quia reuerà videtur parum apta ad humanos mores rectè instituendos, nisi aliquo modo limitetur) ideò distinguere oportet hîc tria illa capita, ex quibus diximus posse hanc obligationem oriri. Et in primis, quod spectat ad titulum iustitiæ, verum censeo præceptum satisfaciendi Deo non obligare donec periculum mortis instet (quid per periculum mortis intelligendũ sit, infrà in præcepto Cõfessionis declarabimus.) Probatur, nam ratio, qua suprà probauimus hoc præceptum non obligare statim, probat etiam de quocunque determinato tẽpore vitę præsentis, quandiu non imminet periculum mortis. Neque est verum, in hac dilatione esse contemptum diuini honoris, per se loquendo: potest enim ex multis aliis causis, & ex sola fragilitate prouenire, vel ex eo solùm, quòd hîc & nunc non apprehenditur pœnitentia vt necessaria ad cultum vel honorem ex iustitia debitum Deo, & aliunde apprehenditur vt onerosa. Neque etiam ad contemptum satis est, quòd homo non respõdeat vocationibus diuinis, etiãsi sint frequẽtes: nam totum hoc potest esse ex fragilitate, & sine noua irreuerentia graui respectu Dei. Quòd si aliquãdo in his casibus interueniat nouus cõtemptus, erit quidem illud nouum peccatum, accidentarium verò, & extraneum, non verò erit speciale impœnitentiæ peccatum, de quo est præsens quæstio.

17. Neque ex charitate propria obligari.

Atque idem dicendum censeo de alio titulo huius obligationis ex charitate propria. Quanquàm in hoc maiorem dubitationem inferant difficultates superiùs positæ: quia hæc charitas non videtur solũ obligare ad vitandum extremum & certissimum malum æternæ mortis, sed etiam ad fugiendum graue periculum eius, & diuinæ desertionis, quale inuenitur in diuturna dilatione pœnitentiæ vsque ad mortem. Videtur etiam hæc charitas obligare ad vitandam grauissimam iacturam spiritualium bonorum, omniumque suorum operum, quam homo facit permanendo in peccato mortali vsque ad finem vitæ, cùm nihil illi prosint ad vitam æternam cõsequendam, cùm tamen propter hanc præcipuè causam vsum huius vitæ recipiat. Accedit, quòd propositum non agendi pœnitentiam vsque ad finem vitæ, ita formaliter & directè conceptum, per se valdè repugnat rationi, & morum honestati, nam includit nimiã negligentiã propriæ salutis, quæ videtur valdè contraria propriæ charitati: ergo signum est, obiectum illius propositi esse contra aliquod præceptum vetans dilationẽ pœnitentiæ vsque ad mortem: alioqui nulla esset ratio malitiæ in tali proposito. Quanquàm autem hæ coniecturæ probabiles sint, non videntur sufficientes vt dicamus hanc obligationem proximè & immediatè esse ex propria charitate: quia obligationes aliorum præceptorum, & præsertim charitatis Dei, de qua statim dicam, sufficiunt: & quia illa pericula & incõmoda nec moraliter ita apprehenduntur & proponuntur, nec talia sunt, vt ex speciali obligatione charitatis proprię teneatur homo illa pręuidere, & vitare: nam & potest semper sperare locum pœnitentiæ ex misericordia Dei, & alias non tenetur procurare augmentum gloriæ, proprio, & speciali præcepto.

18. Dilectionis Dei præceptũ, non reseruare obligationem suam ad articulũ mortis.

At verò ex tertio cap. huius obligationis ex charitate ad Deum, meliùs probatur hæc obligatio. Quia verisimile non est, charitatem Dei nunquàm obligare ad diligẽdum ipsum nisi in extremo vitę periculo. Et ideò semper mihi placuit sententia Soti, & aliorũ dicentium, præceptum dilectionis Dei non reseruare obligationem suam ad articulum mortis, quia tanta dilatio apertè est contraria fini huius præcepti; quod est dirigere, & conuenienter coniungere hominem cum suo fine, vt possit rectè vitam instituere, cui planè repugnat, dilectionẽ hãc reseruari vsque ad finem vitæ. Quod maximè perspicitur quando illa dilatio directo proposito & voluntate eligitur: est enim illa voluntas valdè contraria rectæ institutioni humanæ vitæ. Si ergo dicimus fornicationẽ esse cõtrariam legi naturæ, quia est contra bonam educationẽ prolis humanæ: maiori ratione dicendum est, illam voluntatem esse contrariam legi naturæ, vt pote contrariam rectæ institutioni vitæ hominis: illa autem lex non potest nisi charitatis ad Deum vt vltimum finem, quia per debitum ordinem ad illum rectè instituitur humana vita. Item ob similem causam præceptum fidei (& idem est de spe) non obligat solùm in articulo mortis, quia non mandatur solùm vt in fide moriamur, sed vt per fidem ambulemus, & vt per illam Deum colamus. De quo etiam cultu potest nouum argumentum fieri, quia non tenemur tantùm colere Deum semel in fine vitæ, sed sæpiùs congruis temporibus. Vnde, licèt tertium præceptum Decalogi, vt determinatur ad dies festiuos, nõ sit purè morale & naturale, sed aliquid habeat positiuum, & cæremoniale, quatenus verò generatim præcipit, vt aliquibus temporibus cultui diuino vacemus, morale est, & naturale: ergo differre cultum Dei vsque ad tempus mortis, contra rationem naturalem est: multò ergo magis differre amorem Dei, nam & magis necessarius est, & magis Deo debitus: & aliunde ferè eadem difficultas est in assignando tempore pro quo obligat præceptũ cultus Dei, ex natura rei, & præceptum dilectionis.

19. Præceptum pœnitentiæ ex dilectio-

Supposito ergo, quòd dilectio Dei super omnia aliquando potest esse in præcepto ante mortis articulum, idem dicendum est de contritione saltem ex

ne Dei ante articulum mortis obligat.

necessitate ipsius dilectionis Dei, quia non potest is, qui est in peccato mortali, cùm ocurrat tempus diligendi Deum super omnia, seruare illud, per se loquendo, nisi etiam habeat contritionem peccatorum, vt constat ex suprà dictis de necessitate medij contritionis. Hinc tamen rectè infertur, si aliquis in eo casu contritionem omittat & dilectionem, non committere duo peccata, sed vnum cõtra charitatem, quia vnum tantùm violat præceptum: &, licèt duos actus omittat, tamen necessitas vnius solùm est propter alium: vbi autem vnum est propter aliud, ibi moraliter est vnum tantùm. Deinde infertur, si ex accidenti contingat, aliquem, immemorem peccatorum, diligere Deum super omnia in illo obligationis articulo sine formali actu contritionis, atque ita iustificari, posteà non obligari statim, vel quàm primùm potest, ad habendum formalem actum contritionis, sed solùm eo tempore, quo aliàs præceptum contritionis obligaret. Ratio est, quia necessitas contritionis in illo tempore solùm erat propter actũ dilectionis: ergo quacunque ratione contingat actum dilectionis haberi sine actu contritionis satisfactum in re ipsa est præcepto contritionis: ergo iam ex vi illius præcepti non tenetur quis ad eliciendum actum contritionis statim, neque etiam quia iustificatus est in voto conritionis: quia ad illud implendũ, satis est contritionem habere eo tempore, quo ratio iustitiæ seu pœnitentiæ obligat. Sicut nũc qui iustificatur per cõfessionẽ in voto, satisfacit posteà si tẽpore, quo præceptum cõfessionis secundùm se obligat, confiteatur.

Corollariũ primum.

Corollariũ secundum.

20. Quod sit illud tempus pro quo hoc præceptum obligat.

Sed quæres tãdem, quódnam sit tempus illud pro quo diuina charitas obligat ante mortem ad habendam Dei dilectionem, & ratione illius contritionem peccatorum: hoc est enim, quod oppositum sentientes maximè mouet; & nos etiam plurimùm torquet, quia non possumus tempus hoc in particulari certò ac diffinitè designare. Non tamen propterea putamus negandum esse hanc obligationem, quàm ideò magis explicamus per modum præcepti negatiui non differendi conuersionem ad Deum vsque ad mortem vel diuturno tempore, quod perinde est: quia hoc est, quod clariùs suadetur rationibus factis. Et hac autẽ obligatione negatiua necessariò infertur affirmatiua, aliquando exercendi hanc contritionem ante mortẽ. Illud verò tẽpus, si non sit positiua lege prescriptum, prudenti arbitrio ipsius hominis, vel alterius, qui (eius conscientia cognita) possit auxilium præstare, committendum est, vt pensatis circunstantiis omnibus, iudicet, an incipiat nimia esse dilatio. Neque aliquam regulam certiorem, aut magis particularem assignare possum, tam in hoc præcepto, quàm in aliis affirmatiuis, præsertim circa actus, qui ad Deum ordinantur, sola ac nuda ratione naturali perspectis. Ad rationem autem illam, quòd præceptum affirmatiuum non obligat nisi in articulo necessitatis, dicẽdum est, hoc non debere intelligi de sola necessitate articuli mortis, aut alterius extrinseci nocumenti seu damni, sed de quacunque necessitate morali, quæ ad rectè & honestè vitam instituendam instare iudicetur, secundùm rectam & prudentem rationem. Et hactenus de obligatione ad internam pœnitentiam.

Respõdetur fundamento prioris sententiæ.

## SECTIO VII.

### *Vtrùm teneatur homo in hac vita ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali: atque adeò ad actus externos pœnitentiæ obligetur.*

1. Remissa culpa, potest manere pœna tẽporalis

QVONIAM in superioribus diximus, virtutem hanc non solùm habere actus internos, sed etiam externos, explicare necesse est, an hi etiam cadant sub præceptum ex natura rei. Quæ dubitatio coniuncta est cum alia de præcepto satisfaciendi pro pœna debita peccatis: & ideò vtranque simul breuiter expedire possumus. Supponitur autem hîc primò id, quòd suprà disp. 5. ostensum est, remissa culpa per contritionem, manere posse reatum pœnæ temporalis. Supponitur secũdò posse nos in hac vita satisfacere Deo pro hac pœna, vindicando in nobis ipsis peccata commissa. Quanuis enim potuisset Deus hanc vindictam reseruare in ignem purgatorij, & nullã huius vitæ pœnam admittere in compensationem illius, quia reuerà nulla secundùm se sumpta est illi æqualis: certum est tamen non ita fecisse, sed statuisse potiùs, vt homines iusti possint per satisfactiones, seu pœnas huius vitæ soluere quidquid pœnæ debitum est peccatis, & consequi remissionem pœnę purgatorij: quod latè ostendẽdum est infrà cum agemus de satisfactione, vt est tertia pars materiæ sacramenti pœnitentiæ. Hoc ergo supposito quæstio est, an teneatur homo hanc ipsam satisfactionem pro pœna temporali exhibere in hac vita, cùm possit.

pro qua homo potest in hac vita satisfacere.

2. Prima opinio. Palud. Cano. Cõc. Trident.

Aliquibus Theologis ita visum est, vt Paludano 4. d. 17. q. 1. art. 1. in 5. definitione contritionis, Cano dict. relect. p. 3. concl. 2. & in 4. p. dicit esse sententiam certissimam. Et fundari potest in Tridentino, sess. 6. c. 14. dicente, pœnitentiam Christiani hominis inter alia includere satisfactionẽ per ieiunia, eleemosynas, &c. Et hanc pœnitentiam dicit esse necessariam: & de illa explicat nonnulla Scripturæ testimonia, vt illud 2. ad Corinth. 7. *Tristitia, quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur:* & Apocal 1. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam*, & Matth. 3. & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quem locum ita etiam exponit Gregorius homil. 20. in Euang. & Chrysostomus homil. 10. in Matth. vbi postquàm multa dixerat de hac satisfactione, subdit circa finem, *Neque enim vulneratio sufficit ad salutem tantummodo spicula è corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.* Ergo in his locis omnibus videtur indicari præceptum. Et ita Magister d. 16. dicit, Ioannem Baptistam illis verbis *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, præcepisse satisfactionem: Ioannes autem non potuit nouum præceptum imponere, nõ enim erat legis lator: explicuit ergo naturale præceptũ. Quod etiã indicari videtur Ioel. 2. *Cõuertimini ad me in ieiunio, & fletu, & planctu:* vbi eodẽ modo exigitur cõuersio cordis, & exterior satisfactio.

Probatur ex Scriptura. Paul. Apocal. Matth. Luc. Greg. Thrysost. Magist. Ioel.

3. Suadetur ex Patribus.

Vnde Patres eodẽ ferè modo loquuntur de necessitate satisfactionis & conuersionis cordis: & veram contritionem dicunt includere propositum satisfaciendi; & quò peccata sunt plura, & maiora, eò satisfactionem hanc debere esse maiorem. De quo latè & optimè loquitur Ambrosius ad Virginem lapsam, c. 8. *Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem, &c.* Idem ferè Augustinus de verb. & fals. pœn c. 14. Cyprianus lib. de lapsis, à num. 7. & in 13. indicat, nõ posse esse veram contritionem ex toto corde, quæ non se extendat ad opera satisfactionis. Citat etiam Cano Chrysostomum homil. 9 ad Hebr. vbi in principio partis moralis describens medicamentum pœnitentiæ, primas partes tribuit externæ pœnitentiæ. Et homil. 5. de Pœnit. & alia homil. de Confess. peccati. tom. 5. *Petrus est* (inquit) *Dei offensam non satisfactione placare, quàm Dei bonitatem peccando offendere*: sed hoc loco de satisfactione pro culpa loqui videtur. Homil. tamen 3. imperfecti in Matth. *Multa*, inquit, *diligentia necessaria est homini post confessionem, & Baptismum, vt vulnus peccatorum eius, & apertura sanetur.* Ambrosius etiam in id 2. ad Corin. 7. *Tristitia, quæ secundùm Deum est, &c.* inquit, *Quicunque inde tristis est, quia hoc ei in seipso displicet, quod Deo displicet, elaborat illud*

Ambros. August. Cyprian. Chrysost.

*illud pœnitendo delere, & Deo satisfacere, vt possit ad salutem, quam amiserat, peruenire.* Similia habet Origenes hom. 8. in Leuit. & Tertullianus in fine lib. de Pœnitentia. Sed difficiliùs quàm cæteri loquitur Cassianus Collat. 23. c. 15. dicit enim, eum, qui post Baptismum moraliter peccauit, aut diuturna afflictione, & pœnali dolore purgandum, aut æterni ignis suppliciis addicendum: significat ergo peccare denuò mortaliter, qui eam purgationem in hac vita negligit, quia propter solam temporalem pœnam non æterni, sed temporalis ignis pœnis addiceretur peccator.

Origen. Tertul. Cassian.

4. Ratione pro batur.

Ratione argumentatur Cano, quia peccatum corpore & animo cõmissum est: ergo ratio iustitię postulat, vt pœna non solùm animæ, sed etiam corpori respondeat: at verò si tota pœna temporalis peccato debita in aliã vitã reseruaretur, sola anima, & non corpus puniretur: tenetur ergo homo dũ viuit in corpore hãc pœnam subire, vt corpus etiam illius sit particeps. Et hæc ratio probare videtur, etiam esse obligationem ad agendam externam, & corporalem pœnitentiam.

5.

Contraria nihilominùs sentẽtia est cõmunis Theologorum. Sed in ea aduertendum est, aliud esse loqui de obligatione satisfaciendi ex vi solius præcepti naturalis pœnitentiæ: aliud verò ex vi specialis præcepti positiui, impositi in lege noua à confessore in sacramento pœnitentię. Multi ergo Theologi vtranque obligationem negant, vt Scotus, Gabriel, Medina, Caietanus, & Nauarrus, quos infrà latiùs referam, cùm de sacramentali satisfactione disputabo: hoc enim loco non de posteriori obligatione, sed tantùm de priori agimus. Et quoad eam partem tenent eam sententiam Soto d. 20. q. 2. art. 2. ad 5. quanuis d. 19. q. 1. art. 3. ad 1. & lib. 2. de Nat. & grat. cap. 4. ad finem, aliter loqui videatur. Eandem sententiam tenet Vega lib. 13. in Tridentinum, cap. 22. vbi negat esse de necessitate contritionis propositum satisfaciendi: & Ruardus art. 6. vbi in hanc sententiam refert D. Thomam, Bonauenturam, & Adrianum. Idem Cordub. l. 5. de Indulgẽtiis, q. 5. circa finẽ, & q. 8. & 10. in fine.

Non teneri hominem in hac vita satisfacere pro pœna. Vera sententia. Soto. Vega. Ruard. Cordub.

6. Probatur assertio.

Fundamentum est, quia tale præceptum naturale nulla ratione, aut auctoritate sufficienter colligitur. Primum constat, quia, si consideretur ratio iustitiæ ad Deum, hæc non obligat reum, vt ipsemet in se puniat delictum, sed solùm vt sustineat patienter pœnã à iudice inflictam: cùm ergo Deus sit iudex, & vindex peccatorũ, & in purgatorio ea puniat ad æqualitatem, quando in hac vita satisfactum non est, potest peccator sine vlla iniustitia differre castigationem, seu satisfactionem peccati sui vsque ad purgatorium. Deinde neque hoc est contra legem charitatis propriæ, vel diuinæ: quia, licèt homo ita differat satisfactionem, nec perdit beatitudinèm, neque diuinum amorẽ: & quanuis beatitudinis executio aliquãtulùm differatur, illud non est irreparabile damnum, neque adeò graue, vt teneatur homo sub mortali illud vitare: aliàs etiam teneretur sub mortali pro venialibus peccatis quoad culpã & pœnã in hac vita satisfacere.

7. Fundamento contrariæ sententiæ satisfit.

Prætereà ratio, qua vtitur Cano, nihil vrget: aliàs illo argumento probaretur, non posse solam animam sufficienter satisfacere pro hac pœna in purgatorio: probaretur etiam non posse hominem in hac vita satisfacere pro hac pœna per solos actus interiores animæ, aut per intensissimam contritionem: vel è contrario non posse hominem satisfacere per actiones corporis pro peccatis merè internis, & in sola anima commissis. Quòd si dicatur, in hac vita nullum esse peccatum ita internum, cui non cooperetur corpus aliquo modo, neque esse contritionem, vel satisfactionẽ ita internam, cuius non sit particeps corpus ipsum, quia appetitus semper cooperatur aliquo modo voluntati. Pari ratione dicemus, quandocunque homo dolet de peccato, ibi esse aliquam satisfactionem pro pœna temporali, cuius etiam corpus particeps est, & hoc satis esse. Præsertim, quia, cùm animus sit qui principaliter delinquit, & corpus sit tantùm organum, aut instrumentum, potest in anima sufficienter puniri quidquid in corpore peccatum est, maximè cùm ipsa mors corporis, & quidquid homo in hac vita patitur, possit esse pœna peccati.

8. Probatur assertio ex Trident.

Altera verò pars de auctoritate, sumi in primis potest ex Concilio Trident. sess. 4. capite 1. vbi primùm dicit, pœnitentiam fuisse omni tempore necessariam. Deinde verò hanc necessariam pœnitentiam explicans, solùm dicit, *Vt peruersitate abiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestentur.* Et infrà cap. 8. de hac satisfactione loquens, nunquàm dicit esse in præcepto extra satisfactionem sacramentalem, sed tantùm esse securiorem viam, & necessariam, non simpliciter, sed ad perfectam animæ liberationẽ, seu puritatẽ. Et hic posterior est sensus ferè omniũ Sanctorũ, quos suprà citaui. Quapropter hæc sententia mihi videtur verissima, si loquamur de satisfactione omninò cõdistincta à contritione, & ordinata tantùm ad tollendũ reatum pœnæ temporalis, vt conuincit fundamentum adductum, & magis in sequenti illatione explicabitur.

9. Qua ratione actus externi pœnitentiæ cadant sub præceptum.

Ex dictis enim infertur decisiè alterius partis quæstionis propositæ, an externi actus pœnitentiæ cadant sub præceptũ, Dicendum est enim, quatenus conducunt, vel ordinantur præcisè ad tollendum reatum pœnæ temporalis, ex natura rei nõ cadere sub præceptum, vt ex dictis patet: aliis verò duobus modis posse interdum esse in præcepto. Primò, vt remedia moraliter necessaria ad præseruandum ab aliqua culpa: quo modo ieiunium, vel abstinentia potest interdum esse in præcepto ad seruandam continentiam, & sic de aliis. Semper tamẽ huiusmodi obligatio potest referri ad aliquam specialem virtutem, cui repugnat illud peccatum, propter quod vitandum necessaria est talis medicina, vt in exemplo posito virtus castitatis potest ad tale ieiunium, vel abstinentiam obligare: sed singulæ virtutes hoc faciunt sub propriis rationibus & honestatibus: pœnitentia verò sub generali ratione vitandi offensionem diuinam: sicut enim est officium pœnitentiæ detestari commissum peccatũ, vt offensa Dei est, ita cauere futurum. Secundò potest obligatio esse alicuius actus externi: si ita coniunctus sit cum contritione, vt moraliter iudicetur necessarius ad illam habendã, & hoc modo potest interdum esse necessarium peccatori indurato, audire v.g. concionem, vel certè restituere alienum, & à se abiicere pecunias, aut tollere aliam similem occasionem externam, quæ impedit animum, ne à peccato auertatur, aut facere aliqua pietatis, vel afflictionis opera, quibus, & à Deo impetret auxilium, & seipsum ad veram pœnitentiam emolliat. Et iuxta hunc posteriorem medum dicunt etiam interdum Patres, vt suprà visum est, lacrymas, vel alia similia externa signa doloris, esse necessaria peccatoribus ad placandum Deum, non quia per se præcepta sint, sed quia ex natura rei sunt quodammodò connexa cũ contritione, quæ per se præcepta est. Et eodem modo dixit D. Thomas suprà quæst. 84. art. 7. ad primum: non solùm internam, sed etiam externam pœnitentiam esse de lege naturali. Reliqua, quæ ad satisfactionem pertinent, citato loco tractabuntur. Et ideò hæc dicta sufficiant de virtute pœnitentiæ.

*Finis huius primæ partis de Pœnitentiæ virtute.*

SECVNDA

# SECVNDA PARS HVIVS MATERIÆ, QVÆ EST DE POENITENTIA VT EST SACRAMENTVM.

IN explicatione huius partis non habemus textum D. Thomæ cui adhæreamus: nam, fœlici morte præuentus, tractatũ de hoc & de cæteris sacramẽtis imperfectum reliquit. Et licèt in 4. Sentent. eandem ferè doctrinam nobis tradiderit, tamen, cùm ibi munus expositoris subiret, non potuit tam exactam methodum tenere, quam in Sũma habuit: cunque iunior illa scripserit, non habent illud auctoritatis pondus, quod in Summa obtinuit. Et ideò necessarium nobis visum est, relicto textu, propria methodo huius sacramenti doctrinam tradere: quod etiam, Deo adiuuante, in sequentibus tomis obseruabimus.

## DISPVTATIO XVI.

*De potestate, quam Christus Ecclesiæ concessit ad remittenda fidelium peccata: Quæ nomine Clauium significari solet.*

HÆc potestas fundamentum est huius sacramenti: & ideò exordium disputationum eius ab illa duximus sumẽdum: quãquàm de illa tractauerit Magister Sentẽtiarum, in 4. d. 18. post plures alias de hoc sacraméto. Solet autem hæc potestas nomine Clauium significari, vt ibidẽ ex Magistro, & Doctoribus cõstat; ne igitur necesse sit aliam posteà de Clauibus disputationem texere, cum inutili earundem rerum sub verbis diuersis repetitione, ideò hanc etiam metaphoram hîc declarabimus, solùm sub generali ratione sua, & quatenus dicit potestatem iudiciariam in foro pœnitentiæ: sic enim ipsummet pœnitentiæ sacramentum, quoad præcipuam & formalem partem eius, actus est huius potestatis, seu clauium. Alij enim actus ligandi, & soluendi spiritualiter in foro Ecclesiastico contentioso, licèt vocari etiam soleant actus clauium: tamen per se non pertinent ad hanc potestatem remittendi peccata, neque ad formalem cõstitutionem huius sacramenti: & ideò in hoc libro nihil de illis dicemus, præsertim cùm diffusãm nimium disputationem requirant. Tamẽ, quia illi actus valdè coniuncti sunt cũ administratione huius sacramenti, eorumque cognitio maximè necessaria est ad vsum eius, ideò huic operi adiungemus aliud, in quo de Censuris Ecclesiasticis, & de Irregularitate disseremus. De potestate igitur remittendi peccata inquiremus in primis, An sit, & quotuplex: deinde quid sit, vbi & obiectum, & actus eius declarabimus: vnde etiam constabit quas causas, vel effectus habeat.

A

## SECTIO I.

*Vtrùm Christus dederit suæ Ecclesiæ ministris potestatem specialem ad remittenda peccata post Baptismum commissa.*

ADDO in hoc titulo particulam illam, *Post Baptismum commissa*, quia hîc iam non agimus de remissione peccati originalis; nec eorum actualium, quæ cum illo coniunguntur aliquando, & cum eo remitti debent per Baptismum: nam de hac re satis à nobis dictum est in superiori libro. Tota igitur præsens disputatio est de remedio peccatorum, quæ post Baptismi susceptionem committuntur, & consequenter de potestate Ecclesiæ ad illa remittenda. In qua re fuit antiquus error Nouatianorum, qui hanc potestatem Ecclesiæ negarunt, vt latè tractat Cyprianus lib. de Lapsis, à principio, vbi auctorem huius erroris indicat fuisse Nouatianum. Idem in epist. 52. & Ambrosius lib. 1. de Pœnit. à principio, Augustinus verò hæresi 38. dicit fuisse Nouatum. Hos verò duos fuisse diuersos, & alterum, scilicet Nouatum, fuisse presbyterum Africanum; alterum verò fuisse Pseudoepiscopum Romanum, qui contra Cornelium schisma excitauit, vt sumitur ex Damaso in vita Cornelij, & eodẽ Cornelio in epist. 1. Decretali, & ex Cypriano epist. 41. 43. & 48. aliàs lib. 2. epist. 8. & 9. & lib. 3. epist. 11. & ex Fabiano Papa epistola 1. Decretali, *Superuenit* (inquit) *Nouatus ex Africa, & separauit ab Ecclesia Christi Nouatianum, & quosdam alios.* Et ex Paciano epist. 3. ad Simpronianum, quæ optima est contra hæresim in 1. tom. Bibliothecæ Sãctorum. Hieronymus etiam in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Nouationo, docet primum auctorem huius erroris fuisse Nouatum, qui posteà Nouatianum sibi adiunxit: quia tamen posteaquàm Episcopus factus est, veluti caput & princeps huius hæresis est habitus, & sæpe propter nominum similitudinem cõfusè de his duobus historiæ loquũtur, vt videre est in Eusebio lib. 6. cap. 33. & 34. Nicephoro lib. 6. c. 3. & sequentibus, Socrate lib. 4. Historiæ. c. 28. & lib. 8. Tripartitæ. c. 9.

1.

B

Nouatianorum error. Cyprian. Ambros. August. Damas. Cornel. Fabian. Pacian. Hieron. Euseb. Niceph. Socrat.

In explicando etiam hoc errore magna est varietas. Multi enim patres tribuunt his hæreticis, quòd negauerint non solùm potestatẽ Ecclesiæ ad remittenda peccata post baptismum cõmissa, sed etiam dixerint coram Deo esse irremissib ilia per pœnitentiã, vt suprà suo loco vidimus. Alij verò (vt Ruardus notauit art. 5.) dicunt eos non negasse fructum interioris pœnitentiæ apud Deum, sed solùm apud Ecclesiã, negando illi hanc potestatem, & consequenter etiam negando sacramentum pœnitentiæ. Et quidam asserunt, Nouatum in principio non negasse hanc potestatem

2.

C

ſtatē circa omnia peccata, ſed ſpecialiter circa peccatum negantium Chriſtum in tormentis, & propterea dixiſſe, huiuſmodi lapſos nunquàm eſſe admittendos ab Eccleſia ad communionem, ſed monendos eſſe vt pœnitentiam agant, remiſſionem verò talis peccati Deo committendam eſſe. Poſteà verò diſcipulos eius hoc extendiſſe ad omnia peccata. Ita ſumitur ex lib. 2. Tripartitæ, c. 13. & Nicephoro libro 8. cap. 20. & lib. 11. cap. 14. & lib. 14. cap. 24. Hieronymus autem epiſt. 95. dicit, Nouatum quidem priùs id docuiſſe de peccato ad mortem; poſteà verò ad omnia peccata ſuum errorem ampliaſſe. Et ibi tribuit eundem errorem Montano. Ambroſius verò libr. de Pœnit. cap. 2. & 3. potiùs è contrario dicit Nouatum in principio generalem docuiſſe errorem, diſcipulos verò poſteà leniiſſe.

3. Vualdenſ. In hunc errorem conſenſerunt poſteà omnes hæretici qui claues Eccleſiæ negarunt, vt Vualdenſes, Vuicleph, & Ioannes Hus, vt refert Vualdenſis lib. 2. doctrinalis fidei, c. 144. & ſequentib. & tom. 2. de ſacramentis, c. 135. vbi Maſilianis & Iacobitis eundem errorem tribuit ex Damaſceno lib. de hæreſibus. Idē Epiphanius hæreſ. 80. & Guido Carmelita lib. etiam de hæreſibus, Lutherani denique, & omnes nouatores ſeu recentiores hæretici eandem hæreſim excitarunt: nam præter poteſtatem concionandi, & baptizandi, non agnoſcunt in Eccleſia aliam poteſtatem remittendi peccata, quæ per ſolam fidem tolli dicunt, & per cōtritionem vel Baptiſmum ſolùm quatenus excitant fidem, vt videre eſt in Rofenſe ab ar. 3. vſque ad 15. Ruardo etiam ar. 3. & ſequentib. & Prateoſo verb. *Lutherani*, Bellarmino & aliis. Fundamentum eorum eſt, quia hæc poteſtas non colligitur ex Scriptura, quod eſſe falſum ſtatim oſtendam. Et illatio etiam eſt fundata in errore, quia non ſolùm ea, quæ in Scriptura continētur, ſed etiam alia, quæ ex traditione habētur, & ab Eccleſia definiuntur, eandē fidei certitudinē habent, vt cōſtat ex materia de fide.

Damaſc. Epiphan.

Rofenſ. Ruard. Prateol. Bellarm.

---

## *Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa.*

## ASSERTIO I.

4. DICENDVM ergo eſt primò, Chriſtum Dominum reliquiſſe Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturalem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum cōmiſſa, Eſt de fide definita in Concilio Conſtantienſ. ſeſſ. 8. & 15. & in Lateranenſi in capit. *Firmiter*, de Summ. Trinitat. & in Florentino in literis vnionis ſub nomine Clauium: expreſſiùs verò in Tridentino, ſeſſ. 14. capite primo, can. 3. In Euangelio duo ſunt præcipua teſtimonia, in quibus hæc veritas fundatur. Primū eſt Mat. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorū: & quodcunque ligaueris, &c.* Aliud eſt Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* In priori fit promiſſio Petro tanquàm capiti, tamen per illum deriuanda erat, ſeu communicanda poteſtas aliis ſacerdotibus. Et ideò Matth. 18. generaliùs fit illa promiſſio toti Eccleſiæ. In alio verò loco fit collatio poteſtatis, vt conſtat ex verbo illo, *accipite*, & ideò hic poſterior locus in diſcurſu huius materiæ diligenter expendendus eſt.

Concil. Conſtan. Conc. Lateran. Cōc. Florēt. Cōc. Tridēt Matth. Ioan.

5. Hæretico tū cuaſio. Reſpondent autem hæretici, poteſtatem ibi conceſſam non eſſe aliam à poteſtate prædicandi Euangelium: nam, quia per fidem remittuntur peccata, & per Euangelij prædicationem fides concipitur; ideò poteſtas prædicandi Euāgelium dicitur à Chriſto dari ad remittenda peccata. Sed hæc interpretatio in primis eſt omninò voluntaria præter verborum proprietatem: ſi autem hoc modo liceret Scripturā eludere, nullum fidei dogma ex illa confirmari poſſet. Secundò, eſt contra perpetuam Eccleſiæ traditionem, cuius initium ignoratur, quod eſt ſignum Apoſtolicæ traditionis: nullus autem meliùs potuit nobis ſenſum verborum Chriſti aperire, quàm ipſi Apoſtoli. Tertiò, Patres omnes ita exponunt, partim ſuper illum locum, partim aliis. Chryſoſtomus hom. 70. ad populum, & Hieronymus tomo 3. epiſt. 150. ad Ediuiam, q. 9. in fine, vbi dicit, illis verbis datum eſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis quantùm ad ſpecialem poteſtatem remittendi peccata. Idem Anaſtaſius in quæſtionibus ſacræ Scripturæ, quæſt. 79. in 6. tom. Bibliothecæ. Ambroſius lib. 10. in Lucam, ferè in vltimis verbis. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, p. 14. c. 1. & alij, qui in citatis Auctoribus modernis videri poſſunt. Quartò, quamuis verbū illud, *remittendi peccata* aliquo modo applicari poſſit ad prędicationē Euangelij; verbum illud *retinendi* non poteſt: vnde illud maximè indicat poteſtatem ſpecialem & iudiciariam, vt infrà declarabo. Quintò, poteſtas prædicandi, quatenus eſt ſpeciale quoddam ius datum Eccleſiæ à Chriſto Domino ad propagandum Euangelium, propriis & diſertis verbis data eſt ab illo Matth. vltim. & Marci vltim. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Nam in his, quæ pertinent ad fundaméta Eccleſiæ, Chriſtus Dominus hoc ſemper ſeruauit, vt propriis verbis vteretur: & ſimiliter ad illud munus exercendum peculiaria Spiritus ſancti dona in die Pentecoſtes receperunt, ad alium ergo finem, & cum alia poteſtate per illa verba Spiritus ſanctus illis datus eſt Ioann. 20. Quatenus verò illa poteſtas dicit ſolùm facultatem inſtruendi proximum ad fidem, ſic non eſt ex ſpeciali conceſſione: nam in quolibet poteſt eſſe hæc facultas, ſi alioqui ipſe ſit in fide ſatis inſtructus: atque hoc modo poteſtas remittendi peccata eſſet in omnibus, quia omnes poſſunt alios ad fidem, & ad pœnitentiam, vel charitatem exhortari, quod planè abſurdum eſt.

Chryſoſt. Hieron. Anaſt. Ambr. Hugo Victo Matth. Marc.

6. Alia hæreticorū euaſio. Secundò reſpondent hæretici, Chriſtum Dominum locutum fuiſſe in verbis illis de poteſtate baptizandi: nam Baptiſmus datur in remiſſionem peccatorum. Cui expoſitioni interdum videntur faoere Sancti, vt videre licet in Cypriano epiſtola ſeptuageſimatertia & ſeptuageſimaſexta, & Chryſoſtomo homo. 6. in ſecundā ad Corinthios, in fine literæ, ante partem moralem, & Iſidor. li. 2. de diuinis officiis, c. de Baptiſmo. Quę quidē interpretatio, ſi intelligatur per extenſionem quādam, ſcilicet ſub ea poteſtate comprehendi poſſe poteſtatem remittendi peccata per Baptiſmū, tolerabilis eſt, propter auctoritatem dictorum Patrum, & Auguſtini lib. 2. contra Parmen. c. 11. vbi generaliter dicit hāc poteſtatem exerceri per doctrinam & ſacramenta. Et lib. 50. homil. in 23. idē ſignificat. Vnde Cōc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. licēt in fine priorem hæreticorum fugam damnet, de hac verò interpretatione nihil dixit.

Cyprian. Chryſoſt. Iſidor. Auguſt. Concil. Trident.

7. Improbatur. Nihilominus tamen hæc expoſitio intellecta excluſiuè, id eſt, ſermonem ibi eſſe de ſola hac poteſtate, & non præcipuè de poteſtate ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, falſa eſt, & hæretica, vt cōſtat ex definitione Concilij Tridentini ibidem, & ex traditione Eccleſiæ, & Sanctorum expoſitionibus, præſertim Cyrilli 12. in Ioann. c. 55. vbi dicit, Chriſtum illis verbis ordinaſſe Apoſtolos orbis Doctores, & diuinorum myſteriorum miniſtros. Et ſubdit homnies remittere peccata, quia Spiritus ſanctus per eos remittit. Quod fit, inquit, duobus modis: primùm Baptiſmo, deinde pœnitentia. De eadem poteſtate

Cyril.

Chrysost. testate exposuit illa verba Chrysostomus homil. 85. in Ioannem, vbi tamen inferiùs subdit, nunc non esse dicendum, *Super cathedram Moysis*: sed, *super cathedram Christi*, sederunt sacerdotes, quia eius acceperunt doctrinã. Vnde hæretici colligunt potestatẽ hanc in sola doctrina consistere: sed prauè & sine fundamento. Sensus est enim, ab illo habere sacerdotes Euangelicos cathedram, & potestatem, à quo fluxit & manauit doctrina Euãgelica. Vnde idem Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, non longè à principio, præter Baptismum dicit apertè esse in sacerdotibus Euangelicis potestatẽ remittendi peccata, quam eloquenter exaggerat. Augustinus etiam li. 1. de Adult. August. coning. c. vlt. distinguit à Baptismo remissionẽ peccatorum, quæ post Baptismum datur, & *reconciliationẽ* vocat *& arrham pacis*. Et lib. 2. c. 9. dicit per claues Ecclesiæ remitti peccata. Et idem sensit serm. 11. de verbis Domini, & in Enchiridio, c. 65. & lib. de ver. & fals. pœnit. c. 9. & 10. Vbi etiam sacramentalis confessionis meminit: & hanc potestatem significatã esse à Christo dicit, cùm Lazarum suscitatum iam tradidit soluendum Apostolis: & de hac potestate intelligit verba Matt. 18. *Quodcunque solueritis super terram, &c.* Idem tract. 22. in Ioan. & lib. 1. contra aduers. leg. & Prophet. c. 17. explicat optimè has claues Ecclesiæ, & lib. de Agone Christiano, ca. 30. & 31. & 1. de Doctrina Christiana, c. 17. & 18. Vnde cùm idem Augustinus tract. 121. in Ioan. dicit, per charitatem Ecclesiæ remitti peccata, quia illis tantùm remittuntur, qui per charitatem Ecclesiæ coniunguntur, quod repetit li. 7. de Baptismo. c. 51. intelligẽdũ est, nõ solùm quòd per merita vel orationes Ecclesiæ remittantur aliis peccata, sed per propriam potestatem ad hoc concessam à Christo; quæ tamen non est data Ecclesiæ, nisi propter eos, qui sunt membra eius, & per fidem, & suo modo per charitatem illi coniunguntur: tãtùm enim vult docere illis locis Augustinus schismaticos non posse extra Ecclesiam consequi remissionem peccatorum.

8. Ex aliis Patribus probatur assertio. Ambros. Prætereà Ambrosius lib. 2. de pœnitentia, c. 7. variis exemplis confirmat, & credibilem facit hanc potestatem, & libr. 3. de Spiritu sancto, c. 19. Vbi tamen exponens hunc locum Ioannis, habet hęc verba, *Homines in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent*. Sed intelligenda sunt, id est, non propria & principali virtute remittunt, sed ministeriali. Vnde subdit, *Neque enim suo, sed Spiritus sancti nomine remittunt*. Quomodo de eadem re loquens, dixit Anastasi. Nicen. in Quæstio. sacræ Scrip. q. 6. *Et si ergo sit homo, qui audit confessionem, Deus est tamen, qui per se conuertit, & donat*, & ibi rectè explicat prædicta Christi verba. Item in eodem sensu dixit Pazian. Pazianus dict. epist. 3. *Quod ego facio, non meo iure facio, sed Domini: Dei enim adiutores sumus*. Et ibi expressè distinguit hanc potestatem à potestate baptizandi: & bene hoc confirmat, quia hæc potestas supponit Ecclesiam constitutam, & cadit in illam, & membra eius. Ad quod ponderat, Christum Matt. 17. priùs dixisse Petro, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & posteà, *Et tibi dabo claues. Et quodcunque ligaueris*: & Matt. 18. priùs dixisse, *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, &c.* & deinde, *Quæcumque alligaueritis, &c.* At verò Ecclesia Christi propriè constat hominibus August. baptizatis. Vnde Augustinus 20. de Ciuitate, cap. 6. explicans claues, dicit illas esse in præpositis Ecclesiæ circa subditos, citans illud 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* at verò potestas baptizandi exercetur circa non subditos, & existentes extra Ecclesiam, vt Ecclesiæ aggregentur. Ideóque dicunt Theologi, hanc potestatem esse super corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia, ac proinde



A supponere Baptismum, vt Ecclesiæ ianuam. Eandem veritatem docuit Athanasius orat. in illud; *Ite in ca-* Athanas. Hilar. *stellum quod contra vos est*: & Hilarius ca. 16. in Matth. circa illa verba capite septimo, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Origenes etiam homil. 14. in Matt. ad Origen. hunc modum exponit in sensu allegorico verba illa Christi, *Soluite, & adducite mihi*. Vnde cùm homil. 24. in Numer. dicit Christum soluisse peccata potestate, alios verò sanctos precatione, loquitur de remissione, quæ fit per modum meriti, vel satisfactionis, non de illa, quæ fit per ministerialem potestatem, vt planè constat ex contextu. Alios Patres infrà referã. Ex his ergo satis explosa est peruersa hæreticorum expositio, & veritas confirmata: & obiter etiam exposui nonnulla quæ ex Patribus obiiciuntur ab hæreticis: & alia in sequentibus tractabo.

B Et hoc etiam potest confirmari ex proprietate ipsorum verborum: nam verba Christi non limitantur 9. Ratione sua detur conclusio. ad peccata infidelium, sed generalia sunt. Item hîc habet locum ratio priùs facta, quòd potestas baptizandi iam priùs data erat Apostolis, nam in virtute Christi iam baptizabant: speciale verò ius ad baptizandum vniuersum orbem receperunt Matth. vlt. vel hîc etiam illis verbis, *Ecce ego mitto vos, &c.* Per alia ergo verba singularis quædam potestas ad remittenda peccata eis data est. Denique ratio seu congruentia facilè ex dictis sumi potest: nam Christus Dominus reliquit specialem quãdam potestatem ad remittenda peccata hominum infidelium, qui non sunt mẽbra eius, quæ per Baptismum exercetur: ergo fuit cõueniens vt relinqueret etiã potestatem specialem ad remittenda peccata membrorum eius fidelium, quæ non potest esse ipsamet potestas baptizandi: quia nec Baptismus iterari potest, nec præcedens Baptismus habet efficaciam in ea peccata, quæ post ipsum susceptum cõmittuntur. Consequentia probatur, quia non minùs erat possibilis hæc potestas, quàm prior, quia nec est principalis quę est propria Dei (quo verbo expediuntur multa, quæ contra hanc potestatem hæretici obiiciunt) nec est potestas excellentiæ, quæ est propria Christi, sed ministerialis, & communicabilis Christi ministris. Neque etiam est minùs necessaria hominibus baptizatis hæc potestas, quia sunt fragiles, & facilè cadunt à gratia baptismali. Pertinuit etiam hæc potestas ad perfectionem legis gratiæ, & ad ostensionem iustitiæ, & efficacitatis meritorum Christi, cùm non solùm per seipsum, & per potestatem excellentiæ, sed etiam per suos ministros & ministerialem potestatem illis communicatam possit peccata remittere.

---

*Potestatem hanc esse per modum iudicij.*

## COROLLARIVM.

E 10. EX quibus facilè etiam colligitur, potestatem hanc esse iudiciariam, seu per modũ iudicij exercendam: quod etiam est de fide, vt constat ex Conc. Trid. sess. 14. c. 1. Conc. Trid. vbi propterea can. 9. definit absolutionem esse actum iudicij & sententiæ prolationem. Quod etiam maximè confirmatur ex traditione Ecclesiæ, quæ in illis verbis semper intellexit, constituisse Christum Dominum in Ecclesia sua quoddam tribunal, & reliquisse iudices, apud quos peccatorum, & conscientiarũ causę tractarentur: quod verba illa Christi *remittendi & retinendi peccata, ligandi, & soluendi*, satis indicant: vt disputat. seq. sect. 2. latiùs expendam. Rectèque notauit Ambros. li. 1. de Pœn. c. 2. vbi ait, hãc Ambros. potestatem esse ad vindicanda peccata, quod spectat

Gregor. Hieron. ctat ad iudicē: vt optimè etiā explicat Greg. homil. 26. in Euang. Et ideò dixit Hieron. epist. 1. *Sacerdotes habentes claues ante diem iudicij iudicant.* Quam sententiam vsurpauit Anterus Papa in sua epist. Decretali. Et optimè Leo Papa epist. 89. aliàs 91. vbi ait, datam esse sacerdotibus potestatem, *vt fideles ad cōmunionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admittant.* Deniq; Bern. serm. 1. de sanctis Petro, & Paulo, *Quid*, inquit, *Petro potentius, qui claues cœlitam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiā cœli?* Non quòd hæ sint propriæ duæ sententiæ: vna enim tantùm est, quæ principaliùs est à Deo, & in hoc genere prior, sed dicitur hominis sententia præcedere, vel quia exterior absolutio ordine naturæ antecedit interiorem, vel quia proximè inchoatur, & quasi definitur sententia à sacerdote, & infallibiliter consequitur effectum, & rata habetur in cœlo.

Anter. Papa. Leo Pa. Bernard.

11. Ratione ostenditur. Ratio verò seu congruentia sumitur ex Concilio Tridentino, & ex his, quæ suprà tetigimus circa effectus pœnitentiæ, agendo de remissione pœnæ tēporalis. Nā conueniens fuit lōgè aliter remitti peccata ante Baptismum commissa, & quæ post illum committūtur: nam illa priora remittuntur per modum regenerationis, & ideò prorsus delentur, & magna facilitate. Item, quia illa peccata cōmittūtur ante illuminationē fidei; & ideò ex parte habēt aliquā excusationem, propter quā facilior venia de eis cōceditur. At verò peccata commissa post Baptismum, & fidei illuminationem ex eo capite grauiora sunt, & medicinam postulant acerbiorem, vt ponderauit Paulus ad Hebræos 6. & 10. ac propterea remedium aduersùs hæc peccata per modū iusti iudicij institui debuit. Quod etiā expediebat, ne hominibus Christianis ex facilitate veniæ peccādi occasio dari videretur. Potestas ergo ad remittenda hæc peccata iudiciaria est. Et in hoc fūdātur ferè omnia, quę ad sacramentum ritè exercendum necessaria sunt, videlicet, vt minister iurisdictionē habeat, causā cognoscat, & examinet: quod non potest facere nisi prævia accusatione peccatorum: ac tandem vt supplicium & pœnam imponat, & absoluat: de quibus in sequentibus dicendum erit. Per quæ satis responsum est ad hæreticorum fundamentum.

Paul.

12. Hereticorū obiectio. Sed adhuc obiiciunt contra fundamentum positum ex verbis Christi, confirmando suam falsam expositionem, ex Luc. vlt. vbi dicit Christus oportere prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionē peccatorū: vbi clarè loquitur de remissione peccatorum, quæ fit in Baptismo: ergo de eadē loquitur in dictis verbis Ioan. 20. nam eadem die vtraq; verba dixit, teste Augustino li. 3. de consensu Euāgelistarum, c. 25. Respondetur, quidquid sit de hoc vltimo, quòd incertum est argumentum esse nullius momēti, tum quia eadem die, imò eadē apparitione potuit Christus multa & varia docere: tum maximè quia falsum etiā est, verba illa Luc vlt. limitari ad pœnitentiā Baptismalem, & remissionem peccatorū, quæ fit in Baptismo: non enim solis infidelibus, sed etiam fidelibus & Baptizatis prædicanda est pœnitentia & remissio peccatorum in nomine Christi: vnde potiùs argumentum retorqueri potest.

August. Diuitur.

## SECTIO II.

*Vtrùm hæc potestas sit ad remittenda peccata quoad culpas, vel tantùm quoad pœnas: & quos actus habeat.*

1. VT grauium Doctorum opinio, per hanc potestatem non posse remitti peccatorum culpas, sed solùm declarari remissas, & remitti pœnas. Et in hoc vltimo est quædam diuersitas. Nam quidam dixerunt hanc potestatem solùm esse ad remittendam pœnam temporalem: alij verò ad æternam. Priorem opinionem tenuit Magister sententiarum in 4. d. 16. & 18. Altisiodorensis lib. 4. Sūmæ, tract. 6. c. 8. Alex. Alens. 4. p. q. 80. aliàs 21. memb. 1. Bona. d. 18. ar. 2. q. 1. & 2. & ibi Gab. q. 2. & d. 14. q. 2. Maior q. 2. & 18. q. 2. 1. & ibi Tho. de Argent. art. 3. Okan 4. q. 9. Abulens. 1. p. defensoris, c. 6. & Adrianus quodl. 5. a. 3. probabilem censet hanc opinionem licèt dubiam.

Prima opinio. Magist. Altis. Alens. Bonau. Gabriel. Maior. Tho. de Argen. Okan. Abulen. Adrian.

Fundamentū eius duplex est. Primū, quia remittere peccatū, quoad culpā, est proprium solius Dei: nā præcipua ratio culpæ cōsistit in iniuria Dei, & ideò ad illū solū spectat culpā remittere. Secundū ac præcipuū est, quia hæc potestas ante actionē suā sēper supponit culpā remissā: ergo nō est data, neq; instituta ad culpas remittendas: quia nulla potētia actiua ordinatur ad aliquē effectū, quē semper supponat iā factū, alioqui superflua esset: hæc autē est quędā actiua potentia, nō est ergo propter effectū, quē semper supponit factū. Antecedens patet, quia hæc potestas, vt aliquid agat, supponit in subiecto interiorē pœnitentiā, & contritionē, sine qua non potest remitti peccatū, & ea posita, statim tollitur: vtrūq; enim est in superioribus à nobis probatum. Vnde potestatem hanc, & actionem eius inquiūt dicti Doctores significatā esse à Christo Domino Ioan. 11. vbi priùs ipse solus suscitauit Lazarū, deinde tradidit discipulis soluendū: sic aiunt, solus Deus suscitat animam per cōtritionem, remittēdo culpā; cōmittit autem Ecclesię potestatem soluēdi vincula pœnarum, quæ manent. Et videtur expositio diui Augustini tract. 22. & 49. in Ioānem, & sermon. 8. de verbis Domini, Cyrilli, vel potiùs Clictouæi li. 7. in Ioan. cap. 23. & Gregor. homil. 26. in Euang. Bedæ Ioan. 11. & ibi D. Thomæ, & aliorum.

2. Secunda verò opinio conuenit cum præcedenti in negando huic potestati effectum remissionis culpæ, propter eadem fundamenta: differt tamen, quia nō solùm affirmat esse ad remittendas pœnas temporales, sed etiā æternas. Ita tenet Hugo Victorinus in Summa sentent. tract. 5. c. 11. & li. 2. de Sacramentis, p. 14. ca. 8. Richardus de S. Victore lib. de potestate ligandi & soluendi, cap. 12. Et ferè idem tenet, Medina Cod. de Pœnit. tract. 2. q. de effectu absolutionis sacramentalis. Nam licèt dicat, per contritionem supponi remissam pœnam ęternam, addit tamē, adhuc esse clausum regnum cœlorum, donec per hanc potestatem apperiatur. Et subdit, *Si ex negligentia peccatoris hoc omittatur, perpetuò excludi à regno*, non tantùm propter negligentiam illam, sed etiam propter peccata priùs remissa per contritionem: vnde sentit pœnam sensus æternam simpliciter tolli, cùm remittitur culpa per contritionem, pœnam verò damni non nisi in ordine ad hoc sacramentum.

Secunda opinio. Hugo Victo Rich. de S. Vict. Medina.

3. Fundamentum huius partis est, quia hæc potestas ad remittenda peccata, vt sit clauis regni cœlorum, oportet vt cœlum ipsum aperiat: ergo est potestas ad tollendum peccatū, quatenus impedit ingressum regni cœlorū: impedit autem per æternā pœnā dāni: ergo est potestas ad tollendam illam. Addit Medina, hoc modo sufficienter intelligi verba Christi, *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis*: nam sæpe pœna peccati peccatum appellari solet: quod maximè verum erit de pœna æterna & damni. Sic etiā optimè quadrat metaphora clauis regni cœlorum. Sic denique salua manet necessitas & efficacitas, tam confessionis quàm contritionis, & ita facilè omnia conciliātur: ita ergo sentiendum est. Quia verò Hugo, & Richard. de vtraque pœna æterna damni, & sensus loqui videntur, fortasse eos mouit quòd hæ pœnæ

4.

cum

cum proportione sumptæ nunquam separantur: & ideò si æterna pœna damni non remittitur, nec pœna sensus absolutè remittitur.

## *Primarium effectum huius potestatis esse, remittere peccatum quoad culpam, & consequenter quoad pœnam.*

5. NIHILOMINVS dicendum est, proprium, primarium, ac per se effectum huius potestatis esse remittere peccatum quoad culpam, & consequenter etiam quoad pœnam æternam, & præterea quoad temporalem iuxta dispositionem pœnitentis. De hac vltima parte non est controuersia inter Auctores: & ideò de illa nihil dicam vsque ad materiam de satisfactione. Rursus secunda pars sequitur necessariò ex prima, & euidenter constat ex dictis de effectu pœnitentiæ virtutis, vbi ostendimus, ablata culpa, necessariò tolli æternitatem pœnæ: & contra secundam sententiam statim ostendetur. Prima ergo pars communis est Theologorum in 4.d.18. præsertim D. Thom. q. 1. art. 3. & d. 22. q. 2. art. 1. quæst. 3. In quibus locis Thomistæ omnes, Paludanus, Capreolus, Ledesma & Soto d. 18. quæst. 3. art. 1. d. 20. q. 2. art. 1. Caietanus tomo primo Opusc. tract. 18. q. 5. & Paludanus 19. d. q. 1. vbi etiam Durand. & d. 14. & ibid. Scot. q. 4. Richard. d. 16. art. 1. & d. 18. art. 2. q. 1. Et in eandem inclinat Adrianus q. 2. de clauibus.

D. Tho. Palud. Capreol. Ledesm. Soto. Caiet. Durant. Scot. Rich. Adrian.

6. Fundamentum primum & præcipuum est, verbum Christi Domini Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quòd enim hæc verba intelligenda sint de remissione peccati quoad culpam, multis modis ostendi potest. Primò ex absoluta & propria significatione verborum, quæ retinenda est quantùm fieri possit, præsertim in his rebus quæ ad fundamenta Ecclesiæ pertinent: nam peccatum propriè non significat solam pœnam, sed culpam: & remissio peccati, simpliciter & absolutè dicta, sonat remissionem culpæ: nam remissio solius pœnæ solùm est remissio peccati secundũ quid. Secũdò, quia huic sensui cõsonant alia verba Christi Domini Luc. 26. *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum*: nam ibi sine dubio loquitur de remissione culparum, & agit de prædicanda pœnitentia propria legis gratiæ, quæ est per subiectionem ad claues Ecclesiæ, & ad hanc potestatem.

Probatur assertio ex Io. 20.

Idem ex Luc. c. 26. suadetur.

7. Tertiò ex Mat. ostenditur. Tertiò ex Matth. 16. & 18. retorquendo fundamentum secundæ sententiæ. Nam ibi promisit Christus Dominus Petro, & aliis Apostolis claues regni cœlorum: & addidit, *Quodcumque ligaueris, & quodcunque solueris, &c.* Vnde constat, hanc potestatem sub clauibus contineri: ergo per illama peritur, & clauditur, vel potiùs clausum relinquitur regnum cœlorum: propriè autem tunc alicui aperitur regnum cœlorum, quod antea per culpam clausum erat, quando culpa remittitur, quia tunc datur ei ius ad regnum, ratione cuius ad illud acceptatur: ergo hæc clauis seu potestas per se primò est ad hunc effectum. Adde (quod paulò antea dicebam) fieri non posse secundùm legem ordinariam, vt remittatur culpa mortalis, & maneat vllo modo reatus pœnæ æternæ, seu exclusio à regno cœlorũ: ergo si hæc potestas habet vim ad admittendum, & excludendum à regno, habet etiam vim circa radicem & fundamentum huius exclusionis, quod est sola culpa. Expendo præterea in illis verbis signum distributiuum, *Quodcunque solueris*, quia sub illo comprehendi potest & culpa, & pœna: ergo, cùm Christus illud absolutè protulerit, ita intelligendum est. Quartò,

Quartò probatur ex Apocal.

consonat alius locus Apocalyp. 3. vbi de Christo dicitur habere clauem ad aperiendum & claudendum regnum cœlorum: quæ clauis sine dubitatione vlla includit potestatem excellentiæ ad remittendas, non solùm pœnas, sed etiam culpas: at verò Christus communicauit Apostolis participationem illius clauis seu potestatis: ergo quoad vtrúmque effectum communicauit. Patet consequentia, tum ex similitudine metaphoræ & verborum, tum ex verbis illis, quæ præmisit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

8. Quintò suadetur ex traditione Ecclesiæ, & doctrina Cõciliorum. Conc. Flor. Conc. Constantienſ. Conc. Trid. Pau.

Quintò constat hic sensus ex traditione Ecclesiæ, & doctrina Conciliorum, præsertim Florentini in literis vnionis, & Constantiensis in bulla Martini 5. contra errores Ioannis Hus: maximè verò Tridentin. sess. 14. c. 1. vbi ait, ex illo tam insigni facto, & perspicuis verbis constare Christum *dedisse Apostolis potestatem reconciliandi homines cum Deo*: homines autem non reconciliantur Deo per remissionem solius pœnæ, sed culpæ: nam reconciliari est in amicitiam restitui. Sic enim Paulus 2. ad Corinthios 5. ait, *Posuit in nobis ministerium reconciliationis*, id est, vnionis & amicitiæ hominum cum Deo. Vnde idem concilium, eadem sess. capite 3. docens, hanc reconciliationem fieri per efficiam huius potestatis, & sacramenti, subdit, ad illam consequi solere *conscientiæ pacem & tranquillitatem*, quæ propriè sequitur ex remissione culpæ, & cap. 4. ait, quando contingit hominem per contritionem iustificari, Deóque reconciliari, *ipsam reconciliationem non esse adscribendam contritioni sine voto sacramenti, &c.* Vnde constat & *reconciliationis* nomine intelligere Concilium ipsam culpæ remissionem, & sanctificationem, & docere, hanc ipsam esse proprium effectum huius potestatis clauium. Idem sumitur ex eodem Concilio, can. 2. 3. & 9. eiusdem sess. & sess. 6. c. 14. quæ omnia loca conferenda sunt, & ponderanda. Quod in sequentibus iterum faciemus agentes de forma, & de dispositione necessaria in hoc sacramento.

9. Sextò ex Decretis, & Patribus conuincitur.

Sextò sumitur optimum argumentum ex antiquis Decretis, & Patribus præcipientibus, vt hominibus existentibus in articulo mortis, & petentibus à sacerdote remissionem peccatorum, eam non deneget, ne illos exponat periculo æternæ damnationis: supponunt ergo à sacerdotibus remitti ipsam culpam: nam æterna damnatio solùm est propter culpam. Huiusmodi autem Decreta ex Iulio, & Cælestino Põtificibus, & ex Concilio Africano, & aliis, inueniuntur 26. q. 6. c. *Si Presbyter*, & sequentibus. Et similem doctrinam habet Augustinus epist. 180. vbi dicit, tempore persecutionis pastores non debere oues deserere, quia eo tempore alij petunt Baptismum, & alij reconciliationem per pœnitentiam. Et subdit, *Vbi si ministri desint, quantum exitium sequetur eos, qui de hoc seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Vnde Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, cap. 4. differentiam constituens inter sacerdotes legis veteris & nouæ, dicit illis licuisse leprosos, non purgare quidem, sed purgatos probare: *At verò nostri sacerdotibus*, inquit, *non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus, concessum est.* Et Ambrosius libr. 1. de Pœnit. cap. 7. *Vult*, inquit, *Christus plurimum posse Discipulos suos, vult à seruis suis nomine suo ea fieri, quæ ipse faciebat in terris.* Et infrà: *In Baptismo remissio omnium peccatorum est. Quid interest vel per pœnitentiam, vel per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent?* Et eodem sensu libr. 2. de Cain, & Abel, capite 4. dicit remitti peccata per officium sacerdotis, sacrumque ministerium. Hoc ipsum etiam sensit Hieronymus epist. 150. Et confirmant multa ex adductis in præcedenti sectione: ex quibus colligitur communis consensus Patrum, quem Tridentinum citauit.

Ca. Presbyter. cũ sequẽ tibus. 26. q. 6. Auguſt. Chryſoſt.

Ambr.

Hier.

10. Ratione ostenditur assertio.

Vltimò declaratur hæc veritas ratione, refellendo simul duas priores sententias. Nam hæc potestas non est ad remittendum solam pœnam temporalem; ergo æternam, ergo etiam culpam. Antecedens (præter omnia dicta) probatur variis coniecturis. Primò, quia aliàs talis potestas esset valdè imperfecta & limitata in illo ordine: Christus autem in illis verbis, *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum*, clare significauit se concedere Apostolis excellentem quandam & perfectissimam potestatem. Vnde argumentor secundò, quia aliàs colligi non posset ex vi illius potestatis conferri hominibus gratiam aliquam sanctificantem: quod est contra veritatem huius sacramenti. Sequela patet, quia ad remittendas pœnas temporales non est necessaria infusio gratiæ: vnde per indulgentias remittitur pœna, & non datur gratia vltra meritum operantis. Ex quo fit tertiò, vt talis potestas parum sit necessaria: quia ad remissionem pœnæ sunt alia multa remedia & faciliora: & consequenter ex vi illorum verborum, *Quorum remiseritis peccata, &c.* vix aut nullo modo posset colligi sacramentum pœnitentiæ esse medium necessarium ad salutem, quia remissio pœnæ temporalis nõ est necessaria, quatenus in hac vita fit. Quartò, quia Baptismus non est institutus ad remittendam solam pœnam temporalem; ergo neque hęc potestas: nam hæc duo sacramenta in hoc æquiparantur à Concilio Tridentino, sess. 6. c. 14. & sess. 14. cap. 1. Quia sicut Baptismus est propter remissionem peccatorum, quæ ante illius susceptionem committuntur, vel cõtrahuntur; ita hoc sacramentum, seu hæc potestas est propter remissionem peccatorum, quæ post Baptismi susceptionem commissa sunt. Item, quia sicut Baptismus est veluti nauis seu arca liberans à diluuio, vt Petrus 1. Canonic. significat; ita (ex Patrum sententia) pœnitentia est secunda tabula post naufragium: si autem culpas non auferret, nec reatum pœnæ æternæ, non esset remedium necessarium ad vitam æternam consequendam. Dices, esse secundam tabulam ratione contritionis. Sed hoc repugnat Tridentino dicenti, contritionem sine sacramento, vel voto eius nõ habere hunc effectum. Et ideò Concilium Florentinum in Decreto Eugenij remissionem peccatorum dixit esse rem huius sacramenti, id est, effectum. Et Tridentinum, sess. 14. c. 1. addit, præcipuam efficaciam sacramenti ad hunc effectum consistere in absolutione, quæ est actus huius potestatis.

Triden.

Petr. 1. Cano.

Euasio eluditur.

Conc. Flo.

Trident.

11. Soluuntur fundamenta secundæ sententiæ.

Et ex his facilè probatur altera pars, seu secunda consequentia: nam rationes adductæ, præsertim secunda, & quarta, de culpa procedunt. Et præterea est manifesta ratio, quia pœna æterna nunquàm remittitur per se primò ipsa sola, sed simul cum culpa, tanquàm necessariò cum illa coniuncta, & ab illa pendẽs quantũ ad æternitatem. Quod manifestè docuit Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 14. Et ideò diximus, secundùm fidem simul cum culpa remitti æternam pœnam. Dicere autem per contritionẽ culpam absolutè remitti, pœnam autem æternam solùm sub conditione hac, *nisi sacramentum neglexerit*, alienum est à modo loquendi Scripturæ, & Sanctorũ, & nouũ, ac sine fundamẽto. Præsertim cùm Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 4. doceat etiam ipsam culpã non remitti nunc in lege noua per cõtritionẽ nisi in ordine ad claues, & cum voto sacramenti: ergo etiam remissio culpæ includit aliquo modo cõditionem, non tamen vt pendentem ex futuro euentu, sed ex præsenti proposito. Quapropter sicut, si posteà ex negligentia culpabili non impleat quis conditionem, subiiciendo illa peccata huic potestati, peccat quidem, & amittit gratiam, priora autẽm peccata non redeunt; ita etiam in eodem casu punietur pœna æterna propter nouum peccatum, non tamẽ propter præcedentia, priùs remissa, quia nõ magis remissio æternæ pœnæ facta est cum dependentia à futuro effectu, quàm remissio culpæ: nec per contritionem ante sacramentum minùs remittitur pœna æterna, quàm in lege veteri remitteretur: derogat enim hoc contritioni, & perfectioni legis gratiæ, estque sine fundamento confictum.

Conc. Tr.

Beda. Gregor.

Atque ex his satis responsum est ad secundã sententiã. Primum verò fundamentum primæ opinionis æquè procedit cõtra ipsã: nã etiã solus Deus potest pœnã temporalem remittere: si propria auctoritate, & tanquàm principale agens id faciat: si autẽ loquamur de remissione per ministeriũ, sicut Deus cõmittit homini tanquàm ministro, & instrumento suo iudicium de pœnis, ita etiam de culpis, & vtrarumque remissionem, vt videre licet suo modo in Christo Domino vt homo est. De secundo fundamento illius sententiæ ex professo infrà disputandũ est: nũc breuiter dico, & falsum assumere, quia sine perfecta contritione possunt aliquando peccata tolli per hãc potestatem, & malè colligere, quia etiam illa peccata, quæ tolluntur per contritionem, non tolluntur sine ordine ad hanc potestatem, quæ per se ordinata est ad illa etiam tollenda.

12. Satisfit fũdamentis prioris sententiæ.

Patres autem in testimoniis ibi citatis, primò intendunt Deum esse, qui sua virtute animã viuificat; vti autem hominibus vt ministris. Et hoc etiam significatum est in facto illo Ioann. 11. tamen ibi per actiones diuersis temporibus factas illa repræsentatio facta est, quia non poterat corporaliter fieri alio modo; tamen in re ipsa satis est, quòd homo per hanc potestatem non operatur sua virtute, sed diuina, vt explicauit D. Thomas suprà 3. p. q. 84. art. 3. ad 3. Prætereà etiam intendunt Sancti docere, Deum priùs sua gratia excitare interiùs hominem ad pœnitentiam, & vitam spiritualem comparandam, vt posteà possit à sacerdotibus absolui: non tamen dicunt semper necessarium esse, vt propter illam excitationem præcedat semper vera contritio, vel iustificatio. Nam Augustinus citatis locis, & lib. 50. homil. in 17. sentit peccatorem à Domino excitatum per internam pœnitentiam, licèt sit aliquo modo viuificatus, non tamen esse plenè solutũ aut liberũ ad ambulãdũ: quia licèt habeat aliquem vitæ motũ, quẽ solus Deus infundere potest per contritionẽ, vel attritionẽ, non tamen est plenè liber, quia vel nondũ est verè iustificatus, vel certè non sine ordine ad claues sacerdotum, apud quos est potestas per se efficax ad remittenda peccata. Et hoc sensu dixit etiam Augustinus conc. 2. in Psalm. 101. Ecclesiam quidem posse dare absolutionem peccatorum; mortuum autem suscitari non posse, nisi clamante Domino: suscitationem enim vocat ipsam voluntatem pœnitendi efficacem, & cum vero dolore, siue contritionis siue attritionis, vt dixi. Quod etiam expressiùs significauit Beda Ioan. 11. Gregorius autem obscuriùs loquitur, dum ait, sacerdotes auferre pœnam. Piè tamẽ explicãdus est, quòd virtutẽ clauium explicauerit per effectũ nobis notiorẽ, nõ verò aliũ excluserit.

13. D. Tho.

Augustin.

14. Hieron.

Et iuxta hæc etiam explicanda sunt difficilia verba Hieronymi Matt. 16. vbi æquiparare videtur legales, & Euangelicos sacerdotes, quòd sicut illi inter lepram & lepram discernebant, lepram autem auferre non poterant, ita & hi se gerant circa peccata. Sẽsus enim Hieronymi non est, negare simpliciter hãc potestatem, sed docere, non esse positum in arbitrio sacerdotis tollere aut retinere peccata, quando, vel quomodo voluerit, quasi possit *vel damnare innoxium, vel absoluere prauum* & indispositum: quem abu

abusum ibi grauiter reprehendit. Et quoad hoc comparat sacerdotem Euangelicum cum legali, quòd sicut ille non poterat suo arbitrio discernere inter lepram & lepram, sed iuxta merita causæ, ita nec sacerdos Euangelicus iudicare debet, aut potest de peccatis iuxta suum beneplacitum, sed iuxta personarum dispositionem. Quoad potestatem verò non facit eos æquales: nam de sacerdote legali solùm dicit potuisse discernere quis esset mundus vel immundus, de Euãgelico verò ait; audita peccatorum causa, posse ligare, & soluere. Comparat igitur illos secundùm quandam proportionalitatem, non secundùm æqualitatem, vt rectè notarunt Ruardus artic. 3. & Castro contra hæreses verb. *Absolutio*, hæres. 1. Et satis confirmari potest ex citata epist. Hieronymi 150. q. 9. vbi ait, accepisse Apostolos Ioan. 20. potestatem remittendi peccata, & faciendi filios Dei adoptiuos.

Ruard. Castro.

A

B

## *Duo actus huius potestatis explicantur.*

15. ATQVE ex his facile posset explicari duo actus huius potestatis, quos Christus Dominus indicauit per verba *remittendi & retinendi peccata*: & per verba *soluendi, & ligandi*: vtrumque enim verbum potest & ad culpam simul cum æterna pœna, & ad temporalem pœnam referri. Priori modo actus per se intentus, & propter quem primariò datur hæc potestas, est vera remissio & ablatio culpæ, quod fit per propriã & positiuam actionem. Vnde fit ad hunc actum pertinere collationem gratiæ sacramẽtalis, expulsiuę culpę mortalis, quia culpa non remittitur sine gratiæ infusione: imò nec remitti posset per physicam actionem sacramenti, nisi per effectionem gratiæ, quia non interuenit ibi alia forma: quæ per talem actionem fieri possit. Necrefert, quod interdum per hanc potestatem sola venialia peccata remittantur, ad quem effectum non requiritur gratiæ infusio: quia hoc quasi accidentariũ est respectu huius potestatis, quæ de se sufficiens est ad remittẽda mortalia peccata, & ideò semper cõfert gratiam. Vnde licèt aliàs possint peccata venialia sine infusione gratiæ remitti, tamen per hanc potestatem nunquàm sine illa remittuntur. Imò hinc vlteriùs inferri potest hanc potestatem de se sufficientem esse ad primam gratiam conferendam, quia hæc est, quæ culpam mortalẽ excludit. Sed de hac re infrà ex professo disputabimus tractancto de dispositione necessaria ad effectum Sacramenti pœnitentiæ. Alius verò actus retinendi peccata non est positiuus, nec fit per directam actionem huius potestatis, quia nec potestas hæc culpam influit, aut conseruat, nec impedit remissionem eius, cùm totum hoc fit contra finem huius potestatis, sed iuridicam sententiam profert, hunc esse indignum remissionis peccati: & hac ratione dicitur retinere peccata.

Prior.

Posterior actus.

C

D

16. Eosdem verò actus potest hæc potestas exercere circa temporalem pœnam, quanquam in modo sit aliqua diuersitas, præsertim quoad actum ligandi. Duobus enim modis dici potest temporalis pœna tolli vel retineri per hanc potestatem, scilicet & per ipsum actum absolutionis, seu remissionis peccatorũ, & per impositionem alicuius satisfactionis. Prior modus declaratur ex dictis suprà circa primum effectum virtutis pœnitentiæ, vbi diximus cum mortali culpa semper tolli æternam pœnam, non tamẽ semper omnem pœnam temporalem, sed commutari æternam in aliquam temporalem, maiorem vel minorem, iuxta dispositionem pœnitentis. Hoc igitur totum fit per vnum actum huius potestatis seruata proportione, vt in sequentibus latiùs dicemus. Quatenùs ergo hæc potestas remittendo peccata non remittit semper totam temporalem pœnam, sed in illam commutat æternam, dici potest ligare seu retinere peccatum quoad aliquam pœnam etiam dum remittit culpam: illa autem retentio solùm est indirecta, quia hæc potestas non ita ligat ad pœnam, vt faciat hominem illa dignum: sed tantùm non ita absolutè illam, remittendo æternã pœnã, quin loco illius statim succedat aliqua temporalis, & reatus eius ex vi culpæ: quia licèt remittatur, non tamen cum perfecta dispositione, vel satisfactione. Quatenùs verò ex efficacitate sua semper commutat æternam pœnam in minorem temporalem, quàm sine illius efficacia commutaretur cæteris paribus; ideò per ipsummet actum remittendi culpam dici potest exercere actum remittẽdi aliquid temporalis pœnæ: & hæc remissio directè & per se fit ex efficacia huius potestatis. Quæ efficacia in verbis illis continetur, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*? nam ex vi illorum hæc potestas est perfecta, & sufficiens ad plenam remissionem conferendam, si reus sit ad illam dispositus, vt etiam declarant illa verba, *Quodcunque solueritis erit solutum*. Et ideò cum proportione maiorem vel minorem commutationem pœnæ facit, iuxta dispositionẽ pœnitentis. In quo differt à Baptismo, qui semper remittit omnem pœnam cum quacunque dispositione sufficiente ad remissionem culpæ, propter rationes tactas sectione præcedenti, & latiùs in superiorib. Alius verò modus remittẽdi, vel retinendi pœnam temporalem per hanc potestatem est, satisfactionem aliquã imponendo (suppono enim ex infrà dicẽdis hoc pertinere ad hanc potestatem.) Quatenus ergo sacerdos peccatorem obligat ad hanc satisfactionem, dicitur retinere seu ligare: & hoc modo positiuè ac directè ligat; non quidem ad pœnam in communi, huius enim per se ipse est debitor: sedad hãc pœnam determinatam, per quam vult talem reatum expiari. Quia verò satisfactio sic imposita efficacior est ad tollendã pœnam virtute clauium, quàm per se esset; ideò sacerdos hoc modo ligando, simul soluit, quia efficaciam præbet ad ampliorem & faciliorem solutionem, vt latiùs dicemus agentes de satisfactione.

Eosdẽ actus exerceri circa pœnã suo modo.

## SECTIO III.

### *Vtrùm hæc potestas remittendi peccata ordinis sit, aut iurisdictionis & quomodo etiam distinguantur, & conferantur.*

1. Ad peccati remissionem per hoc sacramentum potestas ordinis, & iurisdictionis requiritur. Duplex potestas ordinis distinguitur à Theologis

IN hac re vnum est de fide, videlicet ad hunc actum remittendi peccata in hoc sacramento necessariam esse potestatem ordinis, & iurisdictionis. De prima ferè nulla est difficultas, nam infrà agentes de ministro, ostẽdemus solum sacerdotem posse illud conficere: vnde constat sacerdotalem ordinem esse ad hanc potestatem necessariũ: & hic ordo vocatur potestas ordinis. Ex quo etiam facilè intelligitur quid in præsenti hęc potestas ordinis sit; in re enim nihil aliud est quam character sacerdotalis quatenus ex diuina ordinatione, per illum quispiam deputatur, vt possit esse iudex animarum in foro pœnitentiæ. Duplicem enim distinguunt potestatem ordinis Theologi: vna est super corpus Christi verum; & illa est quàm sacerdotes habent ad consecrandum: alia est super corpus Christi mysticum; & hæc est de qua nũc agimus, quæ nihil aliud esse potest, quàm prædictus character, sub dicta ratione consideratus. Quòd enim hæc potestas characterem includat qui sit vera qualitas animæ inhærens, ex eo sũpponitur, quod sacerdotium huiusmodi characterem imprimit, vt docet Concilium

Tridentinum locis statim citandis,& suprà tactum est de sacramentis in genere,& disputando de sacramento ordinis ex professo dicendum est.

2. Vnde sicut hic character indelebilis est, ita etiam hæc potestas:& sicut in solis sacerdotibus inuenitur, ita etiam & prædicta potestas.Rursus cùm sacerdotalis character integer consideratus, duplicem habeat respectum seu actum; non habet rationem huius potestatis sub præciso respectu ad corpus Christi verum, sed sub habitudine ad corpus mysticum. Atque hoc modo explicarunt hanc potestatem Theologi in 4.d. 18. vbi D. Tom. quæst. 1. art. 1. quæst. 2.ad. 1 Richardus art.1.q.3.Petrus Soto lect.de Clauib.Soto d. 20.q.2.artic,1,& Turrecremata libr.1.Summæ, c.93. Marsilius autem in 4.qu.12.art. 2. intendit characterem non esse potestatem, quia tantùm est signum. Sed nec ego intelligo characterem esse potestatem physicam, natura sua habentem virtutem ad talem actum,& ideò dixi characterem illum, quatenus per eam Deus consecrat & deputat hominem vt possit esse minister & instrumentum in tali actione, habere rationem potestatis ordinis: ita vt, licèt character sit qualitas physica,sit tamen moralis potestas. An verò sit etiam causa instrumentalis physica ex supernaturali eleuatione, superiori tomo suo loco tractatum est.

D.Tho. Richar. Pet.Soto. Soto. Turrecrę. Marsil.

3. Quãdo conferatur hæc potestas ordinis.

Et ex his facilè intelligitur quando collata sit, vel conferatur hæc potestas.Nam,si loquamur de prima institutione, hæc potestas ordinis data est Apostolis Ioan.20. per illa, verba, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Nam licèt Apostoli in nocte Cœnæ consecrati sint sacerdotes quoad potestatem in corpus Christi verum, per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; tamen quoad potestatem consummata fuit eorum cõsecratio,seu ordinatio post Christi resurrectionẽ per verba prædicta, quæ semper ita intellexit Ecclesiæ traditio, & auctoritas,vt in sectione 1.ostensum est.At verò, si loquamur de cõmunicatione huius potestatis, quæ ad alios sacerdotes post Apostolos facta est.dicendum est, eis conferri hanc potestatem ordinis in ipsa ordinatione sacerdotali. Quod docuit Ioãnes 22. in Extrau. *Quia quorundam* de verb. signif.vbi in hoc sensu dicit, clarius Tridentinum,sess.14.c.6.& can.10.& sess.23. c.1. docens sacerdotibus duplicem in ordinatione sua conferri potestatem, scilicet consecrandi,& ligandi,ac absoluendi. Item ob eam causam ordinãtur per illa verba, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Item hæc potestas inuenitur in omnibus & solis sacerdotibus:ergo signum est dari per ordinem.Tandem ostensum est hanc potestatem non esse distinctũ quid à characterе:character autem sacerdotalis integrè ac perfectè confertur in ordinatione sacerdotis: ergo.Statim verò occurrebant hic dubia, quæ attigit Scotus in 4.d.19.q.2.artic.8. scilicet, quo modo hæ duæ potestates ordinis in corpus verum,& mysticum diuersis temporibus conferantur:& cõsequenter quo modo distinguantur:& an imprimant distinctos characteres,seu distinctos gradus, vel partes reales eiusdem,vel eundem physicè,sub duplici consideratione morali.Hæc tamen omnia pertinent ad sacramẽtum ordinis,& ad præsens nihil referunt.

Extrau. Quia quorũ dã de verb. sign fi. Conc. Trid.

## *Potestatem iurisdictionis necessarium esse ad peccatorum remissionem.*

4. DE potestate iurisdictionis certum etiam est, illam esse simpliciter necessariam ad effectum huius potestatis,ita vt absolutio vel sentẽtia data per potestatem ordinis sine iurisdictione nulla sit.Ita definiunt Conciliũ Florentinum in decreto Eugenij,& Tridentinum,sess.14. c. 7. Et ratio est clara ex dictis sect.1. vbi ostendimus hanc potestatem iudiciariam esse:omne autem iudicium,vt validum sit,requirit iurisdictionem: nam *de his, quæ foris sunt, nihil ad nos.* Et confirmatur,nã dicta potestas ordinis non tantùm est ad soluendũ,sed etiam ad ligandum:in quo verbo includitur etiam potestas ob obligandum,vt infrà suo loco dicemus:nemo autẽ potest obligare, nisi subditum. Denique id constat ex differentia inter sacramentum pœnitentiæ,& reliqua: nam in aliis licèt sit necessaria aliqua iurisdictio, vel legitima concessio, vt studiosè ministrentur:tamen, vt validè conferantur ex vi potestatis,sufficit potestas ordinis:in hac verò,vt validum sit,præter ordinem necessaria est iurisdictio,vt dicta Concilia definiunt,& infrà agentes de ministro, latiùs dicemus. Est autem breuiter aduertendum,in Ecclesia duplicem esse iurisdictionem spiritualem, vna dicitur in foro exteriori seu contentioso,quæ est ad gubernandam Ecclesiam, ad ferendas leges,censuras,&c. & de hac nunc non agimus, sed infrà in materia de censuris. Alia verò est in foro interno,& pœnitentiali: & hanc dicimus nunc esse necessariam ad hunc actum.

Conc Flor. Conc Trident.

Iurisdictio spiritualis duplex.

## *Quid sit hæc potestas iurisdictionis.*

DIFFICVLTAS verò est, quid sit hæc potestas iurisdictionis, & quando conferatur. Non enim defuerũt Auctores Catholici, qui dicerent dari in ipsa ordinatione sacerdotis, qui consequenter insinuant in re non esse distinctam à potestate ordinis: nec separabilem ab ipsa. Quam opinionẽ valdè probabilem existimat Durandus d.19. quæst. 2.ei tamen adhærere non audet, in eam verò inclinat Almainus d.18.art.4. Illam tamen defendit Armacanus libr. 11. de Quæstionib.Armenorum,c.1.Fundari potest.quia Christus per illa verba, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* contulit Apostolis potestatem ordinis, & iurisdictionis in hoc foro.Nam tunc potuit quilibet eorum absque dependentia ab aliis audire confessiones & absoluere:sed hæc eadẽ verba dicũtur in persona Christi in ordinatione cuiuscunque sacerdotis: ergo habent eãdem efficaciam: ergo ex tunc constituitur iudex in hoc foro: ergo ex vi talis ordinationis habet iurisdictionem, quia nemo potest esse, aut intelligit iudex sine iurisdictione.

5. Quorũdam opinio.

Durand. Almain. Armacan.

Hæc tamen sententia,intellecta de integra,ac sufficiente iurisdictione falsa est, & hoc tẽpore nullo modo sustineri potest,quia certum est,absolutionem datam à simplici sacerdote circa peccata mortalia nullã esse ex defectu iurisdictionis:ergo nõ potest hæc iurisdictio ex vi ordinationis inseparabiliter haberi. Respondet Durãdus,illam absolutionẽ esse nullã quoad effectum,solùm quia ille,qui sic absoluitur,nõ est dispositus.Sed hæc responsio non satisfacit: quia absolutio,data à sacerdote carente iurisdictione, per se & ex parte ministri nulla est,tanquã sententia, data à nõ iudice: ille autem defectus ex parte suscipientis ad hanc nullitatem accidentarius est.Cuius sufficiens signum est,quia interueniente ignorantia fieri potest, vt pœnitens non sit indispositus, nec peccet confitẽdo tali sacerdoti, & nihilominùs absolutio erit nulla, ita vt si posteà constet pœnitenti sacerdotem non habuisse iurisdictionem, teneatur illa peccata proprio sacerdoti confiteri. Respondet Durandus, in eo casu sacramentum esse validum;nihilominùs tamen confessio

6. Reiicitur.

Durãdi euasio præcludi tur.

Impugnatur.

fessionem esse interandā propter legē Ecclesiæ præcipientis conferri omnia peccata proprio sacerdoti, quæ in re ipsa impleta non fuit, quāuis propter ignorantiam fuerit pœnitens à trāsgressione excusatus. Sed primum est falsum, & contra Concilia, vt videbimus. Secundum verò non est consequēter dictum: quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, ad quod Durandus alludit, non imponitur circa hoc nouum præceptū, sed solùm circa temporis determinationem, vt infrà latiùs videbimus: in reliquis autē solùm explicatur id, quod per se & ex vi sacraméti necessarium est. Imò, si ex vi iuris diuini per talem confessionem essent remissa peccata, non posset Ecclesia obligare ad illa iterum confitenda, quia illa absolutio, simpliciter & absolutè data fuit, & bona fide recepta. Prætereà ex casuū reseruatione sumitur euidens argumentum: nam, si iurisdictio hæc non posset à superiori Ecclesiastico dari, & auferri, non possent peccata reseruari, & confessio, de reseruatis facta sacerdoti nō esset nulla ex defectu iurisdictionis: & cōsequenter nunquàm posset obligari pœnitēs, semel absolutus ab inferiori in casu necessitatis, adire posteà superiorem, & illi confiteri. Quæ omnia sunt omninò falsa, & contra doctrinam Ecclesiæ, vt infrà videbimus. Denique hæc sententia ex dicendis contra vltimam à fortiori impugnabitur.

Alia responsio Durandi.

7. Secunda sententia, & vera

Secunda sententia huic extremè contraria, quam ego verissimam censeo, est, potestatem iurisdictionis esse distinctam à potestate ordinis tam in essentia, quàm in modo, seu tempore quo confertur: nam potestas ordinis, vt diximus, datur per impressionem characteris, ideóque & necessariò comparatur per ordinationem sacerdotis, & immutabilis, ac indelebilis permanet. Potestas verò iurisdictionis solùm moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut alicuius Ecclesiastici muneris collationem, per quam aliquis Pastor, vel superior aliorum constituitur, alij verò eius subditi efficiuntur. Ideoq; potestas hæc extra sacramentū ordinis datur, & (infra Sūmum Pontificem) immediatè per hominem confertur. Quæ sententia sic exposita sumitur ex D. Thoma 2.2.q.39. ar. 3. & 4. contra Gentes, c. 72. & in 4. d. 17. q. 3. ar. 3. quæstiunc. 4. & d. 19. q. 1. art. 3. quæstiūc. 1. & Bonauent. ibi art. 3. q. 1. præcipuè in solutionibus argumentorū. Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 2. Ledesma 2. p. 4. q. 22. art. 1. Cano relect. de Pœn. p. 1. Medin. Cod. de Cōfessio. q. de alic no sine licentia proprij absoluente, Castro de iusta hæreti. punit. cap. 21. Turrecremata in Summa de Ecclesia li. 1. c. 98. Couarruuias lib. 1. Variar. resol. c. 10. nu. 11. vbi in eandem sententiam refert Albertū Magnum, & Richardum d. 18. Scotum, Durandū, & Paludanum d. 19. & Alexand. Alensem 4. p. q. 79. 80. & 81. Priùs verò quàm hanc sentētiam confirmemus, & declaremus, aliæ proponēdæ sunt, & examinandæ, quoniā ex omniū collatione, & aliarū impugnatione hæc magis declarabitur, & euidētiùs confirmabitur.

D. Thom. Bonau. Soto. Ledesm. Cano. Medin. Castro. Turrecr. Couar. Albert. Richard. Scot. Durand. Palud. Alens.

8. Tertia sententia.

Aliis ergo non placent hæc extrema, & mediam quandam dicendi rationem inuenire conati sunt; dicentes, potestatem iurisdictionis aliquo modo dari vel inchoari in ipsamet ordinatione, & vt sic, nec distingui à potestate ordinis, nec auferri, aut immutari posse per Ecclesiam, aliqua verò ex parte compleri extra sacramentū Ordinis per aliquod Ecclesiasticum munus, vel hominum concessionē, & secundùm eam rationem potestatem hāc mutari posse, & augeri, aut minui, vel omninò auferri. In hac posteriori parte conuenit hæc sententia cum præcedēti, ideóque fundamentis eius confirmatur, satisque ostenditur ex dictis contra primam sentētiam. Prior verò pars in hoc fundatur, quòd sacerdotes in ordinatione sua constituuntur iudices ad ferendam sententiam de peccatis hominum, vt patet ex significatione & efficacia illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo in ordinatione recipiunt aliquam iurisdictionem, quia iurisdictio nihil aliud est quàm potestas ad ferendum iudicium, seu sententiam: nec per aliud constituitur quis iudex nisi per iurisdictionem. Secundò, quia, si tota potestas iurisdictionis daretur ab Ecclesia extra sacramentum, possent sacerdotes, cùm absoluunt, dicere, *Ego auctoritate Summi Pontificis te absoluo à peccatis tuis*: sicut quando absoluunt ab excommunicatione possunt id dicere, quia totam iurisdictionē ad illum actum habent ab Ecclesia: nam propter hoc etiam in temporali iudicio gubernator ciuitatis dicit, se condemnare aliquem, vel absoluere auctoritate Regis. Consequēs autem falsum est, quia sacerdos in hoc foro immediatè fungitur auctoritate à Christo data, & vicem Christi gerit, sicut quando consecrat, vel baptizat: & ideò communi vsu huius sacramenti dicere solet minister, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat: & ego auctoritate ipsius te absoluo*: ergo à Christo habet iurisdictionem, & potestatem per se necessariam ad hunc actum. Tertiò, quia aliàs nō posset intelligi, quo modo Summus Pontifex possit per hanc potestatem iudicari, & absolui: quia nec per seipsum, vt constat, neque etiam per alium, quia nullus potest alteri dare iurisdictionem supra seipsum.

9. Varij modi iurisdictionis.

In modo verò explicandi hanc iurisdictionem, prout datur per sacramentum, & prout posteà completur, varietas est inter Auctores huius opinionis. Ad quam explicandam suppono, in aliquo proximo iudice duobus modis posse inueniri iurisdictionē ad dicendum ius inter aliquos. Primò ex partium cōuentione, vt cōtingit in iudice arbitro: secūdò ex vi proprij muneris sui, seu ex influxu alicuius superioris, vt est in ordinario iudice, vel delegato. Rursus iurisdictio, quæ prouenit à superiore per delegationem vel commissionem, dupliciter potest emanare: primò per concessionem, vel delegationē superioris immediatè factam circa ipsam personam, quæ iudex cōstituitur: secundò per designationem seu electionem ipsius rei, seu personæ iudicandæ, quæ sibi talem eligit iudicem ex facultate sibi facta à superiore, qui iurisdictionem confert statim ac persona designatur, seu eligitur.

## *Primus modus explicandi tertiam sententiam.*

10.

Est ergo primus modus dicēdi in hac tertia sententia, præter potestatem iudiciariam, quæ datur in ordinatione sacerdotis, non esse necessariam aliam iurisdictionem ad exercendum actū eius, præter eam quæ prouenit ex voluntaria subiectione pœnitentis: nam, cùm idem ipse sit actor, & reus, potest se voluntariè subiicere, & quasi iudicem arbitrū eligere. Quæ iurisdictio sufficiens est in hoc negotio, quia principium per se remissionis peccati, quæ est actus huius potestatis, non est iurisdictio, sed potestas ordinis; iurisdictio autem solùm requiritur tanquàm applicatio materiæ, quæ sufficienter applicatur per illam voluntariā subiectionē. Ita sentit Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 7. qui in hoc sensu dicit, iurisdictionē in hoc iudicio nō requiri ex parte principij agētis, sed ex parte materiæ: nec tamē negat in aliquibus sacerdotibus inueniri iurisdictionē ex parte principij vel ordinariā, vel delegatam; sed negat esse per se ac simpliciter necessariam ad actus huius potestatis. Nam ad absoluēdum à peccatis venialibus necessaria non est, nec etiā ad absoluendum à mortalibus in extrema necessitate: nec denique in iudicio, quod in hoc foro exercetur circa personam Summi Pontificis. In his enim tribus

Caiet.

casibus sufficit voluntaria subiectio pœnitentis: extra illos verò est necessaria iurisdictio ordinaria: vel delegata, quia sine illa non potest fieri subiectio, neque applicatio materiæ, propter Ecclesiæ ordinationem. A

11. Reiicitur. Hæc verò sententia falsa est, primò quia in hoc foro non potest iurisdictio vllo modo manare à pœnitente, quia hoc iudiciũ agitur inter Deum & hominem, & Deus est principalis actor tanquàm persona offensa, idemque est vnicus & principalis iudex peccatorum: ergo nullus potest dare iurisdictionẽ in tali iudicio, nisi vel Deus, vel qui ad hoc habeat vicem eius, pœnitens autem hîc non gerit vices Dei: vbi enim est hoc illi concessũ? Voluntaria ergo subiectio necessaria est ad hoc iudicium, vt in illo fiat proportionata accusatio: quomodo dicitur pœnitens esse B actor, & reus, quia illi commissum est, vt se accuset, nõ verò, vt iurisdictionẽ cõferat, etiam circa venialia peccata. Vnde est magna diuersitas inter hoc iudiciũ, & humanum, quòd iudici arbitro committitur ex conuentione partium: nam ibi partes consentientes habent ius suum proprium, cui cedunt, illudque suo modo transferunt, seu ponunt in iudicio arbitri. In præsenti verò totum ius ferendi iudicium de peccatis supernaturale est, propriumque solius Dei, à quo tantùm manare potest, vel immediatè, vel per ministros suos. Quòd si fortasse Caietanus nõ sẽsit pœnitentem dare iurisdictionẽ sacerdoti, sed solùm applicare, seu proponere materiam, falsum est quod ait, præter hanc applicationem non requiri aliam iurisdictionem ad ferendũ hoc iudicium, cùm repugnantiam inuoluat, iudiciũ validè exerceri sine iurisdictio- C ne, quantumcunque consentiat qui iudicãdus est, nisi vel iurisdictionẽ cõferat aliquo modo, vel supponat.

12. Vnde argumentor secundò, quia falsum etiam est, ad efficiendum validum actum huius potestatis non esse simpliciter necessariam iurisdictionem ordinariam, vel delegatam: id enim repugnat Concilio Florentino dicenti, ministrum huius sacramenti esse sacerdotem *habentem auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris*: non ergo sufficit habere ex subiectione pœnitentis. Et Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 7. ait, *absolutionem illam nullam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet iurisdictionem*: ergo alterutra est omninò necessaria. Innocentius etiam III. cum Concilio Lateranensi in c. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœ- D nit. & remiss. ait, alienum sacerdotem non posse absoluere sine licentia proprij, sentiens, iurisdictionem proprij, quæ ordinaria est, vel delegatam ab illo, simpliciter necessariam esse. Et ponderãdum est verbum *non posse*, non enim dicit non posse licitè, sed simpliciter *non posse*, scilicet etiã validè. Quòd si non potest, aliqua potestas illi deest omninò necessaria, quæ non est, nisi potestas iurisdictionis: ergo, siue hæc dicatur per se cõcurrere physicè ad actum, siue per accidens, tamen negari non potest, quin moraliter sit per se, ac simpliciter necessaria, atque adeò ordinaria, vel delegata, vt dicũt dicta Cõcilia, qualis non est illa arbitraria, quæ à partibus interdũ procedere dicitur, quę etiã in iudicio humano tam impropria est, vt in iure ciuili nõ appelletur iurisdictio, sed notio in l. *Aut Prætor*, ff. E de re iudic. & in l. *Notionem*, ff. de verb. signif.

Conc. Florẽt. Cõc. Tridẽt. Cap. Omnis, de pœnit. & remiss.

13. Tertiò, quia aliàs, stando in iure diuino, & nulla interueniente prohibitione, vel determinatione Ecclesiæ, quilibet sacerdos posset validè absoluere quemlibet fidelẽ à quibuscunque peccatis mortalibus quolibet tempore ex sola voluntate pœnitentis, quia tunc esset voluntaria subiectio, & cõsequenter iurisdictio sufficiens. Consequens autem est falsum, quia aliàs non potuisset Ecclesia hãc Christi institutionem, seu concessionẽ limitare, vel annullare, vt statim dicemus latiùs contra sequẽtes opiniones. Vnde etiam verum nõ est, in illis tribus casibus suprà positis iurisdictionem consistere in sola subiectione pœnitentis, seu ab illa prouenire: nam in articulo mortis, & circa venialia omnes sacerdotes habent illam, vel à Christo, vel ab Ecclesia, circa ipsum verò Summum Pontificem, licèt iurisdictio fortasse ab ipso manet, non tamen vt à peccatore se subiiciente, sed vt à supremo Christi Vicario, vt infrà suis locis latiùs explicabimus.

14. Nauarr. Palud. Sylues. Abulens. Secundus modus dicendi est Nauarri in Summa, c. 4. nu. 20. & latiùs c. 27. nu. 259. & 260. & in c. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. à principio, & præsertim nu. 48. Et eum priùs indicauit Paludanus in 4. d. 17. q. 3. art. 3. casu 4. & Syluester verb. *Confessor*, 1. q. 2. & Abulensis in suo Defensorio, par. 2. c. 62. & sequentibus. Nauarrus verò, vt eum explicet, distinguit duplicẽ iurisdictionẽ, scilicet in habitu, & in actu: & priorẽ; ait, dari in ipsa ordinatione sacerdotis, esseque omninò immutabilẽ per Ecclesiam, & non distingui à potestate ordinis: de posteriori autem ait haberi à sacerdotibus, cùm eliguntur, vel deputantur ad munus absoluendi. Addit tamen, stando in iure diuino, omnes sacerdotes habuisse iurisdictionẽ expeditam, & actualem ex vi suæ ordinationis, quandiu nulla interuenit Ecclesiæ prohibitio: siue quia ipsis directè datur per ordinationẽ, vt ipse indicat: siue quia per solam electionem, seu voluntariam subiectionem pœnitentis, quincunque sacerdos habet hanc iurisdictionem in actu, non quia datur ab ipso pœnitente, sed quia ad eius electionem, vel designationem datur à Christo: sicut nunc quãdo Pontifex dat alicui potestatem eligendi confessorem, confessor electus statim habet iurisdictionẽ, non tamen à pœnitente qui illum eligit, sed à Christo, vel Pontifice. Hanc sententiam quoad hanc posteriorem partem, quæ est propria eius (nam de priori infrà dicam) præcipuè confirmat Nauarrus ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, nam vsque ad tempora Vrbani II. omnes sacerdotes habebant potestatem ad absoluendũ quoslibet pœnitentes: qui vellent ipsis voluntariè subiici, donec crescente malitia, & vrgẽte necessitate, id prohibuit Vrbanus in illo c. *Placuit*. de Pœnit. d. 6. Cõfirmari etiam hoc potest ex illis tribus casibus tactis à Caietano, nunc enim omnes sacerdotes possunt absoluere à venialibus, & à mortalibus in extrema necessitate, quia Ecclesia quoad hos casus non limitauit illam concessionem à Christo factam: similiter Summus Põtifex illa vtitur quando confessorem eligit, quia ipsa est supra omnem Ecclesiasticam prohibitionem, seu limitationem. Ac tandem confirmari potest ex verbis Christi Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: nam ex vi illorum, si Ecclesia nihil vetuisset, possent sacerdotes efficere illum actum circa quemlibet pœnitentẽ, sicut ex vi illorum verborum, *Hoc facite*, possunt consecrare quemlibet panem, si aliàs non impediatur, ne illis applicetur; quod hîc fieri dicit per hanc prohibitionem, quia materia huius potestatis est pœnitẽs legitimè subiectus, & tunc applicatur quando legitimè subiicitur: prohibitio autem Ecclesiæ impedit hanc legitimam subiectionem. Et ideò, stante prohibitione, iurisdictio manet impedita: & hac de causa dicitur manere in habitu, quia, si auferretur prohibitio, statim esset expedita: in actu verò dicitur esse, quando secundùm ordinem ab Ecclesia statutum habet materiam sufficienter subiectam.

15. Improbatur hic dicendi modus. Hæc sententia falsa item est, multumque fauet opinioni Armacani. Nam, si sacerdotes omnes ex vi ordinationis suæ, & diuini iuris ita recipiunt iurisdictionẽ in hoc foro pœnitentiæ, vt secluſa Ecclesiastica lege, vel prohibitione, illa sit iurisdictio actualis, & sufficiens ad ferendũ validum iudiciũ de peccatis, vix potest

test intelligi quo modo propter solam Ecclesiæ prohibitionẽ illa iurisdictio dicatur habitualis fieri, seu ita impediri, vt validum effectum habere non possit. Quod declaratur, siue hęc iurisdictio dicatur directè & à principio concedi ipsis sacerdotibus cùm ordinantur, siue dicatur concedi ex parte pœnitẽtiũ, quibus data est facultas eligendi suo arbitrio Cõfessorẽ, vt ei, statim ac eligitur, detur iurisdictio ab ipso Christo. Prior pars probatur primò, quia, si sacerdotes illo modo habuissent iurisdictionem, non possent ab Ecclesia illa priuari; si autem illa non priuentur, non potest Ecclesia ita illam impedire, vt actum eius reddat inualidum: constat autem hoc fecisse Ecclesiam: ergo. Maior quoad priorem partẽ probatur, nã ideò potestas ordinis auferri non potest ab Ecclesia, quia datur ex vi ordinationis per impressionem characteris, ergo, si potestas iurisdictionis eodẽ modo datur, auferri non potest per Ecclesiam. Item, quia, si Ecclesia per prohibitionem abstulit hãc potestatem à sacerdotibus, qui iam tunc erant ordinati quãdo facta est prohibitio: ergo pari ratione ex vi illius prohibitionis fecit vt sacerdotibus, qui posteà ordinati sunt, nõ detur illa potestas, nam hęc duo eiusdem rationis sunt, neque est verisimile nunc dari hanc potestatẽ ex virtute sacramẽti, & immediatè potest auferri per Ecclesiam: frustrà enim daretur, gratisque diceretur, posse Ecclesiam auferre quod datum est, non tamen posse impedire ne detur. Quòd si concedatur vtrumque Ecclesiam posse, planè sequitur hunc non esse effectum sacramenti ordinis, & consequentet, nec dari ex vi ordinationis. Probatur illatio, quia Ecclesia per solam voluntatem suam non potest impedire aliquem effectum sacramenti ritè, & rectè susceptι: & eâdem ratione nõ potest illum auferre postquàm receptus est; ergo, vel hic non est effectus sacramenti Ordinis, aut per Ecclesiam auferri, vel impediri non potest.

16. Euasio. Dicetur fortasse, hanc iurisdictionem non dari, tanquàm proprium effectũ sacramenti Ordinis, sed dari quasi concomitanter cum illo (stãdo in solo iure diuino) & cõsequenter etiã dicetur hanc potestatem iurisdictionis non esse formaliter ipsummet characterẽ sacerdotalẽ; etiã, vt est potestas in corpus Christi mysticũ, sed esse quid morale infallibiliter cõcomitãs illũ characterem, nisi per Ecclesiã impediatur.

Eluditur. Sed hoc in primis non potest dici consequenter in hac opinione: quia, si hæc potestas datur ex vi ordinationis sacerdotalis, ideò est, quia continetur in significatione, & efficacia illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: nam, si ibi non continetur, sine fundamento dicitur dari ex vi ordinationis, quia neque alibi hoc reuelatum est, nec sacramentorum formæ ex generali ratione sua plus efficiunt, quàm significent: & si aliqua forma per concomitantiam, quidquã efficit, vt in Eucharistia, illud ipsum reuelatũ est, & fũdamẽtum habet in necessaria rerum connexione: neutrum autẽ hîc interuenit. Ac præterea, licèt hoc daremus, non satisfacit responsio: quia neque id, quod fit cõcomitanter per sacramentum, potest Ecclesia impedire, vt patet in exẽplo allato de forma Eucharistiæ.

17. Sacerdos ex vi ordinationis non habet iurisdictionẽ ordinariam vel delegatam. Et præterea declaratur magis practicè, quia vel hęc iurisdictio, quę datur in ipsa ordinatione, est ordinaria, vel delegata: hæc enim duo tãtùm mẽbra distinguunt iura, & Concilia suprà citata. Non est autem ordinaria, quia non omnes sacerdotes ex vi suę ordinationis, & diuini iuris, constituuntur pastores animarum, seu Episcopi, vel Parochi, quorum est hæc iurisdictio ordinaria. Item, qui hanc iurisdictionem habent, non solùm possunt esse iudices in hoc foro, sed etiam, per se loquendo, ad illos necessariò spectat tale iudicium, tenenturque subditi ad illos accedere, vt iudicentur: constat autem non omnes sacerdotes eo ipso quòd ordinati sunt, ita comparari ad omnes fideles: nõ ergò recipiunt ex vi ordinationis iurisdictionem ordinariam. Neque etiam recipere possunt delegatam: alioquin delegaretur immediatè à Christo: quia neque Episcopus ordinans, neque Summus Pontifex habent intentionẽ delegandi omnibus suã iurisdictionem, vt per se notum est, si autẽ Christus eam immediatè delegaret, nullus inferior posset illã auferre, quia iurisdictio à superiori data non pendet ab inferiori. Sicut nunc non potest Episcopus auferre à religioso iurisdictionem, quam illi Summus Pontifex delegauit.

18. Solutio impugnatur. Dicetur fortasse, hoc verum esse, nisi ipse superior iurisdictionem delegãs cõcedat illam dependentem à voluntate inferioris Prælati, cui in hoc vices suas committit, & hoc modo Christum ipsum delegare hãc iurisdictionem omnibus sacerdotibus ex vi ordinationis, cum subordinatione tamen ad Vicarium suum, qui eam posset auferre, si expediret. Hæc tamẽ responsio voluntaria est: nam, licèt hoc fuerit possibile, tamẽ gratis dicitur ita factum esse, tũ quia hęc delegatio sic declarata non habet fundamentum in illis verbis formæ sacerdotalis ordinationis: *Accipite Spiritum sanctum*, nam quidquid ex vi illorum datur, immutabiliter, & infallibiliter datur: seclusο autem hoc fundamento, nullum relinquitur, vt patebit. Tum etiam, quia aliàs posset aliquis dicere, eodem modo esse delegatam sacerdotibus potestatem consecrandi, vel Episcopis potestatem ordinandi, dependenter à voluntate Pontificis, etiam quoad valorem vsus talis potestatis. Tum denique, quia ob hanc causam, ea, quæ sunt in Ecclesia immediatè profecta à Christo ex diuino iure, censentur esse immutabilia ab hominibus, imò & indispensabilia nisi in aliquo raro casu, qui aliunde ex traditione, vel alio principio satis constat. Quam rationem paulò pòst circa aliud membrum propositum ampliùs declarabimus.

19. Posterior pars maioris propositionis suadetur. Nunc probanda superest alia pars proposita, nimirum, si hæc iurisdictio datur per ordinationem, & Ecclesia non potest illam auferre, non posse impedire quominùs sacerdotes vtentes hac potestate validum actum faciant. Quod probatur primò à simili de potestate ordinis, quam ideò non potest Ecclesia impedire, quominùs validè operetur, per suam prohibitionem, quia illa sola sufficit ad actum suum. Si enim potestas iurisdictionis coniuncta cum potestate ordinis circa corpus Christi mysticum per se sufficit ex vi solius iuris diuini seclusa Ecclesiæ prohibitione: ergo etiam sufficit ad valorem actus, non obstante prohibitione. Secundò, quia nõ potest Ecclesia irritare actum sacramentalem concurrentibus omnibus, quæ ad illud efficiendum necessaria sunt, quantumuis prohibeat exercitium talis actus: sed ex illa hypothesi hîc omnia concurrunt necessaria ex parte ministri, scilicet potestas ordinis, & iurisdictionis, & intensio, vt supponimus: ergo, licèt Ecclesia prohibeat, erit actus validus.

20. Solutioni occurritur. Dices, necessariam esse applicationem materiæ, & hanc posse Ecclesiam impedire. Sed contrà, quia per solam prohibitionem non potest Ecclesia tollere materiam, sicut in Eucharistia, licèt prohibeat hunc, vel illum panem, non potest efficere, quin si assumatur ad consecrandum sit sufficiens materia: solùm ergo posset impedire consecrationem per subtractionem materiæ, si efficeret, vt nullus panis corporaliter applicaretur, aut fieret præsens sacerdoti, quod per vim potiùs, quàm per legem fieri deberet, & à quocunque habente sufficientes vires fieri posset. Sic ergo in præsenti, si peccator de facto, aut per vim ipsi, aut sacerdoti illatam impediatur ne tali sacerdoti sua peccata confiteatur,

confiteatur, tunc verè impedietur sacramentũ per- A
subtractionem materiæ;tamen, si de facto peccator
confitetur,& subiicit se,& sua peccata tali sacerdo-
ti in bona intentione,ac dispositione,nõ video quo-
modo per subtractionẽ materiæ possit irritari illud
sacramentum,aut quo modo sola prohibitio mate-
riam subtrahat, si sacerdos iurisdictionem retinet.
Alteri respõ sioni satisfit. Dicetur fortasse, rationem esse,quia licèt pœnitens
voluntariè se subiiciat,tamen re ipsa nõ fit subditus,
Ecclesia id impediente: materia autem est peccator
subditus. Sed hoc non dicitur consequenter,quia si
in vno extremo manet iurisdictio, in altero manet
sufficiens subiectio aptitudinalis(vt sic dicam)ergo,
si additur actualis applicatio &subiectio,nihil deest.
Antecedens patet,quia,vt Concilium Tridentinum
in di. 16. manifestè supponit, illa duo correlatiua B
sunt,sicut dominium,& seruitus:nam omnis iurisdi-
ctio in aliquẽ est iuris dictio, & ille alius necessariò
habet respectum subiecti,seu subiicibilis in ordine
ad actum talis iurisdictionis.Denique hoc totũ effi-
caciter confirmatur ex Conciliis Tridentino,Florẽ-
tino,&Lateranensi suprà citatis,quæ tunc solùm aiũt
sententiam à sacerdote prolatam nullam esse,quãdo
sacerdoti deest aliqua potestas,vt ex c. *Omnis vtriusque sexus*,suprà ponderauimus: vel quando nullam
iurisdictionem habet,scilicet nec ordinariam, nec
delegatam,vt Concilium Tridentinum dixit: ergo
iurisdictione permanente, non potest vsus eius, ita
impediri,vt actus eius inualidus fiat. Vbi etiã est ad-
uertẽdum,Concilium apertè loqui de iurisdictione
delegata ab homine, & significare in hoc iudicio
tantùm esse iurisdictionem, vel ordinariam, vel ab C
homine delegatam, & ideò posse sacerdotes omni
iurisdictione in hoc foro priuari, & hoc tantùm
modo posse sententiam illorum irritari.

21. Iurisdictionẽ hanc nõ dari iure diuino media electione pœnitentis, ostenditur. Atque ex his facilè demonstrari potest aliud mẽ-
brum,scilicet hanc iurisdictionem non dari iure di-
uino media electione pœnitentium, alioqui ablata
omni ordinatione Ecclesiæ, quilibet fidelis haberet
à Christo potestatem eligendi sibi in cõfessorẽ quẽ-
cunque sacerdotem:hoc autem dici non potest,aliàs
non posset Ecclesia facultatem hanc auferre,vel co-
arctare;cùm tamen cõstet nunc de facto fideles illam
non habere,nisi quando specialiter à Prælato cõce-
ditur.Sequela patet eisdem ferè argumentis suprà fa-
ctis,quia non possunt Prælati Ecclesiæ auferre quod
Christus ipse contulit. Sicut, si Pontifex dat alicui D
facultatem eligendi Confessorẽ,non potest inferior
Episcopus illam auferre, vel limitare:quia inferior
nõ habet potestatem in legem superioris.Dices,hoc
esse verum,nisi ipse superior sub tali conditione id
concedat,& Christum hoc constituisse sub cõditio-
ne,vt Ecclesia posset auferre, vel limitare illud. Sed
hoc est gratis,& sine fundamento dictum:alioqui in
omnibus quæ sunt de iure diuino,idẽ dici posset:&
ita nihil esset firmũ,vel stabile.Item, quãdo aliquid
est de iure diuino,si aliquando admittitur interpre-
tatio,vel dispẽsatio,est in aliquo raro casu,& ex cau-
sa extraordinaria:hîc autẽ hęc potiùs est lex ordina-
ria Ecclesiæ, quæ ad ordinariam gubernationẽ eius
expedit:ergo incredibile est iure diuino fuisse aliter E
statutũ,& hanc esse veluti derogationem,aut dispẽ-
sationem iuris diuini. Vnde confirmatur, nam esset
magnum inconueniens & pessimum Ecclesiæ regi-
men,si omnibus liberum esset eligere quemlibet sa-
cerdotem simplicem in Confessorem,& ideò,quan-
tùm ex historiis,& decretis colligitur,nunquàm ita
factum est in Ecclesia:ergo non est verisimile Chri-
stum reliquisse ordinarium ius,quod neque Eccle-
siæ expediebat,neque seruandum vnquàm erat.Nam il-
lud seruare fuisset contra conuenientem prouidẽtiæ
modum:si autem erat reuocandum,superfluum fuis-
set illud cõcedere.Cùm ergo ordinarium ius Eccle-
siæ sit, vt fideles non habeant indifferenter huius-
modi facultatem, signum sufficiens est oppositum
non fuisse positiuè,vt sic dicã,à Christo concessum.
Tandem in capite *Si Episcopus*,de Pœnit.& remiss.in Cap 2.de Pœnit.& remiss. lib.6.
6.dicitur,nulla consuetudine præscribi posse,vt ali-
quis valeat sibi eligere Confessorem sine licentia
superioris:ergo signum est hanc prohibitionem non
esse tantùm humanam.Ratio enim illius textus est,
quia sine iurisdictione non potest fieri hoc sacra-
mentum:& hæc non datur ab eligente, neque ex vi
electionis eius,nisi à superiore detur.

22. Quod à Nauarro adducitur de cõsuetudine vsque ad Vrbanũ impugnatur. Denique nullum fundamentũ est ad asserendum
hoc veluti diuinum priuilegium omnibus fidelibus
esse concessum. Nam quod Nauarrus ait de antiqua
consuetudine vsque ad Vrbanum secundum, falsum
est:quia Calixtus Papa antiquior fuit Vrbano:& ta-
men eius tempore non erat talis consuetudo,vt cõ-
stat ex epist.2.Decretali ipsius,& habetur in ca. 1.9.
q.2.Idem constat ex Dionysio Papa etiam antiquio-
re in epist.2.ad Seuerum,& habetur in ca.1. 13.qu,1.
Quæ decreta ait Nauarrus nõ fuisse recepta:sed gra-
tis,ac sine probatione:præsertim cùm illi Pontifices
non primò diuiserint Episcopatus,vel Parochias,sed
supponant semper fuisse diuisas, iuxta Ecclesiarum
frequentiam & necessitatem.Quod etiam colligitur Felix Pa. Burchar.
ex Felice 3.epist.1.decretali ca.6.& apud Burchardũ
lib.19.sui Decreti cap.72.Item colligi potest ex illo
facto Apostolorum, qui Iacobum Episcopum Hie-
rosolymitanum statim crearunt.Constat autem cum
Episcopatibus,&Parochiis diuisas fuisse iurisdictio-
nes,quia aliàs non potuissent Pastores oues suas cõ-
modè gubernare.Vnde rectè etiam addit Caietanus,
si aliquando omnes Presbyteri alicuius Ecclesiæ ha-
buerant hanc potestatem, non fuisse ex concessione
Christi ipsis,vel pœnitentibus facta, sed ab Episco-
pis,qui facilè hanc iurisdictionem committebãt suis
presbyteris,quia pauci tunc,& selecti ordinabãtur.
Nam quòd illa iurisdictio ab Episcopis manaret,
sufficiens argumentum est, quòd semper erat ab eis
dependens,poteratque vel limitari, vel tolli.

23. Neque Vrbanus in illo cap.*Placuit*, nouum circa
hoc ius condidit,sed vel antiquũ instaurauit,vt Dio-
nysius fecerat post Calixtum,& ipse nouam pœnam
addidit:quia fortasse aliqui Presbyteri antiquum ius
non seruabant:vel certè Vrbanus non loquitur de
Præsbyteris alienis,seu non habentibus iurisdictio-
nem;sed de illis,qui circa eundem pœnitentem iu-
risdictionẽ habent. Nam inter eos voluit Vrbanus
seruari ordinem debitum,ita vt si alter eorum priùs
iudicium tulerit, & pœnitentiam iniunxerit, alius
eam non mutet,neque in eo negotio se intromittat:
hunc enim sensum videntur indicare illa verba,*Sine
eius consensu,cui priùs se commisit:* & illa, *Nisi pro ignorantia illius,cui pœnitens priùs confessus est*.De qua exce-
ptione dicemus plura infrà agentes de ministro, vbi
illum textum latiùs explicabimus.

24. Cap.Placuit explicatur. Neque etiam colligi potest hoc diuinum ius, seu
facultas à Christo data ex illis tribus casibus suprà
numeratis,quia eos longè alia ratione infrà suis lo-
cis explicabimus. Et quamuis in eis admitteremus
aliquod diuinum ius,esset speciale propter peculia-
rem casum necessitatis,vel consecutionis ex alio iu-
re diuino:nec propterea esset generaliter extenden-
dum. Nec denique ex verbis Ioan. 20.talis facultas
colligi potest pœnitentibus concessa, quia ibi non
cum illis,sed cum Sacerdotibus sermo est.Quid au-
tem per illa verba,*Accipite Spiritum sanctum*, Sacer-
dotibus detur,partim explicatum est, partim in se-
quenti puncto dicetur.

*Tertius*

*Tertius modus explicandi tertiam sententiam.*

25. TERTIVS modus explicandi hanc tertiam sententiam est, sacerdotes in ordinatione sua accipere veram potestatē iurisdictionis, inchoatā tamen, & incompletam: eam verò compleri in ratione iurisdictionis per applicationem, seu subiectionē materiæ. Et in his ferè cōuenit hæc opinio cum præcedētibus. Differt tamē, quia prædictā applicationē materiæ nō dicit esse positam in sola volūtate pœnitētis, neque ex iure diuino esse factam, seu commissam omnibus sacerdotibus, vel pœnitentibus, etiam ante omnem Ecclesiæ ordinationē & prohibitionem: sed dicit esse commissam Summo Pontifici, & Prælatis Ecclesiæ, ita vt nisi ipsi applicent materiā, seu conferāt subditos, nō possint sacerdotes ex vi solius ordinationis validū actū huius potestatis efficere. Hunc modum dicēdi insinuat Maior in 4. d. 19. q. 1. ad finē, Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. Angelus verb. *Cōfessio*, 3. nu. 4. Et videtur facere Panormitanus in Clement. 1. de Priuileg. nu. 16. & Hostiensis (quem refert) in Sum. tit. de pœnit. & remiss. §. *Cui*, Paludanus etiā videtur ita interpretari sententiam suā, si considerentur quæ dicit in 4. d. 19. qu. 2. Fundamentum quoad priorem partem est suprà tactum, quia potestas ad remittēda peccata, quæ in ordine confertur, iudiciaria est, & principiū per se dicēdi ius, & ideò est vera iurisdictio. Vnde per illam constituuntur iudices, quos prædicti auctores, atque etiam Nauarrus, & Paludanus comparant cū iudicibus, qui in iure vocantur *Chartularij*, qui non erant merè arbitri, sed ab Imperatoribus designabantur, & accipiebāt potestatem, vt iudicare possent eos, qui vellent se subiicere, quanuis non possent eos ad iudicium cogere, vt notauit etiā Sylueſter verb. *Iudex*, 1. q. 1. & Gloss. Bart. & alij in l. 1. ff. de Iudiciis. Sicut ergo illi iudices Chartularij habebant potestatem ab Imperatoribus: ita nunc Sacerdotes habent illam à Christo: & sicut illi ex sola cōcessione Imperatorum non habebant subditos, nec materiam applicatam; ita neque sacerdotes habent à Christo ex vi solius ordinationis. Differt tamē iuxta hanc sententiam (quæ in hoc discrepat à Nauarro, & Paludano) quòd in iudicibus Chartulariis applicatio materiæ, & subiectio commissa erat ab Imperatoribus voluntati, & electioni iudicandorum; à Christo verò Domino commissa est Summo Pōtifici, & Prælatis Ecclesiæ. Et hæc est altera pars huius sententiæ, quæ non aliter probari potest, quàm argumentis contra Nauarrum, & Armacanum factis.

Maior. Antoni. Angel. Panorm. Hostien. Palud.

Sylue. Glos. & Bar. l. 1. ff. de Iudiciis.

26. Hic modus dicendi, quantū ad rē intentam ab auctoribus eius, verus est: solū q; differt à secūda sentētia suprà recitata in vsu vocabulorū, nam in re, neque aliam, neque maiorem potestatem dicit cōferri sacerdotibus ex vi solius ordinationis, aut ex diuino iure, quàm secūda opinio: neque aliud dicunt per Ecclesiam dari, nec minùs necessarium esse ad valorem huius iudicij. Differentia ergo est, quia quam priores auctores vocāt potestatem ordinis supra corpus mysticū, posteriores appellant iurisdictionem inchoatā vel incōpletam; & quam illi vocāt potestatem iurisdictionis in foro pœnitentiæ, hi appellant applicationem materiæ, seu complementum actualis iurisdictionis: quare non multùm est de vocibus cōtendendum, quando de re constat. Ego tamen semper elegi priorem loquendi modum, non solùm propter auctoritatem D. Thomę, & grauiorū Theologorum, qui frequentiùs ita loquuntur: sed etiam quia est maximè consentaneus modo loquendi Conciliorum, quæ suprà retuli, & præsertim Concilij Tridentini, in quo solùm inuenio iurisdictionem ordinariā, vel

Fertur iudicium de hoc dicendi modo.

A delegatam: potestas autem ordinis per se sumpta neutra iurisdictio est. Deinde inuenio in his Conciliis absolutè dictum, sacerdotem posse carere omni iurisdictione ad absoluendum, cùm tamen potestate ordinis carere non possit. Tandem inuenio in Concilio Tridentino, iurisdictionem, & subiectionem, seu subditum, esse correlatiua, seu tanquàm relationem & terminum. Rursus inuenio, sacerdotes ex vi suæ ordinationis non habere subditos: vnde cōcludo, iuxta modum loquendi Concilij, id quod sacerdos ex vi ordinationis recipit, non esse iurisdictionem, propriè loquendo: & è conuerso, Ecclesiam cùm dat subditos, tunc dare iurisdictionem. Totum hoc argumentū roboratur ex verbis Concilij Trident. sess. 14. cap. 7. vbi sic ait, *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* In quibus verbis ex necessitate subditorum colligit Concilium necessitatem iurisdictionis: quæ collectio in hoc solùm fundatur, quòd illa duo se habent tanquàm relatio, & terminus. Supponit autem sacerdotem posse carere omni iurisdictione, & ideò etiam posse carere subditis in quos sententiam ratam proferre valeat, etiamsi omnem potestatem in ordinatione acceptam retineat. Video responderi posse, hæc omnia intelligi de iurisdictione completa & actuali, nō verò de incompleta & habituali. Sed ego distinctionem hanc in Conciliis non reperio, nec in præsenti necessitatem eius inuenio, nec ad rem declarandam confert: sed potiùs obscuritatem, & æquiuocationem afferre potest, vt patet ex opinione Nauarri proximè tractata.

Conc. Tr.

B

C

27. Et prętereà solus character ordinis, vt extenditur ad corpus Christi mysticū, valdè impropriè appellatur iurisdictio etiā habitualis, vel inchoata, quia solùm est quasi quædam potestas ad sanctificandos fideles, qui in peccato existunt: quæ tamen non potest exercere suum actum nisi per modū iudicij, & sententię, & ideò requirit coniunctam potestatem iurisdictionis, vt efficaciter operetur. Ipsa tamen propriè non est iurisdictio, imò neque est simpliciter necessaria ad habendam po testatem iurisdictionis in hoc foro: nam Parochus non sacerdos habet integram iurisdictionem, quanuis non habeat potestatem remittendi peccata, quæ in ordinatione confertur, & ideò non possit per se actum illius iurisdictionis exercere, sed solùm eam alteri delegare: quia ad exercitium talis actus est simpliciter necessaria potestas ordinis. Vnde possumus considerare, talem esse actum harum potestatum, vt simul sit & sententia, & executio seu effectio illius remissionis, qua sacerdos iudicat dignū eum, in quem sententiam profert: & ideò & iurisdictionem requirit ad moralitatem sententiæ, vt sic dicam, & potestatem sanctificatiuam, seu remissiuam peccati ad efficacitatem sententiæ. Est enim necessaria ad hanc executionem supernaturalis efficientia cōferendi gratiam, ad quam accipiunt vim supernaturalem ministri, qui ad hoc officium consecrantur ex vi suæ ordinationis: vbi hanc tantùm recipiunt potestatem, quam vt exerceant, iurisdictione indigent, quæ est potestas moralis ad dicendum ius. Optimè ergo hæ potestates his nominibus discernuntur, & potestas, quæ ex vi characteris datur, dicitur potestas ordinis, non iurisdictionis.

D

E

28. Vnde è cōuerso illa applicatio materiæ, de qua hi Auctores loquuntur, reuerà est, & propriissimè dicitur collatio iurisdictionis, vt patet ex cōmuni vsu loquendi, & ex Conciliis suprà citatis, & ratione, quia

est

est collatio subditorum. Item quia, quando non sacerdos recipit beneficium Parochiale, non recipit applicationem materiæ, nec complementum iurisdictionis, quam inchoatam habebat, sed absolutè recipit iurisdictionem. Et similiter, quando aliquis in Summum Pontificem eligitur, non recipit à Christo applicationem materiæ respectu huius sacramẽti, sed recipit veram potestatem iurisdictionis in omnes fideles: applicatio autẽ materiæ, si propriè loquamur, posteà fit per voluntariam subiectionem pœnitẽtis. Denique ipsimet Doctores, cum quibus disputamus, extra quæstionem hanc, frequenter hanc vocant iurisdictionem, vt cùm aiunt approbationem Confessoris nunc requisitam à Concilio Tridentino, non esse collationem iurisdictionis, sed quasi proximam idoneitatem ad illam: item appellant ordinariam, & delegatam iurisdictionem cùm de reseruatione, seu restrictione, aut ampliatione iurisdictionũ loquuntur. Iurisdictionem autem, & potestatem iurisdictionis pro eodem vsurpamus: non enim dicitur potestas iurisdictionis, quia sit potestas ad iurisdictionem exquendam: sed quia est potestas in iurisdictione consistens, sicut est iurisdictio in quolibet alio foro. Potestas autem ordinis, licèt possit appellari iurisdictionis in priori sensu, quia est ad exequẽdam iurisdictionem, quando habeatur: tamen ad tollendam æquiuocationem, & vt more Conciliorum loquamur, non ita loquimur.

29 Potestatem ordinis & iurisdictionis esse re ipsa distinctas. Potestatem iurisdictionis non dari ex vi ordinationis.

Ex his ergo satis constat primò, has potestates esse in re ipsa distinctas, eo modo quo in his rebus moralibus potest inueniri huiusmodi distinctio. Patet, quia sunt mutuò separabiles: nam & potestas ordinis potest sine iurisdictione inueniri, & iurisdictio sine potestate ordinis, vt satis declaratum est: hoc autem est signũ realis distinctionis, vt ex Metaphysica cõstat. Secundò cõstat ex dictis, potestatem iurisdictionis non dari ex vi ordinationis Sacerdotis: in quo etiam à potestate ordinis differt, quæ per sacramentum datur: & ideò *potestas sacramentalis* appellatur à D.Thom.2.2.q.39.art.4.vbi alteram potestatẽ, quàm vocat, *iurisdictionalem ex simplici iniunctione hominis*, cõferri dicit, & ideò esse mutabilem, quod non habet prior potestas. Hoc autem intelligendum est de potestate iurisdictionis quatenus est in omnibus inferioribus Summo Pontifici: nam in illo non est per iniunctionem hominis, sed immediatè à Christo. Quanquã enim Summus Põtifex ab hominibus eligatur, & ante illam electionem iurisdictionem non habeat: nihilominùs illam non recipit ab electoribus, sed à Christo, facta legitima electione. Et ideò, quamuis illa etiam iurisdictio Summi Pontificis non detur per impressionẽ characteris, nec per aliquod visibile signum, vel sacramentum præter hominum electionem, nihilominùs immutabilis est per omnem humanam potestatem, eò quòd & ab ipso Christo, & super omnes homines collata sit. De qua re in materia de fide disputari solet, & fortasse in materia de Ordine illam attingemus, explicando Ecclesiasticam Hierarchiam. At verò infra Summum Pontificem, verissimum vniuersaliter censeo, quod D.Thomas dicit, dari hanc potestatem per iniunctionem hominum secundùm ordinarium Ecclesiæ cursum, siue detur per delegationem, in qua est res manifesta: siue detur ex officio, & tanquam ordinaria potestas, vt datur Episcopis, vel Parochis, de quibus iterum dicemus infrà agentes de ministro.

D.Thomas. Sed ab homine conferri.

## *Apostoli vnde iurisdictionem in foro pœnitentiæ habuerint.*

30 DIXI autem, *secundùm ordinarium Ecclesiæ cursum*, quia de Apostolis, qui extraordinariè fuerunt electi ad illam dignitatem, dubitari solet, an illi habuerint hanc iurisdictionem immediatè à Christo, an mediante Petro. Multi enim existimant, etiam Apostolos tantùm accepisse à Christo potestatem ordinis immediatè, vel in corpus Christi verum in nocte Cœnæ per illa verba, *Hoc facite*, vel in corpus Christi mysticum, post Resurrectionem, per illa, *Accipite Spiritum sanctum*: iurisdictionem autem non recepisse immediatè à Christo. Non enim per illa verba, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* aliàs omnes sacerdotes per hæc verba illã reciperẽt: nec per alia, quia soli Petro dictum est Ioan. 21. *Pasce oues meas*: per quæ verba solus Petrus iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam accepit.

Prima opinio.

Ego verò probabilius censeo, omnes Apostolos immediatè habuisse à Christo potestatem iurisdictionis, non iure ordinario permansuram in Ecclesia, quod proprium fuit Petri: nam hæc fuit specialis promissio illi facta Matth.18.& impleta Ioan.21.sed iure quasi delegationis, & Apostolatus, quod munus immediatè à Christo acceperunt: & ad illud inter alia pertinet hæc iurisdictio. Vnde etiam probabile est, hoc factum esse in illo loco Ioan.20.non quidem ex vi illorum verborum, *Accipite piritum sanctum, &c.* vt futura erant forma sacramenti Ordinis ex parte: sed ex peculiari intentione Christi significata etiam illis verbis, *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Vide Bellarminum libro quarto de Summo Pontifice, capite 22.& 23.

31 Apostolos immediatè accepisse à Christo potestatem iurisdictionis vera sententia.

Bellarm.

Fundamentum primæ sententiæ ex proximè dictis solutum est. Specialia etiam fundamẽta, quæ pro variis modis explicandi tertiam sententiam retulimus, inter illos confutandos expedita fuêre. Solùm ergo superest vt illas obiectiones dissoluamus, quas contra secundam sententiam à nobis probatam, proposuimus. Quorum primum sumebatur ex significatione & efficacia illorum verborum Christi, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* nos verò dicimus per hæc verba dari sacerdotibus veram potestatem per se & in suo ordine sufficientem ad remittenda peccata subditorum, quando illos habuerint; non verò dari iurisdictionem seu subditos. Cùm verò dicitur illa potestas esse iudiciaria, & per illa verba constitui sacerdotes iudices. Respondemus, vocari iudiciariam, quia non potest suum actum exercere nisi per modũ iudicij; non verò quia per se sufficiat ad ferendũ iudiciũ sine potestate iurisdictionis: vnde exvtraque potestate cõpletur integra facultas ad perfectũ actũ huius iudicij, qui & prolationem & executionẽ sententiæ includit, vt suprà declarauimus. Et cum eadẽ moderatione intelligendum est, cùm dicuntur sacerdotes constitui iudices ex vi ordinationis: solùm enim aptitudine id verum est, non actu, quia ex vi solius ordinatiõnis non habent ius ad ferendam sententiam, sed habent præcipuam potestatem operatiuam in tali sententia, ratione cuius soli sacerdotes sunt deputati ad ferẽdam sententiam in hoc iudicio, si accedat iurisdictio. In quo fatemur, sacerdotes habentes solam potestatem ordinis, quandam similitudinem habere cum iudicibus Chartulariis; tamen illi etiam ex vi solius designationis Imperialis non erant simpliciter iudices, neque in iure ita appellãtur; sed tantùm secundùm quid, scilicet aptitudine: neque habebant iurisdictionem, cùm nullum eius actũ exercere possent, donec partes se illis submitterẽt. Vnde re ipsa & in modo iurisdictionis cõuenieban: cũ iudicibus arbitris; solũq; differebãt, quia ex prouidentia Imperatorum etiã illi designabantur, & quasi approbabãtur, qui eligi poterant ad ferendum arbitrariũ iudiciũ. Et in hoc est magna dissimilitudo inter eos & sacerdotes, vt ex dictis constat.

32 Soluuntur obiectiones contra secũdam sententiam.

Vide in Codice, &c. de his Iudicibus.

Secundum argumentum in eo fundabatur, quòd iuxta

iuxta nostram sententiam possent sacerdotes dicere se absoluere auctoritate Sūmi Pōtificis. Sed hoc parui momenti est, quia solùm spectat ad loquendi modū. Vnde, si quis per ea verba solùm significaret se absoluere per iurisdictionem acceptam à Summo Pontifice, non excludendo præcipuam virtutem, & potestatem acceptam à Christo, nec falsum diceret, nec multum in eo peccaret, secluso scandalo. Respondetur tamen negādo sequelam, quia dum sacerdos profert hanc sententiam, non solùm profert illa verba vt declaratiua iuris, vt sic dicam, quod commune est aliis sententiis: sed vt efficacia eius effectus, quem significant, quod habent ex potestate ordinis, quatenùs est virtus Christi, cuius personam gerit sacerdos: & propterea dicere potiùs debet se absoluere auctoritate Christi. Et ideò non est simile quod affertur de sententia excommunicationis, & aliis huiusmodi. Accedit etiam quòd potestas iurisdictionis, licèt per Pontificem conferatur principaliter manat à Christo, à Pontifice verò solùm vt à Vicario eius: & ideò etiam simpliciter in Christi auctoritate fit hoc iudiciū. Tertium argumentum erat de absolutione Summi Pontificis: sed de illo satis dictum est pro huius loci occasione, nam infra in proprio loco iterum occurret.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm hæc potestas remittendi peccata sit clauis regni cælorum, vna, vel plures.*

1. Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi esse potest, quia in Euangelio numquàm videtur hæc potestas significari nomine clauis regni cælorum. Nam Matth. 16. vbi promittuntur claues Petro, sermo est de suprema potestate Pontificia ad gubernandam Ecclesiam, quæ alterius ordinis, & excellentior est, quàm potestas ligandi, & & soluendi, vt Caiet. latè prosequitur Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 5. de potestate summi Pontificis. Et ita illa promissio non Ioan. 20. sed Ioan. 21. impleta est illo verbo, *Pasce oues meas*. Rursus Matt. 18. promittūtur Apostolis, & in eis Ecclesiæ, claues regni cælorum: tamen, vt ex contextu constat, ibi non est sermo de potestate in foro sacramentali, sed de potestate in foro contentioso ad ligandum per leges, pœnas, & censuras, & soluendum ab illis, iuxta illa verba, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tāquàm Ethnicus, &c.* Accedit quòd hæc potestas de qua agimus, vnica tantùm est: at verò claues à Theologis plures distinguuntur, & quædam vocatur clauis scientiæ, alia potentiæ; quæ non videntur posse ad potestatem, de qua nunc agimus, accommodari. Hæc proposita sunt solùm vt explicemus hanc metaphoram, & modos loquendi Theologorum in hac materia. Et vt semel indicemus materiam de clauibus non indigere speciali expositione, sed partim in hac materia, partim infrà in materia de indulgentiis, & censuris declarari, omissis illis, quæ specialiter pertinet ad tractatum de Summo Pontifice, & de quo in materia de fide disseritur.

### *Potestatem remittendi peccata rectè per metaphoram clauis significari.*

## ASSERTIO I.

2. DICENDVM ergo est in primis potestatem hanc ad remittenda peccata in foro pœnitentiæ, rectè per metaphorā clauis regni cælorum significari, seu sub illa comprehendi. Hæc assertio colligitur ex Conciliis,



A Florentino, Constantiensi, & Tridentino suprà citatis & ex Extrauag. Ioan. 22. suprà etiam citata, & ex vsu Theologorum, & expositorum Matth. 16. & 18. Et declaratur breuiter, primò, exponendo hāc metaphorā *clauis*: certum est enim vocem hanc non in significatione propria, sed metaphorica in præsenti vsurpari. Est enim clauis veluti facultas quædam ad aperiendū, & claudendum, & inde trāslata est hæc vox ad significandam potestatem Ecclesiasticā ordinatā ad regendas, & disponendas animas, vt regnum cælorum consequantur. Et hoc modo dicitur ipse Christus Apocal. 3. habere clauem Dauid. Et de eodem prædictum fuerat (exponente Hieronymo) Esaiæ 22. *Dabo clauem Dauid super humerum eius*: illa enim clauis erat potestas excellentiæ, seu *principatus*, qui *factus est super humerum eius*. Isaiæ 9. cuius participatio est potestas seu clauis Ecclesiæ. Vnde Chrysostomus hom. 55. in Matth. dicit, claues Petro promissas, significare magnam potestatem, & donum ineffabile. Et homil. 83. inquit, *Claues regni cælorum ei concessit, totámque potestatem ei commisit*. Et ad eundem modum loquitur S. Maximus homil. 5. de Sanctis Petro, & Paulo. Vnde Beda Ioan. 21. circa finem, *Ecclesia*, inquit, *quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendique peccata*. Et Fulgentius libr. de fide ad Petrum, circa medium, dicit, pœnitentiam prodesse, si fiat in Ecclesia, cui Deus in persona S. Petri potestatem ligandi, & soluendi tribuit. Et hoc idem (vt obiter notetur) voluit Augustinus. tract. 50. in Ioannem, cum dixit, Petrum, cùm illi cōmissæ sunt claues, Ecclesiam repræsentasse, scilicet, quia toti Ecclesiæ in ipso datæ sunt, non quia corpori Ecclesiæ immediatè sint datæ, sed capiti propter totū corpus: vt ex eodē etiam sumitur serm. 124. de Tempore. Et de eadem potestate explicuit hanc metaphoram idem August. lib. 20. de Ciuit. capit. 9. iuncto alio loco ex libr. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum, cap. 17.

Extrau. Ioan. 22. Apocal. Esai. Chrysost. S. Maximus. Beda. Fulgent. August.

3. Sicut potestas Ecclesiastica multiplex metaphora clauis regni cælorum.

Deinde obseruandum est, sicut potestas hæc Ecclesiastica multiplex est; ita etiā metaphoram clauis variè accipi posse, seu in ordine ad diuersos actus. Quia verò hæc dicitur esse non quæcunq; clauis, sed regni cælorum; ideò ex varia significatione, vel acceptione regni cælorum, etiam metaphora clauis diuersam significationem habet, vt dicemus. Seclusis verò aliis significationibus, *regnum cælorum* in omni proprietate & rigore significat Ecclesiam triumphantem, seu æternam beatitudinē, quę clauditur homini per mortale peccatum; aperitur autem per remissionem eiusdem peccati; & ideò potestas remittendi vel retinendi hæc peccata optimè per metaphoram clauis regni cælorū significatur: quia clauis est potestas seu facultas quædam, cuius actus sunt aperire, & claudere. Vnde potestas clauium sic definiri solet ex decreto Ioan. 22. suprà, *Est potestas, qua index Ecclesiasticus dignos admittere valet ad regnum cælorum, & repellere indignos*. Quæ definitio optimè in hanc potestatem conuenit. Dices, Eadem ratione posse hanc potestatem clauem inferni appellari. Respondeo in primis, in metaphoricis locutionibus non esse inconueniens vt sub diuersis rationibus voces, quæ videntur contrariæ, eidē rei accommodentur: sicut Christus & leo, & agnus dicitur. Deinde non est similis ratio: quia quod per se intenditur per hanc potestatem, est apertio regni cælorū: vnde hoc tantū fit directè per se, ac positiuè per illam: claudere autem regnum solùm fit priuatiuè non aperiendo, idque quasi præter intēsionem, ad hoc cogente malitia ipsa peccatoris. Præterea regnum cælorum est tanquā terminus, ad quem tenditur ex vi huius potestatis; infernus autē est terminus à quo recedit: & ideò magis ab illo, quā ab hoc denominatur.

Potestas clauium definitur. Obiect. Soluitur.

*Potestatem hanc, licèt adæquatè sit vna, secundùm diuersos conceptus nomine plurium significari.*

## ASSERTIO II.

4. SECVNDO dicendum est, licèt hæc potestas adæquatè & completè vna sit: tamen secundùm diuersos respectus seu cõceptus nomine plurium clauium significari. Prior pars asseritur ab Ambrosio lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & est per se nota ex dictis de actibus huius potestatis. Altera verò posita est ad explicãdos Theologos, qui cõmuniter ita loquuntur: quod fortasse inde ortum est, quia Christus Dominus de clauibus regni cælorum semper in plurali locutus est. Posset autem illa distinctio breuiter declarari per ordinem ad actus aperiendi, & claudendi: sed hoc non est adeò in vsu, quia reuerà non est ita proprium: nam vna & eadem clauis materialis ad vtrumque actum deseruire solet. Aliter ergo Theologi distinguere solent in hac potestate clauem scientiæ, & potentiæ: quæ distinctio solet maximè accommodari ad vniuersalem potestatẽ spiritualem, quæ est in Ecclesia: & sic clauis scientiæ dicitur in Summo Pontifice potestas illa, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandam sacram Scripturam. Nam illa etiã clauis dici potest regni cælorum, vel quia fides est fundamentum viæ, & tendentiæ ad regnum cælorum: vel quia ipsa Scriptura sacra solet aliquando regnum cælorum appellàri, vt Matth. 21. Hieronymus & Origenes testantur.

Ambros. — Distinctio clauiũ scientiæ & potẽtiæ.

5. Alio verò modo *regnum cælorum* solet significare Ecclesiam militantem, vt passim est in Euangelio: & hoc modo potestas spiritualis data à Christo ad regendam Ecclesiam, & recipiendi intra illam, vel separandi ab illa quos oportuerit, clauium nomine significari potest. Et est acceptio valdè vsurpata à sanctis Patribus, vt videre est in Augustino, & aliis suprà citatis. Nam quia per traditionem clauium solet dare possessio vel domus, vel ciuitatis, aut regni; ideò etiã per hanc clauium traditionem potestas hæc meritò significari dicitur: quæ varios habet actus, nempè ferre leges, dispensare, & alia huiusmodi. Et ideò in communi de illa tractari solet in materia de legibus & in particulari in variis materiis, vt de voto, de matrimonio, & similibus: & specialiter de actu huius potestatis, quatenùs potestas coërciua est, & potest ligare & soluere per censuras, tractandum est infrà in materia de censuris. Et hæc maximè dicitur clauis potentiæ, quia nihil aliud est quàm potestas præcipiendi, gubernandi, &c. Et hoc modo videntur Ambrosius serm. 66. & Augustinus serm. 27. de Sanctis, accommodasse Petro clauem potentiæ, Paulo verò clauem scientiæ: nam, licèt vterq; vtramque habuerit, tamen per quandam eminentiam sic appropriantur. Rursus hoc modo etiã in lege veteri fuerunt claues, licèt minùs perfectæ. Vnde Luc. 11. ait Christus Dominus, *Væ vobis Pharisæi, qui accepistis clauem scientiæ.* Et de potestate gubernandi res est manifesta.

Ambros. Auguit. — Luc. 11.

6. Alio modo accommodatur illa diuisio ad potestatem remittendi peccata: in cuius actu vel vsu duo distingui possunt, quæ in omni iudicio sunt necessaria. Vnum est, cognitio seu examinatio causæ: aliud est, sententiæ prolatio. Dicta ergo potestas ad vtrumque est sufficiens, & secundùm priorem rationem vocatur clauis scientiæ. Non est enim hæc scientia priuata, quæ requiritur in Confessore, vt putauit Magister sententiarum; illa enim non est potestas: vnde esse potest in eo qui claues non habet: & è cõuerso claues esse possunt sine tali scientia. Est ergo potestas & auctoritas ad examinandam conscientiam pœnitentis, & interrogandum iuridicè in illo foro, ita vt ille teneatur veritatẽ fateri. Clauis autem potentiæ dicitur facultas absoluendi & remittendi peccatum ferendo sententiam. Quam explicationem optimè insinuarunt Ambrosius, & Augustinus in dictis sermonibus, *Clauis*, inquiunt, *dicenda est, qua peccatorum corda reserantur, secreta panduntur, & quidquid intrinsecus clausum tenetur in palam rationabili manifestatione producitur: clauis, inquam, est quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit.* Et hæc etiam expositio est cõmunis Theologorũ dist. 18, 19. & 20. Scotus dist. 19. quæst. 1. art. 3. quem sequitur Conradus tract. 1. de contractibus, quæst. 2. contendunt has claues scientiæ & potentiæ significare in proposito non solùm diuersos actus, sed etiam potestates realiter distinctas, quarum vna separabilis est ab alia de potestate absoluta. Sed hæc quæstio nullius momenti mihi videtur, quia, vt dixi, hæc potestas, & consequenter claues, præter characterem nihil reale & physicum ponunt in homine: & ideò non possunt in re habere distinctionem, nisi quatenus à Deo deputantur ad varios actus, & ita in ordine ad illos est distinctio secundùm rationem, & secundùm quandã extensionem moralem; tamen potestas in se vna est, integra, & perfecta: quòd si daretur ad vnum actum, & non ad alium, esset eadem potestas, inchoata tamẽ & imperfecta.

Eadem diuisio accõmodatur potestati remittendi peccata. — Scot. Conrad.

*An inter has claues numeretur potestas iurisdictionis.*

SED dicet aliquis, Cur potestas iurisdictionis non numeratur inter has claues? Respondeti potest primò ex Caietano tom. 1. Opusc. tractat. 3. de Roman. Pont. cap. 5. quod Theologi tantùm diuiserunt claues vt pertinent ad potestatem ordinis, quia illa est propria & per se potestas: iurisdictio autem magis videtur quasi conditio necessaria, & applicatio materię. Aliter Marianus Victor in libr. de Confessione, capit. 12. concedit iurisdictionem significari nomine clauis: & ita ipse tres claues distinguit, scientiæ, potentiæ, & iurisdictionis. Et non est dubium, quin metaphora clauis in Scriptura, & Sanctis se extendat ad potestatem iurisdictionis: nam potestas ligandi & soluendi per excommunicationem tantùm est potestas iurisdictionis, & passim significatur nomine clauis, & potestas Ecclesiæ Petro promissa sub nomine clauium, maxima ex parte iurisdictione consistit. Vnde ego dicerem, hanc diuisionem clauis scientiæ, & potentiæ applicatam ad potestatem remittendi peccata, de qua agimus, tam conuenire in potestatem ordinis quàm in potestatem iurisdictionis, quia vtraque est & ad inquirendam cõscientiam peccatorum, & ad absoluendum, vel ligandum: & ita potest dari hæc diuisio de tota integra potestate, vt ordinem, & iurisdictionem comprehendit.

7. Caietani responsio. — Mariani responsio.

Ex dictis ergo constat, qui sint actus istarum clauium: sicut enim hæ claues supradictam potestatem significant, ita eosdem actus habere videntur, scilicet ligare, & soluere: & hos illis communiter tribuunt Theologi. Caietanus verò dict. Opusc. & c. dicit, hos non esse actus adæquatos clauiũ, sed aperire, & claudere, qui metaphoricè ampliùs significãt, & comprehendunt. Ligare enim, & soluere propriè tantùm significant actus iudiciales: at verò claues non tantùm hos actus iudiciales habent, sed etiam alios, scilicet illuminare, dispensare, regere, &c. qui omnes bene comprehenduntur sub metaphora claudendi, & aperiendi. Vnde infert, claues secundùm actus suos adæquatos

8. Qui sint actus istarum clauium. Caietan.

quatos esse tantum in Summo Pontifice,& ita soli Petro fuisse promissus Matt. 16. quoad actus verò inadæquatos ligandi & soluendi communicari aliis. Quę doctrina in re quidem vera est, quia non est dubium, quin claues vniuersales,& quę ad omnes actus se extendunt specialiter datæ sint Petro & successoribus eius. Verumetiam est, illas claues varios habere actus vt explicatum est, eósque sub dicta metaphora aperiendi & claudendi posse comprehendi. Addo verò etiam posse significari per actus ligandi & soluendi, vt Christus Dominus significauit Matth. 16. & explicant ibi Hieronymus & Chrysostomus,& alij,& Augustinus suprà citatis locis,& 1. de Doctr. Christia. ca. 17. & 18. & Gregorius lib. 4. epist. cap. 76. & est epistola 32. Nam hæc potestas clauiũ est potestas aliquo modo superioris: quidquid autem superior per suam potestatem operatur potest optimè ad illos actus reuocari: nam si dispensat, soluit: si præcipit, ligat, Matt. 23. *Alligant onera grauia & importabilia.* Quare absolutè etiam est verum, has claues esse communicatas aliis à Petro, quoad potestatem quidem ordinis perfectè, quoad potestatem verò iurisdictionis ex parte, & dependenter à capite, vt suo loco infrà dicetur. Vnde Eusebius Emissenus homil. in natali S. Petri, circa id *Tibi dabo claues: Petro,* inquit, *principaliter dicitur: cæteris tamen Apostolis etiam dictum esse intelligi debet, & Episcopis, & sacerdotibus: istis enim & claues, & potestas à Deo data est: vt non solum Ecclesiam, sed etiã cælos aperiãt.*

Matth. Hieron. Chrysost. August. Gregor. Euseb. Emiss.

9. Ad rationes ergo dubitandi facilè respondetur ex dictis. Nam in locis illis Matth. 16. & 18. verum quidem est nomine clauium aliquid ampliùs comprehẽdi præter hanc potestatem, de qua nunc agimus: nam suprà etiam diximus potestatẽ ordinis, & iurisdictionis generaliter sumptam alia comprehendere, præter potestates ad hoc sacramentum pœnitentiæ necessarias. Et ideò non dixi, solam hanc potestatem remittẽdi peccata esse claues, sed ipsã sub clauibus contineri. Si verò in illis obiectionibus asseratur, in prædictis locis Matthæi claues ita significare aliam potestatem, vt hanc non comprehendant, sic falsum est quod sumitur, cum illa verba generalia sint de potestate ligãdi, & soluendi, aperiendi, & claudendi regnum cælorum, vt in sect. 2. satis expendimus.

10. Rationibus dubitandi satisfit. Atque hinc tandem intelligitur, has claues, prout nunc sunt in Ecclesia, esse proprias legis gratiæ: nam, licèt in lege veteri aliquo modo fuerint claues, vt diximus, propriè tamen illæ non erant claues regni cœlorum, quia tunc non erat propria potestas remittendi peccata, nec dandi gratiam, vt suprà dictum est in materia de Sacramentis in genere: & quia tunc nondũ erat per Christum aperta ianua regni cœlorum. Cætera quę de subiecto, vsu, & effectu clauium tractari solent, partim in præcedentibus sectionibus tacta sunt, partim dicentur infrà cùm agemus de ministro huius sacramenti, & de actibus eius, scilicet de absolutione, & satisfactione seu pœnitentiæ impositione.

## DISPVTATIO XVII.

### *De institutione, & necessitate sacramenti pœnitentiæ.*

EXPLICATA potestate remittendi peccata quæ est fundamentum sacramenti pœnitentiæ, agendum est de ipso sacramento. Et in hac disputatione tractamus an sit, dicturi posteà de essentia, & partibus eius. Ne autem multiplicemus quæstiones, eadem inquirendo prius de sacramento, postea de confessione, suppono his vocibus apud sanctos Patres eandem rem significari. Aliquando enim vocatur hoc sacramẽtum absolutè *Pœnitentia*, scilicèt sacramentalis, seu propria Christianorum, vt est apud Symmachum Papã Apolog. contra Anastasium Imperatorem, vt refert Marianus Victor. libr. de Confession. cap. 2. Aliquando vocatur *Confessio* seu *Exomologesis*, vt apud Cyprianum epist. 10. & 15. Vocatur etiam *Reconciliatio* seu *absolutio* ex Augustino epist. 180 nominatur enim sæpè totum à partibus. Vnde non est necesse agere de institutione singularum partium, sed totius: nam posteà explicando, quibus partibus hoc totum constet, sufficienter erunt demonstrata.

Symmach. Papa. Marian. Vict Cyprian. August.

## SECTIO I.

### *Vtrùm Christus Dominus in lege noua sacramentum pœnitentiæ ab aliis distinctum instituerit.*

HIc sunt duo errores extremè oppositi. 1. Primus error. Prior asserit hoc sacramentum exterioris confessionis antiquissimum esse, & institutum esse, vel ab ipso Deo in paradiso terrestri statim post peccatũ Adæ, quando illum interrogauit, *Quid feci?* vel in lege veteri quãdo fuerũt instituta sacrificia pro peccatis, quæ offerebantur præmissa quadam confessione. Vnde & de Ioanne Baptista legitur, quando cœpit pœnitentiã prædicare, Iudæos ad ipsam accedentes confessos illi fuisse peccata sua. Hãc sententiã refert Glossa de pœnitentia, d. 5. in principio. Referunt etiam quendã Petrum de Osma hunc tenuisse errorem, & damnatum fuisse in quodam Concilio Complutensi confirmato à Sixto 4. Fauereque illi videtur Vualdensis 2. tom. de Sacramentis, c. 140. dicens, confessionem non fuisse à Christo primò institutam, nam anteà erat in lege veteri, Christum verò aliquid suppleuisse. Ille verò fortasse loquitur de confessione non sacramentali.

Gloss in pri. de pœn. d. 5. Vualdens.

De hac ergo confessione intellecta illa sententia omninò falsa est, quia potestas remittendi peccata nõ fuit data hominibus ante Christum Dominum. Neq; in lege veteri aut naturali erant sacramenta conferẽtia gratiam, aut culpas remittentia, præter remedium originalis peccati, vt in superiori tomo est ostensum. Item decuit vt in lege gratiæ liberaliùs fieret peccatorũ remissio, quam anteà, & ideò illius est proprium hoc beneficiũ, vt etiam Concilium Tridentinum docuit sess. 14. capit. 1. Illa ergo confessio Adami magis fuit interior ad Deum, quàm exterior ad hominem: sicut illa Dauidis Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino.* Confessio autem, quæ fiebat in lege veteri, solùm erat generalis, & cæremonialis, neque ad internam remissionem peccatorum, sed ad irregularitates tollendas, nec de aliis peccatis, sed solùm quantùm in ipsa oblatione sacrificij pro peccato manifestabantur, licèt fuerit vmbra & figura huius sacramenti: quod etiam de confessione Iudæorum ad Ioannem Baptistam dici potest. De hoc errore plura legi possunt in Medina tractatu 2. de Cõfessione in principio, & Nauarro de pœnit. d. 5. à principio.

2. Conc. Trid. Psalm. 31. Medina. Nauarr.

Alter error est hæreticorum huius temporis, qui negant sacramẽtum pœnitentiæ distinctum à Baptismo, quia ad saluté sufficere putãt credere, & baptizari, iuxta illud Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quanuis enim Lutherus ipse non tam apertè negauerit hoc sacramentum; tamen discipuli eius expresè negarunt in confessione Vuitembergensi, & Antuerpiensi, atque etiam Caluin. vt conflat ex Ruardo ar. 3. Petro Soto contra priorem confessionem, & Tiletan. contra posteriorem cap. 18. Sed hic error damnatus est in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. contra Vuiclech, & in Florentino, in Decreto Eugenij, & latiùs in Tridentino, sess. 14.

3. Secundus error. Ruard. Petr. Soto. Tileran. Conc. Cõst Conc. Flor. Conc. Trid.

*Christum reliquisse in Ecclesia speciale sacramentum, quod est medium ad veniam peccatorum post Baptismum commissorum. Prima veritas fidei.*

4. VNDE duo sunt hîc certa de fide, Vnum est, reliquisse Christum Dominum in Ecclesia speciale quoddam sacramentum, quod esset remedium ad consequendam veniam peccatorum, quæ post Baptismum susceptum committuntur. Ita definitur in dictis Conciliis: & patet ex tota præcedenti disputatione. Nam illa potestas non est excellentiæ, & ideò habet determinatum actum, & modum operandi. Deinde est potestas exercenda inter homines in Ecclesia visibili: & ideò necesse est vt per aliquod signũ sensibile & humanum operetur. Rursus est potestas efficax de se: & ideò necesse est, vt illud signum sensibile, quo vtitur, habeat promissionem gratiæ, quia sine illa non remittuntur peccata: signum autem efficax gratiæ, & habens promissionem eius est sacramentum nouæ legis: ergo tali potestati necessariò respondet aliquod sacramentum nouæ legis remissiuum peccatorum, quæ post Baptismum committũtur. Ratio seu congruentia addi potest, quia non est minor necessitas in hominibus baptizatis, nec minùs periculi in peccatis, quæ post Baptismum committuntur, quàm in eis quæ præcedunt: ergo ad Christi prouidentiam pertinuit remedium instituere, quo regenerati possent à peccatis resurgere. Quam rationem attigit Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 1. Suprà etiam aliam adduximus, quam significauit eleganter Pacianus epist. 3. ad Simpronianum, dicens, *Sicut gentilem populum non est passus mori, ita & redemptum non patietur extingui.*

Conc. Trid.
Pacian.

*Sacramentum hoc distinctum esse à sacramento Baptismi. Secunda veritas fidei.*

5. SECVNDA veritas fidei est, Sacramentum hoc in remedium actualium peccatorum baptizatorum hominum institutum, distinctum esse à sacramento Baptismi. Ita definitum est in Conciliis Florẽtino, & Tridentino, & traditur ab antiquis Patribus Cypriano sermon. de Ablutione pedum & epist. 55. aliàs lib. 1. epist. 3. idem in epist. 10. alias lib. 3. epist. 14. Sumitur etiam ex Symmacho Papa & ex Cælestino Papa in c. *Omnis.* & c. vltimo 30. qu. 1. vbi dicunt, fieri aliquem spiritualem filium sacerdotis per pœnitentiam, sicut per Baptismum: neque minùs peccare eum, qui cum filia spirituali confessionis delinquit, quàm qui cum filia Baptismi. Basilius etiam cõfessionis peccatorum, & necessitatis eius meminit in regulis breuioribus 229. & 288. & in id Psalm. 29. *Confitemini memoriæ sanctitatis eius:* & expressiùs in id Psal. 32. *Diligit misericordiam, & iudicium*: vbi disertè loquitur de confessione homini facienda. Eiusdem sacramenti Cyrillus meminit distinguens illud à Baptismo libro 12. in Ioan. cap. 56. & sumitur ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia, c. 2. & 6. & lib. 2. ca. 2. & 9. & Augustino 22. contra Faustum. cap. 29. vbi appellat, *medicinam confessionis, & pœnitentiæ.* & epist. 23. *Non regeneratione,* inquit, *sed curatione.* Idem libr. 5. de Baptismo, cap. 22. & circa id Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quid agis?* inquit, *contere, confitere.* Et infrà, *Quæ sunt ista alligamenta? temporalia sacramenta, quibus habemus consolationem.* Idem optimè libr. 2. de visitatione infirmorũ c. 4. & de vera & falsa pœn. c. 10. & sequentibus, & 1. contra Cresconium, c. 21. vbi etiam confessionis meminit. Alia referam sectione sequenti, & disputatione sequenti. Et videri potest Bellarm. toto libr. 1. de Pœnitentia. Pamelius in principio lib. de Pœnitentia Tertulliani, & Vualdensis de Sacramentis, tom. 2. cap. 135. & sequentibus, & Petrus Soto lect. 3. & 4. de Confessione, Ruardus art. 3. Denique Theologi d. 14. & 15. & D. Thomas suprà quæst. 84. a. 1. Et videri etiam possunt tractata de Sacramentis in genere, & de Baptismo, 3. tomo huius 3. partis.

Cyprian.
Symmac. Papa.
Cælest. Papa.
Basil.
Cyrill. Ambr.
August.
Bellarmin. Pamel.
Vualden. Petr. Soto. Ruard.
D. Thom.

Ratio verò facilè constat ex dictis. Primò quia finis, & effectus vtriusque sacramenti longè diuersus est: nam Baptismus primò & per se est ad tollendum peccatum originale, & consequenter actualia, si cum illo sint cõiuncta: hoc verò per se est ad tollenda peccata actualia, quæ post originale remissum committuntur. Rursus Baptismus est quasi prima generatio spiritualis, & ad dandam primam vitam animæ: pœnitentia verò est veluti resurrectio spiritualis, nam est ad reparandam vitam iam habitam, & amissam.

6. Ratione probatur veritas

Respondent noui hæretici, ad hoc non esse necessarium nouum sacramentum, quia idem Baptismus, qui dum fuit præsens, excitando fidem, abstulit priora peccata, etiam iam receptus per sui memoriã, eandem fidem excitando, potest auferre peccata post ipsum cõmissa ex vi eiusdem promissionis generalis, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Vnde Paulus ad Ephes. 5. solum perlauacrũ dicit mundare Christum Ecclesiam suam. Quem locum tractans Augustinus 1. de nuptiis, cap. 33. dicit per Baptismum non solùm præterita, & præsentia peccata remitti, sed etiã illa, quæ posteriori tempore committuntur. Vnde etiã Fulgentius de fide ad Petrum, c. 30. Baptismum vocat sacramentum fidei, & pœnitentiæ. Respondetur, in hoc multos contineri errores. Primus, quòd sola fides remittat peccata, & consequenter quòd sacramenta ad hoc non conferant nisi excitando fidẽ: quod suprà latè improbatum est. Deinde, quod sacramentum priùs susceptum per solam sui memoriam conferat effectum: quod nullo fundamento nititur: neque ostendi potest vlla promissio de hac re scripta, vel tradita. Imo est contra communem traditionem & doctrinam Ecclesiæ. Præterea, quod Baptismus præteritus deleat peccata post ipsum commissa, apertè est contra Paul. ad Herb. 6. vbi iuxta communem expositionem Sanctorum, suprà etiam in hac materia tractatam, Paulus negat, lapsos post Baptismũ, posse per Baptismum renouari: & quanuis directè intendat negare iterationem Baptismi tamen apertè supponit primum, vel potiùs vnicum Baptismum non habere talem effectum: & ideo affirmat aliam esse viam difficiliorem, & asperiorem ad talia peccata remittenda: quod nõ esset verum, si sola memoria Baptismi sufficeret. Neque hæretici possunt consequenter in suo errore hoc bene explicare: quia Baptismus præteritus non potest excitare fidem, sed oportet quærere aliud excitans & fidem, & memoriam talis Baptismi. Vnde illa promissio, *Qui crediderit, &c.* prauè ab eis exponitur: semper enim in iis promissionibus subintelligitur conditio perseuerãdi in iustitia susceptã, vel adhibendi alia necessaria ad salutẽ. Paulus verò ad Ephes. 5. loquitur de modo quo regenerantur, & mundantur Ecclesiæ membra, quando ad illam aggregantur. Augustinus autem citato loco solùm exponere voluit, Baptismum esse principium remissionis omnium peccatorum, etiam sequentiũ, non quia propriè per Baptismũ omnia tollãtur, sed quia per Baptismum fit homo capax omnium sacramẽtorum & mediorum, quæ sunt in Ecclesia contra peccata: & quia per fidem in Baptismo susceptam impetrat homo remissionem aliorum peccatorum, præsertim venialium, vel auxilium, vt se disponat ad remissionem mortalium. Vnde idem Augustinus epist. 23. *Si paruulus,* inquit,

7. Hæreticorũ cuasio.
Paul. ad Eph. August.
Fulgent.
Præcluditur cuasio.
August.

*bap*

*baptizatus, grādior factus, propria incœperit habere peccata, per quæ gratiam amittat, non regeneratione, sed alia curatione sanari potest.* Et lib. 5. de Baptismo, cap. 22. de eodem dicit: *Non sanari per Baptismum, sed per veram conuersionem.* Fulgentius denique vocat Baptismum sacramentum fidei, & pœnitentiæ, quia in adultis etiã
Actor. 2. pœnitentiam requirit, iuxta illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite: & baptizetur vnusquisque vestrum.*

8. Eadem veritas de distinctione Baptismi & pœnitentiæ ostenditur. Secundò ostendi potest distinctio illorum sacramentorum ex diuerso ritu: nam vnum fit per modum regenerationis ex aqua, aliud per modum iudicij. Vnde alia est materia & forma vtriusq; sacramenti: nam ablutio cum verbis significantibus illam, eiúsque effectum, est materia & forma Baptismi, huius verò sacramenti est accusatio, & sententiæ prolatio. Ex quo etiã sumi possunt plures congruentiæ, ob quas hoc sacramentũ ita distinctũ institutũ est. Primò quidẽ ob magnam fideliũ vtilitatem, nam per hunc modum remedij obtinere possunt & consilium, & curationẽ, & satisfactionem, simul cum peccatorum remissione. Pertinuit etiam ad perfectionem, & maiestatem Reipublicæ Christianæ, vt in ea esset tribunal, in quo animarũ causæ iudicarentur, & diuinæ iniuriæ vindicarentur. Estq; magna fideliũ consolatio: & eorum spes augetur, dum diuinũ iudiciũ in humanum quodãmodò commutatur, gerente homine in illo vicẽ Dei. Et multò facilior redditur via ad plenam & perfectam peccatorum expiationem, & vitandas non solùm inferni, sed etiam Purgatorij pœnas. Vnde est illud Gregorij Nazianzeni Orat. 40. *Nec confiteri peccatum graue ducas; nam per huius seculi pudorem, futuri seculi pudorem & ignominiam fugies.*
Nazian.

---

*Sacramentum hoc secundùm essentialem ritum fuisse à Christo institutum.*

## ASSERTIO III.

9. TERTIO dicendum est, sacramentum hoc in particulari, & secundùm propriam rationem seu essentialem ritum fuisse à Christo Domino institutum. Non enim defuerunt Catholici qui circa hoc
Gloss. in pr. de Pœn. d. 5. errauerint. Nã Glossa in dict. principio de pœnit. d. 5. dixit esse institutum ab Ecclesia, vel à Iacobo in sua Canonica ca. 5. quam nonnulli Canonistæ secuti sunt, vt ibi Nauarrus refert. Tribuiturque etiam Erasmo in libro de modo confitendi, & in colloquiis puerorum, vt videre licet in Petro Soto lect. 3. de Confessione. Item tribuitur B. Rhenano in Scholiis ad Tertullianum. D. item Bonauent. d. 17. 2. p. ar. 1. q. 3. dicit, absolutionem fuisse à Christo institutam, Confessionem ab Apostolis, significans, Christum solùm in cõmuni reliquisse potestatem remittendi peccata, commisisse autem Apostolis vt modum definirẽt, & ipsos instituisse modum Confessionis. Idem sentit Alexander Alensis 4. p. q. 17. aliàs 76. memb. 3. 3. ar. 2. Et sumpserunt ex Hugo. Victor. lib. 2. de Sacramẽtis, p. 14. c. 1. Possent tamen exponi de institutione, quoad præceptum, non verò quoad significationem, & efficaciam sacramentalem. Nec multùm ab hac sententia discrepat Ianssenius in Concordia, c. 147. dicens, Apostolos ex Spiritus sancti inspiratione intellexisse hanc fuisse Christi intentionẽ, eámque Ecclesiæ tradidisse. Quod tamen pio & sano modo exponi posset. Nihilominùs, simpliciter loquendo, conclusio posita de fide, est definita in Concilio Tridentino, tum in genere sess. 7. tum in specie sess. 14. Et probata est à nobis latè in tomo 3. huius 3. p. in omnibus sacramentis. Nã illa instituere tãquàm signa efficacia gratię, pertinet ad potestatẽ excellentiæ, quàm Christus Apostolis non cõmunicauit: neque hîc sunt aliquæ rationes speciales.
Alens. Hugo Vict. Ianssen. Conc. Trid.

Quæri verò potest, quo tempore vitæ, vel quo suæ loco Euangelij Christus Dominus hoc sacramentum instituerit. Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum, c. 14. & 15. dixit Christum instituisse hoc sacramentum Matth. 10. & Luc. 6. quando Apostolos misit ad prædicandum, quia extunc Apostolicam dignitatem illis contulit, ad quam pertinet potestas, quam in hoc sacramento exercuerunt. Est tamẽ falsa, & improbabilis sententia: quia in illis locis nullum est verbum, ex quo talis institutio colligatur. Deinde, quia potestas in corpus mysticum non datur ante potestatem in corpus Christi verum: tunc autem Apostoli non habebant potestatem consecrandi corpus Christi. Item quia Christus postea dedit potestatem remittẽdi peccata tanquàm nouam. Denique falsum est, tũc fuisse discipulos creatos Apostolos: quia nõ sunt missi in vniuersum mundum: sed potiùs illis dictum est, *In viam gentium ne abieritis.*

10. Quo tempore & loco Christus hoc sacramẽtum instituerit. Opinio Armacani reiicitur.

Alij dixerunt, hoc sacramentum fuisse institutum in nocte Cœnæ. Quod significat Cyprianus de ablutione pedum. Et fortasse tunc Christus instruxit Apostolos de statu Ecclesiæ futuræ, & consequenter de hoc sacramento, vt posteà instituendo & tradendo. Quod verò extunc ita illud instituerit, vt significationem & efficaciam gratiæ habere tunc cœperit, probabile non est: quia ante datam potestatem remittendi peccata, non potuit sacramentum hoc talem efficaciã habere, & consequenter nec practicam significationẽ. Vnde D. Thom. supra q. 84. artic. 6. quasi per partes sentit factam esse hanc institutionem, quem locum ibi declarauimus. Aliter verò in 4. d. 22. q. 2. ar. 3. quæstiunc. 3. eandem distinguit institutionem. Nam Matt. 4. dicit esse factam quoad vtilitatem: Luc. 13. quoad necessitatem: Ioan. 20. quoad potestatem: & possumus addere Iacob. 5. quoad promulgationem.
11. Aliorũ opinio. Cyprian. D. Thom.

Simpliciter tamen dicendum est, hoc sacramentum fuisse institutum Ioan. 20. Quod iam nũc certum est ex doctrina Concilij Tridentini, sess. 14. c. 1. Et declaratur breuiter ex dictis, quia antea non potuit institui, cùm anteà non fuerit data potestas. Nam in illis locis quæ D. Thom. affert, prædicata est vtilitas, vel necessitas, nõ data, vel instituta potestas. Præterquàm quòd in illis magis est sermo de pœnitentia in commune, quàm de hoc sacramento. Nec post illud tempus dilata est institutio, cùm tunc fuerit plenè data potestas, ita vt ex tunc exerceri potuerit: ergo tunc facta est institutio: quod magis ex sectione sequente constabit.
12. Vera sententia. Conc. Trid.

---

## SECTIO II.

*Vtrùm hoc sacramentum sit medium necessarium ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi.*

DVOBVS modis potest considerari necessitas in hoc sacramento. Primò antecedenter ad ipsam institutionem, ita vt fuerit causa illius: secundò consequenter ad ipsam institutionem, scilicet vt sit effectus eius. Priori modo certum est, illam non posse esse necessitatem simpliciter: quia sine hoc sacramento potuissent homines baptizati cõsequi remissionem peccatorum, & saluari, sicut ante legem gratiæ fiebat. Si verò necessitatis nomen ad vtilitatem extendatur, sic dici potest antecessisse aliquam, & magnam, propter quam hoc sacramentum institutum est: de illa verò sufficienter dictum est in sectione præcedenti. Hîc ergo agimus
1. Necessitas sacramenti huius duplex.

de necessitate simpliciter suppositā institutione.

2. Multi ergo hæretici hanc necessitatem negarūt. Ex Catholicis verò, quanuis omnes admittant hoc sacramentum esse necessarium ex Ecclesiastico præcepto, nonnulli tamen negant esse medium necessarium ex vi institutionis Christi Domini. Quod sentiunt Hugo de S. Vict. Alens. Bonau. & Iansen. citati sect. præced. Alij verò Catholici Doctores dixerunt saltem hoc nō colligi ex Scriptura, Scotus in 4.d. 17.q. vnica, §. *In ista quæstione* Gab. q.1.ar.1. Medi. Cod. de Confessione, q.2. Caie. Ioan. 20. negat huiusmodi necessitatem colligi ex illo loco Ioan. 20. Et hoc est fundamentum huius sententiæ. Nam licèt Christus Dominus Ecclesiæ dederit potestatem ad remittenda peccata mediāte hoc sacramento: non tamen inde colligitur esse necessarium ad talem effectum, sed vtile. Sicut, licèt instituerit confirmationem, & Extremam vnctionem ad proprios fines & effectus reliquit illa sacramenta vt vtilia ad tales fines, & effectus, non vt necessaria. Si autē inde non colligitur, nullus est in Scriptura locus, vnde hoc sufficienter colligatur: nam alia quæ afferri solent, vt Luc. 13. cum similibus, probant necessitatem pœnitentiæ in genere, non verò necessitatem huius sacramenti.

Quorundā opinio. Hugo Vict. Alens. Bonau. Iansen. Scotus. Gabriel. Medina. Caiet.

---

## *Sacramentum hoc ex Christi institutione esse medium necessarium ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum.*

3. NIHILOMINVS dicendum est, sacramentum hoc ex Christi Domini institutione esse medium necessarium ad remissionem peccatorum obtinendam, quæ post Baptismum commissa sunt. Hæc assertio dicitur tradita à Sixto 4. in quadam Extrauag. contra Petrum de Osma, quam refert castro in verb. *Confessio.* Insinuatur etiam in Concilio Constantiēsi, sess. 8. & 15. vbi damnantur errores Ioannis Vuicleph. Præcipuè tamen definita fuit in Concilio Tridentino, sess. 14 can. 6. quod statuit, confessionem iure diuino esse ad salutem necessariam: ideò enim Confessio necessaria est ad salutem, quia est necessaria ad sacramētum Pœnitentiæ, & ad peccatorum absolutionem à sacerdote obtinendam, vt ibidem cap. 5. & can. 7. definit, quam absolutionem ad salutem esse necessariam, idem Concilium docet: colligitque ex verbis Christi Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* In qua collectione consistit præcipua difficultas huius materię, & ideo accuratiùs explicāda est. Concilij Tridentinū ex eo colligit hanc necessitatem, quòd *Christus è terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quæ Christi fideles ceciderint, quò pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.* In quibus verbis hæc illatio virtute continetur, Christus constituit sacerdotes iudices peccatorum mortalium: ergo iudicium eorum, & consequenter sacramentum pœnitentię, quod idem est medium necessarium ad remissionem talium peccatorum ex vi eiusdem institutionis.

Exrrau. Sixti 4. Castro. Conc. Cōst. Conc. Trid. Ioan. 26. Quomodo Tridentinū colligat necessitatē huius sacramēti.

4. Hæc verò consequentia nonnullas patitur difficultates. Prima est, quia, licèt Christus instituerit iudiciū sacerdotum tanquàm vtile & sufficiens ad remissionem peccatorum, non inde fit instituisse etiam vt necessarium: nā illud prius generalius est, & ex hac parte videtur illatio esse ab amplo, vt inquiunt, ad non amplum affirmatiuè, quæ in virtute est ex puris particularibus: quia multa possunt esse media vtilia, seu sufficientia ad eundē finem, & plures causæ ad eundem effectum, quanuis nulla earum necessaria simpliciter sit. Secundò obstat, quia in simili forma videtur eadē illatio non esse bona, quia etiam constituit Christus sacerdotes iudices peccatorum venialium: nam etiam in sacramento pœnitentiæ de illis iudicant, & ea remittunt: & tamen non sequitur, iudicium eorum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum. Tertiò est difficultas in probatione illius consequentiæ, quam Concilium subiungit, dicens, *Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse.* Hæc enim ratio optimè probat Confessionem esse necessariam ad illud iudicium, non tamen probat ipsum iudicium esse necessarium ad remissionem peccatorum, quod erat inferendum, & probandum. Et præterea est quarta difficultas, quia hoc ipsū, nimirum remissionem peccatorum esse dandam à sacerdotibus per modum iudicij, licèt à Concilio tradatur ex perpetuo sensu Ecclesiæ: non est tamen in Euāgelio expressum, quia illa verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* valdè generalia sunt, & possent aliis modis verificari: ergo quanuis admittamus illam argumentationem Concilij, nihilominus non inde satis probatur, necessitatem hanc sufficienter colligi ex illis verbis Ioannis, cùm antecedens ipsum & fundamentum totius illationis non satis ex illis colligatur.

Difficultas prima circa illationem. Secunda. Tertia. Quarta.

---

## *Locus Ioan. 20. expenditur.*

5. PROPTER hæc dicere posset aliquis, verba illa Ioannis per se nō sufficere ad hanc veritatem demonstrandam: neque id voluisse Concilium docere: sed ex illis adiuncta declaratione Ecclesiæ & traditione, hanc veritatem haberi. Sed hoc duplicem sensum habere potest, vnus est, vt traditio Ecclesiæ aliquid addat, & doceat in hoc negotio, quod illis verbis, vel expressè ac formaliter, vel virtute, & per necessariam consequentiam non contineatur, sed aliunde manauerit ex doctrina Apostolorum, & ex vtroque compleatur fundamentum huius veritatis. Quale esset si quis diceret, ex illis verbis haberi potestatem remittendi peccata, Apostolos autem docuisse Ecclesiam, mentē Christi fuisse, vt illa remissio exerceretur per modum iudicij: aut, si quis diceret ex illis verbis haberi sacerdotes esse iudices, Apostolos verò declarasse esse vnicos, ac necessarios iudices. Alius sensus est, verba quidem ipsa Christi in se sufficienter continere hanc veritatem. Ecclesiam autem sua traditione, vel definitione declarasse hunc esse sensum verborum Christi: quia ad ipsam, seu caput eius pertinet huiusmodi authentica declaratio, & sensus ille non est tam clarus quin fuerit necessaria. Priorem modum dicendi significarunt Scotus, Caietanus, & alij Scholastici suprà citati: quorum opinio ante Concilium Tridentinum tolerari poterat, quia nondum res erat satis declarata.

6. Nunc verò posterior dicendi modus certus est, qui est manifestè intentus à Concilio Tridentino. Nam in c. 1. dicit, *illo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis dedisse Christum Apostolis, & eorum legitimis successoribus potestatem ad reconciliandum fideles post Baptismum lapsos*: & vniuersos Patres ait, verba illa ita intellexisse, vtpote satis perspicua: non ergo aliquid eis addendo quod in ipsis non contineatur, sed id, quod in eis continetur, declarando. Loquitur autem Concilium de reconciliatione iudiciaria, qualis fit in hoc sacramento: & ideò inde etiam colligit institutionem huius sacramenti. Et ex hoc principio infert in sequentibus capitibus differentiam inter hoc sacramentum, & Baptismum, colligit etiam partes huius sacramenti,

ac

ac denique c.5.concludit eiusdem sacramenti necessitatem,vt contentam in eisdem Christi verbis, declarans hunc esse sensum illorum verborum iuxta Ecclesiæ consensum. Quomodo autem hoc verum habeat,& persuadeatur ratione, præter Concilij auctoritatem explicabitur meliùs respondendo ad difficultates tactas.

## *Quorundam responsio ad primam difficultatem circa Concilium.*

7. Vide Richardum d.17.a.2.q.1.

AD primam respondent aliqui, sacerdotes non fore veros iudices,nisi possent fideles compellere,vt de causis suorum peccatorum corã ipsis agerent:nam,si liberum est reo accusari,vel nõ accusari coram aliquo,vt ab eo iudicetur,ille non potest dici verus iudex,sed ad summum arbitrarius:Hęc verò respõsio nõ satisfacit:primò quia, licèt daremus totum, quod assumitur,non satis inferretur hæc necessitas ex vi solius diuini iuris,sed ad summũ colligeretur, esse in Ecclesia potestatem ad compellendum fideles ad Confessionem peccatorum per Apostolicum præceptum:quod alij Auctores facilè admittunt. Secundò illud, quod assumitur, verum non est:nam, vt aliquis sit verus iudex,non est necesse quòd possit aliũ cõpellere vt corã se iudicandus appareat: nunc enim multi sunt sacerdotes in Ecclesia habẽtes iurisdictionem,& verum iudicium exercentes in hoc sacramẽto,qui nõ possunt alios cõpellere vt sibi confiteãtur, sed voluntariè accedentes,& se accusantes iudicant. Nec tamen sunt iudices arbitrarij, neque habentes iurisdictionem à reis se illis subiicientibus, sed sunt iudices delegati à supremo iudice,ita tamen, vt cùm plures sint delegati, vel ordinarij iudices,liberum sit pœnitentibus,ad quem voluerint,accedere : propter quod aliquando vocãtur arbitrarij, seu voluntarij iudices. Ad hunc ergo modum intelligi posset respectu totius potestatis remittendi peccata communicatæ hominibus:nam comparatione Dei omnes sacerdotes participantes illam potestatem, sunt quasi iudices delegati ab ipso, seu Vicarij ipsius : potuit autem eis committere vices suas,& verã iurisdictionẽ in fauorem & vtilitatem reorum,absque necessitate, sed relinquendo in arbitrio eorum, vt vel sacerdotibus se submitterent,vel, si mallent, coram supremo iudice immediatè comparerent. Quod etiam satis confirmat exemplum de peccatis venialibus,nam respectu eorum etiam sacerdotes sunt iudices:& tamen non possunt compellere ad illorum confessionem.

Reiicitur.

8. Aliasolutio.

Alij respondent, Christum Dominũ ex vi illorum verborum erexisse in Ecclesia publicum tribunal, in quo causæ peccatorũ baptizatorũ hominũ tractarentur,& terminarentur,& in eo cõstituisse sacerdotes vt ordinarios iudices:quãdo autem in aliqua Republica bene instituta Rex cõstituit aliquod tribunal simile, illud est quasi vnicum refugium, & necessarium medium ad lites terminandas:sic ergo ex prędicta Christi institutione rectè colligitur necessitas huius medij ad peccatorum causas tractandas,& eorum remissionem obtinendam. Hanc responsionem insinuat Soto d.18.q.1.art.1.vbi hanc consequentiam existimat euidentem,*Sacerdotes sunt iudices ordinarij, ergo sunt iudices necessarij* : quia,si non essent necessarij, non haberent vim coerciuam,ergo non essent iudices ordinarij. Et ideò acriter inuehitur in Scotum, eò quòd vocauerit sacerdotes iudices arbitrarios ex vi verborum institutionis.

Soto.

Scotus à Soto reprehenditur.

9. Sot.impugnatur.

Sed ipse Soto ex parte procedit æquiuocè,non distinguens inter iudicem arbitrũ & arbitrarium: & rectè probat,sacerdotes nõ esse iudices arbitrarios, id-est,habentes iurisdictionem ex conuentione partiũ, in quo sensu non est locutus Scotus. Non tamen videtur satis probasse Soto,sacerdotes esse iudices necessarios,vel(quòd idem est)non esse arbitrarios, vt Scotus aiebat.Primò quidem,quia non omnes sacerdotes sunt iudices ordinarij, sed ex commissione, vt constat ex adductis dis.præcedenti,sect.3. & infrà diputando de ministro,latiùs dicetur,Reliqui verò,licèt dicantur ordinarij,iudices, quatenus sunt animarum pastores ex officio, tamen comparati ad Christum sunt iudices delegati, iuxta illud Pauli secundæ ad Corint.5.*Pro Christo ergo legatione fungimur*,quia solùm sunt vicarij ipsius:nihil autem repugnat, vt in proximo puncto dicebamus,aliquem esse iudicem delegatum,& non esse necessarium in prædicto sensu: Soto verò omnem iudicem, qui non accipit à reo potestatem, sed à Principe, ordinarium iudicem vocat:nam ex eo solùm probat sacerdotes esse iudices ordinarios,quia non à pœnitentibus, sed à Christo potestatem accipiunt.Secundò, quia, licèt in bono sensu demus omnes sacerdotes esse iudices ordinarios,non sequitur esse necessarios:nec illa consequutio rectè probatur ex eo, quòd non haberent vim coerciuam.

2. Corint. 5.

10. Duplex vis coerciua in iudice.

Duobus enim modis intelligi potest vis coerciua in iudice:primò,vt cõpellat reum sistere in iudicio,& causam coram se agere : & hoc sensu non est de ratione iudicis ordinarij,vt habeat vim coerciuam : nã, sicut ostensum est hoc non esse de ratione iudicis delegati,ita ostendi potest non esse de ratione iudicis ordinarij. Quia etiam potest Princeps duos aut tres Prętores tanquàm ordinarios iudices in ciuitate constituere, & nulli eorum dare potestatem coercendi ciues ad agendas causas coram ipsis,sed hoc voluntati subditorum relinquere.Et faciliùs hoc fieri posset, si Princeps sibi reseruaret potestatẽ iudicandi,& coercendi eos, qui nollent ab inferioribus iudicibus à se institutis iudicari. Ita ergo facilè intelligere possumus,fuisse à Christo factam huius iudicij institutionem,& fecisse sacerdotes iudices ordinarios pro his, qui vellent ab ipsis iudicari, non dando potestatem sacerdotibus,vt eos cogere posset venire ad suũ iudicium, imò nec suo diuino præcepto eos ad hoc compellendo, sed eis liberum relinquendo,vt si potiùs vellent à Deo solo immediatè iudicari, coram eo possent suam causam agere : vel si hoc ipsi in hac vita negligerent,Deus ipse suo tempore ad iudicium cogeret.Atque hic modus institutionis eò est facilior in hoc iudicio,quòd ad fauorem & commodum rei totum ordinatur:& ideo potuit arbitrio eius relinqui,vt eo vteretur,si vellet.

11.

Alio vero modo intelligi potest, vim coerciuam esse necessariam in iudice ordinario ad iudiciũ ipsũ perficiendum,postquàm accusatio causæ ad ipsũ delata est. Et hoc sensu facilè admittã,esse necessariam aliquã vim coerciuã in eo iudice,ad quẽ spectat iustũ de criminibus iudicium ferre,quia necesse est vt possit crimina punire,quod non fit sine aliqua coactione proportionata pro ratione iudicij. Hoc autem modo habent sacerdotes vim coerciuam etiã in eos pœnitentes,qui aliàs non tenebantur, nec cogi poterant eis confiteri. Nã postquàm confitentur, possunt eis condignam satisfactionẽ imponere, & ad illam implendam eos obligare,quæ est coactio huic foro accommodata, quia in eo tota causa voluntariè agitur ideóque per volũtariam ipsiusmet rei executionẽ satisfactio exhibenda est. Denique totus hic discursus cõfirmatur exemplo adducto de peccatis venialibus: nam sacerdotes etiam sũt iudices ordinarij taliũ peccatorum,licèt non habeãt vim coactiuã in pœniten-

tes,vt eos cõpellant ad confessionem eorum,quia nihilominùs habent potestatem ordinariam (modo suprà exposito)ad absoluendum ab ip sis,& adpuniendum illa per impositam satisfactionem, postquam reus illa confiteri vult.

12. His rationibus sine dubio probatur, ex illa sola responsione Soti, seu(quod idem est) ex præcisa potestate remittendi peccata à Christo suis ministris concessa, non colligi omninò euidenter, & efficaciter prædictam necessitatẽ,quia rationes factæ saltem demonstrant,potuisse Christum instituere hoc sacramentum, & dare prædictam potestatem modo declarato, & stante illo modo institutionis potuisse dicere, *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata,remittũtur eis*, sistẽdo in hoc mẽbro affirmatiuo, vt ipse Soto loquitur. Nihilominùs tamen illa semper mihi visa est valdè probabilis coniectura, & moraliter satis efficax. Quando Princeps in Republica constituit publicum tribunal, & ordinarios iudices, apud quos causæ agantur, illam esse viam ordinario iure necessariam ad lites terminandas, vel punienda delicta, nec solere ab ipso Principe immediatè iudicium vsurpari absque speciali dispensatione. Sic ergo Christus instituendo hoc tribunal, illud constituit tanquàm viam ordinariam, & necessariam ad terminandas causas peccatorum: in qua quidem necessitate posset ipse, si vellet, dispensare, seu ab hoc tribunali & iudicio aliquem eximere,tamen, nisi de tali dispensatione constet, illa est vnica & necessaria via. Vnde,sicut Christus dixit Matth.vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra:* in qua locutione(licèt solùm affirmatiua) includitur illa negatiua,quam idem Christus explicuit Ioan.5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio:* quia, licèt principalis potestas semper apud Patrem maneat, statuit tamen non per se, quatenus Deus est, sed per Christum Deum hominem hanc potestatem exercere:& hoc fuit Christo potestatem concedere, illum scilicet facere vnicum,& immediatum, ac ordinarium iudicem hominum, iuxta illud Actor. 17. *Statuit diem,in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro,in quo statuit,&c.* ita ad hunc ferè modum rectè intelligimus,datam esse Apostolis potestatẽ, & hanc vim,& energiam habere verba illa, *Accipite Spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* ac si virtute diceret, *Ego iam non iudico quemquam quoad remissionem peccatorum in hac vita, sed omne iudicium vobis committo:* nam moraliter loquendo, hic est sensus:Princeps quãdo simili modo suas vices committit, & præsertim quando lege stabili, ac perpetua tale iudicium instituit.Quem sensum insinuare mihi visus est Augustinus lib.50.hom.in 49. dicens, *Agite pœnitentiam,qualis agitur in Ecclesia.* Infrà, *Nemo sibi dicat,occultè ago,apud Deum ago.* Infrà, *Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cœlo: ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Euangelium Dei,frustramus verba Christi, promittimus quod ille negat.* Quod verbum vltimum expendẽdum animaduerto. Nã Augustinus nulla verba negatiua Christi retulerat,sed tantùm affirmatiua, *Quæ solueritis, soluta erunt*, & nihilominùs ait, Qui promittit remissionem nisi per hanc potestatem,promittere quod Christus negat: ergo intellexit, per illa verba ita Christum commisisse hominibus illam potestatem, vt eo ipso statuerit illa non vti nisi per ipsos.Et in eodem sensu dixerunt Bernardus, & alij Patres,iam esse mirabilem potentiam Petri,vt necessarium sit sententiam eius præcedere sententiam cœli.

13. Hæc verò coniectura fiet efficax & conuincens ratio,si tertiam responsionem addamus. Dico ergo ad difficultatem primam, procedere ex falso fundamento, quia Concilium non colligit hoc iudiciũ essemedium necessarium ad remissionẽ peccatorum ex eo solùm, quòd sacerdotes instituti sint iudices; sed ex eo quòd tales sint iudices, vt ad eos pertineat remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronunciare:hæc enim ferè verba Concilij interposuit, & in eis posita est vis illationis, & solutio difficultatum omnium. Quia licèt sacerdotes possent remittere peccata confitentiũ, etiãsi vsus cõfessionis, vel huius sacramẽti eis nõ esset necessarius,sed volũtarius,tamen retinere peccata non possent, si confessio non esset necessitatis,sed voluntatis tantùm.Nam sacerdos solùm potest retinere peccata non remittendo illa: si autem hoc sacramentum non esset necessarium medium ad remissionem peccatorũ, quantumcunque sacerdotes ea non remtiterent, illa non possent retinere, quia per solam contritionẽ plenè ac perfectè possent peccatores illorũ remissionem consequi. Vt ergo sacerdotes possint exercere illam potestatem quoad vtrumque actum suum, oportet vt fideles non solùm possint,sed etiam teneãtur vti hoc medio, tanquàm necessario ad peccatorum remissionem. Vnde in his verbis secundùm vtramque eorum partem spectatis, continetur non solùm hæc conditionalis, *Si Sacerdotes vos à peccatis absoluerint, absoluti eritis*;sed etiam hæc, *Si ipsi non remiserint peccata,remissa non erunt*,seu (quod idem est) *retenta erunt:* per quam conditionalem solet in Scriptura explicari necessitas medij iuxta subiectam materiam, vt patet ex illo Luc.13.*Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis.* Quod cum proportione applicatur ad modum pœnitentiæ in lege gratiæ institutum,sub verbis virtute æquiualentibus,vt explicatum est.

14. Propter quod:sicut pœnitentia absolutè dicitur à sanctis Patribus fuisse semper secunda tabula post naufragium;ita & sacramentalis pœnitentia in noua lege,vt Concilium Tridentinum indicauit, & sumi potest ex Hieronymo epist.64.& ex aliis suprà adductis disp. 1. huius materiæ,sect. 1. Denique hic sensus horum verborum optimè confirmatur ex aliis similibus, quibus promissæ sunt claues Ecclesiæ, & sub ea metaphora promittitur potestas claudendi, & aperiẽdi regnum cœlorum: quia necesse est vt regnũ cœlorum non possit patere peccatori sine actu huius clauis:nam illud verè dicitur sub claue esse clausum, quod sine claue aperiri non potest,vt in eadem metaphora Apoc.3.declaratum est. Vbi cùm de Christo dictum fuisset,*Qui habet clauem Dauid:* subditur, *Qui claudit, & nemo aperit, & nemo claudit:* idem ergo est proportione seruata de claue Petri. Sic ergo in vtroque actu illius clauis necessitas medij continetur.

---

## *Obiectiones quædam contra resolutionem.*

15. Prima. SED dicet aliquis, Etiam nunc non posse sacerdotem ita retinere peccata, quin sine eius absolutione illa tollantur, si pœnitens contritionem habeat: Secunda. ergo ex potestate retinendi non colligitur necessitas medij.Item obiicit Iansenius in Concordia, c. 147. Iansen. quia *retinere*,non solùm significat non remittere, sed etiam aliquem positiuum actum ligandi,aut obligandi, vt ex vi & proprietate verborum constat: ergo ex verbo retinendi negatiuè explicato nõ potest sumi efficax argumentũ,quia, cùm præcipuè dicat actum positiuum,inde solùm potest haberi, quòd sacerdos soluerit,vel ligauerit, solutum, aut ligatum manere. cum hoc tamen stare poterit,vt quamuis ipse neque soluat,

nullus solutio.

Vide Vualdẽ sem 2.to. de Sacramẽtis, ca. 138.

Luc.

Hieron.

Apocal.

Soti coniectura probabilis existimatur.

Matth.

Ioan.

Actor.17.

August.

Tertia & ge

soluat neque liget, homo alia via soluatur, vel ligetur.

Tertia. Rursus hîc etiam vrget difficultas de peccatis venialibus, nam de illis potest confessor absolutionem negare ea retinendo, si reuerà non sit dispositus pœnitès ad eorum remissionem: & nihilominùs respectu illorum non infertur necessitas medij. Accedit tandem, quòd sicut remissio, ita & retētio potest intelligi non absolutè, sed suppositа voluntaria subiectione peccatoris. Vnde solùm fit, posse sacerdotem retinere peccata suppositа confessione eorum, si non iudicet pœnitentem esse dignum: peccata verò sibi non confessa non propterea poterit retinere: & ita non concluditur, cõfessionem peccatorum esse necessarium medium ad remissionem eorum.

Quarta.

16. Primæ obiectionis solutio. Ad primam obiectionem respondetur, eum, qui per contritionem nũc consequitur remissionem peccatorum, semper manere obnoxium huic iudicio: & ideò neque consequi talem remissionem sine ordine ad illud, neque omninò manere solutum, quia licèt maneat liber à culpa coram Deo, semper manet obligatus sistere in hoc tribunali, vt sententiam absolutionis, vel retentionis peccatorum in illo audiat. Et in hoc sensu accipiendum est quod significat Adrianus q. 2. de Confessione, licèt peccata tunc non retineãtur quoad culpam, retineri quoad obligationem confitẽdi. Non enim potest esse sensus, quòd potestas retinendi peccata data sacerdotibus, proximè & directè sit ad retinendam obligationem confitendi, & non potiùs ad retinenda ipsamet peccata, hoc enim planè falsum est, tum quia potestas remittendi peccata non est potestas remittendi obligationẽ, sed ipsasmet culpas: ergo idem cum proportione est de potestate retinendi, tum etiam, quia obligatio confitendi peccata non retinetur à sacerdote, sed retinetur ab ipsomet Christo ex vi institutionis eius, & legis nõdum impletæ. Sensus ergo esse debet, ex potestate retinendi peccata sacerdotibus data optimè colligi, licèt per contritionem remittantur peccata, non tamen tolli obligationem comparendi in hoc sacramentali iudicio; & ideò licèt hoc sacramentum non sit necessarium in re ipsa susceptum ad peccati remissionem, esse tamen necessarium in re, vel in voto, vt statim dicetur.

17. Replica. Dices, Hæc responsio supponit quod probare intendimus, nimirum, per se loquendo esse necessarium confiteri peccata, & ideò obligationem illam semper manere, etiamsi per contritionem remissa sint.

Solutio. Respondeo, nos non supponere necessitatem, sed ex potestate remittendi, & retinendi illam colligere, & consequenter inferre, obligationem confitendi manere, non obstante contritione. Quia, cùm illa potestas vniuersè, & generatim data sit in omnia peccata mortalia commissa, vt statim dicemus, necesse est, vt circa omnia possit efficaciter exerceri; non posset autem exerceri vllo modo circa peccata per contritionem remissa, nisi maneret saltem obligatio confitendi talia peccata; ergo ex illa potestate optimè colligimus illam necessitatem, & obligationẽ, vt ex responsione ad illas obiectiones clariùs constabit.

18. Secunda obiectio solui-tur. Ad secundam ergo obiectionem Iansenij dicimus primò, antiquos Patres illam retentionem per negationem veniæ explicasse, vt videre licet in Cyrillo, Euthymio, Ruperto, & aliis, & non posse aliter exponi, si verbum retinendi referatur immediatè ad ipsas culpas, sicut verbum remittendi, vt suprà euidenter probatum est, quia culpa ipsa non potest directè per actionem positiuam retineri: quanquàm iudicium ipsum, quo aliquis iudicatur indignus absolutione, actus positiuus sit, quem Concilium Tridentinum appellauit proferre sententiam retentionis. Hic autem actus positiuus non impedit, imò confirmat consequutionem factam: nam, cùm sacerdotes ex vi huius potestatis habeant ius ferendi hoc iudicium remittendi, vel retinendi peccata iuxta merita causæ, necesse est; vt pœnitentes coram illis compareant. Secundò dicitur, etiamsi demus illam retentionem fieri posse per actum positiuum, vel simul cum illo, non propterea eneruari vim illationis. Dicunt enim aliqui, sacerdotem dum negat absolutionem pœnitenti, posse etiam illi imponere aliquod onus, quod facere teneatur, vt absolutionem & remissionem peccati possit obtinere, per quod positiuè retinet peccatum, quia de nouo ita ligat pœnitentem, vt, nisi faciat quod sibi iniunctum est, non possit peccati veniam obtinere, etiam per contritionem, quia nec cõtritionem habere poterit, nisi impleat quod sibi est iniunctum, vel saltẽ propositum implendi habeat. Ex hoc tamen etiamsi concedatur, non tollitur necessitas illationis factæ, sed eodem modo infertur: quia non poterunt sacerdotes hoc positiuo modo retinere peccata, nisi exercendo iudicialem actum in hoc foro, ad quod necesse est vt præcedat accusatio, quæ per confessionem fit. An verò ille modus retentionis verus sit, infrà in materia de satisfactione dicam: in præsenti verò non censeo esse necessarium, vt iam ostendam.

19. Tertia enodatio. Ad tertiam obiectionem responderi posset, aliter posse sacerdotẽ retinere peccata mortalia, quàm venialia, nam illa potest & negatiuè, & positiuè modo explicato; hæc autem tantùm negatiuè, quia non potest obligare pœnitentem vt aliquid faciat in remedium eorum: & ideò non potest illa positiuè retinere. Sed differentia hæc nec necessaria est, nec difficultatem soluit. Probatur, quia ex sola potestate retinendi negatiuè peccata mortalia optimè infertur necessitas illi confitendi, vt declaratum est: ergo illud sufficiet in peccatis venialibus, vel alia ratio quærenda est. Item, quia, si sensus sit, posse sacerdotem, cùm negat pœnitenti absolutionem peccati mortalis, imponere illi speciale præceptum positiuũ ex sua voluntate profectum, sine cuius obseruatione non possit consequi remissionem talis peccati; id profectò durũ est, quia nullo testimonio authentico probari potest, neque etiam ex principiis releuatis efficaciter inferri, vt infrà suo loco dicam. Si autem sit sensus posse sacerdotem, vt pastorem, & iudicem in illo foro, aperire pœnitenti obligationem, quam ex se seu ex modo conscientiæ suæ habet ad aliquid faciendum, vt possit à peccatis absolui: nec quidem verissimum est, tamen per hoc sacerdos non addit vinculum positiuum, sed declarat solùm, quod ipse pœnitens ex se habet: quod quidem etiam potest facere sacerdos circa veniale peccatum, iuxta materiæ capacitatem: ergo quoad hoc nulla est differentia.

Non exhaurit difficultatem.

Vera respõsio. Sed discrimen erit, quod, quando sacerdos retinet peccatum mortale, efficaciter, vt sic dicam, retinet, non solùm quia, si clauis non erret, culpa verè manet; sed etiam, quia, licèt fortasse erret, semper manet obligatio procurandi absolutionem in illo foro, quando verò sacerdos negat absolutionẽ peccati venialis, solùm retinet illud secundùm quid, scilicet, quoad hoc, vt sacramentaliter non remittatur; non verò ita retinet, vt maneat necesario subiiciendum illi foro. Vnde verò hæc differentia colligatur, & quo modo ad verba Christi conuenienter aptetur, paulò pòst dicetur meliùs, respondendo ad secundã difficultatem positam circa Concilium Tridentinum.

20. Quarta obiectio solui-tur. Ad quartam obiectionem respondetur in primis, esse contra vim verborum Christi, quia non dixit, *Accipite potestatem remittendi, & retinendi peccata, quæ ipsi peccatores voluerint*; sed simpliciter, *remittendi & retinendi peccata*: ergo addendo illam limitationem, deroga

derogatur verbis Christi, & potestati ministrorum eius, quorum iudicio, & arbitrio res cómissa est, non liberæ voluntati peccantium. Deinde, si ante factam voluntariam confessionem possunt peccatores nolle iudicari à sacerdotibus de remissione, vel retentione peccatorum, licèt post factam confessionem sacerdos negaret absolutionem, possent non ampliùs illa peccata confiteri, neque eorum absolutionem sacramentalem procurare, sed per solam contritionem eorum veniam consequi: quia confessio semel facta non addidit eis obligationem, nec sacerdos posset illam addere, quia iam est functus officio suo negando absolutionem. Sicut potuissent etiam quid simile facere in peccatis venialibus. Igitur, vt potestas illa retinẽdi peccata efficax sit, non solùm ad retinendum respectu prioris absolutionis, sed etiam ad retinẽdum simpliciter, necesse est vt cadat simpliciter & absolutè in ipsa peccata, & quòd ex illa oriatur, vel colligatur obligatio confitendi & subiiciendi peccata huic potestati, non verò quòd tantùm sit quasi sub conditione, si pœnitentes voluerint sua peccata confiteri.

21. Cur hæc necessitas magis ex actu retinendi, quàm remittendi peccata colligatur.

Atque hinc intelligitur cur hæc necessitas magis ex actu retinendi, quàm remittendi peccata colligatur, cùm tamen sit vna & eadem potestas, quæ primariò ordinatur ad remissionem, ex consequenti verò, & quasi per accidens retinet ea, quæ remissione digna non sunt. Ratio enim est, quia, si esset potestas remittendi sine potestate retinendi, posset esse tantùm in fauorem rei, & ideò per se sola nõ satis ostenderet necessitatem: potestas verò retinendi declarat, hunc non tantùm esse fauorem rei, sed etiam ipsius causæ seu iustitiæ diuinæ, vt sic dicam ratione cuius datur ius sacerdotibus absolutũ & indepẽdens à voluntate ipsiusmet rei, vt possint & debeant cognoscere, & iustũ iudiciũ ferre in tali causa. Vnde etiã potestas remittẽdi præcisè sumpta posset esse vtilis pœnitentibus, etiamsi vsus eius non esset necessarius, sed voluntarius: potestas autem retinendi frustrà esset, si pœnitenti nõ esset necessaria subiectio, sed voluntaria, vt discursus suprà factus ostendit. Et ratio à priori esse videtur, quia potestas retinendi, vt sic, est suo modo coactiua, & ideò requirit aliquã necessitatem ex parte rei, cúmque in hoc foro non habeat locum coactio per externam violentiam, oportet vt saltem sit per obligationem præcepti. Quæ ratio locum habet, siue actum retinendi negatiuè explicemus, siue etiam positiuè, quatenus etiam hæc potestas est data ad castiganda & vindicanda delicta, iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sess. 14. capit. 8. & can. 15. quia sub hac ratione etiam est coactiua potestas; & ideò non datur tantùm ad vindicanda ea peccata, quæ reus accusare voluerit, aliàs valdè inefficax esset ad eum finem: sed absolutè datur ad iniurias Dei vindicandas. Ex quo etiam rectè colligitur, hoc iudicium constitutum esse, vt necessarium ad peccatorum veniam consequendam.

---

## *Secunda principalis difficultas circa Concilium Tridentinum de venialibus peccatis soluitur.*

22. STatim verò ocurrit secunda principalis difficultas de venialibus peccatis: quæ tangit aliam infrà tractandam, cur venialia peccata non sint materia necessaria huius sacramẽti. Illa ergo veritate nũc suppositа, respondemus, potestatẽ retinendi peccata non ita extendi propriè, & simpliciter ad peccata venialia, sicut ad mortalia: & ideò in eis non procedere

A rationẽ factã cum similitudine formæ, vt in prædicta difficultate assumitur. Quia, licèt Christus constituerit sacerdotes iudices ad remittendam, non verò ad retinendum simpliciter hæc peccata: Concilium autem, vt diximus, non colligit ex potestate iudicandi absolutè, sed ex potestate iudicandi cum facultate retinendi peccata. Interrogabit verò statim aliquis, vnde possit hæc differentia colligi, cùm verba Christi simplicia sint, & quoad vtramq; partem indistinctè, & indefinitè cadant in peccata: ergo vel sub vtroque membro comprehenduntur venialia peccata, vel sub neutro. Vnde non defecerunt, qui, ne concederent venialia peccata posse retineri à sacerdotibus, negarunt posse remitti. Est tamen omninò falsa, & erronea sententia: aliàs peccata venialia non essent materia sufficiens huius sacramẽti, nec sacerdotes possent de illis, præsertim solis, absoluere: quod est contra vniuersalem sensum Ecclesiæ, vt infrà videbimus.

Cur peccata mortalia retineri possint, non autem venialia.

Quorũdam opinio reiicitur.

B Sequela verò patet, quia si ex vi institutionis ibi factæ non sunt materia, ex vi alterius esse non possunt, quia nulla alia posteà facta est: & si in eo loco non est data potestas circa hæc peccata, in nullo alio data est. Dici ergo potest aliter, etiam ibi datam esse potestatem ad retinenda hæc peccata, non tamen simpliciter, sed postquàm confessa sunt, & in ordine ad tale iudicium, quando sacerdos iudicat pœnitentem non esse satis dispositum ad eorum remissionem. Sed, licèt hoc verum sit, vt in superioribus est tactum, non tamen soluit præsentem difficultatem: nam adhuc supereſt respondendum ad interrogationem, cur illud, *retinere*, circa peccata mortalia intelligatur simpliciter, circa venialia verò tantùm secundùm quid.

Aliorum opinio.

Non placet.

23. Vera differẽtia traditur.

Dicendum est ergo, rationem differentiæ esse, quia hæc potestas per se primò data est propter peccata mortalia, extenditur verò ad venialia veluti consecutione quadam, & vtrisque accommodatur C modo illis proportionato. Peccatum enim mortale simpliciter est Dei iniuria, & claudit homini ianuam regni, ad quod aperiendum claues datæ sunt, quod maximè fit tollendo peccatũ mortale. Quia verò venialia peccata, quanuis non claudant, impediunt introitum regni, & ad tempus dici possunt claudere, quia nihil coinquinatũ illuc intrare potest: ideò clauis illa quatenus est potestas remittendi peccata, extenditur ad peccata venialia: nam potestas sufficiens ad tollendum impedimentum perpetuum, & remittendam iniuriam simpliciter, à fortiori sufficiet ad tollendum impedimentum temporale eiusdem ordinis, & ad remittendam iniuriam secundùm quid, cuius venia est longè facilior. Secus verò est de actu D retinendi, qui, vt dixi, coactionem indicat, quæ minor esse debet circa minores iniurias, quàm circa maiores, ideoque actus retinendi non æquè extenditur ad venialia peccata, neque in hoc habent tantam connexionem cum mortalibus, sicut in remissione. Quod rectè explicatur ex illa ratione temporalis impedimenti, nam institutio huius sacramenti non mutauit quoad hoc naturam peccati venialis: ideoque quamtumuis illud peccatum per hoc sacramentum non remittatur, semper manet impedimentum temporale, quod in purgatorio poterit auferri, & ideò respectu illius nõ potuit secundùm rerum naturam, aut congruentiam, vel potiùs non debuit hoc sacramentum vt necessarium medium relinqui, E atque adeò nec potestas retinendi eodem modò extendi potuit ad hæc peccata.

24. Quocirca, quanuis Christi verba in exteriori specie simplicia sint, & vniformia, tamen, quia in ipso nomine, *peccata*, includunt analogiam quandam, ideò ex se postulant, vt cum proportione debita ad ea, quæ sub se continent, applicentur iuxta materiæ capacita

pacitatem. Sicut etiam hæc verba, *Nisi pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum veniam non consequemini*, vniformia sunt: & tamen duas propositiones includunt, vnam affirmatiuam, *Si pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum remissionem obtinebitis*, quæ non minus venialia, quàm mortalia peccata complectitur: alia est negatiua, *Si non egeritis pœnitentiam, non obtinebitis veniam*, quæ non æquè comprehendit mortalia, ac venialia: nã in mortalibus simpliciter vera est, in venialibus autem solùm secundùm quid, scilicet, non obtinebitis ex vi talis dispositionis, aut nisi aliud medium adhibueritis. Sic ergo in præsenti dicendum est, nam, vt suprà diximus, prædicta Christi verba, quatenus necessitatem medij continent, ad similes conditionales propositiones reuocantur. Atque hæc doctrina fundamentum habet in D. Thoma quæst. 84. art. 2. ad 3. & latiùs eam explicarunt Cano dict. relect. de Pœnitentia, p. 5. & Ruardus ar. 5. & alij, quos referemus infrà agentes de integritate.

D. Tho. Canon. Ruard.

## *Enodatur tertia difficultas circa Concilij illationem.*

25. TERTIA difficultas erat circa rationem Concilij, scilicet, quia sacerdotes non possunt iudicare incognita causa. Nam hæc ratio immediatè concludit confessionem esse necessariam, vt sacerdotes actum suæ potestatis exercere possint: quod est verum. Inquiritur autem quomodo inde inferatur necessitas simpliciter confessionis. Respondetur verò ex dictis optimè id colligi, quia iudicium sacerdotis est simpliciter necessarium: quod probatum relinquitur à Concilio ex alio principio, quòd sacerdotes sunt iudices habentes potestatem simpliciter remittendi, aut retinendi peccata. Vnde illa ratio non affertur à Concilio ad concludendam immediatè necessitatem totius sacramenti, sed solùm ad concludendum, confessionem esse necessariam ad vsum illius potestatis, ac proinde etiam ad remissionem peccati. Vnde obiter aduerto, quòd licèt ad retinenda peccata iuridico modo, & proferendo sententiam, vt Concilium loquitur, tam necessaria sit confessio, sicut ad peccata remittẽda: nihilominùs, vt peccata retineantur seu non remittantur, sufficit negatio confessionis voluntaria, seu in re & in voto, quia est negatio medij necessarij ad remissionem peccati. Ex quo dicere possumus, hanc potestatem clauium duobus modis retinere peccata, vno modo proximè & iudicialiter, alio modo remotè & per solam negationẽ remissionis, qualis est circa peccata etiam non confessa: & vterque modus est verus, & virtute contentus in verbis Christi, maximè propter potestatem retinendi.

Dupliciter retinentur peccata per clauium potestatem.

26. Quarta difficultas diluitur.

Vltima difficultas facilè expeditur. Nam quod Cõcilium supponit, nimirũ actum huius potestatis exercendum esse per modum iudicij, in eisdem verbis Christi sufficienter continetur. Primò quidem si sistamus in potestate remittendi, quia certum est non communicasse Christum Apostolis totam excellentiæ potestatem, quam habebat ad remittenda peccata: & ideò non est verisimile arbitrio eorum reliquisse modum illius remissionis, hoc enim erat proprium ipsius: nullus autem alius determinatus modus assignari potest, vel ex vsu, & praxi Ecclesiæ, vel etiam ex ratione, seu qui sit ita consentaneus iustitiæ erga Deum, & humanæ fragilitati & curationi: rectè ergo intellexit Ecclesia illum actum sibi committi per modum iudicij. Quæ ratio optima est, sed aliquid habet congruentiæ, & coniecturæ: aliquid etiã postulat supplendum & declarandum ex traditione Ecclesiæ. Verbum igitur *retinendi*, hìc etiam mihi videtur includere conuincentem rationem. Esset enim ineptissimum, & præter omnem rationem, committere hominibus, vt suo arbitrio sine causæ examinatione, & absque prudenti, & iusto iudicio possent aliorũ peccata remittere: ergo eo ipso quòd talis potestas conceditur, euidenter significatur, esse exercendam per modum iudicij, nec potest concipi quo alio rationabili modo fieri possit.

27. Obiectio.

Dices, etiam potestas baptizãdi est potestas remittendi peccata, quæ consequenter est etiam potestas retinẽdi, quia per negationem Baptismi retinetur peccatum, sicut per negationem absolutionis. Et ideò multi Sancti intelligũt in his verbis Christi etiam esse contentam illam potestatem, vt suprà retuli: & tamen illa potestas non exercetur per modum iudicij, ex vi prædictorum verborum. Respondetur, hæc verba ad literam, & in omni vigore ac proprietate non comprehendere Baptismum: & suprà dixi, Patres, qui interdum aliud significare videntur, piè exponendos esse, locutos esse per quandam extensionem, vel accommodationem ad explicandam vnam potestatem per aliam, vel vt alteram ex altera credibilem facerent. Potestas ergo baptizandi non est potestas ad retinenda peccata: nec Christus Dominus eo modo illam contulit, sed absolutè dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vnde, sicut potestas prædicandi non est potestas tetinendi tenebras infidelitatis, sed illuminandi: ita cum proportione dicendum est de potestate baptizandi, quia per se primò est ad tollendum originale peccatum. Et ideò actus illius potestatis nulla iusta ratione potest negari infantibus, vt propterea dicatur potestas retinendi peccata: adultis verò interdum posset negari per accidens, propter defectum necessariæ dispositionis. Hoc verò commune est omnibus sacramentis, vnde non est ex speciali actu illius potestatis, sed ex natura rei sequitur, quia *sanctum non est dandum canibus.* Multoque minùs possunt ministri Baptismi ex vi illius potestatis ligare aliquo positiuo modo, qui ad vindictam de peccato sumendam pertineat. Eo tamen modo quo possunt negare Baptismum, necesse est, vt aliquam rationem iudicij obseruent, quia non suo arbitrio, sed iuxta rationem, & æquitatem iudicij id facere possunt.

Soluitur.

## *Testimoniis Patrum roboratur assertio posita.*

28. EX his ergo satis constat proposita veritas, tam ex verbis Christi, quàm ex doctrina Cõcil. Tridentini: constat etiam totam rationem huius necessitatis positam fuisse in voluntate Christi, quanuis multæ illius congruẽtiæ dari possint, quæ in hac & præcedẽti disputatione tactæ sunt, & infrà tractãdo de præcepto confessionis iterum occurret. Nunc ad doctrinæ complementum supereſt, vt Patrum consensionẽ, & traditionem adiungamus. Clemens Romanus in epist. 1. admonet, vt si forte in alicuius cor malum aliquod latenter irrepserit, non erubescat hoc confiteri ei, qui præest, *vt possit æterni ignis pœnas effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.* Vbi verbum illud *vt possit*, necessitatem satis indicat. Et notandum est obiter quod ait, etiam cogitationes internas esse de necessitate confessionis. Sic etiam Fabianus Papa epist. 2. post medium, dicit, *peccatores in barathrum delabi, nisi sacerdotali auctoritate illis subuentum fuerit.*

Clemens Roman.

Fabian. Papa.

*rit.* Lactant. lib. 4. cap. vlt. vbi signa hæc ponit veræ Ecclesiæ, *In qua*, inquit, *est religio, confessio, & pœnitentia, quæ peccata salubriter curat.* Et cap. 17. prius dicit necessitatem confessionis significatam fuisse in Circúcisione, & infrà subdit: *Si cor nudauerimus, id est, si peccata confessi satis Deo fuerimus, veniam consequemur, quæ contumacibus, & peccata sua celantibus denegatur.* Quod verbum vltimum apertè indicat necessitatem. Idem habet Origenes homil. 2. in Psal. 37. à principio, & specialiter circa illa verba, *Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio*: ita enim ipse legit: & addit: *Pronunciationem vocat confessionem peccati: docet enim Scriptura quoniam oportet peccatum non celare intrinsecùs: nam sicut ij, qui habent intrinsecùs occultam escam indigestam, si euomuerint, eleuantur: ita qui peccauerunt, si occulant & retinent intrinsecùs peccatum, suffocantur humore peccati: si autem ipse fiat accusator sui, dum confitetur, omnem morbi digerit causam.* Et vt explicet se loqui de confessione homini facta, subdit, *Tantùm circunspice cui debeas confiteri: proba prius medicum, &c.* Idem homil. c. 2. in Leuiticum inter alia inquit, *Cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Et lib. 3. Periarchon. cap. 1. circa medium inquit, *Qui non prius suorum peccatorum cognouerit mala, ac propriij oris confessione prodiderit, is absolui non poterit.* Basilius etiam in id Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra*, dicit, Deum velle remittere peccatum, si tamen contritio, & confessio adsit. Et regul. 288. ex breuioribus dicit, *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio.* Idem in epist. 15. ad Amphilo. cap. 73. & lib. de Ver. virgin.

Multa etiam habet Tertullianus lib. de Pœnit. præsertim à cap. 7. & cap. 10. habet hæc verba, *Nunquid si aliquid humanæ notitiæ subduxerimus, propterea & Deo celabimus? an melius est damnatum latere, quàm palam absolui?* Sic etiam Cyprianus lib. de lapsis, cap. 11. circa finem, *Etiam malæ cogitationes*, inquit, *apud Dei sacerdotes dolenter, & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus aperiunt, salutarem medelam exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non irridetur.* Quæ vltima verba necessitatem significant. In epistolis etiá Cypriani quàmplura sunt de hac re testimonia: præsertim videri potest epistol. 52. & 54. & in 31. quæ est Cleri Romani ad ipsũ. Quibus locis hoc notat Pamelius & alia congerit: & similia ferè habet Irenæus lib. 1. capite 9. vbi Feuardentius hoc ipsum, & alia notat. Idem etiam indicauit Dionysius epist. 8. ad Demophilum, non longè à principio, vbi refert sacerdotem quendam ad pedes alterius sacerdotis procidisse, vt remediũ peccatis suis quæreret. Idem sentit Ambrosius libris de Pœnitentia, præsertim lib. 1. cap. 2. Eandem veritatem indicat Gregorius Nyss. homil. 2. in Ecclesiast. Augustinus expressè lib. 50. homil. in 49. & 50. & serm. 3. de Verbis Domini, & serm. 66. de Tempore, & tract. 49. in Ioan. Anastasius Syniata Orat. de sacra Synai, inter alia, *Christo Domino per sacerdotes tua confitere peccata.* Idem sumitur ex Leone Papa epist. 69. Chrysostomo homil. 20. in Genes. & homil. 3. imperfect. in Matth. Gregorio hom. 16. in Ezechielem in principio, vbi dicit, confessionem esse portam angustam, per quam intratur ad regnum: & hom. 26. in Euangel. in hunc sensum explicat dictum locum Ioannis. Et alia ex eo sumi possunt lib. 26. Moralium, cap. 23. aliàs 28. & hoc ipsum confirmari potest testimoniis Patrum, quos citaui sect. præcedente, & disputatione præcedente: ita enim semper exponunt institutionem huius sacramenti, & iudiciariam potestatem in hoc foro Ecclesiæ concessam. Et nonnulla peti possunt ex Decreto Gratiani de Pœnit. d. 1. præsertim à cap. 87. Et hoc tandem indicant Patres illa metaphora, qua vocant pœnitentiam secundá tabulam post naufragium, vt D. Thomas suprà explicuit q. 84. art. 6. Nam, licèt intelligi possint, vt reuerà sæpe loquantur de pœnitentia virtute: tamen suppositis iis quæ aliis locis docent de pœnitentia legis gratiæ, rectè etiam intelliguntur de pœnitẽtiæ sacramento, vnde expressè Hieronymus tomo secundo epist. 64. ad Pammachium & Occeanum, *Secunda*, inquit, *post naufragium tabula est culpam confiteri.*

Orig. Basil. Tertul. Cypr. Pamel. Iren. Feuard. Dion. Ambr. Greg. Nyss. August. Anast. Synai. Leo Papa. Chrys. Greg. Gratiani De cretum de Pœn. d. 1. D. Tho. Hieron.

---

## *Factum Nectarij Constantinopolitani Patriarchæ obijcitur.*

30.

CONTRA hanc veritatem est vulgaris obiectio, quia in Ecclesia Constantinopolitana Nectarius eius Patriarcha prędecessor Chrysostomi, abstulit vsum sacramentalis confessionis: ergo signum est non esse medium ad salutem necessarium: fuisset enim intolerabilis error, medium salutis auferre. Neque satisfaciet, qui dixerit, erasse Nectarium, quia & priuatus Episcopus erat, & non admodùm eruditus in Ecclesiasticis rebus, nuper enim baptizatus ex Præfecto vrbis factus est Patriarcha, vt refert Ruffinus lib. 2. cap. 21. & Nicephor. lib. 12. ca. 12. Hoc, inquam, non satisfacit, tum quia eadem historia refert fuisse virum sanctum, de quo credibile non est, rem adeò grauem absque consilio sapientum, & prudentum attentasse: tum etiam, quia illum imitati sunt alij Prælati, & Ecclesiæ Orientales, & (quod amplius est) Chrysostomus, Nectarij successor, eandem consuetudinem retinuit: hoc enim totum, cum facto Nectarij referunt Socrates lib. 5. Historiæ, cap. 19. & Sozomenus lib. 6. ca. 16. & Nicephorus lib. 12. Historiæ, cap. 28.

Ruffin. Nicep. Soer. Sozom. Nicep.

31. Aliquorum responsio.

De hac difficultate multa dicũtur à Modernis scriptoribus propter hæreticos huius temporis, apud quos maius pondus habet incerta hæc historia de facto Nectarij, quàm scriptura, & perpetua Ecclesiæ traditio. Respondent ergo aliqui, non adhibendo fidem huic narrationi: quia Sozomenus, vt ait Gregorius lib. 6. epist. 195. multa mentitur, & ideò Ecclesia Romana eius historiam non recipit. Socrates etiam fidem non facit in hac causa, quia hæreticus Nouatianus fuit, ideoque sacramentum pœnitentiæ odiosum habuit, vt Nicephorus testatur lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. & sumitur ex eodem Socrate li. 6. suæ historiæ, cap. 19. Atque ita ferè respondet Cæsar Baronius 1. tom. ann. 56. qui de Nicephoro nihil dicit. Potuit autem decipi ex aliorum narratione. Sed quanquàm fieri potuerit, vt dicti Auctores minùs fideliter in re aliqua factum Nectarij narrauerint; tamen negari non potest, quin aliquid ille sustulerit ad hoc negotium spectans. Tum quia non potuisset facilè mendacium confingi in re tam publica & manifesta, si non fuisset in re aliqua fundamentum: tum maximè, quia non solùm in historiis peruulgatum est illud factum, sed etiam ex Chrysostomo in variis locis colligitur, vt ex sequente obiectione constabit. Fatemur igitur, Nectarium aliquid spectans ad Ecclesiam, & exteriorem pœnitentiam sustulisse; quid verò illud fuerit, incertum est.

Gregor. Cæs. Bar. Non admittitur.

32. Aliorum responsio. Vuald. Soto. Cano.

Aliqui ergo concedunt, illum sustulisse vsum sacramenti pœnitentiæ. Ex quibus nonnulli fatentur illum erasse, vt Vualdensis tom. 2. de Sacramentis, cap. 141. Soto verò, & Cano, vt excusent Nectarium, aiunt, non abstulisse simpliciter, sed ad breue tempus, ad sedandum scandalum in Ecclesia subortum ex confessione cuiusdã nobilis matronæ, quæ cum

cum Diacono peccauerat. Adduntque suspensionem illam confessionis vsque ad tempora Chrysostomi durasse, ipsumque etiam illam tolerasse, quia propter idem scandalum ausus non est morem pristinum suæ Ecclesiæ restituere.

33. Sed hæc profectò nulla excusatio est: quia res iure diuino præcepta, & tam necessaria ad salutem, suspendi etiam ad breue tempus, vel licitè, vel validè, nõ potuit, præsertim propter scandalum ortum ex singulari facto vnius personæ, & ex re valdè remotè pertinente ad hoc sacramentum, non ex confessione ipsa. Item quia illud non potest dici breue tempus, si Nectarius simpliciter abstulit pro toto tempore vitæ suæ, & in eo statu suam Ecclesiam reliquit. Denique medium illud necessarium non erat ad tollendum scandalum, quod sufficienter tolli poterat maiorem diligentiam adhibendo circa secretum confessionis: aliunde verò erat illud medium pernicioſissimum Ecclesiæ, non solùm supposita necessitate iuris diuini, sed etiã supposita sola iustitutione, & vtilitate talis sacramenti. Sicut nunc esset intolerabilis error, auferre etiam ad breue tempus ab aliqua Ecclesia vsum sacramenti Confirmationis, vel Extremæ vnctionis, etiamsi demus non esse sub præcepto iuris diuini, Propter quod, si exemplum Nectarij aliquid valet, non solùm probat illum sensisse vsum confessionis non esse necessariam ad salutem, sed etiam ignorasse esse vtilem ad sanctificationem animarum, & remissionem peccatorum, quod verisimile non est, & ideò incredibile mihi est, illum Reiicitur. abstulisse vsum confessionis sacramentalis etiam ad tempus, nisi concedamus Nectarium fuisse à Nouatianis deceptum: à qua sententia non longè abest Baronius suprà. Non inuenio tamen sufficiens fundamentum, vt hanc notam illi viro imponamus: præsertim cùm falsum esse constet, vel Chrysostomum, vel alias Ecclesias Orientis talem confessionis suspensionem, aut probasse, aut tolerasse, vt statim ostendemus. Item quia Ecclesia Constantinopolitana nunquàm apud veteres de hoc errore malè audiuit, neque à Summis Pontificibus de illo reprehensa est.

34. Hæc verò omnia maximè procedunt, si in eo sensu credatur Nectarius confessionem abstulisse, vt vsum eius prohibuerit: nam si quis diceret illum non prohibuisse, sed solùm statuisse, vt fideles non cogerentur ab Ecclesiæ ministris confiteri: vel vt nulli sacerdotum esset hæc cura peculiariter commissa, sed vniuscuiusque conscientiæ reliquisse vt ius à Christo institutum seruaret, vel illo vteretur vt vellet si quis, inquam, hoc diceret, quidpiam minus incredibile assereret: inde tamen illud argumentum sumi posset contra veritatem Catholicam suprà fundatam, quia necesse non est vt Ecclesia semper & in omni tempore hoc loco adhibuerit peculiarem determinationem huic præcepto diuino, aut coactionem aliquam, per quam illius obseruationem fideles compelleret. Vnde addunt aliqui, Nectarium non abstulisse simpliter confessionis vsum, sed solùm quatenus præmitti solet, vt necessaria dispositio ad Eucharistiam, quia faciliùs ignorari potuit, talem dispositionem, seu præparationem necessariam esse iure diuino. Quod etiam historiæ citatæ significant, dum aiunt, à Nectario fuisse permissum vnicuique, vt secundùm consilium conscientiæ suæ, ad diuina participanda posset accedere. Veruntamen hoc etiam facilè posset intelligi absque admistione erroris, nimirum, Nectarium nec prohibuisse dispositionem ad Eucharistiam, nec docuisse non esse necesariam ex Christi mandato: sed vniuscuiusque conscientiæ, & indicio hoc reliquisse.

35. Verius tamen videtur Nectarium nihil abstulisse, quod ad substantialẽ vsum huius sacramenti, vt sic dicam, vel ad illius obligationem pertinuerit, sed tantùm vel abstulisse, sed moderatum fuisse ritum aliquẽ pertinentem ad pœnitentiam publicam, quæ tunc in Ecclesia agebatur post sacramentalem confessionem, vt ex eisdem historiis colligere licet, & ex Gregorio, Nysseno in epist. ad Latoium Mitylenes Episcopum, quem refert Baronius suprà & ex Chrysostomo etiam multa statim afferemus. Astulit ergo Nectarius presbyterum pœnitentiarium, eiúsque munus prohibuit, vt expresè dicunt eædem historiæ. Quale autem fuerit illud munus non satis constat: & ideò etiam incertum est quid Nectarius vetuerit. Dicunt ergo aliqui munus illius presbyteri fuisse omnium sacramentales confessiones priùs audire & posteà in publico Ecclesiæ conuentu peccata narrare, & corripere, siue publica essent, siue etiam secreta, & pro eis pœnitentiam imponere. Similem enim consuetudinem aliquando cœptam esse introduci in Campania, colligitur ex Leone Papa in epistol. 78. aliàs 80. capit. 2. vbi grauiter illam reprehendit: & meritò. Repugnat enim talis consuetudo diuino iuri, si id fiat contra, vel sine voluntate pœnitentium: nam repugnat sigillo confessionis, quod de iure diuino est, vt infra videbimus: nec minùs eidem iuri repugnaret obligare, vel quouis modo cogere pœnitentes, vt suum consensum ad hoc præstent.

Vera solutio

Greg Nyss.

Quorundã opinio de munere pœnitentiarij quod abstulit Nectari?

Leo Papa.

36. Si verò intelligatur illa cõsuetudo fuisse quasi sub conditione, scilicet, narrandi publicè peccata, si pœnitentes consentirent, non esset tam directè repugnans prædicto iuri de seruando sigillo confessionis: tamen etiam esset valdè contraria fini eius, quia non posset talis consuetudo non reddere difficillimam confessionem, & ab illius vsu homines plurimùm retardare: nam ipsamet cõsuetudo esset virtualis quædã, & tacita coactio, quia nemo auderet resistere, nec putaret suam pœnitentiam esse admittendam, vt verã, & sufficientem, nisi consentiret. Et præterea, talis cõsuetudo sæpe cederet, aut in aliorum iniuriam, aut contra charitatem, vel propter aliorum scandalum, vel propter propriam infamiam grauẽ, sine vllo fructu, vel necessitate. Vnde Concilium Tridentinum, sess. 14. ca. 5. asserit confiteri publicè peccata secreta nulla humana lege posse consultè præcipi. Igitur nec prudenter posset in Ecclesiasticam cõsuetudinem introduci. Si ergo talis erat Constantinopoli consuetudo, meritò illam abstulit Nectarius, cuius factum ita Ruardus art. 5. interpretatur. Sed certè ad talem consuetudinem tollendam non oportuisset specialem illam occasionem de scandalo illius matronæ, vel aliam similẽ expectare, cum per se iniqua esset, & omninò vitanda vt Leo Papa citato loco expresè docet. Vnde non est verisimile talem cõsuetudinem durasse semper in Ecclesiis Orientis, in quibus sanctissimi, & doctissimi Episcopi præcesserant vsque ad tempora Nectarij: cùm tamen historiæ citatæ referant, consuetudinem illam, quam Nectarius abstulit, antiquissimam fuisse.

Conc. Trid.

37. Verisimilius etgo est tantùm peccata publica solita fuisse in publicum proferri vt de eis publica pœnitentia ageretur, & fortasse non omnia, sed illa tantùm, quæ maius scandalum generabãt. Sic enim legimus in Concil. Cartaginens. 3. capit. 32. publicam pœnitentiam agendam esse, *de publico & vulgatissimo crimine, quod vniuersa Ecclesia nouerit.* Et similia refert ex Concil. Moguntino, Africano, & ex August. Burcardus libro 19. sui decreti, capite 36. 38. & 40. Sic etiam Augustinus in Enchiridio, cap. 65. dicit, *In Ecclesia agi pœnitentiam secundum modum cuiusque peccati*, id est, de secretis secretam, & de publicis publicam, vt ipse declarat, lib. de vera & falsa pœnit. cap. 11. &

Verior sententia.

Conc. Carth.

Burcard.

August.

11.& lib.50.homil.in vlt. Imò in epist. 108.significat, eos tantùm solitos fuisse publicam pœnitentiam agere, & quasi per antonomasiam pœnitentes appellari, qui post Baptismum ita peccauerant, vt priùs excommunicari, & posteà reconciliari merentur. Quę morem videmus nunc aliqua ex parte in Ecclesia retineri circa apostatas à fide, & alios similes grauissimos peccatores, quanuis iam non sit in vsu per viam voluntariæ confessionis in foro pœnitentiæ; sed per iurisdictionem fori exterioris, seu contentiosi.

38. Hac ergo supposita consuetudine, munus illius presbiteri pœnitentiarij non videtur fuisse omnium fidelium confessiones sacramẽtaliter audire, vix enim credi potest vnum tantùm ministrum ad hoc munus pro tota aliqua Ecclesia aut ciuitate constitutum fuisse, nec enim suo muneri satisfacere potuisset. Aut ergo munus illius fuit, libellos eorum omnium, qui publicam pœnitentiam acturi erant, suscipere, vt ea in publicum recitaret, ne ipsimet pœnitentes cogerentur, quòd ipsis onerosius esset per seipsos sua peccata narrare: aut certè (quod verisimile est) prudentiæ huius presbyteri committebatur, vt non omnia peccata, quæ ipsi pœnitentes vellent, publicè narrari permitteret, sed ea tantùm quæ sine scandalo, & cum ædificatione aliorum dici possent, & ad correctionem ipsius pœnitentis magis essent necessaria, vel vtilia: cætera verò sub secreto retineret. Vnde prædictæ historiæ signanter aiunt, obseruatum fuisse, vt hic presbyter esset prudens & secretum obseruans: & hoc ipsum indicauit Origenes dict. homil. 2. in Psalm. 37. dicens, *Magno consilio opus esse ad manifestandum peccatum pœnitentis in publico.* Vnde multi existimant huiusmodi presbiterum non sine consilio Episcopi iudicium hoc dare potuisse, aut debuisse. Hunc ergo pœnitentiarium Nectarius abstulit, & consequenter etiã abrogauit consuetudinem agendi hãc publicam pœnitentiam in Ecclesia, quoniam illius occasione scandalum illud acciderat. Et quoad hoc fortasse multi alij Episcopi illum imitati sunt, quanuis non defuerint qui grauiter illud tulerint, & reprehenderint, vt Socrates etiam, & Niceforus referunt, qui non dicunt reprehendisse ilium, eò quòd abstulerit vsum sacramentalis confessionis, sed antiquã consuetudinem honestam & vtilẽ ad frænandos peccatores. In hac enim re poterat esse iudiciorum diuersitas absque errore, & pro temporum diuersitate fieri potuit, vt non expediret consuetudo, quæ antea probabatur. Quocirca, cùm Socrates, & Sozomenus aiunt, *vnumquemque relictum esse consilio animi sui, &c.* non est ab aliquo eorũ malitiosè additum, exponendum est, id factum esse, non ad excludendam confessionem, sed publicam illã satisfactionem & consultationem presbiteri pœnitentiarij, atque hoc modo libertati vniuscuiusque relictũ fuisse, vt confiteretur cui vellet sacerdoti iurisdictionem habenti, & iuxta illius præscriptum pœnitentiam ageret, ita ad sacra mysteria accederet.

---

### *Obiiciuntur varia testimonia Patrum.*

39. Secvndo obiiciuntur varia Patrum testimonia, præsertim Chrysostomi, qui homil. 2. in Psal. 50. in fine, sic, inquit, *Peccata tua dicito, vt deleas illa, si cõfunderis alicui ea dicere, dicito ea quotidiè in anima tua, non dico vt cõfitearis conseruo tuo, vt exprobret, dicito Deo, qui curat ea:* similia habet homil. de Pharisæo & publicano, quæ habetur tom. 1. & tom. 2. homil. 4. de Lazaro, satis post mediũ tractans, illud Isaiæ 43. *Dicito tu peccata tua, vt iustificeris. Caue,* inquit, *homini dixeritis, ne ne tibi exprobret,* & infrà, *sed ei qui Dominus est, qui tui curam gerit, neque enim ignorat, etiamsi non dixeris.* Quod vltimum verbum est valde difficile, & notandum. Et tom 5. homi. de pœnitentia, & confessione, circa principium *Solus te Deus confitentem videat: neq; enim necesse est præsentibus testibus confiteri.* Sed hoc facilè est: quod sequitur valde difficile, *Cogitatione fiat delictorum exquisitio, &c.* Et homil. 21. in epist. ad Hebræos, in parte morali postquàm multa dixerat de cõfessione, subdit, *Obedire te volo prophetæ dicenti, Reuela Domino viã tuam tante Deum ergo tua confitere peccata, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.* Quod etiam vltimum verbũ difficillimum est. Denique homil. 8. de pœnitentia circa finem, nullam videtur pati expositionem tractans enim illud, *Probet autem seipsum homo,* inquit, *Non in commune theatrum accusationem producit non delictorum testes statuit, intus in conscientia stante nemine præter eum qui cuncta videt, Deum iudicium peccatorum statuens, reforma quod deliquisti atque sic pura conscientia sacram attinge mensam.* Similia multa habet hom. 5. de incomprehẽsibili Dei natura circa finem, & hom. 21. 24. 40. & 41. ad Populum. Nec videtur dissimile quod habet Ambrosius Luc. 22. cap. de negatione Petri & repetit serm. 46. & habetur de Pœnitentia, d. 1. cap. 1. & 2. *Lacrymæ,* inquit, *lauant delictum quod pudor est confiteri: lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Et simili modo Cassianus collat. 20. cap. 8. postquàm posuerat multa remedia ad peccatorum remissionem obtinendam, subdit circa finem: *Si verecundia retrahente reuelare ea coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas & dicere. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Et alia referuntur in decreto de pœnitent. d. 1. à principio vsque ad caput 36.

Ambros. Cassian. Decretum de pœn. d. 1.

40. Prima expositio ad Chrysostomum. Gratian. Ruard. Baron.

Ad Chrysostomum communis responsio est illum tantùm docere voluisse non esse necessariam confessionem publicam: nam ideò sæpe ait *Non ad theatrum voco non testes requiro, &c.* Hoc priùs significauit Gratianus de pœnit. d. 5. §. *His auctoritatibus,* post cap. *Quis aliquando* Et posteà sequuti sunt moderni scriptores: & præcipuè videri possunt Ruardus dict. art. 5. & Baronius dict. anno 56. Qui consequenter aiunt quando Chrysostomus dicit confitendum esse soli Deo, non excludere sacerdotem, qui non vt homo, sed vt gerens vices Dei confessionem audit. Plurimùm verò obstant huic expositioni nonnulla verba Chrysostomi, quæ in obiectione aduertimus, quibus videtur excludere ministerium linguæ, & dicere sola cogitatione sufficienter fieri confessionem. Ad quam obiectionem videtur Gratianus his verbis respondere, *Neque enim est necesse, vt quæ semel sacerdoti confessi fuerimus, denuò confiteamur, sed lingua cordis, non carnis apud iudicem verum ea iugiter confiteri debemus.* Videtur enim Chrysostomus in dictis locis alludere ad antiquam consuetudinem, & ad mutationem à Nectario factam solebant enim fideles, vt diximus, etiam post sacramentalem confessionem aliqua peccata publicè confiteri, vel certè ad presbiterum pœnitentiarium accedere, vt de eis eum consulerent. Hoc ergo prædicabat postea Chrysostomus non esse necessarium, sed apud Deum pœnitentiam agere sufficere sola cogitatione, scilicet, post confessionem sacramentalem ritè factam. Secunda verò expositio, & mihi valde probabilis, est, Chrysostomum, licèt in illis locis tractet de confessione sacramentali, & secreta, non tamẽ negare absolutam necessitatem confessionis pro eo tempore, quo præceptum eius obligare potest: sed solùm intendere confessionem non esse necessariam semper in re ipsa ad iustificationem & remissionem peccati: sed

Chrysost.

Secunda expositio.

per

per solam interiorem conuersionem posse statim hominem iustificari. Huius autem rei signum esse potest quia in multis ex dictis locis tractat Chrysostomus de quotidiano examine conscientiæ, & hortatur fideles, vt statim exeant ab statu peccati, ad quod ait non esse necessarium statim confiteri. Cui expositioni consonat canon. 33. Concilij Gabillonens. 2. qui sic habet, *Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent: quod vtrumque non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam, ita duntaxat & vt Deo, qui remissor est peccatorũ, confiteamur peccata nostra, & secundùm institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra.* Id est, ita confiteamur Deo, vt non excludamus confessionem sacerdoti suo tempore faciendam, iuxta ea quæ sect. sequente declarabimus. Denique, Chrysostomũ in hac parte rectè sensisse ideoque altero ex his modis exponendum esse, constat ex variis huius locis suprà citatis disput. præced. cùm de potestate remittendi peccata ageremus, in quibus claues Ecclesiæ optimè declarat. Idem sumitur ex hom. 20. & 30. eiusdem in Genesim, & ex hom. 10. & 33. in Matth.

Conc. Gab.

41. Ambros. explicatur.

Ad Ambrosium facilis est responsio, quanuis Glos. sa in cap. 1. & 2. de pœnit. d. 1. malè illa verba interpretetur, & alij multa de illis dicant, vt videre licèt in Nauarro ibidem & Cano suprà. Nam in prioribus verbis non ait Ambrosius, si quis pudorem habeat confitendi delictum, lacrymas posse sufficere ad lauandum illud: sed sensus potiùs est, lacrymas lauare delictum, quod cum pudore confitendum est. In verbis autem posterioribus cùm ait Ambrosius, *Satisfactionem non lego*, non loquitur de propria satisfactione pro peccato; nam satis legitur satisfactio Petri. cum legitur *fleuisse amarè*, *Satisfactionem* ergo vocauit excusationem peccati, quæ de Petro non legitur. Vnde *quod defendi*, inquit, *nõ potest, fieri potest: rectè fleuit, & tacuit, quia quod fieri solet, non solet excusari.* Vnde potiùs sensit, propter pudorem neminem debere hoc modo excusari à cõfessione peccati, & ideò subdit *lacrymæ verecundiæ consulunt, & saluti non erubescunt in petendo, &c.* Ad Cassianum cũ aliis applicandæ sunt responsiones ad Chrysostomum datæ. Nam Cassianus apertè loqui videtur de confessione publica. In aliis verò locis sæpè dicunt Patres internam confessionem sufficere, scilicet ad iustificationem: non excludunt tamen confessionem suo tempore faciendam, vt statim ampliùs declarabimus.

10. Explicatur Cassian.

## SECTIO III.

### *Vtrùm hoc sacramentum in re susceptum sit necessarium medium ad remissionem peccati, vel sufficiat in voto, & quomodo.*

1. Ratio dubitandi.

HÆc est tertia difficultas circa resolutionem præcedẽtis sectionis: nam sine medio necessario non potest finis comparari: remissio autem peccati sæpius cõparari potest sine hoc sacramẽto, vt paulò anteà cum Chrysostomo dicebamus, vt docet expressè Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 4. quomodò ergo sacramentum hoc est medium necessariũ ad hunc effectum? Propter hoc dixerunt aliqui in peccato mortali duo esse scilicet maculam culpæ, & reatũ pœnæ æternæ: & quantùm ad primum, posse remitti peccatum ante confessionem, quia potest contritio charitate formari, vt Tridentinum dixit: charitas autẽ excludit maculam peccati, quantùm ad secundum autẽ negant peccatum dimitti ante sacramentalem cõfessionem peccati propter difficultatem tactam. Quo fit vt ex horum sententia sacramentum hoc non sit medium necessarium ad remissionem peccati quoad culpam, sed solùm quoad æternam pœnam.

Concil. Trident.

Quorundã opinio.

Hæc sententia sumitur ex Richardo, & Hugone de S. Victore, & Medina citatis disputatione præcedenti, sect. 2. Tamen ex ibidem dictis sufficienter impugnatur, tum quia, sicut ibi ostensum est, potestatem clauium non solùm respicere pœnam, sed etiam culpam, vt talis est, ita est certum, sacramentum hoc non solùm esse medium necessarium ad remissionem pœnæ, sed etiam ad remissionem culpæ, quia hæc necessitas in illa potestate fundatur, vt dictum est. Et ideò Concilium Tridentinum de peccatis quoad culpam loquitur, cùm de illa potestate, & de necessitate huius sacramenti sermonem habet. Tum etiam, quia ostensum est, remissionem pœnæ æternæ non separari à remissione culpæ mortalis, & è contrario: ergo repugnat hoc sacramentum esse necessarium ad remissionem pœnæ æternæ, & ad remissionem culpæ non. Et declaratur manifestè: ponamus enim, eum, qui sine hoc sacramento iustificatus est, paulò pòst mori sine noua culpa, an ergo ille consequetur regnum cœlorum, necne: hoc posterius dici non potest, aliàs homo in gratia constitutus, & in ea mortuus, non saluaretur: quod dicere erroneum est. Ergo consequetur homo æternam salutem sine reali susceptione huius sacramenti: ergo remittitur illi pœna æterna: ergo non magis est medium necessarium hoc sacramentum ad remissionem culpæ quàm pœnæ æternæ.

2. Rich. de S. Vict. Hugo de S. Vict. Medina. Reiicitur.

Vera ergo responsio est, sacramentũ hoc in re ipsa sumptum non esse semper medium necessarium ad iustificationem vel remissionem peccati, sed sufficere in re vel in voto. Quæ est certa conclusio, & communis Theologorum cum Magistro d. 17. & D. Thoma ibi & suprà quæst. 86. art. 2. Vbi de hac re dictum est. Idem D. Thomas 4. contra Gent. capit. 72. Gabriel d. 14. quæst. 2. art. 2. & dist. 16. quæst. 1. art. 3. Et nunc est definita in Tridentino, sess. 6. cap. 14. & sess. 14. capit. 4. & de illa videri potest Leo Papa epist. 91. ad Theodorum, capite 3. Ratio verò est, quia veræ conuersioni in Deum per contritionem promissa est remissio peccati, & cùm sacramentum non possit statim adhiberi propositum eius sufficit, quia apud Deum voluntas pro facto reputatur. Nec mihi placet modus loquendi Medinæ tract. 2. de Confessione quæst. 4. de confessione necessitatis, qui dicit ita remitti peccatum per confessionem in voto tantùm, vt possit homo dici aliquo modo manere in peccatis, quandiu non absoluitur. Quod ideò videtur dicere, quia probabilem existimat opinionem iam improbatam. Cùm ergo per contritionem cum voto sacramenti perfectè tollatur culpa & reatus pœnæ æternæ, & solùm manere possint reliquiæ peccati, & reatus pœnæ temporalis, quæ non habent rationem culpæ nullo modo dici potest, hominem sic iustificatũ manere aliquo modo in peccatis, magis quàm illum, qui iustificatus est per confessionem, in quo etiam possunt manere reliquię peccati, & reatus pœnæ temporalis.

3. Sacramentũ hoc in voto sufficere. Vera resolutio. Mag. D. Thom. Gabr. Trid. Leo Pap.

Modus loquendi Medinæ improbatur.

### *Quid sit peccatum remitti per sacramentum in voto.*

DVo verò explicanda supersunt. Primum est, quid sit peccata remitti per hoc sacramentum in voto. Secundum est, quale debeat esse hoc votum. Circa primum dicunt aliqui, peccatum remitti in voto sacramenti pœnitentiæ, esse remitti sub conditione suscipiendi sacramentum. Sed hæc locutio vitanda est, & quando in aliquo Catholico auctore inuenitur

4. Quorundã opinio reiicitur.

nitur,piè explicanda. Nam quando peccatum remittitur per contritionem, verè & absolutè remittitur,quia statim iustificatur homo verè ac propriè: in homine autem iustificato nihil damnationis manet, teste Paulo: ergo in homine sic contrito peccatum non manet:ergo absolutè remittitur. Nam, si solùm esset remissio sub conditione, non haberet effectum donec impleretur conditio, quia conditionalis nihil ponit in esse,donec conditio impleatur. Vnde sequeretur vlterius, nullius fructus esse contritionem, quia sub illa conditione,etiam nõ habẽti cõtritionẽ, promissa est remissio peccati, si dignè confiteatur. Quod si fortè dicatur,per contritionem statim dari remissionem peccati,tamen sub ea cõditione,vt posteà sequatur confessio, vel saltem non voluntariè omittatur, aduertendum est duobus modis hoc intelligi posse. Primò,vt effectus illius remissionis, seu duratio eius verè pendeat ab illa conditione,ita vt illa non impleta,reuocetur facta remissio. Et hic sensus est omninò falsus,& quoad culpam apertam repugnantiam inuoluens:quoad pœnam verò æternam,vel etiam temporalem semel remissam, est saltem impossibilis secundùm legem ordinariam, vt in superioribus declaratum,& ostensum est.Secundò potest dici id fieri sub conditione,non quia fiat cum dependentia ab executione talis conditionis,sed quia fit sub onere, seu cum obligatione implendi talem conditionem. Et hic sensus verus est,tamen quia locutio est ambigua, & impropria,dicendum non est remissionem esse conditionatam,sed cum obligatione posteà confitendi talia peccata.

5. Alia opinio. Hinc verò colligunt alij,contritionem tollere peccatum quatenus includit hoc sacramentum in voto, nihil aliud esse,nisi quod propositum confitendi necessarium nunc est ad remissionem peccati,& ad contritionem habendam, eò quòd nunc datum nobis sit diuinum præceptum confitendi peccata mortalia, quod semper obligat, etiamsi cõtritionem eorum habuerimus.Quod si obiicias,quia hoc modo etiam remittetur peccatum per Eucharistiam in voto, & per omnem alium actum virtutis,qui sit in præcepto:nam etiam propositum implendi quodcunque præceptum est de necessitate contritionis,atque adeò necessarium ad remissionem peccati.Respondeti potest, hanc esse differentiam inter hoc sacramentum & Eucharistiam, vel alios actus virtutis, quòd hoc sacramentum de se est remediũ peccati,& in hũc finem per se institutum quod non habet Eucharistia, vel alij actus. Et ideò propositum confitendi est propositum suscipiendi quoddam remedium talium peccatorum, cui per accidens est quòd circa remissionem horum peccatorum nihil operetur,quia iam inuenit factum. Sed hoc totum non satis declarat necessitatem medij,sed præcepti tantùm respectu peccatorum, quæ per contritionem ablata sunt: nam quòd hoc sacramentum sit remedium peccatorum, nimis materiale est respectu illorum quia non intenditur sub hac ratione,cùm circa illa non operari possit: ergo solùm intenditur vt quid præceptum.

Improbatur

6. Aliorũ sententia. Propter quod addunt alij ita esse hoc sacramentũ remedium peccatorum vt etiam ipsa contritio,vel auxiliũ ad illam in virtute huius sacramẽti & per votum eius conferatur.Quod significauit Ferrariensis 4. cõtra Gen.cap.72.Non potest tamen rectè intelligi,quia auxilium ad contritionem est prius ipsa contritione, & cõsequenter per se loquendo est etiam priùs quàm votum suscipiendi sacramentum: non ergo potest illud auxilium dari ratione ipsius sacramenti in re vel in voto susceptum. Et eadem ratione nec contritio ipsa dari potest propter votum sacramenti, tum quia contritio non aliter datur quàm dando auxilium ad ipsam tum etiam,quia votum,vel in ipsa contritione includitur,vel esse potest quid posterius ipsa:ergo,sicut votum ipsum non potest dari ratione sacramenti,ita nec contritio datur ratione sacramenti in voto susceptum. Denique in superiori tomo generatim ostendimus sacramenta nihil operari propriè & ex opere operato in voto vel desiderio tantùm susceptum, donec in re ipsa applicentur.

Ferrar. Reiicitur.

Dico ergo,peccata remitti per hoc sacramentum in voto, quia hoc sacramentum ita est nunc institutũ, vt eius susceptio pertineat ad integram dispositionem seu satisfactionem ex parte nostra necessariam ad remissionem peccati: nam hinc fit vt quanuis remittatur peccatum exiſtente sola contritione,semper id fiat in ordine ad confessionem. Ad eum modum, quo in emptione alicuius rei ante solutum integrum pretium dominium & possessio rei confertur, quanuis tunc absolutè detur, tamen id fit cum ordine ad futuram solutionem:vnde quando hæc posteà fit,licèt non acquiratur nouum,aut maius dominium talis rei, soluitur tamen & prior contractus in suo ordine completur. Sic ergo intelligendum est id quod tractamus: datur enim per contritionem remissio peccati in ordine ad futuram confessionem, quasi ad futuram solutionem: vnde,cùm postea fit confessio, completur contractus prior quantum ex parte nostra potest, & debitum est. Accedit præterea quòd etiam tunc per sacramentum completur quodammodò iustificatio prior,quæ minus perfecta fuerat ob defectum sacramenti:posteà autem perficitur, & infunditur gratia per se sufficiens ad remissionem talium peccatorum, quæ gratia sacramentalis,per se etiam loquendo, erat necessaria,& cum ordine etiam ad illam data fuerat prior remissio. Et ideò:licèt quoad ablationẽ peccati in re nihil ei addatur, tamen quoad positiuam formam expulsiuam peccati aliquid ei additur. Et propterea fortasse Alensis 4.p.q.18.memb.2.artic. 1. hoc sacramentum dixit esse veluti formam perficientem contritionem,& effectum eius, quoad remissionem peccati,quia complet modo explicato hũc effectum. Et sub ea ratione votum eius est necessarium, non tãtùm necessitate præcepti, sed etiam medij, quanuis hæc duo separabilia non sint in hoc sacramento, vt diximus.

7. Vera sentẽtia.

Ambros.

## *An votum huius sacramenti debeat esse explicitum an sufficiat implicitum.*

8. Cani opinio

CIRCA secundum difficultas est in hac conclusione,an oporteat hoc votum sacramẽti esse explicitum,vel sufficiat implicitum. Cano enim suprà dict.relect.part.5.post medium, dicit requiri explicitum.Quam sententiam tribuit Magistro,& D.Thomæ.Sed reuerà antiqui non sunt vsi tali distinctione: licèt interdum dicant requiri propositum, seu desiderium sacramenti,vt videre est in Bonauent.d.17.artic. 1.qu.4.Durando quæst.2.Paludano q.2.art.3. fundamentum Cani est,quia aliàs contritio nunc sufficeret ad iustificationem per se,ex vi sua sine ordine ad claues:quod est contrà Tridentin.sess. 6. cap. 14.* & sess. 14.cap.4.& contra Concilium Complutense,& definitionem Sixti 4.quæ ibi refertur. Sequelam nõ probat.Probari verò potest,quia si sufficit propositũ implicitũ,id solum erit propositum seruandi omnia mãdata,& quia nunc vnum ex iis mandatis est præceptũ cõfessionis,etiam hoc in illo vniuersali proposito cõtinebitur,sicut alia: ergo non magis iustificabit contritio in voto huius sacramenti, quam in voto Eucharistiæ,vel restitutionis,aut similium. Cõfirmatur:quia hæreticus,vel schismaticus non potest consequi remissionem peccati, nisi explicitè proponat reconciliati

Bonau. Durand. Palud.

Conc. Trid. Conc.Cõpl.

Aug. liari Ecclesiæ, teste Augustino lib. de vera & falsa religione, c. 12. ergo similiter, &c.

9. Votum implicitum sufficere vera sententia. Contraria nihilominus sententia, & communis est & vera, & mihi practicè certa, sufficere scilicet votum implicitum, qua includitur ex natura rei in amore Dei super omnia, & proposito seruandi omnia mãdata, supposita institutione, & necessitate huius sacramenti. Hoc sentit D. Thomas dist. 17. quæst. 3. art. 5. quæst. 1. Richardus artic. 1. quæst. 1. ad 4. Bonauen. art. 2. q. 4. in vltimo argumento cum solutione. Maior. di. 14. q. 2. & Gabriel suprà Adrianus q. 1. de Confessione ad 2. Soto d. 14. q. 1. art. 5. & d. 17. quæst. 2. art. 1. in fine, qui refert Alensem quæst. 76. memb. 2. vbi requirit quidem propositum, non tamen explicat quale illud futurum sit. Idem tenet Nauarrus in Summa cap. 1. n. 15. Et hoc magis sumitur ex Tridentino sess. 14. capite 4. Vbi inquit, nunc non esse tribuendam remissionem peccati ipsi contritioni sine voto sacramenti, *quod in illa includitur*: vera ergo contritio, si talis est, includit hoc votum: dixerat autem paulò anteà idem Concilium, ad veram contritionem satis esse cum detestatione propositum seruandi omnia mandata. Ratio verò est, quia nullum est fundamentum ad requirendum huiusmodi propositum explicitum: nec potest ostendi præceptum de hac re, neque ex Scriptura, neque ex traditione aliqua. Confirmatur, & explicatur hoc modo, nam vel hoc propositum requiritur, quia sine illo non potest haberi vera contritio: & hoc est falsum: quia etiamsi quis non recordetur expresè cõfessionis, potest habere omnes actus, quos suprà diximus perficere contritionẽ, quia nulla est repugnantia, & gratis diceretur, Deum non dare gratiam excitantem, vel adiuuantem necessariam ad illos actus, nisi habenti actualem memoriam, & formale desiderium confessionis. Vel requiritur, quia licèt haberi possit contritio sine tali voto, non tamen sufficit ad iustificationem: & hoc est omninò falsum, tum quia illi contrioni, vt dictum est, semper est coniuncta gratia, & charitas tanquàm vltimæ dispositioni: tum etiam quia in illa includitur votum sacramenti: & vtrumque dixit Concilium. Et confirmatur, quia aliàs pari ratione dici posset, contritionem non sufficere sine reali susceptione sacramenti. Vel requiritur hoc votum, vt suppleat vicem sacramenti, veluti dando gratiam ex opere operato: & hoc est etiam omninò falsum, quia iustificatio, quæ solùm fit per sacramentum in voto, tantùm sit ex dispositione operantis: neque ibi confertur vlla gratia sacramentalis, vt in superioribus sæpè dictum est. Aliàs pari ratione dici posset, hominem iustificari ex opere operato per attritionem cum formali desiderio sacramenti. Confirmatur, quia in Baptismo sufficit votum implicitum, vt docet D. Thomas suprà quæst. 69. ar. 4. ad 2. vbi latè de hac re: ergo pari ratione in hoc sacramento, quia eadem est ratio: & sicut potest quis habere fidem & contritionem cũ ignorantia inuincibili Baptismi, ita potest baptizatus habere fidem & contritionem cum obliuione inuincibili confessionis, vel etiam cum ignorantia: ergo eadem est ratio.

10. Fundamẽto Cani satisfit. Ad fundamentum Cani negatur sequela, & ad probationem iam suprà explicatum est, non tribui effectum specialiter voto sacramenti, quia ex parte hominis requiratur ad illud votum actus, vel desiderium expressum, sed quia tale sacramentum non solùm est præceptum, sicut alia, sed est per se institutum ad remissionem illorum peccatorum, tanquàm mediũ necessarium ad illum effectum. Vnde quando in absentia sacramenti datur talis effectus per contritionem, illa dicitur habere ordinem ad tale sacramentum, quia supplet vicem eius, & quia semper illa peccata manẽt subiicienda clauibus ex vi illius voti & propositi. Ad confirmationẽ verò respondetur, si sit sermo de hæretico non esse simile: ille enim non potest iustificari, nisi incipiat habere veram, & formalem fidem: & ideò necesse est, vt habeat voluntatem credendi, & consequenter redeundi ad Ecclesiam: si autem esset schismaticus, non hæreticus, sed retinens veram fidem, ille iustificari posset cum dolore, & proposito seruandi omnia mandata.

## DISPVTATIO XVIII.

### *De essentia, & ritu huius sacramenti in communi.*

DVOBVS modis potest definiri essentia huius sacramenti: primò metaphysicè per suum genus & differentiam, & dicetur esse signum efficax gratiæ remissiuæ peccati post Baptismum commissi: quæ definitio nota est ex dictis. Alio modo agendum est de essentia huius sacramenti, declarando partes quasi physicas eius, materiam scilicet, & formam: quòd hic generatim præstabimus, posteà speciatim.

## SECTIO I.

### *Quænam sit materia remota huius sacramenti.*

QVONIAM, vt ostendam sect. sequente, sacramentum hoc, sicut alia nouæ legis materia cõstat, & forma, dicendum priùs hoc loco est de materia remota, ex qua solet materia proxima confici. Quidam autem ita loquuntur, vt dicant materiam remotam esse ipsum peccatorem qui absoluitur, vt D. Thomas Opusc. 22. c. 4. & Gerson in floribus moralibus.

1. Prima opinio. D. Thom. Gerson.

Verũramen peccator potius est subiectum, de quo nunc non agimus, nam hoc subiectum commune est omnibus sacramẽtis, & ad hoc sicut & ad cætera præter Baptismum, supponi debet baptizatus. Igitur dicendum est in primis ex communi sententia, peccatum actuale post Baptismum commissum esse materiam remotam huius sacramenti. Ita omnes docent Theologi statim citandi, cum D. Thom. q. 84. a. 2. Petro Soto lect. 2. & 3. de Pœnitentia, Soto d. 14. q. 1. a. 2. Medina Cod. de pœnit. q. 2. Dicuntur autem peccata materia huius sacramenti, non quia sint materia ex qua, sicut lignum est materia statuæ, sed quia sunt materia circa quam sacramentum hoc versatur. Sicut causa, de qua in aliquo iudicio agitur, dicitur materia eius: sic enim totum negotium huius sacramẽtalis iudicij circa hæc peccata versatur, & ad illa tollenda institutum est. Remota verò materia dicitur respectus essentialium partiũ ex quibus proximè conficitur hoc sacramentum. Nam contritio sacramentalis de peccato debet esse: confessio etiam, accusatio est peccati: satisfactio, eiusdem est vindicta: absolutio denique de his peccatis est & proximè informat debitam cõfessionem.

2. Peccatum actuale post Baptismum cõmissum esse materiam remotã huius sacramẽti, Assert. 1. D. Thom. Petr. Soto. Dom. So. Medina.

Vnde concluditur primò originale peccatum ad hanc materiam non pertinere, quia nec propter illud tollendum sacramentum hoc institutum est: neque illud est materia propriæ accusationis, cum non sit propria voluntate commissum. Deinde infertur, neque peccata actualia cõmissa ante Baptismum susceptum pertinere ad hanc materiam, tũ quia per se, ac totaliter remittuntur per Baptismum, & ideò ad illa etiã tollenda non est ordinatum hoc sacramentum: tum etiam quia persona illa pro illo statu non est de iurisdictione Ecclesiæ, & ideò eius actus non sunt subiecti

3. Originale peccatũ ad hanc materiã non pertinere. Neq; actuale ante Baptismum commissum.

iecti clauibus. Vnde talia peccata non tantùm non sunt materia necessaria, verùm nec sufficiens, nec debet illa quis sacramentaliter confiteri, cùm ab eis non possit sacramentaliter absolui. In quo etiam Theologi conueniunt: quanuis sine fundamento sentiat oppositũ Angelus ver. *Confessio.* 2. n. 2. de quo latiùs Med. tract. 2. de confessione in principio.

Angel. Medina.

---

*Quodlibet peccatum actuale hominis baptizati esse sufficientem materiam huius sacramenti.*

## ASSERTIO II.

4. Ostenditur in mortalib. Conc. Trid.

SEcundò dicendum est, quodlibet peccatum actuale hominis baptizati esse sufficientem materiã huius sacramenti, non tamen æquè necessariam. Declaratur, & probatur: nam in primis peccatum mortale esse materiam sufficientem, & necessariam, constat ex omnibus dictis disp. præcedenti, & ex doctrina Concilij Tridentini, sess. 14. quæ de hoc peccato maximè procedit. Dicitur autem tale peccatum materia necessaria, non quia sine illo non possit confici hoc sacramentum, nam id falsum est, vt statim dicam: sed è cõuerso, quia illud tolli non potest sine hoc sacramento, & quia si illud commissum sit, & numquàm sit confessum, per se loquendo necessarium est, vt de illo fiat confessio, alioquin non erit validum sacramentum, vt latiùs infrà disputando de integritate confessionis dicetur. Vbi latiùs constabit doctrinam hanc generaliter sumendam esse de omnibus peccatis mortalibus post Baptismum commissis, & nunquàm confessis.

5. Quomodo inuenialibus habeat locũ assertio. Trident. Leo X. Gela Pap. Vega.

Præterea locum habet conclusio in peccatis venialibus: nam illa etiam sunt materia sufficiens, vt patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. & ex Leone x. in Bulla contra Lutherum in damnatione 8. artic. & ex Gelasio Papa tom. de vinculo anathematis: item ex vsu omnium fidelium, denique ex generalibus verbis Christi. *Quorum remiseritis peccata.* De quo latiùs Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 3. Propter hoc autem peccatorum genus addidi secundam partem conclusionis, in qua conueniunt omnes Theologi, & sumitur ex eisdem locis. Nam hoc peccatum, licèt sit materia sufficiens, non est necessaria: tum quia potest aliis modis auferri sine ordine ad hoc sacramentum, aut voto eius: tum etiam, quia licèt adsit tale peccatum, potest sine illius confessione sacramentum confici, per se, & ex certa scientia & voluntate. Quò fit, vt ex verbis Christi Domini sæpè citatis, illa priora. *Quorum remiseritis peccata*, comprehendant venialia: posteriora verò, *Et quorum retinueritis, retenta sunt*, non æquè comprehendant, quia non ita constituunt aut faciunt illam esse materiam necessariam, sicut mortalia.

6. Quomodo in peccatis confessis. Bened. XI. Rich. & Guil lelm. reiiciuntur.

Vltimò locũ habet dicta conclusio in peccatis confessis semel, de quibus certa est posterior pars assertionis, quia talia peccata non sunt materia necessaria vt omnes Theologi docent, & Benedictus XI. in Extrauag. 1. de Priuilegiis, & dicetur latiùs disputando de integritate. De priori autem parte, scilicet, quòd hæc peccata sint materia sufficiens, nonnulli dubitarunt, vt patet ex Richardo d. 18. articulo 2. quæ. 4. & refert Guillelmus de Rubion. d. 15. q. 2. dicens, non esse licitum de peccatis his, præsertim solis, confessionem facere. Nihilominùs tamen communis, & certa sententia est, hæc peccata esse sufficientem materiam, si quis velit ea iterum confiteri. Ita docet Benedictus XI. in dicta Extrauag. dicens, esse salubrem talem confessionem. Confirmat hoc etiam Catholicorum, & piorum omnium consuetudo. Ratio verò à priori petenda est ex institutione: nam Christus concedens hanc potestatem, non limitauit illam ad vnum actum remissionis: alioquin verò est consentaneũ, & congruum fini huius sacramenti, vt ita fuerit institutum, tum propter vtilitatem, & maiorem securitatem animarum: tum etiam, quia virtus pœnitentiæ iterum atque iterum potest exercere suos actus circa eadem peccata: ergo & hoc sacramentum, nam iuuat quodammodò illam virtutem, & ideò esse debuit eodem modo iterabile. Et hinc infertur, huiusmodi peccata iam confessa non solùm coniuncta cum aliis non confessis, sed etiam per se sola sufficere posse ad conficiendum hoc sacramentum, propter easdem rationes. Quod bene docuit Caietanus tom. 1. Opuscul. tract. 5. de Confessione, quæst. 4. & Medina tracta. 2. q. de fructu iterandi confessionem.

Coroll. Caiet. Medin.

Sed contrà primò, quia in nullo sacramento potest forma sæpiùs cadere supra eandem materiam. Respõdetur, supra materiam remotam nego, suprà proximam concedo: nam ex eadem numero aqua, possunt multa Baptismata confici: quia, licèt aqua quæ est materia remota, sit eadem, tamen ablutio, quæ est materia proxima, potest esse diuersa. Sic ergo in proposito licèt peccatum sit idem, tamen confessio, & accusatio est diuersa. Hinc tamen benè concluditur, vt Medina suprà notauit, supra eandem confessionem non posse iterari absolutionem: quod propriè fieret quando successiuè idem peccatum, eadem confessione accusatũ, bis remitteretur per absolutionem, hoc enim fieri nõ potest: sicut non potest hostia consecrata, iterum consecrari: at verò simul per modum vnius benè potest eadem confessio pluribus formis informari, sicut in simili constat de Eucharistia, & de Baptismo.

7. Obiect. soluitur.

Sed vrgetur, quia etiamsi idem peccatum iterum in confessione dicatur, non possunt verba formæ verè proferri circa tale peccatum, nec suũ habere effectũ: quia quod semel remissum est, non potest iterum remitti, sicut in naturalibus. quod semel destructum est, non potest iterum destrui: & in moralibus sententia semel probata, & executioni mãdata non potest super eandem causam iustè iterari. Et confirmatur, nam alias per secundam absolutionem tolleretur reatus pœnæ temporalis ex priori confessione relictus, & ita nulla esset necessitas satisfactionis, sed iteratæ confessionis eiusdem peccati.

8. Instantia.

Propter hoc dixerunt aliqui ex huiusmodi materia verum confici sacramentum, illud tamen non habere effectum, quia inuenit factum quidquid facere posset. Quod saltem de effectu remissionis pœnæ affirmat Scotus dist. 19. ad primum, & sequitur Gabriel quæst. 1. art. 3. & dub. 2. Oppositam sententiam omninò verã censeo, quam tenet D. Thomas dist. 18. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. ad 4. Durandus quæst. 2. Soto quæst. 4. art. 3. in fine, Paludanus d. 19. quæst. 1. & benè Henricus Gandauens. quodlib. 7. q. 22. & 24. Caietanus, & Medina suprà. Ratio est, quia sacramenta dant effectum infallibiliter non ponentibus obicem: sed homo ille non ponit obicem (supponimus enim confiteri cũ vera attritione, & proposito) nec aliunde est incapax talis effectus, quia potest in gratia crescere: ergo, &c. Item magis tunc vrgebit argumentum, quia significatio formę falsa esset, ac propterea nõ solùm superfluũ, sed etiam illicitum esset tale suscipere sacramentum, quod non posset habere effectum. Denique, ferè idem dici posset de homine contrito, cùm primùm confitetur peccatum, quia iam est peccatum destructum, & gratia comparata, seu obtenta.

9. Quorundã solutio. Scot. Gabr. Vera solutio D. Thom. Durand. Soto. Palud. Henric. Caiet. Medina.

Respondetur ergo ad argumentum negando maiorem, quia hæc remissio peccati fit per gratiæ infusionem, & sanctificationem animæ, quem effectum habet semper absolutio ritè data, & remoto obice suscipientis: & ideò talis forma habet hunc verum sensum: *Ego tibi confero gratiam remissiuam peccati quãtùm est ex se*, vt latiùs dicemus disput. sequente. Ad confir

10.

confirmationem, verum est per secundam absolutionem remitti aliquid pœnæ temporalis, sicut per priorem, iuxta dispositionem recipientis. Neque est inconueniens, quòd aliquando non sit necessaria satisfactio ex opere operantis, si per alia media remittatur pœna ex opere operato, vel per indulgentias suo modo, & per sacrificium Missæ: eò vel maximè quòd secunda confessio peccati, vt est bonus actus operantis, actus pœnalis est, & satisfactorius. Nullũ ergo inconueniens est, quòd per iteratã confessionẽ eiusdẽ peccati tota pœna illi debita tandẽ remittatur: immò hic fortasse est vnus finis talis institutionis, ideò enim cõcessum est, vt eadem peccata possent sæpiùs esse materia confessionis, vt perfectior eorum remissio comparari posset, & vt ita inducerentur homines ad eorum pœnitentiam sæpiùs agendam. Neque etiam refert, quòd prior absolutio semper maneat rata, quia, licèt posterior habeat suum effectum, nihil derogat priori, sed vnaquęque habere potest suum effectum iuxta dispositionem suscipientis. Neque oportet seruari in omnibus similitudinẽ inter hoc iudicium, & iudicium humanum in extremo foro, in qua proportione, seu similitudine fundatur Scotus: quia in humano iudicio tantùm intenditur liberatio, ab exteriori pœna, & expeditio litis, iuxta probationem externam: at verò in hoc iudicio intenditur interior fructus animæ, & sanitas eius, quæ potest crescere iuxta dispositionem pœnitentis.

Satisfit confirmationi.

11. Peccatũ quo ad culpã est materia sine qua hoc sacramentum non fit.

Vltimò addendum est in hac dubitatione, peccatum quoad culpam esse materiam, sine qua non potest confici hoc sacramentum. Hoc à fortiori patet ex omnibus dictis. Itaque, licèt quis dicat se habere reatum pœnæ temporalis ex confessione priori relictũ, non potest sacramentaliter absolui, nisi culpam confiteatur: nam ad hanc remittendam est directè data potestas: ad pœnam verò solùm, vt ad quid accessorium, vt patet ex illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, &c.* & ex sensu, & vsu Ecclesiæ. Item, quia illa non est accusatio proportionata huic iudicio, quod per se debet fieri de culpa, & iuxta illius qualitatem pœna imponi. Quia verò is, qui reatum pœnę confitetur, implicitè fatetur se peccasse, ideò ex hac parte videri posset illa sufficiens materia: tamen etiam hoc sensu est valdè implicita, & tantùm generalis confessio, ac propterea per se loquendo, est insufficiens.

12. Dubitatio de culpa dubia.

Dubitari tamen hîc solet de culpa dubia, an sit sufficiens materia. Breuiter tamen dico materiam esse peccatum, quod in re sit: in re autem non dicitur esse peccatum dubium, sed in ordine ad cognitionem nostrã, ex qua non variatur sacramẽti materia. Tamẽ, quia in ordine ad nos potest similis casus accidere: ideò dicendũ est semper adhibendã esse materiã certam, si fieri possit, & adiungendam in gradu suo, quia oportet, vt sit sacramentum validum cum humana certitudine, si fieri possit: & alioqui confessio debet esse integra, vt latiùs infrà. Si tamen contingat nullam haberi posse materiam certam, prudenti arbitrio confessoris relinquitur, vt iuxta materiæ necessitatem, & periculum, & dubij probabilitatem sacramẽtum conficiat, absoluendo sub conditione saltem concepta, vt constat ex generali doctrina de sacramentis in communi.

* *
*

## SECTIO II.

### *An sacramentum pœnitentiæ essentialiter sit compositum aliquod, ex materia, & forma sacramentali constans.*

1. QVANVIS negari non possit in hoc sacramento aliquid esse per modum materiæ, & aliquid per modum formæ, ex generali doctrina sacramentorum tradita in Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, & in Concilio Tridentino, sess. 7. & explicata superiori tomo in proprio loco: nihilominùs in essentia huius sacramenti explicanda est diuersitas inter Theologos. Prima ergo sententia est, totam essentiam huius sacramenti positam esse in verbis formæ, quanuis prærequirat legitimam confessionem, quia non potest sententia ferri causa non audita. Ita sentit Scotus in 4. d. 14. quæst. 4. Vnde in d. 16. quæst. 1. disertè negat confessionem, & contritionem esse partes huius sacramenti. Ex quo apertè sequitur sacramentum hoc non constare materia, & forma, & ita in terminis cõcedit. Maior ibi quæst. 2. sequens opinionem Scoti: quem etiam sequitur Gabriel ibi q. 2. in principio, vbi cum Scoto definit, hoc sacramentum esse *Absolutionem hominis pœnitentis*, &c. In qua definitione ait significari, confessionem peccatorum esse ita necessariam, vt sine illa non possit fieri hoc sacramentum: *& in hoc*, inquit, *tangitur materia huius sacramenti, eo modo, quo hic inuenitur*. Et inferiùs videtur admittere, confessionem saltem esse partem huius sacramenti. Hanc etiam opinionem sequitur Dionysius Cistercienſ. d. 23. q. 2. art. 1. Fundamentum esse potest primò, quia forma est tota rei essentia. Sed hoc principium in materialibus rebus verũ non est, neque applicari potest ad sacramentum, aliàs in omnibus sacramentis forma tantùm esset essentia: quod nec Scotus ipse concedit. Igitur motiuum Scoti fuisse videtur, quia tota significatio huius sacramenti posita est in illo verbo *Absoluo*, itẽ etiam tota efficacia, quia solùm sacerdos remittit peccata: sacramentum autem essentialiter est solùm id, quod significat, & efficit. Et confirmatur, quia minister huius sacramenti est solus sacerdos, & non pœnitens: ergo solus ille efficit totam essentiam huius sacramenti: efficit autem sola verba, quibus absoluit: ergo in illis solis continetur tota essentia huius sacramenti.

Prima sententia. Scotus. Maior. Gabr. Dionyſ. Ciſter.

2. Secũda sententia. Soto. D. Tho.

Secunda opinio referri potest in contrario extremo, nimirum, totam essentiam huius sacramenti consistere in materia, vel in aliqua parte eius: absolutionẽ verò esse quidem necessariam ad perfectionem, seu complementum huius sacramenti. Ita videtur sentire Soto in 4. dist. 14. quæst. 1. articul. 1. nam apertè negat absolutionem esse partem huius sacramenti: ergo à fortiori negat esse partem essentialem: ex quo planè sequitur, non esse de essentia, quia neque est tota essẽtia, nec pars eius. Assumptum probat ex Diuo Thoma quæst. 84. art. 1. ad 2. dicente, sacerdotem absoluendo dare complementum huic sacramẽto: ergo absolutio, inquit, non est pars, sed complementum. Rationem adiungit, quia sacramentum hoc est pœnitentia, pœnitentia autẽ essentialiter nõ est absolutio sacerdotis, sed actus pœnitentis: ergo. Atque hinc infert, sacramentum pœnitentię non esse compositum aliquod ex confessione & absolutione: vel, vt ipse loquitur, non supponere pro tali composito, sed solùm pro confessione legitima, & sacramentali, quia in illa sola est substantia, & essentia huius sacramenti, sicut in artificialibus substantia censetur posita esse in materia, non in figura, vel forma.

## *Sacramentum pœnitentiæ constare essentialiter ex materia & forma.*

3. D.Thom.

NIHILOMINVS dicendum est, sacramentum hoc essentialiter constare ex materia, & forma. Ita sentiunt antiqui Theologi: D. Thomas hac 3. part. quæst. 84. art. 2. & 3. & sumitur ex eodem quæst. 90. ferè tota, & 4. contra Gen. capit. 62. quibus locis Caietanus, & Ferrariensis. Idem sumitur ex Alense 4. p. tota quæst. 60. Marsilio in 4. quæ. 10. Durando dist. 14. quæst. 3. Et præcipuè probatur ex Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, vbi cùm priùs in genere dixisset, sacramenta tribus perfici, materia, forma, ac ministro, posteà in hoc sacramento propriam formam, & materiam designat. Et ex Concilio Tridentino, sess. 14. capite 3. vbi priùs declarat formam, & matetiam, ac materiales partes huius sacramenti, posteà concludit, *Hæc de partibus huius sacramenti sancta Synodus tradens, &c.*

Caietan. Ferrar. Alens. Marsil. Dur. Conc. Florent. Conc. Trid.

4. Cur actus pœnitentis quasi materia sacramẽti pœnitẽtiæ dicantur à Conciliis.

Nec refert quòd hæc Concilia non vocent actus pœnitentis simpliciter materiam, sed quasi materiam: id faciunt, non quia, eo modo, quo in sacramentis est materia, hæc non sit propria materia sacramẽtalis: sed quia vel tota materia sacramentalis non est propria, sed per analogiam sic appellatur, vel quia hæc materia, nõ est ex aliquo elemẽto, seu corpore sensibili, sicut est in aliis sacramentis. Et hæc posterior ratio est magis propria: nam prior communis est aliis sacramentis, cùm tamen in illis non ita loquantur Concilia, sed absolutè vocent materiã Item illa prior ratio ad formam etiam posset applicari, & tamen Concilia non dicunt verba sacerdotis esse quasi formã, sed simpliciter esse formã. Igitur, quia materia simpliciter dicta, etiã in rebus artificialibus, solet esse aliquod sensibile corpus, ideò aliis sacramentis, in quibus materia proxima consistit in vsu alicuius corporis sẽsibilis, materia simpliciter tribuitur: quia verò hîc, nec materia proxima, nec remota est corpus sensibile, ideò (ad hoc solùm denotandũ) addita est illa particula diminuens, *quasi*. In cæteris verò omnibus hîc seruatur tota ratio, & munus materiæ, æquè ac in aliis sacramentis. Nam sicut ibi applicatio sensibilis elementi habet imperfectam significationem, & virtutem, donec accedat forma, cui talis materia suo modo supponitur, ita etiam in præsenti sacramẽto, actus pœnitentis cõparantur eodem modo ad verba sacerdotis.

5. Cõfessio nõ est materia circa quam huius sacramẽti, sed ex qua.

Quapropter non possunt etiam dicta Concilia explicari conuenienter de materia, circa quam versatur absolutio sacerdotis, sed de materia, ex qua constat sacramentum. Primò quidem, quia Concilium Tridentinum apertè declarat esse partes, quæ ad integritatem sacramenti requiruntur: materia autẽ circa quam non est pars, sed quasi obiectum: vnde illo modo potiùs peccata dici possẽt materia circa quam versatur absolutio, nam sunt quæ remittuntur. Deinde, prędicta Concilia ita tribuũt huic sacramento hãc quasi materiam, sicut aliis materiam: in aliis verò id quod est materia, non est circa quã, sed ex qua perficitur sacramentum: idem ergo est in præsenti. Quod etiam satis declarat ipsa distinctio & assignatio materiæ, & formæ. Nam materiæ circa quam non correspondet forma, sed actus, vel potentia, aut quid simile: cùm ergo hic assignetur materia, cui forma respondet, signum est, sermonem esse de materia, quæ suo modo informatur per formam, & ex qua simul cum forma aliquod totum consurgit.

## *Sacramentum hoc ex materia, & forma tanquàm ex partibus constare.*

### COROLLARIVM I.

EX his ergo rectè concluditur primò, sacramentum hoc ex materia & forma tanquàm ex partibus constare. Patet primò ex dictis, quia materia ex qua est pars simul cum forma. Sed ait Soto, in rebus artificialibus formam non esse partem. Sed, vt notaui superiori tomo, agens de sacramentis in genere, non satis distinxit rationẽ formæ, & partis. Nã, si in rebus artificialibus cõsideremus compositionẽ physicã, figura reuerà est pars compositi artificialis, quia statua v.g. ita verè componitur ex ligno, & figura, sicut albũ ex corpore, & albedine (loquimur enim formaliter de his cõpositis, & non tantùm materialiter de subiectis) Si verò in rebus artificialibus cõsideremus cõpositionẽ, vt sic dicã, integralẽ, sic figura non est pars. Inter partes autẽ physicas, quæ integrant subiectũ ipsius figuræ, vna cõparatur ad alterã, vt materia ad formam: sic enim caput potest dici forma statuæ, & tectũ domus: & hæc forma verè dicitur pars totius artificiati, ad eius integritatem concurrens. In doctrina ergo sacramentorum, cùm de forma agimus, non priori, sed posteriori modo loquimur. Nã priori modo non sunt verba forma sacramenti, sed significatio, aut virtus, per quam sacramentum constituitur in genere signi, vel causæ gratiæ: huius autem formæ subiectum est tota illa res sensibilis, quæ ad significandum imponitur, vel ad agendum assumitur: in illa verò re sensibili, quoniam ex pluribus coalescit quædam distinguitur, vt materia, quædam verò, vt forma: hæc ergo forma verè est pars, ex qua totum illud componitur. Ita ergo se habent in hoc sacramento materia, & forma, nam ex illis consurgit illud, quod est integrum signum sacramentale, & integrum gratiæ instrumentum: quod quidem de materia infrà probabimus. De forma verò certissimum est, quia expressiorem habet significationem, & in illa residet præcipua virtus huius sacramenti, vt Concilium Tridentinum docuit.

6.

7.

Vnde non solũ concluditur, formã esse partem, sed esse prẽcipuam partem: quod ipsummet argumentum Soti conuincit, quia forma est quæ dat cõplementum huic sacramẽto quantùm ad rem illam, quæ ad significandum imposita est: non est autem complementum tanquàm aliquid extrinsecum, sed tanquàm intrinsecè complens, & addens id quod est præcipuũ in tali sẽsibili signo seu instrumẽto: est ergo pars eius præcipua. Non est tamen excludenda materia à ratione partis totius sacramenti, cùm Concilia ita loquantur, & cùm etiam participet significationem, & efficaciam sacramenti, vt posteà dicemus. Item, quia in arte factis, à quibus hæc analogia sumpta est, si aliqua pars integrans vocetur forma, reliquæ recipientes denominationem materiæ, non excluduntur à ratione partis, vt per se notum est: ita ergo in præsenti philosophandum est. Dices, Ergo habet hoc sacramentum quatuor partes, scilicet tres materiales, & formam, cùm tamen Concilia tres tantùm partes distinguant, quas sectione sequenti declarabimus. Respondetur, adæquatè duas tantùm esse partes, scilicet materiam, seu quasi materiam, & formam, quas priùs distinguunt dicta Concilia: posteà verò in ipsa materia distinguunt tres partes, quas non dicunt esse omnes, vel solas partes sacramẽti, sed partes materiæ, seu pœnitẽtiæ, aut actuum pœnitentiæ: sic enim absolutio non est pars pœnitẽtiæ propriè dictæ, licèt sit pars sacramenti pœnitentiæ. Et ita obiter respondetur ad fundamentum Soti, quod magis consistebat in verborum æquiuocatione, quàm in re: & testimonium

Obiectio.

Soluitur.

Diui

Diui Thomæ potiùs probat contrarium, vt declarani.

8. Sacramentũ hoc essentialiter constare ex hac materia, & forma. Coroll. 2.

Secundò sequitur ex dictis, sacramentũ hoc essentialiter constare ex hac materia, & forma. Non assero essentialiter cõstare ex tota materia (hoc enim posteà tractabitur) sed simpliciter ex materia, & forma: quod nõ minùs certũ est, quàm superiora. Primò ex generali doctrina sacramentorum nouæ legis, quæ ad hoc etiã applicatur à dictis Conciliis, Secũdò, ex analogia, seu metaphora ad res physicas, ex quibus sumpta est: nã cõposita, quæ cõstant ex materia, & forma, essentialiter ex illis cõstant: ergo similiter, &c. Tertiò, quia ex dictis manifestũ in primis est, si forma est pars, esse maximè essentialẽ, quia est maximè necessaria, & quę cõplet ac cõstituit rẽ ipsã, & quia in ea est præcipua significatio, & efficacitas. Itẽ, quia ex opinione Soti sequi videtur finita cõfessione pœnitẽtis cũ omnibus requisitis ex parte eius, ante prolationẽ formæ sacramentũ esse essẽtialiter consummatũ: quod nullo modo dici potest, aliàs statim haberet suũ effectũ ex opere operato. Quod si respondeat, informationẽ requiri ad essentialẽ consummationẽ huius sacraméti, fateatur necesse est ipsã formã esse essentialẽ partẽ. Deniq; argumenta Scoti hoc saltẽ cõuincunt. Quod verò idẽ sit dicendũ de materia, eadẽ argumenta probãt (quidquid Vega in defensionẽ Scoti conetur lib. 13. in Trident. c. 15.) quia forma essentialiter respicit materiã, & è conuerso, & vtraque respicit compositũ, hoc verò vtãque omninò requirit, tãquàm omninò necessariã, & intrinsecã ad suũ esse. Denique certum est de fide cõfessionẽ v.g. esse ita necessariã ad hoc sacramẽtũ vt sine illa cõfici nõ possit: & hoc nec Scotus, neque aliquis Catholicus negat: imo expresse traditur à Cõcilio Tridentino sess. 14. c. 5. Rursus ostensũ est, huiusmodi actũ pœnitẽtis esse partẽ materialẽ huius sacraméti, quid ergo illi deest vt vocatur pars essentialis? Præterea hoc declarari potest ex cõmuni ratione iudicij, cuius essentia nõ cõsistit in sola prolatione sentẽtiæ, sed substantialiter, & essentialiter requirit accusationẽ: sic ergo in præsenti. Denique hoc declarat D. Tho. suprà ex analogia ad corporis curationẽ per artẽ medicinæ: nã hoc sacramentũ compositũ est tanquàm artificiale medicamentũ ęgritudinũ spiritualiũ: curatio autẽ corporis partim debet esse ab intrinseco & à natura, partim ab extrinseco & ab arte. Sic ergo medicamentũ hoc partim debuit inchoari ab intrinseco per actus pœnitẽtis, partim extrinsecùs consummari per absolutionem sacerdotis: ex vtrisque ergo tanquàm ex partibus essentialibus constat.

Formã esse partem maximè essentialẽ huius sacramenti.

Sacramentũ hoc suppone re pro artificiali cõposito ex absolutione, & cõfessione. Corol. 3.

Vltimò concluditur ex dictis, sacramentũ pœnitẽtiæ (dialectico more loquendo) non supponere pro absolutione sola, vel pro confessione sola, sed pro artificiali composito ex vtraque: Hoc probaui generaliter contra Sotum agens de sacramẽtis in genere, & solui fundamentũ eius ex doctrina paulò anteà data, de materia, & forma rerũ artificialiũ, quæ in hoc sacraméto æquè procedit, vt declaratum est. Quocirca, si adæquatè velimus hoc sacramentũ definire, nõ per genus signi, sed per rẽ ipsam sensibilem, quæ subitat formalitati signi dicẽdum est esse, *Compositum morale, seu artificiale constans ex actibus pœnitentis, & verbis sacerdotis, institutũ ad significandam & conferendã gratiam remissiuam peccati post Baptismum commissi.* Si verò rẽ ipsam sensibilẽ in partes distinguere velimus, & ad modum artificialiũ rerũ definitionem tradere, nõ dicemus tãtùm esse absolutionẽ sacerdotis, vt volebat Scotus, quia non est illa tota essentia, vt ostensũ est. Imò neque absolutionẽ loco generis ponemus: quia, cùm genus habeat rationem materiæ, potiùs materialis pars loco generis ponenda erat: & ita seruari solet in definitione rerũ artificialium. Dicemus ergo hoc sacramentum esse, *Confessionem legitimè in foro pœnitentiæ factam, & absolutione iudicis firmatam.* Quæ tota definitio satis constat ex dictis.

Sacramenti pœnitentiæ definitio.

Definitio altera.

Ex quo etiam obiter expeditur dubium, quod tractat Durandus d. 14. q. 3. An hoc sit sacramentum absolutionis, vel cõfessionis. Ipse enim cõtendit priori modo esse appellandũ, quia absolutio est præcipua pars, in qua est maxima vis huius sacramenti. Mihi autem videtur quæstio de modo loquẽdi, & fateor modum illum esse satis congruum, & interdum inueniri in Patribus æquiualenter, nam vocant hoc sacramentum reconciliationis. Veruntamen alius modus loquendi magis vsitatus est: nam, quia materia sacramenti, vel notior, vel nobis familiarior est, ideò ferè vsus obtinuit, vt multa sacramẽta à materia nominẽtur, vt Baptismus, Chrisma, &c. sic ergo sacramẽtum hæc cõfessionis, vel pœnitentiæ sæpiùs appellari solet: &, vt suprà dixi, ita etiam appellatur à Patribus. Et eandem vim habet vox *exomologesis*, quæ apud Patres sæpè vsitata est: de qua videri possunt multa apud Pamelium ad librum de Pœnitentia Tertulliani, nu. 53. & apud Baronium tom. 1. anno 56. circa medium.

10. Dubiũ Durandi expenditur.

Pamel. Baron.

## *Fundamentis Scoti fit satis.*

SVpereſt, vt ad fundamenta Scoti respõdeamus, & quædam, quæ in illis petuntur, ampliùs explicemus. Respondetur ergo, ideò sacerdotem dici absolutè ministrare hoc sacramentum, quia licèt pœnitens præbeat materiam, tamen ipse est, qui introducit formã, & perficit compositum. Vt in naturalibus agens, qui introducit formam, & vnit illam materiæ, dicitur simpliciter efficere totum ipsum. Præsertim, quia tota vis clauiũ, & potestas remittendi peccata est in sacerdote, & actus ipsius pœnitentis non habent significationẽ sacramentalẽ, nisi prout subiiciuntur clauibus, & quodãmodò vniuntur, seu eleuantur per actũ clauis: & ideò, licèt materialiter illi actus eliciãtur à pœnitẽte, tamẽ in ratione partis sacramentalis cẽsentur quodãmodò constitui per efficientiam ipsarum clauium. Et hac ratione pœnitẽs nullo modo dicitur minister huius sacramenti, sed solus sacerdos.

11.

12. Non tota significatio sacramenti pœnitentiæ est in forma.

Ad confirmationem, duo in illa petuntur, alterum de significatione, alterum de efficacia. Quoad significationem, negatur totam esse in forma, quia, licèt verba formæ distinctiùs significent totum effectum, tamen etiam actus pœnitentis suam habent significationem, nam signa contritionis sunt etiam signa inferioris remissionis; & per confessionem significatur, quòd sicut peccata exteriùs manifestantur, ita etiam ab anima ipsa excluduntur. Satisfactio etiam apertè significat remissionem pœnæ. Quoad efficaciam verò est diuersitas opinionum. Nam quidam volunt solam formam efficere, cum Scoto suprà. Quod tenuit Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 15. & Ferrariensis 4. contra Gentes, cap. 72. Et fuit sententia D. Thomæ in 4. d. 22. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 2. & 3. & indicat etiam q. 28. de veritate, art. 8. ad 2. Tenet etiam Capreolus d. 16. q. 2. a. 3. ad 1. Indicat Bonauent. d. 17. 2. p. art. 1. q. 3. Fundamentum esse potest, quia tota hæc efficacia procedit à potestate clauium, quæ solùm est in sacerdote, & ideò tota videtur posita in actu eius. Neque inde fit, materiam non esse de essentia, quia non est necesse vt totum aliquod efficiat secundùm omnes partes essentiales: sicut in naturalibus materia est de essentia ignis, quãuis tota actiuitas sit in forma. Et est hæc probabilis opinio, & responsio.

Prima opinio de efficacia formæ. Scotus. Vega. Ferrarr. D. Tho. Capreol. Bonau.

13. Secunda opinio. D. Tho. Alens. Richar. Anton. Caiet.

Nihilominùs aliis videtur, partes etiam materiales huius sacramenti habere vim actiuam. Quod tenuit apertè D. Thom. q. 84. art. 1. & 2. ad 3. & q. 86. ar. 6. & Alensis q. 61. memb. 6. Richard. d. 16. ar. 1. q. 2. Antonius 3. p. tit. 14. ca. 17. in principio, Caiet. dict. q. 84.

Soto, Cano. Conc. Trid.

q.84.art.2.vbi dicit, D. Thom.mutasse sententiam, A quam tenuerat in 4.Idem Soto d.14. ar.2. & 3. Cano & alij Thomistæ. Et nonnihil fauet Concilium Tridentinum suprà, dicens,præcipuam vim huius sacramenti positam esse in forma: indicat ergo aliquam vim esse in materia. Et argumentum sumi potest ex aliis sacramentis à paritate rationis. Argumentum etiam illud iuuat, quia sacramenta noua efficiunt quod significant: sicut ergo per omnes partes significant,ita efficiunt. Et ita facilè soluitur argumentum Scoti negando assumptum.

14. Primum notandum pro resti tutione.

Duo tamen oportet obseruare in hac diuersitate opinionum. Primum est, quæstionem, quæ ad rem pertineat,ad summũ esse posse de contritione,quando actu illa durat tempore,quo fit absolutio:quia ante absolutionem perfectam hoc sacramentum nullum habet effectum ex opere operato, quia nondum est sacramentum, licèt fiat: quod etiam idem est in aliis sacramentis. Vnde fit, confessionem,cùm priùs sit omninò absoluta quàm perficiatur, immò quàm inchoetur absolutio, per seipsam proximè & immediatè non efficere, quia cùm fit effectus, iam ipsa non est; & ita solùm denominabitur efficere ipsum totum, quod constat ex confessione & absolutione, quanùis reuerà efficacia procedat ab absolutione immediatè: sicut etiam tota forma absolutè dicitur efficere, quanuis tantùm efficiat secundùm vltimam sui partem. Satisfactio etiam, quæ tempore est posterior quàm absolutio, non potest per se immediatè concurrere ad gratiam,quæ data est tempore absolutionis, efficit tamen remissionem pœnæ temporalis, quam ex opere operato confert: sed illa tantùm esse potest moralis efficientia, non physica, quia hæc pœnæ remissio nihil physicum ponit in homine: sed moraliter tantùm fit: si autem ratione satisfactionis datur aliqua gratia ex opere operato, illam posset hæc pars propriè & per se efficere: quid autem in hoc sentiendum sit, dicam infrà in materia de satisfactione.

15.

Solùm ergo potest supereſse quæstio de contritione, de qua, si tempore antecedat absolutionem, eadem ratio est,quæ de confessione: si verò simul concurrat cum ipsa absolutione, probabile est habere sacramentalem efficientiam ex opere operato: & de hac potissimè loquimur D. Thomas. An verò possit dari aliud tertium membrum, scilicet, quòd sit posterior tempore ipsa absolutione, pendet ex alia quæstione, scilicet an possit dari hoc sacramentum informe ex defectu contritionis vel attritionis, de qua dicam infrà disp.14.

16. Secundum notandum.

Alterum notandum erat, licèt admittamus actus pœnitentis concurrere ex opere operato ad effectum sacramenti: propriè tamen non posse dici, quòd pœnitens sibimet conferat gratiam, vel remittat peccatum ex opere operato, quia simpliciter non est minister sacramenti, neque absolutè confert sacramentum, sed solus sacerdos, cui data est potestas remittendi peccatum: at verò homo, seu minister non dicitur dare gratiam, vel tollere peccatum, nisi quatenus confert sacramentum. Vnde,si actus pœnitentis concurrunt ad gratiam, est quatenus coniunguntur cum forma(quæ est actus ministri)& ab illa quasi eleuantur ad talem effectum: & ideò talis effectus propriè tribuitur soli sacerdoti tanquàm ministro. Exemplũ esse potest in sacramento Ordinis,vbi actus susciptentis ordinem, seu contactus est materia sacramenti, quæ aliquo modo concurrit ad effectum sacramenti,qui tamen non est ab ipso susciente, sed à solo ordinante tanquàm à ministro.

## SECTIO III.

### *Ex qua forma & materia hoc sacramentum constet.*

QVONIAM nunc solùm generatim essentiã huius sacramenti consideramus,ideò quæstionem hanc tantùm proponimus,vt singulas partes quasi specificas distinguamus, & de illis proprias disputationes instituamus. Atque ob eandem causam hîc de forma nihil aliud dicemus, quàm illam esse verba sacerdotis, vt Concilium Florentinum & Tridentinum docent, & est communis sententia Theologorum,& satis clara, tum ex generali ratione sacramentorum, tum ex speciali huius, quod est per modum iudicij, quod per sententiam perficitur, & quasi formatur. Cætera verò de hac forma dicemus disp.sequente. 1.

De materia ergo dicendum supereſt, quænam sit, vel quas partes habeat.Nam Durandus in 4. d. 16. q. 1.solam confessionẽ dicit esse materiã,quia contritio, cùm non sit sensibilis, non potest esse materia sacramenti, neque etiam satisfactio,cùm sine illa, & substantia, & effectus sacramenti consistant. Idem ferè sentit Gabr.d.14.q.2.& de satisfactione Marsilius, quæst.10.art.1. 2. Prima opinio de materia huius sacramenti. Duran. Gabr. Marsil.

Vera tamen sententia, ac certa doctrina est, tres esse partes huius materiæ, confessionem, contritionem,& satisfactionem.Ita docet D. Thomas suprà q. 84.art.2.& q.90. & in 4. d. 16. q. 1. art.1. Richardus art.1.q.1.Alensſ.4.p.q.66. memb.1.art. 2. Guillelmus Parienſ.tract.de Pœnitentia, cap. 45. Antonius 3.p. tit. 14. cap. 17. §. 6. & cæteri scribentes. Ac tandem Concilium Florentinum, & Tridentinum doctrinem hanc probarunt,quæ per singulas partes discurrendo breuiter declaratur. 3. Tres esse partes materiæ sacramẽti pœnitentiæ, vera sẽtentia. D.Thom. Rich. Alenſ. Guillel. Pariſ. Anton.

Et quoniam de confessione nulla est controuersia, solùm expendo ampliùs quandam rationem superiùs tactam. Dictum est enim suprà, hoc sacramentum esse institutum per modum eiusdem iudicij, de cuius ratione est, vt ante iudicis sententiam præcedat accusatio rei, & sufficiens inquisitio, seu manifestatio delicti. Quod totum, quia supponitur sententiæ iudicis, & est veluti quid informe, donec per sententiã causa consummetur, ideò meritò habere dicitur rationem materiæ: quia verò hoc totum est de intrinseca ratione iudicij, ideò meritò essentialis pars dicitur, nullus enim iudicare potest nisi de iis, quæ iuridicè nouit. E contrario verò, *qui iudicat quod nouit, iudex iustitiæ* dicitur, Prouerb. 12. Et præterea quia hoc iudicium voluntarium & est ad salutem animæ ordinatum, ideò requirit voluntariam rei accusationem, in qua & ipsemet pœnitens sit sui accusator, & testis, & reus, & propterea accusatio per voluntariam confessionem est de essentia, & de intrinseca ratione huius iudicij. Vnde Innocentius I. epist.1.cap.7. *De pondere*,inquit,*æstimando delictorum sacerdotis est iudicare,attendendo ad confessionem pœnitentis,ad fletus,ad lacrymas*.Et optimè Chrysostomus lib. 2.de sacerdotio,*Quomodo*,inquit, *manus quis adhibere possit ei morbo, cuius genus nequaquam intelligat*? Vnde infrà concludit, *Quamobrem opus est, vt qui laborant Christiani, sibi persuadeant sacerdotum curationibus sua sponte sese submittere*.Et propterea Ambr.epist.3. dicit, Prouidum debere esse iudicium sacerdotale, nec debere sacerdotẽ populi peccata *comedere*,id est,*remittere,cibus enim*,inquit,*sacerdotis est peccatorum remissio*: sine præuia confessione syncera: & ad idem propositum Hieronymus circa illa verba Ecclesiastes. 10. *Si momor* 4. Probatur de confessione. Prouer. Innocent Chryſ. Ambr. Hieron.

*momorderit serpens in silentio*, inquit, *si quem Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, & noluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, ei prodesse non poterit: si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicus, non curat.* Gregor. Nazianz. Vnde Gregorius Nazianzenus in sententiis, distichis versibus compositis, inquit, *Cùm medicum postulent tua vulnera, si tegis illa, pestiferam saniem nil prohibere queat.* Et propterea Orat. 15. in fine, dixit, *magnam peccatorum medicinam esse confessionem.* Ex quibus etiam sumi possunt congruentiæ, propter quas ex hac materia institutum est hoc sacramentum, quæ eædem sunt cum suprà adductis de necessitate huius sacramenti, scilicet, quia est accommodatissimum medium ad humiliationem pœnitentis, ad ruborem, ad confusionem, ad instructionem, ac denique ad correctionem, & emendationem.

5. De contritione probatur. Leo x. Conc Colo. Conc. Mogunt. Conc. Senonen. Catechis. Pij V. De contritione æquè certum hoc est ex eisdem Conciliis, & ex Leone X. in Bulla contra Lutherum art. 15. ex Concilio Colonienſe, Moguntino, & Senonēſ. & Catechismo Pij V. in doctrina de hoc sacramento, & ex Auctoribus citatis. Et ratione, seu congruentia breuiter declaratur, quia confessio, quæ est pars huius sacramenti, debet esse accusatio sui, ordinata ad remissionem culpę cōsequendam: ergo postulat vt sit dolorosa confessio, & cum pœnitudine: nam, si quis simpliciter dicat delicta sua sine vllo dolore, erit vel quædam in delictis gloriatio, vel ad summum simplex historiæ narratio, potiùs quàm sui accusatio, ergo postulat talis cōfessio vt sit dolorosa: ergo hoc modo dolor est pars huius materiæ, & hoc intelligimus nunc nomine contritionis.

6. Soluitur Durandi fundamentum. D. Tho. Et ita facilè soluitur fundamentum Durādi. Nam, licèt contritio in se & per se non sit sensibilis, tamen per confessionem, & signa externa est aliquo modo sensibilis: & hoc satis est vt sit pars materiæ sacramentalis: sicut interior attentio est pars orationis vocalis, & consensus interior est de ratione matrimonij. Et hoc modo dixit D. Thomas suprà q. 90. art. 2. ad 1. & in 4. d. 14. quæst. prima, articulo primo, ad 1. materiam huius sacramenti esse actus pœnitentis vt exteriùs apparentes. An verò hæc pars dicenda sit essentialis, & omninò necessaria ad substantiam sacramenti, dicam infrà. Nunc solùm dico, Durandū ipsum non posse negare esse de substantia, cùm aliàs doceat sacramentum hoc sine vllo dolore factum esse nullum, vt patet in 4. d. 17. q. 13.

7. Satisfactionē esse partē materiæ pœnitētiæ, ostenditur. Durandi obiectio. Iam verò de satisfactione, quòd sit pars, explicatur breuiter, quia ad integritatem & consummationem iudicij pertinet pœna inflicta reo in vindictam delicti. Deinde, quia hæc satisfactio habet aliquem effectum ex opere operato, vt infrà dicetur, & pleniorem remissionem significat: est ergo aliquo modo pars sacramenti. Argumentum verò Durandi ad summum concludit non esse partem essentialem, sed tantùm integralem: quod facilè concedimus, quanquàm de hoc dicturi sumus infrà agentes de satisfactione. Sed vrget Durandus, nam partes materiales, etiam integrales, supponuntur formæ: at verò satisfactio non supponitur, sed omninò sequitur post formam. Confirmatur, nam in aliis sacramentis, vel non distinguuntur partes materiales, vt in Baptismo, vel si distinguuntur, vnicuique partim materiæ respōdet pars formæ: vt patet in Eucharistia, & Extrema vnctione. Cuius ratio est, quia forma debet cadere super materiam: at verò in hoc sacramento est vna simplex forma, quæ nullo modo cadit super satisfactionem.

8. Petri de Osma error. Propter hoc argumētum dixit olim Petrus de Osma, absolutionem non esse dandam nisi post satisfactionem impletam, & olim ita fuisse seruatum, præcipuè in Ecclesia Græca, referunt historiæ, vt infrà videbimus in materia de satisfactione. Sed dicere hoc esse necessarium, est error contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ. Vnde etiam falsum est dicere, esse commodius, vel vtilius: nam rectus ordo postulat, vt priùs remittatur culpa, deinde fiat satisfactio pro temporali pœna, tum quia hæc pœna non est propriè debita donec sit remissa culpa: tum etiam quia satisfactio facta in statu peccati mortalis non valet ad remissionem pœnæ.

9. Dubitandi occasio. Ad argumentum ergo negatur semper omnes partes materiæ pertinentes ad integritatem, supponi formæ, vt patet etiam in naturalibus, præsertim in compositis heterogeneis, & in moralibus in iudicio humano. Vnde ad confirmationem respondetur, non oportere seruari in omnibus sacramentis similitudinē in rebus omnibus: sunt enim res quædam morales, vel quasi artificiales, quæ diuersum modum habent compositionis. Dicitur tamen prætereà, etiam formam absolutionis quodammodò informare satisfactionem ipsam, vel quatenus voto & proposito includitur in dolore & contritione: vel certè quatenus ipsa satisfactio per ordinem ad claues, atque adeò per quandam moralem coniunctionem cum sacramentali forma, habet sacramentalem significationem, & aliquam efficatiam ex opere operato.

10. Sitne alia pars in hoc sacramento Vega. Conc. Trid Sed quæret aliquis, an præter has partes sit aliqua alia in hoc sacramento. Quod interrogo, quia Vega lib. 13. in Tridentinum, cap. 16. aliam partem addit, quam vocat cessationem à peccatis, quia hnc inchoanda est pœnitentia, vt Tridentinum dicit, sess. 6. cap. 14. Sed non est cur talis pars addatur: quia, si illa cessatio meram negationem, vel priuationem dicat, non est pars, quia non est actus pœnitentis, nec est aliquid reale, quod componat sacramentum: si autem sumatur quatenus est voluntaria, sic non distinguitur à proposito iterum non peccandi; & ita continetur sub contritione. Hæretici etiam huius temporis alias partes addiderunt, imò, his omissis, alias confinxerunt, scilicet fidem, & terrores conscientiæ. Sed eos damnat Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 3. procedunt enim ex aliis hæreticis principiis circa materiam de iustificatione, de quibus suo loco dicendum est.

## SECTIO IIII.

*Vtrùm hoc sacramentum sit vnum tantùm, illúdque iterabile.*

1. Hoc sacramentum est vnū specie. QVÆSTIO esse potest de vnita te specifica, vel numerica. In priori sensu certa res est, hoc sacramentum esse vnum tantùm: quia, sicut Ecclesia non agnoscit nisi vnum Baptisma ad regenerandos fideles, ita etiam non agnoscit nisi vnum tribunal confessionis sacramentalis ad reparandos lapsos post Baptismum. Vnde sicut potestas remittendi peccata sacerdotibus data, vnica tantùm est: tantùm enim semel dixit Christus, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ita vnum habet actum adæquatum, & vnum modum remittendi peccata, scilicet, per absolutionem sacramentalem. Atque ita hæc veritas continetur sub illa, quam definiunt Concilia, scilicet, tantùm esse septem sacramenta nouæ legis, quam de speciebus sacramentorum intelligendam esse, superiori tomo ostendimus in commētario articuli primi quæst. 65. D. Thomæ: quod tamen in hoc sacramento euidentius est, quia neque in signo sensibili, neque in effectu potest excogitari multiplicatio specifica in hoc sacramento integro & perfecto. Ratio verò à priori est, quia

Chr

Christus Dominus vnicum tantùm instituit. Congruentia verò, quia illud sufficit ad finem huius sacramenti. Neque in hoc occurrit vlla difficultas.

2. An sit vnum vnitate numerica.

De vnitate numerica agere possumus, vel in ordine ad constitutionem vnius sacramenti ex variis partibus eius, vel in ordine ad vnitatem, vel multitudinem eius circa idem subiectum: quibus modis dicitur Baptisma esse vnum tantùm, vt suo loco dictum est. De priori ergo modo hîc dubitari posset, vel propter pluralitatem, & diuersitatem signorum sensibilium, & rerũ, quæ ad hoc sacramentum conficiendum concurrunt, vt sunt confessio, & absolutio, & interior contritio, & ieiunium, vel eleemosyna, aut aliud simile opus in pœnitentiam impositum: vel etiam dubitari potest propter distantiam temporis, quæ inter has partes potest intercedere? aliquando enim præcedit confessio, & post plures dies sequitur absolutio: satisfactio autem multò magis differri consueuit: hæc autem dilatio videtur impedire vnionem necessariam inter huiusmodi partes ad componendum vnum totum, quomodo enim actio, quæ nunc fit, vniri potest ei, quæ ante multum tempus præcessit, & nullo modo iam extat?

3. Hoc sacramẽtum esse vnũ numero quoad constitutionem ex pluribus partibus.

Nihilominùs dicendum est, in hoc sensu sacramentum hoc esse vnum numero. Hoc apertè colligitur ex Conciliis Florentino, & Tridentino, quæ de illo tanquàm de vno sacramento loquuntur ex variis partibus composito. Sequiturque necessario ex priori puncto: quia si hoc sacramentum vnum est in specie, necesse est vt illa species in aliquo indiuiduo existere possit. Nam, si partialia signa, quæ ad hoc sacramentum conficiendum concurrunt, non componerent vnum numero, non essent signa partialia, sed quodlibet per se esset integrum, seu totale quoddam signum. Vnde, cùm aliàs sint illa signa heterogenea, essent signa, seu sacramenta specie diuersa. Est ergo hoc sacramentum vnum compositione ex pluribus partibus, quam non impedit distinctio earum, quia in omni compositione ex materia & forma, intercedit similis, vel maior diuersitas inter partes cõponentes: & ex parte materię solet etiã varię partes heterogeneę, seu diuersarum rationũ interuenire. Quod faciliùs reperiri potest in his rebus artificialibus, & moralibus, in quibus non est tam exacta & perfecta vnitas postulanda. Et eadem ratione non obstat distantia temporis, quæ inter partes huius sacramenti aliquãdo existit, quia sufficit moralis coniũctio seu propinquitas, qualis esse solet in vno iudicio inter accusationẽ, sententiam, & executionem: ex illis enim componitur vnum iudicium, quod in suo ordine est vna actio moralis. Ita ergo est in præsenti. Quocirca, quamuis partes hæ tempore distare videantur, semper intercedit virtualis quædam propinquitas: nam, licèt confessio præcesserit quando datur absolutio, adest pœnitẽs tanquàm reus expectans sententiam, & hoc ipso suam confessionẽ implicitè repræsentat. Item quando implet satisfactionẽ, id facit ex obligatione in hoc foro imposita: & per respectum ad claues, & ideò moraliter coniũgitur absolutioni: & ita ex omnibus his partibus consurgit vnũ signum remissionis peccati, quod est vnum sacramentum.

Non obstat distantia tẽporis ad cõstituendum vnũ numero

## *De multiplicatione huius sacramenti circa eandem personam.*

4. Possunt plures absolutiones validæ circa eãdem cõfessionem cade

SVpereст dicendum de multiplicatione huius sacramenti circa eandem personam: nam in diuersis per se notum est multiplicari, in eadem verò dubitari potest, an simul, seu eodem tempore, vel successiuè possit multiplicari. Sed de priori sensu nihil occurrit addendum, nam quoad hoc eadem est ratio de hoc sacramento, quæ de Baptismo, Eucharistia, &c. Possunt enim supra eandem confessionem simul cadere plures absolutiones à pluribus ministris prolatæ: possunt, inquam, quantùm spectat ad valorem sacramenti, quanuis non possit rectè fieri, quia est contra morem vniuersalis Ecclesiæ, & contra conuenientem vsum huius sacramenti: si tamen fiat, & aliud non obstet, validum erit sacramentum, vt suppono ex his, quæ infrà de secreta confessione dicam. Non tamen erit multiplex, sed vnum sacramentum quia materia proxima est vna, & absolutiones illæ, licèt materialiter sint plures, concurrunt per modum vnius: sicut in simili dixi de Baptismo, & clarius est in Eucharistia. Vnde à fortiori, etiamsi fingamus vnam absolutionem cadere in plures cõfessiones eorundem peccatorũ successiuè factas (simul enim fieri non possunt) erit vnum sacramentum, quia illæ cõfessiones valdè materialiter sunt plures, moraliter verò est vna accusatio.

re, non ramẽ licitæ. Non tamen erit multiplex sacramentum.

5. D Thom. Tripliciter potest iterari hoc sacramentum.

In alio verò sensu quæstio hæc eadem est cum illa, quam tractat diuus Thomas quæst. 84. art. 10. an hoc sacramentum possit iterari. Quæ potest intelligi, vel in ordine ad peccata commissa post semel receptum hoc sacramentum: vel in ordine ad aliquod peccatum priùs quidem commissum, non tamen priùs confessum propter obliuionem, vel aliam legitimam causam; vel denique in ordine ad eadem peccata iam sacramentaliter remissa. Et omnibus his modis est omninò verum, sacramentum hoc posse iterari, quanuis non sit de omni æquè certum.

6. Hoc sacramentum potest iterari de peccatis cõmissis post receptum simile sacramentum de aliis. Ioan 20. Matth. 18.

Primus itaque modus iterationis de fide certus est contra Nouatum, & alios similes hæreticos, contra quos sufficienter disputatum est suprà tractando de effectibus virtutis pœnitentiæ, & tractando de potestate clauium, quæ sine limitatione data est, non ad vnum vel aliud peccatum, sed simpliciter ad remittenda peccata. Et ita hoc cõuincunt verba Christi, *Quorum remiseritis peccata*, Ioan. 20. & iuuant illa Matth. 18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Nam licèt ad literam in alio sensu dicta sint, tamen ex similitudine rationis non incommodè hîc applicantur. Denique, propter institutionem huius sacramenti non sunt facti homines baptizati deterioris conditionis ad remissionem peccatorum obtinendam, sed quoties homo peccaret ante institutum hoc sacramentum, posset veniam obtinere per virtutem pœnitentiæ: ergo etiam nunc potest per pœnitentiam, sed nunc pœnitentia virtus non sufficit ad remissionem alicuius peccati mortalis sine hoc sacramento, vel ordine ad illud: ergo ad hunc effectum necessarium est, vt hoc sacramentum possit iterari, nam prior absolutio non cadit in peccata posteà commissa. Quæ ratio concludit, non semel, sed sæpiùs: neq; in vno, vel alio tempore, sed quandiu vita durauerit posse hoc sacramentum iterari, quantùm est ex se: quia semper homo peccare potest, & semper consequi remissionem peccati, quandiu viuit: non potest autem sine hoc sacramento: semper ergo datur locus repetitioni eius, etiam in extremo termino vitæ, dummodò ex parte hominis possit sufficiens materia, & forma applicari. Quæ omnia constant ex vsu & traditione Ecclesiæ, & ex dictis suprà in simili de effectu virtutis pœnitentiæ: & infrà disputantes de integritate, nonuulla afferemus, quæ hanc Catholicam veritatem confirmant. Ex quo etiam facilè intelligitur ratio differentiæ inter hoc sacramentum, & Baptismum: Baptismus enim institutus est propter originale peccatum, quod non iteratur; hoc verò propter actualia, quæ sæpiùs committuntur: ille est regeneratio, quæ semel tantùm fit, hoc est, medicina & sanatio, quæ sæpe est necessaria

Non tãtùm semel sed iæ pius, & in omni tempore.

Differentia inter hoc sacramentum & Baptismũ.

saria: ille denique characterem imprimit indelebilem, A qui reddit subiectum incapax similis sacramenti: hoc verò nec characterem imprimit, vt est certa fides, neque aliquid simile, vt sequenti sectione dicam.

7. Hoc sacramentum iterari potest & debet de peccatis in cõfessione omissis.

Secundus modus multiplicationis, seu iterationis huius sacramenti, etiam est certus: quia non solùm fieri potest sacramentum ex confessione præcedentium peccatorum, quæ in confessione omissa sunt, sed omninò fieri debet, quia, per se loquendo, necessarium est, & sub præceptum, quia tenemur omnia peccata subiicere clauibus per confessionem: hæc autem obligatio non fuit impleta integrè quoad talia peccata: ergo manet obligatio illa confitendi. Item illa non fuerunt directè remissa per claues, nec de illis fuit latum iudicium sacramentale: ostensum est autem hoc iudicium esse medium necessarium ad B remissionem cuiuscunque peccati mortalis. Potest ergo & debet noua confessio fieri talium peccatorum, ad quam absolutio consequatur: ex illis verò necesse est fieri nouum sacramentum numero distinctum à præcedente, quia constat distincta materia & forma, & distinctum habet effectum, quem significat. Et quoad hoc etiam facilè potest assignari differentia inter Baptismum, & hoc sacramentum: nam

Differentia alia inter Baptismum & hoc sacramentum.

in Baptismo non est per se necessaria confessio, nec iudicium de singulis peccatis. Vnde non potest per Baptismum remitti originale peccatum, quin omnia peccata actualia, præsertim mortalia, omninò extinguantur, absolutè & sine ordine ad aliud sacramentum, simile, vel dissimile, hîc verò est per se necessaria confessio, & iudicium de singulis mortalibus, ideoque licèt non tollatur vnum, quin tollantur alia C propter gratiæ efficaciam & dignitatem: nihilominùs ea, quæ in confessione omittuntur, non per se, sed cum ordine & voto alterius sacramenti similis remittuntur, & ob eam rem hoc sacramentum est hoc modo iterabile, & iterandum.

8. Hoc sacramentum potest iterari circa peccata ritè confessa in alio simili sacramento.

Tertius modus iterationis ab aliquibus in dubium reuocatus est, vt disputatione præcedente, sectione prima, vidimus. Nihilominùs tamen etiam hic modus debet esse certus, ex communi vsu, & approbatione Ecclesiæ. Et satis concluditur ex principio ibi posito. Nam hæc peccata sunt sufficiens materia remota huius sacramenti: ergo confessio eorum est sufficiens materia proxima, in quam potest noua absolutio cadere: ergo ex illis conficitur nouum sacramentum numero distinctum à præcedenti, quia constat ex di- D stincta materia proxima, & forma, & distinctum habet effectum, vt ibidem declaratum est.

9. An possint eadem peccata sæpiùs confiteri, & quomodo. Soti opinio.

Hîc verò (præter difficultates ibi tactas) occurrit morale dubium: nam hinc sequitur posse aliquem sæpiùs, ac passim de eisdem peccatis confiteri, absque vlla necessitate, solùm propter maius gratiæ augmentum: quod videtur inconueniens. Propter quod vitandum, Soto distinctione decimaoctaua, quæstione quarta, articulo tertio, dicit, iteratam confessionem de eisdem peccatis non debere fieri sine graui causa, quia esset abusus sacramenti, & tantus, inquit, esse posset, *vt nullum fieret sacramentum, nec daretur gratia, sed esset religionis ludibrium.* Sed in hoc vi-

Vera respõsio.

tanda sunt extrema. Et in primis cauendus est error, E ne quis putet, per se loquendo, necessarium esse peccata semel ritè confessa iterum confiteri: nam, licèt hoc liceat, non est necessarium, quando de valore prioris confessionis rationabiliter non dubitatur, vt latiùs infrà materia de integritate confessionis. Deinde cauendus est contemptus, quia ex hac parte quælibet actio de se bona, potest fieri mala. Vnde oportet vt talis confessio fiat cum debita dispositione, & reuerentia, & aliis circunstantiis & conditionibus necessariis.

Si autem hæc seruentur, nunquàm sacramentum erit nullum, nec frustrabitur suo effectu, etiamsi sæpiùs circa idem peccatum iteretur: quia vbi concurrunt omnia necessaria, non est vnde sacramentum fiat nullum: & cùm aliàs in hac iteratione nullum committatur peccatum mortale, seruatis iis, quæ diximus, quia contra nullum præceptum fit, neque aliqua grauis iniuria irrogatur sacramento, non est cur illud possit priuari suo effectu. Nihilominùs tamen in hac repetitione seruanda est decentia, vt non passim, & sine aliqua occasione rationabili fiat: quod non solùm in iterata confessione eiusdem peccati seruandum est, sed etiam in confessione iterata distinctorum peccatorum venialium, quæ frequenter cõmittuntur: hæc autem causa vel occasio iuxta vniuscuiusque deuotionem prudenter iudicanda est. Vnde Richardus d.18.art.2. q. 4. ad vlt. dicit, hanc repe- Rich.
titionem decere posse, quotiescumque homo mouetur nouo motu deuotionis, erubescentiæ, & doloris. Denique in hoc seruanda est moderatio prudenter pensatis omnibus circunstantiis.

## SECTIO V.

### *Vtrùm in hoc sacramento sit aliquid, quod sit res, & sacramentum simul.*

1. Tria quæ à Theologis distinguuntur in sacramentis.

DISTINGVVNT Theologi in sacramentis tria scilicet *rem tantùm*, id est, effectum vltimum sacramenti, qui per illud fit & significatur, nihil autem facit aut significat: *aut sacramẽtum tantùm*, quod significat & facit gratiæ effectum, non autem fit nec significatur: *& rem ac sacramentum simul*, quod & aliquid significat & causat, & ab exteriori sacramento significatur & causatur: & ideò vtriusque scilicet rei, & sacramenti rationem & denominationem participat. Et quidẽ illa duo prima facillimè tam in hoc, quàm in aliis sacramentis inueniuntur, & declarantur. Sacramentum enim tantùm in præsenti est illud externum & sensibile signum, quod hactenus declaratũ est, compositum ex confessione, & absolutione. Remissio autem peccatorum, & gratia quæ ad hunc effectum præstatur, est res tantùm, quia est proprius effectus huius sacramenti. Quid autem sit res, & sacramentum simul, difficilè explicatur, quia prẽter hæc duo quæ diximus, nihil in hoc sacramento inuenitur: neque in omnibus, quæ hactenus declarauimus, aliquid est, quod simul sit & effectus, & signum in hoc sacramento.

2. Opinio negans.

Posset ergo aliquis difficultate superatus, negare, inueniri in omnibus sacramentis aliquid, quod si res & sacramentum simul: quia non est vlla generalis ratio, quæ cogat ad hoc constituendum in omnibus sacramentis. Communis enim ratio sacramenti hoc non postulat, sed sufficienter saluatur inter signũ, & signatum, sicut ea quæ sunt ad aliquid inter relationem, & terminum, & signum dicitur sacramentum, signatum autem dicitur res: ergo nihil est propter quod oporteat illud medium vniuersaliter constituere. Vnde neque ex Cõciliis, aut Patribus illam generalem doctrinam habemus. Nam licèt interdum Augustinus no- Augusti.
minet sacramentum, & rem sacramenti, vt videre licet in cap. *Hoc est*, de Consecratione d. 2. si tamen attentè legatur, non tribuit eidem rei vtrumq; nomen, sed signum ipsum sensibile sacramentũ appellat: rem autem id, quod sub signo continetur vel significatur. Inde verò etiam infert, corpus Christi in Eucharistia contentum esse sacramentum, & rem sacramenti, vt rectè notauit Hugo de S. Vict. li. 2. de sacramentis, p. 8. c. 7. Hugo de S. Victor.
quia in illo sacramento est peculiaris ratio, vt suo loco dixi. Inde autem non sequitur, hoc esse simpliciter

necessarium in hoc, & in omnibus sacramentis. Ita ergo facilè possemus hac difficultate liberari, negando inueniri hoc tertium in hoc sacramento, quia necessarium non est.

3. In omnibus sacramentis esse aliquid quod sit res & sacramentum, cõmunis sentẽtia.

Nihilominùs tamen Theologi communiter in omnibus sacramentis admittunt aliquid, quod sit res & sacramentum simul: quod in sacramento Eucharistiæ facilè declarant, vt dictum est: in tribus, quæ characterem imprimunt, character dicitur esse res, & sacramentum: in matrimonio verò, vinculum ipsum, in Extrema vnctione, corporis sanitas. Ne igitur sacramentum hoc extra regulam constituant, in illo etiam aliquid huiusmodi inuenire conantur, vt videre licet in Magistro in 4. dist. 22. & aliis statim citandis. Non est ergo nobis ab eorum sententia recedendum, ne difficultatem effugere videamur.

## *Sitne res & sacramentum in pœnitentia ornatus aliquis.*

4. Quorũdam opinio.

Palud. Capreol. Reiicitur. Caiet. Ferrar.

DIXERVNT ergo quidam hoc sacramentum efficere ornatum quendam, qui est prior gratia, & illam significat, & hunc dicunt esse rem & sacramentum simul. Ita Paludanus d. 14. q. 1. & Capreolus dist. 22. q. 1. ar. 3. Sed est omninò improbabilis sententia, vt suprà de sacramentis in genere dictum est: & in proposito bene notat Caietanus suprà q. 84. artic. 1. & Ferrar. latè 4. contra Gentes, cap. 72. Nam primo nullo fundamento nititur auctoritas, vel rationis: nec potest explicare hæc opinio quid sit hic ornatus, neque ad quid sit. Deinde, ille non significatur per confessionem, nec per verba absolutionis: neque ergo efficitur, quia sacramenta efficiunt quod significant: non est ergo res sacramenti. Rursus ille ornatus si esset, esset omninò insensibilis, quia nec est sensibilis per se, vt constat, quia ponitur spiritualis, nec per aliud seu per accidens, quia, vt ostensum est, nullo sensibili signo significatur: neq; igitur etiam est sacramentum. Præterea talis ornatus in hoc sacramento vel durat perpetuò, & sic est ad modum characteris, vnde fiet sacramentum hoc esse initerabile ratione illius, sicuti iterari non possunt sacramenta, quæ imprimunt characterem, vel certè tot multiplicarentur in homine ornatus, quot suscepit sactamenta pœnitentiæ: præsertim si gratiam non amisit. Vel talis ornatus non durat perpetuò, sed datur ad tempus: & hoc gratis dictum esset, & sine probabilitate, quia donium gratiæ (quale illud esset) semel datum non tollitur sine hominis culpa, præsertim quando datur per modum habitus, vt ponitur ille ornatus, quia non est actus vitalis.

5. Contritionẽ esse rem & sacramentũ huius sacramenti, cõmunis sentẽtia. D. Tho.

Cõmunis ergo sentẽtia est, cõtritionẽ seu interiorẽ pœnitentiã esse in hoc sacramẽto rem & sacramentum simul. Ita D. Tho. suprà q. 84. art. 1. ad 3. & ferè alij doctores cum Magistro d. 22. Est tamen difficilis sententia, tum quia id, quod est res, & sacramentum simul, distinguitur à toto illo, quod est sacramentum tantùm; interior verò contritio est pars sacramenti tantùm: tum etiam, quia contritio interior nullo modo fit per sacramentum tantùm: quia non fit per confessionem, nam potiùs vera confessio debet procedere à contritione; nec per absolutionem, quia hæc potiùs supponit contritionem vt materiam. Propter quas difficultates sunt varij modi explicandi hanc sententiam. Vnus, & facilis est, vt aliquid sit res & sacramentum simul non esse necessarium quod fiat à sacramento tantùm, sed satis esse vt significetur: sicut etiam non est necessarium vt aliquid efficiat, sed satis est vt significet: nam salus corporis non efficit salutem animæ, sed significat; illam; nec vinculum matrimonij efficit gratiam, sed significat:

Primus modus explicãdi hanc sententiam.

& nihilominùs quia hæc significant, & significantur, vel fiunt per sacramentum ipsum, dicuntur res & sacramenta simul. Sic ergo in præsenti, quia contritio, vt coniuncta confessioni, significat interiorem gratiam, & quia per ipsam confessionem significatur, dicetur res & sacramentum simul: sicut corpus Christi vt coniunctum speciebus sacramentalibus signtficat Christum in propria specie existentem, significatur verò per ipsas species: & hoc satis est, vt dicatur res & sacramentum simul, etiamsi ab efficientia præscindamus. Atque hac expositione videntur fuisse contenti Magister sententiarum d. 22. & ibi Bonauent. art. 2. q. 2. ad argumenta, & Alensis 4. p. q. 60. memb. 1. art. 1. aliàs q. 14. memb. 2. art. 1. §. 1.

Magist. Bonau. Alens.

6. Secundus modus explicãdi eãdem sententiam.

Nihilominùs tamen D. Thomas dict. q. 84. art. 1. ad 3. ait, sacramentum tantùm pœnitentiæ esse causam interioris pœnitentiæ, quatenus est res, & sacramentum simul: nam quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod significant, ideò fortasse visum est D. Thomæ necessarium, vt quidquid est res huius sacramenti, id est significata per illud, sit etiam effectus. Quomodo autem contritio sit effectus sacramenti tantùm, D. Thomas non declarat. Eius autem discipuli variè exponunt. Prima expositio est Soti d. 14. q. 1. art. 1. distinguentis contritionem vt informem, & vt formatam, & dicentis, priori modo esse partem sacramenti, & non rem sacramenti, & hoc modo esse causam gratiæ, & priorem natura quàm illa; posteriori autem modo esse non tantùm sacramentum, sed etiam rem sacramenti, quia est causa remissionis peccati, quæ est res tantùm, & effectus sacramenti, quia ab illo habet quod gratia formetur. Verumtamen falsum est, contritionem vt formatam esse causam remissionis peccati, quia non est causa dispositiua vt ipse Soto fatetur, nam dispositio ordine naturæ antecedit gratiam, contritio autem vt formata est natura posterior. Neque est causa formalis, quia supponit peccatum remissum per gratiam tanquàm per formam. Neque etiam hoc sufficeret ad rationem sacramenti, nam sacramentum est causa actiua seu instrumentalis, alioqui gratia ipsa esset res, & sacramentum simul, quia est causa formalis remissionis peccatorum. Nec denique esse potest causa efficiens remissionis peccatorum, quia non est causa efficiens ipsius gratiæ, per quam formaliter remittuntur peccata, nam ipsa formatur per gratiam, & vt sic, est effectus eius, & supponit illam.

Prima explicatio huius secundi modi Sotus.

Reiicitur.

7. Secunda secundi modi expositio. Ferrar.

Secunda expositio est Ferrariensis 3. contra Gent. c. 72. vbi dicat, hoc sacramentum non tantùm prout est in re, sed etiã prout est in voto, effectiuè producere suũ effectũ, nẽpe gratiã, & cõsequenter etiã vltimam dispositionem ad gratiam, quæ est contritio. Vnde fit, sub hac ratione dici posse rem sacramenti; sacramentum autem, quatenus significat ipsam gratiã. Sed hæc sententia intelligi non potest, quia in primis falsum est, sacramentum in voto effectiuè producere suum effectum, de quo suprà dictum est. Sed adhuc illo cõcesso, multò magis falsum est sacramentum in voto posse efficere contritionem ipsam, quia in re tunc sacramentum in voto nihil est nisi contritio ipsa. Imò si sacramentum in voto posset efficere gratiam, deberet hoc facere per ipsam contritionem, quia non est aliud per quod efficiat: ipsa ergo contritio nullo modo potest esse effectus sacramenti in voto. Nisi fortè distinguat duos actus, alium contritionis, alium desiderij ipsius sacramenti, & hunc secundum vocet votum sacramenti, & illi tribuat illam efficientiã. Quod tamen dici non potest, nam illud desiderium per se sumptum nullius efficaciæ est, neque ad iustificationem valet, nisi quatenus contritionem supponit, & in illa continetur implicitè, vel explicitè.

Improbatur

Ter

8. Tertia expositio est Caietani dict.q.84.art. 1. qui distinguit triplicem attritionem. Vna est, quæ cũ voto sacramenti ante illum in re susceptum sufficit ad iustificationem, & tanta est, inquit, vt ex voto sacramenti fiat contritio: alia est tam minima, quæ non sufficit ad iustificationem, etiam coniuncta cum sacramento in re ipsa suscepto: tertia est media, quæ cũ solo sacramento in voto non sufficit ad iustificationem: addito verò sacramento in re, ex efficacia illius fit contritio. De primis duobus membris nihil dicit, quia ad rem præsentem nihil referunt: nam prima attritio nec est sacramentum, nec res sacramenti, quia in re ipsa non coniungitur cum sacramento, nec fit pars eius. Est tamen cauenda improprietas & æquiuocatio verborum: quam enim Caietan. vocat attritionem, non est nisi vera contritio: nam hæc sola potest iustificare hominem ante realem susceptionem sacramenti, vt constat ex Concilio Tridentino, sess. 14. c. 4. & ex dictis suprà de effectu virtutis pœnitentiæ. Caietanus verò eundẽ actum, quatenus est dispositio ad iustitiam, & prior natura quàm illa, vocat attritionẽ, & hunc dicit fieri contritionem ex voto sacramẽti, non quia votum ipsum formalem aliquam perfectionem illi adiungat, cùm in ipsamet contritione, seu attritione, includatur, sed quia informatur per gratiam, quæ datur in voto sacramenti. Nos autem suprà diximus motum illum essentialiter esse contritionem, & ita esse appellandum, etiam vt intelligitur natura prior, quàm gratia formetur.

Tertia secũdi modi expositio. Caiet.

Conc. Trid.

9. De secunda etiam imperfectissima attritione, videtur Caietanus, vt clarum supponere, non esse rem & sacramentum simul: quod est manifestũ, si illa attritio adeò sit imperfecta, vt non solùm ad effectum, verùm etiã ad valorem sacramenti non sufficiat: illa verò nec nomen attritionis meretur, vt constat ex dictis suprà de actibus virtutis pœnitentiæ, & post sequentem Disputationem iterum attingetur. Si autẽ est vera attritio sufficiens ad valorem sacramenti, ex se etiam sufficiet ad effectum, nisi per accidens impedimentum aliud interueniat: tamen ex sententia Caietani, licèt illa sit sacramentum, id est, pars sacramenti, seu partiale signũ, quandoquidẽ ex illa cũ aliis verũ conficitur sacramentũ, nihilominùs nõ est res sacramenti, quia nõ perficitur, nec fit cõtritio per sacramentũ. Nã, sicut res tantũ impediri potest per obicẽ suscipiẽtis, ita etiã non est inconueniens, vt id quod esset res & sacramentum simul, si sacramentum haberet suum effectum, maneat in suo partiali esse sacramenti, & non fiat res sacramenti propter obicem suscipientis: quod magis ex sequenti membro constabit.

10. De tertia igitur attritione ait Caietanus, esse rem & sacramentum simul: sacramentum quidem, quatenus est materia ex qua perficitur sacramentum, rem verò, quatenus ipsum sacramentum iam consummatum, vt instrumentum Dei ampliùs perficit ipsum attritionis motum, excitando pœnitentem, & faciendo illum de attrito contritum; iam enim tunc contritio sic perfecta est res sacramenti.

11. In hac verò sententia Caietani tria sunt, quæ difficultatem faciunt. Primum est, quia non assignat generalem modum explicandi rem & sacramentum, sed tunc solùm quando cum imperfecta dispositione sacramentum perficitur: quod est accidentarium: & res autem & sacramentum per se debet inueniri in sacramento, & tunc maximè quando cum maiori perfectione recipitur. Secundum est, quia supponere videtur, per susceptionem sacramenti, perfici intrinsecè ipsum motum attritionis, & fieri contritionem: quod falsum est, tum quia suprà est ostensum, attritionem non posse hoc modo fieri contritionem: tum etiam quia sæpe fit homo ex attrito cõtritus per sacramẽtũ, etiamsi tunc actu ratione non vtatur, imò nec vti possit. Et in his etiam, qui cum actuali vsu rationis hoc sacramentum recipiunt, constat experiẽtia, ordinariè non immutari in eis internum dolorem: non est ergo hic effectus sacramenti: ergo ob hanc causam non potest dici pœnitentia interior res sacramenti. Tertium est, quia etiamsi hoc concedamus, adhuc non erit idem res & sacramentum simul: nam, si illa perfectio fit per mutationem actus, seu per' transitum ab actu imperfecto ad alium perfectum, sic vnus actus erit sacramentum, & alius res sacramenti: si verò illa perfectio solùm est intentio, vel aliquid simile eiusdem actus, sic etiam actus quoad quosdam gradus est sacramentum, quoad alios verò res sacramenti, vel quoad substantiam erit sacramentum, quoad aliquem verò modum erit res sacramenti. Imò, etiamsi admittamus, ex efficacia huius sacramenti, & quantùm est ex parte eius dari homini excitationem aliquam, vt perfectiùs doleat de peccatis, si ipse per distractionem, vel alio modo talem gratiæ motum non impediat, quod est probabile, & consentaneum fini huius sacramenti; quamuis hoc, inquam, admittamus, non erit propriè ipsa contritio res sacramenti, sed ille motus gratiæ, qui ad contritionem datur: nam alius actus liberè ab homine fit, atque adeò ex opere operantis.

Tertia.

12. Propter hæc esse potest quarta expositio, contritionem posse dupliciter considerari: primò secundùm se, & vt sic, pertinere ad sacramentum tantùm: secundò quatenus per coniunctionem ad alios actus, præsertim ad absolutionem, eleuatur, & accipit virtutem sanctificandi hominem ex opere operato, & vt sic, esse rem sacramenti, & causari ab ipso sacramento, & præsertim à forma eius, quia ab illa accipit prædictam virtutem. Ita videtur seipsum exponere Diuus Thomas in 4. distinct. 22. quæst. 2. artic. 1. quæstiuncula 2. ad 1. & 2. & videri potest Capreol. ibi qu. 1. artic. 3. ad 1. Durandi. Quòd si obiiciatur, quia hæc non est causalitas sacramenti in contritionem ipsam, sed est coniunctio quædam ad alias partes, & ad formam, ratione cuius eleuatur ad gratiam sacramentalem. Respondebitur, illam esse quandam moralem causalitatem, eamque sufficere, vt contritio dicatur res sacramenti secundùm quandam accommodationem, quæ ad huiusmodi locutionem sufficit, quanuis non sit cum tanta proprietate, sicut in aliis sacramentis. Sed neque hoc videtur omninò satisfacere, quia aliàs etiam satisfactio dici posset res & sacramentum simul, quia & est signum, cùm sit pars sacramenti; & fit dicto modo, quia per coniunctionem, seu ordinem ad absolutionem eleuatur, vt habeat effectum remissionis pœnæ, & fortasse etiam gratiæ ex opere operato. Et proportionali modo confessio ipsa posset dici res sacramenti, & ablutio in Baptismo, & in vniuersum materia quatenus per coniunctionem ad formam eleuatur. Item quia per illam coniunctionem potiùs constituitur contritio in ratione sacramenti, seu partis sacramenti, quia per coniunctionem ad confessionem constituitur in genere signi, & per coniunctionem ad absolutionem habet virtutem causandi; quæ duo spectant ad rationem sacramenti: ergo inde non habet quòd sit res sacramenti. Ad hæc verò responderi potest, interiorem pœnitentiam non appellari rem sacramenti, quatenus eleuatur in ratione signi seu materiæ, sed in ratione dispositionis: quia, si sit attritio, coniuncta toti sacramento fit sufficiens dispositio ad gratiam: si verò sit contritio, fit dispositio ad perfectiorem gratiam, quàm per se sufficeret, quæ eleuatio non spectat ad rationem sacramenti, sed ad quendam effectum eius.

12. Quarta secũdi modi expositio.

D. Tho. Capreol.

Nõ omninò satisfacit.

Prima.

Secunda.

13. Clariùs verò existimo dici posse, explicando, seu moderando opinionem Caietani, interiorem pœniten-

Caietani expositio ad verum sensum reducitur.

tentiam,siue attritio sit,siue contritio, vt informem, & secundùm se esse sacramentum seu partem sacramenti,vt formatam verò per gratiam sacramentalem esse rem sacramenti. Nam,si erat attritio,fit contritio non intrinsecè,sed extrinsecè tantùm,vt suprà explicatum est:si verò erat contritio,fit moraliter dignior, & meritoria gloriæ, quod satis est, vt sub ea ratione dicatur effectus sacramenti:& ita cessant obiectiones contra Caietanum.Solùm applicari potest vltima.Facilè tamen respondemus non esse necessarium,vt eadem res sub eadem consideratione & formalitate dicatur sacramentum,& res;sed satis esse, vt idem actus secundùm diuersas rationes,siue perfectiones physicas,vel morales,illas duas denominationes recipiat.

## SECTIO VI.

*Vtrùm aliquis ritus sit necessarius in hoc sacramẽto.*

1. Nulla cæremonia est de substãtia sacramenti pœnitentiæ.

INTELLIGI potest quæstio de necessitate seu substantia sacramenti, vel de necessitate præcepti. Et quod ad primum attinet,dicendum est nullam aliam cæremoniam esse de substantia vel necessitate huius sacramenti.Hoc est certum,quia Cõcilium Florentinũ,& Tridẽtinũ tradiderunt nobis integram substantiam & essentiam,& non meminerunt alterius ritus:quod etiam à fortiori patebit ex altero membro.

2. Neque ex necessitate præcepti sub mortali.

Dicendum vlteriùs est, neque ex necessitate præcepti,quod sub mortali obliget,reperiri in hoc sacramento aliquam cæremoniam accidentalem necessariam. Quod declaratur in primis, quia inter omnia sacramenta hoc paucissimis cæremoniis perficitur,& vix aliquas inuenimus, quæ totius Ecclesiæ institutione,vel consuetudine adhibeantur.Et ratio fortasse fuit, quia cæremoniæ sacramentorum sunt ad publicam vtilitatem & instructionem aliorum:hoc autem sacramentum secretè fit. Est etiam valdè frequens, & ideò non debuit cæremoniis onerari. Quamobrem neque in tempore,neque in loco, neque in aliis similibus circunstantiis habet aliquid præfixum ex humana institutione,quod necessarium sit,vt sacramentum hoc licitè ministretur:sed id solùm, quod ratio dictat,vt ea seruentur, quæ ad decentiam pertinere possunt.Atque hac ratione etiam ex parte pœnitentis non est ritus determinatus in modo faciendi confessionem:sed solùm in genere dicere possumus,eas cõditiones obseruare debere, quæ ad veram accusationem, & humilis pœnitentiæ ostensionem necessariæ sunt.Vnde olim pœnitens confitebatur prostratus in terram, vt refert Marianus Victor in libr. de Confessione:nunc autem regulariter fit flexis genibus, & præmitti solet generalis confessio:neutrum verò est simpliciter necessarium. De aliis verò circunstantiis confessionis dicemus inferiùs suo loco.

Marian. Victor.

3. Ex parte ministri tres cæremoniæ cõsiderantur. Prima. Burchar. D.Tho. Conc.Tr.

Denique ex parte ministri solent præcipuè tres cæremoniæ considerari. Prima consistit in quibusdam verbis deprecatoriis,quæ partim antecedunt, partim subsequuntur formam substantialem:de quibus multa videri possunt apud Burchardum li.18.sui Decreti, & D. Thomas nonnihil attigit q.84.art.3.ad argumẽta:& Concilium Tridentinum sess.14.c. 3. dixit, *laudabiliter* hoc fieri,quo verbo satis indicat nõ esse necessitatis;quia tamen decens & vtile est, non esse sine causa omittendum.Nam per illam orationem potest impetrari vel maior dispositio, vel perseuerantia, & aliqui existimant etiam deseruire ad maiorem satisfactionem:nunquàm tamẽ erit peccatum mortale hæc omittere,secluso scandalo,& contemptu,quia & non constat de præcepto, & materia parua est. Secunda cæremonia est signum crucis, quod in fine per modum benedictionis, aut deprecationis adhiberi solet, vt meminit etiam D. Thomas quæst.84. art. 4. ad argumenta.Et Stephanus Papa in c.*Nunquid*, de Consecratione d.5. dixit, omnia sacramenta hoc signo perfici. Nihilominùs certum est, hanc consuetudinem esse bonam, nullum tamen esse de ea præceptum:imò existimo, omninò esse in arbitrio sacerdotis, quia neque vniuersalis consuetudo circa hoc esse videtur.

Secunda.

D Tho. Steph. Papa.

4. Tertia ex parte ministri cæremonia. D. Tho. Vuald.

Vltima cæremonia est manus impositio, de qua ex professo disputauit D. Thomas in illo art.4.& Vualdensis lib.1.de Sacramentis,c.147.vbi disputat contra Vuicleph,qui eam contemnebat, quia potestatem clauium negabat. Ad illius ergo ostensionem exerceri potest.Et non videtur dubium quin aliquando fuerit vsu in Ecclesia exhibendi hanc cæremoniam in administratione huius sacramenti,quanquam in significatione huius vocis magna sit varietas & in Scriptura, & in antiquis Patribus. Nam *manus impositio* aliquando significat sacramentum Confirmationis, Actor. 8. (de quo superiori tomo) aliquando sacramentum Ordinis, vt in epist. ad Timotheum, & sæpe aliàs.Interdum significat apud Patres pœnitentiam publicam, quæ olim fiebat, & complebatur per manus impositionem quam *reconciliatoriam* appellabant, & fiebat ab Episcopo, vel presbytero, & publicè ac in atrio Ecclesiæ, nisi ob necessitatem,vt sumitur ex Concilio Carthaginensi 4. c. 76.& Arausicano 1.cap.3.& ex Cypriano epist.9.& Augustino lib.3.de Baptismo,c.16.quod est signum, hanc cæremoniam fuisse adhibitam huic sacramento,& inde nomen accepisse,vt notauit etiam Marianus Victor supra ex Ansegeso lib.5.statutorum Caroli Magni c.51.& quodam Concilio celebrato tempore eiusdem Caroli Magni,& Vualdensis tom.3.cap.68.

Varia significat manus impositio. Actor. 8.

Conc. Carthaginens. Conc. Ara. Cyprian. August. Marian. Victo. Vuald.

Vnde aliqui dixerunt hanc cæremoniam esse de necessitate ex Concilio Niceno,ca.9.quod refert D.Tho. Opusc.22.c.4.Est tamen error, quia neque in præcepto est.Vnde D.Thomas ait,esse hoc in arbitrio sacerdotis: quod etiam sequitur Soto d.14.art.4. potest ergo nunc sacerdos non vti hac cæremonia,quia non est in vsu,Paludanus autem in 4.dist.22.q.3.dicit,vtile esse & expediens eam retinere,quia deseruit ad excitandam deuotionem pœnitentis. Nihilominùs tamen Nauarrus de Pœnit.d.6.c.1.in principio nu. 9. bene notat, sæpe, & præsertim cum fœminis non expedire illa vti. Victoria verò in Summ.nu.106.generaliter negat expedire tangere caput pœnitentis,quia iam non est hoc in vsu:secus verò censet de sola manus extensione, absque tactu, dum forma profertur, nam illa videtur magis esse in vsu, & habere aliquam significationem potestatis, & ideò fieri expedire:quod mihi placet,licèt Soto d.14.q. 1iart.4.etiam hoc neget.Fateor tamen etiam hoc liberum esse,& in arbitrio sacerdotis relinqui.

5. Conc.Nicẽ. D. Tho.

Soto.

Palud.

Nauar.

Victoria.

## DISPVTATIO XIX.

*De forma sacramenti pœnitentiæ.*

QVANVIS materia supponatur formæ, tamen, quia materia huius sacramenti prolixiorem postulat disputationem, quæ verò ad formam pertinent breuiùs expediri possunt: ideò visum est disputationem hanc priùs expedire: in qua simul cum forma primarium effectum huius sacramenti declarabimus, tum quia res facilis est, suppositis quæ in superioribus diximus: tum etiam quia hæc duo inter se connexa sunt,nec potest sensus & veritas formæ declarari, nisi effectus eius simul intelligatur. Nam, vt Concilium Tridentinum dixit, præcipua vis huius sacramenti in forma posita est,quæ accommodatur significationi eius, quia sacra

sacramenta efficiunt quod significant: & ideò explicando veritatem & significationem huius formæ, necesse est etiam effectum eius declarare.

## SECTIO I.

### *Vtrùm de essentia huius formæ sint hæc sola verba voce prolata,* Absoluo te.

1. An vox humana sit de essentia formæ pœnitentiæ.

QVATVOR occurrunt in hac sectione declaranda. Primum, vtrùm ad formam huius sacramenti requiratur vox humana, & verba propriè dicta. Secundum, an illa verba sint apta & conuenientia. Tertium, an sint sufficientia. Quartum, an sint necessaria.

2. Prima opinio negans. Palud. Medina. Petr. Sot. Nauar.

Circa primum nonnulli Doctores sentire videntur, verba propriè dicta nõ esse de essentia huius formæ, sed sufficere aliud signum, quo intentio sacerdotis de absoluendo pœnitente sufficienter exprimatur, vt potest esse scriptura. Ita sentiunt Paludanus d. 17. quæst. 2. art. 1. nu. 7. Medina Cod. de Confessione, q. de Modo confitendi. Petrus Soto lect. 11. de Confessione, Nauarrus in Summa, c. 21. n. 36. & in c. *Quem pœnitet*, de pœn. d. 1. nu. 4. quatenus aiunt, in aliquo casu valere formam scripto missam, quanuis expressè non negent esse necessariũ formam verbo proferre. Et rationes, quas afferunt, de materia potiùs procedunt, quàm de forma. Potest autem suaderi hęc opinio, quia hoc sacramentum est institutum per modum iudicij, & ideò nihil essentialiter postulat, quod non sit de essentia iudicij: at verò de essentia iudicij non est vt sententia eius voce proferatur, sed sæpe tãtum fit scripto, & in rigore posset nutibus fieri, vt de absolutione à censura multi opinãtur: quãuis illa cõprehendatur sub verbis Christi, *Quæcunque solueritis in terra, erũt soluta & in cælo.* Ergo. Et confirmatur primò, nam hac ratione ex parte accusationis pœnitentis, non est de de essentia eius, vt voce fiat, sed potest fieri scripto, aut nutibus, vt infrà dicemus, nimirum quia ad iudicialem accusationem hoc satis est: ergo idem erit in prolatione sententiæ, quam hæc forma continet. Tandem hac ratione docent omnes Theologi, non esse de ratione matrimonij propria verba cõtrahentium, sed satis esse quælibet alia signa sufficientia ad consensum: quia illud sacramentum fundatum est in contractu, & ideò non plus requirit, quàm sit de essentia contractus: constat autem alios contractus inter homines absque propriis verbis confici: ergo eadem ratione idem dicendum est de hoc iudicio. Et confirmatur, quia hoc sacramentum est magnæ necessitatis: sæpe autem esse potest necessarium, vt absolutio detur aliis signis, & non verbis propriis: vt si pœnitens extremè indigeat, & sacerdos loqui non possit, valeat autem alio signo suam mentem declarare.

### *Sententia affirmans vera & communis.*

3. Magist. D. Tho. Caiet.

NIHILOMINVS certum existimo, de essentia huius sacramenti esse vt forma eius proprio verbo & voce humana proferatur. Hæc est communis sententia Theologorum cum Magistro in 4. d. 14. & D. Thoma suprà q. 84. ad 3. Caietani verb. *Confessio.* conditione 11. & aliorum, quos latè referemus sectione vltima. Eamque generatim ostendimus in superiori tom. disp. 2. sect. 1. cum D. Thom. q. 60. art. 3. Et præcipuè probatur ex doctrina Concilij Florentini in Decreto Eugenij, vbi generatim docet sacramenta nouæ legis constare verbis. A qua generali regula non est facienda exceptio, neque impropriè vel secundùm analogiam de aliquo sacramento interpretanda, nisi vbi ex traditione Ecclesiæ, & consensu antiquorum Doctorum id constiterit. Qua ratione in matrimonio concedimus propria verba nõ esse essentialia. At verò in forma huius sacramenti neque ex traditione Ecclesiæ, neque ex sententia antiquorum Doctorum, talis exceptio, vel interpretatio habetur: ergo admittenda non est. Eò vel maximè, quòd Concilium Florentinum non tantùm generatim, sed etiam in particulari de hoc sacramento ait, *Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit, &c.* Vbi exponendo nomen, *verba, & verbum profert, & dicit*: nam omnes isti termini indicant proprietatem verborum, & locutionis humanæ. Expẽdo etiã, quòd infrà agens de sacramento matrimonij, quia etiã vtitur nomine, *verborũ*, addidit limitationem, *regulariter*, per quam satis indicat vti *verborum* nomine in omni proprietate; nam si latiùs ea voce vteretur, non oporteret addere particulam *regulariter*: semper enim est de essentia sacramenti matrimonij mutuus consensus de præsenti, aliquo sufficienti signo expressus: quia verò loquebatur Concilium de verbis propriè, & illa non semper requiruntur, ideò addidit limitationem illam *regulariter*: cùm ergo hanc non addat in sacramento pœnitentiæ, & in eadem proprietate, *verborum*, voce vtatur; intelligit sanè verba esse simpliciter necessaria in forma huius sacramenti. Vnde Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3. dixit, formam huius sacramenti positam esse *in illis ministri verbis, &c.* Conc. Tr.

4. Ratio verò huius veritatis est, quia Christus Dominus ita instituit hoc sacramentum, sicut alia nouæ legis, solo excepto matrimonio, propter specialem rationem infrà reddendam. Hoc autem colligi potest ex verbis institutionis, *Quorum remiseritis peccata*, æquiparando illa cum verbis, *Baptizantes eos*, & cum verbis Eucharistiæ, *Hoc facite*. Nam in illis non dixit expressè Christus, Baptismum, aut Eucharistiam, conficienda esse, formaliter proferendo talia verba: nihilominùs tamen ex sensu & traditione Ecclesiæ habemus hanc fuisse mentem Christi, quia voluit sacramentum legis nouæ determinatam & expressam habere significationem: & ideò voluit verbis consummari. Quæ ratio, & forma verborum Christi, ac denique traditio Ecclesiæ, & Conciliorum doctrina eandem vim habent in hoc sacramento. Ergo vel in aliis etiam sacramentis hoc non est certum, quod dici non potest: vel in hoc negari non potest, quod verissimum est.

### *Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.*

5. ATQVE hoc magis confirmabitur respondendo coniecturis alterius sententiæ, quæ hoc ipso quòd tantùm coniecturæ sunt, parui momenti sunt in re, quæ pendet ex institutione, & traditione. Ad primã ergo negamus hoc sacramentum nihil habere essentiale, quod non sit de ratione iudicij in communi sumpti. Nam, licèt verum iudicium sit, est tamen speciale, & sacramẽtale denuò à Christo institutum cum propriis conditionibus omninò diuersis ab his, quæ seruantur in iudicio humano, qualis est, verbi gratia, quòd idem sit accusator & reus, quia est iudiciũ volũtarium. Item, quòd ipsi reo credatur, pro se, & contra se, quia est iudicium in fauorem, & medicinam eiusdem rei institutum. Sic ergo habet etiã hanc conditionem, scilicet, quod expressè significet salutẽ animæ, ad quam conferendam institutum est. Præterea potestas illa, à qua procedit hæc sententia, singularis est, & alterius ordinis, sicut potestas consecrandi: & ideò in vtraque voluit Christus, vt per organum, & signum à se definitum actus eius exerceretur. Præterea in humano iudicio aliquando requiritur specialis solennitas, vt quòd accusatio, vel sententia scripto fiat,

Ad Primũ.

fiat, quod interdū etiā essentiale est: quid ergo mirum quòd Christus disposuerit hanc conditionē, vt essentialem in hoc iudicio, quod simul est sacramentum nouæ legis, ideoque postulat expressam, &, vt sic dicam, viuam significationem, quæ auribus humanis percipi possit. Nam, si in hoc non fuit dispensatum in Baptismo, qui multò magis necessarius est; cur debuit in pœnitentia dispensari propter rarum & extraordinarium casum, qui vix accidere potest, & in eo semper habet locū contritionis remediū? Per quod obiter soluta est vltima confirmatio. Et facilè etiā respondetur ad primā. Nam hæc expressa significatio requiritur magis ex parte formæ, quàm ex parte materiæ; & ideò non est simile quod affertur de actibus pœnitentis, quia illi se tenent ex parte materiæ, de qua latiùs infrà. Denique ad secundam confirmationem negatur similitudo ex matrimonio sumpta. Nam in matrimonio noluit Christus instituere specialem ritum, sed honorare ipsum naturalem contractum, & in eo altiorem sacramenti rationem fundare: & ideò in illo nullam specialem materiam, vel formam requisiuit, quę ad contractum ipsum necessaria non esset: hîc verò instituit talem ritum sacramentalem, ideoque determinatam formam, sacramentis nouæ legis accommodatam postulauit.

Prima, & vltima confirmatio soluuntur.

Secunda cō firmatio enodatur.

## *De conuenientia verborum formæ ad significandum effectum.*

6. Hæreticorū error.

CIRCA secundum de conuenientia illorum verborum, hæretici valdè reprehendunt huiusmodi verba, quia per ea, inquiunt, sacerdos sibi vsurpat actum proprium solius Dei. Sed mouentur, quia negant sacerdotibus potestatem clauium, & non distinguunt inter eum, qui ministerialiter, vel principaliter remittit peccata: & ideò non oportet denuò contra illos disputare, nam sufficiunt dicta disp. 16. & contra Vuicleph videri potest Vualdensis tomo 2. c. 144. & contra Lutherum Rofensis art. 10. & Ruardus art. 3. Bellar. lib. 1. de pœnit.

7. Quotūdam Catholicorū sentētia. D Tho. Leo Papa. Chrysost. Hier.

Ex Catholicis verò quidam non probant hæc verba, quia per modum indicatiui proferuntur; putant enim potiùs esse proferenda per modum deprecationis. Ita refert D. Tho. Opusc. 22. c. 1. & potest in huius sententiæ fauorē referri Leo Papa epist. 89. aliàs 91. vbi ait, peccata remitti *supplicationibus sacerdotum*, & habetur in c. *Multiplex*. de Pœnit. d. 1. Sic etiam Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, & Hieronymus in verba illa Psalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, absolutionem sacerdotis nomine *orationis* significare videntur. Ratione cōfirmari potest, quia verbum deprecationis aptius est ad ministerialem actionē significandam, quia per verbum indicatiui, si propriè sumatur, potiùs significatur remissio principalis, seu auctoritatiua, vt vocant. Fauetque huic sententiæ Bonauentura, & Alensis, quatenus aiunt, clauem sacerdotis non se extendere ad remissionem culpæ, nisi per modum deprecationis. Tandem confirmari potest exemplo Extremæ vnctionis, vbi forma est deprecatiua, quia sacerdos solùm confert sanitatem vt minister deprecando: sicut Apostoli, quāuis accepissent virtutem sanandi infirmos, vel faciendi miracula; nihilominùs, quia solùm operabantur vt ministri, deprecando, & orando, ea faciebant.

Bonau. Alens.

8. Alius Catholicorū dicendi modus. Abulens.

Alij tandem non in modo, sed in materiali verbo *Absoluo*, offensionem acceperunt, vt Abulensis 1. p. sui Defensorij, cap. 6. qui dixit, impropriè vsurpari in hac forma verbum *Absoluo*: quia peccata non sunt aliqua vincula, quæ solui possint, sed sunt iniuriæ & offensę, quæ possunt remitti: & ideò nō dixit Christus, *Quorū* *solueritis peccata*, sed, *Quorum remiseritis*. Impropriè ergo, & præter Christi institutionem vsurpatur tale verbum. Et confirmatur, quia illo verbo indicatur, sacerdotem non remittere peccatum quoad culpam, sed solùm quoad reatum pœnæ: quia culpa, vt sic, non habet rationem vinculi, etiam metaphoricè & moraliter, sed solùm priuationis cuiusdam; quoad reatum verò pœnæ est quoddam morale vinculum: ergo, &c.

9. Verba formę pœnitētię esse cōuenientissima, vera conclusio. D. Tho. Scotus. Gabriel. Palud. Durand. Conc. Flo. Conc. Trid. Conc. Moguntin. Leo x.

Dicendum verò est, prædicta verba esse optima, & conuenientissima ad hanc formam significandam. Ita docet D. Thomas dict. Opusc. 22. & dict. quæst. 84. art. 3. & in 4. distinct. 22. quæst. 2. artic. 2. Scotus, Gabriel, Paludanus, Durandus, & reliqui in 4. distinct. 14. Et est res omninò certa, tum ex vsu & traditione totius Ecclesiæ, tū ex definitionibus Concilij Florentini, & Tridentini, quibus addi potest Cōcilium Moguntinum ca. 4. & definitio Leonis x. in condemnatione articul. 11. & 12. Lutheri: tum denique ex impugnatione duarum opinionum. Nam prior fundatur ferè in illo errore, quòd sacerdos non habet potestatem remittendi peccata. Et ideò D. Thomas vocat sententiam illam *præsumptuosam, ne dicam*, inquit, *erroneam*. Verè tamen erronea est, & aliena etiam à verbis Christi, qui non dixit, *Quibus postulaueritis remissionem peccatorum, impetrabitis*, sed, *Quorum remiseritis, remittuntur*: non datur ergo ibi potestas impetrandi, sed absoluendi, vt suprà concluſimus: ergo actus illius potestatis, qui per hanc formam significatur, non debet exprimi per modum petendi, sed faciendi, vt est modus indicatiuus. Et huc etiam tendit ratio D. Thomæ, quia in sacramento nouæ legis forma significare debet id, quod minister facit, quia sacramenta efficiunt quod significant; & è conuerso: sed minister hîc non tantùm impetrat, sed facit remissionem peccatorum: ergo. Tandem optima ratio sumitur ex eo, quod suprà diximus, sacramentum hoc esse institutum per modum iudicij, in quo iudex non rectè profert sententiam deprecando, sed soluendo, vel ligando: ergo meritò profert sacerdos sententiam per modum indicatiui *ad instar actus iudicialis*, vt Concilium Tridentinum dixit, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur.

10. Sacerdos nō absoluit vt auctor principalis, sed vt minister.

Neque inde fit, vt sacerdos profiteatur se absoluere tanquàm auctor principalis, nam verbum de se est indifferens; determinatur autem per intētionem proferentis. Christus enim absolutè dixit, *Quorum remiseritis peccata*, & non propterea tribuit sacerdotibus diuinam auctoritatem, nec potestatem excellentiæ, sed ministerialem: ita ergo cùm sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, non sibi vsurpat diuinam auctoritatem, quia non intendit hoc facere vt principale agens, sed vt minister Christi: vtitur tamen illo modo loquendi, quia verè iudex est, & quia eius sententia ex institutione Christi ex se infallibilis est, & simul cum ipso, & per ipsum Deus iudicat. Vnde, licèt sacerdos non sit principalis, sed ministerialis iudex, non tamen ita iudicat, sicut in iudiciis humanis solet iudicare inferior iudex, cuius sententia non est omninò firma & irreuocabilis, seu definitiua, donec per superiorem confirmetur: non enim est ita in proposito, sed sententia sacerdotis est vltima & definitiua, quia verè est simul sententia Dei, vt principalis iudicis, ipsius verò sacerdotis vt ministri.

11. Soluitur fūdamentum principale prioris sententiæ.

Atque ita soluitur facilè principale fundamentum prioris sententiæ: negamus enim aut modū indicatiui necessariò significare actionem causæ principalis, aut verbū impetrandi esse aptū ad proprium ministerium huius sacramenti significandū, vt satis explicatum est. Nec quoad hoc oportet acceptare exemplū de Extrema vnctione, quia Christus Dominus potuit diuerso

mo

modo instituere formas horum sacramentorũ,& traditio Ecclesiæ,aliquo modo in Scriptura fundata,demóstrat ita fecisse.Dices,Saltem hoc exemplum enerObiect. uat rationes factas ad veritatem confirmandam: quia etiam in sacramento Extremæ Vnctionis minister confert effectum sacramenti ex opere operato,& vt physicum instrumentum, & consequenter id facit per potestatem ministerialem ad hoc receptam;& nihilominùs solùm deprecando significat id, quod facit:eò quòd petitio illa sacramentalis infallibiliter obtinet effectum, & modo accommodato ipsi sacramento, & independenter ab speciali merito recipientis:tantùm enim requirit carentiam obicis. ReSolutio. spondetur,rationes illas per se solas non afferri ad probãdum modum indicatiui in hac forma esse simpliciter necessarium;hoc enim principaliter pẽdet ex Christi institutione,& spectat ad quartũ punctũ propositum: sed afferuntur ad probandum, illum modũ indicatiui esse aptissimum,sicut est etiam in forma Baptismi. Et quidem,si Christus voluisset per illum modum etiam instituere formam Extremæ vnctionis, ratio proximè insinuata declarat,potuisse id conuenienter fieri,quia tunc verba etiam significarent,quod facerent,& sufficienter exprimerent actum alicuius potestatis ministerialis.Nihilominùs tamen priores rationes declarant,fuisse in forma huius sacramenti specialem congruitatem, imò & moralem quandam necessitatem, supposita institutione per modum iudicij. In sacramento verò Extremę vnctionis fuit specialis congruitas,vt institueretur per modum impetrationis,quia in eo non segerit sacerdos vt iudex, sed vt medicus. Et prætercà solet ibi assignari specialis ratio, quia effectus quidam illius sacramenti,qui est sanitas corporis, non confertur infallibiliter: de quo dicemus plura infrà in proprio loco.

12. Soluitur aliud exẽplũ propriori sententia allatum. D. Tho. Matth. 10. Et hinc etiam facilè soluitur aliud exemplum, de modo operandi miracula,vel conferendi sanitates impetrando. Ad quod respondet D.Tho.dict.art.3.ad 4. Apostolis non esse datam potestatem vt sanarent infirmos, sed vt ad eorum orationem infirmi sanarentur. Veruntamen Matth.10.Absolutè dicitur; *Dedit eis potestatem eiiciendi spiritus immundos, & curandi infirmos.* Deinde ex forma sacramenti Extremæ vnctionis iam ostendimus,modum deprecandi non excludere potestatem ad efficaciter operandum.Item D. Thomas ipse concedit,aliquando Apostolos operatos fuisse miAct. 3. racula imperatiuè,& indicatiuè,vt Act.3.dixit Petrus, *Quod autem habeo, hoc tibi do:in nomine Iesu Christi Nazarem surge, & ambula.* Dici ergo potest, Apostolos quidem accepisse virtutem ad operanda miracula efficaciter;modum autem operandi non fuisse illis specialiter præscriptum,sicut est in ritu sacramentorum: & ideò interdum vno, interdum alio modo operatos fuisse,prout à Spiritu sancto mouebantur, vel prout ad fidei ædificationem expedire cernebant.Addo insuper (& hoc fortasse voluit D. Thomas) hanc esse differentiam inter potestatem datam ministris sacramentorum,& gratias gratis datas,ad quas spectat illa potestas curandi infirmos, vel faciendi miracula: quòd illa datur permanenter, & per modum intrinsecæ potestatis, quæ quantùm est ex se, semper & infallibiliter habet effectum:gratiæ verò gratis datæ regulariter non dantur per modum habitus permanentis, neque habent effectum infallibiliter, sed prout expedit, vel iuxta fidem recipientis:& hinc est:vt regulariter operentur per modum impetrationis,quanuis Deus interdum moueat adalium modum operandi.

13. Leoni Papæ fit satis. Denique ad Leonem Papam respondet D.Thomas, ibidem ad 2. non loqui de substantiali forma huius sacramenti,sed de illis verbis deprecatoriis,quę iuxta communem vsum præmitti solent,vt suprà vidimus. Sed difficilis est expositio, quia Leo dicit, *sine supplicationibus sacerdotum non remitti peccata*: loquitur ergo de verbis sacerdotis simpliciter necessariis ad remissionem peccatorum:hęc autem sunt substantialia verba formæ,& non orationes, quæ præmittuntur. Sed, vt suprà dixi,interdũ sacramentum nomẽ accipit ab aliquo accidentali ritu,sicut vidimus de manus impositione.Quo sensu dici posset, peccata non posse remitti sine manus impositione sacerdotis.Sic ergo intelligo locutum fuisse Leonem, & alios Patres: nam, quia sacerdos non exercet munus suum sine aliqua deprecatione, totum hoc ministerium nomine orationis aut deprecationis interdum appellarunt. Vt etiam indicarent,ipsos esse mediatores & intercessores inter Deum & homines: quod est proprium munus sacerdotis,teste Paulo.Per hoc autem non excludunt,quin sint etiam iudices, qui imperando, vel iudicando,sententiam proferre possint,& debeant. Itaque si consideremus id,vnde nomẽ sumptum est,supplicationes,& orationes vocant verba illa deprecatoria, quæ absolutionem præcedunt:si verò consideremus id,quod significare intendunt, totum ministeriũ sacerdotis, & absolutionem ipsam comprehendunt, quanuis illa non per modum deprecationis, sed effectionis præferatur. Præterquam quòd ipsa etiam potest latè dici impetratio quædam, quatenus per illam à Deo obtinet sacerdos id, quod intẽdit. Vnde Vual- Vualdens. denses tom.2. de Sacramentis, c. 147. exponendo locum Chrysostomi suprà adductum,absolutionem vocat *orationem sacramentalem.*

14. Respõdetur ad opinionẽ Abulensis. Supereſt,vt breuiter dicamus de alia opinione Abulensis, qui in re non dissentit à vero sensu & significatione huius formæ:sed non debuit in verbo discrepare,quod communi vsu & traditione Ecclesiæ probatum est,& præsertim propter fundamentum adeò leue.Nam peccata moraliter dici possunt vincula, & iuxta Scripturæ phrasim ita interdum appellantur, Isai.58. *Dissolute colligationes impietatis:* Psal. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me:*& Prou.5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Denique Isai.52.expresè dicitur: *Solue vincula colli tui,captiua filia Sion.* Quæ metaphora non solùm de reatu pœnæ,sed maximè de peccato ipso ratione culpæ & maculæ,quæ manet,intelligenda est.Tum quia Scriptura de ipsis peccatis loquitur,tum etiam quia, licèt pœna sit actus ad quem homo ligatur,tamen funes,quibus ligatur, sunt ipsa peccata, quæ hominem ita constringunt, & detinent ad supplicium, vt illis manentibus euadere nullo modo possit,sed necessarium sit, vt per diuinam gratiam disrumpantur,iuxta illud Psal.115. *Diripuisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Sunt etiam peccata vincula, quæ hominem impediunt à benefaciendo, & præsertim à bene merendo coram Deo. Ergo verbum absoluendi optimè cadit in peccata,etiam quoad eorum culpas.Nec Christus Dominus solùm vsus est verbo remittendi, sed etiam soluendi,quando claues promisit Matt.16. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo:* ex quo loco videtur Ecclesia hanc formam sumpsisse, vt apertiùs constaret, absolutionem hanc esse potissimum actum clauium. Possumus denique rationem aliquam inuenire, ob quam Ecclesia potiùs hoc verbo vtitur, quàm verbo *Remitto*: quia remissio in rigore non est actus iudicialis, sed latiùs patet; nam creditor etiam, seu pars offensa dicitur remittere debitũ,aut iniuriã,verbum autem, *Absoluo*,iuxta communem vsum,magis significat actum iudicialem. Et licèt, quoad etymologiam vel impositionem,metaphoricum videatur; tamen iam propriè significat sententiam,qua reo con-

ceditur plena libertas; ergo cõuenientissimè hæc forma hoc verbo, & cum tali modo significationis instituta est.

15. Quare non sit forma ad retinenda peccata, sicut ad soluenda.

Sed aliquis fortè obiiciet, Si ex verbo, *Absolueritis*, sumpta est hæc forma, *Ego te absoluo*, ex verbo, *Ligaueritis*, debuisse aliam formam sumi, ad exercendum alium actum huius potestatis, scilicet, *Ego te ligo*, vel *Peccata retineo*. Respondeo, huiusmodi actũ non exerceri per effectionem sacramenti: quia talis actus non est significatiuus gratiæ, ideoque ratione illius non constituitur aliqua forma sacramentalis. Imò, si præcisè sit sermo de culpæ detentione, nulla positiua forma necessaria est, sed sola negatio absolutionis, quia, vt diximus, peccatum non detinetur per actionem positiuam, sed per carentiam actionis. Si autem sit sermo de obligatione ad aliquam pœnam medicinalem, vel satisfactoriam, quæ in hoc sacramento imponitur, illa solùm habet rationem cuiusdam præcepti annexi huic sacramento, & ordinati ad perfectam eius integritatem & complementum: ipla verò impositio talis præcepti non pertinet formaliter ad constitutionem huius sacramenti, & ideò non habet præscripta verba; sed sufficit quocunque modo intimare pœnitenti arbitrium, & voluntatem confessoris, explicando speciem, & modum pœnæ, & hoc posset fieri scripto, vel quocunque alio signo, sine substantiali defectu sacramenti. Extra hoc verò sacramentum, præsertim in ferendis censuris, virtute vtitur iudex illa forma ligandi, cùm aliquem excommunicat, vt in sequenti libro videbimus.

C

## *De sufficientia verborum formæ.*

16. Verba quæ præmittuntur ad formã, nõ sunt de essentia sacramenti. D Tho.

CIRCA tertium punctum de sufficientia horum verborum, notanda sunt verba Conciliorũ Tridentini, & Florentini, dicentium, formam huius sacramenti esse verba sacerdotis, *Ego te absoluo, &c.* Ex quibus haberi potest primò, omnia verba, quæ præmittuntur à sacerdote, priusquàm ad hæc perueniat, non esse de substantia, vel essentia huius formæ, vt etiã D. Th. indicauit dict. art. 3. ad 1. dicens præmitti illam deprecationem, *Misereatur tui omnipotens Deus, &c.* non vt per eam conficiatur sacramentum, sed ad impetrandum à Deo ne ex parte pœnitẽtis impediatur sacramentum: sicut etiam præmittitur absolutio à censuris, ne etiam ex hoc capite impediatur sacramentum. Præmitti etiam solet hoc vel simile verbum, *Auctoritate*, vel, *potestate mihi à Christo concessa*, quo significat confessor, se vt ministrum, non vt principalem causam operari: verum tamen nõ est de necessitate sacramenti, vt hoc exteriùs proferatur, quia hoc non pertinet ad effectum, vel actionem sacramenti, quam debent significare verba formæ, sed ad potestatem ministri, quam non oportet significari in actu signato, vt sic dicam, sed ipso exercitio talis formæ.

17. Quomodo pronomen, *Ego*, sit de essentia formæ.

Secundò videtur colligi ex dictis Conciliis, illud pronomen, *Ego*, esse de substantia formæ: ideoque alia duo verba non sufficere. Dicendum verò est, illud pronomen, *Ego*, in re nihil addere præter verbum, *Absoluo*, nam in illo intrinsecè includitur, sufficienterque intelligitur: etiamsi non formaliter exprimatur, In hoc ergo sensu dici potest illud pronomen de essentia huius formæ, scilicet vel expressum in se, vel cõtentũ in verbo, *Absoluo*, ideoque ex hoc capite nihil additur prædictis verbis: sicut in simili dixi superiori tom. tractando de forma Baptismi.

18. An post verba Ego te absoluo, aliud sit de essentia formæ.

Tertiò videtur colligi ex prædictis Conciliis, post illa duo verba necessariũ esse aliqua alia addere: quãuis enim hæc ibi expressè non declarentur: indicantur tamen in illa particula, *&c.* non enim frustrà posita est.

A Oritur ergo difficultas, an aliquod aliud verbũ sit necessariũ, & quod illud sit. Tres enim particulæ post illa verba addi solent. scilicet, *Ab omnibus peccatis tuis*, & inuocatio Trinitatis, *In nomine Patris, &c.* & quædam inuocatio seu deprecatio, vt, *Passio Domini nostri Iesu Christi, &c.* De hac tertia particula iam satis dictum est disp. præced. sect. vlt. & apud omnes constat non esse necessariã, nec præceptam, licèt laudabiliter adiũgatur, vt conciliũ Tridentinum dixit: quare, licèt omittatur, non erit peccatum graue, vel etiam nullum, si ex quacunque rationabili causa fiat: sicut dictum est de orationibus deprecatoriis, quę præmitti solent.

Non esse necessarium illud, Passio Domini nostri, &c.

De secunda, scilicet inuocatione Trinitatis, nonnulla est maior dubitandi ratio. Nam Durand. in 4. d. 22. q. 2. vult esse de necessitate huius formæ, & videntur in eandem sententiam inclinare Maior, & Petrus Soto. B Fundãtur præcipuè, quia per illam inuocationem significat sacerdos se operari vt ministrum Trinitatis, non vt causam præcipuam. Veruntamen iam ostendimus non esse necessarium, vt hoc in forma explicetur: ergo hoc titulo non est necessaria inuocatio Trinitatis: alioqui in omnibus formis sacramentorũ esset necessaria, quod falsum est. Addũt præterea exemplũ Baptismi: sed in his, quæ pendent ex institutione, nihil valent exempla, nam ritus sacramẽtorum diuersi sunt: Christus enim dixit in Baptismo expressè, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* In illo etiam fuit specialis ratio, quia est ianua Ecclesiæ, & solemnis professio illius fidei, quæ per se loquendo ac primariò est necessaria in lege gratiæ, quæ est fides explicita Trinitatis. In hoc autem sacramento nec hæc C ratio congruentiæ locum habet, neque etiã institutio, quia neque in verbis Christi Ioan. 20. neque in Ecclesiæ traditione, vel auctoritate fundamentũ habet. Quapropter certum est, hanc particulã non esse de necessitate huius sacramenti. Quod docuit D. Thom. in dict. art. 3. ad 3. quem cæteri Theologi sequuntur. Imò significat D. Thom. nullum esse de hac re præceptum, quia dicit, *hoc relinqui arbitrio sacerdotis.*

19. Sicne necessaria inuocatio Trinitatis. Durand. Maior. Petr. Sot.

D. Tho.

De prima verò particula est maior controuersia. Nam Gabr. d. 14. q. 2. necessarium putat addere totum illud *Ab omnibus peccatis suis*. Paludanus verò d. 22. q. 3. Maior d. 14. q. 2. Petrus Sot. lect. 4. de Confessione, dicunt in primis, & meritò, non esse necessariam illam distributionem, *omnibus*, quia non oportet includere venialia peccata: mortalia verò necessariò connexa sunt quoad remissionem, & ideò eo ipso, quòd de illis D remissio datur, intelligitur esse de omnibus. Item quia in his locutionibus indefinita æquiualet vniuersali, præsertim in fauorabilibus, & vbi non est ratio determinandi vnum potiùs, quàm aliud. Item quia, cùm illa verba sint practica, indicant peccata, quæ pœnitens confessus est, & ea remouent: & ideo omnia illa complectuntur. Conueniunt autem dicti Auctores cum Gabriele in hoc necessariũm esse addere illam determinationem, *A peccatis tuis*, quia sine illa non est satis completus sensus locutionis, nec satis determinata significatio illius verbi, *Absoluo*, quod indifferens est ad significandam absolutionem à censura, pœna, vel E culpa: verba autem, quæ necessaria sunt ad completam significationem & sensum formæ, absolutè sunt de essentia formæ: ergo.

20. Sine parti cula illa ab omnibus peccatis tuis, de essentia formæ. Gabr. Maior. Petr. Sot.

Nihilominùs, quòd illa verba non sint de necessitate huius formæ, sensit D. Thomas in illo articulo 3. quia nullam eorum mentionem facit. Et tenuit Diuus Antonius 3. p. tit. 17. c. 21. §. 1. Caietan. in Sũma, verb. *Absolutio*. Syluester verb. *Absolutio*, 6 qu. 4. Nauarrus de Pœnitent. d. 6. c. 1. in principio, nu. 9. & in Sum. c. 26. n. 2. Soto, & alij. Ratio potissima esse videtur, quia illa verba, *Ego te absoluo*, suppositа confessione, super quam cadunt, habẽt satis determinatam significationem:

21. Non esse de essentia vera sententia. D. Tho. Antoni. Caietan. Sylues. Nauar. Soto.

nem: solet enim materia determinare formam, & forma materiam: cùm ergo hæc forma sit veluti sententia prolata super hanc accusationem, satis determinatè significat absolutionem in tali causa & materia; ergo significat absolutionem à peccatis, etiamsi illud verbum, *à peccatis*, in forma non addatur. Sicut in iudicio humano non oportet in ipsa sententia iterum exprimi culpam: sed eo ipso quòd audita accusatione, & tota causa, iudex pronunciat hunc esse immunem, vel esse reum talis pœnæ, satis declarat mentem & sententiam suam: ergo similiter in præsenti. Maximè cùm verbum, *Absoluo*, absolutè prolatum, quasi per antonomasiam significet internam absolutionem à culpa, & iuxta communem sensum hæc sit illius verbi significatio. Quapropter sententia hæc in rigore videtur vera. Dicunt verò aliqui, Quanuis illa verba non sint essentialia, quia, licèt omittantur, nihilominùs validum erit sacramentum, tamen, quando à Sacerdote adduntur ad perfectiorem significationem formæ, & sub intentione cum illis perficiendi sacramentum, tunc esse substantialia, & ita concurrere ad componendam substantiam formæ, vt ad effectum concurrant, & hîc non conferatur, donec illa proferantur. Sed hæc distinctio nullum habet fundamentum; quia sicut essentia, ita & substantia non pendet ex libero arbitrio sacerdotis, nec ipse potest suspendere effectum formæ, si eius significatio semel perfecta est: & illa maior explicatio, si ex ipsa institutione non est necessaria, non potest fieri substantialis propter voluntatem ministri. Quæ omnia latiùs tractauimus superiori tomo, agentes præcipuè de forma Eucharistiæ.

Quorũdam distinctio.

Improbatur

22. Sola verba, *Absoluo te*, sufficiunt ad formã pœnitentiæ perficiendam.

Concludendum igitur est, illa duo verba, *Absoluo te*, esse sufficientia ad hanc formam perficiendam: quod sentiunt omnes Auctores proximè citati, & sufficienter constat ex omnibus dictis, quia in his consummatur significatio huius formæ, & effectus eius. Vnde ita est sentiendum de illa particula, *peccatis tuis*, sicut diximus de pronomine, *Ego*. Nam implicitè in ipso verbo, *Absoluo*, super hanc confessionem prolato continetur: & hoc modo necessaria est, non verò formaliter & explicitè prolata. Quia verò facillimè adiungi potest, existimo nunquàm rationabiliter omitti: quia nec moraliter potest accidere causa, quæ ad hoc cogat: neq; est in eo aliqua vtilitas: & aliunde adiungendo illud, vitatur qualecunque periculum, quia opposita sententia improbabilis nõ est. Et fortasse propter hanc causam addiderunt Concilia illam particulam, *&c.* Vel fortè, vt ab opinionibus Theologorũ abstinerent. Nam prædicta verba exprimendo id declararunt, quod certum est; alia verò tacuerunt: noluerunt tamen definire reliqua omnia non esse de essentia, & ideò illam particulã addiderunt. In Concilio autem Moguntino omnes illæ particulæ ponuntur in hac forma. Christus etiam Dominus expressè dixit, *Quorum remiseritis peccata*. Tamen Concilium Moguntinum non declarat essentialem formam; sed monet sacerdotes vt consueto modo absoluãt: & ideò non solùm ponit illam particulam, *A peccatis tuis*, sed etiam inuocationem Trinitatis, quia hîc est optimus modus, & maximè vsitatus. Ex verbis autem Christi solùm colligi potest, remissionem peccatorum esse in hac forma exprimendam: ostendimus autem hoc sufficienter fieri, etiamsi non ponatur explicitè illa particula, *A peccatis tuis*. Alibi etiam dixit Christus, *Quodcunque solueris super terram*, non facta specifica mentione peccatorum.

*De necessitate verborum formæ.*

23. Prima opinio. Scot. Gabr.

CIRCA quartum punctum, de necessitate horum verborũ, referri potest opinio Scoti in 4. d. 14. quæstion. 4. vbi significat, non tam esse necessaria hæc verba in hac forma, sicut sunt in Baptismo illa, *Ego te baptizo*: quia hoc sacramentum institutũ est per modum iudicij, & ideò sufficiunt quæcunque verba, quibus exprimatur actus sententiæ absoluentis. Ponit exempla quædã ex forensi iudicio sumpta, *Iubeo hunc absolui*, *Volo*, aut, *Placet absolui*. Et hãc sententiã sequitur Gabr. ead. d. q. 2. Eam verò impugnant Caiet. suprà q. 84. art. 3. & Soto d. 14. q. 2. art. 3. & alij Thomistæ. Et quidem in eo meritò reprehenditur Scotus, quòd differentiam constituerit inter formã huius sacramenti & Baptismi, vel Eucharistiæ, ac si non sint necessaria determinata verba in hac forma sicut in illis, vel magis in illis, quàm in hac: est enim hoc falsum, vt constat ex generali doctrina de sacramentis in genere. Et declaratur breuiter. Nam vel Scotus sentit illa verba esse quidem necessaria quoad sensum & significationem, non tamen quoad illa materialia verba, quia synonyma, vel æquialẽtia possunt sufficere. Et hic sensus est verus; tamen in illo eadem est ratio de forma Baptismi, vel Eucharistiæ, vt constat ex superiori tomo: ergo propter hoc non rectè constituit differentiam. Vel est sensus, illa verba non esse necessaria quoad sensum, & significationem, & hoc, vt opinor, nec ipse intendit, nec dici potest vllo modo, quia illa forma est essentialis, vt constat ex Conciliis Tridentino, & Florentino, & ex omnibus dictis: ergo verba eius sunt necessaria saltem quoad formalem sensum.

Caiet. Soto.

Differentia inter necessitatem formæ Baptismi, & pœnitentiæ impugnatur.

24. Illa duo verba formaliter sumpta esse de essentia formæ, vera sententia.

Dicendum ergo est, illa duo verba formaliter sumpta esse essentialia, & omninò necessaria. Probatur, tum ex dictis, tum etiam, quia vtrunque verbum est necessarium ad significandum effectum huius sacramenti. Nã sine verbo, *Absoluo*, nec significatur actus iudicialis, nec fit propositio; & sine pronomine, *Te*, nõ significaretur illa remissio practicè, & in particulari, declarando cui fiat, quod necessarium est ad significationem sacramentalem, vt latiùs diximus in simili, circa formã Baptismi. Dixi autem, *formaliter sumpta*, quia illa verba materialia non sunt de necessitate huius sacramenti: nam synonyma, vel æquipollentia possunt sufficere: in quo seruandæ sunt regulæ generales de sacramentis. Sunt autem illa verba etiam materialia de necessitate præcepti, propter vniuersalem vsum Ecclesiæ, & propter doctrinam Conciliorum, & propter reuerentiam sacramentis debitam. Existimoq; in præsenti materia mutationem talium verborũ nunquàm posse moraliter fieri absque peccato, quia nulla potest esse rationabilis causa ad illam faciendam. Taleque peccatum ex genere suo mortale est, cùm sit sacrilegium: in individuo autem ex materiæ grauitate pensandum est. Tunc autem maximè erit graue peccatum, quando certa significatio in incertam & dubiam mutatur, vt si loco verbi, *Absoluo*, quis dicat, *Ego te mundo à peccatis*: quia multi putant illud verbum non sufficere, quia non significat illam actionem per modum iudicialis sententiæ. In verbo autem, *Remitto*, minus videtur esse periculi, quia in omni proprietate significare potest actum iudicialem, & est conformis verbis Christi. Itaque in particulari ex vsu & proprietate verborum intelligetur qualitas mutationis, & consequenter grauitas culpæ: in qua etiam cauendum est scandalum, & omnis contemptus. Et idem obseruandum est quando non mutatur verbum, sed modus verbi, vt indicatiuus in imperatiuum, &c.

Illa duo verba materialia sunt de necessitate præcepti.

*Sitne*

*Sitne valida hæc forma data per modum impetrationis.*

25. Prima opinio affirmãs

CIRCA hoc verò occurrit speciale dubium suprà in secundo puncto huc remissum, scilicet, an hæc forma data per modum impetrationis valida sit, vt si quis dicat, *Absoluat te Christus*, vel, *Absoluatur seruus Christi*, vt in simili forma Baptismi. Videtur enim eadem ratio de hoc sacramento, & de Baptismo, & tamen ibi diximus hanc formam Baptismi validam esse.

Soto. Vnde Soto d.3.art.5.de hoc sacramento loquens, expressè dixit hanc formam esse validam, *Absoluat te Christus*. Et argumenta suprà facta, quanuis non probent formam deprecatiuam esse necessariam, videntur tamen probare esse sufficientem. Quam opinionem indicat Bonauent.d.18.art.2.q.1.& 2.& Alensis q.80.& Franciscus de Mayronis d.14.q.2.At verò D. Thomas dict.q.84.ar.3.ad 1.negat hanc esse sufficientem formam, *Absoluat te Deus*, Quo circa dicendum est, hanc formam in sensu deprecandi non esse sufficientem ad sacramentum constituendum. Quæ est aperta sententia D.Thom. citato loco, & dict.Opusc. 22.c.1.& 2.Palud.d.22.q.3. & Soto d.14.art.3. & Petri Soto lect.4.de Confessione, Nauarri c.1.de Pœn. d.6.num.9.& seq.Viguerij in Summa,cap.16.§.4. Et ratio est, quia forma deprecatiua repugnat cum forma Iudicis: de essentia autem huius sacramenti est, vt fiat per modum iudicij. Et confirmatur, quia, siquis dicat, *Ego te mundo à peccatis*, multi censent non esse sufficientem formam, quia nõ significat effectũ ad modum iudicij, inter quos est Soto d.1.q.1.ar.8.&, vt dixi, est hoc probabile: ergo multò magis erit inualida forma per modum deprecationis, quia multò plus distat à ratione iudicij. Et confirmatur etiam, quia nunc ante sacramentalem formam præmittimus illam deprecationem; *Dominus noster Iesus Christus te absoluat:* ergo signum est in illis verbis nõ contineri sufficientem formam; nam Ecclesia non proferret successiuè duas formas sufficientes supra eandem materiam. Denique ostẽsum est illa verba, *Absoluo te*, esse de essentia, sed verba deprecatiua non sunt æquipollentia in sensu, vt per se constat: ergo, & c. Addendum verò est, eadem verba materialiter sumpta, quæ possunt proferri in sensu deprecandi, proferri posse modo & intentione imperandi: in quo sensu erũt æquipollentia, & consequenter etiã sufficientia, quia practicè significant efficiendo talem effectum; quo sensu valebit illa forma, *Absolnatur Petrus*, sicut valet illa, *Baptizetur seruus Christi*. Et huiusmodi videntur esse illa exempla, quæ Scotus attulit: & ideò in rigore videntur illæ formulæ sufficere, quanuis præsumptuosum, & valdè illicitum sit illis vti. Et idem censeo de illa forma, *Sacramentum absolutionis tibi do*, de qua Soto, & Caietanus idem asserunt. Et per hæc iudicandum est de similibus. De aliis verò mutationibus seruandæ sunt regulæ generales traditæ superiori tomo disp.2. sect. 4. An verò liceat conditionem adiungere, sub qua detur absolutio, consulenda sunt dicta eodem tomo disp.13.sect.3.& infrà tractando de casibus reseruatis, aliquid addemus.

Bonau. Alens. Mayron.

Opinio negans vera censetur, D. Tho. Palud. Soto. Petr. Sot. Nauar. Viguer.

Verba prolata modo imperatiuo sufficere.

## SECTIO II.

*Quis sit verus sensus verborum formæ, & consequenter quem effectum habeant.*

A POTEST hoc loco considerari differentia inter formas sacramentorum: in quibusdam enim sacramentis materia est actus ipsius ministri, quem proximè forma significat, vt in Baptismo, Confirmatione, Extrema vnctione: & in his facilè intelligitur, & saluatur veritas formæ, quanuis sacramentum priuetur suo effectu: & idem est suo modo in matrimonio, quia etiam materia est actus contrahentium, qui saltem necessariò efficiunt ipsum vinculum, quod proximè externa signa, & verba significant. Alia verò sunt sacramenta, quorum materia non sunt actus ministri, in quibus forma immediatè significat supernaturalem effectum, quem facit, vt videre est in Eucharistia, & in Ordine, *Accipite potestatem*, seu, *Accipite Spiritum sanctum*: & in his ad veritatem formæ videtur necessariò requiri, vt effectus fiat.

1. Differentia inter formas sacramentorum.

Et hinc oritur difficultas quæstionis, quia forma huius sacramẽti est huius secundi generis, & nõ semper habet effectum, vel quia subiectũ non est dispositum, vel certè quia non indiget tali effectu, quia iam sunt illi remissa peccata. Et augetur difficultas ex cõparatione ad alias similes formas sacramentorum, nam in Eucharistia, si verum sit sacramentum, impossibile est quin forma efficiat suum effectum, quem proximè significat, quia hoc requirit eius veritas. Similiter in Ordine, si sacramentum sit ratum, impossibile est quin forma efficiat effectum, quem proximè significat, & quem requirit veritas eius, scilicet characterem seu potestatem, quæ per talem formam datur. Imò etiam in Baptismo, & Confirmatione, in quibus forma datur per modum indicatiui, semper habet aliquem effectum, & suo etiam modo in matrimonio hoc reperitur ratione vinculi magis indissolubilis. Extrema verò vnctio, quæ interdum potest priuari omni supernaturali effectu propter indispositionem recipientis, habet formam tantùm deprecatiuam, cuius veritas nullum effectum requirit. Quomodo ergo in proposito, cùm forma sit indicatiui modi, & immediatè significet solùm supernaturalem effectum, potest eius veritas sine vllo huiusmodi effectu saluari? Et confirmatur, quia per hanc formam nunquàm absoluitur homo: aut enim accedit in peccato, & sic absolui non potest, quia non est dispositus: aut accedit in gratia, & sic absolui non potest, quia iam est absolutus: ergo nunquam potest hæc forma proprium & verum habere sensum.

2. Ratio difficultatis proponitur.

*Variæ referuntur opiniones.*

CIRCA difficultatẽ hanc, qui existimant potestatẽ clauiũ non extẽdi ad remissionẽ culpæ, cõsequẽter docẽt sensum illorum verborũ non esse hunc, *Ego te absoluo à culpa*, & ideò ad alios sensus improprios diuertunt. Et in primis Magister d.18.ita exponit, *Ego te absoluo*, id est, absolutum ostendo & declaro, quem sequuntur Bonau. ibi art.2.q.1.Gabr.q.1.art.2.Maior q.1.& d.14.q.2.& ibi Gabr.q.2.art.1.& 2.Alensis 4. p.q.21.alias 80.& Medi. tract.2.q. de effectu absolutionis. Et potest à simili confirmari ex verbis Christi Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua*; quæ tamen iam erant remissa: ergo Christus solutum id declarauit, & testatus est illis verbis.

3. Prima opinio. Magist. Bonau. Gabr. Maior. Alens. Medin. Luc.7.

Veruntamen hæc sententia Magistri falsa est, & iam hoc tempore erronea, de qua rectè dixit Richardus de S.Victore libr.de Potestate ligandi, & soluendi, capit. 21. *Extat quorundam sententia tam friuola, vt ridenda potiùs, quàm refellenda videatur: putant enim sacerdotes non habere potestatem soluendi, sed ostendendi solũ*

4. Improbatur præcedens opinio. Rich. de S. Victor.

*solutos: sed nunquid Dominus dixit, Quod solutum ostenderitis, erit solutum: dicunt sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat: & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cùm Dominus hoc non dicat.* Similibus verbis refellit eandem sententiam Hugo Victor. libr. 2. de sacramentis, part. 14. c. 8. & ferè omnes Theologi in 4. dist. 18. vbi D. Thom. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. Durandus quæst. 2. Richardus art. 2. quæst. 1. Scotus quæst. vnica. Idem D. Thomas suprà quæst. 84. art. 3. & in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. Richardus etiam dist. 16. ar. 1. quæst. 2. Scotus etiam dist. 4. q. 4. vbi Soto q. 1. art. 3. Alexand. Alensis 3. part. quæst. 60. memb. 1. artic. 2. & Petrus Soto lectio. 4. & bene Caietanus tomo primo Opusc. tract. 18. quæst. 5.

Hugo Victor. D. Tho. Dur. Rich. Scot. Soto. Alens. Petr. Sot. Caiet. Conc. Trid.

5. Denique ferè expressè damnata est opinio Magistri in Tridentino, sess. 14. cap. 6. & can. 9. Et conuinci potest ex proprietate verborum formæ, & verborum Christi, *Quorum remiseritis peccata*: nam vtraque verba sunt in proprietate intelligenda, nisi Ecclesia aliud doceat, aut circunstantia literæ aliud requirat: hîc verò neutrum reperitur. Et confirmatur ex aliis verbis eiusdem Christi Domini, *Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlo: & quæcunque ligaueris, &c.* Illa enim non possunt exponi de sola ostensione vel declaratione, aliàs eneruatur tota Ecclesiastica potestas: sic enim nihil posset Papa dispensare, sed solùm declarare, non obligare; nec posset censuris ligare, sed declarare esse ligatum: quæ omnia, & similia erronea sunt. Ergo æquè falsum est, exponere, *Quorum remiseritis*, id est, declaraueritis remissa: nam eadem est ratio vtriusque verbi, & eodem modo illa intellexit Ecclesia de potestate faciendi, non declarandi. Ergo eundem sensum reddit verbum, *Absoluo*, in hac forma nam sumptum est ex verbis Christi, & cum illis proportionem habet. Præterea, illa expositio sibi non constat: quia, si sacerdos per illam formam nullam habet efficaciam in remittendis peccatis, quomodo potest verè, & cum aliquâ certitudine declarare hominem esse absolutum à peccatis: nam ad illud declarandum nihil conferunt claues, meliusque id præstabit homo doctus, & prudens, qui conscientiam pœnitentis meliùs examinare, & intelligere possit: ergo, si sacerdos verè ostendit absolutum, ex eo prouenit, quòd quantùm in ipso est, eum efficaciter absoluit.

6. Verba Christi ad Magdalenam expenduntur. Exemplum autè, quod afferebatur de verbis Christi Domini ad Magdalenam, non est simile, tum quia Christus Dominus cor, & dispositionem eius intuebatur, & ideò affirmare poterat internum effectum in ea factum, etiamsi illis verbis non faceret: tum etiam quia illa verba rectè exponuntur, *Remittuntur tibi peccata tua*, id est, remissa sunt: nam & vox Græca in rigore præteritum significat, & Christus Dominus bis eodem facto illa verba protulit: vnde necesse est in eo sensu illa interpretari. Addo etiam, quia totum illud opus moraliter erat præsens, & quasi in fieri, potuisse tanquam præsens significari, quod paulò anteà factum fuerat. Vt omittam probabile esse, per illa verba nouam gratiam fuisse collatam Magdalenæ: & fortasse completam etiam fuisse remissionem, saltem quoad veniam pœnæ. Non defuerunt tamen qui dicerent, priùs quidem fuisse infusam charitatem Magdalenæ, quando dilexit multùm: peccata verò non fuisse remissa quoad culpam, vel saltem quoad pœnam æternam, donec Christus dixit, *Remittuntur ei peccata multa*. Sed hoc verum esse non potest, quia charitas non infunditur sine gratia, nec gratia datur sine remissione culpæ mortalis, si præexistit; nec talis culpa remittitur sine æterna pœna, vt in superioribus ostensum est: hæc enim expositio supponit errores ibi improbatos. Quamuis autem Christus Dominus illo loco & illis verbis peccata non remiserit; tamen aliis locis id fecisse certum est, vt patet Matth. 9. & Luc. 5. de quo alibi latiùs.

7. Secunda opinio. Bonau. Alens. Gabr. Supplem. Secunda interpretatio est, sensum illius formæ esse, *Ego te absoluo*, non à culpis, sed ab obligatione eas subiiciendi clauibus Ecclesiæ. Hanc referunt Bonau. & Alensis & ex parte sequitur Gabr. d. 18. q. 1. & Supplementum eius d. 23. q. 2. art. 2. Et nititur eodem fundamento, quòd hæc potestas non extenditur ad tolendas culpas, sed solùm ad cognoscendum & iudicandum de illis, à quo onere absoluitur pœnitens postquàm confessus est. Hæc verò sententia non est minùs falsa quàm præcedens: nam rationes factæ æquè vrgent contra illam: præsertim quia est contra vim, & proprietatem verborum formæ, & Christi Domini dicentis, *Quorum remiseritis peccata*, Nam absoluere ab obligatione alicuius præcepti, non est peccata remittere, vt per se constat. Deinde, cum absolutio cadit super confessionem de solis peccatis venialibus, aut de peccatis iam confessis, non habet locum illa expositio: quia etiam ante illam absolutionem homo erat liber ab obligatione confitendi illa peccata. Interdum etiam è conuerso absoluitur quis à peccatis, & non ab obligatione confitendi, vt dicetur in materia de casibus reseruatis. Præterea, iuxta illum sensum, ex vi significationis illorum verborum nulla gratia per illa conferretur, quia ad absoluēdum ab illa obligatione non est gratia necessaria, & verba tantùm efficiunt quod significant. Vnde etiam fieret, vt ad talem absolutionem non esset necessaria interna dispositio pœnitentis, sed sufficeret simplex narratio peccatorum, quia non est absoluendus ab illis in seipsis, sed solùm ab obligatione manifestandi illa Ecclesiæ. Denique prorsus inutilis esset talis absolutio, sufficeret enim confiteri, vt homo intelligeret se satisfeciisse suæ obligationi, quanuis alius id non proferret. Reiicitur.

8. Tertia opinio. Hugo de S. Vict. Richard de S. Victor. Tertia opinio est, significari per illam formam remissionem pœnæ, vel æternę, vel temporalis, iuxta varias opiniones suprà citatas, vel iuxta indigentiā pœnitentis. Quam opinionem tenent Hugo, & Richardus de S. Vict. vbi suprà, qui fundantur in opinione sua de effectu potestatis clauium, quòd non sit remissio culpæ, sed pœnæ æternæ. Hæc verò sententia procedit ex falso fundamento, vt in superioribus visum est. Et præterea non soluit difficultatem propositam, quia fieri potest, vt peccata præsentis confessionis fuerint remissa, non solùm per contritionem, sed etiam per priorem absolutionem, & ita non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam æternam. Item quando confessio est de solis venialibus, non absoluitur quis à reatu pœnæ æternæ, neque hoc potest per formam significari.

9. Scotus impugnatur. Caietanus reiicitur. Et ob eaſdē ferè rationes nō satisfaciunt qui dicūt, quādo culpa, & pœna æterna sunt iā remissæ, per formā significari absolutionem pœnæ temporalis. Quod significat Scotus in 4. d. 14. q. 2. ad 2. Non potest enim in vniuersum applicari hæc expositio: quia cōtingere potest vt tota etiam tēporalis pœna sit remissa. Simile est, quod Caietanus ait tom. 1. Opus. tract. 5. q. 4. ad 2. quanuis tota pœna temporalis remissa sit, semper manere reliquias peccatorum, à quibus potest homo magis, & magis liberari, ideoque hoc saltem significari per formam. Non est enim necesse, vt maneant reliquiæ peccatorum actualium, tum quia fieri potest vt solùm pauca venialia peccata præcesserint, ex quibus vix intelligi potest, quæ reliquiæ maneant, post remissionem talium peccatorum quoad culpam & pœnam: tum etiam, quia licèt præcesserint multa peccata, omnes eorum reliquiæ possunt esse iam abolitæ, nam hæ reliquiæ esse non possunt, nisi aut habitus

pra

praui, aut dispositiones animi, aut corporis, quibus homo procliuior fit ad peccandum: hæc autem omnia quatenus ex peccatis actualibus specialiter orta sunt, possunt esse iam omninò ablata, vt per se constat. Dico autem, *vt ex peccato actuali orta sunt*, quia quatenus hæc propensio, seu fomes peccati oritur ex originali peccato, illam tollere, aut minuere non spectat per se, ac specialiter ad hoc sacramentum: neque id potest per hanc formam significari. Imò vix intelligitur quomodo propriè absoluatur homo per virtutem clauium ab his reliquis peccatorum, præter absolutionem à culpa, & pœna æterna, ac temporali: quia nec Concilia tribuunt hunc effectum huic sacramẽto, nec absolutio sacerdotis videtur ex opere operato expellere, aut remittere habitus prauos, vel alias similes dispositiones ex peccatis relictas: sed ad summum dici potest, dari ex virtute huius sacramenti aliquod speciale auxilium, quo possit homo operari ad vincẽdas, & expellendas has prauas dispositiones. Verumtamẽ, licèt hoc admittamus vt probabile; tamen non potest ille esse primarius effectus huius formæ, nec potest propriè dici absolutio à peccatis. Atque hæc ratio potest generaliter fieri contra omnes has sententias, nam propter solam pœnam temporalem, vel reliquias peccatorum, non potest quis dici absolui à peccatis simpliciter, & in ea proprietate, in qua verba institutionis ab Ecclesia intellecta sunt. Accedit deniq; quòd verba hæc semper habent eundem sensum propriũ & adæquatum, non enim sunt æquiuoca vel ambigua, sed certam ac definitam habent significationem; ergo non debent nunc in vno sensu, nunc in alio verificari.

10. Responsio.

Responderi verò posset, adæquatum sensum verborum secundùm se vnum & eundem semper esse, scilicet, *Ego te absoluo à peccatis*, tacitè subintelligendo, *quantùm indiges*: quod non fuit necesse exprimere, quia veluti ex natura rei subintelligitur. Vnde fit, vt in re ipsa illam tantùm significet remissionẽ peccati quantùm ad id, quod de facto tollitur. Atque hoc fortasse

Refellitur.

voluerunt Scotus, & Caietanus: indiget tamen maiori explicatione. Quia ex illa interpretatione ita nudè sumpta inferri potest, quando pœnitens non indiget remissione peccati quantùm ad aliquid eius, formam hanc nihil circa illum operari, quia nihil operatur, quod non significet: nihil autem significat absolutè, sed cum eo addito, *quantùm indiges*: ergo, si pœnitens non indiget, nihil operatur.

11. Alius dicẽdi modus.

Atque hoc ferè argumento refellitur alius dicendi modus, qui posset excogitari, nimirum, quanuis priora peccata sint per contritionem remissa, non tamen sine ordine ad absolutionem, ideoque quando posteà eorumdem peccatorum absolutio datur, eandem illorum remissionem quasi compleri & consummari, & hoc sensu dici peccata illa remitti. Sicut Christus Dominus dicitur redemisse antiquos Patres, quanuis anteà essent iustificati, & liberati à peccato: quia id factũ erat in virtute pretij, quod Christus posteà soluit: sic enim, quanuis peccatum fuerit remissum priùs, tamen per hoc sacramentum fit quasi solutio, & specialis applicatio meritorum Christi, ad consummandum illum effectum.

12. Præcluditur.

Contra hanc verò sententiam idẽ potest obiici argumentum: nam ex illa sequi videtur, tunc non dari nouum effectum per hoc sacramentum virtute huius formæ: sicut antiquis Patribus iam defunctis non est collatus nouus effectus gratiæ per mortem Christi, sed tantùm effectus gloriæ, quia tunc fuit remissa pœna debita toti naturæ, quæ anteà non fuerat remissa: quod in præsenti locum non habet. Consequens autem falsum est, vt suppono. Vnde etiam falsum est, per absolutionem applicari merita Christi ad soluendam remissionẽ peccati priùs factam per cõtritionem: nam per ipsammet cõtritionẽ actualiter applicata fuerunt. Quanuis enim hoc non sit factum sine voto sacramenti: tamen applicatio meritorum non est reseruata in illud tempus, in quo fuerit applicatum sacramentũ: sed tunc applicantur, quando datur effectus, nam ex parte Christi iam est solutio sufficienter facta: ad applicationem ergo solùm supereſt efficacia, quæ tunc est quando datur effectus. Quod è cõuerso factum est in antiquis Patribus; priùs enim facta est applicatio, quàm exhibitio pretij, quia dabatur remissio peccati quasi sub pecunia credita; nunc verò non ita fit: ergo per absolutionẽ non ita consummatur remissio priùs facta. Quòd si de nouo applicẽtur merita Christi, necesse est, vt ad nouum effectũ significatũ per formam applicentur, hunc autem effectum inquirimus. Nam si hic effectus non explicetur, hæc expositio coincidit cum secunda suprà reiecta, quia hoc modo absolui nihil aliud erit, quàm liberari ab obligatione subiiciẽdi clauibus talia peccata. Vnde etiam insurgunt aliæ rationes in superioribus tactæ, quia illa explicatio locum non habet in peccatis venialibus priùs remissis per contritionem, quia illa non fuêre remissa in voto futuræ absolutionis. Item non habet locum in peccatis mortalibus priùs remissis per absolutionem, quia iam homo erat liberatus ab obligatione subiiciendi peccata clauibus Ecclesiæ.

## *Vera resolutio.*

13. D. Tho.

SVPEREST vltima expositio prædictorum verborum, quã tradidit D. Tho. d. art. 3. ad 5. dicens, sensum esse, *Te absoluo*, id est, absolutionis sacramentũ tibi impẽdo: qui sensus verus est in quocũque casu in quo verum fit sacramentum, siue homo ponat obicem effectui, siue non, & quanuis iam sint plenè remissa peccata. Solùm erit falsa forma, quãdo nullum perficitur sacramẽtum, quod nullum est inconueniens: nam potiùs propter hanc causam est sacramentum nullum.

14. Difficultates circa resolutionem. Prima.

Hæc verò interpretatio vt ad verum sensum reuocetur, maiori indiget declaratione; suas enim patitur difficultates. Primò, quia forma sacramenti non significat quasi reflexè collationem ipsius sacramenti, sed directè significat suum effectum. In aliis enim sacramentis, in quibus materia consistit in vsu, seu actione ministri, solet forma significare applicationẽ materiæ, & per illam significare effectum, vt patet in illis, *Ego te baptizo: Signate, &c.* nunquàm tamen forma significat applicationem suiipsius, vt in eisdem exemplis patet. In præsenti autem minister non impendit sacramentum applicando materiam, sed illam applicatam supponit, & adhibet formam: ergo non potest per talem formam significare collationem ipsius sacramenti, quia nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ, vt declaratum est. Secundò est difficultas, quia iuxta hanc interpretationem non est necesse ad veritatẽ huius formæ, quòd conferat homini aliquem effectum, sed solùm vt conferat ipsum sacramentum; consequens autem est contra proprietatem verborum, quæ directè significant effectionem remissionis peccatorum.

Secunda.

## *Quis sit effectus huius formæ exponitur.*

15.

VT ergo verum sensum formæ explicemus, ab effectu eius incipiendum est: nam sine dubio illum directè significat, vt argumẽta facta conuincunt, & ex vi ipsorũ verborũ satis patet, & ex verbis Christi, *Quorum remiseritis peccata*, quæ planè significant potestatem ad conferendum aliquẽ gratiæ effectum. Vnde circa hunc effectum horũ verborũ iidem errores, vel eædem opiniones fuerũt, quæ circa obiectum,

vel

vel effectum potestatis clauium, quia illa potestas per hanc formam operatur, comparanturque tanquam potentia, & actus, quæ ad eundem effectum terminantur: ideoque necesse non est illas opiniones iterũ referre, aut impugnare, sed supponere remissionem peccatorum actualium, etiam quoad culpas mortales post Baptismum commissas, esse directum, ac per se intentum effectum huius formæ: quod est tam certũ, quàm idem diximus esse de potestate remittendi peccata. Imò Concilium Tridentinum ex illa potestate colligit hanc vim huius formæ: ideoque satis expresse definit hanc veritatem.

16. In primario effectu huius formæ continetur gratia sanctificans.

Ex quo vlterius colligitur, in primario effectu huius formæ contineri etiam gratiã sanctificãtem. Quia Deus non expellit culpam mortalem nisi infundendo gratiam: ergo nec dat vim sacramentis, aut ministris eorum ad remittenda peccata, nisi dando illam ad cõferendam gratiam expulsiuam peccati. Imò, sicut in naturalibus nulla est virtus per se primo ad expellendam formã, sed ad introducendam aliquam, quæ formaliter alteram expellat: ita in præsenti virtus huius formæ per se primò est ad introducendam primam gratiam, quæ peccatum expellat. Quod etiam explicari potest ex generali ratione sacramentorum nouæ legis. Est enim de ratione talis sacramenti, vt per se ordinetur ad dandam gratiam sub speciali aliqua ratione; ergo & huius sacramenti: hæc autem specialis ratio non est alia, nisi quod ordinetur ad dandam gratiam primam, per se loquendo, non per modum regenerationis, sed per modum reparationis, seu resurrectionis spiritualis: ergo hic est primarius effectus huius sacramenti, ergo & formæ eius, nam per formã præcipuè operatur: & per huiusmodi gratiam remittitur culpa: ergo. Atque hinc ostendemus inferiùs, hoc sacramentum posse facere hominem ex attrito contritum, quia nimirum per se institutum est ad dandam primam gratiam, & remittendam culpam mortalem.

17. Hæc forma etiã quando cadit supra venialia confert gratiam.

Hinc etiam fit, hoc sacramentum non solùm dare gratiam, quando absolutio cadit suprà confessionem peccatorum mortalium, sed etiam quando cadit in confessionem venialium: quia, licèt ad remissionem venialis peccati per se non fit necessaria infusio gratiæ; tamen, vt fit virtute huius formæ sine illa non fit, nec fieri potest: quia hæc verba non habent vim remittendi peccata, nisi quatenus habent per se primò vim ad conferendam gratiam. Imò generaliter suprà diximus, per nullum sacramentũ remitti veniale peccatum, nisi media infusione gratiæ. Quod si hoc verũ est in omni remissione sacramentali, vt sic dicam, multò magis in ea quæ fit virtute horum verborum: nam primariò data est ad tollenda peccata mortalia, & ex consequenti redundat in venialia, vt suprà circa potestatem ipsam declarauimus. Et eadem ratione, virtus quæ data est ad conferendam gratiam quando remittuntur mortalia, data est etiam ad illam conferendam cùm remittuntur sola venialia: quia, licèt propter ipsa non sit necessaria, propter excellentiam ipsius virtutis, & sacramenti necessaria est; & quia nõ erat rationi consentaneum, vt perfectior absolutio daretur in accusatione de mortalibus, quàm de solis venialibus.

D. Thom.

Quanta verò sit copia gratiæ, quæ per hoc sacramẽtũ datur, nõ potest à nobis definiri, quanquàm D. Thomas q. 84. art. 4. significet, non dari tam copiosam, sicut in sacramẽto Ordinis, vel confirmationis, quia finis ad quem ordinatur, illam non requirit. Sed de hoc videantur dicta superiori tomo circa q. 65. D. Thom. & disput. 7. section. 5. nihil enim hîc addendum occurrit.

18. Forma pœnitentiæ habet omnes effectus quos contritio.

Ex hoc autem principio colligimus, huic formæ tribui posse omnes effectus pœnitentiæ, quos suprà tractando de virtute declarauimus, siue illi pertineant ad boni collationem, vel instaurationem, siue ad mali remotionem. In priori ordine potest poni restitutio virtutum omnium, & totius gratiæ deperditæ, & instauratio meritorum omnium: nam ablato impedimento mortalis peccati, hæc omnia bona consequũtur. Vnde quoad hoc parũ refert, quòd peccatũ auferatur per virtutem, aut sacramentum pœnitentiæ: neque hic est nouus effectus huius formæ distinctus à præcedenti, sed hoc ipso, quòd huic formæ data est virtus cõferendi primam gratiam, & faciendi ex attrito contritũ, consequenter etiam habuit conferre omnia, quæ vel ex natura rei: vel ex aliis generalibus legibus diuinis ad primam gratiam consequuntur. In alio ordine ponitur in primis remissio æternæ pœnæ, quia hæc etiam consequitur ex remissione culpæ. Deinde huc etiã spectat remissio alicuius pœnę tẽporalis; quæ interdũ fit simul cum ipsa remissione pœnę æternæ, quando hæc non erat anteà remissa, & virtute clauium commutatur in minorem temporalem, quàm aliàs commutaretur: aliquando verò fit per se, vt quando homo est in gratia, & sola venialia confitetur, vel etiam quando accedit iam contritus cum aliquo reatu pœnæ temporalis: nam, si à principio contritio fuisset coniuncta sacramento, sine dubio commutatio pœnæ æternæ facta fuisset in minorem temporalem: ergo quod priùs remissum non est propter carentiam sacramenti posteà conceditur virtute absolutionis. Tota autem pœna temporalis nõ semper remittitur virtute huius formæ, quia non fuit expediẽs, vt peccata post baptismum commissa tanta facilitate, & sine iusta vindicta remitterentur, vt Concilium Tridentinum dixit sess. 14. c. 8, de quo multa diximus suprà disp. 10. sect. 3. nam quę ibi dicta sunt de pœnitentia virtute locum habent in pœnitentiæ sacramento, cuius institutionem ita semper Ecclesia intellexit, vt Concilium Tridentinum declarauit, & definiuit, & infrà in materia de satisfactione id latiùs dicemus. Igitur non spectat ad virtutem huius formæ, absolutè & simpliciter remittere totam pœnam, sed iuxta legem iustitiæ eam commutare, quanuis ob virtutẽ sacramenti cum minori rigore talis commutatio fiat, vt dictum est.

Virtute huius formæ non remittitur semper tota pœna temporalis. Conc. Trid.

---

*Propria verborum formæ significatio exponitur.*

19.

EX his quæ de effectu huius sacramenti dicta sunt facile erit eius verum sensum explicare. Primò enim ac per se significat sanctificationem, quam sua propria & instrumentaria virtute confert ad culpam expellendam. Quanuis enim verbum *Absoluo*, solùm videatur significare vinculi solutionem; tamen, quia non dissoluitur, nisi per informationem gratiæ, ideò iuxta subiectam materiam, ex vi eiusdem verbi significatur gratiæ infusio, ordinata ad peccati remissionẽ, quam etiam remissionem per se significat hæc forma non quidem omnium peccatorum, sed eorum, quæ pœnitens confessus est. quia, vt dixi sentẽtia cadit super accusationem, & ab illa quodammodò determinatur. Quia verò forma hæc per se significat sanctificationem ipsius personæ, cum qua stare non potest aliqua culpa mortalis, fit, vt secundario, & quasi per accidens, significet exclusionem omnium peccatorum mortalium à tali persona, etiam eorum, quæ in confessione dicta non sunt, quatenus sine eorum exclusione non potest fieri sanctificatio, per hanc formam significata.

20. Hæc forma includit cõditionẽ nisi ponatur ex.

Vt autem intelligatur, quomodo hæc forma, quoad hanc significationem semper vera sit, & soluatur difficultas in principio tacta, aduertenda sunt duo. Vnum est commune omnibus sacramentis nouæ legis,

gis, quia significant practicè, & efficaciter collationem gratiæ, quantùm est ex se, & consequenter non ita absolutè, quin implicitè inuoluant hanc conditionem, *Nisi suscipiens obicem ponat*: eandem ergo includit hæc forma, & ideò stante eius veritate, fieri potest vt non conferat homini gratiam propter obicem eius. Sicut est vera forma *Ego te baptizo*, etiam quantùm ad sacramentalem significationem, licèt fortasse persona propter suum impedimentum interiùs non mundetur. Atque hoc significauit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 14. ca. 8. dicens, *hanc formam magis significare virtutem suam, quàm eueniunt*. Et in eundē sensum exponenda est sententia D. Thomæ suprà relata, scilicet, *Absoluo te*, idem esse, ac dicere, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*. Non enim sensit significatum quasi obiectiuū huius formæ esse applicationē seu exhibitionem huius sacramenti; hoc enim rectè improbatum est suprà, & oppositum apertè dixerat D. Thomas in eadem solutione: sed illis verbis significauit, sicut sacramenta significant suos effectus non omninò absolutè, sed quantùm est ex parte sua, ita hanc formam eodem modo significare efficaciam absolutionis à peccatis, quantùm est ex se, & hoc est significare exhibitionem sacramenti ex se remissiui peccatorum non in actu signato (vt aiunt) sed in actu exercito. Et ita exponunt D. Thomam omnes Thomistæ. Et quātùm ad hanc partem conueniunt in hac interpretatione reliqui Doctores, vt videre licet in superiùs citatis: & Richardo in 4. dist. 16. art. 1. q. 2. Nauarro de pœnit. d. 6. c. 1. in princ. num. 16. Corduba, qui alios refert lib. 1. Quæstion. q. 1. Aliud aduertēdum est, inter effectionem gratiæ, vt sic, & remissionem culpæ esse aliud discrimen: nam ex vi huius formæ semper & infallibiliter datur gratia per se sufficiēs ad remissionem peccati, ea tantùm existente cōditione, quod in recipiente non sit obex: peccatū autem non semper cum effectu, seu actualiter remittitur, sed subintellecta alia conditione, si in homine sit peccatum, cuius remissio desideretur: & quoad hoc etiam non dicit semper actum, sed aptitudinem. Atq; hoc modo facilè saluatur veritas formæ, & significatio specialis effectus proprij huius formæ, scilicet gratiæ remissiuæ, seu expulsiuæ peccatorum, si adhuc in subiecto inueniatur.

Hugo de S. Vict.

D. Thom.

Richard. Nauarr. Corduba.

Ex vi huius formæ sem per datur gratia ex se sufficiens ad remissionē peccati non tamen semper tollitur peccatum.

21. Remissio pœnæ æternæ non per se, sed cōsecutiuè tollitur.

Atque hinc facilè constat, quo modo per hanc formam significetur remissio pœnæ æternæ, salua eius veritate: ita enim significatur sicut fit: fit autem, non per se, sed quatenus consequitur ad remissionem culpæ: in tantum ergo significatur hic effectus, in quantum in remissione culpæ comprehenditur. Igitur necesse est, vt includat ad minimum eandem conditionem, quam includit remissio culpæ, scilicet, si in homine sit talis reatus, qui remittatur. Quę conditio duplici ex capite deesse potest, scilicet, vel quia peccata, quæ homo confitetur, in re ipsa iam erant ablata, vel quia talia erant, quæ non afferent secum huiusmodi reatum, vt quando sunt tantùm venialia.

22. De remissione pœnæ tēporalis ex vi formæ.

Atque eadem interpretatio ad pœnam temporalē accommodanda est. Quia verò suprà diximus, hoc sacramentum non semper remittere totam pœnam temporalem, dubitare quis potest quomodo hæc forma significet remissionem partis, & non totius, cùm absolutio simpliciter, & sine limitatione proferatur. Dicendum verò est, formam propriè non significare remissionem partis vel totius, sed simpliciter remissionem pœnæ iuxta dispositionem pœnitentis seruata lege iustitiæ à Deo statuta. Et inde fit, vt non semper remittat totam, quia dispositio pœnitentis non est sufficiens ad totum effectum. Dices, Ergo saltem interdum poterit totam remittere. Patet sequela, quia tesi absoluit simplicit ab hac pœna iuxta exigentiam iustitiæ, ergo habentem meliorem dispositionem magis absoluet: ergo tam perfecta poterit esse dispositio vt omninò absoluat. Respondetur cōcedendo sequelam, quia tunc æqualitas seu perfectio talis effectus prouenit in suo genere ex maiori perfectione contritionis: suprà verò tractando de contritione diximus, interdum esse posse adeò perfectam, vt omnē temporalem pœnā remittat; ergo à fortiori idem fieri potest virtute huius sacramenti: ideóque supra non diximus hoc sacramentum numquam remittere totam pœnam, sed non semper. Præterea tractando de sacramentis in genere ostensum est effectum ex opere operato eiusdem sacramenti esse maiorem in eo, qui melius dispositus accedit: ergo etiam hic effectus remissionis pœnæ temporalis est maior in eo, qui est meliùs dispositus: ergo tātus potest esse dolor, vt virtute huius formæ auferatur tota pœna. Non est ergo hic effectus extra obiectum, & virtutem horum verborum, sed maximè consentaneus veritati eorum, & diuinæ iustitię, si ex parte suscipientis sit congrua dispositio.

Responsio.

Sed instabit aliquis: nam sequitur, etiam stante æquali dispositione in duobus confitentibus sua peccata posse contingere, vt vnus absoluatur à tota pœna, & non alius, si nimirum debita eorum non sint æqualia, & vnus habeat, v.g. reatum vt quatuor, & alius vt duo: nam tūc ei, qui est debitor quatuor graduum, remittentur duo: alter verò habens æqualem dispositionem, absoluetur à tota pœna. Responderi potest ex D. Thoma in 4. d. 18. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3. negando sequelam: quia tunc non remittuntur æquales gradus vtrique illorum, sed cum proportione: quia si vni remittitur dimidia pars sui debiti, alteri etiam remittitur dimidia. Hæc verò responsio mihi non probatur, primò, quia illa proportionalitas nulla ratione fundatur, sacramenta enim de se & cæteris partibus simpliciter habent æqualem effectum in subiecto æquè disposito, & capaci illius. Deinde, quia ex ea proportione sequitur, homini minùs remitti, hoc solo, quod minùs peccauit, cùm tamen capax sit æqualis remissionis: quod videtur per se satis absurdum. Præterea, idem debitum potest magis vel minùs remitti propter maiorem vel minorem contritionem, & tanta esse potest contritio vt omninò remittatur debitum, vt dictum est, & ibidem docet D. Thom. ad 4. ergo eadem contritio potest esse adæquata dispositio ad tollendum omninò aliquod debitum, & non ad tollendum maius. Deinde per iteratam confessionem eiusdem peccati cum æquali contritione potest tandē totus reatus pœnæ temporalis auferri, vt in eadem solutione ad 4. D. Thom. docet, ergo eadem contritio est ufficiens dispositio ad tollendum totum reatum remissum, quæ non fuit sufficiens ad intensum. Ad instantiam ergo respondeo concedendo sequelam: neq; video in consequenti aliquod incōueniēs, sed est maximè cōsentaneum rationi, quando pensatis omnibus seruatur vera proportio, & æqualitas inter dispositiones pœnitentium, & id quod remittitur, æquale est, quanuis in vno remissio sit totalis, in altero verò partialis, solùm ex inæqualitate peccatorum, seu reatuum.

23. Potest ex duob. æquè dispositis vni remitti tota pœna non verò alteri. D. Thom.

11.

Interrogatio.

SEC

## SECTIO III.

### *Vtrùm absolutio sacramentalis possit dari personæ absenti.*

HÆc quæstio hactenus disputata est inter Doctores vt dubia & opinabilis ex vtraque parte. Nunc autem Apostolica Sedes aliquid denuò circa illam declarauit: & ideo breuiter ac syncerè referã

1. quæ iam scripseram, & typis mandauerã priùs quàm decretũ Apostolicũ editum, & ad me perlatũ fuisset. Deinde ipsum decretum referam, vt iuxta illud omnibus sentiendum, & loquendum esse pro certo constituam. Distinguere autem oportet duas quæstiones in materiis sacramentorum diuersas. Vna est; an absolutio sic data absenti sit valida. Alia est, an licitè detur. Sæpe enim contingit, formam sacramenti illicitè dari, & nihilominùs validam esse. Priùs ergo dicemus an talis absolutio valida sit, & inde facilè inferemus, quid in hoc negotio facere liceat, de quo etiam expressiùs, & formaliùs loquutus est Summus Pontifex, vt infrà adnotabo.

2. Prima opinio. Palud. Anton. Cõcil Basil. Sylvest. Summa Conf. Margari. Confes. Armil. Tabien. Rainer. Petr. Soto. Dominic. Soto. Turrecr.

Prima ergo opinio fuit, in casu aliquo necessitatis posse, confessionem fieri sacerdoti absenti, & ab eodem absente posse absolutionem dari. Quæ opinio à fortiori supponit, verba absolutionis sufficienter verificari posse circa personam absentem. Præcipui defensores huius opinionis fuerunt ex Thomistis Palud. in quarto dist. decima septima quæstione secunda, artic. primo: Sanctus Anton. 3. part. tit. 14. capit. 19. §. 9. & titul. 17. capit. 12. & capit. 21. §. 3. qui refert in Concilio Basilensi tractatam esse quæstionem, quid faciat sacerdos, qui sine iurisdictione audiuit confessionem, & absoluit pœnitentem, multósque dixisse posse posteà petere iurisdictionem, & absoluere illum vbicunque sit. Eandem opinionem tenet Sylvester verbo, *Confessor*, quæstione decima tertia *Confessio*, tertio in principio, *Confessor*, quarto, §. sexto, & Auctor Summæ Confessorum, quæstione septuagesima sexta, Margarita Confessorum, fol. quinquagesimo tertio, Armilla verb. *Confessio*, numero vigesimo tertio, Tabiena verb. *Confessio*, 2. numer. 4. Raynerius (referens Petrum de Tarantasia in sua Summa, de Confessione) denique Petrus Soto in Institutione Sacerdotum lectio. 11. de Confessione, hanc sententiam dicit posse securè teneri, *quam tenent* (inquit) *plures nostrûm*. Dominicus autem Soto in Relectione de Tegendo secreto, membro tertio, quæstione quarta, cõclus. quinta, dubio quarto, dixit, fortasse hanc opinionem esse veram. Indicat Turrecremata in cap. *Quem pœnitet*, de pœnitent dist. prima, articulo secundo, nam cùm dixisset, non esse necessarium confiteri sacerdoti absenti, subiungit, *Si quis tamen vellet hoc facere* (inquit) *esset opus super erogationis*. Ex aliis Nauarr. in Summa cap. 21. num. 36. & in cap. *Quem pœnitet*. num. quarto, Adrianus in 4. materia de Cõfessione, quæst. 1. Palacios in 4. d. 17. disput. vlt. vbi idem sentit Richardus artic. 2. quæst. 5. Maior q. 1. Alexand. Alens. q. 17. aliàs 77. inclinat etiam Ruard. art. 5. & eam dicit probabilem Rutilius in Speculo Episcoporum, Disp. 31. q. 5.

Nauar. Adrian. Palacios. Richard. Maior. Alens. Ruard. Rutil.

3. Cyprian. Thom. Cãt.

Affertur in primis in fauorem huius sententiæ Cyprianus epist. 13. aliàs lib. 1. epist. 17. vbi significat, se recepisse confessiones aliquorum absentium per scripturam, & quanuis nõ dicat expressè se absoluisse, tamen cũ cõfessio ad absolutionem ordinetur, ne frustrà fieret, rectè videtur inde colligi, post talem cõfessionem absolutionem fuisse subsecutam. Prætereà refertur, vt dicebam, S. Thomam Cantuariensem in carcere detentum, Romam misisse pro absolutione. Et in eum modum aliqui interpretantur historiam, quæ est apud Eusebium lib. 6. ca. 34. aliàs 36. de Serapione ægrotante, qui misit ad presbyterũ etiam ægrotantem, vt eum absolueret, & per aliquem ministrum Eucharistiam mitteret. Refert autem Eusebius misisse Eucharistiam: vnde videtur supponere, etiam absoluisse. Prætereà exemplum suprà adductum ex Conc. Basilensi ostendit, illos Patres fuisse huius sententiæ.

Euseb.

Ratio præcipua est: quia Christus Dominus potuit hoc modo instituere hoc sacramentũ, vt per se notũ est: & ad finem huius sacramenti erat hoc magis consentaneum: quia sæpissimè accidit, vt pœnitens non possit in præsentia conuenire sacerdotem, vel quia vterque grauiter ægrotat, vel quia alter eorum in carcere detinetur, vt nunc accidit frequenter in Prouinciis hæreticorum, vel propter magnam penuriam sacerdotum, vt potest nunc accidere in India, &c. Vnde quoad hoc non est simile de Baptismo, quanuis sit æquè, vel magis necessarius: quia eius minister non est solus sacerdos, sed in necessitate quilibet sufficit, & ideò vbique facilè reperiri potest præsens. Atque ita non potest fingi necessitas moralis, quę videtur interuenire in hoc sacramento: & illa maximè attendi debuit in institutione. Accedit præterea, quòd Baptismus ex parte materiæ requirit præsentiam: quia nõ potest aqua contingere personam multùm distantẽ: at verò sacramentum hoc ex parte materiæ non requirit præsentiam, vt infrà tractabimus: ergo nulla ratio est, cur ex parte formæ postuletur. Patet consequentia: tum quia neque ex generali ratione sacramenti hoc necessarium est, cũ videamus in matrimonio non requiri: neque etiam ex speciali ratione: quia hoc sacramentum perficitur per modum iudicij cui connaturale est, vt possit sententia in absentem proferri. Neque hoc magis repugnat absolutioni, quã accusationi, imò si res moraliter consideretur, magis necessaria videbatur præsentia ad accusationem, vt sacerdos posset examinare pœnitentem, & de eius dispositione integrum iudicium ferre: ergo, si hoc non obstante, potest in necessitate fieri confessio inter absentes, cur non etiam absolutio? Et confirmatur, quia ob hanc causam speciale est huic sacramento, vt possit confessio multo tempore antecedere, & posteà subsequi absolutio, quæ nihilominùs moraliter coniungitur cum præcedenti materia: quia hæc est natura & conditio iudicij: ergo pari ratione poterit absolutio ordinari ad personam distantem. Quod tandem confirmatur: quia hoc non repugnat veritati formæ: tum quia, dirigendo intentionem ad absentem, etiam verè dicere possumus, *Absoluo te*: tum etiam quia, vt ait Palacios, pœnitens fit moraliter præsens per suam confessionem: tum quia loco pronominis, *Te*, possumus proprium nomen pœnitentis ponere, scilicet, *Absoluo Petrum*: & tunc absolutio propriissimè dirigitur ad absentem: ergo.

4. Ratione probatur sententia posita.

Nihilominùs est alia sententia negans sacramentum hoc consummari inter absentes etiamsi extrema necessitas interueniat, & consequenter sacerdotem non posse absoluere, nisi quem præsentem habet. Hæc sententia communiter tribuitur D. Thom. apud quem expressè non inuenio. Nam potiùs in quodam quodlibeto docet confessionem posse fieri per scripturam, quanuis de absolutione id non dicat. Fauet autem huic sententiæ in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 3. quatenus dicit, in extrema necessitate vtiliùs esse cõfiteri laico præsenti, quàm sacerdoti absenti: quod nõ esset verùm, si sacerdos absens posset sacramentaliter absoluere. Eandem opinionem tenet Scotus ibi. Fundantur autem in hoc, quòd confessio debet esse secreta: inter absente autem non potest secretè fieri

5. Secunda sententia. D. Thom. Scotus.

fieri. Quod fundamentum nullius momenti est: tum quia illa conditio secreti non est essentialis: vnde ex sententia omnium potest confessio fieri per interpretem: vt autem fiat inter absentes, vnius etiam internuncius sufficere potest: tum etiam, quia licèt præcesserit confessio secreta inter præsentes, si ex aliqua causa non fuit subsequuta absolutio, adhuc manet quæstio, an ipsa absolutio possit dari absenti. Citantur etiam pro hac opinione Richardus, Maior, & Alensis, adducti in priori sententia. Sed illi nihil apertè dicũt, sed solùm aiunt, non teneri quempiam confiteri absenti: in quo potiùs indicant posse. Deniq; in aliis antiquis Scholasticis ferè nihil de hac re expressum inuenitur.

6. Caiet. Victoria. Soto. Ledesma. Cano. Rutilius.

Moderni autem Thomistæ defendũt hanc sentẽtiam, Caietanus in Summ. verb. *Confessio*, conditione 11. Victoria in summa 4. materia de cõfessione, num. 171. Soto in 4. d. 18. quæst. 2. artic. 6. Ledesma 2. p. 4. quæst. 9. artic. 3. dub. 1. Cano Relect. de Pœnit. p. 5. licèt dicat hoc non colligi ex verbis formæ. Rutilius etiam suprà ait, hanc partẽ probabiliorẽ & tutiorem esse. Ideoq; ex scriptoribus nostris ea sequuti sunt Card. Tol. li. 3. Instruct. Sacerd. c. 6. Greg. de Valen. 3. p. disp. 7. q. 11. punct. 1. cir. fi. Emanuel Saà in Sum. verb. *Absolutio*, n. 10. & verb. *Confessio*, nn. 14 in impressionibus anni 600. & 601. quas solas videre potui, insinuat Emondus Augerius in Catechismo, c. 4. lect. 7. & nostri Lectores communiter. Quidam sumunt fundamentum ex parte materiæ, & ex notitia moraliter certa, quam Confessor habere debet de statu pœnitentis, vt illum absoluat. Alij fundantur in generali ratione quòd forma sacramenti non potest operari circa rẽ absentem. Vel etiam quia non potest confessori cõstare, an persona absens mutauerit voluntatẽ, vel iterũ de nouo peccauerit, postquàm confessionem ad eũ misit. Sed hæ coniecturæ ab aliis dissoluuntur, partim exemplo matrimonij, quod inter absentes perficitur, & suum habet gratiæ effectum: partim in hoc ipso sacramento: quod fit per interpretem: fortiùs ergo confirmanda, & persuadenda est hæc opinio.

## *Hanc formam non posse in ordine ad personam absentem validè proferri.*

7. Hanc igitur posteriorem sententiã verã censeo, quã anno 1588. Cõpluti publicè docui, & iterũ in Primaria lectione huius insignis Academiæ Conimbricensis anno 1598. nimirum significationẽ huius formæ propriè, & in rigore non verificari in ordine ad personam absentem; & ideò respectu illius nec perficere sacramentum, nec suum effectum operari. Moueor in primis: quia video huiusmodi sententiam secundùm præsentem Ecclesiæ statũ, & sensum, magis probari communiter sapientibus, & prudentibus hominibus. Deinde, ex non vsu Ecclesiæ sumitur in his materiis argumentum non parum efficax: nam quod in vsu, vel administratione alicuius sacramenti Ecclesia nũc non facit, neq; aliquãdo fecisse legimus, signum est fieri non posse: quia ferè omnia, quæ ad sacramenta spectant, licèt in Scriptura fundata sint, præcipuè firmantur, & declarantur vsu, & traditione Ecclesiæ: sed huiusmodi est res de qua agimus: nullo enim exemplo ostendi potest, sacerdotem aliquando sacramentaliter absoluisse pœnitentem absentem.

8. Historiæ de D. Thom. Cantuar. respondetur. Loco Cypriani satisfit.

Nam quod de Thoma Cantuariensi Scotus refert, in primis nescimus ex qua historia sumptum sit, neq; enim ipse refert, nec ego inuenio. Deinde per absolutionem ibi optimè intelligimus indulgentiam aliquã plenariam; & pontificam benedictionem, pro qua fortasse Thomas Romam misit: vel fortè etiam pro absolutione à quacumque censura, quæ ad cautelam sæpe peti, & dari solet, etiãsi nõ agnoscatur. Rursus locus Cypriani potiùs posset in contrarium induci: nam receptis libellis Confessorum, qui absentes erant, nõ dicit se absoluisse illos, sed cõmisisse, vt aliquis presbiter ex his qui præsentes aderant, pacem eis daret: vbi omninò videtur requirere præsentiam. Tamen, dum negotium illud committit Diacono, dicẽs, vt si presbyter non adesset, Diaconus id faceret, argumentũ est, non loqui de absolutione sacramentali, sed de aliqua reconciliatione ad publicam pœnitentiam pertinente, vt infrà suo loco iterum dicemus. Ex quo à fortiori potest induci argumentum: nam si illam reconciliationẽ cõmisit ministro præsenti, quãtò magis sacramẽtalẽ? Et fere idẽ respõderi potest ad factũ Serapionis apud Eusebiũ: nã ille etiã erat veluti in statu pœnitentiũ, quoniã corã Tyráno propter metũ fidẽ negauerat. Quanquàm in eo loco nulla fit mentio absolutionis, sed tantùm communionis Eucharistię: nullum ergo vestigium illius vsus est in tota antiquitate.

Respõdetur Eusebio de facto Serapionis.

Solet autẽ afferri & obiici c. *Qualis*. 30. q. 5. vbi dicitur cõfessionẽ quãdã susciendã esse per scriptũ. Tamen textus ille non est ad rem: primò, quia nõ agitur de absolutione, sed de confessione: deinde, quia illud scriptũ non postulatur propter absentiam iudicis, sed propter maiorẽ fidẽ, & certitudinẽ. Vnde est mihi eui dens ibi nõ esse sermonẽ de absolutione sacramẽtali, sed de alia iudiciali. Denique, quod aliqui dicunt, hũc modũ cõfessionis esse in vsu inter Catholicos viuentes in terris hæreticorũ, quãdo oppressi persecutione, non possunt aliter confiteri: hoc, inquam, mihi non cõstat, & quomodo saluari possit, inferiùs dicam, absolutè verò non confirmat veritatem alterius sentẽtiæ secundùm se, seu in re ipsa: quia fortè si talis vsus nunc inuenitur, ipsemet ex opinione processit.

9. Respõderur ad c. Qualis 30. q. 5.

10. Ex verbis formæ probatur cõclusio.

Secundò præcipuè fundatur hæc sententia in verbis formæ, quæ in rigore diriguntur ad personam præsentem. Primò ex generali ratione sermonis vocalis: ostẽdimus enim suprà esse de ratione huius formæ, vt humana voce proferatur, & alioqui talis est forma, vt sit sermo ad aliã personã, at verò locutio, humana voce prolata, natura sua ordinatur ad personã præsentẽ: ergo signũ est, formã huius sacramenti sub ea ratione, & cõditione esse institutã. Deinde hoc cõfirmat illa particula, *Te*, nã voce prolata, dirigitur tantùm ad personã præsentẽ. Simili enim argumẽto docent Theologi, sacerdotẽ non posse consecrare panẽ absentẽ, quia illud signũ *Hoc*, in forma contentũ, ex vi suæ significationis indicat rem præsentẽ. Vnde etiam cõcludũt, si in illa forma mutetur signũ illud in aliud, quòd dirigatur ad rẽ absentẽ, vt est, *Illud* mutationem esse substantialem, & ideò nihil fieri. Ergo simili modo in præsenti, vt maneat virtus huius formę, non potest illa particula ita mutari, quin præsẽtia requiratur. Nã in formis sacramentorũ obseruãda est præcipuè significatio illius formę, quę est in cõmuni vsu Ecclesiæ, quam, scilicet, ipsa Ecclesia vt essentialẽ amplexa est: nã ex illa sumendus est sensus essentialis formæ. Vnde si fiat mutatio, & ille sensus nõ retineatur, substantia sacramenti mutatur, & nihil fit. In præsenti ergo ex vsu Ecclesiæ, & expressa definitione Conciliorũ habemus hãc formã, *Ego te absoluo*, vt essentialẽ, & illa requirit præsentiam ex vi suæ significationis: ergo signũ est, hãc præsentiã esse de necessitate sacramẽti, & nullã formã, quæ illã excludat, posse esse sufficiẽtẽ.

11. Euasio ratio nis.

Dicere quis posset verũ quidẽ esse verba hæc debere proferri in præsentia pœnitentis, tamẽ posse hoc fieri per interpositam personã, cui sacerdos cõmittat, vt suo loco & nomine verba absolutionis proferat in præsentia pœnitentis. Tamen hic modus est omninò falsus, & improbabilis: quia actio sacramentalis, præsertim illa, quę est à ministro consecrato, & specialiter deputato ad illã præstandã, est actio merè perso-

na

Præcluditur

nalis,& non delegabilis,ideò enim ad illam cõsecratur minister: quia per se debet illam exercere, alias pari ratione posset sacerdos consecrare per aliũ committendo illi vices suas. Confirmatur, & declaratur: nã vel illa interposita persona deberet esse sacerdos, vel laicus: sufficere hoc secundũ improbabile est: quia actus characteris sacerdotalis non potest committi laico, alias pari ratione posset etiam illi committi vt confessionem audiret, & per se totum sacramentum perficeret in persona alterius, v.g. Summi Pontificis. Quod si dicatur primum, ille sacerdos absoluere poterit per se audita confessione: nam, si est casus extremæ necessitatis, habebit iurisdictionem: si verò non audiat confessionem, non potest absoluere: quia non potest proferre verba absolutionis tamquàm referens sententiam ab alio datam (hoc enim & est impertinens, & per laicum fieri posset) sed tamquam iudicans: nõ potest autẽ iudicare, causa inaudita.

12. Probatur cõclusio argumento de sumpto ex parte materiæ proximæ.

Tertiò potest induci probabiliter ratio illa, quæ desumitur ex parte materiæ proximæ. Quia cùm hoc sacramentum institutum sit per modum iudicij ante absolutionem requirit perfectam causę cognitionem, & cum sit iudicium internum, & voluntarium, in quo sola persona pœnitentis habet vicem accusatoris testis, & rei se aliquo modo defendentis, & ostendentis dispositionem suam, per se, & ex natura rei postulat præsentiam iudicis: quia in absentia non potest vllo modo huiusmodi notitiam causæ cõparare. Quæ quidem ratio conuincit hanc præsentiam per se loquendo, esse necessariam. Tamen de casu extraordinario, & extremæ necessitatis non videtur conuincere; tum quia etiam integritas confessionis propter dictam rationem est per se necessaria, & tamen in extrema necessitate non est ita necessaria: tum etiam, quia in aliis casibus reuerà non potest confessor perfectè examinare causam, vt quando pœnitens iam non intelligit, vel quando confessio fit per interpretem. Nihilominùs tamen dici potest, aliud esse loqui de conditione requisita ex parte iudicis, aliud de facultate, seu possibilitate pœnitentis: hoc enim iudicium primò, & per se institutum est à Christo Domino ex parte iudicis, dando illi potestatem ad remittenda peccata: vnde ex parte illius etiam designauit modum & signum, quo vti debet ad remittenda peccata, & pari etiam modo determinauit cõditionem necessariam ex parte ipsius iudicis ad talem causam definiendam, quæ quidẽ est præsentia eius. At verò ex parte pœnitentis requisita est confessio, veluti consecutione quadam: quia non poterat iudex ferre iudiciũ non cognita causa: & ideò ex parte pœnitentis nõ est omninò definitus modus, aut signum ad confessionem necessarium, sed solùm, vt suam conscientiam aperiat integrè, prout moraliter potuerit. Ac proinde, maior determinatio requiritur ex parte formæ, & consequenter maior præsentia ex parte sacerdotis absoluentis, seu examinantis causam, quam ex parte pœnitẽtis. Ideóq; nõ sunt similia alia exẽpla, quæ afferuntur: nã omnia illa sumũtur ex parte pœnitentis, & supponunt aliquam impotentiã eius.

40. Ab incõmodis cõfirmatur cõclusio.

Et confirmatur vltimò ab incommodis, quæ simul etiam declarant congruentiam huius institutionis, quia alias sequitur confessionem, & absolutionem, factas nunc inter personas absentes, quoad substãtiam & essentiam validas esse, nulla etiam necessitate interueniente: consequens est absurdũ: ergo. Sequela probatur: quia essentia sacramenti semper est eadem: ergo, si absolutio essentialiter non requirit præsentiã; quacunque ratione feratur in absentem etiam sine necessitate, valida erit, & efficax. Respondeti potest, ex parte absolutionis verũ quidem esse, id enim conuincit argumentũ: tamen peccari mortaliter, si ita fiat, & ex hac parte deesse in ipso pœnitente attritionẽ ne-

A cessariam in hoc sacramẽto ex defectu materiæ, quod est peculiare in illo, vt infrà dicam. Sed contrà: nam fieri potest vt pœnitens excusetur à culpa per bonã fidẽ, putans se illo modo ritè confiteri. Vnde fit, sacerdotẽ posse decipere pœnitentem, vt hoc modo illi cõfiteatur, etiamsi absens sit, & tunc validæ essent cõfessiones, & absolutiones: quia malitia ministri non potest impedire essentiam vel effectum sacramenti, dũmodò habeat intentionem conficiendi illud: ex parte autẽ pœnitentis excusatur malitia, seu indispositio per bonam fidẽ, ergo nihil potest impedire veritatẽ illius formæ. Ad tollendũ ergo hoc incõmodũ, & multa alia, quæ ex eo sequi possent, cõuenientius fuit, institutionem esse stabilem, & firmam, quod absolutio daretur in præsentia, & non admitti exceptiones propter raros euentus cum maiori incommodo ipsius sa-
ß cramenti. Præsertim cùm eius necessitas tanta non sit, quin possit per votũ in contritione inclusum suppleri. Quãta verò esse debeat hæc præsentia vel propinquitas inter pœnitentem, & confessorem, morali & prudenti iudicio pensandum est, sicut in genere de sacramentis, & in simili quæstione de Eucharistia latiùs dictum est. Illa ergo propinquitas, quæ sufficit ad sensibilẽ designationẽ, & locutionẽ cum alio, ad huiusmodi formam validè, & efficaciter conferendã satis erit; nam, cum ratio huius præsentiæ præcipuè fundetur in forma, ex illa etiam colligendus est modus eius.

14. Fundamẽtis cõtrariæ sententiæ fit satis.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ satisfactum sufficienter est: negamus enim talem fuisse Christi institutionem vnde enim id ostendi potest: cùm nec scripta sit, nec tradita, sed potiùs Ecclesiæ consuetu-
C do contrarium ostendat? Negamus deinde illum modum institutionis fuisse magis congruentem: multis enim rationibus & coniecturis oppositum ostensũ est. Denique ad vsum, qui referebatur, præterquàm quod est incertus, licèt esset certus, non faceret fidem, cùm paucorum sit, qui potuerunt decipi, Theologorum, quos citauimus, auctoritate, & ita practicè excusari, in posterum autem iam non poterunt, vt dicam.

15. Quæ censura digna sit, prior opinio.

Tandẽ etenim quæri potest quã censuram cõtraria opinio mereatur. Respondeo; hactenus ego non audebam aliam inferre, præter eam quæ ex assertione sumitur (scilicet esse falsam) idq; præcipuè propter auctoritatem Thomistarũ antiquorum. Nũc autem verbis S.D.N. Clementis VIII. respondendum est. Ille enim auctoritate sua illi opinioni sequentem censurã apposuit speciali declaratione ad hoc facta die XIX. Iulij, his verbis, S.D.N. &c. *Re maturè, ac diligenter consideratа, hãc propositionem, scilicet licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter cõfiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs vti falsam, temerariã, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcipitq; ne deinceps ista propositio publicis, priuatisve lectionibus, cõcionibus, & cõgressibus doceatur, néve vnquã tanquã aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.* Et adiungit excommunicationẽ ipso facto incurrendã, & sibi
D reseruatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas à iudicibus iniungendas.

16.

In quo decreto directè solùm videtur Põtifex prohibere dicere, aut docere licitũ esse absentẽ absoluere in aliquo casu, vel id facere: an verò, si fiat, factum teneat, non declarare. Credo tamen mentem eius fuisse
E hoc etiã declarare, & contrariũ in eodẽ gradu damnare: tũ quia in hoc sacramento hæc duo per se nõ separantur: tũ etiã quia hic erat cardo cõtrouersiæ: nã si ex se nõ licet, ideo est quia sacramentum non potest ita perfici. Quapropter neutrum licet iã opinari: neq; illa opinione in praxi vti, etiamsi fingatur quicunq; casus extremæ necessitatis, maximè propter hanc prohibitionem Pontificis: nã ita illã restringit illis verbis, *Ne-*

*que vnquàm tanquam aliquo casu probabilis defendatur.* Quod fuit valdè conueniens,ne vniuscuiusque arbitrio relinqueretur fingere casum necessitatis ad vtendum alia opinione tanquam probabili. Est igitur iam dicta sententia certa,in gradu à Pontifice definito.

## DISPVTATIO XX.

### *De interiori dolore ad substantiam, & effectum huius sacramenti necessario.*

INTER materiales partes huius sacramenti primum locũ tenet contritio. Estque peculiare in hoc sacramento, vt hæc pars materialis sit dispositio ad effectum eius:& ideò sub vtraque ratione est nobis considerãda,suppositis quæ de actu doloris in ratione virtutis suprà tractauimus,Quanuis autem prior sit substãtia sacramenti,quàm effectus, tamen vt à notioribus procedam,incipiam ab effectu.

## SECTIO I.

### *Vtrùm contritio sit necessaria ad effectum huius sacramenti.*

1. Quorundã sententia.

QVorundã sentẽtia fuit, nullã formalẽ pœnitẽtiã requiri ad hũc effectũ,sedsuffice re voluntatẽ cõfitẽdi,& recipiendi absolutionẽ, dumodò pœnitẽs nullũ actũ habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhæreat:nã ipsa volũtas cõfitẽdi est quædã virtualis pœnitẽtia:quia est volũtas abiiciẽdi peccatũ & recuperãdi diuinã gratiã.Ita sẽtit Syl. ver.*Cõfes.*1.q.21.& tribuit Sot.qui in 4.d.14.q.4.a.3.id clarè affirmauit de Baptismo de pœnitentia verò solũ ait,quòd *licèt homo accedat parũ attritus, iustificabitur.*

Sylueſt. Soto. C

2. Improbatur Conc.Trid.

Hæc verò sẽtẽtia improbabilis est,& hoc tẽpore etiã temeraria:nã præterquam quòd repugnat omnib.aliis Theologis,& Doctoribus, vt referam,apertè videtur damnata in Conc.Trid.Nã sess.6.c.7. & 14. requirit ad remissionẽ peccati propriũ dolorẽ pœnitẽtis, etiã cũ sacramento:& ses.14.c.4.cõcludit,*Ecclesiã numquã docuisse,aut sensisse sacramentũ hoc dare gratiã sine proprio motu pœnitẽtis.*Et fundamentũ sumendũ est ex his,quę suprà dixi de necessitate interioris pœnitentiæ : nã illa necessitas non est ablata in lege noua, cũ in illa etiam prædicata sit,& ad Baptismum etiam requisita, vt latè probaui saperiori tom.disp.28.sect.1. Nec verò satis est,vt quidã aiunt,quòd pœnitens displidentiã habeat quòd de peccato non dolet.Quod significauit Palud. d.17.q.1.ar.5.& Nau.in Sum.c.21.n.1.& c.10.nume.4. quia,si illa displicẽtia est efficax,non erit sola,sed secũ afferet dolorẽ de peccato;si verò solùm sit quædã vel leitas,non sufficit ad mutandã voluntatẽ & cõsequenter neque ad veram pœnitẽtiam.Quòd si fortassè homo sit attritus,& habeat illam displicentiam: quia nõ est contritus,dispositio, vt dicemus,erit sufficiens ratione attritionis, velleitas autem illa parum conferet.

Non sufficit displicentia negatiua peccati ad sacramentũ recipiendũ, sed positiua. Palud. Nauar. D

### *Qualis & quanta esse debeat formalis pœnitentia peccati ad sacramenti effectum.*

3. HOc ergo fundamento suppositio, videlicet aliquem actum formalis pœnitentiæ esse necessarium ad effectum eius sacramenti, grauis difficultas est, qualis & quanta esse debeat hæc pœnitentia. In qua difficultate plures sunt Theologorum sententiæ. Prima requirit verum, & perfectum motum contritionis.Quæ duobus modis asseritur. Primus est hunc motum ita esse necessarium,vt si in re ipsa non habeatur,etiamsi pœnitens bona fide accedat,putans se esse contritum, nihilominùs non iustificetur, quanuis in eius susceptione non peccet. Hanc opinionem tenent Magister sentent. Hugo, & Richardus de S. Victore,Alensis,& Bonauentura,quos suprà disputatio. 13.citaui.Qui negant potestatem clauium extendi ad remissionem culpæ mortalis. Maximè verò defendit hanc sententiam Gabriel in 4. d. 14. q. 2.not.2.& art. 2.& d.18.q.2.art.2.& Maior eisdem locis,supplementum Gabriel d.23.quæst.2.artic.2.Medina tract. 2. de Confess.fict.iter.& q.de effectu absolut. Adrianus q. 1.de Cõfessione licèt quodlib.5.art.3.dubius sit.Petr. Soto lect.7.de Pœnit.& 4.de Confessione.

Prima sententia. E

Magist. 4.d. 13 & ib. Bonau.a.2. q.1. Hug.de S. Victor. in Sum. sentent.tractat. 5.c. 11. Richard. de S.Vict trac. de potest. soluend. & ligand. c. 12.Alex. Alens 4 p.q. 21.memb.1. & 2.aliàs q. 77.memb.5. art.7. Altisiodor. lib.4.Sum.a. 6 cap. 8. Abulens. in 1.p.sui Defensorij.c.6. Gabr. Maior. Supplem. Gabriel. Medina. Adrian. Petr. Soto.

Fundamentum est,quia contritio,ex lege connaturali gratiæ, est medium necessarium ad salutem,vt suprà tractando de virtute pœnitentiæ ostensum est:lex autem gratiæ non destruit naturam, sed perficit : non ergo abstulit medium necessarium : ergo, etiam post institutum sacramentum pœnitentiæ, non potest auferri peccatum, sine vera contritione. Et explico vim rationis hoc modo,quia non obstãte institutione huius sacramenti, pœnitentia interior est necessaria ad remissionem peccati, quod non aliunde colligimus, nisi quia Scriptura sacra hanc pœnitentiam postulat, vt necessariam:sed pœnitẽtia interior,quam Scriptura petit, est vera contritio, tum quia attritio nunquàm per se fuit necessaria, vt suprà dixi : tum etiam, quia Scriptura,cùm necessitatem pœnitentiæ prædicat,loquitur independenter ab hoc sacramento. Deniq; requirit perfectam cordis conuersionem : ergo necessitas huius pœnitentiæ perfectæ manet etiam post institutum hoc sacramentum.Et confirmari hoc potest, nam qui semel peccauit mortaliter, dilexit creaturam plusquàm Deum:ergo donec eius voluntas ita mutetur,vt diligat Deum plusquàm creaturam,semper manet moraliter in eodem affectu priori: ergo manet incapax gratiæ,non enim potest iustificari qui moraliter plus diligit creaturam quàm creatorem.Et hic possent offerri testimonia Patrũ dicẽtiũ sine charitate neminẽ iustificari,quæ suprà suo loco adduxi,& habẽtur multa de pœn.d.2.apud Gratianum.

B

5. Secũda sententia.

Secunda sẽtẽtia principalis est,contritionem quidẽ per se esse necessariã, vt licitè recipiatur hoc sacramentum,& consequenter etiam ad effectum eius : nihilominùs tamen aliquando posse sufficere ad effectũ huius sacramenti solam attritionem præuiam ex parte pœnitentis ad confessionem accedentis:non quia hoc sacramentum iustificet huiusmodi hominem manente in illo sola attritione, sed perficiendo in illo ipsum interiorem motum pœnitentię,excitando & faciendo vt ex attritione transeat in contritionem, siue perficiendo eundem actum, siue efficiendo, vt homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum. Et hoc modo aliqui Auctores tribuunt huic sacramento efficaciam faciendi hominem ex attrito contritum, per immutationem ipsius actus attritionis. Ita sentiunt Henric. quodlib.1.quæst.32.Caietanus suprà quæst.84. art. 3. Ferrar.4.contra Gent.ca.72.& idem videtur sensisse Adrian. quæst. 1. de pœnit. art.2. in fine licèt quodli. 5.art.2.Dubius sit:inclinat etiam Petrus Soto lect. 8. de confessione.

Henric. Caietan. Ferrar. Vdrian. Petr.Soto.

6. Vide Rich. in 4.d. 22.a. 2.q.1.in corpore & ad 2.Capreol. in 4.d. 17.q. vlt.a.3 in fi.

Hæc sententia duobus principiis niti videtur.Primũ est,hominem in peccato mortali existentem nunquã iustificari sine vera contritione : quod probari potest argumẽtis primæ sentẽtiæ,& aliis etiã,quibus probari solet ab aliquibus hominẽ nõ posse iustificari, etiã de potentia absoluta,sine interiori motu pœnitentiæ, vel amoris Dei,nam illa,vel nihil probant, vel cõcludunt necessarium esse motum cõtritionis, vel amoris super omnia.Secundum principium est, hoc sacramentum posse hominem efficere ex attrito contritum : quod nunc supponimus vt certum, infrà verò probabitur. Ex his enim euidenter sequitur, non posse aliter hoc efficere,

efficere, quàm immutãdo attritionem in contritionẽ, quia nõ potest id facere per solã extrinsecã informationem gratiæ iuxta prius fundamentum: non superest autem alius modus quo id fieri possit. Deinde, hic modus est possibilis, non enim inuoluit contradictionem: est etiam valdè perfectus, nam exaggerat efficaciam sacramenti, nam supplet in homine defectum eius, supplet autem illum modo perfecto, efficitque iustificationem modo illi connaturali, & aliunde non fouet hominum negligentiam in procuranda vera contritione, nam potiùs ab eis requirit vt quantùm in ipsis est, ad hoc maximè attendant in ipsa actuali susceptione sacramenti, ne prædictus effectus eius impediatur, ergo.

7. Tertia sententia.

Tertia sententia principalis est, esse quidem necessariam contritionem, per se loquendo, ideóque semper esse necessarium, vt homo bona fide accedat, putans se esse contritum, ad hoc saltem, vt excusetur ab actuali peccato, quod committeret, si sciens, & videns in statu peccati mortalis, ad recipiendum sacramentum accederet, existente autem hac bona fide, accidere posse, vt homo cum sola attritione in re ipsa existente, & durante iustificetur, atque ita fiat ex attrito contritus, non per mutationem ipsius actus, sed per solam habituum infusionem. Iuxta hanc ergo sententiam sola attritio in re est sufficiens dispositio ad effectum sacramenti, homo verò ipse habet præceptum accedendi cum contritione. Hanc opinionem tenuit Victoria in relect. de Potestate Ecclesiæ, q. 2. Victoria. Soto. Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 15. & in 4. d. 18. q. 3. art. 2. in fine, vbi in hoc constituit differentiam inter sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, cuius nullam sufficientem rationem assignat, vel assignare potest. Tenuit etiam Ledesma 2. p. 4 q. 20. art. 1. Vega lib. 13. in Tridentinum, c. 34. ad 3. obiectionem. Corduba lib. 1. q. Theolog. q. 2. opin. 3. in 2. puncto illius, & opin. 4. qui benè declarat, quacunque ratione homo excusetur ab actuali peccato, siue per ignorantiam facti, vt quia putat se esse contritum, vel per ignorantiam iuris, vt quia inuincibiliter credit se licitè accedere cum sola attritione, consequi effectum sacramenti. Atque hoc fortè sensit Nauarr. in Summa, c. 1. nu. 30. vbi quoad hoc sequitur opinionem Soti: statim verò n. 42. ita eam explicat, vt dicat, attritionem solam non sufficere cum sacramento ad iustificationem, nisi *vel putetur esse contritio, vel saltem futura talis, munita calore absolutionis sacramentalis*: quod ampliùs non declarat: & potest explicari iuxta secundam sententiam, vel etiam iuxta interpretationem Cordubæ, nimirum, quòd requiratur attritio cum probabili existimatione, quòd illa sufficiat ad consequendam iustificationem per sacramentum. Quod quidem in re verum est, non tamen iuxta mentem horum Auctorum, vt explicabimus.

Ledesma. Vega. Corduba. Nauar.

8. Vide Durãdum d. 17. q. 13. nu. 5. Bonau. 2. p. d. 15. ar. 2. q. 4. & Richard. a. 1. q. 8. ad 5.

Fundamentum huius sententiæ est, quia in primis conuenit cum præcedenti, hoc sacramentum facere aliquando ex attrito contritum: negat autem hoc facere per intrinsecam mutationem actus, propter ea, quæ posteà afferemus. Aliunde verò supponit, teneri hominem ex præcepto accedere contritum ad hoc sacramentum suscipiendum: quod potest esse, vel ex naturali præcepto contritionis, quod non est sublatum per institutionem huius sacramenti, saltem per se loquendo: vel ex naturali præcepto, quo tenemur sanctasanctè tractare: ac propterea non accedere sciẽter ad sacramentum suscipiendum in statu peccati mortalis: vel denique ex speciali præcepto pertinẽte ad hoc sacramentum, quia in eo debet fieri accusatio exterior quæ procedat ab interiori proportionata: sed exterior confessio debet esse de peccato, quatenus offensa Dei est: ergo per se requirit interiorem dolorem de peccato, quatenus offensa Dei est, ergo, per se loquendo requirit contritionem ex proprio, & speciali præcepto. Et ideò, qui sciens & videns sine illa confitetur, indignè confitetur, & eo ipso grauiter peccat: ideóque non potest effectum sacramenti cõsequi: si autem, propter ignorantiam à peccato excusetur, iam non ponit obicem sacramento, ideoque obtinebit effectum.

9. Quarta sententia. D. Tho.

Quarta sententia est, vt hoc sacramentũ conferat effectũ suum, sufficere veram, & integrã attritionem peccatorum, siue illa cognita sit, siue non. Ita tenet D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 5. q. 1. & d. 18. q. 1. art. 3. q. 1. vbi in hoc æquiparat hoc sacramẽtum Baptismo, & d. 22. q. 2. art. 1. q. 3. & d. 24. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. & Opusc. 22. c. 2. ad 7. & expresè in 3. p. q. 80. ar. 4. ad 2. vbi constituit discrimen inter Baptismum, & pœnitentiam ex vna parte, & Eucharistiam ex alia: *nam Baptismus, & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: Eucharistia verò est medicina confortatiua, quæ non datur, nisi liberatis à peccato.* In quo planè sentit, pœnitentem esse absoluendum, etiamsi constet nondum esse liberatum à peccato, dummodò sit sufficienter attritus. Idem sentit Scotus in 4. d. 14. q. 4. ar. 3. dum ait quòd, licèt pœnitens accedat parum attritus, iustificatur vi sacramẽti. Clariùs tenet hanc sententiam Palud. in 4. d. 19. q. 1. art. 2. & d. 17. q. 8. vbi idem sentit Capreolus art. 3. ad 4. Durandi. Adrianus materia de Confess. q. 5. sub. 5. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 5. Syluest. verb. *Confessio.* 1. q. 21. & *Contritio.* 1. q. 1. Ruardus art. 3. non longè à principio, & Cano Relect. de Pœnit. p. 5. ad 2. Atque hanc sententiam omninò veram esse censeo: est tamen per partes explicanda, & confirmanda.

Scot. Palud. Capreol. Adrian. Anton. Sylvest. Ruard. Cano.

---

## *Hoc sacramentum iustificare hominem solùm attritum, & illum contritum reddere. Prima Conclusio.*

10. Dico ergo primò. Sacramentum hoc habet virtutem ad iustificandum peccatorem per solam veram, supernaturalem, & integram attritionem dispositum: & in hoc sensu efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc conclusionem existimo hoc tempore adeò certã, vt non possit absque errore negari, loquendo, vt loquimur, absolutè de efficacia, abstrahendo à modo quo id fit. Et probatur primò ex Concilio Trident. sess. 14. c. 4. vbi de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, declarat. *Quamuis sine sacramento pœnitentiæ, per se perducere peccatorem ad iustificationem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento impetrandam, disponere.* in quibus verbis obseruandum est, Concilium loqui de dispositione vltima per se sufficiente cum sacramento. Quod probari potest primò ex phrasi locutionis. Simili enim modo dixerat idem Concilium paulò superiùs in eodem capite, *Contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum*, cùm tamen constet fuisse necessariam, vt dispositionem vltimam. Secundò probatur, quia, si esset sermo de dispositione remota, etiam extra sacramentum disponit attritio ad impetrandam Dei gratiam. Concilium autem expressè dicit, aliter disponere intra sacramentum, quàm extra: ergo intelligit respectu sacramenti non esse solùm remotam, sed proximam, seu vltimam dispositionem. Imò, cùm Concilium ait, attritionem per se ad iustificationem non sufficere, & subdit, in sacramento disponere ad impetrandam gratiam, planè intelligit per se in ratione Conc. Trid.

dispo

dispositionis sufficere respectu sacramenti : ergo è A contratio debet etiam Concilium, habere hoc sacramentum efficaciam ad dandam gratiam sanctificantem ( de hac enim loquitur ) atque adeo ad iustificandum peccatorem per solam attritionem dispositum.

11. Probatur conclusio ex fine & institutione sacramenti.

Secundò hoc probatur ex fine, & institutione huius sacramenti: est enim per se institutum ad suscitandos homines baptizatos à morte peccati, & ideò dicitur sacramentum mortuorum, sicut Baptismus : ergo accepit vim ex institutione ad conferendam gratiam, primam, & expellendum peccatum mortale: alioqui nec esset medium proportionatum fini, nec recepisset virtutem illi accommodatam: ergo ad suam efficaciam, & actionem non requirit necessariò, quòd peccatum sit iam expulsum. Alioqui nunquam posset facere effectum propter quem institutum est : vana autem esset medicina instituta ad tollendum morbum, quæ non posset illum auferre, si non supponeret illum ablatum : ergo sacramentum hoc ad suam actionem non postulat contritionem, vt necessariam dispositionem præuiam, alioqui supponeret semper, ac necessariò peccatum ablatum : ergo sufficit hoc sacramentum cum sola attritione ad gratiam dãdam, & peccatum expellendum. Atque hoc etiam confirmant, quæ suprà dicta sunt de potestate clauium ad remittenda peccata. Ostendimus enim, potestatem hanc talem esse, vt se extendat ad culpam tollendam, vt verba Christi præ se ferunt: quod non esset verum, si actio huius potestatis supponeret semper peccata remissa per contritionem. B

12. Præcluditur euasio. Euasio alia impugnatur.

Nec enim satis est dicere, contritionem includere ordinem ad actum huius potestatis, & per hunc actũ, quasi consummari priorem effectũ remissionis peccati collatæ per contritionem, & hoc. modo operari illam potestatem ad remissionem ipsius culpæ. Hoc enim sufficienter refellitur ex dictis suprà de sensu & efficacia formæ huius sacramenti : quia illud reuerà non esset remittere peccatum, neque absoluere à culpa, si sacramẽtum non haberet actionem aliquam de se expulsiuam, culpæ sed esset tantùm vel declarare absolutum, vel absoluere solùm ab obligatione confitendi. Nec etiam satisfacit, quod alij dicunt, contritionem ipsam esse partem sacramenti, & in voto eius remittere culpam, & hoc satis esse, vt sacramentum sit institutum ad hunc effectum, quanuis non conferatur vnquàm sine ipsa contritione. Præsertim, quia possunt aliquando contritio, & absolutio simul concurrere, & tunc etiam absolutio per seipsam operabitur ad remissionem peccati. Hoc, inquam, non satisfacit, nam, vt Concilium Tridentinum dixit, præcipua vis huius sacramenti in verbis formæ posita est vnde, antequàm illa proferatur, non confertur effectus huius sacramenti ex opere operato : quod etiã in cæteris sacramentis videre licet. Vnde contritio, prout antecedit hoc sacramentum, & iustificare dicitur in voto sacramenti, non confert ad remissionem peccati ex opere operato, & virtute clauium, sed ex dispositione operantis, sicut ante institutionem huius sacramenti iustificabat: ergo ex hoc nõ soluatur, quòd peccatum ipsum remittatur virtute clauium. Deinde parum refert, quòd contritio, & absolutio possint simul concurrere, tum, quia illud est rarissimum, & moraliter vix potest contingere, tum etiam, quia, si talis contritio supponitur saltem ordine naturæ ad efficaciam ipsius sacramenti tanquàm dispositio præuia, nullum remedium datum est per institutionem huius sacramenti ad faciliùs obtinendam remissionem peccati, sed potiùs additum est onus, semperque ipsa remissio culpę supponetur saltem ordine naturæ ad actionem sacramenti. Tum denique quia veritas formæ non fundatur in hoc, quòd contritio cum illa concurrat, sed in hoc, quòd ipsa habet vim ad iustificandum hominem : ergo habet hanc vim, etiamsi non supponat dispositionem per se sufficientem ad tollendam culpam. C D E

---

## *Hoc sacramentum conferre gratiam homini attrito sine mutatione interni doloris. Concl. 2.*

13. DIco secundò, Hoc sacramentum confert gratiam homini attrito immediatè, & absq; immutatione intrinseca, seu perfectione interioris doloris, vnde attritio manens intrinsecè est sufficiens dispositio proxima ad effectum huius sacramenti : & tunc solùm dicitur homo fieri contritus per informationẽ gratiæ habitualis. Hæc assertio non est tam certa, sicut præcedens, est tamen ita certa, vt contraria non sit probabilis. Primò, propter testimonium Cõc. Trid. quod, vt probaui, loquitur de dispositione vltima. Responderi potest, loqui quidem de dispositione vltima, non tamen immediata gratiæ habituali, sed actioni sacramenti, quod non solam habitualẽ gratiã, sed etiam contritionem dat homini attrito. Sed contra hoc est primò, quia Concilium non dicit attritionem disponere in sacramento ad impetrandam contritionem, sed ad impetrandam Dei gratiam. Deinde, Concilium loquitur de impetratione infallibili, qualis est illa, quæ confertur per efficaciam sacramenti: per attritionẽ verò impetrari contritionem in sacramento, non solùm infallibile non est, verùm etiam est rarissimum, posset enim hæc mutatio experimento agnosci, vel saltem coniectari : rarus autem vel nullus est, qui in se experiatur hanc mutationem specialiter, ac præcisè ex vi absolutionis. Item doctrina Concilij generalis est in omnibus: multi autem absolui possunt verè attriti, qui non possunt ad contritionem excitari: ergo vel in eis non habet locum doctrina Concilij, quod dicendum non est : vel asserendum est, iuxta Concilij mentem, attritionem per se sufficere ad impetrandam gratiam sanctificantem immediatè in sacramento, & per sacramentum.

Euasio ad locum Cõcilij diluitur.

14. Præterea suprà ostensum est, actum ipsum contritionis, vel amoris, vel alium similem, qui requirit cõsensum liberum nostræ voluntatis, non posse esse infallibilem effectum ex opere operato, quia sacramentum non determinat efficaciter nostrã voluntatem ad consensum, sed ad summum posset dari infallibiliter ratione sacramenti aliqua gratia excitans sufficiens, quantùm ex parte Dei : at Concilium non loquitur de gratia excitante, sed sanctificante, vt ostendimus. Neque illa excitatio posset esse semper, & in omnibus congrua, & efficax, ex generali lege sacramenti, quia hæc est vniformis, & æqualis respectu omnium, supposita æquali dispositione : vocatio autem eadem sæpe est congrua & efficax respectu vnius, & non respectu alterius; gratis autem & sine fundamẽto diceretur, dare Deum omnibus, & singulis accedentibus ad hoc sacramentum cum sola attritione auxilium vnicuique congruum ad contritionem, etiamsi varium & multiplex illud sit, cùm de hoc nulla extet promissio, neque sit consentaneum generali institutioni sacramenti.

15. Ex Augustino probatur conclusio.

Præterea potest hæc sententia probari ex Augustino epist. 180. & ex multis Decretis, quæ referuntur 26. q. 6. & in sequenti Disput. à nobis tractabuntur: in quibus asseritur, æternam salutem peccatoris interdum

dum pendere ex absolutione sacerdotis, re ipsa exhibita: ideóque sacerdotem, qui eam indiscretè negat homini existenti in extrema necessitate, vel negligens est in subueniendo illi per absolutionem, sæpe esse posse causam damnationis eius. Hæc enim vera esse non possunt, nisi quia hoc sacramentum aliquando confert gratiam & remissionem peccati, sine qua homo damnaretur. Nam si ante absolutionem, & eius effectum semper esset supponēda contritio, iam homo haberet gratiam ante absolutionem, ergo, quauis non absolueretur, non propterea damnaretur, & consequenter ob eam causam sacerdos dici nonposset reus animæ eius. Neque possunt hi Patres explicari de gratia contritionis, & remissione peccati, quæ mediante illa datur: quia loquūtur sæpe de pœnitētibus, qui iam sunt in eo extremo articulo constituti, in quo amentes, aut furiosi iam sunt, vel omni sensu carent, qui profectò non possent nisi miraculosè per sacramentum excitari ad pœnitentiam, seu contritionem: ergo, vt verùm sit, hunc hominem damnari ob non datam absolutionem, necesse est, vt per absolutionem possit dari gratia, absque interuentu contritionis: nā, si talis homo erat contritus, non cōdemnabitur, etiamsi non absoluatur, si verò erat tantùm attritus, quauis absoluatur, non saluabitur, nisi absolutio possit dicto modo gratiam conferre. Imò etiam sequitur, si contingat (quod in praxi potest sæpe euenire) sacerdotem in principio confessionis intelligere pœnitentem solùm esse attritum, & ex timore pœnarum tantùm dolere, & interim huiusmodi pœnitentem amittere sensum & vsum rationis, priusquàm possit ad contritionem excitari: sequitur, inquam, tunc sacerdotem non posse licitè illum absoluere, quia non potest illum iustificare, cùm non possit ad contritionem excitare, nec possit licitè, aut debeat, expectare miraculosam aliquam excitationem: consequens autem valdè absurdum est, & in praxi periculosum.

16. Ratione probatur assertio.

Prætereà argumentor in hunc modum, quia attritio ex doctrina Concilij est vltima & sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti: sed non est vltima dispositio ad contritionem: ergo est vltima dispositio ad infusionem gratiæ habitualis. Probatur minor (cætera enim clara sunt) tum ex dictis circa explicationem Concilij: tum etiam, quia vltima dispositio ad effectum sacramenti, per se loquendo, non destruitur per actionem ipsius sacramenti, sed manet in eodem instanti in quo perficitur sacramentum, & datur effectus eius: ergo attritio quando est dispositio ad effectum huius sacramenti, non destruitur per actionem eius, sed manet, seu manere potest, quantùm est ex parte ipsius sacramenti: quod maiori ratione in hoc sacramento verum est, quia non solùm est dispositio ad effectum, sed etiam materia, ex qua intrinsecè componitur ipsum sacramentum: ergo per se non est dispositio ad ipsam contritionem. Patet consequentia, quia contritio excludit attritionem, quia neque idem actus, qui erat attritio, potest fieri contritio, vt suprà ostensum est, nec voluntas potest simul & in eodem instanti, perseuerando in motu attritionis, motum contritionis elicere: neque intellectus potest simul attēdere ad motiua adeò diuersa, & cum ea efficacia, quæ necessaria est ad perfectam cō-tritionem eliciendam: quod saltem de possibilitate practica & morali videtur manifestum.

17. Exodatio rationis.

Responderi potest primò, attritionem non posse fieri contritionem intrinsecè & ex proximo motiuo, tamen posse fieri contritionem extrinsecè, per informationem charitatis, non solùm habitualis, sed etiam actualis, vt in superioribus explicatum reliquimus. Sic ergo dici potest quādo quis verè attritus absoluitur, in instanti quo perficitur forma sacramenti, excitari ad habendum amorem Dei super omnia, atque ita perfici in eo contritionem per verā conuersionem in Deo ex toto corde, priùs saltem natura quàm iustificetur per habituum infusionem. Sed hæc responsio, licèt impossibilis fortè non sit, est tamen voluntaria, quia nulla potest ostendi promissio talis effectus, neque auctoritas in qua fundetur: & propterea est moraliter difficillimum, quòd dum homo habet actualem attritionem: & considerationem alicuius motiui inferioris, in quo illa fundetur simul erigatur ad considerandum Deum secundùm se, prout necessarium est ad illum propter se super omnia amandum. Eluditur.

Dici verò etiam potest, non oportere vt in illo vltimo instanti attritio duret, sed ex efficacia sacramenti fieri vt relicta attritione, homo ascendat ad contritionem, vel dilectionem super omnia, satisque esse ad rationem dispositionis moralis, quales sunt dispositiones sacramentorum, quòd immediatè anteà, vel tempore proximo præcesserit, & relinquat dispositum subiectum ad effectum sacramenti recipiēdum. Veruntamen hæc etiam responsio eadem ratione, qua præcedens, reiicienda est. Nam licèt id, quod affirmat, simpliciter non repugnet: tamen etiam est sine fundamento dictum, & præter communem legem sacramentorum, quæ licèt non requirant actualem dispositionem in instanti, quo conferunt effectū, nunquàm tamen postulant carentiam, vel mutationem talis dispositionis, vt suos effectus operentur. Et prætereà, propter difficultatem suprà tactam circa infallibilitatem talis effectus. Item, quia aliàs tenerentur homines, vel non accedere ad hoc sacramentum, nisi cum vera contritione, quod falsum esse statim ostendemus: vel, si accedant attriti, magnam diligentiā adhibere, vt non distrahantur tempore absolutionis, vt non impediant efficacem motionem ad contritionem, vel amorem super omnia, aliàs ponerēt obicem effectui sacramenti. At hoc etiam falsum est, tum quia communiter in Eccl'esia non agnoscitur talis obligatio: tum etiam, quia aliàs attritio iam non esset sufficiens dispositio ad efficaciam sacramenti, nam, præter illam, esset necessaria specialis aduertentia & attentio pœnitentis. At è conuerso, si attritio per se esset sufficiens dispositio ad totam efficaciam sacramenti, ipsum sacramentum sua virtute deberet dare & attentionem, & omnem motionem necessariam ad efficaciam contritionis. 18. Solutio alia. Reiicitur.

---

*Fundamentum duarum priorum opinionum destruitur.*

ACCEDIT, quòd duæ priores sententiæ nullo firmo fundamento nituntur. Nam falsum est, *Deum non posse peccatum remittere sine proprio motu peccatoris*; est que hoc magis improbabile intellectum de perfecta cōuersione peccatoris, & de potentia absoluta, vt suprà tractādo de virtute pœnitentiæ ostensum est: de potentia verò ordinaria est id verum extra sacramentum, non verò cum illo. Vnde talis conuersio per veram contritionem iam non est medium simpliciter necessarium ad salutem, sed tunc solùm quando non potest hoc sacramentum applicari, vel quoties de facto non applicatur, vt remissio peccati mortalis statim conferatur. Neque hoc est contra legem naturæ, sed est quædam maior gratia, quæ propter Christi meritum iam exhibitum, nobis fit, quàm anteà facta fuisset, de qua gratia sufficienter nobis 19.

nobis constat ex verbis Christi dantis sacerdotibus A
specialem potestatem ad remittenda peccata. Dices,
non obstante hac potestate, est necessaria aliqua pœ-
nitentia interior ad obtinendam remissionem pecca-
torum per illam potestatem. Respondetur, Pœniten-
tiam aliquam necessariam esse, & propter tollendum
obicem, & propter veram accusationem faciendam:
ad hos autem fines sufficit attritio : & ideò non est
Satisfit vl- exigenda contritio contra vim & efficaciam talis po-
timæ confir- testatis. Vnde ad vltimam confirmationem primæ
mationi pri- sententiæ respondetur, peccatorem non necessa-
mæ sententiæ rio supponi ad hoc sacramentum diligentem Deum
super omnia, sed per ipsum sacramentum effici, &
constitui sic diligentem Deum : non actu, vt secun-
da opinio dicebat: sed habitu, qui habitus à Deo infu-
sus sufficit ad tollendam illam maculam, & moralem
permanentiam prioris peccati, ratione cuius dicebatur peccator diligere creaturam plus quàm Deum.
Et hoc modo sufficienter intelliguntur testimonia B
omnia quæ dicunt, sine charitate neminem saluum
Congruen- fieri. Congruentiæ verò, quæ in fine secundæ senten-
tiæ secundæ tiæ addebatur, quòd ille modus iustificationis per sa-
opinionis re- cramentum, mutando attritionẽ in contritionem, est
spondetur. possibilis, perfectissimus, &c. partũ suadet: quia, quid-
quid sit de implicatione contradictionis, ille modus
vix est humano modo possibilis, neque etiam iuxta
generales leges sacramentorum, vt explicatum est.
Deinde est ille modus nimis rigorosus, alius autem
est suauior, magisque commendat misericordiam Dei
in peccatores.

---

*Attritionem cognitam esse sufficientem dispositionem ad effectum huius sacramenti.*

## ASSERTIO III.

20. DIco tertiò, vera & integra attritio est suffi- C
ciens dispositio ad effectum huius sacramenti:
quanuis sit cognita; neque oportet illam reputare
contritionem, vt effectus conferatur. Hæc assertio
est minùs certa quàm præcedentes: tamen censeo esse
longè probabiliorem quàm oppositam, & hoc tem-
pore practicè certam. Fundamentum eius esse debet,
quia post institutionem huius sacramenti nullum ex-
tat præceptum negatiuum, non accedendi ad hoc sa-
cramentum cum conscientia peccati mortalis, nisi
post veram contritionem: nam, secluso hoc præce-
pto, euidens est, existimationem contritionis ne-
cessariam non esse, nec per se quidquam conferre ad D
effectum huius sacramenti. Probatur, quia existima-
tio contritionis, quæ vera non est, per se nihil boni
affert homini, nam potiùs est quoddam malum, cùm
sit error quidam: vnde per se non auget dispositionem
pœnitentis, cùm nec sit in voluntate, nec perficiat do-
lorem eius: solùm ergo posset deseruire ad excusan-
dum hominem à culpa omittendi contritionem, vel
accedendi sine illa: secluso autem tali præcepto, non
indiget homo tali excusatione, quia iã non erit cõtra
præceptũ omittere contritionẽ, seu accedere ad hoc
sacramẽtum sine illa: ergo nõ erit peccatũ, etiamsi ex
certa sciẽtia id fiat: ergo propter excusationẽ à pecca-
to, nõ est necessaria hæc existimatio: ergo sine illa ob- E
tinebitur effectus sacramẽti: quia, si illa nec per se di-
sponit, nec tollit impedimẽtũ, nõ est cur sit necessaria.

21. Non dari præceptum negatiuum non recipiẽ-

Supereſt vt probemus non dari tale præceptum
negatiuum non accedendi ad hoc sacramentum cum
conscientia mortalis sine contritione. Quod ita osten-
ditur, quia vel illud præceptum ex natura rei conse-
quitur ex institutione huius sacramenti, vel specia-
liter est additum à Christo Domino (Ecclesia enim
per se id addere non potuisset, cùm sit de actu merè
interno) neutrum autem illorum dici potest. Proba-
tur prior pars: nam potiùs ex institutione huius sa-
cramenti loquitur, non esse necessariam contritionẽ,
vt dignè & laudabiliter ad hoc sacramentum accedatur: nam hoc sacramentum institutum est ad suscitandos mortuos: ergo hoc ipso ex se non requirit talem dispositionem, quæ mortem expulerit, sed talem quæ sufficiat vt sacramentum ipsum mortem expellat. Vnde non potest dici aliquis indignè accedere ad hoc sacramentum, eò quòd in peccato accedat, si venit ita dispositus, vt in gratia consummetur; sic enim non indignè, sed sanctè tractat quæ sancta sunt. Quod apertè confirmatur exemplo Baptismi, in quo veritas hæc certior est, vt in proprio loco declarauimus. Est autem quoad hoc eadem ratio de hoc sacramento, quia etiam est sacramentum mortuorum: secus verò est de reliquis quæ dicuntur sacramenta viuorum, & specialiter in Eucharistia id latè declarauimus, & infrà circa Extremam vnctionem aliquid attingemus.

Di hoc sacramentũ cum conscientia mortalis sine contritione, suaderur.

Posterior autem pars sufficienter probatur ex eo, 22.
quòd neque ex Scriptura, nec traditione, neque ali-
quo Ecclesiastico decreto ostendi potest tale Christi
præceptum: nam, ex his omnibus principiis solùm
habemus, pœnitentiam interiorem esse necessariam
ad consequendam veniam, etiam per sacramentum.
Concilium autem Tridentinum satis declarauit no-
mine pœnitentiæ non solam contritionem, sed etiam
attritionem comprehendi: euidenterque id ostendi-
tur eodem exemplo Baptismi. De quo Apostoli prædicabant, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque* Act. 2.
*vestrùm:* & nihilominùs certissimum est, ibi non esse
propositum speciale præceptum habendi contritio-
nem, ante susceptionem Baptismi, ergo neque ante
absolutionem. Nullum ergo extat de hac re præce-
ptum: nulla ergo necessaria est excusatio de nõ habi-
ta contritione: impertinens ergo est existimatio con-
tritionis. Et confirmari hoc potest: quia iuxta proba-
bilẽ opinionem diui Thomæ, Eucharistia (& fortasse
idem est de cæteris sacramentis) confert gratiam ho-
mini attrito, quando bona fide accedit, putans se esse
contritum: ergo aliquid ampliùs dandum est huic sa-
cramento, quod per se institutum est ad remittendum
peccatum mortale.

---

*Obiectiones contra præcedentem Assertionem.*

23. SEd obiicies, quia sola attritio non est vera dete-
statio offensæ diuinæ: ergo non potest esse suffi-
ciens dispositio ad iustitiam, si cognita sit. Item, quia
actuale peccatum, ad quod delendum hoc sacramen-
tum est institutum, est voluntaria auersio à Deo, ergo
per se requirit perfectam conuersionem in ipsum
Deum, quæ fit per solam contritionem: ergo non po-
test dignè accedere, qui illam conuersionẽ voluntariè
omittit. Denique, quia aliàs posset homo esse tã certus
de remissione peccatorũ in hoc sacramento, quàm est
certus de sua contritione: potest autem esse de sua at-
tritione certissimus, quia manifesto experimento illã
nouit; ergo de & sua iustificatione, quod est absurdũ.

24. Soluuntur obiectiones simulque fundamenta tertiæ sentẽtiæ.

Hæc verò difficultatem non habent. Nam primum
& secundum argumentum, si valida essent, probarent
attritionem nunquàm esse sufficientem dispositionẽ,
etiamsi intercedat existimatio contritionis: quia, vt
dixi, hæc existimatio non reddit ipsam dispositionem
melio

meliorem. Probarent etiam, attritionem cognitam A
non sufficere in Baptismo. Nam quod ait Soto, Baptismum esse institutum propter delendum originale peccatum, propter quod contritio necessaria non est, & ideò non esse similem rationem de illo, non rectè dictum est: tum quia, licèt Baptismus sit primariò instituturus propter originale peccatum, non tamen propter solum illud, sed etiam propter mortalia: ergo tunc eadem est de illo ratio. Tú etiam, quia, licèt Baptismus per se non requirat attritionem, quando homo adultus non habet nisi originale peccatum, tamé secluso ipso sacraméto necessaria esset in tali homine conuersio in Deum per amorem super omnia, vt posset iustificari; & nihilominùs quanuis quis sciens, & videns baptizetur sine tali amore, per Baptismum iustificabitur: ergo est eadem proportionalis ratio.

25. Solutio ad 1. Respondetur ergo ad primum, attritionem quanuis non sit formalis detestatio peccati quatenus offensa Dei est, esse tamen veram detestationem ipsiusmet offensæ diuinæ, sub aliqua ratione honesta, & supernaturali, vt posteà dicemus. Ideóque, quanuis ex se non sit sufficiens, habet sufficientem proportionem, vt ab ea procedat vera accusatio peccati: nam in confessionem exteriorem non cadit propriè illa formalitas, seu reduplicatio, quòd sit de offensa Dei, quatenus offensa Dei est, nam confessio exterior non respicit hoc motiuum, neque hoc spectat ad externos actus, sed ad internos: est ergo confessio de ipsa Dei offensione, quam homo recognoscit & fatetur, sufficienter ergo procedit ab attritione. Ad 2. Ad secundum respondetur, perfectam conuersionem in Deum per proprium actum peccatoris necessariam esse, secluso institutione, vel vsu huius sacramenti: quando verò illud applicatur, per eius efficaciam suppleri, quia Deus per id infundit suam iustitiam, quæ hominem interiùs rectificat, & habitualiter conuertit in Deum. Ad 3. Tertium argumentum nullius momenti est, quia veritas sacramenti, à qua iustificatio pendet, ex multis aliis capitibus potest esse incerta, ex intentione ministri, ex iurisdictione, ex vera ordinatione, ex veritate Baptismi, quæ ex parte vtriusque, scilicet pœnitentis, & absoluentis, necessariò supponi debent, ac denique ex debita diligentia ad integram confessionem faciendam. Quòd si hæc omnia supponantur certa, nullum est inconueniens, quòd pœnitens sit tam certus de sua iustificatione, quàm est certus de sua attritione: hæc enim certitudo nunquàm est tanta, quin admittat formidinem, quia homo non intuetur suam attritionem, nec euidenter discernit qualitatem, aut motiuum sui doloris: sed est quædam certitudo, quæ ad pacem conscientiæ possit sufficere, & ad prudenter deponendos scrupulos, & tollendam conscientiæ anxietatem: hic autem certitudinis modus etiam de ipsa iustificatione per sacramentum haberi potest. Nam, sicut non obstante efficacia sacramentorum, vnusquisque potest de sua dispositione formidare, vt Conc. Trid. Tridentinum dixit sess. sexta, cap. nono: ita ex huius sacramenti efficacitate, si pœnitens moralem diligentiam adhibeat, consequi solet pax & conscientiæ serenitas, vt idem Concilium dixit sess. 14. c. tertio.

26. Et per hæc satisfactum est fundamẽtis tertiæ sententiæ. Et ex concessis à Nauarro, & aliis qui magis consequenter loquuntur, practicum argumentum desumere possumus. Nam negare non possunt quin hæc opinio, quam defendimus, practicè ac moraliter probabilis sit: ergo qui iuxta illam confitetur cum attritione cognita, non peccat: ergo recipit effectum sacramenti: ipsi enim concedunt, & meritò, quacunque ratione excusetur peccatum, non impediri effectum sacramenti.

## SECTIO II.

### *Quæ attritio necessaria sit, & sufficiat ad huius sacramenti effectum.*

IN resolutione præcedentis sectionis diximus, veram & supernaturalem attritionem peccatorum omnium esse sufficientem dispositioné ad affectum huius sacramenti consequendum. Nunc explicandum à nobis est, an talis attritio sit etiam necessaria: quod rectè faciemus discurrendo per illas tres particulas, *vera*, *supernaturalis*, & *integra*: nam in singulis aliquid dicendum occurrit. 1. B

### *An requiratur vera attritio ad effectum sacramenti.*

NAM in primis aliqui sentiunt, ad hunc effectum nõ esse necessariam veram attritionem in re ipsa existentem, sed inculpabiliter & probabiliter putatam sufficere. Quod sensit Cano dicta Relectione de Pœnitent. parte quinta, dicens, quanuis imperfectus dolor per se non sufficiat, si tamen existimet pœnitẽs se præstitisse quod necessarium erat, iustificari, etiamsi in re ipsa imperfectum dolorem habeat, & insufficientem, si cognosceretur. Ratio eius est, quia tunc C pœnitens non ponit obicem effectui sacramenti: ergo consequitur effectum eius. Eandemque opinionem sequitur Vega libro decimotertio in Tridentinum, capite trigesimoquarto: Et ex illa inferunt aliqui, nunquàm dari statum medium in receptione huius sacramenti, id est, in quo nec pœnitens de nouo peccet, nec gratiam recipiat. 2. Prima sententia. Cano.

Hæc verò sententia sine dubio falsa est: nam ad consequendam remissionem peccati mortalis per hoc sacramentum, necessaria est vera attritio in re ipsa existens. Vnde, si aliquis sine attritione illud recipiat, cum quacumque ignorantia inuincibili, siue iuris, siue facti, excusabitur quidem à noua culpa, non tamen consequetur effectum. Quod potest primò probari à fortiori, quia Baptismus non potest peccatum mortale tollere sine vera attritione in re ipsa exi- Probatur primo, ex analogia Baptismi
stente, vt suprà suo loco ostensum est, multò ergo D minùs id potest hoc sacramentum efficere. Secundò probatur ex Concilio Tridentino, & Florentino, dicentibus, simpliciter dolorem, seu contritionem, vel attritionem esse partem, & à fortiori dispositionem necessariam in hoc sacramento: loquuntur de vera contritione, vel attritione, tum quia attritio tantùm existimata, simpliciter non est attritio, sicut homo pictus non est homo: tum etiam, quia attritio tantùm existimata non est donum Spiritus sancti, nec est concepta ex gehennæ metu, vel turpitudine peccati, nec habet alias perfectiones, & proprietates, quas Concilium tribuit huic attritioni: tum denique, quia aliàs, quando concilium Tridẽtinum dicit contritionem fuisse omni tempore necessariam ad remissionem peccati, posset exponi de contritione vera, vel existimata, & consequenter dici posset, iustificari hominem etiam extra sacramentum per contritionem existimatam, quanuis in re vera non sĩt: quod est dictu absurdissimum. Secundò ex Conciliis. 3. Veram attritionem esse necessariam.

Tertiò est ratio à priori, quia existimatio inuincibilis, licèt excuset à culpa, tamen in re ipsa non adhibet medium necessarium: sicut existimatio fidei non ponit fidem: & ideò talis existimatio nunquàm sufficit ad illum finem, vel effectum, ad quem tale medium est necessarium. Vnde Gentilis, qui habet infide 4. Tertiò ratione priori.

infidelitatem negatiuam, quanuis existimet se bene credere, & excusetur ab speciali culpa infidelitatis, non saluabitur, sed propter alia peccata damnabitur, quia sine vera fide, & in re ipsa existentes, impossibile est placere Deo. In præsenti autem, pœnitentia interior est medium necessarium ad remissionẽ peccati, vt suprà latè ostensum est, quæ necessitas etiam in lege gratię durat, quãuis cum moderatione accommodata efficacitati sacramentorũ, vt in superioribus, & in materia etiam de Baptismo latè ostensum est: ergo existimatio talis pœnitentiæ; nisi in re ipsa supponat aliquem verum gradum eius, licèt excuset à nouo peccato, non tamen ponit in re medium necessarium ad remissionem talis peccati: ergo non sufficit ad hunc effectum obtinendum etiam per sacramentum. Et confirmari hoc potest ex eodem Concilio Tridentino sessione sexta, capite septimo, dicente, in iustificatione adulti (de hac enim loquitur) etiam, quando per sacramentum fit (hanc enim apertè comprehendit) necessariam esse aliquam dispositionem ex parte hominis, secundùm quam gratia infundatur. At verò sola existimatio non est dispositio, neque illam perficit, vt sæpe dictum est: ergo oportet verè & in re illam supponere, aliàs deest medium, seu causa necessaria iustificationis.

Cõfirmatio ex Concil. Trid.

Ad fundamentum ergo Cani respondetur negando assumptum: nam, licèt in eo casu recipiens sacramentum non ponat obicem actualis peccati; ipsummet peccatum priùs commissum, & non satis retractatum est, sufficiens obex gratiæ, cùm in eo statu non possit remitti secundùm ordinariam legem.

5. Fundamento Cani satisfit.

Atque hinc fit, vt omnis dolor, qui non est absolutus & efficax, ita vt voluntatem peccandi excludat, seu (quod idem est) propositum absolutum non peccandi includat formaliter, vel virtualiter, nunquàm sit sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti, quanquàm ipse pœnitens falsò existimet se habere talem dolorem, cuius oppositum senserunt, Cano suprà, & pro eadem sententia Corbuda libro primo, quæstione secunda, opinione tertia, puncto tertio. refert Durandum, Paludanum, Capreolum, & Antonium, non tamen ad mentem illorum, vt existimo. Nam illi de substantia tantùm sacramenti loquuntur, non de effectu. Cuiuscunque tamen fuerit illa opinio, mihi improbabilis videtur, propter rationes adductas, & quia Concilium Tridentinum expressè requirit attritionem, quę voluntatem peccandi excludat: nõ negatiuè tantùm, per solam cessationem à tali voluntate: hoc enim modo quælibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit: sed positiuè, per formalem, aut virtualem repugnãtiam, veramque mutationem voluntatis dissentientis peccato, & consentientis gratiæ Dei. Hæc autem dispositio non habetur sine efficaci detestatione, & absoluto proposito non peccandi: nam cum sola velleitate, seu simplici affectu non repugnat simul esse volũtatem peccandi: ergo in intrinseca ratione veræ attritionis includitur quòd sit actus absolutus & efficax modo explicato: ergo, nisi in re talis sit, non est sufficiens ad effectum huius sacramenti.

6. Corollariũ de proposito non peccandi.

Cordub.

## *De necessitate supernaturalis attritionis ad effectum sacramenti.*

CIRCA secundam particulam tractanda est opinio Soti in quarto, distinctione decima octaua, quæstione tertia, articulo tertio, dicentis, ad effectum huius sacramenti sufficere attritionem naturalem, id est, solis viribus naturæ elicitam: siue illa sit concepta ex motiuo æterno, & honesto, vt est fugere pœnas inferni, vel turpitudinem peccati, siue ex motiuo temporali & indifferente, vt est vitare infamiam, vel aliud temporale detrimentum, quia hæc etiam temporalia damna dãtur à Deo propter nostra peccata. Et ex parte consentit in hanc sententiam Cano suprà, nam putat dolorem de peccato propter Deum naturaliter dilectum, vt finem naturæ, esse sufficientem attritionem ad obtinendam gratiam, & remissionem peccati cum hoc sacramento, imò idem dicit de dolore ex motiuo temporali, quando non cognoscitur à pœnitente. Sed hanc vltimam partem iam improbauimus. Huius autem sententiæ non inuenio in his Auctoribus alia fundamenta, nisi quia non aliter videtur distinguere contritionem ab attritione: & fortasse etiam ex quadam pietate moti sunt, vt faciliorem redderent iustificationem à peccato mortali in hoc sacramento.

7. Soti opinio.

Nihilominùs tamen certum esse existimo, attritionem illam, quæ est sufficiens dispositio in hoc sacramento ad gratiam consequendam, debere esse supernaturalem, & ex principiis gratiæ proueniẽtem. Similem assertionem probaui in superiori tomo tractando de dispositione ad effectum Baptismi: ex quo à fortiori concluditur idem dicendum esse de hoc sacramento. Breuiter tamen hîc insinuabo præcipuum fundamentum, quod sumẽdum est ex doctrina Conciliorum, maximè Tridentini sessione decimaquarta, cap. quarto, vbi imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, & disponit hominem ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, dicit esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum: & sessione sexta, tractans de iustificatione, quæ fit per Baptismum, requirit dispositionem procedentem ex gratia excitante, & adiuuante, vt apertè patet capite sexto & septimo, & capite decimoquarto, idem dicit de eo qui gratiam baptismalem peccando perdidit, ad quam recuperandam dicit oportere diuina gratia excitari: & canone tertio concludit, *neminem sine gratia posse pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Quod non potest exponi de sola iustificatione extra sacramentum, cùm in tota illa sessione loquatur de iustificatione, quæ fit etiam per sacramentum, vt patet ex doctrina tradita in citatis capitibus, quibus respõdent canonum definitiones. Ostendimus etiam in superioribus, hanc gratiam non solùm requiri ad pœnitentiam propter fidem, quam supponit, vel propter spem venię, quam debet habere coniunctam, sed propter ipsam pœnitentiam; oportet ergo, vt ipsa in se sit supernaturalis.

8. Attritionẽ supernaturalem esse necessariam ad effectũ huius sacramẽti.

Corc Trid

Quod etiam confirmari potest ex Concilio Arausicano secundo definiente, voluntatem efficacem, qua volumus purgari à peccato, esse in nobis ex Spiritus sancti inspiratione: & idem dicit capite quinto, & octauo de illa voluntate, qua homo ita se corrigit, vt in Baptismo ab statu peccati ad statum gratiæ traducatur, & capite septimo nihil, quoad salutem vitæ æternæ pertineat, dicit posse fieri sine gratia: sed dispositio, per quam homo sufficienter se præparat ad comparandam gratiam in hoc sacramento, multùm confert ad salutem æternam. Et eodem modo ferè omnia, quæ in illis decretis docet, præsertim 24. hanc veritatem confirmant. Et ad idem faciunt omnia, quibus in materia de gratia probatur, ad iustificationem impij necessariam esse dispositionem supernaturalem: & quibus suprà probauimus, pœnitentiam veram esse supernaturale donum Dei. Ratio autem breuiter reddi potest, quia dispositio ad formam semper debet esse proportionata, & eiusdem ordinis cũ forma, à quocunque agente introducatur: forma ergo, etiamsi gratia fiat per sacramentum, semper requirit dispositionem supernaturalem, quæ illi præparet,

9. Conc. Arausic.

Ratione probatur.

præparet, & accommodet subiectum. Quòd si hæc dispositio cõsideretur vt remouens contrarium obicem peccati, etiam ex hac parte requirit, vt ad ordinem supernaturalem aliquo modo pertineat: quia peccatum mortale etiam à fine & ordine supernaturali hominem auertit.

10 Attritio debet esse ex motiuo diuino & supernaturali.

Atque hinc vlteriùs colligo, huiusmodi attritionem debere esse ex aliquo motiuo diuino & supernaturali. Et in primis quòd non sufficiat motiuum temporale, & humanum, satis colligitur ex Concilio Tridentino suprà, nam describit vera & propria motiua huius attritionis. Deinde est aperta ratio, quia tale motiuum reuerà non auertit voluntatem ab effectu peccati, vt suprà, tractando de attritione secundùm se, latè declaraui. Quòd autem hoc motiuum debeat esse supernaturale, probandum est ex generali principio horum actuum ita supernaturalium, vt ad illos efficiendos gratia excitans, & adiuuans simpliciter necessaria sit: nam tales actus in se, & non solùm per aliquam determinationem extrinsecam, supernaturales sunt, quales esse non possunt sine motiuo aliquo modo supernaturali, vt ex materia de gratia supponо: attritio autem hæc hoc modo supernaturalis est, & ad illam est simpliciter gratia necessaria, vt omnia dicta probant: debet ergo esse ex motiuo supernaturali. Quale autem sit homo motiuum, & quomodo supernaturale sit, suprà disputando de attritione secundũ se, satis declaratum est.

---

## *De integritate attritionis ad effectum huius sacramenti.*

11 CIRCA tertium de integritate huius attritionis, certum est necessarium esse, vt sit de omnibus peccatis mortalibus non remissis, saltem per se loquendo, quia vnum peccatum non potest sine alio remitti, & per se loquendo, nullum potest remitti sine attritione illius, quia pœnitentia omnium peccatorũ mortalium est per se medium necessarium ad remissionem eorum. Atque hinc fit, si quis scienter, vel ex ignorantia culpabili omittat attritionem alicuius peccati mortalis, quanuis cæterorum illam habeat (suppono enim diuidi posse) non consequi effectum sacramenti, quia vnum peccatum non retractatum est sufficiens obex, siue illud sit in confessione declaratum, siue ex iusta causa omissum: quia necessarium est, vt illud peccatum simul remittatur, saltem concomitanter, quod fieri non potest, quando eius pœnitentiam voluntariè omittitur.

12 Sufficiátne attritio ad remissionẽ mortalis sine culpa in confessione omissi. Sententia negans. Medina.

Duo vero breuia dubia inquiruntur. Primum est, an in eo casu, quòd aliquod peccatum mortale non subiicitur clauibus sine culpa, sufficiat attritio illius simul cum aliis, ad consequendum effectum sacramenti. Quod dubium insinuat Med. Cod. de confessione qui de absolutione ab oblitis: & indicat partem negatiuam. Quæ potest suaderi hac ratione, quia sacerdos directè, & per se non absoluit ab oblitis, cum illa non sint facta materia sacramenti: ergo nec potest facere ex attrito cõtritum respectu illorum. Et potest confirmari quodam exemplo simili. Diximus enim suprà materia de Baptismo, si quis peccauit fictè accedendo ad Baptismum, non posse postea per solam attritionem incipere habere effectũ Baptismi, quia cum illud peccatum fictionis non subdatur Baptismo, non potest facere ex attrito contritum respectu illius: ergo pari ratione in proposito, quia peccatum oblitum ita est extra efficaciam, & (vt ita dicam) extra iurisdictionem sacramenti confessionis, sicut peccatum fictionis extra efficaciam Baptismi. Vnde confirmatur secundò, quia aliàs simplex sacerdos absoluens à solis venialibus confessis, posset indirectè remittere mortalia oblita: quod videtur esse inconueniens.

13 Vera sententia.

Contraria tamen sententia videtur supponi ab aliis Auctoribus, & sufficienter concludi hac ratione. Quia sine vllo dubio illa attritio, cum confessione formaliter integra, est sufficiens ad conficiendum verum sacramentum confessionis & pœnitentiæ: sed omne sacramentum reddit hominem ex attrito contritum respectu cuiuscunque peccati, de quo veram attritionem habeat, si bona fide accedat, vt supponimus: ergo hoc idem facit hoc sacramentum. Vnde quanuis ex propria ratione, & iurisdictione absoluentis non videatur habere efficaciam absolutio sacerdotis circa peccata oblita; tamen ex generali ratione sacramenti nouæ legis, quæ est conferre gratiam homini disposito, & non ponenti obicem, habet hoc sacramentum vt etiam in eo casu conferat gratiam, atque adeò vt indirectè, & quasi per accidens remittat peccatum oblitum, & eodem modo faciat hominem ex attrito contritum etiam respectu illius. Non est autẽ simile de Baptismo respectu peccati fictionis, quia sacramentum habet efficaciam respectu peccati commissi ante susceptionem talis sacramenti, nõ verò respectu posterioris peccati, vt est peccatum fictionis. Intelligendum verò est in ea attritione tunc includi votum subiiciendi clauibus in alia confessione illud peccatum oblitum: & ideò non est inconueniens posse hoc modo interdum remitti tale peccatum per sacramentum ministratum à simplici sacerdote, quia non remittitur directè: sicut posset remitti per administrationem Eucharistiæ, si attritio esset purata contrario.

Soluuntur argumenta contraria.

14 Attritio non sufficit ad tollẽdũ peccatũ in confessione inculpabiliter omissum, nisi ad illud se extendat.

Secundum dubium est, si in prædicto casu contingat attritionem non extendi ad peccatum in confessione omissum inculpabiliter, an nihilominùs aliorum attritio sufficiat ad effectum. Respondeo breuiter non sufficere, quia talis attritio nõ est integra, qualis ad hominis iustificationem necessaria est. Item quia ibi deest in re ipsa medium necessarium ad remissionem illius peccati obliti, quod est interior pœnitentia illius: ergo illud remitti non potest: sine illo autem non possunt tolli reliqua: ergo. Item, quia, si quis accedat ad Eucharistiam cum vno peccato mortali, & sine attritione illius, etiam ex naturali obliuione, vel falsa existimatione inculpabili, non iustificabitur, vt suprà suo loco ostensum est: ergo idem est in præsenti, quia respectu peccati obliti sacramentum hoc non facit ex attrito cõtritum ex speciali virtute & institutione, sed solùm ex generali institutione sacramentorum nouæ legis. Denique licèt sacramenta faciant ex attrito contritum, non tamen faciunt ex non attrito iustum, siue carentia attritionis sit multorum, siue vnius peccati tantùm: quia pœnitentia de omnibus, & de singulis peccatis mortalibus necessaria est.

15 Potest quis nec iustificari, nec de nouo peccare in receptione huius sacramenti.

Atque hinc tandem concludo contra Cano, & Vegam, posse dari statum medium in receptione huius sacramenti, ita vt nõ iustificetur, qui de nouo illud recipit, nec de nouo peccet. Patet, quia potest carere attritione alicuius peccati ex naturali obliuione, vel potest inuincibiliter ignorare motiuũ suæ attritionis, & existimare esse aliud quàm verè sit, vel esse sufficiens, quod reuerà non est: tunc enim non peccabit de nouo propter ignorantiam inuincibilem, nec iustificabitur propter rationes adductas. Et propter similem rationem dixi in superiori tomo posse dari similẽ statum mediũ in receptione Eucharistiæ: & ex ibi dictis hoc potest confirmari. Tandem ob eãdem causam, quando hæc sacramenta recipimus, certiores

tiores sumus nos non committere nouũ peccatum, quàm per ipsa sacramenta iustificari.

## SECTIO III.

### *Vtrùm ad valorem huius sacramenti sufficiat voluntas confitendi absque alio dolore peccatorum.*

1 De necessitate huius sacramenti est voluntas cõfitẽdi,& obtinendi peccatorum remissionem. Gabr.

PRIMO statuendũ est,de necessitate huius sacramenti esse voluntatẽ confitendi peccata in hoc sacramento, & obtinendi absolutionẽ eorum.In quo conueniũt omnes Doctores statim citãdi. Et ratio est, quia hoc sacramentũ recipi non potest nisi ad homine adulto:in omni autẽ suscipiẽte sacramentũ,si vsum rationis habeat, requiritur voluntas seu intentio recipiendi sacramentum.Vnde notauit Gabriel d.14.hanc voluntatẽ non requiri vt partem sacramenti, sed vt necessariam conditionẽ ex parte subiecti:nã intentio dandi, vel recipiendi sacramentum,non est pars eius,licèt sit de necessitate.Accedit in hoc sacramento peculiaris ratio,quia,cùm sit voluntarium iudicium,requirit voluntariam subiectionẽ rei ad iudicẽ, per quã veluti completur actualis iurisdictio confessoris in pœnitentẽ, vel potiùs materiæ applicatio,hæc autem voluntaria subiectio nõ fit, nisi per voluntatem subiiciendi peccata clauibus, media confessione : ergo.

2 An sit necessaria determinata voluntas pœnitentis respectu huius confessoris, ad receptionem sacramenti.

Ex quo inferunt graues Auctores,necessarium esse vt hæc voluntas determinata sit respectu huius confessoris,ita vt, si cõtingat confessorem decipere pœnitentem sese alium fingendo,cui pœnitens existimat se subiicere & confiteri, nulla fiet confessio, nec talis confessor possit validè absoluere, quia pœnitens reuerà non se illi subiicit,nec respectu illius fecit voluntariam accusationem.Confirmatur,ac declaratur quia huiusmodi pœnitẽs,si posteà veritatem intelligeret, non teneretur parere tali confessori : ergo nec potuit ab eo ligari, ergo neque absolui.Denique talis sacerdos non audit tunc confessionẽ vt iudex,quia hoc iudicium non est coactum , sed voluntarium, & ideò non est quis actu iudex , donec alius se illi voluntariè subiiciat:ergo nec potest sacramentum perficere.Atque ita sentit Durandus in 4.d.21.q.3.art.1. Richard. art.4.q. 3. & Adrianus materia de Confessione.dub.penult.

Durand. Richard. Adrian.

3 Quæ sententia vera erit, si moraliter intelligatur pœnitens ita determinare voluntatem suam ad hũc iudicem , vt absolutè nolit coram alio agere causam suã:tunc enim rectè procedunt rationes factæ.Tamẽ si pœnitens,quando hîc & nũc confitetur,licèt existimet hanc personam esse Petrũ,vel Paulũ, nihilominùs absolutè velit huic sacerdoti, qui præsens adest, cõfiteri,illud sufficiet,vt perficiat sacramentum.Sicut in genere dicitur de sacramentis,quando occurrit talis error circa materiam , vt non excludat intentionẽ operandi circa id,quod præsens est,non impediri sacramentum.Vnde quoties non constiterit de expressa volũtate cõtraria,& absoluta,ita videtur interpretanda intentio pœnitentis:nam hæc est rationabilior, & fauorabilior ipsi pœnitenti,qui semper intendit,vt validè perficiatur sacramentum,quantùm fieri possit. Addit prætereà Adrianus, in eo casu,in quo sacerdos audit peccata pœnitentis eo inuito,posse illum absoluere posteà illo cõsentiente , absque iteratione confessionis. Veruntamen, si solùm fuit inuitus modo à nobis explicato, neque nouus illius consensus requiritur:quia,vt dixit,licèt erret, vel decipiatur materialiter circa personam , non excludit formalem intentionẽ recipiendi sacramentũ:ab hoc sacerdote tamẽ,si supponatur priùs nullo modo velle huic confiteri,posteà,per se loquendo, necessaria esset iteratio confessionis. Quia verò narratio facta moraliter præsens est, ideò per solam voluntatem , quolibet signo indicatam, subiiciendi omnia illa peccata huic iudici, fit quædam virtualis iteratio confessionis:& hoc sensu verum est , non esse necessariam aliam confessionem : quod in multis aliis casibus accidit, vt videbimus infrà tractando de integritate.

4 Sufficiat ne volũtas cõfitendi propter humanũ motiuũ ad sacramẽti valorem. Sententia negans. Sylues. Angel. Armil. Sententia affirmans per se loquendo vera. Soto. Nauar.

Solet autem circa hanc voluntatem inquiri,an debeat esse honesta, & specialiter an voluntas confitendi propter humanum motiuum, scilicet inanem gloriam,vel commodum temporale,sufficiat ad valorem sacramenti : nam in cæteris sacramẽtis certũ est sufficere.In hoc verò id negãt Sylu.verb.*Cõfessio.* 1.q. 7.Angel.ver.b*Confessio.*1.§.4.& verb.*Vana gloria.* §.1. Armilla,v.*Confessio.*n.4.& nonnulli alij Summistę:quia putant talem confessionẽ esse peccatũ mortale, quod actu cõmissum in susceptione huius sacramẽti, repugnat valori eius, quod est speciale in illo,vt dicemus. Contrariũ tamẽ tenet Soto dist.18.q.3.ar.3.circa fin. & Nau.in Sum.c.21.n.40.Negant enim,illã voluntatem ex illo fine esse peccatum mortale,sed veniale tãtùm:quod non repugnat valori sacramenti.Quæ sententia per se loquendo, vera mihi videtur.

5

Itaque, vt valida sit confessio , necessarium est vt illa voluntas non sit peccatum mortale, vt efficaciter probat ratio facta.Nec satis est addere limitationem, quam Sylvester significat,scilicet : nisi pœnitens hanc ipsam voluntatem, & culpam confiteatur: nam tunc, inquit, iam confessio est integra, & consequenter valida. Veruntamen, vt iam dicam, ad valorem confessionis nõ satis est,quòd sit integra,sed etiam oportet , vt sit aliquo modo dolorosa, & ex pœnitentia, quod repugnat, si illa voluntas actu habetur: & est peccatum mortale : tunc ergo sine dubio nullum fit sacramentum,non tam ex defectu intentionis , quàm ex defectu essentialis materiæ,qui inde consequitur. Est autem hoc singulare in hoc sacramento, & ideò non tenet in hoc argumentum ab aliis sumptum.

6

At verò,si voluntas illa tantùm sit veniale peccatũ & non excludat sufficientem attritionẽ peccatorum mortalium , non repugnabit valori sacramenti , quia nihil essentiale tollit : & quoad hoc procedit optimè argumentum sumptum ex aliis sacramentis. Potest autem rectè fieri, vt licèt quis moueatur ad confessionem ex motiuo humano , nihilominùs , supposita illa applicatione , velit omnia necessaria ad sacramentum adhibere, quia nõ vult in eo actu peccare mortaliter.Ad hoc autem non mouebitur ex illo motiuo humano , sed aliunde, & ita motiuum illud nunquam erit totale in huiusmodi actu quoad specificationem eius, vt sic dicam, quanuis sit primum mouẽs in illo genere quoad exercitium & vsum.Vnde,quod Angelus suprà ait , semper esse peccatum mortale facere ob inanem gloriam id,quod per se in Dei gloriã institutum est , vt est vsus sacramenti , valdè rigorosum est,& absolutè falsum,nisi addatur constitui vltimum finem in ea inani gloria, aut ea de causa omitti aliquid,quod est de substantia actus:nam, his sublatis ille finis non est per se obiectum graue, quod ad peccatum mortale sufficiat , nec est vnde tantam malitiam actioni conferat.

### *Sitne aliquis internus dolor de essentia huius sacramenti.*

HIS ergo suppositis de hac voluntate , difficultas est, an præter illam sit aliquis dolor internus de

de necessitate & essentia huius sacramenti. Multi enim Theologi negant. Quam opinionem à fortiori tenent, qui putant illam voluntatem sufficere ad effectum, vt de Scoto, & aliis suprà diximus. Idem sentiunt Mai.4. distinct. 14. q.2. & ibi Gabr.q.2.art. 1.dum negãt dolorem esse partem essentialem,quod etiam dicit Durandus distinct. 19.q.1.& distinct. 17. quæstion. 13.& ibi Paludanus q. 8. quanuis Paludanus de rigorosa contritione loqui videatur.Durandus autem solùm de nomine partis disputare videtur: nã alioqui docet, confessionem sine dolore factam, esse iterandã, & hoc sacramentũ non posse esse informe. Idem censeo de Gabriele, & Maiore: de Soto verò iam dixi, illum non negare esse necessarium aliquem dolorem in hoc sacramento. Et quanuis doceat hoc sacramentum in absolutione consistere, non tamen negat esse necessariam confessionem, & accusationem,atq; adeò doloré aliquem,vt perfici possit.Quocirca pauci sunt Theologi, qui hãc sententiã expressè doceant. Nihilominùs tamen fundari potest, quia hic dolor non requiritur vt causa extrinseca sacramẽti,sicut de præcedenti voluntate dicebamus, nã in eo genere causæ sufficit prædicta voluntas. Neque etiã requiritur vt intrinseca pars sacramenti,quia vel non est pars, cùm non sit sensibile signum,vel non est essentialis,cùm Concilia tantùm integralem appellent. Et confirmatur, quia non debemus confessionẽ reddere onerosam,& obligare homines ad iterãdas confessiones sine euidenti ratione, hîc autem nulla est: nam sacramenta solent esse valida, si exteriora signa integrè perficiantur cum voluntate conficiẽdi sacramentum, neque est obligatio iterandi illa, etiamsi non habuerint effectum: ergo idem dicendum est in hoc sacramento.

Opinio negans. Scot. Maior. Gabr. Durand. Palud.

Fundamentum.

8 Sentẽtia affirmatiua. D. Thom.

Nihilominùs dicendum est,aliquem dolorem esse de essentia huius materiæ. Quod suprà ostensum est,& est ferè communis consensus Theologorum,vt videre licet in D.Tho.3.p.q.84.art.1,ad 1.& q.86.artic. 6. q. 90. art. 2. & in 3. & 4.d.14. q.1.art.1. quæstiuncula 1.ad 1.clariùs d.17.q.3.art.4. q. 4. vbi dicit dolorem & accusationẽ esse de necessitate huius sacramenti. Capreol.4.d.16.q.2.art.3. quem cum aliis refert Couar. in capite *Auila.* par. 1.§.4. n. 13. idem tenet Nau.in ca.*fratres*.n.33.de Pœnit.d.5.& D. Antonin. 3.par.tit.14.c.19.§.5. & alios referunt Vegali. 9.in Tridentinum, cap.17.& Corduba li.1.q.2.opin. 3.& referemus eos sect.seq. Pauci etiã ex Auctoribus citatis in cõtraria opinione cõtradicũt,vt ibi vidimus.

Capreol. Couar, Nauar. Ant.Vega. Cordub.

Explicantur verba Conc. Trident. & Floren.

Neque etiam fundamenta illa sententiæ sunt alicuius momenti; quòd enim contritio vel aliquis dolor internus sit pars huius sacramenti, suprà ostensum est, cùm autem sit pars omninò necessaria, sine qua sacramentum validum esse non potest, meritò essentialis dicitur. Neque Concilium Tridentinum, aut Florentinum dicunt hanc partem ita esse integralem,vt non sit etiam essentialis. Sed dicunt id quod est certum & generale omnibus partibus materialibus huius sacramenti,scilicet requiri ad integritatem sacramenti, & perfectam peccatorum remissionem: non tamen propterea negant, aliquam, vel aliquas ex his partibus esse essentiales,seu simpliciter necessarias ad valorem sacramenti. Aliàs etiam confessio peccatorum non esset essentialis, quod apertè falsum est, cùm accusatio sit de essentia iudicij de peccatis:atq; eadem ratione contritio est essentialis tanquàm omninò necessaria ad verã occasionẽ huic iudicio necessariam.

9 Discrimen inter dolorem & satisfactionem.

Vnde est magnum discrimen inter doloré,& satisfactionem: nam satisfactio solùm est necessaria ad quandam perfectionem huius iudicij,quæ est punitio seu compensatio delicti quoad reatũ pœnæ temporalis: dolor verò requiritur ad substantiam ipsius iudicij,& ad primariũ finẽ eius,qui est absolutio à culpa. Deinde satisfactio non necessariò supponitur ad formam huius sacramenti,sed regulariter post sacramentum essentialiter perfectum adiungitur: dolor verò,sicut accusatio, necessario supponitur ad sacramentalem formã, estq; natura sua necessaria ad veritatẽ eiusdem formæ: in omni autẽ sacramento materiæ,quæ huiusmodi est,necessaria ac essẽtialis existit: idẽ ergo erit in hoc sacramẽto. Vnde ad cõfirmationẽ illius sententiæ respõdemus,satis euidenti ratione ostendi necessitatem alicuius doloris ad veritatem confessionis: ideóque neque frustrà, neque gratis hanc obligationem imponi pœnitenti. Neque oportet in hoc seruari omnimodam similitudinem inter hoc sacramentum, & alia, quorum materia est merè exterior & sensibilis, quia non consistit in aliquo actu humano, qui ad suum esse & ad formalem rationem suam requirat aliquem actum interiorem,qui coniunctus exteriori, constituat sensibile signum tali sacramento proportionatum:in hoc autem sacramento hoc inuenitur, quia materia eius in huiusmodi humanis actibus posita est.

## SECTIO IIII.

### *Quisnam dolor seu attritio sit de necessitate & valore huius sacramenti.*

1 Prima sententia.

PRIMA sententia est,non esse necessariam detestationem efficacem cum absoluto dolore & proposito non peccandi, sed displicentiam quamcúmq; cum velleitate non peccandi sufficere ad valorem sacramenti. Ita tenet Caiet. tom.1. Opuscul. tract.5. quæst.5.quẽ sequuntur Victoria in Summ. num. 144. Cano par.5.Relict. Ledesma 2.p.4.q.8.art.1. dub. 4. & q.31.art.2.significant Palud.d.17.q.8.Syluest.verb. *Confessio.*1.q.23.Fundamẽtum est,quia de essentia cõfessionis ex parte pœnitentis solùm est, vt confessio habeat veram rationem accusationis integræ: ergo solus dolor requiritur, qui necessarius est, vt confessio fiat per modum veræ accusationis: sed ad hoc sufficit quæcunque displicentia, etiamsi inefficax sit:ergo.Addit Caietanus:contritionem non esse partem huius sacramenti secundùm se,sed vt relatam ad confessionem, & vt est spontanea voluntas recompensandi ad arbitrium sacerdotis: sed ad hoc sufficit ille imperfectus dolor:ergo,&c.

2 Secunda sententia. Soto. Nauar.

Secunda opinio est, requiri quidem efficacem detestationem peccati, sufficere tamen naturalem, seu ex motiuo humano.Quam tenet Soto d. 18.q.3.art. 3. & Nauarrus in Summ.c.9.n. 10.& in c. *Fratres.* de Pœnit.d.5.n.35.Fundamentũ est idem,quod præcedentis. Nam talis dolor sufficit ad veram accusationem, & sicut confessio naturale quod est, ita potest sufficere dolor naturalis ad substantiam sacramenti, sicut in aliis materia, & forma naturale quid est. Requiritur tamen efficax dolor, quia aliàs posset esse cum illo placentia peccati.

3 Tertia sententia.

Hæ verò duæ sententiæ ita ab aliquibus limitantur, vt intelligendæ sint, quando pœnitens ex ignorantia cum illo solo imperfecto dolore cõfitetur:nam, si ex certa scientia ita confiteatur, dicunt fieri non posse vt talis confessio valida sit, cùm pœnitens videat se accedere ponendo obicem sacramento, & cõsequẽter peccando mortaliter.Quę sententia seu limitatio duobus adhuc modis intelligi potest iuxta duos ignorantiæ modos, scilicet vincibilis, & inuincibilis. Erit ergo tertia sententia, per se loquendo, necessariam esse veram attritionem ad valorem sacramenti, per accidens autem posse sufficere existimatam, etiamsi

*Attritionem ad valorem sacramenti debere includere efficacem voluntatem non peccandi de cætero.*

7 DEINDE probatur dicta sententia, per singulas partes in ea propositas discurrendo. Et in primis, quòd talis attritio debeat esse efficax, & includens non tantùm velleitatem, sed etiam absolutam voluntatem non peccandi de cætero, docuit expresè Caiet. sibi contrarius in Sum. ver. *Confessio ex parte cõfessi iteranda.* Tenent etiam Gabriel, Maior, Adrian. & Medina citati in sectio. præcedenti circa fin. & Petrus Soto lect. 3. de Confessione. Sumiturque ex eodē loco Concilij Tridentini dicentis, talem esse necessariũ dolorem, *qui voluntatem peccandi excludat*, id est, cum quo voluntas peccandi simul esse repugnet: alioqui, quanuis contingat hominem habere dolorem, & non habere actualem voluntatem peccandi, si tamen dolor talis non est, vt ex se non repugnet simul esse cum tali voluntate, reuerà non est dolor, qui excludit illam voluntatem, sed aliunde contingit illa carere. At verò, quoties displicentia de peccato talis est, vt ex se habeat adiunctam solam velleitatem non peccandi, quantùm est ex se non excludit voluntatem peccandi: quia voluntas peccandi, & velleitas non peccãdi optimè possunt esse simul: ergo talis displicẽtia insufficiens est etiam ad valorem huius sacramẽti.

Caietan. Gabriel. Adria. Maior. Medina. Petrus Sot. Probatur ex Conc. Trid.

8 Ratione idẽ ostenditur. Præterea argumentor ratione, quia incredibile per se est, eam confessionem esse validam, quæ est cum actuali proposito iterum peccandi mortaliter, & cum actuali complacentia peccati commissi: sed huiusmodi propositum & complacentia esse potest cum illa imperfecta detestatione seu velleitate, vt per se constat, quia illi actus non sunt repugnantes, ergo illa non est sufficiens ad valorem huius sacramenti: si enim illa sufficeret, quidquid cum illa coniungeretur, non esset contra essentiam sacramenti. Secundò, hoc sacramentum institutum est per modum iudicij: ergo intelligi debet iuxta formam & tenorem veri iudicij, de cuius ratione est, vt si sit euidenter iniustũ, & continens intolerabilem errorem, sententia in illo lata, fit prorsus nulla: illa autem confessio facta illo modo talis est, vt in illam non possit cadere forma huius sacramenti, nisi cum euidenti iniustitia, & intolerabili errore: ergo talis sententia seu forma erit semper nulla: ergo & illa materia est insufficiens ad hoc sacramentum conficiendum. Tertiò, hoc potest probari, quia credendum est, ita instituisse Christum Dominum hoc sacramentum, sicut necessarium & expediens futurum erat ad vsum eius: sed confiteri peccata ex certa scientia cum illo dolore inefficaci, & velleitate nunquàm poterat esse expediens ad vsum huius sacramenti, neque conferre aliquid poterat ad salutem animarum: ergo.

9 Differentia inter Baptismum, & pœnitẽtiã quãtũ ad internum dolorẽ. Dices, hac ratione probaretur, ablutionem Baptismi susceptam praua intentione, vel cum effectu peccati, non esse materiam sufficientem sacramenti, quia non potest esse expediens ad salutem animæ, sed hoc non est simile, quia in Baptismo interior dispositio suscipientis nõ est pars sacramẽti, sed sola ablutio exterior, vt est à ministro intendente perficere sacramentum, & vt sic est indifferens, & indepẽdens ab effectu ministri, seu suscipientis. At verò in hoc sacramento dispositio interior est pars sacramenti, & exterior cõfessio non est sufficiens pars: nisi vt procedens ab interna detestatione peccati: si autem procedit à solo illo dolore imperfecto, præsertim cognito, est per se mala, & insufficiens ad iustam absolutionem de peccato: ergo non est verisimile instituisse Christum hanc tanquàm sufficientem materiam huius sacramenti. Tandem confirmo, quia dolor, qui non excludit voluntatem peccandi, reuerà non sufficit ad veram accusationem. Denique illa sententia non satisfacit dictis Conciliorũ, & Sãctorũ, qui vbicũque de hac materia loquũtur, huiusmodi cõfessiones omninò reiiciunt vt sacrilegas, & insufficientes.

*Non sufficere ad valorem huius sacramenti dolorem ex motiuo merè humano conceptum.*

10 SECVNDO loco probatur non sufficere dolorem conceptum ex motiuo merè naturali, sed necessariam esse attritionem superna turalem. Quod sentiunt Doctores paulò anteà citati. Et non obscurè indicauit Concilium Tridentinum, cùm dixit esse Spiritus sancti donum. Et idem sentit D. Thomas q. 84. art. 1. Nam postquàm in solutione ad 1. dixit, materiam essentialem huius sacramenti consistere in actibus pœnitentis, subdit in solutione ad 2. hos actus originem ducere ex inspiratione interna: quia in hoc sacramento materia non exhibetur à ministro, sed à Deo interiùs operante. Ratio verò in primis esse potest, quia, si dolor procedat ex motiuo merè naturali, & humano quantùm est ex se, non auertit voluntatem ab affectu culpæ, sed ad summũ continet ab actu externo: vnde non sufficit ad veram accusationem coram Deo, sed potiùs videbitur illa esse narratio quædã periculi proprij, aut incõmodi: Si verò actus ille est ex aliquo motiuo honesto, & virtutis, tamen merè naturali, etiam est insufficiens ad veram attritionem, quam describit, & requirit Concilium Tridentinum, quod est in hac materia potissimum fundamentum. Est etiam insufficiens ad propriam accusationem de peccato, Deo factam: nam, licèt proximè fiat confessori, tamen reuerà principaliter Deo fieri debet. Præterea hæc pars videtur manifesta, quando pœnitens suam dispositionem bene nouit (de illo enim, qui ignorat, posteà dicemus) nam ille, qui hoc modo confitetur, accedit cum actuali conscientia, & voluntate peccandi mortaliter: ergo non est sufficienter dispositus ad hoc sacramentũ suscipiendum. Antecedens probatur ex suprà dictis, quia ille accedit indispositus ad effectũ sacramenti, ergo peccat mortaliter ita accedendo voluntariè, sicut dicto modo accedit. Consequẽtia verò probatur ex dictis: quia de ratione & essentia huius sacramẽti est, vt pœnitens accedat detestando efficaciter omne peccatum mortale, atque adeò sine actuali complacentia alicuius peccati mortalis.

Conc. Trid. D. Thom. Prima ratio.

11 Secunda ratio. Secundò ex Caietano suprà confirmatur, & explicatur hæc ratio, quia huiusmodi pœnitens sciens, & vidẽs repræsentat se sacerdoti tãquàm inabsolubilis, seu omninò absolutione indignus: ergo de se non sufficit illa dispositio ad valorem sacramenti huius. Cuius rationis vis ita explicatur. Quia, cùm pœnitẽs accedit ita dispositus, vel occultat confessori hãc dispositionem, seu potiùs indispositionem suam, & sic confessio est nulla, quia non est integra: vel proponit confessori suam dispositionem, & sic suamet confessione testificatur se esse indignũ absolutione: ergo incredibile est huiusmodi accusationem, & testificationem in hoc sacramento factam sufficere ad valorẽ absolutionis in eodem foro. Sicut enim impœnitens coram Deo est incapax remissionis peccati, ita impœnitens in hoc foro, est incapax absolutionis in eodẽ foro: ergo talis absolutio nulla est, & cõsequenter ipsa materia est insufficiens. Tertiò, quia vel hæc sententia intelligit esse necessariã absolutã & efficacem detestationem omnium omninò peccatorum: & sic

Tertia ratio.

sic est impossibilis, quia illius peccati, quod pœnitẽs committit accedendo cum tali dispositione à se cognita, non potest habere efficacem detestationem quandoquidem est in actuali voluntate illius; vel intelligit esse necessariam huiusmodi detestationem de peccatis præteritis, non verò de illo quod actu cõmittit: & hæc est voluntaria distinctio, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, cùm non minùs sit materia huius sacramenti vnum, quàm aliud.

21 Sed dicet aliquis, hæc argumenta non procedere in eo casu, quo pœnitens actualiter non peccat accedendo ad confessionem cum tali dispositione cognita. Quod accidere potest altero è duobus modis. Primò, si inuincibiliter existimaret illam dispositionem esse sufficientem, non tantùm ad sacramentum, sed etiam ad effectum sacramenti: secundò si existimaret non esse peccatum accedere ad sacramentum sine dispositione ad effectum. Respondetur, huiusmodi confessionem factam cum hac ignorantia, præsertim priori modo, pertinere potiùs ad punctum sequens, vbi disputabimus, nam hæc materia huius sacramenti necessariò sit attritio vera, vel sufficiat putata. Nam in dicto casu illa detestatio, cùm existimetur sufficiens dispositio ad effectum sacramenti, meritò dici potest existimata attritio, vel etiam contritio saltem extrinsecè, seu per informationem gratiæ acquirendę per sacramentum: itaque de hoc modo dispositionis ibi dicemus. Posterior autem modus ignorantiæ, præterquàm quòd moraliter vix accidere potest, ita vt à peccato excuset, omnino est per accidens. & nihil refert ad valorem confessionis: quia nec moraliter confert ad modum doloris, neque ad modum accusationis. Quod dupliciter declaratur. Primò, quia ille dolor de peccato, merè humanus & naturalis, per se est insufficiens duplici titulo sæpe tacto, scilicet quia non auertit de se voluntatem à peccato, seu ab affectu peccati: quod autem hîc & nunc propter ignorantiam, vel existimationem aliquam volũtas actu nõ peccet, est per accidens, & nõ mutat qualitatẽ materię vel dispositionis: & quia huiusmodi dolor non sufficit ad veram accusationẽ peccati coram Deo: non enim omnis narratio peccati proprij cum aliquo dolore habet rationẽ accusationis, vt per se cõstat: ergo ille modus doloris intrinsecè est insufficiẽs ad valorẽ huius sacramenti, neque propter illã ignorantiam potest fieri sufficiens. Quæ rationes, licèt efficaciùs procedant de secundo modo ignorantiæ, etiam ad primum possunt applicari. Denique hæc conclusio ex omnibus dicendis magis constabit.

Eluditur.

Accedẽs ad sacramentũ sine dispositione ad effectum non recipit sacramentum.

*Attritionem veram esse necessariam ad hoc sacramentum, & non sufficere existimatam, præsertim vincibiliter.*

13 TERTIO probatur altera pars assertionis, nimirum hanc attritionem veram & realem necessariam esse, & non sufficere existimatam, presertim existimatione vincibili, quæ nõ excuset à culpa mortali. Quam partem, præter Auctores suprà citatos, indicauit Bonau. d. 17. 2. p. art. 2. q. 3. Nec Durandus, aut Rich. suprà citati contradicunt, nec etiam Nauarr. nam in Sum. cap. 9. n. 16. affirmat, eum, qui confiteatur non adhibita debita diligentia, & ob id aliquod peccatum omittit, teneri ad confessionem iterandam, quia culpa sua integritatem omisit: quod verissimum esse, infrà ostendam. Vnde colligo hoc generale principium, qui culpa sua, præsertim mortali, omittit aliquid per se necessarium ad valorem huius sacramenti committere essentialem defectum, ideoque facere confessionem nullam & iterandam: hac enim de causa qui culpabiliter omittit integritatem, tenetur confessionem iterare, eadem enim vel maior ratio est de quacumque alia parte necessaria. Constat autem veram attritionem per se loquendo, necessariã esse: nam hoc vt minimum probãt, quæ hactenus circa præcedentes partes diximus. Et Conciliũ Florentinum, & Tridentinum hoc satis expresè docẽt. Nam cùm Florentinum ait, dolorem de peccato cõmisso esse primam partem sacramenti, non de putato dolore, sed de vero loquitur: dolor enim tantùm putatus, non est dolor: sicut quando ait, confessionẽ, & satisfactionem esse partes, de vera confessione, & satisfactione loquitur. Concilium item Tridentinũ hoc disertè declarauit, definiens hunc dolorem, & assignans eius motiuum, & originem, quam ex dono Spiritus sancti habet, & alia similia, quæ non cadunt nisi in talem dolorem de peccato, qui vera supernaturalis attritio, vel contritio sit: ergo hæc necessaria est, saltem per se loquendo. Imò, si hoc modo necessaria nõ esset, neque illius existimatio necessaria esset, sed sufficere posset alius dolor, etiam si de illo cognosceretur non esse veram attritionem: quia, vt supra in simili dicebam, falsa illa existimatio per se nõ est bona dispositio, neque auget illam: vnde neque etiam est pars sacramenti: ergo per se non potest postulari, sed ad summum vt excuset ab aliqua culpa. At verò, si attritio vera non esset per se necessaria ad hoc sacramentũ, nõ esset vlla culpa illã omittere etiã voluntariè: ergo existimatio eius non esset necessaria ad excusandum à culpa; ergo sine causa postularetur.

Conc. Flor. & Trid.

Principium notatu dignum.

Bonauen. Durand. Richard. Nauar.

14. Obiect. Dices, quanuis non sit per se necessaria ad substantiam sacramenti, esse per se necessariam ad effectum, & ex hac parte cadere sub obligationem, & propterea etiam, quando illa in re deest, necessariam esse existimationem eius, quæ excuset à culpa. Sed contra hoc est, nam licèt de inuincibili existimatione id posset sustineri: tamen de vincibili, de qua nunc agimus nullo modo, quia hæc non excusat à culpa, vt supponimus: ergo sine causa postulatur. Nam quòd excuset à tanta vel tanta culpa, id est, magis seu directè voluntaria, parum refert, si semper sistimus in latitudine culpæ mortalis. Alioqui idem esset in integritate, & quolibet alio defectu simili: quod est contra principium positum, & contra omnem rationem, absque vllo probabili fundamento: nam cùm huiusmodi pœnitens sit notabiliter negligens in examinanda sua conscientia, & pœnitentia, nullam habet legitimam excusationem, ob quam dicamus dolorem illum acceptari à Deo, vel à Christo institutum esse, vt sufficientem, cùm aliàs Concilia absolutè requirant veram attritionem.

Enodatur.

15. Quòd enim alij Auctores aiunt, hoc deseruire ad pacificandas conscientias, nullius momenti est, tum quia non est bona pax, quæ in errore fundatur: tum etiam, quia potiùs potest esse occasio negligentiæ in præparanda conscientia ad confessionem debito modo. Accedit præterea, quòd in moralibus & apud Deum eiusdem culpæ est aliquid committere ex negligentia culpabili, & ex cognitione, solùm enim differt in voluntario magis vel minùs perfecto: si ergo ille dolor imperfectus, & cognitus non est verus, nec sufficiens nec culpabiliter ignoratus, sufficiens erit. Cur enim ex illa negligentia debet peccator illud commodum reportare, vt sibi sufficiat imperfectus dolor, qui satis non esset, si post examinatam conscientiam suam illum cognosceret? Præterea, in moralibus non minus excusat passio vehemens, quàm ignorantia negligens: at verò, si pœnitens ob vehementem passionem, & affectum ad peccatum, solùm habeat displicentiam imperfectam, & hoc ipsum fateatur: non propterea

In moralibus idẽ est aliquid ex negligentia culpabili, ac cognitione cõmittere.

facit

facit confessionem validam: ergo nec propter ignorantiam vincibilem esse potest valida talis confessio.

Confessio sine vera attritione culpabiliter vera, putata nō est integra.

Maximè, quia necesse est, vt talis confessio sit non integra: quia ille homo dum sic confitetur, actu mortaliter peccat, & cùm alioqui non aduertat culpam, quam tunc committit, non potest illā confiteri, cúmque totum hoc fundetur in negligentia, & ignorantia culpabili, non fit sine culpa: ergo talis confessio est etiam culpabiliter non integra, & consequenter insufficiens, vt posteà videbimus. Adde, quòd de illo peccato vix potest vllus dolor, etiam imperfectus, haberi. Denique hæc pars à fortiori constabit ex sequenti.

---

## *Confessionem ex attritione humana factam, etiāsi inuincibiliter supernaturalis existimetur, esse nullam.*

16 QVARTO probandum est, adeò esse necessariam veram attritionem supernaturalē ad substantiam huius sacramenti, vt illa deficiente, existimata non sufficiat, etiāsi inuincibilis ignorantia intercedat. Quod, præter Auctores suprà citatos, docuit Ruardus art. 3. contra Luther. Et præcipuè suadetur argumento sumpto ex Concilio Tridentino, & his quæ suprà dixi. Nam Concilium eandem attritionē, & eisdē verbis requirit, vt partē sacramenti, & vt dispositionem ad effectū eius: sed suprà ostendimus in ratione dispositionis nō sufficere attritionē solū existimatā, etiā inuincibiliter: ergo neque in ratione partis sufficit. Deinde, quia Concilium dicit illam attritionem, quæ est pars, esse donū Spiritus sancti, quod etiam dixit D. Thomas suprà citatus: at verò in attritione existimata, neq; ipse dolor est donū Spiritus sancti, quia supponitur esse imperfectus, & merè naturalis, neq; etiam existimatio, quia est deceptio quædam: ergo. Præterea, quia Concilia dicunt, vinum v.g. esse materiā Eucharistiæ, nemo dicere potest, acetū inuincibiliter putatum vinum, aliquando sufficere. Neque solùm in materia, quæ est res sensibilis: sed etiam in materia, quæ est actus humanus, hoc verum habet: vt in sacramento Ordinis, si materia essentialis est tactus calicis, vel patenæ, etiamsi quis inuincibiliter putet se tetigisse, si reuerà non tetigit, nihil factum est: quia ignorantia humana non mutat materiam, nec Deus supplet essentialem defectum ob priuatum errorem: ergo idem cum proportione est in præsenti dicendum. Ratio verò seu congruentia institutionis illa est præcipuè, quia ad veritatem formæ huius sacramenti per se necessaria est attritio vera, & non putata quomodocunque, quia sine illa nō potest homo reuerà, & cum effectu absolui.

17 Ad veritatē formæ pœnitentiæ non sufficit aptitudinalis significatio.

Nec sufficit respondere, ad veritatem huius formę satis esse aptitudinalem significationem, id est, absoluere, quantùm est ex se. Nam, licèt hoc sit verum respectu alicuius impedimenti, seu causæ extrinsecæ, aut per accidens: tamen respectu propriæ materiæ, & per se requisitæ, non est satis. Nam talis forma per se requirit actualem efficaciam gratiæ, & hanc significat (per se etiam loquendo) ex vi verbi, *Absoluo*: ergo ex se requirit materiam proportionatam ad veritatem talis verbi, & significationis. Denique confirmatur, quia ignorantia inuincibilis solùm potest operari excusationem culpæ: quod hîc non est satis, nam quærimus veritatem materiæ: aliàs etiam ignorantia inuincibilis iuris sufficeret, quod nemo dicet. Nam, si quis sciens, & videns confiterētur sine vera arttitione, cum dolore aliquo ex solo motiuo humano quantumuis excusaretur à culpa, putans illam confessionem sufficere, nihilominùs verum sacramentum non reciperet, quia ex certa scientia veram materiam non apponit: ergo excusatio à culpa non satis est.

18 Differentia inter doloré & integritatem confessionis.

Vnde in hoc est magna differentia inter doloré, & integritatem confessionis, ex qua argumentū in contrarium sumebatur, eò quòd integritas interdum videtur suppleri per ignorātiam inuincibilem: est autem longè diuersa ratio, quia essētialis materia est cōfessio formaliter integra, non materialiter, seu quæ sit de omnibus peccatis, solùm quatenus post debitam diligentiā memoriæ, & conscientiæ occurrūt tanquā necessariò confitenda, quæ integritas per hanc negationem rectè explicatur, vt in ea nullum peccatum mortale culpabiliter taceatur: cuius signum est, quia ex quacunque alia causa excusetur homo à culpa tacendo aliquod peccatum, siue illa causa sit vera, siue ex inuincibili ignorantia iuris existimata, sufficit, etiamsi peccatum, quod omittitur, non sit oblitum, sed cognitum. At verò in interiori dolore non ita est, sed materia necessaria quoad hanc partem est attritio vera, & in re ipsa existens. Et ratio differentiæ assignari potest, quia confessio per se & natura sua pendet, tum ex memoria peccatorum, tum etiam ex aliis circunstantiis moralibus, quas concurrere oportet, vt necessaria sit: nā ille actus absolutè & nudè sumptus, non est semper expediens, neque aptus vt sub necessitate præcipiatur, nisi debitis circunstantiis vestiatur. Et ideò formalis integritas materiæ multùm pendet ex conscientia, & memoria pœnitentis. At verò pœnitentia interior absolutè & simpliciter bona est expediens, imò & per se necessaria ad remissionem peccatorum: & ideò non ita pendet ex pœnitentis opinione, vt per illius existimationem etiam inculpabilem suppleatur.

19 Similitudo inter confessionem exteriorem & attritionem.

Quod potest à simili declarati ex necessitate eiusdem impœnitentiæ interioris ad remissionem peccati. Nam, quia pœnitentia interior est necessaria necessitate medij ad remissionem peccati, non sufficit existimatio eius ad supplendum illius defectum: licèt enim fortasse talis existimatio excuset à noua culpa, non tamen supplet, neque applicat medium necessarium ad talem effectum. Ita ergo, quia pœnitentia interior, quæ sit vera contritio vel attritio, est necessaria necessitate medij seu materiæ ad constituendum hoc sacramentum, si illa desit, existimatio eius, quantuncunque excuset à culpa, non potest supplere defectum eius. Quo circa, potiùs in hoc est aliqualis similitudo inter confessionem exteriorem, & attritionem, quòd sicut absque vera exteriori confessione peccati non potest fieri hoc sacramentum, ita nec sine vera attritione interiori: & sicut illa non supplетur per existimationem, ita neque hæc: nam, si quis bona fide, seu absque culpa sua absoluatur sine præuia confessione, non propterea fiet sacramentum. Item, sicut confessio, quæ fit de aliquibus peccatis, aliis iusta excusatione omissis, est quidem sufficiens materia, ita etiam attritio de peccatis confessis est per se sufficiens materia, imò illa sola pertinet propriè ad hanc partem materialem, vt statim dicemus. Ac denique sicut confessio illa, quæ ex iusta causa fit de quibusdam peccatis, & non de aliis, ita est sufficiens, vt non satisfaciat per se pro peccatis non confessis, sed relinquat necessitatem illa confitendi debito tēpore: ita etiam interior pœnitentia de omnibus peccatis etiam non confessis, necessaria est, vt remitti possint. Illud ergo exemplum de confessione potiùs confirmat hanc sententiam, quàm illam impugnat.

*Satisfit argumentis contrariarum opinionum.*

20 ATQVE ita manet non solùm confirmata hæc pars, verùm etiam soluta fundamenta oppositæ sententiæ. Nam præcipuum erat illud, quod sumebatur ex integritate. Cætera verò omnia, quæ in hoc nitebantur, quòd homo tunc adhibet humanam diligentiam, & excusatur à culpa, & ex intentione sua facit veram accusationem: hæc, inquam, & similia parum probant: quia, licèt hoc iudicium humanum videatur, tamen reuerà est diuinum, nam in eo homo se gerit vt instrumentum & minister Dei: veritas autem & substantia diuini iudicij non est posita in humana existimatione, sed in conformitate ad rem ipsam: & ideò, licèt illa videantur esse vera accusatio, tamen in re ipsa, & apud Deum non est. Et ob eandem causam, licèt illa existimatio excuset à culpa, non sufficit ad veritatem talis iudicij seu sacramenti. Denique, Deus non exigit ab homine existimatam pœnitentiam, sed veram: ideóque qui tantùm habet existimatam, licèt fortè excusetur à culpa, in re tamen non implet illud præceptum, & ideò semper manet obligatio illud implendi, quoties constiterit illam existimationem falsam fuisse: ita ergo dicendum est de præcepto confessionis ita dolorosæ, vt ex vera attritione procedat. Nam hoc est quoddam diuinum præceptum determinans modum pœnitentiæ, veram tamen pœnitentiam sub tali modo ab homine exigens: & ideò, qui in re illam non exercet, licèt per ignorantiam excusetur à transgressione, re tamen vera illud non implet, ideóque per se & ex vi talis præcepti semper manet obligatio illud implendi.

21 Cani euasio. Respondent verò Cano, & alij, manere quidem obligationem implendi, quantùm ad id quod defuit, nimirum quoad attritionem addendam, non verò quoad confessionem iterandam, quæ iam integra facta fuit. Sed hoc non rectè dicitur, tum quia attritio non est vtcumque præcepta in lege noua, sed vt pars huius sacramenti; illa verò attritio quæ posteà haberi potest, non est pars sacramenti: vanum enim, & improbabile videtur quod quidam aiunt, illam esse partem sacramenti, ex eo solùm, quòd cadit in peccata iam confessa, constat enim hoc esse falsum, quia talis attritio nec per se sensibilis est, cùm sit merè interna, nec coniungitur alicui signo sensibili, quo manifestetur, & sensibilis fiat: nam cófessio quæ præcessit, non indicat dolorem, qui posteà subsequitur, cùm non sit effectus eius, sed merè per accidens adinuicem se habeant: & ideò hæc pars talis est, vt natura sua præcedere debeat confessionẽ, vel comitari: :non ergo satis est vt cadat in peccata iam confessa. Alioqui quoties contritio reperitur circa peccata confessa, semper esset pars sacramenti, haberetque effectum ex opere operato: quod verisimile non est, cùm illa confessio merè per accidens se habeat ad illam contritionem, neque sit signum eius. Igitur non satisfacit quis in dicto casu suæ obligationi habendo attritionem, nisi, per aliquam confessionem talium peccatorum eam subiiciat, & coniungat clauibus Ecclesiæ, vt fiat pars sacramenti. Atque simile argumentum fieri potest ex parte confessionis, quia non quæcunque confessio præcipitur, sed illa, quæ ex vera attritione procedat, & sit vera accusatio coram Deo: talis autem confessio facta non fuit, licèt facta fuerit exterior narratio peccatorum: ergo manet semper obligatio iterandi confessionem. Item præcipitur talis confessio, quæ sit pars sacramenti in actu: non est autem pars actu, quæ non est vnita alteri parti essentiali, qualis in præsenti est vera attritio: ergo ob hoc etiam per illam confessionem non impletur hoc diuinum præceptum, etiam quoad ipsam confessionem: quia hæc duo, scilicet confessio, & dolor ex vi præcepti huius sacramenti non præcipiuntur vt disiuncta, & separata, sed vt coniuncta, & constituentia vnam materiam sensibilem, & essentialem huius sacramenti. Quando ergo confessio non ita fit, licèt fortè excusatio intercedat per ignorantiam, semper manet, ex vi necessitatis huius sacramenti, obligatio ad iterandam confessionem eorundem peccatorum mortalium.

Prælcluditur. Attritio subsequens confessionem peccatorum non est pars sacramenti.

22 Ignorantia excusans à culpa ob cõfessionẽ indebitè factã frequentiùs excusat ab iteranda confessione.

Dico autem semper, *quantùm est ex vi præcepti, & necessitate sacramenti*: quia in casu, de quo loquimur, moraliter loquendo, frequentiùs accidit, vt ignorantia, quæ prùs excusauit à culpa, quando confessio sine debito valore facta est, semper posteà excuset ab iteranda confessione illorum peccatorum. Atque hoc sufficit ad vitandum, quod contraria sententia nobis obiiciebat de turbanda pace, & quiete conscientiarum: nam ad hanc pacem & quietem sufficit illa bona fides, cum qua quispiam confessus est ex inculpabili ignorantia, nam cum eadem potest esse semper quietus absque scrupulo iterandi confessionem, nisi casu accidat posteà veriorem rerum notitiam comparare, quæ planè ostendat priorem deceptionem, & bonam fidem auferat: tunc enim nullum est inconueniens, quòd ablata excusatione, vrgeat obligatio talia peccata confitendi: neque hoc est contra quietem, sed potiùs ad generandam veram conscientiæ pacem confert. Potest autem hoc facilè accidere quãdo prior excusatio orta fuit ex ignorantia iuris, quia hæc potest facilè percipi, & mutari: quando verò orta fuit ex ignorantia facti (in quo casu nunc maximè loquimur) rarissimè id continget. Est enim homini perdifficile suam internam dispositionem prout in re est cognoscere: & ideò, si eo tempore, quo illam exercet, per ignorantiam inuincibilem fallitur, & putat esse attritionem, cùm non sit: quomodo posteà, illa iam transacta, meliùs eam cognoscet, intelligetque se deceptum fuisse? Itaque ob hanc causam, practicè loquendo, aut nunquàm, aut rarissimè insurget illa obligatio absque excusatione, quantùm attinet ad necessitatem præcepti: quantùm verò spectat ad necessitatem medij, tollentur per accidens illa peccata per alias confessiones validas, aut per contritionem.

*Attritionem vniuersalem de mortalibus confessis esse necessarium.*

23 QVINTO loco probanda est vltima pars in nostra sententia proposita, nimirum necessariam esse talem attritionem, quæ vniuersalis sit de omnibus peccatis mortalibus confessis. Ad quam intelligendam reuocandum est in memoriam, quod suprà de contritione, & attritione traditum est: nam illa prior semper est vniuersalis de omnibus peccatis ex vi motiui: hæc autem ita potest esse de vno peccato, vt non sit de omnibus. Et ideò de vera contritione non esset necessaria hæc pars: nam si confessio fiat ex vera contritione, regulariter etiam fiet ex dolore, qui formaliter cadat in omnia peccata confessa, ac proinde ex hac parte sufficiat ad valorem sacramenti: quod statim ampliùs declarabimus. At verò attritio potest esse de vno peccato, vt dixi, & non de omnibus, neque formaliter, neque virtute: & ideò addimus, necessariam esse vniuersalem attritionem de omnibus peccatis confessis, siue illa habeatur generatim per vnum actum sub aliquo generali moti-

Non datur contritio vniuersalis.

## *An necesse sit attritionem formaliter concurrere, & antecedere confessionem.*

28 Formalem dolorem necessariò debere concurrere ad sacramentalem confessionē.

NONNVLLA verò superſunt breuia dubia explicanda. Vnum est, an necesse sit huiusmodi attritionem formaliter concurrere: & an tempore, vel saltem natura debeat antecedere confessionem ipsam. In qua re duo videntur mihi certa. Primò, necessarium esse vt formalis dolor, qui sit contritio, vel attritio, qualis à nobis descripta est concurrat ad sacramentalem confessionem mortalium peccatorum: hoc enim vt minimùm probant omnia quæ hactenus adducta sunt: & sine dubio Concil. Florentinum, & Tridentinum cùm assignant materiales partes huius sacramenti, apertè loquuntur de formali dolore, seu detestatione per pœnitentiam. Item est optima ratio, quia hic formalis actus pœnitentiæ est per se necessarius ad remissionem mortalis peccati, vt suprà ostensum est: quæ necessitas maximè occurrit, quando quis iustificari vult de peccatis, quæ actu recogitat: hoc autem fit in hoc sacramento, quia confessio non fit sine recogitatione peccatorum, & in ordine ad eorum remissionem: ergo meritò ita est institutum, vt formalem aliquam pœnitentiam essentialiter requirat: maximè cùm vera accusatio de peccato apud Deum sine pio animi dolore fieri non possit. Ex quo obiter colligo contritionem, vel attritionem propter pœnas inferni, aut aliud vniuersale motiuum, licèt formaliter terminetur ad vnum peccatum particulare, virtute comprehendere omnia peccata mortalia: nihilominùs tamen in ordine ad confessionem necessariam esse contritionem, vel attritionem, quæ formaliter terminetur ad omnia peccata de quibus fit confessio, quia huiusmodi formalis pœnitentia est per se necessaria de peccatis commissis, & ad eorum veram accusationem. Non oportet tamen vt ad singula peccata specialiter terminetur per repetitionē plurium actuum: quia hoc nec ad veram pœnitentiam, neque ad veram accusationem necessarium est: sed sufficit dolor vniuersalis de omnibus peccatis confusè conceptis, qui virtute extendatur ad singula, prout de illis accusatio fit in virtute talis doloris.

Dolor ex vniuersali motiuo virtute se extēdit ad omnia mortalia.

Attritio non est necesse vt terminetur ad singula peccata.

29 Potest dolor tempore antecedere cōfessionem.

Secundò, est certum posse quidem dolorem hunc tempore antecedere ipsam confessionem, non tamen id esse necessarium, sed aliquando posse comitari confessionem ipsam. Prior pars constat; quia iuxta communem vsum, confessionem antecedit cogitatio peccatorū, quæ optimè fit, si cū vero animi dolore fiat: postea verò fit confessio in virtute talis recogitationis, & doloris. Contingere autem potest, vt in actuali confessione ita homo attendat ad peccatorum explicationem, vt nullum internum dolorem tunc actu exerceat. Item potest accidere, vt dum absolutio conceditur, nullus iteretur dolor, vel ob naturalem distractionem, vel ob aliam causam, & nihilominùs sacramentum illud sine dubio validum est, & confessio sufficiens; quia mortaliter illi coniungitur dolor, qui præcessit, & virtute sua illam confessionem informat: potest ergo interdum dolor tempore antecedere confessionem. Solùm oportet aduertere semper esse necessarium, vt talis dolor internus ex intentione pœnitentis formali, vel virtuali, ad confessionem referatur: quod fit quoties quis peccata recogitat, & de eis dolet, vt ea confiteatur, vel præbet signum sui doloris in ordine ad confessionem faciendam, seu absolutionem obtinēdam: ac denique, quoties quis dolet de peccatis cum expresso proposito illa confitendi, ex cuius virtute postea confessionem facit; nam quilibet ex his modis sufficit ad veram accusationem: aliqua verò huiusmodi relatio necessaria est, quia intentio sacramenti, & partium eius in ordine ad constitutionem illius, necessaria est ad sacramentum conficiendum.

Debet tamē formaliter, vel virtualiter ad confessionem referri.

Altera verò pars, scilicet, quòd hæc temporalis antecessio doloris simpliciter necessaria non sit, probatur facilè: quia non est de necessitate huius sacramenti, vt recogitatio illa tempore antecedat, potest enim in rigore fieri in ipsa confessione si ob eam causam non timeatur, periculum obliuionis alicuius materiæ necessariæ. Item quanuis recogitatio antecedat, potest fieri sine vlla interna pœnitentia, quæ haberi postea potest in ipsa actuali narratione peccatorum, quod satis omninò est ad veram confessionem faciendam: ergo potest contritio tempore comitari confessionem, etiamsi nullo modo præcedat durationem. Nam ordine naturæ dici potest hic præcedere quia illa confessio, quatenus est accusatio, à tali dolore procedit.

30. Non est necesse vt attritio tempore antecedat confessionē.

## *An necesse sit, vt dolor saltem natura confessionem antecedat.*

HINC verò difficultas oritur, an hæc antecessio secundùm naturæ ordinem necessaria sit ad valorem confessionis, & consequenter, an omninò necessarium sit vt contritio non sit posterior confessione: sed ad minimum cum illa tempore concurrat. Videtur enim ex dictis sequi, necessarium esse, vt contritio de peccato saltem natura sit prior, quàm eius confessio: quia necessitas contritionis in præsenti est, vt confessio veram rationem accusationis habeat, ad hoc autem necesse est vt confessio ex contritione procedat: ergo oportet vt contritio ordine naturæ antecedat. Vnde vlteriùs videtur sequi, necessarium esse, vt contritio non subsequatur confessionem, sed ad minimum coëxistat illi, quia prioritas naturæ saltem requirit coëxistentiam causæ cum effectu: nam hæc causalitas ad quādam efficientem pertinet. In contrarium verò est, quia iuxta communem vsum fidelium tam pœnitentium, quàm confessorum post absolutam confessionem peccatorum omnium, solent excitari ad generalem contritionem peccatorum eorundem, & ad exhibenda signa eiusdem contritionis, seu doloris, idque censetur ex hac parte sufficiens, vt ritè & rectè detur absolutio, siue dolor anteà præcesserit, siue non. Dico ergo, hoc etiam satis esse ad veritatem sacramenti. Ratio est, quia, licèt tota prior narratio peccatorum, quatenus tempore antecessit contritionem, nondum habuerit completam rationem accusationis, vt ratio priùs facta conuincit: tamen, quatenus postea informatur per consequentem contritionem, & vt sic informata subiicitur clauibus ab ipsomet pœnitente postulante, vel expectante absolutionem, sufficienter consummatur in ratione accusationis sacramentalis: hoc ergo satis est ad veritatem sacramenti.

31

Satis esse vt habeatur ante absolutionem.

## *Sitne propositum non peccandi de ratione attritionis necessariæ ad valorem sacramenti.*

VLTERIVS verò dubitabit aliquis, an propositum non peccandi sit etiam de ratione huius attritionis necessariæ ad sacramentum. In quo duæ videntur esse extremæ sententiæ. Prior est affirmans æquè necessarium esse propositum, ac dolorem. Quod sentit Medina Cod. de Confes. q. de Confessione ficta iteranda. Et fauent illi Concilium Florentinum, & Tridentinum. Nam Florentinum ait, primam

32 Prior opinio affirmans. Medina. Conc. Flor. & Triden. Posterior opinio negās.

primam partem huius materiæ esse contritionem, ad quam pertinet dolor de peccato cum proposito non peccandi de cætero: quod etiam dicit Concilium Tridentinum cap.4. Alia verò sententia nec virtuale propositum requirit. Quod sentiunt Auctores citati in opinione impugnata sect. præcedente circa finem: & apertè Soto d.17.q.1.art.2. dum ait, confessionem nunquàm esse fictam ex defectu propositi, si tamen pœnitens suum defectum confiteatur.

Soto.

33 Propositum non peccandi virtuale sufficere ad sacramentũ.

Dicendum verò existimo, propositum saltem virtuale esse de essentia huius sacramenti. Hoc constat ex suprà dictis, quia absoluta, & efficax detestatio peccati est de essentia huius sacramenti: constat autem huiusmodi efficacem detestationem includere saltem virtuale propositum nũquàm simile committendi. Vnde vlteriùs addo, si confessio sit de mortalibus peccatis, per se loquendo necessarium esse propositum formale vitandi illa, quia reuerà tale propositum est per se loquendo necessarium ad habendam veram pœnitentiam & attritionem de tali peccato, vt ex suprà dictis constat. Vnde fit, vt si aliquis sciens & videns confiteatur de huiusmodi peccato sine tali proposito, & in ea dispositione velit absolutionem recipere, sine dubio grauiter peccet, & consequenter sacramentũ sit nullum, iuxta principia suprà posita. Nec refert quòd suum defectum confiteatur (quidquid Soto dicat) quia illa cõfessio fit cum actuali complacentia, vel cõmissione mortalis peccati, & ex hac parte est omninò nulla. A posteriori etiam potest sumi mortale signum: nam qui videt se non habere propositum, & non vult illud efficere, signum est nec propositum virtuale habere: nam hoc habito, & posita dicta aduertentia, facillimum esset habere formale. Vnde nihil est magis vsitatum in administratione huius sacramenti, quàm exigere à fidelibus propositum cauendi peccata, præsertim mortalia.

In confessione mortalis requiritur formale propositum.

Nec satis est confiteri talem defectũ.

42 Formale propositum non est tam necessarium ac dolor, præsertim in cõfessione venialium.

Vltimò verò addo, formale propositum non videri mihi tam necessarium, quàm formalem dolorẽ, & maximè quando materia est venialis. Vnde si quis bona fide verè detestetur peccatum, quod cõfitetur, & non aduertat ad formale propositum in futurum, ita vt in omittendo non peccet, existimo sacramentum esse validum, & sufficere propositum virtuale in dolore inclusum. Ratio esse potest, quia Concil. Trid. loquens de attritione, non tam expressè requirit formale propositum, sed solùm dolorem illum, qui voluntatem peccandi excludat: prædictus autem dolor reuerà excludit hanc voluntatem, cùm includat virtuale propositum contrarium. Item, quia attritio formaliter consistit in dolore, seu retractatione peccati commissi, & cùm confessio consistat in accusatione de commisso peccato, maximè intrinsecè requirit detestationem eiusdem peccati: vnde dispositio in futurum non videtur esse tam intrinseca: & ideò non videtur esse omninò eadem ratio.

## *An propositum obediendi confessori in omnibus sit de necessitate contritionis, vt est pars sacramenti.*

Vltimo expeditur ex dictis aliud dubium, quod hîc tractari solet, videlicet, an propositum obediendi confessori in omnibus sit de necessitate contritionis, seu attritionis, quæ est pars essentialis huius sacramenti. Ad hoc enim breuiter dicendum est. In tantùm esse hoc propositum necessarium, in quantùm continetur in vniuersali proposito seruandi omnia mandata: in iis enim, quæ confessor præcipere potest, pœnitens tenetur obedire, & consequenter habere animum, & propositum obediendi, & seruandi hoc præceptum, sicut cætera. Duo autem sunt quæ confessor præcipere potest: primum pertinet ad satisfactionẽ pro pœna debita peccatis commissis, de qua potestate, & obligatione illi respondente, dicam infrà in materia de satisfactione. Secundum est pertinens ad debitam dispositionem: vel emendationem in futurum, in quo ferè nihil nouum potest confessor præcipere, sed explicare potiùs & proponere pœnitenti id, quòd aliàs ipse facere tenetur, vt quòd restituat, vel occasionem tollat, &c. vt bene notauit Sylvest. verb. *Restitutio.* 5.§.7. Nam, si quid potest confessor ex sua potestate addere, totùm reducitur ad impositionem satisfactoriæ pœnitentiæ. An verò in huiusmodi rebus, quas confessor faciendas proponit, teneatur pœnitens sequi iudicium, vel opinionem confessoris, vel potiùs è contrario confessor teneatur conformari opinioni pœnitentis, dicemus infrà agentes de obligationibus confessoris, & de modo quo se gerere debet circa pœnitentem.

Sylvest.

## SECTIO V.

### *Vtrùm confessio possit esse informis ex defectu doloris.*

1 Variis modis potest dici confessio informis.

Hæc quæstio annexa est præcedenti, & ex principiis positis expediri facilè potest, & ideò hoc loco tractanda est, sicut tractatur à Doctoribus in 4.d.17. Confessio ergo informis variis modis dici potest. Primò illa, quæ non informatur vera sacramentali forma: & hoc modo non est dubium, quin possit dari confessio informis, vt si sacerdos post auditam confessionem nolit absoluere, vel non cum debita intentione, &c. ex qua confessione constat non fieri sacramentum. Secundò, dici potest confessio informis illa, quæ ex quocunque defectu essentiali insufficiẽs est ad conficiendum sacramentum, siue ex defectu integritatis, siue doloris, siue iurisdictionis, &c. & hoc etiammodo constat confessionem posse esse informem. Sed de his modis nunc non agimus. Tertiò, potest confessio dici informis, quia dum fit, seu ante absolutionem non informatur gratia, seu vera contritione perfecta: & hoc modo etiam per se notum est, dari posse confessionem informem. De quo etiam modo non agimus: quia constat confessionem hanc esse sufficientem ad conficiendum sacrameutum, & in fine eius formari per effectum illius. Quartò ergo, & ad rem, confessio informis vocatur, ex qua verum efficitur sacramentum adueniente sacramentali forma, & tamen etiam post illud receptum informis manet, quia non est sufficiens ad effectum sacramenti consequendum: & de hac sunt opiniones.

Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

2 Prima sent.

Prima ergo sententia negat posse dari huiusmodi confessionem informem. Cuius fundamentum est, quia dispositio ipsa, seu attritio, quæ sufficiens est ad consequendum sacramenti effectum, est pars essentialis eiusdem sacramenti, & ideò non potest confici tale sacramentũ, quin recipiatur in subiecto dispositio, & consequenter in illo habeat effectum, atque ita formatũ sit. Hæc verò sententia duobus modis defendi potest. Primò, asserendo veram & supernaturalem contritionem, vel attritionem in re existẽtem esse de essentia sacramenti, sicut etiam est necessaria ad effectum. Et hoc modo defendunt illam Gabriel, Maior, Adrianus, & Medina suprà citati. Et apertè eam docuit D. Thom. in 4.d.23.q.1.art.4.q.2. Secundò, asserendo è contrario attritionem existimatam ex ignorantia

Primus modus defendendi hanc opinionem. Gabr. Maior. Adrian. Medina.

D. Thomas. Secundus defendi modus

ignorantia inuincibili necessariâ esse,& sufficere,non solùm ad substantiam, sed etiam ad effectum sacramenti. Et hoc modo defendit hanc sententiam Vega lib. 13. in Trident.c.26.34.& 36. Sed hic posterior modus à nobis iam reiectus est.

Ant. Vega.

Secunda sententia est,posse dari verum sacramentum pœnitentiæ validum quoad substantiam, & informe quoad effectum ob defectũ contritionis.Hanc opinionem tenuit D.Tho.in 4.d.17.q.3.art.4.q.1.vbi idem sentit Capreol.q.1.art.3.ad 4. contr.2. conclus. & ibidẽ Rich.& Palud.q.8. Consentiunt etiã Caiet. Soto, Cano, Ledesma, Sylvest. Nauar.& Couarr.citati in fine sect.3.& in principio section. præcedent. Fundamenta generalia his omnibus Auctoribus sunt, vel quia in aliis sacramentis omnibus dari potest aliquando sacramentum validum, & informe : vel quia contraria opinio est nimis rigorosa. Nam ex illa sequitur sæpe obligari fideles ad iterandas confessiones, nunquámque in hocposse esse quietos,cùm non magis certi sint verè fuisse confessos, quàm fuisse iustificatos. Neutrum autem ex his fundamentis solidũ est. Nam quoad primum, assignari potest clara differentia,quã indicauit D.Tho.dict.d.23. quia in nullo sacramento contritio ipsa, quæ est dispositio ad gratiam, & remouet obicem, est essentialis pars sacramenti, nisi in hoc. Ad secundum verò dicetur, non esse rigorem, qui in veritate fundatur,& hãc esse alia ratione inuestigandam. Illud verò inconueniens de iteratione confessionum vitari potest eo modo, quo explicauimus sectione præcedente in 4.puncto. Habent præterea dicti Auctores specialia fundamenta, iuxta diuersos modos, quibus dictam sententiam declarant: nam in hoc etiam non conueniunt.

3 Secunda sententia. D.Thom. Capreol. Richard. Palud. Caietan. Sotus. Canon. Ledes. Sylvest. Nauar. Couar.

D. Thom.

Primus ergo modus asserendi hanc sententiam est, confessionem integram omnium peccatorum semper esse validam, etiamsi absque dolore hat, & proposito non peccandi formali vel virtuali. Et fundamentum est, quia dolor, præsertim efficax, non est de essentia,& absoluta necessitate huius sacramenti. Et ita omnes Auctores, qui hoc principium tenent, hunc modum sequuntur. Faciliùs tamen id docent, quando talis defectus ab ipso pœnitente percipitur: nam,si illum percipiat,& non confiteatur, iam tunc sacramentum non erit validum, non tamen ex defectu doloris,sed integritatis:quia velle recipere sacramentum cum ea dispositione cognita, graue peccatum est,quod in eadem confessione tacetur. At verò, si etiam illud peccatum in confessione dicatur,& nihilominùs iniquus sacerdos det absolutionem, quidã dubitant,vt Paludanus, & Capreolus. Alij verò consequenter loquendo, non dubitant ; sed aiunt illud esse sacramentum validum,& informe,vt Caiet. Cano,& alij:quia in tali confessione nullus est defectus essentialis. Nam, licèt requiratur aliqua displicentia cum velleitate non peccandi, totum hoc esse potest cum illo actuali peccato, eiusque confessione. Hic verò dicendi modus tàm est improbabilis, quam fundamentum eius : neque est vtilis ad pacem conscientiarum, sed potiùs valdè noxius, & ad corruptionem earum.

4 Primus modus defendendi hanc sententiam.

Improbabilis reputatur.

Est ergo secundus modus, dicens, tunc fieri sacramentum hoc validum, & informe, quando in re ipsa fit sine sufficienti dolore ad gratiam obtinendam:tamen defectus hic nõ percipitur à pœnitente, etiamsi sit ex ignorantia ita culpabili, vt non excuset pœnitentem à nouo peccato mortali in tali confessione commisso.Quod tenent Nauar.in Summ.c.9.n.13.& Soto d.18.q.3.art.3.quanuis d.17.q.1.art.2.oppositũ sentire videatur, vt in fine præcedentis sectionis retuli.Hæc verò opinio etiam nititur falso fundamẽto, vt ex ibi dictis constat: imò talis confessio non solùm habet essentialem defectum contritionis, sed etiam integritatis, quia illud peccatum de nouo commissum in confessione non declaratur, idque non absque culpa,cùm ex culpabili negligentia hoc fiat.

5 Secundus defendendi modus.

Nauar. Sot. Reiicitur.

Est ergo tertius modus : dicens, tunc solùm dari hoc sacramentum validum, & informe, quando fit sine dolore sufficiente ad gratiam consequendam, & sine nouo peccato propter ignorantiam inuincibilem.Quem modum tenet Petrus Soto lect.8.de Cõfess. qui loquitur de dolore illorum peccatorum, quæ in confessione declarantur, & de defectu illius quantùm ad perfectionem intensiuam, seu qualitatem eius. Nam certum est,aliquẽ dolorem definitæ perfectionis, quam Deus nouit, ad minimum esse necessariam ad gratiã in hoc sacramento obtinendã.Certũ etiam est, teneri hominem ex præcepto non recipere hoc sacramentum cum minori dolore, quia tenetur non ponere obicem effectui sacramenti:ideoque, si cum minori dolore accedat, vel ex certa scientia, vel ex ignorantia culpabili,negat hæc opinio, fieri sacramentum informe, quia cum actuali peccato non potest fieri hoc sacramentum validum.Existimat autem Petrus Soto minorem dolorem etiã intensiuè, vt sic dicam,sufficere in re ipsa ad valorẽ sacramenti,quàm ad effectum eius : ideoque si cum illo fiat confessio, & aliunde excusetur peccatum propter bonam fidẽ, sacramentum fieri validum, & informe. Veruntamẽ illud principium, quod hæc opinio supponit, videlicet,minorem dolorem de peccatis confessis sufficere in re ipsa ad valorem sacramenti quàm ad effectum eius, falsum est. Et primò nec à P.Soto, nec ab aliis Auctoribus aliquo testimonio, vel efficaci ratione probatur. Secundò videntur repugnare Concilium Florentinum, & Tridentinum,quæ indistinctè vnum & eundem dolorem constituunt, vt partem sacramẽti, & vt dispositionem ad effectum eius. Ex quo principio suprà probauimus, dolorem, qui est pars sacramenti, debere esse veram, & supernaturalem attritionem, quam etiam ostendimus esse sufficientem dispositionem ad effectum. Aliis etiam rationibus, ex modo,& institutione huius sacramentalis iudicij ostendimus, per se, & ex vi institutionis non requiri minorem dolorem ad valorem huius sacramenti, quàm ad effectum eius. Cùm ergo dicti Auctores neque alios modos assignent ad hanc secundam sententiam defendendam, nec probabiliora afferant fundamenta, videri potest illa secunda opinio reiicienda.

6 Tertius modus.

Petr. Soto.

Refellitur.

## *Posse dari confessionem validam, & informem ex defectu extensiuo contritionis, vera sententia.*

7

NIhilominùs tamen censeo posse dari aliquam confessionem validam ad sacramentum constituendum, & informem quoad effectum ex defectu attritionis extensiuo, non intensiuo, seu ex defectu integritatis, non qualitatis ipsius attritionis, & prouenientе ex inculpabili inaduertentia, vel ignorantia : quanuis enim hic modus non ponatur à prædictis Auctoribus ; tamen ex dictis in superioribus sectionibus colligi videtur.Nam,in secunda sect.ostendimus attritionem sufficientem ad effectum gratiæ impetrandum in hoc sacramento debere esse vniuersalem de omnibus peccatis mortalibus, quæ homo cõmisit, & nunquã retractauit; quia sine aliqua interiori pœnitentia, nullum peccatum mortale remittitur, etiam per sacramentum. Rursus in superiori sectione ostendimus, posse aliquãdo pœnitentem sine noua culpa confiteri cum vera attritione aliquorum peccatorum, non verò omnium quæ commisit. &

tunc

tunc confessionem cum tali attritione factam esse sufficientem ad conficiendum validum sacramentum: talis ergo confessio & valida erit iuxta hanc posteriorem doctrinam, & informis iuxta priorem.

3. Dicet verò aliquis quanuis talis attritio præcisè cõsiderata ex obiecto & motiuo suo sit particularis, & non extendatur etiam virtualiter ad peccata oblita, nihilominùs, vt hic & nunc coniungitur voluntati suscipiendi sacramentum & redeundi ad diuinam amicitiã, virtualiter extendi ad omnia peccata, ideoque sufficere etiam ad effectum sacramenti. Sed, hoc nõ rectè dicitur: quia illa voluntas suscipiendi sacramentum per se non est formalis, nec virtualis attritio aliorum peccatorum, quia nec formaliter, nec virtualiter opponitur peccato, neque etiam illa voluntas recuperandi diuinam amicitiam est virtualis attritio, nisi sit ita efficax vt applicet media necessaria ad talem effectũ, quod nõ habet talis volũtas in prædicto casu. Sicut qui orat, aut audit sacrum, petendo diuinam amicitiam, non propterea iustificabitur, nisi alias habeat contritionẽ de peccato. Ergo hinc non suppletur sufficienter ille defectus quapropter talis confessio informis manebit, quanuis valida sit.

2. Primum. Sed statim occurrit obiecto, quia fundamenta præcipua, propter quæ alios modos reiecimus, æquè videtur hunc impugnare. Primum ac præcipuum erat, quia Concilium Tridentinum non distinguit inter attritionem, quæ est pars, & quæ est dispositio: at nos iam hîc distinguimus: dicimus enim aliquam attritionem esse sufficientem partem, non verò sufficientem dispositionem. Secundum. Secundum erat, quia cùm hoc sacramentum sit iudicium, illa confessio, quæ sufficit, vt aliquis absoluatur in tali iudicio, debet etiam sufficere ad effectum: & è conuerso, quæ est necessaria ad effectum, debet esse necessaria ad valorem iudicij: hoc autem fundamentũ æquè procedit contra nos. Quod confirmatur, & explicatur: nam qui ita confitetur, vt validè absolui possit quoad substantiam sacramẽti, ita est dignus absolutione, vt ei debeatur, nec possit iudex eam iustè negare: ergo est etiam dispositus sufficienter ad effectum sacramenti, quia in nullo iudicio ampliùs requiritur ad effectum absolutionis, quàm quòd reus illa sit dignus. Tertium. Tertiò argumentor in hunc modum, quia hic defectus tantùm est integritatis, vt nos diximus: defectus autem integritatis, quando inculpabilis est, sicut non est contra substantiam sacramenti, ita neque impedit effectum eius, vt de integritate confessionis constat: idem ergo erit de integritate cõtritionis. Cõfirmatur, quia facienti quod in se est per auxilium supernaturale, dat Deus sanctificantem gratiam: sed ille facit quod in se est, nam dolet supernaturaliter, & confitetur, quantùm moraliter potest: ergo consequitur gratiam: non est ergo illa confessio informis: sed formata.

10. Soluuntur obiectiones. Hæc argumenta ostendunt sententiam hanc non esse æquè certam quoad duas partes quas includit: prior est affirmans talem confessionem esse validam; alia negans per illam hominem iustificari. Ex quibus prior videtur satis certa, cum ibi nihil desit, quod sit de substantia sacramenti: posterior autem videri potest dubia propter rationes factas. Nihilominùs tamen argumentum sumptum ex necessitate pœnitentiæ omnium peccatorum ad eorum remissionem, partem hãc probabiliorem esse ostendit. Prima. Ad primam ergo obiectionem respondeo, iuxta nostram sententiam, illam attritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam quantùm est ex se, & respectu eorum peccatorũ de quibus est. In quo multùm differimus ab aliis sententiis: & non admittimus alium modum attritionis etiam ad substantiam sacramenti, præter eos quos posuit Concilium Tridentinum. Nihilominùs tamen Explicatur Conc. Trid.

A fieri potest, vt aliunde ponatur obex, & quòd respectu peccati obliti talis attritio non sit sufficiens dispositio. Vnde, cùm Concilium ait, attritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam in sacramento impetrandam. Primùm intelligit, si habeat omnia requisita, scilicet, vt vniuersalis sit: vel loquendo in ordine ad sacramentum, intelligit per se, & quantùm est ex parte talis dispositionis. Sacramentum enim hoc per se remittit ea peccata, quæ quis confitetur, & ad hunc effectum per se sufficiebat illa attritio, si aliud non obesset: per accidens autem, quia in subiecto est obex peccati, quod nullo modo remouetur impediri potest talis effectus.

11. Secunda soluitur. Ad secundum eodem modo respondendum est, illam confessionem per se quidem sufficere ad effectum sacramenti absque perfectiori dolore, vel intensiuè, vel extensiuè, si nullum per accidens lateret peccatum. Et propter hoc ratio illa non ita procedit contra hunc modum confessionis informis, sicut contra alios. Nam in aliis dicitur aliquis dolor per se sufficere ad veritatem sacramenti, & absolutionis, qui intrinsecè etiam ac per se est insufficiens ad effectum absolutionis: quod nos credimus repugnare: non verò, quòd dolor, qui per se sufficeret ad veritatem absolutionis, & ad effectũ ex accidenti possit impediri propter aliud peccatum omninò oblitum; vel (quod idem est) propter defectum doloris alterius peccati. Vnde ad confirmationem concedimus totum, quod intendit quãtùm ad sufficientiam per se talis dispositionis, qua non obstante, potest aliunde impediri effectus, seruata æquitate iudicij. Addo præterea, si sacerdoti constaret de tali defectu, non solùm non teneri, verùm etiam non posse licitè absolutionẽ dare: quia, licèt respectu taliũ peccatorũ pœnitens sit sufficienter dispositus, & ideò si alia peccata non haberet, posset ab eis dignè absolui; tamen, quia alia habet, respectu quorum nõ est dispositus, vt remittantur, & aliunde vnum peccatum sine alio auferri non potest, ideò sacerdos, cui constaret de tali defectu non posset licitè absolutionem præstare; quia non potest dare sacramentum ei, qui obicẽ ponit seu non est simpliciter dispositus ad effectum. Nunc verò quia talis defectus omninò latet (hoc enim tanquam necessarium supponimus) & aliunde sententia iustè fertur in iudicio secundùm allegata, & probata in tali foro; ideò contingere potest vt sententia iustè feratur, & pœnitens quantùm ex vi præsentis cõfessionis, & dispositionis, sit dignus absolutione talium peccatorũ in hoc foro, & nihilominùs, vt propter extrinsecum impedimentum non cõsequatur effectum.

Cõfirmatio ni satisfit. Confessor non potest licitè absoluere quẽ scit esse indispositũ ad effectum.

12. Tertiæ obiectioni respõdetur. Differentia inter integritatẽ cõtritionis & materialis confessionis. Ad tertium respondetur, non esse simile de integritate confessionis, & attritionis. Defectus enim integritatis materialis confessionis, quando inculpabilis est, nec substantiam, neque effectum sacramenti tollit, defectus autem integritatis in interiori pœnitentia, licèt non sit contra substantiam sacramenti, impedit tamen effectum. Et ratio differentiæ est, quia confessio exterior, secluſa necessitate proueniente ex institutione, & præcepto huius sacramenti, non est per se dispositio, aut medium necessarium ad remissionem peccati: & ideò, quacunque ratione præceptũ confessionis sufficienter impleatur, quantùm necesse est ad substantiam sacramenti, ex ea parte sufficit etiam ad effectum. At verò pœnitentia interior de quocunque peccato mortali secluſa institutione & necessitate huius sacramenti, est per se dispositio, & medium necessarium ad remissionem cuiuscunque peccati mortalis, & ideò, licet ex parte confessionis: & sacramenti adhibeatur attritio sufficiens ad substantiam eius, si tamen respectu alicuius peccati desit sufficiens pœnitentia interior, quæ ex se est dispositio

ſpoſitio, & medium neceſſarium ad remiſſionem, eius, poteſt ex eo capite impediri effectus ſacramenti abſque vlla culpa pœnitentis, quia carentia medij neceſſarij ſufficit ad impediendum gratiæ effectum, etiam ſine noua culpa. Hac igitur ratione poteſt hoc ſacramentum eſſe informe, ob defectum attritionis, ſeu pœnitentiæ interioris. Nec dici poteſt homo ille facere quod in ſe eſt ad conſequendam peccatorum remiſſionem, cum de aliquo peccato mortali non doleat: de quo, ſimpliciter loquendo, dolere poſſet. Nec etiam refert quòd in ea omiſſione nouum peccatum non committat: quia ſatis eſt quòd medium ad iuſtificationem neceſſarium non adhibeat, cuiuſmodi eſt integra pœnitentia peccatorum formalis, aut virtualis. Hac ergo ratione ſacramentum illud validum, & informe eſſe videtur.

## *An ſacramentum validum & informe habeat effectum, recedente fictione.*

13. Opinio negans.

STATIM verò occurrit inquirendum, an tale ſacramentum habeat ſuum effectum recedente fictione. Quidam negant, vt Soto, Couarr. & alij, quia putant hoc eſſe proprium ſacramentorum, quæ iterari non poſſunt & præcipuè Baptiſmi: at verò hoc ſacramentum iterari poteſt: ergo, quanuis fuerit validum, ſi non habuit effectum, non propterea illum habiturum eſt poſteà. Confirmant, quia hac ratione ſacramẽtum Euchariſtiæ fictè ſuſceptum, non habet effectum recedẽte fictione, etiamſi inter omnia ſacramenta, ſicut perfectiſſimum eſt, ita & efficaciſſimum ſit.

14. Opinio affirmans probatur. D. Thom. Durand. Caiet. Cano. Petr. Soto. Palud. Ledeſm.

Contraria tamen ſententia, conſequenter loquendo, mihi videtur probabilior & vera. Quam tenet D. Thomas in citato loco ex d. 17. vbi etiam inclinat Durandus q. 13. & ſequitur Palud. q. 8. Caietanus, Cano, Petrus Soto, Ledeſma, & alij ſuprà citati. Et probatur breuiter, quia nullum mortale peccatum poſt Baptiſmum commiſsum remittitur niſi per ſacramentum pœnitentiæ in re vel in voto ſuſceptum: ergo peccata confeſsa confeſſione informi debent per ſe remitti per aliquod ſacramentum pœnitentiæ, & nõ per aliud quàm per ipſummet, quod fuit informe (ſuppono enim neque in re ipſa iterum ſubiici clauibus talia peccata, neque in voto) poteſt enim homo habere formale propoſitum nunquàm iterum cõfitendi illa peccata, & nihilominus illorum remiſſionem conſequi: ergo conſequitur, ipſam remiſſionem ratione ipſius-met ſacramenti, quod fuit informe. Et hoc argumentum diſſoluit fundamentum contrariæ ſententiæ. Nam licèt Baptiſmi, & confeſſionis ſacramentum ſimpliciter in hoc differant, quòd vnum eſt iterabile, & non aliud: conueniunt tamen in hoc, quòd vtrumque eſt medium neceſſarium ad remittenda peccata ſibi ſubiecta: conueniunt etiam in hoc, quòd, ſicut non eſt neceſſarium iterare Baptiſmum fictè ſuſceptum ad conſequendam remiſſionem peccati per Baptiſmum, ita non eſt neceſſarium iterare confeſſionem informem ad conſequendam remiſſionem peccati ſic cõfeſſi per ſacramentum pœnitentiæ: & hoc ſatis eſt, vt oporteat hoc ſacramentum habere ſuum effectum recedente fictione. Neque enim dici poteſt tale peccatum ſolum remitti per accidens per ſubſequẽs ſacramentum pœnitentiæ: tum quia omnia peccata, per ſe loquendo, id eſt, ſi memoriæ occurrant, & poſſint ſubiici clauibus, debent per ſe remitti per hoc ſacramentum: tum etiam quia aliàs idem dici poſſet de effectu Baptiſmi: tum denique, quia fieri poteſt, vt talis effectus obtineatur ſine ſubſequente ſacramento, neque in re, neque in voto, vt ſi contingat eum, qui ſic confeſſus eſt, nullum peccatum mortale poſt talem confeſſionem commiſiſſe, neque in ipſa confeſſione peccaſſe. Confirmatur vltimò hæc ſententia ex parte formæ, & ex veritate illius, vt à nobis ſuprà explicata eſt: ſacerdos enim tunc verò abſoluit, & conſequens etiam Deus, iuxta illud, *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo:* &, *Quorum remiſeritis, &c.* ergo, ſi illa remiſſio non fit tunc quoad efficaciam ratione obicis, fit ſaltem quoad ſufficientiam, atque adeò ablato obice, ex vi illius abſolutionis fiet efficaciter illa remiſſio. Matt. 18 18. Ioan. 20. 23.

15. Per quid poſſit tolli talis fictio.

Vlteriùs verò declarandum ſupereſt, per quid tolli poſsit hęc fictio, vt ſacramentum incipiat habere ſuum effectum. In quo primò certum eſt, contritionem ſufficere. Deinde etiam eſt certum, legitimam confeſsionẽ peccati obliti ſatis eſſe: tunc enim remittentur ſimul omnia peccata; quædam, ratione vnius ſacramẽti; quędã ratione alterius, ſicut explicatum eſt ſuprà in ſimili puncto de Baptiſmo. Difficultas verò eſt, an ſola attritio vel generalis, vel ſpecialis de peccatis oblitis ſine noua confeſsione ſufficiat. Ad quam diſtinctionem reſpondendum cẽſeo. Aut enim poſt prædictã confeſsionem nouũ peccatũ mortale cõmiſſum eſt; & tunc cẽſeo non poſſe remoueri obicẽ ſine contritione, vel cõfeſsione talis peccati: quia ſacramentum priùs ſuſceptũ non poteſt habere efficaciam circa peccatũ poſteà cõmiſſum, at verò ſi nouum peccatũ mortale poſtea cõmiſſum nõ ſit, cùm neque in ipſa confeſsione informi cõmittatur, vt nos ſupponimus, per ſolã attritionẽ poterit obex remoueri, iuxta ſimilem doctrinam ſuperiùs datam de Baptiſmo; quia tunc eadem diſpoſitio quæ ſufficeret cum ſacramento præſeuti, ſufficit cum ſacramento iã ſuſcepto, quando nõ eſt nouum impedimentũ, neq; nouũ peccatum. At verò, ſi poſſet dari cõfeſſio informis, in qua pœnitens peccaret mortaliter ſuſcipiendo ſic ſacramentum, neceſſaria eſſet contritio, vel noua confeſsio ad tollendũ obicẽ: quia illud peccatum eſt materia alterius confeſsionis, quia cõmiſſum eſt, & conſummatum in ipſa ſuſceptione indebita abſolutionis, & vt ſic, nõ potuiſſe eſſe materia eidem abſolutioni ſubiecta, ſicut dictum eſt, quando nouum peccatum mortale poſt illam confeſsionem committitur; eſt enim in vtroque caſu eadem ratio. An ſufficiat attritio ad tollendã fictionem.

Diſſoluitur fundamentũ cõtrariæ opinionis.

## SECTIO VI.

### *Vtrùm, quæ dicta ſunt de neceſsitate contritionis, locum habeant in confeſsione, quæ fit de ſolis venialibus peccatis.*

1. Ratio dubitandi.

PRÆCIPVA difficultas eſt, an in confeſsione de ſolis venialibus neceſsaria ſit aliqua attritio. Et ratio dubitandi eſt, quia ad remiſsionem venialis peccati non eſt neceſsaria formalis pœnitentia ſecluſa inſtitutione huius ſacramenti: ergo neque in illo erit neceſsaria, quia non debuit per illius inſtitutionem coarctari: ergo neque ad ſubſtantiam huius ſacramenti erit neceſsaria attritio, ſi enim ad effectum neceſsaria non eſt, quomodo erit ad ipſum ſacramentum? Cõfirmatur, quia aliàs ſemper venialis culpa ſupponeretur remiſſa ad talem confeſsionem, quia talis confeſsio ſupponit hominem gratum, in quo ſola attritio ſufficit ad remiſsionem venialis peccati.

2. In confeſsione venialiũ neceſsariam eſſe formalẽ attritionem.

Nihilominùs dicendum eſt, etiam in hac confeſsione eſſe neceſsariam attritionem formalem. Quia Concilium Tridẽtinum abſolutè & ſimpliciter loquitur de hoc ſacramento, & de partibus eius: ergo quotieſcunque fit, requirit eſsentiales partes, quarum vna eſt attritio, non virtualis tantùm, ſed formalis vt apertè

con

constat ex doctrina Concilij. Et quia aliàs ferè idem dici posset de mortalibus, cùm extra hoc sacramentũ possint interdum per virtualem pœnitentiã remitti, vt suprà dictũ est. Item quia ad veram accusationem necessarius est dolor formalis: est etiã necessaria actualis recogitatio peccatorum, qua posita, nulla esse potest moralis excusatio detestationis formalis. Denique etiam in ea confessione, quæ est de solis venialibus peccatis, requiritur in suo ordine & ad integritatẽ satisfactio: ergo similiter requiritur dolor in gradu suo.

3. Quare ad remissionẽ venialis peccati, in hoc sacramento sit necessaria attritio formalis.

Quocirca, quamuis propter remissionem venialis peccati, vt sic, extra hoc sacramentum non sit necessaria formalis attritio, tamen in hoc sacramento necessaria est: quia est necessaria ad constitutionem ipsius sacramenti. Sicut ad consequendam remissionem peccati venialis ex se non est necessaria ablutio, vel vnctio: tamen ad consequendam illam remissionem per Baptismum, aut Extremam vnctionem (idemque est proportionaliter in cæteris sacramentis) necessaria est talis materia. Idem ergo est cum proportione in hoc sacramento: est enim sacramentum hoc quasi determinatio quædam propriæ, ac formalis pœnitentiæ, & primariò est institutum propter mortalia peccata tollenda, ideóque ex parte materiæ institutum est in formalibus actibus pœnitentiæ, seu doloris, ac detestationis: &, quia vna ac generalis debuit esse institutio, sine illis perfici nunquàm potest.

4. Satisfit rationi dubitãdi.

Ex quo satis responsum est ad rationem dubitandi. Non enim per hoc sacramentum est absolutè coarctũ medium huius remissionis ad formalem dolorem, sed solùm quando per tale sacramentum obtinenda est. Quomodo autem nihilominus contingere possit, remitti veniale peccatum quoad culpam per absolutionem, dictum est suprà tractando generaliter de remissione venialium peccatorum, & statim addemus alium casum, in quo id potest contingere.

5. In cõfessione venialiũ requiritur propositum vitandi illa.

Atque hinc constat primò, idem dicendum esse de confessione quæ fit de mortalibus peccatis ritè confessis propter easdem rationes. Secundò sequitur, eadem proportione loquendum esse de proposito vitãdi peccata. Nã etiã in hac confessione requiritur propter easdẽ rationes, quanquàm hîc regulariter sufficere videatur virtuale propositũ in absoluta detestatione peccati inclusum: securius autem est illud adhibere, maximè quando de illo cogitatio occurrit: nam si quis ad illud nõ aduertat, & bona fide procedat, detestãdo talia peccata, non est cur de valore talis sacramenti dubiter.

## *An vniuersalis pœnitentia de omnibus venialibus confessis requiratur.*

6. Pars affirmans.

MAIOREM sanè dubitationem habet, an requiratur hæc pœnitentia vniuersalis de omnib. peccatis venialibus: quæ in confessione dicuntur: nam de aliis certum est non esse necessariam: eò quòd possit vnum veniale peccatum sine alio remitti. Tamen de peccatis confessis videtur id esse necessarium: quia absolutio in omnia cadit, & in omnibus debet vera esse, ergo & habere effectum. Item, quia confessio singulorum est partialis materia: ergo debet esse vera accusatio: ergo requirit attritionem de omnibus. Vnde, quanuis absolutè non sit necessarium illa peccata confiteri, tamen, supposito quòd in iudicium afferuntur, debent dignè proferri per veram accusationem, & absolutione dignam, alioqui quãtùm est ex parte pœnitentis, forma efficietur falsa: quia sensus illius est, sacerdotem absoluere ab omnibus peccatis confessis.

7. Dupliciter

Respondeo duobus modis posse intelligi peccatum veniale dici in confessione sine vera attritione, vel

A proposito emendæ. Primò aperiendo confessori hunc ipsum defectum: & tunc nec ipse sacerdos debet absoluere à tali peccato, nec pœnitens si prudens sit, illud dicere, vt ab eo absoluatur, nec vt sit materia sacramenti, cùm reuerà esse non possit: potest tamen licitè dici vel ob humilitatem, vel ob consilium, vel ob excitationem ad veram pœnitentiam de tali peccato: hic verò modus ad rem præsentem non pertinet. Alio ergo modo potest quis confiteri peccatum veniale sine dolore, vel proposito efficaci, simpliciter præbendo illud, sicut cætera, vt materiã absolutionis. Et tunc multi putant esse peccatũ mortale propter rationes factas, quæ non carent apparenti probabilitate: & inde planè fit talem confessionem esse nullam, iuxta principium sæpe à nobis repetitum. Sed licèt negari non possit, B quin illud sit aliqua culpa: nihilominùs non censeo esse moralem, quia materia talis culpæ leuis est. Quia defectus illius doloris, vel propositi per se & natura sua nõ est cõtrarius gratiæ, & iustificationis, qui est primarius effectus huius sacramenti, per formam significatus, vt suprà declaratum est: neque etiam impedit remissionẽ aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax veræ absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis. Ob hanc ergo causam censeo hoc non esse peccatum mortale: & consequenter assero, quando confessio est de solis venialibus peccatis nõ esse de substantia eius, vt propositum, vel dolor efficax & absolutus sit vniuersalis de omnibus peccatis. Probatur, quia quando confessio est de solis venialibus non est de necessitate eius, vt sit integra, propter aliud principium, quòd vnum veniale potest remitti sine C alio: & quia peccatum veniale non est materia necessaria, vt suprà diximus: ergo pari ratione quando confessio fit de multis venialibus, quòd non sit integrè dolorosa, seu ex vera pœnitentia, non erit contra valorem eius. Patet consequentia à paritate rationis, imò & à fortiori: nam, si peccatum tacitum non obstat veritati sacramenti, peccatum insufficienter dictum non etiam obstabit.

potest fieri confessio de veniali sine dolore.

Pars negans præfertur.

## *Deturne venialium confessio valida, & informis.*

8.

VLTIMO circa hanc confessionem quæri potest, an possit in ea accidere confessionem esse validã & informem. Videtur enim ex proxima resolutione sequi, hîc non posse habere locum: quia suprà diximus, D solùm posse esse confessionem informem ex defectu integritatis in dolore: sed hîc defectus in dolore de peccatis venialibus, non impedit effectum gratiæ, vt per se notum est: ergo talis confessio sicut est valida, ita & est formata: nunquã ergo poterit esse informis. Atque hæc ratio euidenter concludit quando persona pœnitẽtis supponitur esse in gratia. Potest autem aliquando contingere, vt aliquis habens peccatum mortale licitè de solis venialibus confiteatur, vel quia mortale non occurrit memoriæ absque culpa, vel quia, licèt occurrat, non tamen potest illud dicere huic cõfessori sine graui nocumẽto, & alterius copiã nõ habet. Rursus potest in eodẽ casu accidere, vt huiusmodi pœnitẽs nõ habeat verã attritionẽ de tali peccato mortali, etiam sine mortali culpa ex simili naturali obliuione, vel ignorantia inuincibili. In tali ergo casu confessio illa erit valida, & informis: valida quidem: quia est formaliter integra, & ex sufficienti dolore de venialibus, vt supponimus: informis verò, quia sine attritione peccatum mortale remitti non potest; illo autem non remisso, nec venialia, quæ cum illo coniuncta erant, possunt remitti, nec gratia infundi. Secus vero esset si pœnitens attritionem de illo peccato mortali ha-

Casus in quo confessio venialiũ potest esse valida & informis.

buisset: nam tunc saltem concomitanter remitteretur per absolutionem. Neque est inconueniens peccatum mortale concomitanter remitti cum venialibus, quia hæc tunc non remittuntur sine infusione gratiæ, quæ necessaria excludit peccatum mortale. Atque in huiusmodi casu constat quod suprà tactum est, quanuis attritio de venialibus peccatis præcesserit, nihilominùs illa non fuisse remissa donec per absolutionem virtute clauium auferantur.

## DISPVTATIO XXI.

### *De secunda parte materiæ huius Sacramenti, quæ est confessio, quid sit, & qualis esse debeat.*

DISTINGVI solet à sanctis Patribus cõfessio in confessionem laudis, & peccatorum, seu accusationis, vt videre licet apud Hilarium exponẽtem verba illa Psalmi 66. Hilar. *Confiteãtur tibi populi Deus*: & apud Augustinum epist. 120. cap. 24. & in id Psalm. 94. August. *Præueniamus faciem eius in confessione.* Et communiter notant Interpretes in id Matthæi 11. *Confiteor tibi Pater.* In quibus locis sermo est de confessione laudis diuinæ, quę propriè actus est religionis, tamen etiam pertinet ad exteriorem fidei professionem, quæ in vniuersum etiam solet confessionis nomine significari, iuxta illud ad Rom. 10. Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hic omissa confessione laudis, nobis de confessione peccatorum sermo est, quæ vlterius distingui potest in confessionem merè internã, quæ soli Deo fit, iuxta id Psalmi 31. Psalm. 31. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*: & in confessionem exteriorem, quæ fit homini, de qua dicitur Iacob. 5. Iacob. 5. *Cõfitemini alterutrum peccata vestra.* Hæc est, quæ ad hanc secundam partem materiæ huius sacramenti spectat: nam prior ad contritionem potiùs pertinet, vt in superioribus visum est.

De hac ergo confessione primùm occurrebat dicendum de his, quæ pertinent ad quæstionem, an sit aliqua exterior confessio, quæ sit pars essentialis huius sacramenti, vbi dicendum esset de institutione, & necessitate eius, tam ad cõstitutionem huius sacramenti, quàm ad remissionem peccatorum, seu salutem fidelium. Verùm hæc à nobis tradita iam sunt. Nam declarando institutionem, & essentiam huius sacramenti, ostendimus cum Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. Conc. Trid. ex illa euidenter colligi, eandem esse institutionem, & necessitatem confessionis; quia iudicium inter homines perfici non potest, nec sententia proferri, causa nõ audita: auditur autem per confessionem externam, & sensibilem propriam ipsius pœnitentis: nam quia hoc iudicium non est forense, & coactum, sed voluntariũ ac medicinale, ideò accusatio in illo voluntaria etiam esse debet.

Atque hinc facilè colligitur quid sit hæc confessio, saltem quoad nominis descriptionem, quæ sumitur ex D. Thom. D. Thom. in 4. d. 17. quæst. 3. artic. 2. & aliis Theologis ibi: est enim *legitima, & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum veniam virtute clauium obtinendam, coram sacerdote facta.* Cuius descriptionis explicationem trademus sect. seq. discurrendo per eas conditiones quæ sunt de necessitate huius confessionis, vt verum sacramentum ex ea confici possit. Nam cùm harum rerum essentia moralis sit, & ex institutione procedens, tota consistit in hoc, quòd confessio habeat conditiones omnes quas iuxta suam institutionem requirit, quas in sequenti sect. ad nonnulla capita reuocabimus. Deinde sigillatim de illis disseremus.

Atque ex his etiam intelligitur, disputationem de præceptis pertinentibus ad hanc confessionem, coniunctam esse cum illius cognitione: quia necessitas confessionis, & conditionum eius ex præcepto nascitur: & ideò non possunt hæc commodè disputatione separari. Maioris tamen claritatis gratia distinguere possumus in præsenti duplicia præcepta, quædam quæ pertinent ad specificationem seu modum actus, quæ traduntur sub conditione, scilicet, si confessio facienda est, vt cùm hac, vel illa conditione fiat. Alia verò sunt præcepta pertinentia ad exercitium actus, quia obligãt ad confessionem faciendam. Priora ergo præcepta explicabuntur simul cum conditionib. cõfessionis: quia non potest intelligi, an sint de necessitate cõfessionis, nisi explicetur simul quanta sit obligatio illas obseruandi. Posteriora verò præcepta explicabimus in fine huius partis, sicut in aliis sacramentis obseruare solemus.

## SECTIO I.

### *Quid sit sacramentalis confessio, & quas conditiones habere debeat.*

1: Inconfessione datur substãtia & qualitas.

IN hac confessione aliquid intelligi potest per modum substãtiæ, & aliquid per modum accidentis. Substantia eius videtur cõsistere in signo sensibili, quo manifestãtur peccata sacerdoti in hoc foro: per modũ autem accidentium erunt conditiones aliæ quæ ad hãc confessionẽ requiri solẽt. Quia verò multæ ex his cõditionibus substantiales sunt, ideò videntur potiùs esse per modũ differentiæ, & illud signũ esse substantiã per modũ generis: & ideò fortasse solẽt Auctores conditiones illas vocare qualitatẽ cõfessionis: quia differẽtia prędicatur in quale, genus autẽ in quid. Circa substantiã ergo huius partis declarandũ occurrebat quodnã debeat esse signũ, quo facienda est confessio. Sed quia hoc pẽdet ex cognitione aliquarũ cõditionũ confessionis, ideò priùs de illis dicemus: sępe enim cognitis accidentibus, faciliùs substantia declaratur.

2. Cõditiones cõfessionis.

Solent igitur Doctores communiter decem & sex confessionis conditiones assignare, quas his versibus comprehendunt.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*
*Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.*

Hæ verò conditiones sine methodo, & vulgari modo positæ sunt, & plures illarũ nõ pertinent ad substãtiam confessionis, & aliquæ non tam respiciunt modũ vel qualitatem vniuscuiusque confessionis, quàm cõuenientem vsum seu consuetudinem eius, vt quod sit *frequens, & accelerata.* Vt igitur ad meliorem ordinem & pauciorẽ numerũ redigantur, recolenda est descriptio confessionis superiùs data, scilicet, quòd sit *Legitima accusatio proprior um peccatorum, coram sacerdote locum Dei in iudicio sacramentali habente, ad veniam peccatorum per virtutem clauium obtinendam.* Nam ex ea intelligi potest, vnam ex prædictis conditionibus, scilicet, *Accusans*, continere substantiam huius confessionis tanquàm genus eius: reliquas autem omnes positas esse ad explicandam specificam rationem huius accusationis. In qua, sicut in aliis accusationibus, quinque possunt considerari, scilicet, materia accusationis, modus eius, persona accusans, & quæ accusatur, & apud quam personam accusatur. Ad explicandam materiam dicitur in dicta descriptione, quòd sit *de propriis peccatis*: quòd intelligitur de actualibus commissis post Baptismum, vt superiùs explicatum est.

Cõfessionis definitio & substantia.

Accusans.

est. Et dum indefinitè dicitur *de peccatis*, significatur debere esse de omnibus, quæ simpliciter & quasi per antonomasiam peccata sunt, id est, de omnibus mortalibus non confessis. Quę cõditio explicatur per aliã scilicet, *integra*, ad quam reduci debent plures aliæ, vt aliquo modo ad confessionem pertineant, vt quòd sit *simplex*, id est, non ita artificiosè composita, vt ea ratione aliquid occulterur: quanuis possit particula illa ad debitam intentionem referri, vt statim dicam. Item dicitur *pura*, id est, non mista rebus ad confessionem non pertinentibus. Et huc maximè spectat, vt vnusquisque propria peccata & non aliena cõfiteatur, nã est accusator sui, & nõ alterius. Itẽ dicitur *Fidelis*, id est, sine mendacio, quia nec dici debet quod factũ nõ est, nec negari quod commissum est: imò nec taceri, si tale sit, vt ad talem integritatem pertineat. Et ad hoc magis explicandũ additur quod sit *nuda*, id est, aperta, clara, & nõ palliata, vuumquodq; sicut est, vel probabiliter esse existimatur, proferendo. Quòd verò sit *discreta*, nihil speciale addit: nam illa vel est conditio generalis omnis actus studiosi, nimirũ quòd prudenter fiat: vel solum declarat, in confessione, superflua esse resecanda, & necessaria dicenda. Vnde hæc conditio potest etiam ad alias conditiones applicari: nam omnes debent cum discretione seruari & tempus, ac locus, & confessor ipse, & modus explicandi discretè eligẽdus est. Quod verò additur *fortis*, etiam est commune omni virtuti, vt propter nullam difficultatem omittatur quidquid ad illius rectitudinẽ necessarium est: & in præsenti declarat ob nullam verecũdiam, vel similem humanã causam, aut difficultatem, integritatem hanc esse mutilandã. Possunt etiam ad hanc conditionem reduci illæ duæ conditiones, *frequens*, & *accelerata*, id est, quòd sæpè fiat confessio, & post peccatum commissum non nimiùm differatur, quæ in tãtùm possunt ad integritatem pertinere in quantùm mortaliter iudicantur necessariẽ vt peccatum non excidat memoria, & ea de causa obliuioni tradatur, vel si hac ratione necessariæ non sunt, pertinent ad concilium. De quarre dicemus latiùs infrà, agentes de integritate & præcepto.

Integra. Simplex. Pura. Fidelis. Nuda. Discreta. Fortis. Frequens. Accelerata.

3. Qualitascõfessionis.

Circa modum confessionis, qui dici potest qualitas eius, notari potest, duplicem posse esse hunc modum videlicet essentialem, & accidentalem. Essentialis solùm est, vt fiat ex animi dolore: nam hoc pertinet ad rationem accusationis, vt suprà declaratum est, & est per se necessarium ad veniam, quã respicit hæc accusatio: & ita hæc conditio indicatur in definitione, tã in eius genere, quàm in vltima particula illius. Et hũc ipsum modum declarant plures aliæ ex dictis conditionibus, verbi gratia, quod sit *humilis* confessio, id est ex recognitione & dolore proprij peccati. Et huc etiã pertinet quod in exteriori modo decenter & humiliter fiat, tam in verbis, quàm in ipso corporis habitu, vt bene exposuit Caietanus in Summ. verb. *confessio*. Item quod sit *libens*, id est voluntaria: nam hoc etiam pertinet ad voluntatis dispositionem. Item quòd sit *lacrymabilis*: nam hoc in tantùm est necessarium, in quantùm voluntatis contritionem, vel attritionem indicat: reliqua enim, quæ ad appetitum sensitiuum, vel ad corpus pertinent, vtilia quidem sunt, & sæpe consequuntur, non tamen sunt necessaria. Deniq; ad hoc etiam pertinet, vt sit *parere parata*: indicat enim hæc particula propositũ emendæ, & satisfactionis, de quo qualiter necessarium sit, suprà diximus. Modus autẽ accidentalis erit, vt *secretè* fiat confessio, quæ est alia conditio in illis numerata: de qua cum aliis, quæ illam concernunt, statim dicemus.

Caietan. Libens. Lacrymabilis. Parere parata. Secretè.

Reliqua tria, quæ diximus esse consideranda, non explicantur in prædictis conditionibus, subintelligẽda autem sunt in ratione accusationis voluntariæ: nã hinc habemus, eundem futurum esse accusatorẽ & reum. Supponitur etiam huiusmodi hominem, qui se accusat, debere esse baptizatum, quia alius non est capax accusationis sacramentalis, neque veniæ virtute clauium obtinendę. Et ita etiam hoc in definitione significatur, nec maiore indiget declaratione. Igitur prædictas conditiones omnes ad tria capita reuocare possumus quasi ad tria prædicamenta qualitatis, quãtitatis, & ad aliquid: nam modus confessionis, & signi, quo facienda est, ad qualitatem eius spectat: integritas verò ad quantitatem reducitur & extensionem quam ex parte materiæ cõfessio habere potest. Quod autem fiat coram legitimo iudice, respicit ordinem seu habitudinem ad aliquem. Primam igitur partem in hac disputatione expediemus, quia necessaria est ad explicandum signum sensibile, quo facienda est confessio: postea de integritate dicemus, ac tandem de iudice, vbi simul explicabimus munus confessoris, & omnia, quæ ad illum pertinent.

Omnes conditiones cõfessionis ad tres reuocãtur.

Tractant autem diuus Thomas, & alii Theologi in 4. distinct. 17. & Soto in 18. an hæc confessio sit actus virtutis pœnitentiæ. Hanc verò quæstionẽ satis explicatam reliquimus in superioribus, agentes de exterioribus actibus virtutis pœnitentiæ. Nam ex ibi dictis constat hunc actum ex suo genere, & secundũ substãtiam suam esse actum exterioẽ huius virtutis: nam in eo inuenitur proprium motiuũ, & obiectiua honestas virtutis pœnitentiæ. Vt autem talis actus sit materia huius sacramenti non videtur simpliciter necessarium, vt ex intentione sub dicta formalitate fiat, sed satis est vt fiat ex intentione cõficiendi hoc sacramentum absque impedimento, vel obice illi repugnante. An verò necesse sit fieri ex aliquo motiuo honesto, in præcedẽti disputatione sufficiẽter tactũ est.

5. Cuius virtutis actus cõfessio sit. D. Thom.

## SECTIO I.

### *Vtrùm auricularis, seu secreta confessio sit de necessitate huius sacramenti.*

4.

AVRICVLARIS confessio dicitur quę secretè fit: quia verò in iure *secretum*, & *publicũ*, magnã habent latitudinẽ, in præsenti secreta confessio dicitur, quæ sine vllo teste fit à pœnitente coram solo sacerdote: & ad explicandum hunc modũ secreti, *auricularis* appellata est. Hic verò non agimus de substantia confessionis, iam enim ostensum est illam esse necessariam; sed agimus de modo huiusmodi secreti, an etiam ille necessarius sit. In qua re duo extrema cauenda sunt. Vnum est hæreticorum huius temporis, qui hunc cõfessionis modum irrident vt superstitiosum, & ab hominibus inuentum: quia in sacra Scriptura (vt aiunt) non reperitur, imò in primitiua Ecclesia vsitatus non fuit. Quod colligunt ex antiqua consuetudine agendi pœnitentias publicas pro peccatis ex qua inferunt, confessionem nunquàm fuisse factam secretè in ordine ad remissionem peccatorum, sed tantùm publicè in ordine ad correctionem, & publicam ædificationẽ. Alterum extremum est quorundam Scholasticorum, qui sentiunt esse necessarium, vt Scotus, & Gabr. dist. 17. q. 1. & Angelus verb. *Confessio* num. 29. & 30. probabiliẽque putat Richardus d. 17. a. 3. q. 8. Qui è conuerso fundantur in perpetua Ecclesiæ traditione, quę Christi Domini institutionem declarat.

Error hæreticorum.

Opinio Scholasticorum. Scotus. Gabr. Angel. Richard.

*Prima assertio contra hæreticos.*

DICENDVM est primò, modum secretæ confessionis honestum & sanctum esse, & ad sacra-

mentum conficiendum sufficientem. Assertio est de fide, definita in Concilio Tridentino, sess.14,cap.5. vbi contrarium errorem expressè condemnat. Sumitur etiam ex c. *Omnis vtriusque sexus.* de pœnit. & remiss. vbi soli sacerdoti dicitur confessio facienda. Cõsuetudo etiam Ecclesiæ vniuersalis hoc satis probat, neque enim errare potuit in re tanti momenti: præsertim cùm non sit noua, vt hæretici fingunt, sed antiquissima, à principio nascentis Ecclesiæ, vt Tridentinum commemorat. Et sumitur ex Concilio Cabilonens. cap.33. & ex Leone Papa epist.78.alias 80. vbi grauiter reprehendit eos, qui cogunt peccatores vt publicè confiteantur. Et ex Cypriano lib.de lapsis, & lib.3.epist.14 Hieron.in illud Ecclesiast.10. *Si momorderit serpens in silẽtio, non est amplius habẽti linguam.* Vbi hoc declarat de illo, qui non vult confiteri peccata pastori suo. Augustde vera & fals.pœn.c.10. *Qui confiterivult,* (ait) *quærat sacerdotem sciẽtẽ ligare & soluere.* Idem ferè Basilius in Psalm. 32. & in Regulis breuioribus, reg.288. & Chrysost.homil. 5.in illud Isaiæ, *Vidi dominum sedentem, &c.* & alios Patres suprà citaui agens de institutione huius sacramenti.

Conc.Trid. Conc.Cabil Leo Papa. Cyprian. Hieron. August. Basilius. Chrysost.

3. Et addi præterea potest duplex coniectura sumpta ex ipsa publica seu solenni pœnitentia, quam olim fuisse in vsu Ecclesiæ tam manifestum est, vt neq; ab hæreticis negetur. Prima est, quia non est credibile fuisse liberum cuicunque fideli dicere crimina, quam vellet, & quam vellet de illis publicam pœnitentiam agere; hoc enim sæpe posset cedere in magnũ fideliũ scandalum, & alia multa parere incommoda: ergo ad prouidentiam pastorum Ecclesiæ pertinebat, vt hoc non fieret sine eorum iudicio, & prudenti consilio: præcedebat ergo secreta confessio & ex iudicio confessoris publica agebatur pœnitentia. Et quidem Origenes homil.2.in Psalm.37.post medium satis hoc indicat cùm dicit, *Tantummodo circunspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum.* Et clarius in sequentibus, *Vt si quid ille dixerit, & consilium dederit, facias, & sequaris: &, si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo & cæteri ædificari possint, & tu sanari facilè, exequaris.* Ex quo loco licet coniicere non secretã confessionem ex publica, vt hæretici aiunt, sed potiùs publicam ex secreta originem duxisse. Idem significat idem Origenes homil. 10. in Numer. dum inquit, *Qui non sunt sancti in peccatis suis moriuntur: qui verò sancti sunt, pro peccatis pœnitudinem gerunt, requirunt sacerdotem sanitatem deposcunt, &c.* Idem colligere licet ex multis, quæ de facto Nectarij diximus suprà agentes de necessitate confessionis.

Prior coniectura. Origen.

4. Secunda coniectura est, nam qui olim agebãt pœnitentiam publicam, non priùs dicebant publicè peccata, & posteà illis imponebatur pœnitentia: sed potiùs iam priùs impositam pœnitentiam agebant publicè; præcedebat ergo secreta confessio peccati, propter quod pœnitentia imponebatur. Quod nõ obscurè colligitur ex Conrilio Agathensi c.15. & habetur in c. *In capite*, d.50. & de hac re videri possunt alia apud Pamelium in fine libri Cypriani de Lapsis, & in principio libri Tertulliani de pœnitentia, & super cap.8. & 9. & apud Ruardum ar.5. & Hosium in Confessione, cap.47. & 48.

Altera coniectura. Conc. Agat. Pamel. Ruard. Hosius.

5. Ratio autem huius veritatis est, quia ex institutione Christi non potest colligi necessitas alterius modi confitendi neque etiam ex natura rerum: imò supposita institutione, hic modus est magis consentaneus rationi, & fini seu materiæ huius sacramenti. Explico singula, nam in institutione solùm legimus dixisse Christum Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ex quibus verbis rectè colligit Ecclesia, necessariũ esse vt sacerdos, qui iudicaturus est de his peccatis, & ea remissurus, notitiam illorũ accipiat: hanc autẽ sufficienter accipit per secretã confessionem: ergo ex vi verborum institutionis, nihil aliud colligi potest. Nam, licèt illa notitia futura sit iudicialis, & per accusationem; tamen, cum hoc iudiciũ ad forũ animæ spectet, & voluntarium esse debeat, in eo idem, qui est reus, est sufficiẽs accusator & nullus alius testis requiritur, quia pœnitentis conscientiæ & testificationi standũ est, quoniã ad bonum animæ illius totum ordinatur: ergo ex modo, & institutione talis iudicij, aut ex fine eius nõ est necessaria notitia magis publica. Aliunde verò in hoc iudicio dicenda sunt nõ tantùm peccata publica, sed etiam occulta, nec solùm externa, sed etiam merè interna: esset autem valdè difficilè, & præter humanam conditionem, obligare hominem ad hæc omnia publicè manifestanda; interdum etiam esse posset scandalosum, & in magnum detrimentum, vel aliorũ: vel ipsius etiam peccatoris: ergo non decuit institutionẽ aliter fieri. Adde etiam, non oportuisse aliter limitari hanc materiam, quia sacramentum hoc maximæ necessitatis est, & sæpè non potest aliter, quàm apud solum sacerdotem fieri; quod satis est vt ille suam potestatem exerceat: cur ergo dicto modo limitaretur.

---

## *Posítne præcepto statui, vt confessio publicè fiat.*

6. EX quo infero primò, alium confitendi modum, non solùm non esse necessarium ex diuino, aut humano præcepto: verùm etiam non posse per humanam legem generatim præcipi. Hoc satis significauit Concilium Trident. suprà. Et ratio est primò, quia res est difficillima, & alioquin non necessaria, nec per se valde vtilis: lex autem humana non potest res adeò difficiles postulare, nisi fortasse ex communi aliqua & vrgente necessitate. Deinde, quia lex humana non habet potestatem directiuam in actus merè internos: ergo non potest obligare ad illa confitenda speciali modo à Christo non præscripto, & adeò difficili. Imò neq; potest cogere hominem, vt in externis omninò occultis sese infamet: materia autem huius sacramenti, vt dixi vtroq; actus complectitur: & ideò talis lex potestatem humanam excedit.

Conc.Trid.

7. Secundò infertur, non posse confessorem cogere pœnitentem ad manifestanda illi peccata alio modo magis publico, quàm per auricularem confessionem, vt coram aliquo teste, vel per scriptum, quod est instrumentum publicum, &c. Probatur à fortiori ex dictis, & eisdem rationibus, quia præceptum confessoris humanum est. Item, quia confessor ex iure diuino tenetur ad sigillum confessionis, vt infrà ostẽdam: illud autem apertè esset contra sigillum: sicut etiam contra illud ageret confessor, si pœnitentem cogeret, vt ei daret facultatem reuerandi confessionẽ.

8. Sed obiici potest antiqua consuetudo imponendi publicam pœnitentiam peccatorum, quam ex secreta confessione manasse indicat Origenes suprà, vt vidimus, & sumitur etiam ex Cypriano suprà & Tertulliano libro de Pœnitentia, cum his quæ Pamelius cõgerit in Scoliis. Respondeo, duobus modis potuisse pœnitentiam illam esse publicam: primò quoad actionẽ pœnitentiæ, nõ verò quoad causã, quo modo etiã nunc solent fieri pœnitentiæ publicæ, quamuis nunc regulariter loquẽdo occultentur personæ, quod olim non fiebat, propter maiorem feruorem pœnitentium qui voluntariè tales satisfactiones acceptabant: non enim existimo fuisse simpliciter necessarias quatenus à sacramento manabant, vt expressè etiam dicitur nomine Augustini in lib.de Ecclesiasticis dogmatibus, c.53. Alio modo solebat esse publica non tãtùm actio, sed

Obiectioni occurritur. August.

sed etiam causa seu confessio peccati, propter quod pœnitentia fiebat: & tunc multò certius existimo in hoc foro nũquàm id factum esse ex præcepto Ecclesiæ, aut confessoris, nisi quando ad publicam satisfactionem, & tollendum scandalum de publico peccato id necessarium erat, quod est rarissimum: regulariter ergo id fiebat voluntariè ex consilio, & iuxta iudicium prudens confessoris; non enim de omnibus id permittebatur, sed vel de aliis publicis, vel de iis, quæ nec scandalũ, nec graué infamiam generare possent. Aliquando verò illa pœnitentia publica nõ oriebatur ex sacramẽto confessionis, sed ex alia denunciatione, vel accusatione Ecclesiastica: & tunc esse poterat magis coacta & onerosa: illa verò nõ pertinebat vllo modo ad forũ pœnitentiæ, sed ad forum contentiosum.

A

B

## *Secretam confessionem non esse de necessitate pœnitentiæ: Assertio secunda.*

9. Alensis. D. Tho. Maior. Richard. Palud. Soto. Adrian. Ruard. Medin. Petr. Sot. Vega. Castro. Caiet.

SECVNDO dicendum est, hunc modum secretæ confessionis non esse de necessitate huius sacramenti. Ita docent frequentiùs Scholastici, Alensis 4.p.q.18.memb.4.art.vlt.§.vlt.D.Tho.quodlib.1.ar. 10.& in 4.d.17.q.3.a.4.q.3.ad 2.& ibi Maior q.1.Richard.art.3.q.8.Palud.q.2.art.1.Soto d.18.q.2.art. 6. Adrian.in 4.q.1.de Confessione, Ruardus art.5.Med. Cod.de Confessione q.De modo secretè confitendi, Petrus Soto lect. 2. de Confessione, Vega lib. 13. in Tridentinum, ca.28.Castro lib.contra hæreses, verb. *Confessio.*& Caietan.tom.1.Opusculorũ, opusc.vlt.responsi.5.vbi in hunc modum declarat quod Ioan. 20. dixerat, Christum non instituisse auricularem confessionem, scilicet quoad hunc modum. Quam interpretationem approbat Cano Relect.de Pœnit.p.5.Et nunc censeo hanc doctrinam certam ex Cõcilio Tridentino, sess.14.c.5.vbi docet, Christum non prohibuisse confessionem publicam: si pœnitens voluntariè illam facere velit: ergo neque in institutione posuit Christus Dominus modum secretæ confessionis tanquàm necessarium, aliàs cõsequenter prohibuisset oppositum modum.

C

Cano. Conc. Trid.

10. Ratio assertionis.

Ratio verò est, quia, licèt confessio fiat sine secreto, potest esse vera accusatio ex dolore cordis profecta, & per illam dari sacerdoti sufficiens notitia, vt possit de peccatis indicare: ergo, etiamsi alij intersint, saluatur iustitutio: sed ex nullo alio capite, aut loco colligi potest illa necessitas, aut contraria prohibitio: ergo. Et confirmatur quia non est intrinsecè malum publicè dicere propria peccata, quia per se hoc non est iniuriosum alteri: neque est contra charitatẽ propriam, quia, licèt afferat aliquod damnum infamiæ, illud potest compensari maiori fructu humilitatis, confusionis propriæ, & satisfactionis: potest ergo talis actio esse honesta, si prudenter fiat: ergo nulla est ratio cur talis confessionis modus omninò sit excluſus ab hoc sacramento. Maximè, quia sunt nonnulli casus, in quibus moraliter necessarium est ita confiteri, vt alius præter sacerdotem peccata audiat. Vnus vulgaris est, quando confessio fit per interpretem: nam, quidquid sit, an homo teneatur sic confiteri, quando aliter non potest, de quo infrà: tamẽ certum est posse, & talem confessionem sacramentalem esse, & tamen in illa non seruatur omninò ille modus secretæ confessionis. Alius casus est, si in articulo seu periculo mortis pœnitens nõ possit, nisi alta voce confiteri, ita vt alij audiant: nam sine dubio potest id facere. Item, quando confessor non habet sufficientem scientiam, potest pœnitens ei facultatem concedere, vt rem cõferat cum alio doctiore, etiã nominata persona ipsius pœnitentis, si ipse voluerit, & oportuerit: hoc autem

D

Cõfirmatur

Casus inquibus confessio non fit secretè.

Quando fit per interpretem.

In articulo mortis. Cũ fit sacerdoti ignoranti.

E

æquiualet publicæ confessioni: quæ pari ratione fieri posset coram illis duabus personis, quarum altera iurisdictionem, altera scientiam haberet.

## *Sitne secreta confessio de necessitate præcepti.*

11. Conc. Trid.

SED quærendum superest, licèt hic modus confitendi non sit de necessitate sacramenti, an sit de necessitate præcepti. Nam Concilium Tridentinum dicit, modũ secretè confitendi non esse à diuino præcepto alienum, neque esse inuentum hominum. In c. etiam *Omnis vtriusque sexus*, præcipitur vt *soli sacerdoti*, &c. Respondeo primùm, ex parte sacerdotis esse hoc in præcepto diuino, tum quantùm ad secreti obseruationem iuxta voluntatem pœnitentis, vt infrà dicemus, tum etiam quoad hoc, vt non possit cogere pœnitentem, vt aliter confiteatur, vt iam diximus. Ex quo bene infert Nauarrus in cap. *Sacerdos.* de Pœnitent.dist.6.nu.109. grauiter peccare sacerdotem, qui plures pœnitentes simul audit in cõfessione, eo quòd pueri sint. Quod est verum quando illi sunt doli capaces, ita vt sacramentaliter absolui meritò possint: nam aliàs si non audiuntur ad conficiendum sacramentum, sed ad quandam instructionem eorum, nulla in eo facto committitur culpa.

Cap. Omnis vtriusque. Quid respectu sacerdotis.

Nauarr. Cap. Sacerdos.

12. Quid respectu pœnitentis.

At verò ex parte pœnitentis nullum in hac re inuenio præceptum diuinum: quia ex institutione non colligitur, vt ostendi; & illa secluſa, non est vnde colligatur. Quod autem Tridentinum ait, *non* esse *alienum, &c.* intelligit non esse contrarium, nec repugnare diuino præcepto: imò esse illi consentaneum. quia supposita institutione, ille modus per se loquendo, conuenientior est, & aptior ad tollendas omnes difficultates, & scandala. Et propterea etiã dicitur *non esse inuentum humanum*, quia aliquo modo ducit originẽ ab institutione diuina. Neque etiam inuenio Ecclesiasticum præceptum de hac re scriptũ: nam quod dicitur in capite, *Omnis vtriusque sexus*, non est, vt ille modus præscribatur, sed vt alius non exigatur. Nihilominùs tamen propter Ecclesiæ consuetudinem non careret culpa, qui sine vlla occasione, vel causa rationabili vellet alio modo sacramentaliter confiteri: at si id fiat ob necessitatem, nulla erit culpa. Ita Richard. suprà, & Sylvest. verbo, *Confessio.*5.q.20.& alij.

Richard. Sylvest.

## SECTIO III.

## *Vtrùm sit de necessitate confessionis, vt fiat propria voce humana.*

1. Confessio debet fieri signo sensibili.

CONSTAT in primis confessionem hanc debere fieri aliquo signo sensibili, tũ quia non possunt homines inter se suos conceptus manifestare, nisi per sensibilia signa: tum etiam, quia confessio est veluti prima pars essentialis materiæ huius sacramenti, quam oportet esse per sensibilem, quia, vt supra dixi, ipsamet contritio, vt sit pars sacramenti, debet per confessionem fieri aliquo modo sensibili. Constat deinde signum aptissimum ad confessionem faciendam, esse humanam vocem, tum quia est inter homines maximè vsitatum & notum, tum etiã quia distinctiùs & certiùs significat, quàm cætera. Difficultas verò est, an sit etiã necessariũ, vel de necessitate sacramẽti, vel saltẽ præcepti. Et ratio dubitandi esse potest, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenij dicitur, materiã huius sacramenti esse *oris confessionem*. Et vrgeo argumento à simili. Nam de forma sacramenti huius dicimus necessariũ esse vt ore proferatur, quia illud Con

Signũ aptũ ad confessionem est vox humana. Difficultas. Ratio dubitandi. Conc. Flor.

cilium dixit esse *verba sacerdotis*: ergo idem dicendum est de confessione: cùm de illa pariter loquatur. Congruentia etiam adiungi potest, quia materia sacramenti debet esse certa, & expressè significare.

## *Prima assertio confessionem non debere necessariò verbis fieri.*

2 D. Tho. Prima ratio. Secunda ratio. Congruentia. 3. Satisfit rationi dubitãdi.

NIHILOMINVS dicendum est primò, non esse de absoluta necessitate huius sacramenti, vt cõfessio propriis verbis fiat. Ita D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. q. 3. ad 2. & quodlib. 1. art. 10. & consentiunt cæteri Theologi, & Doctores infrà citandi. Et videtur res certa, primò ex cõsuetudine Ecclesiæ: nam, cùm pœnitens loqui non potest, si quouis alio modo significet sacerdoti conscientiam suam, censetur sufficere, vt absoluendus sit. Vnde non solùm pœnitens potest ita cõfiteri, sed etiam tenetur in articulo necessitatis, per se loquendo, quia illa est materia indubitata, & facilè, ac sine inconueniẽti exhiberi potest. Secundò argumẽtor ab institutione, quia ex verbis eius solùm habemus, necessarium esse, vt pœnitens aperiat iudici causam suam: sed hinc inferri nõ potest, necessarium esse vt hęc notitia detur per proprium sermonem humanum: neque Ecclesia hoc ita interpretata est: ergo non est limitanda, & quasi coarctãda sacramenti omplitudo. Tertiò est optima congruentia institutionis, quia hoc sacramentum positum est, vt remedium maximè necessarium ad salutem peccatorum: ergo non debuit limitari essentia eius ad illud signum, quod sæpissimè in articulo necessitatis deest: huiusmodi autem est vox humana, qua, non solùm muti, sed etiam ægrotantes sæpe vti non possunt: ergo.

Quando ergo Conciliũ Florentinũ appellauit *oris confessionem* vsum est vulgari nomine, sumpto ab eo, quod frequentiùs accidit. Sicut etiam vulgò appellatur operis satisfactio, nõ quia solo opere fiat, sed quia frequentiùs ita fit. Et ideò Conciliũ Tridentinum ad tollendã omnem ambiguitatẽ omisit particulam, *oris*, & solùm dixit confessionẽ esse materiam. Ac propterea nõ est similis ratio de forma: nam si inspiciamus institutionem, non est ita declarata in materia, sicut in forma, nec etiam ita infallibiliter obseruata ab Ecclesia. Neque est etiã similis ratio, tum quia, moraliter loquendo, nunquã, aux vix cõtingit necessitas absoluendi sine verbo; confitẽdi autẽ frequẽs est: tum etiã quia materia sacramenti nõ semper continet expressam significationem, sed hanc perficit & consummat forma: & ideò magis necessarium est verbum ex parte formæ, quàm ex parte materiæ. Per quod responsum etiam est, ad congruentiam in contrarium.

## *An ex præcepto teneatur pœnitens propria voce confiteri.*

4. Augustin. D. Tho. Cap. Quem pœnitet. Alensis. Palud. Richard. Maior.

ATQVE hæc quidem certa videntur, quantùm spectat ad necessitatem sacramenti. Difficultas verò superest, an saltem sit de necessitate præcepti, vt confessio fiat propria voce & sermone ipsius pœnitentis. Nam D. Augustin. de ver. & falsa pœnit. cap. 10. & habetur in c. *Quem pœnitet.* de Pœnitentia. d. 1. significat esse de hoc diuinũ præceptũ. D. Tho. autem quodlib. 1. art. 10. saltẽ esse Ecclesiasticũ. Et reliqui Theologi communiter docere videntur nõ esse licitum vti aliis signis, vt scripto, nutibus, &c. quandiu pœnitens per seipsum loqui potest: quãuis non declarent vnde nascatur talis obligatio, vt patet ex Alense 4. par. q. 18. memb. 4. 5. vlt. Palud. d. 17. q. 2. n. 7. Richard. a. 2. q. 4. ad 4. Mai. q. 1. Adrian. q. 1. de Confessione, Med. Cod. de Confes. q. de Modo secretè confitendi. Soto d. 18. q. 2. ar. 6. Ledesm. 2. p. 4. q. 8. ar. 3. dub. 5. & 6. Petr. Sot. lect. 2. de Confes. Cano dict. Relect. p. 5. Adria. Medin. Soto. Ledesm. Pet. Soto Cano.

Dicendum verò in primis est, in hoc non esse positum aliquod speciale præceptum diuinum ab ipsa institutione distinctum: quia neque ex Scriptura diuina, neque ex traditione constat de huiusmodi præcepto. Deinde censeo ex sola institutione nõ satis colligi huiusmodi præceptum. Est quidem maximè consentaneum institutioni vt ita fiat, tum quia hoc modo faciliùs & clariùs manifestantur, quod aliis signis, præsertim nutibus, difficiliùs fit tum etiam, quia ipsa confessio proprio ore facta, magis est satisfactoria, vt Augustinus loco citato sentit. Nihilominùs tamen ex institutione sola, ac præcis è sumpta non satis probatur, hunc modum confessionis cadere sub obligationem præcepti, quia per alia signa potest dari sufficiens notitia confessori, quod solùm postulatur ex vi institutionis, vt patet ex suprà dictis de modo, quo præceptum confessionis colligitur ex illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* 5. Difficultatis resolutio.

Præterea non inuenio de hac re scriptum Ecclesiasticum præceptum, aut decretum aliquod. Vnde Scotus in 4. dist. in. 17. q. vnic. ad finem solutionum argumentorum, sentit non esse illicitum confiteri per scriptum in præsentia sacerdotis, sed tantùm in absentia. Et Soto idem ferè sentit, saltem quando scripturæ coniunguntur alij nutus, statim dicemus. Addo tamen, propter Ecclesiæ consuetudinem, non esse absolutè licitum vti scriptura, vel aliis signis, ad confessionem, prætermissa humana voce: est enim hæc mutatio grauis, & de re, quæ per se spectat ad conuenientem modum perficiendi tale sacramentum: & ideò non fit sine culpa, & graui ex suo genere. Posset autem talis culpa fieri venialis ex leuitate materiæ, vt si non in tota confessione, sed in vno vel alio pecc, sit to id fieret. Aliquando etiam nullum erit peccatum ex rationabili causa talis mutatio fiat. Erit autem rationabilis causa, non solùm absoluta impotentia vtẽdi propria voce, quod indubitatum est, sed etiam magna difficultas, aut nimia verecundia, vt prudenter Cano aduertit: quia, cùm hæc obligatio potissimè videatur consuetudine introducta, non videtur cum maiori rigore acceptata: neque etiam expediebat, aut erat aliqua sufficiens ratio, ob quam cum maiori rigore introduceretur. 6. Scot. In 4. d. 17. q. vnic. ad finẽ solutionem argumentorum.

Atque hinc infertur, posse aliquando confessionẽ fieri non tantùm nutibus, sed etiam scripto. Patet, quia vtrumque horum potest esse sufficiens signum humanæ accusationis. Et de nutibus quidem nullus dubitat. De scriptura verò dubitare videtur Scotus suprà, eò quòd scriptura de se sit signum publicum. Sed neque ipse illa ratione conuincitur, neque vllam nobis ingerit difficultatem, tum quia non est contra rationem confessionis vt publicè fiat, tum etiam, quia licèt ex se sit signum publicũ, potest occultari: quod ferè idẽ est in verbo. Addit verò Soto, scripturam non sufficere, nisi cùm alij nutus adiunguntur: quia necesse est vt quando scriptura legitur à sacerdote, pœnitens saltem nutibus significet ita esse. Dico tamen, si scriptura detur sacerdoti præsenti, moraliter necessarium non esse aliud speciale signum, sed sufficere, vt peccator, qui scripturam illam offert sacerdoti; eam offerat loco accusationis suæ, signa contritionis exhibendo, & petendo ab eo pœnitẽtiam, & absolutionem, eamque expectãdo humiliter dum sacerdos legit peccata, ac denique satisfactionem acceptando, quam sacerdos imponit: nam per hæc omnia satis significat illa esse peccata sua, de quibus se accusat. At verò si scriptura offeratur sacerdoti absenti, tunc sæpe fieri non poterit, vt pœnitens aliud signum exhibeat: 7. Confessio aliquapotest fieri scripto, vel nutibus, Scotus. Sotus improbatur.

## DISPVTATIO XXII.

### *De integrtiate confessionis per se necessaria ad valorem eius.*

INTEGRITAS confessionis ex parte materiæ remotæ seu peccatorum, quæ in confessione dicuntur, sumenda est: consistit autem in hoc, vt illa omnia, quæ sunt in conscientia pœnitentis, in confessione aperiantur, & ad integritatem suo etiam modo pertinet, vt ea peccata, quæ nullo modo sunt in conscientia pœnitentis, neque vnquàm fuerunt; in confessione non fingantur, seu falsò dicantur. Rursus hæc integritas duplex distingui solet, materialis scilicet, & formalis. Materialis vocatur illa, quæ est de omnibus peccatis prout in re ipsa fuere commissa: & hæc est per se necessaria, vt in discursu huius disputationis explicabimus tractando de omnibus peccatis, vel circunstantiis, quæ ad hanc integritatem necessaria sunt: & excludendo ea, quæ necessaria non sunt. Quia verò potest aliquando intercedere sufficiens excusatio cõfitendi aliquod peccatum à pœnitẽte cõmissum: ideò potest aliquando hoc sacramentum perfici sine reali, seu materiali integritate confessionis: tunc verò necessaria saltem est confessio formaliter integra, id est, de omnibus peccatis, de quibus nulla intercedit excusatio: de qua dicemus disputatione sequente.

## SECTIO II.

### *Vtrùm sit de necessitate confessionis, vt sit de omnibus peccatis mortalibus, quæ sunt in conscientia pœnitentis.*

1. Quid sit peccatũ esse in conscientia pœnitentis.

AD intelligẽdum quæstionis titulum, duo sunt aduertenda. Primum est, illa peccata dici in præsenti esse in conscientia pœnitentis, quæ ab illo commissa sunt post Baptismum, & per aliam confessionem non sunt ritè clauibus subiecta: illa enim, quæ per aliam confessionem remissa creduntur, licèt sint in memoria pœnitentis, non tamen propriè sunt in conscientia, quia iam vt omninò extincta & remissa considerantur: alia verò peccata mortalia, quæ nondum sunt explicata in confessione, licèt contingat apud Deum esse remissa per veram contritionem, in præsenti censentur adhuc esse in conscientia pœnitentis, quia nondum sunt per claues Ecclesiæ remissa. Secũdò obseruandũ est, aliud esse, quòd talium peccatorũ confessio sit necessaria ad salutẽ; aliud verò quòd ad valorẽ sacramẽti necessariũ sit omnia hæc peccata in eadẽ cõfessione aperire. Nam de priori necessitate in superioribus dictum est, & ad illam obligationem explẽdam satis videri posset vnum peccatum confiteri vni sacerdoti, & aliud alteri: vel vnum in hac confessione, aliud in alia, donec omnia subiicerentur clauibus: nunc ergo inquirimus de alia obligatione, vel necessitate subiiciendi omnia simul in eadem confessione.

Non est idem peccati cõfessionẽ esse necessariam ad salutem, & ad valorẽ sacramenti.

2. Ratio dubitandi.

Atque hinc oritur ratio dubitandi, quia hæc necessitas non oritur ex vi institutionis: ergo nulla est. Probatur consequentia, quia, si hæc necessitas tanta est, vt pertineat ad veritatem sacramenti, oportet vt ex institutione oriatur: si verò tantùm est necessitas præcepti, oportet ostendere illud esse diuinum extra institutionem, quod sanè fieri non potest. Ecclesiasticum autem tantùm non videtur esse posse, quia, vt infrà videbimus, huic obligationi confessionis Ecclesia nihil addidit, præter temporius determinationẽ. Probatur autem primum antecedens, quia ex vi institutionis solùm colligitur, nullũ peccatum mortale dimitti posse absque absolutione sacerdotis: ex hoc autem non colligitur necessitas huius integritatis, quia illud posset alio modo impleri, vt declaratum est.

3. Quid sentiant nonnulli Catholici.

Vnde nonnulli Catholici dixerunt, hanc necessitatem integritatis non posse sufficienti ratione colligi ex institutione, sed sola Ecclesiæ traditione auctoritate haberi. Quod indicat Durãdus d.17.q.15. vbi soluit rationes Theologicas, quæ ad hoc ostendendum afferri solent. Et idem sentiunt Medina Cod. de Confessione, q.8. Quidam autem hæretici negãt hanc integritatem esse necessariam, saltem quoad peccata occulta, seu merè interna. Quod sensit Vuicleph apud Vualdensem tom.2. de Sacramentis c.185. quia putauit confessionem esse institutam ab Ecclesia, quæ per se potestatem non habet circa peccata merè interna. Addunt etiam talem obligationem esse de re non solùm admodùm difficili, sed etiam legi naturali repugnante, quia cogeretur homo seipsum infamare in re occultissima. Sed illud fundamentum hæreticum est, & ex illo non solùm infertur, confessionem talium peccatorum non esse necessariam propter integritatem, sed etiam absolutè, etiam propter remissionem eorum necessariam nõ esse. In eodem errore fuit Petrus Oxomensis, qui addidit, non esse necessariũ confiteri peccata publica, quia ipsa per se satis patẽt. Qui error cum aliis damnatus fuit à Sixto 4. in Bulla, quã refert Castro verb. *Confessio*. Denique Lutheros etiam integritatem confessionis reprehendit, quia qui omnia peccata diligenter confiteri studeant, nihil diuinæ misericordiæ dimittendum relinquunt. Qui error in Concilio Tridentino damnatus est.

Durand. Medin. Quid hæretici. Vuald. Castro.

4. Vera sententia.

Dicendum ergo est, de necessitate huius sacramenti esse, vt pœnitẽs omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, eidem sacerdoti, in eadem cõfessione, seu in ordine ad eandem absolutionem, quantùm moraliter potest, confiteatur. Conclusio est de fide, quæ sumitur ex Concilio Cabilonensi c. 32. & Lateranensi in c. *Omnis vtriusque sexus*, & Florentino in Decreto Eugenij, quatenus docẽt, & præcipiunt omnia peccata eidem confiteri: nam quoad hanc partem non condunt nouum ius, sed explicant diuinum. Expressiùs tamen hoc definit Concilium Tridentinum sess.14.c.5.& can.7. dicens, *Qui scienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponit*: his verbis declarans talem confessionẽ esse nullam, & consequenter contrarium esse de necessitate sacramenti.

Conc. Cabilonen. Conc. Lat. Conc. Flor. Conc. Trid.

5.

Præterea de hac re habemus perpetuam Ecclesiæ traditionem & consuetudinẽ, quam nunc cernimus, & eius principiũ ignoramus: de quo multa legi possunt apud Burchardum lib.19. Decreti. Et expressè de illa loquitur Augustinus lib. de vera & fals. pœnit. c.9. & 15. dicens, *Quædam enim celant, quæ alij manifestanda conseruant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere*: & ideò inquit pœnitentem, *Ponat se in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui*. Idem insinuãt alij antiqui Patres (licèt non ita expressè loquantur) dum aiunt, etiam internas cogitationes esse confitendas, vt Clemens 1. epist.1. circa finem, de Petro loquens ait, *Instruebat fideles actus vitæ suæ custodire, & cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Domini manifestare*. Cyprianus serm. de lapsis nu.11. circa finem ait, *Quanto & fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo, aut sacrificij, vel libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitauerunt, apud sacerdotes Domini hoc ipsum dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus aperiunt, salutarem medelam etiam modicis vulneribus exquirunt*. Indicat etiam hoc Leo Papa Epistol.

Burchar. Auguſt. Clemens 1. Cyprian. Leo Papa.

Epistol.78.aliàs 80.cap.2.dicens, reatus conscientiarum,etiamsi occulti sint, aperiêdos esse sacerdoti cõfessione secreta. Nec dissimiliter Tertullianus libr. de Pœnitentia,c.10.circa finem, inquit, *Si quid humanæ notitiæ subduxerimus,proinde & Deum celabimus? adeone existimatio hominis, & Dei scientia comparantur? an melius est damnatum latere, quàm palàm absolui?* Sunt etiam optima verba Gregorij Nisseni orat.ad eos, qui duriùs alios iudicant,quæ refert Canisius agens de Sacramento pœnitentiæ, *Audaciter ostende sacerdoti,quæ sunt recondita animi arcana,tanquàm occulta vulnera medico detege*. Et eandem sententiam habet Hieronymus in id Ecclesiastæ 10. *Si momorderit serpens in silentio.* Denique Sanctus Pacianus in Paræneſi de Pœnitentia circa finem, *Quid facies tu, qui decipis sacerdotes,&c.* & infrà,*Prudentes ægri medicos non verentur,etiam in occultis corporis partibus, etiam peruſturos, &c.* Alios antiquos Doctores,Origenẽ, Ambrosium citaui suprà,agens de institutione, & necessitate confessionis.

Tertul.

Greg.Nissen

Hieron. Pacian.

6. Ratio conclusionis. D.Thom. Palud.

Ratio huius veritatis sumitur à D.Thoma in 4. distinct.47.quæstione 3.articulo 4.quem Paludanus,& alij sequuntur,ex ipsa institutione, quæ ad remissionẽ culpæ per se primò ordinatur, adiuncta conditione seu natura peccatorum mortalium,quæ est, vt vnum sine alio non remittatur:ex quibus principiis hæc ratio conficitur. Pœnitens confitetur vnum peccatum mortale sacerdoti, vt sacerdos illud remittat: sed sacerdos non potest illud remittere, nisi remittat cætera omnia, &, si intenderet remissionem, seu absolutionem diuidere, nihil faceret: ergo & pœnitens debet,quando vnum confitetur, confiteri omnia, &, si intendit confessionem diuidere, nihil facit. Probatur consequentia,quia confessio debet esse adæquata absolutioni:ideò enim necessaria est,quia absolutio non debet dari de ignotis,vt Concilium Tridentinum dixit. Absolutio autem, quanuis per se respiciat peccata in confessione manifestata, tamẽ etiã cadit in ipsam personam,eamque intendit simpliciter absoluere, & iustificare apud Deum,atque adeò ab omnibus peccatis mortalibus liberare:& ideò, sicut peccata mortalia quoad remissionem cõnexa sunt, ita etiam quoad confessionem, & absolutionem. In quo multùm etiam differunt à venialibus,vt Cõcilium etiam Tridentinum dixit.

7. Confirmatio.

Et confirmatur primò ex comparatione ad omne aliud iudicium:nam semper accusatio debet esse proportionata,& adæquata sententiæ,quæ postulatur: & è conuerso sententia debet esse accommodata accusationi, & probationi factæ: sed in præsenti iudicio pœnitens nõ tantùm postulat liberari ab vno,vel alio peccato mortali, sed simpliciter iustificari:ergo tenetur aperire totam causam per se necessariam ad talem absolutionem, & nihil occultare eorum, quæ illam possunt impedire. Quod egregiè declaratur ex capit. *Cùm pro causâ*, de sententia excommunicat.vbi dicitur,eum, qui pluribus titulis excommunicatus est, si absolutionem petat, vno tantùm titulo excommunicationis explicato, licèt absoluatur, non liberari ab altera excommunicatione,quã ob aliam causam contraxerat, quia absolutio non excedit petitionem:vnde, si excommunicatio talis esset, vt non posset vna excommunicatio sine alia tolli, ille in eo casu à nulla maneret absolutus, tamen, quia de facto excommunicationes non habent inter se connexionem quoad absolutionem, in eo casu vna tollitur, & manet altera. Sic ergo in præsenti, qui vnum peccatum mortale confitetur, quantùm est ex se, petit ab vno absolui,& non ab alio: vnde, quia hoc fieri non potest,petitio,seu confessio inualida est. Et propter hoc dixit Concilium Tridentinum, *Deum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles coinfieri studeant, proculdubiò omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt: qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati, per sacerdotem remittendum proponunt.* Et confirmatur tandem, quia ob hanc causam necesse est contritionem, seu dolorem esse de omnibus peccatis mortalibus, quia vnum sine aliis remitti non potest.

Cap Si pro causa de sẽ. excomm.

Conc. Trid.

Responderi verò potest, nunquàm sacerdotẽ absoluere ab vno peccato mortali, quin omnia remittantur in re ipsa, non esse autem necessarium, vt remittantur præcisè per ipsam absolutionem, sed per illam simul cum contritione, vel attritione includente votum alterius confessionis eorum peccatorum, quæ in tali confessione omittuntur. Nihil enim repugnat, institutionem factam esse hoc modo: neque ex solis verbis Christi potest ostendi non fuisse ita factam, vt suprà argumentabar. Et instari amplius potest, quia interdum plura peccata nõ remittuntur per idem sacramentum, sed in ordine ad diuersa, vt in eo, qui fictè baptizatus est, & posteà confitetur:nam per illam absolutionem non possunt tolli omnia peccata illius hominis:sed quæ præcesserunt Baptismum, tolluntur per illum: quæ verò subsequuta sunt, tolluntur per absolutionem:ergo non est simpliciter necessarium, vt sacerdos absoluens per se remittat omnia peccata. Quod etiam in peccatis reseruatis infrà videbimus iuxta probabilem sententiam. Et quoties sine culpa tacetur aliquid in confessione, illud peccatum,quod tacetur,remittitur in ordine ad aliam confessionem eius,quam in proposito habere necesse est: ergo simili modo potest remitti quodlibet peccatum, etiamsi vnum tantùm confessori aperiretur.

8. Responsio.

Alia instãtia

9. Præcluditur

Hæc, & similia sunt, quæ Durandum, & Medinam mouerunt. Sed non aduertunt, aliud esse loqui de eo,quod per se postulat rei natura, & consequenter etiam institutio sacramenti: aliud verò quod per accidens contingit ob aliquam moralẽ necessitatem Per se enim est,vt peccata simul dimittantur,adeò vt de facto nunquàm vnum sine aliis dimittatur, vt suprà vidimus: & ideò institutio etiam sacramenti per se postulat, vt peccata, quæ sunt materia necessaria talis sacramenti, & ad illius forum pertinent (vt sic dicã) simul & ex vi eius sacramenti tollantur. Et propterea Baptismus ita est institutus,vt per se, & vi sua tollat non solùm originale peccatum, sed etiam omnia mortalia, quæ ante susceptionem eius cum originali sunt coniuncta, alia verò subsequentia ad illum non pertinent: & quòd illa interdum sint coniuncta cum originali, est per accidens, & præter institutionem Baptismi, propter impedimentum illi positum. Et idem omninò contingit, quoties aliquod peccatum non confessum per absolutionẽ tollitur: id enim per accidens est:institutio autem sacramenti debuit respicere quod est per se,non verò quod per accidens. Sicut in vniuersum leges morales respiciunt ea, quæ frequentiùs accidunt, non casus accidentales, vt ad hoc propositum rectè notauit Petrus Soto lectione nona de Confessione. Quæ ratio non ita demonstrat hanc veritatem,vt dicamus implicare contradictionẽ, hanc institutionem alio modo factam esse: sed vt ostendamus hanc solam conformem esse naturis rerum, quod satis est in ratione Theologica, vt alij Theologi docuerunt, præsertim Paludanus distinctione decimaseptima, quæstione prima, Adrianus quæstione quarta de Confessione. Soto dist.18.quæst. 2.art.5.& Cano d.Relection.de Pœnit.p.5.

Leges morales respiciũt quæ sunt per se,non quæ per accidens Pet.Soto.

Palud. Adrian. Soto. Cano.

Accedit tandem alia congruentia sumpta ex hoc sacramento, quatenus medicina est: nam sacerdos, vt medicus,debet adhibere remedium peccatis etiam in futurum,vt,quoad fieri possit,euitentur:sed ad hũc finem

10. Accedit cõgruentia.

finem sæpe, ac moraliter necessarium est, vt confessor totam conscientiam pœnitentis perspectam habeat, & ideò meritò institutum est, vt pœnitens totam aperire teneatur: quæ quidem non solùm est obligatio præcepti, sed etiam necessitas sacramenti, vt declaratum est: quanquàm in præsenti puncto nunquàm hæ duæ necessitates separentur, vt ex dicendis constabit.

11 Satisfit priori parti obiectionis hæreticorum.

Ex his ergo satis responsum est ad rationem dubitandi initio positam. Ad priorem verò partem obiectionis hæreticorum de peccatis occultis, respondetur in primis nullam ferè infamiam ex confessione sequi: nam quoad alios omninò tollitur per sigillum, quoad ipsum verò confessorem, per ipsam pœnitentiam, & dolorem peccati, quam pœnitens simul cum peccato ostendit, magna ex parte, vel omninò minuitur: & nocumentum in re nullum est, quia confessor non potest vti illa notitia, præsertim in grauamen pœnitentis, & quidquid difficultatis in hoc est, vt Tridentinum Concilium dixit, fructu gratiæ, & diuinæ consolationis compensatur. Ad alteram partem de peccatis publicis rectè respondet Diuus Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 3. articul. 2. quæst. 1. ad 1. illam notitiam, quæ extra sacramentum habetur, esse per accidens, in omni autem iudicio esse necessariam notitiam per propriam accusationem, & testificationem, quam hîc præbet pœnitens se accusans. Addo præterea, per confessionem non solùm dari confessori notitiam peccati secundùm se, sed prout fuit, vel est in conscientia pœnitentis, id est, secundùm modum & circunstantias, quibus ab eo fuit commissum, & secundùm præsentem dispositionem, seu detestationem, quam circa illud habet.

Satisfit posteriori parti. D. Thomas.

Respondetur Luthero.

Tandem ad Lutherum respondetur, nihil in hoc esse contra fiduciam, aut efficaciam meritorum Christi, quia totus fructus huius sacramenti ex meritis eius speratur: est enim hoc vnum ex instrumentis, per quæ Christi merita nobis applicantur.

---

*Practicum dubium resoluitur.*

12 Prima opinio.

SVPEREST verò hîc breue, & practicum dubium, si quis habeat vnum ordinarium confessorem, qui communia leuia peccata confiteatur, quoties verò aliquid graue occurrit, alteri confiteatur, vt ordinatio confessori id occultet: an hoc sit contra integritatem huius sacramenti. Sylvester enim verb. *Confessio.* primo, quæstione sexta dicit, quanuis hoc immediatè, & directè non sit contra integritatem, esse tamen peccatum mortale ob hypocrisim, & virtuale mendacium: decipit enim ordinarium confessorem: atque ita fit, vt dum hoc ipsum peccatum tacet, etiam in integritate deficiat. Quam opinionem admittit Victoria in Summa, nu. 196. de pœnitentia, cum hac limitatione, scilicet, si quis hoc faciat animo perseuerandi in tali consuetudine: nam, si semel aut iterum hoc fiat ex quadam imbecillitate humana, credit non esse peccatum mortale.

Sylvest.

Victoria.

13 Vera sententia. Nauar.

Dico tamen, quocunque modo fiat, neque esse directè contra integritatem, nec, per se loquendo, esse peccatum mortale. Quod sensit Nauarrus capite 21. in Summa, numero quadragesimosecundo. Et prior pars euidens est, quia huiusmodi pœnitens quando confitetur, semper profert quæ non est confessus: ea verò, quæ semel confessus est, non tenetur iterum confiteri. Neque etiam tenetur huic potiùs, quàm illi confiteri (supponimus enim omnes esse legitimos confessores. Et hinc facilè probatur posterior pars, quia in tali actu nulla grauis deformitas inuenitur contra charitatem Dei, aut proximi. Neque etiam est aliquod præceptum graue, contra quod fiat. Nam quod de mendacio dicebatur, non ita est: nam ille nihil falsum dicit, licèt fortasse permittat alium decipi, præterquàm quòd non omne mendacium in confessione est peccatum mortale, vt infrà videbimus. Dixi autem, *per se loquendo*: nam, si ob hanc causã talis persona maneret in aliqua occasione morali peccãdi mortaliter, quam occultaret ordinatio confessori, ex eo capite posset esse peccatum mortale, & defectus integritatis, vt per se satis clarum est.

Satisfit contrariæ sententiæ.

---

## SECTIO II.

*Vtrùm ad integritatem confessionis necessarium sit omnia peccata, vel malitias peccatorum specie distinctas, distinctè confiteri.*

VIDIMVS integritatem esse necessariam, nunc explicandum superest, quid ad hanc integritatem requiratur: quod sigillatim faciemus discurrẽdo per species, numerum, & circunstantias peccatorum. In præsenti ergo ratio dubitandi esse potest, quia præcepta moralia, quæ omnes obligant, debent esse omnibus moraliter possibilia: discernere autem species peccatorum adeò est difficile, vt vix docti homines id assequantur, ergo non debet ad hoc obligari totus populus Christianus: ergo non requiritur hoc ad integritatem, ad quam omnes obligantur. Et confirmatur, quia sæpe non variatur morale iudicium de peccato propter huiusmodi distinctionem: ergo.

1 Ratio dubitandi.

Confirmatio.

In hac re Caietanus tomo primo Opusc. tractatu de Confessione, ait, non semper esse hoc necessariũ, sed quando concurrunt hæc duo, scilicet, quòd illa distinctio specifica peccatorum satis clara sit, & nota omnibus, & tanta, vt multùm variet morale iudicium. Quæ doctrina non displicet Cano in dict. Relectione, parte quinta, nec Nauarro in capite *Consideret.* in principio, numer. 18. & 19. de Pœnitentia, dist. 5. Aliter verò distinguit Soto dist. 18. q. 2. art. 4. de speciebus peccatorum, scilicet, physicis, seu in genere entis, & moralibus, seu in genere mali moralis: & de prioribus negat necessarium esse illas confiteri: de posterioribus verò simpliciter, & absque distinctione affirmat. Quod sequitur etiam Petrus Soto lectione nona de Confessione, & conatur sententiam Caietani in hunc sensum interpretari. Nam exemplum, quo ille vtitur de speciebus diuinationis per ignem, vel per aquam, videtur esse huiusmodi, quia in illis actibus est physica diuersitas, non moralis.

2 Prima opinio. Caiet.

Cano. Nauar.

Soto. Alia opinio.

Petr. Sot.

Ratio autem huius sententiæ quoad hanc partem est, quia confessor non debet ferre iudicium de speciebus entis seu naturæ, sed de moribus, & ideò ad illud iudicium impertinens est, naturales species distinguere, nisi fortè id necessarium sit ad morales explicandas. Quæ pars adeò est certa, vt nulla ratio dubitandi circa eam appareat. Vnde, cùm Concilia, & Patres in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur vt peccata sunt, atque adeò, vt ad mores pertinent. Quòd si Caietanus hoc tantùm voluit, non erat cur doctrinam illam adeò commenderet, nec cur distingueret inter species, quarum differentia nota, vel occulta est: nam, si tanttùm est physica, & non moralis, etiamsi sit notissima, ad confessionem non refert.

3

*Prima Assertio.*

4 OMISSIS ergo physicis speciebus, simpliciter dicendum est primò, ad integritatem confessionis necessarium esse species peccatorum distinctè aperire. Hic est vniuersalis Ecclesiæ sensus, & consuetudo. Et quòd antiquissima sit, colligere licet ex sexta synodo, seu ex can. 102. Trullano, & ex Concilio Vormatiensi suprà citato. Idem significat Concilium Florentinum, & Lateranense: clariùs verò Tridētinum session. 14. c. 5. & cano. 7. Vbi ait, necessarium esse omnia peccata sigillatim confiteri: quod maximè de speciebus verum habet: dicit etiam necessarium esse confiteri circunstantias mutantes speciem, ergo à fortiori, peccata specie diuersa. Ratio autem redditur ab eodem Concilio, quia ad iustitiam seruandam in hoc iudicio, & ad satisfactionem, & curationem proportionatam adhibendam, necessarium est, vt confessor distinctè intelligat species criminum: ergo etiam est pœnitenti necessarium illas declarare: quia, sicut integritas confessionis est necessaria propter integritatem absolutionis, ita ille modus necessarius est in integritate confessionis, qui ad iustitiam, & rectitudinem huius iudicij, seu absolutionis requiritur.

Conc. Trul. Conc. Vormatien. Conc. Flor. Conc. Trid.

5 Satisfit cuidam obiect. Nec refert quòd interdum parua sit diuersitas inter has species morales, & ideò parum etiam mutet iudicium, tum quia non propterea admittenda est exceptio à generali lege: nam, vt suprà tetigi, lex, cùm generatim feratur, considerat ea, quæ frequentiùs accidunt. Neque debuit hoc electioni, & arbitrio ipsorum pœnitentium relinqui, sed stabili, ac certa lege statui. Quod fieri aliter non potuit moraliter loquendo, nisi vniuersalem statuēdo legem. Tum etiam, quia hic semper intercedit diuersitas iudicij, quod nouum & distinctum peccatum remittendum est, & puniendum: nec enim semper necesse est, vt diuersa satisfactio aut medicina sit applicanda: nam hoc etiam in peccatis multùm diuersis non semper necessarium est. Rursus non obstat difficultas, quæ esse solet in discernendis speciebus moralibus: nam etiam sufficit, quòd regulariter notæ sint, saltem vulgari quodam modo, per diuersitatem præceptorum, & rerum seu materiarum, circa quas peccatur, vel etiam virtutum, quibus peccata opponuntur. Et deinde confessoris scientia, & diligentia debet in hoc supplere ignorantiam pœnitentis. Ac denique, si facta morali diligentia, aliquid ignoratum fuerit, & ea ratione prætermissum illud non obstabit valori confessionis, & sacramenti.

Satisfit alteri.

*Secunda Assertio.*

6 Circunstantias mutātes speciem esse de necessitate sacramēti. Trident. HINC secundò dicendum est, necessarium esse ad integritatem cōfessionis in vnoquoque peccato explicare circunstantias mutantes speciem, vt si quis furatus est, an rem sacram, vel communem, & sic de aliis. Ita docet Concilium Tridentinum: neque inter Scholasticos fuit in hoc controuersia. Ea ratio est eadem, quæ præcedentis assertionis. Nam, licèt speculatiuè disputetur, an hoc sit vnum peccatum, vel multa, quæ fortè est quæstio de nomine, tamen indubitatum est, ibi esse plures malitias specie distinctas: peccatum autem præcipuè aperiendum est in confessione propter malitiam: nam ratione illius puniendum est, & curandum, ergo quotiescunque fuerint malitiæ specie diuersæ, declarandæ sunt: ergo & circunstantiæ, à quibus illæ sumuntur. Vnde, sicut paulò antè dicebam distinctionem physicam actuum non referre ad confessionem, sed moralem: ita è conuerso hic dicendum est, physicam, seu moralem identitatem actus per se non referre, si morales malitiæ per se plures sunt: & ideò, illa non obstante, hæ sunt explicandæ. Quocirca, licèt de actu interiori voluntatis sit quæstio inter Theologos, an habeat circunstantias, vel an respectu illius circunstantiæ transeant in rationem obiecti: tamen, quod ad præsens attinet, etiam in actu interiori illæ explicandæ sunt in omni opinione, vt attigit Diuus Antonius 2. par. tit. 5. cap. primo, §. 6. & Nauarrus in Summa, capite 6. nume. 4. & Ledesma 2. par. 4. quæst. 8. artic. 2. Ratio est, quia in omni opinione constat eundem actum interiorem voluntatis posse habere plures malitias, vt verbi gratia, desiderium occidendi clericum habet malitiam iniustitiæ, & sacrilegij: illæ ergo declarandæ sunt. Et quidem, si illa principia, vnde sumuntur tales malitiæ, vocentur circunstantiæ, constat hoc expresè ex definitione Tridentini: si autem vocentur obiecta, sequitur à fortiori, nam magis necessarium est declarare in confessione diuersitatem sumptam ex obiectis, quàm ex circunstantiis.

Antoñ. Nauar. Ledesma.

7 1. Corollar. Sequitur primò, necessarium esse declarare in confessione circunstantiam, quæ transfert actum ex veniali peccato in mortale, etiamsi non variet speciem malitiæ, quæ ex obiecto sumitur, vt est v. g. quantitas furti. Et ratio est, quia talia peccata, licèt in ratione mali moralis in specie conueniant, tamen in propria ratione peccati, id est, offensionis diuinæ, plus quàm specie differunt, imò & analogicè secundùm Diuum Thomam: peccatum autem primariò pertinet ad confessionem quatenus offensio Dei est,

8 2. Corolar. Sequitur secundò, si quis oblitus est in confessione alicuius circunstantiæ mutantis speciem, teneri postea illam confiteri, quia non expleuit obligationem suam, sed tantùm excusatus est, & ideò semper manet eadem obligatio. Item, quia specialis malitia sumpta ex illa circunstantia, non fuit per se remissa per illam absolutionem, sed tantum per accidens, & ideò subiici debet clauibus, vt per se remittatur. Denique hæc est regula generalis, quoties aliquid per se est de necessitate, vel integritate confessionis, si ex obliuione, vel alia legitima causa omittitur, in alia confessione explicandum esse, si fieri possit. Dices, Ergo tenetur aliquis iterum confiteri peccatum illud, cuius fuit talis circunstantia. Respondeo, si circunstantia possit declarari nulla facta mentione talis peccati, non erit obligatio repetendi confessionem illius: si verò aliter explicari non possit circunstantia, concedendum est consequens: nec est inconueniens, quòd ex accidente aliquis cogatur confiteri bis idem peccatum, vt rectè notauit Nauarr. dict. capite 6. nu- numero vigesimo, & in capite *Considereret*, numero 15.

Nauar.

9 Interrogationi respōdetur. Sylvest. Angel. Sed statim occurrit interrogandum, an sit necessarium confiteri huiusmodi circunstantiam per modum circunstantiæ, vel satis sit confiteri, vt peccatum distinctum, vt dicendo, v. g. commisi furtum, & sacrilegium, non explicando sacrilegium fuisse circunstantiam furti. Nam hoc sufficere affirmat Syluester verb. *Confessio*, 1. q. 10. Oppositum autem putat Angelus verb. *Interrogationes*, & placet Nauarro. Eadem verò distinctione respondendum censeo. Nam, si duæ illæ malitiæ sufficienter explicari possint non explicando connexionem earum in vno actu, satis erit illas dicere per modum plurium peccatorum, quia multi existimant illa reuera esse plura peccata, & illa coniunctio non variat iudicium, neque addit specialem grauitatem. At verò, si propria malitia circunstantiæ non possit declarari, nisi vt coniuncta, & addita alteri peccato: tunc necessarium erit illam per modum

modum circunstantiæ confiteri: & quia moraliter loquendo ita frequentiùs accidit, ideò in vsu ita seruandum est.

## SECTIO III.

### *Vtrùm sit de necessitate confessionis explicare in ea circunstantias, quæ non mutant speciem, præsertim notabiliter aggrauantes.*

1 Circunstantiarum diuisio.

CIRCVNSTANTIÆ moraliũ actuum in triplici genere sunt: quædam dici possunt impertinentes, quia neque augent, neque minuunt malitiam: aliæ verò sunt augentes notabiliter: aliæ minuentes eodem modo. De primis nihil est dicendum, quia, si sint ita impertinentes, vt sint omninò indifferentes, nihilque omninò conferant ad malitiam, nec sunt propriè circunstantiæ morales, neque quicquam ad hoc iudicium referũt. Si verò aliquid ad actum moralem conferant, tamen non extrahant illum ab ordinario modo peccandi in tali specie, in ipso peccato simpliciter dicto continentur: nihil ergo de iis explicare necesse est.

2 Proponitur dubium.

Solùm posset in hoc dubitare aliquis, hinc sequi per se necessarium non esse actum exteriorem exponere, sed solam voluntatẽ, quia actus exterior etiam non auget, neque minuit malitiam. Dicendum verò est, non esse similem rationem, quia actus exterior non est circunstantia, sed est ipsum peccatum vnum, & idem cum actu interiori, quod totum explicari debet prout ex vtroque actu compositum est. Præsertim quia illa voluntas, quæ ad executionem perducitur, nunquàm potest satis explicari sine actu externo: neque etiam status pœnitentis satis innotesceret sacerdoti in ordine ad medicinam exhibendam. Addunt aliqui, totam malitiam peccati quod in exteriori actu consummatur, præcipuè esse in actu externo, & ideò illum esse confitendum. Sed hoc non placet, quia licèt malitia obiectiua sit in actu externo tanquàm in obiecto, malitia autem moralis actus humani, vt sic, tota est formaliter in actu interno, à quo externus extrinsecè denominatur malus, vel bonus, sicut & liber & actus humanus: malitia autem obiectiua exterioris actus satis explicatur, explicato actu interiori, vt terminato ad tale obiectum, quanuis non explicetur actus exterior, vt factus per interiorem.

Respondetur.

### *Quid dicendum de circunstantijs aggrauantibus.*

3 Opinio negatiua. D. Tho. Albert. Magn. Palud. Durand. Bonau. Almain. Carthus. Adrian. Medina. Anton. Nauar. Couarru. Turrecre. Angel. Armil.

PRÆCIPVA ergo difficultas versatur in circunstantiis notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem. Est enim valdè communis opinio, non esse necessarium has circunstantias confiteri, quam tenuit D. Thomas in 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 5. & ibi Albertus Magnus art. 24. Palud. q. 3. art. 3. Durand. q. 4. Bonauent. d. 17. q. vlt. Almain. q. 1. art. 2. Carthus. q. 2. Adrianus q. 4. de Confessione, art. 2. Medin. Cod. de Confessione q. de circunstantiis confitendi. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 7. & constantissimè Nauarr. in Summ. c. 6. n. 6. & in dict. c. *Consideret.* de Pœnit. dist. 5. n. 6. & Couarr. in Epitome 4. Decretalium p. 1. ca. 1. n. 14. Turrecremata c. 1. in principio de Pœnit. d. 6. Angelus, Armill. & alij Summistæ, & Summa confessorum, lib. 3. tit. 34. q. 81.

4 Fundamentũ opinionis negatiuæ. Trident.

Fundamentum præcipuum sumi potest ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 5. vbi agens de circunstantiis ait, esse præceptum confitendi illas, quæ speciem mutant: ergo, cùm de aggrauantibus tacet, virtute negat tale præceptũ ad illas extendi. Patet consequentia, tum quia integram doctrinam tradit de omnibus necessariis ad hoc sacramentum: tum etiam, quia præmittit illa verba, *Nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigitur, quàm vt, &c.* ergo nihil aliud est sub præcepto, nisi quod ibi præscribitur. Secundò argumentor ex dissimilitudine rationis inter has circunstantias, & illas quæ mutant speciem: nam hæ posteriores per se requiruntur ad integritatem absolutionis, quia moraliter constituunt distincta peccata, ex quibus vnum non potest sine alio tolli: at verò hæ circunstantiæ non addunt peccatum nouum, sed concurrunt ad constitutionem eiusdem: hoc autem peccatum totum dicitur, etiamsi absolutè & sine explicatione talium circunstantiarum dicatur: ergo id satis est, vt totum etiam remittatur: ergo ex integritate absolutionis non potest colligi hæc necessitas, sicut in aliis colligitur. Rursus neque ex necessitate satisfactionis imponendæ, tum quia hic finis secundarius est, tum etiam quia hæc satisfactio non imponitur cũ æqualitate rigorosa, sed arbitrario modo, id quod sufficit illa confusa cognitio peccati. Vnde concluditur ratio, nam hoc præceptum non est per se & quasi separatim impositum, vt patet ex Tridentino, & ex dictis in superiori quæstione: neque etiam est inclusum in institutione, vt declaraui: ergo nulla est talis necessitas. Tertiò, si necessarium esset confiteri circunstantias sic aggrauantes, eadem esset necessitas confitendi circũstantias notabiliter minuentes. Consequens est falsum, & contra vsum: quia hoc sacramentum non est ad se excusandum, sed accusandum. Sequela probatur, quia tam est necessarium in hoc sacramento nihil addere veritati accusationis & facti, sicut nihil occultare: ergo, si necessarium circunstantias aggrauantes explicare, ne illa grauitas lateat confessorem, ita etiam notabiliter minuentes, ne plus concipiat, quàm factum sit. Quartò tandem, quia vix potest cum aliqua certitudine & tegula explicari, quid sit notabiliter aggrauare, & quando ad illum terminum perueniatur: non sunt ergo pœnitentes in has angustias redigendi sine necessitate: præsertim, quia descendendo ad particulares circunstantias, vix potest illud ad praxim reduci. Quomodo enim explicabit pœnitens magnam intentionem & feruorem in peccando? quæ circunstantia plus fortè auget intra eandem speciem, quam quælibet alia, & sic de cæteris. Hæc sententia probabilis quidem est, præsertim propter auctoritatem tot Doctorum: & qui ea vteretur in praxi, maximè ex causa rationabili, nõ peccaret.

1. arg.

2

Nihilominùs contrariam sententiam veriorem, & magis probandam censeo, nimirum, per se loquendo, ad integritatem confessionis necessariũ esse has circunstantias in confessione explicare. Ita tenuit Altisiod. lib. 4. Summæ, tract. 6. capite 3. q. 3. Alexand. Alens. 3. p. q. 77. memb. 3. art. 2. §. 2. aliàs q. 8. memb. 4. art. 3. §. 2. Marsil. in 4. q. 12. art. 1. p. 1. illius. Maior in 4. d. 17. q. 4. vbi etiam Richard. art. 2. q. 8. idem sentit, licèt soleat in contrarium citari, eò quod artic. 3. quæst. 5. dicat circunstantiam, quæ non addit malitiam mortalem, non esse de necessitate confessionis: quod non est contrarium, quia circunstantia notabiliter aggrauans per se censetur addere malitiam mortalem. Scotus etiam & Gabriel ibi. q. 1. art. 2. licèt dubij sint, tamen in hanc partem magis inclinant: quam tenet etiam Caietanus 1. 2. q. 7. & in Sũm. verb. *Confessio*, conditione 15. Victoria in Summ. 4. n. 136. de Pœnit. Cano dict. Relectione p. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 4. Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 4. dub. 5. Petrus Soto lect. 9. de Confessione, imò & Syluester verb. *Confessio*, 1. q. 9. licèt videatur priorem sententiam tenere,

Affirmatiua opinio probatur. Altisiod. Alens. Marsil. Maior. Richard.

Scotus. Gabr. Caiet. Victoria. Cano. Sotus. Ledesma. Pet. Soto. Sylvest.

posteà concludit peccare grauiter pœnitentem, qui has circunstantias sine graui causa tacet, quia exponit se periculo non accipiendi conuenientem medicinam.

6 Probatur 1.

Et primò probari potest hæc opinio ex communi vsu fidelium, quem Auctores etiam contrariæ opinionis in suum fauorem afferunt: sed sine dubio timorati omnes hoc modo confiteri videntur. Et, si antiqua decreta inspiciamus, intelligimus hanc consuetudinem esse antiquissimam. Nam in 6. Synodo Canone

Conc. Trul. 102. in Trullo, omnes hæ circunstantiæ describuntur, & proponuntur fidelibus vt necessariò confi-

Conc. Vormatiense. tendæ. Item habetur expressè in Concilio Vormatiensi, canone vigesimoquinto, dicente, *Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur, debet ergo sacerdos singulorum causas singulatim considerare originem, modumque culparum, &c.* Et ex capite *Consideret*, de Pœnitent. distinctione quinta, quod est Augustini de vera & falsa pœnit. capite decimoquarto, idem habetur, & ex libro de Visitatione infirmorum, capite secundo. Verum est, multa ibi recensêre, quæ non videntur necessaria: ipse tamen subdit, *Hæc omnia si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant*: sentit ergo ex suo genere esse necessaria, ergo tunc maximè, quando notabiliter aggrauant. Præterea fuerunt antiquitùs in Ecclesia canones, qui

Canones pœnitentiales. dicebantur pœnitentiales, de quibus integrum librum confecit Antonius Augustin. & in fine Decreti

Anton. Augus. multi habentur; in illis ergo variæ pœnitentiæ, seu satisfactiones designãtur pro peccatis eiusdem speciei iuxta diuersam grauitatem eorum, vt videre licet apud Gratianum, maximè can. 2. & 22. & apud Antonium August. tit. 3. c. 3. ergo signum est, non solùm hæc peccata, sed etiam notabiles grauitates eorum declarandas fuisse in confessione. Nec dici potest illas pœnitentias pertinuisse ad forum externum, quia oppositum constat ex ipsis decretis, nam propter res etiam occultissimas imponebantur, vt sumitur etiam

Burchar. ex Burchardo lib. 19. Decre. cap. 5. Et ideò Antonius August. in fine libri concludit, confessorem debere in his esse peritum, vt sciat interrogare. Et potest hoc confirmari non leui coniectura, nam interdum Ecclesia reseruat peccatum alicuius speciei, habens circunstantiam aggrauantem, & non sine illa, vt Nauarrus & Auctores primæ opinionis fatentur, qui consequenter aiunt in eo casu esse necessarium cõfiteri illam circunstantiam propter reseruationem. Ecclesia autem non reseruat nisi ea, quæ sunt de necessitate confessionis, propter quod non reseruat venialia peccata, vt infrà dicemus.

7 Expenditur Trident. pro parte affirmatiua.

Concilium denique Tridentinum non obstat, sed fauet potiùs huic sententiæ: nam quòd expresserit circunstantias mutantes speciem, & has tacuerit, id solùm fecit, vt quod est certum doceret, & quod est adeò controuersum inter graues Auctores non definiret, si tamen verba, & ratio eius ponderentur, virtute comprehendunt has circunstantias. Priùs enim docens, peccata occulta esse confitenda, subdit hanc rationem: *Quia plerunque grauiùs sauciant animam, & periculosiora sunt*, quod nos dicere possumus de his circunstantiis, cum illis; quæ speciem mutant, comparatis: sæpe enim grauiùs nocent, & coram Deo maiorem pœnam merentur, & ad prauos mores generãdos periculosiora sunt. Prætereà agens Concilium de peccatorum omnium confessione, ait, *Cum aperta, & verecunda eorum confessione*: non potest autem dici aperta confessio grauissimi peccati, quando maxima eius grauitas tacetur, & solùm vt aliquid vulgare & commune dicitur. Quo modo potest etiam expendi verbum Concilij Florentini in Decreto Eugenij dicen-

Cõc. Flor. tis, *Pœnitentem debere omnia integraliter confiteri*: nam hæc integritas non tantùm in collectione omnium, sed etiam in singulis necessaria est: non potest autem aliquis dici integrè confiteri peccatum aliquod, qui præcipuam eius grauitatem non declarat, vt sequentibus rationibus magis exponam. Denique ratio Concilij Tridentini ferè eandem vim habet in his circunstantiis, vt patebit.

8 Probatur 2.

Vnde argumentor secundò, principaliter ratione, quia hæc præcepta, quæ ad integritatem pertinent non sunt distincta ab ipsa institutione, neque aliunde habentur, nisi quatenus ex illa per discursum colliguntur, vt superiori sectione declaratum est, & non obscurè constat ex tota doctrina Concilij Tridentini in illo cap. 5. sed confessio harum circunstantiarum non habet minorem connexionem cum æquitate, & rectitudine huius iudicij, & consequenter cum institutione eius, quàm confessio aliarum circunstantiarum, vel quàm numerus peccatorum, de quo posteà dicetur: ergo. Minorem probo: primò ex illis verbis Concilij, *quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus satis innotescant, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Hæc enim verba æquè in his circunstantiis locum habent, quoniam vnum peccatum notabiliter graue ex aliqua circunstantia æquiualet moraliter multis numero distinctis, & in iudicio Dei grauiùs punitur, & in hoc sacramentali plurimùm variat iudicium confessoris: quod etiam, vt suprà dicebam, respectu circũstantiæ mutantis speciem sæpe locum habet: quia vt Theologi docent, peccatum ex suo genere leuius interdum superat aliud specie distinctum, & ex suo genere grauius, propter circunstantias aggrauantes in eadem specie.

9 Responsio partis oppositæ refutatur.

Nec satisfacit responsio insinuata in secundo fundamento contrariæ sententiæ, scilicet, hoc esse verum in secundario fine huius sacramenti, non verò in primario: tum quia eadem ratione dici posset, satis esse confusè dicere, *sæpiùs peccaui in tali specie* non explicato numero distinctè, quia ad primarium finem, qui est remissio culpæ, id sufficit, quia ibi confusè proponuntur omnia peccata simul remittenda, & non vnum sine alio, sicut displicent omnia per contritionem generalem, cui confusè omnia proponuntur: ergo etiam propter alium finem condignæ satisfactionis, & punitionis est necessaria confessio distincta numeri peccatorum, ergo & harum circunstantiarum. Tum etiam, quia, licèt ille finis sit minùs principalis, tamen simpliciter est necessarius in hoc iudicio: neque hæc res est omninò arbitraria iudici, sed per se tenetur seruare æquitatem, quanuis intra latitudinem eius ei concedatur facultas arbitrandi, propter varias occasiones occurrentes. Et accedit prætereà ratio medicinæ, quæ ad primarium finem huius sacramenti pertinet, & non potest conuenienter applicari, nisi cognito modo peccati quando habet singularem, & extraordinariam grauitatem. Vnde, quod quidam respondent, satis esse seruare æquitatem hanc in ordine ad grauitatem essentialem peccati, & ad numerum, est clara petitio principij, quia hoc est de quo agimus, & cuius rationem inquirimus. Nam quòd in ordine ad numerum, & grauitatẽ essentialem seruanda sit æquitas, ex sola institutione colligimus, & ex natura iudicij: ergo sine causa hoc limitatur ad illa duo mẽbra, sed extendẽdum est ad omnia, quę parem cõnexionem habuerint cum institutione, & natura iudicij, & præsertim si simul adiũgatur ratio medicinæ.

10 Probatur 3. & ratio. Cõcil. Flor. & Trid. expenditur.

Tertiò expendo ampliùs rationem de integritate insinuatam in Concilio Florentino, & Tridentino: quia

quia, si pœnitens has tacet circunstantias, virtute negat peccatum suum habere tantam grauitatem: ergo dimidia s confessionem illius peccati: non est ergo confessio integra. Antecedens probatur (consequentiæ enim claræ sunt) quia, cùm duplex sit modus peccandi, vnus ordinarius & communis, alius extraordinarius, & cum peculiari deformitate in illo genere, quando pœnitens simplici modo suum peccatum confitetur, confessor nec potest, nec debet intelligere eum aliter peccasse quàm ordinario modo: faceretq; ei iniuriã si temerè iudicaret aut suspicaretur extraordinariam grauitatẽ peccati: ergo, moraliter rem cõsiderando, qui tacet has circunstantias, illas excludit à notitia & iudicio confessoris. Confirmo, & vrgeo hanc rationem: nam, si confessor interroget à pœnitente huiusmodi circunstantiam, pœnitens tenetur eam dicere, quia confessor ius habet interrogandi, cùm hæc notitia necessaria illi sit, vt possit conuenienter suo munere fungi: vnde si pœnitens neget, planè fallit confessorem in re graui, & multùm ad iudicium pertinente: & idem est si vtatur verbis æquiuocis, vel alio modo procuret illam circunstantiam occultare: nam hoc ipso est in causa vt confessor existimet illum non cõmisisse tantam grauitatẽ: ergo pœnitens, etiam non interrogatus, tenetur talem circunstantiam declarare: in hoc enim iudicio quidquid pœnitens tenetur dicere interrogatus à iudice, tenetur ipse sua sponte confiteri, quia hoc iudicium non est coactum, sed voluntarium, & interrogatio confessori non addit obligationem, sed illam potiùs supponit, ideò enim confessor iustè interrogat, quia pœnitens habet obligationem confitendi.

11 Obiectio. Sed obiiciet aliquis: nam si hæ rationes validæ sunt, non solùm probant hanc partem esse probabiliorem, sed etiam esse omninò certam æquè, ac de circunstantiis mutantibus speciem, quia per consequentias æquè certas moraliter, colligitur ex institutione. Respondetur primùm, rem ipsam non esse æquè certam, quia non est ita in terminis definita, ac tradita. Deinde nec illationes seu argumentationes sunt æquè certæ, quia certius est, sub illa distributione, *omnium peccatorum*, quæ confitenda sunt, comprehendi species, vel etiam numerum, quàm circunstantias has aggrauantes. Denique, cùm hæ res morales multùm pendeant ex iudicio prudẽtum, ipsa varietas iudiciorũ, vel ostendit, vel aliquando facit incertitudinem, vel minorem certitudinem in vna re, quàm in alia, licèt alioqui non minor vis rationis esse videatur.

Solutio.

12 Probatur vltimo. Vltimò argumentor inductione: nam de gradibus consanguinitatis, quatenus sunt circunstantiæ incestus, omnes fatentur esse declarandos, quanuis probabilius sit non mutare speciem peccati, vt latè Caiet. 2.2.q.154. articu.9. & Tom.1. Opusc.tract. vlt.resp. 5. Soto, & Cano suprà, licèt aliter sentiat Nauarrus c.7. n.4. Simile exemplum affert Cano ex variis peccatis contra naturam: sed illud magis dubium est, vt constat ex Caietano suprà art.11. Item, qui infamat alium, falsum dicendo, aut verum defectum, sed occultum reuelando, id tenetur declarare, & tamen in ratione iniustitiæ, & peccati mortalis illa tantùm differunt in grauitate eiusdem speciei: nam malitia mendacij per se mortalis non est. Item frangere ieiunium comedendo carnes, eiusdem speciei est cum alio peccato, quod committitur comedendo sæpiùs eodem die ex cibis non prohibitis, & tamẽ sine dubio illa circunstantia declaranda est. Idem est de homicidio, vel mutilatione membri, & de voluntate occidendi vnum hominem, vel multitudinem hominum, & sic de aliis. In quibus Nauarrus, & ferè Auctores prioris sententiæ concedunt quidem hanc varietatem esse confitendam, semper tamen inuenire procurant distinctionem specificam, vel saltem numericam in his peccatis: quod certè sæpe assequi non possunt satis probabiliter. Hinc verò colligitur, & formatur ratio: nam hæc varietas ideò confitenda est, quia multùm etiam variat iudicium confessoris: ergo hæc debet esse regula huius obligationis, nec debet limitari ad speculationem de distinctione numerica, vel specifica peccatorum.

Caiet. Sotus. Cano. Nauar.

13 Vtraque opin. conciliatur. Imò hinc colligere licet, quanuis hæ duæ sententiæ in communi assertione multùm inter se differant, descendendo ad particulares casus, seu circunstantias non multùm discrepare: quia quoties circunstantia variat iudicium morale, fatentur Doctores vtriusque sententiæ esse confitendam, quanuis ex diuersis principiis: hi, quia notabiliter aggrauat, & mutat iudicium: illi, quia speciem mutat. Et ideò, licèt dixerim priorem sententiam esse probabilem, tamen in vsu eius cauendum est ne misceantur opiniones: & ex his, quæ sigillatim sumptæ probabiles sunt aliquid improbabile inferatur.

14 Fundamenta prioris sententiæ refelluntur. Fundamentum primum alterius sentẽtiæ ex dictis expeditum est. Concilium etiam Tridentinũ id, quod certum erat, definiuit expressè: id verò, quod erat sub opinione, neque affirmauit, neque negauit, sed cùm dixit omnia peccata esse sigillatim confitenda, explicandum nobis reliquit quid sit illud, *sigillatim*, & ex ratione integri iudicij nos intelligimus ibi comprehendi has circunstantias. De secundo item fundamento satis dictum est.

## *Quid dicendum de circunstantiis minuentibus.*

15 Circunstantiæ minuentes, mutãtes speciem sunt declarandæ. Bonau. Gabr. Victoria. Sotus. Cano. Circunstantiæ minuentes quatuor modis mutãt speciem. IN tertio petitur, vt de circunstantiis minuentibus peccatũ aliquid dicamus. In quibus etiã distinguẽdum est de iis, quæ minuũt variando speciem, vel intra eandem. Nam de prioribus res certa est, esse declarandas, vt docẽt Auctores citati, præsertim Bonau. d.17. art.5. q. vlt. Gabr. q. 1. art. 2. Victoria n.102. Soto, Cano, & alij. Et patet ex Concilio Tridentino generatim dicente, omnes circunstantias mutantes speciem esse confitendas. Et ratione declaratur: nam quatuor modis contingere potest hæc mutatio. Primò, quia circunstantia explicata declarat actum nullum fuisse peccatum, qui simpliciter dictus, videri posset peccatum mortale, vt si quis dicat, se occidisse hominem in sui defensionem. Secundus modus similis est, si circunstantia addita declaret esse veniale, quod aliàs esset mortale, vt aliquid esse factum ex subreptione, & subito motu, absque deliberatione. Tertius, si circunstantia tollat vnam malitiã mortalẽ. quãuis relinquat aliã: vt si quis occidit hominẽ clericum, sciens esse hominem, & inuincibiliter ignorans esse clericum, quod excusat à sacrilegio, quanuis non ab iniustitia. Quartus modus esse potest, si actus absque circunstantia appareat vnius speciei: cũ illa verò alterius, licèt leuioris. Et in his omnibus ratio est, quia, si talis circunstantia taceatur, grauiter recipitur iudex in hac causa: & , moraliter loquendo, ei falsum dicitur in re graui. Dicet aliquis, pœnitentẽ tunc nõ decipere, sed solùm permittere vt alter decipiatur, quia verba, quæ dicit, in rigore vera sunt simpliciter sumpta. Respondetur, consideratis circũstantiis talia verba hîc & nũc non esse vera, quia proferũtur ad accusandũ hominẽ de tali delicto, & ita prolata non significant actum illum materialiter sumptũ, sed vt moraliter malum. Addo etiam, illam non esse permissionem tantùm, quia tenetur pœnitens ita clarè & distinctè loqui, vt non det iudici occasionem deceptionis in re tam graui. Vnde non etiam refert quòd in vltimo mutationis modo sæpe circunstan-

Solut. o

tia transfetat actum ab yna specie in aliam leuiorem, vt si volens & intendens occidere bouem alicuius, casu, & per ignorantiam inculpabilem, occidat ipsum hominem, explicata circunstantia, illud non est homicidium, sed furtum, vel quid simile. Nam tunc etiam ratio est clara, quia vnusquisque tenetur confiteri quod fecit, non autem quod non fecit: ille autem verè & coram Deo fuit fur, & non homicida: id ergo explicare tenetur.

16 Circunstantiæ minuentes intra speciem, nec oportet, nec expedit vt declarentur.

At verò de circunstantiis minuentibus intra eandem speciem, Bonauent. & alij, præsertim Nauarrus cap.6.n.6. non solùm negant esse necessarium, verùm etiam, per se loquendo, non esse expediens illas declarare, quia non deseruiunt ad accusationem, sed ad excusationem, quæ non incùbit ipsi reo: & quamuis iudex fortè maiorem aliquam grauitatem concipiat, nullum graue incommodum sequitur in hoc iudicio, & si quod est, totum cedit in grauamen ipsius pœnitẽtis; ipse autẽ potest cedere iuri suo, & erit vtile ad maiorem satisfactionem. Scotus autem, Cano, & alij putant hoc esse necessarium, quando circunstantia notabiliter minuit, quia aliàs putant iudicem decipi in re graui. Mihi autem prior sententia simpliciter ac per se loquendo, probanda videtur: quia, quando diminutio tanta non est, vt impediat malitiam moralem in tali specie, non existimo esse circũstantiam notabiliter minuentem, aut sufficientem ad multum variandum morale iudicium. Quod sic patet, quia actus peccati simpliciter dictus, indicat quendam ordinarium modum peccandi, in quo potest esse aliqua latitudo, in qua includitur omnis modus peccandi cum quacumque ex his circunstantiis, & ideò licitum est sacerdoti totum illum modum apprehendere, & secundùm illum iudicare. Vnde, respondeo ad illud tertium fundamentum; est magna differentia inter circunstantias minuentes, & aggrauantes: tum quia aggrauantes extrahunt actum ab ordinario modo peccandi, non autem minuentes: tum etiam, quia aggrauantes, si à pœnitente non explicentur, non possunt à iudice licitè cogitari, aut existimari, quia faceret ei iniuriam; minuẽtes autem, etiamsi non declarentur, possunt à iudice sine periculo cogitari, prout ex aliis coniecturis potuerit prudenter suspicari.

3. fundamentum refellitur.

17 Quando circunstantia sit notabiliter aggrauans.

In quarto fundamento duo petuntur. Vnum est, vt declaremus, qua regula cognoscendum sit circunstantiam notabiliter aggrauare: aliud est, vt hoc ad singulas circunstantias aliqualiter applicemus. In priori puncto dicunt aliqui, quoties circunstãtia tantam addit malitiam, vt per se sufficeret ad peccatum mortale constituendum, illam esse ita aggrauantem, vt sit explicanda: vt v.g. si materia furti sufficiens ad peccatum mortale sint quatuor argentei, qui furatur octo tenetur explicare, si autem furatus esset septem, satis esset dicere, peccaui mortaliter furando. Ratio esse potest, quia iam tale peccatum æquiualet duobus mortalibus. Hæc regula, quantùm ad partem negantem, circunstantiam, quæ per se non sufficeret ad peccatum mortale aggrauare notabiliter, videtur mihi certa: quantùm ad aliam affirmantem videtur rigorosa valdè: & licèt in circunstantia pertinente ad quantitatem materiæ possit facilè ad vsum applicari, in aliis vix potest, vt ex dicendis patebit, & maximè constat in intentione actus. Quapropter probabilius censeo nõ posse hoc certa regula definiri, sed prudenti arbitrio esse relinquendum, & præcipuum testem huius grauitatis esse conscientiam ipsius peccantis: nam quando hæc accusat, quòd excesserit ordinarium modum peccandi, & recognoscit in actu notabilem grauitatem & deformitatem, tunc signum etiam est talem circunstantiam multùm referre ad morale iudicium: in quo etiam interuenire debet iudicium confessoris. Quod magis declarabitur descendendo ad singulas circunstantias, quod præstabimus sectione sequente.

## SECTIO IIII.

### *Quomodo singulæ circunstantiæ de necessitate confessionis esse possunt.*

1 Septem circunstantiæ connumerãtur, & declarantur. 1. Circunstãtia. Quis.

SEPTEM circunstantiæ, vel octo communiter numerantur, *Quis*, *quid* vel *circa quid*, *quomodo*, *cur*, *quibus auxiliis*, *vbi*, & *quando*. Circunstantia, *Quis*, denotat conditionem vel qualitatem personæ peccantis, quæ frequentiùs auget, mutando speciem, vt si persona sit sacra, vel habeat votum, transfert actum intemperantiæ in vitium sacrilegij: si sit persona ad quam pertineat gubernatio, vel regimen, sæpe transfert actum in iniustitiam, qui in alia persona esset tantùm contra charitatem. Item si sit persona publica, sæpe actus eius habebit malitiam scandali, quam in alia non haberet. At verò intra eandem speciem rarò aggrauat hæc circunstantia ita notabiliter, vt necessariò sit declaranda: interdum verò probabile est. Commune exemplum est, si habeat votum solenne castitatis, & contrà illud peccet, quia non satis erit dicere se habere votum, nisi explicet circunstantiam solennitatis, quamuis illa duo vota nõ differant specie. Aliud exemplum est, si persona sit magis vel minùs sacra, aut diuersis modis, vt si sit consecrata per sacerdotium, & per professionem, & si habeat ordinem sacrum maiorem, vel minorem: & in his & similibus res est dubia, & potest aliquis facilè conformari priori sententiæ; tutius tamen & securius est rem apertè explicare, cùm facilè possit.

### *Secunda, Quid.*

2

SECVNDA circunstantia est, *Quid*, ad quam pertinet materia peccati quoad conditiones eius. Quarum prima solet esse quantitas, vt quantum quis furatus est, vel quàm graue nocumentum intulit: & quoad hoc censeo confitendam esse hanc circunstantiam, quando est alicuius notabilis grauitatis, tum quia propter restitutionem, vel satisfactionem est moraliter necessarium, tum etiam quia est maximè coniuncta cum substantia peccati, quod vix potest integrè explicari sine illa, & alioqui est satis nota, & non habet moralem excusationem. Denique ita habet vsus omnium timoratorum. Et ita sentiunt, non solùm Auctores nostræ sententiæ, sed etiam plures ex aliis, & Nauarr. fatetur hoc esse necessarium in duobus casibus, scilicet, quando ad arbitrium ferendum circa restitutionem faciendam id est necessarium, & quando peccatum est reseruatum in tanta quantitate, sed vterque nobis indicat per se hoc esse de necessitate confessionis, vt suprà argumentati sumus. Alia conditio materiæ peccati potest esse qualitas eius: & hæc sæpe mutat speciem, vt si furtum est rei sacræ: quando verò non mutat, vel parùm refert ad rẽ moralem, vel reducitur ad quantitatẽ, vt quando res propter qualitatẽ est in magna æstimatione morali, &c.

Ad hanc circunstantiam reuocatur à Theologis illa, quæ dicta est à Cicerone, *Circa quid*, & propriè indicat personam circa quam peccatur, vt si percussi hominem clericum, vel laicum: est enim talis persona quædam pars materiæ illius peccati, & ideò meritò sub circunstantia, *Quid*, continetur. Modus autem conferendi grauitatem ferè est eiusdem rationis cum modo explicato in circunstantia, *Quis*: nam regulariter, si conditio

3 Circunstantia circa quid reducitur ad circũstantiã quid.

cõditio talis personæ ad rem moralem facit, vel mutat speciem: vel, si non mutat, auget quantitatem, vt si quis furatus est à diuite, vel à paupere, quamuis quantitas rei ablatæ sit eadem, nihilominùs quantitas furti, seu nocumenti erit inæqualis, ex conditione personæ circa quam: vnde in confessione huius circunstantiæ seruanda sunt eadem, quæ in duabus præcedentibus cum proportione applicata.

4 Dubium de peccato stupri. Responsio communis.

Specialiter autẽ dubitari hîc solet de peccato stupri, cuius propria malitia sumitur ex circunstantia virginitatis personæ peccantis, vel cum qua peccatur. Et communiter dici solet mutare speciẽ, non solùm propter aliquam iniustitiam quam habet adiunctam, hoc enim non est per se, sed per accidens, vnde nec semper contingit: sed etiam intra propriam rationem intemperantiæ, seu luxuriæ. Et solet tribui D. Tho. 2.2.q.154.art.6. vbi latiùs agitur de hac re. Soto verò d.18.q.2.art.5. dicit, hanc circunstantiam per se non mutare speciem. Cuius opinio mihi non displicet, quia non video ibi specialem deformitatem cõtra rationem intra regulas temperantiæ, solumque videtur differre tanquàm primum peccatum à subsequentibus circa eandem materiam.

D. Thom. Soto. Responsio Soti placet.

5 Aliud dubium.

Dubitat tamen vlteriùs Soto: estò non mutet speciem, an ita notabiliter aggrauet, vt sit necessariò confitenda: & nescio quam differentiam inuenit inter hoc peccatum opere commissum, & cogitatione desideratum; nam si est, inquit, purè mentale, non oportet hanc circunstantiam confiteri: at verò, si peccatum sit exterius, ait, illam esse confitendam propter maius nocumentum. Sed in hoc nulla differentia constituenda est, vt rectè notauit D. Antoninus 2.p.tit.5. cap.1.§.6. Et patet facilè ex dictis, quia tota malitia est in actu interiori, nec magis peccat qui nocumentum infert, quàm qui vult inferre: ergo si hoc opus externum confitendum est propter nocumentum, etiam internum desiderium inferendi sibi, vel alteri tale nocumentum, confitendum erit. Propterquod aliqui recentiores sine distinctione inter exteriorem actum, & interiorem probabile credunt hanc circunstantiam virginitatis non esse de necessitate confessionis per se loquendo, & secluſa deceptione, vel alia simili iniuria facta vel ipsi virgini, vel parenti eius. Ratio autem est, quia probabile est hanc circunstantiam, per se loquendo, sicut ex sententia omnium non mutat speciem ex parte viri, qui primò fornicatur, & propriam virginitatem amittit, ita neque in fœmina. Quod fieri potest verisimile ex his, quæ disputat Caiet. 2.2.q.154. art.6. vbi de virginitate virorum id planè fatetur: de fœminis autem ait, mutare speciem, non præcisè intra rationem temperãtiæ, sed propter iniuriam paternam, quia virgo naturaliter est sub custodia patris, & ita tam ipsa, quàm is, qui cum illa peccat, faciunt parenti iniuriam, dum abutuntur re, quæ eius custodiæ commissa est, & grauant illum, quia reddunt talem personam aliquo modo inhabilem ad matrimonium. At verò hæc iniuria in rigore morali valdè incerta est, quando ipsa virgo satis liberè consentit, vnde multi putant, ex hoc capite non teneri violatorem virginis in eo casu ad aliquam restitutionem, vt patet ex Iacobo de Graffis lib.2.cap.78.n.8. vbi loquitur de illa, quæ est sub cura parentum, & liberè consentit. Idem tenet Nauarr. lib.2. de restit. cap.3.n.433. vbi disertè concludit, non esse circunstantiam mutantem speciem, necessariò confitendã. Et reuerà quæ Caiet. subtiliter & speculatiuè disputat, parum conuincunt in re morali: sed eorum examinationem omitto, quia non est huius loci. Maiorem formidinem infert communis sensus antiquorum Doctorum, qui vno ferè ore docent, hanc esse

Sotus reprobatur. D. Anton.

Caiet.

Graffi.

Nauarr.

A circunstantiam mutantem speciem, & omninò confitendam. Hi verò ipsi deinde anxij sunt in explicãdo hoc onere, quod imponunt, tam fœminis innuptis, explicando semper quando lapsum carnis confitentur, an sint virgines, necne, & confessoribus hoc interrogandi, vt videre licet in his, quæ adducunt Henric. lib.2. de pœnit. cap.8.n.2. & Emmanuel Roder. in Summ. cap.209.n.1.

Henric. Emman. Roder.

Quibus omnibus spectatis, rem practicè definiẽdo, censeo primò, viros peccantes non teneri confiteri an fuerint virgines, necne. Secundò, si fœmina, quæ confitetur lapsum carnis internum vel externum, non declarat an esset virgo, néene, non oportet hoc ab illa interrogare. Hoc dicunt multi ex dictis Auctoribus, & Alcocel in Summ. cap.20.nu.71. Quærunt autem diuersas excusationes: in quo non videntur consequenter loqui, cùm aliàs teneant, illã B circunstantiam mutare speciem. Ego verò probabilem censeo opinionem, quæ negat mutare speciem, & ideò arbitror securè posse confessorem illi conformari. Vnde infero tertiò, ipsam fœminam posse tuta conscientia, si bene instructa sit, illam circunstantiam omittere, iudicium practicum formando non esse illam de necessitate confessionis. Maximè verò hoc verum reputo, quando illa circunstantia non vt aggrauans, sed potiùs, vt minuens confitenda est, declarando scilicet se non esse virginem: durissimum est enim hoc onus imponere omnibus fœminis semel corruptis, quoties secundum, vel tertium peccatum confitetur, maximè cum illud parum mutet iudicium confessoris, nihilque ferè conferat ad correctionem, vel instructionem pœnitentis, possitque confessor iuxta circunstantias occurrentes liberè de tali persona præsumere quod verisimilius iudicauerit. Ac tandem si aliquid interrogare voluerit, satis erit de consuetudine sic peccandi interrogare, nam omne aliud & periculosum est, & non necessarium. Ipsa autem fœmina quando virginitatem suam perdidit, securiùs faciet hanc circunstantiam & iacturam in confessione declarando, tum quia probabilissimum est, circunstantiam illam mutare speciem; tum etiam quia saltem multùm aggrauat, & potest esse valdè conueniẽs ad consilium & medicinam recipiendam propter multa incommoda, quæ inde re- D sultare solent. Hinc quartò assero, eum, qui virginem deflorauit, moraliter obligari ad hanc circunstantiam aperiendam, quia ad minimum notabiliter aggrauat, & regulariter non fit sine aliqua iniuria speciali, & alioqui ex parte viri non intercedit quoad hoc difficultas peculiaris, aut probabilis ratio excusationis. Dixi autem moraliter, quia si pœnitenti certò constat nec rapuisse, nec decepisse, nec coëgisse vllo modo virginem, sed ipsam merè liberè consensisse, in rigore posset aliis opinionibus probabilibus se conformando, circunstantiam illam subticere: multò verò securius est clarè loqui.

6 Viri non tenentur confiteri an fuerint Virgines. Alcocel. Si fœmina non declaret an virgo fuerit, nõ est interroganda. Fœmina potest omittere circunstãtiam virginitatis.

Bene tamen facit id aperiendo.

Qui virginem deflorauit moraliter tenetur id aperire.

Ad hanc etiam circunstantiam spectat exemplum suprà positum de gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quoad peccatum incestus. In quo licèt sit E diuersitas opinionum, an illa varietas graduum causet diuersas species peccatorum, vt videre licet in Caietano suprà, & tom.1. Opusc. tract. vlt. respons. 1. Nauar. in Summ. cap.7.n.4. Soto, & Cano suprà, & aliis suprà citatis; tamen omnes conueniunt circunstantiam illam esse in confessione aperiẽdam, saltem quoad lineam, an scilicet fuerit cum consanguinea in linea recta, vel transuersali: & in illis quoad gradum saltem primum, nam de cæteris maior est dubitatio: probabilius tamen videtur etiam cæteros gradus esse explicandos saltem intra numerum ab Ecclesia specialiter prohibitum, quia multùm variat

7 Caiet. Nauar. Soto. Cano. Quid in gradibus consanguinitatis, & affinitatis dicendum.

iudicium, & deformitatem, & poteſt facilè fieri, nec A ſt vlla iuſta ratio excuſationis.

### *Tertia, Propter quid.*

3 TERTIA circunſtantia eſt, *Propter quid.* In qua breuiter aduertendum eſt, finem non eſſe circunſtantiam, niſi quando eſt extrinſecùs, nam quando eſt intrinſecùs, eſt potiùs obiectum. Vnde ad hanc circunſtantiam concurrunt formaliter, vel virtute duo actus, ſcilicet, intentio finis & electio medij, reſpectu cuius ille finis dicitur eſſe circunſtantia. Poteſt ergo tribus modis hoc accidere. Primò, quòd tam finis quàm medium ſufficiant ad conſtituendum peccatum mortale, & hoc regulariter contingit ſecundùm diuerſas ſpecies peccatorum, & B tunc conſtat talem circunſtantiam eſſe confitendam, vt cùm quis furatur propter mœchiam. Accidere verò poteſt, vt vtraque malitia ſit eiuſdem ſpeciei, & tunc conſiderandum erit, an moraliter, & humano modo loquendo, illi actus componant vnum, qui ſatis explicantur explicato vltimo, & tunc non erit aliquid ampliùs neceſſarium. Vt ſi quis vtatur tactibus impudicis, vt ſe excitet ad conſummandum actum, nam, ſi peruenerit ad effectum, illo explicato non oportet alia dicere, quia & ſunt vnum, & moraliter intelliguntur. Et ita docent omnes. Si tamen tale medium, & finis non ſunt adeò inter ſe connexa, & aliunde multùm aggrauant, declaranda ſunt, vt in dicto exemplo, ſi quis vtatur mediis C extraordinarijs, & nimiùm impudicis, quæ non intelliguntur ſolo actu nudè explicato, debet ea explicare aliquo modo: idē eſt, ſi quis ab vno furetur inſtrumenta, vt ab alio furetur pecunias, vel quid ſimile.

Tribus modis finis extrinſecus eſt circunſtãtia. 1. modus.

9 2. modus. Secundò fieri poteſt, vt finis ipſa habeat malitiam mortalem, medium autem minimè illam ex ſe habeat, ſed ſolùm, quia ordinatur ad talem finem, vt ſi quis eat in agrum ad occidendum inimicum, &c. & tunc per ſe neceſſarium eſt confiteri intentionem cum ea grauitate, quæ eſt in executione eius integra, vel partiali, quanuis in particulari non explicetur medium, quia eius effectio non habet aliam ſpecialem malitiam.

10 3. modus. Dubiũ proponitur. Tertiò poteſt è contrario contingere, vt obiectum electionis ſit ſufficiens ad peccatum mortale, finis D autem minimè, vt ſi quis omittit ſacrum propter ſtudendum: & tunc eſt difficile, an ſit neceſſarium explicare hunc finem. Et ratio dubij eſt, quia illud peccatum non habet malitiam ex fine, ſed ex medio tantùm: ergo non oportet explicare illum finem, quandoquidem explicato obiecto electionis, explicatur tota malitia peccati. Atque ita ſentit Almain. Almain. tract. 1. Moral. cap. 10. in fine. In contrarium verò D. Thom. eſt, quia iuxtà doctrinam D. Thomæ 1.2.q.88.art.5. peccatum veniale fit mortale, quando in obiecto eius conſtituitur finis vltimus: ita verò contingere Caietan. videtur in prædicto caſu, vt in eodem loco Caietanus ſentit: quia ille finis ſupra Deum amatur, quandoquidem propter illum deſeritur Deus: ergo habet E ſpecialem malitiam diſtinctam ab electione, quæ licèt non ſumatur ex obiecto intentionis nudè ſumpto, ſumitur ex indebito modo amandi illud, nam ex eo etiam prouenit, vt ſit cauſa peccati mortalis: erit ergo hoc in confeſſione declarandum.

11 Reſpondetur ad dubium. Cenſeo eſſe diſtinctione vtendum. Duobus enim modis poteſt quis operari ex huiuſmodi fine: primò, ex vehementi, & inordinato affectu ad talem finem: ſecundò, ex ſua libertate & facilitate. Quando peccatum committitur priori modo, circunſtantia finis eſt confitenda, quia non ſolùm auget notabiliter, ſed etiam, regulariter loquendo, confert malitiam ſpecie diſtinctam, & grauem: quod conuincit argumentum poſteriori loco factum. Quando verò peccatur poſteriori modo, tunc intentio finis non addit ſpecialem malitiã grauem, imò ſæpe eſt mala ſolùm per denominationem ab electione mala, quatenus eſt cauſa eius, & ita ab illa participat totam malitiã: quapropter tunc non eſt de neceſſitate confeſſionis, vt prior opinio aſſerebat. Eſt autem difficile moraliter, & in praxi diſcernere, quando affectus ad illum finem ſit prioris, vel poſterioris modi. Duo tamen ſigna illius primę inordinationis exhibere poſſumus. Primum eſt, quando aliquis expreſſa, & declarata voluntate, &, vt ita dicam, in actu ſignato proponi conſequi, vel tueri talem finem, per quæcunque media, ſiue licita, ſiue illicita, vt quando auarus mercator hoc modo ſibi proponit augmentum diuitiarum: tunc enim res eſt manifeſta. Aliud ſignũ eſt, experimentum ſæpiùs trãſgrediendi præcepta ex vehementia talis affectus: tunc enim eſt ſignũ quòd in tali affectu eſt modus valdè inordinatus, & ad minimũ quòd quandiu talis eſt, conſtituit hominem in morali occaſione peccandi mortaliter: & propter vtramque cauſam eſt neceſſarium declarare confeſſori talem ſtatum conſcientiæ, vt & rectè iudicare poſſit, & conuenientem medicinam adhibere.

### *Quarta, Quomodo.*

12 QVARTA circunſtantia eſt, *Quomodo.* Quæ intelligenda eſt de modo accidentali, ſeu non per ſe coniuncto cum actu, nam ille, qui eſt per ſe & ſubſtantialis, vel non ſpectat ad circunſtantias, ſed ad ſubſtantiam actus, vel reducitur ad circunſtantiam quantitatis nocumenti, vt ſi infamauit mentiendo, vel dicendo veritatem; item ſi commiſit ſacrilegium vulnerando perſonam ſacram, vel cum illa fornicatus eſt. Et in his & ſimilibus cenſeo circunſtantiam eſſe aperiendam, quanuis de differentia ſpecifica nõ conſtet, vt de vltimo exemplo videre licet apud Diuum Thom. 2.2.quæſt.99.art.3. D. Tho.

13 Circa hanc circunſtantiã tria puncta notãtur. 1. punct. De hac verò circunſtantia, vt accidentalis eſt, & valdè generalis, tria puncta notanda occurrunt. Primum eſt de intenſione, quæ maximè augere ſolet grauitatem peccati, & difficiliùs diſcerni, & declarari poteſt: & ideò Auctores primæ opinionis maximè nos vrgent hac circonſtantia. Ego verò breuiter dico, hanc intenſionem actus, aut ſe prodere per ſigna aliqua, ſeu effectus externos, aut omninò interiùs manere in corde. Si contingat eſſe hoc poſteriori modo, non eſt neceſſe de illa eſſe ſollicitos in ordine ad confeſſionem, quia humano modo cognoſci non poteſt, quæ, vel quanta ſit, vix tamen poteſt moraliter accidere, vt illa magna ſit, & non habeat aliquos affectus, quibus manifeſtetur: quales ſunt, diuturna duratio, & frequentia talium actuum nimia ſollicitudo, & cogitatio de talire, &c. Huc etiam ſpectare poteſt exemplum, quo vtitur Soto de illo, qui occidit inimicum, & non contentus homicidio, poſteà illum in fruſta ſecat, & multiplicat vulnera: hoc enim modo explicabitur vehementia odij: & ideò, quando ita eſt extraordinaria, declaranda eſt per illas circonſtantias. Aliquando verò poſſunt addere ſpecialem malitiam cuiuſdam feritatis, iuxta doctrinam D. Thom. 2.2.q.159.art.2. vel etiam nouæ iniuriæ, quæ in cadauere etiam fieri poteſt. Quando igitur hi effectus & ſigna interueniũt. ſi in illis ſit notabilis grauitas, dicenda ſunt in confeſſione, & in illis ſufficienter explicatur intenſio: vt ſi quis vehementi odio proſequatur inimicum, D. Thom.

ſatis

satis indicat intensionem effectus, si dicat desidera- A
re illi graue malum, & sæpe de hoc cogitare, & il-
lud procurare, explicando numerum, si necessarium
fuerit, iuxta ea, quæ dicemus seq. sect.

14 2. punct. Secundum punctũ est de modo peccandi ex igno-
rantia, passione, aut malitia, vel contemptu. Ali-
qui enim censent necessarium esse hunc modum de-
clarare, præsertim *ex ignorantia*, quia mutat speciem,
vt Medina Cod. de Confessione, q. de Circũstantiis.
Medina. Adrian. Adrian. q. 4. de Confess. Nauarrus verò in cap. *Consi-*
Nauarr. *deret*. n. 64. negat mutare speciem, nisi mutet obie-
ctum, vt in conscientia erronea: & tunc solùm ait
esse necessarium hoc explicare. Quæ sententia ve-
ra est, quantùm attinet ad distinctionem specificam
ex ignorantia: nam sine dubio peccatum ex scientia,
vel ignorantia culpabili commissum, eiusdem speciei
sunt, quia solùm differunt in modo voluntarij. Vn-
de peccatum, quod committi dicitur ex conscientia B
erronea, etiam est eiusdem speciei cum alio pecca-
to circa eandem materiam, vel contra eandem le-
gem, verè & in re ipsa commisso. Quocirca, si pos-
set in confessione explicari illud peccatum & mali-
tia eius, non explicando conscientiæ errorem, non
multùm referret ad confessionem: moraliter autem
id explicatur, quia vix potest aliter dici peccatum: &
sæpe est valdè expediens, vt confessor possit illum
conscientiæ errorem tollere. Simile etiam est de
aliis modis peccandi ex passione, vel malitia, quia
non mutant obiecta, sed augent, vel minuunt libe-
rum, aut voluntarium. Solùm est aduertendũ, quan-
do malitia est tanta, vt perueniatur ad contemptum, C
tũc sæpe posse transferre actũ de veniali in mortale:
& tunc iam constat ex dictis illam esse necessariò cõ-
fitendam. Præterea in ordine ad censuras Ecclesia-
sticas necessarium sæpe est cognoscere an peccatum
fuerit ex scientia, vel ignorantia. Item aliquando est
necessarium ad cognoscendum statum pœnitentis, &
an sit in morali periculo reddendi. In his ergo ca-
sibus oportebit explicare hos modos peccandi, non
verò aliàs.

15 3. punct. de consuetudine peccandi. Sylvest. Cano. Tertium punctum est de modo peccandi ex con-
suetudine. Sylvester enim verbo, *Confessio*, 1. q. 9. dicit
esse necessarium hanc circunstantiam confiteri. Cano
verò absolutè negat, quia est valdè onerosum pœni-
tenti: est enim quodammodò eum obligare ad confi-
tendum sæpiùs eadem peccata, cùm tamen nulla
sufficiens ratio huius necessitatis appareat. Et hanc
sententiam, per se loquendo, veram censeo. Duo
enim possunt in hac circunstantia considerari: vnum
est ingratitudo ad Deum, quæ intercedit in omni
peccato mortali, quod post remissionem prioris com-
mittitur: & de hac dixi in superioribus, neque esse
specialem malitiam, neque ita aggrauare, vt per se
pertineat ad confessionem. Aliud est, modus ipse
peccandi ex quodam habitu, de quo idem iudicium
est, quod de aliis modis explicatis in proximo pun-
cto: quia solum auget voluntarium. Dixi autem, *per*
*se loquendo*, quia sæpe consuetudo constituit hominem
secundum præsentem statum in quodam morali pe-
riculo, vel facilitate peccandi: & necessarium mora-
liter est, vt cõfessor consuetudinem sciat, vt de dispo-
sitione, & obligatione pœnitentis certus reddatur, &
ideò interrogare debet, & si interroget, pœnitens
tenetur veritatem aperire, vt illi satisfaciat: si verò
non interrogetur, per se tenebitur hoc dicere, quan-
tùm necesse est, vt declaret confessori statum con-
scientiæ suæ: vnde, si hoc declarare non potest, nisi
explicando consuetudinem, vel diuturnitatem ali-
cuius peccati, vel occasionis eius, tunc necessarium
erit hæc declarare.

## *Quinta, Quibus auxiliis.*

16 QVINTA circunstantia est, *Quibus auxiliis*. Hæc
autem auxilia vocantur, instrumenta, seu con-
causæ peccati, quæ possunt esse, vel alij homi-
nes, vel quælibet aliæ res. In his posterioribus nun-
quam est specialis necessitas ea declarandi, nisi
in duplici casu, scilicet, quando vsus talis instrumen-
ti per se prohibitus est; nam tunc ex eo capite cõtinet
actus specialem malitiam: vel quando ad explicandã
grauitatem nocumenti illati, vel quid simile neces-
sarium est declarare quo instrumento factum fuerit.
At verò, si alius homo fuerit concausa, vel auxilia-
tor peccati, alia distinctione vtendum est. Nam
vel pœnitens inducit alium ad peccandum secum,
B vel non: in hoc posteriori casu in vniuersum censeo,
non esse necessarium declarare, an solus fecerit, vel
habuerit socios delicti, quia hoc non refert ad decla-
randum peccatum proprium, & per se non auget, sed
potiùs potest minuere. Dices, cooperari aliter ad Obiectio.
peccatum, est speciale peccatum, quod non explica-
tur, non explicato socio delicti saltem inconfuso.
Respondetur, quando illud cooperari est sine indu- Solutio.
ctione, non esse aliud peccatum ab ipsomet operari,
imò neque ex illo capite habere specialem grauita-
tem. At verò quando intercedit inductio alterius, illa
semper est declaranda. Ratio est, quia ibi intercedit
C malitia scandali, de qua licèt sint opiniones ad
quam speciem pertineat, vel vitij contra charitatem,
vel illius vitij ad quod fit inductio: nihilominus exi-
stimo esse in confessione aperiendum, quia, vel est
noua malitia saltem numero distincta, vel certè no-
tabiliter aggrauat. Quod dictum sit pro omni alio
casu, in quo scandalum actiuum committitur.

Non desunt tamen, qui hanc assertionem limi-
tent, distinguentes duplex genus peccati: vnum est, 17 Limitatio quorundam reprobatur.
quod per se, & ex intrinseca ratione sua requirit con-
sortium alterius, vt fornicatio; aliud, cui acciden-
tarium est habere consortium, vt furtum. In hoc
posteriori casu fatentur veram esse assertionem posi-
tam: in priori autem negant. Quia explicata spe-
cie peccati, in ea includitur consortium alterius.
D Sed non satis rectè hoc dictum est, quia aliud est
consortium, aliud inductio, & quanuis in specie
peccati includatur socius peccati, tamen ex vi spe-
ciei non declaratur, quis alium induxerit, seu quis
scandalum dederit: ac propterea etiam in tali genere
peccatorum hoc explicare necesse est.

Alia item limitatio adhiberi solet, scilicèt, nisi 18
alter sit ita paratus, vt sit quasi expositus, & in actua- Alia limita-
li voluntate peccandi vel virtuali, quia tunc reuerà tio.
non datur scandalum, nec est propria inductio, cùm
voluntas ex se & sua sponte sit exposita. Quod qui-
dem verum est, quia tunc iam non intercedit actiuũ
scandalum: & ita non est propria limitatio assertio-
nis positæ. Quid autem requiratur ad vitandum
scandalum in huiusmodi euentu, non spectat ad hũc
E locum. In primis verò oportet considerare, an actus,
qui petitur, sit intrinsecè malus, nécne: nam, si
prioris generis sit, nunquàm licet illum petere etiam
à parato; non tamen erit speciale peccatum scandali,
si paratus sit, seu actualiter expositus. Si verò actus
de se non sit malus, ab hoc tamen homine non sit
absque peccato præstandus, vt est mutuum petendo
vsuras, tunc necessarium est; vt qui petit actum, ha-
beat aliquam rationabilem causam petendi, vel cer-
tè, vt alius sit hic & nunc actualiter expositus ad ta-
lem actum committendum.

De

*De sexta conditione, Vbi.*

19 SEXTA circunstantia est, *Vbi*, de qua generatim dicere possumus rarò augere notabiliter intra eandem speciem, nisi fortasse in materia iniustitiæ, aliquando verò addere malitiam diuersæ speciei, scilicet, vel scandali, vel sacrilegij, vel aliquando etiam iniustitiæ: nam in his tribus materiis id potissimùm accidere videtur. Quia si peccatum fiat in loco publico coram aliis, sæpe habet malitiam scandali, & declarandam, iuxta suprà dicta. Item si fiat in loco sacro, habet sæpe malitiam sacrilegij: & è conuerso, si actio sacra fiat in loco indebito, habebit etiam circunstantiam sacrilegij, rarò tamen addet malitiam mortalem, nisi intercedat speciale præceptum prohibens, vt erit dicere sacrum in loco non approbato. Vltimò potest hoc contingere in materia iniustitiæ, quia sæpe ratione loci actio est contra honorem, vel famam alterius, quæ alibi non esset: & extra hos casus non inuenio specialem grauitatem in hac circunstantia, & in illis constat in tantùm illam esse confitendam, in quantùm, vel mutat speciem: vel auget notabiliter nocumentum illatum.

Dubitatio. Solet verò hìc specialiter quæri, an omne peccatum, hoc ipso quòd fit in loco sacro, habent circunstantiam necessariò explicandam in confessione. Nã Medina Cod. de confessione in speciali quæstione de hoc affirmat, quia semper interuenit sacrilegiũ. Caietan. verò tom. 1. Opusc. tract. vlt. resp. 12. dub. 2. negat, quia non omnia peccata sunt directè contra sanctitatem loci. Vnde de illis tantùm peccatis, quæ ita sunt contra loci sanctitatem, vt cedant in grauem irreuerentiam vel iniuriam eius, docet augeri illo modo à tali circunstantia. Quod mihi placet, saltẽ loquendo de malitia mortali: ipse autẽ nõ declarat, quæ peccata sint directè cõtra loci sanctitatẽ. Et ideò addo breuiter, aliud esse de peccato sola cogitatione commisso, aliud de peccato actionis exterioris. In priori cõsiderandum est, locum posse esse circunstantiã euis, vel ex parte actus tantũ, vt cùm quis existẽs in Ecclesia vult furari, vel fornicari extra Ecclesiam: & tunc opinor circunstãtiam hanc per se non aggrauare mortaliter, quia respectu actus interni locus sensibilis valdè accidentarius est, & ipse parum violatur tali actu. Alio modo potest esse circunstantia ex parte obiecti, vt cùm aliquis etiam existens extra Ecclesiam, proponit furari in Ecclesia: & tunc, iuxta ea, quæ dicam de actu exteriori, talis circunstantia aggrauat interiorẽ, iuxta generalẽ regulã superiùs traditã. Circa exteriorem ergo actũ opinor multùm pẽdere ex iure positiuo quòd talis circunstantia sic aggrauet, scilicet, quia tale genus peccati in tali loco specialiter prohibitum est, vt furtũ, &c. Possumus autẽ in re ipsa aliquo modo fundare prohibitionem hanc: nam locus est ad continendam, & quasi custodiendam rem in eo existentem, & requirit etiam quandam decentiam & puritatem ad exercendas in eo actiones sacras: peccata ergo quæ repugnant his loci conditionibus, videntur esse directè contra illum, & ideò videntur specialiter prohiberi. Alia verò peccata, vt murmurare in Ecclesia, vel quid simile, licèt aliquam irreuerentiam contineant, non tamen mortalem, neque grauem in sua specie, & ideò respectu illorum non videntur de necessitate confessionis.

Medin. Caiet.

Responsio Caietan. placet.

Quæ peccata sint contra loci sanctitatem.

*Vltima, Quando.*

20 VLTIMA circunstantia est, *Quando*. In qua primùm considerandum est, an speciali præcepto tempus sit præscriptum ad actionem, vel prohibitum: nam tunc clarum est esse circunstantiam necessariam, quod sæpe contingit in præceptis positiui; in naturalibus autem rarò. Extra hoc verò tempus tria occurrunt declaranda circa hanc circunstantiam. Primum est de duratione actus, an sit necessarium illam confiteri. Et dico breuiter, in actu exteriori regulariter includi ordinariam durationem, & ideò necessarium non esse eam explicare, nisi contingeret esse ita extraordinariam, & nimiam, vt notabiliter augere, & præsertim quando ex ea crescit quantitas, seu nocumentum illatum. At verò in actu purè interiori hæc duratio est magis accidentaria, & ignota: nihilominùs, si sit notabilis, explicanda est, non tam propter delicti grauitatem, quàm propter multitudinem actuum, qui regulariter loquendo, eo tempore multiplicantur, & cùm non possint declarari per modum plurium, saltem eo modo confitendi sunt, vt statim dicitur.

Tria declarantur.

1. An duratio actus necessariò cõfiteri debeat.

Secundò dubitari solet de tempore, & circunstãtia diei festi, an in quolibet peccato sit necessariò cõfitenda. Nam Alens. Bonauent. & nonnulli alij antiqui ita censuerunt, quos refert, & sequitur Corduba lib. 1. q. 6. quia omne peccatum est contra diuinũ cultum, & consequenter est contra tertium præceptũ Decalogi. Contrarium nihilominùs mihi certum est. vt latiùs traditur 2. 2. q. 122. vbi Caiet. art. 4. & tom. 1. Opusc. tract. 18. q. 3. Syluester verbo *Cõfessio*. 1. q. 10. Sot. lib. 2. de Iustitia. q. 4. art. 4. & Couar. in cap. *Alma mater*. p. 1. §. 5. n. 3. & Nauar. in cap. *Consideret*. n. 22. & in Summ. cap. 6. n. 9. & alij quos Corduba refert. Et ratio est, quia finis præcepti non cadit sub præceptum, sed materia eius: peccatum autem, licèt sit contra finem præcepti obseruandi festum, non tamẽ est contra prohibitionem eius, quia non continetur in materia eius, non enim est propriè opus seruile, quod solùm illa lege prohibetur: secluſa autem hac prohibitione, non est vnde aggrauet notabiliter in eadem vel alia specie. Dices, Quanuis præceptum non obliget ad finem exequendum, obligat tamen ad non agendum aliquid contra talem finem: peccatum autem in die festo commissum, non solùm non est executio finis talis præcepti, sed etiam est contra finem illius. Respondeo. Non est contra finem proprium, & intrinsecum, qui solùm est cultus Dei per abstinentiam ab opere seruili, & per talem cultum, scilicet, audiendo Missam: sed est contra finem remotum, qui est vel salus, spiritualis, vel diuinus honor in genere, hoc autem modo agere contra finem remotum non est propriè violatio specialium præceptorum.

21 An circunstantia diei festi necessariò sit cõfitenda. Alens. Bonauen. Cordub. D. Thom. Caiet. Sylueſt. Soto. Couar. Nauar. Sum. confeſ.

Obiect.

Solutio.

Tertiò inquiri solet, quando tempus duplici præcepto est præscriptum ad aliquid agendum, sitne illa circunstantia necessariò explicanda, vt si eodem die duplici titulo & præcepto ieiunãdum sit, aut sacrum audiendum. Nauarrus enim in Summ. cap. 11. n. 4. putat ibi cõmitti duo peccata, vnde fit esse necessariò confitenda. Sed distinctione opus est, nam, si illę duæ obligationes sint diuersarum rationum, vt v. g. quia ex voto, & ex præcepto Ecclesiæ tenetur tali die ieiunare: tunc verum est ibi esse malitias specie distinctas contra religionem, & temperantiam, ideoque declaranda est circunstantia. Si verò præcepta sint eiusdem rationis non existimo ibi esse duo peccata, quia constat non differre specie: neque etiã est vnde numero differant, quia præceptum est regula extrinseca, à qua non sumit malitia indiuiduationem suam. Neque etiam opinor illum concursum præceptorum ita aggrauare malitiam, vt necessariũ sit illam circunstantiam exprimere, quia non admodùm immutat morale iudicium.

22 3. An circũstantia temporis duplicipræcepto, præscripti confitẽda sit. Nauar. Summ. confeſſ. Oppositæ sentẽtiæ distinctionis fœdere cõciliantur.

SE

## SECTIO V.

### *Vtrùm ad integritatem confessionis necessarium sit, numerum peccatorum distinctè explicare.*

1 Proponitur opinio quorundam Canonistarum,

QVAESTIO hæc intelligitur de numero peccatorum intra eandem speciem, in qua nonnulli Canonistæ opinati sunt satis esse confusè dicere, sæpius peccaui furando, &c. Quam opinionem non censet improbabilem Angelus verb. *Confessio.* 1. n.20.ptopter auctoritatem Archidiaconi. Et Syluester eodem verbo n.11.dicit esse rem incertam. Fundamentum est, quia explicare distinctionem numericam est moraliter difficillimum, & nullum habemus de hac re expressum præceptum: nec ex institutione sufficienter colligitur, quia, cum distinctio numerica accidentaria sit, non potest multùm variare iudicium, aut medicinam, præsertim si aliquibus verbis generalibus confusè dicatur. Potéstque in hunc modum explicari ex Caietano loco infrà citando, quia hoc iudicium confessionis non est sicut iudicium vitæ futuræ, in quo exacta cognitio operum necessaria est, quia ordinatur ad reddendum condignum præmium, vel supplicium iuxta perfectissimam iustitiæ rationem: hoc verò iudicium est medicinale, & salutare, iuxta illud Ioan.3. *Non venit Filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: & ideò non requirit exactam cognitionem singulorum peccatorum: non ergo oportet distinctè explicare numerum, quia ad supradictum finem satis est explicare species distinctè, numerum autem dicto confuso modo.

Angel. Syluest.

2 Vera sententia.

D. Thom.

Conc. Lat. Conc. Flor.

Nihilominus dicendum est, per se loquendo necessarium esse peccatorum numerum distinctè ac definitè in confessione explicare. Ita sentiunt antiqui Theologi, quanuis magis id supponant quàm declarent. Clariùs verò id attigit D. Thomas Opusc.12. q.6.in fine. Existimoque iam esse rem certam: colligitur enim ex Concilio Lateranensi, & Florentino iam citatis, quæ hoc sensu dicunt, *omnia peccata*, esse confitenda: nam illa distributio non tantùm de speciebus, sed maximè de indiuiduis fit. Et Concilium Tridentinum addit particulam illam, *sigillatim*, vt declaret confessionem futuram esse de singulis, atq; adeò de omnibus peccatis in indiuiduo. Quod confirmat totius Ecclesiæ vsus, omniumque fidelium cõsensus, quem fuisse antiquissimum constat ex Patribus suprà citatis, apud quos idem est, nudè & apertè confiteri omnia, quod explicare totum numerum peccatorum. Præcipuè tamen id sumitur ex Augustino de vera & falsa pœnit.cap.14. Ratio verò est eadem sæpe tacta, quia interdum magis variat iudiciũ multitudo peccatorum in eadem specie, quàm diuersitas specifica.

### *Vnde sumatur distinctio numerica peccatorum, quæ sunt confitenda.*

3 DVo tamen supersunt nobis explicanda. Primum est, quæ sit, vel vnde sit sumenda illa distinctio numerica peccatorum, quorum multitudo in confessione explicanda est. Secundum est, quomodò teneatur pœnitens hunc numerum declarare. Primum punctum propriè spectat ad materiam de peccatis, tamen, quia controuersum est, an sit eadem distinctio numerica peccatorum secundùm se, & in ordine ad confessionem, ideò non potest in præsenti permitti, quantùm ad hoc explicandum necessarium sit: & ita tractatur à Doctoribus, vt videre licet, præsertim in Caietano tom. 1. Opusc. tract.vlt.resp.15.dub.2.qui de eadem re latiùs egit 2. 2.q.66.art.3.circa ad 3. & Cano dict.relect.p.5. Ledesma in 4.p.2.q.9.art.1.dub.3. Nauar.in Summ.cap. 6.n.16.& in cap. *Considerer.*n.48. de Pœn.d.8. Possumus autem tractare, aut de distinctione numerica peccatorum quantùm ad ipsum actum peccati (sub quo omissionis peccatum comprehendimus) aut de distinctione numerica malitiarum morelium in eodem actu, quæ (si reperiri potest) ex diuersis principiis sumenda est. Et ideò priùs dicemus de peccatis absolutè, posteà de malitiis eiusdẽ actus. Rursus peccatum dupliciter potest cõmitti & multiplicari: primò per solam voluntatem internam: secundò per voluntatem prodeuntem in exteriorem actum: per solum autem actum exteriorem sine voluntate committi, aut multiplicari non potest: quia peccatum esse non potest nisi sit voluntarium, non potest autem actus exterior esse voluntarius, nec moraliter malus, nisi quatenus ab interiori voluntate moraliter mala procedit: in illis ergo etiam potest esse diuersa ratio vnitatis, vel diuersitatis numericæ, & ideò sigillatim de illis dicemus.

Caiet. Nauar. Ledesm. Diuisio eorum quæ in hac sectione tractantur.

### *De peccatis merè internis in voluntate.*

CIRCA peccata merè interna, prout sũt in voluntate, duo videntur certa. Primum est, hæc peccata non multiplicari numero in eadem persona simul, & in eodem instanti: vel quia duo accidentia seu actus solo numero distincta non multiplicantur simul in eodem subiecto, nec efficiuntur simul ab eadem potentia, circa idem obiectum: vel quia, si potẽtia tẽdit simul in plura obiecta materialiter distincta, non tendit in illa per modum pluriũ, sed per modum vnius multitudinis, & ideò vno actu tendit, de quo manebit quæstio infrà tractanda, an habeat vnã, vel plures malitias. Quod si aliquis mordicùs contẽdat, posse voluntatem simul tendere per dũos actus numero distinctos in huiusmodi obiecta, vt v. g. habendo simul duo praua desideria fornicandi cũ duabus fœminis: respondemus, quidquid sit de illa speculatiua quæstione, moraliter non posse ab homine discerni illam distinctionem physicam actuũ, & ideò in ordine ad confessionem semper esse de toto illo peccato iudicandum, ac si fieret vno actu cum pluribus malitiis, vel vna grauiori, de quo infrà dicemus.

4 Peccata non multiplicãtur numero in eadẽ persona simul.

Secundò est certum, quandiu voluntas durat in illo actu interiori, quo peccatum committit, vnum tãtùm numero peccatũ esse. Patet, quia de motu etiam dixit Aristoteles non multiplicati: numero, nisi interrumpantur: quod multò magis est verum de interiori actu voluntatis, quia non durat per continuã partium successionẽ, sed per perseuerantiam eiusdem indiuisibilis actus: quæ duratio seu perseuerantia est quædam moralis circunstantia, quæ auget quidem peccatum, non tamen multiplicat illud.

5 Quãdiu voluntas durat in vno actu peccaminoso, vnũ tantùm peccatum est.

Ex quibus concluditur tertiò, hæc peccata posse multiplicari per interruptionem vnius actus, & successiuam effectionem alterius, & non aliter in eadem persona (prout nunc loquimur) & circa idem obiectum. Constat enim hanc multiplicationẽ posse aliquo modo fieri: non potest autem fieri simul, nec quandiu perseuerat idem actus, vt ostensum est: ergo necesse est vt fiat per interruptionem, seu multiplicationem actuum successiuam. Est autem circa hanc interruptionem aduertendum, regulariter fieri per interpositionem alicuius temporis, in quo cessatur ab actu, saltem in tali specie, & hæc est propriissima interruptio: posset autem intelligi successio actuum solo

6 Quænam interruptio multiplicet peccata numero.

lo numero distinctorum immediata,id est, trãseundo immediatè, verbi gratia, ab vno prauo desiderio in aliud numero distinctum sine vlla cessatione intermedia per aliquod tempus. Quod quidem potest facilè contingere quando mutantur materialia obiecta, vt si nunc desideretur vna persona, & immediatè pòst alia:& tunc certissimum censeo illam esse veram multitudinem numericam in confessione explicãdam quoad fieri possit, quia etiam physicè & in re existimo illã esse veram distinctionem numericã actuum, & moraliter etiã satis distinguitur, cùm & possit experimento cognosci, & multùm varietur malitia, vt magis patebit ex sequenti puncto, & in tertio amplius confirmabitur. At verò quando perseuerat voluntas circa idem materiale obiectũ sine interruptione, physicè etiam, ac naturaliter vix fieri potest, vt actus interiores numero varientur, multóque certius est talem mutationem non posse morali,vel humano modo percipi: & ideò quãdiu voluntas manet continuè amãdo,desiderando,aut se delectando circa eandem omninò materiam, quanuis videatur plures reflexiones facere,& quasi denuò inchoare actũ, vnum peccatum est, & vt tale confitẽdum,quia totum illud fieri potest per nouam intẽsionem eiusdem actus, vel per nouam animaduersionẽ intellectus. Sic igitur ad multiplicationem horum peccatorum circa idẽ materiale obiectum necessaria est aliqua successiua multiplicatio actuum cum aliqua temporis interruptione,ac cessatione peccandi in ea specie:& in his videntur conuenire Doctores citati,& reliqui omnes.

7 Quanta interruptio requiratur ad multiplicationem numericam. 1.sentent.

Difficultas verò est, quanta interruptio seu cessatio necessaria sit ad prædictam multiplicationem numericam. In qua sunt sententiæ diuersæ. Prima est, quamcunque vel minimam cessationem sufficere, siue voluntaria sit, siue ex quacunque distractione naturali, vel somno etiam modici temporis. Ratio est, quia peccatum illud non potest esse vnum nisi continuatione aliqua:sed tunc nihil est,in quo illi duo actus continuentur ad constituendum vnum peccatũ: ergo sunt plura. Minor patet,quia ibi non est aliquis actus internus in quo continuentur, quia aliqua intercedit cessatio, vt supponimus:neque etiam continuantur in aliquo actu externo, quia agimus de peccatis quæ interiùs cõsummãtur,& nõ prodeũt in actũ exteriorem. Nihil ergo supereſt,in quo illa peccata continuentur, & fiãt vnũ;sunt ergo plura in re ipsa:ergo etiã vt plura cõfitẽda sunt,quia, sicut est declarãda in cõfessione specifica multitudo,ita & numerica:sed omnis distinctio specifica,siue magna,siue parua sit,per se loquendo aperiẽda est,quãuis possit ignorãtia, vel impotentia excusare:idem ergo est in numerica distinctione.

8 2.sentent.

Secunda sententia est, peccata hæc non multiplicari numero, donec prior voluntas per contrariam voluntatem interrumpatur, & posteà ad priorem voluntatem iterum redeatur. Ita sentit Cano suprà.Cuius fundamentum est, quia distinctio hæc, vt in confessione aperiatur, debet esse moralis.Nam, sicut dicebamus suprà de specifica distinctione non sufficere physicam sine morali, ita de numerica censendum est propter eandem rationem.Quandiu autem interruptio non fit per contrariam voluntatem, non est moralis: quia quandiu aliquis habuit voluntatem aliquam, & eam non retractauit, in ea censetur moraliter perseuerare: ergo non interrumpit voluntatem, donec habeat contrariam, ergo, quanuis sæpiùs eandem voluntatem repetat absque prædicta interruptione,eandem voluntatem censetur moraliter habere, idemq; numero peccatum committere, ideóque satisfacit confessioni,si totum illud per modum vnius peccati confiteatur.Addit verò Cano,& tempus, quo aliquis perseuerauit in illo actu, multum fuerit, debere illud in confessione explicari: fortasse propter maiorem grauitatem eiusdem peccati.

9 Hæc 2. sententia reiicitur.

Hæc verò sententia,si nihil amplius ei addatur, incredibilis apparet. Nam, quanuis certum sit interruptionem illam per contrariam voluntatem esse sufficientissimam, tamen quòd sit necessaria, vel sola sufficiat, verum esse non potest: aliàs qui nunc habuit prauum consensum circa talem rem vel personam & ab illo cessauit sine vlla retractatione, vel contraria voluntate, & post mensem repræsentato eodem obiecto, iterum habuit eundem consensum, non committeret nouum peccatum, nec teneretur illam multiplicationem in confessione explicare: consequens est omninò falsum, & contra communem sensum & vsum totius Ecclesiæ, & contra rationem, quia illa peccata sunt omninò distincta coram Deo, merenturque distinctos gradus pœnæ, &, si essent actus boni & meritorij, mererentur distinctos gradus gloriæ. Sunt etiam satis distincta apud homines tam quoad cognitionem, quia satis patens est eorum distinctio,quàm quoad æstimationem & iudicium de illis ferendum, ac denique nullam inter se habent vnionem aut physicam, aut moralem, vt constituant vnum peccatum.

10

Et fundamentum Cani friuolum est.Qui enim aliquid voluit, & illam voluntatem non retractauit, si tamen ab illa, & ab omni actione morali ab illa procedente prorsus cessauit, dici quidem poterit manere habitualiter,& secundùm moralem æstimationem in illa voluntate, seu in statu peccati, non tamen potest dici moraliter perseuerare in actuali peccato: vt autem peccatum sit vnum numero, non satis est durare in statu peccati, seu in habituali voluntate, nisi aliquo modo duret actualis peccati commissio. Vnde, quod Cano addit de explicanda duratione temporis propter augmentum peccati, nec rectè, nec satis consequenter dictum est: quia, si in toto illo tempore non est repetita prior voluntas necesse non est durationem temporis explicare,quantũuis magna sit, quia peccatum non augetur ex eo solùm, quod in habituali statu eius moraliter perseueratur absque vlla retractatione: solùm ergo erit necessarium explicare tale tempus quando in illo fuerint multiplicatæ tales voluntates:ergo oportet eas explicare.

Cano reprehenditur.

11 3.Sentent. quæ ex duabus priorib. participat.

Propter hæc esse potest tertia sententia aliquid sumens ex dictis prædictis. Ex prima opinione Cani sumens illud principium,interruptionem hanc debere esse moralem, & non sufficere physicam, in quo discordat à priori sententia. Negari enim non potest, quin actus illi interiores quocunque modo, & quocunque paruo tempore interrupti, & successiuè eliciti, physicè sint numero distincti, vt ex Metaphysica constat: vnde fit consequens, vt reuerà habeant distinctas entitates, vel priuationes, & consequenter etiam distinctas bonitates, vel malitias: imò etiam certum censeo,apud Deum habere distincta præmia, vel supplicia, quia apud Deum nihil refert, quòd interruptio sit breuis, vel diuturna ad expendendam singulorum actuum malitiam, & nouum, & distinctum consensum liberum in illis præstitum. Nihilominùs tamen in ordine ad confessionem, in qua iudicium humano modo exercetur, illa interruptio non est moralis,sed physica tantùm:& consequenter non sufficiet ad distinctionem numericam in confessione explicandam, quia illa interruptio quando est nimis breuis, & naturalis absque speciali aduertentia, vel voluntate, nec potest humano modo cognosci, aut explicari, nec variat morale iudicium: ergo per se ad confessionem non pertinet. Item, quia illa est quædam moralis continuatio, quia neque interruptio est moraliter voluntaria, & reditus ad similem actum

quasi

quasi naturaliter fit sine noua deliberatione. Exemplum est in eo, qui per horam permanet in delectatione morosa circa idem obiectum: nunquàm enim id fit ita continuè, quin interim cogitatio ad alia rapiatur, licèt statim ad eandem delectationem redeat: difficillimum ergo esset obligare hominem ad explicandam illam varietatem, & non satis esset confiteri totum illud peccatum per modum vnius.

12 In quo dissentiat 3. sententia à prima & cõcordet cum secunda.

In hoc ergo dissentit hæc sententia à prima, conuenítque cum secunda in hoc, quòd requirit moralem interruptionem: admittit etiam modum illum interruptionis moralis, quem ponit eadem secunda sententia: est enim certissimus, & omnium maximus, non tamen ponit illum solum, in quo ab illa differt, sed præter eum ponit alios duos. Secundus ergo est, quando homo voluntariè cessat ab interiori delectatione, vel consensu, & ad alia agenda, vel cogitanda voluntariè diuertitur: nam tunc interruptio est perfectè voluntaria: ergo est simpliciter moralis, etiamsi per minimum tempus duret. Item quia, cùm ex deliberatione cessatum sit ab vno actu peccati, si post modicum tempus iterum voluntas ad idem reuertitur, per nouam deliberationem actus inchoatur: est ergo peccatum nouum, & omninò distinctum moraliter: quare etiam in hoc modo non videtur dubium, quin hæc multitudo peccatorũ in cõfessione aperienda sit, id est, si homo illã percipiat, & declarare possit.

13 Tertius modus interruptionis est, quando cessatio à priori actu multo tempore durauit, vt v.g. per horam, nam licèt naturali modo, & absque speciali aduertẽtia & libertate inchoata fuerit, vt per somnum, vel per naturalem distractionẽ, si tamen per longam moram durauit, & posteà homo, cum sufficienti deliberatione ad peccãdũ, similem actũ inchoat, nouum peccatum physicè, & moraliter distinctum committit, quia virtus prioris deliberationis saltem propter morã temporis omninò cessauit: ergo posterior actus fit ex noua deliberatione distincta, ergo est etiã moraliter distinctus, quia peccatum non multiplicatur nisi per nouum cõsensum omninò liberum, habitum post transactum, & finitum alium actum. Vnde non refert quòd cessatio à priori actu non fuerit speciali modo voluntaria: satis enim est, quòd in re ipsa fuerit, nam hoc sufficit vt peccatum priùs finitum fuerit omninò, & quòd aliud noua voluntate & deliberatione committatur. Et cõfirmatur: quia illa duo peccata in nulla re vniuntur, aut physicè, aut moraliter, vt vnam rem componant. Tandem confirmatur, quia aliàs, qui in prauo consensu, vel delectatione morosa somno correptus est, posteà alia ad similem actũ reuertitur, nõ teneretur aliud in confessione explicare, nisi quòd talem cõsensum, vel delectationẽ morosam habuerit, nec dies explicando: consequens autem est valdè absurdum, & cõtra vsum omniũ timoratorum.

14 3. Sentent. partim probatur, partim reijcitur.

Atque hæc tertia sententia, quoad hæc tria, quæ affirmat, mihi maximè probatur: quoad id verò quod negat, & in quo dissentit ab opinione Caietani, difficilis apparet: quia illa doctrina de distinctione numerica peccatorum physica, vel morali, nec sufficiẽter explicari posse videtur, nec fundari. Est enim quoad hoc magnum discrimen inter distinctionem specificam, & numericam, tunc enim dicuntur peccata differre specie physica, & non morali, quando, licèt habeant motus, aut entitates specie diuersas, non tamen habent malitias morales essentialiter distinctas. In præsenti autem illi actus voluntatis, qui dicuntur physicè distingui numero propter breuem temporis interruptionem, verè habent malitias morales distinctas numero, quia distinguuntur in subiectis, quibus insunt: insunt autem in actibus numero distinctis: ergo distinguuntur illa peccata numero, non tantùm physicè, sed etiam moraliter. Probatur consequentia, quia distingui moraliter non est distingui breui, vel longo tempore: sed est distingui in ipso esse morali, seu in malitia, vel bonitate morali: sicut distinctio specifica, vt moralis sit, requirit vt sit in ipsa malitia morali, siue sit magna, siue parua, breuis, aut diuturna.

15 Instantia.

Dicetur fortasse distinctionem moralem in præsenti sumi in ordine ad confessionem, ita vt illa peccata, licèt in se sint distincta moraliter, id est, quoad conditiones morales, in ordine ad confessionem non dicantur distingui moraliter, quia eorum distinctio nec moraliter potest ab homine explicari, neq; etiam percipi, qualia esse dicuntur illa, quæ & breui tempore, & sine morali voluntate interrumpuntur. Sed

Resoluitur.

contrà hoc est, quia inde sequitur aliqua peccata esse numero distincta in se, & coram Deo quatenus peccata sunt, quæ non sunt numero distincta in ordine ad confessionem. Consequens autem videtur falsum, quia præceptum confessionis obligat ad confitenda vt distincta ea peccata, quæ numero distinguuntur: non potest autem dici obligare hoc modo circa ea peccata, quæ distinguuntur numero in ordine ad cõfessionem: esset enim hic intolerabilis circulus, & petitio principij: ergo obligat ad ea omnia, quæ in se numero distinguuntur: non est ergo alia distinctio numerica peccatorum secundùm se, & alia in ordine ad confessionem.

16 Et confirmatur primò, quia præceptum confessionis non induxit nouum modum distinguendi numero peccata, sed supposita distinctione, quam in se habent, obligat ad illam declarandam: quòd autem hæc ab homine cognoscatur, vel interdum ignoretur, accidentarium est, & ideò non consideratur in ipsa lege, sed excusari poterit aliquis propter ignorantiam, ipsa tamen lex per se in vniuersum obligat. Et confirmatur secundò: nam ob similem rationem diximus supra omnia peccata, quæ in esse peccatorum distinguuntur specie, in ordine etiam ad confessionem distingui, eámque distinctionem ex vi legis esse in confessione declarandam in vniuersum, siue illa distinctio sit magna, siue parua, vel cognitu difficilis: quia lex per se obligat, licèt homo interdum excusetur: alioqui etiam possemus distinguere, quædam peccata esse specie diuersa in ordine ad confessionem, alia verò non, etiamsi in malitia morali verè distinguantur: quod tamen suprà diximus non esse consentaneum doctrinæ Conciliorum.

17 1. & 3. sent. cõciliantur.

Hæc argumenta videntur mihi conuincere, primam sententiam in re veram esse, & vltimam solùm posse in modo loquendi ab ea discrepare: nam res intenta eadem esse videtur. Sunt enim quædam peccata interiora ita distincta numero, vt ab homine percipi, aut explicari non possint, nisi per modum vnius, aut diuturnæ moræ, vt exemplo delectationis morosæ suprà declaratum est: & de his verum est, sufficienter explicari in confessione hoc modo. Et in hoc est nonnulla differentia inter distinctionem numericam & specificam peccatorum, quòd specifica distinctio solùm ex accidẽti, & ab aliquibus ignoratur: hæc verò numerica distinctio, de qua agimus, per se, & ex quadam intrinseca impotentia omnibus hominibus est ignota, & moraliter explicatu impossibilis: & ideò dicitur iuxta tertiam opinionem, præceptum confessionis non obligare illa peccata vt distincta confiteri, ideóque non censeri distincta in ordine ad confessionem. Negare tamen non possumus primæ sententiæ, quin talia peccata in se sint verè ac propriè numero distincta, etiam in ratione morali, quatenus peccata sunt: habent enim malitias morales distinctas, & per distinctum vsum libertatis committũtur, ideóque coram Deo diuersis pœnis punientur. Negari

gari etiam non poteſt, quin teneatur homo illam multitudinem peccatorum, prout poteſt, confiteri; nam vel ob hoc maximè tenetur aliquando diuturnitatem in interiori conſenſu, vel delectatione declarare: quia in illa committi ſolet, humano modo loquendo, huiuſmodi multitudo peccatorum, quæ ab homine aliter declarari non poteſt.

18 Vera reſolutio circa quęſtionem propoſitam.

Ac proinde dicere tandem poſſumus, illa peccata eſſe diſtincta numero, quæ cum interruptione fiunt. Item ſimpliciter teneri hominem confiteri omnem multitudinem numericam peccatorũ eo modo, quo poteſt: ita enim loquuntur Concilia, & Theologi communiter: idque ſuadẽt tam exemplum de diſtinctione ſpecifica, quàm aliæ rationes adductæ: cum hoc tamen nihilominùs ſtat, vt aliqua multitudo peccatorum in confeſſione declaretur per modum vnius moræ in peccando, quod reuera non eſt confiteri illa per modum vnius peccati, ſed per modum vnius confuſæ multitudinis in illa mora incluſæ, quæ neque aliter ab homine fieri ſolet, neque aliter poteſt ab homine cognoſci, aut explicari. Atque in hunc modum intellecta prima ſententia vera eſt, & tertia non eſt illi contraria, ſed eſt explicatio illius, ſi prædicto modo accommodetur.

---

## *De peccatis quæ prodeunt in actionem exteriorem.*

19 SECVNDO loco dicendum eſt de peccatis, quæ prodeunt in aliquam actionem exteriorem, de quibus vnum poſſumus colligere certũ ex dictis, videlicet, quando hæc peccata omninò interrumpuntur, ita vt priùs ceſſetur à toto actu tã externo, quàm interno, & poſteà alius ſimilis committatur, tunc multiplicari hæc peccata, propter rationem tactam in ſuperiori puncto, quia tũc nihil manet, in quo continuentur, & vniantur. Et quoad hoc illa omnia tractari poſſunt de his peccatis, quæ de merè internis diximus: eadémque proportione ſunt definienda: & ideò in hoc ampliùs immorari non eſt neceſſe.

20 An cõtinuitas actus exterioris cum interruptione exterioris ad vnitatẽ peccati ſufficiat. Caiet. Nauar.

Difficultas verò eſt, an è contrario continuitas actus exterioris etiam cum interruptione interioris ſufficiat ad vnitatem huiuſmodi peccati. Videtur enim non ſufficere, quia actus exterior ſine interiori non eſt peccatum, quia neque actus humanus eſt: ergo continuatio ſolius actus phyſici externi, licèt ſit phyſica continuatio illius motus, non tamen eſt continuatio peccati vt ſic: ergo illud non ſatis eſt ad vnitatem peccati. Nihilominùs communiter Doctores, præſertim Caietanns, & Nauarrus ſuprà docent illud peccatum eſſe vnum, quod ſaltem in exteriori actu continuatur, quamuis voluntas interior ceſſet & repetatur: quia iam habent illæ voluntates in quo vniantur: & quia ex interiori, & exteriori actu conſurgit vnus actus humanus compoſitus quaſi ex materia, & forma: & ideò ratione vnius actus externi, quaſi ratione vnius materiæ, illud peccatum vnum eſt. Item, quia, licèt formalis voluntas ceſſet, & interrumpatur, virtualis tamen ſemper continuatur: virtualis, inquam, & non tantùm habitualis: hæc enim non ſatis eſt vt duret actuale peccatum: virtualis autem voluntas influens in actionem externam ſufficit, vt verè dicatur homo actualiter peccare, & ſufficit cõſequenter ad continuationem & vnitatem eiuſdem peccati, quod in exteriori actu conſummatur. Atque ita reſpondetur ad rationem dubitandi: quia quando actus exterior durat; ita vt ſufficiat ad vnitatem peccati, non durat tantùm in ratione phyſici motus, vel actionis, ſed etiam in ratione actus moralis, & conſequenter in ratione actualis peccati, ad quod neceſſe non eſt vt actu duret formalis voluntas, à qua fuit inchoata illa actio externa, ſed ſufficit vt duret virtualis. Quandiu autem, vel quomodo virtualis intentio, ſeu voluntas duret, declaraui latè in ſuperiori tomo diſp. 13. ſect. 3. vbi dixi, durare quãdiu actio exterior excitata à tali voluntate, durat, vel in ſe, vel in alia, quam ipſa excitauit, ita vt per connexionem ipſarum actionum externarum vna excitet aliam, & hæc aliam, & ſic deinceps, donec finiatur actio, vel ab illa ceſſetur, quod magis ex ſequentibus intelligetur.

21 Vide Gabr. in 1. d. 1. q. 1. art. 1. notab. 3. & Bonaue. in 2. q. 41. ar. 1. q. 30. Sco. q. 1. Rich. n. 1. 2. Quæ continuatio exterioris actus requiratur ad vnitatem peccati.

Eſt ergo ſecunda difficultas in hoc puncto, quanta continuatio exterioris actus neceſſaria ſit vt peccatũ huiuſmodi vnum eſſe dicatur, an ſcilicet neceſſaria ſit propria & vera continuitas eiuſdem actionis, an verò ſufficiat contiguitas ſeu immediata ſucceſſio vnius actionis poſt aliam. Nam ſi primum dicatur, ſequitur, quando aliquis ex intentione occidendi inimicum ſurgit è lecto, parat enſem, domo egreditur, & ſic conſequenter alias actiones exercet, donec illum interficiat, tot multiplicare peccata, quot ſucceſſiuè inchoat actiones diſtinctas, totámq; illã varietatẽ eſſe in confeſsione explicandam: quod eſt difficillimum onus, contra Doctores omnes, & contra vſum peritorum confeſſorum, atque etiam contra rationem, quia tota illa ſeries actionum fit ex virtute vnius voluntatis, in qua eſt vna tantùm malitia, ergo tota illa eſt vnum tantùm peccatum. At verò, ſi dicatur ſecundum, ſequitur primò, ſi quis ſimul aggrediatur duos, vel tres homines, & interfecto vno, ſtatim progrediatur ad occidendum alium, & ſic deinceps, ſequitur, inquam, hoc totum eſſe vnum peccatum homicidij. Idémque argumentum fieri poteſt de pluribus actibus fornicationis, cum eadem, vel diuerſis perſonis, conſummatis ſimili ſucceſsione contigua. Secundò ſequitur, etiam in actibus internis poſſe hoc modo committi vnum peccatum per ſucceſsionem contiguam diuerſorum actuum, vt ſi quis ex intentione vindictæ velit proximum occidere, & propterea eligat vnum medium, & ex illo aliud, nã in omnibus illis electionibus perſeuerat virtualiter eadem intentio.

22 Vera reſolutio difficultatis.

In hac re dicendum eſt, in primis non eſſe neceſſariam continuationem phyſicam eiuſdem actionis exterioris, vt ratio facta conuincit. Item, quia illa diſtinctio externarum actionum materialis tantùm, & phyſica eſt: moraliter autem omnes participant eandem malitiam illius intentionis & finis, ad quem ordinantur. Hoc autem maximè verum habet, quando actiones illæ per ſe, & ex obiectis ſuis prauæ non ſunt, ſolùm ex intentione finis, propter quem eliguntur, vt ſunt in exemplis poſitis, parare enſem, exire domo, &c. quia tunc omnes illæ informantur eadem malitia intentionis, & ideò cũ illa conſtituunt vnum numero peccatum. Contingit autem aliquando, vt omnes illæ actiones, etiamſi dicto modo ſint ſubordinatæ, in ſe prauæ ſint intrinſecè, non quidem malitia ſpecie diſtincta, tunc enim alia eſt ratio, vt per ſe conſtat: ſed intra eandem ſpeciem, vt ſunt, verbi gratia, in hominis interfectione ſingula vulnera, ſeu percuſsiones, quæ ad homicidiũ conſummandum dantur, & in peccato fornicationis tactus impudici, & oſcula, quæ præcedunt vſque ad conſummationem actus.

23 difficultas.

In his ergo eſt ſpecialis difficultas, nam vnuſquiſque ex his actibus per ſe factis ex ſuo obiecto eſſet vnum peccatũ mortale, quòd autem ſucceſsiuè fiant, & vnus proximè poſt alium, vel etiam vnus ex morali cauſalitate & excitatione alterius, non tollit propriam vniuſcuiuſque malitiam, eiúſque multiplicationem, iuxta numerum talium actuum: erunt ergo plura peccata, eritque tota illa varietas in confeſſione de

ne declaranda. Et confirmatur, nam prout illæ actiones externæ sibi inuicem succedunt, ita necesse est internas voluntates multiplicari, cum eadem immediata successione vnius post aliam: quia illæ actiones exteriores non fiunt nisi ex motione voluntatis, & sunt obiecta materialiter diuersa, ideóque requirunt interiores volitiones saltem numero diuersas, & vnaquæque harum est peccaminosa ex vi sui proprij obiecti, vt supponimus: ergo quot sunt tales voluntates: tot erunt peccata numero distincta. Probatur consequentia, quia suprà diximus peccata interna distincta ex diuersitate obiectorum, etiamsi successiuè fiant immediatè vnum post aliud, reuerà esse plura numero, & vt talia confitenda: ergo idem erit in præsenti. Nam quòd illæ voluntates prodeant in actus externos, & quòd vna causet, seu excitet aliam, non tollit veram distinctionem earum, & malitiarum, quæ in ipsis sunt.

24 Respõdetur difficultati. Nauar. Cano.

Respondetur, quantùm ad confessionem spectat, omnes conueniunt non esse necessarium hanc varietatem actionum explicare, vt expressiùs docent Nauarrus, & Cano suprà, quia satis est explicare vltimum actum, nam hoc ipso dicuntur cætera media, vel opera, quæ ordinariè cum tali actu coniuncta sunt: nam, si quæ circunstantiæ, per se prauæ & extraordinariæ adiungerentur, illæ declarandæ essent, saltem propter doctrinam datam de circunstantiis notabiliter aggrauantibus.

Quod verò spectat ad vnitatem vel multitudinem peccatorum in seipsis, certè satis probabiliter dici posset, in re ipsa, & coram Deo tot esse peccata numero distincta, quot sunt interiores actus voluntatis numero distincti habentes intrinsecas & distinctas malitias ex obiectis suis, vt ratio facta intendit, quanquàm in ordine ad confessionem illa multitudo sufficienter intelligatur comprehensa explicato vltimo actu, ad eum modum quo suprà dicebamus de actibus internis parum interruptis. Meliùs tamen, magisque ad rem moralem dicemus, ex illis omnibus componi vnum consummatum peccatum, quia omnes illi actus, seu voluntates ordinantur ad vnum opus consummandum, & ex illius intentione procedunt. Nam, vt aliàs constat ex Metaphysica, vnitas numerica etiam in actionibus, vel qualitatibus, non est semper eiusdem rationis vel æqualis: nam aliquando est simplici entitate, aliquando ex collectione plurium cum aliqua artificiosa compositione: ad hunc ergo modum in præsenti omnes illæ actiones censentur esse partiales, & componere moraliter vnum peccatum, quia omnes ordinantur ad vnum consummatum opus: ordinantur, inquam, ordinatione morali absque opposita interruptione: nam si hæc intercedat, aliunde proueniet distinctio, vel multiplicatio peccatorum.

25 Respõdetur ad duo incõmoda posita in principio difficultatis. Ad primum.

Atque hinc facilè respondetur ad duo incommoda, quę ex hac doctrina inferebantur. Ad primũ enim negatur sequela, scilicet duo homicidia, vel duas fornicationes esse vnum peccatum, etiamsi post vnum consummatum, immediatè aliud inchoetur: inter hęc enim nõ est illa subordinatio & moralis compositio, quia vnum ad aliud non ordinatur, neque est pars illius: vnde non habent inter se illam vnionẽ, & compositionem, ex qua prædicta vnitas in aliis consurgit. Et hoc est maximè considerandũ in huiusmodi actibus humanis: sunt enim aliqui exteriores actus habentes certos terminos, in quibus consummantur, vt est vna fornicatio, & ideò ibi consummatur vnũ peccatum: quòd si vlteriùs ad aliud progrediatur, est per accidens, nihilque refert quod in proximo sequenti tẽpore, vel post aliquod tempus fiat: æquè enim sunt plura peccata, quia non vniuntur iuter se, sicut sunt plures hominum natiuitates, etiamsi fieri contingat cum immediata successione vnius post aliã. Denique, quod attinet ad cõfessionem, certum est hæc non satis explicari nisi per modum plurium, quia in absoluta confessione vnius peccati consummati, nullo modo explicatur, vel insinuatur aliud.

26 Improbatur Nauar.

Et ideò non mihi placet, quod Nauarrus ait de actibus impudicis, qui sequi solent post vnam fornicationem consummatam, scilicet, non magis esse necessarium explicare eos in confessione, quam similes actus, qui præcedunt, sed satis esse vnum peccatum fornicationis simpliciter confiteri: hoc, inquam, non mihi placet, quòd actus qui præcedũt, sunt quasi partes copulæ cõsummandæ, & ad illam per se ordinantur: adde etiam veluti ex natura rei esse, vt antecedãt, & ideò & vnum peccatum componunt, & explicato consummato actu, in illo intelliguntur: at verò actus subsequentes, neque sunt partes prioris actus consummati, neque ex natura rei ex illo sequũtur, vt propterea censeri possint quasi proprietates consequentes, & in illa virtute inclusæ, sed reuerà adiunguntur ex malitia ipsius operantis: & ideò neque sufficienter explicantur confitendo simpliciter vnum fornicationis actum, nec reuerà sunt vna & eadem fornicatio cum præcedenti, sed potiùs sunt noua fornicatio inchoata. Cuius signũ manifestum est, quia si illi actus procederent vsque ad consummationem secundi actus, vnirentur cum illo, & cum eo constituerent vnum peccatum, ergo non ita vniuntur cum præcedenti: alioqui etiam illæ duæ fornicationes vnirentur inter se, & constituerent vnum peccatum: quod omninò falsum est, vt etiam ipse Nauarrus fatetur.

27

Vnde multò magis displicet quod idem Auctor ait, delectari postea in fornicatione, vel homicidio consummato, vel se de tali actu laudare cum noua complacentia, si fiat quasi in flagranti delicto, & ex ipso feruore peccati, non esse nouum peccatũ necessariò explicandum, quia hoc totũ fit sine interruptione, atque adeò per modũ vnius: hoc inquam, non placet, quia multitudo & distinctio in his peccatis non est pensanda ex interruptione temporis, sed ex natura & modo talium actuum. Illi autem posteriores actus omninò sunt distincti à præcedenti peccato, neque ad illud ordinantur, nec sunt partes eius, sed potiùs circa illud versantur, vt circa obiectum vel materiam, de qua parum refert, quòd paulò, vel multò antè præcesserit: per accidens etiam adiungũtur, & non intelliguntur, solo ipso peccato explicato: necessarium ergo est hæc explicare tãquàm distincta peccata. Quin potiùs in his actibus, qui præcedunt, & videntur ordinari ad aliud opus consummandum, oportet aduertere, an habeant aliunde malitiam numero distinctã, & quasi totalem ob quam debeãt explicari. Exempla sunt, quãdo quis ex intẽtione occidẽdi inimicum inducit alium vt sit socius criminis, vel cũ ex intẽtione adulterij mittit nuncium, qui fœminam inducat: nam in simili casu tale peccatum respectu illius tertię personæ, quæ ad peccandum inducitur seu mittitur, nouum peccatum est, etiamsi fortasse tantùm sit numero distinctum, de quo aliàs. Et in ordine ad confessionem non est dubium, quin tales circunstantię sint explicandæ, vt suprà dixi, siue id sit, quia notabiliter aggrauant, & sunt extraordinariæ, nec satis explicantur in ipso simplici actu, vt Cano sentit: siue sit, quia reuerà sunt noua peccata distincta, vt est probabile.

28 Ad secundum.

Ad aliud inconueniens de actibus internis respondetur, si cõsequens illud cum eadem proportione sumatur nullũ esse inconueniens, neque esse contra superiùs dicta. Nam in primis, si electiones interiores non habent ex propriis obiectis aliam malitiam præter illam, quam participãt ex intentione finis, mirum

non est ex omnibus illis constitui vnum peccatum, quia solùm materialiter distinguũtur, & eadẽ numero malitia suo modo informantur, superiùs autem loquuti sumus de actibus internis ex se peccaminosis. Si verò electiones ipsæ interiores etiã in obiectis materialibus habent malitiam, quanquàm non specie distinctam à malitia finis, dicẽdum est, etiamsi actus illi sint realiter distincti, moraliter tamẽ esse quasi partiales, & ex illis consurgere integrũ peccatum, quod est vnum quasi ex collectione plurium simpliciũ partium habentium inter se moralem, & quasi artificiosam cõnexionem. Superiùs autẽ locuti sumus de actibus totalibus secundùm se, atque ita distinctis, vt non habeant inter se aliquam connexionem, sed solã immediatam successionem vnius post alium, quæ per se nõ sufficit ad vnitatẽ, neque impedit verã distinctionẽ numericã peccatorũ, etiã in cõfessione declarãdã.

29 Addo denique, iuxta modum loquendi Philosophorũ moraliũ, primam electionẽ comparari ad intentionem, & secundã electionẽ ad primã, & sic deinceps, tanquàm actũ exteriorem ad interiorem: & ideò qua ratione & proportione censetur durare idẽ peccatum per successionem & cõnexionẽ dictarũ actionum externarum, ita etiam per similem cõnexionem & successionẽ internarũ electionum, in qua formaliter loquẽdo, nõ censetur actus interior succedere interiori, sed exterior, considerato respectu eorum inter se, quanuis respectu voluntatis omnes sint interiores. Vnde obiter colligo, quãuis non sit necessariũ explicare hos actus in confessione per modum pluriũ peccatorum, necessarium tamen esse explicare illũ actum vt consummatum in suo ordine: sicut non satis est confiteri internum actum sine exteriori, nec tactus impudicos confusè, si fornicatio fuit consummata: itaque non satis erit dicere, desideraui occidere hominẽ, sed oportet dicere decreui, & deliberaui, & de mediis ad id perficiendum mecum statui: sic enim, & non aliter sufficienter explicatur illud peccatum.

30 Dubium cõtra superiùs resoluta. Sed adhuc superest obiectio cõtra præcipuam decisionem huius puncti: nam ex ea sequitur, peccatum non restituendi, etiamsi per annum duret, & in eo sæpiùs repetantur, & multiplicentur voluntates non restituendi, semper esse idem numero peccatum, quod est planè absurdũ. Sequela patet, quia, illud peccatum semper cõtinuatur in illa exteriori omissione debitæ restitutionis: nam peccatum externum in hac specie in illa omissione externa positum est: ergo dum illa continuatur, continuatur etiam peccatum: ergo, sicut peccatum commissionis est vnum, quandiu actio exterior continuè durat, ita peccatum omissionis erit vnum, quandiu omissio exterior continuatur.

31 Respondet Nauar. cum Gabr. Ad hanc obiectionem Nauarr. suprà totum hoc concedere videtur cum Gabriele in 4. d. 15. q. 2. Ex qua sententia, ita generatim intellecta, sequitur, satisfacere integritati confessionis, qui dixerit se accepisse rem alienam & non restituisse: imò, iuxta sententiam Nauarri, nec dilationem temporis, etiamsi nimia sit, confiteri necessarium erit, quia necesse non est circunstantias aggrauantes confiteri, illa verò ad summum esse potest circũstantia aggrauans. Sed hæc sententia vera non est. Et ideò respondetur ad obiectionem negando sequelam: omissio enim exterior, cùm solùm consistat in carentia actionis, non pendet ex actuali influxu voluntatis, ita vt hic & nũc procedat ex actu voluntatis formaliter, aut virtualiter durante, sed potest manere per modum habitus seu habitualis effectus relicti ex præcedẽti voluntate, quod non satis est vt cõtinuetur actuale peccatum, & ideò etiam nõ sufficit ad vnitatem peccati. Sicut enim suprà dicebamus, durationem in statu alicuius peccati, quatenus manet tantùm habitualiter, non satis esse ad vnitatẽ peccati actualis, si alioqui actus sufficienter interrũpantur, & multiplicẽtur, ita omissio actionis seu restitutionis debitæ, quæ durat solùm per modum habitus, non sufficit ad vnitatẽ peccati, si actus sufficienter interrumpantur, & multiplicentur. Quare, vt peccatum actuale continuari dicatur, non satis est quòd duret effectus eius, imò nec etiam sufficit vt duret aliqua actio, nisi illa sit actualiter libera, ac voluntaria. Patet in communi exemplo de illo, qui dedit venenum alteri ad interficiendum illum: non enim actu peccat quãdiu venenum actu operatur, nã interim potest omninò cessare à tali volũtate, imò & veram pœnitentiam talis peccati agere. Non ergo satis est, quòd effectus denominetur volũtarius, quia ex libera voluntate processit, sed oportet vt ex libera voluntate procedat. Vnde quoad hoc eadem ferè proportionalis ratio est de actione, & de omissione. Solum est aliquale discrimen, quod quia omissio per se non requirit positiuum influxum, faciliùs durat sine vllo actu vel attentione interiori: interdũ verò potest etiam actus exterior cõtinuari cum tanta distractione, & inaduertentia naturali, vt actus reuerà iam hîc & nũc nõ fiat liberè & humano modo: & tũc etiã illud satis nõ erit ad cõtinuitatẽ vel vnitatem peccati.

32 Quocirca peccatum non restituendi, vel detinendi rem alienam per aliquod tempus, potest intra illud multiplicari duobus modis: primò per interruptionẽ & iterationem internarum voluntatum nõ restituendi. Potest enim hæc voluntas interrumpi omnibus modis suprà positis circa interruptionem cuiuscũque volũtatis peccaminosæ, & dũ homo actu cessat à volũtate detinendi rem alienam, siue per somnum, siue per distractionem, aut occupationem circa alia, siue per contrarium propositũ restituendi, cessat tunc ab actuali peccato: vnde, cùm posteà, occurrente memoria restitutionis, repetit voluntatem non restituendi, peccatũ multiplicat. Secundò multiplicatur hoc peccatum per externum vsum rei restitutioni obnoxiæ, repugnãtem restitutioni, seu dominio alterius: vnde, quoties isti actus multiplicantur, etiã multiplicantur peccata. Tertiùs etiam modus addi solet, scilicet quãdo per aliquod tempus cessat debitum restituendi, vel intercedit excusatio sufficiens, & posteà iterum vrget obligatio: nam quot erunt huiusmodi vicissitudines, tot vt minimum erunt peccata, si temporibus debitis omittatur restitutio, quia pro illis tẽporibus, pro quibus suspenditur, vel excusatur obligatio, homo non peccat actualiter, etiãsi tunc non restituat. Sed in hoc etiam casu necessariũ est, vt voluntas non restituendi tempore debito multiplicetur. Atque hinc fit vt in confessione huius omissionis necessariũ sit hanc varietatem vel multiplicationem, si intercesserit, explicare, vt rectè Caiet. Sot. & alij docuerunt, quia hîc habet locum generale præceptum confitendi numerum peccatorum, & nulla est ratio excusationis, nisi quæ potest prouenire ex obliuione, vel alia simili impotentia, quæ in aliis etiam peccatis interuenire potest, & tunc seruandæ sunt regulæ statim tradendæ. Caiet. Sotus.

---

*De distinctione numerica malitiarum moralium in eodem actu.*

TERTIO dicendum est de distinctione numerica malitiarum in eodem peccato, seu in eodem actu: hanc enim posse aliquando inueniri docet Nauar. suprà, & alij, qui negant circunstantias aggrauantes esse confitendas: coguntur hoc dicere, quia negare non audent, quin, si quispiam velit vno actu interficere tres homines, teneatur illum numerum hominum

33 Sententia Nauarri & aliorum.

Responsio Nauarri reprobatur, & dubio satisfit.

hominũ in confessione declarare: cùm ergo rationem reddere non possint ex tanta grauitate peccati, aiunt habere actũ illum ab illis tribus obiectis materialibus tres malitias morales numero distinctas, & ideò declarandas esse in confessione, quia ad finem confessionis, formalis distinctio malitiarum, potiùs quàm ipsorum actuum, necessaria est, sicut de speciebus diximus. Et potest hæc sententia suaderi primò ratione Metaphysica, quia hæc accidentia, quę respiciunt terminum, vel obiectum extrinsecũ, bene possunt multiplicari numero in eodem subiecto: sed huiusmodi sunt hæ malitiæ seu iniuriæ respectu diuersorũ: ergo. Secundò potest confirmari exẽplis, & ratione morali. Nam coniugatus, qui cum vxore alterius adulterium committit, vno actu duplicem malitiã iniustitiæ contrahit, vnam contra propriam vxorem, alterã contra maritũ alterius. Itẽ qui vult inducere vnũ ad occidendũ aliũ, duplicem malitiã cõmittit intra latitudinem homicidij, vnam respectu eius quem vult interfici, aliã respectu alterius, quẽ ad occidẽdum inducit. Ratio etiã moralis reddi potest, quia hæc obiecta, numero seu materialiter diuersa, ita se habent, vt vnũquodque possit dare malitiam actui independẽter ab alio: ergo vnumquodque dat suam malitiam distinctam.

D.Tho. Hac enim regula vtitur D.Thomas 1.2.q. 18. art. 11. ad discernendum, quando circunstantia addat nouam malitiam, vel augeat præexistentem.

34 Sententia Nauarri incerta iudicatur, & oppositа probatur. Hæc sententia probabilis est: mihi tamen est valdè incerta, & oppositа apparet probabilior, saltem quoad hoc, vt necesse non sit actum habere malitias numero distinctas, propterea quòd plura materialia obiecta, seu plures personas complectatur. Quod patet à contrario, quia bona voluntas dandi eleemosynam decem hominibus nõ habet plures bonitates, ergo neque è contrario voluntas interficiendi illos habet plures malitias. Patet consequentia, quia priuatio est proportionata habitui, & ideò si habitus est vnus, etiam priuatio eius vna est: malitia autem est priuatio debitæ bonitatis.

Obiect. Dicetur fortasse, voluntatem dandi eleemosynam habere suam adæquatam bonitatem ex quantitate, quam aliquis dare vult: quòd enim det vni, vel multis, accidentarium est,

Soluitur 1. nec auget bonitatem. Sed hoc in primis non rectè dicitur, quia etiam potest bonitas illius actus augeri ex conditione personarum, quibus datur, & ex proportione cum eis seruata. Deinde pari ratione dicendum erit voluntatem non dandi illam quantitatem in eleemosynam multis personis indigentibus, esse vnum tantùm peccatum: quòd si hoc concedatur, sequitur vlteriùs, quòd, licèt illæ personæ extremè indigeant, & ea ratione vita, vel salus earum periclitentur, nihilominùs vna tantùm sit malitia, quia ex maiori vel minori necessitate proximi non multiplicatur, sed augetur illud peccatum: & tamen negari non potest, quin illa circunstantia in confessione dicenda sit, nõ minùs quàm numerus hominum in voluntate occidendi: ergo hæc necessitas non prouenit ex distinctione numerica, sed ex grauitate culpæ.

35 2. soluitur. Præterea, si quis vno indiuisibili actu charitatis amet decem proximos, vna est indiuisibilis bonitas illius actus, vt suppono ex 1. 2. quia talis bonitas vel est realis & positiua differentia illius actus, vel est relatio, aut alia proprietas illi proportionata: differentia autem illius actus omninò est indiuisibilis respiciens decem illos homines per modum vnius obiecti adæquati; & ideò vnica habitudine transcendentali ad illos tendit: ergo similiter odium eorundem hominum vnicam habet malitiam, quanuis non respiciat aliam materiam propinquiorem, sed immediatè tendat in tales personas: ergo idem erit de voluntate occidendi tot homines, eò vel maximè quòd



A potest quis velle vno ictu eos occidere, & ita videtur habere proximam materiam magis vnam, quàm sit quantitas pecuniæ in voluntate eleemosynæ, vel quantitas furti, si à multis personis accipienda esset, & hoc modo caderet in voluntatem. In his ergo & similibus casibus existimo, quod ad speculationem spectat, nõ esse necessariũ malitias has numero distinguere, tum quia non per modũ relationum, sed priuationum attendenda est eorum distinctio: tum etiam quia relatio transcendentalis fundata in indiuisibili entitate non multiplicatur propter materialem distinctionem terminorũ seu obiectorum, vnde in tali actu neque augeri, neque minui potest ille transcendentalis respectus, quia indiuisibiliter tendit ad omB nia illa obiecta per modum vnius. Quapropter, licèt vnumquodq; ex his obiectis per se posset terminare actum sibi adæquatum, & ita possent esse ad alia obiecta plures respectus distincti; tamen vt cadunt sub talem actum, nullum illorum obiectorum per se sufficit ad terminandum aliquem respectum illius actus, sed solùm omnia coniunctim.

36 Non dantur in vno actu plures malitiæ, sed omnes sunt per modũ vnius. Atque ita fit (applicando hoc ad malitias) vt licèt singula illis obiectis possent aliàs dare malitiam, tamen, vt coniunguntur in tali actu, nullum eorum per se illam confert, sed omnia simul per modum vnius ad vnam & eandem concurrunt: & ideò ex sola hac multitudine personarum non satis colligitur diuersitas numerica malitiarum, quidquid sit, an ex alio C capite interdum oriri possit hæc distinctio, quod alibi tractandum est. Vnde tandem, quod ad praxim pertinet: non opinor necessitatem confitendi hunc numerum, seu circunstantiam personarum, pendere ex hac speculatione: omninò enim hæc circunstantia declaranda est in confessione, quidquid sit de illa numerica distinctione. Quod apertè confirmatur, si quis habeat desiderium occidendi multitudinem hominum, cuius numerum ignorat, vel si tentet comburere domum cum tota sua familia, quantacumque illa sit: tale enim peccatum non potest habere plures malitias, quot enim illæ erunt, & tamen non satis est illud confiteri per modum vnius simplicis homicidij interni, sed oportet explicare grauitatem obD iecti eius, multò magis quam in voluntate occidendi tres homines: igitur hoc non pendet ex distinctione numerica malitiarum.

---

## *Quomodo numerus peccatorum in confessione sit explicandus.*

37 VLTIMO dicendum superest, quod secundo loco in principio proposuimus, quomodo hæc distinctio numerica peccatorum sit in cõfessione aperienda: suppositis enim his quæ diximus, facilis est 2. concl. resolutio. Nam dicendum in primis est, quando pœnitenti certò constat de numero, illum debere confiteri, & non maiorem, neque minorem: quod per se E constat. Solùm est aduertendum, nec oportere, nec semper expedire singula peccata per se & quasi historicè narrare, sed satis esse vno verbo numerum dicere. Ita aduertunt omnes moderni Auctores de hoc scribentes, Caiet. tom.1. Opusc. tract.5.q.6. Soto.d. 18.q.2.art.4.concl.2. Cano. dict.relect.p.5. Pet.Soto lect.9.de Confess.Nauar. cap.6.n.14. Ratio est, quia ad morale iudicium id satis est, reliquum autem & per se est molestum cõfessori, & potest esse nociuum pœnitenti, imò etiam confessori. Solùm obseruentur quæ de circunstantiis diximus: nam, si in aliquo singulari peccato aliqua occurrerit necessariò confitenda, quoad eam partem oportebit factum exponere, quantum fuerit necessarium.

Caiet. Soto. Cano. Pet.Soto. Nauar.

38 2.conclusio. Deinde dicendum est, quando facta morali diligentia, tempori & conscientiæ pœnitentis, & capacitati accommodata, non occurrerit numerus omninò certus, tamen se offert aliquis numerus, qui plus minúsve, parum creditur à certo distare, eodem modo declarandum esse, idque sufficere: tum quia fit quod moraliter est possibile: tum etiam quia id satis est ad morale iudicium humano modo ferendum. Et post confessionem, licèt aliqua in particulari & distinctè occurrant, quæ non videntur ita explicata, non est necessarium ea iterum confiteri, nec de illis esse sollicitos, quia in prædicto numero sufficienter inclusa fuêre: nisi fortasse specialis circunstantia necessaria occurrat, quæ nullo modo declarata fuerit: vel nisi postea occurrat tanta multitudo peccatorum, vt notabiliter excedat numerum priùs expressum, quia illa reuerà non fuisset satis explicata per priorem confessionem: hoc verò vix potest moraliter contingere, si prior diligentia mediocris fuit.

39 3.concl. Tandem dicendum est. Quando facta diligentia, neutro ex dictis modis potest cum probabilitate affirmari aliquis certus numerus, tunc sufficiet consuetudinem peccandi declarare, & tempus quo pœnitens in illa perdurauit, & modum frequentiæ per dies, vel hebdomadas quoad fieri possit: ad quem explicandum debet etiam confessor pœnitentem iuuare prout potuerit: quod facilius erit in actibus externis, qui non tam frequenter committuntur. Interni verò declarari possunt, dicendo se fuisse paratum ad committendum, vel desiderandum tale peccatum, quoties occasio vel memoria illius occurrebat, vel aliquid simile. Ita etiam docent omnes. Et ratio est eadem, scilicet, quia fit quod moraliter potest; & præcepta hæc non sunt impossibilia: &, vt infrà dicemus, hæc integritas non ita exigitur, vt semper ac necessariò debeat esse omninò conformis rebus ipsis, sed conscientiæ & facultati pœnitentis, quæ etiam morali modo satis tunc innotescit confessori, vt de illa possit moraliter iudicare. Quare in his casibus non debet confessor vrgere pœnitentem, vt aliquem certum numerum proferat: id enim sæpè est moraliter impossibile, vel ita incertum, vt nulla fides illi adhiberi possit.

A sione ob solam malitiam sacerdotis, quia v. g. non habuit intentionem absoluendi: cur ergo obligandus est pœnitens iterum confiteri, cùm iam ex parte sua fecerit quod potest, & debet? Respondetur primò, quia hoc est medium necessarium ad salutem. Deinde, quia hæc obligatio non est tantùm ad agendum, sed etiam ad recipiendum, vt sic dicam: & ideò quacunque ratione factum sit, vt mediũ necessarium non recipiatur, semper manet obligatio iterum recipiendi: vt si quis baptizetur à prauo ministro non habente intentionem, teneturiterum baptizari, quãuis non per ipsum steterit, sed ex malitia alterius. Ita ergo in præsenti manet obligatio recipiendi sacramentum pœnitentiæ; & quia hoc non fit nisi
B præmissa confessione, manet obligatio iterum confitendi.

2 Secunda regula. Posterior regula est, si confessio fuit valida, per se loquendo, illa peccata iam non pertinent ad integritatem subsequentis confessionis, nec sunt de necessitate illius. Est etiam communis, & certa regula, quam docet Benedict. 11. in Extrau. *Inter cunctas.* de Priuil. *Ne sequatur*, inquit, *absurdum, vt peccata semel per pœnitentiam dimissa, debeat quis iterum confiteri.* Idem habet Ioannes 22. in Extrauag. *Vas electionis.* de hæreticis. vbi oppositum dicit erroneum. Sumitur etiam ex Tridentino, sess. 14. cap. 5. dicente, ea peccata esse confitenda, quorum aliquis conscietiam habet, postquàm autem peccata sunt ritè in confes-
C sione reuelata, & remissa, non manent in conscientia. Ratio verò clara est, quia circa talia peccata iam sunt Christi verba impleta. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* ergo satisfactum est diuino præcepto, & medio ad salutem necessario: ergo nulla supereſt necessitas. Confirmatur ex aliis verbis, *Quorum retinueritis*, ex quibus suprà diximus potissimùm colligi necessitatem confessionis: non potest autem sacerdos talia peccata retinere, etiamsi velit, quia iam non sunt: ergo non continentur sub illis verbis, *Quorum retinueritis, &c.*

Extrauagãt. Inter cũctas. de Priu. Extrauagant. Vas electionis. de hære. Conc. Tri.

3 Dubium. Dices, hoc argumento probaretur illud peccatum iam absolutum, non solùm non esse materiam necessariam, sed neque esse sufficientem, quia si non
D continetur sub illo verbo, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, etiam non continebitur sub illo, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quia tam latè patet vnum, sicut aliud. Respondetur negando conse- Soluitur. quentiam, & probationem eius: plura enim continentur sub potestate remittendi, quàm retinendi, vt cõstat de peccatis venialibus, de qua re suprà dictum est. Nũc breuiter pro materia præsenti ira explicatur: quia vnusquisque reus potest in eadem causa sæpiùs iudicari si ipse velit; non autem potest iustè à iudice ad huiusmodi iudicium cogi: quod maximè verum habet in hoc sacramentali iudicio, quod omninò voluntarium est: in eo enim reus ipse se accusat, & iudicandum præbet; & ideò iterata confessio eiusdem
E peccati sufficiens materia & accusatio est in hoc iudicio, quauis non sit necessaria. Et hinc etiam fit, vt tale peccatum iterum remitti possit, quia pœnitẽs est sufficienter dispositus, & ritè illud confitetur. Retineri autem non potest, loquendo propriè de retentione quoad culpam, quia cùm illud iam fuerit dimissum, non potest iterum redire, nec impedire, quin sit homo sufficienter dispositus ad consequendam remissionem. Tandem confirmatur à simili, nam ante confessionis institutionem, post vnam veram contritionem de peccatis habitam, non manebat necessitas habendi aliam, per se loquendo: sed similis, & non maior necessitas est nunc in confessione: igitur.

## SECTIO VI.

*Vtrùm sit necessarium ad integritatem confessionis dicere peccata iam semel confessa.*

1 Duæ regulæ proponũtur. ALIQVANDO peccatorum confessio talis est, vt ex ea non perficiatur sacramentum, quæ generatim dicetur confessio inualida; illa verò dicitur valida, quæ vera, & sufficienti absolutione in-
E formatur. Iuxta hanc ergo duplicem confessionem duæ sunt regulæ generales in hac materia. Prior est, Prima regula. si confessio inualida fuit, de necessitate sacramenti est, illa peccata iterum confiteri, & sine illis subsequens confessio non erit integra. Est communis & certa. Ratio est, quia illa peccata non fuerunt per claues remissa, ergo iterum sunt subiicienda clauibus, vt remittantur, quia hoc est medium per se necessarium ad talem remissionem. Item confessio inualida est nulla: ergo nihil ampliùs operatur, quàm si facta non fuisset; sed si non fuisset facta, necessariò essent illa peccata confitenda: ergo idem est necessarium, etiamsi facta fuerit. Dices, in- Interrogatio. terdum potest non confici sacramento ex confes-

*Quibus modis contingat confessionem esse nullam.*

4. CIRCA vtramque autem regulam aliqua declaranda supersunt: & in primis circa priorem, quibus modis vel causis contingat confessionem esse nullam, vt propterea dictam obligationem relinquat. Hæc verò dubitatio latissima est, & ideò breuiter attingam capita huius nullitatis, & remittam in propria loca. Primum est ex parte materiæ ob defectum interioris dispositionis necessariæ: de quo defectu dixi suprà tractando de contritione, vt est pars huius
2. sacramenti. Secundum caput est etiam ex parte materiæ, quia confessio non est integra culpabiliter, ita vt ex culpa mortali pœnitentis talis integritas desit: & hunc defectum explicamus in tota hac disputa-
3. tione, & sequente. Tertium caput est ex defectu formæ, quia vel non profertur, vel non verbis necessariis. Et quartum caput erit si absque intentione absoluendi proferatur: quæ duo ex generali doctrina sacramentorum habentur: vnde videnda sunt dicta de sacramentis in genere. Solùm aduerto, in duobus primis defectibus confessionem ex se, & ex parte sua esse nullam: in his autem duobus vltimis non tam confessionem ipsam, quàm totum sacramentum infectum relinqui, quia fieri potest vt ex parte con-
5. fessionis nihil desit. Quintum caput est ex defectu iurisdictionis in ministro, & est proprium huius sacramenti, quia est iudicium, ideóque interueniente hoc defectu, tam confessio quàm absolutio nullæ sunt, quia neque illa est accusatio, neque hæc sententia: & de hoc defectu dicturi sumus disputationi-
6. bus sequentibus. Addunt nonnulli Auctores sextum caput, scilicet, ignorantiam confessoris, quando tanta est, vt nesciat discernere inter peccatum mortale & veniale, reseruatum, vel non reseruatum: nam talis iudex non potest iustam sententiam proferre, ac proinde neque validam circa tale peccatum, & ideò confitendum iterum erit. Ita censuerunt aliqui. Richard. in 4. distinct. 17. artic. 2. quæst. 8. ad 1. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. Ledesma in 4. quæst. 18. artic. 2. Syluest. verb. *Confessio.* 1. quæst. 3. Victoria in Summ. num. 168. Veruntamen hæc sententia intellecta de ignorantia in particulari, circa differentiam cuiuscunque peccati mortalis, scrupulosa est, & non satis fundata: nam, licèt sententia sit iniusta, potest esse valida, præsertim si non continet intolerabilem errorem. In præsenti ergo, si sacerdos habet alia necessaria, scilicet iurisdictionem, & intentionem, & alioquin pœnitens est dignus absolutione, concurrunt omnia essentialiter necessaria, & sententia non continet intolerabilem errorem in eo quod primarium est, scilicet in absolutione à culpa: licèt autem contingat talem sacerdotem errare in satisfactione, & medicina imponenda, ille error non est adeò substantialis, vt irritet sacramentum: quapropter, si talis defectus non redundet in prauam dispositionem pœnitentis, per se non inualidat sacramentum. Redundabit autem in huiusmodi defectum dispositionis, si pœnitens sciens & videns voluntariè eligat illi confiteri, quem scit esse ineptum ad suam conscientiam cognoscendam, quia hoc ipso vult malè confiteri & iudicari. At verò, si bona fide confiteatur sacerdoti exposito, & habenti potestatem, propter ignorãtiam eius non tenebitur iterum eadem peccata confiteri: alioquin quoties sacerdos nesciret discernere inter circunstantias mutantes speciẽ, confessio esset nulla, & iteranda, quod est absurdum. Atque hanc sententiam ita explicuit Gabr. 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. & sumitur ex Adrian. q. 4. de Cõfess. circa finem, & quodli. 5. artic. 2. Et ex Medin. C. de confess. q. de Confess.

Rich. D.Ant. Ledes. Sylvest. Victoria.

Sententia aliquorum Doctorum reprobatur.

Gabr. Adria. Medin.

A iteran. ob defectum confessoris. Cordu. in Summ. Hispana. q. 9. & idem docuit ex Caiet. Petrus Soto lect. 6. de Confess. & infrà agentes de scientia idonei confessoris hoc latiùs ostendemus.

Cordub. P.Soto.

*Quomodo iteranda sit confessio.*

IAM verò supereſt vt explicemus quomodo sit iteranda confessio peccatorum in his casibus, an scilicet necesse sit, distinctè & ex professo ea iterum narrare, an sufficiat vno verbo dicere defectum prioris confessionis, & quòd ea omnia, quæ aliquis malè confessus est, iterum subiiciat clauibus. Respondetur, si subsequens confessio alteri sacerdoti fiat, B tam distinctè facienda est ac si nulla præcessisset, quia ex priori alter sacerdos nullam notitiam consequutus est, oportet autem vt plenam recipiat. Si verò repetitio confessionis fit eidem sacerdoti, qui adhuc retinet memoriam sufficientem peccatorum, non erit necessariũ singula dicere, sed omnia vno verbo subiicere supplendo defectum. Ratio est, quia suppositа priori narratione, illud vnicum verbum æquiualet distinctæ confessioni, quia sufficienter faciet præsentia peccata omnia in notitia confessoris. Sicut si sacerdos nouit extra confessionem omnia peccata, vno verbo dici ei possunt in confessione, scilicet, se accusando de omnibus quę alter nouit. Et in his con-
C ueniunt Auctores.

Quando autem sacerdos est idem, peccata verò iam memoria exciderunt, est varietas opinionum. Quidam simpliciter asserunt repetendam esse omninò confessionem, quia prior nihil operari potest, cùm neque in se, neque in memoria maneat: vnde nullum verbum confusè dictum potest tunc æquiualere distinctæ confessioni, quia nihil iuuatur ex præcedente. Et id tenet Corduba in Summ. q. 6. & tribuitur Bonauenturę. Alij absolutè dicunt necessariũ non esse confessionem repetere distinctè, quia memoria sacerdotis non est necessaria ad absoluendum: nam, si ego distuli absolutionem, possum post aliquot dies absoluere, etiamsi peccatorum non recorder. Ita sen-
D tit Medin. Cod. de Confess. q. de Circunstant. mutant. speciem. & clariùs q. de confessione facta prauo sacerdoti, & Adrian. q. 4. de clauibus. Alij distinctione vtuntur: nam vel huiusmodi sacerdos satisfactionem imposuit, & tunc, aiunt, non esse necessariam repetitionem distinctam propter rationem factam: si verò non imposuit satisfactionem, aiunt esse repetendam confessionem, quia licèt ad absolutionem non sit necessaria distincta notitia & memoria, ad imponendam condignam pœnitentiam & medicinam necessaria est. Sumitur ex Antonino 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Palud. id 4. dist. 17. q. 5. n. 22. Sylvest. verbo, *Confessio.* 1. quæst. 3. Nauar. cap. 9. n. 19.

Mihi verò, iuxta paulò antè dicta aliter distin-
E guendum occurrit: aut enim confessio fuit inualida ratione sui, scilicet, quia ex parte sua habuit essentialem defectum vel doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis ex parte confessoris; & tunc censeo confessionem esse omninò, & distinctè repetendam, si memoria excidit. Ratio est, quia prior non fuit materia confessionis, nec vera accusatio sacramentalis: & ideò siue sacerdos pœnitentiam imposuerit, siue non, necessaria est iterata accusatio omnium peccatorum: cùm autem non possit fieri vno confuso verbo propter rationem factam, distinctè fieri necesse est. At verò si prior confessio ex parte sua habuit omnia requisita, solúmque defuit forma ritè prolata ad perficiendum sacramentum, tunc non est per se necessaria iteratio confessionis, sed sufficiet petere in illo

Respondetur ad quæstionẽ propositam.

Varietas opinionum.

Prima opinio. Cordub. 2. opinio.

Medin. Adrian. 3. opinio.

Ant. Palud. Sylvest. Nauar.

Vera opinio & quęstionis resolutio.

foro absolutionem, quæ defuit. Ex parte verò confessoris, vt ritè & rectè suo munere vtatur, accómodari potest distinctio tertiæ opinionis: nam, si iam imposuit pœnitentiam, non indiget memoria peccatorum: imò nec pœnitentiæ impositæ, etiamsi Nauarrus id dicat; sed satis est vt recordetur hunc pœnitentem fuisse ritè confessum, & bene dispositum, & quòd postea nihil graue commiserit, in quo eius testimonio standum est. Si autem pœnitentiam non imposuit, & neque in particulari, neque secundùm confusam aliquam, & moralem rationem recordatur grauitatis peccatorum, seu status conscientiæ pœnitentis, oportet iteratam notitiam postulare, vt rectè fungatur munere suo, propter rationem tactam in tertia sententia. Si tamen de facto absolueret sine tali repetitione, licèt malè faceret, sacramentum esset validum, quia habet omnia essentialia: sicut sacerdos, audita confessione grauissimorum peccatorum, nulla, vel leuissima pœnitentia imposita absolueret, licèt malè faceret, sacramentum conficeret, quia ille defectus ad æquitatem, non ad essentiam pertinet.

A

B

## SECTIO VII.

*Vtrùm in aliquo casu necesse sit validam confessionem iterare.*

1 Proponũtur aliquot exceptiones circa posteriorem regulam.

IRCA posteriorem regulam in superiori sectione positam, declarandum est, an aliquam exceptionem patiatur. Varij enim casus excipi solent, quos examinare oportet, quia nullus in rigore verus est. Prima ergo exceptio adhiberi solet, si pœnitens excommunicatus erat, & priùs à peccatis, quàm à censura absolutus fuit. Sumitur ex Palud. d. 17. q. 5. art. 3. & tenet Syluester verb. *Confessio.* 1. q. 3. Sed est impertinens, quia vel pœnitens bona fide absolutus est à sacerdote iurisdictionem habente circa peccata, & tunc iuxta veriorem doctrinam valida est absolutio, & nulla est ratio obligationis iterum confitendi aliquod ex illis peccatis, sed tantùm procurandi absolutionem à censura, quia sola censura suscipientis non irritat sacramentum, per se loquendo, sed solùm prohibet vsum eius: quod secus est de excommunicatione absoluentis, quia priuat illum iurisdictione, vt infrà tractando de excommunicatione latiùs dicetur. At verò si talis pœnitens mala fide ita absolutus sit, sciens se grauiter peccare, sic recipiendo absolutionem, tunc sacramentum est nullum ex defectu doloris, & integritatis. Et idem esset si talis esset censura, vt auferret iurisdictionem ab absoluente, quia videlicet reseruata est absque vllo priuilegio, vel consuetudine: & in his casibus reperenda erit confessio: tamen hæc non est exceptio, quia illa confessio tunc inualida est.

C

Prima exceptio. Palud. Syluest. Reprobatur.

Censura suscipientis nõ irritat sacramentum, sed prohibet vsum eius.

D

2 Secunda exceptio. Adrian.

Secunda quoad effectum, licèt in substantia fuerit valida, quia non remittit peccatum; & ita cessat ratio de medio necessario sufficienter applicato. Ita tenet Adrian. q. 5. de Confessione, dub. 4. qui addit aliam rationem, quia illa confessio peccaminosa est, & per actum peccaminosum non impletur præceptum. Hæc verò sententia improbabilis est, & contra omnes alios Doctores. Nam in opinione eorum, qui non admittunt sacramentum validum, & informe, non habet locum, vt per se patet. Alij verò, qui admittunt hoc sacramẽtum informe, propter hoc maximè id faciunt, vt excusent homines ab iterandis confessionibus, quia obligatio solùm est ad recipiendum verum sacramentum pœnitentiæ circa talia peccata. Vnde ratio est, quia si confessio fuit valida, absolutio fuit vera: ergo pœnitens verè manet absolutus ab illis peccatis in ordine ad claues; ergo non tenetur iterũ ea subiicere clauibus: & ita iam illi applicatum est sufficienter mediũ illud necessariũ ad remissionem peccatorum, quod Christus Ioan. 20. instituit in illis verbis, *Quorum remiseritis peccata.* Propter quod in superioribus dicebamus, talem absolutionem habere suum effectum recedente fictione, quia est vera, & ita quantùm est ex se dat effectum, quòd si inuenit obstaculum, manet in acceptatione diuina, vt ablato impedimento effectum conferat. Et ita responsum est ad primam rationem dubitandi. Ad rationem verò Adriani respondetur, & falsum assumere, quia potest præceptum impleri per actum bonum quoad substantiam, licèt ab homine malè fiat: & prætereà malè applicare, quia iuxta veriorem sententiam, quam suprà tractaui, nunquàm confessio est valida, si in ipsa committatur actuale peccatum, præsertim mortale.

Respõdetur ad rationem Adriani.

3 Tertia exceptio. Reprobatur.

Tertia exceptio adduci solet, quando in confessione omissum est aliquod peccatum, vel confessor non satis illud percepit. Sed hæc exceptio non magis necessaria est, quàm præcedens: aut enim peccatum illud omissum est mala fide, & ex certa scientia; & tunc iteranda quidem est confessio, quia non est valida, & ita non est exceptio. Aut omissum est illud peccatum ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili: & tunc sunt opiniones inter Auctores, an talis confessio valida sit, vt suprà tactum est, & infrà etiam dicetur; tamen iuxta illas loquendum est consequenter: nam qui admittunt illam confessionem esse validam, negant manere obligationem iterum confitendi alia peccata, quæ dicta fuêre. Et ita est sine dubio dicendum propter dicta in proximo superiori puncto. Ego verò censeo illam confessionem esse inualidam, ac proinde, per se loquendo, iterandam, nisi aliqua ignorantia inuincibilis excuset. Aut denique peccatũ illud omissum est bona fide ex iusta causa, vel naturali obliuione: & tunc illud quidem peccatum confitendũ erit: aliorum verò repetitio non est necessaria, per se loquendo, vt rectè D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 3. & omnes. Et ratio est clara ex dictis. Neque est verũ, grauitatem talis peccati obliti non posse satis explicari sine consortio aliorum, vt propterea alia sint repetenda: nam in peccatis numero distinctis, moraliter loquendo, id non contingit; in circunstantiis verò quæ mutant speciem, posset aliquando id accidere, & ex illo accidente poterit esse necessarium repetere illud peccatum cum quo habet connexionem, non verò alia, quia illud non est propter integritatem, sed propter manifestationem peccati obliti, quæ aliter fieri nõ poterit. Sicut etiam, cùm necessarium est ad manifestationem præsentis status, vel periculi, aliquid commemorare de consuetudine præterita, faciendum id est non per se propter integritatem, sed propter manifestationem præsentis delicti cum circunstantiis necessariis, vel ad explicandum conscientiæ dispositionem, quod etiam fieri oportet; & ideò tunc non plus dicere de præteritis necesse est, quàm ad prædictum finem sit necessarium.

Dubium inter Auctores.

Resoluitur.

D.Tho.

4

Atque eodem modo sentiendum est de alia parte huius exceptionis, scilicet, si sacerdos non satis percepit: cùm enim confessio hæc sit necessaria propter notitiam confessoris, taliter fieri debet, vt ab ipso audiatur, & intelligatur: quare, si pœnitens ex industria, vel sciens & videns aliquid ita diceret, vt ab alio non perciperetur, confessio esset nulla, quia perinde est ac si non diceretur, & ideò iteranda. Si autem bona fide ita confessus est, nihil tenetur iterare eorum,

quæ

quæ confessor audiuit, quia confessio valida fuit, & quantùm ad illa peccata tenuit absolutio. Si autem posteà ipsi constiterit confessorem aliquid non audiuisse, illud repetendo satisfaciet, vt rectè D.Ant.3.p. tit.17.cap.15.& c.21.§.3. Et ad id tenebitur,quia materia sacramenti non est confessio dicta solùm à pœnitente,sed audita & percepta à confessore, nam hoc totum est de necessitate iudicij, & absolutionis. An verò idem dicendum sit quando confessor bene audiuit, & percepit totum factum, non tamen ius seu grauitatem eius,suprà dictum est.

Anton.

5 Quarta exceptio. Palud. Rich. Anton. Sylvest. Reprobatur.

Quarta exceptio est, quando pœnitens oblitus est pœnitentiæ impositæ antequàm illam impleat: nam ex sententia multorum tenetur iterum confiteri pœnitẽs,vt iterum pœnitentiam accipiat. Indicat Palud. B d.17.q.5.art.3.Rich.art.2.q.8.ad 4.Anton.3. p. tit. 14. cap.19.Sylvest.verb.*Confessio.*1.q.3.Fundamentum est, quia tenetur satisfactionem implere, & non potest, propter obliuionem:ergo tenetur iterum confiteri,vt alia satisfactio ei imponatur,quam impleat. Oppositam verò sententiam censeo practicè certam, & sine vllo scrupulo, non solùm quando contingit obliuio ante commissum peccatum mortale in omissione vel dilatione executionis pœnitentiæ, sed etiamsi in eo mortaliter peccauerit.Ita tenet Gabr.d.17.q.1.Caiet. in Summ.verb.*Confessio iteranda*.Medi. Cod. de Confessione.q de hac re.Soto d.20.q.2.art.2.ad 3. Maior d.17.q.6.dub.vlt.Nauar.in Sũ.c.9.11.18 & Petr.Soto lect.2.de satisfactione.Victoria.n.167.Ratio est,quia C prior confessio & absolutio valida fuit, & per se ac simpliciter effectũ habuit quantùm ad remissionem culpæ, sine dependentia à futura satisfactione: ergo quamuis satisfactio posteà non impleatur, non est vnde oriatur obligatio iterum cõfitendi illa peccata. Probatur consequentia, quia illa necessitas non est propter remissionem culpæ,quia iam ad hoc fuit medium necessarium sufficienter applicatum: nec propter remissionem pœnæ temporalis, quia potest aliis modis tolli,vel in hac vita,vel in purgatorio:nec propter transgressionem prioris præcepti à confessore impositi, quia iam propter oblivionem pœnitens factus est impotens ad implendum illud: nec tenetur aliud instituere, vel suscipere loco illius, quia humana præcepta ad hoc non obligant: imò nec votum, quidquid Palud.censeat:nam qui factus est impotens ad implendum votum, non tenetur in aliud commutare, sed omninò excusatur, & qui ieiunare non potest die præcepto,non tenetur dare eleemosynam, vel quid simile:sic ergo in præsenti.In illo ergo casu, si quis peccauit omittendo satisfactionem, solùm tenebitur peccatum illud cum aliis posteà commissis confiteri.

Gabr. Caiet. Medin. Soto. Maior. Nauar. P.Sot. Victoria.

6 Quinta exceptio.

Quinta exceptio est, quando pœnitens generaliter confitetur, etiamsi omninò voluntariè id faciat, quia licèt simpliciter non teneatur iterum confiteri peccata priùs ritè confessa; supposito tamen quòd generaliter vult confiteri, & ita dicit confessori, te- E netur confiteri omnia peccata,quæ cõmisit illo tempore,de quo confitetur, etiamsi ritè illa cõfessus iam fuisset. Ita tenet Victoria in Summ. n. 166. quem sequitur Ledesma 2.p.4.q.8.art. 2. dub. 15. Quorum fundamentũ est, quia aliàs pœnitẽs decipit confessorem in re graui.Ex quo fundamento infertur,si pœnitens non decipiat confessorem, vt si apertè dicat se nolle omnia exactè dicere, sed aliqua ad maiorem quietem conscientiæ, tunc nihil peccare. Et in hoc nullum est dubium, quia nulla est ibi ratio peccati, vel alterius obligationis.

Victoria. Ledes. Duo inferuntur. Primum.

7 2.quo secunda exceptio corruit.

Rursus, etiamsi absolutè dicat se velle confessionem generalem facere, & aliquid graue iam ritè confessum taceat,non censeo esse peccatum mortale, A quod colligitur etiam ex Auctoribus suprà citatis. Et specialiter indicat Medin.de Confes.q.14. quæ est de confessione casuum reseruatorum, notab. penult. & Nauar. in Summ.cap.21.n.38.Ratio est, quia vel illa non est propria deceptio, vel licèt sit, non est grauis, quia mendacium illud non est contra ipsum sacramentum, cùm nihil omittat, quod simpliciter sit de necessitate sacramenti, neque efficit, vt illud sacramentale iudicium iniustè fiat,& sine debita æquitate: quia confessor tantùm debet iudicare de his,quę pœnitens confitetur, &, si in illis seruet æquitatem, seruat in omnibus, quæ simpliciter necessaria sunt. Neque aliunde mendacium illud est pernicioſum: quia neque ipsi confessori, neque alteri graue nocumentum infert, & ad summum esse potest quædam simulata hypocrysis, dum cõfessor existimat pœnitentem in longiori tempore pauciora peccasse, quàm reuerà peccauerit, quæ non est materia grauis,quia non est pernicioſa, nec inferens iniuriam sacramento admodùm grauem. Vnde Caietanus verb. *Confessio.* & alij Caiet. fatentur, si quis dicat confessori se velle confiteri omnia venialia peccata, quæ post vltimam confessionem commisit, licèt aliquod taceat, non peccare mortaliter. At verò peccatum mortale semel ritè cõfessum in ordine ad iterandam confessionem perinde ferè se habet ac peccatum veniale, quia similiter non est materia necessaria confessionis: igitur, per se loquendo, nullum in hoc est peccatum mortale, sed solùm veniale.

Medina. Nauar.

8 Vltima exceptio. An possit Ecclesia præcipere, vt peccata semel confessa iterum confiteantur. Sententia affirmatiua. Hentic. Maior. Sylvest. Sententia negatiua. D. Thom. Duran. Almai. Palud.Cist. Nauar.

Vltima exceptio, nisi intercedat præceptum humanum, aut vorum obligans pœnitentem ad huiusmodi confessionẽ.De quo multa disputant Theologi, scilicet, an possit Ecclesia hoc præceptum imponere. Aliqui enim absolutè affirmant, vt Henric. quodlib.10.q.1. & Maior d.17.q.6.& Sylvest. dict.q. 9. Imò non defuerunt qui dicerent, ex vi cap. *Omnis vtriusque sexus*, obligari de facto fideles ad hoc, si infrà annum aliqua peccata confessi sunt non propriis sacerdotibus,sed aliis ex priuilegio.Sed illa sententia nimis falsa est, vt infrà suo loco videbimus.Alij ergo absolutè negant esse potestatem in Ecclesia ad imponendum tale præceptum,D.Thom.quodlib.1. art.12. D Durandus distinct. 17.q.15. Almain. q. 1. Palud.q.5. Dion.Cister,dist.23.Nauar.qui refert alios,dicto cap. 9.in principio.Fundamenta omitto,quia similia afferam sect.sequente in simili dubio.

9 Vera solutio quæstionis cum distinctione.

Ego breuiter sentio duobus modis posse intelligi hanc obligationem. Primò præcisè ob integritatem, & perfectionem sacramenti: secundò ob aliquem vsum eius, propter rationem aliquam religiosam & honestam. Priori modo sine dubio videtur dicenduin, non posse eam obligationem imponi, vel quia materia, non pertinens ad essentiam sacramenti ex Christi institutione, non potest per alterius hominis voluntatem fieri de substantia, vel perfectione sacramenti: vel quia illa causa iam terminata est, & ideò non potest ad perfectionem iudicij iterum per se pertinere: vel denique quia aliàs posset semper & peccatorum omnium iterata confessio exigi, etsi millies fieret, quia non est maior ratio de secunda, quàm de tertia, vel qualibet alia repetitione: illud autem perabsurdum est.

10 Dubitationi satisfit.

De posteriori autem modo potest esse nonnulla maior dubitatio, & ideò iterum distinguendum est. Quia duobus modis potest intelligi hæc obligatio: primò ex absoluta voluntate alterius præcipientis: secundò ex suppositione aliqua,quæ includat voluntarium consensum, & quasi pactum initum cum ipso pœnitente. De hoc modo posteriori non dubito, quin possit hæc obligatio suscipi à peccatore, primò per votum: potest enim aliquis voto se obligare v.g.

ad generalem confessionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni, etiamsi sæpiùs ritè cõfessus sit, quia talis vsus sacramenti est bonus, & potest esse in consilio: actus autem huiusmodi potest esse materia voti. Deinde ratione status voluntariè assumpti quasi sub hac conditione, potest esse eadem obligatio, vt si in aliqua religione sit statutum generaliter confitendi semel in anno de rebus illius anni, vt referunt Auctores citati esse in religione Cistercienſi, etiam sub obligatione ad mortale. In quo non video repugnantiam, quanuis non iudicem esse consulendum, quia est plus periculosum, quàm vtile: vnde satis est, si proponatur vt regula conferens ad perfectionem. Præterea hoc modo est vsitatum in Ecclesia, vt in casibus reseruatis detur facultas pœnitenti, vt propter necessitatem aliquam possit confiteri sacerdoti inferiori sub conditione comparendi posteà coram superiore, ad quem per se talis casus pertinebat, de quo dicemus infrà agentes de casibus reseruatis. At verò priori modo dicendum est, secluso consensu & voluntate pœnitentis, non posse hanc obligationem absoluto præcepto imponi. Ratio potissima est, quia hæc est propria materia consilij, & ideò per se non cadit sub præceptum humanum. Item quia est res valdè difficilis, & nullus potest esse finis, vel nulla necessitas propter quam expediat tale præceptum imponere: quod magis constabit ex his, quæ dicam sect. sequente, vbi Auctores referam.

## SECTIO VIII.

### *Vtrùm pertineat ad integritatem confessionis venialia peccata confiteri.*

1 Veritas catholica est, non esse necessariũ venialia confiteri. Conc. Tri.

VERITAS certa & catholica est non esse necessarium confiteri venialia peccata, vt integra sit confessio. Ita definit Concilium Tridentinum, sess. 14. ca. 5. & can. 7. Constátque ex suprà dictis de materia remota, vbi ostendimus, hæc peccata esse materiam sufficientem, non tamen necessariam. Ratio à priori est Christi institutio, de qua nobis per traditionem, & Ecclesiæ declarationem constat. Congruentia verò est, quia hæc peccata sunt leniora, & non causant naufragium animæ: pœnitentia verò solùm est simpliciter necessaria post naufragium. Item quia aliud esset difficillimum, peccata venialia facilè multiplicentur. Item quia propter hanc causam ante hoc sacramentum non erat necessaria formalis pœnitentia ad remissionem horum peccatorum: hoc autem sacramentum, cùm sit sacramentum pœnitentiæ, solùm propter illa peccata necessarium esse debuit, propter quæ necessaria erat pœnitentia. Rursus ex D. Tho. suprà q. 85. art. 1. ad 8. quia ad remissionem venialium per se non est necessaria infusio gratiæ: & ideò non oportet institui aliquod sacramentũ, quod est gratiæ instrumentum, vt necessarium ad illorum remissionẽ. Ex quo intelligimus, posse sine vllo peccato confessionem horum peccatorum venialium omitti, vel omninò, vel ex parte, pro arbitrio pœnitentis. Quod expressè etiam docuit Concilium Tridentinum dicens, esse vtile, & honestum hęc confiteri: posse tamen sine culpa omitti. Neque in hac generali doctrina traduntur aliquæ exceptiones.

D. Tho.

Trident.

2 An possit Ecclesia præcipere confessionem venialium.

Solùm solet hîc dubitari, an possit Ecclesia præcipere confessionem venialium. Nam aliqui Theologi simpliciter negant, vt Palud. d. 17. q. 2. art. 4. Sylueſter verb. *Confessio.* 1. q. 13. latè Sot. d. 18. p. 1. ar. 3. circa fin. Alij verò Theologi affirmant posse Ecclesiam imponere hanc obligationem confitendi venialia peccata. Ita sentit Alens. 4. p. q. 77. memb. 1. ar. 1. & 2. & memb. 2. art. 5. aliàs q. 18. memb. 4. p. 8. §. 5. D. Tho. etiã in 4. d. 5. art. 1. q. 3. videtur aperte supponere hoc esse in potestate Ecclesiæ. Et Bonau. d. 17. art. 4. q. 1. Rich. ar. 2. q. 4. ad 1. Sed inter hos Auctores videtur esse nõnulla æquiuocatio, quia non distinguunt illos duos modos obligationis, quos in sect. præc. vltimo loco posui. Vnus dici potest quoad specificationem actus, nimirum si confessio venialium exigatur, vt confessio integrè & perfectè fiat, etiamsi pœnitens habeat mortalia peccata de quibus confiteri possit. Alius dici potest quoad exercitiũ actus confitendi & suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, vt si Ecclesia præcipiat, vt omnes fideles tali die, vel tempore confiteantur, siue habeant mortalia peccata, siue venialia tantùm.

Negant Palud. Sylueſt. Soto.
Affirmant Alens. D. Tho. Bonau. Rich.

Dico ergo primò, Ecclesiam non posse obligare fideles priori modo ad confitenda venialia peccata, sicut in simili diximus de mortalibus confessis. Hoc ad summum probant rationes Soti. Præcipua est, quia Ecclesia non potest mutare materiã sacramenti: ergo nec facere materiam necessariam, quæ iuxta Christi institutionem necessaria non est. Sed instari potest, quia ex aliis materiis, aliàs sufficientibus, potest Ecclesia vnam definire, & præscribere sub præcepto, vt in Ecclesia Latina determinauit consecrationem fieri in azymo, & non in fermentato. Respondetur, esse dissimilem rationem, quia in præsenti quædam materia est simpliciter necessaria de iure diuino, scilicet peccatum mortale non confessum: & ideò quando talis materia reperitur, non potest Ecclesia aliam addere, vt necessariam. Quòd si aliquando ex præcepto Ecclesiæ aliquid adiungitur materiæ necessariæ, vt in consecratione calicis gutta aquæ additur vino, illud non est vt illa sit materia, vel pertineat ad integritatem eius; sed est aliqua sacra cæremonia propter aliquam significationem: quod in præsenti locum non habet. Vnde etiã sumitur alia differentia, quòd in aliis sacramentis illa materię determinatio solet fieri propter aliquã solemnitatẽ, vel reuerentiã in publico vsu sacramenti, vel certè propter significationem: neutra autem ratio habet locũ in confessione. Accedit, quòd in hoc sacramẽto ex necessitate pręcepti sequitur necessitas sacramenti, secluſa ignorantia, vt in superioribus dictum est; quod non sequitur in aliis: & ideò maiori ratione nõ debet Ecclesia pręcipere aliquid vt necessarium ad integritatẽ huius sacramẽti, quod per se necessariũ non sit. Denique hoc sacramentũ per se primò ordinatur ad remissionem culpæ; & ideò illa culpa, ad cuius remissionẽ non est necessariũ hoc sacramentum, non potest fieri materia necessaria eius.

3 1. conclusio.

Instantia.

Soluitur.

Atque hęc assertio multò certior est, si intelligatur de omnibus venialibus peccatis, quia obligatio ad confitenda omnia esset intolerabilis: ea verò quæ huiusmodi sunt, nõ possunt generatim præcipi vniuersæ Ecclesiæ: hac enim ratione, ea, quæ sunt materia consilij, non possunt in præcepto constitui; inter illa verò meritò ponitur confessio omnium venialiũ. At verò, si sermo esset de vno vel alio veniali, nõ est adeò improbabile, quòd possit Ecclesia ad eius confessionem obligare directè, id est, ad confitendũ illud, etiãsi cum aliis esset cõiunctum: nam interdum fert aliquã censuram pro veniali peccato, scilicet, minorem excommunicationẽ, ad cuius censuræ absolutionẽ necessaria est manifestatio talis peccati. Nihilominùs tamen verius censeo illud non posse præscribi per se, propter sacramentalem confessionem, tanquàm necessarium ad integritatem eius, propter rationes factas: & quia talis cõfessio nec ad remissionem venialis peccati est necessaria, cùm aliis modis sufficienter tolli possit, neque etiam potest præcipi propter correptionem, vel emendationem talis peccati, quia est materia

4

leuis;

leuis; & medicina adeò rigorosa non est proportionata, saltem vt ponatur sub præcepto. Denique neque ad decentiam, vel reuerentiam sacramenti potest hoc esse necessarium, vt per se patet. Nec obstat illud de censura, quia ad tollendam censuram non est necessaria sacramentalis confessio culpæ: quòd si quis ea vti velit propter maius secretũ, id est accidẽtarium.

5 Vltima conclusio.

Dico verò vltimò, posse Ecclesiam absolutè præcipere vsum huius sacramenti, ita vt indifferẽter omnes obliget ad illud recipiendum, siue habeant conscientiam peccatorum mortalium, siue tantùm venialium. Hoc tantùm intendũt Auctores posterioris sententiæ. Et probatur, quia in eo præcepto nihil est alienum ab institutione huius sacramẽti, neque continet aliquid adeò difficile, vt excedat materiam præcepti; sed est quoddã opus religionis, quod à fidelibus frequenter, & facilè exercetur, & in aliqua occasione potest prudenter iudicari valdè cõueniens ad placandum Deum in cõmuni & publica necessitate, vel ad alium similem finem: cur ergo non poterit Ecclesiasticus Prælatus, & præsertim Summus Pontifex, illud præcipere? Sicut etiam precipere posset, vt omnes communicẽt etiam extra tempus aliàs præscriptum, sicut præcipit ieiunium, vel aliquid simile. Est etiam aliud exemplum: nam iuxta probabilem sententiam Confirmatio, vel Extrema vnctio ex vi solius diuini iuris non sunt in præcepto; & tamen nemo negabit posse Ecclesiam precipere vsum talis sacramenti, maximè occurrente aliqua extraordinaria & rationabili causa: ergo similiter in præsenti. Neque contra hoc procedunt rationes prioris sententiæ: nã per hoc præceptum non fit veniale peccatum necessaria materia, neq; de integritate huius sacramẽti, quia nemo obligabitur tunc ad cõfitenda omnia venialia, imò neque aliquot illorum, si habeat aliud peccatum etiam iterum confessum: solùm ergo imponitur necessitas in exercitio, & vsu sacramenti: & hæc per Ecclesiam adiungi potest aliquando, etiamsi de iure diuino non sit.

6 Obiectiones.

Sed contrà est, quia non potest Ecclesia obligare ad faciendam cõfessionem de peccatis ritè confessis; ergo nec de venialibus. Item nõ potest facere, vt confessio venialis peccati sit necessaria ad remissionem eius, quia non potest tollere alia media sufficientia ex opere operantis ad hũc effectum, neque etiam potest præcipi cõfessio alicuius peccati, nisi ob remissionem eius, quia ad hoc solùm est institutum: ergo. Tandem, quia aliàs posset Ecclesia hoc modo præcipere confessionem omnium venialium.

7 Satisfit obiectionibus.

Respondetur, inter peccata venialia secundùm se, & alia ritè confessa in hoc esse differẽtiam, quòd semper homo habet aliam materiam huius sacramenti, præter illa peccata confessa, nimirum aliqua venialia, & ideò, moraliter ac regulariter loquendo, etiãsi vsus huius sacramenti simpliciter præcipiatur, non est necessaria confessio talium peccatorum, sicut posset esse confessio venialium. Et licèt verum sit primarium finem huius sacramsti esse remissionẽ peccati; nihilominùs tamen sunt alij fines, propter quos precipi potest vsus huius sacramenti, ad maiorem conscientiæ securitatem, & puritatem, & ad cultũ Dei, & ad placandum ipsum, & ad impetrandum aliquid ab eo, ac denique propter aliquod bonum commune Ecclesiæ. Ad vltimum negatur sequela, quia confessio omnium venialium cùm necessaria nõ sit ad integritatẽ huius sacramenti, neque ad vsum & susceptionem eius, potest esse necessaria: & ideò nec directè præcipi potest, vt dictum est, neque indirectè & consequenter præcipiendo vsum sacramẽti. Secus verò est de cõfessione venialium absolutè & simpliciter, quæ interdum necessaria esse potest ad vsum huius sacramenti.

Suarez Tom. 4.

A Dices, per votum posse se aliquẽ obligare ad confessionem venialium etiam omnium. Soto suprà simpliciter reprehendit huiusmodi votum cõfitendi venialia. Ego verò in primis nego consequentiã: quia, vt suprà dixi, plura possunt sub votum cadere, quàm sub præceptum, nempe opera perfectionis & cõsilij. Deinde votum confitendi venialia, quod tantũ indirectè ad hoc obligat quando non est alia materia, quia est votum toties, vel cum tali frequentia confitendi, non solùm non esse reprehensibile, verùm potiùs esse valdè laudabile, vt à fortiori cõstat ex dictis. Votum autem confitendi directè venialia, etiam existente alia materia, si sit de omnibus venialibus absolutè, & simpliciter non est consulendum, neque laudandum, B quia esse potest periculosum, & moraliter est ferè impossibile. At verò votum confitendi aliquod veniale in particulari, præsertim, quod ex deliberatione fit, & facilè cognosci, & explicari potest, & cuius correctio ad magnum bonum animę pertinere potest, illud facilè potest esse votum prudens & cõsulendum, quia est de meliori bono, & vtile, & moraliter non affert graue periculum, nec insuperabilem difficultatem. De illius autem obligatione, constat ex genere suo esse ad mortale, in particulari verò iudicium erit iuxta materiæ grauitatem. Occurrebat tamen statim hoc loco quæstio, an hoc præceptum ecclesiasticum, quod diximus esse possibile, de facto impositum sit. Sed de hac re dicemus infrà in proprio loco, agentes C de præcepto Ecclesiastico confessionis.

8 Instantia.

Resoluitur.

## SECTIO IX.

### *Vtrùm sit de integritate confessionis confiteri peccata dubia.*

1 1. Propositio. D. Tho. Palud. Richard. Sotus. Medin. Nauarr. Sylvest. Victoria.

IN hac re communis doctrina in tribus propositionibus consistit. Prima est, necessarium esse confiteri dubia peccatorum mortalium. Ita D. Th. d. 17. q. 3. ar. 1. & d. 21. q. 2. art. 5. ad 3. & ibi Pal. q. 2. circa fin. Ric. d. 16. art. 5. q. 1. Sot. d. 18. q. 2. art. 4. Medi. Cod. de Confess. q. de cõfess. facta prauo sacerdoti. Nauar. c. 9. n. 14. Sylu. verb. *Confessio*. 2. q. 2. Vict. nu. 130. & alij Summistę. Ratio cõmunis est, quia in dubiis tuta pars D est eligenda, si quis autem omittat confiteri peccatum in hoc dubio, exponit se periculo omittendi aliquid, quod verè cõmisit; si autẽ illud dicat, nulli periculo se exponit; ergo tenetur eã partem eligere tanquàm tutam. Præterea Concilium ait confitẽda esse omnia peccata mortalia, quæ sunt in conscientia: ergo ita sunt confitenda, sicut sunt in cõscientia: sed in eo casu sunt in conscientia, saltem dubia: ergo ita confitenda sunt, saltem vt illo modo possit iudex de illis iudicare, & ex cõiecturis arbitriũ ferre de qualitate talis peccati. Tandem in eo casu secluſa cõfessione, tenetur homo habere contritionem de tali peccato saltem ratione E periculi: sed quod est de necessitate contritionis, est etiam de necessitate confessionis, vt suprà dixi; ergo.

2 Secũda propositio.

Secunda propositio est, hæc peccata vt dubia confitenda esse, & non vt certa, ne decipiatur confessor in re graui. Nam valdè diuersum iudicium ferendum est de peccato dubio, quàm de certo: & quia in rigore, & moraliter loquendo, dicere dubium pro certo, mendacium est: confessio autem debet esse fidelis & vera. Item in iudicio quolibet testis interrogatus non potest vt certam affirmare rem sibi dubiam, estque id ex suo genere peccatum mortale: idem ergo in præsenti dicendum est. Vnde omnes Auctores citati sentiunt, hoc esse simpliciter necessariũ, quanquàm interdum possit facilè excusari pœnitens, si bona fide, & ex quadam simplicitate aliter confiteatur, vt specialiter aduertunt

Caiet. Victoria.

uertunt Caietanus, & Victoria. Oportet tamen considerare, hoc dubium triplex esse posse. Primò, an de illo peccato aliàs certo facta sit confessio, nécne. Secundò, cùm constet de facto, dubium esse potest an sit mortale, vel veniale. Tertiò, potest esse dubium de facto. In primo ergo casu, licèt quis possit, non tenetur explicare dubium; quia factum est certum, & an fuerit confessum, nécne, nihil refert ad præsentem confessionem: in aliis verò duobus casibus procedit dicta doctrina.

3 Tertia propositio.

Tertia propositio est, quando materia sic est dubia, adiungendam esse materiam certam, ne sub conditione tantùm perficiendum sit sacramentum: hoc enim vitandum est quoties fieri potuerit.

## *Quale debeat esse dubium, vt hæc obligatio oriatur.*

4

Solvm superest vt exponamus quale debeat esse hoc dubium, vt hæc oriatur obligatio. Et ratio difficultatis est, quia homo interdum dicitur dubitare, quia non habet certitudinem, etiamsi habeat iudicium probabile, quod formidinem non excludat. Aliquando verò dicitur homo dubitare, quia nullum assensum proferre potest in alterutram partem: & tũc maximè videtur difficile obligare hominem. Primò, quia in simili dubio de obligatione præcepti non tenetur homo seruare præceptum: sed in præsenti si homo dubitat hoc modo de suo peccato, consequenter dubitat de obligatione confitendi illud: ergo non tenetur subiici illi obligationi. Secundò, quia hîc videtur habere locum illud principium, *In dubijs melior est conditio possidentis*: sed homo possidet bonam famam & libertatem suam: ergo in hoc dubio præferendus est, vt nihil contra se agere teneatur. Denique si hoc dubium negatiuum sufficeret ad hanc obligationem, vix esset pax in conscientiis, quia facillimo negotio oriuntur hæc dubia.

5 Respõdetur ad quæstionem.

Respondeo, tres gradus posse esse in hoc genere dubij. Primus est, quando homo probabiliter iudicat vnam partem, & de alia nõ habet iudicium probabile, sed suspicionem aliquam, vel timorem, aut formidinem: & tunc non est dubium quin homo possit, vel debeat sequi tale iudicium; ita vt si iudicet probabiliter se peccasse mortaliter, vel nunquàm esse confessum tale peccatum, teneatur illud cõfiteri. & è conuerso si oppositum iudicat, exoneretur tali obligatione. Ratio est suprà tacta, quia tale iudicium est sufficiens ad regulandam humanam actionem: nam ex illo, quamuis speculatiuè incertum sit, colligitur iudicium certũ practicè de rectitudine actionis, vel omissionis sufficiẽs ad actiones humanas: quia maior certitudo regulariter excedit hominis vires: quod à fortiori patebit ampliùs ex sequenti puncto.

6 Nauarr.

Secundus gradus est, quãdo pro vtraque parte habet iudicium probabile, quanuis in alteram cum maiori, vel minori probabilitate inclinet: & tunc videtur res dubia, quia illud est probabile dubium, de quo loqui videntur Auctores, & præsertim Nauarrus c. 9. nu. 14. Nihilominùs assero, quoties homo iudicat probabiliter se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, etiamsi in contrarium habeat coniecturas etiam probabiles, posse conformari priori iudicio, vt non teneatur tale peccatum cõfiteri. Ita docuit in terminis Syluester verb. *Confessio*. 2. q. 2. Ratio verò est, quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem, non obstante contraria probabili, vel etiam probabiliori, quando in rebus ipsis non imminet aliquod periculum, vt latiùs tractatur in materia de Conscientia 1. 2. qu. 19. & 20. Et ratio est illa iam tacta, quia rarò potest homo plenam certitudinem de rebus assequi: & ideò illud iudicium pro capacitate hominis censetur sufficiens ad inferendam practicam certitudinem. Et hoc etiam confirmant omnes rationes dubitandi positæ. Et declaratur ampliùs: nam si pœnitens dicat confessori se habere tale iudicium de tali peccato, & velle sequi illud, cõfessor debet conformari illi in hoc, sicut in aliis rebus probabilibus: ergo à fortiori poterit pœnitẽs illud omittere. Item, si à principio habuisset tale iudicium circa talem actum de quo controuertitur, an sit peccatum, nécne, posset illud sequi sine peccato, & quando sunt opiniones probabiles, an in tali casu teneat confiteri hoc peccatum, nécne, possum sine peccato id omittere: ergo similiter in dicto casu.

7

Tertius igitur gradus est, quãdo homo habet probabiles rationes dubitandi, & non potest determinari ad ferendum iudicium probabile pro altera parte: & in hoc euentu procedit propriè communis doctrina, & de illo loquitur Nauarrus suprà: & solùm probatur rationibus à principio factis. Ad obiectiones verò in contrarium respondeo, huiusmodi hominem in illo casu dubitare practicè de obligatione cõfitendi: neque enim ex dubio speculatiuo semper infertur practicum: nam potiùs est certum in huiusmodi dubio esse sequendam partem securam, & tollentẽ omne periculum. Illud verò principium, quòd in dubijs melior est conditio possidentis, non rectè hîc applicatur: quia non obligatur homo ad aliquid, quod excedat dubium, sed solùm ad dicendum sub dubio id quod dubium est, de quo propriè loquendo nullum est dubium: quia & ipsum dubium certum est, & certum est etiam integritatem huius iudicij postulare cognitionem huiusmodi dubiæ conscientiæ pœnitentis: vnde nullum imponitur onus, quod ipsam rationem dubij excedat, & aliàs seruatur integritas iudicij. Negatur ergo illa consequentia. Dubitat an peccauerit mortaliter: ergo dubitat an confiteri debeat huiusmodi dubium: nam potiùs hoc ipso, quòd dubitat de peccato mortali, certus est illud dubium esse dicendum in confessione.

Obiectionibus suprà positis satisfit.

Regula, in dubiis melior est conditio possidẽtis, declaratur.

## SECTIO X.

### *Vtrùm sit contra valorem, debitámque confessionis integritatem aliquid addere præter facti veritatem.*

1 Quid sit integritas.

Integritas rei, propria ac perfecta (vt per analogiam ad res naturales loquamur) sicut includit consummatum numerum partium omnium, quæ tali rei debitæ sunt, ita etiam excludit omnes alias, quæ tali rei non debentur, eámque monstrosam potiùs reddunt, quàm integram. Ad hunc ergo modum de integritate confessionis philosophamur: & ideò, postquàm visum est quid requiratur, vt confessio mutila non sit, superest videndum, quid sit ab illa resecandum, ne monstrosa sit. Est autem generaliter verum, omnia illa, quæ materia confessionis non sunt, nec ad finem eius quidquam conferunt, esse à cõfessione resecanda, etiamsi vera sint, quia, cùm confessioni non sint necessaria, nec vtilia, eam superfluè onerant potiùs, quàm integrent vel perficiant. Nihilominùs tamen ex hoc solo capite nunquàm fit nulla cõfessio, neque grauis iniuria illi fit, quandiu veritas narratur: & ideò nihil aliud in speciali circa hoc dicere oportet, nisi quòd hęc omnia omittenda sunt, quæ ad confessionem non conferunt, vel ad finem eius, possęque saltem venialiter peccari narrando superflua, etiamsi

vera

vera sint. Peccatum autem graue tunc solùm hac de causa misceri posse, quando vel id, quod dicitur, cedit in grauem iniuriam alterius, vel constituit pœnitentem, aut confessorem in aliquo graui periculo peccandi, vel denique quoties per se esset graue peccatum, etiamsi extra confessionem diceretur.

2 Quale peccatum sit, in confessione mentiri. Circa tria potest mentiri in confessione.

Tota ergo difficultas præsens est, quando mendacium admiscetur, & ideò videndum est quale peccatum sit in confessione mentiri, & an ex hac parte possit esse nulla. Duobus ergo modis potest mendacium contingere in confessione: primò negando quod factum est: secundò affirmando, vel confitendo quod factum non est: & hoc posterius maximè ad præsens pertinet; obiter tamè etiam expediemus illud primum. Deinde circa tria genera rerum potest in confessione B mentiri: primò circa eas circunstãtias, quæ nullo modo pertinent ad materiam confessionis: secundò circa materiam non necessariam, vt sunt peccata venialia: tertiò circa materiam necessariam, vt sunt mortalia.

3 Circa primum.

Circa primum genus rerum, per se loquendo, non est peccatum mortale, nec contra valorem confessionis miscere aliquod mendacium, siue affirmando, siue negando: sed est veniale grauius quàm esset simile mendacium extra illum actum. In hoc conueniunt omnes Doctores citandi. Ratio prioris partis est, quia illud mendacium concomitanter tantùm est in sacramento, & non fit materia eius, & ideò non continet grauem iniuriam. Ratio verò alterius partis C est, quia hæc ipsa concomitantia est aliqualis indecentia contra sacramentum.

4 Circa secundam.

Circa secundam materiam vnum est certum, scilicet, mentiri in materia non necessaria negãdo factũ, non esse peccatum mortale, nec contra substantiam sacramenti. In quo etiam omnes conueniunt, quos statim referemus, præsertim Soto in Opusc. de Secreto, memb. 2. q. 7. vbi contrarium tribuit Caietano, qui 2. 2. quæst. 69. art. 1. docere visus est omne mẽdacium, etiam aliàs veniale, dictum in iudicio, vel externo, seu forensi, vel in interno, seu sacramentali, esse mortale. Quæ sentẽtia est sine dubio falsa, & quod attinet ad iudicium forense, alibi tractanda est: quod verò pertinet ad hoc sacramentum, ab eodem Caietano, vel declarata, vel retractata est in Sũma verb. *Confessio*, conditione vlt. vt non procedat in casu posito, sed in tertio statim tractãdo. Ratio verò huius partis clara est, quia hoc mendacium non est pernicioſum, neque grauiter iniurioſum ipsi sacramento, quia cum illo stare potest vera materia & forma, & dispositio necessaria ad effectum; & aliàs non decipit confessorem in re necessaria, & graui: ex nullo ergo capite hîc probabiliter apparet malitia mortalis.

Sotus.

Caietani opinio reiicitur. Caietan.

5 Quin potiùs addo, licèt omnes Auctores dicãt hoc esse peccatum veniale, & ita verum sit supponendo esse mendacium, vt fortasse regulariter est, saltem ex conscientia erronea; tamen si quis sciat prudenter respondere, & ad mentem, quæ in interrogante esse debet, facilè posse vitari mendacium, & peccatum ve- E niale. Nam, quando iudex non interrogat iuridicè, nõ mentitur aliquis negando factum, etiamsi illud fecerit, quia non censetur simpliciter negare se fecisse, sed negare ita fecisse, vt teneatur in illo foro illud reuelare: nam interrogatio iudicis vt sit iusta, ita intelligenda est, & negatio illi cum proportione respõdet: cùm autem cõfessor interrogat in hoc sacramento, interrogat vt iudex: si ergo interroget de re non necessaria, & quam pœnitẽs reuelare nõ tenetur, potest pœnitens illam negare absque mendacio, in sensu dicto proportionaliter applicato. Hinc verò fit, si quis dicat hoc mendacium non interrogatus, sed proprio arbitrio, non posse à peccato veniali excusari, neque à mendacio, quia nec verba admittunt alium legiti- A mum sensum, neque esse potest aliqua rationabilis causa illam intendendi, aut fingendi.

---

*Dubium de peccato veniali confesso, & non commisso.*

MAIVS verò dubium est quando mendacium 6
est affirmatiuum de peccato veniali, quod aliquis non commisit: & tunc si materia illa esset totalis, manifestum esset sacrilegium, & peccatũ mortale, quia nullum fit sacramentũ. Sed difficultas est quando illa materia est tantùm partialis, scilicet, quia inter alia vera peccata pœnitens confitetur aliquod veniale, quod verè non commisit. Et de hoc est multorum opinio, tale mendaciũ semper esse mortale peccatum. Opinio.
Vnde fit, talem confessionem esse nullam & ex defectu doloris, & ex defectu integritatis: quia illud ipsum peccatum non confitetur pœnitens: nam, si illud confiteretur, iam destrueret falsam confessionem venialis peccati. Citatur pro hac sententia Richard. Richard. in 4. d. 21. art. 3. q. 4. sed ibi solùm dicit esse peccatum. Palud. Palud. verò q. 2. n. 12. addit esse mortale. Bonauent. 2. Bonau. par. distinctionis art. 1. quæst. 2. obscuriùs dicit tollere Caiet. meritum confessionis. Latiùs & clariùs Caietanus in Ledesm. Summa verb. Confessio. condit. 4. & iuxta ea, quæ ibi Armill. dicit, intelligendum videtur quod generaliùs dixit 2. 2. q. 69. art. 1. omne mendacium in confessione esse peccatum mortale. Tenet etiam Ledesm. 2. p. 4. q. 5. ar. 4. dub. 4. & Armilla verb. *Confessio*. n. 5. Fundamentum esse debet, quia supponere formæ sacramenti materiam falsam, siue integram, siue partialem, est peccatum mortale: sed ita fit in illo casu: ergo. Maior patet, primò, exemplo à simili, si quis ad consecrandum poneret plures hostias, quasdam triticeas, alias hordeaceas: nam sine dubio peccaret mortaliter. Secundò ratione, quia efficitur forma falsa, quia sensus formæ est vniuersalis respectu materiæ in quam cadit, vt in exemplo adducto cùm dicitur, *Hoc est corpus, &c.* illud, *Hoc*, designat totam materiam præsentem, de qua falsò dicitur esse corpus: & similiter in præsenti D verbũ *Absoluo*, significat absolutionem ab omnibus peccatis confessis, quod est falsum, si aliquod peccatum reuerà commissum non fuit, nam ab illo nemo absolui potest. Vnde concluditur tertiò, hanc esse grauem iniuriam, & irreuerentiam sacramenti; ergo peccatum mortale: nam ex suo genere tale est, cùm sit sacrilegium, & in individuo semper habeat materiam, & circunstantias graues.

Fundamentum primæ opinionis.

Nihilominùs est secunda sententia, quæ negat esse 7
peccatum mortale, per se loquendo, hoc est, secluso scandalo, & contemptu. Tenet Angelus verb. *Confessio*. 1. n. 16. & 17. & Sylvest. ibi q. 8. Soto dist. 18. q. 2. art. 4. & Petrus Soto lect. 10. de Pœnitentia, & Nauarr. cap. 21. num. 37. Nobisque necessarium est, consequenter loquendo, idem sentire: nam suprà diximus, confiteri aliquod veniale sine proposito emendæ, vel dolore, non esse peccatum mortale, quando non est materia integra: est autem eadem ratio vtrobique, quia etiam illa materia est suo modo falsa, & quæ non potest informari per formam. Vnde è conuerso sumimus argumentum: nam, si hoc non obstante, illud non est peccatum mortale, neque hoc etiam erit: ratio verò esse debet, quia licèt hoc sit sacrilegium, tamen materia eius leuis est, & ideò ex hoc capite est veniale. Minor probatur, quia in primis confessor decipitur in re leui. Deinde ille defectus, vel falsitas, est in materia non necessaria, & quæ non excludit materiam necessariam, quia non obstante illo mendacio, potest quis integrè, & cum

Angel. Sylvest. Sotus. Pet. Soto, Nauarr.

vero dolore confiteri omnia mortalia peccata. Denique non omninò repugnat veritati formæ.

§ In quo est aduertenda differentia inter formam Eucharistiæ, & huius sacramenti: nam illa per se primò respicit materiam, & illam designat, & effectum circa illam significat: vnde quacunque ratione supponatur materia falsa, & falsificatur forma, & substantialis effectus impeditur: forma verò huius sacramenti per se primò significat personam, & effectum circa illam, vt patet ex illis verbis, *Ego te absoluo*: & principaliter significat effectum gratiæ remissiuæ peccati, qui non impeditur, etiamsi aliquod peccatum veniale remissibile non sit, ex falsitate, vel indispositione pœnitentis: ergo non obstante illo defectu, potest forma esse vera, & remittere omnia mortalia. Quod satis est, vt homo simpliciter absolui dicatur: sicut dicitur simpliciter iustus, qui habet gratiam, etiamsi habeat venialia peccata. Et potest hoc declarari à simili. Nam si quis in conficiendo Baptismate misceret aquæ naturali guttam aquæ rosaceæ, quæ est falsa materia, nihilominùs conficeret verum sacramentum, & formam in vero sensu proferret: vnde, per se loquendo, non peccaret mortaliter, si absque errore, vel intentione falsi ritus, indiscreta deuotione id faceret: ergo similiter in præsenti. Vnde simul responsum est fundamento contrario.

Satisfit contrario fundamento.

Aliqui verò hoc limitant, nisi pœnitens hoc mendacium dicat, intendendo vt peccatum illud sit materia absolutionis. Sed non oportet hoc addere: quia, licèt pœnitens in hoc intendat decipere confessorem, non peccabit mortaliter, & hoc probant omnia adducta: nec potest aliter intendere quòd sit materia absolutionis in re ipsa, sed quòd putetur esse: & hoc dicimus non esse mortale.

9 Limitatio quorundam reprobatur.

Circa tertium de mendacio in materia necessaria, scilicet, peccato mortali non confesso, certum est ex omnibus supradictis, mendacium negatiuum in tali materia semper esse mortale contra substantiã sacramenti. Nam, si quis neget fecisse mortale peccatum, quod fecit, directè & formaliter tollit integritatem: supponimus enim nullam habere legitimam excusationem ad occultandum illud, alias iam hîc & nunc non esset materia necessaria. Dubium ergo est de mendacio affirmatiuo, an scilicet se accusare de peccato mortali, quod non commisit, etiam partialiter, sit peccatũ mortale. In quo ex omnibus Auctoribus citatis, solum inuenio Syluestrum insinuantem, hanc etiam esse materiam leuem, ac proinde peccatum veniale. Ratio est, quia nõ est mendacium pernicioſum; quanuis enim pœnitens decipiat confessorem, tamen decipit contra se, ideóque non facit illi grauem iniuriam; sibi autem non potest inferre iniuriam: neque etiam infert sibi graue nocumentum contra charitatem propriam, quia vel est dominus famæ suæ, vel illa infamatio in confessione reputatur leuis, respectu eius, qui potest cedere iuri suo: & sæpe etiam esse potest leuis ex materia, quia in aliqua persona peccatum aliquod mortale, nõ est grauis infamia. Neque etiam respectu sacramenti videtur grauis iniuria, propter dicta in simili de peccato veniali.

10 Tertium, circa quod potest mentiri.

Dubium.

Sylvest. responsio.

Nihilominùs contraria sententia tenenda est: nam per se, & secluſa ignorãtia inuincibili, hoc est peccatum mortale, & consequenter contra substantiam sacramenti. Quod tenent reliqui Auctores citati, & præterea Bonauent. d. 17. quæst. vlti. Adrianus in 4. q. 5. de Confessione, dub. vlt. Sylvester verb. *Mendacium*. num. 3. Soto lib. 5. de Iustitia. quæst. 6. art. 1. & quæst. 10. artic. 2. & Victoria in Summ. numer. 130. & Nauarr. capite 27. numero 248. Fundamentum contrarium est, quia illa est materia grauis sacrilegij. Quæ grauitas declaratur primò ex eo, quòd illa est deceptio in materia necessaria sacramenti. Secundò quia in omni iudicio mendacium in iis, quæ pertinẽt ad substantialem causam, decipiendo iudicem in eis, est peccatum mortale, vt latiùs traditur in 2. 2. loco suprà citato. Tertiò, quia hoc modo redderetur valdè incerta tota notitia, quam cõfessor accipit de conscientia pœnitentis, quantùm ad numerum, vel species peccatorũ mortalium: nec tenerentur pœnitentes examinare conscientiam vt certum numerum dicerent, quia pro suo arbitrio possent illum augere sine peccato mortali. Quæ omnia non sunt similia in peccato veniali, & ideò non est similis ratio. Hæc autem resolutio intelligenda est per se: nam interueniente ignorantia, & bona fide, clarum est posse pœnitentem non peccare in hoc, & consequenter facere confessionem validam: quo modo possunt excusari multi simplices, qui putant non malè facere dicendo plura; quàm fecerunt.

11 Contraria sententia probatur. Bonau. Adrian. Sylvest. Sotus. Victoria. Nauarr.

## SECTIO X.

*Vtrùm sit de necessitate, & integritate confessionis, vt pœnitens præmittat diligens examen ad confitenda omnia peccata.*

1 Scotus. Gabr. Maior. Caiet. Victor. Ledesm. Sotus. Cano. Petr. Soto. Nauarr. Sylvest. Ruard.

HÆc quæstio moralis est, & prudentiam magis, quàm scientiam requirit. Disputant illam Theologi d. 17. vbi breuiter Scotus art. 2. Gabr. q. 1. & Maior q. 8. Caiet. Tom. 1. Opus. tract. 5. q. 3. Victoria in Summa, n. 178. Ledesma 2. p. 4. q. 5. art. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 4. ad vltimum. Cano in dict. Relect. p. 5. Petrus Soto lect. 10. de Confess. Nauarr. in Sum. c. 9. n. 16. & in cap. *Fratres*. de Pœnit. d. 5. num. 66. & sequentibus. Sylvest. verb. *Confessio*. 1. q. 3. & Ruardus art. 5. Ex quibus duo colliguntur, in quibus resolutio huius quæstionis consistit.

2 Necesse esse moralem diligentiã adhibere. Conc. Trid.

Primùm ergo certum est, esse de necessitate confessionis, vt pœnitens moralem faciat diligentiam, vt integrè cõfiteri possit: quod intelligendum est quando quis habet conscientiam peccatorum mortalium, in quibus requiritur integritas. Et colligitur apertè ex Concilio Tridentino dict. cap. 5. dicente, *Constat autem in Ecclesia nihil aliud à pœnitentibus exigi, quàm vt postquàm quis diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum offendisse meminerit*: illa ergo diligentia à pœnitentibus exigitur. Ratio verò est, quia qui præcipit aliquem actum, præcipit media per se necessaria ad illum efficiendum: sed confessio integra omnium peccatorum mortalium præcipitur, ad quam moraliter loquendo, necessaria est hæc diligentia: ergo. Confirmatur, quia absolutio, per se loquendo, cadere debet in omnia peccata mortalia, & ideò de eisdem etiam debet esse confessio, per se loquẽdo: vnde solum excusatur aliquis, & per accidens remittitur peccatum sine confessione illius, quando inculpabiliter seu propter ignorantiam inuincibilem omittitur: non potest autem dici ignorantia inuincibilis, ad quam expellendam nulla diligentia & examinatio facta est: ergo.

3 Secundò est certum, hanc diligentiam non requiri eandem in omnibus, nec posse certa aliqua mensura definiri, aut præscribi: sed tantùm dici posse, eam prudenter adhibendam esse, quæ moraliter sufficiat, consideratis capacitate pœnitentis, cõsuetudine peccandi, diuturnitate temporis, & aliis circunstantiis. Cauenda tamen sunt extrema, vt scilicet, nec nimiùm

onerentur

onerentur conscientiæ, vel reddantur nimis anxiæ & sollicitæ: nō enim est necessaria summa diligētia, quæ ab homine adhiberi potest: quia nulla ratione, vel auctoritate hoc probari potest, & posset interdum inquietas reddere conscientias, quod est contra finem huius sacramenti. Propter quod dixit Nauarrus suprà num. 72. nimiam in hoc sollicitudinem interdum posse esse malam, & inordinatam. Neque etiam sufficit leuissima diligentia, sed talis adhibenda est, qualem homo adhibere solet in re graui, & quæ illi maximè cordi est.

Nauarr.

4 Vtrùm necesse sit extraordinariā adhibere diligentiam.

Solet verò hoc loco inquiri an teneatur pœnitens extraordinariam aliquam diligentiam adhibere, vt v.g. scribere peccata, vel quando ea recogitat, vel quando ea committit, si probabiliter credit ea obliuioni esse tradenda nisi scribantur. Respondetur ex communi sententia, neminem obligari ad huiusmodi extraordinariam diligentiā, & præsertim ad hanc de scribendis peccatis, quia scriptura est de se publicū instrumentum, & subiacet periculis. Propter quod Soto non tantùm negat hoc esse necessarium, verùm esse consulendum. Caietanus verò verb. *Confessio.* condit. 11. dicit hoc non esse necessarium, esse tamen vtile, vbi defectus memoriæ timetur: quod videtur certum, si prudenter fiat: quia est diligentia de se non mala, & alias ordinatur ad bonum finem.

Soto. Caiet.

5 Vtrùm hæc diligentia possit suppleri à confessore interrogante.

Secundò inquiri potest, an hęc diligentia, vel defectus illius possit interdum suppleri à confessore interrogante, & scrutante conscientiam pœnitentis. Respondetur, interdum posse ex hac parte multùm suppleri, quando speratur interrogationibus confessoris iuuandum esse pœnitentem. Imò, si pœnitens non est tantæ capacitatis, vt solus per se possit suam conscientiam sufficienter discutere, non est cogendus, vt inutiliter in eo laboret, & defatigetur, sed potest iuuari industria confessoris: & è conuerso, quādo confessor cognoscit talem conditionem pœnitentis, debet suis interrogationibus supplere defectum eius, quia vterque debet diligentiam suo muneri accommodatam præstare, hæc autem est quæ in illo euentu est moraliter necessaria. Sed non ideò existimandum est, posse pœnitentes imparatos accedere, præsertim si confessiones post aliquod longum tempus fiant, quia ferè impossibile est, vt repentè interrogati, & nulla præhabita recogitatione, eorum recordentur, de quibus interrogantur. Semper ergo præmittenda est aliqua moralis diligentia pro captu pœnitentis: quando verò illa non sufficit, industria confessoris iuuandus est. Quid verò in hac parte teneatur facere confessor, dicemus infrà agentes de obligationibus illius.

A B C D E

## DISPVTATIO XXIII.

### *De integritate formali confessionis, eiúsque defectu.*

SVPPONIMVS, integram confessionem peccatorum omnium, quæ in re ipsa commissa sunt, non ita esse necessariam ad hoc sacramentum conficiendum, vt in nullo casu aliter fieri possit. Hoc enim interest inter confessionem integram, & confessionem absolutè, quòd confessio est omninò necessaria, ita vt propter nullam causam, vel necessitatem fine illa possit sacramentum perfici, quia sine confessione nulla est accusatio, vnde nec potest esse iudicium. Item sine confessione non constat confessori de culpa, vel dispositione pœnitentis in hoc foro, & ideò nulla ratione potest eum absoluere: & ideò confessio simpliciter dicta omninò essentialis est. Confessio autem integra peccatorum omnium, quæ in re sunt, non est ita necessaria, quia sine illa potest esse vera accusatio, veráque conscientiæ manifestatio: sed est per se requisita quando fieri potest, ex diuino præcepto incluso in ipsa institutione huius sacramenti. Quapropter, sicut necessitas præcepti moralis est, quæ non obligat ad impossibile, ita etiam necessitas huius integritatis materialis, moralis est: & ideò locum non habet, quando talis integritas exhiberi non potest: alioqui non fuisset hoc sacramentum conuenienter institutum, tum quia frequentes casus occurrunt, in quibus homo non habet locum integram confessionem faciendi; cùm tamen extremè indigeat hoc remedio ad salutem necessario: tum etiam, quia in ordinariis confessionibus multa memoriā excidunt, quæ in confessione omittuntur, & ita ordinarius vsus confessionis esset humano modo impossibilis, si materialis integritas esset absolutè necessaria. Atq; ita omnes Theologi vnanimi consensu docent, quoties homo ex rationabili causa excusatur ab integritate materiali, formalem sufficere. Illa autem causa rationabilis ex aliqua impossibilitate semper nascitur, quæ impossibilitas prouenire potest vel ex absoluta necessitate articuli mortis, vel ex alia morali causa, vel ex ignorantia, seu naturali obliuione, de quibus sigillatim dicemus: ac tandem videbimus, an integritas formalis sit omninò necessaria.

## SECTIO I.

### *An propter instans mortis periculum sufficiat confessio, tantum integra formaliter, & quomodo facienda sit.*

EX tribus casibus contingere potest, vt pœnitens instante morte non cōfiteatur omnia quæ in re commisit. Primò, ex defectu vitæ propriæ: secundò, ex cōsortio aliorum existentium in simili periculo, vt verbi gratia, in naufragio: tertiò, ex parte ipsius sacerdotis, quia vel eius mors etiam imminet, & nō est alius minister: vel certè quia timet graue contagium, & mortis periculum, si longo tempore talem ægrotum audiat. Et in his omnibus dicendum est, si vera necessitas intercedat, posse absolutionem dari ante consummatam integram confessionem materialiter: nam illa confessio, quæ tunc pro temporis, & circunstantiarum opportunitate fieri potest, formaliter est integra. Quod satis patet ex fundamento initio posito, quòd præceptum morale nō obligat ad impossibile, vel simpliciter, vel moraliter: sed in his omnibus casibus interuenit impossibilitas, vel absoluta, vel moralis aliter confitendi: ergo præceptum non ampliùs obligat: ergo talis confessio est formaliter integra. In his ergo omnibus casibus sufficiet ea dicere, quæ pro temporis opportunitate, & ratione periculi dici potuerint.

1 Tribus casibus potest quis nō confiteri omnia peccata.

Illud tamen semper obseruādum est, vt quoad fieri potuerit detur materia certa, & non dubia, tum quia religio sacramenti id postulat; tum etiam quia charitas etiam hoc postulat in illo maximè articulo; & ideò quoties potuerit dari particularis materia alicuius peccati in specie, id non debet prætermitti. Existimo etiam necessarium esse, si pœnitens habeat materiam necessariam, illam potiùs confiteri, quàm non necessariam, cùm tam breui tempore possit dici peccatum mortale, quàm veniale, & alioqui debeat præceptum impleri in necessariis, quantùm potuerit. Erit etiam optimum consilium, si sint multa peccata mortalia, illud confiteri, quod maximè grauat con-

2 Necesse est dari materiā certam.

scientiam, vel in quo pœnitens maximè indiget consilio confessoris, quanuis non videatur hoc esse simpliciter sub pæcepto in illo articulo, quia cùm omnia mortalia sint necessaria materia, quodlibet eorum sufficiet. Præsertim, quia perturbatio, quæ in tali articulo esse solet, non semper relinquit hominem satis liberum ad cogitandum de huiusmodi comparatione. Denique in praxi obseruandum est, vt si pœnitens absoluatur propter probabilem timorem mortis ante perfectam confessionem, & non statim mors sequatur, continuetur confessio, donec integrè fiat, si tempus conceditur, nam hoc semper est per se necessarium, & ideò implendum quantùm fieri potest, præsertim durante periculo; & finita confessione iterum danda est absolutio: nouum enim sacramentum, & à priori distinctione perficitur.

Quid obseruandum in praxi.

3 Quæstio grauis, An sufficiant signa contritionis ad præbendam absolutionem. Prima sententia negatiua.

His positis, supereſt quæstio grauis, quæ locum habet solùm in eo casu, in quo necessitas oritur ex parte ipsius pœnitentis, & quando iam loqui non potest, & vix aliquid sentire, an si in eo casu non possit speciale aliquod peccatum explicare, neque confessor per interrogationes, vel signa possit ab eo aliud intelligere, quàm peccasse, & desiderare absolui, an id sufficiat, vt absoluendus sit. Quod aliis verbis quæri solet, an sufficiant signa contritionis ad præbendam absolutionem. In qua re prima sententia negat, quam tenet Soto in 4 d.18.q.2.art.5. & Ledesma 2.p.4.q.9. artic.5.dub.2. Cano dict. Relect.5. Idémque videtur sentire Nauarr. in Summ. c. 26. n. 27. cum Abulense, quem citat Matth. 16. q. 47. sed fortasse loquitur in alio sensu infrà declarando.

Soto. Ledesm. Cano. Nauarr. Abulens.

4 Ratio præcipua est, quia illa non est confessio: vbi autem non est confessio, neque absolutio esse potest. Antecedens patet, quia per illam nulla notitia datur confessori, quam anteà non haberet, omnes enim scimus esse peccatores. Vnde Concilium Tridentinum sess.14.c.5. ex eo quòd confessor non potest ferre iudicium causa sibi incognita, colligit confessionem in genere non sufficere, sed esse necessariam in specie: ergo supponit per generalem confessionem nullam notitiam dari confessori; sed illa tantùm est vera confessio, quæ confert notitiam confessori: ergo illa non est confessio. Secundò, per illam nihil proponitur, quod directè possit remitti per absolutionem: ergo non est illa materia capax talis formæ. Patet consequentia, quia si absolutio nihil remittit directè, neque etiam indirectè id faciet, quia hoc supponit illud, sicut id, quod est per accidens, supponit aliquid per se: ergo nihil omninò remittet, quia non est alius modus remissionis. Antecedens verò patet, quia actiones sunt circa particularia, ibi autem nulla materia particularis proponitur. Deinde, quia vel remittuntur directè omnia peccata in specie; & hoc dici non potest, quia de illis, vt sic, non fit confessio, & illud tantùm directè remittitur, quod subiicitur clauibus per confessionem. Cuius etiam argumẽtum est, quia manet obligatio iterum confitendi illa, vt directè remittantur. Quæ rationes probant etiam de quolibet in particulari. Et præterea, quia non est maior ratio de vno quàm de alio. Vel solùm remittitur directè peccatum, vt sic; & hoc etiam non est verisimile, quia peccatum in communi non est remissibile. Tertiò, quia illa materia, quæ non sufficit ad ferendum aliquod prudens iudicium de causa, non est sufficiens materia iudicij; sed ita est in præsenti, quia iudicium prudentiale fertur practicè ex particularium cognitione: ergo vbi non datur cognitio alicuius rei particularis, non habet locum iudicium prudentiæ: ergo neque absolutio.

Conc. Trid.

5 Contraria

Nihilominùs contrariam sententiam probabiliorem censeo, & practicè securam, imò & exercendam.

A Significat illã Palud.d.21.q.2.art.2. dicens, materiam sacramenti pœnitẽtię esse confessionem peccatorum in particulari, vel in generali, quando aliter fieri non potest. Tenet etiam Antonin. 3.p.ti.10.c.2. Syluest. verb. *Confessor.* 3.quæst.13. Angelus verb. *Confessor.* 4.n. 8. Medina Cod. de Cófess. q. de peccatis oblitis. Ruardus art.3. contra Lutherum, & Corduba lib.5. de Indulgentiis.q.39. Et fundatur maximè hæc sententia in Decretis & Conciliis, quæ suprà adduxi, vt ostenderem posse absolui pœnitentem, etiamsi sacerdoti non constet de eius confessione, nisi per testimonium aliorum: nam illa loquuntur in eo casu, quo pœnitens tantùm demonstrauit signa pœnitentiæ, & voluntatem confitendi, vt apertè constabit ea attentè legendo. Quod etiam Doctores contrariæ sententiæ non negant, & ideò conantur exponere, illa non loqui de absolutione sacramẽtali, cuius oppositum suprà etiam ostendi.

sententia probabilior iudicatur, & in praxi seruãda. Palud. Anton. Syluest. Angel. Medin. Ruard. Cordub.

Secundò argumentor ratione, quia illa est vera accusatio in hoc foro sacramentali: ergo potest esse sufficiens materia, vt perficiatur iudicium, quando accusatio magis integra fieri non potest. Probatur antecedens primò, quia accusatio interior, quam homo facit Deo per generalem recognitionem offensionis diuinæ, est adeò vera, vt si accedat perfecta detestatio, sufficiat ad remissionem peccati, vt in superioribus dictum est: ergo similis exterior confessio facta homini, vt locum Dei tenenti, habebit veram rationem accusationis, quando maior fieri non potest.

6

Secundò, per illam datur confessori specialis notitia, quam anteà non habebat, tum quia priùs non sciebat in hoc foro, & postea scit: tum etiam, quia aliud est, scire alterum peccasse, aliud verò est scire alterum recognoscere, & cum dolore subiicere clauibus sua peccata, vt remittantur: & hęc notitia specialis ibi cõfertur. Vnde, licèt illa confessio quoad materiam remotam dicatur generalis, quoad proximam est particularis, nam hìc & nunc cum talibus circunstantiis fit: ergo nihil ibi deest ad veram rationem accusationis. Nam quòd ex parte rei, de qua fit accusatio, debeat esse distincta, & quòd hoc omninò fit de essentia, nulla sufficienti ratione probatur. Neque etiam ex Concilio Tridentino colligitur, alioqui pari ratione probaretur, integram confessionem omninò necessariam esse: sicut ergo quoad hanc partẽ loquitur Concilium per se, & quando fieri potest, ita etiam quoad illam de confessione peccatorum in generali.

7

Quod tertiò sic declaro: nam confessio aliqua generalis potest interdũ esse de necessitate huius sacramenti tanquàm materia saltem partialis, vt sumitur ex D. Thoma in 4.d.21.q.2.art.1.ad 1. & artic. 2. nam si quis recordetur se peccasse mortaliter, oblitus est autem cuius speciei fuerit peccatum illud, debet saltem cõfiteri se peccasse mortaliter: quod etiam notauit Nauar. in Summ. c.10.n.7. ex Maiori in 4. d.17.q. 3. Vnde conficitur ratio, nam materia quæ est partialis, quando aliæ partes adhiberi non possunt, erit sufficiens, & totalis, quando plus dici non potest, sed hęc generalis confessio potest, vt debet, esse aliquando, materia partialis: ergo si plus dici non possit, etiam vt totalis sufficiet. Imo etiam secluso articulo mortis, si homo non habeat conscientiam alterius peccati mortalis, videri potest illa materia sufficiens in eo casu, quia homo non tenetur confiteri venialia: ergo si dicat se peccasse mortaliter, oblitum autem esse in qua specie, satisfaciet, eritque absoluendus; quanquàm propter certitudinẽ melius sit addere aliquod veniale peccatum in specie. Dicetur fortasse, confessionem peccati mortalis iam esse aliquo modo specificam, & ideò non esse simile ad concludendum de generali confessione peccati, vt sic. Respondeo, si argumenta

8 D.Tho. Nauarr. Maior.

gumenta prioris opinionis aliquid probãt,æquè procedere de genere(vt ita dicam)subalterno, vel supremo, quòd si de illo non probant, etiam de hoc non procedunt:ergo non erit cur negemus in casu necessitatis illam materiam etiam generalissimam esse sufficientem.

9 Sed præterea vrgeo vlteriùs idem argumentum, nam si quis certò scit se peccasse aliqua cogitatione, dubitet autẽ & ignoret in qua materia,& cum quanta grauitate,mortaline, an veniali, potest & debet illud confiteri,sicut habet in conscientia, & tamen illa confessio habet generalitatem abstrahentem à peccato mortali,& venialitergo confessio sic etiam confusa, & generalis potest esse partialis materia: & reddit idem argumentum, quòd si ordinariè potest esse partialis materia, in extrema necessitate posit esse totalis. Adde,si fingamus in eo casu non habere pœnitentem conscientiã certam alterius peccati in particulari,fore absoluendum propter dubium peccati mortalis,cum certitudine alicuius peccati. Tandem,qui non haberet conscientiam peccati mortalis, si in illo articulo diceret se peccasse venialiter, sine dubio absoluendus esset, quandoquidem in venialibus explicare numerum, vel species non est de necessitate confessionis: sed qui dicit se peccasse, ad minimum dicit se peccasse venialiter:habere autẽ conscientiam peccati mortalis in illo articulo non obstat, quandoquidem illã explicare nõ potest:erit ergo materia illa sufficiẽs.

10 Obiect. Dices,hoc argumento probaretur illam confessionem peccati venialis in genere esse per se sufficientem in eo,qui non habet conscientiã peccati mortalis,etiã extra casum necessitatis. Respõdetur. Respondetur fortasse speculatiuè tantùm loquendo,posse hoc defendi,tum propter rationem dictam,tum etiam,quia qui confitetur verba otiosa,censetur dare sufficientem materiam;& tamen non plus declarat conscientiam suam, quàm qui dicit se peccasse venialiter,nec magis variat iudicium confessoris. Nihilominùs tamẽ practicè negandum hoc est, propter incertitudinem materiæ. Dico ergo, licèt homo absolutè non teneatur species peccatorum venialium confiteri, tamen supposito quòd vult confiteri,teneri ad exhibendam materiam omninò certam,si potest,& ideò debere aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri: adiuncta verò necessitate, seu impotentia aliud dicendi, sine dubio illa materia erit sufficiens.

11 Diluuntur fundamenta primæ sententiæ. Primum. Fundamenta prioris sententiæ iam ferè soluta sunt ex dictis. Ad primum enim negatur assumptum: est enim illa vera accusatio, & præbet confessori aliqualem notitiam sacramentalem, imperfectam quidem, quæ quasi nulla æstimaretur,si maior volũtariè omitteretur, quo sensu locutum est Cõcilium Trident.ibi citatum;tamen supposita necessitate est sufficiens. Ad Secundum. secundum respondetur,in eo casu directè remitti offensionem diuinam,vt talis est,& ideò singula peccata mortalia secundùm proprias species adhuc relinqui obnoxia clauibus, quia secundùm proprias rationes non fuerunt illis subiectæ: quod quidem dicendum est in eo casu obliuionis speciei peccati mortalis. Neque etiam refert,quòd materia remota,quæ est veluti obiectum illius confessionis, sit vniuersalis, quia absolutio immediatè versatur circa materiam proximam, quæ est particularis confessio,& effectus eius etiam versatur circa hanc particularem personam;& ita tota hæc actio circa particularia versatur. Tertium. Ad tertium denique respondetur optimè posse exerceri iudicium prudentiæ,quando hîc & nunc, quantùm possibile est, particulares circunstantiæ considerantur,etiamsi non in omnibus possit ad singularia perueniri: quod in præsenti optimè fit:nam particularis persona absoluitur iuxta confessionis, & con-

A scientiæ indicia ab ipsa data, quantùm hîc & nunc dari potuerunt; & ideò prudentia dictat hîc & nunc esse absoluendam: quod etiam in aliis exemplis adductis facilè intelligi potest, quanquàm per se clarissimum sit.

## *De eo, qui confessionem petit, & contritionis signa exhibet, & posteà sensum amittit.*

12 ATQVE ex hac resolutione (adiuncta alia suprà posita, quòd confessio in absentia facta potest sufficere ad recipiendam absolutionem in præsentia, interueniente sufficiente testimonio)colligo,in casu, B in quo infirmus petit confessionem, & exhibet signa contritionis in absentia confessoris, si posteà confessor aduenies nihil aliud à pœnitente intelligere possit,quia v.g.iam nihil sentit, si de signis exhibitis, & petitione confessionis habeat sufficiẽs testimonium, posse,imò & practicè debere sacerdotem illum absoluere,concepta conditione, quæ semper subintelligitur,*quãtum possum*,vel,*si materia est sufficiens*. Prior pars est communis Auctorum dictorum,& sumitur ex decretis suprà citatis. Et patet ex dictis, quia nihil essentiale deest, quia neque absentia, neque vniuersalitas sunt simpliciter contra essentiam.

13 Oportet signa contritionis exhibere in ordine ad claues. Est tamen attentè obseruandũ,non satis esse adhibere signa contritionis (quod fortè voluit Abulensis C suprà) sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claues,quia contritio,vel manifestatio eius per se nõ est sufficiens materia sacramenti pœnitentię,sed quatenus informat confessionem aliquam,cum qua perficit accusationem sacramentalem? & hoc est exhibere signa in ordine ad claues. Vnde, quantumuis infirmus se ostendat deuotum,& contritum, si nullam fecit mentionem confessionis, & in eo statu sensum amittat,non potest sacramentaliter absolui, quia illa contritio non est relata ad claues, neque ibi interuenit aliqua confessio, etiam generalis, & in absentia. At verò cùm exhibet illa signa petẽdo confessionem, seu vocando sacerdotem, iam est materia sufficiens.

14 Obiect. Euſ.Papa. Sed adhuc obiici potest,nam in eo casu huiusmodi pœnitens nondum confitetur, sed solùm ostendit D voluntatem confitendi. Accedit quòd Eusebius Papa dicto decreto apud Burchardum lib.18.2.11. loquens de hoc ipso casu,solùm dicit, vt sacerdos super ægrotum oret,oleo sancto vngat, & Eucharistiã præbeat, de absolutione verò nec verbum. Respondeo ad prio- Solutio. rem partem, illam esse quandam inchoationem confessionis, præsertim consideratis circunstantiis illius temporis:nam ille sic pœnitens intendit facere quantùm potest tunc, & debet in ordine ad suam salutem, & ideò dum absolui petit in actu exercito,se confitetur peccatorem,& clauibus se subiicit: & ideò illa est vera confessio, & in eo casu est integra, quia maior fieri non potest. Ad Eusebium potest quis respondere, vel locutum esse,quando priori modo & sine relatione ad claues signa contritionis exhibentur, vel E non negare absolutionem esse dandam, sed ad summum tacere. Melius autẽ dicitur sub oratione sacerdotis absolutionem includi. Ita enim interdũ loquuntur antiquiores Patres, vt patet ex Leone Papa epist. 91.alias 89. vbi vocat supplicationẽ sacerdotis. Hanc verò fuisse mentem Eugenij, patet, quia priùs dicit, tunc esse concedendum illi homini omne id, quod concedi solet pœnitentibus:constat autem pœnitentibus dari solere veram, sacramentalémq; absolutionem:eandem ergo sentit dandam esse in illo casu. Leo Pap.

15 Sacerdos tenetur da- Quòd autem non solùm dari possit, sed debeat etiam,vt in vltima parte asserebamus, patet, quia sacerdos absoluendo in dicto casu,nulli periculo con-

re absolutionem in casu proposito.

scientiæ suæ se exponit, cùm operetur ex sententia valdè probabili. Nec etiam est periculum iniuriæ sacramenti, tum propter eandem rationem, tum etiam quia per adiunctam conditionem omninò tollitur, sicut in aliis casibus dubiis fieri solet. Et alioqui non absoluendo exponit proximũ periculo æternæ damnationis, qui fortasse absolutus saluabitur: ergo saltem ex charitate debet illũ absoluere. Imò etiam ex obligatione sui muneris videtur teneri: quandocunque enim pœnitens (saltem iuxta probabilem sententiam) sufficienter confitetur, & est bene dispositus ad recipiendam absolutionem, tenetur sacerdos illum absoluere: in proposito autẽ iuxta probabilissimam sententiam hic pœnitens sefficienter confitetur, & est satis dispositus: ergo.

## SECTIO II.

### *Vtrùm propter vitandum aliquod graue nocumentum proprium, vel alienum, liceat aliquod peccatum mortale in confessione omittere.*

1 Prima assertio. D. Thom. Palud. Maior. Alensis. Altisiod. Adrian. Soto. Petr. Sot. Cano. Nauarr.

PRIMO certum est, nõ teneri hominem ad confitendum aliquod peccatum cum morali periculo alicuius grauis nocumẽti proprij. Ita docẽt Theologi omnes, D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. q. 4. ad 5. Palud. ibi q. 5. Maior etiam q. 5. Alens. 3. p. q. 77. memb. 3. art. 1. ad 1. Alti. in Sum. tract. 6. c. 3. q. 5. Adrian. in 4. q. 1. & 4. de Conf. Soto d. 18. q. 2. art. 3. ad 3. Petrus Soto lect. 10. de Conf. Cano dict. Relect. p. 5. Nauarr. in Summ. c. 7. n. 3. & 4. Ratio est sæpe tacta, quia præcepta positiua non obligant cum tanto dispendio & periculo, & ideò qui nõ potest aliter confiteri illud peccatũ pro tunc censetur moraliter impotens ad confitendum illud, & ideò excusatur. Quin potiùs tale posset esse detrimentum, vt obligaretur homo ad non confitendum tale peccatum in illo euẽtu, vt si timeret graue scandalũ in propria salute spirituali: idemque censeo si timeret probabile periculum mortis corporalis, quia iure naturali tenetur homo vitare hæc pericula, & præsertim quia, vt mox explicabimus, nulla est moralis necessitas talis confessionis in illo casu.

2 Secunda assertio. Bernar.

Secundò est etiam certum, hoc idem asserendum esse quando simile periculum timetur ex parte ipsius confessoris, vel alterius tertiæ personæ. Ita docent iidem Auctores, oritúrque ex eadem lege charitatis, quæ obligat ad diligendum proximũ sicut nos ipsos. Vnde est illud Bernardi lib. de Præcepto, & dispens. *Quod propter charitatem introductum est, contra eandem charitatem exerceri non debet*: cùm ergo in præsenti charitas obliget ad vitandum graue damnum proximi, hæc lex confessionis, quæ positiua est, non obligat cum tanto dispendio proximi. Vnde, si ego timeam cõfessorem non seruaturum sigillum, & ex mea confessione sumpturum occasionem ad infamandũ proximum, nec teneor, nec licitè possum tale peccatum confiteri, quia esset cõtra charitatẽ, & in iustitiam. Similiter, si dicendũ aliquam circũstantiam, probabiliter timeo confessorem esse scandalizandum, & ad aliquod graue peccatum inducẽdum, ex charitate obligor ad tacendũ. Aduertunt tamẽ Nauarr. & alij, oportere, vt illud scandalum sit actiuum, seu ex fragilitate alterius; nam, si sit passiuũ, & ex malitia tantùm, non ita tenemur illud vitare: quod est verum, seruata lege charitatis, scilicet, vt si absque vllo incommodo proprio possit hoc passiuum scandalum vitari, fiat, vt suprà etiam insinuaui, & latiùs in sua materia dicendum est. Addo præterea, oportere in his casibus timorem esse probabilẽ, & (vt ita dicam,) cadentẽ in prudẽtem virũ: quia, cùm omittenda sit executio legis grauissimæ, non sine magno fundamento, & ratione fieri debet: & aliàs daretur occasio hominibus facilè omittendi cõfessionem peccatorum, propter leue causam.

Nauarr.

Statim verò occurrit dubitandum, an in his casibus omittendum, vel differendum omninò sit sacramentum confessionis, donec confessio possit integrè fieri sine vllo incommodo, vel possit, aut debeat statim suscipi confitendo alia peccata, & tacendo illud, in quo est periculum. Nam D. Thomas citato loco dicit, hominẽ ita tunc se gerere debere, ac si non haberet copiam confessoris, & audit, melius fore tunc confiteri laico, quàm tali sacerdoti: sentit ergo tunc esse omninò omittendam confessionem. Atque ita sentit Viguerius in Summa cap. 26. §. 4. vers. 17. Et potest confirmari, quia Concilium Tridentinum ait, de necessitate huius sacramenti esse dicere omnia peccata, quæ homo habet in cõscientia, seu quæ memoriæ occurrunt: sed in eo casu non possunt dici omnia; ergo non potest applicari id, quod est de necessitate sacramenti: ergo non potest sacramentum suscipi.

3 Dubium. D. Thom. Viguer. Conc. Trid.

Nihilominùs dicendum est, & posse, & aliquando debere confessionem fieri, tacẽdo tale peccatum. Ita docet apertè Soto, & sumitur ex Alens. Palud. & Nauarr. Cõsiderãda ergo est occasio, vel necessitas, aut vtilitas suscipiendi sacramentum. Et prima necessitas est articuli mortis: & tunc ratio est clara, tũ quia præceptum diuinum de confessione tunc maximè obligat: tum etiam, quia necessitas propriæ charitatis tũc omninò vrget, & vtrique obligationi potest substantialiter satisfieri, faciendo confessionem formaliter integrã, qualis illa erit etiamsi aliquid taceatur, quia solùm propter impotentiam moralem omittitur. Dices, Quomodo potest tunc aliquid omitti, cùm illud remitti non possit, nisi in ordine ad aliam confessionem, & iam non sit spes faciendi aliam cõfessionem. Respondetur, non esse necessariam hanc spem, sed votum, vel desiderium, vt constat quando aliquis in tali articulo omninò confiteri non potest.

4 Respõdetur ad dubium. Soto. Alensis. Palud. Nauarr. In mortis articulo posse omitti peccatum. Obiect. Solutio.

Secunda necessitas est seruandi præceptum annuæ confessionis, & tunc censeo non solùm posse, sed debere fieri talem confessionem. Ratio est eadem, quia impletur substantialiter illud præceptum, & potest fieri sine iniuria sacramenti, vel alio incommodo graui; ergo debet fieri. Item, quia aliàs posset aliquis ea occasione per multos annos nunquàm confiteri, quod est graue incommodum morale. Tandem, quia, licèt homo sit certus, quòd propter obliuionem est omissurus multa peccata in confessione, nihilominùs tenetur confiteri de aliis: ergo similiter in præsenti, quia quod propter obliuionem licet, etiam propter moralem impotentiam licitum est.

5

Tertia necessitas est suscipiendi Eucharistiam, aut faciendi sacrum, quando sine graui scandalo, aut alio incõmodo prætermitti id non potest: nam tunc etiam est præceptum diuinum præmittendi confessionem, quãdo est conscientia peccati mortalis, & potest impleri dicto modo; & ita procedũt rationes factæ. Hũc tamen, & præcedentem casum ita limitãdum censeo, vt solùm procedant quando homo habet conscientiam alterius peccati mortalis, quod confiteri potest, præter illud quod cõfiteri non potest: nã si illius tantùm haberet, non obligaretur, quia nõ obligatur homo ad confitenda venialia: neque etiam posset tunc mortale peccatum in genere cõfiteri, vt in casu obliuionis, quia non posset veram causam tacẽdi speciem peccati declarare. At verò in primo articulo necessitatis extremæ, satis probabile est, licèt incertum, obligari tunc hominem ad suscipiendum sacramẽtum, vt potuerit, saltem ex charitate propria, propter periculum, quod imminet æternæ damnationis.

6 Suscepturus Eucharistiã potest aliquando celare peccatũ.

Quarta

7 Potest omitti peccatum ad vitãdum infamiam.

Quarta occasio, vel necessitas erit vitandi aliquam infamiam propriam, vel aliud simile incommodum, quod quis timet nisi confiteatur eo modo, quo potest: & tunc est etiam sufficiens ratio, vt homo possit licitè sic confiteri, non tamen obligatur, saltem sub mortali, quia illud incommodum temporale est, & proprium, & potest homo cedere iuri suo. Secus vero erit, si scandalum aliorum ex dilatione, vel omissione confessionis timeatur; tunc enim non solùm licebit, sed etiam necessarium erit eo modo confiteri iuxta qualitatem scandali, quod semper ex charitate vitandum est. Quintò contingere potest, vt nulla sit confessionis necessitas simpliciter, sit tamen magna vtilitas, quam per se affert sacramentum, & augetur ex frequentia eius: vnde, si propter eam occasionem multo tempore differendum sit, consultius erit ita confiteri, licèt non sit sub obligatione. Et hoc significauit Soto suprà. Denique quando nulla causa huiusmodi interuenit, sed post breue tempus speratur commoditas integrè confitendi, tunc melius erit differre confessionem: imò si cessaret omnis causa rationabilis, esset præceptum: quia tunc commodè potest seruari integritas confessionis etiam materialis, quod per se necessarium est, quando moraliter fieri potest. in eo autem casu ita fieri potest, quandoquidem nulla rationabilis causa cogit ad alium confessionis modum: ergo.

8 Opinio Soti.

Addit tãdem Soto suprà, in huiusmodi casu quando ob hanc causam peccatũ in cõfessione omittitur, præsertim ad implendum præceptum annuæ confessionis, peccatum illud omissum, esse postea confitendum quamprimum occurrerit opportunitas illud cõfitendi sine tali detrimento. Et in hoc constituit differentiam inter peccatum omissum ob obliuionem, & propter hanc causam: quòd illud, licèt postea memoriæ occurrat, potest seruari donec iterum obliget præceptum confessionis; hoc autem minimè, sed statim in confessione aperiendum est. Et rationem differentiæ reddit, quia ex Concilio Florent. (inquit) tenemur cõfiteri semel in anno omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, quòd præceptum ad literam impleuit, qui tantùm ob obliuionẽ aliquid omisit; & ideò ex vi illius præcepti non tenetur ampliùs eo anno confiteri. Qui verò omisit aliquid, quod in memoria habebat, reuerà non impleuit illud præceptum, licèt fortasse excusatus fuerit à transgressione propter aliam causam: & ideò, cessante causa, tenetur illud implere.

Conc. Flor.

9 Contraria opinio probatur.

Hæc verò doctrina, & differentia in primis non rectè fundatur in Concilio Trid. vel Florent. quia ibi non agit de præcepto confitendi semel in anno, sed de substantiali materia huius sacramenti, quam dicit esse confessionem omnium, quæ memoriæ occurrũt: vnde, si hoc non impletur, vt Soto supponit, nec sacramentum perfici videtur, vt suprà obiiciebam. Dicendũ verò est, in nostro casu verè impleri, quia sensus est, confitenda esse omnia, quæ memoriæ occurrunt practice, id est, tanquàm possibilia moraliter, & consequenter tanquàm hic & nunc ex debito declaranda in confessione: hoc autem totum etiam integrè in dicto casu fit. Quapropter ex vi illorum verborum Concilij Florentini non magis tenetur aliquis peccatum sic omissum postea statim confiteri, quàm peccatum oblitum: & reuerà neutrum tenetur statim ex vi iuris diuini, quod ius solùm in illo loco Concilij Florentini explicatur. In cap. autem, *Omnis vtriusque sexus*, vbi habetur præceptum de annua confessione, non additur illa particula, *Quæ memoriæ occurrunt*, sed simpliciter dicitur, *Omnia peccata*: vnde ex vi etiam illius præcepti nulla potest constitui differentia. Et quanuis illa particula adderetur, idem dicendum esset, quia ibi nulla specialis obligatio additur ex vi præcepti Ecclesiastici, præter temporis determinationem, vt infrà suo loco videbimus. Quid autem de vtroque, tam de oblito, quàm de alio dicendum sit, latiùs videbimus infrà agentes de illo præcepto: nunc suppono in neutro manere illam obligationem ad statim, quia, vt dixi, illud præceptum Ecclesiasticum solùm determinat præceptum diuinum ad tale tempus, & præceptum diuinum iam tunc impletum fuit: potuit ergo illa materia, quæ ex causa honesta relicta est, in aliud legitimum tempus reseruari.

Duæ aliæ supersunt hîc graues quæstiones. Prima est de casuum reseruatione, an propter illam liceat interdum mutilare materialiter confessionem; & hanc tractabo infrà disputatione 29. Secunda quæstio grauis erat de complice, an scilicet quando peccatum dici non potest, nisi reuelando personam, quæ fuit socia criminis, liceat propter hoc damnum vitandum tacere tale peccatum. Tamen, quoniam de complice multa alia dicenda sunt, vt omnia simul coniungam, instituam posteà de illo disputationem specialem. Supereст ergo solùm, vt de obliuione dicamus.

10

## SECTIO. III.

### *Quæ confessio sit formaliter integra quando propter obliuionem, vel ignorantiam aliquid in ea omittitur.*

CERTVM in primis est, aliquam cõfessionem posse esse validam, quanuis in ea omittatur aliquid ob ignorantiam, vel obliuionem aliquam. In quo cõueniunt omnes Theologi, & ita indefinitè loquendo de aliqua ignorantia, est res certa de fide. Nam ideò Concilium Florentinum addidit illam particulam, *Quorum memoriam habet*: & explicatiùs Tridentinum, *Quorum post diligentem excussionem conscientiam habent*: & infrà, *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, &c.* & infrà damnat dicentes, in confessione præcipi aliquid impossibile: *Constat enim*, inquit, *in Ecclesia nihil aliud à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit, &c.* Constat igitur aliquam confessionem posse esse integram formaliter, licet non sit integra propter obliuionem. Vnde etiam obiter intelligitur, secluſa omni obliuione, nunquàm posse esse confessionem validam: si scienter in ea omittatur aliquod peccatum mortale nunquam confessum, & sine alia rationabili causa, vt ex eisdem Conciliis satis probatur, & ex dictis in principio disputationis præcedẽtis.

1 Conc. Flor. Trident.

### *Difficultas, qualis debeat esse ignorantia, seu obliuio.*

DIFFICVLTAS ergo superest, quanta, & qualis esse debeat hæc obliuio, seu ignorantia, vt ea non obstante, confessio valida sit, quanuis non sit materialiter integra. Duplex enim esse potest hæc obliuio, scilicet, inuincibilis, ac propterea inculpabilis; & vincibilis, ac propterea culpabilis. De priori ergo certum est illam sufficere ad integritatem formalem, ideóque esse sufficientem ad valorem confessionis, quanuis materialiter aliquid illi desit. In quo etiam Doctores conueniunt: & hoc maximè conuincunt auctoritas & ratio Cõcilij Tridentini, quia tunc omissio illa non est voluntaria: nam, vt constat ex 1.2. q. 6.

2 Duplex obliuio. Obliuio inuincibilis sufficit ad valorẽ confessionis.

q.6.ignorantia antecedens, qualis est omnis inuincibilis,causat inuoluntarium. Item, quia in eo casu interuenit impotentia, vel moralis, vel etiam physica. Vnde, si talis confessio non sufficeret, non possent homines sacramentum hoc cum aliqua morali securitate recipere. Quæ omnia non solùm procedunt de propria obliuione,quæ dicit carentiam memoriæ, & spectat ad ignorantiam facti,sed etiam de quacunque ignorantia probabili iuris, ratione cuius homo existimat se posse licitè omittere tale peccatum in confessione, vel quia probabiliter putat nõ esse mortale: vel certè quia probabiliter credit hîc & nunc se iustè excusari à confessione illius:vel certè quia inuincibiliter credit adhibuisse diligentiam necessariam, cùm tamen reuerà non adhibuerit; quia in omnibus his & similibus casibus confitetur omnia, quæ inuincibiliter existimat esse confitenda,& ita formaliter implet præceptum de integritate confessionis. Nam in his omnibus casibus eadem est ratio, vel impossibilitatis moralis, vel sufficientis excusationis; vtraque autem sufficit ad integritatem formalem.

3 Diuersi gradus ignorãtiæ vincibilis. Primus.

De altera verò ignorantia, vel obliuione culpabili difficultas supereſt, an cum illa possit esse formalis integritas. Est enim in hoc ignorantiæ genere magna latitudo,& diuersitas graduum.In quibus aliqua sunt certa,& aliqua dubia. Primus gradus est, quando negligentia commissa in examinanda conscientia, seu obligatione aliquid confitendi fuit minima, ita vt ad summum sufficiat ad veniale peccatum: & tunc certum est, ea non obstante posse esse cõfessionem formaliter integram,& validam. In quo cõueniunt omnes Doctores statim citãdi.Ratio autem est,quia non obstante illa negligentia,substãtialiter impletur præceptum de integritate confessionis,in quo præcipuè consistit hæc integritas formalis: ergo, licet aliquo modo, & secundùm quid violetur illud præceptum, hoc non obstat quominùs sacramentum substantialiter validum sit. Quin potiùs illa culpa non est sufficiens ad impediendum effectum sacramẽti, cùm non repugnet gratiæ, nec remissioni peccatorum mortalium:ergo multò minùs impediet valorem sacramenti. Denique talis omissio est imperfectissimo modo voluntaria, & vix potest humano modo vitari, & ideò ea non obstante,verum est dicere hominem adhibere humanam & moralem diligentiam, & confiteri omnia peccata,quæ post diligẽtem excussionem memoriæ occurrunt, ergo confert materiam, quam Concilia requirunt:ergo quantùm est ex hoc capite, facit confessionem validam,& formatam.

4 Secundus gradus.

Secundus gradus extremè contrarius est, quando nulla prorsus diligentia adhibetur, quia homo directè vult nullam adhibere. Atque eiusdem rationis esse censetur,quando aliqualem quidem diligentiam adhibet, adeò tamen leuem, & cum tanta negligentia, vt moraliter, quasi nihil reputetur, quia tunc ita homo se gerit,ac qui rem omninò negligit, vel parui æstimat, etiamsi directam voluntatem habeat nihil omittendi scienter,sed confitendi omnia,quæ in ipso actu confessionis occurrerint. Et in hoc casu aliqui existimarunt confessionem esse validam. Tribuitúrque hæc sententia Paludano in 4.d.17.q.3.art.3.casu 5.eò quòd declarans nullitatẽ confessionis ex defectu integritatis, solùm dicit esse quando aliquod peccarum scienter per hypocrisim celatur. Certum tamen est, & receptum apud Theologos infrà citandos, in eo casu confessionem esse nullam, quia tanta negligentia, & ignorantia tam crassa, támque voluntaria moraliter scientiæ æquiparatur. Quod non solùm est verum, quando ignorantia est affectata, seu directè voluntaria,sed etiam quando est tam crassa & supina, vt sit manifesta, & grauissima pro negotij qualitate, qualis in præsenti est illa quam descripsimus. Et hoc à fortiori patebit ex dicẽdis in sectione sequenti.Adhuc enim supereſt difficultas, an circa hoc detur aliquod medium alicuius ignorãtiæ, vel obliuionis culpabilis mortaliter propter grauem negligentiam,quę nihilominùs sufficiat ad integritatem formalem confessionis,ita vt non fit contra substantiam sacramenti.De qua dicemus commodiùs sectione sequente.

Palud.

## SECTIO IIII.

*Quæ integritas sufficiat ad valorem confessionis,& consequenter, an possit aliqua integritas sufficere ad valorem, quæ non sit sufficiens ad effectum.*

1

HÆc quæstio sub aliis verbis proponi solet,an possit dari cõfessio,quæ ob defectum integritatis sit informis,quamuis sit valida:cuius diuisio ex eo pendet, vt sciamus quid necessarium sit ad integritatem formalem. Nam quòd hæc necessaria sit ad valorem confessionis, pro certo statuendum est, quia supra ostendimus, integritatem aliquam esse de essentia huius sacramenti: sed hoc dici non potest de integritate materiali:ergo saltè formalis est de essentia, quia præter has nullã aliam agnoscunt Theologi: nec potest reuerà inter eas reperiri mediũ, quia Concilium Tridentinum satis descripsit integritatem debitam huic sacramento. Vnde, quando illa obseruatur, est sufficiens integritas, & consequenter erit formalis,quamuis materialis non sit, si verò illa non adhibeatur, iam deest integritas necessaria ad valorem sacramenti iuxta doctrinã Cõcilij.Est ergo integritas formalis de substantia sacramenti.Quid verò ad hanc integritatem necessariũ sit,quanuis à Concilio videatur satis expositum, adhuc in controuersia versatur.

Integritas formalis necessaria est ad valorem confessionis.

Quid ad integritatem formalem necessarium sit.

2 Prima sententia.

Prima ergo sententia dicit, ad hanc integritatem formalem sufficere quòd sit per se intenta, quantùm est ex directa voluntate pœnitentis,& quòd aliqualis diligentia ad eam adhibeatur,quanuis non sit tota illa,quæ præcepta est, etiamsi ob defectum eius mortaliter peccetur, dummodò defectus nec sit directè voluntarius,nec ex summa quadam negligentia,quæ appellari solet crassa, & supina: sed solùm communi & ordinario modo culpabilis sit, etiam culpa mortali. Vnde infert hæc sententia, posse aliquam confessionem esse validam in ratione sacramenti, & non ad effectum, sed informis maneat propter defectum integritatis, nam, si talis est defectus, vt ratione illius committatur peccatum mortale,nõ potest simul cum illo esse iustificatio.Ita sentit Soto d.18.q.3.ar.3.cõcl. 3.& Cano d.Relect.de Pœnit.p.5.& Victoria n. 146. Citatur etiam Caietanus, sed immeritò. Fundamentum Soti solùm est, quia illa confessio ex intentione dicentis est integra; habet enim voluntatem dicendi omnia,quę commisit,& alioquin adhibet nonnullam diligentiam: ergo id satis est, vt illa confessio sit formaliter integra. Alij verò maximè mouentur ex eo quòd aliàs sæpe obligarentur fideles ad confessiones iterandas,atque ita hoc onus confessionis redderetur grauissimum,quod vitãdum est,quantùm fieri possit.

Soto. Cano. Victoria.

Dicendum nihilominus censeo, eam tantùm esse integritatem formalem, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter,siue ex scientia,siue ex ignorantia,& negligentia culpabili.Ex quo fit,vt omnis confessio ex parte integritatis sufficiens ad valorem sacramenti,sufficiat etiam ex hoc capite ad effectũ eius si alioquin sufficiens dolor non desit,ac proinde nulla

3 Vera sententia.

detur

detur confessio inualida, & informis ob defectum integritatis. Quod in primis tenent illi Doctores, qui generatim negant dari sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, quos suprà retuli, agens de prima parte materiali huius sacramenti. Deinde in particulari tenet Caietanus in Summa verb. *Confessio.* condit. 10. licèt in Opusculis obscuriùs loquatur; tenet etiam Petrus Soto lect. 10. de Pœnitētia, Nauar. c. 9. Summ. num. 16. & Medina Cod. de Confessione, q. de Confessione diminuta iteranda. Sumitúrque hæc sententia ex Concilio Trident. dict. cap. 5. sess. 14. vbi ter repetit, necessarium esse diligentiam examinationem conscientiæ adhibere, & tunc peccata oblita virtute contineri in his, quæ dicuntur, quando diligens examen præcessit: declarat autem in eo capite substantialem integritatem confessionis, neque in hoc distinguit vnquàm inter necessitatem sacramenti, & præcepti. Vnde conficitur ratio, quia, licet integritas materialis non sit de substantia, tamen obligatio integrè confitendi pertinet ad substantiam; & ideò, vt suprà dixi, intrinsecè oritur ex ipsa institutione sacramenti: ergo nulla est confessio integra formaliter, nisi per illam satisfiat saltem huic obligationi: sed qui omittit aliquid ex ignorantia culpabili peccando mortaliter, non implet hanc obligationem: ergo talis confessio censeri non potest formaliter integra: ergo nec sufficiens ad sacramentum conficiendum.

Caiet. Petr. Sot. Nauarr. Medin. Conc. Trid.

4 Sotus reprobatur.

Ex quo constat, quàm sit inefficax ratio Soti: nam ad formalem integritatem non satis est quælibet voluntas directa confitendi: hanc enim etiam habet ille, qui confitetur cum crassa & supina ignorātia: requiritur ergo voluntas efficax faciendi quod in se est, seu quod moraliter potest, & debet, vt integrè confiteatur: hanc tamen non habet ille, qui mortaliter peccat in ipsa confessione. Præterea, sicut omissio ex ignorantia crassa moraliter est eiusdē rationis cum omissione directè volūtaria, ita etiam omissio ex quacunque ignorantia, quæ ad peccatum mortale sufficiat: sed illa prior omissio dicitur esse contra substantiam sacramenti propter moralem æquiualentiam; ergo idem est de posteriori dicendum: nam, si quæ est differentia, solùm est accidentalis secundùm magis & minùs intra latitudinem voluntarij indirecti, quæ non potest tantā diuersitatem efficere in substantiali materia sacramenti. Eò vel maximè, quòd illa differentia inter ignorantiam culpabilem moraliter communem, & ignorantiam crassam, vel supinam, gratis excogitata est ab his Auctoribus: nam in iure omnis ignorantia, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, si non est affectata, vocatur crassa, vel supina, vt in materia de Excommunicatione latiùs ostendetur. Nec potest moraliter explicari, quomodo hi gradus ignorantiæ distinguantur, cùm omnis negligentia, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, esse debeat satis grauis, & consequenter satis crassa & supina. Accedit præterea, quòd in eo casu vix potest esse, aut intelligi sufficiens dolor ad sacramentum, cùm homo in ipsamet confessione actu peccet mortaliter. Vnde ad aliud motiuum aliorum Doctorum respondetur, nos nullum onus addere confessioni, sed illud tantùm, quod ex præcepto intrinsecè oritur, quódq; Tridentinum Concilium declarauit.

Doctorum motiuo satisfit.

5 Obiect.

Dices, Ergo, si quis ex ignorantia etiam inculpabili existimaret se fecisse sufficientem diligentiam, cùm tamen reuerà illam non fecisset, & ideò omitteret aliquod peccatum, talis confessio esset insufficiens, quia non cōtinet materiam, quam Concilium exigit.

Quorūdam solutio.

Quidam cōcedunt illā confessionem esse nullam: sed immeritò, quia, cùm ponatur intercedere ignorantia inuincibilis; iam illa obliuio est naturalis, & inculpabilis.

Vera respō-sio.

Vnde dicendū est, quòd licèt ille non adhibeat fortasse totam diligentiam, quam in re ipsa adhibere posset, & deberet; adhibet tamen totam diligentiam, quam homo sic dispositus (cum illa scilicet ignorātia) adhibere potest, & debet secundùm rectā rationē: & ideò illa cōfessio formaliter integra est, quia in ea adhibetur moralis diligētia possibilis, & sufficiēs ad excusandum peccatum contra præceptū de integritate.

Tandem ad leniendum rigorem de iterandis confessionibus, quem opposita sententia obiiciebat, addere hìc possumus (quod Nauarrus suprà notauit, & in c. *Fratres.* nu. 82.) sæpe contingere, vt peccatum aliquod ex ignorantia culpabili committatur, & tamen quod posteà facili negotio ex ignorantia inculpabili in confessione omittatur: nam eadem ignorantia, quę nunc est occasio mortaliter peccandi, in futuro tempore est occasio obliuionis naturalis, seu inculpabilis peccati sic commissi, quia peccatum ex ignorantia commissum difficilè cognoscitur, & postquàm transactum est, difficiliùs in memoriam reuocatur. Hinc ergo sepe contingit, vt quanuis confessio fuerit nulla ex ignorantia culpabili, & ideò, per se loquendo, repetenda: nihilominùs de facto sæpe excusentur homines ab hac obligatione, quia in posteriori confessione inuincibiliter obliuiscuntur prioris defectus, & ideò validam confessionem faciūt sine illa repetitione, & priora illa peccata per accidens tolluntur. Ac similiter, in quolibet futuro tempore fit difficilior recordatio talis defectus, & ideò excusatio semper durat, vel potiùs augetur. Quòd si contingeret posteà per aliquam occasionem recordari illius defectus, esset quidem iteranda illa confessio; non tamen omnes posteriores, quæ bona fide factæ sunt.

6 Obiectioni contrariæ sententiæ satisfit.

Sed quid si in ipsamet confessione sic negligenter inchoata homo aduertat, & culpam suam, ac negligentiam recognoscat? Communiter dici solet, debere hoc ipsum statim confiteri, & ita suppleri illum defectum. Sed hoc intelligendum est, dummodò ipsa etiam negligentia per interrogationes cōfessoris, vel alio modo sufficienter suppleatur: ideóque spectare oportet an vrgeat aliqua necessitas mortis, vel scandali vitandi, aut quid simile, ad perficiendum sacramentum: & tunc si iuxta opportunitatem præsentem fiat, quod potest, tam ex parte pœnitentis, quàm confessoris, ignorantia, quæ erat culpabilis, incipiet esse inuincibilis: ideóque ritè, & rectè perficietur sacramentum. Si tamen nulla vrgeat necessitas, regulariter differenda est absolutio, vt pœnitens possit sufficiens examen conscientiæ facere, nisi confessor moraliter iudicet se posse in præsenti diligentiam illi supplere.

7 Dubium.

Dissoluitur.

## DISPVTATIO XXIIII.

### *De ministro confessionis in communi.*

SECVNDA conditio confessionis, quam suprà explicare promisimus, est, vt sit legitima accusatio: quæ respectiua est, & in hoc consistit, quòd fiat coram legitimo iudice, qui iudex est minister huius sacramēti: & ideò disputatio de ministro in hunc locum cadit, quo cognito manebit explicata illa cōditio. Dicemus autem de ministro priùs in communi, posteà in particulari, & deinde de modo, quo exercere debet munus suum, & consequenter de obligationibus, seu præceptis, quæ ad illum pertinent.

## SECTIO I.

### *Vtrùm minister huius sacramenti sit solus Sacerdos.*

MVLTI hæretici dixerunt, etiam laicum posse esse ministrum huius cōfessionis, præsertim si iustus sit & bonus. Qui error solet tribui

1 Error Vualdensium.

Vualdensibus, quia, licèt negauerint confessionem, dixerunt tamen omnes laicos esse sacerdotes, & habere potestatem conficiendi corpus Domini, præsertim si iusti sint, vt videre est in Prateolo, verbo, *Vualdenses*, & verb. *Pauperes de Lugduno*. Hunc verò errorem propriè docuit Vuicleph, vt refert Vualdensis tom. 2. c. 135. & 145. & eundem excitauit Lutherus, vt patet apud Rofensem art. 13. & alios. Fundamentum esse potuit, quia hi hæretici negant in hoc sacramẽto dari gratiam, & veram absolutionem à peccatis, sed tantùm esse quoddam nudum ministerium, & externum signum adhibitum tantùm ad excitandã fidem. Quod falsum fundamẽtum in materia de sacramentis in genere satis impugnatum est: & suprà in hac materia, disput. 10. in particulari ostendimus, habere ministrum huius sacramenti veram, & supernaturalem potestatem iudiciariam ad remittenda peccata in hoc sacramento, & sententiam ab illo latam, claue non errante, ratam & firmã esse in cœlis: quod etiam suprà confirmatum est, cùm de essentia, & forma huius sacramenti ageremus, disputatione 10. & 11. Alterum fundamentum huius erroris esse potuit, quia negant verum sacerdotium à Christo institutum, sed omnes Christianos faciunt æqualis dignitatis, & potestatis, & solùm requirunt, vt ab ipsa communitate Ecclesiæ deputẽtur ad aliquod ministerium peragendum, vt rite & rectè illud exequi possint. Sed hoc ex professo impugnandum est in materia de Ordine, & in materia de Eucharistia impugnatum est ex parte, ostendendo potestatem consecrandi non omnibus laicis esse communem. In materia etiam de fide, & de legibus ostenditur esse in Ecclesia potestatem spiritualem, datam à Christo, non omnibus Christianis, sed sacerdotibus, & pastoribus, vt constat ex Paulo ad Ephes. 4. & 1. ad Corinth. 12. Suprà etiam impugnatus est ille error quantùm ad hanc iudiciariam potestatem in hoc foro, de quo agimus: & hîc pauca breuiter addenda sunt.

Vualdens. Rofens. Huius erroris primum fundamentum.

Secundum fundamentum.

Paul. ad Eph. 4. & 1. Cor. 12.

---

*Prima Assertio.*

2

Dico primò, solum sacerdotem esse ministrum huius sacramenti. Est de fide definita in Concilio Florent. in literis vnionis, & Tridentino, sess. 14. c. 6. & can. 9. & 10. & in Constantiensi sess. 8. & 15. vbi damnantur errores Ioannis Husz, & Vuicleph: & in Concilio Cauilonensi 2. c. 33. & habetur in c. *Quidam dicunt*, de Pœnit. d. 1. vbi dicitur vniuersam sanctam Ecclesiam docere, sacerdotibus esse confitenda peccata. Definiuit etiam Leo 10. in damnatione articulorum Lutheri. Fundamentum est, quia in ministro huius sacramenti necessaria est potestas clauium, quia nullus potest esse iudex sine potestate: hæc autem potestas cùm supernaturalis sit, vt suprà ostensum est, non per se, & necessariò conuenit omnibus, sed illis, quibus à Christo data est, vt per se est manifestum: solum ergo illi possunt esse ministri cõfessionis, quibus Christus contulit hanc potestatem: contulit autem solis sacerdotibus, quod solum probandum superest. Probatur autem ex Ioan. 20. vbi solis Apostolis pro se, & suis successoribus dixit Christus, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: per quæ verba concessit prædictam potestatem, vt in superioribus etiam ostensum est.

Conc. Flor. Conc. Trid. Conc. Constantiens. Conc. Cauilon.

Leo 10.

Ioan. 20.

3 Obiect.

Dicet quis, Vnde constat illa verba dicta esse Apostolis in dicto sensu: sæpe enim loquebatur Christus Apostolis pro illorum personis, vt quando dedit potestatem eiiciendi dæmones, & sanandi infirmos, &c. interdum in illis loquebatur toti Ecclesiæ, vt cùm dicit, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: interdum loquebatur illis, & successoribus illorum tantùm in potestate Episcopatus, vt fortè cùm dedit potestatem excõmunicãdi, vel, quod certius est, cùm dedit potestatem ordinandi sacerdotes: vnde ergo constat illa verba non posse aliquo ex dictis modis intelligi, non verò quòd sint dicta Apostolis pro illis, & eorum successoribus in dignitate sacerdotali? Respondetur, si coniectura vtendum est sufficiens ratio reddi potest: nam cùm hæc potestas, & sacramentum ad commune bonum Ecclesiæ ordinaretur, & esset vnum ex præcipuis fundamentis eius, sicut Ecclesia erat perpetuò duratura, ita & hæc potestas: & inde constat illa verba non esse dicta Apostolis personaliter, sed pro illis, & eorum successoribus; qua ratione suprà latiùs vsi sumus. Deinde, quia hoc sacramentum est grauissimum iudicium, non debuit cuilibet de populo committi, sed determinatis iudicibus. Et quia est iudicium sacrum, non nisi sacer minister, seu consecratus institui debuit. Deinde non oportuit reseruari solis Episcopis, quia hoc sacramentum est magnæ necessitatis, & iudicium frequenter, ac cõmuniter exercendum, & propterea rectè intelliguntur illa verba non esse dicta Apostolis, vt simpliciter repræsentabant totam Ecclesiam, neque vt solum repræsentabãt Episcopos, sed vt solùm repræsentabant sacerdotes. Sicut illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus data est potestas consecrandi, dicta sunt Apostolis pro illis, & eorum successoribus in dignitate sacerdotali. Vnde etiam sumitur optima congruentia, quia potestas hæc absoluendi, quæ est supra corpus Christi mysticum, concedi debuit iis, qui habent potestatem suprà corpus Christi verum, quia quibus cõpetit conficere verum Christi corpus, debuit etiam dari potestas ad disponenda membra Christi, vt essent apta ad illius corpus verum suscipiendum, & propterea potestas hæc nulli eorum conceditur, qui in inferiori gradu constituitur.

Decisio ex coniectura.

4 Diuisio ex vsu, & cõsuetudine Ecclesiæ.

Sed, quod caput est, hanc veram interpretationem, & doctrinam confirmat infallibilis traditio Ecclesiæ, quæ constat in primis perpetua consuetudine, cuius nullum initium cognoscitur, neque in aliquo Concilio, neque in aliquo Pontificis decreto, quod est signũ esse traditionem Apostolorum, qui ita sensum verborum Christi intellexerunt, & Ecclesiæ tradiderũt. Deinde constat ex veterum Patrum testimoniis, qui dicunt hoc significasse Christum, cùm Lazarum dedit Apostolis soluendum Ioan. 11. & cùm illos misit ad soluendũ pullum, & asinam, Mat. 21. vt ex Athanasio, Augustino, & aliis suprà citati, disputatione 1. de clauibus. Intelligunt etiã hoc indicasse Christũ Mat. 4. & Luc. 17. quãdo misit leprosos, vt se sacerdotibus ostẽderent. Vnde etiam intelligũt hoc fuisse figuratum in lege veteri, in qua iudicium inter leprã & lepram sacerdotibus erat reseruatum. De quo videri potest Hieronymus Matth. 18. & Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, præsertim colum. 4. vbi inter alia ait, sacerdotes Euangelicos habere potestatem, *quam neque Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes habent*, quia ad hos omnes dictum non est, *Quodcunque solueritis*. Vnde concludit, Christianos omnes persuasos esse debere, sacerdotum curationibus se submittere oportere. Vnde Leo Papa epist. 89. aliàs 91. c. 2. de hoc tractans, inter alia ait, sic esse diuinæ bonitatis præsidia ordinata, *vt indulgentia Dei nisi sacerdotum supplicationibus nequeat obtineri*. Et Fabianus Papa epist. 2. Decretal. col. 4. ad finem dicit, qui mortaliter peccat, in barathrum delabi, *nisi ei sacerdotali dignitate subuentum fuerit*. Et Cyprian. lib. de lapsis, circa finem. *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, Domino grata est*. Et epist. 54. aliàs lib. 4. epist. 2. in fine dicit, pœnitentibus

Ioan. 11. Matt. 21. Matt. 4. Luc. 17. Hieron. Chrysost. Leo Papa. Fabian. Papa. Cyprian.

tibus per sacerdotem posse pacem concedi. Et de eadem re est optima tota epist. 55. quæ aliàs est 2. lib. 1. Ambrosius etiam lib. 1. de Pœnitentia, ius ligandi & soluendi solis sacerdotibus dicit esse datum, & munus Spiritus sancti esse officium sacerdotis, & lib. 2. cap. 2. in fine, *Concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad sacerdotes transmissum est.* Idem Ambrosius serm. 10. in Psalm. 118. aliquantulùm à principio, *Accepimus*, inquit, *Spiritum sanctum, qui non solùm nostra peccata dimittit: sed etiam nos fecit sacerdotes ad aliorum dimittenda peccata.* Et Augustinus de vera, & falsa pœnitent. capite 10. & habetur in cap. *Quem pœnitet*, de Pœnitent. d. 1. *Reseruentur vtiam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem;* & libro 50. homil. in 50. cap. 11. *Veniat ad Antistites, per quos in Ecclesia clauis animi tradantur.* Basilius etiam in Reg. breuior. in 288. cùm interrogatus esset, an liceat cuilibet confiteri peccata, respondet, *Necessariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Et citat locum Actor. 16. vbi homines baptizati solis Apostolis confitebantur peccata. Et simili modo in epist. ad Amphilochium, can. 73. dicit, ministrum pœnitentiæ esse solum illum, qui habet potestatem ligandi, & soluendi. Denique Tertull. lib. de pœnitent. cap. 9. meminit consuetudinis antiquissimæ confitendi flexis genibus coram sacerdote. Vnde lib. de Præscriptionibus hæreticorum, cap. 41. circa finem, grauiter reprehendit hæreticos, quòd omnia confundant, & laicis sacerdotalia munia committant.

Ambros. Augusti. Cap. quem pœnitet. Basilius. Act. 16. Tertull.

5 Dubium deciditur.

Sed contrà: nam Iacobi 5. dicitur, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Respondetur primùm, non esse certum ibi esse sermonem de sacramentali confessione. Vnde Beda ibi distinguit inter peccata mortalia, & venialia: & priora dicit esse confitenda sacerdotibus; hæc verò posse dici coram aliis: quod non est verum de sacramentali confessione, quia etiamsi fiat de solis venialibus, soli sacerdoti fieri potest: nam quæ adduximus generaliter probant de hoc sacramento, & de potestate clauium. Imò quod aliqui dicunt, confessionem venialium posse fieri laico, non per modum sacramenti, sed cuiusdam sacramentalis, & per absolutionem eius remitti hæc peccata, sicut per alia sacramentalia, non habet fundamentum; sed solùm potest esse illa confessio per modum cuiusdam actus humilitatis, vel ad petendam orationem, seu consilium, vt suprà etiam dictum est. Secundò, intelligendo illum locum, vt probabilius est, de confessione sacramentali, sensus est, homines non tantùm Deo, sed etiam hominibus debere confiteri peccata sua; non tamen omnes debere confiteri omnibus, sed illis, qui ad hoc deputati sunt, & potestatem habent, quod ipse supponebat esse in Ecclesia satis distinctum, & ordinatum.

Beda.

---

*Secunda Assertio.*

6

Dico secundò, Sacerdos, etiamsi malus sit & iniquus, potest esse sufficiens minister huius sacramenti. Est de fide diffinita in specie in Concilio Tridentino, session. 14. can. 10. de qua videri possunt suprà dicta de sacramentis in genere, & specialiter Chrysost. hom. 85. in Ioan. & Augustin. tract. 5. in Ioan. Et ratio est, quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate, sed in potestate à Christo concessa, quæ propter peccatũ non amittitur. Contra hanc autem veritatem docere videtur Auctor imperfecti in Mat. homil. 53. & Orig. tract. 2. in Matth. quos conatur exponere Sixtus Senens. lib. 6. Bibliothecæ, notat. 69. & 70. & 108. Sed reuerà vterque loquitur valdè impropriè, nec in illorum interpretatione multum immorari necesse est. Augustinus verò variis in locis animaduersione indiget. Nam lib. 3. de Baptismo, cap. 18. & lib. 5. cap. 21. & lib. 6. cap. 3. & lib. 7. cap. 51. dicit potestatem remittendi peccata datam esse Ecclesiæ prout ex iustis & sanctis constat. Sed interdum Augustinus non loquitur de potestate remittendi peccata sacramentaliter, sed de potestate impetrandi aliis remissionem peccatorum, vel si loquatur de priori potestate, intelligit datam esse soli Ecclesiæ, in qua est vera sanctitas; non tamen sentit solùm esse hanc potestatem in membris sanctis; constat enim aliàs ex Augustino, in Ecclesia non tantùm esse sanctos, sed etiam peccatores, & sacramenta posse validè ab vtrisque ministrari. De qua re in superiori tomo fusè dictum est.

Conc. Trid. Chrysost. August. Qui contra hanc veritatem docere videantur. Auctor imperf. Orig. Sixtus Senens.

Explicantur in vero sensu. August.

---

*An ex dispensatione, vel ob necessitatem possit hoc sacramentum à non Sacerdote fieri.*

7 Ratio dubitandi quoad primum.

Sed difficultas superest, an sacerdos sit ita necessarius minister, vt neque ob dispensationem, neque ob necessitatem possit ab alio sacramentum fieri: ex vtroque enim capite potest esse aliqua dubitandi ratio. Ex primo, quia interdum minister, qui per se & ordinariè non sufficit ad aliquod sacramentum ministrandum, potest sufficere ex dispensatione Põtificis, vt in sacramento Confirmationis constat: ergo, licèt sacerdos sit ordinarius minister huius sacramenti, ex dispensatione poterit sufficere diaconus, præsertim cùm hoc sacramentum, sit maioris necessitatis, quàm Confirmatio. Ex alio verò capite potest esse dubitandi ratio, quia ob necessitatem videtur esse sufficiens ratio, vt laicus possit confessionem audire, quando pœnitens est in extremo articulo, & non est copia sacerdotis. In Baptismo enim ita institutum est, quia est sacramentum necessitatis: cur ergo non etiam in hoc sacramento, quod etiam necessitatis est? Et augetur primò difficultas ex cap. *Fures*, extra, de furtis, vbi præcipitur vt fur, qui in actuali furto interficitur, careat sepultura: & subditur, *Si autem presbytero, vel diacono confessus fuerit, communione non priuetur.* Cui consentaneus est locus Cypriani suprà tractatus epistol. 13. aliàs libr. 3. epist. 17. vbi committit Diacono, vt in absentia Presbyteri reconciliet pœnitentem iam animam agentem. Et confirmatur secundò, quia in articulo mortis, qui non potest confiteri sacerdoti, tenetur confiteri laico, vt videtur docere Magister in 4. distinct. 17. cap. 5. & ibi D. Thomas quæst. 3. artic. 3. quæst. 2. ad 1. ergo est illa vera confessio, & ille verè minister.

Ratio dubitandi quoad secundum.

Augetur difficultas ex c. *Fures.* de Furtis.

Cyprian.

Magister. D. Thom.

Dicendum tamen est, sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita vt nulla necessitate, neque ex vlla dispensatione alius sufficere possit. Est conclusio communis Theologorum, & de fide, quæ probanda est ex dictis in probatione principalis assertionis, & ex Concilio Tridentino, sess. 14. can. 10. vbi absolutè definit solum sacerdotem posse esse ministrum huius sacramenti. Vnde multò aliter loquitur, quàm de ministro Confirmationis, vel Baptismi fuerat locutus. Ratio verò est, quia sine potestate clauium nullus potest esse minister, vt constat ex suprà dictis: quia sine potestate absoluendi nullus potest conficere hoc sacramentum, nec verè proferre formam: potestas autem clauium fundatur in charactere sacerdotali. Et confirmatur, quia nullus nisi sacerdos potest ex dispensatione, vel ob necessitatem conficere verum Christi corpus: ergo similiter, &c. Tandem hoc pendet præcipuè ex institutione Christi: traditio autem, & vsus Ecclesiæ docet ita esse hoc à Christo institutum.

8 Conclusio negatiua.

Conc. Trid.

Ratio

9 Ratio differentiæ inter hoc sacramentum & Cõfirmationem,

Ratio verò differentiæ inter hoc sacramentum, & Confirmationem reddi potest, quia in hoc sacramento minister regulariter deesse non potest, neque potest accidere, vt communi bono Ecclesiæ, vel alicuius prouinciæ eius expediat talis dispensatio, quia sacerdotes in Ecclesia ordinariè inueniuntur: ita vt in vna prouincia, vel ciuitate nunquàm desint, & in particularibus casibus tarò deficiant: & ideò non oportuit vt in eo posset dispensatione vti. Confirmationis autem ordinarius minister est solus Episcopus, qui interdum deesse potest etiam in tota aliqua regione. Item, quia sacramentum Confirmationis solùm Presbytero committi potest, qui iam habet potestatem in verum Christi corpus, & adhuc in controuersia est, an in charactere differat ab Episcopo. At verò, si ministerium huius sacramenti committendum fuisset alteri, quàm sacerdoti, committeretur homini non habenti potestatem in verum Christi corpus. Quæ quidem sunt congruentiæ. Vera autem ratio est Christi institutio. Et idem dicendum est de Baptismo. Est enim Baptismus maioris necessitatis, quàm hoc sacramentum: nam hoc semper suppleri potest per contritionem; ille verò non, saltem in paruulis: & ideò aliter est commissum sacerdotibus ministerium illius sacramenti, quàm istius. Cuius signum manifestum est: quia si extra necessitatem laicus baptizet, licèt malè faciat, tamen sacramentum tenet: quod in hoc sacramẽto nullo modo dici potest.

10 Cap. Fures, de furtis, explicatur.

Vnde ad illud ca. *Fures*, respondetur, sensum esse, si ostenderit signa contritionis, & pœnitentiæ, non esse illi denegandam Communionem: numerantur autem specialiter Sacerdos, & Diaconus, quia à Sacerdote potest & absolui, & communicari: Diaconus verò quanuis non possit illum absoluere, potest tamen in illo articulo, & deficiente sacerdote, Eucharistiæ sacramentum ministrare illi, dummodò alius se sufficienter dispositum ostendat. Et hoc significatum est per illa verba, *Si Diacono confessus fuerit.*

11 Panorm.

Hinc verò colligit Glossa ibi, in extrema necessitate, deficiente sacerdote, confessionem esse inferiori etiam laico faciendam. Et Panormitanus addit ibi, & posse, & debere. Quem modum loquendi imitati sunt Theologi suprà citati. Sed certũ est, talem confessionem non esse faciendam in ordine ad absolutionem, quia ille non potest esse iudex. Vnde est certum, non esse necessariam necessitate sacramenti, seu salutis: cùm ad sacramentum conficiendum, vel ad gratiam obtinendam nihil conferat. Ex quo etiam aperte sequitur, non esse necessariam necessitate præcepti, per se loquendo: quia hoc præceptum coniunctum est cum potestate clauium, estque idem cum præcepto recipiendi hoc sacramentum: illa autem confessio neque in potestate clauium fundatur, neque ad sacramentum conficiendum ordinari potest, cùm non sit accusatio coram legitimo iudice: nullo ergo modo necessaria est. Aduertere autem oportet in Concilio Constantiensi, in Bulla Martini quinti, in qua condemnantur errores Ioannis Vuicleph, & Ioannis Husz, inter alias interrogationes, quæ ibi proponuntur pro his, qui sunt suspecti de illa hæresi, vnam esse: *Vtrùm credant, quòd Christianus vltra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcunque bonis & deuotis.* Vbi cùm additur, *habita copia sacerdotis idonei*, videtur indicari, in absentia eius esse necessarium confiteri laico. Sed hoc argumentum à contrario sensu nullius est momenti, in materia præsertim doctrinali; ibi ergo solùm proponitur interrogatio de eo, quod ad fidem pertinet: aliud verò, quod spectat ad Theologicam quæstionem, proponendum non fuit, nec propterea aliquid circa id definitur, aut insinuatur.

Cõc. Const.

Certum ergo est, confessionem laico faciendam, nec sacramentalem, nec necessariam esse. Imò addit Scotus d. 14. quæstione quarta, neque consulendam esse talem confessionem, quia homo se infamat sine causa. Et dist. 17. articulo tertio, dicit regulariter non esse vtilem; ac denique dubitat, an licita sit. Idemque ferè sentit Soto distinct. decima octaua, quæstione quarta, articulo primo. Contrarium verò sentit Alexand. Alensis, quarta parte, quæst. 78. membro primo, articulo primo, quem sequuntur Bonauentura & Paludan. distinctione decima septima, & sumitur ex Augustino de vera & falsa pœnitẽtia, capite decimo. Sed neutrum censeo posse simpliciter affirmari, sed considerandas esse circunstantias rerum, & personarum. Nam si persona indigeat consilio, & auxilio, & alia si prudens, à qua possit vtilitas & secretum sine alio graui detrimento sperari; optimum erit hoc medio vti: nam illa qualiscunque infamia maiori spirituali vtilitate compensatur; & in reliquo, homo potest cedere iuri suo. Si autem illæ circunstantiæ non concurrant, mèlius erit soli Deo confiteri, vt rectè Nauarrus in capite primo de Pœnitent. d. 6. nu. 72.

12 Scotus. Soto. Alens. Bonau. Palud. August. Nauarr.

## SECTIO. II.

*Vtrùm omnis sacerdos, vel solus ille, qui potestatem habet iurisdictionis, possit esse minister huius sacramenti.*

1

DE potestate ordinis supra corpus Christi mystici, & de potestate iurisdictionis dixi nonnulla suprà, secunda parte huius materiæ, disput. 16. sect. 1. quę hìc repetenda non sunt, sed supponenda. Præsertim oportet vt in significatione nominum conueniamus, ne fortè de nominibus, aut in ambiguo laboremus. Quidam enim ipsam potestatem ordinis in corpus Christi mysticum, iurisdictionem appellant, vt Abulensis in suo Defensorio part. 2. c. 62. & nonnulli alij, vt ibi vidimus: quia illa reuerà est potestas iudiciaria ad ligandum, & soluendum in hoc foro: omnis autem potestas iudiciaria videtur esse iurisdictio, quia est potestas ad dicendum ius. Ego verò hanc appello potestatem ordinis cum communi modo loquendi antiquorum Theologorum, imò & Conciliorum: quia per ipsam consecrationem, & ordinationem sacerdotis datur, & immutabilis, ac indelebilis est: & præter illam datur propria potestas iurisdictionis, per quam vnus alteri subditur in hoc foro, quod non fit per solam potestatem ordinis, vt ex dictis in citato loco constat.

Abulens. Potestas ordinis.

2 Error hæreticorum.

Supposita ergo significatione nominum, hæretici sicut non agnoscunt hoc sacramentum esse verum iudicium, ita etiam totum hoc genus iurisdictionis cõtemnunt. Veruntamẽ eos omittamus: nam eorum fundamentum satis impugnatum est, & iurisdictio in hoc foro satis est in superioribus demonstrata, & ex dicendis etiã constabit. Inter Catholicos autem quidam dixerunt, omnes sacerdotes ex vi suæ ordinationis, & diuini iuris esse sufficiẽtes ministros huius sacramẽti; ita vt, quanuis possit Ecclesia prohibere aliquibus sacerdotibus ne hoc sacramẽtum ministrent; non tamen possit efficere, quin eorum absolutio sit valida, quantùm est ex parte illorum, si ex parte pœnitentis omnia necessaria concurrant. Quod ideò dicitur, quia in hoc sacramento, ex defectu dispositionis pœnitentis fieri potest, vt sit inualidum, vt suprà dictum est: & ideò si pœnitens scienter cõfiteatur sacerdoti ab Ecclesia prohibito, grauiter peccat, & indispositus accedit, & ex hac parte nullum fit sacramentum:

Quæstio. Prima sententia.

mentum: si autem accederet bona fide, & cum debita dispositione, sacramentum esset validum. Hanc sententiam tenuit Armacanus libr. 11. de Quæstionibus Armenorum à principio, per nonnulla capita. In quam etiam inclinat Almain. in quart. distinctione decimaoctaua, quæstione vnica, neque improbabilem reputat Durandus distinctione decimanona, quæst. 2.

Armac.

Almain.

Durand.

3. Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis institutionis, *Accipite Spiritum sanctum*. Nam ex vi illorum constituti sunt ministri sufficientes huius sacramenti, quos non potest Ecclesia mutare, neque eorum actum irritare, magis quàm in aliis sacramentis. Præter hoc autem adduntur cõiecturæ sumptæ ex aliquibus casibus, in quibus potestas ad conficiendum hoc sacramẽtum ita est communis omnibus sacerdotibus, vt nõ possit per Ecclesiam auferri, vt in articulo mortis, & circa peccata venialia. Solet etiam argumentum sumi ex confessionibus Pontificis, vel Episcoporum. Sed de his casibus dicemus infrà in propriis locis, parum enim ad præsentem faciunt. Principale autem fundamentum suprà solutum est, cùm de potestate remittendi peccata disputaremus, vbi latè ostendimus ipsum falsum esse, & sententiam hanc iam hoc tempore esse erroneam.

4. Secunda sẽtentia.

Alij tandem distinctione vsi sunt, vt refert Medin. Cod. de Confess. quæstione de Confessione, non necessitate, sed voluntate facta. Nam in confessione voluntaria, quæ non est ex præcepto, dixerunt, quemlibet sacerdotem, etiamsi iurisdictionem non habeat, posse esse ministrum; in ea verò confessione, quæ fit ex necessitate præcepti, aiebant, non quemlibet sacerdotem sed illum tantùm, qui iurisdictionem habet, posse esse ministrum; ac si hæc necessitas orta sit ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, præcipiente confessionem annuam fieri proprio sacerdoti. Hæc verò sententia non est minùs falsa, quàm præcedens: quia necessitas iurisdictionis in ministro huius sacramenti non est ex præcepto Ecclesiæ, sed ex intrinseca ratione, & institutione huius sacramenti per modum iudicij, vt mox explicabimus. Item, quia alias, quamuis in confessione ex præcepto esset necessaria iurisdictio, vt licitè ministraretur sacramentum; non tamen esset per se necessaria ad valorem eius, quia solum præceptum Ecclesiæ ad hoc non sufficit. Tandem confessio de peccatis mortalibus (de qua præcipuè agimus) licèt interdum fiat voluntariè quoad temporis circunstantiam, tamen per illam semper impletur præceptum diuinum confessionis quoad substantiam eius; præceptum autem diuinum obligat ad confitendum omnia peccata ecclesiasticis iudicibus & pastoribus, à qua obligatione homo liber manet per illam confessionem voluntariam: ergo idem minister in ea requiritur, quando est de mortalibus priùs non confessis: nam si sit de venialibus, seu materia non necessaria, hæc ratio non ita vrget. Prior tamen etiam de illa procedit, vt latiùs inferiùs dicemus.

Secunda sẽtentia reprobatur.

---

## *Quæstionis resolutio.*

5. DICENDVM ergo est per se loquendo, non omnes Ecclesiæ sacerdotes esse sufficientes ministros ad conficiendum validè hoc sacramentum circa materiam necessariam eius, idque non tantùm per accidens ob indispositionem pœnitentis, sed per se ob defectum alicuius rei necessariæ ex parte ipsius ministri. Hæc assertio communis Theologorum, D. Thomæ in 4. d. 17. quæst. 3. articul. 3. quæstion. 4. & d. 19. quæst. 1. artic. 3. quæst. 1. Paludan. d. 17. quæst. 3. artic. 1. & d. 19. q. 2. art. 3. vbi etiam Capreolus, Gabr. Scotus, & Maior quæst. 1. Bonauentura art. 3. quæst. 2.

D. Thom. Palud. Capreol. Gabr. Scotus. Maior. Bonau.

A Richard. artic 1. quæst. 3. Soto d. 18. quæst. 4. artic. 2. & d. 20. quæst. 1. art. 5. Ledesma 2. part. 4. quæst. 32. art. 1. Cano dict. Relectio. de Pœnit. part. 5. Petrus Soto lectio. 5. de Confessione, Medina Cod. de Confessio. quæst. 39. Consentiunt etiam Caietanus tomo primo, Opuscul. tractat. 7. & Nauarrus in Summa, cap. 27. numer. 259. & in capit. *Placuit*. de Pœnitent. distinct. 6. in principio, numer. 48. & 53. & Angelus verb. *Cõfessio*, 3. num. 4. & Syluest. verb. *Confessor*. 1. quęst. 1. & 2. & D. Antoninus 3. part. titul. 17. ca. 4. casu 3. Sumiturque ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, clariùs ex Tridentino, sess. 14. capite septimo dicẽte, nullius momenti esse absolutionem à sacerdote datam, *qui neque ordinariam, neque delegatam iurisdictionem habet*. In quibus verbis Concilium vnum supponit, scilicet, posse aliquos sacerdotes carere omni iurisdictione in hoc foro; & aliud docet, scilicet, absolutionem ab eis datam nullius momenti esse, & consequẽter esse per se nullam ex impotentia absoluentis: nam si ex hoc capite, ac per se posset esse valida circa pœnitentem rectè dispositum, non posset talis absolutio per se dici nullius momenti. Atque hanc dicit Concilium esse Apostolicam traditionem, quæ confirmari potest ex Damaso Papa in epistola quarta Decretali, & ex Concilio Hispalensi 2. capit. 7. dicentibus, presbyterum non posse reconciliare pœnitentem sine licentia Episcopi: & loquuntur clarè de reconciliatione sacramentali. Et hoc ipsum confirmat capitulum, *Omnis vtriusque sexus*, dicens, alienum sacerdotem sine licentia proprij, non posse soluere, vel ligare. Idem sumitur ex capitulo *Si Episcopus*. de Pœnit. & remission. in Sexto, vbi dicitur, nulla consuetudine posse præscribi, vt aliquis sibi confessorem eligat sine licentia sui Prælati: nam si quilibet sacerdos ex vi iuris diuini esset sufficiens minister huius sacramenti, & prohibitio Ecclesiæ solùm faceret illicitã huiusmodi electionem confessoris sine licentia Prælati, consuetudo posset contra illam prohibitionem præualere: nam potest legem humanam reuocare.

Richard. Soto. Ledesm. Cano. Petr. Soto. Medina. Caiet. Nauar. Angel. Sylvest. D. Anton. Conc Flor. Conc. Trid.

B

C

Damas. Conc. Hisp.

Ratio à priori huius veritatis est, quàm Concilia tetigerunt, quia de essentia huius sacramenti, & de necessitate ex parte ministri est, vt habeat iurisdictionem: sed non omnis sacerdos habet iurisdictionem: ergo non omnis sacerdos est sufficiens minister. Maior patet, quia hoc sacramentum essentialiter est iudicium: ergo minister eius necessariò requirit omnia, quæ sunt de ratione veri iudicij: de ratione autem iudicis est vt habeat iurisdictionem. Quia nemo potest sententiam ferre, seu ius dicere in non subditum, vt Concilium Tridentinum dixit: nemo etiam potest ligare, aut pœnam imponere ad vindicandum delictum, nisi qui iurisdictionem habet: vtrumque autem facit minister in hoc sacramento. Maior verò supponitur tamquàm clara in dictis Conciliis, & ex illa partitione iurisdictionis, quam insinuant, probationem eius indicant. Partitio est, quia omnis iurisdictio aut ordinaria est, aut delegata: quæ in materia de iudiciis per se satis nota est, & in sequenti libro de censuris à nobis fusiùs tractabitur. Nunc breuiter exponitur: nam iurisdictionem ordinariam dicitur habere is, qui ex vi proprij muneris & officij est superior alteri, & in præsenti materia dicuntur illam habere, qui ex officio sunt Pastores animarum, qui propterea etiam possunt hanc iurisdictionem aliis committere. Vnde illi dicuntur habere hanc iurisdictionem delegatam, qui solùm habent illam ex commissione, ac propterea per se non possunt eam aliis subdelegare. Est ergo illa partitio adæquata, cùm membra eius immediatam oppositionem, seu contradictionem includant. Atque hinc

6. Ratio veritatis à priori.

D

Conc. Trid.

Iurisdictio ordinaria.

E

Iurisdictio delegata.

facilè probatur maior propositio, quia manifestum est, non omnes sacerdotes ita esse animarum pastores, vt ex officio iurisdictionem ordinariam habeant. Notum est etiam, non omnes sacerdotes, qui pastores non sunt, habere iurisdictionem ab ipsis Pastoribus commissam. Quæ omnia latiùs confirmari possunt ex dictis suprà de potestate iurisdictionis. Est autem hîc aduertendum, propter opiniones ibi tractatas, quòd licèt Catholici Doctores inter se disputent, an sacerdotes habeant iurisdictionem à Christo, vel ab Ecclesia, omnes tamen, excepto Armacano, in hoc conueniunt, quòd non omnes sacerdotes possunt validè ministrare hoc sacramentum, & consequenter quòd deest aliquibus iurisdictio, vel aliquod eius complemẽtum, quidquid illud sit: quod ad præsentem quæstionem satis est, alia verò controuersia satis ibi disputata est.

Aduertendũ primò.

7. Corollariũ. Vnde ex hac resolutione colligitur valorem huius sacramenti ex parte ministri pendere ex aliqua concessione, vel prohibitione Ecclesiæ: quod est singulare huic sacramento inter cætera. Nam in aliis quantumuis Ecclesia remoueat ministrum à sacro ministerio alicuius sacramenti, nihilominus sacramentum ab illo datum validum est, licèt ille peccet ministrando, quia nulla conditio sublata fuit necessaria ad sacramentum, licèt vsus fuit prohibitus: in hoc autem sacramento, si Ecclesia non concedat, vel auferat iurisdictionem, & hoc modo prohibeat ministerium, non solùm peccat sacerdos, qui tentat absoluere: sed etiam nihil facit, vt apertè docuit Concilium Tridentinum. Et ratio est, quia illa non est tantùm prohibitio, sed etiam ablatio alicuius conditionis, seu potestatis necessariæ in ministro ad valorem talis actus, quam potestatem nos diximus esse iurisdictionem, quia hæc reuerà est moralis potestas necessaria, & quę per homines dari vel auferri potest, & quidquid aliud fingitur, aut sine fundamento est, aut reuerà non est aliud, sed idem, alio nomine, præter communem vsum Ecclesiæ, & Conciliorum, nominatum, vt in citata disputatione satis declaratum, & probatũ est. Neque hinc sequitur, Ecclesiam mutare aliquid substantiale in ministerio huius sacramenti: quia requisita ad valorem huius sacramenti ex institutione Christi semper eadem sunt, & illis concurrentibus, non potest Ecclesia impedire quominùs sacramẽtum validum sit, neque etiam quod sine illis fiat, potest tamen facere vt hic homo habeat, vel non habeat omnia necesaria ex institutione Christi ad conficiendũ hoc sacramentum. Nam vnum ex his requisitis est, quòd iurisdictionem, & subditum habeat, quod pendet ex concessione, vel ablatione Ecclesiæ, de qua re dixi plura in superiori tomo, tractando de sacramentis in genere.

8. Aduertendũ vltimò. Vltimò aduertendum est, assertionem positam limitatam à nobis fuisse ad *materiam necessariam* huius sacramenti, quæ est peccatum mortale nunquàm confessum, & *per se loquendo*. Et hoc posterius additum est ad excludendum casum extremæ necessitatis, in quo quilibet sacerdos potest esse minister modo infrà explicando. Illud verò priùs positum est propter peccata venialia, vel mortalia iam semel ritè confessa: nam ab vtrisque potest absoluere quilibet sacerdos, præsertim ab Ecclesia toleratus, si de illis solis fiat cõfessio. In quo tamen aduertendum est, duabus de causis posse intelligi, quemlibet sacerdotem esse sufficiẽtem ministrum in confessione, quæ fit de solis venialibus peccatis. Prima est, quia ad absoluendum in tali causa nõ requiritur propria iurisdictio, sed sufficit voluntaria subiectio pœnitentis. Secunda est, quia, licèt requiratur iurisdictio, omnes sacerdotes illam habent. Priorem causam videtur approbare Caietanus Tomo

A 1. Opusc. tract. 7. quod ipse nulla ratione probat: & aliũde repugnat definitioni Concil. Latera. & Floren. & præcipuè Trid. quod minister huius sacramenti debet habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, alioqui nullius momenti erit absolutio eius. Quę definitio generalis est, sine vlla exceptione: ergo verum habet in omni casu, & in omni confessione, in quacunque necessitate, & ex quacunque materia fiat. Ratio etiam suprà facta generaliter hoc conuincit: nam etiamsi confessio fiat de solis venialibus, sacramentum hoc perfici debet per modum veri iudicij: ergo etiam in illo est necessaria simpliciter iurisdictio, quæ non est tantùm conditio requisita ex parte materiæ, vt Caiet. ait, sed etiã ex parte ipsius ministri, nõ minùs in hac confessione, quàm in aliis, quia nulla assignatur differentiæ ratio, nec Concilia in hoc aliter loquuntur, nec minùs peccata venialia remittuntur & iudicantur potestate diuina, seu manante ex Christi institutione, quàm cætera. Imò talis iurisdictio nõ vtcunque est conditio necessaria, sed etiam dici potest principium per se morale talis actionis: nam, licèt absolutio, vt est actus efficaciter sanctificans hominem, sit per se à potestate ordinis, tamẽ vt est iuridica prolatio sententiæ, est per se à potestate iurisdictionis: & quia non potest ritè exerceri nisi vtramque habeat, ideò necesse est, vt ab vtraque potestate procedat. Est ergo hoc in vniuersum verum, & sine vlla exceptione: quod existimo certum ex prædicta Conciliorum doctrina, & ratione. Exceptio ergo, & limitatio in regula, posita est propter aliam rationem, scilicèt, quia circa venialia peccata omnibus data est iurisdictio, & idẽ est circa mortalia in extrema necessitate: vnde autem sit talis iurisdictio, & quomodo constet, suo loco videbimus.

Caiet.

B

C

D

E

## DISPVTATIO XXV.

### *De ministro huius sacramenti ex ordinaria potestate.*

Ministri quantum ad potestatem ordinis æquales sunt.

MINISTRI huius sacramenti quantũ spectat ad potestatem ordinis, æquales sunt: nã, licèt possit ab Episcopis ministrari, illa excellentior potestas Episcopi per accidens est ad hoc ministerium: vnde modus etiam recipiendi hanc potestatem idem est in omnibus sacerdotibus: & ideò de hac potestate nihil superest in hac materia dicendum, sed reliqua pertinent ad materiam de Ordine. Potestas autem iurisdictionis, quia regulariter ab homine manat, & non datur per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam concessionem, & augeri potest, & minui, & variis modis concedi, quos oportet declarare. Supponendi autem sunt illi duo modi insinuati in Cõciliis suprà citatis, habendi, scilicet, hanc iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, de quibus quomodo differãt, iã satis dictũ est: de vtroq; ergo in particulari est dicendũ. Et in hac disputatione dicemus de ministro ordinario, & cõsequenter de proprio sacerdote singulorum fideliũ: in sequenti verò de ministris delegatis.

## SECTIO I.

### *Qui sint ministri ordinarij huius sacramenti respectu omnium, & singulorum fidelium.*

1. Tres sunt ordines ministrorum. Primus.

TRES sunt ordines in Ecclesia horum ministrorum, ad quos omnes alij reducuntur, qui numerari solent. In primo & supremo ordine est solus summus Pontifex, qui habet iurisdictionem hanc ordinariam, & eminentiorem omni

omnibus aliis: primò in hoc, quod habet illa immediatè à Christo Domino: nam, licèt eligatur ab hominibus, tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illis iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert, de quo alibi disputandum est, & videri potest Nicolaus Papa in cap. *In nomine Domini* d. 23. Secundò in hoc, quòd habet hãc iurisdictionem independentem ab alio, quin potiùs omnis alia pendet ab ipso. Tertiò quòd habet illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè, vel per alios, seu concedendo eam aliis, prout voluerit, vel oportuerit. Quæ omnia fundantur in verbo Christi Ioan. 21. *Pasce oues meas*: & videri possunt cap. vlt. & pen. 9. q. 3. & c. *Cuncta per modum*, de maiori. & obed. & D. Tho. Opusc. 1. c. 32. & Opusc. 19. c. 4. & alia quæ tractari solent 2. 2. q. 1. artic. 10. Et ad hunc ordinem reducuntur summus Pœnitentiarius Pontificis, Legatus à latere, & si qui alij excellentiori modo illam participant.

Ioan. 21.

D. Thom.

2. Secundus ordo.

In secundo ordine sunt Episcopi, de quibus dubitari solet an habeant iurisdictionem hanc humano, vel diuino iure. Quæ quæstio præcipuè tractari solet de iurisdictione Ecclesiastica pertinente ad forum contentiosum, sed est eadem ratio vtriusque, & ideò in materia de Censuris, Deo dante, tractabitur. Nunc breuiter attingam opiniones, & Auctores, & quid à nobis tenendum sit quantùm necessarium est ad ea, quę posteà dicemus de casuum reseruatione. Quidam ergo simpliciter dicunt Episcopos habere iurisdictionem iure diuino. Maior in 4. d. 17. q. 7. insinuat, Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 2. expressiùs dist. 21. ar. 4. & dist. 24. quæst. 2. art. 2. & lib. 1 de Iustitia, quæst. 1. art. 4. Petrus Soto lect. 5. de Confessione, Victor. Relect. 2. de Potestate Ecclesiæ, quæst. 2. Castro lib. 2. de Iusta hæret. punit. c. 24. & lib. de Hæresib. verb. *Episcopatus*.

An Episcopi habeant iurisdictionem humano vel diuino iure.

Prima sententia. Maior. Sotus. Petr. Soto. Victoria. Castro.

Contrariam sententiam tenet D. Thomas 2. 2. qu. 39. art. 3. & in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 3. & dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. vbi Soto, quæst. 1. art. 2. in fine 4. concl. hoc sentire videtur, nisi aliud intelligat per auctoritatem Episcopi, de qua ibi loquitur, aliud per iurisdictionem, de qua agit in aliis locis. Latiùs tenet hoc Caiet. Tom. 1. Opusc. tract. 1. c. 2. Turrecremata in Sũma de Ecclesia, lib. 2. ca. 54. Iacobatius libr. 10. de Cõciliis, ar. 7. Medin. Cod. de Confess. q. 39. Corduba lib. 4. de Potestate Papæ, q. 14. Couar. in reg. *Peccatum*, 2. p. §. 9. n. 6. & seq. vbi plures alios refert Auctores. Et ex Scholasticis antiquis in hanc partem inclinant Gab. lect. 43. in Canonem, Palud. in 4. d. 17. q. 2. & Durand. ibi q. 2. Henric. quodlib. 9. q. 22. Atque hanc sententiã, absolutè loquendo, veram censeo, quanquàm si accuratè distinguantur ea, quæ in hac materia certa sunt, vix possit in re esse dissensio, sed in modo loquendi.

3. D. Thom. Soto.

Caiet. Turrecre. Iacobat. Medina. Corduba. Couar. Gabr. Palud. Durand. Henric.

## *Quinque certa proponuntur.*

4. Primum. Episcopalis dignitas à iure diuino est introducta. Trident.

QVINQVE autem vel sex sunt in hac materia certa. Primum est, Episcopalem dignitatem ab ipso Christo fuisse institutam, atque adeò diuino iure esse introductam, & non ab hominibus. Hoc in materia de Ordine ex professo probandum est: nunc sufficiat definitio Concilij Tridentini, sess. 23. can. 6. & 7. Et à posteriori declaratur, quia Episcopus est necessarius minister aliquorum sacramentorum: constat autẽ sicut sacramenta sunt à solo Christo instituta, ita etiã ministros eorum. Simile argumentum est, quia iuxta probabilem sententiam ipsa consecratio Episcopi est verum sacramentum, vel pars sacramenti Ordinis: fuit ergo à Christo Domino instituta. Et ita in hoc sensu certum est, hanc dignitatem Episcopalem esse de iure diuino: quia, licèt per hominem tanquàm per ministrum sacramentorum conferatur, tamen & ipsum sacramentum, & minister eius, & effectus illius est certus & determinatus, & immutabilis ex institutione diuina, sicut character Baptismi, seu Confirmationis, & alij effectus sacramentorum.

5. Secundum. Iurisdictio spiritualis non est coniuncta cũ dignitate Episcopali.

Secundò est certum, nullam iurisdictionem spiritualem, præsertim ad forum pœnitentię pertinentem, esse necessariò coniunctam cum dignitate seu potestate ordinis Episcopalis: quod Castro suprà non satis aduertisse videtur: Soto etiam dicto libro decimo, de Iustitia, multa congerit, quæ videntur niti in contrario fundamento: quo destructo, omnia illa ruunt. Declaratur autem, & probatur. Duobus enim modis hoc intelligi potest: primò, vt nulla sit in Episcopo iurisdictio, quæ necessariò requirat Episcopalem consecrationem: secundò è contrario, vt Episcopalis consecratio nullam secum necessariò afferat iurisdictionem. & vtrumque verum est. Primum patet ex vsu Ecclesiæ, quia omnis actus iurisdictionis, qui potest per Episcopum exerceri, committitur interdum presbytero, & multi sunt Abbates, aut Archidiaconi habentes interdum iurisdictionem Episcopalem. Et de iurisdictione præsertim in hoc foro pœnitentiæ, est res certissima, quia absolutio à quocunque peccato exerceri potest per presbyterum, si iurisdictio conferatur, cuius sine dubio capax est. Secundum etiam facilè patet, quia sicut dantur aliqui sacerdotes simplices, & non habentes iurisdictionem, ex quo suprà intulimus sacerdotes non habere iurisdictionem ex vi ordinationis suæ, ita dantur aliqui simplices Episcopi, qui nullam habent iurisdictionem, quia nullam Ecclesiam habent sibi commissam, neque sunt ordinarij Pastores alicuius diœcesis. Interdum etiam aliqui, qui habuerunt Episcopatum, & iurisdictionem, illam renunciant consentiente Põtifice, & posteà manent sine iurisdictione vlla, ita vt si vellent absoluere ex vi solius potestatis, quam per ordinationẽ, vel cõsecrationem habent, nihil efficerent; signum ergo euidens est, illos non habere iurisdictionem vllam ex vi consecrationis suæ.

6. Tertium. Iurisdictio Episcopalis saltẽ in cõmuni à Christo fuit instituta.

Tertiò certum est, iurisdictionem Episcopalem, vt ordinariam, & ex officio saltem in communi esse à Christo Domino institutam, & præceptam, id est, instituit Christus Dominus, vt Petrus, & successores eius Ecclesiam per Episcopos gubernarent, eosque in partem sollicitudinis assumerẽt. Quod dupliciter potest intelligi: vno modo, vt Episcopi sint veluti Vicarij & delegati summi Pontificis: & hic modus non est sufficiens, aliter enim gubernat Papa vniuersalem Ecclesiam per Episcopos, quàm gubernet proprium & particularem Episcopatum Romanum per Vicarium suum: quia Vicarius non habet propriũ titulũ, & quasi proprietatem talis Episcopatus: vnde nec per se est proprius Pastor eius. Secus verò se habent Episcopi in propriis Episcopatibus: cuius signum à posteriori est, quia mortuo Pontifice, Vicarius eius in Episcopatu Romano, statim perdit ius suum, quia pendebat omninò ab eo, cuius erat Vicarius: reliqui autem Episcopi manent sicut anteà, quia iure proprio possident ius illud, & suo modo sunt domini illius. Hoc ergo secũdo modo intelligo gubernationem Ecclesiæ per Episcopos esse de iure diuino.

7. Innoc. 3.

Quæ videtur esse sententia Innocentij 3. in cap. 2. extra de Translatione Episcoporum: vbi dicit vinculum spiritualis desponsationis inter Episcopum & Ecclesiam suam esse de iure diuino. Et idem sentiunt Pius Pap. 1. in epist. 1. & Cornelius Pap. in epistol. 2. qui dicunt, Deum posuisse Episcopos, vt essent veluti oculi Ecclesiæ suæ. Nec est alienus ab hac senten-

Pius Pap. Corn. Pap.

Dionys. Cyprian. Bernard. D. Thom.

tia Dionysius de Cælesti Hierarchia, c. 5. & 6. Magis eam significat Cyprianus epist. 95. & Bernar. libro 3. de Considerat. ad Eugen. & D. Thom. multa congerit, quæ illam confirmant, Opusc. 19 c. 4. Et colligitur

Paul. ad Ep. 4. & 1. Cor. 12. Hiero.

satis ex verbis Pauli ad Ephe. 4. & 1. ad Cor. 12. vbi dicit posuisse Christum in Ecclesia *Pastores*: per quos Hieron. & cæteri expositores, Episcopos intelligunt: est autem de ratione proprij & perfecti Pastoris, vt habeat proprias oues: nam qui tantùm gubernat alienas, potiùs mercenarius dicitur, quàm pastor, vt colligitur ex Ioan. 10. Posuit ergo Christus in Ecclesia Episcopos, vt essent proprij animarum pastores, ad quos veluti iure suo, & quasi ex proprio munere pertineret

Act. 20.

cura ouiũ. Quod etiã indicatur Act. 20. in illis verbis *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiã Dei.*

8. Argumentũ à consuetudine, & traditione Ecclesiæ.

Præterea consuetudo & traditio Ecclesiæ hoc cõfirmat: statim enim ab initio Apostoli creabant proprios Episcopos Ecclesiarum, & Iacobum statim præfecerunt Ecclesiæ Hierosolymitanæ, vt esset ordinarius illius Episcopus: & idẽ fecerunt in Ecclesia Ephesina, Antiochena, & aliis, vt constat ex historiis, & nonnulla ex Actibus, & ex Pauli epistolis. Et ex modo quo hæc fecerunt, satis colligitur non fuisse hoc nouum consilium, vel institutionem eorum, sed ita à Christo Domino accepisse. Vnde sine dubio non posset tota Ecclesia hunc modum regiminis mutare, vt omnes etiã Auctores fatentur. Et ratio breuiter est, quia Christus Dominus instituit perfectam monarchiam in Ecclesia: ad perfectionem autem monarchię, & bonum animarum necessariũ fuit, vt in tota Ecclesia non tantùm vnus Monarcha, sed etiam vt sub illo essẽt alij veluti Principes Ecclesiæ, ipsi supremo Principi subordinati: ergo hoc totũ Christus instituit. Minor declaratur, tum quia monarchia, vt sit perfecta, debet habere aliquid admistum Aristocratiæ, quia oportet vt in Rep. sint varij Principes sub vno primo, qui sint veluti fundamenta, & nerui eius: tum etiam, quia in Rep. Christiana erat hoc maximè necessarium: nam est amplissima, & vniuersalissima, & eius regimẽ est spirituale, & internum, quod nõ fit exactè, nisi per proprios pastores, & Principes Ecclesiæ.

9. Quartũ Cũ Episcopali munere intrinsecè est cõiuncta ordinaria iurisdictio.

Quartò est certũ, cum Episcopali munere intrinsecè, & quasi ex natura rei esse coniunctam iurisdictionem ordinariam in hoc foro. Atque hoc modo non solùm diuinum ius positiuum, sed etiam naturale (quantum in hac materia esse potest) dictat, vt qui constituitur Episcopus, iurisdictionem hanc ordinariã habeat in eos, quorum fit Episcopus, quia talis iurisdictio est de intrinseca ratione talis muneris. Est enim Episcopus ex vi sui officij pastor animarum, & gubernator in spiritualibus, & magis in his, quæ pertinẽt ad internum bonum animæ, quàm ad externum: ergo tali muneri intrinseca est hæc iurisdictio.

10 Quintũ Episcopi habẽt Episcopale munus per summũ Põtificem. Leo Pap.

Innocent.

Calixt.

Quintò nihilominùs certum esse existimo, omnes Episcopos Ecclesiæ habentes Episcopale, & pastorale munus habere illud per summum Pontificem, seu dependenter ab illo. Quod variis modis explicatur, & probatur. Primò, quia omnes recipiunt hoc munus media auctoritate, & consensu Pontificis: quod docet apertè Leo Papa epist. 87. aliàs 89. & habetur in cap. *Ita Dominus*, 19. d. Et idem habet Innoc. 1. in epist. 26. seu 91. inter epistol. Aug. & habetur in cap. *Quoties* 24. q. 1. vbi multa sunt, quæ in hanc sententiam colligi possunt: & ex Calixto Papa, epist. 2. cap. 23. qui omnes dicunt ab auctoritate seu potestate Apostolicæ sedis manasse potestatem ad alios Episcopos. Et ex vsu Ecclesiæ hoc satis constat: solet enim summus pontifex creare Episcopos, & dicit se illis conferre ministerium talis Ecclesiæ in temporalibus, & in spiritualibus: & quanuis non eodem modo in vniuersa Ecclesia faciat, quia in quibusdam regionibus, præsertim Europæ, id solet facere immediatè per seipsũ, in aliis verò nõ ita, tamen, vt ex historiis cõstat, vel per se vel per Patriarchas, aut Legatos suos, semper aliquo modo hoc præstitit, quia reuerà pertinet officium vniuersalis Pastoris, & ad perfectionem Monarchię Ecclesiasticę. Secundò pendent alij Episcopi à summo Pontifice in determinatione seu diuisione diœcesum: nam hæc diuisio non est iure diuino facta, vt per se patet, ergo per hominẽ, ergo maximè pertinet ad summum Pontificem vnicuique assignare proprium terminum: vnde interdum potest coarctare, interdũ augere, vel diuidere territorium, vt latius patet 2. 2. q. 1. ar. 10. Et de hac re potest videri Bernard. epist. 131. Tertio pendẽt in extentione, vel limitatione iurisdictionis ad plures, vel pauciores effectus: quod satis constat experiẽtia in iis, quæ pertinent vel ad forum externum, vel ad dispensationes in votis, impedimentis, &c. vel ad absoluendum à censuris, vel ad conferendas indulgẽtias. In foro verò, de quo agimus, id euidenter constat ex casuum reseruatione, quæ nõ fit nisi per ablationẽ, seu limitationem iurisdictionis, vt latiùs dicendũ est Disp. sequenti. Idem argumentum sumitur ex aliquarum personarum exẽptione, quia potest Papa eximere à iurisdictione Episcoporum, sibique soli reseruare. Denique pendent in hoc, quod iurisdictio seu officiũ Episcopale potest per Pontificem auferri ex iusta causa, potest etiam mutari, vt fit in translatione Episcoporum, vt constat ex tit. de Transl. Episc. in Decretal. Satis ergo ex his constat, pendere multis modis iurisdictionem Episcoporum à potestate summi Pontificis.

Bernard.

*Conclusio.*

11.

EX his ergo tandem concludo, iurisdictionem hanc non dari Episcopis immediatè à Christo, sed per summum Pontificem, & hoc sensu non habẽre illam diuino, sed humano iure. Probatur primò, quia non habent illam ex vi consecrationis, sed ex vi sui muneris, vt ostensum est. Illud autem munus habẽt à summo Pontifice, & iuxta illius institutionem, & modum. Obiect. Dices: Etiam summus Pontifex habet iurisdictionem non ratione consecrationis, sed ratione muneris, quod munus etiam habet ab hominibus eligentibus ipsum. Respondetur habere longè diuerso modo: nam electores Pontificis non præbent munus, sed designant personam, cui Christus ipse immediatè suas vices committit: summus autem Pontifex verè cofert inferioribus Episcopatus tanquam supremus dispensator, sicut confert alia Ecclesiastica beneficia. Et hinc est, vt Pontifex semel electus non possit per hominem sua potestate priuari, neque integrè, neque ex parte, quia non habet illam ab hominibus, sed à Christo: Episcopi autem possunt per Pontificem priuari, aut transferri, & iurisdictio eorum potest limitari, prout Ecclesiæ fuerit expediens. Vnde etiam est alia manifesta differentia: nam iurisdictio Pontificia ex diuina institutione certa, & immutabilis est: iurisdictio autem Episcopalis ex vi solius iuris diuini non habet certũ modum aut terminum, sed per Pontificem tacitè, vel expressè modum & determinationem recipit. Hoc ergo est signum manifestum, iurisdictionem hanc esse immediatè ab homine: sicut de aliis ritibus Ecclesiasticis superiori Tomo diximus. Quidquid enim in genere tantùm à Christo Domino ordinatum est, modus autem vel dispositio particularis Apostolis, vel Pontifici est cõmissa, posteà cùm fit, absolutè est de iure humano, quia res non fit nisi in particulari, & ideò ab illo fit, à quo determinatè, & in particulari executioni mandatur. Exemplum optimum in hac materia est de præcepto annuæ confessionis, nam verisimile est Christum præcepisse Pastoribus Ecclesiæ, vt tempora vsui confessionis accommodata

modata & necessaria designarent: nihilominùs tamen præceptum annuæ confessionis simpliciter est Ecclesiasticum, quia ita in particulari ab Ecclesia positũ est, & ab ea semper ita pender, vt possit mutari: ita verò est de iurisdictione Episcopali, vt declaratum est.

11. Obiect. Sed obiiciunt, quia Apostoli habuerunt à Christo immediatè iurisdictionem, vt suprà diximus; & Episcopi succedunt Apostolis, vt docent Clem. 1. epist. 1. Anacletus epist. 2. & 3. & Cyprianus epist. 69. Et eodem modo loquuntur Concilium Florentinum in literis vnionis, & Tridentinum, sess. 23. cap. 4. ergo habent immediatè iurisdictionem ab ipso Christo: hac enim ratione maximè probatur summum Pontificem habere iurisdictionem immediatè à Christo, quia succedit Petro, qui immediatè à Christo illã habuit. Respondetur, si argumentum est validum probare Episcopos habere iurisdictionem à Christo in vniuersum orbem, quia Apostoli illam habuerunt: sicut ergo hoc non sequitur, ita neque illud. Et ob eandem rationem, scilicet, quia alij Apostoli à Petro sicut non acceperunt Apostolatum, vt perpetuò duraturum in Ecclesia, neque vt in illa dignitate eis succederetur, ita nec iurisdictionem, quam ex speciali priuilegio, & ratione illius dignitatis acceperunt, quæ in eis non fuit quasi ordinaria, sed ex peculiari Christi commissione, ob necessitatem illius temporis, in quo fundabatur Ecclesia. In hoc ergo Petrus, vt Christi Vicarius, multùm illos excessit: nam eius dignitas pastoralis instituta fuit à Christo tanquàm suprema, & ordinaria, ac perpetuò in Ecclesia mansura, iuxta illud, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & Tibi dabo claues regni cælorum*, scilicet, speciali modo: ideóque Petro singulariter dictum est, *Pasce oues meas*. Episcopi ergo dicuntur succedere Apostolis, sed quatenus fuerunt primi Episcopi, tam in potestate ordinis, seu consecrationis, quàm in speciali & ordinaria iurisdictione aliquarum Ecclesiarum, vt Iacobus fuit Episcopus Hierosolymis, & Ioannes Ephesi. Ac denique, quia post Pontificem sunt ordinarij Principes Ecclesiæ, sicut Apostoli fuerunt sub Petro: sicut ob similem proportionem dicuntur presbyteri succedere septuaginta Discipulis, vt notauit Diuus Thomas, secunda secundæ quæstione centesima octogesima octaua, a. 4. ad 5.

Obiect. satisfit.

Qualiter Episcopi succedant Apostolis.

D. Thom.

13. Addendum verò est iurisdictionem hanc Episcopalem quanuis prædictis modis differat à Papali in origine proxima, in independentia, & vniuersalitate absoluta, seruare tamen in hoc quandam proportionẽ cum illa. Nam in hoc foro quidquid potest Pontifex in vniuersa Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi in his, quæ specialiter prohibita, aut reseruata sunt Pontifici, argumento à fortiori sumpto ex cap. *Nuper.* de Sent. excom. vbi hoc dicitur de absolutione à censura: maiori autem ratione verum habet de absolutione à peccatis. Tum quia in censura id conceditur propter absolutionem à peccatis: tum maximè, quia cum Episcopali munere intrinsecè coniuncta est iurisdictio in foro pœnitentiæ circa oues suas: hæc autem iurisdictio de se vniuersalis est, nisi limitetur; & ideò nõ solùm in Episcopo, sed etiam in quocunque alio, cui hæc iurisdictio conceditur, hæc regula locum habet, vt in sequẽtibus latiùs patebit. Non est autẽ idẽ de Archiepiscopo in suo Archiepiscopatu, quia in diœcesibus suffraganeorum regulariter nõ habet iurisdictionem, sed solùm potest illam exercere dum actu visitat vt notat Syluest. verb. *Confessor.* 1. quæst. 1. Qui malè ad hoc citat cap. *Nostro*, de Pœnit. & remiss. quia ibi solùm dicitur Archiepiscopum posse indulgentias concedere in toto suo Archiepiscopatu. Id ergo expressè decernitur in c. vlt. de Censibus. in 6.

Proportio inter iurisdictionem Papæ, & Episcoporum.

14. Dubitari autem meritò posset, an illa iurisdictio censenda sit ordinaria, vel delegata: videtur enim esse solùm ex speciali Pontificis concessione, quanuis iam sit ipso iure facta. Nihilominùs probabiliùs dicitur, illam esse iurisdictionem ordinariam, quia competit Archiepiscopo ratione proprij muneris, sicut visitare Episcopatus suffraganeorum, quia hoc ius est quid annexum illi actui, seu visitationi. Et hoc sensit Sylvest. suprà, dum ait, posse Archiepiscopum illam iurisdictionem alteri committere, quod est signum ordinariæ iurisdictionis. Extra illud verò tempus non habet Archiepiscopus hanc iurisdictionem, quia nec iure diuino, neque humano illi conceditur: imò dum in prædicto textu tempus illud singulariter exprimitur, satis significatur extra illud non haberi. Tandem ad hunc ordinem reducuntur Vicarij Episcoporum, item Abbates exempti, qui participant iurisdictionem Episcopalem, & alij similes, vt sunt in Religionibus Prælati vniuersales, vt Generales, vel Prouinciales.

15. Tertius ordo. In tertio ordine sunt Parochi: nam illi etiam sunt iudices ordinarij in hoc foro, ex sententia omnium Theologorum dist. 17. & ex vsu & sensu Ecclesiæ, & ex c. *Omnis* vbi nomine proprij sacerdotis præcipuè intelligitur Parochus, vel saltem formaliter comprehenditur, & de illo proprio sacerdote absolutè, & in vniuersum supponitur, posse suã iurisdictionẽ cõmittere, quod est munus ordinarij iudicis. Et ad hunc ordinem reducitur in primis Vicarius perpetuus Parochi: nam ille iam habetur vt ordinarius pastor, qui potest vices suas delegare. Reduci etiã solent Archipresbyteri, prout nunc sunt in vsu, sunt enim quasi primatij Parochi aliquarum Ecclesiarum: olim autem, videtur fuisse quasi Vicarij Episcoporum in absentia eorũ iuxta c. 3. de Off. Archipresbyteri. Reducuntur etiã in religionibus immediati prælati, & in vniuersum omnes, quibus ex iure, vel ex priuilegio speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum. Est enim Parochus speciali modo iudex immediatus in hoc sacramento: nam, licèt Papa, & Episcopus possint per se, & immediatè ministrare hoc sacramentum, vel etiam immediatè committere vices suas, vt infrà dicã: tamẽ is, ad quem ex officio competit ordinariè exercere hoc munus, est Parochus. Vnde fit primò, vt quãdam proportionem seruet in sua iurisdictione ad ea, quæ diximus de Episcopo: habet enim illam quasi generalẽ in sua parochia, tamen limitatã ad terminos eius, non tã locales, quàm personales & subordinatã Episcopo, qui potest aliquos casus sibi reseruare, vt posteà dicemus.

16. Dubium. Maior. Solet autem de his etiam quæri, an eorum iurisdictio sit immediata à Christo, & ex diuino iure: nam id etiam contendunt Maior, & Soto. Idverò minùs probabile est quam de Episcopis, vt reliqui Auctores docent: & à fortiori cõstat ex omnib. dictis. Quin potiùs addo, hãc diuisionem parochiarũ cũ institutione propriorũ parochorum etiã in cõmuni nõ videri de iure diuino, quia nec sufficiẽti testimonio, nec ratione probari potest tale ius diuinum. Posset enim Ecclesia plures Episcopatus diuidere, & minus territoriũ vnicuique concedere, & ordinare vt Episcopus esset proximus, & immediatus pastor in tota sua diœcesi, quam per vicarios, seu capellanos posset gubernare, vt nunc de facto fit in aliquibus Episcopatibus: quod, licèt fortasse vniuersaliter non esset expediens, tamen non est directè, & apertè contra ius diuinum.

Decisio.

17. Primum dubium. Duo tamen breuia dubia supersunt hîc explicãda. Primum est, an hæc iurisdictio terminetur locis, aut personis, id est, an possit exerceri intra terminos diœcesis, vel Parochiæ circa quascunque personas in ea existentes: vel è contrario solùm circa personas proprias talis diœcesis vbicunque existant. Secundum est an ratione delicti in tali loco commissi acquira-

Secundum dubium.

Ad primum dubium respondetur.

tur iurisdictio in hoc foro. Ad prius respondeo, iurisdictionem terminari personis, & non localibus terminis. Itaque Episcopus potest absoluere subditum suum, si cum illo simul versetur extra diœcesim suam vel potest illi dare facultatem eligendi confessorem vbicunque extiterit. Ratio est, quia hoc sacramentum per se requirit iurisdictionem in personam, quia illa iudicanda est: hæc autem iurisdictio nec acquiritur nec amittitur ratione præsentiæ, vel absentiæ localis. Item hoc iudicium sacramentale non requirit publicam & exteriorem solennitatem in determinatione loci, vel aliarum cæremoniarum, & ideò qui aliàs est ordinarius iudex respectu personæ; potest vbicunq; voluerit ius dicere: in quo differt hoc iudiciũ ab externo. Ita Sylvester verb. *Confessor.* 1. q. 14. qui hoc limitat ad eos qui habent iurisdictionem ordinariam: sed seruata proportione, etiam in delegatis locum habet, vt ratio facta probat, & benè notauit Victoria in Summa n. 151. Soto 4. di. 18. quæst. 4. artic. 3. §. *Aliud verò dubium.* & Ledes. 2. p. 4. q. 5. artic. 7. dub. 9. Itaque sacerdos habens iurisdictionem ab Episcopo Conimbricensi in omnes suos subditos, potest absoluere aliquẽ illorum, etiamsi ambo extra diœcesim inueniantur: quia illa circunstantia loci nihil refert ad hoc sacramentum, nec tollit, aut dat iurisdictionem, nisi fortasse vbi ratione alicuius specialis priuilegij aliud explicatum esset, vt infrà de mendicantibus dicemus disp. 28.

Sylvest. Victor. Soto. Ledesm.

Ad secundũ dubium respondetur. 18.

Ad posterius dubium quidam affirmant ratione delicti acquiri forum siue iurisdictionem in hoc iudicio, sicut in contentioso, iuxta cap. 1. de Raptoribus, & quæ ibi traduntur. Ita sentiunt Adrianus d. 17. quæ. 3. Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 4. Sed oppositũ existimo certum. Itaque si aliquis subditus huius Episcopatus in alio peccauit mortaliter, non debet, nec potest, per se loquendo, absolui in hoc foro ab illo delicto ab Episcopo, vel ordinariis ministris eius loci, in quo peccauit, sed à suo Episcopo, vel Parocho, aut ex licentia eius. Loquor autem de absolutione à culpa, nam de censuris aliud est. Ita etiam Sylvester suprà q. 13. & Nauarr. in cap. *Placuit.* de Pœnit. dist. 6. numero 33. & notauit etiam Glos. in alio capite, *Placuit* 16. quæ. 1. Panor. in cap. vlt. de foro compe. in 6. Et sumitur ex cap. *Omnis vtriusque sexus.* vbi sine restrictione, vel distinctione dicitur, omnia peccata esse proprio sacerdoti confitenda. Item, aliàs esset cum proportione dicendum, si intra hanc ciuitatem Parochianus vnius Ecclesiæ, in alia peccet, quoad illud delictum manere subditum alieno Parocho: quod est friuolum, & præter omnem vsum. Ratio optima est, quia in hoc foro idem debet esse iudex omnium culparum, quia omnes simul debent remitti, nec possunt diuidi, quando sunt mortalia crimina, de quibus est sermo, quia propter illa primariò datur hæc iurisdictio, ergo nec debuit hæc iurisdictio diuidi pro varietate locorum. Item est manifesta differentia inter hoc iudicium, & externum: nam hoc posterius ordinatur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum exemplum, & ideò expedit, vt ibi puniatur delictum, vbi committitur: hoc verò iudicium ordinatur ad internam salutẽ & reconciliationem cum Deo, & ideò ad finem illius nihil refert, quòd peccatum in hoc, vel illo loco committatur.

Sylvest. Nauarr.

Panor.

Differentia interiudiciũ internum & externum.

## SECTIO II.

*Quis sit ordinarius minister huius sacramenti, seu proprius sacerdos, respectu singulorum fidelium.*

PRINCIPIO declarandum est, quid nomine proprij sacerdotis in hac materia intelligendum sit: hac enim voce solent iuristi ad nominandum ordinarium ministrum huius sacramenti, vt patet ex capit. *Omnis vtriusque sexus.* Distinguunt ergo multi Theologi tres acceptiones huius vocis. Prima est, quæ significat omnem sacerdotem habentem iurisdictionẽ in hoc foro, siue illam ordinariam habeat, siue delegatam, ita vt proprius dicatur, qui ius habet administrandi hoc sacramentum, quocunque titulo & modo illud habeat, distinguaturque ab eo, qui omninò est quasi alienus ab hoc ministerio. Ita loquuntur Bonau. in 4. d. 17. 3. p. eius, art. 1. q. 2. Richard. ar. 3. q. 1. Palud. q. 3. ar. 2. Sylvester verb. *Confessor.* 1. q. 1. imò iuxta hanc expositionem interpretantur c. *Omnis vtriusque sexus.* Sed hoc apertè repugnat illi textui, in quo proprius sacerdos distinguitur ab alieno, etiamsi delegatam iurisdictionem habeat: neque in eodem textu admittenda est æquiuocatio, quam Palud. gratis & sine fundamento admittit: præsertim cùm, iuxta vocis, *Proprius*, proprietatem non possit rectè illi accommodari, qui ex proprio officio non habet animarum curam, sed tantùm delegatam iurisdictionem.

Quid intelligatur nomine proprij sacerdotis.

Tres acceptiones huius vocis.

Prima.

Bonau. Richard. Palud. Sylvest.

Reprobatur prima acceptio.

2.

Secundo ergo vox illa significare dicitur quemcũque pastorem animarum, qui in hoc foro habet iurisdictionem ordinariam, siue illa sit proxima & immediata qualis est in Parocho, siue sit vniuersalis, & quasi remota, qualis est in Episcopo, vel summo Pontifice, ita vt non dicatur sacerdos proprius vt distinguitur à communi, sed vt distinguitur ab alieno. Ita vtuntur hac voce Gabr. in 4 d. 17. quæst. 2. artic. 2. Med. Cod. de Confessione, quæst. de Confessione fratribus priuilegiatis facta, Soto d. 18. quæst. 4. artic. 2. & iuxta illam exponunt cap. *Omnis vtriusque sexus.* Estq; satis probabilis hæc expositio, quanuis non necessaria vt infrà suo loco dicam. Non ergo nunc hac significatione indigemus, quia de proprio sacerdote vniuersali vel vniuersalissimo, vt sic dicam, nihil peculiare dicendum occurrit: nam vniuersalissimus est summus Pontifex, vniuersalis verò est vnusquisque Episcopus in sua diœcesi, de quibus satis dictum est superiori sectione. Solúmque addendum occurrit, summũ Pontificem ita esse hoc modo proprium sacerdotem omnium fidelium, vt nullus possit ab illius iurisdictione eximi, quia vniuersalissima, & immutabilis est, vt diximus. At verò Episcopus ita est proprius pastor vniuersalis omnium fidelium habitantium in sua diœcesi, vt nonnulli eorum possint ab illius iurisdictione eximi per Romanum Pontificẽ. Et eadẽ ratione possunt esse aliqua loca, quæ non habeant propriũ Episcopum immediatum, sed Abbatem aliquem exemptũ vel aliquem similem Prælatum, quia hoc pendet ex varia institutione humana. In his ergo personis, vel locis loco Episcopi propriè sumpti succedit is, qui participat iurisdictionem Episcopalem, & superior est his qui proximam & immediatam curam pastoralem habent, vt est in personis exemptis Religiosis. Prouincialis, aut Generalis, in locis exemptis Abbas aut alius similis. Omissis ergo vniuersalibus pastoribus, in rigorosa significatione proprius sacerdos dicitur, qui proximam curam, & obligationem habet ex officio ministrãdi fidelibus hoc sacramentũ, vt bene notauit Cano dicta Relect. p. 5. & 6. qui hoc modo exponit cap. *Omnis vtriusque sexus.* & Extrauag. Martin. 5. de quibus infrà. Hoc ergo modo nunc de proprio sacerdote agimus: & primò videbimus, quis sit secundùm ordinarium ius respectu singulorum fidelium: deinde nõnullas exceptiones adnotabimus.

Secunda acceptio.

3.

Tertia acceptio.

Cano.

*Conclusio.*

*Conclusio.*

4. Parochus est proprius sacerdos in sua parochia.

CIRCA priorem partem constat ex iure, in vnaquaque Ecclesia parochiali illius Parochum esse proprium sacerdotem omnium, qui intrà terminos illius parochiæ degunt, siue illi laici sint, siue sacerdotes: quod intelligitur, per se loquendo, & seclusis priuilegiis. Ita docent omnes: & est per se clarum, quia ille parochus est proprius rector, & pastor immediatus illarum animarum. Solùm est obseruãdum iuxta commune ius, & vsum Ecclesiæ, vnumquemq; fidelium sortiti Parochiam vbi habet domicilium firmum. Ita habetur in cap. vlt. extra de Parochiis: ex quo oriuntur nonnulla dubia.

5. Dubiũ primum. Aliquorum solutio.

Primum est, quando aliquis habet plura domicilia in diuersis Ecclesiis, in quibus per distincta anni tempora habitat. Aliqui dicunt pro eo tempore, pro quo in aliquo domicilio ex dictis habitat, illum habere sacerdotem proprium, in cuius Parochia tale domicilium existit. Ita sentiunt Palud. in 4. d. 17. qu. 3. Antonin. 3. p. titul. 17. cap. 4. Et videtur verisimile quoad præceptum annuæ Communionis, quod certũ tempus determinat, & consequenter quoad confessionem, quatenus ad Eucharistiam præmitti solet: nam per se hoc præceptum non determinat certum tempus anni. Nihilominus alij sentiunt liberum esse huic parochiano confiteri cui voluerit ex duobus parochis, sub quibus domicilia habet. Ita Nauarrus in dict. c. *Placuit*. n. 77. quia vterque illorum est proprius sacerdos, & ita potest esse iudex: quia hæc iurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium. Et à simili confirmari potest hæc opinio ex c. 2. de Sepulturis. in 6. Et hanc sententiam censeo veram. Oportebit tamen vt talis persona satisfaciat illi sacerdoti, in cuius parochia habitat, reddens illum certum, quòd iam impleuerit præceptum.

Paludan. Anton.

Aliorum solutio probatur. Nauarr.

6. Dubium secundum.

Secundum dubium est de illis, qui in vno loco habent domicilium, in alio verò quasi domicilium, scilicet, habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quanuis non fixam: in quo ordine sunt præcipuè scholastici, numerantur etiam milites, & litigantes, ac mercatores, quando in alienis oppidis diu morantur. Et de his omnibus dicendum est, etiam per illud quasi domicilium subiici ordinariis parochis illorum locorum, in quibus habitant, ex Glossa in Clement. 1. de Priuilegiis, & Nauar. cum aliis dict. c. *Placuit*. n. 85. & vsus etiam id probat. Fuitque moraliter necessarium, vt huiusmodi personæ possẽt habere ordinarios pastores, ad quos pertineat ex officio eis ministrare sacramenta dictis temporibus. Quod etiam intelligendum est seclusis priuilegiis: nam, si in Academia ex priuilegio, vel probata consuetudine, quæ illi æquiualet, assignetur scholasticis proprius confessor, ille erit pro eo tempore proprius sacerdos eorum. De militibus verò & aliis huiusmodi Nauar. scrupulosiùs loquitur: addit enim intelligendum id esse, quando huiusmodi homines non possunt facilem habere recursum ad suos proprios sacerdotes: quia nullo iure, inquit, constat, per solam inhabitationem diuturnam forum acquiri. Sed certè etiam nullo iure constat acquiri tunc, quãdo est difficilis recursus ad proprium pastorem. Quod si tunc dicatur, vt rectè dicendum est, consuetudine ipsa hoc potuisse introduci, & satis constare: idem simpliciter, & absolutè dici poterit sine vlla limitatione, quia, vt ipsemet Nauarrus fatetur, moraliter loquendo, ac ferè semper ille recursus non est facilis, & ideò introducta fuit illa consuetudo, quæ vim habet vniuersalis legis. Quapropter, licèt in aliquo indiuiduo cesset illa ratio, illud non obstat, quominùs ille titulus sit sufficiens ad acquirendum forum, seu iurisdictionem.

Decisio.

Nauarr.

Tertium dubium est de his, qui nullum habent domiciliũ, sed semper vagantur. Nauar. dict. cap. *Placuit*. 79. existimat in his manere integrum illud ius, quod ipse putat esse diuinum: scilicet, vt possint eligere quem voluerint confessorem, quia Ecclesiæ determinatio, quæ est per domicilia, in eis locum non habet. Palud. verò, & Antonin. suprà, atque etiã Caiet. verb. *Absolutio*, 2. dicunt, etiam hos nullum habere proprium sacerdotem, & ideò Ecclesiam fecisse eis facultatem eligendi quem voluerint confessorem. Sed vtrumque falsum est, primum, quia ostẽsum est nullum dari tale ius diuinum: secundum, quia nullibi ostendi potest talis facultas ab Ecclesia data his hominibus, neque esse rationabilis, tum quia non magis illi merentur hoc priuilegium, quàm alij habentes domicilia: tum etiam quia esset illis valde nociuum, aliàs neque aliquis haberet ex officio propriam & particularem curam eorum, neque ipsi tenerentur alicui rationem reddere, quòd impleuerint præceptum confessionis. Et ob easdem rationes non placet quod Gabr. ait in 4. d. 17. q. 2. art. 3. dub. 2. hos non habere alium sacerdotem proprium præter Episcopum diœcesis, in qua versantur, & ab illo habere ex consuetudine facultatem eligendi confessorem, quem voluerint. Sed neque hoc modo his hominibus satis prouisum esset, nec de tali facultate constat, neque esset rationi consentanea. Dicendum est ergo, ibi habere proprium sacerdotem, vbi vagantur, & in huiusmodi hominibus actualem habitationẽ succedere loco domicilij, quandoquidem aliud non habent: & ideò ordinarium Parochum illorum esse illum, in cuius parochia habitant, & mutata habitatione mutari. Et hoc probant rationes factæ, atque etiam consuetudo. Et est etiam optimum signum, quia ipse parochus tenetur ex officio eis ministrare sacramenta, si indigeant, eósque potest ad præceptum implendum compellere. Ita tenent Sylvester, & Soto locis paulò antè citatis, & Medina Cod. de Confess. quæst. 35.

7. Dubium tertium. Nauar.

Palud. Anton. Caiet.

Responsio Nau. & Pal. reijciuntur.

Gabr. reprobatur.

Vera solutio

Quartò dubitari potest, an sit idem dicendum de iter agentibus, seu peregrinantibus, qui alibi habent suum domicilium. Respondetur reuerà non esse eandem rationem de his: quia, sicut retinent domiciliũ, etiamsi extra illud incedant, ita etiam eundem semper parochum habent firmum, & proprium. Vnde iuxta generalem regulam cap. *Omnis vtriusque sexus*, non videntur posse confiteri alieno, etiã in locis distantibus, sine licentia proprij: & ideò olim fideles facultatem petebant à suis propriis sacerdotibus ad agendũ iter: & in illa facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere, si opus esset. Nunc autẽ cùm iam cessauerit illa consuetudo, dicunt graues Auctores iure ordinario, & sine priuilegio non posse huiusmodi peregrinos aliis confiteri. Ita Palud. d. 17. q. 8. Anton. dict. tit. 17. c. 4. & Nauar. dict. c. *Placuit*, n. 68. & in rigore iuris videtur verum. Tamen spectata consuetudine, & tacito cõsensu Parochorum, censeo probabilem & veram contrariam sententiam: scilicet, posse has personas confiteri vel Parocho illius loci, ad quem perueniunt, vel sacerdotibus ibi habentibus iurisdictionem delegatam ab Episcopo loci. Si autem ibi fuerint alij habentes delegatam à Papa, securius erit illis confiteri: quia est res magis certa. Et hanc opinionem tenent Sylvester, verb. *Confessio*, 1. q. 11. Soto d. 18. q. 4. a. 2. Ledesma 2. p. 4. q. 7. ar. 5. dub. 23. in fine. Victoria in Summ. n. 153. vbi ait, hos debere confiteri in Ecclesia Cathedrali: sed hoc nec potest locis omnibus accommodari, nec illius video fundamentum.

8. Dubium quartum.

Palud. D. Ant. Nauar.

Secunda solutio verior.

Sylvest. Soto. Ledes. Victoria.

9. Caiet.

Eandem sententiã significat Caietanus verb. *Absolutio*, 2. & refert Eugenium 4. hoc declarasse etiam in annua confessione, vel Communione: quam intelligo extensionem, non limitationem: nam, si de aliqua dubitari poterat maximè de illa: quia in eo tempore videtur esse maxima obligatio confitendi proprio sacerdoti: si ergo tunc fieri potest alteri, etiã poterit quocunque alio tempore, maximè si aliqua necessitas, vel specialis vtilitas occurrat. Ratio à priori est, quia hæc existimatur esse quædam amplicita licentia proprij sacerdotis, quia occurrit causa maximè rationabilis, & moraliter necessaria propter itineris occasiones, & pericula. Vnde hic confessor non tam ordinarius videtur esse quàm delegatus: vel ex cõcessione summi Pont. allegata à Caiet. vel ex cõsuetudine. Quia verò nõ censetur hæc facultas data respectu cuiuscũque, sed respectu tantùm proprij sacerdotis illius loci, in quo quis peregrinatur, vel eius, qui vicem illius habet: ideò censetur ille sacerdos loco proprij, & hac ratione hoc loco numeratur. Aduertere autem oportet, necessariam hic esse bonam fidem: nam, si quis ad hoc tantùm iter ageret, vt haberet occasionẽ confitendi alteri, & non proprio sacerdoti, iam illa nõ esset necessitas, sed voluntas, & non esset iuxta intentionem pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiæ, & ideò non esset valida confessio.

Ratio à priori traditur.

10. Dubium quintũ enodatur.

Quintò dubitari potest, quid dicendum sit de ipsis Parochis, vel Episcopis. Respondeo, Parochos nullum habere proprium sacerdotem præter Episcopũ, regulariter loquendo. Hoc per se manifestũ est, quia cùm ipsi parochi inter se non sint subordinati, neque vnus sit alteri superior, non potest esse proprius sacerdos alterius. Episcopus autem est illis immediatè superior, & ideò ille solus est proprius pastor eorũ. Dixi, *regulariter*, quia interdũ sunt aliqui, qui participãt iurisdictionem Episcopalem in plures Ecclesias parochiales, vt sũt aliqui Abbates, vel Archidiaconi: & tunc eadẽ est de iis proportionalis ratio: cùm enim hæc omnia humano iure statuta sint, facilè admittere possunt hanc varietatem. De Episcopis verò dicendũ est, ipsos non habere alium proprium sacerdotem præter Pontificẽ. Hoc constat ex ratione facta, proportionaliter applicando illã. Neque est verum quod Palud. in 4. d. 18. q. 3. a. 2. & Sylu. v. *Confessor*, 1. q. 2. dicũt, propriũ sacerdotẽ Episcoporũ esse Archiepiscopũ, Archiepiscoporũ verò Patriarchas, horũ verò Pontificem: quia, vt bene ait Soto d. 18. q. 4. art. 2. hoc nullo iure fundatur: & suprà ostendimus Archiepiscopum non habere ordinariam iurisdictionẽ in hoc foro in diœcesibus suffraganeorum: ergo multò minùs circa ipsos Episcopos. Vnde colligitur clara differentia inter Papam respectu Episcopi, & Episcopum respectu Parochi, & Archiepiscopum respectu Episcopi. Papa enim habet ordinariam iurisdictionem in diœceses omnium Episcoporum, & in omnes subditos eorum, & ideò etiam habet in ipsos Episcopos; & similiter se habet Episcopus respectu Parochi: at Archiepiscopus non habet ita vniuersalem iurisdictionem proportionaliter loquendo.

Palud. & Sylu. reprehenduntur.

Soto.

11. Dub. de Cardinalibus.

Sed quæres, quid dicendum sit de Cardinalibus: eorum enim dignitas non consistit in potestate iurisdictionis ad hoc forum pertinentis, & ideò non potest communi, & ordinario iure regulari. Tamen, sicut ratione dignitatis propinquissimi sunt Pontifici, ita illum solùm habent vt proprium pastorem, & sacerdotem, vt Sylvester suprà dicit. Est autem Collegium illud veluti vnum spirituale corpus, cuius proximum caput est Pontifex: quod magis ex dicendis patebit. Et hæc sunt quæ de iure ordinario posse dici videntur.

## *Exceptiones ab ordinario iure proponuntur.*

12. Prima.

SVPEREST vt nonnullas exceptiones ab hoc ordinario iure quæ ab Auctoribus traduntur, breuiter insinuemus. Primò ergo excipitur tota familia Summi Pontificis, cuius proprius sacerdos est ipse, vel summus Pœnitentiarius eius, vel quem ipsi designant. Hoc constat ex vsu, vt omnes Auctores citati referunt: quod enim hoc facere possit Pontifex, non est dubium. Intelligendũ autẽ est de his, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia eius: nam si inde discedant, nõ vtuntur hoc priuilegio, sed communi iure. Secundo excipiuntur etiam familiæ Cardinalium: nam quisque Cardinalis est quasi proprius sacerdos suæ familiæ, & potest per se, vel per alium hoc munus exercere; vel, si ipse non sit sacerdos, potest delegare hanc potestatẽ: Ita refert Caiet. suprà: quod sufficit quia pendet ex facto. De familiis autem Episcoporum non est idem, sed habent proprium sacerdotem ordinarium iuxta ius commune. Dicit tamen Soto, posse Episcopum, si velit, eximere familiam suã ab ordinaria Parochorum cura, & sibi reseruare, vel aliũ propriũ designare: quod mihi maximè verisimile videtur, quia sunt superiores, & possunt habere rationabilẽ causam, sicut possunt sibi reseruare casus, tamẽ loquendo regulariter & ordinariè, hoc non ita fit.

Secunda.

Caiet.

Soto.

13. Tertia exceptio.

Sylvest.

Tertiò excipiũtur quædã personę in speciali dignitate constitutæ, vt Decani Ecclesiarũ, & interdũ Archidiaconi, vel aliæ similes, quæ immediatè subordinantur Episcopis, & eximuntur à Parochorum cura, vt Sylvester & alij suprà referunt. In qua re consulenda est consuetudo, & specialia priuilegia. Quòd verò aliqui extendunt hanc exceptionem ad omnes sacerdotes, quia omnibus concessum videtur generali cõsuetudine, vt possint eligere confessorẽ, quem maluerint. Hoc, inquã, nõ rectè dicitur, tũ quia de hac consuetudine non satis cõstat, & maiori explicatione indiget, vt trademus sequẽtibus: tum etiã, quia aliud est habere potestatem eligẽdi confessorẽ, aliud eximi omninò à cura & iurisdictione proprij pastoris: nam, licèt fideles per bullam possint eligere confessorem, non tamen propterea nõ habent proprios pastores & Parochos: nã illi retinẽt suam iurisdictionẽ ordinariã & in vsu aliorũ sacramẽtorum, & in aliis, quæ ad pastorale munus pertinent, manet eadem subiectio & subordinatio. Quartò excipiuntur religiosi, qui proprio reguntur ordine, & proprios habẽt pastores, de eis tamẽ eodẽ modo loquendũ est proportione seruata: habent enim superiorem proximum, qui est veluti sacerdos omninò proprius; & habent etiã remotos, vt suprà dixi. De monialibus verò idẽ iudicãdum est; nã quæ sunt subditæ Episcopo, illum habent tanquã proprium sacerdotem; ipse tamen designare potest aliũ, qui vices eius gerat. Quæ verò sunt subditæ religiosis, habẽt proprium superiorẽ & vicariũ tanquam propriũ sacerdotẽ. Et eodẽ modo iudicandũ est de similibus. Quintò excipi solẽt Reges, & Principes; præsertim supremi: de quibus nihil certũ statuere possumus, quia ratione suæ dignitatis, vel potestatis non sunt exempti ipso iure: in hoc ergo seruanda sunt priuilegia huiusmodi Principibus concessa, & antiquæ consuetudines, quæ credendæ sunt legitimè introductæ, & ex consensu superiorum.

Quarta.

Quinta.

## DISPVTATIO XXVI.

### *De ministro huius sacramenti ex delegata potestate.*

SVPPONIMVS iurisdictionem in hoc foro delegari posse, quod est certum de fide ex Cõciliis suprà citatis, & ex vsu Ecclesiæ. Et ratione

De fide est, iurisdictionē in hoc foro posse delegari.

tione ostendi potest, quia ea, quæ sunt iurisdictionis, delegabilia sunt, vt dicitur in ca. *Aqua*: de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris: cùm enim iurisdictio non detur per aliquā internam consecrationem, vel physicam facultatem, sed per moralem concessionem, vel deputationem, meritò potest is, qui illam habet veluti

Duobus modis potest delegari.

propriam, alteri eam cōmittere. Neque in hoc iudicio, aut foro aliquid speciale interuenit, ob quod ei repugnet huiusmodi delegatio. Potest autem duobus modis concedi seu delegari: primò directè concedendo iurisdictionem sacerdoti, vt quando Parochus assumit sacerdotem aliquem idoneum coadiutorem ad tempus, vel Episcopus, aut Papa alicui cōmittunt hoc munus. Secundò ex parte pœnitentis, vt quando alicui conceditur facultas eligendi confessorem. Hîc ergo priorem modum exponemus: de illa verò facultate instituemus sequentem disputationem.

## SECTIO II.

### *Qui possint iurisdictionem delegatam in foro pœnitentiæ dare, vel recipere.*

1. POTEST hæc quæstio intelligi, vel de potestate, vel de facto: & in priori sensu tria inquiri possunt: scilicet, cui possit delegari hæc potestas, quis possit eam delegare, & qua forma, aut modo delegari possit. Circa primum punctum aduertendum est,

Cui possit hæc potestas delegari.

duobus modis posse iurisdictionem hanc alicui committi: scilicet, vel vt ipsemet illa vtatur, vel vt aliis eam committat, seu subdeleget. Hic de priori modo præcipuè agimus, ideóque dicimus iurisdictionem hanc solùm esse delegabilem sacerdoti, quia solus ille potest actum huius iurisdictionis per se exercere. Rursus, quantùm est ex vi potestatis ordinis, cuilibet sacerdoti potest hæc potestas delegari, tamen, vt rectè fiat, necesse est vt talis sacerdos idoneus sit quoad scientiā, prudentiam, & probitatem huic muneri obeūdo necessariam: vt verò ritè fiat, necesse est, vt talis sacerdos sit approbatus, iuxta formam Concilij Tridentini, de qua re inferiùs ex professo disputabimus.

2. Hęc iurisdictio potest delegari non sacerdoti.

At verò quando alicui cōmittitur hæc iurisdictio, non vt per se illa vtatur, sed vt eam aliis distribuat, seu committat, illa in primis non videtur esse propria delegatio iurisdictionis: nā delegatus propriè est ad exercendam iurisdictionē, & ordinariè ex vi delegationis non potest eam subdelegare, nisi vel in casibus in iure expressis, vel quando id specialiter conceditur: vnde regulariter potiùs illa est quædam participatio ordinariæ iurisdictionis. Sic enim Vicarius Episcopi quāuis ipse sacerdos non sit, nec possit per se ipsum hanc iurisdictionē exercere, eam habet ita sibi commissam, vt possit aliis eam delegare, dando facultatem simplicibus sacerdotibus ad audiendas cōfessiones: hic autem Vicarius ordinariam potiùs, quā delegatam censetur habere. Si quis tamen rectè consideret, intelliget accidentarium esse, quòd talis Vicarius non possit per se hanc iurisdictionem exercere: nam quantùm est ex iurisdictione sibi concessa, reuerà posset: aliunde verò, quia potestate ordinis caret, non potest. Atque hoc modo etiam potest hæc iurisdictio delegari non sacerdoti, vt ea vtatur quando fuerit sacerdos: quod in idem redit: nam quantùm spectat ad effectū, solùm pro eo tempore datur, pro quo habuerit ordinis potestatē. Aliquando verò contingit in Ecclesia, vt laicis, vel fœminis cōcedatur facultas prouidendi, seu nominādi confessores pro suis familiis, vel subditis: illa verò non est cōmissio iurisdictionis, quæ talibus personis fiat: sunt enim iurisdictionis spiritualis incapaces, vt latiùs dicemus agē-

A tes de censuris: sed solùm est potestas ad eligendam, vel designandā talē personam, qua designata, Pontifex, seu prælatus Ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem, vt in simili explicabimus sect. seq.

Circa secundum punctum de eo, qui potest hanc iurisdictionē delegare, generalis regula est posse delegare hanc iurisdictionem omnes, qui illam habent ordinariam, iuxta c. *Inter cætera*, de Offic. ordin. & dict. c. *Omnis vtriusque*. Ratio est, quia delegatio est vnus ex propriis actibus iurisdictionis ordinariæ. Itē quia nō est cogendus pastor semper per seipsū exequi officiū suum: ergo potest vices suas delegare. Hęc autem potestas cum proportione residet in ordinariis suprà numeratis. Nā Pōtifex habet illā vniuersalissimam, & ideò potest delegare hanc facultatem cuilibet

B bet personæ, pro quolibet loco, & pro quibuscunq; peccatis, Clement. *Dudum*, de Sepulturis, & in Extrauag. *super cathedram*. eodem tit. & Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuil. vnde etiam in hoc non pendet Papa ab Episcopis, vel Parochis: nec solùm eorum consensum non expectat, sed etiam contra eorum volūtatem potest hanc iurisdictionem, & vsum eius delegare: quod prouenit ex suprema potestate eius. Idem est de Episcopo in suo Episcopatu, cum hac sola limitatione, vt Papa non reseruet, vel resistat. Sumitur ex c. *Quoniam*, & c. *Inter cætera*, de offic. ord. & c. 2. de pœn. & rem. in 6. & consuetudine etiam constat. Et ratio est eadem cum proportione. Pari modo, &

C cum accommodata proportione potest Parochus respectu suorum subditorum hanc iurisdictionem cōmittere, seu delegare, vt planè colligitur ex dict. c. *Omnis vtriusque*. dum ait, de licentia proprij posse alienum absoluere, vt rectè notauit Nauar. in c. *Placuit*. de Pœnit. d. 6 n. 48. & Doctores omnes. Et ratio etiā est eadem, dummodò subordinatio seruetur: nam prælatus superior posset hanc delegationem impedire, sicut potest casus reseruare. Nauar.

Et hinc præterea colligitur, nullum aliū præter hos posse hanc iurisdictionē concedere: quia, vt suprà etiā dixi, delegatus non potest subdelegare iurisdictionē, vt ad hoc propositum satis indicatur in capite vltimo, §. vltimo. extra de offic. deleg. Et ratio propria esse videtur, quia actus communicandi iurisdictionem est actus iurisdictionis, distinctus ab actu audiēdi confessionem, vel absoluendi: & ideò qui solùm

D habet iurisdictionem delegatam ad audiendam confessionem, ex vi illius non potest aliud efficere. Secus verò est de iurisdictione ordinaria, quæ per se loquendo ad vtrumque extenditur. Adnotaui autem suprà sub illis tribus personis numeratis comprehendi alias, quæ ad illas reducuntur, vt sub Pontifice pœnitentiarium eius summum, sub Episcopo vicarium: & alij etiam numerant Pœnitentiarium Ecclesię Cathedralis: sed hoc non credo regulariter esse in vsu. Sub Parocho comprehenditur Vicarius perpetuus; & Paludanus ac Sylvester dicunt idem esse de omni Vicario posito ab Episcopo loco Curati: quia intelligitur illum ponere omninò loco alterius. Secus verò est de Vicario, quem assumit ipse Parochus sua voluntate. quia ille est merè delegatus, nisi Parochus velit maiorem illi facultatem concedere, quod etiam potest, vt notarunt Adrian. q. 5. de Confess. dub. 2. & Medina Cod. de Confess. q. 36. de licentia Vicecurati, & Maior in 4. d. 19. q. 1. circa finem. Qui tamen significant hoc ipso quòd Parochus eligit aliquem in Vicarium suum, dare illi hanc facultatem, si illam non negat, quanuis non exprimat. Oppositum verò sentit Palud. d. 17. q. 3. art. 2. concl. 1. in fine, & Anton. 3. p. tit. 17. cap. 1. in fine. Et hoc mihi videtur securius, & in praxi seruandum. Palud. Sylvest. Adr. Medin. Maior. Palud. D. Ant.

3. Quis possit hanc potestatem delegare.

Qui habent iurisdictionem ordinariam, possūt delegare.

4.

His

1. Difficultas. His positis supereſt difficultas, an quilibet istorum trium habeat facultatem in ſolidum, ita vt ſi quis habeat facultatem audiendi confeſſionem à ſummo Pontifice, vel Epiſcopo, poſſit id facere ſine alia facultate Parochi, & è contrario. Et quidem Auctores omnes conueniũt licentiã Parochi, ſeu proprij ſacerdotis proximi eſſe per ſe ſufficientem ſine alterius ſuperioris remoti licentia: quia id videtur apertè colligi ex c. *Omnis vtriuſque ſexus.* & quia fideles ſeu parochiani per ſe ſolùm tenentur confiteri Parocho, nõ Epiſcopo, vel Põtifici: & ideò, ſi ex illius facultate cõfiteantur, ſatis eſt. Quæ doctrina eſt quidẽ vera, limitãda tamẽ nũc iuxta decretum Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 25. & in ſequentibus ex profeſſo exponemus.

Trident.

6. Quorũdam opinio. Archid. Ioann. Monac. Hoſtien. At verò è contrario quidam exiſtimarunt non ſufficere priuilegium ſeu licentiam ſummi Pontificis ſine licentia Parochi, quod à fortiori dicerent de Epiſcopo. Ita Gloſſ. in c. *Omnis vtriuſque ſexus.* in ver. *Alieni.* vbi Archidiaconus, Ioannes Monachus, & Hoſtienſis illam ſequi referuntur. Loquuntur autem hi potiùs de facto, quàm de poſſibili: non enim videtur negare ſummo Pontifici hanc poteſtatem, ſed negant vti illa in præiudicium Parochorum quando ſimilia priuilegia concedit. Citatur etiam pro hac ſententia Ioannes de Poliaco, & Henricus: ſed iſtorum opinio alia eſt, vt infrà dicam. Fundamentũ huius ſententiæ fuiſſe videtur c. *Omnis vtriuſque ſexus.* Vbi dicitur omnes fideles debere confiteri proprio ſacerdoti vel ex licentia illius: ille autem proprius ſacerdos eſt Parochus: ergo eſt neceſſaria eius licentia, & alia non ſufficit. Minor paret, tum ex vi ipſius verbi. tum maximè, quia Sixtus 4. in Extrau. *Vices:* de Treuga, & pace, videtur ita intellexiſſe decretum illud: agens enim de priuilegiis cõceſſis Mendicantibus ad audiendas confeſſiones, dicit, per illa derogatum nõ eſſe quominùs teneãtur fideles ſemel in anno tempore Paſchatis ſuis Parochis confiteri, iuxta conſtitutionem Concilij generalis. Et eodem modo loquitur Benedictus 11. in Extrauag. *Inter cunctas,* de Priuil. & Martinus 4. idem dicens, quod Sixtus 4. in Extrauagant. *Ad vberes.* quæ non habetur in corpore Iuris; eam tamen referunt Henricus, Medina & alij citandi.

Io. de Poliaco. Henric.

7. Trident. Et augetur difficultas: quia, vt ſæpe dictum eſt, & indicatur in Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. in illo capit. *Omnis vtriuſque ſexus.* non ſtatuitur ius poſitiuũ quoad temporis determinationem; in reliquis verò explicatur ius diuinum: ergo de iure diuino eſt vt vnuſquiſque ſubſit ſuo Parocho: ergo non poteſt Pontifex mutare hoc ius, ſuppoſito quòd non muret Parochum, nec auferat ab illo iuriſdictionem: ſed dando huiuſmodi licentiam, non facit quòd iſte non ſit Parochus, & alter Parochianus: ergo non facit vt Parochianus nõ indigeat licentia ſui Parochi ad huiuſmodi confeſſionem. Et confirmatur primò: nam propter huiuſmodi cauſam multis decretis prohibitum eſt religioſis, ne confeſsiones audiant ſine licentia proprij paſtoris, vt videre licet 16. q. 1. per multa capita. Et tandem confirmatur, quia priuilegium alicui conceſſum intelligendũ eſt ſine præiudicio alterius, vt eſt axioma iuris cap. *Paſtoralis,* extra de Priuileg. Sed ſi per hoc priuilegium poſſent, vel alieni ſacerdotes audire confeſsiones, vel fideles confiteri, ſine licentia proprij ſacerdotis, illud eſſet in magnum præiudicium paſtorum: quia & priuarentur iure ſuo, & non poſſent agnoſcere, nec commodè gubernare oues ſuas: ergo, &c.

8. Opinio ſupra poſita er Hæc tamen ſententia & falſa eſt, & erronea. Et in primis quod ad poteſtatem attinet, de fide certum eſt poſſe Pontificem concedere cuicunque fideli facultatem confitendi alteri abſque vlla alia licentia ſui Epiſcopi, vel Parochi. Ita traditum eſt à ſummis Pontificibus ſuprà citatis, & citandis, & vſus, & traditio Eccleſiæ ita habet. Et idem conſtat ex ſuprema iuriſdictione ſummi Pontificis ſuprà probata. Præterea idem eſt de Epiſcopo reſpectu Parochi, vt patet ex proportionali ratione, & ex teſtibus ſuprà allatis. Et declaratur etiam hoc modo, quia Papa, vel Epiſcopus poſſent per ſe audire confeſsionem cuiuſcunque ſuditi ſine licentia alterius paſtoris inferioris, vt per ſe conſtat, & id poſſunt facere per iuriſdictionem ordinariam, non ſolùm æqualem, ſed etiam ſuperiorem aliquo modo iuriſdictione Parochi: ergo multò magis poſſunt hanc iuriſdictionem delegare, ita vt operari poſſit ſine licentia Parochi, quàm poſſet parochus ipſe ſine licentia ſuperioris. Confirmatur: quia, ſi licentia Parochi eſſet neceſſaria, impertinens, & nullius momenti eſſet delegatio ſuperioris: quia licentia Parochi ſola ſufficeret: & ita delegatio illa nihil operaretur. Quin potiùs addo, quanuis licentia Parochi in ſolidum poſſit ſufficere, tamen poſſe à ſuperiore prohibere ne illam concedat, ita vt ſi concedere tentet, nihil ratum faciat: at verò è contrario ſuperior poteſt illam concedere, etiam contradicente inferiore. Ratio clara eſt, qnia inferior non habet poteſtatem ſupra ſuperiorem, nec ſuperioris iuriſdictio ab inferiore pendet: at verò è contra ſuperior poteſt limitare, vel impedire iuriſdictionem inferioris, licèt id facere non debeat, niſi ex rationabili cauſa.

Erronea & falſa iudicatur.

9. Corollariũ. Atque hinc colligo, quoties Pontifex (& idem eſt proportionaliter de Epiſcopo) abſolutè, & expreſsè dat facultatem alicui ad audiendas confeſſiones, id ſufficere ad iuriſdictionem delegandam, nulla expectata inferioris ſacerdotis proprij licentia, etiáſi hæc in tali priuilegio, ſeu facultate non exprimatur, dummodò non talis conditio apponatur. Quæ eſt communis doctrina Theologorum, diui Thomæ Opuſc. 19. contra impugnantes religionem, cap. 4. & in quarta diſtin. 17. quæſtione tertia, articulo tertio, quæſtione quinta: Durandi quæſt. 12. Paludani quæſt. 4. articulo tertio, Maioris quæſt. ſexta & ſeptima, Sot. diſt. 18. quæſt. 4. articulo 5. Antonin. 3. p. tit. 17. capite nono, Adrian. quæſt. 5. de Confeſſ. Medin. quæſt. 33. de Confeſſ. Petri Sot. lectione quinta de Confeſſ. Idem ſentiunt Summiſtæ omnes, Sylueſter verb. *Confeſſ.* 2. & ibi cæteri. Item iuriſperiti communiter cum Gloſſ. in dict. Clement. *Dudum,* de Sepulturis, verb. *Liberè,* quos refert, & ſequitur Nauar. in c. *Placuit,* diſt. 6. n. 57. Sumiturq; ex declaratione Ioan. 22. in Extrauag. *Vas electionis,* de Hæreticis. & ex Extrauaganti Benedicti 11. & Martini 5. ſuprà citatis. Ratio verò à priori eſt, quia in ſuperiore eſt poteſtas, vt oſtenſum eſt, & hæc exercetur per illum actum, & voluntas eius per illa verba ſufficienter declaratur, & ipſe non reſtringit conceſſionem, neque apponit illam conditionem, vt ſupponimus: ergo. A poſteriori verò confirmari poteſt ratione ſuprà tacta: quia ſi præter tale priuilegium neceſſaria eſſet facultas inferioris, priuilegium eſſet nullius momenti, quia ipſa licentia Parochi per ſe ſola ſufficeret: ergo, ſi illa neceſſaria eſt non obſtante priuilegio ſuperioris tale priuilegium nihil confert.

D. Thom. Durand. Palud. Maior. Soto. D. Ant. Adr. Petr. Sot. Sylueſt.

Aſſignatur ratio à priori.

A poſteriori.

10. Obiect. Dices, poſſe ad hoc conferre, vt per facultatem ab Epiſcopo datam poſſit quis abſolui, vel abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo, quod non poſſet fieri per ſolam Parochi facultatem. Sed hoc extrinſecum eſt, & per accidens. Præſertim quia facultas ſimpliciter, & abſolutè conceſsa ab Epiſcopo, ſi nihil aliud exprimatur, non extenditur ad caſus reſeruatos, vt dicitur in capite ſecundo de Pœnit. & remiſs.

Diluitur.

niſſ. in 6.& tamen frequens eſt, Epiſcopum concedere hanc licentiam hoc ſimplici modo, ſine extenſione ad caſus reſeruatos: ergo ſine hac extenſione habet ſuum effectum: non haberet autẽ ſi neceſſaria eſſet licentia inferioris. Quod optimè confirmat reſponſio Honorij 3.in capitul. *In his*, etiam de Priuilegiis, vbi rogatus de quodam priuilegio conceſſo ordini minorum, & prædicatorum, celebrandi in altari portatili, reſpondet, intelligendumeſſe priuilegium ſine licentia inferiorum prælatorum, quia aliàs, inquit, nihil operaretur.

11. Et hæc ratio ſoluit rationem quãdam prioris ſententiæ, quæ aſſumebat priuilegium interpretandum eſſe ſine præiudicio alterius: quod, ſi intelligatur de præiudicio extrinſeco, & non intrinſecè incluſo in ipſo priuilegio, verum eſt: ſed non eſt huiuſmodi id, de quo agimus: ſi autem vocetur præiudicium ipſa aliqualis derogatio iuris communis; hoc non poteſt vitari in priuilegio. Quin potiùs retorqueri poteſt argumentum, quia de ratione priuilegij eſt vt aliquid operetur præter ius commune: ſi autem non exponantur hæc priuilegia, vt diximus, nihil operarẽtur præter ius commune. Addit verò D. Thomas ſuprà hanc ipſam extenſionem ordinarij iuris reuera non eſſe in vllum præiudicium Parochorum, tum quia ipſi non priuantur iuriſdictione ſua, & ſemper illam habuerunt ſuperiori ſubordinatam: ergo, ſi ſuperior vtatur iure ſuo, illud non eſt in iniuriam & præiudicium inferioris. Tum etiam: quia illi non habent iuriſdictionem propter ſuam vtilitatem, ſed propter vtilitatem ouium: & ideò, ſi propter eandem vtilitatem ſuperior prouideat ouibus, vt pluribus confiteri poſſint, non illud eſt reputandum præiudicium inferioris. Tum denique: quia potiùs per huiuſmodi priuilegia Parochi iuuantur, & eorum onus leuius fit, nec impediuntur quominùs poſſint gubernare gregem ſuum: quia exteriùs poſſunt curam adhibere vt bene viuant. Quod verò pertinet ad pœnitentiæ forum, ipſi ſunt ſecuri: quia ſuperior paſtor iam illam curam ſuſcepit. Quocirca quando interdum in decretis dicitur, religioſos non poſſe miniſtrare ſacramenta, intelligitur ſuo proprio & ordinario iure, ſeu hoc ipſo quòd religioſi ſunt: quòd verò ex priuilegio poſſint, nunquam negatur.

12. Coroll. Ex his infertur, non poſſe Parochum prohibere parochianum ſuum quominùs confiteatur religioſo habenti priuilegium ad audiendas confeſſiones, vel alteri ſacerdoti ab Epiſcopo expoſito, & ab illo iuriſdictionẽ habenti: quia, vt ſuprà dixi hęc facultas eſt quaſi relatiua, & ſi vni datur ad audiendas confeſſiones, alteri conſequenter datur ad confitendum.

Obiect. Dices, Ergo religioſus non indigebit licentia ſui ſuperioris ad audiendam confeſſionem eius, qui à Papa habet licentiam eligendi confeſſorem.

Solut. Reſpondetur, quantum eſt ex parte iuriſdictionis ita eſt; tamen, quia religioſus non eſt ſui iuris, & arbitrij, vt in hoc, vel illo opere occupetur, ſed tenetur parere ſuperiori ſuo, ideò indiget licentia, vel ſaltem non prohibitione, vt poſſit in audiendis confeſſionibus occupari: & ideò in concluſione expreſsè locutus ſum de licentia, quę ad dandam iuriſdictionem pertineat.

Alia obiectio. Dices ſecundò, Ergo non poteſt ſuperior religionis prohibere ſuum ſubditum ne confiteatur alteri religioſo; qui à Papa habet facultatem audiendi confeſsiones.

Soluitur. Reſpondetur negando conſequentiam, quia hoc ius non derogat conuenienti ordini, & inſtitutioni vniuſcuiuſque religionis: & ita ſatis explicatum eſt in dicta Clement. *Dudum*, & in dicta Extrauag. *Inter cunctas*.

### *Delegetúr-ne hæc iuriſdictio per ſolam ratihabitionem.*

13. ATQVE ex his explicatum relinquitur quod tertio loco propoſitum eſt: ſcilicet, qua forma, vel modo deleganda ſit hæc poteſtas: dicendum eſt enim nullam aliam formam eſſe ad hoc ſpecialiter requiſitã, præterquam quòd delegans ſufficienter explicet voluntatem ſuam, ſuppoſita poteſtate: nam quibuſcumque verbis, ſignis, aut ſcripturis hoc fiat, ad hunc effectum ſufficit, quia nec ex natura rei, neque ex ſpeciali iure poſitiuo aliud requiritur. Solet autem hoc loco ſpecialiter quæri, an ad huiuſmodi delegationem ſufficiat futura ratihabitio, in præſenti probabiliter præſumpta. Id enim aſſeruit Raimund. 1.ſent. Raimund. in Summ. tit. de Pœnitentiis & remiſsionibus, §. 15. quem videtur ſequi Palud. in 4.d.19.q.2. n. 25. & ibi Palud. Capreolus ad 1.contra 3. concluſionem. Et in hanc Capreol. ſententiam ſolent citari Hoſtienſis, & alij Canoniſtæ. Et fundatur in Regula 10.iuris in 6. dicente: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*: nam ſi illa regula generalis eſt, etiam in præſenti locum habet: ergo abſolutio ſic data non minùs erit valida, quàm ſi ex mandato proprij confeſſoris data eſſet: ergo talis ratihabitio ſufficiens fuit ad dandam iuriſdictionem. Alij diſtinguunt duplicem ratihabitionem, vnam de futuro, alteram 2.ſent. de præſenti: primam negant ſufficere, quia quod non eſt, licèt futurum ſit, non poteſt in præſenti operari: alteram verò dicunt ſatis eſſe, quia quacunque ratione poteſtati adiungatur volũtas in præſenti tempore, ſufficit ad delegandam iuriſdictionem. Ita Syl- 3.ſent. Vide Ledeſ. ueſter *Confeſſor*, 1.quæſt. 6. Nauarrus in Summa cap. q.47.ar.5. 9.num.6.& in cap. *Placuit*. de pœnit. d. 6. num. 103. dub.13. Ledeſma 2.part.4. quæſt.22.art.1. Soto in 4.d. 18. q. Sylueſt. 4.art.3. Alij verò ſimpliciter negant, ratihabitionem Nauarr. ſufficere ad delegandam iuriſdictionem. Ita tenuit Ledeſ. Palud. in 4.d.17.quæſt.3.num.28. Maior.d.19.q.1. Ga- Soto. briel.d.17.q.2.art.3.dub.2. Antonin.3.p.tit.17.cap. 4. Vide Capreol. caſu 8. Adrian. quæſt. 5. de Confeſſ. Medina q.de Mul Palud. tiplici licentia confitendi alieno. Henric. quodlibeto primo, quæſtione trigeſima prima & trigeſima ſecunda. Maior. Ant. And. Med. Henric.

Ex his ſententiis hæc vltima ſimpliciter vera eſt. 14. Nam contra primam manifeſtum eſt, ſpem aut præſumptionem futuræ ratihabitionis non ſufficere: quia 3.ſent. proba tur & 1.refu tatur. ſacramentũ non poteſt eſſe pendens ex futuro euentu. Ponamus enim ſuperiorem poſteà non habuiſſe ratum præteritum factum: inquiro an ſacramentum præteritum tunc ſit validum, nécne: nam, ſi non fuit validum, ergo à principio ſemper eſt inualidum: quia, ſi aliquando validum fuiſſet, quidquid ſuperior poſteà vellet, ſemper validũ permanſiſſet: neque enim poteſt irritari abſolutio ſacramentalis, quæ ſemel valida fuit: ſi autẽ eſt à principio inualidum, nõ poteſt poſteà per ſolam ratihabitionem ſuperioris validum fieri: quia ſacramentũ, quod in principio non habuit valorem, non poteſt per ſolum cõſenſum alterius validũ fieri. Quod patet manifeſtè in re, de qua agimus, quia abſolutio priùs data, ſi inualida fuit, ideò eſt, quia fuit data à non iudice, ſeu non habente iuriſdictionem; poſteà verò per ratihabitionem non efficitur, vt illa abſolutio detur ab habente iuriſdictionem, quia nec datur à delegante, ſeu ratum habente, nam ille non abſoluit; nec etiam datur à delegato, quia ille ſolam incipit habere iuriſdictionem, quando ſuperior conſentit, & tunc ipſe non repetit abſolutionem.

15. Obiect. occurritur. Si autem dicatur, abſolutionem à principio fuiſſe validam; ideoque validam permanere, etiamſi ratihabitio poſteà non ſuccedat, vt ſperabatur: contra

hoc

hoc est, quia inde sequitur, subditum ritè confiteri alieno, non solùm absque licentia, sed etiam contra voluntatem proprij, contra capitulum, *Omnis vtriusque*. Respondent, illam confessionem esse validam quoad valorem sacramenti, non verò quoad tollendam obligationem iterum confitendi eadem peccata proprio sacerdoti, si ipse nolit ratam habere priorem confessionem. Vnde aiunt, subditum, qui sub hac spe confitetur, teneri ad habendum propositum confitendi eadem peccata proprio sacerdoti, si nolit priorem absolutionem ratam habere: & ita significant, in eo casu dari iurisdictionem delegatam non absolutè, sed sub ea conditione: scilicet, iterum confitendi proprio, si ipse velit. Verumtamen hæc omnia dicuntur sine fundamento, quia nullum ibi est indicium talis pacti, neque signum sufficiens iurisdictionis collatæ, etiam hoc modo. Nam spes, vel præsumptio futuri consensus alterius non ponit in superiore consensum, vel voluntatem, sed solùm ponit in aliis opinionē, seu fiduciam de tali volūtate futura: mea autē opinio, vel fiducia non dat mihi iurisdictionem, etiam sub illa conditione. Deinde vrgeamus argumentum factum, si superior posteà expressè nolit ratam habere absolutionem, etiam quoad valorem sacramenti, nec iurisdictionem dare pro tempore præterito, etiam sub illa conditione: tunc enim dici non potest, alienum sacerdotem habuisse iurisdictionem sine vlla voluntate proprij, imò contra eius voluntatem. Igitur ratihabitio propria de futuro ad hanc delegationem sufficere non potest, & consequenter neque ad ministrandum validè hoc sacramentum.

Instantia.

Diluitur.

16. Quod autem dicebat altera opinio de ratihabitione de præsenti, videtur in primis repugnantia in terminis propriè sumptis: quia ratihabitio propriè respicit præteritum, & ideò dicitur, retrotrahi in prædicta regula. Quando ergo sit factum, quod posteà ratum habetur, non potest esse in re ipsa ratihabitio, sed tantùm in spe: repugnat ergo dicere ratihabitionem, & de præsenti. Quod si fortasse ratihabitio de præsenti vocetur à dictis Auctoribus præsens voluntas committendi iurisdictionem, non tamē manifestata expresso & claro signo, sed inuolutè & implicitè: illa in primis non est propria ratihabitio, sed collatio iurisdictionis per consensum de præsenti. Et deinde satis difficile ad explicandum est, qualis sit illa implicita, seu inuoluta concessio. Nam certum est, interiorem voluntatem non sufficere ad dādam hanc iurisdictionem, quia debet conferri humano modo: homines autem non cognoscunt interiores voluntates, nisi per externa signa. Vnde certum etiam est, hoc signum externum, quodcunque illud sit, tale esse debere, vt sufficienter per illud innotescat delegato voluntas delegantis: quod si hoc habeat, siue illud vocetur explicitum, siue implicitum, satis erit: si verò hoc non habeat, insufficiens semper erit. Quòd si tale sit signum, vt rem dubiam relinquat, sine dubio non sufficit; quia non satis manifestat voluntatem: & prætereà exponitur homo periculo nihil faciendi, si tenet absoluere.

16. 2. sententia reprobatur.

17. Imò etiamsi faciat probabilem existimationem de præsenti consensu delegantis, non est tali iurisdictione vtendum, nisi vbi non est opportunitas clariùs, & expressiùs cognoscendi voluntatem superioris: & aliunde est sufficiens causa administrandi sacramentum, vt etiam Soto animaduertit: & constabit ex eo, quod infrà generaliter dicemus, non esse vtendum probabili iurisdictione, omissa certa, quando commodè potest. Igitur ad hanc delegationem semper est necessarius præsens consensus superioris delegantis sufficienter manifestatus: hæc autem manifestatio non habet vnum definitum signum, quo necessario facienda sit: sed aliquando fit propriis, & explicitis verbis, aut literis claris & expressis: quod est optimum consilium: aliquando generalibus verbis ministrandi sacramenta, aut exercendi hoc, vel illud munus loco alterius; quando habet annexum hoc ministerium secundùm communem vsum: aliquando etiam fieri potest tacito consensu, quando ita coniungitur alicui facto, vel interrogationi præteritæ, vt secundùm prudentem existimationem censeatur sufficere; vt aduertit Adrianus suprà, & in sequentibus aliqua exempla occurrent.

Per hæc ergo satis responsum est ad secundam sententiam. Regula verò, quam prima sententia in suum fauorem afferebat, variis modis à citatis auctoribus, & ab aliis Iurisperitis declaratur, Breuiter tamen dico, regulam illam primò habere locum in his, quæ à principio valida sunt substantialiter; irritari tamen possunt propter defectum alicuius solennitatis accidentalis: nam illa possunt per subsequentem ratihabitionē omnino firmari: quod in præsenti non habet locum: cùm à principio sacramentum fuerit nullum, vt ostensum est. Secundò, in his, quæ à principio nulla sunt, habere poterit locum illa regula, quando illa sunt talia, vt possint esse dependentia, & quasi expectantia futurum euentum, vt sunt ferè contractus humani: nam quæ huiusmodi sunt, possunt per subsequentem ratihabitionem ita firmari, vt ex eo tempore quo sub ea spe facta sunt, valeant, & operentur: quod est ratihabitionem retrotrahi. Sacramentum autem non potest ita esse pendens ex futuro euentu: & ideò non potest per subsequentem ratihabitionem firmari: quod idem est de quacunq; alia re, quæ neque à principio valida est, neque ex futuro pendens esse potest. Quod inter alios notauit Baldus in lege, *Obseruare*. §. *Post hæc* Digestis, de Officio Proconsulis, numero octauo, vbi etiam Bartolus, & alij: Felinus cum aliis in capitul. *Prudentiam*, de Officio delegati. Aliquando verò præteritus actus, quanuis validus non fuerit, neque futurum pendeat, potest per voluntatem alterius posteà declarari, quasi de nouo fieri; & tunc potest etiam ratihabitio dici confirmare quod factum erat, quanuis potiùs de nouo faciat: nec tunc retrotrahitur, nisi & voluntas ad hoc sit efficax, & hoc ipsum exprimat ac declaret. In præsenti autem nihil istorum locum habet, vt ostensum est: & ideò illa regula non rectè in præsenti applicatur. Quod etiam suo modo verum habere in iurisdictione ad ferendas censuras, infrà suo loco ostendemus.

18. Regula Ratihabitionē de Reg. iur. lib. 6. declaratur.

Bald.

Bartol. Felin.

## SECTIO II.

### *In quibus sit iurisdictio delegata in foro Pœnitentiæ, & quid operetur.*

1. DIXIMVS de potestate habendi hāc iurisdictionē. Dicendū supereſt de actu, seu de habētibus ipsā. Quæ res vix potest sub doctrinā cadere, quia est quid contingens, pendens ex voluntate delegantium: vnde hoc tantùm ferè possumus generatim respondere, illos habere hanc potestatem, quibus data est ab ordinariis pastoribus per sufficientem declarationem suæ voluntatis, iuxta superiùs dicta. Vt autem aliquid in particulari dicamus, aduerto vlteriùs tribus modis posse dari iurisdictionem, & eisdem videtur posse delegari. Primus est à iure: & hoc modo non inuenio alicui esse delegatam hanc iurisdictionem iure communi ex parte ipsiusmet confessoris, sed tantùm ex parte pœnitentis,

Tribus modis delegatur hæc iurisdictio. Primò à iure.

tis quatenus aliquibus data est facultas eligendi confessorem, de qua dicemus Disputatione sequente. Nisi quis vocet delegationem à iure illam, quæ facta est Mendicantibus per eorum priuilegia, quatenus aliqua ex his in iure communi continentur: veruntamen nos hanc sub tertio membro comprehendimus, quæ est ab homine, quia à principio ita facta est: in iure autem solùm per occasionem, & aliquam eius declarationem inserta est.

2. Secundò à consuetudine. Secundus modus delegandi hanc iurisdictionem, potest esse ex consuetudine: ad quem duo casus videntur præcipuè pertinere. Primus est de articulo mortis: nam, licèt hic ex multis iuribus colligatur, antiquior tamen est omni iure canonico scripto. Secundus casus est de confessione, quæ fit de solis venialibus, vel de peccatis iam confessis: & de his duobus proprias disputationes posteà instituemus. Tertius casus addi posset de confessionibus ordinariis clericorum: sed quia hoc magis videtur spectare ad facultatem concessam pœnitenti eligendi confessorem, dicemus de hac re commodiùs Disputat. sequen.

Conclusio. Vnde in præsenti concludo, circa materiam necessariam confessionis, & secluso mortis articulo, neminé habere propriam iurisdictionem delegatam ex consuetudine, quia de nulla tali consuetudine constat. Quod si aliquando hæc iurisdictio consuetudine cõparatur, illa iam non est delegata, sed ordinaria, semper enim acquiritur, vt annexa alicui muneri, vt beneficio: neque aliter videtur posse obtineri per se loquendo, cùm semper hæc delegatio pendeat ex voluntate alicuius pastoris ordinarij.

3. Tertiò per concessionem hominis. Tertius ergo modus, & omninò proprius huius delegationis est per concessionem hominis, quæ interdum est priuata & personalis: de qua seq. sect. dicam. Alia verò est magis communis, & publica, & quæ per priuilegia perpetua conceditur, vt sunt ea, quæ religiosis præsertim Mendicantibus, concessa sunt. De quibus specialiter dubitatum olim fuit, quid operentur, seu ad quid valeant. Duo enim fiunt per absolutionem à peccatis: vnum est sacramentalis remissio peccatorũ valida & firma: aliud est quòd pœnitens non teneatur ampliùs confiteri illa peccata. Certum ergo ex dictis est, hæc priuilegia valere ad illud prius vt constat ex sectione præcedente, vbi error contrarius tractatus, & improbatus est.

Dubium.

4. Quorundã error. Circa secundùm ergo fuit error dicentium, hæc priuilegia nunc de facto non valere ad absoluendum absolutè fideles à peccatis, ita vt liberentur ab obligatione confitendi eadem peccata semel in anno suo Parocho, si absque eius licentia fratribus, vel sacerdotibus habentibus similia priuilegia confessi sunt. Ita docuit Ioannes de Poliaco, vt refert Ioannes 22. in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, & latiùs Durandus in quarto, distinctione decimaseptima, quæstione secunda. Idem tenuit Henricus quodlibeto septimo, quæst. 26. & quodlibeto decimo, quæstione 1. & in eadem sententia fuit Academia Parisiensis: refert enim Maior dist. 17. quæst. 6. cùm Tornaci quidam Ioannes de Angeli prædicasset, parochianum confessum intra annum fratribus priuilegiatis non teneri iterum confiteri suo Parocho, Academiam Parisiensem sententiam illam vt scandalosam, & iuri contrariam damnasse. Fundamentum huius sententiæ fuit: quia hæc priuilegia non auferunt præceptum capit. *Omnis vtriusque sexus*, quia neque expressè illud derogant, neque ita cum illo repugnant, quin aliquo modo conciliari possint: sed in capite *Omnis*, præcipitur fidelibus, vt omnia sua peccata semel in anno proprio sacerdoti confiteantur: ergo non obstantibus dictis priuilegiis & confessionibus factis virtute illorum tenebuntur fideles confiteri omnia peccata semel in anno suo Parocho, nisi ipse licentiam dederit. Et confirmatur primò, nam priuilegia quoad fieri possit, ita exponi debet, vt quam minimum repugnet & iuri communi, & iuri Parochorum: nam quoad hanc partem odiosum est, & ideò strictè interpretandum. Confirmatur secundò, quia ita videtur hæc priuilegia, & cap. *Omnis*, interpretari Martinus 5. in quadam Extrauag. *Adveberes*, quæ non habetur in corpore Iuris neque in Bullario Romano, eam tamen referunt Henricus suprà Adrianus, Maior, Medina, & alij: declarat enim, fideles, quanuis confessi sint fratribus priuilegiatis, nihilominus teneri semel in anno confiteri suis Parochis iuxta decretum Concilij generalis, & ipsosmet fratres debere fideles ad hoc exhortari. Atq; idem sentire videtur Sixtus quartus, in Extrauagant. *Vices*, de Treuga, & pace.

Henric.

Maior. Henric. Adrian. Maior. Medina.

## ASSERTIO II.

5. DICENDVM nihilominùs est, hæc priuilegia, & iurisdictionem, quæ ex vi illorum delegatur, operari, non solùm absolutionem validam quoad sacramentalem remissionem peccatorum, sed etiam omninò absoluere hominem ab onere confitendi iterum talia peccata. Ita docent omnes doctores citati in præcedenti sectione, qui in hoc nihil distinguunt inter valorem talis confessionis ad remissionem peccatorum, & ad implendum præceptum confessionis. Definitur etiam à Ioanne 22. in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, & Benedicto 11. in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. *Ne sequatur*, inquiunt, *absurdum, vt peccata semel remissa aliquis confiteri teneatur, & liberatus debitor iterum soluere cogatur.* Vnde ratio à priori est, quia hæc priuilegia concedunt iurisdictionem in hoc foro simpliciter, & sine vlla restrictione: ergo absolutio, quæ ex vi illius iurisdictionis datur, est omninò absoluta, & sine vllo onere confitendi: ergo confessio sic facta sufficit ad liberandum hominem & à culpa, & ab onere iterum confitendi. Consequentiæ sunt euidentes. Antecedens verò patet: primò ex declaratione dictorum Pontificum, nisi enim ita intellexissent dicta priuilegia, non reputassent absurdum, fideles manere obligatos ad confitendum iterum eadem peccata: quia cùm aliquis absoluitur sub illo pacto, vel conditione iterum comparendi, non est inconueniens quod iterum confiteri teneatur, vt infrà dicemus agentes de reseruatis. Secundò probatur ex vi verborum talium priuilegiorum, quæ absoluta sunt, & sine vlla tali restrictione: illa autem conditio absolutionis sub onere iterum confitendi, adeò est onerosa, & exorbitans ab ordinario modo confessionis, vt nisi expressè proferatur, nunquàm intelligatur apposita: nec fideles possent ad hoc rationabiliter obligari, cùm illi nunquàm intellexerint tale pactum, vel conditionem, aut tali obligationi consenserint. Vnde est tertia ratio, quia priuilegia hæc illo modo declarata nullius ferè essent momenti vel vtilitatis: nullus enim fidelium vellet religiosis confiteri cum illo onere confitendi iterum omnia sua peccata propriis sacerdotibus. Tandem, ipsa etiam consuetudo satis declarauit, & confirmauit hunc esse verum sensum talium priuilegiorum. Imò hæ rationes conuincunt, non solùm de his priuilegiis, quæ iam concessa sunt, sed in vniuersum de omnibus & quibuscunque facultatibus, quæ sub simili absoluto tenore verborum conceduntur à summo Pontifice, vel Episcopis, proportione seruata.

6. Ratio à priori. Secundò principaliter probatur hæc veritas ex vera

vera intelligentia capitis, *Omnis vtriusque sexus.* Non enim potest, sicut Henricus, & alij volebant, exponi: alioqui confessio facta fratribus priuilegiatis sine licentia proprij Parochi, non solùm ad implendum præceptum non sufficeret, sed etiam valida omninò non esset, cùm in eodem textu dicatur, *Si quis voluerit alieno sacerdoti confiteri, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cùm aliter ille non possit absoluere, vel ligare.* Vbi non dixit, cùm aliter non posit liberare eum ab onere huius præcepti, sed simpliciter *absoluere, vel ligare.* Deinde sequitur ex illa expositione, quòd licèt Parochianus esset confessus ipsi summo Pontifici, vel Episcopo suo sine licentia sui Parochi teneretur ex vi illius præcepti iterum confiteri Parocho omnia illa peccata ad implendum præceptum dicti capit. *Omnis vtriusque*, quod absurdissimum est, cùm ex iure diuino ita sufficiat confessio facta Pontifici, vt non possit ius humanum obligare ad confitendum peccata inferiori sacerdoti, post confessionem ritè factam superiori: in hoc autè foro perinde est confiteri alicui ex licentia superioris, ac confiteri ipsimet superiori, vt ex eodem capite, *Omnis vtriusque*, cum proportione colligitur.

7. Opinio Paludan. Propter hoc ergo Palud. distinctione decimaseptima, quæstione tertia, numero octauo, censet, in primis verbis illius capit. vbi præceptum traditur proprium sacerdotem sumi pro quocunque habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam: in aliis autè verbis in quibus dicitur, ad confitendum alieno necessariam esse proprij sacerdotis licentiam, proprium appellari quemlibet ordinarium. Sed immeritò, & sine vlla necessitate hanc æquiuocationem admittit. Nã si in posteriori loco proprius sacerdos dicitur solus Parochus, ita vt omnes alij excludantur, non soluitur difficultas: quia licentia talis proprij non est simpliciter necessaria: si verò ibi accipitur proprius sacerdos pro omni habente iurisdictionem ordinariam, siue particularem, siue generalem, cur non potest eodem modo accipi in ipso præcepto, nã hoc satis est ad Reiicitur. soluendam omnem difficultatem? Nam, licèt præceptum per se, & absolutè ita latum sit, statim in eodem textu explicatur & limitatur, scilicet, vt ad implendum illud præceptum sufficiat confessio facta alieno de licentia eiusdem proprij, de quo in ipso præcepto mẽtio facta fuerat, scilicet, vel particularis, vel generalis: ergo, cùm confessio fratribus priuilegiatis facta, licèt videatur fieri alieno, fiat tamen ex licentia vnius proprij, scilicet Pontificis, satis erit ad implendum illud præceptum. Est ergo valdè probabile, in toto illo textu proprium sacerdotem accipi pro quocunque iudice ordinario in hoc foro: tum quia ibi tantùm distinguitur contra alienum: Episcopus autem, vel Pontifex non potest dici alienus: tum etiam, quia ibi quoad hanc partem nihil præcipitur præter id, quod iure diuino est necessarium: sola enim temporis determinatio ibi additur iure humano, vt sæpè diximus ex Concilio Tridentino, sess. 14. capite quinto: ex iure autem diuino non est necessarium confiteri proprio Parocho, excludendo superiorem, vt per se notum est.

8. Vnde licèt concederemus (quod etiam est verisimile) propria & directa intentione Concilium ibi locutum esse de proprio Parocho, eò quòd locutus est secundùm communem vsum Ecclesiæ, in qua hoc ordinarium onus audiendi confessiones fidelium Parochis impositum est, & quia illi quasi per antonomasiam dicuntur proprij sacerdotes, iuxta rigorosam significationem illius vocis, *Proprius*, quam ita videntur in illo præcepto intellexisse Sixtus IIII. & D. Thom. Benedictus XI. locis citatis, & expressè Diuus Thomas in quarta distinctione, decimaseptima quęstione, articulo tertio, quæstione quinta, ad quart. licèt inquam, hanc expositionem admittamus, non propterea putandum est ex vi illius decreti excludi superiores, sed potiùs tanquam per se notum supponi, multo magis sufficere confessionem factam superiori, vel de licentia eius: quia quantumuis dictio videatur exclusiua nunquam excludit concomitantia, vel quæ necessario supponuntur. Quod etiam à simili declaratur: nam ex vi illius decreti tenentur parochiani Eucharistiam in Paschate suscipere à proprio Parocho, vel de licentia eius, quod est etiam signum, in eo textu proprium sacerdotem sumi pro Parocho, & tamen id non excludit, quominus accipiens Eucharistiam à suo Episcopo, vel à summo Pontifice, sine dubio satisfaciat illi præcepto.

9. Fundamentis cõtrariæ sententiæ satisfit. Per hæc ergo satisfactum est fundamento contrariæ sententiæ quod ex dicto capite sumebatur, simul cum prima confirmatione. Ad secundam quæ sumebatur ex Extrauagantib. Sixti quarti, & Martini quinti. Respondemus ad priorem expendẽda esse illa verba, *Ipsi mendicantes desistant prædicare, quòd parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri sacerdoti: quia de iure tenetur parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri sacerdoti.* Constat enim, loquendo de proprio præcepto confessionis, non teneri fideles ad confitendum in Paschate suis Parochis, sed tantùm semel in anno in quocunque tempore illius. Ad Communionem autem obligantur præcisè tempore Paschatis, & consequenter ad confessionem, quatenus ad Communionem necessaria esse potest, scilicet, si is, qui communicaturus est, conscientiam habeat peccati mortalis. De hac ergo obligatione tantùm locutus est Pontifex: vnde non dixit, teneri fideles ad confitẽdum in Paschate omnia peccata, quæ intra annum cõmiserunt, sed simpliciter ad confitendum, quantùm videlicet indiguerint ad cõmunicandum: nam, si conscientiam peccati mortalis non habuerint, satisfaciẽt, dicendo suo Parocho, se non grauari conscientia peccati mortalis, quod ipse in foro conscientiæ credere tenetur, vt D. Thomas suprà dixit. Hoc autem nihil derogat priuilegiis Religiosorum, quominùs plenam, & absolutam iurisdictionem habeant ad confessiones audiendas, per quas tam diuinum, quàm Ecclesiasticum pręceptum impleatur. Ad Extrauag. autem Martini V. non possumus ex illius præscriptis verbis respondere, quia illam non habemus. Et ideò Medina in Medina. q. de Confessione fratribus priuilegiatis facta dupliciter respondet. Primò, fortasse Martinum quintum limitasse quoad hanc partem priuilegia fratrum Mẽdicantium, scilicet, vt per ea nõ daretur iurisdictio ad absoluendum absolutè. Sed hoc mihi nõ est verisimile, tum quia Martinus quintus in fauorem Mendicãtium illam Extrauagãtem edidisse dicitur, tum etiam, quia constat nunquàm restrictionem illam positam fuisse in vsu, neque sub eo grauamine concessam fuisse fidelibus hanc facultatem confitendi religiosis. Secunda ergo responsio est, quam nos adhibuimus verbis extrauagantis Sixti IIII. nimirũ teneri fideles tẽpore Paschatis cõfiteri proprio sacerdoti ad cõmunicandum si confessionę indigeant: alioqui satis illis erit si Parochum reddant certum, vel cõfessione legitimè facta, vel, quod non habeant conscientiam peccati, quę ipsos ad confitendum obliget. Et hoc etiam significauit Benedictus XI. in dicta extrauag. *Inter cunctas*, dicens esse præceptum confitendi semel in anno proprio sacerdoti: sed hoc intelligendum esse de his, qui sua peccata confiteri neglexerunt.

SEC

## SECTIO III.

### *Quàm sit durabilis, seu permanens hæc iurisdictio delegata.*

1. AGIMVS de hac iurisdictione in ordine ad confessiones ex materia necessaria, & extra articulum mortis, vt excludamus duos singulares casus in duabus sectionibus sequentibus tractandos. De hac ergo iurisdictione certum est, posse reuocari à delegante & tunc non ampliùs durare: quia est veluti participatio quædam iurisdictionis eius, existens, vt sic dicam, in alieno subiecto, & ideò moraliter semper pendet à delegante in conseruari, saltem quoad hoc, vt si positiuè reuocetur reuerà auferatur. Nam qui iurisdictionem delegat, non omninò transfert illius dominium in alium, & à se illud abdicat, sed solùm cõcedit vsum talis iurisdictionis, qui semper pendet ex voluntate prioris domini. Quæ doctrina est indubitata ex toto articulo de officio delegati, & communi omnium sententia.

Iurisdictio delegata potest reuocari à delegãte.

2. Atque hinc secundò certum est, quoties delegatio fit ad præfixum tempus, pro illo durare, si non reuocetur: illo autem finito, ipso facto cessare: quia à principio, & in ipsamet concessione facta est reuocatio pro illo puncto, vel potiùs non est facta concessio pro toto tempore post illud punctum: quia gratia, vel facultas non excedit voluntatem concedentis, nec voluntas operatur ampliùs, quàm per verba explicetur: si ergo concessio tantùm fit vsque ad tale tempus, illo finito, extinguitur, quia pro toto sequenti tempore facta non est. Sicut, si concessio fit ad actum limitatũ vel ad materiam determinatam, vltra eam non extenditur, propter rationem factam, quæ eodem modo locum habet in præsenti. Difficultas ergo super est, quando delegatio indefinitè fit absque temporis limitatione, an semper duret quandiu expressè non reuocatur. In quo tertio loco est etiam certum, quandiu viuit is, qui delegauit, durare hanc iurisdictionem in delegato, quamdiu non reuocatur: supponimus autem viuere personam delegati, quia aliàs constat, corruptis nobis, desinere esse ea, quæ sunt in nobis. Ratio est clara: quia iurisdictio hæc non pendet ex actuali influxu, & voluntate continua ipsius delegantis physicè, vt sic dicam: sed solùm ex voluntate semel habita moraliter permanente: censetur autem moraliter durare, quandiu retractata non est: & ideò datur hæc iurisdictio durabiliter, & permanenter ex vi prioris concessionis, donec retractetur, aliàs moraliter nullius esset vtilitatis, nec sciri posset quantùm duret, quando indefinitè, & sine temporis limitatione conceditur. Aduertere autem oportet, hic nunquàm excludi superioris voluntatem, sed supponi potiùs, consentaneè ad ea, quæ paulò anteà dicebamus in superiori sectione: quia non solùm ipse delegans: sed etiam superior eius potest iurisdictionem ab ipso delegatam reuocare, quia multò magis ab ipso pẽdet, & quia ipse potest efficaciter prohibere inferiori suo ne huic, vel illi personæ suam iurisdictionem committat & irritare concessionem si fiat: nam est superior pastor, cui hæc iurisdictio principaliter commissa est.

Difficultas.

Soluitur.

3. Cùm ergo dicimus, iurisdictionem hanc delegatam durare quandiu non reuocatur à delegante, à fortiori intelligimus, neque ab aliquo superiore ipsius delegantis. Quanquàm in hoc notari potest nonnulla differentia: nam is qui delegauit, suo arbitrio sine alia causa potest reuocare, non solùm validè, sed etiam licitè per se loquendo, quia vtitur iure suo, & quasi re propria: superior autem non potest reuocare delegationem factam ab inferiore sine aliqua rationabili causa, idque non tam propter ius acquisitum à delegato, quàm propter ius ipsius delegantis, quod habet ex vi suæ iurisdictionis ordinariæ, quod habet ad committendam illam alteri: nec potest hoc vsu priuari sine rationabili causa. Imò, si euidenter sit iniusta reuocatio, videri potest nulla, quia est priuare alterum rationabiliter inuitum re sua: sicut superior si velit suspendere subditum à suo munere iniustè & sine vlla causa, non poterit, neque aliquid validè efficiet. Quæ ratio probabilis est in Episcopis, quia potestatem habent communi iuri magis addictam. At si summus Pontifex id faciat, factum tenebit, propter dependentiam, quam habent ab illo omnes inferiores in iurisdictione, quia omnes ab illo, & per illum eam recipiunt.

Differentia inter delegantem, & eius superiorem.

Superest ergo difficultas, an per mortem, vel mutationem, aut suspensionem delegantis cesset hæc iurisdictio in delegato, vel ea non obstante, permaneat. Et ratio dubitandi est, quia in vniuersum iurisdictio delegata amittitur per mortem concedentis, si causa nondum erat inchoata vt constat ex c. *Licet*, &c. *Gratum*, &c. *Relatum*, de officio delegat. Et ratio est, quia delegatus moraliter censetur habere vnam & eandem iurisdictionem cum delegante, cuius vices gerit: & ideò si in delegante cessat, consequenter videtur cessare in delegato. In contrarium verò esse videtur consuetudo quantùm spectat ad forum pœnitentiæ. Igitur, vt hanc rem explicemus, distinguere oportet tres iudices ordinarios in hoc foro suprà numeratos, summum Pontificem, Episcopum, & Parochum: & de singulis sigillatim dicere.

4. Dubium.

Ratio dubitandi.

Respõdetur dubio.

De summo Pontifice, omnes concedunt posse delegare hanc iurisdictionem perpetuam, ita vt duret post mortem eius, donec à successore reuocetur. Ratio est clara, quia in ipso residet suprema potestas cõmunicandi hanc iurisdictionem, tam ordinariam, quàm delegatam: ergo potest definire modum concessionis magis, vel minùs permanentis. Præterea ex vsu ipso certissimo constat hæc potestas: nam priuilegia, in quibus hæc potestas Religiosis conceditur, perpetua sunt, quanuis illa reuerà solùm fuerit delegatio quædam. Item similes facultates cõcessæ à summis Pontificibus regulariter ita intelliguntur: quia iura, quæ statuunt, quòd iurisdictio delegata etiam à summo Pontifice, si causa non est inchoata, censeatur extingui per mortem concedentis, loquuntur tantùm de iurisdictione fori contentiosi, quæ non datur in fauorem ipsius iudicis, nec habet rationem gratiæ, sed tantùm iustitiæ. Vnde in negotiis fidei, in fauorem eius concessum est Inquisitoribus, vt iurisdictio eis delegata non cesset per mortem concedentis, etiam ad causas nondum inchoatas, cap. *Ne aliqui*. de Hæreticis in 6. Ex quo euidenter concluditur non deesse summo Pontifici potestatem ad delegandam suam iurisdictionem perpetuam ante, vel post causam inchoatam, prout expedire censuerit, neque hoc determinari ex solo iure naturæ vel diuino, sed ex Ecclesiastico, & ex voluntate ipsorum Pontificum. Quoad forum autem pœnitentiæ non inuenimus aliquid circa hoc Pontificio iure dispositum, & alioqui hoc magis est forum gratiæ, quàm iustitiæ: & delegatio iurisdictionis in hoc foro habet rationem gratiæ & fauoris tam respectu eius, cui delegatur, quàm respectu pœnitentium, propter quos delegatur: ergo duratio huius iurisdictionis non est mensuranda per delegationem fori contentiosi, sed per regulam gratiæ, & fauoris, de quibus est regula iuris non expirare per mortem concedentis, capite, *Si super gratia*, de officio

5. Papam posse delegare iurisdictionẽ perpetuam.

ficio deleg.in 6.& c.*Si cui*.de Præbendis in 6. Sit ergo certum,in Pontifice esse hanc potestatem, & frequenter illa vti:& probabilius nobis sit, rescripta, & concessiones eius,quoad hanc partem,ita esse regulariter intelligenda,nisi vel ex eorum verbis aliud apertè constet,vel in aliquo particulari casu, aut munere, vsus ipse declaret aliam esse Pontificum mentem.

6. An Episcopus possit delegare iurisdictionẽ perpetuam.

De Episcopis res est magis dubia, & controuersa. Multi enim censent iurisdictionem hanc delegatam ab Episcopo ipso factam cessare per mortem eius. Ita tenet Palud.d.17.q.4.nu.25. quanuis enim videatur loqui generaliter de iurisdictione delegata, tamen ex declaratione,& aliis quæ subiungit,constat non loqui de summo Pontifice, sed de inferioribus pastoribus. Et eum sequuntur Anton.3.p.tit.17.c.9.& Sylu.verb. *Confessor*.1.quæst. 9. Qui solùm fundantur in iuribus suprà citatis,qui dicunt,re integra existente, delegatum amittere iurisdictionem per mortem delegantis. Vnde aiunt pœnitentiarium Episcopi, seu sacerdotem habentem ab Episcopo delegatam iurisdictionem,posse post mortẽ eius absoluere à peccatis, quorum confessionem ante mortem eius audierat, vel, si solùm audierat partem confessionis viuente Episcopo posse post mortem eius illam perficere, & absoluere quia causa iam erat inchoata. Et de his casibus & similibus nullum est dubium: sunt tamen rarissimi, & extraordinarij:& ideò satis mihi est creditu difficile, distinctionem illam de causa integra,vel inchoata procedere etiam in hoc foro, iuxta mentem Pontificis in citatis iuribus. Nihilominùs tamen dicti Auctores ita illam intelligunt, vel accommodant, & ideò negant posse huiusmodi sacerdotem post mortem Episcopi denuò audire totam aliquam confessionem, vel absoluere. Et ratio reddi potest, quia Episcopus non est supremus pastor vt possit modum, aut formã ponere in huiusmodi delegatione,aut oues suas committere pro toto tempore,quo voluerit: ergo ad summum potest committere pro tempore,quo ipse fuerit pastor,& non vltra, nisi iuxta formam præscriptam à iure,scilicet quoad causas inchoatas. Et confirmatur, quia Vicarius Episcopi ipso facto cessat ad mortem eius,vt constat ex vsu,cuius ratio non est alia,nisi,quia habet iurisdictionem ab Episcopo participatam, & consequenter pendentem ab illo: ergo idem erit de quolibet delegato in hoc foro;quia in illo est tanquàm Vicarius quidam qui vices Episcopi gerit.

1. sententia.

Palud. D. Anton. Sylvest.

7. Secunda sent.Nauarri.

Nihilominus contrariam sententiam indicat Nauarrus in cap *Placuit*.de Pœnit.d.6.n. 161. & sequentibus:quanuis enim non loquatur de iurisdictione directè delegata sacerdoti, sed de facultate data pœnitenti ad eligendum confessorem, tamen vel est eadem vtriusque ratio, quia hæ duæ concessiones ad eundem finem tendunt,& in re eundem effectum habent,quanuis diuersis viis, vel certè minor est in præsenti dubio difficultas, quia in præsenti casu iurisdictio iam est data sacerdoti: in alio verò casu non datur,donec actu eligatur:facilius autẽ permanet, quod datum iam est,quàm de nouo detur,quod datum non erat. Fundamentum Nauarri præcipuum est suprà tactum, quia delegatio huius iurisdictionis non est pensanda per regulas iustitiæ, vt sic dicam, sed gratiæ,regula autem gratiarum est, vt non expirent per mortem concedentis, vt in superiori puncto allegatum est.

8. Obiect.

Dicet fortasse aliquis, gratiam alicui factam in ipsiusmet fauorem non cessare per mortem concedentis:gratiam verò factam vni in fauorem alterius, cessare per mortem concedentis,iuxta cap. *Is cui*,de Prębend.in 6.hæc autem iurisdictio datur sacerdoti non in fauorem eius,sed in fauorem pœnitentium, & ideò non videtur in illius concessione procedere dicta regula. Respondetur licèt verum sit, hanc iurisdictionem delegari sacerdotibus in fauorem pœnitentium, tamen etiam esse magnum fauorem & gratiam factam sacerdoti. Et per se loquendo, est fauoquidam, qui nulli est odiosus, & omnibus est fauorabilis: ergo meritò computatur inter gratias, quæ fauorabiliori modo interpretandæ sunt. Magis verò obstare potest huic fundamento, quia iura, quæ ad illud principium confirmandum citantur, loquuntur de gratia facta ab Apostolica Sede, vt patet expresè in dicto cap. *Si super gratia*,& dict.cap. *Si cui*,quod potest in illa esse speciale,tum quia fauor supremi Principis amplissimè intelligendus est, vt habetur in iure:tum etiam,quia ob supremam potestatem faciliùs potest perpetua priuilegia concedere;& ideò hæc regula iuris communis non videtur rectè applicari ad Episcopos. Aliunde autẽ non videntur ipsi propria, & sola auctoritate sua posse committere iurisdictionem duraturam post mortem suam: & ideò in illis parum efficax videtur fundamentum illud.

Decisio.

9. Sententia Nauarri probatur.

Nihilomimus tamen satis probabilem censeo sententiam Nauarri:tum quia fundamentum eius aliquã probabilitatem habet:quia, licèt iura illa loquantur de gratia facta à Pontifice,tamen nõ excludunt alias, & ideò ex similitudine rationis probabilis coniectura inde sumi potest: tum etiam quia non videtur hoc excedere Episcoporum potestatem: vnde, cùm aliàs hoc non sit eis prohibitum aliquo iure, integrum ius habent ad concedendam iurisdictionem hoc modo duraturam si voluerint. Neque in hoc aliquid facient quod deroget iuri suorum successorum:quia satis illis est quod possunt has concessiones reuocare,& quandiu non reuocant, videntur tacitè eas admittere. Et aliunde multa incommoda sequi possent,si per mortem Episcopi, ipso facto cessaret tota hæc iurisdictio delegata in toto Episcopatu: nam inde moraliter sequeretur vt multæ fierent confessiones inualidæ, & sine iurisdictione,interim dum Episcopi mors omnibus innotescit.

10. Probatur ex consuetudine.

Atque hinc fortasse(quod me maximè mouet)videtur consuetudine receptum, vt mortuo Episcopo, hæc iurisdictio durare censeatur, donec à Capitulo, vel successore reuocetur. Atque ità existimo posse in praxi securè obseruari, siue hoc sit, quia delegatio Episcopi, vt ab ipso facta est, durat: siue quia per tacitã concessionẽ Capituli vel successoris continuatur quod ad rem moralem parum refert. Vnde etiam cõstat,idem esse dicendum quacunque ratione Episcopus priuetur Episcopatu, siue deponatur,siue ipse cedat aut renunciet, siue alio transferatur: nam quantùm ad præsens attinet, eadem est ratio in omnibus his casibus,illa enim diuersitas materialis est: formale autem est quod suam iurisdictionem amittat.

11.

Rursus à fortiori idem erit, si Episcopus excommunicetur, aut suspendatur,quod in hoc casu admittit Palud. suprà, quia tunc Episcopus non priuatur omninò iurisdictione, sed tantùm impeditur ab vsu eius:quod non videtur referre, vt delegatus vti possit iurisdictione,quæ in ipso manet:quod quidem verisimum est,supposito quòd maneat: hoc autem ex aliis principiis positis probandum est:nam in iurisdictione fori contentiosi aliter sentiendum est, vt infrà notabimus in materia de Censuris. Hic autem obseruare oportet,aliter loquendum esse, si suspensio, vel excommunicatio Episcopi antecedat delegationem,vel sequatur:nam,si antecedat,delegatio est nulla, quia delegatio est actus iurisdictionis, vt per se constat & sumitur ex cap. 1. de offic. Ordin. excommunicatus autem caret vsu iurisdictionis,& ideò talis actus nullus est. Quod rectè notauit Palud. suprà:malè autem addit, non esse eandem rationem de inferiore

Vide Vgol. lib. de Censur.tab. 1.c. 10 parag. 1. n.4.in fi.

riore delegante, vt est Parochus, nam est eadem de his ratio, vt in sequenti disputatione iterum occurret. At verò si delegatio priùs facta est, & posteà subsecuta est delegantis excommunicatio, procedùt quę dicta sunt.

11. Vltimo loco dicendum est de Parocho, qui delegauit iurisdictionem suam assumendo aliquem in Vicarium, seu coadiutorem suum propria tãtùm auctoritate absque approbatione, vel confirmatione Episcopi. De quo esse possunt eædem rationes dubitandi pro vtraq; parte. In quo censeo consulendam esse cõsuetudinem: nam videtur hoc pendere ex voluntate Episcoporum tacita vel expressa.

## SECTIO IV.

### *Vtrùm in articulo mortis quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem delegatam in hoc foro.*

1. In articulo mortis quilibet sacerdos habet iurisdictionem. Conc. Trid.

RESPONSIO certa & communis est, in articulo mortis, si vera interueniat necessitas ministri, quemlibet sacerdotem habere iurisdictionem ad absoluendũ in hoc foro: ideóque & validè, & licitè posse hoc sacramentum administrari. Hæc assertio sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 14. c. 7. & habetur ex antiqua traditione, quæ sumitur ex multis decretis 26. q. 6. c. *De his*, & sequentibus, fuitq; cõmunis Theologorũ in 4. vbi D. Th. d. 19. q. 1. ar. 3. q. 1. & alios statim referemus.

D. Thom.

2. Quę debeat esse pœnitẽtis necessitas.

Tria verò circa hanc veritatem explicanda sunt. Primum, quæ esse debet necessitas pœnitentis, & præsertim quæri solet, an sufficiat periculum mortis. Aliqui enim Auctores distinguunt inter periculum, & articulum, quòd articulus sit, quando mors proximè instat, & moraliter est certa, & ferè ineuitabilis: periculum autem sit, quando est probabile dubium, & frequenter solet in tali casu mors accidere, vt est actuale bellum, longa nauigatio partus mulieris, & similia. Dicunt ergo hi Auctores, necessarium esse articulum, nec sufficere periculum mortis. Ita sentiunt Soto d. 18. q. 4. art. 4. Cano dict. Relect. p. 5. Couarru. in capit. *Alma mater*, p. 1. §. 11. num. 8. Fundamentũ esse videtur, quia iura loquuntur de articulo mortis.

Soto. Cano. Couarru.

3. Respondetur ad dubium. Nauar. Medina. Palud. Andria. Sylvest.

Dico tamen sufficere morale periculum. Ita sensit Glossa in cap. *Pastoralis*, §. *Præterea*, de officio Ordinar. &c. *Quod in te*. ver. *Pœnitentia*, de Pœnit. & remiss. Et tenet Nauarrus in Summ. c. 26. n. 31. & c. 27. n. 271. Medina Cod. de Confessione q. 16. Et idem sentiunt Palud. d. 17. q. 5. art. 2. & d. 20. quæst. 1. art. 2. Adrian. q. 3. de Confession. Syluester verb. *Confessor*, 1. q. 6. & *Interdictum*. 5. q. 7. Et probatur optimè ex c. *Si quis suadente*. 17. q. 4. vbi posita reseruatione, excipitur periculum mortis. Et in c. *Non dubium*, de sent. excomm. facta mentione illius exceptionis, dicitur esse in articulo mortis: vnde intelligimus, hæc duo iure pro eodem reputari. Quod apertè etiam significatur in cap. *Eos qui*. de Sent. excomm. in 6. nam in eodem contextu nunc periculum, nunc verò articulus mortis appellatur: ergo quoties in aliis locis fit exceptio articuli mortis, rectè & secundùm ius intenditur ad periculum, præsertim cùm fauores ampliandi sint. Ratio etiam moralis est optima, quia morale periculum perinde existimari debet, & in malis ita caueri, sicut euentus ipse: nam propterea dictum est, *Qui amat periculum, peribit in illo*: ergo necessitas periculi mortis existimatur moraliter tanquàm extrema. Et confirmatur: nam propterea in eo casu obligat diuinum præceptum confitendi: ergo talis confessio tunc censetur medium necessarium ad salutem. Ratio autem concedendi hanc amplitudinem ministrorum fuit hæc necessitas: igitur extenditur hæc concessio ad periculum mortis, non autem ad alios casus, quia hanc solam necessitatem iura excipiunt.

4. Quę debeat esse necessitas sacerdotis.

Secundò explicandum est, an hæc necessitas considerandа etiam sit ex parte sacerdotis. Ad quod respõdetur affirmando. Necessitas autem ex parte sacerdotis est, vt non sit alius, ad quem ex officio, vel delegatione tale munus pertineat. Quapropter, si adsit Parochus, v. g. vel alius qui habeat iurisdictionem, non potest simplex sacerdos absoluere, quia iam non est articulus necessitatis comparati one illius, vt per se constat, & sumitur à simili ex cap. *Presbiter*. 26. q. 6. in illo verbo, *Nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat*. Et eadem ratione censeo, nunc sacerdotem non expositum non posse in eo casu absoluere si adsit approbatus qui possit, & velit id facere, etiamsi alioqui iurisdictionem non habeat, vt esset, v. g. Parochus alienus. Ratio est, quia decretum Tridentini etiam tunc obligat, cum reuerà, & omnibus pensatis nulla sit necessitas exceptionis. Simili etiam ratione existimo, si adsit sacerdos excommunicatus vitandus; seu suspensus, aut præcisus, non posse absoluere, si adsit simplex sacerdos toleratus, etiamsi anteà iurisdictionem non haberet. Ratio est, quia illi omnes sunt per Ecclesiam priuati omninò hoc ministerio generaliter, & consequenter sine exceptione, nisi in casu necessitatis extremæ: iam verò ille casus non est huiusmodi, vt declaratum est.

5. Quæstio.

Hîc verò occurrebat quæstio, an isti omnes præcisi, seu non tolerati sacerdotes etiam degradati, vel hæretici, possint in articulo mortis absoluere, quando non est alius: non enim defuerunt viri graues, qui hoc negauerint. Veruntamen, quia quæstio pertinet ad materiam de censuris, illam ibi tractabo agens de excommunicatione, & nonnulla disputaui superiori tomo disput. 64. & 65. Et breuiter affirmo omnes hos posse. Ad quod sufficiunt verba Concilij Tridentini dicto capite 7. in quibus tres distributiones sunt notandæ scilicet, *Quilibet pœnitens à quibuscunque suis peccatis, à quocunque sacerdote, &c.* Prima enim comprehendit omnes pœnitentes, etiam excommunicatos, hæreticos, &c. & similiter secũda cõprehendit omnia peccata affecta quacunque censura, sine exceptione: ergo & tertia similiter comprehendit omnes sacerdotes quacunque censura vel culpa ligatos. Per hoc tamen non excluditur quin ipse sacerdos teneatur quod in se est facere, vt dignè ministret, quod faciet, si contritionem habeat, etiamsi à censura absolui non possit. Quo etiam fit vt pœnitens in tali necessitate existens licitè ab his sacramentum petat, quia petit rem, quam licitè illi possunt dare, etiamsi fortasse id facturi non sint, sed indignè sint administraturi: hoc enim non imputabitur pœnitenti, sed ipsis, vt constat ex generalibus principiis de scandalo. Vnde non solùm potest, sed etiam tenetur infirmus tunc cõfiteri tali ministro, per se loquendo, quia obligatur ex diuino præcepto, quod potest commodè implere, ergo tenetur. Item quia tenetur saluti suæ prouidere, licèt alius sua praua voluntate peccaturus sit. Dico autem, *per se loquendo*, quia, si timeat aliquod maius nocumẽtum, vt si sacerdos sit hæreticus, & timeat contagium vel publicum scandalum, ea ratione excusari poterit, imò & ad illud vitandum obligari, de quo aliàs.

Soluitur. Trident.

6. Vnde tunc habeat sacerdos iurisdictionem. 1. sententia esse à iure diuino. Durand. Capreol. Palud. Cano. Ruardus. Armill.

Tertium explicandum est, vnde tunc habeat sacerdos iurisdictionem: nam quod habeat, certissimum est ex dictis de necessitate iurisdictionis ad conficiendum hoc sacramentum. dicunt ergo aliqui in eo casu speciali habere à iure diuino. Ita Durand. d. 19. quæst. 2. ad 4. & Capreolus ad 4. contra 3. conclus. Palud. d. 20. quæst. 1. art. 2. Cano suprà, Ruard. art. 3. & Armilla

verb. *Absolutio.* Fundamentum esse potest, quia perpetua Ecclesiæ traditio cuius initium ignoratur, est signum iuris diuini, ex Augustino libr. 4. de Baptismo, cap. 24. huiusmodi autem est hæc traditio. Item, quia non videtur Ecclesia habere potestatem ad hoc mutandum: talis enim potestas, & vsus non esset ad ædificationem, sed ad destructionem.

August.

7. Contraria sententia probatur. D. Thom. Bonau. Maior. Almain. Ledesm. Medina. Petr. Soto. Victor. Couarr. Torrecre. Trident.

Contrariam sententiam existimo veram, quam tenet D. Thomas d. 19. q. 1. art. 3. & d. 20. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. Bonauentura dist. 19. artic. 3. quæst. 1. Maior quæst. 1. Almainus quæst. 1. Soto dist. 18. quæst. 4. art. 4. Ledesma 2. part. 4. quæst. 21. artic. 6. & quæst. 22. art. 1. Medina Cod. de Cõfessione, quæst. de alieno sine licentia proprij absoluente. Petrus Soto lection. 5. de Confessione, Victoria in Summ. num. 156. Couarruuias, qui alios refert dict. capite *Alma*: §. 6. num. 8. p. 1. Et videri etiam potest Turrecremata in Summa de Ecclesia, lib. 1. cap. 98. & insinuatur à Concilio Tridentino suprà dicente, *Ne aliquis periret, custoditum semper in Ecclesia fuit, &c.* Vbi significat hanc traditionem ortam esse ab ipsa Ecclesia, & ad summum esse Apostolicam. Omnia etiam antiqua decreta, in quibus reseruantur peccata cum hac exceptione, indicant esse Ecclesiæ confessionem. Neque est aliquod aliud principium, vnde oppositum colligatur. Nam in ordinatione nulla datur iurisdictio, vt suprà dixi, neque ex alio loco habetur: nec etiam consuetudo sufficiens est indicium, quia, vt dixi, ad summum indicat Apostolicam traditionem, quæ non semper est de re instituta à Christo: neque aliud dicit Augustinus loco suprà citato. Est etiam optima coniectura, quia si hoc esset de iure diuino, omnes sacerdotes essent pares in illo articulo, neque posset vnus priuari tali iurisdictione, etiamsi esset copia alterius; neque tunc necessarium esset, expositum non exposito præferre, quia ad iurisdictionem diuini iuris non esset necessaria hominum approbatio, & ab hominibus instituta. Ex quo facilè soluitur coniectura opposita: nam, licèt semper futura esset in Ecclesia hæc concessio iurisdictionis, tamen, quia in illa seruandus etiam erat ordo & modus, ideò actualis ipsa cõcessio non est immediatè facta à Christo, sed suis vicariis commissa, qui ex præcepto diuino, imò etiam naturali charitatis, tenentur in hoc sufficienter prouidere necessitati fidelium.

8. Iurisdictionem esse delegatam in illo articulo

Tandem ex his concluditur iurisdictionem, quasi sacerdotes omnes habent in illo articulo, esse delegatam. Patet, quia non est ordinaria ex munere alicuius beneficij, aut ex officio sacerdotis, vt sic, vt ex dictis constat: ergo est delegata, quia omnis iurisdictio in hoc foro, vel delegata est, vel ordinaria. Item est ex concessione Ecclesiæ tantùm pro illa occasione: ergo est delegata. Est autem verisimile hanc delegationem cœpisse ab ipso Petro, & per tacitam cõsensionem Pontificum priùs continuatam fuisse, posteà verò per expressam in ipso iure, variis locis suprà indicatis, & in capite, *De cætero*, & in cap. *Ea noscitur*, de sentent. excommunicat. capite, *Pastoralis*, de officio iudic. ordin. cum aliis similibus. Ex quo etiam fit, vt hæc delegatio ex se perpetua sit, vt pote à summis Pontificibus facta, ideóque à nullo inferiori tolli, aut limitari possit nisi à summo Pontifice, à quo etiã nunquàm reuocabitur, quia esset intolerabilis error, quem nunquàm Spiritus sanctus in sua Ecclesia permittet. Denique hinc etiam constat, per confessionem factam in articulo mortis cuicunque sacerdoti, liberari hominem ab obligatione iterum confitendi illa peccata, per se loquendo. Patet, quia hæc delegatio est absoluta, ordinariè loquendo, quod addo propter casus reseruatos, de quibus est speciale dubium, an semper, vel saltem aliquando absolutio in illo articulo solùm concedatur sub onere compreandi, si periculum euaserint quod infrà videbimus: hic autẽ casus specialis declarat, in reliquis concessionem esse absolutam, ideóque simpliciter hominem absolui, & à tali onere liberari.

A

B

C

D

E

a

b

c

## SECTIO V.

### *Vtrùm in confessione, quæ fit de solis venialibus peccatis, quilibet sacerdos sit sufficiens minister.*

1.

RATIO dubitandi esse potest, quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, absolutè & sine limitatione dicitur, nullum posse ministrare hoc sacramentum, nisi sacerdotem proprium, vel alienum ex licentia proprii. Propter quod Medina dict. Cod. q. 40. de Confessione, non necessitate, sed voluntate facta, in dubium reuocat an simplices sacerdotes habeant hanc facultatem. Et Nauar. in cap. *placuit*. n. 22. de Pœnit. d. 6. & in summ. cap. 4. n. 5. & 6. significat incertam sibi esse talem concessionem: & videtur magis incerta reddi post Concilium Tridentinum, saltem quoad sacerdotes non expositos. Et addi potest aliqualis ratio, quia licèt ad iudicandum de venialibus non sit necessaria magna scientia; tamen ad discernenda venialia à mortalibus, aliqua necessaria est: qui autem iudicaturus est de venialibus sine potestate circa mortalia, necesse est, vt sciat discernere inter venialia & mortalia: hac ergo ratione posset in illo exigi approbatio.

Medina.

Nauar.

2. Ex Ecclesiæ consuetudine quidlibet sacerdos potest absoluere.

Nihilominùs antiqui Doctores supponunt de hoc esse consuetudinem Ecclesiæ, ratione cuius cuilibet sacerdoti non specialiter prohibito licitum est de venialibus absoluere: & capit. *Omnis vtriusque*, ab omnibus intelligitur de confessione mortalium: & est certum, quia agit de præcepto annuæ confessionis, de cuius necessitate tantùm sunt peccata mortalia. Et ita etiam tandem dixit Medina. Nec Nauar. ab hac recepta sententia discedere audet. Eamque sentio habere locum etiam post decretum Concilij Tridentini: nam illud in hac parte eriam intelligendum est quoad confessiones de mortalibus nunquam confessis; quia cætera non sunt materia necessaria confessionis.

3. Difficultas de iurisdictione assignanda. Prima opinio. Soto. D. Thom.

Difficultas verò est in ratione, vel iurisdictione assignanda ad hoc ministerium. In quo prima opinio est, rationem esse, quia ad absoluendum de venialibus nulla est necessaria iurisdictio. Ita Soto d. 18. quę. 4. art. 2. ad 2. quia sacerdos, inquit, non potest cogere pœnitentem ad confessionem talium peccatorum, nec ligare illum ad pœnitentiam de illis faciendam: ad quid ergo necessaria est iurisdictio? Vnde etiam D. Thomas ibid. quæst. 1. art. 3. q. 1. ad 3. indicat potestatem ordinis ad hoc sufficere. Nihilominus falsa est opinio. Primò, quia Concilia inter res necessarias, vt conficiatur hoc sacramentum, ponunt iurisdictionem & nihil excipiunt, nec limitant. Secundò, quia tunc etiam perficitur sacramentum per modum iudicij: quę est fundamentalis ratio necessitatis iurisdictionis. Tertiò quia sacerdos & potest soluere iudicialiter, & potest suo modo ligare, vel non absoluendo, si videat pœnitentem non esse dispositum, sed cum proposito committendi vel imponendo satisfactionem, quam saltem sub veniali teneatur pœnitens implere.

Reprobatur.

4. Secunda opinio.

Secunda opinio est, sacerdotem habere iurisdictionem ab ipso pœnitente se voluntariè illi subiiciẽte. Sẽsit Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 7. & in Sum. verb.

*Absolu-*

Reiicitur. *Absolutio,* 2. Sed si hoc intelligatur proprièvt verba sonant, est planè improbabile, vt probant quæ suprà tractaui : quia solus Deus est supremus iudex etiam venialium. Si verò intelligatur, quòd pœnitens dare dicitur designando personam, cui Deus, vel Christus statim confert iurisdictionem, vt Nauarrus sentit, oportet ostendere, vbi sit à Christo concessa hæc facultas omnibus, vel pactum initum de tali iurisdictione conferenda ad nutum alterius.

5. Tertia opinio. Est ergo tertia opinio, quæ affirmat iure diuino datam esse hanc iurisdictionem sacerdotibus. Quod tenent Paludanus dist. 19. quæst. 2. num. 25. & ibi Capreolus ad tertium contra primam conclusionē. Fundantur verò in opinione suprà reiecta, quòd omnes sacerdotes habent iurisdictionem illam à Christo, dū Ecclesia non tollit; hanc autem non abstulit. Eandem

Cano. Ruard. Ledes. sententiam tenent Cano, & Ruardus suprà, & Ledesma quæst. 22. articul. 2. Fundantur verò in Ecclesiæ consuetudine; & quia Ecclesia non potest reseruare

Reprobatur. Medina. hæc peccata, & quia sunt materia voluntaria. Nihilominùs etiam in hoc casu existimo hanc fuisse Ecclesiæ concessionem, quam consuetudo ostendit. Ita sentit Medina quæst. de Confessione non necessitate, sed voluntate facta, & alij. Fundamenta sunt eadē, quæ adduxi sect. præcedente. Addo etiam, aliquando Ecclesiam priuare sacerdotem hac iurisdictione: nam ex communi sententia excommunicatus sacerdos nunquàm validè absoluit, etiamsi de solis venialibus absoluat ( loquor autem nunc denominatim denunciato ) quod etiam certius videtur de sacerdote degradato : ergo signum est esse priuatum hac iurisdictione; ergo non habet illam à iure diuino.

6. Quidde peccatis mortalibus iam confessionis tenendum. Soto. Ledes. Atque hinc constat quid dicendum sit de mortalibus peccatis iam confessis, de quibus Soto scrupulosè loquitur, sentiens non omnem sacerdotem posse de illis absoluere : quia circa mortalia semper est necessaria iurisdictio, & quia illa sunt per se materia necessaria; per accidens autem est, vt sint iam confessa. Ledesma verò concedit omnes habere hanc iurisdictionem iure diuino, in quo consequenter loquitur. Dicendum enim sine dubio est, eodem modo hanc materiam esse subiectam simplicibus sacerdotibus, quo venialia peccata: quia est eadem consuetudo, & eadem ratio, quæ est materia non necessaria.

7. Hāc iurisdictionem esse delegatā. Atque hinc etiam colligimus, iurisdictionem hanc delegatam esse ab Ecclesia, quia non est iurisdictio ordinaria, ergo esse debet delegata : nam, iuxta doctrinam Conciliorum sæpe citatam, minister in hoc sacramento nihil operari potest, nisi iurisdictionem habeat ordinariam, vel delegatam : quæ definitio vniuersalis est, & fundatur in propria ratione iudicij, ideoque omne sacramentum pœnitentiæ ex quacunque materia constet, omnémque absolutionem comprehendat. Antecedens verò, scilicet, hanc iurisdictionem in simplicibus sacerdotibus non esse ordinariam, patet : quia non conuenit illis ex vi alicuius muneris, seu pastoralis officij; supponimus enim nullum habere præter solum sacerdotium : neque etiam conuenit illis ex vi solius sacerdotij, nam suprà ostensum est, ex vi institutionis non dari aliquam iurisdictionem necessariò coniunctam cum potestate ordinis. Nec potest dici cum fundamento ex vi illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, dedisse Christum omnibus sacerdotibus potestatem potiùs ad venialia, quàm ad mortalia, vel constituisse omnes sacerdotes pastores & iudices ordinarios animarum cum plena potestate in causis leuioribus & venialibus, potiùs quā in grauioribus & mortalibus : quia Christus simpliciter & sine distinctione de peccatis loquutus est: imò directè videtur loquutus de mortalibus, de venialibus autem per quandam consecutionem, vt suprà expendimus ex verbis illis, *Quorum retinueritis, retenta sunt.*

Obiectio refellitur.

Quòd si ex illo loco non colligitur, non est fundamentum ad dicendum, iure ordinario incluso in ipsa institutione sacramenti pœnitentiæ, aut ordinis, vel ex speciali concessione Christi his sacramentis coniuncta, habere sacerdotes omnes hāc iurisdictionem. 8. Neque enim hoc sequitur ex Ecclesiastica consuetudine: nam potuit habere ortum ab ipsa Ecclesia, seu Apostolis. Neque etiam rectè colligitur ex eo, quòd hæc peccata sunt materia voluntaria: nam, licèt sit voluntaria quantùm ad exercendam confessionem eorum; nihilominùs, si quis velit ea confiteri oportet vt accedat ad iudices habentes iurisdictionem : & ideò non rectè infertur, ex concessione Christi liberum esse cuicunque confiteri hæc peccata cui voluerit. Sicut suprà dicebamus, voluntarium quidem esse, & non simpliciter necessarium, habere propriā contritionē, vel attritionem de peccatis venialibus, tamen, si quis velit eorum remissionem per hoc sacramentum accipere, necessarium esse de eis dolere. Item, licèt sit voluntarium ea confiteri, tamen, si quis ea confiteri vult, necesse est, vt sacerdoti, & nō laico ea confiteatur. Sic ergo potest esse necessarium ea confiteri sacerdoti potestatem habenti, & non alteri : ergo ex vi institutionis, ac diuini iuris non potest cum fundamento dici, hanc iurisdictionem esse in omnibus sacerdotibus tanquàm ordinariam.

Alij obiectioni satisfit.

9. Esse delegatam ab Ecclesia. Relinquitur ergo, vt sit ex commissione & delegatione. Quòd si delegata est, ab Ecclesia esse debet: quia Christus non reliquit in Ecclesia iurisdictionem delegatam perpetuò duraturam, quatenus ab ipso fuit immediatè : propterea enim iurisdictio aliorum Apostolorum à Petro delegata tantùm fuit, quia non erat perpetuò duratura: & è conuerso, quia tantùm fuit data pro personis Apostolorum, ideò per modum cuiusdam delegationis fuit concessa: soli autem Petro data est iurisdictio ordinaria, cui perpetuò succederetur, & à qua omnis alia iurisdictio, siue ordinaria, siue delegata semper in Ecclesia manaret: ab illa ergo processit iurisdictio hæc de qua agimus, vel vt ordinaria, quatenus includitur in omni pastorali munere sub Pontifice summo, vel vt delegata, quatenus est in simplicibus sacerdotibus, quibus ex officio non competebat, vt ostensum est.

10. Hinc verò intelligere licet hanc concessionem seu delegationem à summis Pontificibus manasse, & ex eorum tacito consensu durare, nam hoc saltem ostendit consuetudo, & traditio. Vnde vlteriùs sequitur, per nullum inferiorem prælatum posse hanc delegationem auferri, quia delegatio facta à superiori non potest derogari ab inferiori : in summo autem Pontifice non deest potestas, nunquàm tamen in vniuersum, ac generaliter ea vtetur, quia ad vniuersale Ecclesiæ regimen nec necessarium est, nec expediens: in particulari verò hoc non repugnat. Et quoad personas quidem credimus aliquando id facere, vt cum excommunicatis, vel degradatis: quoad culpas verò, an, & quomodo hoc possit fieri per reseruationem, posteà videbimus.

## SECTIO VI.

### *Vtrùm liceat hoc sacramentum ministrare cum iurisdictione delegata, dubia tantùm, vel probabili.*

1. DE hac disputatione nihil ferè inuenio in terminis dictum ab Auctoribus : necessaria tamen mihi visa est ad praxim & communem vsum huius sacramenti propter difficul

difficultatem specialem hic occurrentem: quæ non solùm in iurisdictione delegata, sed etiam in ordinaria potest habere locum, frequentiùs tamen, & ordinariè occurrit in iurisdictione delegata, & in conditionibus, quæ ad eam requiruntur: & ideò circa illam potiùs hoc tractamus. Contingit ergo aliquando, quempiam esse dubium de iurisdictione sibi delegata, vel quia mortuus est qui concessit, & dubitat an cessauerit per morté concedentis, vel quia dubitat, an priulegiũ, virtute cuius illam habuit, fuerit validũ. In his ergo, & similibus casibus est difficultas, an possit quis tali iurisdictione vti, & an pœnitens possit securè tali sacerdoti confiteri. In qua re oportet distinguere dubium propriè dictum, quod est purè negatiuum, quia in neutram partem potest intellectus determinari per iudicium positiuum, & probabile, sed suspensus est, & anceps: & dubium impropriè dictũ, solùm ratione formidinis, quãuis determinatè possit ferre iudicium probabile, licèt incertum: in quo potest esse latitudo, & varietas, quia potest vtraque pars iudicari æquè probabilis, vel vna probabilior, quanuis altera sit probabilis, & è conuerso: vel denique vna tantùm probabilis, quia non euidés, neque certa, quanuis proposita fundamentum probabilitatis non habeat.

Dubiũ propriè & impropriè dictũ quid sit.

In casu ergo, in quo proprium dubium negatiuum circa iurisdictionẽ intercedit, est regula generalis, ac certa, nũquam licere hoc ministerio vti cum illo dubio, nisi duplici concurrente conditione. Vna est, vt occurrat euidés necessitas alia, vt absolutio detur sub conditione, & cum onere iterum confitendi illa peccata habenti iurisdictionem certam nacta opportunitate. Ratio generalis est, quia aliàs exponit se homo periculo sacrilegij, efficiendo sacramentum nullum: quia, vt ostensum est, iurisdictio est de necessitate sacramenti: ergo, quantùm quis dubitat de iurisdictione, tantùm dubitat de veritate sacramenti, quod tentat conficere: ergo ministrando cum hoc dubio, exponit se periculo nihil faciendi: ergo, si id faciat sine necessitate, temerè & imprudenter facit, atque adeò grauiter peccat. Confirmatur: nam ob similem rationem diximus in superiori tomo, esse graue peccatum voluntariè vti materia, vel forma dubia, scilicet, propter periculum, quod inde resultat circa valorem sacramenti: sed idem resultat in hoc sacramento, & iurisdictione dubia: ergo. Exceptio autem posita ex proportione eadem ad alia sacramenta ostẽdi potest: quia propter necessitatem occurrentem sæpe licet dare sacramentum in casu dubio sub conditione expressa, vel concepta, *Si possum*, vel, *si indiges*, aut alia proportionata, vt in hoc eodem sacramento licet sub conditione absoluere de peccato mortali dubio, quando non est alia materia. Ratio verò est, quia, concurrentibus illis duabus conditionibus, tollitur omnis inordinatio: quia necessitas facit, vt actus non temerè fiat, nec ex mera & irrationabili voluntate: conditio verò tollit periculum: quia, si in re subsistat, infallibiliter fit sacramentum: si verò non subsistat, nulla iniuria fit sacramento, quia conditionalis nihil ponit in esse.

2. Regula generalis de dubio propriè dicto.

Est autem aduertendum, necessitatem in præsenti debere consurgere tam ex parte ministri, quàm ex parte pœnitentis: illius quidem, vt non occurrat alius, qui certiorem habeat iurisdictionem, alioquì ille temerè, & sine necessitate se ingereret: huius verò, vt scilicet sit pœnitens in aliqua necessitate confessionis; quia alioquì sine causa rationabili non debet facere confessionem ita dubiam. Non est tamen facile ad explicandum quanta, & qualis esse debeat hæc necessitas pœnitentis: nam si sit extrema articuli, seu periculi mortis, non potest in ea habere locum casus propositus, quia tunc non potest esse iurisdictio dubia, cùm certum sit, quemlibet sacerdotem tunc habere iurisdictionem. Minor autem necessitas non videtur sufficere ad confessionem sic dubiam faciendam; quia si ministrandum sit, vel recipiendum aliquod sacramentum, etiam Eucharistiæ, melius & certius est conari ad contritionem habendam. Imò propter solam illam confessionem dubiam non liberabitur homo ab illa obligatione, si alioquì teneatur homo se disponere ad iustitiam, quia per illam absolutionem dubiam non sufficienter disponitur, moraliter loquendo, cùm non excludat morale periculum permanendi in statu peccati mortalis, absq; probabili iudicio de iustificatione obtenta, si tantùm erat attritus. Si verò occurrat necessitas implendi præceptum Ecclesiasticum, per talem confessionem non impletur. Ac denique, in quocunque alio euentu semper potest sine incommodo expectari opportunitas confitendi habenti iurisdictionem certam: ergo nunquàm ob necessitatem hoc licet.

3. Quæ necessitas requiratur vt dubius absoluat.

Dubium.

Respondeo, hoc argumento rectè in primis probari nunquàm teneri pœnitentem ad confitendum sacerdoti sic dubio: quia, si sit extrema necessitas, cessat dubium: si verò non sit extrema necessitas, cessat obligatio propter rationem factam. Nihilominùs tamen existimo aliquando posse licitè illo modo confiteri, quando aliter non potest, vt si necessariò sit recipienda Eucharistia, vel si per longum tempus confiteri non possit, quia in confessione tali nulla est deordinatio, & si quid est incommodi ratione dubij, totum est in grauamen pœnitentis, quod potest ipse voluntariè assumere in absolutione, etiam adiecta vel subintellecta conditione, & interueniente prædicta causa nullus est abusus clauium: quia potest illa absolutio prodesse, & non obesse: nulla ergo ibi est ratio culpæ. Est autem tunc optimum consilium confiteri aliquod peccatum veniale: nam hoc modo tollitur, vt opinor, dubium de valore sacramenti, absolutè loquendo, licèt semper maneat dubium de absolutione directa peccatorum mortalium. Propter quod censeo in eo casu semper manere obligationem illa confitendi sacerdoti habenti certiorem iurisdictionem, occurrente opportunitate, quia semper manet practicum, ac morale dubium, an peccata illa verò & in re ipsa fuerint subiecta clauibus: homo autem tenetur verè & in re illa subiicere, vel saltem habere de hac re moralem seu practicam certitudinem, quantùm potuerit.

4. Respõsio ad dubium.

De dubio improprio, quod non excludit probabile iudicium, est specialis difficultas, quia tunc, non obstante tali dubio, videtur esse licitum, sacramentum hoc ministrare, quia tale dubium speculatiuum est, & non practicum, cùm in moralibus licitum sit vti opinione probabili: nam, qui ex illa operatur, moraliter certus est practicè non peccare. Et cõfirmatur ex vsu: sæpe enim in quæstione versatur, an hoc, vel illud sufficiat ad iurisdictionem habendam, vt partim ex dictis constat, partim ex his quæ dicemus, & nihilominùs confessores non dubitant suo munere fungi, quoties iuxta probabilem opinionem iurisdictionem se habere existimant. In contrarium verò est, quia probabilitas opinionis non tollit ipsius rei incertitudinem; nam vera iurisdictio in re ipsa existens, est de necessitate huius sacramenti: ergo quoties est incerta iurisdictio, incertum manet in re sacramentum: ergo non licet hoc modo illud ministrare, non obstante opinione speculatiuè probabili. Ex quo videntur vlteriùs sequi multa, quæ in praxi existimabuntur difficilia. Primum non posse pœnitentem confiteri sacerdoti, quem probabiliter tantùm existimat habere iurisdictionem; neque

5. Difficultas de dubio improprio.

neque è contrario ipsum sacerdotem posse licitè in eo casu ministrare sacramentum, ne se exponat periculo nihil faciendi. Quod maximè vrgebit, si facilè possit fieri confessio sacerdoti certam & indubitatam habenti iurisdictionem. Et pari ratione, si sit diuersitas opinionum, necessariò eligenda erit ea, quæ censetur probabilior: hæc enim omnia, & similia sequuntur ex dicto fundamento, addito quódam generali principio ex materia de conscientia, scilicet in rebus, seu opinionibus, quæ ad factum pertinent, id est, ex quibus pendet, quòd res fiat, vel non fiat, eligendam semper esse tutiorem viam, & certam probabili, & probabiliorem minùs probabili esse præferendam: quia probabilitas opinionis non tollit dubium, quod in re ipsa esse potest: vt in præsenti materia, etiamsi sit probabilis opinio aliquem habere iurisdictionem; tamen, si in re non ita est, sacramentum erit nullum; & ita non obstante tali opinione, semper manebit in re incertum & dubium.

6. Propter hanc difficultatem videri fortasse alicui potest, per se loquendo, illum ordinem necessariò esse seruandum, vt si possit haberi minister, certam & indubitatam habens iurisdictionem, ille eligatur: si autem ille haberi non possit, tunc possit alius eligi, qui iuxta opinionem probabilé, iurisdictioné habeat, ita tamé vt securius, atque adeò, quod probabilius est, eligatur. Dico autem, *per se loquendo*, quia si aliqua grauis causa intercederet, posset interdú prudéter hic ordo immutari: quia illa certitudo, aut securitas intelligenda videtur moraliter, ac cæteris paribus. Et hic quidem dicendi modus est securior, & certior. Arduum tamen, & præter consuetudinem etiam timoratorum virorum esse videtur, omnes homines ad hoc obligare. Et ideò ad expediendam aliter difficultatem positam duæ viæ excogitari possunt, quibus defendamus, non obstante diuersitate opinionum circa iurisdictionem, semper esse certum practicè, sacramentum validum fieri: hoc enim necessarium esse videtur ad rectè soluendã difficultatem positam.

7. Respõdetur primò ad difficultatẽ. Primus ergo modus dicendi esse potest, hoc ipso quòd minister iuxta probabilem Doctorum sententiam censetur habere iurisdictionem ad ministrandum hoc sacramentum, quandocunque illa vtitur, reuerà illam habere ex tacita Ecclesiæ concẽssione. Hoc autem ita esse fundari potest, quia est hoc principiũ iure receptum, vt qui communi existimatione, & opinione Magistratum gerit, licèt in re ipsa munus illud vero titulo non obtineat, nihilominùs gesta eius valeant, propter commune bonum, iuxta l. *Barbarius*. ff. de offic. Prætoris. & inde fit, vt excommunicatus occultus; & is, qui Parochus communiter reputatur, verè tamen non est, quia simoniacè obtinuit beneficium, nihilominùs validam absolutionem conferat: quia Ecclesia tunc dat iurisdictionem, ne communis ignorantia populo noceat. Sic ergo in præsenti, quia probabilis opinio sufficit ad hanc communem existimationem, verisimile est Ecclesiã supplere defectum, si fortasse aliquis in re manet. Est enim eadem ratio: quia hæc etiam ignorantia, quæ oritur ex sententia probabili Doctorum, est communis & publica, & communi populo nocere posset, si in re ipsa ministri carerent iurisdictione. Et ideò non licet argumentari ad priuatas ignorantias, vel errores, quia non particularibus factis interuenire possunt, quia non pertinet ad bonam gubernationẽ, vt iis omnibus prouideatur, quod fieri non posset sine aliis maioribus incommodis: prouidere autem communi, & publicæ necessitati, illud est valde conueniens, & necessarium. Et confirmatur ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, quæ est sufficiens signum iurisdictionis, vt suprà dictum est. Est autem vniuersalis Ecclesiæ vsus, vt sacerdotes securè vtantur huiusmodi iurisdictione in administratione huius sacramenti. Secundò confirmatur, quia ad conuenientem, & prudérem Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt non permittat sacramentum tam necessarium frequenter esse incertum & dubium, quantumcunque existat sub opinione probabili: sicut non esset expediens Ecclesiæ, vt Baptismus vel Eucharistia frequẽter conficerentur modo aliquo incerto, quantunuis probabili, ita igitur hoc non expedit in hoc sacramẽto: ergo, cùm Ecclesia possit subuenire huic incommodo, & tollere hanc incertitudinem dando iurisdictionem, verisimile est hoc in casu illam conferre.

8. Respõdetur secundò ad difficultatẽ. Est quidem hic dicendi modus probabilis, non tamen certus, & hoc ipso non omninò tollit dubium, nec dat rei certitudinem, quam quærimus. Et ideò alius modus dicendi est, in omni confessione, quæ fit huiusmodi ministris, semper interuenire materiã aliquam, circa quam habeant certam, & indubitatam iurisdictionem: scilicet, aliqua peccata venialia; & hoc satis esse, vt confessio bona fide facta semper sit rata, ita vt data absolutione, verum conficiatur sacramentum, etiamsi contingeret opinionem probabilem, in qua fundatur confessor ad audiendam talem confessionem, in re ipsa falsam esse. Quod enim tunc sacramentum perficiatur, patet: quia ex parte pœnitentis cõcurrunt formaliter omnia necessaria, scilicet, debita dispositio, & confessio formaliter integra, & ex parte ministri habetur etiam & potestas ordinis, & iurisdictionis circa aliquam partem materiæ, quæ sufficiens est ad valorem absolutionis, quando pœnitens bona fide procedit. Confirmatur primò à simili: nam si quis habeat peccatum reseruatum, & reseruationem ignoret, & bona fide illud cum aliis confiteatur ordinario sacerdoti, & ille absoluat, sacramentum factum tenet, vt ex sententia omnium infrà videbimus: & signum est, quia etiamsi pœnitens posteà sciat defectum, non tenetur iterum confiteri peccata reseruata, sed solùm illud, quod reseruatum erat, quia illud non per se, sed per accidens fuit remissum: ergo idem omninò dicendũ est in præsenti: nam sacramentum factum reuerà tenebit, quamuis per illud non tam per se, quàm per accidens remittentur mortalia peccata, si reuerà minister super illa iurisdictionem non habuit; & si posteà quacunque ratione, & via hoc certò constaret, deberet pœnitens illa iterum confiteri, tamen ad tollendum morale periculum satis est quòd sit moraliter certum, sacramentum ipsum perfici, & iustificare hominem, si dispositus sit. Secundò confirmatur alio simili: nam si quis confiteatur venialia peccata simplici sacerdoti, & habeat mortale peccatum, cuius omninò obliuiscitur, sacramentum fit, & illud peccatum tollitur per accidens: ergo idem proportionaliter erit, si recordetur talis peccati, & simul cum aliis confiteatur illud bona fide ei, qui existimatur habere iurisdictionem, cùm non habeat.

9. Obiect. Solùm video obiici posse, quia videtur sequi, etiamsi minister mala fide absoluat, & decipiat pœnitentem, in quem non habet iurisdictionẽ circa mortalia peccata, nihilominùs sacramentum tenere propter iurisdictionem, quam habet circa venialia, supposita bona fide pœnitentis: quia mala fides ministri non tollit necessaria ad perficiendum sacramentum. Decisio. Respondetur, idem argumentum fieri posse in dicto exemplo de casibus reseruatis, & ferè idem in alio de peccatis oblitis. Potest ergo primo negari sequela, quia oportet vt sicut confessio, ita & absolutio sit integra, saltem formaliter, scilicet, ex bona fide & intentione absoluendi: posita autem illa deceptione

ceptione nō potest absolutio esse formaliter integra. Secundò potest concedi sequela, quia nullum habet inconueniēs: absolutio enim data à non habente iurisdictionem vt sic, formaliter nulla est; si tamen circa aliquid habeat iurisdictionem, ea ratione poterit esse valida. Et hæc via videtur mihi vera; nam principium in quo fundatur est satis certum. Ac denique, si hæc omnia coniungantur, efficiunt sufficiētem moralem certitudinem, vt propterea licitum sit vti opinione probabili in vsu huius iurisdictionis. Sēper tamen ego admonerē tā ministros, quàm pœnitentes, vt certiori, vel saltem probabiliori via vterentur, nisi aliqua causa grauis, vel rationabilis vrgeat.

## DISPVTATIO XXVII.

### *De facultate eligendi confessorem.*

EX duobus modis suprà positis delegandi iurisdictionem in hoc foro, vnus erat ex parte pœnitentis, cui datur facultas eligendi confessorem: non enim ipse pœnitens se subiiciendo dat iurisdictionem, cùm hæc debeat à Christo per Vicarium suum, vel alios pastores manare: sed facta electione, seu designatione per ipsum pœnitentem, ille, qui facultatem eligendi confessorem concessit, iurisdictionem illi præbet. Vnde hæc delegatio in re, & quoad moralem effectum ad hoc iudicium necessarium, eiusdem rationis est cum præcedenti, & eandem vim habet, tantúmque differt in modo, quia per hanc facultatem directè fit fauor, & gratia ipsi pœnitenti, in alio verò fit sacerdoti: tamen & ex illa concessione redundat in pœnitentem facultas confitendi tali confessori, & ex hac redundat in confessorem potestas absoluendi hūc pœnitentem. Sunt enim hæc duo quasi relatiua, & cōnexa, subiectio vnius, & iurisdictio alterius; & ideò, vno concesso, aliud concedi necesse est, vt in simili dixit Honorius Papa in cap. *Si quis obiecerit*, 1. q. 3. Hanc ergo ratione necesse est in præsenti facultatem hanc explicare, à quo scilicet, aut quibus modis detur aut dari possit.

## SECTIO I.

### *Quis possit facultatem eligendi confessorem concedere, & quo modo intelligenda sit.*

1. PRIMO supponendum est, duobus modis posse dari hanc facultatem, scilicet, & à Christo Domino, seu iure diuino, & ab homine, seu iure humano. Nam sicut principalis auctor huius sacramenti, & iurisdictionis est Christus Dominus; ita ipse est qui principaliter potest hanc facultatem concedere: imò sicut necesse est, vt alicui ipse det immediatè iurisdictionem, ita necesse est, vt alicui per se & immediatè conferat hanc facultatem eligendi confessorem. Rursus etiam homo potest hanc facultatem dare; quia non magis repugnat delegare hanc iurisdictionem hoc modo, quàm alio. Vnde fit, eandem potestatem requiri in Ecclesiastico prælato, seu pastore ad hanc facultatem concedendam, quæ ad delegandam iurisdictionem necessaria est, & eandem etiam sufficere, quia, vt dixi, eosdem effectus habet, & quòd hoc vel illo modo fiat, non refert, nec maiorem iurisdictionem postulat. Itaque omnis ille qui habet iurisdictionem ordinariam in hoc foro respectu aliquorum fidelium, potest illis concedere hanc facultatem eligendi confessorem: dummodò confessor habeat conditiones requisitas, vt ipse possit suam iurisdictionem ei delegare: ita enim est semper hæc facultas intelligenda. Sicut è conuerso, quoties aliquis ordinarius Pastor suam iurisdictionem delegat sacerdoti, necessariò intelligitur respectu eorum fidelium, qui suæ iurisdictioni subditi sunt: nam illa duo; vt dixi, correlatiua sunt, & connexa.

Habens iurisdictionē ordinariam, potest hanc facultatem concedere.

Atque hinc fit, illos tres pastores ordinarios, quos suprà distinximus, posse hanc facultatem dare, vt de summo Pontifice est per se notum: & de Episcopo dicitur expresè in cap. 2. de Pœnitent. & remiss. in 6. de Parocho verò satis colligitur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœn. & rem. & ex cap. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. vt ibi etiam Nauarrus notat n. 48. Et ratio est manifesta: nam quilibet ex his est superior ordinarius in hoc foro, vt supponimus: ergo ex hac parte potest facultatem dare: aliunde verò, quia potestatem ordinariam habet, potest illam delegare: ergo nihil illi deest ad hanc facultatem concedendam. Sub his autem tribus pastoribus comprehēdimus omnes alios, qui ad illos reducuntur, iuxta superiùs dicta. 2. Prima assertio.

Secundò hinc fit, vt facultas hæc ad eligendum confessorem, data à superiore prælato, omninò sufficiat sine facultate inferioris, imò etiam ipso renuente, scilicet, licentia Episcopi independenter à Parocho, & licentia Papæ independenter ab vtroque, quia iurisdictio superioris non pendet ab inferiore, sicut diximus de alio genere delegationis: nam est omninò eadem ratio: ideoque talis facultas non tantùm ad substantiam sacramenti, sed etiam ad præceptum tam diuinum, quàm Ecclesiasticum implendum sufficit, sicut de alio modo delegationis diximus, possunt enim hic omnia ibi dicta applicari. At verò è contrario, quanuis inferior pastor non indigeat positiuo consensu superioris ad dandam hanc facultatem, tamen necesse est vt ille non contradicat, reuocando, aut impediendo facultatem. Est enim facultas inferioris subordinata superiori, qui potest ex rationabili causa inferiori prohibere, & omninò impedire ac suspendere ne talem præbeat facultatem: & tunc si inferior tentet illam concedere, non solùm malè faciet, sed etiam facultas nullius momenti erit, quia tunc iam deest illi iurisdictio, seu vsus iurisdictionis ad illam ferendam. 3. Assertio secunda.

Ex quo obiter soluitur incidens dubium, an hæc facultas data à pastore excommunicato, vel suspenso valida sit, & sufficiat ad veram confessionem faciendam. Nam aliqui Auctores affirmant, vt Palud. in 4. d. 17. q. 4. n. 26. & 27. & Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 9. qui in hoc fundantur, quòd per hanc facultatem non datur iurisdictio, quia sacerdos ex se, & iure diuino illam habet; sed aufertur tantùm prohibitio introdicta per Ecclesiam: vnde potiùs, inquiunt; est permissio, quàm commissio. In quo certè non conseqüenter loquuntur: nam paulò superiùs dixerant, per hanc commissionem constitui iudicem, qui non erat, & accipere potestatem iurisdictionis, quam non habebat. Quam contradictionem in eis notauit Nauarrus in dict. cap. *Placuit*. n. 95. quanuis eorum sententiam quoad hanc partem approbet, dicens, illam facultatem esse validam, ex eodem principio, scilicet, quòd per illam non datur iurisdictio, sed remouetur tantùm prohibitio. 4. Dubium. Sententia affirmatiua. Palud. Ant. Nauar.

Sed oppositum censeo verum, scilicet, illam facultatem esse nullam. Quod tenet Sylvest. verb. *Confessio*, 2. Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Victoria in Summ. n. 152. Et 5. Negatiua sententia certa iudicatur. Sylvest. Soto.

Victoria.

n. 152. Et ratio est primò, quia oppositа sententia nititur fundamento, quia ex vi huius facultatis reuerà datur iurisdictio sacerdoti electo: nam ex vi solius diuini iuris illam non habet: qui autem suspensum habet iurisdictionis vsum, non potest iurisdictionem dare. Secundò, etiam dato illo fundamento, sententia illa est falsa: quia concessio hæc facta pœnitenti, quanuis solùm esset ablatio impedimenti, vt ipsi dicunt, nihilominùs non posset esse valida, quia reuerà est actus iurisdictionis: omnis autem actus iurisdictionis factus ab eo, qui iurisdictionis vsum non habet, inualidus est, vt habetur in cap. 1. de offic. Vicarij, lib. 6. & est per se euidens, quia omnis actus iurisdictionis est vsus eius: qui ergo caret vsu, vt sic dicam, caret omni actu, ergo nullum potest validum efficere; ergo neque illa facultas valida esse potest. Nam quòd eius concessio sit quidam iurisdictionis vsus, manifestum est, quia vt minimum est quædam dispensatio in prohibitione Ecclesiæ nõ confitendi alieno confessori. Igitur ad hanc facultatem validè concedendam necessaria est potestas iurisdictionis expedita quoad vsum, seu nullo canonico obstaculo impedita. Et hæc de potestate.

6. Tertia assertio.

De concessione autem ipsa duo tantùm in genere dicere possumus. Primum est, pendere ex voluntate concedentis, vt per se constat: ideóque necessarium esse, vt talis voluntas per sufficientia signa constet: quantùm enim ex illis cõstiterit, tantùm facultas operabitur, & non ampliùs. Tribus autem modis intelli potest hæc facultas concedi, scilicet, vel à iure, vel ex consuetudine, vel personaliter à Prælato seu pastore, de quibus sigillatim posteà dicemus: nam in singulis aliquid speciale occurrit, tam de concessione ipsa, quàm de modo, & signis, quibus fieri potest. Aliud adnotandum est, vt hæc facultas non solùm validè, sed etiam licitè detur, nullam specialem causã esse necessariã, sed sufficere pœnitentis petitionem, dummodò nullum sit morale periculum, quòd tali facultate malè vtetur, & in perniciem animæ suæ.

Non est necessaria specialis causa, vt hæc facultas concedatur.

Obiect.

Dices, Omnis dispensatio in lege requirit aliquam iustam causam: diximus autem esse hanc dispensationem quandam. Respondetur primò, potiùs esse concessionem iurisdictionis, quàm dispensationem: concessio autem iurisdictionis potest merè liberaliter fieri, si alioqui ei concedatur, qui prudenter ea vsurus creditur. Deinde, etiamsi demus illam esse dispensationem: talis tamen est, vt per ipsam legem simpliciter permittatur. Nam ita prohibet ius confiteri alieno, vt in ipso addatur; *Nisi de licentia proprij*, vt patet ex cap. *Omnis vtriusque sexus*. Denique talis est hæc facultas, vt veluti intrinsecè habeat adiunctam rationabilem causam (quando aliunde ex accidenti non occurrit impedimentum) scilicet, vt confessio facilior, & suauior fiat, & vt tollantur impedimenta, quæ ad integritatem ex humana fragilitate accidere possunt, vt iterum circa casus reseruatos explicabimus.

Decisio.

---

## SECTIO II.

### *Quibus sit à iure concessa facultas eligendi Confessorem.*

1. Prima conclusio. Solus Papa exiure diuino habet potestatem eligendi confessorem.

DE duplici iure loqui possumus, scilicet diuino, & Ecclesiastico, & de vtroque breuiter dicemus. Primò ergo dicendũ est, summum Pontificem solùm habere ex iure diuino facultatem eligẽdi sibi confessorem. Prior pars de Pontifice patet: quia, etiam ipse potest, & debet confiteri, si conscientiam peccati habeat: quia hoc ius diuinum est omnibus commune: & vtilitas respectu venialium, & necessitas medij, & consequenter præcepti respectu mortalium, eadem est in illo, quæ in cæteris omnibus, vt infrà etiam dicemus agentes de præcepto, ergo necesse est, vt possit habere confessorem: non est autem aliquis designatus iure diuino, cui confiteri teneatur, vt per se constat: neque etiam iure humano: quia ipse est supremus pastor: ergo necesse est vt ab ipso deligatur: ergo habet ad hoc potestatem, & non ab homine, quia non habet superiorem in terris, ergo immediatè à Christo. Hoc verò argumento vti solent maximè Auctores, qui dicunt omnes sacerdotes habere iurisdictionem in hoc foro iure diuino, quod respectu Pontificis dicunt manere integrum, & suæ electioni commissum: quia prohibitio Ecclesiastica non comprehendit Pontificem. Alij verò respondent esse speciale in hoc casu, quòd confessor habeat iurisdictionem supra Pontificem summum immediatè ab ipso Christo. Ita Palud. d. 17. q. 3. art. 4. & Capreol. d. 19. ad argum. contra 2. conclus. Cano in Relect. part. 5. Ruard. ar. 3.

di confessorem.

Palud. Capreol. Cano. Ruardus.

Sed verius dicitur, quòd licèt potestas ex parte Pontificis sit à iure diuino, tamen iurisdictio etiam in eo casu transferatur in confessorem medio Pontifice. Ita D. Tho. in 4. d. 19. q. 1. art. 3. q. 2. vbi ait Pontificem vt peccatorem subiici, vt Vicarium autem Christi dare iurisdictionem supra seipsum in illo foro. Idem ibi Bonauentura art. 3. q. 2. Gabr. art. 3. dub. 3. Soto d. 18. q. 4 ar. 2. Ledes. 2. p. 4. q. 22. art. 1. Medina q. de Sacerdote alieno absoluente sine licentia proprij, ad 2. Turrecremata lib. de Ecclesia, cap. 8. & alij. Et patet facilè, quia per generalem concessionem potuit hoc fieri: non est ergo necessarium speciale priuilegium fingere. Item, Pontifex concedens generalem indulgentiam, lucratur ipsam: potest etiam ipse dispensare in votis suis, & in præceptis positiuis, quatenus illum comprehendunt; & hæc potest committere suo confessori, qui sunt actus iurisdictionis: ergo idem erit de iurisdictione ad absoluendum. Est autem discrimen, quia alios actus potest exercere per seipsum circa seipsum: hunc autem minimè, quia distinctio personarum pœnitentis, & confessoris est de substantia sacramenti, vt constat ex forma, & ex suprà dictis: sicut non potest alicui sacerdoti concedere, vt seipsum absoluat.

D. Thom. Bonau. Gabr. Soto. Ledesm. Medina. Turrecr.

Altera verò pars exclusiua probatur contraria ratione: quia nullus præter Pontificem caret in terris proprio pastore, seu iudice in hoc foro, vt ex suprà dictis constat: & ideò, stando in iure diuino, in omnibus aliis verum habet, quod in cap. *Omnis vtriusque sexus*, dicitur neminem posse confiteri, nisi proprio sacerdoti, vel de licentia eius, quod ex sequenti puncto clariùs constabit. Sed quæres, Vnde constat de hoc speciali priuilegio, aut de diuino iure? aut vbi est illi datum, si aliis concessum non est? Respondeo, hanc non esse distinctam concessionem factam summo Pontifici, sed in ipsamet suprema iurisdictione, diuino iure ipsi data, contineri. Nam, sicut ex vi illius supremæ iurisdictionis potest dare iurisdictionem pro aliis, ita & pro se: & sicut potest dare aliis facultatem eligendi confessorem, ita & sibi potest accipere: sicut ergo singulare in illo est habere iurisdictionem ex iure diuino, ita etiam habere facultatem eligendi confessorem.

3.

*Episco*

*Epiſcoporum facultas ad eligendum confeſſorem explicatur.*

4. SEcundò dicendum eſt, Epiſcopos, & eorum ſuperiores, necnon etiam inferiores prælatos exemptos habere ex iure Eccleſiaſtico facultatem eligendi ſibi confeſſorem. Ita habetur in cap. vlt. de Pœnit. & remiſſ. Nam licèt contendat Nauarrus in cap. 27. n. 260. etiam hoc eſſe diuinum ius: tamen repugnat verbis textus, quibus Pontifex ait ſe id concedere, ſeu *permittere*, *ne pœnitentia differatur*. Soto verò d. 18. q. 4. art. 2. dicit, etiam Epiſcopum dare poteſtatē & iuriſdictionem ſuo confeſſori, cùm illum eligit. Sed non probo, quia Epiſcopus habet ſuperiorem, & paſtorem proprium: qui, ſicut dat Epiſcopo facultatem eligendi, ita confeſſori electo dat iuriſdictionē: vnde poſſet Pontifex, ſi vellet, præſcribere Epiſcopis alium modum habendi confeſſores. Atque hæc eſt communior ſententia, quam tenet Turrecremata in cap. *Quem pœnitet.* de Pœnit. d. 1. & Palud. d. 17. q. 3. & ibi Gabr. q. 2. art. 3. dub. 2. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 9. Sylueſt. ver. *Confeſſor*, 1. §. 2. & 8. Angelus verb. *Confeſſio*, 3. Caiet. verb. *Abſolutio*, cap. 2. Ad hoc autem priuilegium explicandum nonnulla breuia dubia expedienda ſunt.

Sotus.

Turrecre. Palud. Gabr. Ant. Sylu. Angel. Caiet.

5. 1. dub. Primum dubium eſt, quid nomine Epiſcopi in eo textu intelligendum ſit: ſcilicet, an qui eſt conſecratus, & Epiſcopatum non habet, ibi comprehendatur: vel è conuerſo qui eſt electus, & Epiſcopatum habet, nondum verò eſt conſecratus. Et quidē de electo tantùm certum eſt non comprehendi, quia non eſt Epiſcopus, ſed deſignatus tantùm in Epiſcopum: vnde adhuc manet ſubditus eidem proprio ſacerdoti, quem anteà habebat. Ille verò, qui iam eſt confirmatus, ita vt Epiſcopatum iam habeat, reuerà comprehenditur, quia iam eſt verus Epiſcopus, & non habet proprium Parochum præter Pontificem. De illo verò, qui è contrario conſecratus eſt Epiſcopus, Epiſcopatum autem non habet, nec iuriſdictionem, Palud. dubitat, & inclinare videtur in partem negantem. Mihi autem videtur illum poſſe hoc iure vti, tum quia ille eſt verè & ſimpliciter Epiſcopus, & in textu nihil aliud requiritur: tum etiam, quia non oportet fauorem reſtringere, ſed ampliare quantùm proprietas verborum admittit. Addo verò, ſi quis Epiſcopus eſſet degradatus, non poſſe vti hoc priuilegio: quia quanuis non priuetur ordine, quia hoc fieri non poteſt: priuatur tamen executione ſui ordinis quantùm per Eccleſiam poteſt; & ideò etiam priuatur priuilegiis ſibi conceſſis ratione ordinis, vel conſecrationis. Idem dicunt aliqui de depoſito, vel ſuſpenſo. Sed ſine dubio verum non eſt, quia ille ſolùm impeditur vſu ordinis, vel iuriſdictionis in miniſterio, vel officio proprio ſuæ poteſtatis: non priuatur autem priuilegiis omnibus, & gratiis Epiſcopis conceſſis. Et idem cenſeo de depoſito tantùm verbaliter, quia etiā non priuatur priuilegio clericali, vel Epiſcopali proportionaliter, ſolumq; differt illa depoſitio à ſuſpenſione generali in perpetuitate, vt dicetur in ſequenti opere.

Deciditur.

Palud.

6. 1. dub. Secundum dubium eſt, quis intelligatur nomine ſuperioris Epiſcopis. In quo conſtat intelligi Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas: ſolùm de Cardinalibus non Epiſcopis tam iuriſdictione, quàm conſecratione dubium eſſe ſolet. Palud. enim, & Soto dicunt illos non gaudere hoc priuilegio, quia ex vi ſuæ dignitatis iuriſdictionem non habent: vnde nec verè dici poſſunt ſuperiores Epiſcopis. Angelus verò, & Sylueſt. contrarium docent. Quod mihi videtur poſſe ſatis ſecurè & probabiliter defendi, quia quanuis non ſunt ſuperiores poteſtate, ſeu iuriſdictione; tamen iam iuxta communem vſum Eccleſiæ cenſentur ſuperiores dignitate: Pontifices, ac Eccleſia Romana ita de illis loquuntur. Et aliunde fauet ratio priuilegij, quæ extenſionem patitur, quantùm verba in propria ſignificatione admittunt. Quod verò ad praxim pertinet, non multùm hoc refert, quia certū eſt, illos gaudere & vti hoc priuilegio eligendi confeſſorem, vt Caietanus refert in Summa, verbo, *Abſolutio*, 2. ſiue hoc ſit ex vi huius iuris, ſiue ex aliis conceſſionibus Pontificum, ſiue ex conſuetudine.

Palud. Soluit. Syluest.

Caiet.

Tertiū dubium eſt, an Parochi ibi cōprehendantur ſub illa tertia particula, *Prælati inferiores*. Et ratio dubij eſſe poteſt, quia in iure interdum dicuntur Parochi habere prælationem, cap. *Tua nos*. De clerico ægrotante. Et confirmatur ex illo principio, quia priuilegia extendi debent. Et ita ſentiunt Syluest. & Angelus cum Panormitano. Sed in rigore probabilius videtur contrarium: nam reuerà ſimpliciter & abſolutè nunquàm Parochi dicuntur prælati in iure. Quin potiùs in Clement. *Dudum*, de Sepult. ſit apertè diſtinctio inter Parochos, & Prælatos, vt ibi notauit Gloſſa verb. *Prælati*. Vnde alia Gloſſa in cap. *Decernimus*. de Iudiciis: dicit, de ratione Prælati eſſe, vt habeat aliquam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro contentioſo: & ad hoc multa congerit. Adde, Parochos nunquàm eſſe exemptos, quod neceſſarium eſt ad gaudendum hoc priuilegio, vt patet ex ipſo textu. Si verò contingeret aliquem Parochum eſſe exemptum, & immediatum Pontifici ſummo, probabile eſt poſſe vti hoc iure, propter rationem eius, & quia verba poſſunt aliquo modo accommodari; ſecus verò ſi non eſſet immediatè ſubiectus Papæ, ſed alicui Abbati exempto, vel alteri ſimili: nam tunc ille non eſt propriè exemptus: ſed proximus ſuperior eius: ſcilicet, Abbas, vel alius ſimilis Prælatus, eſt propriè exemptus; & licèt non ſit propriè Epiſcopus, habet tamen iuriſdictionem Epiſcopalem participatam; & ideò non eſt cur ad Parochos illi ſubiectos hoc extendatur priuilegium ex vi huius iuris: nam de conſuetudine infrà dicam.

7. 3. dub.

Sylueſt. Angel. Panor.

Qui ſint Prælati.

Quartum dubium eſt, an oporteat illum Prælatum, qui vtitur hoc priuilegio, habere iuriſdictionem in hoc foro. Sunt enim aliqui prælati habentes iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo, quanuis nō in foro pœnitentiæ, vt dicuntur eſſe quidam Archipreſbyteri, & in curia Romana ſunt plures; vt Auditor Cameræ, & alij, de quibus aliqui cenſent non gaudere hoc priuilegio, etiamſi exempti ſint. Ita ſentit Palud. quod non probat, niſi quia hi non videntur eſſe Prælati in hoc foro. Contrarium tamen verius exiſtimo, cum Sylueſtro, & aliis tum quia textus ſimpliciter loquitur de Prælatis Eccleſiæ, inter quos iſti comprehenduntur: tum etiam, quia ratio priuilegij, ſcilicet, *ne periculum immineat animarum*, etiam in his habet locum, ſi verè exempti ſint: tum denique quia priuilegia non ſunt reſtringenda, niſi ſatis conſtet. Solùm notandum eſt, non dici prælatos, niſi cùm habent iuriſdictionem propriam, id eſt, proprio iure ſeu titulo. Vnde Vicarij Epiſcoporum, ſeu aliorum prælatorum, qui ſolùm ex commiſſione, ſeu vice aliorum iuriſdictione vtuntur, non comprehenduntur ſub prælatis, neque gaudent hoc priuilegio. Aduertendum eſt etiam, hos prælatos tandiu poſſe vti hac facultate, quandiu officium prælationis tenent, vt ſi temporale ſit, tantùm pro tempore quo durat, ſi ſit perpetuum, quandiu illud non renunciauerint: quia hæc facultas tātùm cōceditur prælatis. Vnde ſi deſinunt eſſe prælati, iam nō gaudent illa. Secus verò eſt ſi tantū loco diſtēt à ſuo territorio, quia nihilominùs prælati

8. 4. dub.

Palud.

Angel. Sylueſt. Reſolu.

lati manent:& ideò Prelatorum facultate vti possunt.

9. Quintum dubium. Qui vocentur exempti. Prima opinio. Angel.

Quintò difficile ad explicandum est,qui vocentur exempti. Quidam dicunt esse illos Prælatos, qui in foro subiiciuntur immediatè soli summo Pontifici. Ita tenet Angelus suprà num. 5. citans Hostiensem,& Panormitanum. Et illis videtur fauere ratio decreti, scilicet, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*: quæ ratio solùm videtur habere locum in iis, qui immediatè subduntur summo Pontifici; quia non possunt facilè illum adire:si verò habeant alium superiorem, facilè possunt conuenire illum, vel ab illo confessorem postulare. Alij verò per exemptos intelligunt omnes Prælatos,qui in hoc foro non subduntur Episcopis, etiamsi habeant alios superiores præter Papam, quorum exemplum extra Religiones forsasse non inuenietur:huiusmodi sunt Prouinciales Religionum,& aliqui superiores immediati,vt Abbates,& similes iuxta diuersum vsum,& iurisdictionem, quæ illis in religione conceditur. Ita sentiunt Syluester, & Paludanus, quorum sententia mihi placet, solùm propter illud verbum textus, *Possint eligere confessorem sine sui superioris licentia*, quod supponit posse habere superiorem,cuius licentia esset necessaria,non existente hoc priuilegio.

Secunda opinio probatur. Syluester. Palud.

10. Alia obiectio diluitur.

Nec dici potest, illum superiorem esse summum Pontificem, tum quia ipse Pontifex est, qui hanc facultatem concedit; vnde repugnat,qui illa vtitur,eligere confessorem sine summi Pontificis licentia: tum etiam, quia loquitur de superiore tanquam de alio distincto. Dices, id non esse consentaneum his, quæ suprà dicebamus de Parocho habente Prælatum superiorem exemptum. Respondeo, esse dissimilem rationem: nam huiusmodi Parochus nullo modo est exemptus, sed solus Prælatus eius exemptus est; Prælati verò Religionum, etiamsi inter se subordinationem habeant, omnes exempti sunt, vel potiùs totum corpus Religionis adæquatè est exemptum. Addo verò,hoc esse intelligendum cum aliqua limitatione, & moderamine: scilicet, nisi iuxta specialia priuilegia, vel institutionem à Pontificibus probatam Prælatus inferior Religionis habeat confessorem designatum à suo Prælato superiore, qui iam est veluti ordinarius iudex,& pastor eius in hoc foro:quia tunc nec ratio huius textus locum habet, neque est verisimile per hoc generale ius derogari specialia iura spectantia ad conuenientem ordinem Religionis,argumento cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. Quod multò certius erit, si priuilegia Religionis post illud commune ius concessa, vel confirmata sint. Quoties verò contigerit Prælatum Religionis non habere à superiore confessorem designatum,siue quia id non est in more Religionis, siue quia de facto contingit, vt non habeat, tunc vti poterit hac facultate. In quo etiam seruare debet, vt alia etiam propria iura, seu priuilegia Religionis custodiat, eligendo confessorem intra ipsam Religionem, & non extra, propter easdem rationes. Denique addendum est, hoc non esse extendendum ad Abbatissas,quantumuis exemptas, vt Syluester superiùs notauit;quia sub nomine Prælatorum in omni proprietate non comprehenduntur, cùm iurisdictionem Ecclesiasticam non habeant.

11. Sextum dubium. Soluitur.

Sextum dubium est, an hæc facultas spiret, seu finiatur vno actu, id est, an tantùm detur facultas eligendi semel vnum confessorem, qui postquàm electus est, immutabilis maneat. Et ratio esse potest, quia in ipsa facultate in singulari dicitur, vt possit eligere discretum confessorem:& quia similes facultates in iure ita intelligi solent, vt vno actu finiantur. Respondetur,non determinari vno actu,sed per hanc facultatem posse qui illam habet suo arbitrio eligere plures confessores, vel sæpe eundem. Ita Paludanus suprà,& Antoninus 3.part. tit.17.cap.9. & Nauarrus dicto cap. *Placuit*,num.166.Et ratio est clara,quia nisi hoc priuilegium ita intelligeretur, ferè nullius momenti esset, nec per illud consequeretur Pontifex, quod intendit. Item, si moriatur, vel impeditus sit confessor priùs electus, indubitatum est, posse alium loco illius substitui ex vi eiusdem priuilegij: sed priuilegium non extenditur propter necessitatem, vel impedimentum alterius: ergo illud fieri potest ex sola voluntate, & arbitrio eligentis. Præterea, quia nulla est ratio, cur prima electio maneat immutabilis. Denique vsus etiam hoc confirmat. Vnde in textu in singulari ponitur confessor, quia electio semper in particulari fit circa vnum confessorem:non quia illa non possit sæpiùs fieri. Quòd si aliquando in iure nonnulla similia rescripta intelligantur finiri vno actu, illud est,quia sunt odiosa; secus verò est in gratiosis priuilegiis, nisi aliud euidenter constet, aut ex verbis, aut ex materia subiecta.

---

## *An in aliquo casu habeant fideles à iure facultatem eligendi confessorem.*

12.

TERTIÒ dicendum est, præter hanc facultatem nullam aliam esse ipso iure pontificio datam ad eligendum confessorem. Probatio huius assertionis solùm potest esse negatiua:quia nullum tale ius inuenitur. Et quidem de aliis particularibus, seu priuilegiatis personis nullum tale ius ab Auctoribus affertur, neque de hoc inuenio opinionum varietatem. Tamen de omnibus fidelibus pro aliquo casu inuenitur quoddam speciale ius in cap. *Placuit*,9. quæst.2. de Pœnit. dist.6. vbi multi intelligunt concessam esse cuilibet fideli facultatem eligendi confessorem, si proprius Sacerdos sit ignorans. Atque ita intellexerunt illum textum plures iuris Interpretes cum Panormitano in cap. *Omnis vtriusque*, & ex Theologis Magister in 4.dist.21.in fine. vbi etiam Bonauentura in expositione literæ, id tenet, & Richardus dist. 17. art.3.quæst.7. vbi Gabriel quæst.2.art.3. & Paludanus quæst.3. Antoninus 3.part. tit.17. cap.4. & Adrianus quæst.5. de Confessione, & Medina Cod.de Confess. quæst. 37. de licentia Curati confitendi alieno. Nauarrus etiam in cod.cap. *Placuit*,num.150.& in Summa, cap. 7. num. 8. eodem modo intelligit textum illum. Existimat tamen (consequenter ad suam sententiam de origine huius iurisdictionis) ibi non concedi facultatem aliquam iure humano, sed in eo explicari ius diuinũ: nam, cùm propter ineptitudinem, seu incapacitatem proprij Sacerdotis cesset obligatio Ecclesiastici præcepti subiiciendi se illi potiùs, quàm alteri, reuocatur pœnitens ad statum iuris diuini, in quo præcisè stando, omnes, vt ipse putat, habent facultatem eligendi confessorem. Sed procedit ex falso fundamento: & ita nonnulla falsa infert, quæ posteà videbimus. Reliqui ergo Auctores speciale priuilegium putant esse ibi concessum iure humano. Quod etiam admittit Cano dict.Relect.part.5. addit tamen esse reuocatum illud ius per cap. *Omnis vtriusque sexus*. Sed non rectè, quia cap. *Omnis vtriusque*, quoad hanc partem non condit nouum ius: sed solùm proponit, quod de iure diuino necessarium est,scilicet, ad confitendum alieno, necessariam esse scientiam proprij: non tamen propterea reuocat licentias iure humano concessas, si quæ erant.

Panorm. Magist. Bonau. Rich. Gabr. Palud. Anton. Adrian. Nauarr.

Nauarr. reiicit.

13.

Ex aliis verò Auctoribus,quidam dicunt, in eo casu necessarium esse saltem postulare licentiam à Parocho, licèt non obtineatur. Ita Adrianus, & Nauarrus, vt subditus, inquiunt, in eo quod potest, impleat decretum cap. *Omnis vtriusque sexus*. Paludanus verò

Adrian. Nauarr. Palud.

verò negat tunc esse necessarium petere licentiam à Parocho: & magis consequenter loquitur; quia vbi licentia obtenta non est necessaria, nec petita, ex sola rei natura requiritur: sed si in aliquibus rebus necessaria est, illud est, vel propter speciale ius positiuum, vel quia ante negatam expresè licentiam subditus non habet ius aliquid faciendi. In præsenti verò nullum est speciale ius mandans postulari hanc licentiam. Nam in cap. *Omnis vtriusque sexus*, nullum circa hoc fertur speciale præceptum Ecclesiasticum, sed explicatur diuinum: ex iure autem diuino nunquam est necessarium postulare hanc licentiam, nisi vbi necessarium est, vt obtineatur. In dicto autem cap. *Placuit*, simpliciter, & sine limitatione ponitur exceptio, *Nisi per ignorantiam, &c.* ergo absolutè datur pœnitenti ius, & facultas adeundi alium confessorem: ergo supposita illa interpretatione, nullum est fundamentum imponendi pœnitenti illud onus petendi licentiam.

14. Rursus est alia differentia, quod Nauarrus in eo casu putat, si proprius Parochus sit ignorans, non teneri subditum confiteri Episcopo, vel ab illo facultatem petere, etiamsi ad illum facilis pateat aditus: quia cap. *Placuit*, simpliciter loquitur, & restringendum non est: & quia hoc ipso quòd Parochus est ineptus minister, ex diuino iure habet parochianus ius eligendi alium. Meliùs verò Antoninus, Hostiensis, & alij dicunt, si potest facilè peti licentia confitendi ab ipso Episcopo, necessarium id esse, tam ex vi iuris diuini, quàm ex vi illius cap. *Placuit*. Patet, quia deficiente Parocho, vt v. g. si moriatur, non manent illæ oues sine aliquo proprio Sacerdote; sed tunc immediatè subiiciuntur suo Episcopo: ergo, si possunt illum adire, non est vnde habeant facultatem ex vi iuris diuini, etiamsi admitteremus ante prohibitionem Ecclesiæ, seu diuisionem iurisdictionum id fieri potuisse. Quando autem Parochus est ignorans, seu ineptus, ad summum se habent oues eius tanquam carentes proximo iudice in hoc foro; non verò tanquam omninò carentes proprio pastore: ergo semper tenentur licentiam illius postulare, si possint. Rursus cap. *Placuit*, non loquitur specialiter de proprio Parocho, sed simpliciter de Sacerdote, cui alter commissus est; non autem commissus tantùm Parocho, sed etiam Episcopo: ergo quamuis Parochus sit ignorans, adhuc manet integrum ius Episcopi. Sicut, si quis haberet duos Parochos, & vnus eorum esset ignorans, non propterea posset statim vti facultate eligendi confessorem, si alter Parochus esset sufficiens. Secus verò esset, si vterque Parochus esset ignorans. Et ita etiam in proposito casu, si Episcopus esset æquè ignorans, cessaret obligatio adeundi illum. Statim verò occurrit interrogandum, an oporteat tunc facultatem petere à summo Pontifice. Ita enim videtur consequenter dicendum, ex vi illius cap. *Placuit*, dicto modo intellecti: nam, si præcisè sisteremus in iure diuino, eadem proportio esset seruanda, per se loquendo, vt rationes factæ probant, licèt per accidens ferè semper intercedat excusatio: quia aditus ad summum Pontificem regulariter difficilis est. Tamen in hoc cap. *Placuit*, ipse summus Pontifex est, qui facultatem concedit eligendi confessorem ob ignorantiam proprij, si omnes inferiores Sacerdotes inferiores Pontifice sint ignorantes; & ideò ex vi illius concessionis non est necessarius recursus ad summum Pontificem.

15. Prætereà est alia differentia circa Sacerdotem eligendum ex vi illius iuris. Nam quidam dicunt, ex vi illius facultatis, non esse liberum fideli statim eligere quemcunque voluerit Sacerdotem, etiam idoneum, & nunc etiam approbatum ab Episcopo; sed oportere in hoc seruare aliquem ordinem. Nam si esset aliquis Sacerdos habens iurisdictionem delegatam ab ipsomet Parocho, deberet pœnitens illi confiteri, si esset idoneus: vel si essent plures huiusmodi, inter eos tantùm posset eligere. Et hoc censeo verum, quia illi omnes reputantur vt Vicarij Parochi, & consequenter habent locum proprij Sacerdotis. Item: quia, licèt Parochus sit inhabilis ad exercendum per se hoc munus, nihilominùs non amittit ius committendi vices suas alteri, neque ad hoc est ignorans: vnde non est verisimile per illud cap. *Placuit*, priuari Parochum hoc iure: ergo, si ipse habeat designatos habiles confessores, tenentur oues illos eligere, & non alios. Sicut si Parochus nondum sit ordinatus Sacerdos, & aliquem dignum coadiutorem sibi eligat, parochiani tenentur, per se loquendo, illi confiteri.

16. Obiectio. Dices, Ergo hac ratione tenebitur parochianus petere licentiam à Parocho ignorante, & non habente coadiutorem idoneum, vt si velit, designet determinatè aliquem idoneum confessorem: quia non tenetur generalem facultatem concedere subdito eligendi quem velit: ergo nec intelligendum est, hanc facultatem esse iure concessam, donec constet, illum malè vti iure suo, non dando confessorem idoneum, cùm ipse ignorans sit. Respondeo, hoc modo fieri probabilem opinionem Adriani suprà tractatam. Nihilominùs tamè negatur sequela: nam ad ipsum Parochum spectat vti hoc iure suo, si velit, delegando iurisdictionem suam Sacerdotibus idoneis: quòd si ex se id nõ faciat, non tenentur subditi hoc ab eo petere, aut extorquere, si vera est sententia, quam nunc prosequimur, quòd tunc ex vi huius iuris habent facultatem eligẽdi confessorem, quia sibi simpliciter datur, & sine tali onere. Decisio.

17. Additur verò à quibusdam iuxta hanc sententiam, licèt Parochus non habeat proprium coadiutorem, si sint alij Sacerdotes idonei habentes iurisdictionem delegatam ab Episcopo in huiusmodi parochianos, aliquem ex illis esse eligendum, & non alium. Quod etiam censeo consequenter dictum: quia in eo casu tenentur fideles Episcopum suum adire, si possint, vt diximus: ergo, si non possunt, aut si nolunt illum adire, tenentur accedere ad Iudices ab ipso delegatos: quia illi tunc etiam gerunt vicem proprij. Hinc rursus additur, si nullus sit delegatus à Parocho, vel Episcopo, sit tamen aliquis habens iurisdictionem delegatam à Papa, vt sunt nunc Religiosi, aliquem ex illis esse necessariò eligendum: quòd si nullus sit huiusmodi, qui eligi possit; si verò aliquis Sacerdos idoneus habens aliàs iurisdictionem in hoc foro, quamuis non habeat in hunc parochianum, illum esse eligendum, v. g. Parochum alterius Ecclesiæ potiùs, quàm simplicem Sacerdotem; hunc verò solùm eligi posse, quando & idoneus est; & alius non occurrit, quia iurisdictionem habeat.

18. Duæ restrictiones supra positæ reiiciuntur. Aliis verò hæ duæ vltimæ restrictiones non probantur, & videntur magis consequenter loqui: quia non habent fundamentum in dicto cap. *Placuit*, & est nimia restrictio fauoris ibi concessi, vt supponitur. Deinde de prima restrictione probatur: quia ostensum est non teneri fideles in hoc casu accedere ad summum Pontificem: ergo eadem ratione non tenetur eligere delegatos ab ipso; nemo enim tenetur accedere ad Iudicem, qui alterius vices gerit, nisi quatenùs per se tenebatur accedere ad ipsum principalem Iudicem; vel nisi hoc sit specialiter præceptum, quod hîc etiam dici non potest. De secunda verò restrictione patet, quia iurisdictio Sacerdotis, si non sit in ipsum pœnitentem, per se loquendo, impertinens est ad hoc iudicium: ergo nisi aliquo speciali iure ponatur illa tanquam conditio necessaria in Sacerdote eligẽdo, non est cur exigatur: hîc autem nullum est

Verus intellectus ad c. Placuit.

Instant.

Soluit.

est ius postulans talem conditionem: nam textus absolutè loquitur de altero Sacerdote, si vera est expositio, quam nunc prosequimur.

19. An dictum cap. Placuit, sit extendendum ad defectus alios præter ignorantiam. Opinio communis.

Denique est alia diuersitas in hac sententia. Nam dicti Auctores communiter censent, quamuis dictum cap. *Placuit*, expresè solùm loquatur de casu ignorantiæ Sacerdotis, extendendum esse ad alios, in quibus fuerit eadem ratio, vt casum impotentiæ, vel malitiæ contrariæ huic ministerio, vt si soleat reuelare confessionem, prouocare ad malum, &c. quod quidem iuxta sententiam Nauarri facillimè explicatur: quia, si illa non est concessio iuris positiui, sed interpretatio iuris diuini, vbicunque occurrerit eadem ratio, admittenda erit eadem interpretatio. Supponendo verò esse humanam concessionem, solùm potest id suaderi, quia cùm hic sit fauor, & priuilegium, amplè interpretandum est, quantùm recta ratio permittit: satis autem est rationi consentaneum, vt si ex parte Sacerdotis alius defectus interueniat æquè impediens, ac ignorantia, eadem in illo esse intelligatur iuris dispositio: tum quia valdè materiale est, quòd ille defectus sit ignorantia, & magis attendendum est ad formalem intentionem legis: tum etiam, quia aliàs non esset sufficienter prouisum fidelibus; quod tamen videtur præcipuè intentum in illo capite, iuxta hanc interpretationem. Nihilominùs Medina suprà existimat hanc facultatem restringendam esse ad casum ignorantiæ proprij Sacerdotis: quia de illa tantùm loquitur ille textus; & priuilegia tantum valent, quantum sonant, & non ampliùs: & illud, quod ibi conceditur, quoddam priuilegium est. Imò addunt aliqui, hoc restringendum esse ad tantam ignorantiam, vt ratione illius confessio facta tali Sacerdoti sit inualida: quia Pontifex solùm videtur voluisse subuenire quasi extremæ necessitati. Sed hæc vltima nimia restrictio est, iuxta quam ferè nullius momenti esset illa concessio, quia talis ignorantia, vel nulla, vel rarissima est. Item textus absolutè loquitur de ignorantia, & intendit subuenire conscientiis fidelium: cur ergo non rectè intelligetur de quacunque ignorantia, quæ ineptum reddit Sacerdotem, vt de tali conscientia possit conuenienter iudicare? Restrictio autem Medinæ satis probabilis est, quia fundamentum habet in verborum rigore.

Opinio Medinæ.

20. Communis opinio probatur.

Nihilominùs tamen communior opinio, quoad hanc partem, reiicienda non est: quia, licèt verum sit hoc ius, seu priuilegium pendere ex voluntate concedentis, quam ex verbis eius, non ex ratione cognoscimus; nihilominùs etiam verum est, verborum interpretationem, & extensionem ex ratione concedentis sæpe colligi: præsertim, quando cognoscitur voluntas eius in omnibus consentanea rationi, vt in præsenti: & sic facit illud, quòd fauores sunt ampliandi. Item, in omni casu impedimenti ex malitia Sacerdotis, aliqua ignorantia practica interuenit (iuxta illud, *Omnis prauus est ignorans*) ratione eius prauè vtitur talis Sacerdos ministerio suo: ergo rationabiliter potest omne tale impedimentum sub ignorantia comprehendi. Casus autem impotentiæ non tam videtur includi in illo textu, quàm supponi: cùm enim postulet consensum Sacerdotis extra casum ignorantiæ, supponit dari posse; quia non est verisimile, rem impossibilem postulare. Sic ergo probabiliter teneri potest ampliatio Glossæ, & communis.

21. Tota verò hæc sententia supponit traditam interpretationem illius cap. *Placuit*, quam ita fusè explicui, quia probabilitate non caret; potestque securè ad praxim applicari, & multa obiter diximus, quæ ad alios casus, & præsertim ad ea, quæ dicemus sectione quarta, possunt esse vtilia. Nihilominùs existimo, iuxta veram intelligentiam illius cap. *Placuit*, nullam facultatem concedi ipso iure ad eligendum confessorem in aliquo casu, atque adeò tertiam conclusionem positam generaliter veram esse. Et in primis ibi non dari facultatem ex sola interpretatione iuris diuini, satis constat ex dictis suprà contra opinionem Nauarri, quibus ostendimus, ex vi solius diuini iuris nulli esse datam hanc facultatem, nisi soli summo Pontifici. Quòd verò iure pontificio non concedatur, communior sententia est D. Thomæ, & Scholasticorum, quos infrà referam sectione quarta: nunc breuiter probatur: quia, vt suprà dixi in illo cap. non est sermo de diuisione iurisdictionum, aut parochiarum: nam hæc multò ante Vrbanum facta est, semperque fuit obseruata in Ecclesia, saltem quantùm ad diuersitatem Episcopatuum, & quoad hoc vt Presbyteri non possent sine licentia Episcopi confessiones audire, vt ex multis decretis in superioribus adductis constat. Deinde id probatur ex illis verbis illius textus, *Nisi per ignorantiam illius, cui pœnitens priùs confessus est*: supponit ergo, pœnitentem, de quo ibi est sermo, priùs esse confessum alicui Sacerdoti, & de illo tantùm statuit, *vt nulli Sacerdotum liceat huiusmodi pœnitentem iam commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam admittere, sine eius consensu, cui priùs se commisit.* Vbi etiam expendo illud relatiuum reciprocum, *se*, nam ex eo constat non esse sermonem de sola commissione facta pastoribus Ecclesiæ per diuisionem iurisdictionum, sed de commissione, & subiectione illa, qua pœnitens se actu subdit Sacerdoti cum voluntate illi confitendi.

Ex iure diuino non datur facultas. Nec ex iure pontificio.

22. Prætereà iuxta hanc interpretationem optimè intelligitur particula, *Deinceps*, quam etiam ponderat Medina suprà, intelligens per illam significari, ante illud tempus ob multas causas solitos fuisse pœnitentes proprios Curatos relinquere, & alienos adire. Mihi tamen verisimile non est, talem fuisse abusum in Ecclesia eo tempore: nam est tam manifestus error, tamque contrarius veritati sacramenti, vt verisimile non sit solitos fuisse fideles illo modo confiteri saltem regulariter, aut frequenter, vt propterea necessarium fuerit illam legem condere, aut renouare. Priùs enim illa constitutio facta fuerat, vt suprà ostendi, non tam propter abusum, quàm ad diuisionem parochiarum faciendam & explicandam, vt maximè constat ex Dionysio Papa in cap. *Ecclesias*, 13. quæst. 1. Faciliùs ergo introduci potuit consuetudo, vt postquàm aliquis vni erat confessus, vellet eius sententiam mutari quoad pœnitentiam, vel satisfactionem exhibendam, aliumque Sacerdotem adire, non quidem omninò alienum, sed eorum, qui in eadem Ecclesia iurisdictionem habebant, cuique posset iterum se committere: & aliud genus pœnitentiæ postulare, veluti à priori sententia appellando. Hoc ergo videtur esse, quod Vrbanus in illo cap. *Placuit*, fieri prohibet, vt cætera verba, quæ ponderauimus, satis declarant. Quem sensum indicauit Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. satisque probabiliter coniectat, cùm Vrbanus illos prohibet recipi ad pœnitentiam, loqui de pœnitentia publica, quæ olim erat in vsu, & agenda erat iuxta præscriptum confessoris; & ad hanc mutandam noluit Pontifex patere accessum ad alium Sacerdotem, etiamsi aliàs potuisset esse iudex, postquàm causa alteri iam commissa erat.

Soto.

23. Iuxta hanc ergo interpretationem per illam exceptionem, *Nisi per ignorantiam illius, cui pœnitens priùs confessus est*, nulla facultas conceditur ad eligendum confessorem, qui iurisdictionem habeat in pœnitentem propter solam ignorantiam proprij Parochi: & per se est ferè incredibile hoc esse commissum iure communi omnibus pœnitentibus, doctis, & indoctis, bene, vel malè affectis erga suos

Parochos: neque talis facultas videtur esse in vsu in Ecclesia, vel nunquam fuisse: & ideò fortasse Concilium Lateranense simpliciter, & absque tali exceptione loquutum est. In dicto ergo cap. *Placuit*, solùm additur per illa verba moderatio quædam illius rigoris, quem lex ibi lata præ se ferre videbatur. Cùm enim hoc iudicium sit maximè voluntarium ex parte pœnitentis, & quasi arbitrarium ex parte confessoris, quoad pœnitentiam imponendam, arduum videri poterat cogere pœnitentem ad standum iudicio & sententiæ primi confessoris, ita vt non possit ab alio mutari, etiamsi de nouo se illi committat. A

24. Declarantur verba dicti cap. Placuit.

Nihilominùs tamen propter reuerentiam sacramenti, & honorem confessoris, & ob vitandam etiam ignauiam pœnitentium, prudentissimè illud statutum fuit, cum illa tamen moderatione, quæ ex natura rei videbatur necessaria, & quasi debita pœnitentibus, *Nisi per ignorantiam, &c.* Cuius sensum esse existimo, id est, Nisi prior sententia quoad pœnitentiam iniunctam manifestum contineat errorem, huius rei iudicium non ipsi pœnitenti, sed alteri confessori intelligimus esse commissum. Vnde ex vi illius textus non prohibetur Sacerdos audire confessionem priùs alteri factam; sed ita audire, & iudicare de illa, vt mutet pœnitentiam ab alio iniunctam, nisi manifestum errorem in illa perspiciat. Atque ita cessat illa quæstio, an hæc exceptio ignorantiæ extendenda sit ad alias causas similes: quia iuxta hanc intelligentiam non tam est sermo ibi de ignorantia personæ, quàm de ignorantia, seu errore, qui in illo facto intercessit. Vnde siue ortus fuerit ex propria ignorantia speculatiua, vt sic dicam, siue ex malitia & errore practico, locum habet prædicta moderatio: idque optima ratione: nam æquitas iustitiæ æquè id postulat in vtroque casu, & nomen ignorantiæ satis propriè explicatur illo modo, vt vtrumque casum comprehendat. Et meritò Pontifex illa voce vsus est, quia quoties talis error in sententia inuentus fuerit, potiùs ignorantiæ, quàm malitiæ tribuendus est. Quapropter, quoad hanc partem non est dubium, quin illa lex hoc modo intellecta, licitè possit à confessoribus in praxi seruari. Quoad alteram verò partem prohibentem hanc mutationem pœnitentiæ simul iniunctæ, postquàm pœnitentiæ publicæ cessarunt, etiam existimo quodlibet ius positum in hac parte cessasse. Quid verò in hoc confessoribus liceat, dicemus infrà, agentes de satisfactione. B C D

## SECTIO III.

### *Vtrùm aliqui habeant, vel habere possint facultatem eligendi confessorem ex sola consuetudine.*

1. Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi sumitur ex cap. 2. de Pœnitent. & remiss. in 6. vbi dicitur, nulla consuetudine introduci posse, vt aliquis valeat sibi eligere confessorem sine licentia proprij Sacerdotis, & suprà reddebamus rationem, quia hoc est contra ius diuinum, quod nulla consuetudine reuocari potest. Atque ita simpliciter tenuit D. Antoninus suprà cap. 19. §. 19. E

Antonin.

2. Contraria sententia, quę probatur.

In contrarium autem esse videtur vsus in multis casibus: nam Parochi vtuntur hac facultate sine speciali licentia Episcoporum: vnde, cùm non habeant à iure, videntur habere ex consuetudine. Idem videtur esse de simplicibus Sacerdotibus, & de quibusdam aliis personis in dignitate constitutis. Item confessionem venialium, & iurisdictionem ad illam multi putant esse sola consuetudine introductam. Et confirmatur, quia consuetudo potest dare iurisdictionem, iuxta cap. *Cùm contingat*, de Foro competent. & sumitur ex cap. *Dilecti*, de Arbitris. Sicut è contrario consuetudo aufert iurisdictionem; vnde aliqua peccata dicuntur esse consuetudine reseruata. Propter hæc ergo posteriorem hanc sententiam sequuti sunt Hostiensis, Raymundus, Astensis, Gerson, Guillelmus de Monte Lugduno, quos refert Gabriel lect. 3. in canonem, & ipse admittit hanc sententiam esse magis piam, & sufficientem ad excusandum, quamuis alteram dicat esse tutiorem. Hanc etiam sententiam sequitur Nauarrus in dicto cap. *Placuit*, num. 30. & sequentib. sumitur ex Caietano, verb. *Absolutio*, 2. Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. Et mihi etiam probatur, si rectè explicetur.

Hostiens. Raymund. Astens. Gerson. Guillelm. de Monte Lugduno. Gabriel. Nauarr. Caietan. Sotus.

## ASSERTIO.

3. DICENDVM ergo censeo, vbi constiterit talem consuetudinem introductam esse, & videntibus, ac tacentibus ordinariis pastoribus bona fide exerceri, eam sufficere, vt pœnitentes securè possint vti hac facultate, quamuis hæc non tam per ipsam consuetudinem detur, quàm data significetur. Prior pars satis probatur argumentis secundo loco factis. Posterior verò suadetur prioribus argumentis: quia sola consuetudo per se sumpta, non habet vnde possit hanc facultatem tribuere: ergo si propriè loquendum est, solum est signum sufficiens facultatis concessæ à pastoribus, & nunquam reuocatæ, sed quasi per tacitum consensum perpetuò durantis. Non est enim verisimile illam consuetudinem inchoatam esse per confessiones sacrilegas, & re ipsa nullas, & per eas solas introductam esse: hoc enim iuri diuino repugnat, signum est ergo, præcessisse facultatem aliquam, saltem generalem, nunquamque fuisse reuocatam: & ita ex vi talis concessionis quasi continuatæ consuetudine fuisse introductam. Nec videtur, moraliter loquendo, alio modo potuisse introduci: quia recurrendo ad initium consuetudinis, interrogo, an qui cœperunt vti hac facultate, id fecerint de licentia sui proprij Sacerdotis, vel omninò absque illa: si primum dicatur, non fuit propriè hæc facultas consuetudine acquisita, sed origo eius fuit facultas superioris, quæ per consuetudinem conseruata est, & ipsa facultas videtur fuisse causa talis consuetudinis: si verò dicatur secundum; ergo omnis ille vsus iurisdictionis in principio talis consuetudinis erat nullius momenti, & contra diuinum ius: ergo per similes actus non potuit introduci consuetudo.

4. Obiectio. Solutio.

Dices, potuisse in principio esse abusum, posteà tamen pastores Ecclesiæ ad maius malum vitandum tacitè consensisse. Respondeo, estò id concedamus, semper tamen necessarium esse, vt interueniat aliqua sufficiens significatio consensus superiorum, vt ex tunc incipiat haberi hæc facultas, non tam vi ipsius consuetudinis, quàm virtute voluntatis superioris, ad quam significandam potest iuuare consuetudo. Quod rectè declaratur exemplo suprà tacto de Sacerdotibus, qui ex consuetudine solent eligere confessorem: nam quia illi solent frequenter confiteri, ideò onerosum erat Parochis omnes audire; & ideò facilè in principio consenserunt, vt inter se inuicem confiterentur: qui consensus non reuocatus, consuetudine quasi continuatur, & ipsa consuetudo indicium est eiusdem consensus: ad hunc ergo modum de aliis consuetudinibus iudicandum est. Et potest tandem in hunc modum declarari: quia quamuis iurisdictio dicatur consuetudine acquiri; tamen (vt ego opinor) id non fit sine adminiculo iuris

ris communis, præsertim in iurisdictione spirituali, quæ non potest à populo manare, sed à summo Pontifice, & ideò non posset sola populi cõsuetudo illam præbere, nisi Pontifices hoc declarassent, ad maiorem Ecclesiæ pacem, & vt certior esse posset iurisdictionum partitio. In præsenti autem consuetudo non dat hanc facultatem, vel iurisdictionem illi correspondentẽ adminiculo iuris: nullum est enim commune ius quod hoc declaret, sed potiùs videtur resistere, ergo non potest consuetudo per se, & quasi sua vi hoc facere, sed adminiculo (vt sic dicam) taciti consensus, vt voluntatis superiorum, qui cùm non sit in iure expressus, necesse est vt ipsamet consuetudine, & circunstantiis eius sufficienter significetur.

Solùm superest explicandum dictum c. 2. de Pœnitent. & remission. in 6. ne videatur prædictæ resolutioni, etiam in dicto sensu explicatæ, repugnare. Nauar. igitur suprà numer. 36. & sequentibus, multùm laborat in illo textu exponendo. Vera tamen declaratio est, quæ ex dictis colligitur, quamque tetigit Gabriel loco suprà citato: scilicet, consuetudinem vi sua non posse dare hanc facultatem: quod verum esse concedimus; inde tamen non sequitur, non posse esse signum facultatis concessæ, & perseuerantis per consensum tacitum. Vnde (etiamsi formaliter ad verba textus attendamus) per talem consuetudinem non introducitur, *quòd aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, vel ligare*: sed introducitur, vt aliquis censeatur habere à suo superiore talem facultatem, modo explicato. Dices, Quid ergo speciale declarat ibi Pontifex de hac facultate? nam id commune est cuicunque legi, quòd non derogetur consuetudine, nisi quatenus superior videns, & tacens consentire videtur? Respondetur, eligere confessorem sine licentia proprij repugnare iuri diuino, & ideò significasse Pontificem in illo textu, non posse consuetudinem præscribere contra hoc ius: in quo multùm differt hæc consuetudo à quacunque lege merè humana.

5. Explicatur c. 2. de pœn. & rem. li. 6. Nauar. Gabr. Obiect. Soluitur.

6. Ex quo infero (quod magis illam decisionem declarat) facultatem hanc consuetudine obtentam talem esse, vt semper pendeat à voluntate proprij sacerdotis, ita vt non obstante consuetudine, semper sit in eius potestate illam reuocare, si velit: quia aliàs talis consuetudo formaliter ac directè esset contra ius diuinum, quandoquidem ex vi illius posset subditus confessorem eligere etiam proprio pastore repugnãte. Item consuetudo hoc modo introducta, esset valdè onerosa pastoribus Ecclesiæ, & contra subiectionem illis debitam, multúmque contraria conuenienti regimini animarum, vt etiam Glossa circa illum textum significauit: consuetudo autem, quæ huiusmodi est, nunquàm præualere potest, aut ius aliquod conferre, capitulo primo, & capit. *Cùm venerabilis*, de consuetudine, & capitul. *Cùm non liceat*, de Præscriptionibus. Posita autem hac veluti continua dependentia huius consuetudinis à voluntate pastoris, optimè verificatur decisio illius capituli secundi. Nam, si pastor videt, & tacet, satis significat ex suo consensu habere subditos illam facultatem: & ita iam non est ad eligendum confessorem sine licentia pastoris, si verò ipse reuocet, consuetudo non sufficiet, iuxta illius textus decisionem.

7. Ex cuius Pastoris voluntate manauerit hæc consuetudo.

Aduertere autem oportet, ex cuius pastoris voluntate manauerit consuetudo: nam ex illius, vel superioris arbitrio reuocari poterit non tamen ab inferiori, vt si verum est consuetudine introductum esse vt quilibet sacerdos absoluere possit à venialibus peccatis: quia illa consuetudo, vel ab Apostolis, vel à summis Pontificibus originem duxit, aut confirmata est, ideò sine illorum consensu reuocari non poterit ab inferioribus prælatis. Consuetudo autem, vt Parochi eligant confessorem, solùm ex consensu Episcoporum creditur manasse, & ideò non dubito quin possit Episcopus in suo Episcopatu hoc mutare, vel generatim pro omnibus Parochis, vel specialiter pro aliquo, prout expedire censuerit.

8. Rursus aduertere oportet, aliud esse consuetudine habere facultatem eligendi confessorem alienum; aliud verò consuetudine acquirere ius parochiani in altera parochia, & consequenter obtinere facultatem confitendi Parocho illius parochiæ: nam hoc posteriori modo non acquiritur facultas eligendi confessorem, sed subiectio ordinaria in hoc foro; & ideò non pendet à voluntate alterius Parochi, postquàm acquisita est, nec repugnat iuri diuino, quia neque est contra ius diuinum, quòd aliquis possit habere simul plures Parochos, neque etiam quòd, si illos habeat, possit eligere quem voluerit, etiam alio repugnante: quod secus est quando confessio fit alieno. Atque hæc sunt quæ ad ius in hac parte pertinent. In quibus autem personis, vel casibus inueniatur talis consuetudo, ad factum spectat, quod sub scientiam non cadit: & ideò pro singulis locis, & personis consulendæ sunt consuetudines: nam quæ generaliùs videntur introductæ, solùm sunt illæ, quas obiter insinuauimus.

## SECTIO IIII.

### *Qualis esse debeat facultas eligendi confessorem ab homine concessa.*

1. DE potestate, & modo concedendi hanc facultatem, satis in prima sectione dictum est: quibus autem de facto concedatur, non potest à nobis explicari, quia pendet ex voluntate pastorum. Regulariter verò solent habere hanc facultatem per priuilegia perpetua Reges, & alij similes Principes. Item in Hispania per bullam Cruciatæ generaliter concedi solet, aliquando etiam per Iubilæa, & similes gratias, in quibus verba sunt consideranda, & expendenda, ad intelligendum quantùm huiusmodi facultates se extendant.

### *Dubitatio prima.*

2. POTEST autem circa has facultates dubitari primò ex parte materiæ, quantùm se extendat hæc facultas simpliciter concessa ad eligendum confessorem, an scilicet se extendat ad omnia peccata, & ad sola illa. In quo primò dicendum est, se extendere ad peccata mortalia, & non ad venialia tantùm. Probatur, quia propter sola venialia non esset necessaria facultas: qui autem illam petit, aliquid speciale petit: & in eodem sensu superior illam concedit. Denique confessio simpliciter dicta non accipitur pro illa, quæ est de solis venialibus. Hoc autem intelligitur per se ac regulariter. At verò in aliquo casu speciali aliter iudicandum sit, statim dicam. Prima conclusio.

3. Secundò, certum est, facultatem hanc non posse excedere potestatem cõcedentis: nam, si ipse potest absoluere à quibusdam peccatis mortalibus, & non ab aliis, non potest facultatem dare extra illos casus, à quibus ipse potest absoluere, quia non potest amplioremiurisdictionem delegare, quàm ipse habet. Secunda cõclusio.

4. Tertiò, non semper hæc facultas simpliciter concessa se extendit ad omnia peccata, in quæ delegans iurisdictionem habet: nam, si aliàs aliqua peccata sibi Tertia conclusio.

specialiter reseruauit, non cõprehenduntur sub illa facultate generaliter tantùm concessa, sed oportet hoc in ea specialiter exprimi. Ita declaratum est in c. *Si Episcopus*, de Pœnit. & remiss. in 6. & ratio redditur, quia in generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis in specie verisimiliter cõcessurus. Quæ ratio locum habet etiam in facultate in iure concessa, v.g. Episcopis; & ideò ex vi illius non possunt absolui à peccatis summo Pontifici reseruatis. Quod rectè notarunt Palud. d. 17. q. 3. & Sylu. verb. *Confessor*, 1. q. 9. Palud. Syluester. Idemque cum proportione dicendum est de facultate per similem consuetudinem obtenta. Imò & summus Pontifex hanc facultatem generatim concedendo, non solùm non intelligitur concedere casus sibi reseruatos, verùm etiam nec reseruatos Episcopis, quia etiã illi habent specialitatem, ratione cuius non intelliguntur comprehendi sub generali clausula, nisi exprimantur. Quod sumitur à simili ex Clement. 1. de priuileg. & Extrauag. *Inter cunctas*, eodem tit. quibus in locis dicitur, quando Pontifex delegat iurisdictionem in hoc foro sub generali clausula audiendi confessiones, non concedere iurisdictionem ad absoluendum à peccatis reseruatis Episcopis, quia non intelligitur derogare iuri Episcoporum, nisi id exprimat. Satis est enim, quòd per illam clausulam generalem intelligatur concedi ordinaria facultas, quam habent Parochi seu ordinarij pastores.

5. Obiect. Dices. Ergo, si alicubi essent reseruata omnia peccata mortalia, & superior concederet alicui subdito facultatem eligendi confessorem, seu confitendi absolutè huic, aut illi personæ, non intelligeretur concedere facultatem ad confessionem de mortalibus, sed de venialibus tantùm: quod videtur repugnare superiùs dictis. Diluitur. Respondetur primò, negando casum: nunquàm enim reseruantur secundum Ecclesiæ consuetudinem omnia peccata mortalia: nã vt minimum non reseruantur omnia merè interna, neque etiam omnia externa, vt posteà videbimus. Deinde, permisso illo casu, concedendum esset consequens, tamen illa licentia superioris non esset propria facultas, de qua nunc agimus, sed esset quædam dispensatio in aliqua regula, vel ordinatione humana. Posita enim illa reseruatione, in rigore huius sacramenti, & stante alia vniuersali consuetudine Ecclesiæ, non indigeret subditus licentia pastoris ad eligendum sibi confessorem. Nihilominùs, vt confessio etiam de venialibus cum maiori fructu & perfectione fiat, potest, præsertim inter Religiosos, statui, vt nemo etiam de hac materia voluntaria confiteatur, nisi confessori à superiori designato: quod statutum non aufert ab aliis iurisdictionem, sed ponit modum & ordinem in vsu eius, quatenus voluntates Religiosorum, & regulæ, & voluntatis superioris subordinatæ esse debent. In hac ergo regula censeretur in eo casu dispensare superior, si nihil aliud exprimeret. Quod proportionatè intelligendum est, posita quacunque reseruatione, prout est in vsu: de qua re latiùs post disputationẽ sequentẽ.

6. Vlt. conclusio. Vltimò dicendum est in hoc puncto, hanc facultatem per se non extendi extra absolutionem à peccatis, & quæ cum illa connexa sunt. Hoc dixerim contra nonnullos, qui sentiunt, ex vi huius facultatis posse confessorem per eam electum dispensare in votis, aut ea commutare: fortasse, quia hoc potest interdum pertinere ad perfectam animæ curationem, quæ confessori committi videtur, quod non generaliter, sed in particulari de facultate Episcopis concessa ipso iure, affirmat Palud. & Sylvest. supra. Palud. Syluester. Sed neque in illo particulari iure aliquid inuenio, ob quod in illa facultate potiùs quàm in aliis admittendum sit, cùm ibi solùm detur facultas eligendi confessorẽ, *ne pœnitentia differatur*. Neque etiam generaliter censeo veram illam extensionem, quia longè diuersa est iurisdictio ad dispensandum in votis, & ad absoluendum à peccatis, neque vna cum alia connexa, cùm possint omnia peccata tolli manẽte voto: nec pertinet ad munus confessoris curare pœnitentẽ tollẽdo obligationes, sed ad obseruandas illas eum iuuando: aliàs etiam in præceptis posset cum illo dispensare. Igitur ex vi huius facultatis nulla datur iurisdictio ad dispẽsandum. Ex vi sui muneris potest confessor votum cõmutare. Quia verò interdum commutatio fieri potest sine speciali iurisdictione, quando est æqualis, & pura, ideò confessor potest id facere ex vi sui muneris, absque vlla noua extensione huius facultatis. In absolutione autem à censuris maior difficultas est, an consequenter concedatur per hãc facultatem, de qua re dicemus in materia de Censuris: ad minimũ enim extendi potest ad absolutionem ab excommunicatione maiori, quatenus eius absolutio necessaria est ad absolutionem à peccatis, argumento cap. *Nuper*, de Sentent. excõmunic. Cætera verò cùm nõ sint ita cõnexa, maiorem dubitationẽ habent, de qua suo loco.

## *Dubitatio secunda.*

7. An hæc facultas finiatur per vnũ actum. Palud. Sylvest. Nauar. Dubitationi respõdetur.

SECVNDO circa durationem huius facultatis, dubitari solet, an finiatur per vnum actum, id est, per electionem vnius confessoris. Quod tractant Palud. dict. q. 3. & Sylvest. verb. *Confessor*, 1. q. 7. & Nauarr. in dict. c. *Placuit*, n. 167. qui absolutè definiunt non finiri. Aduertendum verò est, hanc facultatem interdum expressè dari solùm ad semel faciendam confessionem de peccatis, cui pœnitens voluerit: & tũc clarum est, facultatem finiri per vnum actum: oportet tamen illum esse completum, quia nec priuilegium extenditur vltra id, quod in ipso exprimitur: neque etiam finitur ante completũ vsum eius. Vnde in præsenti, si quis, v.g. virtute Iubilæi eligit confessorem, cui confiteri cœpit, vel etiam integrè cõfessus est, nõ est tamen absolutionem consecutus, vel casu aliquo, vel quia confessor ei absolutionem denegauit, nihilominus potest alium confessorem eligere, quia prior actus non fuit consummatus: & quia illa facultas ad hoc præcipuè conceditur, vt absolutio obtineatur: & ideò prima electio, quæ ad absolutionẽ non peruenit, tanquàm nulla reputatur: ac proinde potest alius cõfessor eligi, dummodò id fiat intra tempus in priuilegio præscriptum, si fortasse in ipso limitatur. Atque eadem proportione iudicandum est de hac facultate, quando expressè ad certum numerum confessionum, aut personarum, vel ad limitatum tempus conceditur. Quando verò datur indefinitè, & sine aliqua limitatione, clarum est, non finiri vno actu, neque electionem factam de vno confessore esse immutabilem, sed posse fieri nunc vni, posteà alteri pro arbitrio eius, cui facultas data est, vt in simili dictum est suprà de priuilegio à iure concesso: est enim eadem vtrobique ratio.

## *Dubitatio tertia.*

8. Prima sententia. Palud. Sylvest.

STATIM verò insurgit dubitatio tertia, an saltem hæc facultas cesset, & finiatur per mortem concedentis. In qua eædem sunt opiniones, quæ in simili dubio de iurisdictione delegata suprà tractatæ sunt: idemque iudicium de illis ferendum videtur. Palud. ergo d. 17. q. 4. & Sylvester verb. *Confessor*, 1. q. 7. ipso facto putant hoc priuilegium extingui per mortem concedentis, nisi actus confessionis inchoatus sit: quia virtute continet delegationem iurisdictionis, quæ per mortem delegantis amittitur, quando res est integra. Idem ex parte tenet Cordub. libro 5. de Indulg. q. 36. Oppositam verò sententiam tenet Nauarrus in dict. Nauar. Secunda sententia.

dict. c. *Placuit*, n. 35. & numero 161. ex alio principio, quòd hæc facultas non tanquàm delegatio, sed tanquàm gratia iudicanda est: gratia autem non cessat per mortem concedentis, quanuis res sit integra. Et confirmari potest à simili: nam facultas, seu literæ dimissoriæ concessæ à proprio Episcopo ad suscipiendos ordines à quolibet alio, non amittunt vim suam per mortem concedentis. Similiter licentia faciendi sacrum, v. g. in aliquo priuato oratorio, durat post mortem concedentis: idemque est in similibus gratiis: idem ergo erit in præsenti facultate, quia etiam est gratia quædam, cui non repugnat hoc modo, & sensu dari, vt scilicet duret quâdiu nõ fuerit reuocata, neque ab ipso concedente, neque à successore, qui tanquàm vnus ratione muneris reputantur. Quando autem verba facultatis absolutè & sine limitatione proferuntur, præ se ferunt concedi cum hac permanentia, & quasi perpetuitate: non est ergo cur à nobis limitentur.

9. Secunda sententia probatur.

Atque hæc sentẽtia mihi magis probatur: est enim fauorabilior, & satis rationi consentanea. Et quoniam de potestate concedentis mihi non est dubium, & factum pendet ex voluntate, quæ ex forma concessionis colligẽda est: ideò aduerto variis modis, seu formis posse hanc facultatem fieri, sicut alias. Primò, si concedatur facultas cum hac adiectione, *Vsque ad beneplacitum nostrum*: & talis adiectio censetur esse limitans licentiam ad personam concedentis, ideoque extingui per mortem eius, quia beneplacitum personæ ab illa pendet. Quæ est communis sententia Iurisperitorum in iure fundata, vt latiùs videbimus tractando de Censuris. Aliquando verò fit concessio cum hoc addito, *Vsque ad beneplacitum nostræ sedis*: & tunc sine dubio non cessat per mortem concedentis, quia sedes non moritur, sed perpetua est. Interdum verò fit concessio simpliciter absque vllo addito, per verba, quæ vel expressè indicant perpetuitatem, vel saltem illam non excludunt, sed admittunt: & tunc etiam iudicandum est, facultatem non extingui per mortem concedentis, sed concessam esse vsque ad beneplacitum Sedis, quia est fauorabilis concessio, & fauores amplè intelligendi sunt: & quia alia iura indicant, gratiam non extingui per mortem concedentis: quod intelligendum est, quoties in ipsamet gratia expressè non ponitur talis limitatio.

10. Obiect.

Obiectioni satisfit.

Sed obiiciet aliquis: nam habet hoc specialem difficultatem in hac gratia, quæ simul inuoluit concessionem iurisdictionis: hæc enim non datur sacerdoti eligendo per hanc facultatem, donec actu designetur, & eligatur à pœnitente: tunc autem non datur ab ipsomet pœnitente, vt ex superioribus constat, sed danda est ab ipsomet, qui facultatem concessit: ab illo autem dari non potest, quia vel iurisdictionem iam non habet, vel omninò iam non est: neque etiam datur à successore, quia ipse non dedit facultatem. Ad hoc responderi potest primo, dari à successore, quatenus non reuocando facultatem, virtute seu tacitè illam ratam habet, siue hic tacitus consensus ex consuetudine, rationabilique interpretatione habeatur,

Instantiæ occurritur.

siue etiam ex interpretatione iuris. Dices, Quid si pro aliquo tempore nullus succedat? Respondetur, nunquàm deesse, qui iurisdictionem, vel administrationẽ obtineat loco defuncti: quantùm ad hunc actũ efficiendũ satis est, vt iurisdictio Episcopi deuoluitur ad Capitulum, & sic de aliis. Secundò dicitur, iurisdictionẽ dari virtute prioris cõcessionis, atque adeò dari ab eo, qui facultatem dedit, cuius virtus manet moraliter in ipso priuilegio seu gratia dicto modo cõcessa, quod manifestè patet in hac facultate ipso iure data, quæ perpetua est, & ipso iure datur iurisdictio sacerdoti sic electo, quæ meritò dici potest manare ab ipso auctore iuris. Et similiter hæc facultas data per bullam Cruciatæ durat post mortem Pontificis, qui bullam concessit, & per virtutẽ in illa relictã dici potest iurisdictionem conferre. Et ratio est, quia concedens hanc facultatem, extunc transfert iurisdictionẽ in alium, quantùm est ex efficacia voluntatis, quam tunc habet, quæ, non retractata, semper sufficit absque noua voluntate: solùm deest applicatio quasi materialis ad talem personam, quæ sufficienter fieri potest virtute iuris, aut priuilegij permanentis.

## *Quarta dubitatio.*

11. Varij casus in quib. præsumptio sufficere videtur.

QVARTÒ dubitari potest, an sufficiat aliquando hæc facultas interpretatiua seu præsũpta. Quod dubium coincidere potest cum alio suprà tractato de iurisdictione delegata, an illius ratihabitio sufficiat. Hîc verò non agimus de propria ratihabitione, quæ respicit futurum, sed de præsumptione voluntatis interpretatiuæ, quæ de præsenti haberi potest. Sunt enim varij casus, in quibus videtur præsumptio hæc sufficere. Primus est, si Parochus, v. g. à parochia discedat, & pro aliquo notabili tempore absens fiat, nullo Vicario relicto: nã tũc videtur virtute & implicitè facere ouibus facultatẽ confitendi cui voluerint: quia non est verisimile illas relinquere sine vllo remedio ad suscipiendum hoc sacramentum adeò necessarium, & hanc vocamus interpretatiuam, seu præsumptam voluntatem. Et confirmari hoc potest, quia ob similem causam diximus in superioribus, parochianum peregrinantem à parochia sua, posse confiteri alteri Parocho propter distantiam proprij, absque alia facultate expressa, quia sufficit interpretatiua, propter necessitatem huius sacramenti: ergo idem è conuerso propter similitudinem rationis. Secundus casus est, si Parochus moriatur, vel ita repentè ægrotet, vt non possit facultatem dare: tunc enim quandiu Episcopus cõueniri non potest, neque ipse Vicarium loco Parochi substituit, meritò præsumitur concedere facultatem illis subditis, vt confiteantur cui voluerint, propter eandem causam. Tertius casus est, quando subditus vult cõfiteri Parocho, & ab eo petit, ipse autem negat, vel quia non potest, vel quia non vult confessionem audire: tunc enim hoc ipso præsumitur facultatem concedere confitendi alij, quia non est verisimile velle priuare subditum hoc sacramento, maximè quando in hoc peccaret, & iniustitiam committeret. Quartus casus est, quando pœnitens habet rationabilem causam non confitendi ipsi Parocho, & scit talem causam esse notam ipsi Parocho: nam tunc Parochus tenetur facultatem dare, & ideò meritò præsumitur eam dare. Est vulgare exemplum de fœmina, quæ cum suo proprio Parocho peccauit: nam hoc ipso censetur posse alteri confiteri ex præsumpta facultate eiusdem Parochi.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

12. An sufficiat facultas petita, & non obtenta.

Cum hac dubitatione coniuncta est alia, vtrùm scilicet sufficiat hæc facultas petita, quanuis non sit obtenta: in multis enim casibus videtur necessariò hoc dicendum, aliàs manebunt pœnitentes sine remedio ex sola iniquitate proprij sacerdotis, quod nõ videtur admittendum. Primum exemplum est, quando ipse Parochus nec vult cõfessionem subditi audire, neque ei facultatẽ dare, vt alteri confiteatur: tunc enim manifesta est vis, & nocumentum subditi. Secundum exemplum est, si ipse Parochus sit ignorantissimus, aut scandalũ prębeat pœnitenti in fide, vel in moribus aut sigillum non seruet, aut simile impedimentum habeat satis notum pœnitenti, qui facultatem petit, & obtinere ab eo non potest. Tertium exemplum est, si ex parte pœnitentis sit ingens verecundia, quæ interdum tantam inducit difficultatem, vt moralis impos-

sibilitas existimetur: nam tunc etiam iniustè negatur facultas: non est autem cogendus pœnitens, aut rem moraliter impossibilem facere, aut hoc sacramento priuari. Quartò denique idem erit quoties hæc facultas iustè petitur, & iniustè negatur, quia semper procedit, applicari potest ratio facta.

13. Quorundã opinio. D. Tho. Bonau.

Propter hos, & similes euentus nonnulli Auctores absolutè dicunt posse aliquando subditum confiteri alieno sine licentia proprij, vt aliqui sumunt ex Diuo Thoma, & Bonaventura in 4. d. 21. in expositione literæ in fine, vbi quinque casus numerant: ex quibus quatuor non pertinent ad rem præsentem. Primus est de vagabundis, de quibus iam suprà diximus non habere talem facultatem, sed suo modo habere sacerdotem proprium, cui tenentur confiteri, quanuis, quia facilè illum mutant, & suo arbitrio habitationem eligunt, videantur perinde se habere, ac si suo arbitrio eligerent confessorem, re tamen vera ex vi sui status nunquàm possunt confiteri alieno sine licentia proprij. Secundus casus est si mutauit domicilium: sed tunc etiam iam non fit confessio alieno sine licentia proprij, sed ille, qui erat proprius, desinit esse talis, & alius acquiritur, cuius licentia iam desideratur, non alterius. Tertius casus est, si in aliena parochia peccauit: sed hoc non est verum, per se loquendo quantùm ad hoc forum, vt suprà ostendi. Vnde D. Thomas non videtur ponere hos casus ex propria sententia, nec examinat illos, sed solùm ait, *Quinque casus ponuntur*, & simpliciter refert illos. Quintus casus est de articulo necessitatis, de quo iam egimus: quia in eo non propriè datur facultas libera pœnitenti: si enim potest proprio sacerdoti confiteri, debet id facere, sed ipsis sacerdotibus data est facultas pro illo articulo, quando vera est necessitas. Vnde, si sint plures sacerdotes æquales, potest pœnitens eligere quem voluerit, non tam propter facultatem & priuilegium, de quo nunc agimus, quàm propter pluralitatem sacerdotum habentium iurisdictionem: sicut habens plures Parochos, potest eligere quem maluerit. Solus ergo quartus casus ad rem præsentem pertinet, in quo

D. Thom. Bonau.

Diuus Thomas solùm ait, *propter malitiam sacerdotis*: Bonauentura verò addit, *Propter ignorantiam, vel malitiam, quia vel reuelat confessionem, vel sollicitat ad malum.* Et in his casibus Bonauentura solùm ait, licentiam petitam haberi pro obtenta. D. Thomas verò ait, in eis licere confiteri alij, quàm proprio sacerdoti, sine eius licentia. Et hoc modo loquitur etiam

Palud.

Paludan. d. 17. q. 3. art. 3. qui prædictis casibus alios tres addit. Sextus est de peregrinis, & septimus de scholaribus, qui maiori ratione à præsenti quæstione excludũtur, quã vagabundi. Octauus est de ratihabitione, de quo suprà dictũ est, & statim aliquid addemus.

14. Supraposita opinio reiicitur.

Obiect. occurritur.

Hic ergo loquendi modus, quòd liceat aliquando cõfiteri alieno sine licẽtia proprij, formaliter & in rigore admitti non potest, omnem proprium comprehendendo, siue proximum, siue remotum, quia contraria regula statuitur in cap. *Omnis vtriusque sexus.* Nec dici potest, illud esse intelligendum regulariter & ordinariè, in casibus autem extraordinariis admittẽdas esse exceptiones: hoc, inquã, dici nõ potest, quia quòd minister huius sacramenti habere debeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, non regulariter tantùm necessarium est, sed infallibiliter & sine vlla exceptione, vt constat ex Concilio Trident. & aliis superiùs citatis: si autem confessio in aliquo casu fieret alieno sine licentia proprij, ille nec iurisdictionẽ ordinariam haberet, quia supponitur esse alienus, nec delegatam: quia si non habet licentiam alicuius proprij, à nullo potest habere iurisdictionẽ delegatam: vnde enim illam haberet? Quocirca, quando aliqui Auctores graues dicunt, posse aliquando fieri confessionem alieno sine licentia proprij, vel nõ excludunt omnem proprium, sed tantùm proximum, scilicet Parochum, vel non excludunt omnem modũ licentiæ, sed expressum, & personalem (vt sic dicam) dicunt enim fieri sine licentia proprij, quod fit sine licentia expressa, quanuis interueniat tacita, vel quod fit sine licentia hominis, ex licentia iuris.

15. Alia opinio.

Dicunt igitur alij Auctores, sufficere aliquando vt hæc facultas sit præsumpta tantùm, quanuis non sit actu exhibita, seu declarata. Ita loquitur Medina dicto Codice q. de Multiplici licentia alieno confitendi: & idem à fortiori dicent, qui putant sufficere ratihabitionem. Et idem sentiunt Richardus in 4. d. 18. art. 2. q. 3. & Syluester verb. *Confessor*, 1. q. 18. speciali-

Medin.

Rich. Syluest.

ter in tertio casu suprà posito, quando proprius nõ vult audire subditum pœnitentem, Alij verò dicũt in aliquibus casibus sufficere licentiam petitam, etiamsi non fit obtenta. Ita loquitur Bonauentura suprà, & Richardus d. 17. art. 3. q. 7. & Adrianus q. 5. de Confessione, dub. 3. & 8. citans Panormitanum, & alios in c. *Omnis vtriusque sexus*, & idem sentit Palud. d. 17. q. 3. n. 19. & Gabr. ibi q. 2. art. 3. dub. 4. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. Angelus verb. *Confessio*, 3. n. 15. Sylvest. verb. *Cõfessor*, 1. q. 6. Armilla verb. *Absolutio*, n. 18. & Nauarrus in dict. c. *Placuit*, n. 138. & sequentibus. Qui omnes fundantur in hoc, quòd in illis casibus datur licentia à iure, quanuis à proprio Parocho non obtineatur. Vnde, secluso iure positiuo, non sentiunt dicti Auctores, posse sufficere licentiam petitam, & non obtentam. Posset autem aliquis opinari, in casibus, præsertim suprà positis secundo loco, sufficere ipsum ius diuinum, & quasi naturale suppositã institutione, quia, cùm subditus iniustè tunc suo iure priuetur, ipsum naturale ius concedit ei facultatem tuendi ius suum, vel subueniendi suæ necessitati.

Bonau. Richard. Adrian. Palud. Gabr. Anton Angel. Sylvest. Armil. Nauar.

---

*Prima assertio.*

16. Quando sufficiat facultatem esse præsumptam. Palud. Gabr. Anton. Adrian. Hentic. Capreol. Victoria. Sotus.

NIHILOMINVS dicendum censeo primò, nunquàm sufficere facultatem hanc esse præsumptam, nisi præsumptio fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter ac moraliter indicent præsentem voluntatem superioris concedendi hanc facultatem. Hæc sententia sumitur ex Palud. Gabr. Anton. & Adriano locis citatis, & Henric. quodlib. 1. q. 30. 31. & 32. & Capreol. in 4. dist. 19. ad argum. contr. 3. conclusionem, Victoria, Soto & aliis suprà citatis negantibus ratihabitionem sufficere ad hanc iurisdictionẽ, nisi de præsenti: est enim eadem ratio de iurisdictione, & de hac facultate, quia hæc facultas inuoluit delegationem iurisdictionis. Et perinde etiam est vti nomine præsumptionis, ac ratihabitionis: nam præsumptio nihil aliud est, quàm existimatio quædam de voluntate superioris sufficiente ad concedendam hanc facultatem: aut ergo existimatio illa est tantùm de beneplacito futuro superioris, quòd nimirum approbabit factum, &c. aut est de præsenti voluntate, per quã concedit facultatem. Priori modo non potest sufficere præsumpta facultas, quia non sufficit ad dandam iurisdictionẽ de præsenti, sine qua præsens absolutio & confessio nulla est, nec potest rata fieri propter beneplacitum postea subsecutum: quæ omnia satis constant ex suprà dictis. Vnde est magna differentia inter hanc facultatem, & quamcunque aliam, quæ solùm requiritur ad operãdum sine culpa: nam in aliis sæpe potest sufficere licentia præsumpta, quando maior haberi non potest, quia per epicheiam sæpe excusatur homo ab obligatione legis. At verò ad concedendam nouam iurisdictionem, illa præsumptio non sufficit, quia iurisdictio non delegatur sine actu positiuo voluntatis delegantis: hæc autem præsumptio

Differentia inter hanc facultatem, & quamcunque aliam.

ptio neque supponit, neque indicat talem actum.

17. At verò secus erit, si præsumptio sit de actu præsenti: tunc autem necesse est, vt talis præsumptio fundetur in aliquibus signis moraliter sufficientibus ad ostendendam talem voluntatem: & ita illa facultas non est tantùm præsumpta, sed data, quamuis fortasse non fuerit data per signa adeò expressa, sicut dari posset: quòd si hac ratione dicatur præsumpta, est quæstio de nomine; tamen, quia vox in rigore hoc non significat, & potest esse occasio erroris, ideò non est ita loquendum sine sufficiẽti declaratione. Quando autem indicia huius facultatis sint sufficientia, si alioqui non habent expressam significationem voluntatis superioris, est quidem difficile ad explicandum, & vix potest hoc admitti, nisi vbi consuetudo declarat tacitum superioris consensum, vt in superioribus declaratum est. Nam, si absque alia consuetudine curatus, v.g. videat alienum Sacerdotem suorum parochianorum confessiones audire, licèt taceat, non statim præsumitur sufficienter facultatem dare (quidquid Medina suprà dicat) quia fortasse tacet tolerando, quia non potest impedire sine rixa, siue aliis incommodis, vel quia putat talem Sacerdotem habere iurisdictionem ab Episcopo, seu ex alio priuilegio: nisi ergo alia indicia adiungantur, id satis non est: & præsertim quando potest pœnitens de voluntate sui pastoris certus fieri.

18. Quatuor casus explicantur. Ex his infero, in quatuor casibus primo loco positis non licere confiteri alieno sine licentia proprij. Nam, si Parochus discedat nullo Vicario relicto, ad Episcopum, vel Vicarium eius recurrendum est, vel ad Sacerdotes generaliter ab illis habentes iurisdictionem delegatam, vel ad priuilegiatos à Papa: quia sola Parochi absentia non dat facultatem: & moraliter loquendo, & iuxta communem vsum omnium, illud non est sufficiens signum talis voluntatis, nec consuetudine aliqua hoc est introductum, aut vllo iure fundari potest. Nunquam etiam superior priuatur iure suo propter negligentiam inferioris, argumento cap. 2. de Concessione præbendæ. In eo ergo casu ius deuoluitur ad Episcopum, & ab eo est petenda facultas. Neque est simile, quando parochianus, iter faciendo, absens est à parochia, tum quia consuetudo illi fauet; tum etiam, quia tunc propriè non datur illi facultas eligendi confessorem suo arbitrio, sed subiicitur proprio Sacerdoti illius loci, in quo inuenitur.

Primus.

Secundus. Atque idem est in secundo casu, quando Parochus moritur, vel repentè sensum amittit: nulla enim consuetudine introductum est, vt parochiani statim habeant hanc facultatem, nec ibi interuenit aliquod signum voluntatis dandi illam, vt per se patet. Idemq; censeo, si Parochus excommunicetur, aut suspendatur nominatim, ac publicè (anteà enim non est impeditus, præsertim respectu subditorum, post Extrauag. *Ad euitanda*, de qua posteà) nam eadem ratio in illo casu procedit: & Episcopi debent statim prouidere ouibus, quando Parochum iurisdictione priuant.

19. Tertius. Idem censeo in tertio casu, quia nolle audire subditum volentem confiteri, nullum signum est facultatis datæ ad confitendum aliis; quia potest Parochus velle alio tempore audire, seu differre confessionem. Item potest nihil cogitari de tali facultate, sed solùm nolle tunc illud onus subire. Et præterea, cùm possit subditus clarè petere talem facultatem, irrationabiliter vult tali præsumptione vti.

Quartus. Quæ ratio etiam in quarto casu procedit: nam, quamuis subditus habeat rationabilem causam, & hæc sit nota superiori, non propterea facit illi facultatem confitendi cui voluerit: quod enim ibi est signum talis voluntatis? aut in quo fundatur hæc consequutio? Maximè cùm possit in tali casu Parochus non dare hanc facultatem, sed vices suas alicui committere. Vnde, in exemplo ibi adducto falsum est licere fœminæ, quæ cum Parocho deliquit, statim eligere suo arbitrio confessorem absque alia licentia Parochi, vt rectè contra Richardum notauit Medina suprà, in propria quæstione de illo exemplo. Et ratio est eadem. Nam in primis, quamuis fœmina peccauerit cum Sacerdote, non statim fit ille inhabilis ad audiendam confessionem talis peccati, quia nullo iure positiuo hoc prohibitum est, nullibi enim extat: neque etiam est contra ius diuinum, aut naturale, quia potest esse emendatus, & potest ritè ac sanctè facere sacramentum. Deinde, si talis fœmina timeat periculum, &c. tunc nihilominùs debet petere facultatem, quia in hoc nullum est periculum. Quid autem facere debeat, si non concedatur, pertinet ad sequens punctum.

Medina.

## *Secunda conclusio.*

20. Nõ satis esse facultatem petitam, & non obtentam. D. Thom.

DIco ergo secundò, vt hoc sacramentum validè fiat, non satis esse hanc facultatem petitam, & non obtentam. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4. ad 5. & 6. vbi ait, in huiusmodi casibus ita se debere pœnitentem gerere, tanquam eum, qui non habet copiam confessoris, & Opusc. 19. ob hanc causam dicit, superiorem negantem iniustè hanc facultatem, & sibi, & subdito damnationem acquirere; sibi, quia peccat mortaliter; subdito, quia priuat illum vtilissimo remedio. Idem tenet Alens. 4. part. quæst. 77. memb. 3. art. 1. ad 1. Marsil. in 4 quæst. 12. art. 1. 4. part. illius, concl. 2. ad 4. & 5. contra illam. Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. Victoria in Summa, num. 145. Cano dict. Relect. part. 5. Ledesma 2. part. 4. quæst. 7. art. 5. dub. 1. & 2. Et probatur, quia sola petitio facultatis non satis est ad obtinendam iurisdictionem: quin potiùs hoc ipso quòd negatur facultas à proprio Sacerdote, euidens est ab illo non dari iurisdictionem, quandoquidem ex negatione constat non dare talem facultatem: nec voluntas debita, seu potiùs obligatio volendi, sufficit ad conferendam iurisdictionem, nisi voluntas adsit, vt per se notum est: quia aliud est debere, aliud facere, seu soluere.

Alens. Marsil. Soto. Victoria. Cano. Ledesm.

21. Rursus, negante facultatem proprio Sacerdote, non statim ipso iure, vel facto dat illam aliquis superior. Quia vel hoc est ex sola præsumptione, & hoc nullius momenti est, vt ex dictis patet, quia ibi nullum interuenit signum talis concessionis, nec aliqua consuetudo, vel quidpiam simile, quod ostendat in superiore talem voluntatem. Vel hoc est ex virtute alicuius iuris positiui: & hoc nullum est, vt ex dictis patet: nam si aliquod esset, esset maximè citatum cap. *Placuit*: illud autem non loquitur de hac re, vt ostendimus. Vel hoc est ex vi iuris diuini positiui dantis iurisdictionem omnibus Sacerdotibus, vel facultatem eligendi confessorem omnibus fidelibus, quandocunque cessat obligatio confitendi proprio Sacerdoti: & hoc etiam supponit falsum fundamentum, vt latè in superioribus tractatum est, quia Christus nullam talem facultatem concessit omnibus fidelibus: neque vllus Sacerdos potest habere hanc iurisdictionem delegatam, nisi mediante aliquo Sacerdote proprio. Vel denique quia hoc est ex vi iuris naturalis, supposita institutione, & hoc etiam est fictum, & sine fundamento. Nam, licèt aliquis iniustè priuetur re sibi debita, non statim ei conceditur ipso iure naturali. Item quia hæc iurisdictio ab aliquo danda est: non datur autem ab aliquo homine, vt ostensum est: dicere autem quòd detur à Christo, fictum ac voluntarium est: nam, licèt casu, vel iniuria desit necessarium remedium ad salutem institutum, non statim Christus ipse dispensat, vel prouidet aliud, vt si desit aqua ad Baptismum quantumuis necessarium, non statim dispensat

pensat Christus, vt sufficiat vinum. Sic ergo, si deest iurisdictio, & per aliquam ordinariam, & debitam viam non datur, non propterea statim immediatè datur ab ipso Christo propter vnius necessitatem, vel alterius iniuriam. Et confirmantur hæc omnia, quia generalis regula iuris est, vt nemo confiteatur alieno sine licentia proprij, in cap. *Omnis vtriusque sexus*: & in aliis iuribus solùm additur exceptio de articulo mortis, vt si in eo sit necessitas ministri alieni, confessio fieri possit cuilibet Sacerdoti: & hoc ipsum censemus à primis pastoribus Ecclesiæ concessum, & consuetudine, ac iure firmatum: ergo non licet nobis aliam exceptionem facere: præsertim quia, vt aiunt, exceptio firmat regulam in contrarium.

22. Alij quatuor casus exponuntur.

Ad casus ergo secundo loco positos primùm in genere dicendum est, peccare grauiter Sacerdotem proprium, qui in illis casibus facultatem negat: quod in primo, & secundo casu est manifestum, & in tertio meritò idem docuit Nauarrus in Summa, cap. 7. num. 8. & in dicto cap. *Placuit*, num. 150. Imò significat D. Thomas citatis locis, satis esse, vt pœnitens dicat se habere rationabilem causam petendi illam facultatem, vt pastor illam debeat concedere, ne illum exponat periculo maioris mali. Nec etiam debet eum cogere, vt causam in particulari explicet, quia vel potest ad ipsummet pastorem pertinere, vel potest ita esse coniuncta cum peccato, vt necesse sit illud explicare, ad quod non est cogendus pœnitens. Non tamen tenetur regulariter pastor hanc facultatem absolutam dare, sed potest aliquam, vel aliquas personas designare, prout prudenter expedire iudicauerit. Secundò dicendum est, quamuis Sacerdos iniustè neget hanc facultatem, non ideò esse liberum eligere alium, sed recurrendum esse ad superiorem: quòd si hoc etiam locum non habeat, differenda erit confessio, donec melior opportunitas occurrat, sibique per contritionem prouideat. Nec mirandum est, quòd ex iniuria, vel negligentia Prælati possit interdum subditus redigi in has angustias, quia hoc morale & humanum est, nec generalis prouidentia omnia hęc particularia incommoda euitat. Tertiò addo, hoc maximè procedere, quando confessio ita impeditur, vt vel nullo modo fieri possit, vel non rectè, & sine periculo animæ, vt in primo, & secundo casu. Si autem hoc periculum solum est in confessione vnius vel alterius peccati, tunc posset, vel deberet (iuxta occasionem, vel necessitatem occurrentem) confessio fieri eidem Parocho de aliis rebus, reseruando in tempus commodius illud, ex quo periculum nascitur, iuxta superiùs dicta de integritate. In tertio verò casu de verecundia, si non occurrat specialis obligatio confitendi, poterit pœnitens confessionem differre: si tamen velit confiteri, debet proprio, & integrè confiteri, &, si tempus obligationis occurrat, etiam tenetur; quia neque imprudentia confessoris, neque propria verecundia, si aliud incommodum non interueniat, sufficit ad excusandum à præcepti obseruatione. Et iuxta hæc iudicandum est de quocunque alio casu, in quo pœnitenti hæc facultas iniustè negatur: quod quarto loco proponebatur. Et hæc sufficiant de hac facultate.

Nauarr.

D. Thom.

## DISPVTATIO XXVIII.

### *De Sacerdote idoneo vt eligatur, seu illi iurisdictio hæc delegetur.*

QVAMVIS in quolibet Sacerdote ministrante hoc sacramentum necessarium sit, vt ad hoc munus peragendum sit idoneus, specialiter tamen hoc inquirimus de Sacerdote alieno, qui eligendus est in confessorem, vel cui est delegenda iurisdictio quocunque modo: quia omnis ille, qui ordinariam iurisdictionem habet in hoc foro, ratione sui muneris supponitur idoneus, & id quod sufficit, vt reputetur idoneus ad tale munus suscipiendum, sufficit etiam vt sit idoneus ad hoc sacramentum ministrandum. Quid autem necessarium sit in aliqua persona, vt idonea reputetur ad beneficium parochiale, vel pastorale munus in Ecclesia suscipiendum, alterius considerationis est: nam quod ad præsens spectat, satis est dicere; quidquid bonitatis, aut scientiæ in delegato requiritur, multò magis in ordinario pastore necessarium esse, & præter hoc nihil aliud in eo requiri ratione huius ministerij, licèt fortasse ad alias actiones pastoralis muneris aliquid aliud postuletur. Igitur ex duplici capite potest aliquid esse necessarium, vt Sacerdos sit idoneus minister. Primum ex natura talis iudicij, supposita institutione huius sacramenti: secundum ex speciali iure positiuo. Item in Sacerdote idoneo potest aliquid postulari, vel vt sacramentum sanctè fiat, vel vt ritè & validè fiat: & vtrumque horum, quatenus ex vtroque capite oriri potest, explicandum à nobis est.

## SECTIO I.

### *Vtrùm in Sacerdote requiratur bonitas, vt sit idoneus ad hoc ministerium.*

TRIA sunt, quæ in ministro huius sacramenti desiderari possunt, scilicet, potestas, bonitas, & scientia. Potestas non spectat ad præsentem quæstionem: nam hæc, aut est potestas naturalis, aut supernaturalis. Potestatem naturalem in præsenti necessariam voco posse audire, aut aliquo modo percipere confessionem alterius, posse item loqui, vt formam proferre valeat, posse ratione vti, vt iudicium ferre possit: de quibus omnibus nihil hîc speciale dicendum occurrit, præter ea, quæ de generali doctrina sacramentorum constant, suppositis, quæ de materia, & forma huius sacramenti suprà dicta sunt. Sicut etiam necesse non est hoc loco repetere, debere hanc personam eligendam esse distinctam ab eligente; quia hoc etiam notum est ex suprà dictis. Potestas autem supernaturalis esse potest, aut ordinis, aut iurisdictionis. De potestate ordinis iam suprà declaratum est, quo modo & necessaria sit ad hoc ministerium, & supponatur ad delegatam iurisdictionem: & exibi dictis euidenter constat, in facultate eligendi confessorem in primis requiri, vt qui eligendus est, sit Sacerdos. Vnde, si in absentia Sacerdotis quispiam eligeret laicum, cui prout posset confiteretur: talis electio non esset actus facultatis in superiori disputatione explicatæ, neque ordinaretur ad confessionem sacramentalem, & ideò neque ad illam esset necessaria superioris licentia, sed esset merè voluntaria. Et eadem ratione, si quis eligeret aliquem in confessorem bona fide, existimans illum esse Sacerdotem, cùm non sit, quamuis ex conscientia erronea vteretur prædicta facultate, tamen in re ipsa nihil faceret, & sic electus, sciens suum defectum, grauissimè peccaret, sic decipiendo alium, non solùm propter iniuriam, & nocumentum eius, sed maximè propter sacrilegium contra reuerentiam sacramenti, fictè illud ministrando, & vsurpando ministerium sibi non concessum. Potestas autem iurisdictionis, quamuis necessaria sit ad ipsum actuale ministerium huius sacramenti, tamen in Sacerdote idoneo, de quo nunc agimus, non prærequiritur, quia potiùs per ipsam electionem, seu delegationem hanc potestatem obtenturus est: solùm ergo requiritur in illo capacitas proxima ad hanc iurisdictionem accipiendam, quam habebit, stando in solo

1.

solo iure diuino, aut naturali, si cum potestate ordinis habuerit bonitatem, & sententiam requisitam; quia nihil aliud est, quod ex parte eius desiderari possit, vt patebit illas duas conditiones explicando.

2. Nulla bonitas requiritur in ministro, vt valide ministret.

Circa bonitatem igitur supponenda in primis est generalis doctrina sacramentorum, videlicet ex parte ministri, supposita potestate, nullam bonitatem requiri, vt validè ministret sacramentum, præter quandam fidelitatem (vt sic dicam) id est, quòd non fictè, sed ex vera intentione perficiendi sacramentum, illud ministret. Ad rectè autem, & sanctè ministrandum sacramentum necessariam esse bonitatem gratiæ, saltem in conscientia ministrantis, scilicet, vt non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet probabiliter se esse confessum, aut contritum. Vtrumque ergo in hoc etiam sacramento necessarium est ex parte ministri. Et primum quidem per se notum est. Secundum verò constat ex sanctitate huius iudicij, ad quod peragendum minister est specialiter consecratus: neque aliter potest illud perficere, quàm vt minister ex officio; quæ est regula & radix huius obligationis, supposita sanctitate sacramenti, vt in superiori tomo suo loco diximus.

3. Vbi obiter aduerto, cùm hoc sacramentum, ac ministerium eius inchoëtur in ipsa confessione pœnitentis, debere Sacerdotem ad totum illud ministerium accedere bene dispositum, & in statu gratiæ; quia totum illud est sacramenti opus: ac proinde malè facere Sacerdotem, qui in peccato mortali confessionem alterius audit, spe habendi contritionem priusquàm absoluat: nam & facilè potest se exponere periculo non habendi contritionem: &, quod caput est, in malo statu exercet magnam partem huius sacri ministerij. Vnde non dubito, quin hoc ex genere suo graue peccatum sit, in individuo autem id iudicandum erit iuxta circunstantias, & materiæ grauitatem. Nam si quis aliqua necessitate compulsus inciperet in eo statu confessionem audire bona fide, & animo habendi contritionem quamprimùm possit, antequàm absoluat, & in hoc posteà moralem diligentiam adhibeat, facilè credo posse excusari, saltem à culpa mortali. Imò aliqui addunt, si tanta sit necessitas pœnitentis, vt non possit confessor attendere ad propriam contritionem, vel dispositionem, vt illi citò subueniat, excusari posse à nouo peccato, etiamsi in statu peccati mortalis absolutionem tribuat: quod erit fortasse verum per accidens, & ex inaduertentia: tamen, si Sacerdos aduertat, nunquam id est moraliter admittendum; quia interior contritio breuissimo tempore haberi potest, adeò vt dum incipit proferri forma, perfici possit interior conuersio ad Deum, & sine magna difficultate adiungi possit cum externa actione: eò vel maximè quòd dum Sacerdos vocatur, & accedit ad pœnitentem, vel pœnitens ad ipsum, moraliter semper interuenit sufficiens mora, si aduertentia non desit.

---

*Prima conclusio.*

4. Quātùm ad valorem sacramēti non requiritur bonitas in Sacerdote.

EX his ergo infero primò, quantùm spectat ad substantiam, & valorem huius sacramenti, nullam specialem bonitatem requiri in Sacerdote, vt sit idoneus ad hoc, vt eligi, seu delegatam iurisdictionem accipere valeat. Patet, quia quod non est necessarium ad valorem sacramenti in vsu eius, non est etiam necessarium ad aptitudinem, vt sic dicam, seu capacitatem huius ministerij; sed bonitas ministri non est ita necessaria ad actuale ministerium huius sacramenti, vel iurisdictionis eius, vt pertineat ad substantiam, seu valorem eius: ergo neque erit necessaria ad substantialem idoneitatem Sacerdotis eligendi. Dicunt aliqui, saltem esse necessariam fidem ad hanc idoneitatem, quia sine illa non est aliquis capax iurisdictionis. Respondetur, falsum id esse: aliud enim est loqui de sacramento fidei, quod est Baptismus; aliud de ipsa fide: illud necessariò supponendum est, non tamen ratione fidei, sed ratione characteris: sed hoc iam includitur in ratione sacerdotij, quia non potest esse verus Sacerdos, nisi sit baptizatus. Fides autem simpliciter necessaria non est, quia ad conficienda alia sacramenta validè, non est necessaria, vt est de fide certum: ergo neque in hoc sacramento est necessaria, quantùm est ex vi potestatis ordinis. Sed neque ex parte iurisdictionis necessaria est: quia fides non est fundamentum iurisdictionis, vt suprà dixi: ergo Sacerdos carens fide est ita idoneus, vt si ei committatur iurisdictio, factum teneat: alioqui, si contingeret aliquem Sacerdotem esse hæreticum mentalem, electio illius, seu delegatio iurisdictionis nulla esset; & quantumuis intenderet absoluere, nihil faceret. Et idem consequenter sequeretur de Paroco, vel Episcopo: quod est satis absurdum. Dices, saltem requiri, vt aliquis non sit hæreticus, vel apostata exterior, & publicus. Respondeo, aliud esse loqui ex vi solius culpæ; aliud ratione censuræ Ecclesiasticæ ipso iure illi impositæ. Ratione culpæ (quod hîc nec maximè consideramus) non fit homo incapax huius iurisdictionis: nam, si fides interior non est fundamentum eius, culpa exterior non habet vnde ex se reddat incapacem illius; quia nec ex natura rei hoc sequitur, neque etiam de hoc ostendi potest aliquod diuinum ius.

Opinio quorundam reiicitur.

Obiectioni occurritur.

5. Secus verò est ratione Ecclesiasticæ censuræ: sed hoc non habet locum tantùm in peccato hæresis, sed etiam in quolibet peccato, quod habeat excommunicationem maiorem, vel suspensionem ab officio, vel ab ordine sacerdotali ipso iure annexam, vel de facto impositam. Vnde, si sub bonitate ministri includamus, quòd non sit ligatus his Ecclesiasticis censuris, hæc adhiberi potest vt substantialis conditio necessaria ad valorem actus ex parte Sacerdotis, vt in præsenti idoneus existat: quia hæ censuræ omninò priuant hominem vsu iurisdictionis necessariæ in hoc sacramento, & consequenter reddunt illum inhabilem ad nouam iurisdictionem recipiendam, vt suppono ex materia de Censuris. Ex qua etiam aduerto, hæc solùm habere locum in Sacerdote ita ligato aliqua ex his censuris, vt sit etiam publicè, ac nominatim denunciatus, iuxta Extrauag. *Ad euitanda*, quia anteà, quantumuis aliquis sit ipso facto excommunicatus, vel suspensus propter quodcunque crimen, non est omninò priuatus iurisdictione, neque incapax illius, si ei delegetur, vel si in confessorem eligatur: imò interdum licitè eligi poterit, vt in proprio loco latiùs dicemus. Huc etiam spectat quęcunque legitima prohibitio facta alicui Sacerdoti à suo superiore, ne confessiones audiat, etiamsi non sit per propriam censuram, seu suspensionem, sed solùm per simplex præceptum: hoc enim satis est, vt illi non liceat ministrare hoc sacramentum, & consequenter, vt non possit cum debita sanctitate id facere: ac proinde, vt aliis etiam non liceat, per se loquendo, illum inducere ad tale ministerium, quia esset illum ad malum prouocare. In hoc autem casu si prohibitio tollit, vel impedit iurisdictionem, æquiualet cuidam suspensioni: si autem non tollit iurisdictionem, non erit hæc conditio per se necessaria ad substantiam sacramenti, sed solùm vt rectè fiat: ex accidenti verò poterit esse contra substantiam sacramenti, si quis eligendo talem Sacerdotem, & confitendo illi, grauiter peccet; & ideò in actuali peccato accedat, quod in hoc sacramento impedit valorem eius.

Regu

*Regulariter aliquam bonitatem necessariam esse in Sacerdote. Secunda conclusio.*

6. SECVNDÒ infertur ex dictis, per se, ac regulariter loquendo, necessariam esse aliquam bonitatem, seu sanctitatem ex parte Sacerdotis, vt in præsenti sit ita idoneus, vt honestè, & sine culpa eligi valeat, aut ei iurisdictio delegari possit. Probatur ex contrario principio, quia conditio necessaria in ministro, vt licitè exerceat ministerium, est etiam per se necessaria, vt ab alio inducatur, aut eligatur licitè ad tale ministerium: quia eligere indignum ad aliquod ministerium, præsertim sacrum, valdè inordinatum est. Et propterea, per se loquendo, etiam est contra charitatem inducere aliquem ad opus, quod indignè, & cum peccato facturus est. Considerari autem hîc potest differentia inter hanc delegationem, prout fit quasi permanenter, & habitualiter, vt fieri solet quando ordinarius pastor alicui committit vices suas, vel prout fit ad vnum singularem actum, vt quando pœnitens hîc & nunc eligit Sacerdotem, & ab eo petit, vt confessionem audiat. Nam in priori modo, vt dignè fiat electio, seu delegatio, non satis est, vt pro eo tempore, vel momento Sacerdos existimetur esse in gratia; sed etiam oportet, vt moraliter sit bonæ famæ, & existimationis: quia alioqui neque est dignus tali ministerio, nec sine scandalo potest, moraliter loquendo, illi committi. Quãdo autem electio fit posteriori modo, satis erit, si hîc & nunc credatur Sacerdos esse bene dispositus ad sacramentum ministrãdum, quantumuis aliàs peccare soleat: quia hoc accidentarium est ad præsentem actum, seu electionem. Oportet autem in hoc etiam scandalum cauere, quod ex eo frequenter nascitur, quòd Sacerdos, qui publicè solet grauia peccata committere, hoc ministerium vsurpet, ratione cuius scandali etiam ipsi cõfessores possunt sæpe grauiter peccare, si post frequentia publica peccata hoc ministerium vsurpent sine emendatione, vel satisfactione, etiam publica. Dixi autẽ, *per se*, quia aliquando potest esse licitum, si necessitas vrgeat, aliquem in confessorem eligere, etiamsi in peccato administraturus sit: quia tunc hoc illi imputatur, non eligenti: de quo videnda sunt dicta de sacramentis in genere.

7. Obiectio. Dicet verò aliquis, bonitatem ministri in hoc sensu, non tantùm ad rectitudinem, sed etiam ad valorem præsentis actus esse necessariam: quia electio indigni, v. g. ad beneficium Ecclesiasticum, habens præsertim curam animarum annexam, non solùm illicita est, sed etiam inualida ipso iure: ergo multò magis electio, vel delegatio indigni confessoris erit inualida. Et declaratur maximè, si tanta sit improbitas, vt credatur administraturus sacramentum sine debita intentione: nam tũc sicut ille defectus in ipso ministerio est contra substantiam; ita eligere eum, de quo talis defectus moraliter timetur, faciet irritam electionem, seu collationem iurisdictionis. Respondetur, ex accidenti posse ob hoc impedimentum fieri sacramentum nullum, si ipsemet pœnitens in hoc ipso peccet, quòd huic indigno confitetur, & in illo actuali peccato perseuerans, cõfessionem facit: nam tunc deest materia necessaria, & ex hoc capite confessio est nulla; tamen per se ipsa electio, seu collatio iurisdictionis non est irrita ex hoc capite. Nam, si ex parte pœnitentis supponatur bona fides, & necessaria dispositio: & posteà in administratione sacramenti debita intentione talis confessor absoluat, factum tenebit, quidquid peccet ipse Sacerdos, vel qui ei iurisdictionem commisit. Ratio est, quia ad valorem huius actus sufficit voluntas efficax in delegante, & in alio capacitas, vt sic dicam, substantialis: hîc autem ex parte delegantis præcedit

Respõdetur obiectioni.

A prædicta voluntas, vt supponimus, quæ nullo iure diuino, aut Ecclesiastico irrita facta est: bonitas autem non est conditio substantialis, neque malitia illi contraria facit Sacerdotem incapacẽ iurisdictionis: ergo collatio talis iurisdictionis valida est, & similiter absolutio virtute illius data: de qua re videri potest Medina Cod. de Confess. quæst. de Confessione facta Sacerdoti prauo. Ad exemplum autem in contrarium adductum respondetur primò, antecedens esse incertum: secundò, si verũ est, collationem beneficij factam indigno esse nullam ipso iure, ex eo esse, quòd per aliquod ius positiuum irrita facta est: in præsenti autem nullum tale ius inuenitur, nec fuisset conueniens propter scrupulos, & dubia, quæ inde oriri poterant circa valorem huius sacramenti. Excipio tamen speciale ius Concilij Tridentini infrà declarandum. B

## SECTIO II.

*Vtrùm in Sacerdote requiratur scientia, vt sit idoneus ad hoc ministerium.*

1. SVPEREST dicendum de scientia necessaria idoneo confessori. In quo agere possumus vel de scientia necessaria, vt rectè, & iustè exerceat hoc munus, & consequenter vt licitè ei committatur hæc iurisdictio, seu in confessorem eligatur: vel de scientia necessaria ad valorem sacramenti, atque adeò vt Sacerdos sit substantialiter idoneus, vt sic dicam. Primum igitur, quòd aliqua scientia sit necessaria, vt aliquis sit dignus minister, certissimum C est: quia nullus potest licitè iudicium exercere in aliqua causa graui, neque ad hoc munus iustè deputari, aut eligi, nisi habeat scientiam proportionatam ad ferendum æquum iudicium, quia aliàs exponit se euidenti periculo errandi: ergo multò magis in hoc iudicio hoc est necessarium: nam est grauissimum, & de re valdè difficili, & obscura, scilicet, conscientia hominis, in qua etiam error esse potest maioris periculi, & incommodi. Atque in hoc conueniunt Doctores omnes in hac materia, præsertim Caietanus in Summa, verb. *Confessori necessaria*. Syluester verb. *Confessor*. 3. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 16. Nauarrus in Summa, cap. 4. & in cap. 1. §. *Caueat*, de Pœnit. dist. 6. Petrus Soto lect. 6. de Confessione. Richardus in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Adrianus quæst. 4. de Confess. dub. 7. & quodlib. 5. art. 2. Quanta verò D in particulari debeat esse hæc scientia, etiam explicatur à dictis Auctoribus: & multa in confessore requirunt, quæ breuiter ad hæc capita reducuntur.

Aliquã scientiã esse necessariam vt sit dignus minister.

Caietan. Syluest. D. Antonin. Nauarr. Perr. Soto. Richard. Gabr. Adrian.

2. Quę in confessore requirantur. Primum.

Primò, vt sciat discernere peccatũ, & an veniale sit, vel mortale: non quidem speculatiuè differentiam eorum cognoscendo, sed practicè, & quantùm ad an est, vt Caietanus dixit. Nec etiam oportet, vt in omnibus actibus malis exactè sciat discernere rationem peccati mortalis; nã in hoc viri doctissimi laborant: sed satis est, vt communi & ordinario modo de his valeat ferre iudicium. Atque idem est de speciebus peccatorum, & circũstantiis necessariis, & in vniuersum de omnibus, quæ per se spectant ad integritatem cõfessionis. Nam, sine eorum notitia non potest vti, prout debet, clauc scientiæ causam examinando, seu cognoscendo quantũ necesse est, vt de illa ferat iudicium. Secũdò, eadem E ratione necesse est, vt sciat quid necessariũ sit vt pœnitens sit sufficiẽter dispositus ad absolutionẽ, tam ex parte doloris, quàm ex parte propositi; quia aliàs non potest scire an iustè absoluat, nécne. Quapropter non solùm necesse est, vt sciat quæ sint de substantia huius sacramẽti, sed etiam quæ sint necessaria, vt pœnitẽs sit dignus absolutione, siue hæc in illis includantur, siue non (hoc enim in opinione versatur) quia non solùm

Secundum.

tenetur

tenetur ferre sententiam validam, sed iustã: nec solùm debet facere sacramentũ validum; sed etiãm nõ dare sanctum canibus. Et ob hanc causam oportet, vt sciat cognoscere statum conscientiæ pœnitentis, & an sit in proxima occasione peccandi, & similia.

3 Tertium. Tertiò, hinc consequenter necessarium est, vt sciat quando ex peccato oriatur obligatio restituendi, vel alia similis: quia oportet vt monera pœnitentẽ, & ab illo debitam satisfactionem, vel saltem propositum eius requirat. Quartum. Quartò, scire debet casus reseruatos, vt sciat quid possit absoluere, quid verò non possit: hoc autem onere maxima ex parte liberati sunt, qui habẽt Quintum. maiorem potestatẽ. Quintò, scire oportet excommunicationes, quæ ipso facto incurrunt: tum quia non potest absoluere à peccato, nisi priùs absoluat ab excommunicatione: tum etiam quia oportet vt sciat admonere pœnitentem de iis, quæ illi necessaria sunt vt ab excommunicatione absoluatur. Aduertit autem Caiet. Caietanus, non esse idem de irregularitate: quia, illa manent, potest aliquis è peccatis absolui, & ideo eius cognitio non ita necessaria est ad officium confessoris. Nauar. Hoc autem Nauarrus limitat dict.c.4.n.8.& dict. §. *Caueat*, n.27. nisi confessor clericorum confessiones audiat: tunc enim oportet vt admoneat pœnitentem, si fortè irregularis sit, quomodo in administratione sui muneris vel ordinis se gerere debeat. Quod quidem per se loquendo, verum videtur, nisi fortasse pœnitens sit ita doctus, vt possit confessor hanc curam illi committere, vt Caietanus etiam notauit, & ex dicendis amplius patebit.

4 Sextum. Sextò, addendum est ex sententia omnium, quos citaui, non semper oportere, vt confessor per seipsum possit hæc omnia discernere; sed satis esse vt intelligat ea, quæ frequentiùs accidunt; & de aliis dubitare sciat; quia hoc satis est vt iustè & dignè suo munere fungatur, ad quẽ finem tota hæc obligatio ordinatur: nam si dubitat, potest legendo, vel alios consulendo, semper in particulari scire quod oportuerit: nec possumus maiorem obligationẽ imponere; aliàs vix aliquis erit, qui possit confessiones audire. Septimum. Septimò, habenda est ratio locorum, & personarum, multò enim maior scientia requiritur in vno loco, quàm in alio, & Nauar. respectu vnius personæ, quàm alterius. Nauar.d.c.4. Cõc.Basiliẽ. n.4.& c.25.n.138.& sumitur à simili ex Concilio Basilien. sess.31. Vnde etiam fit, multò aliter loquendũ esse de illo, qui ex officio expositus est ad audiendas omniũ confessiones, quàm de illo qui discernit personas, & non omnium confessiones audit: ille enim, quia ex se expositus est ad iudicandum de quibuscunque peccatis, & obligationibus, maiori scientia indiget, quàm alius, qui tantùm audit confessiones eorum, quos probabiliter credit non habere casus, qui multam scientiam requirant.

5 Potest confessor docti pœnitentis scientia iuuari. Addit etiam Caiet. faciliùs posse aliquem audire hominem doctum, & illius scientia iuuari: quod Nauarro non placet, sed immeritò: quia confessor potest, & debet fidem adhibere pœnitẽti se accusanti, & excusanti: & ideò, si est homo doctus, potest iudicio eius Nauarrus reiicitur. stare, & ab illo instrui non minùs quàm ab alio. Quocirca in hoc negotio de scientia confessoris, potissimùm est attendendũ in particulari quando huius, vel illius confessionẽ audit, vt scientiam habeat, quæ respectu huius personæ sufficiens iudicatur, moraliter loquendo: & si hoc in singulis confessionibus obseruet, erit securus in conscientia, quantũ ad hoc munus audiendi confessiones attinet: præsertim quando aliquis non assumit specialẽ obligationem, qua ex officio sacramentũ hoc ministrare teneatur: quãdo enim hanc assumit, oportet vt habeat scientiam suo muneri proportionatã, vt est in Episcopis, Parochis, & Ecclesiæ pastoribus. Octauum. Vltimò his adiungi potest, etiã prudentiam necessariam esse in sacerdote, vt sit idoneus minister huius sacramenti, & quatenus iudex est, & maximè quatenus est medicus, qui conuenientem medicinam peccatis adhibere debet, vt expresè traditur in c. *Omnis vtriusque sexus*: & latè declarat Anton. Anton.dict.c.16.& Caiet. suprà. Caiet. In rigore verò illa prudentia sufficit, per quam debito modo applicentur principia scientiæ, & ad disponendum pœnitentem, vt pro præsentibus peccatis satisfaciat, & ad remedium adhibendum, ne in similia iterum incidat.

---

## *Peccat sacerdos, qui sine sufficienti scientia confessiones audit.*

6 EX his sequitur primò, peccare grauiter sacerdotem, qui sciẽter se ingerit huic ministerio absque sufficiente scientia. Quod docent omnes Auctores citati: & est euidens, quia intrinsecè malum est suscipere aliquod iustitiæ munus sine sufficiente scientia ad illud iustè ministrandum. Sylueſter autem, & plerique alij excipiunt casũ extremæ necessitatis: nã tunc Sylueſt. quilibet sacerdos, quantumuis ignarus, licitè absoluit. Et alij addunt casum, in quo captiui inter infideles nõ habent sacerdotẽ, cui confiteãtur, nisi valdè ignorantem: qui casus in re non est diuersus à præcedenti, quia illa necessitas moraliter est extrema, & reputatur tanquàm periculum mortis, cùm ante mortẽ non speretur alius sacerdos magis idoneus: nec potest in eo statu esse securitas habendi copiã etiam illius cõfessoris, superueniẽte mortis necessitate. Obiici verò Obiectio contra hanc exceptionem potest, quia quod est intrinsecè malum, nunquàm licet. Respondetur, scientiam proportionatam accusationi necessariæ, & iudicio de illa ferendo, semper & sine vlla exceptione requiri, vt obiectio probat; tamen in mortis articulo, seu periculo quælibet confessio cuiuslibet peccati sufficit, quando aliter fieri non potest: & ideò etiam sufficit quæcunque satisfactio, vel dispositio necessaria ad iustitiam consequendam: & eadem ratione sacerdos, qui aliàs, per se loquendo, esset ignorans, pro illo articulo censetur sufficienter instructus, dummodò sciat absoluere, & materiã aliquam, quæcunque illa sit cognoscere, & dispositionem sufficientem ad absoluendum postulare, aut ex signis percipere: nam harũ rerum cognitio nunquàm potest non esse necessaria illa verò sufficit, vt in ea occasione iusta sententia proferatur. Vnde etiã consequenter intelligitur, vt sacerdos Quãdo peccet sacerdos. circa hanc materiam peccet, non esse considerandam scientiam eius absolutè, sed respectiuè, iuxta munus confitẽdi quod assumit; non enim hoc semper æquale est, & ideò neque æqualem scientiam postulat: ideòque tunc solùm peccatur in hoc genere, quando iuxta eam partem huius muneris, cui aliquis se exponit, nõ habet proportionatã scientiam. Plus enim requiritur ad exercendum hoc munus ordinariè, & quasi ex officio, quàm ad vnũ, vel alium actũ exercendũ, & plus circa vnam personam, quàm circa aliã, & sic de aliis.

7 Dubium deciditur. Anton. Sylueſt. Nauar. Solet autem hîc specialiter quæri, an faciliùs excusetur ab hac culpa sacerdos, qui ex obedientia suscipit hoc munus sine sufficienti scientia, quàm qui ex propria voluntate. Antonin. enim, & Sylueſt. affirmandum putant. Melius autem docet Nauarrus hanc differentiam esse valdè extrinsecam & accidentariam, quod ad præsens attinet: quia non potest charitas, vel obedientia efficere, vt aliquis licitè confessiones audiat sine sufficienti scientia, ad iustè & dignè exercendum hoc munus: nec verò in eo, qui sua sponte illud subit, maior quàm sufficiens scientia necessaria est: solùm potest obedientia efficere, vt aliquis sui superioris iudicio, depositis scrupulis & dubiis, licitè se subdat,

subdat,& credat superiori dicenti se esse idoneum ad hoc sacramentum ministrandum,quando euidentissimè aliud non constat. Et hoc etiam efficere potest in secularibus sacerdotibus, qui sua sponte hoc munus assumunt, Episcopi approbatio bona fide facta; nam ille etiam est superior, & possunt stare iudicio eius,quando contrarium euidenter non constat.

8 Qui iurisdictionē ignoranti committit, peccat.

Secundò sequitur ex dictis, grauiter peccare Episcopum,vel superiorē,qui alicui sacerdoti iurisdictionem in hoc foro committit,qui non habet scientiam proportionatam huic muneri.In quo etiam Doctores conueniunt,quia hoc etiam repugnat iustitiæ & sanctitati sacramenti, & quia in vniuersum intrinsecè malum est indigno committere quodlibet munus, præsertim iustitiæ,& sacrum.Hoc autem,vt dixi;cum eadem proportione locorum ac personarum intelligendum est, atque ita difficultatem non habet. Ac propterea Concilia etiam in beneficiorum collationibus maiorem scientiam requirunt in eo, qui maiori populo præficiendus est,quàm qui minori.

9 Pœnitens eligens confessorē ignorantem peccat.

Tertiò eadem proportione sequitur,pœnitentem habentem facultatem ad eligendum confessorē,grauiter peccare eligendo confessorem ignorantē respectu ipsius. Patet eadem ratione,quia eligit indignum, & alium iuducit ad id,quod non potest licitè facere, & suæ conscientiæ non sufficiēter prouidet. Hoc autem intelligendum est per se:nam, si bona fide illum eligat, quem putat esse sufficientem: quia est communiter expositus & approbatus,facilè poterit à culpa excusari.Non tamen satis erit illa exterior approbatio,& expositio, si alioqui pœnitenti moraliter cōstet scientiam illius sacerdotis respectu conscientiæ suæ non esse sufficientem, quia veritas præferenda est præsumptioni. Quin potiùs, etsi talis sacerdos ignorans,proprius Parochus sit, non potest licitè illi confiteri, sed debet ab illo licentiā ad eligendū aliū postulare,vel aliter sibi prouidere iuxta superius dicta.

10 Sit-ne scientia ministri de substātia sacramenti.

Tandem ex dictis concluditur, scientiam proportionatam huic muneri necessariam esse in sacerdote vt sit idoneus,saltem vt delegatio huius iurisdictionis licitè fiat.Superest verò declarandum;an hæc conditio sit etiam de substantia & valore huius muneris. Quod est quærere,an ignorantia reddat sacerdotem prorsus inhabilem,ita vt absolutio ab eo data nullius momenti sit. In quo omnes conueniunt, si ignorantia tanta sit, vt nesciat etiam absolutionem proferre, vel cognoscere regulariter moralem actum etiam sub communi ratione peccati mortalis, aut venialis, secundùm generalem eorum rationem, ac distinctionem,reddere actum nullum:quia talis homo non potest humano modo exercere hoc ministerium : vnde potiùs illa posset dici impotentia quædam, quam ignorantia:quia ille homo non potest intendere verba absolutionis proferre, nec causam seu conscientiam examinare. Tamen,quia hoc genus ignorantiæ rarissimum est, & ferè impossibile in eo,qui ratione vtitur, & in Ecclesia versatur, vultque confessionē audire, & quid nomine confessionis significetur,intelligit,ideò de hac ignorantia non controuertitur, nec ratione illius dicitur cōfessio aliquādo esse nulla.

11 Difficultas de ignorantia mortalis & venialis peccati.

Difficultas ergo est, quando ignorantia est de distinctione peccatorum in ratione venialis,& mortalis,aut in aliis circunstantiis,aut rebus omninò necessariis. Et in hoc sensu multi Auctores existimare videtur talē ignorantiā esse contra substantiam sacramenti,& consequenter scientiā oppositam esse conditionē substantialē, vt sacerdos reputetur idoneus seu habilis ad hoc ministerium. Hoc sentiunt omnes Auctores,qui dicunt confessionem esse iterandam ob talem ignorantiam confessoris, Richard. Antonin. Syluester, & alij,quos suprà citaui agens de integritate. Et potest fundari, quia de substantia confessionis est,nō solùm dicere peccatum, sed etiam tale,vel tale peccatum,ergo de substantia ministri est,non solùm posse audire & percipere peccatum: sed etiam quòd sit tale,vel tale:non potest autem hoc percipere qui nō habet scientiā,sub scientia comprehēdēdo non tantùm propriā scientiam,sed etiam quodcunq; admiuiculum, vel auxilium ad comparandum talem notitiam siue per consilium aliorum,siue per instructionem ipsiusmet pœnitentis: iuxta superiùs dicta.

Richard. Anton. Sylvest.

## ASSERTIO.

12

ALIORVM verò opinio, ac probabilior est, talem scientiam non esse de substantiali idoneitate ministri,propriè ac per se loquendo.Declaratur: nam diximus pœnitentem teneri ad non eligendum confessorem sibi ignorantem,& per se loquēdo,peccare grauiter si id faciat; ex quo statim consequitur confessionem cum illa conscientia factam esse nullam: sed quod ad præsens pertinet,illud est per accidens,quia non est nulla ex defectu ministri,sed ex defectu materiæ.Oportet ergo supponere bonā fidem, & sufficientē dispositionem,ac confessionem ex parte pœnitentis:& tunc dico absolutionem datam à sacerdote sic ignorante non esse nullam. Quod planè sentiunt Gabr. Adrian. Medina,& alij,quos dicto loco citaui.Et probatur,quia ibi ex parte pœnitentis interuenit integra confessio, & ex parte sacerdotis interuenit aliqua cognitio,& perceptio illius, quæ licèt non sit exacta; tamen est sufficiens vt cognoscat illā esse sufficientem materiam huius sacramenti: ergo, si super talem materiam cadat vera forma cum intentione perficiendi sacramentum,validum fiet, quia nihil substantiale illi deest: imò & efficax erit ac formatum:quia supponimus pœnitentem esse conuenienter dispositum cum bona fide.

Gabriel. Adrian. Medin.

13 Occurritur obiectione.

Nec dici potest, quòd ibi desit iurisdictio: quia supponimus superiorem voluisse huic sacerdoti iurisdictionem delegare, quæ voluntas non est conditionata,sed absoluta:ergo habet effectum,& confert iurisdictionem.Neque enim vllo iure constat,illā scientiam esse conditionem necessariam simpliciter,vt sacerdos sit capax iurisdictionis. Quin potiùs omnes supponunt non solùm delegatam, sed etiam ordinariam habere posse:nam quando proprius sacerdos est ignorans, quanuis per se non possit hoc iudiciū exercere,potest iurisdictionē suam alteri delegare,& cùm primùm depulerit illam ignorātiam, vel alicuius ope vsus fuerit ad supplēdum defectum scientiæ,iam poterit per se absoluere; idémque est in delegato: ergo signum est habere iurisdictionem.Denique hæc scientia necessaria in confessore non est vna & eadem respectu omnium peccatorum, & ideò non potest esse conditio simpliciter necessaria ad capacitatem iurisdictionis,quia iurisdictio absolutè datur,& non quasi respectiuè ad ea tantùm peccata, ad quæ confessor habet scientiam conditionatam:nam esset hoc valdè periculosum ac nociuum: datur ergo absoluta iurisdictio,quanuis ad conscientiam & prudentiam sacerdotis spectet non vti illa nisi iuxta capacitatem suæ scientiæ,vel alia via supplendo defectum eius; si tamen in hoc excedat & peccet, nihilominus sacramētum validum erit, quia nihil substantiale deest: sola enim culpa ministri non est contra substantiam sacramenti, iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sess.14. cap.5.& can.10.

14 Quorundā opinio.

Dicunt verò aliqui, quanuis in eo casu sit validum sacramētum, nihilominùs,si posteà constiterit pœnitenti sacerdotem non intellexisse talia peccata non esse

esse mortalia, sed illa existimasse vt venialia, teneri ad confitendum iterum talia peccata, quia fuêre quasi oblita, vel sine culpa prætermissa in tali confessione, quia perinde est peccatum non percipi à confessore, ac non dici à pœnitente. Et confirmatur: nam, si sacerdos tunc dormitasset, aut fuisset ita distractus, vt non perciperet quod pœnitens dicebat, & hoc posteà constaret pœnitenti, sine dubio teneretur peccatum illud iterum confiteri; ergo similiter in præsenti.

Reiicitur. Sed hoc etiã nimis rigorosum suprà existimaui: & ideò non censeo hoc onus esse pœnitentibus imponendum, quia nullum est ius, ex quo sufficienter colligatur, nec ratio conueniens. Primum pater, quia ille pœnitens verè & in rigore confessus est talia peccata, & declarauit (vt sic dicam) integrũ factum vniuscuiusque peccati, & illud etiam, vt supponimus, percepit confessor quantùm ad factum, licèt ignorauerit ius necessarium ad cognoscendam culpæ grauitatem: ergo ille pœnitens impleuit ad literam præceptum declaratum in c. *Omnis vtriusque sexus*, de confitendis omnibus peccatis: ergo ex vi illius non tenetur iterum illa peccata confiteri: præter hoc autem nullum est ius, ex quo obligetur.

15 Ratio etiam nulla vrget, quia substantia confessionis saluatur per hoc, quòd & pœnitens dicit, & sacerdos percipit totum illud factum sub ratione talis culpæ, & vtrumque seruatur in prædicto casu. Et ideò nõ est simile quod affertur de sacerdote distracto, aut dormiente: quia tunc nec factum percipit, ac perinde se habet ac surdus: percipere autem grauitatẽ peccati, quantùm ex scientia iuris pendet, licèt sit necessarium ad iustitiã huius iudicij, tamen non videtur esse simpliciter de substantia, ita vt ob eam causam non censeatur tale peccatũ per se & simpliciter remissum per talẽ absolutionem: nam licèt fortasse ob eam rem sententia fuerit iniusta, vel iniustè lata, non propterea fuit nulla; Si autem tale peccatum per illam absolutionem fuit per se & simpliciter remissum, non est vnde maneat obligatio illud iterum confitendi.

16 Et confirmatur, quia si quis in articulo mortis cõfiteatur sacerdoti sic ignoranti, sciens ignorantiam eius, quia non habet doctiorem cui cõfiteatur; & ipse licitè facit, & alter licitè absoluit, si vterque, scilicet pœnitens, & cõfessor, pro tunc faciat quòd potest: & hoc satis est, vt non teneatur iterum cõfiteri talia peccata: ergo idem est in quocunque alia confessione simili, licitè & bona fide facta, etiam extra illum necessitatis articulum. Sylueſt. Minor admitti videtur à Syluestro, & aliis: & potest probari, quia in eo articulo tenetur pœnitens omnia illa peccata confiteri tali sacerdoti, eorúmque notitiã dare quãtùm est capax. & ipse potest: ergo ea confitendo, satisfacit suæ obligationi: nõ est ergo cogẽdus ea iterum confiteri. Prima verò cõsequentia probatur, quia si illa confessio peccatorum non esset per se sufficiens, etiam facta in articulo mortis, esset posteà iteranda quantùm ad illa peccata: si ergo non est iteranda, ideò est, quia illa sufficit, vt talia peccata directè, ac per se per absolutionem tollantur: ergo etiam extra illum articulum cõfessio est sufficiens ad effectum: ergo ex vi illius tollitur obligatio confitendi iterum illa peccata.

17 Confirmatur tandem, quia iuxta probabilem multorum Doctorum sententiam, quanuis pœnitens cõfiteatur aliquod peccatum vt veniale, quod verè est mortale, & confessor in eadem sit ignorantia; nõ tenetur posteà pœnitens iterum cõfiteri tale peccatum, Cordub. vt ex multorum sententia, quos refert: tradit Corduba in Summa, quæst. 9. & rationem reddit, quia non est de necessitate, & valore huius sacramenti, vt sacerdos, & pœnitens cognoscant totam grauitatem Victoria. culpæ. Victoria etiam in Summa, num. 155. concedit, quando confessor scit discernere in communibus peccatis, an sint mortalia, nécne, quanuis aliqua minùs communia ignoret, & apprehendat vt venialia, cùm sint mortalia, non esse scrupulum iniiciendum pœnitenti, vt teneatur hęc iterum confiteri: ergò idem est dicendum de omnibus: nam per se omnia æquè sunt de necessitate confessionis: ergo, si ille modus confessionis est sufficiens in extraordinariis peccatis, ita vt, licèt pœnitens posteà cognoscat ignorantiem confessoris, & grauitatem sui peccati, nõ teneatur illud iterum confiteri; etiam in quibuscunque aliis peccatis erit sufficiens: nam quod attinet ad integritatem confessionis, & æquitatem iudicij, eadem est ratio de omnibus: obligare autem pœnitentes ad hãc iterationẽ in omnibus peccatis, esset sine dubio valdè onerosum, & scrupulosum sine sufficienti fundamento, quia sæpissimè accidit hæc ignorantia in cõfessionibus, & posteà detegitur cognita meliùs persona confessoris. Imò etiam sequeretur, quoties sacerdos non intellexit circunstantias mutare speciem, etiamsi pœnitens illas sufficienter declaret, posteà cognita ignorantia sacerdotis à pœnitente, teneri ea iterum confiteri, quia etiam est de necessitate confessionis has circunstantias confiteri; ergo & quòd confessor eas intelligat: vel ergo hæc consecutio valida non est, vel multa sunt admittenda absurda, & quæ onerosam reddunt confessionem. Dicta ergo illatio valida profectò non est, vt ostendimus: & ita satisfactum est fundamento contrariæ sententiæ.

18 Aduertendum. Nauar. Solùm aduerto, quando pœnitens discretus & prudens in ipsa confessione intelligit confessorem non percepisse grauitatem mortalem suæ culpæ, quod sæpe coniectare poterit, vt notauit Nauarr. in Summa, capite nono, numero nono, ex pœnitentia iniuncta, aut ex aliis signis & verbis clarioribus; tunc debere apertè declarare suam culpam fuisse mortalem, quia tenetur facere, quod in se est, vt sacerdos hoc intelligat, & iustè iudicet. Extra hunc verò, aut similem casum nõ tenetur pœnitens explicare quasi in actu signato suam culpam esse mortalem, sed satis est speciem eius, & materiam, ac quantitatem eius, si magna sit, declarare: nam per hoc quasi in actu exercito satis explicat suam culpam esse mortalem: nec tenetur, per se loquendo, ampliùs instruere confessorem, aut præsumere illum esse adeò ignorantem, vt id non intelligat. Ex quibus omnibus tandem concludo cum Nauarro dicto capite non. numer. 12. & sumitur ex eodem capite quarto, numero duodecimo, & sequentibus, in duobus tantùm casibus teneri pœnitentem, moraliter loquendo, ad iterandam confessionem ob imperitiam confessoris, quando nouit illum esse ita imperitum, vt suam conscientiam diiudicare non sufficeret, & nihilominùs illis confessus est: vel quãdo in ipsa confessione intellexit sufficienter confessorem nõ percipere grauitatem delicti, & nihilominùs simpliciter, & sine ampliori instructione confessus est.

## SECTIO II.

### *Vtrùm ex iure antiquo esset aliqua alia conditio necessaria in sacerdote, vt esset idoneus iudex delegatus in hoc foro.*

1 DVos modos huius delegationis suprà distinximus, scilicet directè factam ipsi confessori, vel media facultate data pœnitẽti ad eligendũ cõfessorẽ: & vtranq; fieri posse, vel à summo Põtifice, vel ab Episcopo, vel à Parocho. Vt ergo Pontifex, aut Episcopus delegarent hanc iurisdictionẽ alicui sacerdoti directè,

directè, & per priuilegium seu gratiam illi cõcessam, nulla alia conditio in eo requirebatur ex vi iuris antiqui, præter eas, quæ ex natura rei in eo sunt necessariæ, vt sit dignus & idoneus ad hoc ministeriũ. Quod est certum, quia nec in iure habetur talis cõditio, nec ex cõsuetudine, nec facile excogitari potest: quia nec requirebatur in tali persona prior iurisdictio: nã poterant, sicut & nũc possunt Papa & Episcopi, delegare hanc iurisdictionem simplicibus sacerdotibus: neque etiã requirebatur alia prior approbatio: nam ipsi poterant immediatè approbare. Atque hoc maximè cõstare potest in priuilegiis, seu facultatibus personalibus ac particularibus. Nam de priuilegiis concessis à Põtificibus in communi, v.g. aliquibus religionibus, dubitari potest, an requirerent approbationẽ Episcopi, non quidem quia Papa non posset aliter illa concedere: nam oppositum certum est, vt ex superioribus constat: sed quia de facto, & secundùm commune ius non aliter eã concedebãt. Et de hac re, quid diuersis temporibus seruatũ fuerit, dicemus sectione sequẽte.

a Difficultas. Difficultas ergo supereſt primùm de Parocho delegante suam iurisdictionem alicui sacerdoti, deinde de quolibet pœnitente habente generalem facultatẽ eligendi confessorem idoneum, an secundùm commune ius antiquum postularetur aliqua conditio in sacerdote, vt reputaretur idoneus. Et in hoc fuit quorundam opinio, etiam in iure antiquo fuisse necessariam alteruttam ex duabus conditionibus, scilicet, vel quòd haberet in Ecclesia aliquam iurisdictionẽ ordinariam in hoc foro, vel quòd esset ab Episcopo approbatus tamquàm idoneus. Prior conditio non est ita intelligenda, vt oporteret talem confessorẽ habere iurisdictionẽ ordinariã in ipsum pœnitentẽ, alioqui esset impertinens delegatio: sed intelligenda est absolutè, quod talis sacerdos haberet iurisdictionem ordinariam circa aliquem populum. Loquimur autem de iurisdictione ordinaria, prout iure communi haberi solet in Ecclesia per beneficia Ecclesiastica, vt excludamus nunc superiores religionum, qui etiam habent iurisdictionem ordinariam: tamen de illa non loquũtur Auctores in præsenti, quia est ex priuilegio, & quasi extraordinaria: de illa verò aliquid attingemus sectione sequenti.

Quorundã opinio.

3 Iuxta hanc ergo declarationem poterat vnus Parochus iuxta antiquum ius delegare suam iurisdictionem alteri Parocho, & qui habebat facultatem eligẽdi confessorem, poterat quemcunque Parochum non suum eligere, & hoc semper fuit indubitatum in Ecclesia, cuius rationem, & maiorem expositionem attingemus sectione sequente. Addit ergo hæc opinio, simplicem sacerdotem non potuisse tunc eligi, nisi esset ab Episcopo approbatus. Ita tenuit Glossa in c. *Omnis vtriusque sexus*, verb. *Alieno*, & Glossa in Clem. 1. de Priu. verb. *Speciali*, quã omnes interpretes ibi esse secutos vsque ad Panormitanũ excluſiuè, ait Nauarrus infrà citandus, qui etiam refert Capellam Tolosanam decis. 221. Idem secutus est Cano Relect. de Pœnit. p. 5. & indicat Ruardus art. 3. quatenus cum Henrico quodlib. 10. q. 4. dicit, esse contra rationem, & contra bonum Ecclesiæ committere pœnitentibus, præsertim idiotis, iudicium idonei confessoris. Atque hinc sumitur ratio huius sententiæ, quia facultas hæc quãdo generatim datur, intelligi debet conuenienti modo, & absque detrimento fidelium, & morali periculo committẽdi sacrilegia in administratione huius sacramenti: ergo ita semper intelligi debuit, vt esset necessaria aliqua approbatio publica, qualis solùm esse potest, aut per susceptam animarum curam, aut per Episcopi approbationem. Atque hoc confirmant decreta antiqua, quæ dicunt, non posse presbyterum reconciliare pœnitentem sine licentia Episcopi, vt expressè habetur in Conc. Hispal. 2. c. 7. & apud Damasum epist. 4.

Nauar. Cano. Ruard, Henric.

Opposita sententia communis est, quam tenet Palud. in 4. d. 17. q. 4. n. 17. & 18. & ibi Gab. quæst. 2. art. 3. dub. 5. Adrian. post quæst. 5. de confess. dub. 1. Caietanus in Summa, verb. *Absolutio*. Sylvest. verb. *Confessor*. 1. q. 5. Angel. verb. *Confessio*. 3. nu. 4. Anton. 3. par. tit. 17. c. 9. Soto d. 18. q. 4. art. 3. circa fin. Medina Cod. de Confessione, q. de Sacerdote alieno per Parochum eligẽdo, Victoria in Summ. n. 150. & Nauar. in c. *Placuit*, de Pœnitentia. d. 6. n. 49. & sequẽtibus, vbi in eandẽ sententiã refert Panormitanũ in Clem. 1. de Priuilegiis, cũ aliis. Et hãc sententiã veram existimo. 4 Palud. Gabr. Adria. Sylvest. Angel. Anton. Sotus. Medin. Victor. Nauar.

5 Prima conclusio. Dico ergo primò, Parochus ante Concilium Tridentinum ex vi iuris communis poterat & validè, & licitè suam iurisdictionem committere cuicunque sacerdoti, qui secundùm naturale seu diuinum ius idoneus esset ad hoc sacramentum ministrãdum, etiamsi aliam iurisdictionem vel Episcopi approbationem non haberet. Probatur, quia in delegante erat potestas, quia hęc conuenit illi ex vi ordinariæ iurisdictionis; & hæc non erat ligata aut impedita, vt supponimus: quia ex parte ipsius Parochi nullum erat ius positiuum prohibẽs illi delegationem, imò neque nunc est, vt infrà videbimus. Rursus ex parte alterius extremi in sacerdote erat capacitas; & nullum etiam erat ius specialiter requirens in illo alterutram ex dictis conditionibus, quia neque in Concilio, aut Pontificio decreto ostendi poterit: neque etiam ex natura rei sequitur: nam cui committebantur oues tanquàm ordinario Pastori, etiam poterat committi cura assumendi dignum & sufficientem coadiutorem: & ideò quandiu hoc non prohibebatur, censebatur commissum ergo. Atque hoc modo posset responderi ad illos antiquos canones, negantes posse sacerdotes reconciliare pœnitentes sine licentia Episcopi: nam qui à Parocho habet licentiam, mediatè saltem censetur habere ad Episcopo, quandiu id non prohibet. Quanuis fortasse illi canones loquantur, vel de reconciliatione, quæ fiebat de publicis pœnitentibus, vel de eo tempore, quo Episcopi erant quasi immediati pastores suarum diœcesum, absque diuisione parochiarum per propria beneficia. Semper tamen subintelligenda est conditio, dummodò talis sacerdos non sit specialiter suspensus, vel prohibitus ab Episcopo: nam hæc ipsa conditio in iure diuino aut naturali fundata est, vt in sectione præcedenti est declaratum: & ideo in ipso etiam Episcopo respectu summi Pontificis est necessaria. Imò & in generali concessione summi Pontificis idem subintelligitur, vt ex eodem principio constat.

6 Secunda cõclusio. Dico secundò, stãdo in iure antiquo, per generalem facultatem datam ad eligendum confessorem, eligi poterat quilibet sacerdos iure diuino idoneus, absque alia cõditione, aut approbatione iure humano requisita. Probatur eodem fundamẽto, quia nullum ostendi potest ius vbi hoc sit præscriptum. Vnde, si superior dans facultatẽ, expressè declararet in hoc sensu illam dare; dubitari nõ potest quin talis facultas esset valida: quia in dante non deerat potestas, & nullum erat positiuum ius irritans eius voluntatem; & ex se non habet ille modus adeò intrinsecam inordinationem, vt reddat facultatem irritam ex natura rei. Imò, si persona, cui daretur, esset prudens, & timorata, nullum peccatum esset talem facultatem ei concedere. Aliis verò communiter eam dare, regulariter non esset prudentię conforme; non tamen propterea facultas esset nulla, quia ad hoc oporteret assignare ius irritans illam.

Ex quo vlteriùs infero, quãuis daretur facultas per hæc generalia verba, *sacerdotem idoneum*, non fuisse limitandam,

mitandam, aut necessariò interpretandam de sacerdote declarato idoneo publica auctoritate, alterutro ex dictis modis: quia etiam hæc declaratio, aut limitatio non habetur in iure: neque est necessaria ex vi solius rationis, quia aliis modis potest sufficienter constare de idoneitate confessoris, scilicet, per experientiam, aut publicam famam seu notitiam, aut per aliorum fide dignorum testimonium. Et quanuis verum sit ex concessione generali sic intellecta, & cuilibet de populo facta potuisse sequi incommoda; hinc solùm infertur pertinuisse ad curam pastorũ Ecclesiæ illam non cõcedere sine maiori declaratione, aut circunspectione. Et ad vitanda hæc pericula condidit Concilium Tridentinum ius statim explicandũ, quod esse nouum satis ex eius verbis constare poterit.

11

## SECTIO IV.

### *Quis Sacerdos sit idoneus minister huius sacramẽti iuxta nouum decretum Concilij Tridentini.*

CERTVM est post decretum Concilij Tridentini sess.23.c.15.de Reformat. non sufficere, vt persona sacerdoti, cui delegãda est iurisdictio in hoc foro, habeat omnia requisita ex diuino, seu naturali iure ad hoc ministerium peragendum, nisi de hoc etiam habeat specialem Ecclesiæ approbationem nouo illo iure decretam: nam hoc expressè ibi statuitur: & de fide certum est potuisse Concilium hoc decernere. Quod vt exponamus, oportet verba Concilij proponere, & multa, quæ circa hoc ius nouum dubitata sunt, adnotare. Sunt igitur verba Concilij, *Quamuis presbiter in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiat (scilicet, potestatem ordinis in corpus Christi mysticum, vt in superioribus declaratum est) decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficiũ, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessariũ, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.*

1 Trident.

2 Primum notabile.

Circa hoc igitur decretum primùm omnium distinguendi sunt illi duo modi designandi sacerdotem idoneum, quos Concilium insinuat, scilicet, per beneficium parochiale, vel Episcopi approbationem. Ex quo duo certa colligimus. Primum est, quemlibet ex his modis per se sufficere: alterum est, aliquem ex his modis esse necessarium, neque aliam approbationem sufficere. Primũ horum nõ tam fuit à Concilio introductum, quàm retentum: semper enim illi duo modi approbationis habuerũt in Ecclesia magnam auctoritatem, & sufficientissimi iudicati sunt, vt patet ex dictis sect. præcedenti: & meritò, quia cùm Episcopi sint principales pastores animarum, meritò illis hæc approbatio cõmittitur: quia verò Parocho etiã committitur animarum cura, per hoc ipsum munus satis declaratur sufficiẽs ad confessiones audiẽdas; & ideò quanuis solùm recipiat iurisdictionem in oues suas; tamen approbatus censetur, vt possit ei delegari hæc iurisdictio vbicunque, & quocũque modo aliàs legitimo. Secũdum autem, scilicet, quòd alter ex his modis necessarius sit, nouum est & à Concilio introductum, vt patet ex dictis sect. præced. & indicatur in illo verbo Concilij, *Decernit sancta Synodus*. Atque hinc colligitur, omnes sacerdotes, qui non habent parochiale beneficium, cuiuscũque status, ordinis, aut dignitatis existant, indigere Episcopi approbatione, vt possint hoc munus exercere: quia Concilium vniuersaliter loquitur, & nullũ excipit; sed ampliat potiùs, etiam ad regulares, quãuis nõ loquatur respectu omnium pœnitentium, sed secularium, vt infrà declarabimus.

A

Aliqui tamen voluerunt excipere eos, qui habent publicum sciẽtiæ testimoniũ, per gradũ Doctoratus aut Licentiati in Theologia, vel iure Canonico, aut per publicam facti, seu doctrinæ euidentiam. Sed hoc improbabile est, quia hoc est ius positiuũ, cui standũ est, & Concilium expressè excludit omnẽ aliũ modũ, dicens, *Neque ad id idoneum reputari, nisi, &c.* voluit enim esse hanc approbationẽ aliquo modo iuridicã, seu ex potestate iurisdictionis: & ideò illã nõ concessit Academiis, nec publicæ opinioni seu existimationi, sed Episcopis, ad quos etiam pertinet Parochorum approbatio, eò vel maximè, quod multa requiruntur ad hoc munus, quę tam Doctoribus, quàm iis, qui publicè existimantur docti, facilè deesse possunt. Maius dubium esse poterat de quibusdã personis Ecclesiasticis in altiori dignitate constitutis, vt sunt Cardinales, & Episcopi consecrati, qui nullũ verum habent Episcopatũ, & si qui sunt alij similes. Veruntamen cùm Conciliũ nihil excipiat, sed simpliciter, & sine vlla adiectione dicat, *nullum*, neminem excipiendum censeo ratione cõsecrationis, aut dignitatis cuiuscunque, nisi quatenus habet annexam aliquam animarum curam, vt inferiùs declarabitur.

B

3 Exceptio quorundam reiicitur.

Secundò adnotandũ est illud verbum Cõcilij, *Confessiones secularium, etiam sacerdotum*, nam ex illo manifestè constat, ius hoc non habere locũ respectu regulariũ; habere autem locum respectu omniũ seculariũ sine vlla exceptione. Primũ patet, quia Concilium ipsum addidit limitationẽ. Et fortasse ratio fuit, quia noluit Conciliũ in hoc subiicere regulares Episcopis quoad cõfessiones, quas ipsi faciũt inter se, seu de peccatis suis: quia ipsi habẽt propriũ & peculiarẽ modũ, quo gubernãtur, & proprios pastores, à quibus cõfessores recipere solent. Vel etiã Conciliũ hoc fecit, quia plus cõfidit, moraliter ac regulariter loquendo, de regulariũ pœnitentiũ conscientia, & prudentia. Sub nomine autẽ regulariũ etiã fœminas religiosas cõprehẽdimus: quia illę etiã secũdùm iura seculares non sunt.

C

4 Secundum notabile.

Atque hinc colligitur primò, posse superiorem regularium exponere suis subditis confessorem non approbatum ab vllo Episcopo, quia hoc potest iure antiquo, & communi, seu per propria priuilegia; & per hoc decretum nihil in hoc est innouatum. Secundò sequitur, quod bene notauit Nauarrus in Summ. c.4.n.7. si religiosus nunc habeat facultatem eligendi confessorem, posse eligere quem inuenerit sibi idoneum, qnanuis ab Episcopo approbatus nõ sit. Ratio est eadem, quia Concilium in hoc nihil innouauit. Et cõgruentia esse potest: tum quia religiosis facile est inuenire confessorem idoneum, regulariter loquendo, quia habere debent conscientias minùs oneratas peccatis: tum etiam, quia Conciliũ præsumpsit illos fore prudentiores, & cautiores in confessoribus eligendis. Quidam verò hoc limitant, quãdo superior expressè concedit hanc facultatem: nam si tantùm faciat licentiam eligendi confessorẽ, dicunt interpretandam esse de approbatis ab Episcopo. Sed non est cur ita interpretemur. quia potiùs existimandum est, superiorẽ velle, vt Religiosus vtatur iure suo. Solum ergo obseruandum est, vt eligendus sit ab Ecclesia toleratus, scilicet, non suspensus, neque excommunicatus, quanuis hoc in ipsa ratione idonei confessoris contineatur, vt suprà dixi.

D

Nauarr.

Limitatio aliquorum reprobatur.

E

Altera pars suprà proposita probatur: quia etiam in hoc locutio Concilij vniuersalis est, nullámque limitationem, sed ampliationem potiùs ei addidit. Nam quia sacerdotes videri poterant, aut propter statum non comprehendi nomine secularium, aut propter

6

consuetudinem facilè ac frequenter cõfitendi,& eligendi confessorem, posse excipi ab hac generali regula;ideò Concilium illam ampliationem addidit dicens,*etiam sacerdotem*. Ex qua constat, à fortiori comprehendi omnes clericos in minori ordine constitutos, & omnes laicos, etiam Principes,& Reges, sine vlla exceptione.

## *An prælati habentes à iure facultatem eligendi confessorem, sacerdotum nomine comprehendantur.*

7 DVBITATVM verò est Romæ, an Prælati habentes à iure facultatem eligendi confessorem, hîc nomine sacerdotum cõprehendantur. Quod dubium tractatum fuit Romæ in congregatione, cui decem Cardinales aderant,& quinque eorum in partem negatiuam, quinque verò in affirmatiuam inclinarunt. Fundamentum priorum potuit esse duplex. Primum est,quia priuilegium in iure contentum non intelligitur derogari per generalem clausulam, *non obstantibus priuilegiis, &c.* qua hîc vtitur Concilium, vt est communis regula Canonistarũ, vt videre licet in Decio consil.165. Secundum est,quia nomine sacerdotis simpliciter dicti non comprehenditur Episcopus, præsertim in materia odiosa & restringente, qualis est hæc. De quo principio videri potest Panormitanus in cap. *Non potest*,n.3.de sententia & re iudicata. Fundamentum aliorum affirmantium;etiam respectu istorũ requiri sacerdotem expositum, esse potuit,quia verba Cõcilij vniuersalia & generalia sunt, & illa principia,per quæ limitantur,nõ sunt satis firma,nec sufficienti auctoritate approbata. Præsertim, quia decretum verè ac propriè non derogat illi priuilegio prælatorum;quia priuilegium expresse dicit,vt possint eligere sacerdotem idoneum, & hoc integrũ manet:neque Concilium, illud in totum,vel in partẽ abstulit,sed solùm ex parte confessoris posuit conditionem necessariam, vt idoneus sit; & hæc conditio vniuersaliter posita est respectu omnium secularium, inter quos hi prælati continentur. Denique nõ potest hæc materia propriè dici odiosa,sed fauorabilis,quãdoquidem est in fauorem sacramenti,& conscientiæ, & propriè nullum ius Episcoporum aufert. Hæc sunt fundamenta vtriusque sententiæ.

Fundamentũ partis affirmantis.

Decius.

Fundamentũ partis negantis. Panor.

8 De hac ergo sententiarum diuersitate consultus summus Pontifex Gregorius XIII. respondit, *In re dubia tutius est adhærere decreto Concilij Tridentini*. Quare dicendum est,prælatos inferiores Episcopis,qui iurisdictionem non habent Episcopalem,non posse eligere nisi aliquẽ approbatũ ab Episcopis:quia hi prælati manifestè & sine vlla ratione dubitandi comprehenduntur sub decreto Concilij. Episcopi verò,si velint eligere sibi subditum, illum possunt approbare: quia simpliciter,& sine vlla restrictione approbant,si volunt, seu si is,qui approbatur,dignus est. At verò si velint eligere sibi non subditum, debent eligere approbatum ab Episcopo,cui est subiectus:ita enim habetur in declaratione Cardinalium 1158. & 1160. Quæ vltima pars videri potest noua, & difficilis: quia Episcopus etiam sacerdotes aduenas, & non subditos potest approbare, & iurisdictionem eis dare, vt suarum ouium confessiones audiant: cur ergo non poterit idem facere circa seipsum? Sed habet illa responsio rationem statim explicandam.

Decisio Põtificis in proposita quæstione.

9 Tertiò principaliter aduertendum est, Concilium generaliter & indifferenter postulare hoc genus approbationis ad exercendum munus confessoris, quacunque ratione iurisdictio ei deleganda sit:non enim dicit, vt eligi non possit in confessorem, qui non fuerit sic approbatus: sed simpliciter ait; *non posse audire secularium confessiones, neque ad id idoneum reputari*. Igitur siue à pœnitente eligendus sit, siue à proprio sacerdote directè accepturus sit iurisdictionem,semper supponi debet hæc approbatio. Vnde, quanuis Papa delegando iurisdictionem suam, de absoluta potentia possit eam communicare cuilibet sacerdoti non seruata hac forma Concilij;tamen, quoties simpliciter & sine tali declaratione illam committit,intelligitur iuxta formam Concilij hoc facere. Quanuis Corduba, hoc punctum attingens,varias opiniones, & earum Auctores referat, & ex parte contrarium sentire videatur: sed stante Concilio Trident. vix potest in hoc esse controuersia: nam cùm hoc sit ius ordinarium à Concilio constitutum, & sit de re grauissima, ex qua pendet valor sacramenti, quoties Pontifex absolutè loquitur, secundùm hoc ius loqui censendus est; neque illud derogare, nisi vbi expressè id declarauerit, vel ex modo concessionis manifestè constiterit. Vnde: cum absolutè concedit facultatem eligendi confessorem, quanuis aliud non exprimat, intelligendum est de confessore approbato iuxta formam Concilij. Et similiter priuilegia omnia concessa à Pontificibus aliquibus religionibus, vt etiam Religiosi possint confessiones audire, sub prædicta conditione, seu approbatione intelliguntur,vt euidentiùs constabit ex tractandis. Neque in hoc inuenio diuersitatem aliquam inter Auctores:neque illi, quos Corduba citat, vix aliquid de hoc iure nouo loquuntur. Nihil ominùs tamen, si Papa alicui sacerdoti particulari specialem licentiam faceret ad confessiones audiẽdas,probabile est, quòd Corduba significat hoc ipso videri illũ approbare,quod maximè esset indubitatum,si talem licẽtiam daret pro suo particulari Episcopatu Romano:nam,si esset vniuersalior, oporteret etiam approbationem vniuersalem distinctiùs explicare: quanuis eo ipso quòd licentia datur in particulari tali personæ, videatur profectò sufficiens approbatio eius.

Corduba.

10 Atque eadem proportione loquendum est de facultate eligendi confessorem à Papa concessa:semper enim intelligitur de confessore idoneo iuxta hanc formã Concilij: quod etiam iuxta communem vsum declarari solet in Bullis Pontificiis:sed,licèt nõ adderetur hæc declaratio,ita essent intelligendæ:quia cõcessio Pontificis semper intelligitur iuxta commune ius,neque censetur derogare illud, nisi sufficienter id declaret. In Episcopis etiam hoc satis clarũ est,quia si Episcopus sacerdoti committat iurisdictionem suam, hoc ipso illum approbat, & exponit: nam hoc est in potestate eius: qui autem vult alteri delegare iurisdictionem suam, vult etiam dare, quæ ad illam necessaria sunt, quatenus ab ipso pendent. Si autem alicui subdito Episcopus det facultatem eligendi confessorem in sua diœcesi, clarum est debere intelligi de sacerdote expositio iuxta hanc formam Concilij Tridentini; si verò etiam extra diœcesim extendatur facultas, debet necessariò intelligi de sacerdote approbato ab Episcopo, saltem illius diœcesis, iuxta infra dicenda: quia nunquàm potest Episcopus dare hanc facultatem, nisi iuxta formam Concilij. Loquor autem de propria facultate eligendi confessorem: nam, si subditus vnius Episcopi, sub titulo & more peregrinorum in alia diœcesi confiteri vult, more incolarum illius diœcesis confiteri debet, vel alicui Parocho, vel alicui sacerdoti, non tantùm approbato,sed etiam iurisdictionem habenti ab Episcopo illius diœcesis, iuxta superiùs dicta.

9 Tertiũ notabile.

An

*An Parochus sacerdoti non approbato possit iurisdictionem delegare.*

11 Ratio dubitandi.

CIRCA hoc verò dubitatum est de Parochis an illi etiam non possint delegare iurisdictionem suam, aut coadiutorem sumere, nisi approbatum ab Episcopo. Et ratio dubitandi est, quia Parochi habebant ordinarium ius delegãdi suam iurisdictionem: si autem nunc non possent delegare nisi sacerdotibus ab Episcopis expositis, omninò essent priuati iure suo: non est autem verisimile hoc ius ordinarium ablatum esse à Concilio, nulla facta eius mentione: præsertim quia solùm dicit, *non obstantibus priuilegiis, & quacunque consuetudine.* Hoc verò ius non est ortum ex priuilegio, vel ex consuetudine: sed ex ordinario officio, seu potestate. Propter quam rationem nonnulli ausi sunt hanc sententiam defendere. Mihi autem neque tuta, neque practicè probabilis videtur.

Aliquorum sententia reprobatur.

12 Respõdetur quæstioni.

Dicendum ergo est, Parochos tantùm posse delegare iurisdictionem suam, vel aliis Parochis (in quo ius eorum integrum conseruatũ est) vel sacerdotibus ab Episcopo approbatis; hæc enim est mens Concilij, quam primò ipsa consuetudo ita interpretata est. Secundò verba Concilij hoc requirunt: quia generalia sunt: &, sicut in præcedenti puncto dicebamus, per se & directè non auferunt ius, nec potestatem delegãti, sed ex parte eius, cui delegãda est iurisdictio, ponunt conditionem necessariã, vt sit idoneus & capax eius, quæ conditio nõ est contra ius alicuius. Tertiò ex fine Concilij hoc colligitur, voluit enim ad cauenda incommoda hoc iudicium reseruare Episcopis: at verò, si hæc facultas relicta esset Parochis, ferè nihil fecisset. Confirmatur: quia si ex parte sacerdotis posset Parochus iurisdictionem dare sacerdoti non approbato, etiã posset dare facultatẽ parochiano suo ad eligendũ confessorem ab Episcopo nõ approbatũ. Patet sequela: tum quia per vtrunque modum suam iurisdictionem communicat: tum etiam, quia ex potestate ordinaria vtrumque poterat ante Concilium: ergo si illa manfit intacta, vtrumque etiam nũc poterit. Consequens autẽ euidenter est absurdissimum, quia prorsus eneruat decretum Concilij: & quia ridiculum est posse Parochum concedere, quod summus Pontifex nunquàm ordinariè concedit per diplomata sua, & Episcopus non potest concedere.

13 Ratio dubitandi soluitur.

Ratio dubitandi in principio posita ex dictis soluta est: tum quia non esset inconueniens decretum vniuersalis Concilij Parochos priuare iure suo; nã etiam Episcopi sua ordinaria potestate poterant illis præcipere, ne aliquos coadiutores assumerent, nisi à se approbatos: quid ergo mirum quòd id fecerit Concilium; Tum etiam, quia directè & formaliter non sunt priuati iure suo, sed ex parte eorum, quibus deleganda est iurisdictio, posita est conditio necessaria, vt habeantur idonei: ipsi autẽ Parochi sẽper possunt suam iurisdictionem idoneis delegare. Nec refert, quòd approbati simul habeãt iurisdictionẽ ab Episcopo: quia hoc est per accidens; per se enim hæc duo distincta sunt, & possunt separari. Et (quod notandũ est) quanuis Episcopus, quando approbat secularem sacerdotem, regulariter det illi iurisdictionem, non tamen semper dat pro toto Episcopatu, sed pro aliqua ciuitate, vel oppido; & tunc ille, quanuis non habeat iurisdictionem pro tota diœcesi, simpliciter manet approbatus in tota illa, nisi expressè limitetur, de quo infrà dicemus: & tunc potest in quacunque parte diœcesis recipere iurisdictionem à quolibet Parocho.

14 Quartũ notabile.

Quartò principaliter aduertẽdum est, hanc formã approbationis sacerdotis idonei, non solùm esse necessariam necessitate præcepti, in quo nulla potest esse dubitandi ratio, sed etiam necessitate sacramenti, ita vt si sacerdos non approbatus alterutro ex dictis modis, tentet hoc conficere sacramentum, nihil faciat, non solùm per accidens ob indispositionem, seu malam conscientiam pœnitentis, sed etiam per se, ex defectu potestatis, quantumuis pœnitens bonam fidem habeat. In quo posset quispiam dubitare, quia ad sacramentum conficiendum duplex tantùm potestas in ministro requiritur, ordinis, & iurisdictionis: hæc autem approbatio ad neutram istarum pertinet, vt ex dictis constat: ergo non potuit fieri, vt ipsa sit de necessitate sacramenti: quia Ecclesia nihil potest addere sacramentorum institutioni, quod simpliciter necessarium sit. Nihilominùs quod diximus, est certum, & indubitatum in Ecclesia: potéstque breuiter in hunc modum declarari. Nam potuit Concilium hoc sensu legem illam præscribere: quia iurisdictio, vt suprà dictũ est, homini per hominẽ communicatur: potest ergo Ecclesia præscribere modũ communicandi hanc iurisdictionem, & statuere conditionem aliquam, sine qua talis persona inhabilis sit ad iurisdictionem suscipiendam, seu, quod perinde est, sine qua collatio iurisdictionis irrita sit, & nullius valoris: est enim hic veluti quidã contractus, vel actio humana, habens effectũ moralem circa alium, quæ irritari potest nisi debitis conditionibus fiat. Denique, cùm hæc iurisdictio à potestate Pontificis præsertim manet, potest ipse non delegare iurisdictionem, nisi personæ habenti talem conditionem, & omnes pastores ordinarios inferiores priuare potestate delegandi illam alio modo: non est ergo dubium quin hoc fieri potuerit. Quod autem factũ sit, patet ex illis verbis Concilij, *Nullum posse confessiones audire, neque ad hoc idoneũ reputari:* quæ verba in subiecta materia hanc vim habent; & ita intellecta sunt ab vniuersa Ecclesia: quia cùm in hoc sacramento possit Ecclesia, non solùm prohibere ne fiat, sed etiam omninò tollere potestatem faciendi, & non dicat, *non possint licitè*, sed simpliciter, *non possint*, manifestè est sermo de potestate simpliciter & de necessitate sacramenti.

Dubitatio.

Deciditur.

*Duo dubia proponuntur, & explicantur.*

15 Primum.

QVINTÒ circa priorem modum approbationis per Ecclesiasticum beneficium, vt illum breuiter expediamus, quoniam facilior est, dubitare aliquis potest, an sensus Concilij fuerit quasi approbare & exponere ipso iure pro tota Ecclesia eum, qui beneficium parochiale habuerit. Nam videtur posse sufficienter intelligi, si dicamus excipi huiusmodi beneficiatum, quia respectu suorum subditorum non indiget noua approbatione: non verò, quia respectu aliorum, seu totius Ecclesiæ approbatus iam sit: hic enim sensus videtur præferendus: tum quia est formalior, id est, de habente beneficium, quatenus illud habet, & respectu eorum, quorum pastor est: tum etiam, quia respectu aliorum nihil ampliùs habere videtur, quàm simplex sacerdos. Dubitari secundò potest, an necessarium sit actu habere hoc beneficium, an satis sit habuisse; quia, licèt beneficium non maneat, approbatio tamen semper manere videtur. Ac tandem dubitari potest, quid nomine beneficij parochialis Concilium intellexerit.

Secundum.

16 Prima opinio circa primum dubium. Ioan. Gutierrez.

Circa primum dubium Ioan. Gutierrez lib. 1. Can. quæst. cap. 27. num 21. non satis esse putat habere parochiale beneficium, vt quis vbique reputetur idoneus; imò hoc adeò certum existimat, vt inde probet approbationem in vno loco non sufficere pro aliis. Ratio autem eius est, quia habens beneficiũ curatum,

non potest oues alienas audire sine licentia proprij Parochi. Quæratio si valida esset, probaret etiam intra eundem Episcopatum non censeri idoneum pro toto Episcopatu, qui in eo habet parochiale beneficium, sed solùm pro sua parochia, quod planè incredibile est, aliàs quid oporteret Concilium illam exceptionem facere? Nec videtur prædictus Auctor id admittere: quia statim solùm concludit, non posse eligi extra Episcopatum, vbi beneficium habet. Sequela autem probatur, quia absolutè loquendo non potest Parochus audire confessiones alienarum ouium sine licentia propriorum pastorum. Quapropter necessariò dicendum est, probationem illam non concludere intentum. Causa verò est, quia principium illud assumptum procedit quoad iurisdictionem: hîc autem agimus solùm de approbatione necessaria, ad quam sine dubio non requiritur licentia alterius Parochi, sed solùm parochiale beneficium, si aliunde iurisdictio detur per bullam, vel alio modo. Et ita intra eandem diœcesim extra controuersiam esse videtur, quòd quicunque habet ibi beneficium parochiale, sit idoneus vt in tota illa eligatur per bullam, etiam ab alienis ouibus, sine licentia propriorum Parochorum, imò & sine alia licentia Episcopi, præter beneficium parochiale: quia Concilium Tridentinum ad minimum æquiparat in hoc beneficium parochiale approbationi Episcopi; sed approbatus ab alio Episcopo absolutè, & sine limitatione, in tota eius diœcesi reputandus est idoneus: ergo & habens beneficium parochiale.

17 An verò etiam extra diœcesim, & consequenter vbique censendus sit idoneus, maius habet dubiũ, neque defuerunt qui id negauerint. Referturque in huius sententiæ confirmationẽ responsio Congregationis Cardinalium, in hæc verba: *An obtinens parochiale beneficium, vbique censendus sit idoneus, absque alia Episcoporum approbatione, ita quòd audire possit confessiones eorum, qui non habent huiusmodi priuilegium, sed parochorum consensum. Congregatio respondit non posse.* Possumúsque ad hoc confirmandum commutare rationem, quę suprà fiebat. Nam Concilium æquiparat beneficium approbationi: sed approbatus in vno Episcopatu, non est vbique approbatus, seu idoneus, ergo nec is qui beneficium habet.

Cardinaliũ congregationis responsio.

18 Nihilominùs censeo huiusmodi beneficiatum iuxta intentionem Concilij esse idoneum reputandum simpliciter, & pro quocunque loco, ita vt vbique sit proximè capax iurisdictionis, si aliunde conferatur ab eo, qui potest delegare, vel mediante bulla, aut simili priuilegio eligendi confessorem. Hanc fuisse sententiam grauissimorum quorundam prælatorum, qui interfuerunt Concilio, & omnium Theologorũ, & Iuris peritorum Salmanticensium, refert Henricus, & mihi etiam constat. Probatur autem primò ex Concilio; quia in huiusmodi beneficiato nullam aliam approbationem requirit, præterquàm quòd *parochiale beneficium habeat*: & loquitur indefinitè, *vt possit confessiones secularium audire*: cur ergo nos restrictionem addemus, aut quo fundamento, Secundò, quia quoad hanc partem non tam constituit Concilium ius nouum, quàm retinuit antiquum: quia erat sufficienti ratione fundatum, quã suprà declarauimus, cùm ostendimus iure antiquo quemlibet Parochũ potuisse eligi in confessorem per quancunque facultatem: ergo idem ius nũc perseuerat. Non enim recedimus à iure antiquo per nouũ, nisi quatenus ab eo exprimitur, vel inter se repugnant: hîc autem nihil huiusmodi intercedit, imò verba Concilij hanc petũt declarationem: ergo. Tertiò, quia si extra diœcesim non posset eligi: etiam extra suam parochiam non posset eligi, quod falsum esse ostendimus. Responderi potest, qui habet beneficium, iam esse approbatum ab Episcopo illius diœcesis ad audiendas cõfessiones, & ideò posse eligi in tota illa; non verò esse approbatum ab aliis Episcopis. Sed contrà, quia ex vi beneficij solùm videtur approbatus pro tali loco seu parochia, & nihilominùs ex vi Concilij reputatur illa approbatio sufficiens pro aliis parochiis: quia minister publicus & ex officio approbatus ab Ecclesia, debet simpliciter reputari sufficiens, vt eligatur: ergo.

Vera primi dubij decisio.

Henric.

Ad illam autem responsionem Cardinalium, quæ in contrarium affertur, in primis respondeo, mihi non satis constare de eius auctoritate: quia nec inter eas, quæ ab Illustrissimo, ac eruditissimo Domino Alfonso de Castellobranco huius Conimbricensis Ecclesię Episcopo summa diligentia & auctoritate collectæ sunt, nec inter eas etiam, quæ in hoc nostro insigni Collegio Conimbricensi habentur, illam reperire potui. Deinde non satis intelligo de quo priuilegio ibi sermo sit, cùm dicitur, *Qui non habent huiusmodi priuilegium.* Nam, si est sermo de priuilegio eligendi confessorem, vt sequentia verba significant, potiùs ex illa responsione colligo, per bullam, & similia priuilegia posse eligi in confessorem quemcunque parochũ, vbicũque sit: & hoc est quod intendimus. Solum significatur, vnum Parochum non posse alteri committere oues suas sine Episcopi licentia, vel nisi alius Parochus sit ad hoc specialiter approbatus ab Episcopo: quod non intelligo dictum ex vi Concilij, sed ex debita subordinatione ad Episcopos, vel fortasse ex aliqua Italiæ consuetudine. Inter nos verò hanc scimus esse consuetudinem, vt Parochi sese mutuò iuuent ex solo suo consensu, non tantùm intra eandem diœcesim, quod est certius, & frequentius: sed etiam in confinio distinctarum diœcesum, vt Henricus suprà refert. Quòd si in ea responsione sermo est de alio priuilegio, vel in alio sensu data est, sententiam nostram censuræ Congregationis subiicimus: quandiu autem de illa nobis clariùs non constiterit, à sententia, quam veram existimamus, recedere non possumus. Ad rationem primò dicitur, minorem esse incertam, de qua statim. Secundò dicitur, non oportere cum omnimoda æquiparatione illa duo membra intelligere: quia exceptio illa de habente beneficium parochiale, non est noua, sed iuxta antiquum ius, & ideò in eodem statu relicta est: alia verò est iure nouo introducta, quod specialiter consulendum est. Item quia approbatio per parochiale beneficium, non censetur esse ab Episcopo, sed ab Ecclesia, & vniuersali consuetudine.

19 Satisfit responsioni Cardinaliũ.

Rationi prioris sententiæ respondetur.

Ad secundam nihilominùs dubitationem dicendum existimo, non sufficere habuisse parochiale beneficium, si iam illud dimisit, quia Concilium expressè dicit, *Nisi parochiale beneficium habeat.* Nec refert quòd per beneficiũ semel habitũ iam videtur approbatus, quæ approbatio non tollitur, licèt tollatur beneficium, quia capacitas, seu dignitas eius semper manet, & in declaratione huius cõsistit approbatio. Non (inquam) hoc satis est, tum quia in his, quæ pendent ex iure positiuo, standum est verbis legis, tum etiam, quia, vt infrà dicam, approbatio mutari potest, vel quia ipse homo mutatur, quod facilè fieri potest, præsertim in moribus, à quibus etiam pendet approbatio; vel certè quia in priori approbatione potuit aliquis error committi: & ideò solùm quandiu durat, & ab Ecclesia sustinetur in tali officio, approbatus censetur. Vnde, quandiu aliquis beneficium retinet, non potest pro solo arbitrio Episcopi priuari hac approbatione, cùm illam habeat à iure communi; potest tamen ex iusta causa ille ab Episcopo suo suspendi, ne sua iurisdictione vtatur. Potest etiam succesſiu temporis cognosci insufficiens ad illud ministerium ex defectu scientiæ, aut morum, & ideò declarari insufficiens,

20 Secundum dubium resoluitur.

ficiens, & prohiberi, & recipere coadiutorem. Et in his casibus talis beneficiatus non est censendus expositus, neque idoneus: quia, licèt non sit priuatus beneficio, est impeditus iustè: Concilium autem debet intelligi de habente beneficium, & vsum eius sine iusto impedimẽto; hoc enim de iure communi est: & Concilium in hoc nihil innouauit. A

21 Quid per parochiale beneficium intelligendũ sit.

Quid autem nomine, *Parochialis beneficij*, intelligendum sit, dicendum est breuiter, comprehendi etiam superiora beneficia, quæ habent ordinariam iurisdictionem in hoc foro, seu curam animarum annexam, vt sunt non solùm Episcopi, sed etiam aliqui Abbates, aliqui Archidiaconi, Archipresbyteri, &c. quia de his omnibus est eadem, vel maior ratio, & quia, vt suprà in simili dixi, sub inferiori includitur id, quod superius est. Aliqui verò hoc etiam extendunt ad prælatos religionum ex paritate rationis: sed non rectè, quia, licèt habeant iurisdictionem ordinariam, non tamen beneficium; & standum est verbis legis. Et præterea, quia, licèt habeant iurisdictionem, non tamen in seculares, & ideò non statim cẽsentur approbati respectu illorum; hîc autem agitur de approbatione respectu secularium. B

22 Approbatio confessoris non est delegatio iurisdictionis.

Sextò circa aliud membrũ de approbatione Episcopi, supponendum in primis est, hanc approbationem non esse delegationem iurisdictionis, sed aliquid præuium ad illam, sicut paulò anteà dicebamus, approbationem ipso iure per beneficium parochiale, esse vniuersalem pro tota Ecclesia quantùm ad proximam capacitatem iurisdictionis, vt sic dicam: quanuis huiusmodi actualis iurisdictio non habeatur per beneficium. Ad hunc ergo modum se habet hæc approbatio respectu sacerdotis non habentis beneficiũ. Vnde religiosi, quamuis non accipiant iurisdictionem ab Episcopis, sed à summo Pontifice per sua priuilegia, nihilominùs indigent Episcopi approbatione: & quando aliquis eligitur per bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, aut simile priuilegium Pontificium, iurisdictionem recipit à summo Pontifice, vt autem sit capax eius, approbatus esse debet. Ac denique Episcopus ipse potest approbare, & non delegare iurisdictionem: nam confessio iurisdictionis est veluti quædam gratia, quam liberaliter facit Episcopus: hæc verò approbatio est veluti opus iustitiæ, scilicet, iustum iudicium quo aliquis declaratur idoneus. Vnde posset rectè Episcopus hoc iuridicè declarare, & approbare, & nihilominus non delegare suam iurisdictionem sic approbato: posset etiam simpliciter approbare, & tamen iurisdictionem solùm concedere ad tempus, vel durante sua vita, & tunc licèt per mortem Episcopi cessaret iurisdictio, non tamen approbatio. Vnde (vt hoc obiter notemus) multò certius est, hanc approbationem non finiri per mortem Episcopi, quàm sit de iurisdictione: imò, licèt sit certum iurisdictionem posse communicari dependenter à voluntate, vel vita Episcopi; de approbatione verò ista non est certum, sed valdè dubium, quod infrà tractabo. Quocirca hæc approbatio nihil aliud esse videtur, quàm publica quædam sententia, seu authentica contestatio de sufficientia talis sacerdotis ad audiendas confessiones, quam Concilium Tridentinum voluit esse veluti dispositionem necessariam, vt simplex sacerdos proximè sit capax iurisdictionis, & eligibilis per priuilegia. C D E

*

## SECTIO V.

### *A quo approbatio danda sit, & an sufficiat petita.*

DVo petuntur: vnum de persona habente potestatem approbandi: aliud de necessitate huius approbationis. Primum satis videtur à Concilio declaratum, dicente hanc approbationem ad Episcopum pertinere. Sed oportet exponere, quid nomine Episcopi in Concilio intelligendum sit. Neq; est difficultas de Episcopo tantum electo, aut confirmato: nam certum est Episcopum non habentem iurisdictionẽ non posse hanc approbationẽ dare, cùm iurisdictionis actus sit, vt declaratum est. Vnde consecratus Episcopus, si Episcopatum non habeat, approbationem hanc nemini dare potest: & è conuerso, qui est electus tantùm in Episcopum, nihil in hoc potest, quia nondum iurisdictionem habet; poterit autem is, qui electus est, & confirmatus, licèt nondum consecratus sit, quia iam est verus Episcopus, & potest, iurisdictionis actus exercere. Præterea non est difficultas de Vicario Episcopi, nam ille tanquàm vnus cum Episcopo censetur, eius enim iurisdictione vtitur: vnde non est dubium quin possit hanc approbationem dare, quod etiam vsus confirmat: nam Concilium non dicit, vt Episcopus per se ipsum approbet: potest ergo sine dubio id facere per Vicarium suum. 1

2 An Capitulũ Sede vacante possit approbare.

Sed difficultas est de Capitulo Sede vacante, & de nonnullis Abbatibus, vel aliis prælatis exemptis, qui in cæteris actibus iurisdictionem habent Episcopalem. Et est ratio dubij, quia isti non sunt Episcopi, & verbum decreti seu Concilij videtur in rigore & propriè intelligendum. Et auget difficultatem responsum quoddam Congregationis Cardinalium explicantis dubia circa Concilium, quæ in hoc casu respondit ferè in hæc verba, *Cùm exponere confessores sit proprium munus Episcoporum, nullus alius potest in hoc se intromittere.* Nihilominùs de Capitulo Sede vacante non dubito quin possit approbare, & exponere confessores. Probatur primò ex vsu, ita enim faciunt per Vicarium suum. Secundò, quia hic actus approbandi non est actus ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis, non sibi specialiter delegatæ à Pontifice, sed ordinariæ; hoc enim illis tribuit simpliciter Concilium ratione sui muneris: ergo eundem actum iurisdictionis potest Capitulum exercere, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, non vt inferior, sed vt æquali, vt tradunt Canonistæ in c. *Cùm olim*, de Maiorit. & obedient. vbi videri potest Felinus versic. 6. Et confirmatur, quia hic actus est valdè necessarius ad administrationem curæ Episcopalis, quæ cura, & administratio commendata est Capitulo: ergo non est verisimile esse priuatum hac potestate, ira vt toto tempore vacantis Sedis non possit exponi, vel approbari confessor in illo Episcopatu, sed quòd oporteat ad summum Pontificem accedere. Felin.

3 An Abbates habentes Episcopalem iurisdictionem possint approbare.

Ex quo vlteriùs colligo, Abbates, qui etiam exercent Episcopalem iurisdictionem, ita vt quoad actus ordinariæ iurisdictionis sint exempti ab Episcopis, posse exponere, & approbare confessores intra suos terminos. Hoc in primis confirmat vsus: mihi enim constat plures Abbates huiusmodi exercere hunc actum, vt Compluti Regij, Pinciæ, & Metimnę Campestris, quos non est verisimile vsuros fuisse hac facultate, nisi in hoc decreto essent comprehensi: quod maximè confirmat, quia nunquàm in hoc illis contradictum est. Secũdò, ratio facta ferè eodem modo procedit,

cedit,quia iste est actus solius iurisdictionis,& hi prę- A
lati habent iurisdictionem Episcopalem,ita vt in hoc
foro oues illorum nullum recognoscant superiorem
illis,præter summum Pontificem : ergo possunt hunc
actum exercere. Et confirmatur, quia interdum in
huiusmodi Abbatiis nullus Episcopus potest exponere confessores, sed non est verisimile hoc esse reseruatum Papæ:ergo est commissum Abbati, qui ibi habetur veluti loco Episcopi. Vnde confirmatur secundò, quia Vicarij Episcoporum hoc possunt, quia Episcopi illos constituunt vice ipsorum; & similiter Capitulum Cathedrale hoc potest, quia succedit Episcopo : sed isti similiter constituti sunt à Pontifice quasi loco Episcoporum,& cum iurisdictione Episcopali : ergo possunt eundem actum efficere. Confirmatur tertiò, quia hac ratione possunt huiusmodi prælati dispensare in votis reseruatis Episcopis, vt
Nauar. bene notauit Nauarr.cap.12.num.75. ergo idem erit in præsenti. Igitur cùm nomen Episcopi in hoc decreto iurisdictionem potiùs respiciat,quàm consecrationem, vt in principio dixi, complectitur omnem illum, qui iurisdictionem Episcopalem ita in Ecclesia participat, vt supra se non habeat proprium Episcopum,præter summum Pontificem.

4 Declarationem autem illam Romanam in suo originali videre non potui, nec mihi constat quàm authentica sit; verba autem citata facilè possunt ad dictum sensum accommodari,quia etiam in illis verbis C
non explicatur, qui prælati,vel Capitula sub nomine Episcopi in dicto decreto comprehenduntur,sed solùm dicitur, *alium, qui non sit Episcopus*, quod nos intelligimus de quolibet, qui non sit Episcopus, nec strictè, sed cum extensione à nobis declarata; ita vt excludantur omnes prælati, tam inferiores immediatè subiecti Episcopis,quàm superiores, v.g. Cardina-
Obiect. les,non habentes Episcopatum. Dices, Ergo nomine Episcopi comprehendentur in hoc decreto Prouinciales, & Generales religionum respectu suorum subditorum. Respondetur negando sequelam. Possunt
Diluitur. quidem hi prælati religionum suos subditos exponere,& approbare ad cõfessiones suorum religiosorum D
audiendas,nõ quia hoc specialiter eis concedat Concilium per hæc verba, sed potiùs quia, vt diximus, in hoc decreto nihil statuit de cõfessionibus Religiosorum, sed tantùm secularium, respectu quorum non possunt dicti prælati religionũ approbare etiam suos subditos: nec ad hoc comprehenduntur nomine Episcopi, quia non habent iurisdictionem Episcopalem, & ordinariam in populum fidelium,quæ nomine Episcopi propriè indicatur. Item quia, sicut non habent iurisdictionem in seculares, ita non possunt actus iurisdictionis circa illos exercere:approbare [illegible] confessores respectu illorum est actus iurisdictio[illegible] ob hoc etiam non possunt approbare cõfessores [illegible]onfessionibus secularium.

oues non dum intelligunt Prælatos sed laicos.

---

## *An sufficiat petere approbationem, si iniustè negetur.*

5 QVærendum verò supereſt,quod secundo loco in titulo quæstionis propositum est,an hæc approbatio omninò necessaria sit re ipsa obtenta, vel sufficiat petita. In quo vnum est certum, scilicet, si approbatio iusta ex causa negetur,nihil referre quòd petita sit, alioqui statutum Concilij nullius esset momenti, quilibet enim posset hanc facultatem petere, quod ridiculum est:cur enim talis petitio aliquid iuris, vel commodi afferet,si iniusta,vel impertinens sit. Vnde etiam colligo, quando non est manifestum, & euidens,approbationẽ iniustè negari, nihil referre quòd petita sit,quia semper ius superioris integrum manet, iustéque feciſſe præsumitur, quando oppositum non constat. Difficultas verò est, quando euidens est esse In quo consistat difficultas. personam idoneã, qui petit,& sine causa, vel ex mala voluntate repelli. Et est ratio dubij, quia hæc approbatio, vt suprà dicebam, non est opus gratiæ, sed iustitiæ: est enim veluti iudicium, seu sententia iusta: ergo iniuriam facit Episcopus quando sine causa eam negat, & contra merita personæ petentis: sed actio iniusta nemini nocere debet:ergo, ea non obstante, ille manebit expositus seu approbatus. Et confirmatur,quia consensus debitus, & iniustè negatus, in iure eandem vim habet,quam consensus datus,vt patet in c.*Licet.* de Regularibus, vbi propter hanc causam,regulari petenti à suo superiore licentiam transeundi ad perfectioré ordinem,sufficit petita,& non obtenta.

Nihilominùs dicendum est, iure ordinario neces- 6
sariam esse hanc approbationem re ipsa exhibitam, nec sufficere petitam, etiamsi iniustè negetur. Hæc est communis sententia omnium, vt ex sequenti dubio à fortiori patebit. Eam verò ita colligo ex Con- Soluitur dub.
cilio, quia ex illo elicitur hæc conditionalis, *Nisi quis sit approbatus ab Episcopo, non potest confessiones audire:* sed huiusmodi conditionalis habet hanc vim, vt,si in re ipsa non ponatur requisita conditio: effectus sequi non possit: ergo. Neque ad hoc refert, quòd talis conditio iustè, vel iniustè apposita sit. Exempla sunt facilia: nam propter hanc conditionalem, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* etiamsi ex iniquitate alterius paruulus priuetur baptismo, non assequitur illius effectum: vel magis moraliter, propter hanc conditionalem, *Nisi quis per sententiam fuerit declaratus hæreticus, non priuatur bonis suis,* etiamsi iudex iniustè illum non declaret:tamen quandiu non declaratur,non priuatur bonis suis: ergo similiter, &c.Secundò à contrario, quia si Episcopus re ipsa approbet, etiamsi fortè iniustè vel malè faciat, tamen quòd ad sacramenti valorem pertinet, hoc sufficiet quantum est ex parte approbationis: ergo idem erit è conuerso, vt seruetur æqualitas. Tertiò adiungi potest ratio moralis, quia Concilium voluit hoc reseruare iudicio Episcoporum, quia illi sunt superiores pastores ordinarij: & quia moraliter loquendo, præsumendum est bene vsuros hac potestate : lex autem moralis vniuersalis esset debet, etiamsi in particulari possit quis interdum illa malè vti, neque aperienda fuit ianua, vt inferiores in dubium reuocarent hoc superioris iudicium, sibique vsurparent, quod magis fuisset incommodum.

Et fortasse hoc voluit insinuare Concilium in illis 7
verbis, *Aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem,* Duo verba Concilij explicantur.
*quæ gratis detur, obtineat.* Illa enim duo verba nonnihil obscuritatis habent, scilicet iudicari idoneum, & approbationem obtinere. Possunt enim ita exponi, vt scrupulum & dubitationem ingerant, nimirum, vt sensus sit, nec iudicium sine approbatione, E
neque approbationem sine iudicio sufficere. Ex qua declaratione optimè colligitur quod intendimus: videlicet, non satis esse quòd aliquis habeatur, & iudicetur idoneus, etiam ab ipso Episcopo, quod ad intellectum pertinet, nisi etiam ab ipso obtineat approbationem, seu licentiam ad confessiones audiendas, quod pendet ex voluntate. Hinc verò sequi videtur, etiam è contrario non sufficere, quòd Episcopus det approbationem & licentiam, si illam det absque iudicio,seu contra iudicium,sciens, & videns hunc nõ esse idoneum:nam Concilium vtrumque copulatiuè requirit. Consequens autem valdè scrupulosum est, quia talis approbatio, licèt iniusta & illicita sit, non tamen videtur nulla, alioqui multæ confessiones redderentur dubiæ, quia sæpe huiusmodi appro

di approbatio datur per fauorem, & vel contra iudi- A
cium, vel certè sine iudicio de sufficientia sacerdo-
tis. Propter quod probabile est, illa duo non esse ita
diuersa, vt illud *iudicium* referendum sit ad internam
mentis existimationem, *approbatio* verò ad externam
declarationem: sed *iudicium* etiam referri ad hoc ex-
ternum, quod in foro Ecclesiæ fit (nam de internis
non iudicat Ecclesia) sic autē illa duo verba, vel erunt
æquipollentia, vel ad maiorem declarationem posita:
quia non satis est vt priuatim iudicetur quis idoneus,
nisi etiam iutidicè id declaretur, quod pertinet ad
approbationem, vel etiam quia plus est approbari,
quàm iudicari idoneum. Potest enim aliquis abso-
lutè & simpliciter iudicari idoneus; & tamen non B
expedire, vt vel in hoc loco, vel respectu harum per-
sonarum ad audiendas confessiones exponatur, &
ideò non approbetur. Non improbo etiam priorem
declarationem: scilicet voluisse indicare Concilium,
non satis esse approbationem omninò fictam solùm
exteriùs factam, aliàs iudicando eum, qui exteriùs
approbatur, non esse idoneum: hoc enim planè vi-
detur esse contra substantiam approbationis. Nam,
licèt necessarium non sit, quòd approbatio sit ex vero
iudicio secundùm rem ipsam, nec quòd sit summa
diligentia facta: videtur tamen necessarium, vt sal-
tem procedat ex iudicio, quo hic, & nunc talis per-
sona iudicetur idonea, quia aliàs non est approbatio, C
sed fictio tantùm: & nec satisfit verbis, nec intentioni
Concilij. Vtcunque tamen illa verba exponātur, con-
cludunt quod intendimus: scilicet, necessariam esse
hanc approbationem obtentam, nec satis esse peti-
tam, aut debitam.

8 Rationi cōtrariæ satisfit.

Neque obstat ratio in contrarium facta. Respon-
detur enim, actionem vel potiùs omissionem iniu-
riosam sæpe posse nocere, vt aliquis careat aliquo
bono, vt in exemplis datis patet. Ad confirmationem
Medina. iam suprà in simili diximus, & notauit etiam Medina
Cod. de confess. quæst. 34. ad 2. consensum debitum
ex se non tantum operari, quantum exhibitum, vt
euidenter constat in cuiuslibet sacramenti admini-
stratione, quoad aliquas verò actiones aliquando non
est necessaria exhibita concessio seu licentia, præser- D
tim vbi iura id declarant, vt in dict. c. *Licet*, hîc verò
oppositum potiùs in iure declaratur, vt explica-
uimus.

9 Non oportere approbationem in scriptis dari.

Inquiret verò aliquis, an oporteat hanc approba-
tionem in scriptis dare ad modum authenticæ sen-
tentiæ. Respondeo, hoc necessarium non esse, quia
Concilium non postulat licentiam in scriptis; neque
oportet, vt nos restrictionem addamus: & ita vsu
constat sæpe solo verbo concedi: consultius tamen est
eam in scriptis recipere, vt certius de illa constet,
quando necesse fuerit.

10 An necesse sit approbationem gratis dari.

Denique dubitabit aliquis, an etiam verbum illud
Concilij, *Quæ gratis detur*, substantiale sit, ita vt si
contingat hanc approbationem pecunia obtineri,
nulla sit, sicut collatio beneficij pecunia obtenta nulla E
est: videtur enim illa conditio eodem contextu poni,
& eodem modo requiri, ideóque substantialem esse.
Sed non opinor in eo sensu accipienda illa verba; sed
solùm continere præceptum, quo præcipitur Episco-
pis, vt hanc approbationem gratis concedant, non
verò quòd illa conditio sit posita tanquàm ita neces-
saria, vt si non fuerit expleta approbatio, non valeat,
hoc enim nec necessarium erat, nec fortè expediens:
neque in Concilio est aliquod verbum, ex quo suffi-
cienter id colligatur: nam illud verbum, *gratis detur*,
optimè exponitur præceptiuè, vt dictum est.

*An Religiosis mendicantibus satis sit licentiam petere, & non obtinere.*

11 Quanvis autem superior resolutio secun- 11
dùm ius ordinarium vera sit, dubitari potest,
an exceptionem aliquam patiatur. Nauarrus enim in Nauar.
Sum. cap. 27. num. 264. & 265. existimat religiosis
Mendicantibus satis esse licentiam petere ab Episco-
pis, quanuis ipsi non concedant. Quia verò ipsa fun-
datur in priuilegiis horum religiosorum, pauca de illis
præmittenda sunt. Primò enim Alexander 4. his reli- Alexan.4.
B giosis concessit facultatem audiendi confessiones,
quam postea confirmauit Vrbanus 4. & Clemens 4. Vrban.4.
qui, vt refertur, simpliciter illam concesserunt, quan- Clem.4.
quàm non respectu omnium, sed eorum, qui ad au-
diendas eorum conciones conueniebant, vt refert
Alens. 4.p.q.78.memb.1.art.3. ad 1. Postea verò Bo- Alens.
nifacius 8. in Extrauag. *Super Cathedrā*, de Sepulturis, Bonif.8.
concessit hanc facultatem simpliciter respectu
omnium, ea tamen conditione; vt superiores, Genera-
les, vel prouinciales tenerentur priùs facultatem pe-
tere ab Episcopo ad eligendos confessores, deinde
electos præsentare ipsi Episcopo; vt eos admitteret;
C quòd si id facere nollet, illa præsentatio sufficiebat,
& Pontifex extunc illos admittebat. Deinde verò Be-
nedictus 11. in Extrauag. *Inter cunctas*, de priuilegiis,
confirmauit eadem priuilegia, & abstulit necessita-
tem illius solennitatis, seu præsentationis, sed solùm
voluit vt dicti superiores verbo, vel scripto significa-
rent Episcopis se designasse religiosos aliquos ad
confessiones audiēdas, non explicando eorum nume-
rum, neque nomina, neque expectato cōsensu Episco-
porum. Tandem verò Clemens 5. cum Concilio Clem.5.
Viennensi in dict. Clement. *Dudum*, de Sepulturis, re-
uocauit hanc Extrauagantem Benedicti, & reduxit
rem ad statum, in quo per Bonifacium erat cōstituat,
& in eo durauit vsque ad Concilium Tridentinum.

12 Et quoniam Auctores cēsent adhuc etiam dura- 12
re in omnibus, quæ per Tridentinum innouata non Conc. Trid.
D sunt, aduertendum est, duo fuisse à Bonifacio re-
quisita: primum, petitio licentiæ ad eligendos con-
fessores: secundum, præsentatio eorum, quæ in rigo-
re significat personalem præsentiam. Ex quibus Syl- Sylvest.
uester verb. *Confessor*. 2.q.1.dicit, primum non fuisse ne-
cessarium simpliciter, sed ex quadam vrbanitate: se-
cundum verò fuisse ita necessarium, vt sine illo non
possent isti Religiosi gaudere priuilegiis Pontificiis.
Nauarrus autem cap. 27.n. 294. dixit vtrumque es- Nauarr.
se necessarium, quia Pontifex eodē tenore vtrumque
postulat. Vnde Armilla verb. *Absolutio*, n. 24.dicit, si Armil.
Religiosi non seruent hanc solennitatem, sed simpli-
citer petant ab Episcopo licentiam audiendi confes-
siones, posse quidem ab ipso Episcopo recipere iuri-
sdictionem, non tamen per priuilegia Pontificia, ni-
si tacitè vel expresè intelligatur Episcopum cedere
E iuri suo, & esse contentum. Hactenus de iure vsque
ad Tridentinum. Hoc supposito, est sententia Na- Sententia
uarr. per Concil. Trident. non esse derogatum hoc Nauar.
ius, sed priuilegia hæc manere in eodem statu, in
quo antea erant. Fundamentum eius est, quia illa
priuilegia in duobus Conciliis Generalibus recepta,
& in iure posita, iam habent vim Conciliaris legis:
non est autem verisimile huiusmodi legem esse de-
rogatam per Tridentinum, nulla facta eius mentione:
quia iuxta principia Iurisperitorum, non derogatur
Conciliaris lex, non facta illius mentione speciali,
vel vniuersalis Cōcilij in genere. Et confirmatur, quia
hîc approbatio debita habet vim obtentæ ex adminis-
culo iuris.

Sed

Nauar. sent. reprobatur.

Sed hæc sentẽtia nec vera, nec practicè probabilis mihi videtur. Primò, quia illa exceptio repugnat expresè illis verbis Concilij, *Nullus sacerdos secularis, vel regularis*: vbi primùm eos in hoc æquiparat. Deinde rogo, an Concilium aliquid nouum statuat circa regulares, nécne: si nihil, cur eos nominat? & si aliquid, ergo & aliquid addit iis, quæ anteà statuta erãr; & id, quod denuò statuit, vult ad regulares extendi: statuit autem vt requiratur approbatio obtenta, sicut ostensum est: ergo vult hanc etiam regularibus esse necessariam; & hoc addit antiquiori iuri. Secundò retorquetur fundamentum Nauarri, quia hoc decretum etiã Conciliare est, & Pontificale, quãdoquidem per Pontificem confirmatum est: sed lex Pontificia addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiãsi in iure cõtineatur, & nulla fiat expressa illius mentio, quãdo verba posterioris legis hoc requirunt, vt apertè colligitur ex c. 1. & 2. de Constitutionibus. in 6. ergo.

14 Obiect. occurritur.

Nec dici potest, Cõcilium in illis verbis intelligendum esse de regularibus non habentibus priuilegia: tum quia ferè nulli sunt huiusmodi, & ita dispositio Concilij fuisset nullius momenti: tum etiam, quia statim addit, *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, &c.* Tertiò Pius 5. in motu proprio 38. anni 1567. qui incipit, *Et si Mendicantes*, concessit his Religiosis, præsertim Theologiæ Magistris, vt speciale priuilegiũ, quòd sine approbatione Episcopi possent audire confessiones, non reuocando Clemẽtinam, *Dudum*, sed solùm Conc. Trid. ergo intellexit ex vi illius necessariã esse regularibus hanc approbationem. Vnde anno 1571. in 44. Motu proprio, qui incipit, *Romani Pontifices*, reuocauit priorem motum, & apertè docuit, etiam Magistros Theologiæ regulares indigere hac approbatione. Quod posteà confirmauit Greg. 13. anno 72. Motu proprio 15. qui incipit, *In tanta*, & reduxit ad formam Concilij: ergo clarè supponunt hi Pontifices hanc legem Concilij comprehendere regulares omnes. Quartò, si sententia Nauar. vera esset, etiãsi Episcopi iustè non admitterent huiusmodi Religiosos, non obstaret, &, si vellent illos examinare, non haberent ius, quia ex vi Extrauagantis, *Super Cathedram*, & Clementinæ, *Dudum*, examen, & iudicium horum regularium suis superioribus concessum erat, & solum requirebatur exterior præsentatio; nec Episcopi poterant prætendere aliquam causam ad non admittendos illos: ergo, si Conc. Trid. in nulla re derogauit illa priuilegia, apertè sequuntur quæ intulimus; quæ tamen absurdissima sunt, & quæ nec ipse Nauar. concedet. Præterea inter responsiones Cardinalium circa Concilium in 1162. declaratur Religiosos, etiam prælatos, non posse familiares suos, suisue monasteriis seruientes absoluere, nisi sint approbati ab Episcopis: ergo multò minùs poterunt reliquos seculares.

## ASSERTIO.

15 Dicendum ergo est, etiam his regularibus necessariam esse hanc approbationem obtentam: tenentur tamen Episcopi ex iustitia illam non negare sine iusta causa, & grauiter peccarent aliter faciendo: & quanuis per Clement. *Dudum*, possint Episcopi certum numerũ Religiosorum approbare, iuxta necessitatem populi, & non plures; tenentur tamen, si Religiosi habeant alia priuilegia Pontificia, ea illis seruare, vt constat ex c. *Quanto amplius*, de Priuilegiis. Denique addendum in hoc videtur, illam solennitatem requisitam olim ex Clem. *Dudum*, nunc non esse aliter necessariam, quàm Concil. Trid. postulat. Vnde quacunque ratione Episcopi contenti sint, & Religiosos approbent, illis satis est, vt priuilegiis suis vtantur: nam, si in restrictione suprà dicta Concilium addidit aliquid priori iuri, cur non in ampliatione? Præsertim cùm Concilium ipsum hoc expresè relinquat voluntati Episcoporum, & verisimile non sit, nunc plus requiri in sacerdotibus regularibus, quàm à secularibus postuletur.

## SECTIO VI.

*Cuius Episcopi approbatio necessaria sit & sufficiat, vt aliquis sacerdos confessionibus audiendis simpliciter idoneus reputetur.*

CONTINGIT aliquando eundẽ esse Episcopũ loci confessoris, & pœnitentis, & tunc non habet locũ præsens quæstio, quia nulla est pluralitas Episcoporũ, inter quos fiat comparatio. Aliquãdo verò alius est Episcopus loci, alius confessoris, alius pœnitẽtis: interdum, licèt idẽ sit Episcopus pœnitentis, & loci, tamẽ confessoris diuersus est, vel è conuerso cùm idem sit Ordinarius loci & cõfessoris, non pœnitentis. Meritò ergo inquisitum est, cuius Episcopi approbatio à Conc. Trid. postuletur, & ordinario iure necessaria sit, & sufficiens. In qua re quatuor excogitari possunt dicendi modi. 1

Prima ergo sententia sit, nullius Episcopi approbationem determinatè requiri, sed confusè alicuius & cuiuslibet sufficere. Itaque, si sacerdos sit approbatus ab aliquo Episcopo, id satis est, siue ille sit Episcopus loci, siue clerici, siue pœnitentis. Hanc sententiam videntur supponere qui dicunt, approbatum ab vno Episcopo, quicunque ille sit, esse idoneum, vt possit eligi in confessorem vbiq; gentium, & à quolibet pœnitente: quam ita expresè declarat, & defendit Hériquez lib. 8. de Indulgẽtiis, c. 12. §. 4. Fundamentum est, quia Concilium nihil aliud requirit, nisi vt sit ab Episcopo approbatus: ergo vbi lex non addidit determinationẽ, non est à nobis addẽda. Præsertim cùm lex illa quoad hãc partẽ restringat quodãmodò priuilegia omnia, & antiquã libertatẽ, & ideò ex hac parte stricti iuris esse videatur. Declarari etiam potest in hunc modum, quia approbatio Episcopi loci non videtur necessaria, vt statim ostendemus, nec Episcopi confessoris, quia potest Episcopus pœnitentis approbare clericum sibi nõ subditum, vt audiat confessiones suorum subditorum, nec Episcopi pœnitentis, quia confessoris sufficit, vt declaratum esse à Cardinalibus, infrà ostendemus: ergo nullius Episcopi ex dictis determinatè sumpti est necessaria approbatio. Quòd autem cuiuslibet sufficiat de Episcopo pœnitentis iam probatum est: de Episcopo confessoris iidem Cardinales declararunt: de Episcopo autem loci patet, quia quilibet Episcopus potest approbare quemlibet sacerdotem dignum, vt in sua diœcesi audiat quoslibet pœnitentes. Hæc sententia valdè ampla videtur, nimiamq;, licentiam concedere: & fundamenta eius non sunt firma: quia Concilium debet iuridicè intelligi, vt dicemus. 2 1. sent.

Secũda ergo opinio dicit necessariã esse approbationem ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Hanc tenet Ioan. Gutierrez in li. 1. Canon. q. c. 27. n. 6. & sequentibus, vbi expresè ita exponit clausulam Bullæ concedentis facultatem eligendi confessorem approbatum ab Ordinario scilicet illius loci, vbi pœnitens confessarium eligere vult, vt illic confiteatur. Probat primò, quia quotiescunque Concilium disponit aliquid faciẽdum ab Ordinario, licèt determinationem non addat, intelligitur de Ordinario loci, *de quo* (inquit) *nemo dubitare potest*. Et potest probari: tum quia aliàs 3 2. sent. Io. Gut.

aliàs summa esset confusio: tum etiam quia Ordinarius debet intelligi iuxta subiectam materiam, & in illo loco non est alius Ordinarius. Secundò, quia Episcopo loci commissa est cura animarum sui Episcopatus in loco commorantium, non verò aliis extraneis Episcopis: ergo ad illum solum pertinet approbatio omnium, qui in illo loco audituri sunt confessiones: & hoc seruandum est, ne confusio sequatur, vt generaliter docent canones, & signatim Conc. Tridentinum, sess. 14. c. 9. de Reformat. Tertiò, quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur, l. vlt. ff. de iurisd. omn. iud. ergo similiter, &c. Et alias rationes adducit prædictus Auctor, quæ communiores sunt, & ad aliud intentum adduci possunt, vt paulò inferiùs dicam, & ideò illas omitto.

Trident.

4 Præced. opin. refellitur.

Hæc ergo sententia, si materialiter (vt ita dicam) intelligatur de loco, in quo fit confessio, difficilè defendi potest. Quia suprà generatim ostensum est, accidentarium esse huic sacramento, quòd in hoc, vel illo loco fiat, dummodò iurisdictio confessorum in pœnitentem retineatur. Et ideò principium illud, *Extra territorium ius dicenti, &c.* in dicto sensu non rectè hic applicatur: quia illud habet locum vbi iurisdictio circa territorium locale terminatur: si autem loquatur de actu iurisdictionis, qui extra territorium exerceri potest, non habet in eo locum illud axioma, vt patet de absolutione ab excommunicatione data extra territorium subdito ibi existenti, vel è conuerso data ab Episcopo existente extra suum territorium, tamen respectu sui subditi. Idem ergo est absolutione sacramentali, vt suprà est ostensum, quanuis autem hìc non sit sermo de iurisdictione, sed de approbatione, non refert: nam, si non obstante necessitate iurisdictionis, potest esse valida absolutio data in alieno territorio, sine iurisdictione Episcopi illius loci, cur non sine approbatione? Eò vel maximè, quòd principium illud ratione solius iurisdictionis in iure proponitur, non ergo bene applicatur. Secundò, declaratur exemplo, quia si subditus Episcopi Conimbricensis Olysippone existens, & habens Bullam Cruciatæ, ibi inueniat sacerdotem approbatum ab Episcopo Conimbricensi, poterit ibi eum eligere, sicut posset etiã confiteri suo Parocho, si ibi esset, vt suprà est probatum: ergo non est necessaria approbatio ab Episcopo loci in dicto sensu. Antecedens videtur certissimum: quia ibi & verba Cõcilij, & clausula Bullæ in omni rigore seruantur, & illa existentia in tali loco est valdè accidentaria. Tertiò, si sufficit approbatio Episcopi loci, ergo poterit pœnitens Conimbricensis habens Bullam, ire Portum, & sacerdotem ibi approbatum eligere quia ille est approbatus ab Episcopo loci. Ergo, & è contrario si illemet sacerdos approbatus ab Episcopo Portuensi, versetur in Episcopatu Conimbricensi, poterit ibi eligi ab eodem pœnitente. Patet consequentia ex illo principio, quòd ad hoc sacramentum existentia localis est extrinseca & accidentaria, sed habitudo inter personas spectanda est. Quartò facit, quòd Cardinales in responsionibus, quas statim referemus, vbi hãc dubitationẽ attingũt, nullam mentionem faciunt Episcopi loci, sed solum confessoris, & pœnitentis, & inter eos iudicium proferunt: signum ergo est, iudicasse loci considerationem impertinentem esse. Potest autem hæc opinio formaliùs intelligi, & reduci ad opinionem sequẽter.

5 3. sent.

Tertia ergo opinio est, approbationem requisitam à Concilio esse approbationem Episcopi ipsius pœnitentis, & ita hanc esse omninò necessariam, & sufficientem: Ita sentiunt multi Theologi, & Iurisperiti in legendo, & consulendo: & hoc magis videtur intendere Ioannes Gutierrez suprà: nam in quarta ratione, vbi ita exponit clausulam bullæ, *ab Ordinario*, scilicet pœnitentis, subdit deinde, *hoc est illius loci vbi exerceri debet administratio sacramenti*, vbi pro eodem videtur sumere Episcopum loci, & pœnitentis, fortè quia supponit, vel pœnitentes in suis propriis locis ordinariè confiteri, vel si alibi vt peregrini confitentur debere ad modum incolarum eiusdem loci confiteri, & consequenter Episcopum loci etiam tunc repurari Episcopum pœnitentis. Et in hoc sensu maiorem vim habent rationes omnes quas adducit: præsertim illæ, quæ sumuntur ex cura, quæ singulis Episcopis demandata est circa oues suas, sub quibus comprehendi possunt non solùm qui domicilium firmum in sua diœcesi habent, sed etiam alij qui ad tempus ibi commorantur, saltem pro eo tempore, & quatenus ibi sacramenta recepturi sunt. Ad hanc autem curam maximè pertinet, vt Episcopus suis ouibus prouideat de cõdignis ministris huius sacramenti: ergo ad pœnitentis Episcopum spectat approbare confessores respectu illorum. Confirmatur: nã Concilium maximè in hoc prospexit saluti animarum sed ad hanc maximè necessarium est, vt Episcopus pœnitentis det illi condignum ministrum: ergo hæc fuit intentio Concilij. Confirmatur secundo, quia in hoc etiam consultum est muneri & obligationi Episcoporum: ergo ita prouisum est, sicut est magis consentaneum: rectæ gubernationi, & ordini hierarchico, vt vnusquisque suarum ouium curam habeat. Tertiò, quia in vno Episcopatu potest requiri maior scientia confessoris, quàm in alio: & vnus Episcopus potest esse exactior & diligentior in examinandis confessoribus, quàm alius, & ideò rationabiliter velle potest, vt sui subditi non confiteantur nisi confessoribus à se approbatis. Confirmatur quartò, quia aliàs multa possunt sequi incommoda, non solùm turbationum, & dissensionum, sed etiam circa fidem & mores, si pœnitentes possint quærere confessores fortasse suis Episcopis minùs gratos, aut eis non probatos. Tandem confirmatur, quia aliàs sequitur, approbatum ab vno Episcopo esse approbatum pro tota Ecclesia, quantùm est ex parte approbationis, quod hoc tempore doctioribus hominibus, & prudentioribus non probatur.

6 4. sent.

Hæc sententia est sine dubio valdè consentanea rationi, ac debitæ gubernationi, ideoque nihil semper ac simpliciter placuit. Posteà verò dubitationem ingesserunt quædã declarationes seu respõsiones Congregationis Cardinalium, in quibus videtur quarta sententia indicari, quam multi viri docti probarunt, nimirum approbationem necessariam esse dandam ab Episcopo eius, qui auditurus est confessiones, & illam esse sufficientem. Hæc ergo opinio probatur primò ex quadam responsione Cardinalium, quæ inter aliàs in hoc Collegio habetur, & in Codice nostri Conimbricẽsis Episcopi est 1159. & circa aliam particulã, *Nullum etiã regularem*, sic habet, *S. D. N. declarauit, tempore Iubilæi posse omnes regulares confiteri peccata sua sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones, in bulla enim non fit mentio nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, nõ autẽ de Ordinario pœnitentiũ.* Circa quã declarationẽ aduerto primò, licèt directè videatur dare de verbis bullæ, tamẽ cõsequenter dari de Concilio: quia intentio Pontificis in bulla non fuit immutare Conciliũ, sed potiùs illi satisfacere, vt forma ab illo præscripta seruetur: ergo, sicut bulla loquitur de Ordinario confessoris, supponit de hoc locutũ esse Cõciliũ. Secũdò aduerto, licèt declaratio illa loquatur de regularibus, tamẽ eãdẽ rationem esse de omnibus pœnitentibus: tũ quia Cõcilium & bulla indifferenter loquuntur de omnibus: tum etiã, quia, si rationes tertiæ opinionis essent efficaces in contrarium, etiã in regularibus procederent: ergo

Declaratio Cardin. expenditur pro hac sententia.

ergo, si illæ non obstant in regularibus, nec in aliis obstabũt. Tertiò expẽdo, indicari in illis verbis satis expressè, in casu, in quo Episcopus confessoris & pœnitentis distincti sunt, non solũ approbationem ab Ordinario cõfessoris esse necessariam, sed etiã approbationem Episcopi pœnitentis non esse necessariã: quia dicitur, *de Ordinario pœnitẽtis*, nihil in bulla dici, quia scilicet nõ refert ad valorem cõfessionis virtute bullæ faciendæ. Quòd si ad hanc electionem seu confessionem virtute bullæ faciendam sola illus Episcopi approbatio necessaria est, qui est Ordinarius confessoris, in quocunque alio casu idẽ dicendum erit ex vi Concilij: quia Concilium generaliter loquitur.

7 Ex alia resp̃sione Cardin. eadem sent. probatur.

Secundò argumentor ex alia responsione suprà tacta, quæ sic habet: *S.D.N. audita relatione Congregationis, declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in c. fin. de Pœn. & rem. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus seu approbatus ad audiendas confessiones.* Apertè ergo supponit hæc responsio, ex decreto Concilij necessariam esse approbationem Ordinarij ipsius sacerdotis: aliàs cur non posset Episcopus talem sacerdotem per se approbare, sicut posset illum approbare pro suis ouibus?

8 Euasio.

Dicet fortè aliquis, Concilium quidem per se requirere approbationem Episcopi pœnitentis: nihilominùs Pontificem cùm in bullis concedit priuilegia eligendi cõfessorem approbatum, posse eligere cuius Episcopi approbationem voluerit, quia ipse est pastor vniuersalis, & ad ipsum, vt ad proprium pastorem, pertinent omnes oues Ecclesiæ, & ideò potest hac vel illa approbatione Episcopi esse contentus. Declarauit autem, vt pro facultate eligendi confessorem à se concessa, sola approbatio Episcopi eius, qui eligendus est, requiratur, vt constat ex dictis Cardinalium declarationibus, quas supponimus mẽtem & voluntatem pontificis continere. Potuit autẽ huius declarationis ratio reddi; quia respectu talium facultatum non potest semper approbatio postulari ex parte Ordinarij pœnitẽtis, vt patet in facultate Episcoporum ad eligendum confessorem, & de illa quæ conceditur regularibus per Iubilæa: vt ergo vniuersalis esset & informis approbatio, meritò ex parte Episcopi confessoris postulata est.

9 Præcluditur.

Veruntamen hæc euasio non videtur satisfacere: quia quando Gregorius xiij. declarauit Episcopo debere eligere sacerdotem approbatum, non intendit aliquid addere: vel mutare in Concilio: nã potiùs dixit, *In re dubia tutius est adhærere Concilio.* vt in eisdem declarationibus Cardinalium refertur. Si ergo alias declaratum est, talem sacerdotem eligendum ab Episcopo, debere esse approbatum ab Episcopo ipsius sacerdotis, si ille diuersus sit, signũ est hoc esse ius ordinarium, & sensum Concilii Tridentini, & ex vi illius talem approbationem esse necessariam. Confirmatur, quia si vnus Episcopus non potest eligere in proprium confessorem alienum sacerdotem, nisi ille à suo Episcopo approbatus sit, multò minùs poterit ei committere oues suas: ergo signum est approbationem proprij Episcopi esse ex parte confessoris necessariam. Tertiò, possumus argumentari ratione, quia hæc approbatio est actus iurisdictionis, ergo per se pertinet ad superiorem, qui iurisdictionẽ habeat in eum, qui approbatur: ergo dari debet ab Ordinario eius. Et declaratur amplius hæc ratio, quia approbatio non respicit, per se loquendo, hunc vel illum pœnitentem, sed est absolutum iudiciũ de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones: ergo per se spectat ad eum, qui est ordinarius iudex, & Episcopus eius, qui auditurus est confessiones. Accedit etiam optima congruentia, quia verisimile est vnumquemque Episcopum melius posse ferre iudicium de sibi subditis, quàm de alienis sacerdotibus. Item quia leges attendunt quod frequentiùs accidit, & necessarium est: huiusmodi autem in præsenti est approbatio data à proprio Episcopo confessoris: nam regulariter audit cõfessiones ouium eiusdẽ Episcopi.

10 Inter duas vltimas sententias iudicium fertur, & præfertur vltimum.

Inter has duas opiniones vltimas, mihi difficile est ferre iudicium, non tam propter efficacitatem rationum (vtrinque enim tantùm sunt congruentiæ morales, quibus satisfieri posset) quàm propter responsa Cardinalium, quæ pro vtraque parte referuntur, & videntur aliquo modo inter se pugnantia. Quia verò de his respõsionibus, quæ vltimo loco adduximus, nobis certius constat, & quia in eis expressius dicitur datas esse à summo pontifice; ideò eas ad literam sequendo, absolutè dicimus, Episcopum, de quo Concilium loquitur, esse debere Ordinarium eius, qui auditurus est confessiones. Curabimus autem simul ita hoc interpretari, & accommodare, vt aliæ etiam respõsiones Cardinalium locum habeant, & consequẽter, vt tertia etiam opinio aliquo modo explicetur: quod faciemus commodiùs tractando varia dubia, quæ circa hanc sententiam, & circa has responsiones Romanas occurrunt.

## *Quædam dubia pro vera quæstionis decisione enucleantur.*

11 1. dub.

PRIMVM dubium incidens est, cur à regularibus postulatur, iuxta dictas declarationes Cardinalium, vt eligant sacerdotem, qui approbatus sit à suo ordinario Episcopo, cùm Concilium declaret se non loqui de pœnitentibus regularibus, sed de secularibus tantùm: & ideò suprà dixerimus ad audiendas confessiones regularium non esse necessariã Episcopi alicuius approbationem. Respondetur, illud prius dictum esse verum, considerato iure proprio ipsorum regularium, quod noluit Concilium immutare, vt suprà dixi: hîc verò agitur de speciali priuilegio concesso regularibus per Iubilæum Pontificium ad eligendum confessorem, quod non est cõcessum nisi iuxta formam Concilij, & ideò per illud non possunt eligere confessorem nisi approbatum ab Ordinario. Hoc autem ita esse constat ex ipsis bullis: quia expressè requirunt, vt electio sit sacerdotis approbati *ab Ordinario*: loquuntur autem indifferenter ac generaliter, & ideò certum est, nemini concedi illud priuilegium, nisi sub illa conditione: non possunt ergo excipi regulares: si ergo vti volunt illo priuilegio, eandem conditionem obseruare tenentur. Non potest autẽ nomine *Ordinarij* intelligi Prouincialis, vel alius prælatus ipsius religiosi; tum quia Pontifex addit illud verbum: quia vult seruari Concilium Tridentinum, & approbationem in illo postulatam, in qua nihil possunt prælati religionum, sed soli Episcopi: tum etiam, quia verba illa generalia sunt, & eandem significationem respectu omnium habent: constat autem respectu reliquorum omnium fidelium requiri approbationem Episcopi. Item est certum: si religiosi velint eligere secularem clericum (suppono enim in hac amplitudine Iubilæum concedi) illum ab Episcopo, & non à prælato religionis debere esse approbatum. Item, si vnus religiosus eligat alium alterius religionis, non poterit eligere approbatum ab Ordinario prælato ipsius pœnitentis, ergo semper debet intelligi Episcopus nomine Ordinarij. Nam licèt fortè in aliis locis vel rescriptis possit nomen Ordinarij extendi ad prælatos religionis cum proportione, & distributione accommoda, in præsenti nullo modo potest: quia est sermo de actione

ctione propria Episcoporum, qualis est approbatio idonei confessoris.

12 Secundum dubiũ, possintne Episcopi alienũ sacerdotem pro suis subditis approbare.

Secundum dubium est, quia ex dicta resolutione sequitur, non posse aliquem Episcopum approbare in suo Epi copatu alienum sacerdotem sibi non subditum, & à proprio Episcopo non approbatum, vt suorum subditorum confessiones audiat, vel dando illi iurisdictionem, vel approbando illum, vt per bullã eligi possit à subditis: consequẽs autem est falsum: ergo sequela patet: quia diximus, approbationẽ Episcopi proprij ipsius sacerdotis esse necessariam: ergo, si hæc non supponatur, non potest alius Episcopus clericum sibi non subditum approbare. Confirmatur ratione facta, & sumpta ex respõsione Cardinalium; quia vnus Episcopus non potest eligere in suum confessorem sacerdotem subditum alteri Episcopo, nisi ab illo approbatus sit: ergo signum est, nõ posse illum approbare, & exponere pro confessionibus suorum subditorum audiendis: nam si posset pro aliis; cur non pro se? Cur autem pro neutris possit, ratio reddi potest, quia hæc approbatio est actus iurisdictionis, & ideò solùm à superiore circa suum subditum exerceri valet. Minor autem probatur, quia videtur esse cõtra praxim, & communem vsum Episcoporum. Videtur etiam contra rationem: cur enim nõ poterit quilibet Episcopus vndecunque sibi asciscere ministros, vt si eos sufficientes inuenerit, in sacramẽtorum administratione illis iuuetur.

13 Dubio satisfit.

Respõdeo breuiter, dupliciter posse intelligi Episcopum approbare non subditum. Primò in sensu composito (vt sic dicam) id est, manentem non subditum, vel in sensu diuiso, id est, illum qui non erat subditus. In hoc posteriori sensu certum est, posse Episcopum approbare in suo Episcopatu clericum alterius diœcesis, qui ei subdatur, tum ad examen, tum etiam ad ministerium, vel Ecclesiæ alicuius seruitium, vel si mutet domicilium, aut habitationẽ pro aliquo tẽpore: nã pro illo poterit illũ approbare. Et hoc probat ratio facta & vsus. Itẽ quia iure antiquo hoc licitũ erat: nũc autẽ prohibitũ non est per Cõc. Trid. Tunc autem consequenter censeo dicendum, Episcopum posse sacerdotem sic à se approbatum, in confessorem eligere: nã id est planè consequens, vt prior ratio probat: neque id erit contra responsiones Cardinalium: quia iam ille sacerdos non consideratur, vt alienus, sed vt subditus; & vt sic iã approbatus à suo ordinario. At verò in priori sensu dici potest absolutè, Episcopum non posse approbare aliquẽ sacerdotem, qui ei aliquo modo non subiiciatur: nã hoc persuadent contrariæ rationes, & præsertim responsio illa Gregorij xiij. quòd Episcopus non potest eligere alienum sacerdotem, vt ei confiteatur, nisi à suo Episcopo approbatus sit. Ex quo fieri videtur, approbationem Episcopi datam alieno, ad tempus sibi subiecto, solũ durare quandiu illa subiectio manet, sicut suprà dicebamus de approbatione per beneficiũ parochiale, quod solùm durat, quandiu beneficium durat, quia posteà iã non habet beneficium; sic enim in præsenti ablata subiectione, iam non est approbatus à suo ordinario, nec simpliciter, nec secundùm quid. Non nego tamen posse Episcopum ita approbare aliquem sacerdotem sibi non subditum simpliciter, sed ad tempus, vel ad aliquod munus, vt licèt à suo Episcopatu recedat, approbatio duret, vt quoties ad eũdem Episcopatum redierit, vel quocunque modo se gesserit vt minister eius, & ei subditus, possit dicta approbatio sufficere donec reuocetur: hoc enim vsu obseruari videmus præsertim cum regularibus, & eadem ratione fieri posset cum secularibus clericis: nec est cur repugnet, aut excedat Episcoporum potestatem.

Tertium dubium hîc incidenter incurrens ex dictis etiam facilè expeditur; quomodo scilicet regularis habeat proprium Episcopum, à quo approbari possit, cùm ipse sit exemptus, & ideò non videatur habere Episcopum ordinarium, à quo approbetur: eius autem Ordinarius prælatus vel prouincialis non habet potestatem approbandi. Dicendum enim est, licèt religiosi exempti sint, ratione domicilij vel habitationis fieri aliquo modo subiectos Episcopo loci, in quo resident, vnde quoad aliquos actus illis obedire, & aliquam subordinationem seruare tenentur, & iuxta antiqua iura tenebantur ei præsentari. Ita ergo nunc possunt eius approbatione indigere, vt iuxta Concilium Tridentinum idonei reputentur. Quod patet ex ipso Concilio: nam eodem tenore loquitur de approbatione regularium, & secularium clericorũ ab Episcopis facienda, vt ad confessiones secularium audiendas idonei reputentur: sed declaratum est Episcopum approbantem esse debere Episcopum confessoris, Ordinarium scilicet illius: ergo necesse est idem cum proportione intelligi de regularibus: non potest autem alio conuenienti modo illis Ordinarius assignari: ergo. Accedit, quòd hic modus explicandi ordinarium Episcorum regularium est consentaneus communi modo loquendi, & sentiendi Ecclesiæ: sic enim regulares quandiu in aliquo Episcopatu domicilium habent illius diœcesis Episcopum, suum Episcopum vocant, & vt talem reuerentur, & illi parent in his, in quibus subiecti esse possunt: & in multis aliis locis Concilij ita appellatur Ordinarius respectu illorum. Denique hoc modo facilè etiã conciliatur, vt talis confessor sẽper sit approbatus ab Episcopo pœnitẽtis, vt ex dicendis amplius cõstabit.

14 Quis sit proprius Episcopus regularium. Dub. 3.

Quartum dubium est, an approbatio data ab Episcopo confessoris, sit sufficiens, vt sacerdos sic approbatus sit capax cuiuscũque iurisdictionis in hoc foro. Ratio difficultatis pro parte negante est: quia sequitur sacerdotem approbatum à suo proprio Episcopo esse sufficienter approbatum pro vniuersa Ecclesia, quantùm est ex parte approbationis: quia approbatio, vt sic, non dat iurisdictionem, vt sæpe dixi: sed est quasi vltima dispositio ad illam: ergo, si approbatio proprij Episcopi est sufficiens præparatio (vt sic dicam) ad iurisdictionem, vbique sufficit, vt talis sacerdos vel in cõfessorem eligatur, vel in ministrum à Parocho, vel ab alio Ordinario assumatur. Consequens autem videtur durum, ac præter debitum ordinem: ergo. Aliunde verò facit, quia Concilium vnã tantùm requirit approbationem, nec videtur verisimile, si confessor & pœnitens diuersum habeant Episcopum, vtriusque approbationem esse in confessore necessariam: hoc enim est multiplicare onera, & vincula sine fundamẽto sufficiẽte: ergo si approbatio Episcopi ipsius sacerdotis necessaria etiam est respectu fidelium subiectorum alteri Episcopo, vt dictum est: illa etiã erit sufficiens, quantum est ex parte approbationis.

15 An sacerdos approbatus à suo Episcopo sit capax omnis iurisdictionis in hoc foro. 4. Dub.

Suppositis sanè declarationibus Illustrissimorum Cardinalium, quas adduxi, hæc pars posterior videtur conuinci ratione facta. Quare distinguendum censeo, vel per se, & ex vi Concilij, vel ex intentione delegantis iurisdictionem: hoc posteriori modo certum est pro arbitrio delegantis posse requiri approbationem, non tantùm Episcopi sacerdotis, sed etiam pœnitentis. Quia liberum est deleganti designare personam, & hanc vel illam conditionem in ea exigere vt eligi possit, vt quòd sit Doctor, vel Licẽciatus, aut quid simile. Sic ergo potest Põtifex dare facultatẽ eligendi confessorem ab Episcopo pœnitẽtis approbatum, ita vt aliter non sufficiat: & tunc, si Episcopi sint diuersi, vtriusque approbatio necessaria

16 Dubij resolutio.

ria erit, vt per talem facultatem eligi quis possit. Similiter quilibet Episcopus dando suis ouibus licentiam eligendi confessorem, potest illam arctare ad confessorem à se approbatum: neque in hoc video rationem dubitandi. At verò loquendo priori modo, & ex vi Concilij, censeo sufficere approbationem Episcopi confessoris. Quod sic declaro: nam Papa si velit dare fidelibus generalem licentiam eligendi quemcunque confessorem approbatum ab Ordinario sacerdotis eligendi, per hoc nihil derogabit Concilio Tridentino, etiamsi non requirat approbationem Episcopi pœnitētis. E contrario verò non posset esse cōtentus sola approbatione Episcopi pœnitentis, nisi derogando in hoc Concilio Tridentino. Atque hoc quidem posterius sequitur ex prima assertione posita, qua ostensum est, approbationem ab Episcopo confessoris esse necessariam ex vi Concilij. ergo non potest alia sufficere nisi derogando huic iuri. Prius autem patet: tum ratione facta, tum exemplis regularium, quando ad vtendum aliqua bulla coguntur eligere sacerdotem approbatum ab Ordinario: nam tum sufficit approbatio Ordinarij confessoris: & per hoc intelligunt Pontifices satisfieri decreto Concilij. Idemque argumentum fieri potest de Episcopo eligente alienum sacerdotem in suum confessorem. Tum denique, quia in dictis declarationibus non solùm dicitur requiri approbationem Ordinarij confessoris, sed etiam additur de Ordinario pœnitentis nullam in bulla fieri mentionem, ergo neque in Concilio: iam enim ostensum est vtrobique esse sermonem de eodem Ordinario. Confirmatur tandem, quia non sunt multiplicanda onera sine lege, vel ratione cogente: esset autem nimis onerosum, exigere approbationem vtriusque Ordinarij, confessoris scilicet, & pœnitentis, quando illi diuersi sunt: cùm tamen id neque Concilium dicat, nec ratio conuincat. Ad rationem autem in contrarium patebit responsio ex seq. sect.

## SECTIO VII.

### *An vnius Episcopi approbatio, pro vniuersa Ecclesia sufficiat.*

SVPPONIMVS non esse quæstionē de approbatione, quam summus Pontifex per seipsum conferre potest: clarū est enim posse, si velit, quencūque dignum sacerdotē pro vniuersa Ecclesia exponere & approbare. Illa tamen approbatio non esset ea, de qua Concilij Tridentinū loquitur, & quam Pontifex ipse ordinariè seruari vult, etiam in bullis & priuilegiis ab ipso cōcessis. De hac ergo ferè eædem sūt opiniones, quæ suprà tractatæ sunt: nam hæ quæstiones connexæ ferè sunt, ac dependentes. Qui ergo existimant necessariam esse approbationē Episcopi loci, vel pœnitentis, consequenter aiunt, non sufficere approbationem vnius Episcopi pro tota Ecclesia ad quamcūque delegationem, siue fiat ab inferioribus prælatis vel Parochis, siue ab ipso summo Pontifice, nisi expressè in iure Concilij Tridentini dispenset. Hāc opinionē in effectu tenet Ioannes Gutierrez lib. 1. Canon. quæstio. cap. 27. Emmanuel Rodericus in expositione bullæ. §. 5. vbi refert Patriarchā Archiepiscopū Valentinū in hoc pūcto consuluisse Illustrissimos Cardinales, eósque ita respondisse: *Congregatio Concilij respondet, approbatum ab alio quam à Valentino Episcopo, in diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario.* Quæ verba refert hic Auctor se vidisse, & legisse in epistola ad prædictum Patriarcham. Refert etiam, à multis doctis viris esse hanc sententiam receptam. Rationes autem, quibus ipse vtitur, omnes supponunt Concilium loqui de Ordinario pœnitentis, & non eius, qui auditurus est confessiones: hoc autem esset probandum: nam illo supposito, illatio per se satis clara est. Confirmari autem potest, quia approbatio confessoris est actus iurisdictionis, qui licèt versetur proximè circa sacerdotem: terminatur autem (vt sic dicam) ad pœnitentem, propter quem sacerdos approbatur: ergo non transcendit terminos potestatis Episcopi approbantis, qui termini (vt dixi) in hoc negotio magis comparatione personarum, quàm locorum, sumendi sunt. Denique rationes omnes superiori sectione factæ in 2. & 3. opinione hìc accommodari possunt.

Prima opinio.

Ioan. Gutierrez.

Emmanuel.

Secunda opinio, Henriquez Medin. Palacios. Corduba.

Secūda opinio in quodā sensu improbabilis iudicatur.

In alio probabiliori sēsu, secunda sententia proponitur.

Secunda opinio absolutè dicit, approbationem ab vno Episcopo datam, sufficere ex hac parte pro tota Ecclesia, id est, vt sacerdos sit idoneus ad iurisdictionem recipiendam ab eo, qui aliàs possit eam delegare. Hanc tenet Henriquez suprà dict. lib. 8. de Indulgentiis, cap. 13. circa finem, qui eam tribuit Medin. 1. 2. q. 19. ar. 6. circa finem, vers. *Cæterùm.* vbi solùm dicit esse probabilē, quam licitè in praxi sequitur. Tribuit etiā Palacios 4. d. 27. disp. 7. pag. 265. sed ibi solùm dicit, sacerdotem idoneum eligendum per bullā debere esse approbatum ab Ordinario, iuxta tenorē Tridentini: quod non ampliùs declarat. Imò col. 258. inclinare videtur in priorē sententiam, vbi post similia verba subdit, *Si igitur Ordinario videbitur sat esse ad confessiones præficere eos, qui alioqui imperiti sunt, secundùm ius idonei sunt reputandi: si verò alia exegerit ad confessionis audientiam, illa erunt necessaria idoneitati huiusmodi.* vbi hoc videtur ponere in arbitrio vniuscuiusque Ordinarij. Citat denique Cordubam in Sum. Hispana, q. 10. qui eam satis significat. Fundari potest, quia Concilium solùm requirit Episcopi approbationē, vt sit idoneus respectu secularium, sine vlla exceptione. Nec refert quòd Concilio in plurari dicat, *ab Episcopis*, quia loquitur etiam respectu pluriū sacerdotū, & non intelligit singulos debere approbari ab Episcopis, sed confessores, confusè etiam loquendo. Sed hoc fundamentum parui momenti est: nam verba Concilij ad vtramque partem applicari possunt: & in rigore iuris potiùs videntur interpretanda de Episcopo, qui sit superior seu Ordinarius respectu talium personarum, vel alicuius ex illis. Quocirca opinio illa ita vniuersaliter intellecta, nimis amplā & liberā facultatem tribuere videtur: multa enim ex illa inferri possunt, quæ practicè non videntur tuta, nec consentanea rationi & consuetudini. Sequitur enim, posse aliquem pœnitentem eligere confessorem, qui nec ab Ordinario ipsius pœnitentis, nec ipsius sacerdotis approbatus sit, sed ab alio Episcopo extraneo: consequens autem videtur absurdum. Quî enim credibile est, posse vnum Episcopū ita exponere sacerdotem sibi non subditū, vt in vniuersa Ecclesia haberi debeat idoneus ad confessiones audiendas? aut quo iure data est talis potestas Episcopo alieno? Sequitur etiam, Mendicātes seu regulares ab vno Episcopo approbatos, posse vbique audire confessiones virtute suorum priuilegiorum, quod est contra motum Pij V. & Gregorij XIII. de hac re. Et alia similia inferri possunt, quæ in sequentibus annotabimus.

Igitur, vt hæc opinio probabilitatem habeat, restringenda videtur ad approbationem simpliciter, quę solùm ab Episcopo Ordinario ipsius sacerdotis dari potest: quia solus ille habet propriam & directam iurisdictionē in ipsū, quæ necessaria videtur ad talē actū. Itaque dupliciter approbari potest aliquis sacerdos ad confessiones audiendas. Vno modo, secundū quid tantum, id est, pro certo, vel ad certum tempus, vel

pro

pro talibus personis, & tũc censeo approbationẽ illã non sufficere vltra terminos concessionis, vt docent citati Auctores. Et ratio est, quia approbatio cõmissa est Episcopo, & ideò non plus valet, quàm ab illo data est: si ergo data est ad determinatum locum, extra illum non valet. Et talem esse censeo approbationem datam ab Episcopo pœnitẽtis, qui non est ordinarius ipsius confessoris: nam ille solũ respectiuè potest illum approbare pro suis subditis: & ideò sic approbatus, ab aliis extraneis, & non subditis tali Episcopo, eligi in confessorem nõ poterit, nec alio modo iurisdictionem in illos accipere, quia nullo modo est approbatus ab Ordinario respectu illorum. Idemque esset si approbatio, etiam data ab Episcopo proprio ipsius sacerdotis, limitatè daretur pro sola sua diœcesi: quia tunc etiam non esset approbatio simpliciter. Tũc ergo per bullã eligi poterit talis sacerdos ab his, pro quibus approbatus est, quia quoad illos approbatus est ab Ordinario, non verò poterit ab aliis eligi, propter cõtrariam rationẽ. Nec verò respectu priorũ inutile est tale priuilegiũ: tũ quia dat iurisdictionem, quam per se non dat approbatio sola: tùm quia regulariter solet dare ampliorem iurisdictionem, quàm soleat dari ab Ordinariis: tum denique quia nõ est solùm ad eligendũ talem sacerdotem, sed etiã quemcunque alium sufficiẽter approbatum. At verò si proprius Ordinarius velit; videtur dare absolutam approbationem, declarando hanc personam esse idoneã simpliciter ad hoc ministerium, quia hoc nõ excedit iurisdictionem eius, quia hæc declaratio est per modum cuiusdam iudicij vel sententiæ, quæ dari potest absolutè de persona ab habente in illam directã iurisdictionem, abstrahendo ab omni respectu ad loca, vel personas. Vnde potest dici talis Episcopus tũc dicere ius extra territorium suum: nam sentẽtia in vno loco data, quatenus adhæret suo modo tali personæ; habet effectum vbique locorum, qui cum illo quodammodò incedit. Sic excommunicatus ab vno Episcopo, est vbique excommunicatus, & Licenciatus in vna Vniuersitate, vbique habet testimonium publicum scientiæ, & sic de aliis.

4 Secunda opinio in posteriori sensu probatur.

Hoc ergo supposito, probabilis fit hæc opinio, quæ explicari potest applicando distinctionem suprà insinuatam. Possumus enim loqui de sufficientia & necessitate approbationis, vel ex vi Concilij, vel ex aliis principiis, aut ex intentione delegantis iurisdictionem. Dicta ergo opinio loquitur priori modo, & sic sequitur cum magna probabilitate ex principiis positis. Nã ostensum est Concilium vnius tãtum Episcopi ordinarij approbationem requirere: ostensum est etiam Episcopum sacerdotis posse illum simpliciter & absolutè approbare. Quod autem caput est, hoc videntur planè supponere respõsiones Romanæ, & Pontificiæ superiori sect. citatæ. Cur enim potest Episcopus eligere alienum sacerdotem approbatum à suo Ordinario; & non aliàs, nisi quia illa approbatio pro omnibus sufficit, si aliàs iurisdictio delegetur? Idem quæri potest de religioso, qui potest eligere sacerdotem solum à suo Ordinario approbatum, sine vllo respectu ad Ordinarium pœnitentis. Prætereà in hoc nulla fit iniuria aliis Episcopis, qui possunt non delegare suam iurisdictionem sacerdotibus à se non approbatis: possunt etiam prohibere suis Parochis ne illam delegent nisi eisdem, & annullare delegationẽ aliter factam: & hoc satis est vt suis ouibus cõsulant: Si autẽ Papa delegãdo iurisdictionẽ suã, voluerit esse contentus illa absoluta approbatione Ordinarij sacerdotis, nullam iniuriam facit Episcopus: quia ipse est vniuersalis pastor, & potest prouidere suã ouibus vt iudicauerit expedire. Sicut dando Religioso facultatem eligendi cõfessorẽ approbatum ab Ordinario solius sacerdotis, non facit iniuriam Prouinciali, vel prælato religionis, qui est ordinarius pœnitentis quo ad iurisdictionẽ in hoc foro. Et olim ante Concilium Tridentinum, quilibet sacerdos idoneus cuiuscũque diœcesis eligi poterat per diplomata Pontificia sine præiudicio Episcoporum: nunc autem per decretum Concilij non est illis datum aliud ius nouum, præterquàm vt suos subditos approbare debeãt, sine qua approbatione non possint idonei reputari.

5 Conclusio posita, iuxta modum delegationis, & intentionem delegãtis limitanda.

Quanuis hæc ex vi Concilij, & de possibili (vt sic dicam) vera sint, nihilominùs in particulari & ad iudicandum de modo delegationis aut facultatis cõcessæ, alia principia spectanda sunt, & præcipuè modus approbationis, & intentio delegantis. Clarum enim est, liberum esse concedenti iurisdictionẽ alicui sacerdoti, dare illã sub cõditione: vt sit approbatus ab Episcopo diœcesis, in qua confessiones audit, seu ab Episcopo pœnitentis, & non aliàs. Item qui dat pœnitenti facultatem eligendi confessiorem, potest illam limitare ad sacerdotem approbatũ ab Episcopo ipsiusmet pœnitẽtis. Delegatio enim & modus delegationis pendet à voluntate delegantis, & ideò nõ extenditur vltra intentionem eius. Itẽ ex parte approbationis potest esse limitatio, si non sit absoluta, sed secundùm quid, vt explicuimus. Aliquando etiã potest esse aliũde prohibitio administrandi sacramẽtum in alieno Episcopatu, non ob defectũ approbationis, sed ex alio capite propter debitũ ordinẽ: & tunc etiã non sufficiet approbatio alterius Episcopi sine licentia proprij. Quæ omnia explicantur meliùs ad varios casus per nonnulla dubia particularia descendendo.

## *Varij casus & dubia proponuntur & explicantur, vt doctrina superiùs data magis innotescat.*

6 Primum dubium.

PRIMÒ ergo dubitari potest, quando summus Pontifex concedit omnibus fidelibus facultatem eligendi in cõfessionẽ quemlibet presbyterum approbatũ ab Ordinario, an possit subditus huius Episcopi Conimbricensis eligere sacerdotẽ secularẽ subditũ alterius Episcopi, v. g. Portuẽsis, & ab illo tãtum approbatũ, siue hoc fiat dũ talis pœnitẽs in hunc finem tendit ad aliam diœcesim, vt tali sacerdoti cõfiteatur, siue quia casu accidit, vt ipse sacerdos in hoc Episcopatu versaretur. Hinc enim apparet hoc fieri nõ posse, quia aliàs in ordine ad talia priuilegia omnis sacerdos approbatus à solo suo Episcopo, esset approbatus pro vniuersa Ecclesia: quod nõ videtur esse iuxta mẽtem Pontificis cõcedẽtis priuilegiũ, quia non vult derogare iuri singulorum Episcoporũ: videtur etiã esse cõtra responsionem illã Congregationis Cardinaliũ, quã in priori opinione retulimus. Rationes etiã superiùs factæ pro prima sententia hãc partem persuadere videntur. Contrariã autem partem suadent in primis aliæ declarationes Põtificiæ, quas non in propriis terminis vidimus, & à viris tanta auctoritate præditis, vt dubitare non possimus quin tales sint. Ibi autem expressè declaratur, in prædictis bullis & Iubilæis nõ esse sermonem de Ordinario pœnitentis, sed confessoris: hæc ergo approbatio, per se loquendo, sufficit, vt pœnitens eligere valeat sacerdotem quemcumque, etiam eundo ad alienam diœcesim: nam hoc nihil refert ad hoc sacramentum, vt suprà dictum est, quando iurisdictio aliũde habetur, vt in hoc casu habetur à summo pontifice per tale priuilegium. Hoc etiam videtur planè sequi ex suprà dictis, quia summus Põtifex in his bullis cùm dicit, *presbyterum approbatum ab Ordinario*, nihil aliud intendit, nisi vt iuxta formam Concilij Tridentini fiat electio confessoris: ergò si Pontifex tantùm loquitur de sacerdote approbato

Rationes dubitandi.

bato ab Episcopo confessoris, de eodē loquitur Concilium: ergo eligendo illum satisfit Concilio: ergo poterit eligi ex vi Concilij vbicunque, & à quocunque pœnitente habente tale priuilegium.

7 Quæstio resoluitur. Declaratio Cardinalium contrariū citata exponitur.

Fateor hæc posteriora fundamenta videri maioris momenti: nam quòd ex parte Concilij non ampliùs requiratur, satis probabile est ex dictis: quòd verò nec ex intentione Pontificis per hæc priuilegia plus postuletur, & est per se satis consequens, & ex testimoniis prædictis habetur. Alia verò responsio, quæ in contrarium citatur, licèt ad manus meas in propria specie ac forma non peruenerit, exponi potest quoad alios effectus, vel delegationē, & approbationem alterius Episcopi non censeri sufficientem in alia diœcesi: secus verò esse in ordine ad delegationem & priuilegium Pontificium. Nisi velimus potiùs dicere, cùm hoc pendeat ex intentione Pontificis concedentis priuilegium, fortè aliàs intellectum esse mentem eius fuisse, vt vnusquisque fidelis eligat confessorem, à suo Episcopo, id est, pœnitentis, approbatum: & alteram declarationem intelligendam esse solùm quoad regulares, de quibus in specie loquitur. Aliter etiam dici potest, illud procedere quādo ex parte Episcoporū hæc approbatio nō est absoluta & simpliciter, sed ab vnoquoque pro sua diœcesi: tunc enim verum est: approbatum ab vno Episcopo non esse approbatum pro vniuersa Ecclesia, etiam quoad hæc priuilegia, quia hoc non pendet tantùm ex potestate, sed ex voluntate. Non video autem vnde hoc satis constare possit, nisi fortè ex eo, quòd nullus vult, vt sacerdos à se non approbatus, in sua diœcesi, vel ouium suarum confessiones audiat: hinc enim consequens esse debet, vt nullus velit aliter suos subditos approbare, quàm pro suis ouibus, seu diœcesi sua. De regularibus autem nihil ipsi decernere possunt, & ideò de illis specialis declaratio facta est. Denique dici potest, in vniuersum verum esse, sacerdotē eligendū debere esse approbatum à suo ordinario: tamen eo ipso quòd in aliena diœcesi confessiones audit, iam se gerere vt subditum alterius Episcopi, & non sui, & ideò indigere approbatione Episcopi illius diœcesis, vt Ordinarij sui. Sed hæc responsio licèt pro aliis dubiis tractandis accommodata esse possit, hic non ita quadrat: tum quia destruit doctrinam datam: tum etiam quia eneruat & futiles reddit responsiones Pontificias suprà citatas: sic enim vanum fuisset distinguere inter Ordinarium pœnitentis, vel confessoris: nam semper esset idem diuersis respectibus. Et ita etiam in regularibus dici posset, eos per bullam non posse eligere approbatum nisi ab illo Episcopo cui actu subiiciuntur, & quē pro Ordinario suo, modo superiùs declarato, quod est contra declarationem Greg. XIII. Tum denique, quia quando confessor eligitur per priuilegium Pontificium, in eo actu non se gerit vt subditus Episcopi pœnitentis, seu diœcesis, in qua confessionem audit, sed solùm vt delegatus Pontificis: ergo etiam iuxta illam declarationem non indigebit nisi approbatione sui Ordinarij. Alia etiam responsio, quæ fundatur in speciali intentione Pontificis delegantis hoc modo iurisdictionem pro secularibus, & non pro regularibus, valdè incerta mihi videtur, quia vniformiter conceditur, iuxta formam Tridentini, & nihil ampliùs exigitur in hac parte, quàm in regularibus. Alia verò responsio, sumpta ex intentione Episcoporum dantium limitatam approbationem etiam suis propriis subditis, apparentior est, quanuis incerta, quia si possunt absolutam dare, vnde constat de hac limitatione. Itaque opinionem positam probabilem valdè existimo. Tamen quia res est grauis, & ex ea pendere potest valor sacramenti, consulerem semper in praxi sequi opinionem securiorem: qui autem oppositum sequi voluerit, non peccabit, vt ex dictis constat.

Respōdetur rationibus primæ sententię initio sectionis positæ.

A B C D E

## *Secundum dubium, An regularis approbatus ab vno Episcopo, pro omnibus approbatus videatur.*

8

Hinc verò nascitur secundum dubium, an idem dicendum sit de regularibus, quòd approbatus ab vno Episcopo, sit censendus approbatus pro omnibus diœcesibus. Nam Auctores, quos pro secunda sententia retulimus, ita censent: alij verò simpliciter negant, quorum sententia regulariter mihi videtur procedere, cum quadam verò limitatione. Duobus ergo modis possunt regulares administrare hoc sacramentum: vno modo quia eliguntur per bullam, alio modo per sua priuilegia. Omitto tertiū modum, qui esse potest per particularis Episcopi delegationē: quia de illo dicam infrà. Quòd ergo spectat ad priorem modum, supponendum est quod suprà diximus de modo quo regulares, possunt habere ordinarium Episcopū. Quo supposito, primò dicendum censeo, religiosum approbatū à suo Ordinario, id est, ab Episcopo in cuius diœcesi habitabat, si habitationem & quasi domicilium mutet in locū alterius diœcesis, indigere noua approbatione Episcopi illius diœcesis, vt eligi possit per hanc facultatem, quia debet esse approbatus à suo Ordinario, iam autem alium Ordinarium habet, ergo alia approbatione indiget. Vt si sacerdos secularis approbatus à suo Episcopo, mutet domicilium in aliam diœcesim, indiget noua approbatione, quia iam habet aliū Episcopū proprium: & sicut suprà dicebamus, nō satis esse habuisse beneficium curatum, nisi de præsenti habeat, ita non satis est habuisse approbationem à proprio Episcopo, si iam cessauit, prout reuerà cessauit, eo ipso quòd ille desiit esse proprius Episcopus: necesse est ergo habere approbationem ab Episcopo, qui nūc est proprius, & ordinarius. Ita ergo in religiosis dicendum est, qui quoad hoc solū videntur differre à secularibus, quòd faciliùs, & frequentiùs domicilio mutant: & ideò sæpiùs coguntur hoc onus sustinere: sed hoc nihil refert. Et confirmatur ex motibus propriis Pij V. in quibus priùs concessit Mendicantibus vt speciale priuilegium, vt semel examinati & approbati ab vno Episcopo, non possent ab aliis examinari, etiamsi mutarent Episcopatū: ergo supponebat anteà, & iure ordinario posse. Vnde posteà reuocauit illud priuilegium, & declarauit posse examinari, non solùm in alio Episcopatu, sed etiam in eodem à successore, ad maiorem quietem conscientiæ suæ: quod etiam habēt nonnullæ declarationes Cardinalium.

Prima conclusio.

9 Obiect. Responsio.

Dices, ergo, si religiosus approbatus semel in vno Episcopatu, mutet illum, & posteà iterum ad eundem reuertatur, indigebit noua approbatione, quia iam prior ipso facto cessauit. Respondeo negando sequelam: quia licèt prior approbatio ex parte ipsius sacerdotis, quasi suspensa, vel mutata fuerit: tamen ex parte Episcopi approbantis nūquàm fuit mutata, vt supponimus: & ideò statim ac religiosus reuertitur ad eundem Episcopatum. & quasi ad subiectionem eiusdem Episcopi, censetur etiam prior approbatio moraliter redire ad eundem statum, quandiu reuocata non fuerit. Atque hanc etiam esse Episcoporum intentionem vsus ipse confirmat.

10 Secunda cōclusio.

Secundò dicendum, religiosum approbatum simpliciter ab aliquo Episcopo, in cuius diœcesi habitat, quandiu ibi commoratur, eligi posse per bullam à quolibet vrente & gaudente priuilegio eius. Hoc videtur mihi certius quoad regulares pœnitentes propter

propter declarationem Gregorij XIII. suprà adductam: itaque ille sic approbatus eligi poterit à quibuscúque regularibus cuiuscúq; ordinis, vel religionis, supposito quòd alijs possint vti bulla vel Iubileo. Hoc per se patet ex dicta declaratione, & quia ille est absolutè approbatus à suo Ordinario. At respectu pœnitétium secularium habet assertio eam probabilitatem, quam opinio tractata præcedenti dubio. Iuxta quam si cõtingat talem Religiosum discurrere peregrinando, poterit per bullam Cruciatæ, & similes eligi ad confessiones audiendas, vbicunque sit: quia ille non mutat habitationem, neque ordinarium Episcopum suum: ergo semper manet approbatus à suo Ordinario, vbicũque existat: ergo hoc satis est vt possit vbicunque eligi. Item, si hoc potest clericus secularis in simili casu, cur nõ regularis, cùm Concilium pares eos faciat? Item in loco suæ habitationis existens, posset per priuilegium bullæ audire confessionem hominum aliarum diœcesum illuc venientium: ergo & è conuerso, quia præsentia in hoc vel illo loco, vt sæpe dixi, in hoc nihil refert. Sed obiici potest, quia Gregor. XIII. concessit Societati vt speciale priuilegium, quod confessores eius approbari semel, discurrendo per alias diœceses, possent ibi audire confessiones, licèt ibi non essent approbati, & hoc ipsum cum limitationibus in illa bulla contentis. Respondeo, ibi non esse sermonem de confessionibus audiendis virtute bullæ seu priuilegij concessi pœnitenti, sed virtute propriorum priuilegiorum ipsis regularibus cõcessorum, de quibus est alia ratio, vt iam dicemus.

A

B

C

D

E

## *Tertia dubitatio.*

11

TERTIVM ergo dubium est circa alium modum, quo regulares ministrant hoc sacramentũ per sua priuilegia, an eo ipso quòd approbati sunt semel, possint vbique suis priuilegiis, & iurisdictione quæ per illa eis conceditur, vti. Ad quod breuiter respondeo non posse, sed in vnoquoque Episcopatu, in quo habitant, debere ab illius Episcopo approbari. Ita etiam explicantur optimè quoad hãc partem decisiones Pij V. & Gregorij XIII. & conciliantur cum responsionibus Cardinalium. Et suaderi potest, quia in hac iurisdictione in re eadẽ delegatio fit, siue directè concedatur confessori, siue per facultatem factam pœnitenti: ergo eadem approbatio requiretur & sufficiet: ergo, sicut sacerdos eligendus per diploma Pontificis debet esse approbatus à suo Ordinario: ita vt iurisdictio ei communicetur per priuilegia Põtificia, debet supponi approbatus à suo Ordinario, & illa approbatio sufficiet, quandiu durat. Vnde fit consequenter ad dicta, vt quando Religiosus mutat diœcesim, incipiat habere nouum ordinariũ Episcopum: ergo, si ab illo non approbetur, non est approbatus à suo Ordinario: ergo non potest confessiones audire: indiget ergo noua approbatione. Denique verus sensus Concilij ex Romana declaratione sumendus est, quo posito, reliqua nullam habent difficultatem, vt magis ex dicendis constabit.

12

Maior difficultas est quando Religiosus nõ mutat permanentem habitationem, sed per alias diœceses discurrit, an ex vi suorum priuilegiorum possit vbique confessiones audire, etiãsi tantum à suo Episcopo approbatus sit. Nam, consequenter loquendo, videtur esse affirmandum. Diximus enim posse tunc eligi per diploma Pontificis: ergo etiam poterit vti priuilegio sibi cõcesso, quia etiã diximus, nihil refert quòd delegatio fiat vno, vel alio modo. Item, quia Religiosus nunc approbatus, & existens in hac diœcesi, potest in ea audire subditum alterius diœcesis, volentem sibi confiteri, non propter priuilegium ipsiusmet confessoris, vt omnes Auctores admittere videntur, & vsus etiam cõfirmat. Ergo & è conuerso, si Religiosus habitans in vna diœcesi, existat præsens in alia, poterit ibi audire cõfessiones per sua priuilegia. Nam quod quidam dicunt, approbationem illam non extendi extra diœcesim localem, vt indicat Gutierrez suprà gratis dictum est: nam, si approbatio non limitatur ad personas diœcesis, neque ad locum terminatur, cũ termini locales nihil referant ad exercitium huius iudicij, vt sæpe dictum est: si enim iurisdictio, etiam delegata, non terminatur locis, sed personis, cur approbatio terminabitur ad certũ locum? cùm tota ad iurisdictionem ordinetur, & ad vtilitatem personarum.

Sylvest verb Confessor. 2. Adrianus q. 5 de Confession. Medina Cod. de Cõfess. q. de Cõfess. fratrib. priuilegiatis facta. Soto d. 18. q. 4. art. 2. & 3.

13 Obiectiones proponũtur. Nauarr.

Nihilominùs contrariam partem videntur suadere illi motus proprij Pij V. & Gregorij XIII. & maximè illud, quod Gregorius concessit religiosis Societatis Iesu, vt possint audire confessiones dum iter agunt, etiam vbi non sunt approbati, si alibi approbati sunt: ergo ex vi ipsius approbationis, & communium priuilegiorũ nõ poterant. Præterea refert Nau. cap. 27. nu. 266. Sixtum IV. concessisse Medicantibus, vt possint audire confessiones omnium, qui ad sua loca confitendi causa venerint, licèt non sint ex Episcopatu, ad quẽ fuerũt præsentati: ergo ex vi communium priuilegiorum cum sola approbatione in suo Episcopatu non possunt etiam ibi confessiones externorum audire, sed hoc tantùm poterunt ex vi illius specialis priuilegij: vnde videtur inferre Nauarrus, extra illam diœcesim non posse, quia hoc illis non conceditur per tale priuilegium. Tandem Religiosi nunc approbati ab vno Episcopo, iuxta formam Concilij Tridentini, non habent ex vi suorum priuilegiorum maiorẽ potestatem, quã anteà haberẽt præsentati alicui Episcopo iuxta formam Clement. *Dudum*, de Sepulturis, & Extraua. *Super cathedram*, de Sepulturis. Sed anteà nõ poterant præsentati in vno tantùm Episcopatu vti iurisdictione extra illum propter sua priuilegia, vt apertè constat ex eadem Extrauagante, & notauit Syl. verb. *Confessor*, 1. §. 14. & verb. *Confessor*. 2. §. 4. & Soto d. 18. q. 4. a. 3. §. *Aliud verò dubium*, vbi in fine tanquam certã videtur asserere hãc partem, quam hæc postrema ratio mihi planè videtur cõuenire: quia approbatio, quæ tunc fit ab Episcopo, non facit vt hæc priuilegia sint ampliora: sed succesit loco prioris præsentationis, vt suprà declaraui.

Sylvest. Soto.

Vnde ad priores rationes dicẽdũ est, solũ probare potuisse Põtificem, etiam seruato iure cõmuni Concilij Tridentini, concedere iurisdictionem Religiosis per eorum priuilegia, non postulata alia approbatione, nisi vnius Episcopi Ordinarij, tamen de facto per talia priuilegia non concessisse, nisi pro hominibus illius diœcesis, in qua approbati sunt: pro externis verò nonnisi, quando illi in eadẽ diœcesi versantur, idque non ex vi Clementinæ *Dudum*: sed propter speciale priuilegium Sixti IV. vel si aliqui eorũ ampliùs possunt, id erit propter specialia priuilegia, quæ semper consulenda sunt.

14 Soluuntur obiectiones suprà positæ.

## *Quarta dubitatio.*

15

QVARTO ex his facilè intelligitur, quid dicendum sit de Episcopo delegante suam iurisdictionem, vel dante facultatem alicui subdito eligendi confessorem. De priori puncto; quando iurisdictio directè delegatur ipsi sacerdoti, in superiori sectione satis dictum est. Circa secundum de facultate eligendi; possumus considerare, quid

possit, vel quid faciat Episcopus. Quoad potestatem ergo certum est, non posse dare facultatē eligendi, nisi approbatum, iuxta formam Concilij, vt est per se notum. Vnde necesse etiam est vt talis sacerdos eligendus sit approbatus, vel à suo ordinario Episcopo, vel saltē ab Episcopo ipsius pœnitentis, qui in presenti est idem, qui dat hanc facultatem pœnitenti. Patet, quia nullus alius Episcopus potest habere iurisdictionem in tali casu. Rursus etiam existimo certum, posse Episcopum concedere hanc facultatem generalē eligendi quemcunque sacerdotem approbatum ab Ordinario ipsius sacerdotis, siue sit subditus ipsius Episcopi, siue non sit, ita vt ex vi talis facultatis possit subditus eligere confessorem, non solùm approbatum in suo Episcopatu, sed etiam in quocúque alio, dūmodò approbatio sit à proprio Episcopo ipsius sacerdotis. Probatur, quia si approbatio cōfessoris, facta à proprio ipsius Episcopo, est sufficiens, vt iuxta formam Conc. Trid. ille sit capax iurisdictionis delegatę in hoc foro: etiam erit sufficiens, vt quilibet alius Episcopus committat tali sacerdoti ouem suam, dando illi iurisdictionem media tali facultate. Consequentia est euidens, quia supposita proxima capacitate, seu idoneitate iuris in tali sacerdote, nihil est quod impediat talem delegationem seu facultatem. Accedit tandem, quòd Episcopus ipsius pœnitentis, dando illi facultatē confitendi sacerdotibus, etiam sibi non subditis, à suis Episcopis approbatis, consequenter quantùm potest, approbat illos pro tali pœnitente: nihil ergo ampliùs desiderari potest. Nihilominùs tamen etiam censeo certū, quod suprà dixi, posse Episcopum dare hanc facultatem limitatam ad eligendum confessorem tantùm sibi subditum, & à se approbatum: quia hæc facultas est gratia, pendérque ex voluntate eius, quòd magis vel minùs ampla concedatur. Quod verò ad factum spectat, ex verbis concessionis intelligendum erit, quam ampla facultas cōcedatur. Dico tamen amplè esse intelligendam, nisi expresè restringatur, quia est fauor, & consequenter ampliandus, quantùm proprietas verborum seruato iure communi permittit.

16 Dubium. Solùm potest circa hāc facultatē dubitari, an possit Episcopus eam dare subdito, per illāmet approbando sacerdotem eligendū, etiam si alias, neque à se, neque ab alio Episcopo approbatus sit. Videtur enim posse, quia Concilium facit Episcopo facultatem approbandi *per examen, aut aliàs, prout ei videbitur*: ergo potest hoc modo, & per hanc facultatem illum approbare. Item Episcopus potest committere hanc facultatem approbandi, vt de Vicario diximus: vnde sæpe committit superiori religionis, vt quem ille approbauerit, approbatus ab Episcopo censeatur: ergo potest dicto modo concedere hanc facultatem, virtualiter committendo approbationem ipsi pœnitenti.

Prima solutio.

17 Secunda solutio. In cōtrariū verò est, quia videtur apertè repugnare intētioni Concilij: nam in re perinde illud est, ac dare facultatem eligendi quemlibet sacerdotem non approbatum. Item, quia si summus Pontifex illo modo concederet facultatem; censeretur dispensare in hoc communi iure, quod non potest facere Episcopus. Prætereà (vt hoc obiter dicamus) non potest Episcopus hanc approbationem vniuersaliter, & quasi confusè dare, aliàs posset generaliter & sine vllo delectu approbare omnes sacerdotes sui Episcopatus: quod profectò absurdissimum est: non solùm enim in hoc peccaret grauissimè, quod est indubitatū: sed etiam, vt existimo, nulla esset talis approbatio: nā est manifestè contra intentionē, & verba Concilij: postulat enim approbationem in particulari factam in tali persona, quæ idonea iudicari valeat, quod dici non potest de illa confusa approbatione. At verò, si daretur facultas eligendi in illa forma, per illam approbaretur in confuso quilibet sacerdos: nam quilibet potest à pœnitente eligi. Nec refert quòd talis sacerdos non approbetur simpliciter, sed tantùm ad hanc personā audiendam: quia perinde est: nam ita requiritur approbatio ad vnius personę confessionem audiendam, ac vnius pronunciæ. Itaque censeo talem facultatem non posse dari ab Episcopo. Et ad primam rationem dubitandi responsum est. Propter secundam verò addo, si talis pœnitens verè sit homo doctus, posse Episcopū ei cōmittere, quia non fit peioris conditionis propterea quòd sit pœnitens, tamen hæc est facultas diuersa, & necesse est vt priùs habeat suū actum, quàm altera de eligendo confessore: & nō omnis pœnitēs est capax illius, quia ideò nec per se in illo includitur neque hoc fieri præsumitur, vbi neque in personis est proportio seu capacitas, neque in concedente potest esse moraliter intentio.

Vera solutio.

18 Quinta dubitatio. Quintò, ex his facilè constat, quid dicendum sit de Parocho: nam ille etiam potest dare suis Parochianis facultatem eligendi confessorem, qui debet esse approbatus ab Episcopo, vt suprà ostēsum est, & potest, si velit, restringere facultatem, vt sacerdos eligendus debeat esse approbatus à proprio Episcopo suæ diœcesis, quia amplitudo, vel restrictio facultatis voluntaria illi est. Adde, consequenter loquendo iuxta probabilem opinionem suprà tractatam, & secluſa speciali proprij Ordinarij prohibitione, etiam posse dare suo parochiano facultatem eligendi quemcunque sacerdotem approbatum à proprio Episcopo ipsius sacerdotis, quicunque ille sit: imò, si in sua licentia nihil aliud declaret, nisi vt possit eligere approbatum, iuxta formam Concilij, ita erit intelligenda: quia interpretanda est iuxta commune ius: hæc autem est iuris communis intelligentia, vt ex dictis patet. Ratio est eadē, quæ suprà est tacta, quia vnusquisque sacerdos per approbationem sui Episcopi fit proximè capax cuiuscunque iurisdictionis delegatæ in hoc foro, & alioqui Parochus habet ius, & potestatem delegādi suam iurisdictionem cuiuscunque sacerdoti capaci illius: ergo potest id facere per facultatem concessam pœnitenti ad eligendum talem confessorem. Atque simili ratione concluditur, posse Parochum delegare iurisdictionem suam directè cuicunque sacerdoti approbato ab Episcopo ipsius sacerdotis, etiamsi non sit subditus Episcopi ipsius Parochi delegantis, neque ab illo approbatus: quod videri potest creditu difficilius: sequitur tamen consequenter ex dictis. Nam talis sacerdos est capax cuiuscunque iurisdictionis delegatæ: & Parochus habet etiā integrum ius suum, sicut ante Concilium posset committere vices suas cuicunque sacerdoti idoneo, cuiuscunque diœcesis esset: ita enim se habet nunc respectu cuiuscunque sacerdotis approbati ab illius Episcopo. Item, quia potest suo parochiano dare licentiam, vt talem sacerdotem in confessorem eligat: ergo etiam vt parochianorum suorum confessiones audiat: nam eadem ratio est de vno, & de omnibus, & illa correlatiua sunt, nihilque refert quòd vni, vel alteri licentia directè concedatur, Dixi, *secluſa speciali prohibitione proprij Ordinarij*, quia potest vnusquisque Episcopus (vt verius existimo) prohibere omnibus Parochis sibi subiectis, ne sacerdotem aliquem vllo modo in coadiutorem assumant, neque illi delegent iurisdictionem suam, nisi à se fuerit priùs approbatus, quantuncunque ab alio Episcopo approbatus sit. Nec solùm existimo posse hoc prohibere, sed etiam irritare delegationem aliter factam, non ob speciale decretum Concilij, sed ex vi proprij muneris. Vnde etiam ante Concilium existimo idem potuisse. Quia iam suprà ostendi superiorem pastorem posse reuocare, & cōsequenter etiā irritare delegationem à suo inferiori factam, & maximè ex

Ratio.

causa

causa rationabili: hic autem intercedit maxima, quia hoc potest esse valdè necessarium ad conuenientem gubernationem suæ diœcesis, & ad vitanda multa incommoda, quæ ex alio vsu sequi possunt, quæ in superioribus tacta sunt, & Ioannes Gutierrez suprà latè ea persequitur. Cuius rationes in hoc casu scilicet respectu facultatum, vel delegationum, quæ fiunt ab inferioribus, sunt efficaces: non tamen ratione Concilij, sed ratione iuris ordinarij, & conuenientis subordinationis: quæ ratio cessat in facultate à Pontifice concessa. Quocirca seruare in hoc debent Parochi speciales ordinationes suorum Episcoporum, siue scripto, siue consuetudine, siue alio modo de illis constet. Maximè verò aduertere oportet, quando Parochus ita delegat vices suas alicui sacerdoti alterius B diœcesis, vt permanenter illum accipiat vt Capellanũ seu socium sui muneris, iam tunc sacerdotem illum domicilium, seu quasi domicilium trãsferre in aliam diœcesim, ac pro tunc fieri subditum Episcopo illius diœcesis, ideoque speciali ratione indigere approbatione talis Episcopi, vt ibi munus suum exerceat: quod est in praxi maximè seruandum, esset enim contra ordinem conuenientem, quòd aliquis exerceret tale munus in aliquo Episcopatu, non approbatus ab eius Episcopo.

*Sexta dubitatio.*

19 An possit concedi approbatio cũ limitatione personarum vel locorũ. Quorundã opinio.

SExtò explicandum est, quòd suprà suppositimus, quomodo, scilicet, possint Episcopi hanc C facultatem dare cum limitatione personarum, vel locorum, vt v. g. approbando hunc confessorem ad audiendas confessiones virorum, & non fœminarum, seu in hoc oppido, & non in illo. Aliqui enim hanc potestatem negant Episcopis: quia Concilium solum illis commisit iudicium, an persona sit sufficiens, & idonea: vnde, si semel iudicant illam esse idoneã, non est in arbitrio eorum vt possint limitare, vel ampliare approbationem. Nihilominus existimo Episcopos hoc posse facere iustè, si ex iusta causa, & debito modo hoc faciant. Et inprimis vsus & consuetudo illis fauet: & cùm in hac parte superiores sint, si euidenter non constat iniustè facere, aut abuti potestate sua D pro illis præsumendum est, & eorum iudicio standum. Deinde ratio est manifesta, quia, vt bene notauit Nauarrus in Summ. capite 4. numero 10. & 11. potest interdum sacerdos esse idoneus ad audiendas confessiones aliquarum personarum, & non aliarum, vt v. g. scholasticorum, non verò iudicum, &c. ergo potest Episcopus iudicare hũc idoneũ respectu harum personarum, & non illarum. Rursus in diuersis oppidis, vel ciuitatibus reperitur (saltem pro maiori parte) hæc varietas personarum: ergo ratione illius potest approbare pro vno oppido, & non pro alio. Et idem est de distinctione virorum, & fœminarum: quia confessorem esse idoneum & sufficientem, non pendet solùm ex scientia & doctrina, sed etiam, & maximè, ex aliis conditionibus prudentiæ, & bonitatis, & in- E terdum potest ætas multum referre: & ideò meritò, omnibus pensatis, potest iudicari idoneus ad has personas, & non ad illas.

Vera solutio.

Nauarr.

## SECTIO I.

*An approbatio semel concessa possit reuocari.*

1 Variæ doctorum sententiæ.

ALIQVI simpliciter negant, quia non est fauor pendens ex voluntate Episcopi, sed quasi sententia quædam, quæ transit in rem iudicatam. Alij verò affirmant posse A Episcopum ad nutum illam reuocare: quia Concilium tribuit Episcopis hoc ius, quo possunt liberè vti. Alij distinctione vtuntur de regularibus, & secularibus sacerdotibus: nam in illis dicunt reuocari, non posse: secus verò in his: quia iurisdictio secularium sacerdotũ pendet ab arbitrio Episcopi, vnde potest eam reuocare: iurisdictio autem Religiosorum non ita, quia datur à Papa, vnde non potest ab Episcopo reuocari, & ideò semel approbati, semper manent approbati. Sed hæc ratio non est ad rem, quia non agimus de iurisdictione, sed de approbatione, & potest reuocari iurisdictio manente approbatione: ergo, licèt Episcopus possit reuocare iurisdictionem, quam ipse delegauit sacerdoti seculari, adhuc manet quæstio, an possit reuocare approbationem: & similiter potest B reuocare iurisdictionem, si eam delegauit sacerdoti regulari. Denique etiam è conuerso in sacerdote seculari potest esse iurisdictio delegata à Pontifice, vt per Bullam Cruciatæ: illa ergo differentia ex illo fundamento non rectè assignatur. Et ideò alij fundant illam differentiam in speciali priuilegio concesso religiosis: sed de tali priuilegio mihi satis non constat.

*Prima assertio.*

PRimùm ergo assero, approbationem hanc semper durare quandiu non reuocatur, ita vt nec per mortem concedentis extinguatur: sicut de præsentatione Mendicantium facta Episcopo docuit Nauarr. in Summ. cap. 27. nu. 266. & in cap. *Placuit*, nu. 163. de Pœnit. d. 6. cum Glos. in Clem. *Dudum*. §. *Statuimus*, verb. *Concesserunt*, de Sepulturis, Extrauag. *Inter Cũctas*. §. *Duos*, de Priuileg. Et ratio est, quia hæc non solùm est gratia, sed etiam est iuridica declaratio, quæ suam vim retinet, quandiu non reuocatur.

2 Approbationem durare quãdiu non reuocatur. Nauarr.

Secundò dicendum est, hanc licentiam ex iusta causa reuocari posse: quod, saltem in secularibus, nemo credo negabit. Et probatur ratione, quia nullum est ius, quod prohibeat hanc approbationẽ reuocari: neque illa habet ex se vnde irreuocabilis sit: ergo. Maior per se cõstat. Minor probatur: nã fundamẽtum illius approbationis non est immutabile, fundatur enim in scientia, moribus, & aliis conditionibus necessariis ex parte confessoris ad hoc ministerium conuenienti modo exhibendum: potest autem sacerdos mutari quoad hæc omnia, vt per se constat: ergo ex hac parte non est inuariabilis hæc approbatio, sed prædicta causa seu mutatione interueniente ex parte personæ: & de illa iuridicè constando, poterit approbatio data reuocari. Et confirmatur à simili ex capite *Accepimus*, de ætate, & qualit. in illis verbis. *Nisi fortè postquàm promoti fuerint, reddiderint se indignos*. Dicitur enim ibi, eum, qui reputatus est idoneus ad ordines suscipiendos, reputandum etiam esse ad beneficium: neque admittendam esse contra illum exceptionem indignitatis, nisi post ordines susceptos reddiderit se indignum: potest ergo, qui idoneus erat, fieri non idoneus: ergo & approbatio eius potest reuocari. Et confirmatur secundò: nam interdum constare potest priorem approbationem fuisse ex notabili errore factam: ergo, si certis indiciis id constiterit, potest approbatio data meritò reuocari.

3

Potest autem hoc constare per nouum examen approbatorum, ad quod faciendum habet ius in primis successor Episcopi: nam est nouus pastor, & propriam obligationem induit: vnde non est cur cogatur ratas habere omnes facultates à prædecessore concessas: potest ergo, vt suæ conscientiæ satisfaciat, ad examen vocare omnes approbatos, & quos idoneos non inuenerit, reprobare, atque ita approbationes reuocare.

4 Duobus modis posse semel approbatum indignũ iudicari. Primò, per nouum examen.

care. Atque hoc supponere videtur Pius V. in motu proprio anni septuagesimi primi, qui est 128. & incipit, *Romani Pontifices*: vbi etiam de Mendicantibus ait posse pro maiori conscientiæ suæ quiete à successore de nouo examinari: ergo supponit hoc esse ius commune, quod multò magis habebit locum in secularibus, quia non est verisimile voluisse concedere Episcopis nouam facultatem, quam ratione suæ iurisdictionis non habebant, sed solùm non auferre quam habebant. Hoc autem examen non permittitur solùm propter aliquam cæremoniam, sed ad quietem conscientiæ, vt ibi dicitur: ergo, si ex illo constiterit aliquem non esse idoneum, poterit eius approbatio reuocari.

5 An Episcopus à se approbatus possit in examen vocare.

Hic autem modus non tam facilè admittendus est in eodem Episcopo, qui approbationem dedit: quanquàm in rigore etiam ille videtur habere hanc potestatem in suos subditos: quod ex eodem motu proprio colligi potest: nam ex speciali priuilegio conceditur ibi Mendicantibus, vt semel tantùm ab eodem Episcopo examinari possint: ergo, secluso priuilegio habet Episcopus hoc ius, vt ibi supponi videtur. Et quidem: si approbatio concessa fuit sine præuio examine, non dubito quin possit Episcopus etiam semel à se approbatos in examen vocare, imò etiam quoad Mendicantes hoc videtur supponi in illo Motu proprio, & in priuilegio ibi illis concesso: attentè enim sunt legenda illa verba: *Volumus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate, & diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari:* non enim sine causa additum est verbum illud, *præuio examine:* igitur qui sine præuio examine approbati fuerint, posteà examinari poterunt, & consequenter si per illud constiterit priorem approbationem non fuisse ritè factam, poterit reuocari. Quòd si priuilegium illud aliquid speciale concedit, sequitur, etiam eos, qui per examen approbati semel sunt, posse iterum in examen vocari ab eodem Episcopo, si tali priuilegio non gaudent.

6 Quod certè in rigore, & quasi de absoluta potestate Episcopi verũ videtur, quia nullo iure hoc illi prohibetur: neque in hoc facit iniuriam sacerdotibus examinandis, quia illi per approbationem non fuerunt consecuti nouum aliquod ius, sicut acquirit Parochus postquàm semel beneficium recipit: nec deniq; Episcopus semel examinando, & approbando, aliquo titulo se obligauit illud examen ita semper firmum habere, vt nunquàm illud in dubium reuocet, neque aliud intenter. Præsertim cùm, moraliter loquendo, possint occasiones occurrere, ob quas prudenter, hoc fiat, sæpè enim examen per alios fit, & non rectè fit: & aliquando moraliter constat plures indignos vel negligentia, vel malitia, vel casu inter dignos esse approbatos, & ad vitandam infamiam, vel scandalum, expedit omnes iterum ad examen vocare. Non est ergo hoc extra Episcopi potestatem, quanuis illa vti non debeat in alicuius infamiam, nec sine rationabili causa, de qua re dicitur esse quædam declaratio Cardinalium n. 664. in qua generaliter dicitur, semel promotum ab Episcopo, non posse iterum ad examen vocari, nisi noua causa sit orta.

## ASSERTIO III.

7 Episcopum sine iusta causa non posse approbationem datam reuocare.

ADDO verò, Episcopum non posse sine iusta causa approbationem subditis etiam semel datam reuocare: & probabile esse talem reuocationem sine causa, esse nullam: quanuis res sit dubia, & timenda. Prior pars probatur: primò, argumento dict. c. *Accepimus*, de ætate, & qualitate, ex quo habemus, eum, qui semel tanquàm idoneus approbatus est, non esse tanquàm indignum reiiciendum, nisi constiterit denuò factum esse indignum. Deinde probatur ratione, quia hæc approbatio, vt suprà diximus, non est aliqua gratia vel fauor, sed est iuridica quædam declaratio, quæ se habet tanquam iusta sententia ex iustitia debita: ergo non potest iustè reuocari sine causa. Item à principio non posset iustè negari sine causa; ergo multò minùs posteà reuocari. Et hinc probatur secunda pars, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa: ergo non tantùm est iniusta, sed etiam nulla. Et declaratur, quia per approbationem semel datam talis sacerdos manet approbatus, nec potest iam non esse approbatus, & idoneus, si ipse non mutatur, quia iam habet quidquid Concilium Tridentinum in illo exigit: nec videtur illa approbatio ita pendere moraliter à voluntate approbantis, vt per solam eius retractationem iniustè factam tollatur. In quo est diuersa ratio, quando iusta causa intercedit, quia tunc non reuocatur efficaciter prior approbatio propter solam voluntatem, sed propter nouam declarationem, quæ est quasi noua sententia iusta, efficax ad irritandam priorem. Est etiam magna differentia inter approbationem iam datam, & voluntariè reuocatam, vel à principio negatam: quia quando negatur à principio, homo nunquàm fuit approbatus; & ita nunquàm fuit in eo impleta conditio à Concilio Tridentino requisita, quę tamen impleta fuit in eo, qui semel approbatus est.

8 Hæ verò rationes non sunt adeò euidentes, quin relinquãt rem aliquo modo dubiam: quia potest fortasse Episcopus subdito suo non exempto concedere hanc approbationem ad tempus limitatum, vel vsque ad beneplacitum suum: & verisimile est, hanc esse eorum intentionem, saltem implicitam circa seculares clericos, qui eis sunt subditi: nam circa regulares exemptos hæc non habent locum propter priuilegium adductum, & alia ratione, quorum non ita pendent ex voluntate Episcoporum. Respectu verò subditorum potest etiam interuenire aliud practicum dubium: quia non potest tam facilè constare, reuocationem esse omninò iniustam, & sine legitima causa: vbi autem hoc apertè non constiterit, semper est pro superiore præsumendum. Et quoniam hæc conditio talis est, vt ex illa pendeat valor sacramenti, ideò dixi non esse contemnendam hanc reuocationem, sed timendam.

## DISPVTATIO XXIX.

### *De Ministro huius sacramenti quoad casuum reseruationem.*

ACTENVS dictũ est de Ministro confessionis generatim, & quoad absolutionem à peccatis, quæ nihil habent speciale in hoc foro, nunc superest dicendũ de Ministro requisito circa quædam peccata specialiter reseruata in hoc foro. In qua re primùm supponitur, dari posse hanc reseruationem: & deinde inquiritur, illa supposita, à quo possit dari absolutio. Illud ergo prius in hac disputatione tractabimus, de altera verò parte dicemus disputatione sequente.

SECTIO

## SECTIO I.

### *An sit in Ecclesia potestas reseruandi peccata.*

1 Reseruatio quid sit.

RESERVATIO in præsenti nihil aliud est, quàm ablatio seu non concessio iurisdictionis ad absoluendum ab aliquo peccato, quanuis circa alia concedatur. Hãc enim nominis significationem supponere oportet ex communi vsu Doctorum omnium in hac materia. De hac ergo reseruatione dixit hæreticus Vuicleph esse contra charitatis regulas fundatã, Vualdensis. vt refert Vualdensis Tom.2.de Sacrament.c.149. vbi B hunc errorem ex Patribus impugnat. Hæretici etiam huius temporis negant Ecclesiæ hanc potestatem in foro interiori, quia putant in Ecclesia non esse potestatem ad absoluendum in hoc foro: & consequenter negant potestatem reseruandi: quia priuatio supponit habitum. Veruntamen hi hæretici supponunt falsum fundamentum, & iam reprobatum. Et quod de lege charitatis attigit Vuicleph, nullius momenti est: nam supposita potestate, potest hæc reseruatio esse conueniens ad commune bonum, imò & ad priuatum singularum personarum. Et ideò non est cur Ratio dubi- charitati repugnet talis reseruatio. Maior ratio dubi- tandi. tandi est: quia videtur talis reseruatio repugnare institutioni, & veritati huius sacramenti: quia essentialiter postulat, & integram confessionem, & integram absolutionem: ergo etiam postulat integram iurisdictionem circa omnia peccata mortalia: repugnat ergo institutioni, & naturæ huius sacramenti dare iurisdictionem circa quædam peccata mortalia, & tollere circa alia.

### *Prima conclusio.*

2 Esse in Ecclesia potestatem reseruandi peccata. Conc. Trid. Conc. Cart. Conc.Afr.

NIhilominùs dicendum est primò, esse in Ecclesia potestatem reseruandi aliqua peccata superioribus iudicibus. Est de fide definita in Trident.sess. 14.c.7.& c.11. Et probatur antiquissimo vsu: nam in D Conc.Carthag.3.c.32.& in Conc.Afric.c.10.& habetur 26.q.6.c.vlt. dicitur, vt presbyter non absoluat pœnitentem inconsulto Episcopo, nisi necessitate cogente, in ipsius Episcopi absentia. Idem colligitur ex c.*Latorem*.33.q.2. vbi est sermo de peccato matricidij. Et simile est in Conc.Vormatiens.c.30. Verum est, in his, & similibus decretis, non esse sermonem expressum de hoc sacramento, sed interdũ de pœnitentia publica: tamen verisimile est, quando pœnitẽtia erat reseruata, etiã absolutionem à culpa reseruatam fuisse, vt colligitur ex Cypriano lib.3. epist.16. aliàs epist.12.& ex Benedicto 11.in Extrauag.*Inter Cunctas*, de Priuileg. vbi fit expressior mentio casuum reseruatorum, sicut & in Clem.1. de Priuil.& in Extrau. *Etsi Dominici*, de pœnit.& remiss.& in c. *Si Episcopus*, E de Pœn.& rem.in 6. Pro hac etiam conclusione refert Vualdensis Innocentium 3. in Concione de Sanctis Apostolis Petro & Paulo. Citari etiam solet Origen. homil.8.in Leuit.& homil.10. in Num.& Augustin. in c.*In Actione*.de Pœnit.d.1. quod partim desumptum est ex Enchiridi.capit.65.& ex epist.118.c.3. Sed ex iis locis non potest sumi argumentum, quod admodùm vrgeat.

Concil. Vormatiens. Cyprian. Origen. Augustin.

3 Ratio à priori.

Ratio à priori est, quia iurisdictio necessaria in hoc sacramento manat à superioribus Ecclesiæ prælatis ad inferiores ministros, & ideò potest iuxta illorum arbitrium esse magis, vel minùs limitata. Quod non repugnat huic sacramento, vt obiiciebatur: quia quando alia peccata fuerint coniuncta cum reseruatis, per se loquendo, cessare debet minister inferior ab A vsu iurisdictionis, etiam circa alia peccata, propter connexionem: totúmque hoc includitur in reseruatione ipsa: de quo dicetur latiùs disput.seq. Congruẽtia verò est, quam tetigit Concilium Trident. quia visum est pastoribus Ecclesiæ hoc expedire ad rigorem disciplinæ; & vt fideles magis contineantur ab huiusmodi peccatis, saltem propter difficultatem obtinendi absolutionem, & vt à prælatis meliùs corrigantur, & ad emendationem iuuentur.

4 Quibus hæc potestas cõueniat in Ecclesia.

Atque ex hac veritate, & fundamentis eius consequenter intelligitur, quibus hæc potestas conueniat in Ecclesia, & respectu quorum. Dicendum est enim B generaliter hanc potestatem esse in his, qui habent ordinariam iurisdictionem, respectu eorum, quibus eam delegare possunt: quod est per se euidens. Nam delegatio est voluntaria, & ideò sicut posset omninò non fieri, ita etiam potest tantum ex parte fieri, id est, circa quasdam causas, & non circa alias, quæ proinde reseruatæ manent: ille enim, cui delegatur iurisdictio, ex se non habet ius ad illam, sed ab alio liberè datur: vnde fit, vt & maior & minor possit dari voluntariè. Secundò sequitur, quencunque delegantem habere ius reseruandi, si velit. Quod de Parochis in specie adnotauit Maior d.17.q.5. nam de superioribus nul- Maior. lum est dubium. Consuetudo autem non habet, vt C huiusmodi sacerdotes proprij aliquid sibi reseruent, quando suam iurisdictionem delegant: quia vel non audent tanta auctoritate vti, vel ordinariè non expedit, quia tam idonei censentur coadiutores, sicut ipsi.

### *Secunda conclusio.*

5 Habentem ordinariam iurisdictionem posse reseruare.

DICENDVM prætereà est, eum, qui habet iurisdictionem ordinariam in hoc foro, posse reseruare peccata respectu inferioris habentis ordinariam potestatem. Quanuis enim in potestate ordinis omnes sacerdotes sint æquales; tamen in potestate iurisdictionis sunt valdè inæquales, vt ex superioribus satis constat. Et ideò etiam inter ipsos ordinarios D pastores est subordinatio in hoc foro, quæ ad bonum regimen maximè necessaria est in omni iudicio. Ideóque potest superior inferioris iurisdictionem coarctare, sibique casus aliquos reseruare. Atque hinc fit, posse Pontificem reseruare casus respectu omnium, siue sint Episcopi, siue quicunque alij prælati: quod est certum de fide ex vsu Ecclesiæ, & ex citatis decretis, & ex suprema potestate summi Pontificis. Et ratio petenda est ex suprà dictis: nam omnis iurisdictio, quæ est in Ecclesia, tam delegata, quàm ordinaria, manat à summo Pontifice: ergo habet ipse potestatem extendendi, vel limitandi illam, prout expedire iudicauerit: potest ergo reseruando sibi casus, inferiorum iurisdictionem coarctare. Vnde etiam clarum est, hanc potestatem conuenire illi de iure diuino: est enim veluti quidam actus, seu quædam pars E supremæ potestatis sibi à Domino concessæ.

6 Episcopum posse reseruare casus respectu Parochorum.

Secundò sequitur, posse Episcopum reseruare casus respectu Parochorum sibi subditorum. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ ex Conci. Trident, & aliis decretis citatis. Et ratio etiam, seu congruentia hoc postulat: quia ipsi sũt sub Pontifice, ad quos maximè pertinet animarũ cura: & ideò oportuit, vt haberent potestatem pro suis ouibus ordinare debitum ac conuenientem modum administrandi hoc sacramẽtum, atque adeò vt possent sibi aliquarum causarum cognitionem reseruare. Vnde autem illis conueniat hæc potestas, non potest ita facilè iudicari: quia ordinaria iurisdictio Parochorũ propriè nõ videtur ab illis manare, sed à sũmi Pontificis institutione. Vnde ego cẽ-

seo

Nauar.

seo ipsos Episcopos habere hãc potestatẽ à sum. Pót. A vt rectè etiã sensit Nauar.in Sum.c.27.n.263. in fine Et facilè probari potest ex suprà dictis de iurisdictione Episcoporum.Itaq; licèt distributio seu diuisio parochiarum, & iurisdictio ordinaria Parochorũ sit ex institutione summorum Pontificum, tamẽ ex eadem institutione manauit, vt Parochi in hoc essent quasi dependentes ab Episcopis, & illis subordinati: quia ad conueniens Ecclesiæ regimen ita expediebat.

Tertiò sequitur,alios, qui in Ecclesia habent iurisdictionem ordinariam similem seu proportionatam Episcopali, aut Parochiali, posse etiam reseruare casus eadem proportione, vt fit in religionibus.Et ratio ex dictis clara est.Solũ est aduertẽdum,Religiosos vti in hac re, sicut in aliis, speciali iure, & modo, iuxta cuiusque religionis institutionem. Quò fit, vt B non solùm Prouinciales, qui vniuersaliorem, & superiorem quandam iurisdictionem habere videntur, sed etiam proximi prælati seu Rectores habeant aliquot casus sibi reseruatos, quos non tam ipsi sua auctoritate & voluntate reseruant,quàm communi auctoritate seu ordinatione religionis præscriptum est, vt in eis absoluendis iurisdictio sit superiori reseruata:neque enim expediebat vt singulorum arbitrio ac voluntati hoc committeretur. Vnde, vt in hoc non fierent aliqui excessus,certa quædam regula reseruandi casus à sanctissimo D.N.Clemente VIII. Religiosis omnibus tradita est, quam ipsi sedulò obseruare tenentur, nisi ab eodem Pontifice summo declarationem vel moderationem aliquam circa illam habeant,de qua re in sequentibus occurret occasio plura dicendi.

### *Tertia conclusio.*

3. Habentem hãc potestatem posse reseruare nõ tantum sibi sed etiam alteri. Sotus reprobatur.

VLTIMÒ dicendum est, eum, qui habet hanc potestatem, posse reseruare casus, non tantùm sibi,sed etiam alteri.Hoc apertè constat, quia potest & ab altero auferre iurisdictionem, & alteri suo rationabili arbitrio illam concedere, vt Papa reseruat casus, non solùm sibi, sed etiam Episcopis: & Episcopus posset reseruare aliquem casum, & committere illum Decano, vel Archidiacono, &c. Vnde non probo quod Soto distinct. 18. quæstion. 2. articul.5. absolutè dicit, si Episcopus reseruet vnum casum absoluendum à Decano,alterũ ab Archidiacono D &c. reseruationem esse ridiculam, & non validam: hoc enim nulla ratione fundatum est, quia potestas non deest, vt probaui; & potest prudenter fieri, si cum debita moderatione,& ratione fiat.Vnde in Cõcilio Tridentino sess. 24.c.6. quidam casus reseruantur Episcopo, vel Vicario eius ad hoc specialiter deputato, peccatum autem hæresis occultè reseruatur soli ipsi Episcopo: & simili modo posset alia distributio fieri, si expediret. Denique potest Episcopus v.g.peccatum aliquod sibi reseruare, & deinde facultatem suam alteri committere,cui voluerit,aut expedire censuerit:ergo à principio poterat culpam alteri reseruare:nam tunc vnico actu duplicem illum effectum facit: scilicet,reseruationem respectu vnius,& E delegationem respectu alterius. Nulla est ergo ratio dubitandi de potestate. In vsu verò eius prudentia,& moderatio necessaria est: nam quando superior non reseruat sibi ipsi,faciliùs potest præbere inferiori occasionem sentiendi grauamen, aut iniuriam:nã, cùm ipse habeat ordinarium ius,non debet tam facilè alteri illi præferri, sed solùm ob magnam vtilitatem ouium faciendum id est.Nihilominus tamen,etiamsi superior in hoc aliquãtulum excedat,nõ propterà est eius reseruatio contemnenda;quia licèt sit imprudẽs, non ideò est nulla,vt magis ex sect.3 patebit.

## SECTIO II.

*Vtrùm sola peccata,quæ habent excõmunicationem annexam,reseruari possint,& solùm quoad censuram,vel etiam quoad culpam.*

IN hac sectione explicandum est in generali obiectum, seu materia circa quã huius reseruationis seu potestatis ad illam faciendam. Circa quod Durand.in 4.d.17.q. 15. dicit consuetudinem Ecclesiæ Romanæ esse, reseruare cẽsuram, non culpam nisi ratione censuræ; & alios Episcopos, qui interdum reseruant peccata non habentia censuram annexã, in hoc non conformari Ecclesiæ Romanæ. Et ferè eandem sententiam docet Caiet.in Summ.verb. *Casus*.& Nauarr.cap.27.n.261.& Ruard.in art.3. Veruntamen hi Auctores non tam de potestate,quàm de facto loqui videntur, de quibus nos sigillatim, ac breuiter dicemus. 1 Durand. Caiet. Nauar. Ruard.

### *Prima conclusio.*

CERTVM ergo est, tam summum Pontificem, quàm cæteros pastores ordinarios, de quibus in præcedenti sectione locuti sumus, posse non tantùm censuras, sed etiam culpas reseruare,& non tantùm si habeant censuram annexam, verùm etiamsi non habeant.Vtrumque est certum, conuinciturque decretis & rationibus, quibus probauimus esse in Ecclesia hanc potestatem: & patet ex Concil.Trid. sess.14.c.7.vbi apertè loquitur de reseruatione culparum; & ponderandum est illud verbum, *Præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est*, & in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. id asseritur, & numerantur aliqui casus reseruati, quibus non est annexa censura, & hoc probat vsus Episcoporum, & religionum.Et ratio suprà facta hoc ipsum conuincit, quia iurisdictio necessaria ad absoluendum à culpa, cõmunicatur per Pontificem, & prælatos Ecclesiæ, etiam circa peccata, quæ non habent annexam censuram: ergo potest hæc limitari, & restringi: ergo possunt casus quoad culpam reseruari independenter à censura. 2 Quidnam possit summ. Pontif.reseruare. Conc. Trid.

### *Secunda conclusio.*

CIRCA aliam partem de facto, dicendum est primò, sæpe reseruari in Ecclesia peccata, quæ non habent excommunicationem annexam.Hoc est certissimum in Episcopis, vt constat ex vsu: item in religionibus, approbantibus etiam summis Pontificibus:vnde dubitari non potest quin hoc & validè,& licitè fiat. De summo autẽ Pontifice dubiũ est, an reseruet aliquos casus non habentes censuram annexam. In quo iam non agitur de potestate, vt dictum est,sed de vsu, neq; agitur de vsu Ecclesiæ Romanæ, quatenus est diœcesis quædã particularis, cuius proprius & immediatus Episcopus est summus Pontifex:nam fortasse in illa etiam sunt aliqua peccata, reseruata absque censura,specialia illius Episcopatus, sicut inueniuntur in aliis:sed sermo est de vsu Pontificis quoad vniuersalem Ecclesiam, quatenus reseruat aliquos casus, vt supremus pastor eius.In quo agere possumus aut de vsu antiquo, aut de illo qui nunc viget in Ecclesia Romana. Nam quantùm ad illum, videntur esse quædam indicia reseruationis, quæ 3 Reseruari peccata non habentia excommunicationem annexam.

quæ olim fiebat summo Pontifici aliquorum peccatorum, quæ non habebant censuram annexam. Legimus enim in cap. *Latorem*, 33. q. 2. Nicolaum Papam pœnitentiam imposuisse cuidam matricidæ: vnde significatur, illud peccatum fuisse tũc reseruatum summo Pontifici, cùm tamen non haberet censuram annexam. Veruntamen non satis constat delictum illud non habuisse tunc adiunctam excommunicationem, cùm peccator ille etiam pœnitentiam postulatam, & inchoatam à communione arcetur, vt ibi dicitur. Neque etiam constat illam fuisse propriam reseruationem: nam interdum Episcopi in atrocioribus criminibus solebant consulere Pontificem de Pœnitentia imponenda, non quia carerent potestate absoluendi à culpa, sed quia timebant illa vti in aliqua causa grauissima sine concilio supremi pastoris, vt colligi potest ex alio simili decreto eiusdem Nicolai in cap. *De viro*, 12. q. 2. Vel certè, quia circa aliqua peccata erant regulæ statutæ de pœnitentiis pro illis imponẽdis, vt de illo peccato matricidij constat ex Concilio Vormatiensi ca. 30. ideóque quando Episcopi has regulas ignorabant, consulebant Pontificem. Vel propter alias causas. Quod vno verbo insinuauit Anton. in 3. p. tit. 17. c. 11. vbi etiam ait, se non legisse esse aliquod peccatum ita enorme, à quo non possit absoluere Episcopus, nisi habeat sententiam aliquam annexam. Ex quo etiam mihi incertum est aliud indicium, quo aliqui putant, peccata quædam, quibus iuncta olim erat pœnitentia publica, fuisse reseruata summo Pontifici, quanuis non haberent censuram annexam. Nam in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuil. admonentur religiosi Mendicantes ne absoluant à criminibus, pro quibus est solennis pœnitentia iniungenda: vnde etiã supponitur, Parochos non posse ab eis absoluere: nam dicti Religiosi pares quoad hoc efficiuntur Parochis. Sed quidquid sit de hac reseruatione, de qua infrà dicemus, ad summum inde habetur, talia peccata esse reseruata Episcopis, non verò summo Pontifici. Itaque de consuetudine antiqua nihil mihi satis constat.

Concil. Vormat.

Anton.

4. De præsenti verò tempore Auctores citati censent, nullum peccatum esse nunc reseruatum summo Ponfici, quod non habeat censuram annexam. Quæ res quia ad factum pertinet, solùm potest probari auctoritate negatiua, nimirum quia nec in toto corpore iuris canonici, neque in Bullis Pontificiis tunc talis reseruatio reperitur. Nam ad suum vniuersale regimẽ censuerunt summi Pontifices sufficere reseruare tantùm grauiora crimina habentia Pontificiam excõmunicationem annexam. Difficilis tamen est hæc probatio: quia difficile est discurrere per omnia iura & decreta, in quibus Pontifices peccata reseruant. Et ideò censeo satis esse, si dicamus regulariter, & quasi iure ordinario peccata sine censura non reseruari à summis Pontificibus, quam limitationem addo: quia in dicta Extrauag. *Inter cunctas*, inuenitur quædam reseruatio sine censura. Præcipitur enim ibi Parochis, vt admittant confessiones suorum parochianorum factas Mendicantibus, nec possint contra illos excipere, nisi in duobus casibus: scilicet, quando parochianus est *excommunicatus, aut notorius peccator*: & subduntur statim hæc verba, *Sed videat ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem: quia, si hoc egerit, à delicto tali, nisi planè satisfecerit, præterquam in morte absolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur.* Vbi propter mendacium illud pernicioſum nulla censura imponitur; & tamen illa videtur propria ipsius reseruatio: quia, licèt non sit absoluta, sed sub ea conditione, *Nisi plenè satisfecerit*, tamen illa satisfactio non est solùm ea, quæ præcisè necessaria esset ad veram pœnitentiam, & veram contritionem, vel attritionem habendam, aliàs non oportuisset addere exceptionem de articulo mortis; imò & tota illa clausula superuacanea fuisset: nam constat, neminem post iniuriam illatam posse absolui, etiam in articulo mortis, nisi facta satisfactione, eo modo quo fieri potest, iuxta opportunitatem occurrentem: igitur aliquid ampliùs in ea conditione postulatur: id autem nihil aliud est, nisi vt tale peccatum reseruatum maneat, donec re ipsa plena satisfactio exhibeatur. Quanuis autem non exprimatur cui fiat reseruatio: tamen, cùm absolutè fiat: manifestum est auctori canonis fieri, qui est summus Pontifex. Et licèt illa Extrauagans quassata fuerit per Clement. *Dudum*, de Sepulturis: fortasse quoad hanc partem reuocata non est, quia solùm videtur derogari quoad ea, quæ spectant directè ad facultates & priuilegia Religiosorum, vel certè, quanuis derogata fuerit, satis inde colligimus illum modum reseruationis non esse omninò præter vsum Pontificum.

A

B

Expressiùs verò id nobis constat ex motu proprio Sixti V. anni 1589. contra clericos malè promotos, quos non excommunicat ob illam culpam, sed tantùm suspendit, & tamen subdit hæc verba, *Personæ sic, vt præfertur, delinquentes, tam scilicet Antistes, seu Abbates promouentes, quàm clerici malè insigniti seu ordinati, à reatibus, & excessibus præfatis absolui, præterquàm in mortis articulo, non possint.* Et priùs dixerat *Tam absoluendi, quàm dispensandi facultatem in casibus superiùs expressis etiam in foro conscientiæ nobis, & successoribus nostris duntaxat perpetuo reseruamus.* Hæc autem proxima verba poterant exponi de absolutione à suspensione, & dispensatione ab irregularitate, tamen ex aliis satis constat reseruationem fieri ipsarum culparum, vt patet ex illis verbis, *reatibus, & excessibus.* De illo tamen Motu proprio etiam fertur esse moderatum à successoribus, non tamen mihi cõstat, an hæc reseruatio fuerit sublata, quia moderationem ipsam videre non potui. Præter has autem, hactenus nõ inuenio reseruationem Pontificiam sine annexa excommunicatione: id verò satis est ad constituendam moralem regulam, quod Pontifices non reseruant peccatum, nisi simul ferendo ratione illius excommunicationem reseruatam, quæ erit infallibilior si generaliùs dicamus non reseruare, nisi adiungẽdo aliquam censuram, vel irregularitatem.

5.

C

Supereſt autem dubitatio circa hanc Pontificiam reseruationem, vt de facto fit, an reseruatio cadat immediatè in culpam, an solùm in censuram. Nam, licèt hæc duo sint coniuncta, tamen distincta manent. Et de censura indubitatum est proximè & immediatè reseruari, vt ex ipsis iuribus euidenter constat: & quia non est aliud, quo mediante reseruetur, vt latiùs in propria materia dicemus. Culpa verò duobus modis intelligi potest manere reseruata: primò solùm mediatè & in alio, nimirum, quia nullus potest à peccato absolui durante censura, & ita reseruata censura, videtur ratione illius culpa manere reseruata. Secundò immediatè & in se, quia diuersa est iurisdictio necessaria ad absoluendum à culpa, & à censura; hæc enim pertinet vel forum contentiosum, illa vel forũ pœnitentiæ: potest ergo ad altera tantùm iurisdictio tolli, vel vtraque, & quando hoc posteriori modo fit, tunc dicitur, tam cẽsura, quàm culpa immediatè & in se reseruari.

D

E

6. Dubitatio quædam soluitur.

Culpa duobus modis potest reseruari.

Videri ergo potest hæc reseruatio sisterein censura, & solùm mediatè & quasi per accidens redundare in culpam. Primò ex decretis, in quibus huiusmodi censuræ feruntur, & reseruantur: nã primò propter culpã imponitur censura, & deinde dici solet, *à qua absolui non possint, nisi à Romano Pontifice*, vel *in ea permaneãt, donec Apostolico cõspectui se præsentent*, vel quid simile.

7. Videri reseruationẽ sistere in censura.

Deinde à posteriori patet: quia ablata censura statim manet peccatum non reseruatum, vt omnes Doctores docent: ergo signum est solùm fuisse ablatam iurisdictionem circa censurã, alias etiã ablata censura, adhuc manere posset reseruatio culpæ. Vel aliter (& ferè in idem redit) quia concessa iurisdictione ad absoluendum à censura, potest quis absoluere à culpa ex vi iurisdictionis, quam anteà habebat: ergo signum est, solam censuram fuisse in se reseruatam: alioqui hac concessa, non statim sequeretur esse concessam aliam: nam quoad hoc non sunt connexæ: quia potest aliquis absoluere à censura, & non à culpa, vt iudex Ecclesiasticus non sacerdos, vel qui tantum habet iurisdictionem fori cõtentiosi. Tandẽ hic modus reseruationis sufficit ad intẽtionem reseruantis: quia hoc satis est vt homo absolui non possit, etiã à culpa, & sufficit ad saluanda verba decreti reseruãtis; & alioqui cùm res sit odiosa, est mitiori modo interpretanda: ergo: Atque hanc partẽ multùm insinuat Durand. dicta q. 15. n. 13. Indicat etiam Caiet. in Sum. verb. *Casus*, dum ait solos illos casus esse reseruatos Sedi Apostolicæ, *quos Ecclesiastica censura, hoc est, excõmunicatio reseruat:* Et infrà ait, censurã esse quasi adæquatã ratione huius reseruationis, ideóque illa ablata omnino tolli reseruationem.

Durand. Caiet.

## ASSERTIO.

8. Culpas etiã reseruari. D. Thom. Paludan. Gabr. Maior. Soto. Nau. Trid.

NIhilominus dicendum est, per reseruationes Põtificias etiam culpas ipsas in se reseruari. Hæc est communior sententia Theologorum in 4. d. 17. vbi D. Thom. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4. Palud. q. 5. art. 1. Gabr. q. 1. a. 3. dub. 2. Maior q. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 5. & idem sẽtit Nauar. in Summ. c. 27. n. 271. Cui sentẽtiæ multum fauet Concil. Trid. sess. 4. c. 7. vbi, licèt loquatur de potestate, tamen satis clarè indicat se loqui de illa prout de facto in Ecclesia exercetur à sũmis Põtificibus, de quibus propterea ait potuisse causas aliquas criminũ pro suprema sua potestate in Ecclesia reseruare: vbi non sine causa de præterito ait, *potuisse* quia de illa potestate agit prout in vsum iam sæpius exiuit, seu exire solet: & ibi apertè loquitur de reseruatione criminum, nulla facta mentione censurarum: & infrà, de Episcopis agens, ait, posse reseruare peccata, *præsertim quæ habent censuram annexam.*

9. Ratio à priori.

Ratio à priori est, quia hæc est intentio Pontificum reseruantium, quæ ex eorum verbis, & decretis à nobis colligitur, quam interpretationem maximè confirmat communis vsus Ecclesię, & communis sensus interpretum, patebitque attentè consideranti singula decreta. Ex quibus duo tantùm exempla afferam, primum est antiquissimum ex capit. *Si quis suadente*, 17. q. 4. in quo fertur prima omnium reseruationum Papalium, & ideò videtur esse veluti exemplar cæterarum omnium, & tamen ibi de percussore clerici primùm dicitur, *Anathematis vinculo subiaceat:* & posteà subditur, *& nullus Episcoporum illum præsumat absoluere nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, &c.* Vbi aduerto absolutionem, quæ reseruatur, nullo modo referri ad censuram tantùm, sed simpliciter ad ipsum peccatorem anathematis vinculo subiacentem: ergo simpliciter totum hoc reseruatur: scilicet, tam peccatum, quàm censura. Aliud exemplum est nouissimũ ex dicto Motu proprio Sixti V. vbi licèt peccatum illud habeat annexam suspensionem; tamen non sola suspensio, sed etiam culpa reseruatur, vt ex verbis eiusdem Pontificis suprà expendimus. Et in hac censura est per se manifestum: quia illa non impedit absolutionem à culpa: & ideò quantuncũque cẽsura esset reseruata, nullo modo reseruaretur culpa, nisi reseruatio immediatè & per se in ipsam caderet.

10. Ratio à posteriori.

Atque hinc possumus à posteriori hoc confirmare etiam in censura excommunicationis. Nam licèt contingat aliquem sic excommunicatum bona fide absolui priùs à peccatis absque absolutione censuræ, nihilominùs non est valida absolutio etiam à culpa tali: nam tenetur illam posteà sacramentaliter confiteri: ergo signum est, sublatam fuisse iurisdictionem non solùm ad absoluendum à censura, sed etiam immediatè ad absoluendum à culpa. Et hæc est magna differentia inter excommunicationem non reseruatam, & reseruatam, quòd illa non tollit iurisdictionem ad absoluendum à culpa, quanuis prohibeat priùs ab illa absoluere, quàm à censura: & ideò, si casu vel etiam ex malitia confessoris inuertatur hic ordo sine culpa pœnitentis, qui bona fide absoluitur à culpa non præmissa absolutione à censura, sacramentalis absolutio valida est: quia nihil deest, quod sit de substantia eius, vt infrà tractando de excommunicatione latiùs dicturi sumus: in præsenti autem absolutio sacramentalis à culpa nulla est, non obstante bona fide pœnitentis, vt nunc supponimus, & ex dicendis constabit: ergo signum est, aliquid necessarium ibi deesse; hoc autem nihil esse potest nisi iurisdictio sacerdotis: quia ex parte pœnitentis nihil deest: ergo per talem reseruationẽ aufertur iurisdictio in ipsam culpã; nihil autem aliud est culpam in se & immediatè reseruari.

Differentia inter excõmunicationem reseruatam & non reseruatam.

11. Destruitur fundamentũ contrariæ sententiæ.

Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ, iam ostensum est ex decretis ipsis colligi hunc modum reseruationis. Quod etiam confirmari posset ex cap. *Nuper*, de Sentent. excom. ibi, *Ab eo, vel eius superiore erit tunc absolutio delicti requirenda*: expendo enim vocem *delicti*: & similia sunt multa. Quod si aliquãdo videantur verba reseruationis referri specialiter ad censuram, non obstat: quia semper intelliguntur iuxta commune ius, & praxim Ecclesiæ, quæ habet, vt in reseruationibus Papalibus hæc duo coniuncta sint, culpa, & censura: quanuis enim vtraque in se reseruetur, nõ tamẽ vna sine alia. Per quod patet respõsio ad aliud argumentum à posteriori: fatemur enim per se, & ex sola rei natura non bene sequi reseruata censura, esse reseruatam culpam. Vnde Nauar. suprà dicit Episcopos sæpe reseruare sibi censuras, & non culpas: de quo mihi non constat, nisi fortasse in censura ab homine: quæ secum veluti affert reseruationẽ, quatenus solus ille, qui eam tulit, vel superior potest eam auferre: quanuis necesse non sit, culpam propter quam fertur, in se manere reseruatam. Itaque hæc nõ sunt connexa per se & ex propriis rationibus, tamen ex vsu Pontificum vna non reseruatur sine alia. Et ideò, sicut à principio habent hanc connexionem quasi in fieri, vt sic dicam, ita etiam in conseruari seu in duratione sua: & inde est vt ablata censura, censeatur reseruatio culpæ sublata. Hinc etiam est, vt concessa potestate ad absoluendum à tali censura, censeatur concessa ad absoluendum à culpa, & è conuerso: quæ vnico verbo dici solet potestas absoluendi à casibus reseruatis Pontifici, vt loquitur Concilium Trident. sess. 24. c. 6. & loquntur multa priuilegia, per quæ constat non dari tantùm iurisdictionem tollendi censuram, sed etiam culpam: quia sine tali priuilegio neutra haberetur: ergo illa consequutio nõ in eo fundatur, quod culpa non fuerat per se reseruata: sed in hoc, quod vtraque iurisdictio in foro interno coniunctim datur. Vltima denique confirmatio ex ratione in contrarium facta soluta est: nam ex ea constat maiorem esse reseruationem culpæ hoc modo factã, quam priori, & cõsequenter non aliter satisfieri intentioni reseruantis: nam de illius verbis iam satis dictum est.

Trident.

SEC

## SECTIO III.

*Vtrùm omnia, & sola peccata mortalia reseruentur, etiam reseruari possint.*

1. An peccata venialia possint reseruari.

PRincipio quæri hoc loco solet, an possint venialia peccata reseruari. Et qui sentiunt ad absoluendum ab his peccatis non esse necessariam iurisdictionem, vel illam datam esse omnibus sacerdotibus iure diuino, consequenter negant hæc peccata reseruari posse quibus fauet vsus Ecclesiæ, quæ nunquàm consueuit hæc peccata reseruare. Nos verò diximus absolutionem ab his peccatis non dari sine iurisdictione, eámque à summo Pontifice manare ad reliquos sacerdotes. Ex quo planè sequi videtur, posse hanc iurisdictionem limitari & consequenter posse aliquod peccatum veniale reseruari. Et declaratur in hunc modum: quia propter peccatum veniale potest incurri aliqua censura: scilicet, excõmunicatio minor: possent ergo pastores Ecclesiæ reseruare sibi absolutionem à tali censura: ergo & absolutionem culpæ, propter quam imponitur. Denique aliqui referunt interdum in religionibus aliqua peccata venialia reseruari.

2. Quæstioni respondetur

Respondeo breuiter, non repugnare peccatum veniale reseruari quoad hoc, vt non possit sacramentaliter remitti, nisi à tali vel tali, ministro (vel quod perinde est) vt non possit ex confessione talis peccati confici hoc sacramẽtum, nisi coram tali iudice fiat: & hoc probat posterior ratio. Nihilominùs non possunt peccata venialia ita reseruari, vt maneat obligatio ea cõfitendi superiori reseruanti: quia simpliciter nulla est obligatio cõfitendi hæc peccata, possuntq; tolli alio modo sine vllo ordine ad hoc sacramentum: neq; hoc potest Ecclesia impedire. In quo est magnum discrimẽ inte venialia peccata, & mortalia. Atque hinc tandẽ fit vt talis reseruatio venialium peccatorum sit ferè inutilis, ideóque non sit in vsu Ecclesiæ: quia, licèt reseruetur hoc peccatum, poterit à pœnitente in confessione taceri sine culpa: vel, etiamsi dicatur, & confessor nolit ab illo absoluere, poterit cogi à pœnitente vt ab aliis, absoluat, quod satis illi est, cùm non maneat ei obligatio tale peccatum iterum confiteri. Meritò ergo talis reseruatio non est in vsu, præterquàm quod est improportionata cũ toto genere peccati venialis: nam reseruatio introducta est propter grauitatem delictorum, à qua longè distat totus ordo venialium peccatorum. Atque hæc doctrina locum etiã habet in peccatis mortalibus semel confessis: illa enim simpliciter reseruari non possunt ita vt pœnitens maneat sub obligatione illa iterum confitendi: suppono enim fuisse absolutè ac per se remissa. Reseruare autẽ illa solùm, vt per absolutionem talis sacerdotis sacramentaliter iterum non remittantur inutile esset, & infructuosum, vt ex dictis à fortiori patet. Et ideò ex sententia omnium postquàm peccatum reseruatum semel est per absolutionem per se & absolutè ablatum ampliùs reseruatum non manet, vt in sequenti disp. latiùs declarabitur.

3. An peccata mortalia merè interna possint reseruari.

Secundò dubitari potest de peccatis mortalibus merè internis quæ sola cogitatione consummantur, an reseruari possint. Videtur enim nõ posse: quia Ecclesia nihil potest per se præcipere circa actus merè internos: ergo neque etiam potest illos reseruare. Vnde etiam consuetudo Ecclesiæ obseruat, vt talia peccata non reseruentur. Item Ecclesia non potest propter hæc peccata censuras imponere ergò nec potest illa reseruare. Et fortasse qui putant iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, datam esse iure diuino, dicerent, non posse Ecclesiam illam limitare circa actus merè internos, sed solùm circa externos. Veritas tamen est, in rigore non deesse in Ecclesia potestatem ad reseruanda hæc peccata. Ita docuit Caietan. 2.2.q. 11.art. 3. & Soto d. 18.q.2.a.5. Ledesma 2.p.4.q.8. a. 2. dub. 10. Et ratio est, quia omnis iurisdictio in hoc foro communicatur inferioribus per superiores pastores, tam ad absoluendum ab externis, quàm ab internis culpis: ergo circa vtraque possent, si velllent, illam iurisdictionem limitare, atque ita peccata interna reseruare. Vnde, licèt Ecclesia in foro exteriori nihil possit circa hæc peccata, & ideò nec specialiter illa prohibere nec punire valeat: tamen in hoc foro habet iurisdictionem, vt de eis iudicium ferat, & ipse peccator iure diuino tenetur ea deferre ad hoc iudicium, & in eo esse sui accusator, & testis contra se: ideóque etiam posset Ecclesia iudicium de his peccatis internis committere designatis quibusdam iudicibus. Quod aliquo modo fecit per diuisionem iurisdictionũ, non enim quilibet sacerdos potest ab his peccatis mortalibus merè internis absoluere, sed tantùm illi, quibus data est per summum Pontificem ordinaria vel delegata iurisdictio. Per modum autem reseruationis hoc Ecclesia ordinariè non facit, sed quib. committit iurisdictionem ad absoluendum à peccatis mortalibus dat iurisdictionem absolutam ad absoluẽdum ab his internis, non quia non posset eam limitare, sed quia non iudicauit expediẽs id facere, eò quòd illa peccata sint per se occulta, & non inferant nocumentum aliis, nec moraliter loquendo, indigeant speciali curatione, quæ ab ordinariis iudicibus adhiberi non possit. Hoc autem non obstante nonnulli prælati peccata aliqua merè interiora sibi reseruare cœperunt maximè hæresim mentalem. Quod factum aliqui viri docti non probant: quia est alienum ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine, quæ videtur declarare ex Pontificum & Ecclesiæ voluntate materiam hanc non esse capacem reseruationis. Ego verò solùm nũc affero, illam consulendam non esse, si tamen fiat, seruandam esse: ratio autem contra hanc potestatem facta, soluta iam est. Neque est simile: quòd de censura afferebatur, quia censura est pœna pertinens ad iurisdictionem fori contentiosi, quæ nõ extenditur ad actus merè internos: reseruatio autem non est pœna, sed est limitatio iurisdictionis fori pœnitentialis, quæ per se cadit in actus purè internos.

Quæstioni satisfit. Caietan. Soto. Ledesm.

4. An omnia peccata mortalia reseruari possint.

Atque hinc constat à fortiori, nullum esse peccatum mortale externũ: quod reseruari non possit quãtùm est ex se, vt eadem ratio ex iurisdictione sumpta conuincit. Quæri verò vlteriùs solet, an sicut possunt omnia diuisiuè reseruari possint etiam collectiuè. Sed hoc nullam haber nouam difficultatem. Potest enim Ecclesia aliquibus sacerdotibus non dare iurisdictionem ab vllo peccato mortali: nam hoc modo se habet nunc circa simplices sacerdotes: illa verò non dicitur propria reseruatio, de qua nunc agimus, sed est potiùs totalis negatio iurisdictionis ad absoluendum à peccatis mortalibus, reseruatio autem dicit limitationem seu partialem priuationem talis iurisdictionis. Clarum est autem non posse hoc modo totam iurisdictionem ad absoluendum ab his mortalibus auferri ab omnibus Ecclesiæ sacerdotibus infra summum Pontificem, neque etiam ab omnibus ordinariis pastoribus: nã illud esset cõtra rationẽ sui muneris & contra vtilitatem ipsorum pœnitentiũ, vt per se notum est. Quòd maximè verum habet respectu secularium: inter religiosos verò ferunt interdum fuisse vsitatũ, vt omnia peccata mortalia exteriora essent reseruata superiori. Sed hic modus reseruationis nimis onerosus, & periculosus esset subditis in quocunque statu existentibus, & ideò probãdus nõ est. Nunc verò

verò,ex speciali decreto edito à S. D. N. Clemente VIII. anno 1594.non solùm hoc est religiosis prohibitum,sed etiam certi casus præscripti, quos reseruare possint, quos infrà numerabimus. Ex quo tandē cōcluditur, quanuis absolutè,omnia peccata mortalia externa diuisiuè sumpta reseruari possint; tamen licitè & secundùm rectum ordinem non quælibet posse reseruari,sed ea tantùm, quæ habent specialem grauitatem huic rigori proportionatam,vt in sequenti sect.ampliùs explicabimus.

5. Quæ peccata de facto reseruata sint.

Iam verò inquirendum superest, quænam peccata de facto reseruata sint: quod tam de Pontifice,quàm de Episcopis inquiri potest:nam de Parochis iam diximus nulla peccata specialiter eis reseruari, & ideò nihil est quod de illis dicamus,sed loco eorum dicemus aliquid de superioribus Religiosorum, quibus interdum fit reseruatio,licèt sint immediati pastores. Quoniam verò summi Pontifices sibi peccata non reseruant,secundum ordinarium ius, nisi, cum adiuncta excommunicatione sibi reseruata,ideò de casibus Pontificiis nihil hoc loco dicemus vsque ad materiā de excōmunicatione, vbi omnes sigillatim numerabimus, & explicabimus. Quoad Episcopos verò tribus modis intelligi potest eis fieri hæc reseruatio. Primus est per statuta Episcoporum: de quibus nihil dicere possumus, quia pendent ex facto, & in variis diœcesibus sunt varia,ideóque in singulis diœcesibus consulendæ sunt constitutiones synodales. Secundus modus est per consuetudinem,de quo idem dicimus, quia etiam cōsuetudo est varia,& pertinet ad factum vbi tamen de illa constiterit,seruāda est. Tertius modus est iure communi & ita solent quinque, vel sex casus numerari iure communi reseruati Episcopis ex Extrauag. *Super cathedram*,de Sepulturis.

Tribus modis fit Episcopis reseruatio.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

## ASSERTIO.

6. Ex solo iure communi nullum peccatum esse Episcopis reseruatum. Nauar.

MIHI autem videtur ex solo iure communi, & secluſa consuetudine, nullum peccatum esse reseruatum Episcopis. Omitto dispensationes votorum, & similia, quæ Summistæ numerant inter hos casus reseruatos impropriissimè,vt Nauarrus optimè aduertit, quia hîc non agimus de omni actu iurisdictionis,præsertim exterioris,sed solùm de reseruatione culpæ in ordine ad absolutionem sacramentalem. Probo ergo assertionem primò, quia ex dicta Extrauag.non sumitur argumentum firmum: nam prorsus reuocata est in Clement. *Dudum*,de Sepulturis.Et licèt aliqui contendant non esse reuocatam simpliciter, sed quoad aliqua, quòd significat Glossa ibi, & Sylueſter verb. *Casus*:tamen verba reuocationis absoluta sunt,*omninò cassamus*. Et quanuis non esset vniuersalis,haberet locum in hoc puncto: nam spectabat ad restringenda priuilegia Mendicantium,quæ restrictio in alio textu tollitur. Addo præterea, Pontificem ibi non condidisse nouum ius de reseruatione casuum, sed obiter retulisse casus, qui tunc erant reseruati cōmuni iure,aut consuetudine: & fortasse tunc hi casus erant recepti:nunc autem ex vi illius iuris non oportet reseruationem durare.Et ita in primo casu ibi numerato qui est,quando peccatum habet ex iure annexam pœnitentiam publicam, omnes fatentur iam non esse in vsu, quia hæ pœnitentiæ iam sublatæ sunt: & si quæ supersunt pertinent ad forum contentiosum, nec ratione illarum reseruantur peccata, nisi etiam habeant censuram annexam.

Sylueſt.

7. Secundus casus est,quando habet excommunicationem maiorem annexam. Sed hoc solùm est verū, quando excommunicatio per se est reseruata Papæ, & in aliquo particulari casu committitur Episcopo in iure,vt v.g.sæpè fit in excommunicatione canonis *Si quis suadente*, & in Tridentino sess. 24. capit. 6. fit in omnibus occultis:tunc enim illa non est tam reseruatio quàm delegatio. At verò quando excommunicatio simpliciter fertur in iure, nulla fit reseruatio Episcopo,sed quilibet Parochus,vel alius æqualis illi in iurisdictione potest & à culpa, & à tali excommunicatione absoluere, iuxta c. *Nuper*, de sent. excomm. in 6. Et in hoc etiam conueniunt Angelus verb. *Casus*, Nauar. num. 262. & omnes. Neque excipio excommunicationem reseruatam Episcopo, quia existimo directè & propriè nullam talem esse in iure:quod alibi, Deo dante, ostendam. Dico etiam, in excōmunicationibus reseruatis Episcopis per eorum statuta, vel sententias non statim haberi, quòd ipsa peccata in se maneant reseruata: quia,vt dixi,illa duo sunt distincta: imò interdum potest reseruari censura,& non culpa. Considerandа ergo sunt verba reseruationis,consuetudo, & potestas reseruantis.

Angel. Nauar.

8. Tertius casus est, si peccatorum habeat annexam irregularitatem. Sed veritas est, dispensationem irregularitatis esse reseruatam, vel Pontifici, vel Episcopo,si sit occulta. Culpa autem per se reseruata non est imò, stante irregularitate, potest quis absolui à tali culpa,à quolibet proprio: quia irregularitas (in quo inter alia differt ab excommunicatione) non impedit sacramentorum susceptionem. Et hęc est etiam sententia cōmunis ex Caie. verb. *Irregulariter*,& Nauarro,& Angelo suprà,& Sylueſtro verb. *Casus*, q. 3. Et sumitur etiā ex Glossa in c. *Si Episcopus*, de Pœnit. & remiss.quàm sequuntur Hostiensis,& alij,qui,numerantur casus Episcopales,huius mentionē nō faciunt.

Caietan. Nauarr. Angel. Sylueſt. Hostiens.

9. Quartus casus est de peccato incendiarij, qui numeratur in dicta Extrauag. Sed iam dixi,ex vi illius textus nullam habere reseruationem. Solet tamen prætereà colligi hic casus ex capit. *Pessimam*, 23.q.8. Sed ibi nullam inuenio reseruationē,sed solùm præceptum quoddam vt talis peccator nō absoluatur, nisi tali, vel tali pœnitentia imposita, in qua Episcopus dispensare non possit: ibi tamen non limitatur absolutio,vel impositio pœnitentiæ ad solum Episcopum. Nihilominùs Nauar.dicit hunc casum esse receptum communi opinione,& vsu:quod si ita est,erit reseruatus ex vi consuetudinis,non ex vi iuris. Aduerto etiam obiter, hoc peccatum non habere hoc ipso iure excommunicationem annexam,tamen,si semel ab homine feratur excommunicatio, ratione illius statim manet reseruata Papæ, ex capite *Tuanos*, de Sent. excommunic.

Nauar.

10. Quintus casus est publica blasphemia,ex cap. *Statuimus*,de Maledicis. Tamen ibi solùm est sermo de pœnitentia propter hoc peccatum iniungenda in foro exteriori,vt etiam Nauar.aduertit. Vnde in Concilio Later.sub Leone X.sess.9.in tit. de Reformatione curiæ,§. *Ad abolendam*, imponitur specialis pœna propter hanc culpam in ordine ad forum contentiosum. Vlteriùs verò præcipitur cōfessoribus,vt ab hoc peccato non absoluant,nisi seuera imposita pœnitentia:supponitur ergo posse absoluere. Alij prætereà casus numerantur in illa Extrauag. *Inter cunctas*, qui non dicuntur iure reseruati, sed consuetudine, quæ consuetudo ibi approbatur,& coarctatur ad homicidas voluntarios,falsarios,violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & sortilegos. Quos casus Sylueſt. verbo *Casus*,q.4.Nauar. & Ang. suprà variis modis amplificant,scilicet homicidium ad mutilationē peccatū falsarij ad peccatū tacendi veritatem coram iudice legitimè interrogante,& ad peccatum aduocati,procuratoris,& notarij ostendentis parti aduersæ scripturas alterius: & peccatū violationis immunitatis ad plura alia sacrilegia. Quæ omnia ipsi nullo iure probāt,cùm tamen materia ex se,cùm sit odiosa,potiùs restrictionem

Conc.Later

Sylueſt. Nauar. Angel

nem postulet, quàm appliationem. Neque in ea valet argumentum à simili, neque à paritate rationis, sed præcisè standum est verbis legis, si hæc essent iure reseruata: tamen, quia hæc non dicuntur reseruata ex vi iuris, sed ex consuetudine, illa consulenda est, vt feratur iudicium, tam de casibus, quàm de ampliationibus eorum: fortè enim vniuersalis nō est, neque eiusdem modi in omnibus Episcopatibus. Quod verò Nauarrus addit de peccato vsurpandi, vel retinendi incerta bona, non video quod habeat fundamentum.

11. Peccata reseruata Religiosis à S.D. N. Clement. VIII.

Superest vt dicamus de religiosis, quorum instituta singula non sunt hoc loco à nobis explicanda, sed solum adnotanda suprà notata constitutio Clementis VIII. in qua hæc tantum peccata voluit esse posse Religiosis reseruata. *Primũ veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à religione, siue habitu dimisso, siue retento; quando eò peruenit, vt extra septa monasterij seu conuentus fiat. 3. Nocturna ac furtiua è monasterio seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas cõtra votũ paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non consecuto. 7. Falsificatio manus, seu sigilli officialium monasterij, aut conuentus. 8. Furtum de rebus monasterij seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores.* Est autem circa hos casus aduertendum primò, non statui à Pontifice, vt omnes hi casus sint in Religionibus reseruati: sed permitti tantùm, vt *Superior religionis possit hos casus sibi reseruare, aut omnes, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in domino iudicauerit*: prohiberi autem ne superiores regularium, præter hæc peccata, alia sibi reseruent, propria, scilicet, auctoritate. Addit enim statim ibidem summus Pontifex, *Si quod aliud præterea peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut prouincialis in prouincia matura discussione, & consensu.*

12. Ex quibus verbis colligi videtur, non relinqui potestatem Superioribus religionis, vt pro aliqua particulari domo casum aliquem reseruent, sed tantùm pro tota religione, vel pro tota aliqua prouincia: & tunc potestas non conceditur Generali, aut Prouinciali per se, sed cum consensu Capituli generalis, aut prouincialis. Nihilominùs tamen existimo, si ad bonum regimen alicuius domus expediret, specialiter in ea peccatum aliquod reseruare, posse superiorem cum consensu Capituli prouincialis huiusmodi casum, vel casus reseruare: quia Pontifex ibi non præscribit, vt peccatum necessariò reseruandum sit pro tota religione, aut tota prouincia, sed solùm ait, *Si peccatum aliquod graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur*: potest autem pertinere ad conscientiæ puritatem, vt in vno loco fiat reseruatio quanuis non fiat in aliis, vt v. g. si locus sit expositus maioribus periculis, & ideò necessarium sit aliquid in eo seuerius præcipi, & obseruari. Requiritur autem etiam tunc consensus Capituli prouincialis: quia summus Pontifex, nec soli personæ alicuius Superioris, nec soli Capitulo vnius domus hanc potestatem committit. Nec refert, quòd id non fiat pro tota prouincia; nam satis est vt fiat in aliqua parte eius, quidquid enim prouincialis agit in aliqua domo prouinciæ suæ, verè dicitur agere in sua prouincia: neque aliud summus Pontifex requirit.

13. Dubium. Prima sententia.

Solet autem interdum Abbas, aut Rector domus aliquid prohibere sub excommunicatione ipso facto incurrenda, illius absolutionem sibi reseruando, vt v. g. ne religiosus cùm è monasterio cum facultate egreditur, in aliqua domo ciuitatis ingrediatur sine speciali Superioris voluntate, vel quid simile. Et ideò quæsitum est, an post hanc ordinationem Clementis possint Superiores regularium domorum hanc reseruationem facere. Videntur enim non posse sine consensu Capituli prouincialis, quia omnis casuum reseruatio illis interdicta est: hæc autem est cuiusdam casus reseruatio, quia, reseruata excommunicatione, non potest religiosus ille absolui à sua culpa, nisi à suo Superiore, quod est contra Pontificis intentionem. Atque ita aliquibus viris doctis visum est. Ego tamen oppositum censeo probabilius, nimirùm hanc potestatem non esse ablatam Prælatis religionum: quia Clemens expresè loquitur de reseruatione culparũ. Verba enim eius sunt, *Nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis iis, &c.* In casu autem proposito non reseruatur peccati absolutio, sed censuræ, quæ longè diuersa est & ad diuersum forũ, & iurisdictionẽ spectat. Nec satis est quòd, per se loquendo, non potest dari absolutio à peccato, non ablata censura: hoc enim accidentarium est: sufficit enim quòd non sint idem, vt ab vna ad aliam non sit prohibitio extendenda, præsertim cùm respectu Superiorũ sit onerosa, & vsum iurisdictionis restringens. Accedit, quod non est dubium, quin possint hi Prælati huiusmodi excommunicationes ferre, sicut anteà poterant: talis autem excommunicatio est ab homine, cuius absolutio veluti ex natura sua est reseruata iudici ferenti: sicut ergo per constitutionem hanc non est ablata potestas ferendi excommunicationem ab homine, ita nec prohibita est talis censuræ reseruatio. Verum est illam censuram nõ esse per sententiam specialem, sed per generalem, de qua est probabilis opinio, non magis esse de se reseruatam, quàm censuram à iure, veruntamen & oppositа opinio non caret probabilitate, vt suo loco videbimus: & præterea qui fert sententiam potest hanc intentionem suam, & mẽtem declarare: & tunc non est dubium, quin id operetur præcisè circa censuram, & nõ circa culpam. Quare, si ita fiat, non censeo hoc per se prohibitum ex vi huius constitutionis, quanquàm meliùs censebimus id non facere sine speciali Capituli prouincialis consensu ad omnem dubitationem tollendam.

Oppositа sententia probatur.

Medina.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm peccata possint reseruari pro arbitrio Superioris absque legitima causa.*

1 Anliceitè fiat dicta reseruatio.

DVPLEX potest esse quæstionis sensus. Vnus est, an hoc possit fieri licitè: alius, an validè. Prior sensus difficultatem non habet: nam certum est Superiores non licitè facere hanc reseruationẽ, nisi ex iusta causa: quia per se est onerosa subditis, & reddit difficilem vsum sacramenti, & ideò non potest licitè fieri pro sola voluntate Superiorum, sed pro vtilitate subditorũ, ad quã hæc potestas principaliter ordinatur, quòd ampliùs in sequentibus explicabitur, & confirmabitur. Vt ergo dicamus de alio sensu, distinguendum est de hac reseruatione facta tantùm in ordine ad delegatum, vel in ordine ad alios ordinarios pastores inferiores. Nam respectu delegati certum est, ex consensu Doctorum, quos referemus, validam esse reseruationem, quanuis solet arbitrio

bitrio sine necessaria causa fiat. Cuius ratio est, quia qui hoc modo committit alteri iurisdictionem suam, non ex debito iustitiæ, sed ex sua voluntate id facit: ergo potest non totam, sed partem iurisdictionis cõmittere ex eadem tantùm voluntate: ergo potest dare iurisdictionem ad quædam peccata, & non ad alia quod est illa reseruare.

2. Limitatio. Reprobatur

Dicunt verò aliqui, etiamsi hoc verum sit in prima concessione iurisdictionis, tamen postquàm semel tota delegata est, non posse per reseruationem coarctari sine causa. Tamen, loquendo de absoluta potestate, non est necessaria limitatio: quia delegatio non est absoluta donatio, sed quædam concessio, quæ semper pendet à voluntate delegantis, & ideò sicut potest eam reuocare, ita & coarctare. Solùm sunt obseruanda duo. Vnum est, quòd licèt ex parte delegati per se non sit iniuria in hac reseruatione: ex parte verò subditorum, propter quos hæc iurisdictio delegatur: poterit esse illicita, si absque rationabili causa, & imprudenter fiat: nam Pastores Ecclesiæ non habent hãc potestatem tanquàm absoluti domini, vel propter suũ commodum, sed vt Christi Vicarij propter bonum ouium: & ideò, si per hanc reseruationem nimiùm onerosi sint subditis, vel exponant eos aliquibus periculis grauiter peccabunt contra charitatem, abutendo potestate sua. Sicut etiam malè facerent non delegando absolutè hanc iurisdictionem aliquibus cum eisdem incommodis ouium. Nunquàm tamen auderem dicere talem reseruationem esse irritam, vel nullam propter similem imprudentiam reseruantis: quia nunquam est contra iustitiam, nec deest absoluta potestas. Et sæpe accidit, vt vsus potestatis habeat effectum, etiamsi minùs prudens sit & rationabilis, vt in superioribus tactum est, & patet in dispensationibus, & similibus, & maximè in effectibus negatiuis, qualis est hæc reseruatio, tantùm enim est non concessio iurisdictionis quoad aliquam partem. Cauendum præterea est, postquàm semel facta est delegatio, ne illius coarctatio, aut reuocatio sine rationabili causa facta, cedat in infamiam ipsius delegati: nã ex hac parte posset esse illicita: quod præsertim continget, quando ad certum tempus commissio est facta & ante illud elapsum reuocatur, tamen hoc totum accidentarium est.

3. Respondetur quantũ ad ordinarios inferiores.

Quando verò reseruatio fit respectu inferioris pastoris habentis ordinariam iurisdictionem, maior est difficultas, quia inferior habet intrinsecum, & proprium ius: & ideo est varietas opinionum. Prima absolutè dicit esse nullam. Ita sentit Soto suprà circa 2. argum. & Ruard. art. 3. Esset̃que hæc sententia necessaria, si omnes hi pastores haberent iurisdictionem iure diuino: nam quoties aliquo modo immutandum est ius diuinũ, vt valida sit actio requiritur causa: propter hoc enim dispensatio, v. g. in ieiunio, quanuis illicitè, & sine causa concedatur à Papa, valida est, quia est tantùm in iure humano: dispensatio autem in voto, si fiat sine causa, non solùm illicita, sed etiam nulla est, quia attingit aliquo modo ius diuinũ: sic ergo in præsenti, &c. Quia verò non admittimus illud fundamentũ potest hoc modo ratio induci: quia pastores, saltẽ ex suppositione officij, habent intrinsecum, & naturale ius ad suam iurisdictionem, ergo saltẽ hoc titulo non possunt sine causa illa priuari, nec licitè, nec validè. Confirmatur, quia postquàm aliquis recepit Episcopatum aut beneficium, non potest illo priuari sine causa. Similiter nullus potest suspendi ab officio, vel beneficio, solo arbitrio alterius sine causa, eritque talis suspensio nulla si fiat: ergo similiter in præsenti.

Prima opinio. Soto. Ruard.

4. Secunda opinio. Sylvest.

Secunda opinio absolutè affirmat talem reseruationẽ esse validam. Ita sentit Sylvest. verb. *Confessor*, 1. q. 3. & Henric. quodlib. 1. quæst. 27. Fundamentum est, quia superior semper confert iurisdictionem dependentem à sua voluntate: & ideò, si auferat illam circa aliquod peccatum, factum tenet, etiamsi fortasse sine conuenienti ratione id faciat. Quæ opinio valdè probabilis est. Henric.

5. Tertia opinio.

Tertia opinio distinguit inter summum Pontificem respectu omnium inferiorum, & Episcopos respectu Parochorum: & de Pontifice approbat secundam sententiam propter fundamentum eius, & quia à Pontifice manat omnis iurisdictio: in Episcopis verò approbat primam sententiam. Ita sentit Maior d. 17. quæst. 5. & Angelus verb. *Casus*, & non displicet Soto. Fundamentum autem posterioris partis est, quia institutio, & iurisdictio Parochorum non est ab Episcopis, sed à summo Pontifice: & ideò nec parochias diuidere, aut mutare, neque aliquid simile facere possunt Episcopi propria potestate, nisi à Pontifice delegetur: vt sumi etiam potest ex Concilio Trident. sess. 21. capite 4. de reformat. ibi, *Episcopi, vt Apostolicæ Sedis delegati, &c.* Ac proinde, si absque legitima causa reseruent, nihil faciunt. Atque hæc distinctio non caret probabilitate. Maior. Angel. Sotus. Trident.

## ASSERTIO.

6. Posse Papã sine iusta causa reseruare peccata.

DIco tamen, rem hanc posse speculatiuè tractari, & practicè. Et quidem de summo Pontifice tam speculatiuè quàm practicè probabilius censeo, validam esse reseruationem ab ipso factam, etiamsi absque legitima causa fiat. Prior pars probatur ex illo fundamento, quòd hæc iurisdictio confertur à summo Pontifice, & ab illo pendet: vnde non est de illa iudicandum sicut de re, quæ transit in dominium absolutum alterius, ita vt non possit illa priuari: sed potiùs, vt de quodam inferiori iure dependente à superiore, & ordinato ad bonum subditorum, magis quàm ad vtilitatem habentis: & ideò ita datur à supremo pastore, vt tamen semper ab illo pendeat, quia semper manet supremus pastor, & potest per seipsum curare, vel iudicare oues, si velit. Quod ita confirmatur, & declaratur, quia si à principio voluisset Papa instituere Episcopum dando illi tantam iurisdictionẽ, & non maiorem, reuerà factũ teneret, quia in effectibus priuatiuis sufficiens ratio eorum est, vt causa nõ influat, siue licitè siue illicitè faciat? ergo idẽ erit in reseruatione, quæ fit post priorem institutionẽ: est enim eadem ratio. Præsertim, quia Pontifex à principio potuit hac lege & conditione iurisdictionem conferre, vt ab ipso semper penderet, nec se priuaret iure suo, & potestate. Quòd autem ita fecerit constat, tum ex vsu, tum etiam, quia expedit bono communi ad tollenda schismata. Et confirmatur secundò, quia in aliis actibus iurisdictionis semper est efficax actus Pontificis, vt in foro contentioso Ecclesiastico si Pontifex ad se reseruet, cuiusque causæ iudicium, valida est reseruatio, etiamsi sine vlla alia ratione eam reseruet, sed solùm ex suprema potestate, vt constat ex capite *Ad nostram*, de Appellationibus. Deinde, si summus Pontifex aliquẽ eximat à iurisdictione Episcoporum, factũ tenet, etiamsi sola sua voluntate id faciat. Similiter, si Pontifex abroget legem ab Episcopo latã, vel impediat, & irritet ferendam, vel aliquid præcipiat contra præceptum Episcopi, semper actus iurisdictonis manãs à Põtifice est efficax, dũmodò versetur circa materiam licitã, quanuis fortasse sine causa, vel imprudenter id faciat. Quorum hominum ratio est suprà tacta: quia licèt Pontifex cum Episcopis cõmunicet iurisdictionẽ suã semper, tamẽ manet proprius & supremus pastor & iudex, à quo cæteri inferiores

feriores pendent, & potest, si velit, per seipsum curare oues suas, vel iudicare causas earum. Ergo reseruatio à Pontifice facta nunquàm est censenda irrita ipso iure.

7. Manifestiùs autem hoc probatur si practicè res hæc consideretur. Et signum in primis est, quia nullus Catholicus Auctor hactenus ausus est dicere reseruationem aliquam in particulari factam à summo Pontifice esse nullam, licèt interdum nonnulli de multitudine reseruationum conquesti fuerint. Secundò, quia in re dubia semper est timenda sententia pastoris, præsertim supremi: nunquàm autem potest in particulari esse certum, reseruationem fieri sine legitima causa; quia hæc non semper est grauitas peccati, sed aliæ multæ possunt esse in pectore Pontificis, quæuis à subditis ignorentur: ergo nunquam potest aliqua eius reseruatio in particulari iudicari pru- B
Soto. denter nulla. Tertiò: ita hoc declaro, quia Soto, & alij tunc maximè censent posse esse nullam hanc reseruationem, quando nimia est multitudo reseruatorum casuum: hæc verò causa nunquam potest esse practicè sufficiés. Interrogo enim, an statim tota collectio nulla sit, ita vt iam nullus casus reseruatus maneat validè: & hoc dici non potest probabiliter, tum quia decem casus, v.g. possent validè reseruari: ergo propter multiplicationẽ aliorum non fit statim inualida tota reseruatio: tum etiam, quia hæc reseruatio omnium non fit simul tota, sed paulatim, priores ergo reseruationes validæ sunt, non ergo fiunt inualidę solùm quia superaddantur aliæ. Vel dicitur reseruatio nulla quoad aliquos casus determinatos; & hoc etiam dici practicè non potest, vel quia non est maior ratio de his, quàm de illis: vel certè, quia non potest homo designare quantus sit ille numerus casuum reseruatorum, quo impleto, reseruationes, quæ posteà addantur, nullæ sunt.

8. An Episcopi possint reseruare sine iusta causa. De Episcopis verò respectu Parochorum res est magis dubia, quia hoc pendet ex modo institutionis & dependentiæ, quam ex vi illius, & ex volũtate Põtificis Parochi iurisdictio habet ab Episcopo. Rationes autem factæ, si cum proportione applicentur, videntur suadere, etiã hîc seruari proportionalẽ subordinationem, & dependẽtiam: nam semper Episcopus manet ita superior, vt possit causam aliquam sibi reseruare: & quamuis in conscientia teneatur id prudenter, & ex causa facere, tamen si semel faciat, videtur magis expediẽs ad tollẽdas occasiones schismatis, & ad cauenda pericula animarum, ad quarum vtilitatem omnia hæc potestas ordinatur, expedit, inquam, vt reseruatio semel facta, rata, & valida habeatur. Quæ omnia licèt speculatiuè non conuincant, & ideò distinctio tertiæ opinionis probabilitate non careat, moraliter tamen satis persuadent secundã sententiam & probabiliorem, & securiorem esse. Præsertim verò nõ inuenio quomodò distinctio illa possit ad praxim applicari, propter discursum superiùs factum: & ideò, in particulari loquendo, nunquàm censeo reseruationem esse contemnendam tanquàm nullam, sed quando reseruatio, aut nimia, aut irrationabilis apparuerit, recurrendum esse ad superiorem, vt illi rei prouideat. Neque est necessarium, aut vtile, maiorem facultatem inferioribus concedere.

## DISPVTATIO XXX.

### *De Ministro, qui potest absoluere pœnitentem per se, & directè à casibus reseruatis.*

DVOBVS modis potest absolui huiusmodi pœnitens: primò directè & per se ab ipsis casibus reseruatis, ad quod necesse est, vt A absoluens habeat iurisdictionem circa illa, quia sine iurisdictione nemo potest ferre sententiam in aliqua causa. Secundò, potest contingere, vt absoluatur pœnitens habens casus reseruatos, non tamen per se ab illis, sed ab aliis peccatis non reseruatis, cum quibus indirectè, & per accidens tolluntur reseruata. Vterque igitur modus absolutionis, & ministerij à nobis explicandus est. In hac verò disputatione solùm explicabimus, apud quos sit hæc iurisdictio ad absoluendum directè à casibus reseruatis, & quibus modis haberi possit. In sequenti autem explicabimus vsum eius, & consequenter de indirecta absolutione dicemus.

## SECTIO I.

### *Quis possit directè & per se absoluere à peccatis reseruatis.*

SVPPONO iurisdictionem hanc posse duobus modis haberi, scilicet, vel vt ordinariam, vel tantùm vt delegatam, rursusque delegationem hanc fieri posse vel per concessionem directè factam sacerdoti, vel per licẽtiam datam pœnitenti ad eligendum cõfessorem: nam quoad hæc omnia, eadem est ratio de iurisdictione circa peccata reseruata, & circa alia. Duæ igitur regulæ generales sunt constituendæ. Prima est, Qui peccata reseruauit, & qui in hoc foro est illi iurisdictione superior, habet potestatem ordinariam ad absoluendum ab his peccatis. Hæc est communis, & certa: nam, qui reseruando abstulit iurisdictionem, eam sibi retinuit: ergo per illam poterit absoluere: is autem qui est superior illo, habet iurisdictionẽ vniuersalem respectu illius, quæ se extendit ad omnia, ad quæ iurisdictio inferioris: ergo ille etiã potest absoluere. Confirmatur: nam ante reseruationem vterque dictorum prælatorum poterat absoluere ab illis peccatis; sed per reseruationem inferior non potuit auferre iurisdictionem à superiore: ergo, Dixi autem, *in hoc foro*, quia non satis est, vt sit superior dignitate in ordine hierarchicho, vt sunt v.g. Episcopus, & Archiepiscopus: non enim potest Archiepiscopus absoluere subditum Episcopi, etiam Suffraganei, à peccatis reseruatis suo Episcopo, quia non habet immediatam iurisdictionem in diœcesibus Suffraganeorũ in hoc foro, nisi fortasse quando actu visitat illas, vt suprà tetigi, & latiùs in materia de excommunicatione. Comparantur ergo illo modo Episcopus, & summus Pontifex, & in Religionibus Prouincialis, & Generalis, & sic de aliis. 1. Duæ regulæ proponũtur. Prima. C D

Secunda regula est, hæc peccata etiam posse directè & per se remitti per potestatem delegatam, quæ cõcedi potest ab vtroque prelato, quem diximus habere potestatem ordinariam. Hæc etiam est indubitata, & communis: nam qua ratione sufficit delegata iurisdictio in hoc foro circa alia peccata, sufficit etiam circa hæc, & eadem est ratio & potestas delegandi illam. Quare manifestum est, eum, qui reseruauit peccatum posse delegare iurisdictionem absoluendi ab illo. Tamen de superiore, verbi gratia, summo Pontifice, dixerunt aliqui non posse iurisdictionem hanc delegare circa peccata reseruata ab inferioribus Episcopis sine consensu illorum, quia diuino iure habent potestatem reseruandi sibi peccata, qua priuarentur per illam delegationem. Ita refert Nauarr. capite 27. numero 262. Sed est error manifestus, primò contra Ecclesiæ consuetudinem, secundò contra summi Pontificis potestatem, & contra rationem: 2. Secunda regula. E Error quorundam reiicitur. Nauarr.

nam quidquid potest Pontifex per seipsum absolu- A
re sine consensu inferioris, potest etiam per alium,
cui cõmittat vices suas, absque eiusdem cõsensu. Vn-
de Episcopus, licèt possit reseruare sibi respectu eo-
rum, quibus ipse iurisdictionem dat, vel ab ipso pen-
dent, non tamen respectu superioris, vel eius qui ab
eodem superiore iurisdictionem recipit. Ad cogno-
scendum verò quando potestas hæc delegatur, verba
concessionis diligenter aduertenda sunt: nam per il-
la indicatur voluntas delegantis, à qua efficacia huius
concessionis pendet.

3. Quibus verbis Superior det hanc iurisdictionẽ. Nauar. Ant.

Solent autem circa hoc dubitare Auctores, quibus
verbis intelligatur Superior concedere hanc iurisdi-
ctionem, id est, an oporteat semper in speciali declа-
rare se concedere potestatem super reseruata, vel suf-
ficiant aliqua generalia verba. Quod tractat latè Na-
uarrus capite 27. numero 261. & D. Antonin. 3. p. tit.
17. cap. 13. Sed in hoc vix potest generalis regula assi-
gnari, sed prudentia vtendum est: & si concessio fit B
ore ad os, curandum est, vt Superior satis explicet
mentem suam: si autem concedatur ex priuilegio,
seu quomodocunque in scripto, considerանda sunt
verba, & iuridicè interpretanda. Itaque si solum fa-
ciat facultatem audiendi confessiones subditorum, &
absoluendi illos, non concedit casus reseruatos, vt
declaratum est in capite *Si Episcopus*, de Pœnit. &
remiss. in 6. quia in generali verbo non intelligun-
tur specialia concessa. Et ex eodem principio dicunt
dicti Auctores, licèt Episcopus dicat se concedere
suam auctoritatẽ, & potestatem, non censeri concede-
re casus reseruatos: secus verò esset si priùs con ce-
dat aliquem casum reseruatum, & posteà generaliter
addat, *& omnem meam potestatem*: quia specificatio
antecedens explicat generale verbum subsequens. Et
idem est, si post tale verbum generale recipiat vnum,
vel alium casum: nam illa exceptio firmat ge-
neralem regulam, seu explicat generalem illam con- C
cessionem extendi ad alios casus. Denique, inquit
Nauarrus, si Episcopus concedat facultatem absoluẽ-
di à cẽsuris reseruatis, nõ omninò cõcedere potestatẽ
absoluendi ab omnibus peccatis reseruatis: quia hæc
duo distincta sunt, & respectu Episcoporum nõ sem-
per sunt coniuncta. Quod quidẽ verum est ex vi ver-
borum: semper tamen ex circunstantiis, & ex ante-
cedentibus, & consequentibus iudicanda, & intel-
ligenda est intentio concedentis. Nam, licèt in fo-
ro contentioso præcisè standum sit ipsis verbis: ta-
men in foro vbi de veritate rei agitur, quomodocun-
que satis constet de intentione concedentis, sufficit,
vt etiam dicti Auctores adnotarunt.

4. An iter faciẽs possit absolui à reseruatis in alio Episcopatu.

Atque hæc, quæ diximus de cõcessione iurisdictio-
nis directè facta confessori, cum eadem proportione D
locum habent in facultate concessa pœnitenti ad eli-
gendum confessorem: quia, si generatim solùm de-
tur, & non sufficienter, ac specialiter explicetur dari
cum extensione ad reseruata, illa non comprehendit,
imò de hac facultate expressè loquitur dictum ca. *Si
Episcopus*. Hinc verò orta est cõtrouersia inter Auc-
tores de illo speciali casu, in quo subditus vnius Episco-
pi, iter agens per illam diœcesim, confiteri potest ex
tacita facultate, consuetudine introducta, confessori-
bus illius Episcopatus, an possit ab eis absolui à casi-
bus reseruatis suo Episcopo: nam de casibus reseruа-
tis Pontifici nulla est quæstio: nã quoad hæc perinde
est, siue aliquis in alieno, siue in suo Episcopatu con-
fiteatur. Aliqui ergo absolutè negãt posse absolui ibi E
ab huiusmodi casibus. Quod tenet Soto d. 18. q. 2. ar.
4. & indicat Nauarrus in capite. *Placuit*, de Pœnitent.
d. 6. n. 63. Fundamentum est, quia in generali facul-
tate non comprehenduntur casus reseruati, iuxta di-
ctum cap. 2. de Pœnitent. & remission. in 6. illa ve-

Aliquorum opinio. Soto. Nauar.

rò facultas tantùm generalis est. Nihilominùs con-
traria sententia mihi magis probatur, quam tenet
Caietanus in Summ. verb. *Absolutio*, 2. Paludanus d.
17. quæst. 3. Diuus Antonius 3. part. titul. 17. capite
4. Fundamẽtum est, quia ille, qui sic versatur in alie-
no Episcopatu, nõ ideò ibi cõfiteri, & absolui potest,
quia vtitur facultate eligendi confessorem, sed quia
hoc ipso, quòd versatur in alieno Episcopatu, potest
ibi absolui more incolarum illius diœcesis, & ita se
gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci: hoc
enim sensu intelligi debet consuetudo suprà decla-
rata, & ab Eugenio IV. approbata. Quia confessores
alterius diœcesis non tenentur scire quinam casus re-
seruati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audi-
re, & iudicare iuxta ritum sui Episcopatus: ergo
& facultas ab alio data, seu consuetudo; quæ in hac
parte præualuit, in hunc modum interpretan-
da est.

Contraria probatur. Caiet. Palud. D. Ant.

Vnde fit, huiusmodi pœnitentem posse in primis 5.
absolui ab Episcopo illius loci, deinde etiam ab illis
confessoribus, qui ab illo habent facultatem absol-
uendi à reseruatis. Quod etiam confitetur Nauar- Nauar.
rus in Summa, cap. 17. n. 261. admittens fundamen-
tum huius sententiæ. Vnde ab his indifferenter ab-
solui poterit à casibus tam reseruatis in suo Episco-
patu, quàm à reseruatis in eo, in quo versatur: ab illis
quidem, quia ex vi illius reseruationis talia peccata
ibi non sunt reseruata, ille autem iudicandus est se-
cundùm ritum diœcesis, in qua confitetur: ab his ve-
rò, quia supponimus confessorem esse, vel ipsum
Episcopum talis diœcesis, vel alium sacerdotem ab
illo habentem facultatem absoluendi à casibus ipsi
reseruatis.

At verò, loquendo de communibus confessoribus 3.
non habentibus facultatem circa reseruata, vt conse-
quenter loquamur, distinguere opus est. Aut enim
peccatum est reseruatum in vtroque Episcopatu:
& tunc omnes fatentur non posse remitti à tali
confessore, quia à neutro Episcopo habet delega-
tam iurisdictionem, vt constat. Vel peccatum est
reseruatum in propria diœcesi pœnitentis: non
verò in ea, in qua versatur: & tunc etiam cen-
semus posse ibi absolui ab his ordinariis confes-
soribus, contra Sotum, & alios: quia talis pœ-
nitens iudicandus est vt incola illius diœcesis, &
iuxta forum eius. Vel denique peccatum est re-
seruatum in illo Episcopatu, in quo pœnitens con-
fitetur, non autem in suo: & tunc aliqui putant reser-
uationem non comprehendere culpa huius pœnitẽ-
tis, quia non est subditus talis Episcopi. Contrarium
verò consequenter dicendum est, vt bene Caietanus
& alij docent: quia, licèt ille aliàs non sit subditus,
tamen tunc iudicatur vt subditus, & vt incola illius
loci: ergo iuxta modum, & iurisdictionem ibi cõces-
sam. Item quia, vt iusta sit concessio, debet esse vtrin-
que æqualis: & qui liberatur vno onere, debet senti-
re aliud, quod ex illo sequitur: sed talis persona po-
test absolui à quocunque confessore de peccatis re-
seruatis à suo Episcopo, si ibi reseruata non sint:
ergo è conuerso à peccatis ibi reseruatis non poterit
ab eisdem absolui, etiamsi reseruata non sint à suo
Episcopo. Oportet ergo vt ab Episcopo lo-
ci, vel ab habente illius facul-
tatem absoluatur.

***

SECTIO

## SECTIO II.

### *Quinam habeant iurisdictionem ad absoluendum à reseruatis per generalem delegationem.*

1. TRIBVS modis intelligi potest delegari hæc iurisdictio, scilicet ex concessione hominis, ex consuetudine, & à iure. Duo priores modi ad factũ solùm spectant, & ideò vix possunt sub scientiã cadere: sed in primo obseruanda sunt quæ diximus circa verborum formam, & propriam significationẽ, quibus hæc delegatio fieri solet. De facilitate autem, vel modo seruando in cõcessione huius facultatis seu delegationis, dicã infe riùs. Ex cõsuetudine verò nunquàm credimus introductum esse, vt acquiratur iurisdictio ad absoluendum à reseruatis, seu facultas eligendi confessorẽ, qui ab illis possit absoluere: tum quia talis consuetudo directè esset contraria reseruationi, eamque eneruaret: tum etiam, quia suprà ostensum est, contra voluntarem superioris non posse acquiri iurisdictionẽ in hoc foro, aut facultatem eligendi confessorem: vbi autem facta est reseruatio, satis est declarata voluntas superioris, vt nemo à tali peccato absoluat sine sua facultate: ergo non potest contra hanc voluntatem cõsuetudine præscribi. Potest quidem fortasse fieri, vt peccatum, quod anteà reseruatum erat, per oppositã cõsuetudinem fiat non reseruatum, de quo infrà dicam, quod autem, stante reseruatione, cõsuetudine acquiratur facultas obtinendi absolutionem ab illo sine licentia superioris, non intelligitur qua ratione fieri possit: atque ita nulla talis consuetudo hactenus introducta est, aut ab Auctoribus refertur. Duæ námque afferri solent: vna est de peregrinis, seu iter agentibus, qui ex consuetudine absolui possunt. Sed de hoc iam diximus illam non esse facultatem absoluendi à reseruatis, sed esse veluti mutationem quandam domicilij ad tempus, pro quo talis persona quoad reseruationem sequitur forũ illius diœcesis, in qua versatur. Alia consuetudo est de casu necessitatis: sed, vt infrà dicam, potiùs talis casus exceptus est in ipsamet reseruatione. Per solam ergo consuetudinem nunquam delegatur hæc iurisdictio.

Ex consuetudine non acquiri iurisdictionẽ absoluendi à reseruatis.

2. Circa delegationem à iure duo puncta tractanda occurrunt. Primum est circa facultatem concessam Episcopis in Concilio Trident. sess. 24. c. 6. ad absoluẽdum à casibus reseruatis Sedi Apostolicę, si occulti sint. Illa enim facultas iam nunc à iure data est per hæc verba, *Liceat Episcopis, &c. in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Circa quod ius primò declarandum occurrit, quod crimen hoc loco dicatur occultum. Ad quod breuiter dico, hîc sumi prout in iure solet distingui à publico: est autem publicum, quod in oppido, vel in vicino, vel in Collegio, aut communitate aliqua omnibus notùm est, vel publicè diffamatum. Vnde licèt sit notum aliquibus, potest dici occultum, quandiu peccator non laborat publica infamia, vt bene docet, & latè probat Nauarr. cap. 27. num. 254. & 255. Quæri verò potest, an si peccatum sit alicubi publicum, ibi verò, vbi absolutio petitur, sit occultum, an per hanc facultatem absolui possit. Et ego existimo non posse: nam quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum; & præsertim moraliter & regulariter loquendo, quod in aliquo loco est publicum, ad alia loca facilè defertur.

Dubiũ circa Trid.

Hoc loco quod crimẽ dicatur occultum.

Nauarr. Dubium solvitur.

3. Secundò est notanda illa particula, *Subditos suos.* Circa quam dubitari potest, an peregrini, qui sunt in aliena diœcesi, scholastici, & mercatores, vel vagabundi possint per hanc facultatem absolui ab Episcopis illius diœcesis; & idem quæri potest de Religiosis exemptis. Et ratio dubij est, quia isti nõ videntur subditi Episcopo, vel quia exempti sunt, vel quia alterius Episcopatus. Respondetur, quoad vagabundos non est dubium quin absolui possint, quia nõ habent aliũ Episcopum proprium, & ita sunt subditi. De iis verò, qui per aliquam partem anni habitant in aliquo Episcopatu, & ideò sacramenta recipiunt in illo Episcopatu, existimo etiam posse absolui: quia quodámodò etiam habent domicilium in eo Episcopatu; & ita sunt subditi. De illis verò, qui solùm agunt iter, & facilè redibunt ad suam diœcesim, res est magis dubia. Nihilominùs nõ audeo illis negare hanc facultatem, quia, vt dixi, protunc sunt subditi in hoc foro, & ex consuetudine seu interpretatiua voluntate suorum prælatorum se habent vt incolæ illius diœcesis. De Religiosis autem exemptis quidam negant, propter rationem factam: sed ego video praxim esse in cõtrarium, præsertim in casu hæresis occultæ. Vnde quanuis istæ personæ sint exemptę, tamẽ si ex licentia suorum prælatorum, à quibus in aliquo casu absolui non possunt, accedant ad Episcopum illius dicœsis, absolui ab illo poterunt: tum quia iam efficiuntur subditi in illo foro: tum etiam, quia licèt religiosi sint exempti; tamen dum habitant in aliqua diœcesi, aliquo modo, & quoad aliqua sunt subditi: & præsertim quoad fauorabilia nomine *subditorum illius diœcesis*, comprehendi poterunt. Et propterea fortè illa alia particula, *illius diœcesis*, addita est: non enim censeo esse necessarium, vt absolutio localiter, vt ita dicam, intra suam diœcesim conferatur, quia, vt sæpe dixi, in administratione huius sacramenti attendenda est iurisdictio super personam, magis quàm circa locum ipsum. Posita ergo videtur illa particula ad comprehendendos omnes inferiores in diœcesi habitantes, seu residentes, quatenus in hoc foro subduntur Episcopo.

Dubitatio.

Declaratur.

4. Tertiò explicandum est nomen *Episcopus*, sub quo certum est comprehendi Episcopum electum, & cõfirmatum; licèt consecratus non sit: qui ea, quæ sunt iurisdictionis, plenè habet, iuxta cap. *Transmissum*, cum ibi notatis de Electione. Deinde probabilius est, comprehendi Capitulum Sede vacãte, quoad ea, quæ fieri possunt per Vicarium ad hoc specialiter deputatum; quia Capitulum succedit in iurisdictione Episcopi, iuxta commune ius, cap. *His quæ*, & capit. *Cùm olim*, de Maior. & obedient. quod in particulari de potestate absoluendi declarat Gloss. in cap. 2. Ne Sede vacante, aliquid innouet, in ca. vnic. de Maiorit. & obed. in 6. Item Gloss. extra ibi in cap. *Ad abolendam*. de Hæreticis, & Doctores eisdem locis. Dices, hoc esse verum de iurisdictione ordinaria; non verò de illa quę per specialem concessionem data est. Respondetur, quando hæc iure communi iam spectat ad munus Episcopi, etiam in illa succedit Capitulum, etiãsi ius illud speciale sit, vt ex aliis notat Abb. dict. c. *Cùm olim*, & cap. *At si clerici*, §. *De adulteriis*, de Iudiciis, & cap. *Verum*, de Foro comp.

4.

Obiectio.

Soluitur.

Abb.

De inferioribus autem prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt sunt Abbates exempti, & similes, dubitatum est. Nam videntur etiam comprehendi: tum propter eandem rationem ex iurisdictione sumptam, tum quia iam hi casus non censentur reseruati Papæ: & ideò sub generali iurisdictione Episcoporum

5. An Abbates exempti nomine Episcopi comprehendantur.

ſcoporum comprehenduntur. Maximè quia hoc decretum non cenſetur ius nouum exorbitans ab antiquo, ſed potiùs reducens ius ad ſuam antiquitatem & quaſi naturalem ſtatum, quem habebat ſecluſa reſeruatione. Accedit tandem, quòd eſſent peioris conditionis fideles ſubditi his inferioribus prælatis, qui nulli ſubduntur Epiſcopo, & habent proprium territorium, quod non eſt veluti pars diœceſis alicuius Epiſcopi, ſed quaſi diœceſis diſtincta: illi enim ab Epiſcopis vicinis abſolui non poterunt, quia nõ ſunt ſubditi illorum, nec de ſua diœceſi, & decretum expreſsè dicit, *ſibi ſubditos*, & *in diœceſi ſua*: nec etiam poterunt abſolui à proprio prælato, ſeu Abbate, ſi in hoc decreto non comprehenditur: non ergo eſſet illis ſufficienter prouiſum, eſsétque peioris conditionis, quòd veriſimile non eſt. Hæ rationes videntur facere partem hanc multùm probabilem.

6. Reſolutio. Nihilominùs inuenio quandam declarationem Cardinalium in contrarium, quæ circa particulam illam, *Liceat Epiſcopis*, ſic habet, *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ſed tantùm Epiſcopi priuatiuè quoad omnes alios.* Ratio eſſe poteſt, quia hæc facultas cenſetur data Epiſcopis iure ſpeciali, & intuitu talis perſonæ pollentis tanta auctoritate & dignitate, & ideò non eſt extendenda ad alios non Epiſcopos; etiamſi aliàs habeant communem iuriſdictionem Epiſcoporum. Item quanuis hoc decretum videatur continere fauorem, tamen ex ea parte, qua in rebus adeò grauibus mitigat rigorẽ ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſuo modo neceſſarium, poteſt nocere, ſi nimiùm extendatur, & ideò proprietati verbi ſtrictè ſumpti ſtandum cenſetur. Nec ſequitur detrimentum aliquorum fidelium, quia ſemper territoriũ exemptum, contentum eſt ſub diœceſi alicuius Epiſcopi, reſpectu cuius cenſebuntur ſubditi omnes ibi habitantes, quoad hos caſus, etiamſi quoad ordinariam iuriſdictionem habeant aliquem ordinarium prælatum. Vbi etiam conſiderari poteſt, quòd ſi hæc lex cenſetur exorbitans ab antiquo iure reſtringenda eſt: ſi verò reducit caſus hos ad ſtatum iuris antiqui, eadem ratione cenſebitur reducere illos ad eum ſtatum, in quo iure ordinario eſſe deberent proprij Epiſcopi, ſecluſa omni exiſtimatione, quæ non pertinet ad ordinarium ius, ſed ad exceptionem potiùs ab illo. In re ergo dubia ſecurum eſt adhærere prædictæ reſponſioni.

7. An prælati religionum ſub nomine Epiſcopi veniant. Hinc verò naſcitur dubium: nam ſequitur idem eſſe dicendum de prælatis religionum reſpectu ſuorum ſubditorum, quia non ſunt Epiſcopi, licèt in eos habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Conſequens eſt contra quandam declarationem Pij V. in breui quodã dato ad petitionẽ cuiuſdam Prouincialis in hæc verba, prout refertur. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Prouincialis prouinciæ Hiſpaniæ ordinis fratrum Prædicatorum, &c. Et inſuper, quia ſacrum œcumenicum Concilium generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 24. c. 6. habetur; ne Prior Prouincialis, & ſuperiores prælati dicti ordinis tam in dicta prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm clerici, aut ſeculares exiſtant, eiſdem Priori conuentuali, & ſuperioribus prælatis, vt ipſi per ſeipſos idem omnino poſſint in fratres, & moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quoad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quàm alias quaſcunque facultates, eiſdem auctoritate, tenore etiam perpetuo, concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præſentes literas perpetuò durare & valere.* Nihilominùs quantùm eſt ex vi Concilij idem de his prælatis religionum dicendum cenſeo, quia eſt omninò eadem ratio, & verba prædictæ reſponſionis Cardinalium æquè eos comprehendunt. Et hoc ipſum colligo ex prædictis verbis Pij V. non enim declarat Concilij conceſſionem ad hos prælatos extendi, ſed ipſe illam extendit, vt patet ex illis verbis, *Quia ſacrum Concilium conceſſit Epiſcopis*, vſque ad illa, *eiſdem auctoritate præſentium concedimus*: non ergo declarat Concilium conceſſiſſe, ſed quod Concilium conceſſit Epiſcopis, ipſe concedit his prælatis: potiùs ergo ſupponit, Concilium ſolis Epiſcopis hoc conceſſiſſe: igitur ex vi Concilij non poſſunt; ex vi autem illius conceſſionis, ſi de illa ſatis conſtat, poterunt tam Prædicatores, quàm alij, qui cum eis in priuilegiis communicant. Secluſo autem tali priuilegio, abſolui poſſent Religioſi ab his caſibus occultis ab Epiſcopis, in quorum diœceſibus habitant: nam quoad hæc fauorabilia illis ſubiecti cenſendi ſunt.

8. An Archiepiſcopus habeat hanc facultatẽ in diœceſi Suffraganei. Item dubitari poteſt, an Archiepiſcopus habeat hanc facultatem in diœceſi Suffraganei ſaltem dum viſitat, nam quando non viſitat, certum eſt non habere, quia tunc non habet iuriſdictionem: at verò dum viſitat, habet iuriſdictionem, & videtur habere illam Epiſcopalem, imò & quodammodò ſuperiorem Epiſcopo: vnde veriſimilius eſt poſſe tunc abſoluere à caſibus reſeruatis tali Epiſcopo: ergo & eadem ratione videtur ei conceſſa hæc facultas, pro illo tempore, atque adeò illam diœceſim cenſeri tanquàm ſuam, pro tempore viſitationis. Et hæc ſententia videtur mihi valdè probabilis.

9. Diſcrimen inter hæreſim & alia peccata occulta. Vltimò notanda eſt differentia, quam Concilium facit inter peccatum hæreſis, & reliqua: quia ab hæreſi occulta ſolùm poteſt abſoluere Epiſcopus per ſeipſum, ſaltem quoad cenſuram, nec poteſt alteri delegare hanc facultatem: at verò à cæteris peccatis poteſt abſoluere per ſeipſum, vel per Vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum. Quod intelligo, vel oblata occaſione, ſeu propoſito aliquo caſu particulari, committendo alicui vices ſuas circa talem caſum, vel certè generaliter committendo alicui vices ſuas quoad hoc ſpeciale munus abſoluendi ab his caſibus; nam vtroque modo verè dicitur Vicarius ad hoc ſpecialiter deputari, quod requirit Concilium.

10. An hæc facultas reuocata ſit per bullã Cœnæ Ratio dubitandi. Hîc verò ſpecialiter dubitatum eſt, an hæc facultas data Epiſcopis circa peccatum hæreſis, reuocata ſit per Bullam Cœnæ Domini (quod de omnibus caſibus Cœnæ quæri poſſet) nam in illius fine additur, *vt ab illis caſibus nulla perſona Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, vel maiori dignitate prædita, abſoluere poſſit prætextu cuiuſcunque facultatis, etiam per cuiuſuis Concilij decreta in genere, vel in ſpecie conceſſa.* Videntur enim hæc verba adeò expreſſa, vt non poſſit de dicta reuocatione dubitari. Nihilominùs Nauarr. in Sum. c. 27. num. 260. in contrariam partem inclinare videtur ex quodã iuris principio, quòd lex ſpecialis non derogatur per generalem, etiamſi hæc poſterior ſit. Quod probat ex quadam Gloſſ. & quibuſdam aliis iuribus. Vnde concludit, generalem illam clauſulam Bullæ Cœnę limitandam eſſe per aliud decretũ Concilij Trid. ſcilicet, vt non procedat in caſibus occultis, de quibus ſpecialiter Tridentinum loquitur, ſed in aliis caſibus generaliter. Et confirmari hoc poteſt ex tenore cuiuſdam Motus proprij Sixti V. contra malè promotos, vbi in clauſula reſeruationis, & reuocationis facultatum ad abſoluendum, poſt generalem reuocationem omnium facultatum, etiam conceſſarum Epiſcopis per decreta Concilij Tridentini, ſubditur, *Etiamſi crimen penitus occultum fuerit.* Quibus verbis inſinuatur, reuocationem generalem Concilij non comprehendere caſum occultum, niſi

Sententia Nauarri.

expri-

11. Vera quæstionis resolutio.

Nihilominùs contraria sententia videtur tutior, & tenenda. Primò, quia vix inuenietur alia facultas in Conciliis concessa, quæ possit per illam clausulam reuocari, & ideò maximè videtur posita propter hoc decretum. Secundò multùm violentur vrgere illa verba, *in genere vel in specie concessorum*: nam per ea declaratur, non tantùm reuocari vniuersales facultates, sed etiam illæ, quæ ad speciales casus concessæ sunt, propter quod videtur, non habere locum principium illud, in quo Nauarrus fundatur. Tertiò, quia idem Nauarr. refert ipsum Pontificem non permittere Episcopis absoluere à casu hæresis etiam occulto; intelligit ergo illam facultatem esse reuocatam: non enim ipse alia via reuocat. Denique hoc ipsum declaratum inuenio à Congregatione Cardinalium his verbis, *Episcopus absoluere non potest hominem hæreticum in foro conscientiæ, licèt hæc facultas à Concilio sit ei concessa.* Sed de hac re iterum occurret sermo in tomo sequenti circa bullam Cœnæ, & circa materiam irregularitatis.

Nauarri fundamentum destruitur.

12. Dubiũ proponitur, & resoluitur.

Aliud verò dubium circa hoc decretum propositũ legitur in Congregatione Cardinaliũ, scilicet, an hoc decretum locum habeat in casibus post Concilium Trid. ex noua lege Sedis Apostolicæ reseruatis. Responsio autem, quæ ad nostras manus fide digna auctoritate peruenit, sic continebat: *S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, respondit, non habere locum.* Quòd si his verbis significetur, summum Pontificem quasi nouum quoddam ius hoc statuisse, nihil est quod ampliùs quæramus: si autem illa solùm est declaratio iuris Concilij, videtur profectò valdè difficilis. Nam in primis restringit fauorabile decretũ, sine cogente fundamento, quod nobis occurrat: si enim aliquod esse potest, maximè est, quia reseruatio subsequens videtur eximere casum illum ab omni potestate priùs concessa: vel quia Concilium de præterito loquitur de casibus reseruatis, non etiam de casibus reseruandis: vel quia per reseruationem subsequutam derogatur Concilio. At hæc & similia non cogunt.

13.

Quod sic declaro: quia Concilij mens videtur fuisse ponere regulam generalem, & quasi ordinarium ius circa reseruationes Pontificias, vt scilicet intelligantur esse de criminibus publicis: de occultis verò non omninò, sed cum moderationibus positis in hoc decreto: non ergo tantùm reseruationes priores ad hanc formam redactæ sunt, sed etiam omnes subsequentes sub illa fieri intelliguntur: ergo etiam in illis habet locum hoc decretum. Antecedens suadetur: tũ quia optimè potuit lex illa hoc sensu constitui, nihil enim repugnat, cùm Pontificia auctoritate fieret, & confirmaretur: tum etiam, quia ratio legis eadem est in casibus anteà reseruatis, vel quocunque tempore reseruandis: cur enim maior debet esse nunc restrictio in nouis reseruationibus, quàm in antiquis? vel si in his expedit vt facultas circa casus occultos sit in Episcopis, cur nõ in omnibus? Itaque nõ est cur casus denuò reseruatus censeatur exemptus à potestate priùs cõcessa, quia sub tali forma reseruatur. Deinde verba Concilij hunc sensum admittunt: nam quoad suspensiones, & irregularitates absolutè loquitur de omnibus *ex delicto occulto prouenientibus*; quæ verba generalia sunt, siue proueniãt ratione legis antiquæ, siue nouæ. Eodem ergo sensu loquitur de absolutione à casibus reseruatis, quos ita nominat, vel quasi per anticipationem iuxta communem appellationem; vel quia reseruati dicũtur, non respectu temporis quo editum est Cõcilium, sed respectu temporis quo de illis danda est absolutio. Denique sicut hic sensus fauorabilior est, & satis proprius, ita videtur communi consuetudine receptus & approbatus.

Quapropter quandiu de mente Apostolicæ Sedis certiùs non constiterit, & sub illius censura videtur probabile, responsionem illam suprà citatam intelligendam esse de casibus posteà reseruatis cum aliqua clausula, aut verbis sufficientibus, per quę huic decreto derogari videatur; qualia essent si in ipsa reseruatione expresè adderetur, *etiam in casibus occultis*, aut si adderetur clausula, *non obstante quocunque decreto. etiam Concilij Generalis*, vt additur in bulla Cœnæ. At verò si simpliciter fiat reseruatio, non existimo per clausulam generalem derogari speciali decreto Concilij generalis, sed reseruationem intelligendam esse sub forma eius. Quod à fortiori sentit Nauarr. citato loco. 14.

15. Quid faciet Episcopus, si occultè labetur.

Vltimò inquiri hîc potest, quid faciet Episcopus, si contingat ipsummet labi occultè in aliquem ex huiusmodi casibus reseruatis Papæ: potestne aliqua via frui hac gratia, seu facultate concessa à Concilio; vel erit in hoc peioris conditionis quàm cæteri fideles, vt recurrendum illi sit ad sum. Pontificem? In quo clarũ est, ipsum non posse se absoluere. Dubium verò est, an quando ex priuilegio iuris sibi confessorem eligit, possit ei hanc potestatem delegare, vt illa confessarius circa ipsum Episcopum vtatur. Videtur enim non posse, quia Concilium dicit, *delinquentes quoscunque sibi subditos*: at ipse non est subditus sibi: ergo ex vi Concilij non est illi data hæc potestas pro seipso: ergo nec potest illam delegare. Hoc dubium propositũ fuit Romæ in Congregatione Cardinalium sub his verbis, *An Episcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite, prolapso, liceat ad se absoluendum proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere.* Responsum autem fuit. *Congregatio censuit id Episcopo licere.* Non explicatur autem ibi vnde confessor sic electus habeat talẽ potestatem. Videtur ergo mihi probabile propter obiectionẽ factam ex verbis Concilij, non habere illã delegatam ab ipso Episcopo eligente ipsum, sed immediate à Papa, ex vi iuris communis. Nam ex vi huius decreti reseruatio Papæ illis ablata est ab his casibus occultis. Et ideò respectu Episcopi non reputãtur vt reseruata, sed vt comprehẽsa sub clausula generali eligendi confessorẽ. Accedit quòd nõ debent Episcopi esse peioris conditionis: non ergo debent cogi in omnibus criminibus occultis ad Pontificẽ accedere. Habet autem hoc specialem difficultatem in crimine hæresis occultæ, etiamsi supponatur non esse reuocata facultas in hoc Episcopis concessa circa alios: quia solùm data est vt exercenda per ipsos: & ideo non videtur verisimile quod respectu personæ Episcopi delegetur per Papã cuicunque cõfessori ab ipso electo. Ratio sanè videtur vrgens, ideóque probabiliter dici potest, hunc casum respectu personæ Episcopi esse excipiendum: quia delegabilis non est alicui inferiori ipsi Episcopo. Nec mirandũ est, quòd in hoc sentiat maius grauamen Episcopus, cùm etiam tale delictum maximam habeat deformitatem: & si attentè consideretur, in eo grauamine seruatur proportio, vt sicut in aliis sub proximo Episcopo superiori tale peccatũ reseruatum manet, ita in Episcopis respectu Papę, qui est proprius ipsorum Episcopus. Sed nihilominùs Cardinales in sua responsione nullã limitationem adhibuerunt, ideóque nec ego illam addere volo. Imò cùm dicunt, *Cum auctoritate, &c.* omnem limitationẽ excludunt, præsertim cùm non dicant, *quam possunt delegare*, sed *quam possunt ex hoc capite in suos subditos exercere.* Itaque dicendum erit consequenter, etiam in hoc crimine occulto Pontificiam reseruationem esse sublatam, idque satis esse, vt commissum censeatur confessori electo ab Episcopo. Si autem facultas illa reuocata est, hoc non procedit. De irregularitate etiã

occurre

occurrebat specialis difficultas, quæ suo loco tractabitur.

16. Dubium. Secundùm punctũ tractandũ hîc est de Religiosis, præsertim Mendicantibus, an scilicet possint ex vi iuris communis absoluere à peccatis reseruatis Episcopis. Nam aliqui Theologi affirmant, saltẽ quando illa peccata reseruantur solùm per statuta vel præcepta particularia Episcoporum. Ita sentit Gabr. d. 17. q. 2. a. 3. dub. 3. & Angel. verb. *Confessio.* 3. n. 28. Sylvest. verb. *Confessor.* 2. q. 5. Fundantur præcipuè, quia aliàs possent Episcopi limitare, & eludere priuilegia religiosis cõcessa à Papa. Addi etiam potest, quòd in Extrau. *Inter cunctas*, de Priu. significatur præter casus ibi numeratos non posse Episcopum reseruare alios respectu Religiosorum. Sed, vt dixi, hoc ius reuocatum est, & aliud non inuenitur. Ideoq; probabilius censeo hos Religiosos ex vi iuris communis nõ habere hanc potestatẽ. Ita tenent Antoni. 3. p. tit. 17. c. 1. & Soto d. 18. q. 4. a. 3. & Nauar. c. 27. n. 266. Fundamentum iam explicatũ est. Et addo præterea, in Clem. *Dudum*, de Priuil. declarari, Religiosos ex vi illius concessionis non habere maiorem facultatem absoluendi à peccatis, quàm Parochos ordinarios: illi autem non habent facultatem absoluendi à peccatis reseruatis Episcopis: ergo. Item in Clem. *Religiosi*, de Priu. §. *Quibus*, præcipitur Religiosis sub interminatione maledictionis æternæ, ne à casibus Sedi Apostolicæ, aut locorũ Ordinariis reseruatis quemquã absoluant. Considerandum verò est, etiã ex vi horum iurium nõ habere minorem potestatem hos Religiosos, quàm Parochos, & ideò si Episcopi velint aliqua peccata specialiter reseruare respectu Religiosorum, quæ non essent reseruata respectu Parochorum, non possent id facere, nec valeret reseruatio, quia est cõtra illud ius: & ita cauetur incommodum, quod alia opinio obiiciebat. Addo præterea, sententiam hanc non solùm confirmatam esse responsione quadam Cardinalium 662. sed etiam addi, non posse Religiosos per priuilegia Maris magni (quod appellant) absoluere ab his peccatis. Nihilominùs non excluduntur specialia priuilegia, vel directè concessa, vel per communicationem, si in eis facultas hæc sufficienter explicetur.

Aliquorum opinio. Gabr. Angel. Sylvest.

Vera dubij decisio.

Anton. Soto. Nauarr.

---

## SECTIO III.

### *Vtrùm in casibus extraordinariis habeat inferior sacerdos iurisdictionem, vt directè possit absoluere à reseruatis.*

1. Quis dicatur inferior. INFERIOR sacerdos hîc vocari potest, vel sacerdos proprius inferior prælato reseruante, seu ad quẽ facta est reseruatio, vel quilibet alius sacerdos habens iurisdictionẽ delegatam æqualẽ iurisdictioni Parochi, seu proprij sacerdotis, vel denique quilibet simplex sacerdos, qui in hoc foro, nec iurisdictionẽ ordinariam, nec delegatam habet. Rursus supponendũ est, hic non esse sermonẽ tantùm de absolutione personæ habentis peccata reseruata, sed de absolutione, quæ directè cadat in ipsa. Deinde supponendum est, quæstionem hanc solùm habere locum, quando nõ patet aditus ad superiorem, vel (quod perinde est) quando non potest illi fieri cõfessio talis peccati sine graui periculo, aut detrimento: quia, si absque his incommodis potest à superiore peti absolutio, vel facultas cõfitendi alteri, nulla potest esse necessitas ob quã inferior sacerdos possit absoluere extraordinario modo, & absque iurisdictione commissa. Quod adeò verum censeo, vt etiam in articulo mortis locum habeat. Quanuis enim Concilium Tridentinum dixerit, in articulo mortis nullam esse reseruationẽ: id tamen intelligendum est in absentia reseruantis, quia aliàs nulla est vera necessitas, ob quam alij cõseantur iurisdictionem recipere, quæ illis per se loquendo sublata fuerat: neque oportuit Concilium hoc declarare, quia hoc tanquàm notum supponit.

---

### *Prima assertio.*

2. Omnes sacerdotes posse in articulo mortis à reseruatis absoluere. Trid. HIs ergo suppositis, certum in primis est, omnes sacerdotes posse absoluere in articulo mortis à peccatis reseruatis, non solùm indirectè & per accidens, sed per se & per propriã iurisdictionẽ, quam pro tali articulo habent circa talia peccata. Hoc probant verba Concilij Trid. sess. 24. c. 7. *In Ecclesia Dei custodium semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis:* nam si nulla est reseruatio, ergo manent illa peccata pro illo articulo sub eodem foro, vt sic dicam, sub quo sunt cætera: ostensum est autem suprà, in eo articulo omnes sacerdotes habere iurisdictionem delegatam ad absoluendum directè à peccatis mortalibus: ergo talis iurisdictio cadit etiam in hæc peccata, quæ extra illum articulum sunt reseruata. Cur autem in articulo nulla sit reseruatio, alij fortasse rationem redderent ex diuino iure: Concilium autem Tridentinum hoc refert in benignam, & prudentem Ecclesiæ prouidentiam: sicut etiam nulla excommunicatio reseruata est pro illo articulo, vt constat ex cap. *Si quis suadente*, 17. quæst. 4. cum similibus, quæ in sequenti libro suo loco tractabimus, quam exceptionem constat ortam esse ex prouidentia Ecclesiæ, non immediatè ex iure diuino. Atque hinc etiam alia via constat regula posita quoad casus Pontificios: quia ablata excommunicatione, non manent reseruata: sed in articulo mortis quilibet sacerdos potest absoluere à censura reseruata Papæ: ergo & à peccatis omnibus illi reseruatis. Vnde fit, maiori ratione posse absoluere à peccatis reseruatis aliis prælatis.

Cur in articulo mortis nulla sit reseruatio.

3. Non posse reseruari casus pro articulo mortis. Quin potiùs addo, omnes alios prælatos inferiores summo Pontifice non posse reseruare casus pro articulo mortis: non quia hoc sit absolutè impossibile iure diuino: nam fortasse summus Pontifex posset id facere, licèt non expediat: sed quia consuetudo Ecclesiæ à summis Pontificibus probata, habet vim legis prohibentis, & irritantis talem reseruationem, in qua lege ipsi non possunt dispensare. Loquor autem de absoluta reseruatione, per quam omninò negatur potestas absoluendi: nam, si tantùm esset conditionata, id est, quòd etiam in illo articulo non posset peccatum remitti, nisi sub onere illud etiam confitendi superiori, si periculum mortis euadatur, res est magis dubia, quam infrà tractabimus.

4. Corollariũ primum. Ex hac generali regula sequitur primò, in prædicto casu articuli mortis, regulariter loquẽdo, & secluso speciali iure, posse absoluere à peccatis reseruatis summo Pontifici quemlibet sacerdotem proprium, vel habẽtem communem iurisdictionem delegatam, nullo seruato ordine inter illos, id est, non esse necessarium priùs adire Episcopum, aut facultatem ab illo petere, etiamsi commodè fieri possit; nec priùs vocare Parochum, quàm alium sacerdotem expositum habentem iurisdictionem ex commissione. Ratio est, quia in illo articulo nulla est reseruatio: ergo eadem ratio est de his peccatis, quæ de aliis: ergo, sicut de aliis potest absoluere quilibet sacerdos habens iurisdictionem, nullo spectato ordine inter illos, ita & ab his. Item: quia propter reseruationem factam Papæ nullum

nullum speciale ius acquiritur Episcopo, vel Paro-
cho: ergo hoc ipso quòd ad Papam nō patet aditus &
propter instans mortis periculū reseruatio cessat, reli-
qui omnes manent æquales quantùm ad hoc forum,
supposita communi iurisdictione. Secus verò erit, si
omnes hos comparemus ad simplices sacerdotes non
habentes iurisdictionem, nam tunc seruandus est or-
do, vt præferatur habens iurisdictionem, illam non
habenti, & approbatus non approbato, & expeditus
impedito, iuxta superiùs dicta in simili. Dixi autem,
*regulariter*, quia aliquando in iure ipso dispositum est,
vt loco Pontificis succedat Episcopus: & tunc ille or-
do seruandus est, vt latiùs dicemus in materia de ex-
communicatione, præsertim circa canonem *Si quis*
Couarr. *suadente*, & interim videri potest Couar. in c. *Alma*
*mater*, 1. p. §. 11. n. 8.

5 Dubium pro ponitur, & soluitur.

Interrogabit verò aliquis, si in eo articulo adsit sa-
cerdos, qui ex priuilegio habeat iurisdictionē ad ab-
soluendum à casibus reseruatis summo Pontifici, an
debeat ille necessariò præferri aliis habētibus tantùm
communem iurisdictionem. Si enim, vt diximus, in
illo articulo peccata non sunt reseruata, non videtur
hoc necessarium. Quia verò vbi adest aliquis habens
iurisdictionem Pontificiam, non videtur omninò im-
peditus aditus ad summum Pontificem, ideò videri
potest hoc necessarium: quia, qui habet iurisdictio-
nem ab alio quodammodò est vnum cum illo: & sine
dubio videtur hoc esse securius, & moraliter consu-
lendum, saltem vbi aliud extrinsecum incommodum
non occurrit. Item est vtile, vt liberetur pœnitens ab
omni onere statim declarando. Nihilominùs tamen
non censeo hoc simpliciter necessarium: nam reseruatio
facta summo Pontifici non obligat in illo articu-
lo, vel potiùs non comprehendit illum. Item, quia il-
lud est veluti quoddam priuilegium, quo nemo vti te-
netur, sed potest sequi ordinarium ius. Atque hæc, quæ
in hoc corollario dicta sunt, cū proportione applica-
ti debent ad casus reseruatos inferioribus Pastoribus.

6 Corollarium secundum.

Secundò infertur ex dicta regula, eum, qui sic absol-
uitur in articulo mortis, non teneri, per se loquendo,
iterum confiteri peccatum illud reseruatum Pontifi-
ci, seu superiori, cui reseruatum erat. Patet, quia nemo
tenetur iterum confiteri peccatum illud, à quo directè
& per se fuit absolutus: in præsenti autem casu talis
Obiect. est absolutio à peccatis reseruatis, vt ostensum est. Di-
ces, assumptum esse verum quando iurisdictio absol-
utè concessa fuit: secus verò esse, si cōcedatur tantùm
sub onere comparendi coram superiore: in præsenti
autem casu tantùm hoc posteriori modo iurisdictio-
nem dari, vt constat ex c. *De cætero*, de Sent. excomm.
& c. *Eos, qui*, code: n tit. in 6. cum similibus. Circa hoc
aduertendum est, aliud esse loqui de casibus habenti-
bus excommunicationem annexam, vt sunt Pontifici-
j: aliud verò de iis, qui nullam habent censuram. De
prioribus verum est, secundùm ordinarium ius non
concedi hanc facultatem absoluendi in articulo mor-
tis, nisi sub prædicto onere comparendi: ita vt si posteà
pœnitens sit in mora culpabili, in similem excommu-
nicationem incidat, vt habetur in dicto c. *Eos qui*, &
Caiet. Nauar. bene tractāt Caiet. in Summa, verb. *Excommunicatio*,
n. 69. & Nauarr. c. 26. n. 26. Corrigendum tamen cen-
seo, quod ibi addit, si pœnitens sufficienter satisfaciat
quantùm debet coram Deo, excusari ab illo onere
cōparendi, quia iam impleuit quidquid Superior iustè
præcipere poterat: hoc enim non probo: tum quia li-
cèt finis præcepti cesset, non ideò cessat præceptum:
tum etiam quia non est ille finis adæquatus: nā ipsum-
met onus comparendi est quasi pars pœnæ ab Ecclesia
impositæ pro tali delicto, & ordinatur ad specialem
modum satisfactionis, & obedientiæ Ecclesiæ exhi-
bendum. Denique quia aliàs adhibenda fuisset con-

A ditio in illo præcepto, scilicet, si parti læsæ sufficiens satisfactio non exhiberetur: quod tamen non fit. Et ob hanc causam dixi vtile esse confiteri habenti iurisdictionem, saltem ex priuilegio, seu (quod perinde est) absolui virtute alicuius bullæ concedentis tale priuilegium, quia hoc est quod tunc priuilegiū operatur, quamuis obligationem satisfaciendi auferre non possit, cùm sit iure naturali debita: de qua re dicemus plura in materia de excommunicatione. Hæc autem omnia cum proportione applicanda sunt ad casus reseruatos aliis superioribus habentes censuram annexam, etiam reseruatam. In his autem omnibus casibus obligatio, quæ manet, non est ad confitendum iterum sacramentaliter tale peccatum quantùm est ex vi iuris communis, sed solùm ad compare-
B dum coram superiore, qui conuenientem medicinam, vel satisfactionem imponere possit; quia in iure nihil aliud præscribitur, vt patet ex decretis citatis. Et ideò non obstante hoc onere & obligatione, verum simpliciter est, quod secundo loco intulimus.

7 An possint absolui reseruata sub onere comparēdi.

De peccatis verò, quæ non habent censuram annexā, controuersia est an possint absolui sub illo onere, vel etiam sub obligatione illa iterum sacramentaliter confitendi, & maximè pro illo articulo. Quam quæstionem de possibili infrà tractabo. Nunc verò secundùm vsum & consuetudinem Ecclesiæ existimaro, talia peccata pro illo articulo nullo modo reseruari, nec sub aliquo simili onere absolui, sed absolutè & simpliciter. Quæ est sententia cōmunis, quā tenet. Pal. Palud.
C d. 20. q. 1. a. 2. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 17. Ang. verb. *Confessio*. 3. n. 2. Sylu. verb. *Confessio*. 1. q. 19. & verb. *Cōfessor* 1. q. 20. Armilla verb. *Absolutio*, n. 12. Nau. c. 26. n. 26. D. Ant. Angel. Sylueſt. Armill. Nauar.
Ratio est, quia, vt Concilij Tridentinū dixit, pro articulo mortis nulla est reseruatio iuxta communem vsum Ecclesiæ: & ideò absolutio, quæ in illo articulo datur, quantùm ad forum sacramētale spectat, simpliciter & absolutè datur nullo relicto onere: nam iuxta commune & ordinarium ius, solùm in peccatis, quæ habēt excommunicationem reseruatam, manet obligatio etiā post illum articulum ad comparendum coram superiore, ratione censuræ potiùs, quàm solius culpæ. Nam, quia censura est pœna Ecclesiastica pertinens ad forum contentiosum, noluit Ecclesia illam omninò absolutè auferri ab inferiore sacerdote, propter solum instantem articulum mortis: quia neque
D id necessariū erat ad salutem animæ, neque expediebat ad vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ. Quando autem peccata non habent annexam censuram, tota remissio fit purè in foro pœnitentiæ, & apud Deū: nec per se loquendo, relinquitur aliqua satisfactio exhibenda Ecclesiæ ex vi prioris obligationis, quæ in homine esset: & ideò non consueuit Ecclesia pro illo articulo culpas ipsas vllo modo reseruare: neque onus comparendi post absolutam culpā relinquere secluſa censura. Vnde statim suboritur quæstio, an possit huiusmodi peccatis tale onus imponi: vel, si potest, vnde constat non imponi in articulo mortis, aut cur id fiet: sed hoc oportet in speciali sectione tractare.

E

---

*Secunda assertio.*

8

Secvndò dicendum est, extra articulum mortis nullum inferiorem sacerdotem posse absoluere directè à peccatis reseruatis propter vllam occurrentem occasionem, nisi vel ex iure, vel ex speciali priuilegio, aut declaratione Superioris constet illi esse facultatem commissam. Prior pars sumitur ex illis verbis Concilij Tridentini, *Extra quem articulum* (scilicet mortis) *sacerdotes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt*

*ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Cùm enim exceptio firmat regulam, & Concilium expresè dicat, solum excipi articulum mortis, plenè concluditur in omni alio casu reseruationem manere integram, & consequenter nullum inferiorem ex vi ordinariæ iurisdictonis posse à talibus peccatis directè absoluere propter quãcunque aliam occasionẽ occurrentem. Dico autẽ, *directè*, quia nunc non agimus de absolutione pœnitentis, per quã indirectè tollãtur hęc peccata; hoc enim posteà videbimus: sed agimus de absolutione per se, & directa. Sic autẽ est euidẽs illatio, quia sine iurisdictione nullum peccatũ potest directè remitti, durãte autẽ reseruatione, inferior non habet iurisdictionẽ, nisi à superiore concedatur. Exemplum simile esse potest de sacerdote simplici, qui extra articulum mortis in nullo casu potest absoluere à peccatis mortalibus, nisi aliũde ei concedatur iurisdictio. Et ideò addidi in assertione, exceptionem illam, *Nisi ex iure, &c.* per quam excipiuntur casus Pontificij, in quibus generalis regula iuris est. Quoties non patet aditus ad summum Pontificem, vel legatum, aut Delegatũ eius, nisi cum magna difficultate, & mora, posse peccatorem absolui ab inferiore sacerdote: cum onere comparendi coram Pontifice. Quæ regula in materia de excommunicatione ex professo tractanda est.

Generalis regula iuris explicatur.

9 Nunc solùm aduerto, in iure frequentiùs explicari de particulari reseruatione facta in canone, *Si quis suadente*, vt videre licet in c. *Mulieres*, & in c. *Ea noscitur*, c. *Quannis*. e. *Decatero*, cum aliis de Sent. excom. Auctores autem illam vniuersaliter intelligere, vel ex identitate rationis, quæ Pontificem mouit; non enim fuit aliqua ratio particularis inuenta in vna reseruatione potiùs, quàm in alia, sed illa generails, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, argumento cap. vlt. de Pœnit. & remiss. in 6. & ne reseruatio, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem vergat. Quæ ratio æquè in omnibus peccatis mortalibus locũ habet. Neque in peccato violentæ percussionis clerici inuenitur aliquid, propter quod voluerint Pontifices lenire reseruationem in illo potiùs, quã in aliis; imò semper peccatũ illud maximo odio prosecuti sunt; & reseruatio illius est antiquissima omniũ, quæ à Pontificibus factæ sunt. Vnde sumitur argumentum ab hac reseruatione ad alias, tanquàm à primo exemplari, quod est veluti metrum & mensura cæterarũ. Vel denique fundari hoc potest in aliis iuribus, quæ generatim loqui videtur, præsertim c. *Eos qui*, de Sent. excom. in 6. Atque ita sentiunt Nauar. c. 27. n. 89. Sylvest. verb. *Absolutio*. 4. n. 6. dub. 4. & verb. *Excommunicatio*. 8. §. 8. Estq; communis opinio iuris interpretum in citatis locis, vt ibi Sylu. refert. Ipse tamẽ excipit ab hac regula casus reseruatos in Bulla Cœnæ, & omnes illos, in quibus nullus potest absoluere, nisi in articulo mortis. Sed primum non dicitur consequenter, quia non est maior ratio de casibus Cœnæ, quàm de aliis, nam ratio facta, quam diximus mouisse Pontificem, æquè in illis, atque in aliis procedit; nec prædicta declaratio iuris derogata est per Bullam Cœnæ. In altero verò videtur esse repugnantia: quia in omnibus casibus Pontificiis tenor reseruationis est, vt ab eis nullus absoluat nisi in articulo mortis: ergo, vel posita regula in omnibus his casibus locum habet, vel si illi excipiuntur, nunquàm procedit: quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Dices, Si in ipsa reseruatione excipitur tantùm articulus mortis, quomodò licet nobis excipere casum aliquem? Respondetur, quia ius ipsum ita ampliauit exceptionem illam, quia in diuturno tẽpore mortaliter imminere potest periculum mortis. Et deinde articulus mortis excipitur, eo quòd pto illo nõ fiat reseruatio ex generali consuetudine: ideoque illa iam est veluti vniuersalis forma ferendi talem reseruationem, quæ non excludit alias concessiones seu delegationes ipso iure factas.

Nauar. Sylvest. Sylvesterre-probatur.

Occurritur obiectioni.

10 Vlteriùs verò obseruare oportet, hanc facultatem iuris immediatè dari ad absoluendum ab excommunicatione reseruata, quæ propter talia peccata ipso iure incurritur: & inde, iuxta regulam superiùs positã, consequitur vt tollatur reseruatio culpæ; ac inde fit, vt confessor habeat iurisdictionem ad absoluẽdum directè à talibus peccatis, quia ablata censura, iam non manent reseruata, & propter hoc fuit maximè necessaria hæc declaratio; quia per se loquẽdo, & secũdum iuris institutionem, non potest excõmunicatus priùs absolui à culpa, quam absoluatur à censura. Est autem notanda differentia inter culpam, & censuram, quòd interdum vna culpa potest indirectè & concomitanter tolli per iurisdictionem & absolutionem circa aliam, propter connexionem quam mortalia peccata habent inter se in ordine ad remissionem: excommunicatio verò non potest tolli nisi per directã absolutionem & iurisdictionem: qua neque inter se vna excommunicatio habet connexionem cum alia, neque etiam cum culpa, quia potest vna excommunicatio remitti sine alia, & culpa sine excommunicatione, & è conuerso: ideoque non poterat quis absolui ab excommunicatione reseruata vllo modo, nisi daretur à reseruante iurisdictio, & consequenter etiam non posset sacramentaliter absolui ab vlla culpa, etiã non reseruata, per se loquendo, & iuxta intentionem Ecclesiæ. Et ideò, ne absolutio pœnitentiæ sacramentalis nimiùm differretur, necessarium fuit pro eo casu cõcedere iurisdictionẽ ad absoluendũ à censura. Hoc ergo est quod primariò fit per hanc concessionem: ac propterea de illa fusiùs agere pertinet ad materiã de excõmunicatione, vbi specialiter circa canonẽ *Si quis suadente*, declarabimus quale debeat esse impedimentum adeundi Pontificẽ, sufficiens ad hanc excusationem. Item sub Põtifice comprehendi legatũ eius, seu qui vices eius gerit, vt si ad illum pateat recursus, nõ possit absolutio ab alio dari. Item sæpe necessarium esse recurrere ad Episcopum priusquam ad inferiores, si fieri possit, quia iura ipsa hoc declarant. Ac denique tractabitur quomodo post absolutionẽ obtentam recurrendum sit ad Pontificẽ per se, vel per aliũ.

Differentia inter culpã & censuram.

11 Difficultas verò supereſt, an hæc regula locum habeat in casibus reseruatis aliis prælatis inferioribus, in his præsertim, qui nõ habent censuram annexam: nam de his nihil iura disponũt: nec Doctores cõmuniter hanc extensionẽ faciunt. Imò eã videtur negare Durãd. d. 17. q. 15. & Adrian. in 4. materia de Confessione. q. 4. Neque argumentũ à simili est sufficiens in re tam graui, maximè cùm in duobus interueniat tam magna differentia. Vnum est, quia respectu summi Pontificis, aditus ad illũ; moraliter & regulariter loquendo, ex multis causis potest esse difficilis, & ideò oportuit vt communi iure prouisum esset aliquod remedium pro huiusmodi euentu, quia leges humanæ dantur de his rebus, quæ frequentiùs accidunt: respectu verò inferiorũ Prælatorũ rarò contingit frequenter aditum esse ita difficilẽ, & ideò necessarium non fuit cõmune ius ad illos extendi. Secundò, casus Pontificij semper habent excõmunicationẽ annexam, qua ablata aufertur reseruatio culpæ: per hanc autem concessionem proximè datur iurisdictio ad absoluendum ab excommunicatione sub onere comparendi: alij verò casus inferiorum Prælatorũ sæpiùs non habent excommunicationem annexam; &, si aliquãdo habent, non statim aufertur reseruatio, licèt tollatur excommunicatio, quia hæc duo non sunt ita cõiuncta in his casibus, sicut in Pontificiis. Fateor nihilominùs has

11 Difficultas circa regulã suprà positã explanatur. Durand. Adrian. Refellitur argumentũ à simili.

duas

duas considerationes nō omninò cogere. Nam quod ad posteriorē attinet, licèt verū sit iura loqui de peccatis, quibus est imposita excōmunicatio: tamen non de sola excōmunicatione, sed de toto casu intelligenda sunt, & simpliciter cōmittunt inferiori absolutionem à censura, & à culpa; imò absolutionem à censura committunt propter absolutionem à culpa: & ideò quantum est ex vi & intentione talium iurium, nō videtur necessarium vt dispositio eorū procedat, quòd peccatum habeat excommunicationem annexam. Vnde, si Pontifex nunc reseruet casum sine excommunicatione, vt de Sixto V. suprà attulimus, sine dubio de illo casu Pontificio quoad hunc articulum perinde iudicandum est, ac de aliis habentibus imposità excommunicationem: quia iura absolutè concedunt beneficium absolutionis in prædicto euentu: nec videtur rationi consentaneum, vt propter excommunicationem adiunctam facilior sit absolutio, quàm sine illa. Rursus quanuis difficultas comparendi coram superiore frequentiùs accidat circa summum Pontificem: quā circa inferiores prælatos, nihilominùs negari non potest, quin sepe possit contingere cum animarum periculo proueniente ex dilatione pœnitentiæ: ergo, quanuis Pontifices illud ius statuerint occasione casuum sibi reseruatorum; tamen considerata eorum ratione, verisimiliter credi potest statuisse generale ius seruandum in omni casuum reseruatione.

12 Difficultas soluitur.

Sed, licèt hæc videantur rem facere dubiam, nihilominùs, in re morali, & adeò graui non possumus hanc licentiam dare sine maiori fundamento. Et ideò absolutè dicendum censeo, inferiores sacerdotes non habere iurisdictionem in hos casus reseruatos extra articulum mortis ex vi iuris communis: quia Pontifices solùm loquuntur de casibus sibi reseruatis: in quibus est specialissima ratio, quæ iam tacta est. Et præterea declarari potest, quia ad curam ipsorum Pontificum pertinuit, iurisdictionem hanc in suis casibus committere: in inferioribus autem Prælatis non fuit necessarium hoc statui iure communi; sed sicut ab eis reseruatio fit per statuta particularia, vel diœcesum, vel religionum; ita eorum curæ, & prudentiæ committitur, vt eam faciant modo accommodato saluti animarum: ideoque in huiusmodi statutis ferè semper declarari solet, vt quoties fuerit difficilis aditus ad prælatum, possit aliquo modo obtineri ab aliis absolutio, ne nimiū pœnitētia differatur. Et ideò addidi in prædicta exceptione, *nisi à iure, vel per aliam declarationem reseruantis iurisdictio concedatur*. Prior enim

13 particula, *à iure*, posita est propter casus Pontificios: posterior verò propter reliquos. Et huic sententiæ nō parum fauet Conc. Trid. Nam si iure communi vel consuetudine esset concessa huiusmodi facultas omnibus ordinariis confessoribus, Concilium non tam absolutè dixisset extra articulum mortis sacerdotes nihil posse in casus reseruatos: quod tamen non limitauit in casibus Pontificiis, quia vel illi nō sunt aliter reseruati, quàm in iure explicatū sit, & locutio Cōcilij intelligenda est cum distributione accommoda, scilicet, nihil posse in singulos casus reseruatos, eo modo, quo reseruati sunt: vel certè nullam exceptionem fecit de casibus Pontificiis, quia in eis facta est in iure, propter excommunicationem, quām regulariter habent annexam. Denique cùm constet iurisdictionem esse sublatam per reseruationem, & nullo fundamento sufficienter constet esse restitutam pro his opportunitatibus, non possumus id asserere, propter solas congruentias, quæ ostendunt quidem esse congruum, si fiat, non tamen ostendunt factum esse, cùm hoc pendeat ex voluntate concedentis.

## SECTIO IV.

### *Vtrùm debeat superior facultatem concedere subdito petenti, vt possit ab aliis absolui à casibus reseruatis.*

POSTQVAM dictū est de iurisdictione cōmissa sacerdotibus, superest vt dicamus de eadē iurisdictione, vt cōcedi solet per facultatē datam pœnitenti ad eligendū confessorem. Circa quam est dubium quin possit superior, ad quē proprio iure pertinet absolutio ab his casibus, hanc facultatē dare suo subdito, & quin sacerdos ex vi talis facultatis legitimè electus, possit absoluere à casibus huiusmodi Prælato reseruatis. Nam per talem facultatem iurisdictionem accipit. In quo eadem est ratio de hac facultate, & de illa quæ datur ad eligendum confessorē de aliis peccatis, seruata proportione. Vnde hîc obseruanda sunt omnia, quæ suprà in disputatione de hac facultate diximus, addendo ea, quæ in sect. 2. huius disput. dicta sunt de sufficienti expressione, & extensione huius facultatis ad casus reseruatos, quia verba generalia non sufficiunt. His ergo positis, duo principalia dubia declaranda hîc occurrunt. Primum est, an Superior non solū possit, sed debeat, & teneatur hanc facultatem dare subdito petenti. Aliud est, an debeat dare hanc facultatem absolutè, vel possit eam dare imponendo aliquod onus. De primo in hac sectione, de secundo in sequenti dicemus.

1

Circa primū duæ possunt esse extremæ sententiæ. Prima absolutè negans teneri vnquàm pastorem ad hanc facultatem concedendam. Quæ fundari potest in verbis citatis Concil. Trid. *Extra quem articulum sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant*. Expendo enim in primis illam particulam, *Id vnum*: nam certè, si subditus habet ius exigendi à superiore prædictam facultatem, & ipse eam concedere tenetur, vix poterit confessor suadere pœnitēti, vt ad superiorem accedat, sed potiùs ipse pœnitēs potest persuadere confessori, vt suo nomine, quanuis in particulari tacito, facultatem exigat, quam superior tenetur ei concedere. Deinde expendo illam particulam, *Legitimos iudices*: quia iudex legitimus alicuius causæ, nulli iniuriā facit, si per se velit eam iudicare; neque tenetur eam alteri committere, si ipse sit idoneus iudex, vt supponimus, sed superior in hac causa se habet vt legitimus iudex, vt Concilium asserit: ergo. Atque hæc opinio potest tribui Victoriæ in Summa 4. num. 147. de Confessione, quatenus ait, quando non interuenit specialis causa rationabilis extrinseca, & quasi per accidens, sed solùm illa intrinseca difficultas, quam secum affert confessio, nimirum erubescentia confitendi cum superiore, aut timor amittendi apud illū bonā opinionē: non teneri superiorē ad dandam hāc facultatē: quia aliàs nunquàm homo teneretur confiteri suo pastori. Et in eandē sententiā citari potest Nauarrus, qui ferè idem dicit in Summa, capite septimo n. 8. & in c. *Placuit*. d. 6. n. 149. & 150. *quia nulla*, inquit, *est lex, neque ratio, quæ conuincat excusari tunc pœnitentem ab obligatione confitendi suo superiori: sic dicimus nullam esse rationem, neque legem, quæ conuincat teneri superiorem ad dandam hanc facultatem*. Denique communiter Doctores asserunt, non teneri propriū pastorem ad dandam subdito facultatem confitendi alieno, nisi ex legitima causa petatur, vt videre licet super c. *Omnis vtriusque sexus*: hoc enim necesse est intelligi de causa, quæ non sit intrinseca ipsi confessioni;

2 Prima sententia negatiua.

Victoria.

Nauar.

sioni; alioqui semper illa facultas haberet causam iustam: ergo, per se loquendo, & seclusis causis extrinsecis, quæ sunt per accidens; non tenetur proprius sacerdos dare hanc facultatem: ergo neque in præsenti tenetur: est enim eadem proportionalis ratio. Præsertim, quia aliàs reseruatio nullius esset momenti, si superior teneretur hanc facultatem concedere, quia hoc ferè nullum onus est pœnitẽtium, præsertim si per alium facultatem petant; & ita reseruatio nihil confert ad coërcenda, vel curanda peccata, qui est finis reseruationis.

3 Secũda sententia affirmatiua. D. Thom.

Secunda sententia est, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, teneri superiorem ad hanc facultatem concedendam. Quæ videtur sumi ex D. Thom. Opusc. 19. contra impugnantes religionem, & in 4.d.17.q.3.art.3.q.4.ad 6. vbi ait, peccare superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate. Et subdit rationem, quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine confessione morientur, quàm vt tale peccatum tali sacerdoti confiteãtur. *Vnde illi*, inquit, *qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injciunt, & per consequens sibi ipsis.* Quod dictum D. Thomæ reliqui Auctores sequuntur, Sot. d.18.q.2.art.5. Ledesma 2.p.4.q.7.ar.5. Victoria suprà n.146. Sylvest. verb. *Confessor*, 1. Angel. verb. *Confessio.* 3.n.31. Armilla verb. *Confessio*, nu.35. Nau. dict.c. *Placuit.* n.119. & 151. Fundamentum huius sententiæ esse videtur, quia hæc iurisdictio non est data superiori propter auctoritatem vel vtilitatem eius, sed propter bonum ipsius pœnitentis: ergo quoties pœnitens omninò non vult cõfiteri prælato (hoc enim supponendum est) quanuis ad hoc nullam habeat causam, sed solam voluntatem ortam ex intrinseca difficultate confessionis, & solùm ob eam rem facultatem petat, tenetur superior illam concedere. Probatur consequentia, quia tenetur superior ex vi sui muneris vti hac iurisdictione sicut expedit ad bonum pœnitentis: tunc autem omnino expedit illi facultatem dare, quia hoc modo confitebitur, & remedium obtinebit. Alia autem via exponitur periculo pereundi, aut non integrè confitendi.

Sotus. Ledesm. Victor. Sylvest. Angel. Armil. Nauar.

---

*Prima conclusio.*

4 Quando teneatur Sacerdos ex iustitia concedere facultatẽ.

IN hac re aliqua sunt certa, quæ si practicè distinguantur, vix poterit esse dissensio. Primò ergo certum est, plures esse casus, in quibus sacerdos ex iustitia tenetur hanc facultatem concedere pœnitenti, ita vt faciat illi iniuriam negando illam simpliciter. Huiusmodi sunt omnes illi casus, in quibus pœnitens meritò timet aliquod graue damnum extrinsecum inferendum ab ipsomet confessore, vt si confessionem sit reuelaturus, vel (quod perinde est) scientia illa vsurus in graue illius nocumentum, vel graues inimicitias cum illo gerat. Idémque est quoties ipse superior non est aliàs idoneus ad ferendum iudicium in tali causa, vel quia est ignorans, vel adeò improbus, vt loco medicinæ sit scandalum allaturus. In hoc conueniunt omnes Doctores citati. Et ratio est per se euidens, quia talis superior non potest iustè priuare pœnitentem legitimo vsu huius sacramenti; nec potest illum cogere vt se exponat periculo alicuius grauis nocumenti.

---

*Secunda conclusio.*

5 Non semper teneri superiorẽ ad hãc facultatẽ cõcedendam.

SECVNDÒ est certum, non semper teneri superiorem ad hanc facultatem concedendã. Quod in generali satis probat illa ratio: quia aliàs ferè nullius

A mometi esset reseruatio. In particulari autem est hoc euidens, si moraliter timeat talem facultatem non esse futuram vtilem pœnitenti, sed potiùs facilitatem veniæ futuram esse illi occasionem scandali, seu recidiui. Item, si peccatum tale sit, vt vergat in damnum communitatis, vel alterius tertiæ personæ, cui poterit prælatus remedium adhibere, si illius notitiam habeat: etiam seruato confessionis sigillo. In his enim, & similibus casibus non solùm non potest, sed etiã non debet superior facultatem dare: maximè cùm vix, aut nullo modo possit talis pœnitens conuenienter disponi ad confessionem faciendam virtute talis facultatis. Hoc notarunt in particulari Ang. dict. nu. 31. nam referens dictum S. Thomæ, addit, *Quod credo verum, nisi quando propter hoc sollicitant scire, ne alios inficiant.* Soto etiam posuit exemplum, quando superiori bona fide procedenti constat subditum nequiter talem facultatem petere, vt occasionem accipiat persistenti in peccatis. Similiter Armillam verb. *Confessio*, nu.35. ait, debere negari hanc facultatem, quando est indamnum petentis, vel aliorum. Deinde, quamuis superior concedendo facultatem non timeat graue detrimentum subditi; si tamen maiorem, vel æqualem illius vtilitatem sperat, quanuis eam neget, potest licitè eam negare: imò aliquando etiam cum minori eius vtilitate, si ad aliorum exemplũ, & commune bonum censeatur necessarium, aut valdè conueniens. Ita sentiũt citati Autores. Vnde Angelus, ait rectè facere superiorem, quando ex hac causa negat, vt alij scientes, & videntes difficultatem in danda facultate, mogis à peccatis præseruentur. Et Armilla dicit, superiorem multoties posse negare, si vult, quia hoc est ex honestate: & quandoque bonum esse negare, ne detur occasio peccandi.

B

C

Angel. Soto. Armil. Vide Henricum lib. 3. de pœnit. c. 13. nu. 4. Angel. Armil.

Ratio verò est; quia superior in hoc vtitur iure suo, vt satis declarant argumenta facta circa primam sententiam. Quòd autem id cedat in minorem subditi vtilitatem, non ipse est causa, sed ipsemet subditus ex sua negligentia, vel affectione; ergo illi imputabitur, & non superiori, qui potest præferre commune bonum illi incõmodo vnius particularis. Præsertim, quia licèt in præsenti videatur hoc esse minùs vtile tali subdito, quia quodãmodò coactus, cum minore deuotione confitebitur; tamen in futurum potest sperari alia vtilitas maioris mometi, nimirum vt sit cautior in peccatis vitandis. Semper tamen supponimus hanc minorem vtilitatem esse intra latitudinem fructuosæ, & dignæ confessionis, alioqui iam non esset minor vtilitas, sed omninò nulla, vel potiùs graue nocumentum, de quo nondum egimus.

D

6

Atque hinc vlteriùs sequitur; per se, ac præcisè ex pastorali munere in hoc foro, & ex intrinseca difficultate ipsius confessionis non statim oriri obligationem concedendi hanc facultatem: imò posse superiorem illam negare quoties graue nocumentum subditi, quod extrinsecum, & valdè accidentarium est huic sacramento, non timuerit. Deinde sequitur, quoties ipse superior non est aliunde causa talis nocumenti, sed solùm timetur ob duritiem, vel fragilitatem ipsius pœnitentis, non peccare superiorem contra iustitiam respectu subditi negando ei talem facultatem: hoc enim totum probant, quæ in priori sententia adduximus.

E

7

Tertiò verò addimus, ex charitate, vel etiam ex debito sui muneris & fidelis dispensatoris teneri superiorem ad concedendam hanc facultatem, quoties timuerit graue detrimentum spirituale subditi, si illam neget, quanuis illud nocumentum non ex iniuria extrinseca, sed ex proprio defectu ipsius subditi euenturum sit: vt quòd tacebit aliquod peccatum in confessione, vel quòd nimiùm differet confessionem, &

8 Tertia conclusio. Quando teneatur Superior ex charitate facultatem concedere.

D. Thomas.

& licentiam peccandi accipiet, vel quid simile. Hoc est quod intendit principaliter Diuus Thomas, & communis sententia. Et hoc probat ratio eius, quia hæc potestas non est data in destructionem, sed in vtilitatem subditorum. Nec refert quòd ipse subditus sibi sit causa talis nocumenti; nam hoc ipsum tenetur impedire spiritualis pastor, si commodè potest. Vnde addo vlteriùs, etiamsi speretur aliorum vtilitas ex negatione talis facultatis, nó esse negandam cum tanto detrimento subditi, quia sacramentum hoc per se institutum est in bonũ pœnitentis, & ad eundem finem data est hæc potestas, & ad eundem ordinatur reseruatio: ergo non licet per hoc medium aliorum vtilitatem procurare cum tanto subditi detrimento: præsertim, quia moraliter nunquàm fit sine sacrilegio, & graui iniuria ipsius sacramenti: fit etiam ipsa cõfessio odiosa & difficilis, quod est grauius incommodum, propter quod vitandum quælibet alia vtilitas paruipendenda est. Oportet autem aduertere, aliud esse vtilitatem aliorum procurare, de qua locuti sumus: aliud verò perniciem aut graue nocumentum eorum vitare, de quo est longè diuersa ratio: nam si hæc causa intercedat, negari potest & debet talis facultas, etiamsi subditus ipse malè vsurus sit tali medicina, quia hoc iam est scãdalum Pharisaicum: & ideò quidquid ex illo sequitur, tantùm malitiæ ipsius subditi imputantur: nam ipse tunc tenetur suam conscientiã ei aperire, qui & sibi, & aliis prodesse potest, & non obesse: ergo, si nolit huic obligationi satisfacere, nec potest esse ad confessionem dispositus, nec facultas confitendi alteri ei potest esse vtilis: ergo non debet ei concedi, etiamsi obdurato animo nolit confiteri superiori. Nec refert, quòd id proueniat ex nimia verecundia, vel alia affectione, quæ grauem difficultatem ingerat, quia tenetur illam superare, & potest cum diuina gratia, vt suæ obligationi satisfaciat. Extra hunc verò casum semper tenetur superior condescendere fragilitati subditi, quãdo eius periculum imminet.

9 Quarta conclusio. Superiorem debere potius esse facilem, quam difficilem. D. Thomas.

Atque hinc vlteriùs colligo, & addo quartò, regulariter ac moraliter loquendo, superiorem debere esse facilem potiùs, quàm difficilem in hac facultate concedenda. Hoc etiam intendunt D. Thomas, & alij Auctores citati: estque verissimum, quia moraliter ac per se loquendo, minùs periculi est in concedenda hac facultate, quàm in illa neganda. Vnde, vt concedatur, satis esse debet quòd nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat: vt autem negetur, semper interuenire debet aliqua specialis ratio, quæ id requirat: non quòd semper hoc cadat sub præcepto, sed quòd hîc ordo sit conuenientior, qui aliquãdo poterit esse sub præcepto, iuxta alias regulas tactas. Imò, licèt aliquando superiori videatur interuenire sufficientem rationem ad negandam facultatem: si tamen aliunde ex relatione alterius, vel alia via ei constiterit subditum nullo modo velle superiorem adire, neque aliis remediis tentatis ad id posse induci, tunc superior nunquàm debet negare facultatem, nec potest licitè, excepto illo casu de damnificatione aliorum: quia non obstante quacunque ratione occurrente, & pensatis omnibus, tunc id magis expedit, imò & necessarium est iuxta leges charitatis. Item quia reseruatio hæc est quædam medicina subditi: ergo, si cum rigore applicata, cedat in perniciem eius, temperanda est, ideóque facultas concedenda. Vnde Nauarr. d. c. *Placuit*, n. 149. ait, solam verecundiam nimiam pœnitentis esse aliquando sufficientem causam vt hæc facultas danda sit.

10 An verecundia sit sufficiens causa ad dandam hanc facultatem.

Dices, Tunc subditus grauiter peccat volẽs extorquere hanc facultatem à superiore suo indurato animo, & illudmet propositum non confitendi superiori, etiamsi nolit facultatem dare, est graue peccatum in ipso subdito: ergo: non est ei danda facultas: cur enim ex malitia reportabit commodum? Neque etiãsi detur, illi erit vtilis, cùm sit ad confessionem indispositus. Respondeo, licèt pœnitens, absolutè loquẽdo, teneatur confiteri suo pastori, si ille nolit facultatem dare cõfitendi alteri; & ideò semper peccet subditus habendo absolutum propositum non confitendi simpliciter, si superior talem facultatem neget, absque alia causa extrinseca, sed ob solam difficultatem intrinsecam confessionis: nihilominùs, petendo instanter facultatem, non peccat, & superior peccare potest illam negando. Nam hæc duo non repugnant: quia subditus tenetur iure diuino confiteri proprio pastori suo, si ipse nolit committere suam iurisdictionem alteri, dummodò aliam iniuriam, vel aliud nocumentum propter confessionem subdito inferat, contra quod diuinum ius peccat subditus habens illud absolutum propositum, non confitendi in illo casu. Non facit autem contra hoc ius, petendo facultatem à superiore: & ideò, si abstineat ab illo proposito, quantumuis instet, & vrgeat petendo facultatem, non peccat; imò potest honestè agere iuxta exigentiam causæ. Ac proinde etiam superior teneri potest ad facultatem concedendam: sæpe enim contingit vt debitor ex iustitia teneatur soluere debitum, & nihilominùs honestè petat à creditore remissionem eius, quam ipse saltem ex charitate concedere teneatur: illæ enim obligationes, cùm sint diuersarum rationum, simul non repugnant: ita ergo est in præsenti. Quapropter (respondendo ad difficultatem positam) in primis necesse non est vt in hoc negotio interueniat peccatum, vel praua dispositio ex parte subditi petentis facultatem, quia non oportet vt habeat illud formale propositum non confitendi, &c. imò prudens superior hoc debet præcauere, ne inducat subditum in huiusmodi quasi desperationem; & aliquando poterit hoc ipsum illi ad culpam imputari, si ob negatam facultatem subditus temerariam voluntatem & propositum concipiat. Deinde dico, etiamsi subditus in eum statum deuenerit dandam omninò ei esse hanc facultatem, vt remedium aliquod illi malo adhibeatur: nam, licèt, durante illo proposito subditus sit indispositus ad absolutionem, tamen obtenta facultate, potest se disponere, & de illamet culpa dolere, eámque cum aliis confiteri.

Solutio. Peccare subditũ nolentẽ confiteri superiori.

Tandem in hoc puncto dicendum est, non teneri superiorem dare generalem facultatem eligendi quẽcunque confessorem idoneum vt à casibus sibi reseruatis absoluat; neque etiam teneri ad committendam causam ei sacerdoti, quem vult pœnitens: sed posse illam committere alteri, vel inter aliquos designatos electionem subdito dare, prout iudicauerit expedire ab bonum pœnitentis. Hoc etiam colligitur ex dictis Auctoribus, & præsertim Angelus aduertit posse, & debere prælatum in particulari inquirere, & scire, cui velit subditus confiteri: *Et si est*, inquit, *æquè bonus, concedat; si verò non est æquè bonus, non debet dare facultatem.* Et ratio quidem in generali manifesta est: nam reseruatio ad hoc fit, iuxta Concilium Tridentinum, vt grauiora delicta grauiùs corripi, & meliùs emendari possint: ad quod necesse est vt grauioris etiam personæ, & doctioris, ac melioris iudicio subdantur: ergo quamuis superior cedat iuri suo committendo causam alteri, semper habet ius non committendi illam, nisi personæ proportionatæ tali causæ, & fini reseruationis: hoc autem regulariter non fiet, si generalis facultas concedatur. Sæpe etiam accidere potest, vt persona, quam designat pœnitens, seu quæ loco illius facultatem petit, talis non sit superioris

11 Vltima conclusio. Non teneri superiorem dare facultatem generalem.

Angel.

perioris iudicio: ergo non est cogendus superior vt id concedat. Nec potest subditus iustè conqueri, aut eandem difficultatem respectu omnium aliorum allegare, præsertim si ei facultas ad eligendum inter plures concedatur. Non debent tamen in hoc superiores esse difficiles, quando vel subditi prudentes sunt, & timorati: vel sacerdos, per quem subditus facultatem petit, reuerà est sufficiens vt ei causa committi possit. Tunc enim, regulariter loquendo, & nisi alia causa grauis occurrat, consultius est acquiescere pœnitenti; & interdũ posset etiam esse necessarium, iuxta regulas superiùs datas, quæ hîc etiam applicari possunt.

## SECTIO V.

### *An debeat superior facultatem dare absolutè.*

1 IAM verò occurrit tractãdum secundũ dubium suprà propositũ, an quando superior hanc facultatem cõcedit, debeat illam absolutè dare, vel cum aliqua cõditione, vel onere pœnitenti imposito. Duplex autẽ onus potest in præsenti habere locũ. Vnũ est, vt talis vel talis pœnitentia illi imponatur: aliud est, vt corã superiore cõpareat: nã præter hæc nõ possunt alia in præsenti excogitari. Hæc verò habere possunt locũ iuxta diuersos modos cõcedendi hãc facultatẽ. Duobus enim modis potest peti, & cõcedi. Primò post peccatũ reseruatum cõmissum: de quo ferè in toto præcedẽti puncto locuti sumus. Secundò ante peccatũ cõmissum, vt si subditus petat facultatẽ à superiore ad confitendum alteri, si fortassè in aliquod peccatum reseruatum lapsus fuerit. In priori modo non habet locum onus comparendi corã superiore: nam ad hoc petitur facultas, vt ab onere subditus liberetur: repugnãtia ergo esset dare facultatem, & imponere tale onus. Itẽ, aut subditus petit facultatẽ per seipsum, & sic iam satis comparet coram superiore; esset que illi impertinens facultas cum onere iterum cõparendi: vel petit facultatem per alium, v.g. per inferiorem ordinarium confessorem: & tunc ideò petit, vt persona, quæ commisit peccatum, nõ veniat in notitiam superioris, & ad hoc postulatur veluti indulgentia eius: ergo neque ibi habet locum tale onus.

2 Peccare superiorẽ, qui inquirit de subdito, qui petit facultatem.

Quin potiùs hinc inferunt Doctores suprà citati, quando à superiori hoc modo facultas postulatur, nõ posse licitè interrogare personã pro qua postulatur, neque aliquas circunstantias, per quas in eius notitiã deueniat: tum quia, si per inferiorem confessorem petitur facultas, ille tenetur seruare sigillum, & superior grauissimè peccat dum aliquam eius læsionẽ vel fractionem procurat. Imò, licèt ille, per quẽ petitur facultas, non esset confessor, nec sciret sub sigillo, sufficeret obligatio naturalis secreti in re adeò graui, & ordinata ad remedium cõscientię proximi. Tum etiã quia superior inquirẽs de persona in occulto delicto, grauiter peccat contra iustitiam, & in præsenti etiam videtur peccare contra hoc sacramentũ, quia talis superior prauè vtitur potestate accepta, & quantum est ex se, reddit difficilẽ & odiosũ vsum huius sacramẽti. Itaque quoties facultas cadit in delicta iam cõmissa, non habet locũ huiusmodi onus comparendi moraliter loquendo. Fingi verò posset casus, in quo daretur talis facultas cũ eo onere solùm ne differatur cõfessio, quã in præsenti fortasse superior non potest audire. Sed hic casus & rarus est, & tunc eadem est ratio de illo, & de facultate concessa pro peccatis, quæ esse possunt in futuro, de qua statim dicam.

3 Posse dari facultatem cũ onere talis pœnitentiæ.

Posset tamen hæc facultas concedi cum limitatione seu onere imponendi, seu acceptandi talem vel talem pœnitentiam pro tali vel tali delicto: nã ad hoc ius habet superior, cùm enim sit ordinarius iudex in illa causa, potest eam non simpliciter committere, sed præscribendo modum, seu taxando pœnam ferendam: & aliunde hoc potest expedire ad bonum pœnitentis. Et declaratur, nam olim erant in Ecclesia canones pœnitentiales, in quibus taxabantur pœnitentiæ imponendæ pro grauioribus delictis, quorum nonnulla vestigia sunt apud Gratianum in fine decreti, & in c. *Latorem*, 33.q.2. cum similibus: non ergo repugnat pœnam in hoc foro imponẽdam, esse taxatam per eum, qui in Ecclesia habet potestatem: non est autem cur negemus hanc potestatem superiori, qui & potuit casus reseruare, & potest etiam facultatem ad illorum absolutionem committere. Accedit quod Clemens VIII. in decreto de casuũ reseruatione pro regularibus, quanuis prohibeat superioribus religionum vltra modum ibi præscriptum casus reseruare, subdit in §. 5. *Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint.* Ex quibus verbis constat à fortiori hoc licere in casibus reseruatis, vt probant illa verba, *etiã non reseruatis*: & per se est euidens ex paritate rationis. Ergo possent superiores religionum secundùm species peccatorum reseruatorum taxare modum pœnę imponendæ ab his, quibus facultas absoluendi ab eis committitur: ergo etiam hoc potest facere superior in particulari commissione, eam tali modo limitando. In vsu verò huius potestatis necessaria est prudentia, & moderatio: regulariter enim non videtur necessaria, nisi quando superior non multùm confideret de prudentia eius, cui talem causam committit. S.D.N. Clemens VIII.

4 Et quod dictum est de pœnitentia, intelligendũ est etiam de quacunque satisfactione condigna, aut alia conuenienti medicina, si iuxta exigentiã causæ moraliter necessaria, aut valde conueniens iudicetur. Et propter hunc finem potest aliquando superior interrogare speciem culpæ, aut consuetudinem, vel alias circunstantias, quãtum sine manifestatione, vel suspicione personæ declarari possint: cum hoc enim periculo nec ipse interrogare debet, neque alter respondere tenetur. Aliquando etiam poterit superior illam cautionem seu limitationem adhibere sine speciali notitia delicti sub conditione: videlicet, si huiusmodi fuerit delictum, imponatur hęc satisfactio, &c. Quod quidem per modum consilij frequenter fit, & potest fieri per modum legis seu præcepti, vt dixi; non est tamen in vsu vt fiat: & ideò sine magna, & extraordinaria causa faciendum non est. Et multo minùs est committenda iurisdictio cum tanta dependentia ab hac conditione, vt nisi impleatur, v.g. nisi imponatur talis pœnitentia, & acceptetur, absolutio aliàs data, sit nulla: nam hoc & nimis rigorosum est, & periculis expositum, & in rigore potest esse iniustum: quia nunquàm pœna huius fori tanta necessitate præscribitur, quin committatur aliquod arbitrium iudici, vt si iuxta dispositionem, vel alias conditiones pœnitentis viderit, aut non esse debitorem tantæ pœnæ, aut illi non expedire, possit eam moderari. Quia pœna huius fori magis medicinalis est, quã vindicatiua; omninò ergo priuare iudicem hoc arbitrio, iniustum esset: relinquere autem illum cum periculo faciendi sacramentum irritum, seu conferendi absolutionem nullum, etiam esset imprudentissimum: & ideo nunquàm est hæc conditio illo modo ponenda, sed ad summum per modum cuiusdam directionis seu ordinationis.

De

*De facultate pro peccatis nondum commissis, si fortè committantur.*

5 SVPEREST dicendum de alio modo concedendi hãc facultatem pro peccatis nondum commissis si fortè cõmittantur, quæ facultas frequentius concedi solet ipsis pœnitentibus. Erit autem eadem proportionalis ratio, si ponamus iurisdictionem directè committi ad eundem effectum, & sub eodem modo. Deinde circa hanc facultatem nulla est difficultas noua, quantùm spectat ad secundum genus oneris seu moderationis explicatum: nam qua ratione non repugnat illam legem, seu directionem imponi circa peccata iam commissa, non repugnat circa futura, si committantur. Omisso ergo illo onere, circa aliud de comparendo coram superiore est hîc specialis difficultas: nam hoc onus per se non repugnat cum ordinario fine, propter quem hæc facultas conceditur, quia non datur propter liberandum simpliciter pœnitentẽ ob onere comparẽdi coram superiore, sed propter subueniendũ alicui necessitati, ne fortè occasione illius nimiùm differatur pœnitentia: & ideò frequentiùs concedi solet sub ea conditione, *Si difficilis sit aditus ad superiorem.* Vnde etiam fit, vt in peccatis reseruatis habentibus annexam censuram, iuxta vsum iuris concedatur hæc facultas sub eo onere cõparendi: igitur, quantùm est ex fine, & modo huius facultatis, non videtur repugnare cum eo onere concedi.

Difficultas de onere cõparendi coràm superiori.

6 Difficultas verò supereſt, an in peccatis reseruatis non habentibus censuram, aliunde repugnet concedi facultatẽ sub tali onere. Videtur enim repugnare ratione ipsius sacramenti: in censuris enim, quia impositio, & absolutio earum principaliter est ex institutione Ecclesiæ, potest Ecclesia, prout voluerit, modum absolutionis præscribere, & sub hoc vel illo onere illam præstare. Tamen in confessione, & absolutione sacramentali nõ potest Ecclesia aliquid addere, vel mutare præter Christi institutionem: absolutio autem sacramentalis ex efficacia, quam habet ab institutione sua, liberat hominem à culpa, tam in foro Dei, quàm in foro Ecclesiæ, & cõsequenter liberat illũ ab obligatione subiiciendi iterũ illa peccata clauibus, propter quod diximus in superioribus, peccata semel ritè confessa non esse materiam necessariam huius sacramenti, nec posse Ecclesiam obligare ea iterum confiteri: ergo repugnat huic sacramento, facultatem absoluendi dari sub illo onere, quia, aut vera absolutio non datur, aut tale onus non relinquitur, cùm non possit absolutio suo effectu priuari, non existente obice ex parte pœnitentis. Vnde, etiam in peccatis reseruatis habentibus censuram, onus, quod relinquitur, non est ad subiiciendum iterum illa peccata clauibus per confessionem sacramentalem, sed solùm ad comparendum coram superiore, vt satisfactionem debitam imponat ratione censuræ contractæ, cuius integrum iudicium non fuerat inferiori confessori commissum: hoc autem non habet locum in peccatis, quæ non habent censuram annexam, quia respectu illorum per talem facultatem solùm committitur causa in foro sacramentali, in quo plenum iudicium, & vltima scientia committitur confessori, hoc ipso quòd ei causa delegatur: quia hoc sacramentale iudicium est supremum, & vltimum in hoc foro, in quo omnes iudices sunt æquales, quia soluunt in persona Christi: ergo ratione confessionis non potest manere illa obligatio. Secluſa autem confessione sacramentali, nulla ratio relinquitur coram superiore comparendi. Nec potest pœnitens ex vi confessionis sacramentalis obligari ad dicendum eadem peccata

An de non habentibus censurã possit dari facultas cum onere comparendi.

A superiori extra confessionem, nisi aliunde anteà haberet illam obligationem, vt contingit in illis ratione censuræ: ergo obligabitur ad iteratam confessionem; quod repugnat.

Propter hanc rationem aliqui moderni Theologi negant, posse facultatem concedi sub hoc onere: quod si fiat, nihilominùs confessionem ex vi talis facultatis factam, esse validam. Soletque hæc opinio tribui nonnullis antiquis Theologis; nullus tamen absolutè negat facultatem hanc sub hac forma concedi posse & licitè, & validè, quanuis in modo explicandi sit diuersitas, vt videbimus. Solùm Durand. in 4. dist. q. 15. num. 10. videtur in eam partem inclinare. Refertur etiam Holcot in 2. d. 15. & Dionys. B Carthus. dist. 22. quæst. 1. Tribui etiam solet hæc opinio D. Thomæ quodlib. 1. art. 12. ad 1. Sed ibi solùm asserit, neminem posse obligari præcepto humano ad confitenda iterum peccata semel ritè confessa: quod satis commune est inter Auctores, vt suprà dixi: sed loquuntur de obligatione absoluta: hîc autem agimus de conditionata, & sub tali conditione, quæ ex voluntate ipsius pœnitentis pendeat. 7 Durand. Holcot. Dionys. Carthus. D. Tho.

Communis ergo opinio est, esse potestatem in superiore ad concedendam hanc facultatem sub hoc onere, si expedire censuerit. Ita tenuit Henric. quodlib. 1. q. 32. & quodlib. 10. q. 1. Maior in 4. 17. q. 6. Adrianus in 4. materia de Confessione, q. 5. §. *Ideò pro solutione.* Angelus verb. *Confessio*, 5. num. 9. Et eandem videtur Caietanus supponere, verb. *Absolutio*, cap. 1. & Medina Cod. de pœnit. q. *de Confessione fratribus priuilegiatis facta.* Idem tenet Palud. in 4. dist. 17. quæst. 5. art. 1. nu. 6. Almain. q. 1. circa finem, qui refert Gersonem lect. 2. super Marcum. Et habetur in Alphabeto 16. lit. T. Idem tenet Nauarr. in Summ. c. 9. num. 1. & c. 26. n. 12. & in c. *Fratres*, de Pœnit. d. 5. n. 30. & in cap. *Placuit*, de Pœnitent. dist. 6. num. 112. Ledesma in 2. p. 4. quæst. 8. art. 2. dub. 19. Vt autem verum fundamentum huius sententiæ declaremus, supponendum est, per hanc facultatem dari iurisdictionem ad absoluendum à peccatis reseruatis directè & per se. Dixerunt enim aliqui, ideò posse superiorem hanc facultatem dare sub tali onere, qui potest concedere facultatem subdito vt confiteatur alteri, à quo absoluitur directè à peccatis non reseruatis: à reseruatis autem solùm indirectè, ac proinde illa manere iterum obnoxia clauibus. Sed hæc sententia omninò falsa est, quia illa esset quædam dimidiatio confessionis, vel absolutionis, ad quam non potest superior specialem facultatem dare, cùm sit contra diuinum ius. Vnde argumentor in hunc modum: quia vel superior delegat iurisdictionem suam ad casus reseruatos, vel non: si delegat, ab illis dari debet directè & per se absolutio, cùm nihil sit, quod impediat eius integritatem: si autem non delegat, impertinens est eius licentia. Nam, vel occurrit specialis necessitas, ob quam licitum est absoluere pœnitentem absque integra iurisdictione super omnia peccata mortalia illius; & tunc fieri poterit confessio, & absolutio absque speciali licentia superioris: quia id non licet ex dispensatione eius, sed ex ipso diuino, seu naturali iure, supposita institutione, vt in disputatione sequente videbimus. Vel non occurrit huiusmodi necessitas: & sic nulla potestas humana efficere potest, vt liceat sine tali occasione dimidiatam confessionem, vel absolutionem efficere: erit enim formalis, & non materialis tantùm, cùm nulla sit vera necessitas illius. Certum ergo esse debet, per hanc facultatem superioris concedi iurisdictionem ad absoluendum à reseruatis, & hanc dicimus posse delegari cum ea conditione seu onere. 8 Communis sententia. Henric. Maior. Adria. Angel. Caiet. Medin. Palud. Almain. Gerson. Nauarr. Ledesm. Aliquorum sententia reprobatur.

Circa fundamentum autem huius veritatis dicunt 9

plures ex citatis Auctoribus, illud positum esse in mutuo consensu, & quasi pacto inter superiorem & subditum: nam superior posset non delegare iurisdictionem suam, & delegãdo, facit gratiam & fauorem subdito: ergo potest sub ea conditione eam concedere, vt si subditus velit tali gratia vti, consentiat obligationi comparendi coram superiore: & tunc subditus obligationem acceptans, obligatus manet, non tam ex præcepto diuino confessionis, aut speciali præcepto superioris, quàm ex pacto mutuo. Ita significant Palud. Almain. Medina, & alij, & distinctiùs explicauit Nau. Vnde inferunt primò, debere hanc conditionem declarari subdito. Et quidem, si illi datur facultas explicata conditione, hoc ipso quòd posteà illa vtitur, satis acceptat conditionem, & obligatus manet. Si verò commissio facta est sacerdoti sub ea conditione, inscio pœnitente, tenebitur confessor ante auditam confessionem, vel si id non aduertit, donec peccatum reseruatum audiuit, ante absolutionem datam, explicare conditionem pœnitenti: &, si eam non acceptauerit, non absoluere, quia non habet facultatem absoluendi nisi sub ea conditione: si autem acceptauerit, eo ipso manebit pœnitens obligatus ad comparendum coram superiore.

Palud. Almain. Medin. Nauarr.

10 Secundò, hinc facilè respondent ad totam rationem dubitandi in principio positam: concedunt enim absolutè, non posse superiorem præcipere iteratam confessionẽ, neque etiã obligare subditũ, vt se illi prodat postquàm semel absolutus est. Nihilominùs tamẽ aiunt, posse nõ delegare suam iurisdictionem nisi sub tali pacto, quia hoc neque repugnat institutioni talis sacramenti, neque veritati aut effectui integro ipsius formæ: neque est cõtra vllam legẽ iustitiæ, aut alterius virtutis. Atque ita simul relinquitur declaratũ fundamentum huius sententiæ. Nam quòd hic modus obligationis, & pacti sit possibilis, probat ratio proximè facta cum respõsione ad rationẽ in oppositum. Quòd verò posito illo pacto, inde oriatur hæc obligatio, probatur ex natura pacti iusti, in quo aliquid datur cum obligatione aliquid faciendi. Aliunde verò cõstat materiã huius pacti esse graue: nam quòd inferior compareat corã superiore, ad quod ex vi huius pacti obligatur, res est grauis ex suo genere, nõ solùm quia de se est actio honesta, pertinens ad Dei honorem, & reuerentiã superioris, in materia graui: sed etiã, quia ad bonum animæ ipsius pœnitentis, & ad commune etiam bonum, vt reseruatio peccatorũ efficacior sit, magisq; retrahat subditos à peccãdo, potest multùm interesse. Et declaratur, nam, si subditus propria sponte voto se obligasset ad ita comparendum coram superiore, sine dubio maneret obligatus, & censeretur res satis grauis: ergo idem est si oriatur obligatio ex dicto pacto. Rursus, quòd talis obligatio non possit alio modo imponi à superiore, probatur à dictis Auctoribus quia per se & absolutè non potest præcipere confessionem iteratam. Melius tamen videtur explicari ratione dubitandi in principio à nobis posita. Denique, quòd intẽtio superioris quando concedit facultatem sub illo onere, sit conficere hoc pactum cum subdito, probatur, quia intendit illum obligare eo modo quo potest, & eadem ratione subditus acceptat eo modo quo potest, & debet iuxta intentionem superioris.

11 Hæc sententia sic explicata, est sine dubio valdè probabilis propter hoc fundamentum, & propter tot Doctorum auctoritatem, & magna ex parte sufficit ad defendendum vsum talis facultatis, & ad omnem effectum per illam intentum. Nonnulla tamen aduertenda circa illam occurrunt. Primum est, nonnullos Theologos docuisse, etiam admisso hoc genere pacti & obligationis, subditum non peccare mortaliter non comparendo posteà coram superiore, quia censent illam materiam, nimirum quòd tale peccatum iam confessum à superiore sciatur, esse rem parui momenti, secluſa necessitate sacramenti. At hoc improbabile est, vt declarat ratio superiùs facta, & exemplum de voto adductum: errantque dum significant, hanc obligationem solùm imponi propter notitiam superioris, in ea sistendo; quæ non solùm esset res parui momenti, sed etiam vana curiositas: non est ergo propter notitiam per se ipsam, sed propter effectus pertinentes ad diuinum honorem, & bonum subditorum, ad quos illa ordinatur, sub qua ratione illa est res valdè grauis. Eò vel maximè, quòd non tantùm manet obligatus pœnitens ad dandam notitiam suæ culpæ superiori, sed etiam ad complendam satisfactionem seu emendationem, quam ipse iniunxerit, vt constat ex omnibus iuribus, in quibus fit mentio similis conditionis, & ex dicendis etiam constabit. Hæc autem obligatio tota sine dubio est res satis grauis, vt per se notum est.

Quorũdam Theologorum opinio probatur.

An admisso tali pacto peccet subditus non comparẽdo.

Quod verò quidam aiunt, illam obligationem iniustè extorqueri, esseque inuoluntariam: quia subditus nollet talem conditionem acceptare, solumque illam acceptat, quia non potest aliter facultatem obtinere, ac proinde, vel nullam, vel leuem esse talem obligationem. Hoc, inquam, nullius momenti est, & æquè improbabile, ac præcedens: quia, cùm superior habeat integrum ius in talem causam, & nullo iure teneatur illam facultatem dare subdito, & si illam neget, nullam ei faciet iniuriam, multò minùs illam facit dando facultatem sub illo pacto, & non aliàs. Vnde non potest illa dici violentia, quandoquidem liberum est subdito non acceptare conditionem. Neque etiã ibi interuenit diminutio voluntarij: quæ possit obligationem, vel culpam diminuere, quia in omni pacto, in quo aliquis suscepit aliquod onus propter aliquod commodum, potest dici interuenire simile inuoluntarium, quia vnusquisque vellet potiùs absolutè, & liberè reportare commodum, quàm sub conditione onerosa: hoc verò non impedit quominùs acceptata conditio obliget iuxta materiæ exigentiam: ita ergo in præsenti contingit.

12 An obligatio comparendi iniustè extorqueatur.

Addit verò Palud. citato loco, *Licèt iste modus sit possibilis, non tamen esse conuenientem, non quia Ecclesia hoc non possit statuere: sed quia iuxta communem ritum hoc non seruat: & etiam quia frustra audiret, ex quo absoluere non potest.* Veruntamen hoc etiam falsum est, quia in illo modo concedendi talem facultatem, nihil est præter rationem iustitiæ aut charitatis, aut alterius virtutis: neque etiam est aliquid incommodi aut periculi, vt minùs conueniens censeatur. Quod autem in reseruationibus, seu facultatibus Pontificiis, quæ vniuersam Ecclesiam respiciunt, hoc fortasse non sit in vsu, ideò est, quia illa peccata semper habent censuram annexam, & ideò quando illud onus imponitur, videtur esse præcipuè ratione censuræ. Tamen sicut inde non sumitur argumentum, quod reseruatio casuum sine annexa censura non sit conueniens; ita nec quòd facultas absoluendi ab illis, cum simili onere conueniens non sit. Eò vel maximè, quia interdum Pontifex reseruat casus sine excommunicatione annexa, vt in citato Motu Sixti V. & non propterea dicet quispiam, vt opinor, posse aliquem absolui ab inferiori à tali casu propter ordinariam difficultatem, & moram adeundi summum Pontificem sine vlla obligatione comparendi; alioqui inutilis esset talis reseruatio. Ac denique, licèt daremus hunc modum non esse conuenientem pro tota Ecclesia, quia non est accommodatus statui omnium fidelium; tamen inter Religiosos, qui maiorem perfectionem profitentur, & specialiori modo subsunt pastorali curæ suorum prælatorum, potest esse valdè conueniens,

13 Palu. reprobatur.

Maior. Carthus. niens, & ita Maior & Carthusianus referunt fuisse in vsu in religione Cistertiensium per constitutionem à summis Pontificibus probatam. Et nunc etiam hoc seruatur in aliqua religione cum magno fructu, & sine vllo incommodo.

14 Refutatur iterum Palud. Illud denique, quod Palud. subiungit, *quia frustra hæc audiret, ex quo absoluere non posset*, nullum verum sensum habere potest. Nam si loquatur de inferiore confessore, cui datur talis facultas, falsum est, absoluere non posse: quia, licèt relinquat in subdito onus comparendi, verè & sacraméraliter illum absoluit: & ideo non frustra audit. Quòd si pœnitens non acceptet conditionem, verum est non esse absoluendum: inde tamen solùm sequitur, ante auditam confessionem B proponendam esse huiusmodi conditionem. Si autem de superiore loquatur, falsum etiam est, illum non posse absoluere, cùm possit absolutio bis cadere supra eadem peccata. Et præterea, licèt non absoluat, neque ad hunc finem se illi subditus manifestet; nihilominùs non erit frustra: quia potest deseruire, vt superior vel meliorem medicinam, vel maiorem satisfactionem adhibeat.

15 Difficile dubiũ proponitur. Præterea in hac sententia obseruandum est, ab illius Auctoribus non satis declarari, quid dicendum esset: si contingeret pœnitentem absolui per talem facultatem, priusquàm illi explicetur conditio, seu onus eius. Tamen consequenter loquendo, ex principiis huius sententiæ sequi videtur, illum subditum non manere obligatum ad comparendum posteà coram superiore, etiamsi posteà illi declaretur conditio, quia potest non acceptare illam, & sine suo consensu non obligatur, vt diximus: & nihilominùs manebit absolutus, quia prior sententia valida fuit, nec reuocari potest. Neque hoc censebitur inconueniens, aut contra vigorem disciplinæ per reseruationem intentam: quia ad hoc satis est, vt confessor teneatur sub præcepto explicare pœnitenti conditionem facultatis concessæ, priusquàm confessionem eius audiat, quod verò interdum ex negligentia, aut ex malitia eius possit hoc prætermitti, & ideò possit subditus ab illa obligatione excusari, & rarum est, & accidentarium, & ideò in re morali non est consideratione dignum.

1. sent.

16 2. sent. Aliquibus autem visum est, illam absolutionem in eo casu non fuisse validam, ideoque eadem obligatione teneri subditum confiteri superiori, qua anteà tenebatur. Ratio huius sententiæ esse potest, quia illi confessori non est data iurisdictio, nisi sub ea conditione: ergo illa non expleta, illi non datur iurisdictio quoad talem actum. Et potest confirmari: quia delegatus, non seruans formam sibi in commissione præscriptam, nihil operatur, vt constat ex c. *Venerabilis*, cum similibus, de Offic. delega. quia non habet plus iurisdictionis, quàm illi commissum est: sed in præsenti commissa est iurisdictio sub tali forma & modo: ergo non seruans illum, nihil facit. Et confirmatur secundò: nam si in eo casu confessor proponeret conditionem subdito, & ipse nollet eam acceptare, & nihilominùs absolueretur à sacerdote, confessio esset nulla ex defectu iurisdictionis, propter nõ impletam conditionem. Et similiter si subditus deciperet confessorem acceptando exteriùs cõditionem, sine proposito implẽdi, aut cõparendi corã superiore, absolutio data à sacerdote, etiã bonafide ex parte illius, esset nulla propter eundem defectum: ergo à fortiori absolutio data priusquàm subditus acceptet conditionem, imò priusquàm illi proponatur, siue hoc fuerit ex malitia, siue ex inauertentia confessoris, inualida est: quia multò magis deficit ibi conditio necessaria ad vsum iurisdictionis.

17 Tandem confirmatur: quia aliàs si sufficeret subditum bona fide confessum, sequeretur, in eo casu, in A quo pœnitens priùs confitetur casum, reseruatum, quàm illi sit tale pactum, seu talis conditio proposita, & posteà confessor ante absolutionem proponit conditionem, licèt pœnitens nolit eam acceptare, debere nihilominùs à confessore absolui: quod Nauarrus, & alij non admittunt. Sequela patet, quia iam pœnitens bona fide semel confessus est, & recte dispositus, vt suppono, & ex hac parte iam acquisiuit ius ad absolutionem simpliciter obtinendam; aliunde verò iam non potest obligari ad conditionem illam acceptandam: quia aliàs obligaretur ad iterum confitendum peccatum semel ritè confessum, idque non tantùm sub conditione voluntaria, sed simpliciter & absolutè: quia supponitur vna confessio iam facta, & post illam exigitur acceptatio obligationis iterum comparendi, quod est absolutè hoc exigere, & non sub aliqua conditione, quæ iam pendeat ex voluntate pœnitentis. Nec satis est dicere, conditionem ibi inclusam esse, si vult absolutionem obtinere: quia si absolutio illa validè dari potest absque tali conditione, iniustè à pœnitente exigitur in illo casu: quia iam habet ius acquisitum per confessionem factam. Item, quia conditio talis esse debet, vt maneat liberum pœnitenti aliqua via semel tantùm confiteri, si velit: quod in illo casu non seruatur: quia, siue absoluatur C pœnitens acceptando conditionem, siue non absoluatur: quia illam non acceptat, cogitur iterum confiteri idem peccatum ritè confessum, quantùm est ex parte eius: ergo, vel dicendum est, in eo casu absoluendum esse pœnitentem, etiamsi non acceptet conditionem: quia habet ius, & rationabilem causam non acceptandi: quod videtur absurdum, & contra praxim, & contra eosdem Auctores, vt dixi: vel dicendum est, ideò tunc non posse absolui: quia quacunque ratione talis subditus absoluatur non proposita, vel acceptata illa conditione bona fide, absolutio est nulla.

Nauar.

18 Secũda sententia reiicitur. Nihilominus tamen hæc sententia valde rigorosa est. Nam, licèt fortasse non repugnet iurisdictionem eo modo committi, & cum tota illa dependentia à D proposita conditione: quia cùm hæc concessio fiat per humanam voluntatem, & ab illa pendeat, non est vnde repugnet consensum seu intentionem delegantis esse conditionatum in prædicto sensu (quod multi existimant ita esse in simili absolutione à censura.) Nihilominus in præsenti non videtur hæc intentio prælati delegantis prædicto modo iurisdictionem: quia neque ex forma concessionis colligi potest talis intentio: nam sufficienter intelligitur, quòd illa conditio ponatur tanquàm præcepta, quanuis iurisdictio non præbeatur omninò dependenter à tali conditione. Item non colligitur ex vsu: nullus enim existimauit absolutionem bona fide datam pœnitenti, cui non est explicata illa conditio, non fuisse validam: imò nec de simili absolutione à cen- E sura in eo casu, in quo iura apponunt talem conditionem, aliquis Auctor hoc dixit. Nam, si quis absoluatur in articulo mortis ab excommunicatione contracta, v. g. ob violentam clerici percussionem, etiamsi non admoneatur à confessore de obligatione posteà comparendi, valida est absolutio. Quod est secus quando potestas absoluendi datur solùm sub ea conditione, *satisfacta parte*: nam tunc si ea conditio non fuit impleta eo modo, quo commode potuit, absolutio fuit nulla. Et ratio differentiæ est, quia hæc conditio posterior est prærequisita ad absolutionem, & sub illa datur iurisdictio, & non aliàs: prior verò conditio non est prærequisita ad absolutionem sed per illam, vt manantem à tali iurisdictione, efficitur, seu consummatur. Hinc ergo censeo, conditionem

Vide Nauarr. c. 27. n. 46. & 89.

tionem illam, quantùm ex iure communi colligitur, A non ita apponi, vt irritet actum propter defectum aliquem ex ignorantia, vel malitia confessoris commissum: ergo eodem modo intelligenda est similis reseruatio, vel facultas absoluendi à reseruatis. Tandem ex subiecta materia id colligi potest: tum quia hæc conditio onerosa est, & ideò non est tam rigoroso modo interpretanda: tum etiam, quia non esset inconueniens talis modus concessionis cum morali periculo sæpe faciendi sacramentum irritum. Denique coniecturæ in oppositum non cogunt: nam ex iurisdictionem illam datam esse dependentem à conditione aliquo modo antecedente, quoad pactum seu acceptationem pœnitentis.

19 Rationibus satisfit.

Vnde ad primam confirmationem negamus illam B esse formam substantialem seruandam in vsu talis iurisdictionis, in qua tantùm forma verum habet principium ibi sumptum de iurisdictione delegata. Ad secundam verò confirmationem concedo, in casibus ibi propositis absolutionem per se loquendo, esse nullam, non quidem ex defectu iurisdictionis: sed ex fictione pœnitentis contraria veritati sacramenti: nam dum ille exteriùs acceptat, & interiùs non habet animum implendi, mortaliter peccat; quòd peccatum non confiteatur, nec de illo dolet, & ex hoc capite confessio est nulla. Idemque est, etiamsi exteriùs acceptet, vel quacunque alia ratione velit absolui sine proposito comparendi. Dico tamen *per* C *se loquendo*, quia, si ille pœnitens excusaretur per ignorantiam à culpa mortali in ea fictione seu voluntate, absolutio valida esset, quia iam nullum habet substantialem defectum. Existimo tamen illum nihilominùs manere in re ipsa obligatum ad comparendum: quia eo ipso, quòd sciens facultatem esse à superiori tali modo datam, vult per illam absolui, re ipsa accipit obligationem sibi impositam, etiamsi per ignorantiam habeat illicitam voluntatem, vel propositum aliquo modo contrarium, quòd à fortiori patebit ex dicendis. Vltima verò confirmatio potiùs probat, Nauarrum, & alios Auctores non consequenter loqui, quàm quòd prædicta absolutio nulla sit. Nam si ve- D rum est, eum, qui bona fide absoluitur sine notitia, talis oneris, posteà non teneri ad illud sustinendum, consequenter profectò dicendum videtur, eum, qui simili bona fide confessus est, sine notitia talis oneris, iustè exigere absolutionem, nolens acceptare tale onus: quia pactum ibi inclusum indebito tempore illi proponitur, quando videlicet, ex parte illius iam est impleta conditio, & susceptum ferè totum grauamen, quod poterat esse ex parte pœnitentis: vnde si hoc posteriùs iudicatur absurdum, etiam illud priùs admittendum non est.

20 Vera dubij occurrentis solutio.

Quapropter aliter de hoc casu sentiendum censeo: videlicet, eum, qui ex vi talis facultatis absoluitur à casibus reseruatis, quanuis ante absolutionem ignoret pactum seu conditionem facultatis, nihilo- E minùs in re ipsa manere obligatum ad cõparendum cùm intellexerit modũ cõcessę facultatis. Hoc probo primò à posteriori, seu ab incõuenienti ex illa vltima confirmatione proximè tractata. Secundo probo à simili ex facultate iuris ad absoluendum à peccatis reseruatis summo Pontifici sub illo onere: nam ipsa absolutio sic data, per se habet efficaciam inducendi talem obligationem independenter à consensu præstito à subdito, sed sufficit consensus debitus, ergo idem est in præsenti. Nam, licèt illa facultas iuris sit ad absoluendum à censura, non tamen à sola illa, sed etiam à culpa, & in vtramque per se cadit illud onus: imò illa facultas, vt suprà ostendi, non limitatur ad peccata reseruata cum censura, aliàs quando Pontifex reseruat peccatum sine excommunicatione (quod interdum facit, vt suprà) ostendi non posset quis ab illo absolui ex vi illius concessionis iuris: quod sine ratione diceretur, cùm iura non ponant talem limitationem, nec sit rationi consentaneum vt sit difficilior absolutio à peccato, solùm quia non habet censuram annexam.

21 Assignatur ratio à priori.

Tertiò est ratio à priori: quia in Prælato non deest potestas ad hanc obligationem inducendam, neque etiam deest voluntas: ergo inducit illam. Consequentia est euidens, & de minori nulla est disceptatio: quia supponimus prælatum satis explicare voluntatẽ suam, & quia in hoc intendunt huiusmodi prælati imitari ius Pontificium. Denique simpliciter adhibent illam conditionem, & imponũt hoc onus: ergo intelliguntur id velle quantùm ex se possunt, independenter à voluntate subditi. Probatur ergo maior, in qua est difficultas: nam hæc facultas datur per veram delegationem iurisdictionis, quæ ab homine confertur; sed in omni delegante iurisdictionem suam est potestas cõmittendi illam magis, vel minùs restrictam, & sub hoc vel illo onere: hac enim ratione potest absolutio à censura illo modo committi: ergo similiter in præsenti est potestas in delegante ad committendã causam sub illa conditione, & onere subdito imposito.

22 Obiect.

Fortasse respondebit aliquis negando assumptum, iuxta opinionem asserentem totam iurisdictionem huius fori dari immediatè à Christo. Dicetur enim, prælatum per hanc facultatem non dare iurisdictionem, sed solùm applicare materiã; qua applicata, non est in potestate eius ita limitare hanc iurisdictionem, quin eius actus sit omninò perfectus, & consummatus tanquàm in supremo tribunali, sine recursu ad aliud, quod sit superius. Hæc tamen responsio nititur falso fundamento: superiùs enim ostensum est proprii ssimam iurisdictionem esse, quæ in hoc foro hominibus per homines datur, & ab ordinariis pastoribus alienis sacerdotibus delegatur. Et in hac veritate fundauit Concilium Trident. potestatem reseruandi casus, vt patet ex sess. 14. c. 7. vbi sic ait, *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, &c.* vsque ad illud, *In quem ordinariam, aut delegatam non habent iurisdictionem.* Meritò ergo possumus nos, reiecto illo fundamento, in oppositum hanc potestatem fundare. Sed præterea, remota vocabulorum diuersitate, satis nobis est quòd illa applicatio materiæ pendeat ex hominis delegantis voluntate, & sit de necessitate sacramenti, vt dicti Auctores concedunt: qui etiam consequenter aiunt, in huiusmodi materiæ applicatione fundari casuum reseruationẽ: quia sicut ab humana voluntate pendet materiã applicare, ita & hoc vel illo modo, seu magis, vel minùs applicare: ergo cum eadẽ proportione nos possumus cõcludere, posse superiorẽ applicare materiã cũ tali modo seu onere. Declaratur hæc cõsecutio: quia vel per materiã, quæ applicatur, intelligitur persona ipsa, quæ subiicitur tali cõfessori; & sic cõstat hãc applicationem posse recipere magis & minùs ex superioris voluntate: quia potest subiici illa persona in ordine ad plura, vel pauciora peccata: ergo etiam potest subiici magis, vel minùs in ordine ad idem peccatum, vt scilicet possit de illo magis, vel minùs absolutè iudicari, seu cum maiori vel minori dependentia à superiore: vel nomine materiæ intelliguntur ipsa peccata, & sic conficitur simile argumentum proportionale: quia hæc ipsa materia potest magis & minùs applicari, vt patet in diuersis peccatis per casuum reseruationem: ergo & idem peccatũ potest iuxta modum suum magis, vel minùs applicari per reseruationem illi proportionalem.

Obiect. respondetur.

23 Obiectio.

Dices, in diuersis peccatis facilè intelligi quomodo in hac materia possit esse maior, vel minor applicatio

catio quasi extensiua: quia potest vnum peccatum applicari, & non aliud; tamen in eodem non posse intelligi: nam, si applicatur, totum applicatur: & si retinetur, aut remittitur, totum retineri, aut remitti necesse est: neque etiam potest hoc magis, vel minùs consistere in illa dependentia vel subordinatione ad iudicium superioris tanquàm ad superius tribunal: quia non potest peccatum aliquod in hoc foro iudicari nisi tanquàm in supremo tribunali. Soluitur. Respondeo, optimè intelligi posse in eodem peccato maiorem, vel minorem applicationem materiæ. Et quia in hoc videtur consistere punctum difficultatis, ideò paulò diligentiùs id declarabo, distinguendo in iudicio eiusdem peccati tria. Tria possunt considerari in iudicio eiusdé peccati. Primum est, remissio talis peccati quoad culpam & æternam pœnam: secundum est, castigatio eiusdem peccati quoad condignam satisfactionem: tertium est, curatio eiusdem peccati quoad obligationem in futurum vitandi similia peccata. Quantùm ergo ad primum attinet, non potest iurisdictio delegata circa idem peccatum recipere magis vel minùs, vt ratio facta probat: & quoad eam partem rectè dici potest sententia lata in hoc iudicio esse supremi tribunalis: quia neque ab ea appellari potest, neque etiã potest mutari: quia, si clauis non errat, statim transit in rem iudicatam, & tollit peccatum, quod reuocari non potest. Si verò clauis errauit, nulla fuit absolutio, neque vnquàm esse poterit. Quoad secundum autem, & tertium potest facilè intelligi in eodem peccato maior, vel minor materiæ subiectio, ratione cuius possit superior imponere subdito onus comparendi coram se, si ab inferiori iudicetur. De secundo id declaro ex his quæ suprà dixi, posse superiorem taxare pœnitentiam imponendam ab inferiori sacerdote pro peccato reseruato: nam in eo iam cernitur quædam minor materiæ subiectio: maior enim potestas conceditur ei, cui libera facultas datur iudicandi, & imponendi pœnitentiam suo arbitrio, quàm ei, cui præfigitur pœna, quam imponat.

24 Posse superiorem sibi reseruare peccati vindictam. Atque hinc vlteriùs intelligitur, posse superiorem ita committere alicui iudicandam causam alicuius peccati quoad culpam, vt tamen illam non omninò deleget quoad castigationem, & vindictam, sed in hoc sibi reseruet quasi vltimum iudicium, non quòd ab inferiori sacerdote imponenda non sit aliqua satisfactio; hoc enim repugnaret integritati sacramenti, sed quòd imponenda sit cum subordinatione ad superiorem, qui vult illam recognoscere, & augere, vel mutare, vel sua auctoritate confirmare, prout expedire censuerit. In hoc enim nulla est repugnantia: quia non est necesse, vt quoad hanc partem iudicium confessoris semper sit supremum: vnde enim hoc habetur, aut quo principio fundatur? Præsertim, quia iudicare cum obligatione imponendi pœnam taxatam ab alio, non est supremi iudicis, sed est iudicis dependentis aliquo modo à iurisdictione alterius. Sed ille modus potest seruari in hoc tribunali: ergo quoad hoc non est necesse confessorem se gerere vt supremum iudicem. Præsertim quia eiusdem rationis esse videtur taxare pœnam imponendam; vel reseruare sibi vltimum iudicium de tali pœna: ergo qui potest primum, potest & secundum. Eò vel maximè, quòd sententia confessoris quoad hanc partem non est immutabilis, vt in superioribus ostensum est: ergo potest superior hanc mutabilitatem, vt sic dicam, sibi reseruare, vt suo iudicio confirmetur. Denique in hoc modo seruationis nullum est ex natura rei inconueniens, neque secundùm diuinum ius est aliquid repugnans institutioni sacramenti, aut remissioni peccati: neque etiam est aliquid contra morem Ecclesiæ, imò est conformis vsui eius, vt declaraui.

25 Dubitationi occurritur. Nec dubitari potest quin potuerit Christus hoc modo concedere potestatem, quam pastores Ecclesiæ habent ad delegandum suam iurisdictionem, vel (vt alij loquuntur) ad subiiciendam materiã inferioribus sacerdotibus. Ac denique hic modus potestatis potest esse valdè conueniens, vt subditi peccare formident, & vt grauiora crimina grauiori iudicio puniãtur, quæ est vna ex rationibus propter quas seruantur peccata, vt colligitur ex Tridentino citato loco: cur ergo negabimus esse in pastoribus Ecclesiæ hanc potestatem? Nam in Euangelio, quantùm spectat ad hãc potestatem iurisdictionis proximæ, vt sic dicam, seu subiectionis materiæ, vt alij loqui volunt, solùm habemus illud verbum Christi, *Pasce ouis meas*, per quod Petro datur hæc potestas, & per illum in alios deriuatur, vt ex suprà dictis constat: cum illis autem verbis non solùm nõ repugnat hæc potestas, verùm etiam maximè quadrat, quia totum hoc spectare potest ad optimum, & conuenientissimum modum regendi, & pascendi oues Christi in spiritualibus. Vnde improbabile profectò censeo hanc potestatem summo Pontifici negare, quòd si ipse illam habet, non est cur illam inferioribus prælatis degenemus: cùm iura hoc non prohibeant: imò Pontifices saltem videndo, & tacendo approbare videntur. Hoc ergo titulo optimè intelligitur posse Prælatum facultatem dare cum prædicto onere, & non aliàs: quia non totaliter committit causam, seu subiicit materiam alteri, sed sibi reseruat vltimum iudicium eius quoad hanc partem. Triden. Ioan.21.

26 Atque ad eundem modum explicari facilè potest tertium membrum suprà propositum, de sententia seu officio confessoris quoad curationem peccati in ordine ad futurum: nam in hoc etiam non est necesse quemlibet confessorem esse supremum iudicem, vel potiùs medicum: cur enim, aut quæ est necessitas; aut ex quo sufficienti principio colligi potest? Nam quoad hoc etiam non est necesse sententiam esse immutabilem, nec consistit, vt sic dicam, in indiuisibili, sed habet latitudinem, & maximè requirit prudens arbitrium: cur ergo non poterit prælatus vltimum iudicium quoad hanc partem sibi reseruare: & ob hanc causam imponere onus subdito coram se comparendi? Et similiter aliæ rationes in secũdo membro factæ, possunt cum proportione hîc applicari. Ac tandem explicatur optimè ex his integra ratio huiusmodi cõcessionis: nam propter periculum permanendi in statu culpæ ex vna parte, & necessitatem seu conuenientiam reseruationis ex altera, prudens superior interdum hoc medio vti potest; vt & facultatem concedat obtinendi absolutionem à culpa, & quoad hoc vltimum & integrum iudicium committat alteri, & nihilominùs sibi reseruet vltimum iudicium causæ quoad emendationem, vel castigationem delicti: quæ duo primò per se ac maximè per reseruationem intẽduntur. Quanquàm enim reseruatio possit etiam conferre ad alios fines, & ad commune bonum; tamen sine aliquo fine intrinseco & proprio ipsius sacramẽti non posset habere locum.

27 Superiores habere potestatem imponendi prædictum onus. Henric. Maior. Adria. Angel. Ex his ergo satis, vt opinor, declaratum est, esse in superioribus potestatem ad imponendum hoc onus subditis ex vi modi limitãdi delegationem, seu subiiciendi materiam inferiori. Quod senserunt Henric. Maior, Adrian. & Angel. locis suprà citatis, quamuis non ita explicauerint, neque opinor alios Auctores contradicere, vt statim declarabo. Hinc enim vlteriùs infero, etiamsi subditus ignoret modum & conditionem iurisdictionis, quando per illam absoluitur, nihilominùs manere obligatum ad comparendum coram superiore, ex defectu potestatis in proximo absoluente ad ferendam vltimam sententiã in illa causa, ex illo capite. Vnde hæc obligatio non oritur propriè ex pacto, sed ex ipsa rei natura, posita tali iurisdictione,

dictione,seu materiæ applicatione,ideoque non pendet ex actuali consensu subditi, neque per eius ignorantiam impeditur. Sicut, licèt aliquis bona fide ex parte sua absoluatur à peccatis reseruatis ab eo, qui non habet facultatem absoluendi, tenetur illa peccata confiteri superiori, etiamsi respectu aliorum peccatorum talis absolutio fuerit valida. Sic ergo in præsenti quantumuis ex parte subditi sit bona fides, sententia non potest excedere modum iurisdictionis: & ideò, licèt fuerit consummata quoad iudicium culpæ, non verò quoad alias partes, ac proinde relinquit obligationem comparendi. Non tamen nego secundùm debitum ordinem debere priùs notificari subdito tale onus, quod maximè videntur voluisse alij Auctores,& meritò:quia, licèt superior possit huiusmodi facultatem concedere, non tamen potest obligare subditum ad vtendum illa: quia non potest obligare illum absolutè ad dicendum peccatum suum duobus: sed solùm potest concedere illud, vt priuilegium quoddam, quo inferior vti possit, si velit, si autem nolit, possit differre confessionem, vt eam coram superiore faciat. Vt ergo satis voluntariè possit vti tali facultate,recta ratio postulat,vt ei manifestetur onus, cum quo tale priuilegium conceditur, alioqui non poterit liberè eligere:si tamen iure,vel iniuria,vel casu accidat ipsum hoc ignorare, nihilominùs delegatio semper facta manet cum prædicta reseruatione: ideoque non impeditur illud onus.

28 Corollariũ primum.

Atque hinc obiter intelligitur primò, quando in aliqua religione per statutum conceditur hæc facultas cum prædicto onere, ex vi illius resultare obligationem sub mortali culpa comparendi coram superiore,etiamsi nec statuta talis religionis soleant obligare in conscientia, neque in tali statuto sint specialia verba præceptiua, præter illa, quæ declarant modum reseruationis,& facultatis.Nam illud statutum non tam præcipit, quàm facit,seu indulget tali modo,supposita reseruatione,quam nõ omninò tollit,sed moderatur, & quoad hoc est efficax tale statutum: quia procedit ex voluntate,& ex potestate, vt ostensum est: posito autem illo effectu,ex natura rei,seu ex ipsa institutione sacramenti sequitur alia obligatio, quæ grauis est ratione materiæ,vt rectè suprà probatum est.

29 Corollariũ secundum.

Secundò intelligitur ex dictis, qua ratione verum sit, quod in quadam confirmatione suprà attingebamus, si contingat subdito post confessionem factam, & ante absolutionem datam declarari onus, quod ei relinquitur, comparendi coram superiore,& nolit illud acceptare, nec proponere illud implere, non esse absoluendum.Ratio enim est: quia ignorantia præcedens non excusat illum à tali onere, licèt absoluatur: ergo si non proponit illud implere, non est dispositus ad recipiendam absolutionem. Poterit ergo talis subditus conqueri, eò quòd non fuerit potestas confessoris ei declarata ante confessionem,vt videret,an sibi expediret ei confiteri; tamen non propterea poterit excusari:quia hæc negligentia, vel malitia non auget potestatem confessoris, ex cuius limitatione prouenit, vt pœnitens relinquatur cum illo onere,seu obligatione.

30 Corollariũ tertium.

Tertiò intelligitur ex dictis,an hæc obligatio,quæ ex hac confessione relinquitur ad comparendum posteà coram superiore, sit ad iteratam confessionem sacramentalem faciendam, nécne. In rigore enim non obligatur pœnitens iterum confiteri, & absolutionem sacramentalem recipere:quia illa non indiget ad remissionem culpæ,& consequenter neque ad implendum diuinum confessionis præceptum, neque ad finem reseruationis est necessaria:tamen, quia hoc est maius commodum pœnitentis supposita priori obligatione, ideò, moraliter loquendo, hoc semper fiet per iteratam confessionem. Potest tamen contingere, vt nolit subditus se iterum disponere ad confessionem faciendam,præsertim si habet nouam materiam necessariam, quanuis non reseruatam; velit tamen se liberare ab illo onere,& coram superiore comparare: & tunc satisfaciet reddendo illi rationem facti commissi, & satisfactionis (si voluerit) aut medicinæ impositæ, & acceptando si quam aliam superior imponendam iudicauerit.Aduerto tamen,in eo casu teneri superiorem ad suscipiendum totum illud sub sigillo confessionis, etiamsi noua sacramentalis confessio tunc non perficiatur: quia tota illa manifestatio est in ordine ad claues, prout pertinentes ad hoc forum sacramentale. Estque illa veluti consummatio quædam sacramentalis iudicij: habet autem ius pœnitens, vt totum iudicium sub eodem secreto consummetur: & ideò nullo modo redundat in maius onus pœnitentis, quòd possit sine nouo sacramento confessionis peccatum suum superiori manifestari.

31 An possit dari facultas sub onere iterum confitendi.

An verò possit talis reseruatio fieri, seu facultas dari sub onere præciso iterum confitendi sacramentaliter tale peccatum superiori, & recipiendi ab illo absolutionem, quæstio est parui momenti, & quæ ad praxim,& moralem vsum nihil ferè refert. Posset autem id affirmari hoc titulo, quòd superior habet ius imponendi satisfactionem sacramentalem; & quia, cùm in hoc ipso exerceat actum clauis pertinentem ad hoc forum, rationabiliter potest nolle illud exercere,nisi perficiendo hoc sacramentum. Nec per hoc cogit subditum absolutè bis confiteri idem peccatum, sed solùm sub conditione, si voluerit priùs ab inferiori absolui. Nihilominùs tamen oppositum videtur verius,propter rationes factas: quia non potest in hoc maius onus imponi, quàm sit necessarium ad finem reseruationis. Item:quia non est cogendus pœnitens,vt si aliqua peccata non reseruata posteà commisit, illa superiori confiteatur. Communiter tamen illa manifestatio,quæ fit superiori, appellatur confessio, vel quia regulariter subditus eligit medium confessionis tanquam sibi vtilius: vel quia semper dicitur vt materia confessionis, & sub sigillo: quanquam ad hoc etiam non obligetur pœnitens,cùm possit cedere suo iuri, nec est timendum quòd à superiore cogatur:nam prælati regulariter hæc vellent audire sine obligatione sigilli.Quapropter, non omnino probo quod ait Soto d. 18. quæstione secunda, articulo quinto, §. *Descendendo*, neminem posse compelli in foro pœnitentiali peccata sua detegere, nisi propter absolutionis beneficium: Nisi id intelligatur de obligatione absoluta: nam si sit ex suppositione voluntaria, id non repugnat, vt ex dictis satis constat: & iterum etiam dicetur disput.seq.sect.1.quia quãdo confessio incipit à superiore, qui non est daturus absolutionem,satis est quòd talis manifestatio ad sacramenti,seu iudicij complementum ordinetur.

Soluitur quæstio.

32 Corollariũ vltimum. An prædictũ onus possit imponi in articulo mortis. Durand. Palud.

Vltimò intelligitur ex dictis,quid dicendum sit de articulo mortis, an pro illo possit etiam imponi hoc onus secluſa censura (hoc enim suprà in hunc locum remisimus) in eo enim casu probabile est hoc fieri non posse.Quod,præter Durandum suprà, tenet Paludan.d.20. quæstione prima, articulo secundo, conclus. 3. Et potest fundari: quia pro illo articulo plena iurisdictio est iure diuino concessa omnibus sacerdotibus. Sed hoc fundamentum falsum est, vt suprà vidimus. Paludan. autem solùm fundatur in eo, quòd nemo potest obligari ad hoc, vt bis necesse habeat confiteri, seu (quod perinde est) bis peccatum suum manifestet. Quæ ratio pro illo articulo mihi videtur probabilis: quia pro illo talis necessitas non est ex suppositione, sed simpliciter:extra illum enim casum hæc necessitas non est absoluta, sed voluntaria: quia

subditus

subditus simpliciter non obligatur ad confitendum
priùs inferiori sacerdoti, sed potest expectare superiorem: in articulo autem mortis omninò tenetur confiteri cui potuerit: & ideò, si tunc obligaretur cum dicto onere, simpliciter cogeretur dicere duobus peccatum suum: quod est certè grauissimum, & intolerabile onus. Et quoad hoc fauet vsus Ecclesiæ: nunquàm enim in illo articulo talis modus reseruationis introductus est, secluſa censura, de qua est specialis ratio; quia includit pœnam pertinentem ad forum contentiosum. Est ergo hæc pars probabilis, quanuis dubia: nam iuxta principia posita facilè defendi potest, etiam pro illo articulo non deesse in Ecclesia potestatem, & illam necessitatem, quæ inde oritur, vt idem peccatum duobus innotescat, accidentariam esse, ac propterea non esse inconueniens, quòd in aliquo casu sustinenda sit. Sicut contingit quando confessio facienda est per interpretem. Quidquid verò sit de absoluta potestate, de facto, reseruatio pro illo articulo nunquàm hoc modo fit, & malè faceret prælatus infra summum Pontificem, qui hoc facere tentaret. Secus verò est de quolibet alio casu extra articulum mortis, etiamsi occurrat quælibet alia necessitas, vt communicandi, faciendi sacrum, vel alia simili. Semper tamen existimo in his casibus esse liberum pœnitenti non confiteri inferiori sacerdoti (per se loquendo, & secluso scandalo) sed se gerere tanquàm qui non habet copiam confessoris: quia sicut extra articulum mortis nullus obligatur confiteri per interpretem, ita nec obligabitur confiteri cum onere manifestandi suum peccatum pluribus sacerdotibus: semper ergo se habet hoc tanquam priuilegium, cuius vsus voluntarius existit.

A

B

C

## DISPVTATIO XXXI.

### *De modo absoluendi à casibus reseruatis.*

SVPERIVS cùm de integritate confessionis ageremus, promisimus hoc loco explicare, an occasione casuum reseruatorum liceat interdum integritatem confessionis prætermittere. Hoc ergo in præsenti disputatione à nobis implendum est: & ea occasione simul declarabimus, quando possit inferior sacerdos absoluere pœnitentem, etiamsi non habeat iurisdictionem in peccata reseruata.

D

## SECTIO I.

### *Vtrum Superior, auditis in confessione solis peccatis reseruatis, possit ab eis sacramentaliter absoluere, & reliqua inferiori committere.*

1 Prima opinio affirmatiua. Caietan.

D. Anton. Palud. Richard. Henric. Soto. Pet. Sotus. Nauar. Gerson.

EST opinio valdè communis, posse hoc fieri licitè, & validè: & significat Auctores huius sententię id licere per se, & ordinariè, absq; alia causa. Ita tenet Caiet. verb. *Confessio*, cõditione 10. dicitq; esse consuetudinẽ Romanam, neque oportet sapere plusquàm oportet, eã in dubiũ reuocando. Idẽ D. Antoni. 3. q. titul. 14. c. 19. §. 6. Palud. in 4. d. 17. q. 5. Richard. ibi art. 2. q. 8. ad 2. Henric. quodlib. 1. q. 29. Sot. d. 18. q. 2. art. 5. addit tamen, *ex rationabili causa*: absolutè Petrus Soto lect. 10. de Confessione. Nauar. in c. *Consideret*, §. *Cautus*, numer. 12. & 18. de Pœnit. d. 5. Gerson Alph. 33. lit. N. Omnes fundantur solum in consuetudine: & addunt, pœnitentem sic absolutum teneri ad confitendum posteà inferiori sacerdoti integrè, etiam de reseruatis, vt fiat confessio integra. Vnde infert consequenter Nauarrus, ex priori confessione, & absolutione nondum fuisse consummatum sacramentum, & consequenter nec datũ effectum, sed ex vtraque confessione, & absolutione confici vnum sacramentum, quod suum effectum habet, quãdo inferior absolutionem consummat.

E

Secunda sententia est, per se loquendo, hoc non posse fieri, sed superiorem debere, aut integram confessionem audire, aut sacramentaliter non absoluere. Tenet Adrian. q. 5. de Confessione. Sylvest. verb. *Confessio*, 1. q. 19. Victoria in Summa, n. 149. & 162. Cano dicta Relectione p. 5. circa fin. Viguerius in Summ. c. 16. §. 4. vers. 77. Medin. verò dict. quæstione 14. de Confessione casuum reseruatorum, mediam quandam opinionem sequitur, scilicet, confessionem hãc debere fieri integrè; superiorem tamen posse non integrè absoluere, sed dare absolutionem à solis reseruatis, & aliorum absolutionem remittere ordinario confessori. Hãc verò opinionem improbabilẽ cẽseo.

2 Secũda sententia negatiua. Adrian. Sylvest. Victor. Cano. Viguer. Tertia opinio media. Medin.

### *Teneri superiorem ab omnibus absoluere, si omnium confessionem audiuit.*

DICO ergo primò, Si superior audit omnia peccata, tam reseruata, quàm non reseruata, ab omnibus tenetur absoluere pœnitentẽ, neque aliter potest absolutionem præstare. Probatur: quia in primis id non potest iustè fieri: aut enim pœnitens est dispositus ad recipiendam absolutionem, vel non, si non est, à nullo peccato debet absolui, si est, ab omnibus est absoluendus: nec potest obligari, vt aliquod peccatum alteri confiteatur. Deinde, integritas tam est necessaria in absolutione, quàm in confessione: imò in hac requiritur propter illam: ergo, si in confessione requiritur integritas, cur non magis in absolutione? Præsertim, quia post factam integram confessionem nulla potest esse causa rationabilis ad dimidiandam absolutionem. Denique (propter quod dixi aliud esse impossibile) vel ille confessor habet intentionem conficiendi sacramentum, vel non, si nõ habet, nullum peccatum remitti, si habet, velit, nolit, omnia peccata remittit, si alius non ponit obicem: quanuis enim valor sacramenti pendeat ex intentione ministri, tamen posito sacramento, effectus eius non pendet ex illius voluntate: quia sacramentum iam agit per modum causæ naturalis, iuxta dispositionem recipientis: hic autem recipiens dispositus est, vt per se & directè remittantur illi omnia peccata per sacramentum.

3

4 Obiectio.

Dices in potestate ministri est conficere sacramentum ex hac parte materiæ, & non ex illa, vt ex hac aqua, & non ex illa, vt potest consecrare hanc partem hostiæ, & non illam: ergo similiter potest velle conficere sacramentum ex hac parte confessionis, & ita illa peccata directè remittere per absolutionẽ, & non alia. Respondetur primùm, antecedens procedere, quando materia, vel quantitas eius non est iure diuino determinata, sed per intentionem ministri determinari debet: at verò in præsenti materia hæc est determinata iure diuino: nam tota illa confessio est materia, & præsertim si sit de mortalibus peccatis, est, per se loquendo, materia necessaria: & ideò cùm minister intendit applicare formam, non potest excludere partem materię. Deinde est alia differentia: quia in aliis sacramentis materia applicatur ex intentione ministri: hîc autem ipse suscipiens, est quia applicat materiam; & ita hoc totum pendet ex intentione eius,

Soluitur.

Differentia inter materiam confessionis, & aliorũ sacramentorum.

eius,ad ministrum autem pertinet inducere formam. Necessariò ergo si vult perficere sacramentum, conficit illud ex tota illa confessione peccatorum,& forma: ergo necessariò etiam remittit per se & directè omnia peccata.

5 Subterfugiũ excluditur.

Quod tandem videtur fateri Medina, quantùm ad remissionem coram Deo: dicit tamen illa peccata non remitti in foro Ecclesiæ: quia manet obligatio ea confitendi inferiori. Sed falsum hoc est, & repugnans priori dicto: quia talia peccata directè & per se absoluuntur; neque est vlla ratio illam obligationem imponendi, neque alius tenetur eam acceptare. Tandem, si hoc esset in potestate Episcopi, seu alterius prælati sine alia causa, etiam nunc confessor ordinarius, verbi gratia Parochus, posset audita integra confessione sui parochiani, non illum integrè absoluere,sed tantùm de quibusdã peccatis,& pro reliquis eum mittere ad doctiorem alium sacerdotem: quod per se constat esse absurdissimum loquendo de absolutione sacramentali:nam secus est remittere ratione consilij,aut alterius remedij. Sequela verò pater, quia neque hoc est magis contra ius diuinum in Parocho, quàm in Episcopo, neque etiam assignari poterit speciale ius Ecclesiasticum, quo vni magis quàm alteri prohibeatur.

---

## *Sine necessitate non posse superiorem partem confessionis audire.*

6 Dico secundò, absque speciali necessitate, vel causa rationabili non potest superior audire solam confessionem casuum reseruatorum, & de illis solis sacramentaliter absoluere. Probatur primò: quia hoc per se est contra ius diuinum, scilicet dimidiare confessionem: ergo sine rationabili causa non licet. Item, si non præcessisset reseruatio, non posset superior quædam peccata grauiora audire,& absoluere,& alia omittere: sed reseruatio non contulit illi aliquod nouum ius. Prætereà inferiores habentes priuilegium seu potestatem delegatam ad absoluendum à reseruatis, non possunt vti illo modo cõfitendi: ergo nec prælati poterunt, quia potestas delegantis, & delegati eadem censetur: neque illi habent à Christo Domino peculiarem aliquam facultatem, vel licentiam. Antecedens constat ex vsu Ecclesiæ: aliàs possent nunc Religiosi habentes talia priuilegia illo modo absoluere à reseruatis. Simile argumentum potest hîc fieri de quolibet Parocho, quòd nimirum possit grauiora peccata sui parochiani audire: & reliqua coadiutori seu capellano remittere, etiamsi nulla reseruatio præcesserit: quia reseruatio, vt dicebam, nullum nouum ius aut potestatem confert. Neque etiam in hoc est maior prohibitio diuina, aut humana pro Parocho, quàm aliquo superiore prælato. Quocirca non credo esse in Ecclesia Romana illam consuetudinem, quam alij Auctores proferunt: nam Sylvest. eam negant, & mihi ferè constat nunc non esse. Sed quæret aliquis, si superior id faciat, an factum teneat, estò malè faciat. Respondeo, si pœnitens bona fide procedat,& sit dispositus, factum tenere: quia concurrunt omnia substantialia ad valorem sacramenti: nam illa confessio iam est integra formaliter supposita bona fide pœnitentis.

Dubium diciditur.

7 Tertia assertio. Ex necessitate posse. Aliquorum sententia reiicitur.

Tertiò dicendum est, ex graui causa & necessitate posse interdum superiorem absoluere illo modo à reseruatis. Probetur ex suprà dictis: quia non solùm necessitas ex parte pœnitentis, sed etiã ex parte confessoris sufficere potest, vt materialis dimidiatio confessionis licitè fiat. Existimo tamen ad hanc necessitatem non sufficere, quod alij Auctores censent, cõmunem negotiorum multitudinem, quam hi prælati superiores habere solent. Primò, quia hæ confessiones de reseruatis non sunt adeò frequentes; & hoc est vnum de grauioribus negotiis ad ipsos pertinentibus. Secũdò, quia meliùs est delegare iurisdictionẽ suam, si dignè,& sufficienter possunt. Tertiò, si iudicent necessarium audire pœnitentem de peccatis reseruatis, & reuerà sit graue onus totam confessionem audire, non absoluant sacramentaliter; sed imponant pœnitentiam & medicinam, & reliqua inferiori remittant. Dices, hoc esse graue onus pœnitentis: quia cogetur iterũ illa peccata confiteri. Respondetur, etiam Auctores primę sententiæ nõ liberant eum hoc onere, nos autem dicimus ex pluribus incommodis pauciora eligenda esse. Quapropter, si pœnitens vult statim audiri à suo superiore, & alioqui superiori propter occupationes non vacat totam eius confessionem audire, necesse est, vt sustineat onus comparendi tunc coram superiore ad satisfactionem exhibendam, seu accipiendam, & posteà integrè confitendi inferiori sacerdoti. Sicut suprà dicebamus aliquando priùs confiteri integrè sacerdoti inferiori, & nihilominùs obligari ad comparendum posteà coram superiore: hæc enim accidentaria sunt,& partim ex culpa, partim ex voluntate ipsius pœnitẽtis proueniunt, adiunctis aliis impedimentis humanis, quæ non semper poterunt præueniri. Dixi autem, *Si pœnitens vult statim coram superiore comparere*: quia si ipse nolit suam conscientiam superiori aperire, nisi in confessione sacramentali, & in ordine ad absolutionem ab eo recipiendam, ita vt non cogatur eadem peccata alteri manifestare, profectò habet ad hoc ius, potestque suam manifestationem differre, donec prædicto modo audiatur: quia, vt sæpè diximus, non potest simpliciter obligari ad suum peccatum pluribus iudicibus manifestandum,

Obiect. Soluitur.

8 Quocirca, si ex parte pœnitentis instet vera necessitas moralis non differendi ampliùs suam confessionem sacramentalem, & ex parte superioris sit etiam hîc & nunc verum impedimentum, vt non possit totam confessionem audire: rursusque talis sit causa culpæ reseruatæ, vt secundùm prudentem existimationem non possit moraliter, vel non expediat alteri causam delegare, his omnibus concurrentibus,& subdito sacramentalem confessionem postulante, poterit superior auditis solis peccatis reseruatis absolutionem dare: quia iam ex illis omnibus consurgit sufficiens ratio, ob quam illa dimidiatio non formalis, sed materialis tantùm censeatur. Quia ergo rarissimum est, illa omnia simul concurrere, ideò etiam rarò accidet, vt propter hanc causam liceat confessionem dimidiare. Hinc autem rectè colligitur, sicut hoc licet superiori prælato, ita posse licere inferiori sacerdoti habenti iurisdictionem delegatam supra reseruata, si alioqui ex parte illius, & aliarum circunstantiarum similis necessitas occurrat: quæ necessitas aliqua ex parte potest esse maior in delegato: quia non potest vices suas alteri committere; quanuis aliunde in superiore Prælato, propter grauiores occupationes, frequentiùs possint impedimenta interuenire. Aduerto denique, licèt superior non audiat casum reseruatum ad absoluendum sacramentaliter ab illo, sed solùm ad satisfactionem imponendam,& remittendam absolutionem inferiori, nihilominùs posse, & debere sub sigillo confessionis audire, cuius oppositum indicat Caietanus, sine causa: nam ad sigillum sufficit, quòd quacunque ratione res dicatur in ordine ad inchoandã, vel cõsummandã cõfessionẽ alicui, vt iudici habẽti potestatẽ clauiũ in hoc foro, vt in fine præcedentis disputationis tactũ est, & dicetur latiùs infrà in disputatione de sigillo.

Caietanus reprobatur.

Ex

9 Corollarium primum.

Ex his autem infero primò, quoties licitum est superiori absoluere sacramentaliter de solis reseruatis, ex tali confessione, & absolutione verum perfici sacramentum, distinctum ab alio, quod posteà ab inferiore confertur: quia illa confessio est integra formaliter, & in eam cadit absolutio: ergo constituitur sacramentum: & posteà sequitur alia confessio etiam integra, & alia absolutio: ergo. Vnde fit, primum sacramentum statim habere suum effectum ex opere operato, si subiectum sit dispositum: quia hoc est intrinsecum cuilibet sacramẽto: neque oportet vt pœnitens sit cõtritus (quidquid Richard. & Palud. Gabr. & Henric. dixerint) sed satis erit si fuerit attritus de omnibus peccatis, ostendimus enim suprà, hoc sacramentum facere de attrito contritum, etiam illum, qui alicuius peccati mortalis in confessione obliuiscitur: eadem autem ratio est de omni illo, qui ex causa rationabili, vel ex quacunque impotentia aliquod peccatum in confessione omittit: est enim eadem ratio, vt ex ibi dictis constat. Vnde etiam infero, per confessionem posteà factam inferiori, & per absolutionem, nouum sacrementalem effectum conferri: quia est alterius sacramenti susceptio digna, vt suppono.

Corollariũ secundum.

10 Corollariũ vltimum.

Vltimò infero contra Auctores primæ opinionis, in eo casu, in quo pœnitens sacramentaliter absoluitur ritè & rectè à solis reseruatis à suo superiore, vel ab habente potestatem, non teneri ampliùs illa peccata confiteri; sed satisfacere integritati confitendo reliqua, quæ tunc confiteri non potuit. Probatur: quia in omni alio casu, in quo pœnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliuionem, vel sine obliuione propter rationabilem causam, siue ex parte pœnitentis; siue ex parte ministri ortam, non tenetur ampliùs confiteri illa peccata, quæ illo modo confessus est, & à quibus est per se & simpliciter absolutus: ergo idem erit in præsenti, est enim eadem ratio, nimirum: quia ille pœnitens coram Deo, & Ecclesia absolutus est directè, & per se virtute clauium, & ab habente absolutam iurisdictionem: ergo nulla est ratio imponendi illi hoc onus. Ait Caietanus confessionem integram esse faciendam confessori, non confessoribus: hoc autem non seruari, nisi illa peccata simul cum aliis eidem posteà dicantur. Si tamen hæc ratio valida esset, quoties aliquid in confessione rationabiliter tacetur, obligandus erit pœnitens, vt, quãdo alteri confitetur illud quod tacuit, omnia repetat quæ alteri confessus fuerat, vt confessio fiat integra confessori, & non tantùm confessoribus: hoc autem planè falsum est. Dico ergo illud esse verum per se loquendo: ex accidenti verò satis esse, quòd omnia peccata clauibus subiiciantur, etiamsi confessores distincti sint.

Caiet.

## SECTIO II.

### *Vtrùm inferior sacerdos possit absoluere eum pœnitentem, qui habet casus reseruatos, per se & absque alia necessitate, priùs quã à Superiore absoluatur.*

1

EXPLICVIMVS modũ, quo potest absolui à superiore is, qui habet peccata reseruata: nunc explicandũ est, quomodò possit absoluiab inferiori, vel simpliciter, id est, quãdo nulla specialis occasio occurrit, sed iure ordinario fit cõfessio, vel in casu specialis necessitatis, de quo dicemus sectione sequẽte. Est igitur sententia dicens, posse ordinariũ confessorẽ absoluere huiusmodi pœnitentem, dummodò ille intelligat manere obligatum ad confitendum superiori peccata reseruata, idque facere proponat. Solet attribui D. Thom. 4. d. 17. quæstione tertia, articul. 4. quæst. 2. ad 4. Vbi Durandus quæst. 15. num. 8. dicit hanc esse consuetudinem Ecclesiæ. Eandem sententiam significant ibidem Palud. quæst. 5. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. Maior q. 5. Almain. q. 1. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 18. §. 6. Gerson Alph. 33. lit. E. & Alphab. 41. lit. G. Syluest. *Confessio.* 1. q. 19. Angelus *Confessio.* 5. n. 9. Medina dict. Cod. quæst. 13. de integritate confessionis. Nauarr. in cap. *Considereet*, §. *Cautus*, num. 10. & sequentib. de Pœnitent. d. 5. Viguerius in Summ. cap. 16. §. 4. vers. 17. Petrus Soto lect. 10. de confessione, Henric. quodlib. 1. quæstion. 29. & 30. indicat etiam Alexand. Alens. 4. part. quæst. 77. membr. 5. art. 2. ad vlr. aliàs quæst. 18. membr. 4. art. 5. §. 2. ad vltimum.

D. Thom. Durand. Palud. Gabr. Maior. Almain. D. Anton. Gerson. Sylvest. Angel. Medin. Nauar. Viguer. Pet. Sotus. Henrich. Alens.

Communis opinio affirmatiua.

B Qui inter omnes singulariter dicit, posse pœnitentem confiteri tunc solùm ea peccata, quæ subsunt iurisdictioni talis confessoris, reliqua reseruando superiori: quod non censet improbabile Petrus Soto, quanuis magis adhæreat aliorum sententiæ dicẽtium, debere tunc pœnitentem omnia confiteri, licèt solùm possit à quibusdam directè absolui.

Allegant isti Auctores in suum fauorem consuetudinem. Sed reuerà nulla est talis consuetudo, quam ego viderim, vel audierim. Quidam verò eorum in hoc præterea fundantur: quia absolutio sacerdotis per se non tollit culpam, sed supponit per contritionem ablatam: directè autẽ tollit obligationem confitendi, & remitti aliquam partem pœnæ temporalis: vtrumque autem horum potest fieri circa quædam peccata, licèt non fiat circa omnia, quia in hoc C non sunt peccata connexa, ergo non oportet vt absolutio sit integra. Sed hoc fundamentum est improbabile. Ostensum est enim suprà absolutionem sacerdotis per se primò tendere ad absolutionem culpæ: & reuerà, si fundamentum illud procederet, non minùs probaret, integritatem non esse de necessitate cõfessionis, quàm absolutionis. Alij verò in hoc fundantur quòd licèt absolutio per se remittat culpam, & ideò necesse sit vt vel tollat omnem culpam mortalem, vel nullam; tamen non est necesse, vt per se tollat omnia peccata, sed potest quædam per se auferre, alia per accidens: ergo ita poterit fieri in dicto casu.

3 Secũda sententia probatur.

Secunda sententia docet, in casu, in quo loquimur, D non posse inferiorem sacerdotem sacramẽtaliter absoluere pœnitentẽm, sed debere illum ad superiorem remittere. Ita tenet Richard. d. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. Adrian. q. 4. de Cõfessione. Durand. d. 17. q. 15. Sot. d. 18. quæst. 2. art. 5. Cano. dict. Relect. p. 5. Ledesm. 2. p. 4. q. 8. art. 3. dub. 3. Et fortasse priores Auctores hoc non negarent: nullus enim ferè illorum distinctè explicat posse hoc facere inferiorem sacerdotem extra casum omnis necessitatis: sed solùm absolutè loquuntur, dicentes posse absoluere hoc modo: intelligi autem possunt, vel debent; si adsit rationabilis causa, vel necessitas, iuxta ea, quæ infrà dicemus. Quocirca hac posterior sententia videtur mihi omninò vera, neque alteram posse cum probabilitate, & securitate in praxi seruari, nisi ad summum in casu necessitatis, iuxta ea, quæ dicemus sectione sequenti. Probatur autem hoc modo.

Richard. Adrian. Durand. Soto. Cano. Ledesm.

4 Duobus modis posse intelligi quæstionem. Primus modus.

Dupliciter intelligi potest, inferiorem sacerdotem absoluere hunc pœnitentem: primò, absoluendo directè & per se à casibus reseruatis sub onere comparendi: secundò, absoluendo directè tantùm à non reseruatis, & alia per accidens tollendo, sicut oblita. Prior modus habet quidem locum, si à superiori cõcedatur facultas iuxta superiùs dicta, tamen seclusa facultate est omninò improbabilis, neque ab vllo Auctore dictarũ opinionum asseritur. Aliàs inde se-

queretur, per reseruationem non tolli iurisdictionem in peccata reseruata, sed solùm limitari, vt non sit ad absoluendum simpliciter, sed sub onere comparendi. At hoc expresse repugnat Concilio Trid. dicenti, inferiores sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis: nã si absoluere directè possunt ab illis, quanuis sub onere, multùm possunt. Item subdit, *Id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores accedant.* At verò si prius absoluere eos possent à reseruatis, non tantùm eos persuadere deberent. Prætereà in principio illius c.7. apertè supponit, reseruationem fieri per subtractionem iurisdictionis: idque etiam satis constat ex omnibus dictis, & ex vsu. Deniqúe, superior reseruãs pro aliquo casu speciali, solet dare facultatem absoluendi sub illo onere comparendi, vt suprà visum est: ergo signum est reseruationem per se plus includere, & omnino tollere iurisdictionem donec restituatur.

5 Secundus modus.

Quæstionis resolutio.

Posterior modus non repugnat ex parte iurisdictionis: & ideò non ita opponitur Coniclio Trid. in illo loco, & in hoc sensu loquuntur auctores prioris opinionis, sed piè exponendi sunt, interueniente aliqua necessitate, iuxta dicenda sect. seq. Alioquin repugnat tale factum integritati sacramenti: nam hæc est de iure diuino, & ideò nunquam licet illam sine cogente causa prætermittere: in illo autẽ casu confessio non est integra: ergo non fit licitè illo modo. Probatur minor, primò quia licèt ille pœnitens proferat peccata omnia: tamen re vera in ordine ad sacramentum confessio non est integra: quia sacramẽtalis cõfessio non est quælibet manifestatio peccati, sed est accusatio sui coram legitimo iudice: illa verò confessio magna ex parte non est accusatio coram legitimo iudice: ergo non est integra confessio sacramẽtalis, & consequenter nec absolutio est integra: quia nõ est sententia prolata à iudice habente iurisdictionem pro integra causa. Vnde non satis est quòd ipsum sacramentum possit per accidens & indirectè tollere aliqua peccata: quia nunc non agitur de effectu sacramenti, sed de integritate: illud autem nec satis est, nec refert ad integritatem sacramenti. Et potest confirmari hæc sententia primò: quia aliàs qui haberet peccata venialia, & moralia, posset confiteri simplici sacerdoti habenti iurisdictionem super venialia tantùm, saltem in confessione quæ fit extra tempus præcepti, & cum proposito confitendi mortalia suo tempore habenti iurisdictionem circa illa. Consequens verò est falsum: ergo. Sequela patet: quia in ea confessione sacerdos habet iurisdictionem circa aliquam partem materiæ, & conferendo gratiam per absolutionem, etiã tollet indirectè mortalia. Et simili argumento inferri potest, posse simplicem sacerdotem absoluere eũ, qui habet peccatum mortale reseruatum, si illud simul cum aliquo veniali confiteatur, quod videtur magnum inconueniens. Confirmatur secundò: quia sequitur posse in eo casu pœnitentẽ cõfiteri peccata non reseruata, tacendo reseruata, vt ea postea superiori confiteatur: quia ille confessor non est iudex talium peccatorum, nec confessio illorum est sacramentalis, nec pars sacramẽti: ergo non est necessaria & ita concedit Alensis, ac Per. Soto censet probabile; sed reuera non est: quia tunc dimidiaretur confessio sine vlla causa rationabili. Et hæ duæ confirmationes vltimæ valent ad soluendum fundamentum contrariæ sententiæ: an verò simpliciter efficaces sint, posteà videbimus. Eadem verò argumenta fieri possunt ex parte absolutionis: quia non minùs est de iure diuino integritas absolutionis, quàm confessionis: illa autem absolutio non est integra: quia non cadit in omnia peccata confessa, cùm non procedat ex potestate iurisdictionis in illa omnia: ergo non potest esse per se licita sine vlla vrgente occasione, vel necessitate, quia tunc nec materialiter, nec formaliter seruatur integritas. Maior propositio manifesta est ex Concilio Tridentin. sess. 14. capit. 5. & ex suprà dictis de integritate confessionis. Vbi ostendimus, ideò in confessione, seu accusatione necessariam esse integritatem: quia sententia, & absolutio per se postulat, vt sit de omnibus peccatis: ergo iuxta regulam dialecticam magis est necessaria integritas in absolutione, quàm in confessione.

Triden.

Sententia hęc probatur. Primò.

Probatur secundò.

Sed quæres, vtrum, si absolutio hoc modo detur, factum teneat: & quidem si à pœnitente non suscipiatur bona fide, certum est non tenere factum: quia & ponitur tunc obex sacramento: & confessio nullo modo est integra. Difficultas verò est, quando pœnitens bona fide absoluitur. Videtur enim etiam tunc non valere absolutio: quia est sententia lata à non legitimo iudice. Nihilominùs censeo in illo casu sacramentum esse validum: quæ est sententia communis in 4.d.17. vt notauit Nauar. in Summ. c.9. numer.7. & sentit Caiet. verb. *Confessio*, c.vlt. Itaque si hoc modo quis bona fide confitetur, & absoluitur, nõ tenebitur iterum confiteri peccata non reseruata, sed de reseruatis confiteri suo superiori. Ratio est: quia tunc pœnitens formaliter bona fide confitetur integrè, & sacerdos habet iurisdictionem super confessionem illam, quatenus sacramentalis est; & ideò nihil obstat quominùs sacramentum perfici possit. Confirmatur, & explicatur: quia vel ad valorem sacramenti necessarium est, vt minister habeat iurisdictionem super omnia peccata, quæ pœnitens in re ipsa habet, vel non. Primum dici non potest, aliàs qui haberet peccata reseruata omninò oblita, nõ absolueretur validè ab eo, qui non habet iurisdictionẽ in reseruata; quod nullus hactenus dixit. Si autem nõ requiritur iurisdictio in omnia, quæ sunt in re, sufficiet iurisdictio circa aliqua, quotiescunque bona fide fit confessio.

6 Dubiũ soluitur.

Potior difficultas.

Deciditur. Nauar. Caiet.

Dici posset, non requiri iurisdictionem in omnia, quæ sunt in re, requiri tamen in omnia, quæ pœnitens dicit. Et ratio differentiæ reddi potest, quia minister non fert iudicium de oblitis, fert autem de omnibus, quæ dicit pœnitens: & non potest ferre iudiciũ de quibusdam, & non de aliis. Sed hoc non satisfacit aliàs sequitur, si quis bona fide confiteatur reseruata cum non seruatis, existimans nulla esse reseruata, illum non manere absolutum, & tamen eũ, qui propter obliuionẽ omittit aliquod reseruatum vel rè absolui, quod est contra omnem rationem. Et similiter, qui adhærens opinioni Alensi confiteretur non reseruata, tacendo thesaurum, maneret absolutus, & qui confiteretur omnia, non maneret absolutus, quòd planè absurdum est. Denique illa differentia non est materialiter, sed formaliter attendenda, quanuis autem huiusmodi pœnitens dicat omnia peccata sua coram hoc sacerdote, non tamen omnium confessio est sacramentalis, seu pars sacramẽti, sed illorum tantùm, quæ subsunt iurisdictioni talis sacerdotis, & super alia cadit directè absolutio, & de illis in re iudicat sacerdos: ergo si aliàs propter bonam fidem tollatur impedimentum, & confessio illa sit formaliter integra, fit sacramentum.

7 Obiectio.

Diluitur.

Hîc verò occurrebat statim difficultas: nam sequitur pari ratione dicendum esse, confessionem factam bona fide simplici sacerdoti de venialibus, & mortalibus peccatis, validam esse, etiamsi sacerdos ille iurisdictionem non habeat in peccata mortalia: nam est eadem ratio, & proportio. Consequens autem videtur creditu difficile: quia in tali sacerdote nõ videtur esse potestas ad reconciliandum hominem cum Deo. Sed nihilominùs tam illationem, quàm consequens censeo esse valdè probabilia: quia non dubito, quin confessio facta huiusmodi sacerdoti de solis venialibus

8 Difficultas.

Soluitur.

ni libus etiamsi pœnitens habeat mortale inculpabiliter oblitum, valida sit, & hominem sanctificet, ac Deo reconciliet virtute sacramẽti. Vnde, licèt ille sacerdos nõ habeat iurisdictionem ad reconciliandum hominem Deo, per se iudicando de mortalibus peccatis; tamen quatenus habet potestatem ad conficiendum tale sacramentum, mediante illo potest hominem sanctificare, & consequenter mortale peccatum expellere, etiamsi ab illo per se non absoluat: ergo idẽ dici poterit, etiamsi peccatum mortale non sit oblitum, sed bona fide in confessione propositum: quia hoc non impedit quominùs ex illa confessione, quatenus in re legitima est, & absolutione fiat verum sacramentum. Sed de hac re iterum redibit sermo sect. sequent.

## SECTIO III.

*Vtrùm in aliquo casu necessitatis possit inferior sacerdos absoluere eum, qui habet casus reseruatos, antequàm coram superiore compareat.*

1 Quæ necessitas hîc intelligatur.

NOn tractamus de articulo extremæ necessitatis, seu periculo mortis, sed de alijs occurrentibus: in quibus necesse est aut implere præceptum annuæ cõfessionis, aut communicare, vel sacrum facere, ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia; & pro tunc non patet aditus ad superiorem. Hoc ergo supposito sunt in hac re tres opiniones. Prima simpliciter negat posse hominem in eo casu absolui ab inferiore. Tenent Richard. Durand. Adrian. locis citatis sectione præcedenti. Et habent grauia fundamenta, quæ infrà videbimus. Dicunt tamen isti Auctores, in eo casu posse hominem accedere ad communionem, vel ad faciendum sacrum cum sola contritione, tanquàm qui non habet copiam confessoris. Secunda opinio simpliciter affirmat posse tunc absolui: quæ est ferè omnium. Alen. Palud. Gerson. & aliorum, quos ibidem citaui, qui indifferenter loquuntur. Solus Angelus explicuit, hoc fieri posse, etiamsi peccatum habeat excommunicationem annexam. Tertia opinio distinguit, quòd si peccatum est reseruatum sine censura, poterit absolui pœnitens, non tamen si excommunicatio adiuncta sit: quia hæc non potest tolli in eo casu, & quandiu non aufertur, homo est incapax absolutionis sacramentalis. Ita Cano, Soto, & Ledesma, qui nihilominùs admittunt, posse hominem in huiusmodi casu, etiamsi occultè excommunicatus sit, accedere ad Communionem, propter vitandum scãdalum, vel grauem infamiam.

Prima opinio.

Richard. Durand. Adrian.

Secunda. Alens. Palud. Gerson. Angel.

Tertia.

Cano. Soto. Ledes.

2 Secunda sententia probatur.

Mihi inter has opiniones placet secunda, si rectè declaretur, & confirmetur. Duobus enim modis intelligi potest fieri hæc confessio, & absolutio: primò, per iurisdictionem ad absoluendum directè, & per se à peccatis reseruatis, quanuis non sine onere comparendi corã superiore. Nam hoc modo & subuenitur necessitati subditi, & seruatur rigor intentus per reseruationem; & ideò benignè interpretamur, hanc esse voluntatẽ superioris reseruantis. Quòd si hoc verum est, etiam extendenda est hæc interpretatio ad casus habentes excõmunicationẽ annexã: quia, si dare creditur superior iurisdictionem ad absoluendum à culpa, cõsequenter etiam à censura, cum hæc debeat antecedere. Et in hoc sensu hæc sentẽtia est mihi maximè dubia, & in rigore non videtur vera, propter dicta in præcedente disput. sect. 3. ibi enim probabiliùs duximus, extra casum articuli mortis non habere inferiores sacerdotes huiusmodi licentiã, nisi in casibus Pontificiis, qui in iure exprimuntur, vbi etiã declaramus hoc esse magis consentaneum Concilio Trid. & nullum esse fundamentum sufficiens ad id asserendum, & solæ coniecturæ in re tam graui, & quæ pendet ex libera voluntate concedentis hanc iurisdictionem, non sufficiunt.

3 Explicatur sententia in vero sensu.

Meliùs ergo, & probabiliùs asseritur dicta sententia posteriori modo, & in eo sensu loquuti sunt Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ, vt clariùs explicarunt Soto, & alij moderni. Et probatur in hunc modum: quia ad valorẽ sacramenti nõ est simpliciter necessaria iurisdictio super omnia peccata mortalia, quibus in re ipsa pœnitens ligatus est: ostẽdimus enim, si alioqui seruetur integritas formalis, sufficere ad valorem sacramẽti iurisdictionem circa aliqua peccata, sed in præsenti casu videtur seruari formalis integritas, & aliàs, vt supponimus, minister habet iurisdictionem circa aliqua peccata; ergo absoluendo verũ conficiet sacramentũ, per quod saltem indirectè tollet peccata reseruata. Minor probatur: quia quandocunque vrget grauis causa, vel necessitas recipiendi sacramentum, & nõ potest in re ipsa cõfessio integra fieri, quanuis dimidietur, cẽsetur illud esse tãtùm materialiter, formaliter autẽ integritas seruari; & pari ratione idem erit de absolutione. Sed in præsenti casu intercedit grauis causa, & necessitas: ergo ex defectu integritatis non erit nullum sacramentũ, sed neque est nullũ ex defectu iurisdictionis, vt ostensum est: ergo. Confirmatur exemplo: quia si peccatũ tantùm reseruatũ relinqueretur ex obliuione, & de aliis fieret confessio corã inferiore bona fide, & daretur absolutio, fieret sacramẽtum, & indirectè tolleretur peccatũ reseruatum. Fingamus igitur, peccatum reseruatum nõ esse oblitum, tale tamen esse, vt non possit peccator hîc, & nunc illud cõfiteri huic inferiori sacerdoti sine aliquo graui dãno extrinseco, & occurrere necessitatem sacramenti, de qua agimus: tunc igitur posset confiteri illi sacerdoti reliqua peccata tacendo reseruatum: quia quoad integritatẽ pertinet, illa est sufficiens ratio tacẽdi, æquiualens obliuioni: ergo tunc poterit absolui, & indirectè tolli peccatũ reseruatũ. Cur ergo nõ poterit, etiamsi illud proferat, vel cur aliàs erit melioris conditionis, solũ propter extrinsecã occasionem occurrentem, propter quam tacere potuit peccatum?

4 Soluitur.

Sed dicunt aliqui, repugnare peccatum esse in confessione declaratum, & absolutionem non cadere in illud directè, si detur: quia nihil aliud est, peccatum directè iudicari, nisi expressè, & distinctè afferri in iudicium, & super illud sententiam proferri. Hoc autem fit, quoties homo distinctè aliqua peccata confitetur, & postèà absoluitur, præsertim si ex intentione sacerdotis in illa omnia cadat absolutio. Respondetur, Licèt ad directam absolutionem necessarium sit peccatum in confessione aperire: tamen id non sufficit, nisi sacerdos habeat iurisdictionem in tale peccatum: quia absolutio directa est actus talis iurisdictionis: Imò neque ipsa confessio est propria materia sacramenti, vt est de tali peccato, in quod sacerdos non habet iurisdictionem, quia non est accusatio facta coram legitimo iudice. Quapropter, licèt post rationem omnium peccatorum absolutio simpliciter proferatur, tamen re ipsa non directè operatur, nisi in ea peccata, quæ cadunt sub iurisdictionem absoluentis. Neque hoc potest impedire praua, aut erronea intentio ministri, si alioqui habet veram intentionẽ conficiendi sacramentũ, vel faciendi quod Christus instituit, seu, quod perinde est faciẽdi secundùm potestatem sibi concessam: nam hæc est intentio per se efficax, & valida: alia verò est ex errore priuato, qui non excludit substantialem intentionem.

Atque hinc etiam constat sententiam hanc nihil discrepare à doctrina Concilij Trid. cuius verba attentè

tente cõsideranda sunt,dum ait,inferiorem sacerdotẽ nihil posse in casibus reseruatis: non enim absolutè dixit, *nihil posse*,neque etiam dixi,*nihil posse in personam habentem casus reseruatos*.sed cum limitatione dixit, *nihil posse in casibus reseruatis*. Quod ideò dixisse credimus, quia talis sacerdos non habet iurisdictionem in huiusmodi casus, & ideò ab eis propriè absoluere non potest: cum hoc tamen stat (quod Concilium non negat) vt possit talis sacerdos absoluere ab aliis peccatis, quo fiet, vt per accidens, & indirectè tollantur reseruata,sicut tolli possunt per contritionem, vel per attritionem cum alio sacramento,v.g.Eucharistiæ,aut Extremæ vnctionis.

6 Hinc verò vlteriùs infero, non solùm licere in tali euentu huiusmodi absolutionem dare, quando casus reseruati non habent excommunicationem annexam, verùm etiamsi habeant, & ipsa excommunicatio per sacerdotem auferri non possit, quod nunc supponimus accidere posse in casibus nõ Pontificiis. Quod tenuit Ang. suprà, & sumitur ex his, quæ tradit Medin. in Cod. de Confessione, q.22. de Confessione ab excom.facta in fine. Ad hoc autem probãdum suppono,excommunicationem pœnitẽtis per se non reddere personam inhabilem ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum, neque irritare illud, si ex parte ministri omnia necessaria concurrant,& ex parte pœnitentis intercedat bona fides, ac dispositio: quia tunc concurrunt omnia substantialia, quibus stantibus, sola prohibitio Ecclesiæ non potest irritare sacramentum,quod latiùs disputabimus tractando de excommunicatione. Deinde adiungo aliud principium, quoties excommunicatus, qui non potest absolui ab excommunicatione propter occurrẽtem occasionem,potest licitè recipere sacramentum Eucharistiæ,posse etiam licitè recipere sacramentum pœnitentiæ,quantùm est ex parte excõmunicationis:quod principium etiam pendet ex materia de excommunicatione. Nunc autem probatur breuiter,quia non est minùs prohibita excommunicato susceptio Eucharistiæ,quàm sacramenti pœnitentiæ:nam vna lege vtrumque prohibetur, & ex parte ipsarum rerũ maior dignitas,& dispositio requiritur ad Eucharistiã,quàm ad pœnitentiam:& cõmunicatio in diuinis, qua præcipuè intendit priuare excommunicatio,maior cernitur in receptione Eucharistiæ,quã alterius sacramenti. Aliunde verò,suppositа necessitate,quæ honestat receptionẽ Eucharistiæ, nulla est deordinatio in hoc quòd præmittatur confessio, sed potiùs est ille ordo maximè consentaneus iuri naturali, & diuino, quo tenetur vnusquisque se probare etiam per confessionem priusquàm ad Eucharistiam accedat: ergo, si licet tunc excommunicato Eucharistiam recipere, etiam confiteri. Nam, si Ecclesia pro eo articulo necessitatis,vel non potuit prohibere,vel saltem non prohibuit excommunicato vsum Eucharistiæ, etiam prohibere non potuit, vel saltem non prohibuit ordinem illum iure diuino per se necessarium, nimirum, vt ante communionem præmittatur confessio.

7 Conclusio. Cano. Soto. Ex his igitur principiis manifestè concluditur intentum: nam in eo casu,de quo loquimur,licitum est pœnitenti,non obstante excommunicatione,recipere Eucharistiam,vt Cano,& Soto supponũt,estque certum, vt suo loco dicemus: ergo etiam est illi licitum confiteri, quantùm est ex parte eius:ergo excõmunicatio non obstat, quominùs à sacerdote absolui possit,sed nihil aliud ibi interuenit, quod obstare possit: quia, si peccata illa reseruata non haberent excõmunicationẽ annexam,non impedirent absolutionem; vt ostensum est: ergo. Et confirmatur,quia, si propter scandalum, vel infamiam vitandam licet excommunicato se ingerere communicationi diuinorum, aliquando potest contingere, vt ad vitandum grauem infamiã,vel scandalum,necessarium sit confiteri: ergo tunc ex parte pœnitentis erit licita confessio,& ex parte absoluentis; non deest potestas, quia excommunicatio pœnitentis non priuat sacerdotem iurisdictione in omnia peccata:ergo poterit illũ absoluere, & validè,& licitè: solùm est necessaria prudentia,vt verus casus necessitatis discernatur.

## *Duæ difficultates explicantur.*

DVÆ tamen supersunt difficultates. Prima est, quia sequitur,pœnitentem in hoc casu non teneri ad confitendum integrè omnia peccata, etiã reseruata,sed solùm non reseruata. Patet sequela,quia reseruata non sunt materia illius confessionis: quia, cùm non subsint iurisdictioni ministri, confessio eorum non est sacramentalis. Ad hoc Alexander concedit sequelam:& Maior, ac Petrus Soto censent probabile, sed Diuus Thomas, & reliqui omnes contrarium docent, quibus in re morali magis assentiendum est, ne nimiam licentiam sine causa tribuamus pœnitentibus, præsertim cùm probabile sit ministrum tunc habere iurisdictionem. Et posit etiam probabilis ratio reddi propter quam hæc integritas requiratur. Respõdetur ergo negando sequelam,primò, quia estò non absoluat minister directè à reseruatis, tamen, vt pœnitens possit absolui à non reseruatis, oportet vt sit circa omnia bene dispositus, quam dispositionem debet examinare minister, & ideò habet ius cognoscendi totam causam, & totam conscientiam pœnitentis, & omnes occasiones, vel obligationes eius,vt possit illum absoluere. Deinde addunt aliqui, quia minister directè tollit auersionem à Deo, in quo omnia peccata mortalia habent conuersionem, ideò probabile esse ab omnibus directè absoluere, quatenus à Deo auertunt,quanuis, circa aliqua reseruata secundùm proprias rationes illorum iurisdictionem non habeat, & ideò oportet,vt omnia illa cognoscat,vt ab omnibus absoluat, quatenus à Deo auertunt,licèt alia ratione,ea,quæ reseruata sunt,posteà confitenda sint superiori. Hæc tamen consideratio, licèt probabilis sit, non est necessaria: quia ad cognoscendũ id, in quo peccata conueniunt, non esset admodùm necessarium omnia distinctè cognoscere: maximè, quia huiusmodi sacerdos non potest per se, ac directè remittere illam auersionem à Deo, vt nascitur ex omnibus peccatis, sed solùm vt fundatur in his, quæ illius iurisdictioni subiacent. Aliæ ergo probationes practicæ, ac morales probabiliores sunt,& sufficiunt.

8 Prima difficultas. Difficultati satisfit.

9 Secũda difficultas. Secunda difficultas est,quia sequitur,si quis habeat peccata venialia, & mortalia, & occurrat eadem necessitas confitendi,posse confiteri sacerdoti simplici, si alius non inueniatur. Patet sequela, quia ille habet iurisdictionem circa venialia: poterit ergo ab illis absoluere, & perficere sacramentum, & ita indirectè tollere mortalia, quanuis illa posteà confitenda sint proprio sacerdoti. Ac denique rationes suprà factæ, hîc proportionaliter applicari possunt. De hac difficultate nihil inuenio dictum à citatis Auctoribus, & ideò circa illam non omninò definiam eam sententiam, in quam propensus sum. Videtur enim mihi illa consecutio valdè apparens propter magnam similitudinem, vel paritatem rationis: nec video vrgentem rationem, aut incommodum alicuius momenti, propter quod timendum sit illud consequens admittere. Quid enim refert, quòd in eo casu necessitatis aliquis confiteatur simplici sacerdoti eo modo, quo potest, & ab illo etiam absoluatur quantùm

Respõsio 1.

ille

ille potest, si postmodùm ita manet obligatus ad confitenda omnia sua peccata mortalia proprio sacerdoti, ac si omninò confessus non fuisset? Hoc enim vtile esse potest tali peccatori, vt fructum aliquem ex illa absolutione obtineat, & vt, si fortasse non erat sufficienter contritus, per illam perficiatur, & ita saltem indirectè iustificetur ab omnibus peccatis. Pastores autem animarum per hoc nullo iure suo priuantur, nec in aliquo peruertitur debitus ordo, & iurisdictionum distinctio. Quid ergo periculi est in illo consequente admittendo?

10 Alia responsio.

Quia tamen hoc non videtur ita vsu receptum, possumus negare consequentiã, & conari ad aliquam differentiæ rationem constituendam. Prima esse potest, quia vt minister possit efficaciter absoluere aliquem habentem conscientiam peccatorum mortalium, necesse est, vt habeat iurisdictionem saltem circa peccata mortalia, vt sic, vt possit per se reconciliare Deo hominem, qui ab eo erat auersus. Et in idem ferè redit dicere, iurisdictionem circa sola peccata venialia esse tantùm secundùm quid, & ideò non sufficere ad absoluendum eum, qui habet peccata mortalia, etiam indirectè: secus verò esse in iurisdictione ad absoluendum à mortalibus: nam illa est iurisdictio simpliciter, & perfecta intensiuè, vt sic dicam, licèt extensiuè non se extendat ad omnia mortalia. Hęc verò ratio mihi non satisfacit, alioqui etiam procederet de habente mortale peccatum oblitum, vt confessio de solis venialibus bona fide ab illo facta simplici sacerdoti, non sit verum sacramentum, nec sanctificet talem hominem aliàs bene dispositum, quod certè est falsum, & improbabile, cùm nihil ibi sit quod impediat veritatem talis sacramenti, & consequenter nec effectum eius. Quòd si illa iurisdictio sacerdotis tunc sufficit, profectò etiamsi peccatum mortale sit in conscientia pœnitentis, nihil obstabit, si alioqui bona fide ipse procedat, & cum debita dispositione, & formali integritate confiteatur vt rationes factæ in hac, & præcedenti sectione apud me conuincunt. Vnde non dubito, quin in hoc etiam casu perficiatur sacramentum, siue ex parte ministri intercedat bona, siue mala fides, dummodò aliàs habeat intentionem conficiendi sacramentum: nam malitia ministri non impedit veritatem sacramenti, si cætera adsint.

11 Vera ratio.

Solùm ergo potest supereſſe quæstio, an in casu in obiectione proposito, possit quis licitè, & bona fide ita confiteri per se loquendo, & secluſa ignorantia. Sic enim dicebamus posse confiteri quempiam ordinario sacerdoti inferiori, quanuis habeat casus reseruatos: & in hoc quærebamus diuersam rationem. Igitur, si quæ ratio reddenda est, sumenda profectò est ex vsu, & ex Ecclesiæ concessione. Diximus enim suprà iurisdictionem hanc sacerdotũ omnium ad absoluendum à venialibus, seu (quod perinde est) licentiam datam omnibus fidelibus, vt possint confiteri peccata venialia cuicunque sacerdoti, originem habuisse ex concessione Ecclesiæ: & traditione, ac consuetudine retineri: hinc ergo colligimus, extendendam non esse vltra id, quod consuetudine receptum est: consuetudine autem solùm videtur introductum, vt tunc fideles habeant hanc licentiam, quando non habent conscientiam peccati mortalis: ideoque, quando illam habent, iam non licet eis confiteri simplici sacerdoti extra articulum mortis, ac proinde, si ita confiteantur nullum fiet sacramentum, non tam propter solum defectum iurisdictionis ex parte ministri, quàm propter indispositionem, quæ in pœnitente inde resultat, per se loquendo, & secluſa ignorantia: nam si hæc interueniat, planè concedimus, illud sacramentum non esse omninò nullum. At verò in casibus reseruatis non est talis consuetudo, sed potiùs contraria. Ad reddendam autẽ rationẽ huius diuersæ consuetudinis, deseruire possent illæ duæ conguentiæ, quòd sacerdos habens iurisdictionem circa peccata mortalia, iam habet id, quod præcipuum est, & quasi substantiale in hac potestate. Item, quia ille est proprius pastor talis personæ, aut habet vicem eius, qui per se loquendo, & quasi ordinario iure habiturus erat potestatem in omnia peccata mortalia, & ideò quando aliqua eximuntur per reseruationem, non omninò prohibetur absolutio personæ in casu necessitatis, integro relicto iure superioris circa causas illius proprias: simplex autem sacerdos nec est proprius pastor, nec per se illi conueniebat potestas in personã, aut in omnia peccata eius, & ideò nõ est consuetudine introductũ, vt possit absoluere personã habentem conscientiam peccati mortalis, extra necessitatem extremam.

## SECTIO IIII.

*Vtrùm qui habet casus reseruatos, postquàm semel absolutus est à superiore, vel per priuilegium eius, possit liberè absolui à quocunque inferiori.*

1 Dupliciter se potest gerere superior cũ subdito.

VANDO huiusmodi pœnitens per se, & directè absolutus est à casibus reseruatis, vel immediatè ab ipso superiore, vel ab alio per potestatem ab illo concessam, & prout ab illo concessa est, non est dubium, quin possit ab eisdem peccatis absolui à quolibet inferiori sacerdote, vt in superioribus tactum est. Solùm sunt hîc duo aduertenda. Vnum est, dupliciter se posse gerere superiorem cum subdito reuelante ei suum casum reseruatum. Primò illum absoluendo sacramentaliter à culpa: & tunc peccatum illud potest posteà iterum atq; iterum absolui non solùm ab inferiori sacerdote proprio; sed etiam à quolibet alieno: quia illud peccatum iam non solùm non manet reseruatum: sed etiam iam non est materia necessaria confessionis. Quare sine causa dubitat Soto d. 18. q. 2. art. 5. an in eo casu tale peccatum maneat sine reseruatione, cùm ex consuetudine Ecclesiæ constet, quemlibet sacerdotem posse absoluere ab omnibus culpis, quæ non sunt materia necessaria confessionis, vt suprà visum est. Posset tamen hoc habere nonnullum dubium: si absolutio illa fuisset informis, tamen si fuit valida, quanuis fuerit informis, idem dicendum est: quia etiam tunc peccatum illud fuit plenè absolutum in ordine ad claues, ita vt iam necessarium non sit illud iterum confiteri. Quod sumi potest ex Syluest. verbo, *Confessio*. q. 19. & Caiet. in Summa, verb. *Casuum reseruatio*. Quid verò dicendum sit, si absolutio fuit inualida, posteà videbimus.

Primò.

Sotus reprehenditur.

Sylueſt. Caiet.

2 Secundò.

Alio modo potest superior se gerere non absoluendo sacramentaliter, sed audiendo tantùm, & imponendo satisfactionem debitam, dandoque monita salutis, & reliqua remittendo inferiori, & tunc tale peccatum iam non manet reseruatum, non tamen potest à quolibet sacerdote remitti, sed ab aliquo proprio, vel de licentia proprij: quia adhuc manet, sicut cætera peccata mortalia nondum confessa, estque materia necessaria confessionis. Imò addunt aliqui tunc esse necessarium, vt inferior confessor sacramentaliter iniungat illam pœnitentiam, quam superior designauit: quia donec in sacramento imponatur, vt pars eius, non manet obligatus pœnitens ad illam exequendam: est autem intentio superioris, vt pœnitens obligetur. Sed licèt hoc sit vtile, vt illa pœni-

tentia habeat effectum ex opere operato, non tamen A puto esse necessarium, vt pœnitens obligetur: quia ex quo superior illam imposuit, obligare potuit: nam per potestatem ligandi, eam imposuit. Item: quia si obligauit pœnitentem, vt illam manifestaret inferiori cõfessori, & huic vt illam imponeret, faciliùs potuit obligare subditum ad illam acceptandam, & faciendam. Denique etiam quando præcedit absolutio inferioris sub onere comparendi, & posteà subditus coram superiore comparuit, ab illo obligatur ad satisfactionem impositam implendam; alioqui valdè inefficax esset potestas superioris.

3 Differentia inter superiorem ordinarium & delegatum.

Secundò, est in hoc notanda differentia inter superiorem, qui habet iurisdictionem ordinariam ad absoluendum à reseruatis, & delegatum aliquem, qui solùm ex priuilegio hoc potest: nam superior B ipse potest se gerere duobus modis suprà dictis; delegatus autem tantùm potest aut absoluere, aut rem integram relinquere. Vnde non potest reseruationem tollere, nisi sacramentaliter absoluat: si enim velit casum reseruatum audire, & satisfactionem imponere, absolutionem autem alteri remittere, nihil faciet: sed tamẽ reseruatum illum relinquet, sicut anteà. Et ratio est: quia non potest ipse delegare iurisdictionem ad absoluendum, sicut superior: illa autem ablatio reseruationis illo modo non fit, nisi committendo alteri iurisdictionem ad absoluendum. Et ideò, quoties per confessionem factam alicui habenti hanc facultatem delegatam, seu per priuilegium, reseruatio tollenda est, necesse est, vt intercedat absolutio C sacramentalis, quæ in præsenti casu semper tollet directè, ac per se tale peccatum, quia supponimus confessionem, seu manifestationem de illo in particulari factam esse. An verò aliter possit hoc contingere, in discursu huius sectionis dicemus.

4 Dubium de facultate cõcessa per Iubilæum.

Dixi autem in assertione, *Per potestatem ab alio concessam, prout ab illo concessa est*, Propter vulgare dubium, quod hic tractari solet, quando hæc facultas vt quis possit absolui à reseruatis, datur per Iubilęum, cuius indulgentia per varias actiones obtinenda est, quæ in discursu v. g. vnius hebdomadæ fiunt; potest autem quis confiteri, & absolui in quocunque die hebdomadæ: vnde potest sæpe accidere, vt priùs D confitearur, & absolutionem à reseruatis obtineat, & posteà omittat alia opera necessaria, ideóque indulgentiam non lucretur. Meritò ergo dubitatum est, an ille maneat simpliciter absolutus, ita vt ille nec coram superiore comparere teneatur: nec iterum de illis peccatis absolui, vel, si absolui velit, possit à quolibet sacerdote. In quo supponendum est, illum bona fide fuisse confessum animo perficiendi cætera omnia necessaria ad consequendam gratiam Iubilæi. Alioqui, si mala fide accedat, certum est non manere absolutum, sed absolutionem à reseruatis fuisse nullam: quia Pontifex non intendit concedere facultatem, nisi in ordine ad indulgentiam obtinendam, atque pro his, qui Iubilæum lucrantur: ergo quando absolutio datur ante consummatum tempus, & ante E perfectas alias actiones requisitas, saltem est necessaria intentio obtinendi Iubilæum, & quòd homo sit quasi in via in prædictum finem.

5 Solutio dubij.

Hoc autem posito, dicendum est, illum hominem manere sacramentaliter absolutum à tali peccato: quia absolutio data fuit, vt supponimus, & non potuit esse pendens ex futuro euentu: quia hoc repugnat formæ sacramentali: ergo statim fuit valida, & habuit effectum (quia supponimus ex parte suscipientis non fuisse obicem) qui effectus irreuocabilis est, vt per se constat. Vnde illa facultas licèt data fuerit in ordine ad futurum effectum, non tamen dependenter ab illo, vt à conditione de futuro: sed ad sum- A mum, vt à conditione de præsenti, id est, à præsenti intentione faciendi omnia necessaria ad talem effectum. Ex quo vlteriùs fit, etiamsi contingat posteà illum effectum non sequi, siue voluntariè, siue casu contingente, huiusmodi hominem manere liberum omninò à tali culpa, sine obligatione comparendi coram superiore, & consequenter non teneri peccatum illud ampliùs confiteri, vel si illud confiteri debet, posse à quolibet sacerdote absolui. Probatur: quia fuit directè, & per se remissum per facultatem simpliciter, & sine tali onere datam: non est ergo vnde resultet tale onus propter defectũ posteà commissum circa obtinendam gratiam Iubilæi. Quod censeo verũ, etiamsi tale peccatum habeat censuram annexam, & reseruatam, quæ per eandem facultatem B sublata sit, vt iterum dicemus infrà agentes de censuris: & sensit Cordub. in Sum. Hisp. q. 21. Probabiliter autem existimo huiusmodi hominem grauiter peccare: si post absolutionem peccatorum virtute Iubilæi obtentam, voluntariè omittit reliqua opera necessaria ad indulgentiam Iubilæi obtinendam: quia illud etiã est in fraudẽ Iubilæi, & contra virtuale pactum inclusum in facultate ad illum finem concessa: nam consequenter imponere videtur onus, & obligationem faciendi cætera necessaria ad prædictum effectum, & videntur se habere tanquàm pœnitentia iniuncta, & acceptata in satisfactionem pro talibus culpis. Hæc autem culpa, qualiscunque illa sit, non manet iterum reseruata: quia nullo iure hoc cauetur: potest ergo ab illa absoluere quilibet sacerdos habens communem iurisdictionem. Sicut, quando qui confitetur peccatum reseruatum superiori, & ab illo accipit condignam satisfactionem, quæ quodammodò videri potest manere reseruata, quatenus à nullo inferiori sacerdote tolli, vel commutari potest, nihilominùs, licèt debito tempore implere omittat, & in eo grauiter peccet, peccatum illud non manet reseruatum eidem superiori, nisi hoc ipsum ab eodem superiore exprimatur ac declaretur: quia nullo iure hoc statutum est, imò ordinariè nimiùm rigorosus censeretur superior, quid id faceret.

Cordub.

## *Varij modi, quibus tollitur reseruatio sine absolutione à culpa.*

6 Difficultas.

His ergo expositis circa peccata reseruata semel remissa per directam absolutionem, dicendum supereſt de aliis casibus, in quibus confessio quidem fit superiori, aut habenti facultatem eius: absolutio tamen non cadit directè in ipsam culpam reseruatam. Difficultas enim est, an tunc peccatum illud possit absolui à quolibet sacerdote habente communem iurisdictionem. Et ratio difficultatis est, quia si peccatum non est per directam absolutionem remissum, eodem modo manet subiectum clauibus, quo anteà erat: ergo sicut anteà tolli non poterat, nisi ab habente iurisdictionem in casus reseruatos, ita nec posteà. In contrarium verò est, quia interdum potest manente culpa, auferri reseruatio eius, vt ablata censura in casibus Pontificiis, vel quacunque alia ratione interueniat expressa, vel tacita volũtas superioris auferendi reseruationem: ergo etiam in prædicto casu, licèt non sit culpa directè ablata, potest intelligi ablata reseruatio. Circa hanc difficultatem occurrunt varij casus, & distincti modi, quibus hoc potest contingere, quos oportet sigillatim distinguere, & exponere.

7 Primus casus.

Primum ergo punctum est, si subditus legitimè sit confessus coram superiore, & superior nec absoluere, nec causam alteri committere velit. Videre enim potest tunc ipso iure reseruatio ablata, quia subditus

iam

iam fecit quod in ipso erat, & quidquid poterat per reseruationem ab illo exigi: ergo ipso facto cessabit reseruatio, & consequenter liberum erit, cõfiteri peccatum illud cuilibet inferiori habenti iurisdictionem communem, qui poterit ab illo absoluere. Nihilominùs dicendum est, in eo casu non auferri reseruationem, quia superior satis explicauit voluntatem suam, vt supponimus. Vel enim illa voluntas superioris est iusta, & tunc res est indubitata, quia superior vritur iure suo. Eritque voluntas iusta, si subditus non sit satis dispositus ad absolutionem; vel, si absolutio non simpliciter negetur, sed differatur, donec subditus satisfactionem aliquam, vel emendationem exhibeat: quia in his casibus nondum potest dici subditus fecisse quantùm in ipso est, nec quantùm ab ipso iustè exigi potest. Vel voluntas superioris est iniusta, & tũc licèt malè faciat, tamen quoad negationem iurisdictionis habet effectum, vt in superioribus in similibus casibus sæpe dictum est: iurisdictio enim danda est per voluntatem superioris, & ideò quandiu non habetur, res infecta manet, quanuis malitiosè non facta sit: reseruatio autem tollit iurisdictionem. Et ideò in eo casu non aufertur, cùm supponamus superiorem sufficienter explicare voluntatem suam de non committenda alteri iurisdictione in tali causa. Quapropter in eo casu necessarium est, vel ad alium prælatum magis superiorem recurrere, vel, si hoc fieri non potest, poterit quis confiteri inferiori, vt de aliis peccatis directè absoluatur, de reseruatis autem indirectè, donec obtineatur maior facultas à superiore, seruando in hoc regulas præscriptas in duabus sectionibus præcedentibus.

Quid dicẽdum in eo casu.

3 Secundus casus.

Secundum punctum est, quando superior audita confessione absoluit pœnitentem: absolutio tamen non fuit valida, non tantùm quoad effectum, de quo iam suprà diximus, sed etiam quoad esse sacramenti: nam tunc illa peccata ita manent subiecta clauibus, ac si ad hoc iudicium non fuissent delata, nec data fuisset absolutio, quia totum iudicium fuit nullum: ergo manent æquè reseruata, ac anteà. Et confirmatur exemplo; nam, si quis hoc modo confiteatur peccata mortalia communia suo Parocho, & ab eo inualidè absoluatur, non potest confiteri talia peccata alieno sacerdoti sine alia facultate, quia illa peccata adhuc sunt materia necessaria sacramenti: & ideò non potest quis ea confiteri alieno sine licentia proprij. At verò ita se gerit inferior confessor circa peccata reseruata superiori, sicut sacerdos alienus circa peccata mortalia communia: ergo.

9 Vera resolutio ad prædictũ casum.

Nihilominùs contrariam sententiam censeo satis probabilem, & practicè tutã, quam insinuauit Caiet. verbo, *Casuum reseruatio*, dicens, *Si quis semel absolutus à reseruatis, quanuis inefficaciter quoad salutem animæ suæ, &c.* Quod quidem posset intelligi de absolutione valida, licèt informi; & sine dubio videtur fuisse mens eius; tamen quam nos reputamus confessionem inualidam, ipse sentit esse validã, & informem. Sylu. autem verb. *Confessio.* 1.q.19. generaliùs dicit, *Etiamsi confessio fuisset ficta.* Et eodẽ modo loquitur Anton. 3.p. tit. 14.c.19.§.17. Fundamẽtum autem esse debet, quia ex quo subditus comparuit coram superiore, eique peccatum integrè reuelauit, vt supponimus, ipséque superior conueniẽtem medicinam, & satisfactionem imposuit, suo muneri satisfeciſſe videtur, quantùm ad reseruationem spectat, & pœnitens etiam videtur feciſſe satis intentioni, & fini reseruationis: ergo quãuis contingat, superiorem absoluendo verè non absoluere à peccatis, nihilominùs absoluit, seu liberat à reseruatione: quia dum oppositum nõ declarat, satis significat, simpliciter absoluendo, se esse in ea parte contentum: relinquit ergo pœnitentem liberum ab eo onere reseruationis. Et declaratur specialiùs, quia fieri potest, vt absolutio illa sit inualida non ex aliquo defectu circa peccatum reseruatum: pono enim pœnitentem integrè illud confiteri, & cum sufficienti attritione illius; sex ex defectu circa alia peccata, qui est omninò per accidens ad confessionem casus reseruati, & ad intentionem superioris in eius reseruatione: ergo tunc censebitur reseruatio sufficienter sublata. Rursus potest absolutio esse nulla propter defectum circa confessionem ipsius peccati reseruati, & tunc si defectus esset in integritate, sine dubio non auferretur reseruatio, quia non esset satisfactum intentioni superioris, neque esset coram illo sufficiẽter comparitum: at verò si defectus tantùm sit in interiore dolore, non videtur obstare: quia intentio reseruationis solùm est, vt satisfiat superiori in hoc iudicio, quatenus externum iudicium est.

Sylues. D. Ant.

Hoc autem limitari posset, nisi tantus sit defectus doloris, vt peccator perseueret in proposito committendi talem culpam, aut non exhibendi satisfactionem, vel pœnitentiam à superiore impositam: sed adhuc in eo casu existimo sufficere mutare propositum, & verum dolorem concipere: vt ab inferiori, seu simplici confessore absolui possit: quia propositum illud internum non est peccatum reseruatum: de alio verò peccato præterito satisfactum est superiori, & ille sine vlla conditione videtur subditum liberum reliquisse. Et explicatur: nam si subditus apertè proposuisset suo superiori casum illum, non vt absolueretur sacramentaliter, sed solùm vt liberaretur ab eo onere; tunc superior audiens illum, & imponens satisfactionem, censeretur liberum eum relinquere ab onere reseruationis: sed quando confitetur sacramentaliter, hoc in re ipsa postulat simul cum absolutione: ergo licèt absolutio in ratione sacramenti non fuerit valida, potest esse sufficiens signum satisfactionis superioris, quoad reseruationem.

10

Atque ita patet responsio ad rationem dubitandi in principio positam: negatur enim consequentia: possunt enim peccata manere subiecta clauibus, & non reseruata: si superiori satisfactum est, & ipse hoc sufficienter significauit, vt patet manifestè, quando illi manifestatur peccatum, & satisfactionem imponit non tamen sacramentaliter absoluit: nam tunc adhuc manet peccatum subiectum clauibus, & necessariò confitendum, quanuis non maneat reseruatum. Ad exemplum verò ibi adductum negatur similitudo: quia simplex sacerdos omninò caret iurisdictione: proprius verò per se loquendo, habet illam in omnia peccata, nisi per reseruationem subtrahatur: & ideò ablata reseruatione, statim iurisdictio illa extenditur, seu quasi reducitur ad proprium statum; in illo autem casu ablata est reseruatio propter rationem factam.

11 Satisfit rationi dubitandi, & exẽplo suprà posito.

## *An peccatum oblitum in confessione facta superiori reseruatum maneat.*

12 Tertius casus.

TERTIVM punctum est, quando subditus confitetur superiori habenti potestatem ordinariam ad absoluendum à casibus reseruatis, & ab illo simpliciter absoluitur ab omnibus peccatis, ipse tamen per obliuionem inculpabilem omisit peccatum reseruatum: est enim tunc difficultas, an subditus liber maneat à reseruatione, ita vt confiteri possit illud cuicunque simplici confessori habenti communem iurisdictionem. Et eadem quæstio est, si confessio eodẽ modo fuit facta sacerdoti habenti iurisdictionem delegatam ex priuilegio per se concesso ipsi sacerdoti, & non in fauorem pœnitentis. Est ergo sententia valdè communis affirmãs tunc auferri reseruationem peccati. Tenet Gabr. in 4.d.17. q.1.art.3. dub.2. Adr. q.4.

Sententia communis affirmans. Gabr. Adria.

Sylueſt. Angel. Roſella. Nauarr. Couar. Ledeſm.

q.4.de Confeſſione, Sylueſt.verb.*Confeſſio.*1.q.4.Ang. verb.*Confeſſio*,1.n.22.Roſella verb.*Confeſſio.*2.n.9.Nauar.in c.*Conſideret.§.Cautus.*nu.32. de Pœnit.d.5.& in ſumma c.26.n.13.vbi refert Palud.ſed de eius ſententia infrà dicam.Idem tenet Couarr.in c. *Alma mater.* p.1.§.11.nu.12.Cano dicta relectione,p.5.& Ledeſma 2.p.4.q.8.ar.2.dub.8.Fundamentũ ſolum eſt,quia ſuperior abſoluens tollit omnia peccata etiam reſeruata,& hoc ipſum intẽdit formaliter,vel virtute:ergo tollit reſeruationem etiam eorum quæ oblita ſunt.

13 Impugnatur.

Hæc tamen ſententia abſolutè intellecta difficilis eſt, quia per illam abſolutionem tantùm indirectè remittitur peccatum illud reſeruatum: hæc autem indirecta remiſſio non ſufficit vt auferatur reſeruatio. Probatur minor: primò à ſimili: nam, ſi ille pœnitens confeſſus fuiſſet bona fide inferiori ſacerdoti non habenti iuriſdictionem in peccata reſeruata,quia non putat ſe habere illa, tunc etiam peccatum reſeruatum oblitum indirectè tolleretur, & nihilominùs æquè reſeruatum maneret, ac anteà, vt eſt certum apud omnes: ergo indirecta remiſſio non ſufficit ad tollendam reſeruationem. Reſpondent aliqui, ſuperiorem magis directè remittere peccatum reſeruatum etiam oblitum, quia in illud habet iuriſdictionem, quam non habet inferior ſacerdos. Sed hoc non recte dicitur: quia iuriſdictio non ſufficit ad directam remiſſionem, niſi peccatum afferatur in iudiciũ; peccatum autem oblitum non affertur in iudicium, nec actu ſubiicitur clauibus, etiamſi aliorum confeſſio ſuperiori fiat. Vnde certum eſt, quoad illud peccatum non fuiſſe impletum diuinum præceptum confeſſionis;ideóque ſemper manere obligationem confitendi illud alicui habenti iuriſdictionem, ergo, ſiue confeſſio facta fuerit inferiori, ſiue ſuperiori, æquè indirectè fuit peccatum remiſſum: ergo, ſi indirecta remiſſio ab inferiori facta non tollit reſeruationem, neque etiam facta à ſuperiore tollet illam, quantùm eſt ex vi abſolutionis. Nulla eſt autem alia ratio, ob quam per confeſſionem illam ſuperiori factam cenſeatur ablata reſeruatio. Quæ eſt enim hæc ratio, aut quod ſignum huius voluntatis ſuperioris? Dices, eo ipſo quòd ſuperior habeat poteſtatem remittendi illa peccata directè, ſi dicerentur: & ſubditus habuit voluntatẽ illa dicendi,ſi memoriæ occurrerẽt;habuiſſe ſuperiorem voluntatem illum relinquẽdi liberum: quia intendit facere cum illo quantùm poteſt: poteſt autem, quamuis non auferat directè culpam, auferre onus,ſeu reſeruationem eius. Sed hoc ipſum eſt quod inquirimus, vnde talis intentio, ſeu voluntas præſumatur, aut colligatur: non enim quælibet præſumptio ſufficit,ſed debet eſſe ſufficiens manifeſtatio voluntatis, cùm per eam debeat conferri iuriſdictio inferiori ſacerdoti ad abſoluendum à tali peccato.Erat enim iuriſdictio per reſeruationem ablata, quæ reſtitui non poteſt niſi per voluntatem reſeruantis:hæc ergo voluntas debet ſufficienter manifeſtari:in illo autem caſu nullum eſt ſufficiens ſignum talis voluntatis: nam ſola abſolutio non eſt,vt declarau.: quod autem pœnitens dicturus fuiſſet peccatum, ſi recordaretur, & tunc auferretur tam culpa, quàm reſeruatio,parum refert,quia conditionalis nihil ponit in eſſe, & hîc: & nunc nihil horum factum eſt. Accedit tandem (quod me maximè mouet)quia per illam confeſſionem ſatisfactum non eſt intentioni reſeruantis:quia nec peccatum nouit, nec pro illo ſatisfactionem impoſuit, nec medicinam adhibuit, quæ ſunt præcipuè per reſeruationem intenta, ergo non eſt cur credamus, ſuperiorem abſtuliſſe reſeruationem.

Reiicitur ceuſio.

Alia reſponſio.

Replica.

14 Diſtinctio adhibetur.

In hac igitur difficultate diſtinctione vtẽdũ cẽſeo. Et primò diſtinguamus peccata reſeruata habẽtia excõmunicationẽ annexã, vel non habentia. Rurſus diſtinguamus duos modos cõfitendi ſuperiori. Vnus eſt ordinarius ad communẽ confeſſionem faciendam de peccatis cõmuniter occurrentibus abſq; vlla mentione,vel intẽtione ſpeciali caſuũ reſeruatorũ.Secundus modus eſt,quãdo cõfeſſio ſpecialiter fit ſuperiori,vel habenti iuriſdictionẽ eius ad hunc finem exonerandi omninò conſcientiã, & conſequẽdi abſolutionẽ peccatorum reſeruatorũ: ſi quæ fortaſſe pœnitẽs habeat.

15 1. aſſert.

Dico ergo primò,quando pœnitens confitetur poſteriori modo, & ſuam intentionem manifeſtat ſuperiori, & bona fide illi dicit omnia,quæ memoriæ occurrunt, quãuis aliquis caſus reſeruatus propter obliuionẽ taceatur,liber manet à reſeruatione.Hunc ſenſum præcipuè intendunt Auctores citati, & ideò ferè omnes addunt eã conditionem, quòd ſuperior hoc modo intendat abſoluere,vt patet ex Gab. Nau.& aliis. Hæc enim intentio ſuperioris ſufficienter in eo caſu colligitur ex eo, quòd ſciens ſubditum ad ipſum accedere ea intẽtione, vt quoad fieri poſſit liber maneat ab omni onere peccatorum ſuorum, videnſque illa bona fide confiteri quidquid ſibi occurrit, eumq; ſimpliciter abſoluens, & ſatisfactionem imponens, ſatis profectò indicat velle illum liberum relinquere quantùm poteſt: cùm ergo poſſit tollere vinculum reſeruationis,illud tollit.Et confirmatur,quia eſt hoc valdè cõſentaneum rationi, & paſtorali muneri: quia iam ille ſubditus facit quod in ſe eſt, & moraliter ſe præſentat ſuperiori quantùm poteſt, & ſuperior imponit ei ſatisfactionem accõmodatã iuxta moralem diſpoſitionem eius:ergo debet ſuperior eſſe illa manifeſtatione contentus pro omnibus peccatis vſque ad illud tempus commiſſis.

16

Prætereà quoad abſolutionem à cenſuris eſt hoc certiſſimum,quod præcipuè docuit Palud. in 4. d. 18. q.5.art. 3.con. 4. quia ad abſoluendum à cenſura per ſe,& directè,non eſt neceſſe diſtinctè,& in particulari cognoſcere cauſam cenſuræ,ſed ſufficit voluntas vniuerſalis abſoluendi ab omnibus, etiam reſeruatis, quam profectò habet ſuperior in illo caſu. Quo fit,vt in caſibus Pontificiis (iuxta receptam regulam, quod ablata cenſura, aufertur reſeruatio culpæ) peccatum quod habebat excommunicationem annexam, non maneret reſeruatum in prædicto euentu:quia etiamſi illud fuerit in confeſſione oblitum,excommunicatio illius ablata fuit, & cum illa ſemper tollitur talis reſeruatio. Atque hinc vlteriùs infero,peccata reſeruata ſine excommunicatione manere in eo caſu non reſeruata:quia non eſt veriſimile, velle ſuperiorem tollere reſeruationem in peccatis habentibus excõmunicationem annexam, quæ ſolẽt eſſe grauiora, & non in aliis. Item: quia plus eſt velle tollere excommunicationem,& reſeruationem culpæ,quàm ſolam reſeruationem. Item, quia etiam in peccatis habentibus cenſuram, eſt neceſſarium concedere iuriſdictionem nouam ad abſoluendum à culpa: ergo quoad hoc eſt eadem ratio vtrorumq; peccatorum reſeruatorum.

17 Obiect. ſatisfit.

Vnde ad obiectionem factam, cùm in ea dicitur, reſeruationem non tolli ſine noua collatione iuriſdictionis,reſpondemus,per hoc ipſũ conferri talẽ iuriſdictionem confeſſoribus communibus, quòd ſuperior ſignificat ſe eſſe contentum, & tollit à ſubdito obligationem iterum comparendi coram ſe, quod in eo caſu facere,& ſignificare oſtendimus.Et ideò tunc peccatũ illud non manet cõmiſſũ cuicunq; ſimplici ſacerdoti alieno: quia nec fuit directè per abſolutionẽ remiſſũ,neque ibi fit ſpecialis: &,vt ſic dicã, poſitiua delegatio,ſed ſolũ eſt quaſi ablatio impediméti, vt peccatũ illud relinquatur ſub generali lege, & iuriſdictione aliorũ peccatorũ mortalium.Sed inſtabit aliquis: nam licèt hoc habeat locum in ſuperiore ipſo habente ordinariam iuriſdictionem,non tamen videtur

Inſtant.

tur habere locum in eo, qui solùm ex priuilegio, seu
Soluit. delegatione talem iurisdictionem habet. Respondeo, argumentum profectò esse valdè apparens: & ideò certiorem existimo assertionem positam in ipso superiore, quàm in confessore delegato, seu ex priuilegio. Tamen, quia Auctores citati ad vtrunque extendunt sermonem, & quia superior videtur huic confessori committere vices suas ad absoluendum, eo modo, quo dispositio, & intentio pœnitentis moraliter exigit: ideò respondeo, quòd licèt hic confessor non possit directè, & per se hoc peccatum committere alteri, quando illi directè manifestatur: sed oporteat ab illo sacramentaliter absoluere: nihilominùs quando propter obliuionem non manifestatur, conceditur ei, vt absoluat pœnitentem facientem quod in se est, ab omni onere peccati, quātùm fieri potest, & ideò, licèt per se non possit delegare iurisdictionem, potest tamen auferre impedimentum, quo sublato, peccatum manet sub communi iurisdictione. Præsertim, quia totum hoc manare debet ab ipso superiore, qui potest hoc modo committere vices suas, vt ampliùs explicabimus in puncto sequenti.

## ASSERTIO II.

18 SECVNDO dicendum censeo, confessionem ordinariam factam superiori sine vlla mentione, vel intentione casuum reseruatorum, & absolutionem simili modo ab ipso datam, non satis esse, vt peccatum oblitum, quod anteà erat reseruatum, posteà maneat non reseruatum, & sine onere confitendi illud superiori. Hanc assertionem mihi probat obiectio suprà facta contra opinionem communem, & Auctores citati non loquuntur contra hanc assertionem, essétque valdè absurdum dicere, voluisse superiorem tollere reseruationē, cùm de casibus reseruatis nihil omninò in ea confessione ageretur, neque in ordine ad illos, siue certos, siue dubios, siue manifestos, siue occultos absolutio postularetur.

19 Dubium. Solùm superest dubium, quādo reseruatio est Pontificia, & habet censuram annexam: nam in eo cāsu censura tollitur per eam communem, & generalem absolutionem, imò etiam directè tollitur: quia hoc sufficit in censuris: sed, ablata censura, tollitur reseruatio: ergo in talibus peccatis aufertur reseruatio per quamcūque ordinariam confessionem & absolutionem eius, qui potest à talibus peccatis directè absoluere. Quòd si de his peccatis hoc concedatur, superest argumētum suprà factum, quòd à fortiori idem
Deciditur. dicendum sit de omnibus aliis. Ad hoc responderi potest, negando assumptum: scilicet per illam absolutionem tolli censuram reseruatam: quia iuxta caput 2. de Pœnitent. & remission. in 6. sub generali clausula non comprehenduntur quæ specialia sunt. Et ideò, qui dat potestatem generalem ad absoluendum à censuris, non censetur illam dare ad absoluendum à censuris reseruatis: ergo similiter, qui absoluit tātùm generatim ab excommunicatione, non censetur ab-
Obiectio. soluere à reseruata. Sed contrà: quia illa absolutio ab excommunicatione præmitti solet in ordine ad absolutionem sacramentalem concedendam: ad hunc autem finem necessarium est tollere non tantùm excommunicationes non reseruatas, sed etiam reseruatas: ergo omnes tolluntur, quia licèt sub clausula generali non soleant specialia comprehendi, tamen quādo sunt connexa in ordine ad finem intentum, necesse
Soluitur. est comprehendi. Aliter ergo dici potest per talem absolutionem auferri excommunicationem etiam reseruatam, non tamen simpliciter: sed tantùm ad illum effectum obtinēdi absolutionem sacramentalem à peccatis confessis; & ideò post illum effectum statim excommunicationem redire, iuxta doctrinam generalem de cēsuris. Vnde in huiusmodi absolutione multi dicere solent, *Absoluo te inquantùm possum, & indiges:* cum ergo ad illum effectum non sit necessarius alius modus absolutionis, non est cur cōcedamus alio modo auferri per generalem tantùm absolutionem. Vel si hoc nimis rigorosum videtur, saltem dici posset, in eo casu non tolli excommunicationem in ordine ad reseruationem peccati tollendam, sed generali quodam modo; & ideò limitandum, seu explicādum esset illud axioma, quòd, ablata excommunicatione, aufertur reseruatio culpæ, vt intelligatur quando aufertur excommunicatio reseruata, vt talis est, seu intuitu reseruationis; non verò si solùm illo generali, & quasi materiali modo tollatur: nam incredibile est per talem absolutionem auferri reseruationem culpæ in ordine ad forum pœnitentiæ: est enim id contra finem per talem reseruationem intentum.

20 Quartus casus. Quartum punctum simile præcedenti est, quando aliquis absoluitur virtute priuilegij in fauorem ipsius pœnitentis concessi, quod priuilegium vel vno actu extinguitur, vel ad certum tempus limitatur, intra quod pœnitens quidem confitetur, & absoluitur, alicuius tamen peccati reseruati obliuiscitur, an censeatur liber manere à tali reseruatione. Exemplum est in Iubilæis, in quibus conceditur facultas à reseruatis absoluendi, & qui consequitur indulgentiam, & absoluitur virtute illius, alicuius peccati reseruati obliuiscitur. Tunc enim dicendum est, illum manere liberum à reseruatione, vt possit posteà peccatum illud confiteri cuilibet simplici confessori habenti communem iurisdictionem. Ita docent Auctores citati in puncto præcedenti, imò de hoc casu expressiùs loquuntur. Ratio autem est, quia superior concedens facultatem hanc in fauorem pœnitentis, quantùm in se est, voluit illi auferre reseruationem, si illo priuilegio intra signatum tempus vteretur ad indulgētiam consequendam, sed pœnitens etiam quantùm in se est, vsus est illo priuilegio: manfit ergo liber à reseruatione: & licèt per accidens propter obliuionem non fuerit directè absolutus sacramentaliter à peccato reseruato intra illud tempus, tamen, vt ita dicam, acquisiuit ius per ipsum Iubilæum, vt posset posteà liberè confiteri tale peccatum, seu consequutus est libertatem ab ipsa reseruatione. Et hæc est differentia inter hunc, qui hoc modo confessus est, & vsus priuilegio intra tempus signatum, & alium, qui nullo modo lucratus est indulgentiam, nec est confessus tempore in Iubilæo præscripto.

21 Obiect. Sed dicet aliquis: hac ratione ad summum probari posse huiusmodi pœnitentem confiteri peccatum illud, cùm posteà in mentem veniat illi eidem confessori, cui tempore Iubilæi confessus est: quia illi videtur data potestas, & priuilegium non est, vt possit absolui à confessoribus, sed à confessore, ac denique posterior illa confessio est quasi cōplementum præce- Soluitur.
dentis; debet ergo eidē fieri. Respondetur, si priuilegiū ipsum restringeret hanc facultatē ad certam personam, haberet hoc locum: si tamē simpliciter concedit pœnitēti facultatem eligendi confessorem approbatum, quem voluerit, à quo possit à reseruatis absolui, liberum erit pœnitenti in prædicto casu confiteri, vel priori confessori, vel alteri: quia peccatum manet simpliciter non reseruatū, & hæc facultas conceditur iuxta modum, & naturam talis sacramenti, & nullam specialem restrictionem adhibet: est autem veluti natura, & institutio huius sacramenti, vt per se loquendo, teneatur pœnitens omnia peccata eidem confiteri; si tamen per accidens propter obliuionem aliquid omittitur, non necessariò est confitendum priori confessori, & tunc illa distinctio confessorum est quasi materialis:

materialis:omnes enim veluti cõplent vnum integrũ ministrum,à quo directè omnia illa peccata tolluntur.

22 Dubium An hoc procedat quando obliuio est culpabilis. Regula generalis.

Sed quæret rursus aliquis,an hoc intelligendum sit solùm quando obliuio est inculpabilis, vel etiamsi culpabilis sit. Respondetur,regulam generalem esse, si culpa talis sit, vt reddat sacramentum non tantùm informe quoad effectum: sed etiam prorsus nullum, tunc peccatum manere reseruatum sicut anteà, non solùm peccatum oblitum: sed etiam peccatum explicatum in tali confessione: quia illa neque est confessio, neque absolutio, & ita nihil est operata, si tamen verum fiat sacramentum informe, quoad effectum, iuxta varias sententias suprà tractatas,tunc fieri posse, vt homo maneat liber à reseruatione, iuxta ea, quæ iam subiiciam. Obiici tamen potest contra priorem partem, quia videtur repugnare his quæ suprà dicta sunt: diximus enim per confessionem factam superiori tolli reseruationem, etiamsi absolutio fuerit irrita:ergo idem dicendum est in præsenti, saltẽ quando peccatum non fuit oblitum: sed in confessione explicatum.Respondeo,negando consequentiam: in priori enim casu satisfit superiori, & impletur totum id,quod per reseruationem intẽditur, & ita quasi ordinario iure, vt sic dicam, finitur reseruatio: in præsenti verò absolutio à peccato reseruato conceditur per modum indulgentiæ, & fauoris, & vna ex conditionibus requisitis ad talem gratiam consequendam est,vt quispiam confiteatur, quod saltem intelligi debet de confessione valida:quia alia non est sacramentalis confessio.Et ideò per illam nec remittitur culpa, quia absolutio est nulla: nec tollitur reseruatio, quia non satisfit intentioni superioris, neque indulgentia vlla ab illo concessa comparatur. Secus verò erit, si absolutio sit valida,licèt informis, saltem quoad peccata reseruata in illa confessione explicata, & per talem absolutionem directè remissa:nam quoad illa vsus Iubilæi, seu priuilegij per illum concessi, validus fuit, semelq; habuit effectum, qui non ampliùs reuocatur, & ideò peccata illa non solùm non manent reseruata, verùm neque sunt materia necessaria confessionis. Quid autem dicendum sit, si peccatum reseruatum fuit oblitum,patebit ex puncto sequenti.

Obiect.

Diluitur.

23 Aliud dubium.

Potest enim circa hoc vlteriùs quæri,quid sit dicẽdum de peccato oblito,quando ille,qui sic est absolutus,posteà non fecit reliqua opera necessaria ad consequendum Iubilæum, vt in casu tractato in principio huius sectionis, in quo diximus, peccata directè remissa manere libera à reseruatione: hic verò inquirimus, an idem sit de oblitis. Et possunt certè facilè in vtramq; partem argumenta fieri: quia, si ille per confessionem, & absolutionem consecutus est absolutionem plenam à reseruatis confessis, consequenter videtur obtinuisse liberationem à reseruatione oblitorum:quia iam vsus est priuilegio sibi concesso: ergo licèt posteà non lucretur indulgentiam, non incidit in reseruationem. In contrarium verò est: quia omnia hæc priuilegia conceduntur propter comparandam indulgentiam, & ideò donec illa obtenta sit, non videtur pœnitens posse gaudere iis priuilegiis, quæ ad effectum non peruenerunt, vt sic dicam.Vnde; illa peccata, quæ directè ablata sunt, ideò manẽt non reseruata: quia iam non manent subiecta,seu necessariò subiicienda clauibus:at verò peccata oblita semper manent necessariò subiicienda, & ideò ex hac parte non manent à reseruatione libera: vnde cùm aliàs non sit ablata reseruatio lucrãdo indulgentiam, seu Iubilæum,videntur manere in eodem statu, in quo anteà erant: quia nullum aliud sufficiens signum ablatæ reseruationis in illo facto interuenit. Item peccatum illud nec directè remissum fuit, neque alia via sufficienter satisfactum est intentioni superioris reseruantis:ergo. Atque hæc pars videtur valdè probabilis,& maximè tuta.

24 Obiectioni occurritur.

Nihilominùs non videtur prior pars ita improbabilis,quin possit quis probabiliter ei adhærere. Et ratio esse potest quia diximus in quarto puncto,manere liberum à reseruatione etiam peccati obliti, qui absoluitur virtute Iubilæi, vt lucretur indulgentiam: hæc autem ablatio reseruationis statim conceditur, ac homo absoluitur à peccatis: ergo siue posteà faciat reliqua opera necessaria, siue non, ille fructus comparatus manet, nec posteà reuocatur. Video responderi posse, hunc effectum auferendi reseruationem non esse propriè sacramentalem, & ideò non esse inconueniens esse dependentem à futuro euentu, ita vt si posteà reliqua necessaria fiant ad obtinendam indulgentiam Iubilæi, auferatur reseruatio,non verò si omittantur. Sed hoc valdè scrupulosum est, & nulla sufficienti ratione fundari potest: & ideò meliùs dicitur supposito tali priuilegio satisfieri voluntati superioris reseruantis, ideoque statim auferri reseruationem, quidquid posteà eueniat. Id tamen intelligendum est, si obliuio fuit inculpabilis, & absolutio valida, siue habuerit effectum gratiæ, siue ex aliquo impedimento extrinseco fuerit informis: nam hoc accidentarium est, & nulla probabili ratione dici potest, priuilegium hoc quoad hanc partem concessum fuisse sub tali conditione. Secus verò esset, si obliuio fuisset culpabilis: nam tunc & absolutio fuisset nulla, & non esset moraliter satisfactum intentioni superioris, quandoquidem nec diligentia sufficiens adhibita fuit ad explicandum in tali confessione omne peccatum reseruatum.

---

## *Quando reseruationes eiusdem peccati plures sunt, an vna tollatur sine alia.*

25

VLTIMÒ inquiri potest in hac materia,quid dicendum sit, quando idem peccatum à pluribus superioribus, vel ab eodem pluribus modis reseruatũ est,an scilicet, ablata vna reseruatione, auferantur reliquæ, nécne. In quo agere possumus de ablatione reseruationis per absolutionem directam ipsius culpæ reseruatæ, vel per alium modum. De priori puncto, quod propriè huc spectat, nulla potest esse quæstio: nam regula suprà posita in vniuersum vera est,peccatum per directam absolutionem validam semel remissum simpliciter, & absolutè non manere ampliùs reseruatum:quia iam nõ est materia necessaria confessionis. Vnde potiùs oportet inquirere, quando peccatum habet plures reseruationes, quid necessarium sit ad tollendam reseruationem, ita vt absolutio valida esse possit. Quod vt breuiter explicem,aduerto reseruationem vel fieri sine censura, vel cum illa:si priori modo, existimo in primis,si reseruationes factæ sint ab eodem superiore, licèt videantur plures, in re non esse nisi vnam repetitam: ideoque per vnam facultatem absoluendi à tali peccato, tolli omnem reseruationem huiusmodi. Voco autem eundem superiorem, non solùm propter identitatem personæ: sed etiam propter identitatem potestatis, seu prælationis, vt si vnus Episcopus per statutum reseruet aliquod peccatum, & successor eius per aliud, vel per declarationem ab homine. Et ratio est: quia licèt leges, vel mandata sint plura, tamen effectus est vnus, & idem: qui est ablatio iurisdictionis, vt manantis à tali potestate: hæc autem iurisdictio restituitur per vnam facultatem ab eadem potestate manantem. Atque idem dicendum esset de reseruationibus factis à pluribus superioribus, si per possibile,

Deciditur.

Quid de reseruatione sine censura.

Quid nomine eiusdẽ superioris intelligatur.

possibile, vel impossibile essent æqualis potestatis: nam licèt omnes illi reseruassent, quilibet eorum per se posset iurisdictionem restituere: supponimus enim vnumquemque esse superiorem in solidum, alioqui non essent plures reseruationes: sed vna procedens à multis personis operantibus per modum vnius. Et propterea nunquàm possunt ita concurrere duo pastores habentes insolidum potestatem æqualem, nisi inter eos detur locus præuentioni: & ideò iurisdictio à quolibet eorum data, sufficit ad tollendum simpliciter peccati reseruationem.

26. Ablata reseruatione superioris tolli inferioris, & non è contrà.

At verò si idem peccatum sit reseruatum à duobus superioribus subordinatis, vt ab Episcopo, & Papa, tunc clarum est, facultatem Episcopi non sufficere ad tollendam reseruationem simpliciter respectu Papæ: quia non potest inferior restituere iurisdictionem, quam superior abstulit, sibique reseruauit: nam hoc ipso voluit, vt à nullo alio concedi possit. E contrario, autem, Nauar. statim citandus sentit, ablata reseruatione Papali per priuilegium Pontificis auferri Episcopalem, non tam de rigore iuris, quàm ex vsu. Sed in primis difficile est ad intelligendum, posse idem peccatum absque censura esse reseruatũ Papæ, & Episcopo, & sic de aliis cum proportione. Nam hoc ipso quòd pastor supremus, seu altior sibi reseruat peccatum; extrahit illud à iurisdictione omnium inferiorum: nihil ergo habent inferiores, quod possint sibi reseruare. Quòd si hoc ita est, rectè sequitur, per facultatem eiusdem pastoris supremi tolli sufficienter reseruationẽ: quia superior potest iurisdictionem concedere, inferiore etiam renuente: atque hoc non solùm ex vsu: sed etiam ex rigore iuris verum est. Per hoc tamen non offertur Episcopo potestas reseruandi sibi casum, quem Papa noluit sibi esse reseruatum, nisi vel hoc ipsum prohibeat, vel possibilem facultatem ad absoluendum concedat, non obstante Episcopi reseruatione. Et eodem modo fingi potest casus, in quo Episcopus aliquod peccatum reseruet simul cum Papa pro illis temporibus, vel sub ea conditione, si Papæ reseruatio cessaret; & è conuerso, quòd Papa tollat suam reseruationem non simpliciter dando iurisdictionem aut facultatem: sed solùm quantùm est ex se non auferendo: & in eo casu verum est, ablata reseruatione Papali, non auferri Episcopalẽ. Hic autem casus potiùs excogitatus est, quàm moraliter contingens: & ideò quoad hoc verificari potest: quòd iuxta communem vsum, ablata reseruatione Papali nulla manet inferior.

27. Quid de reseruatione cum censura.

Supereſt dicendum, quando reseruatio sit cum excommunicatione reseruata: tunc enim est attentè aduertendum, an reseruationes dicantur esse plures propter plures excommunicationes reseruatas, vel solùm propter plures leges, vel sententias generales ferentes eandem excommunicationem reseruatam propter idem peccatum, vt sæpe contingit. Quando enim excommunicationes sunt plures, quanuis vna auferatur, non satis est vt simpliciter tollatur reseruatio à culpa, quia vna excommunicatio sufficit, vt culpa reseruata maneat ei, qui talem censuram tulit, præsertim in casibus Papalibus, in quibus, durante aliqua excommunicatione reseruata, ipsa etiam culpa reseruata manet. Quod idem poterit in inferioribus contingere, si ad hunc modum reseruatio fiat: vel saltem manebit reseruata culpa, mediante censura, vt non possit quis, per se loquendo, ac legitimè à tali culpa absoluere, nisi priùs excommunicationem auferat, qui illam sibi reseruauit, vel ad illam tollendam facultatem præbeat. Secus verò est, quando excommunicatio est vna tantùm: nam licèt pluribus modis reseruata sit, si tamen illa semel auferatur tota reseruatio culpæ tollitur, quia supponimus esse connexam cum tali censura. De ipsa verò censura sic reseruata restabat dicendum, quæ facultas sufficiat, vt auferatur, quod spectat ad propriam materiam, quanquàm, si considerentur quæ diximus de reseruatione à culpa, quando sola fit, facilè intelligetur idem esse dicendum cum proportione de tali censura: nam per solam facultatem supremi iudicis reseruantis auferri poterat, quia illa sufficit ad dandam iurisdictionem, nec potest ab inferiori impediri, nec præueniri, ipso per reseruationem resistente. Atque hoc sensit Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 261. dum dixit, reseruationem Episcopalem auferri ablata Papali, loquitur enim quãdo aufertur per ablationem censura, & refert seipsum in capite, *Ita quorundam*, de Iudæis, notab. 11. numero 71. qui numerus ibi nunc non inuenitur: videtur tamen esse in Glossa vltima numero 35. vbi tractat, an illæ excommunicationes sint plures, vel vna, quæ res in propria materia explicanda est. Nauarr.

## DISPVTATIO XXXII.

### *De præceptis, seu obligationibus pertinentibus ad ministrum huius sacramenti.*

HACTENVS tractauimus omnia, quæ ad sacramentum Pœnitentiæ explicandum necessaria visa sunt. Nunc supereſt dicendum de præceptis, quæ illud comitantur, quæ possunt pertinere vel ad iudicem, vel ad reum: hìc enim, per se loquendo, non interueniunt aliæ personę. Et de pœnitente quidem multa in superioribus diximus, quæ erant connexa cum ipso sacramento. De obligatione verò ad vsum confessionis dicemus in fine huius materiæ, vt priùs doctrinã de ministro absoluamus. In quo triplex obligatio intelligi potest. Vna est quasi præuia, scilicet, vt sit sufficienter instructus ad hoc munus, & hæc explicata est suprà disp. 28. sect. 1. & 2. Alia est consequens, seu relicta ex confessione, scilicet obligatio secreti: & hanc explicabimus disputat. seq. Tertia est quasi concomitans, seu in ipsomet confessionis ministerio, & de hac dicemus in præsenti.

## SECTIO I.

### *Quis sacerdos teneatur fidelium confessiones audire.*

1. Obligatio te ex charita

DIXIMVS superiori tomo disp. 16. sect. prima, ex duobus, vel tribus capitibus posse oriri obligationem ministrandi aliquod sacramentum, scilicet ex charitate, obedientia, officio, seu iustitia. Hæc ergo tria possunt ad hoc sacramentum applicari. Veruntamen de obligatione charitatis nihil hic speciale occurrit, sed seruandæ sunt, & applicandæ generales regulæ charitatis, seu misericordiæ. Solum est obseruandum quia sacramentum hoc maioris necessitatis est, quàm reliqua excepto Baptismo, ideò charitatis obligationem facilius occurrere posse in hoc sacramẽto, quàm in aliis, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, si spiritualis vita proximi periclitetur, & non sit alius qui ei subueniat. Nam licèt in rigore possit proximus per contritionem saluari, tamen magno morali periculo exponitur, quando sine alio medio relinquitur, sed hæc extrinseca sunt ad præsentem materiam: magisque accidentaria est obligatio ex voto, aut obedientia, seu alio præcepto positiuo, & ideò nihil de illa in speciali occurrit dicendum.

2. Propria obligatio ex officio.

Propria ergo obligatio per se quasi intrinseca, est ex officio, quæ non est in omnibus Sacerdotibus, sed in his, qui sunt pastores ex officio, & maximè in eo, qui propriissimè vocatur proprius Sacerdos, seu Parochus: nam Episcopi, & superiores Prælati, quamuis ex officio teneantur prouidere subditis de idoneis confessoribus, regulariter tamen non tenentur ipsi per se audire confessiones subditorum; quia habent vniuersalius regimen, & plures alias actiones, quibus intenti esse debent: interdum verò, si grauis necessitas subditi postularet, posset obligari Episcopus ratione sui muneris ad audiendam subditi confessionem; quia etiam est proprius pastor animæ eius, & ex officio tenetur spiritualem eius salutem procurare. Ordinatiè verò hæc obligatio pertinet ad Parochos, qui ad hoc præcipuè aluntur à fidelibus, vt eis sacramenta ministrent.

3. Quando teneatur Parochus subditum audire. Quorũdam sententia. Medina. Richard. Maior. Sylvest.

Difficultas verò hoc loco existit, quando in rigore teneatur Parochus subditum confiteri volentem audire. Est enim quorundam sententia, solùm teneri, quando ipsi subditi confiteri tenentur, non verò si voluntariè confiteri velint: ita tenet Ioannes Medina quæst. 41. de Confessione per Curatum audiend. sequutus Richardum dist. 18. art. 2. quæst. 3. Maior. dist. 17. quæst. vlt. Sylvest. verb. *Confessor*, 1. §. 18. Armilla verb. *Absolutio*, num. 27. Fundamentum est, quia extra illud tempus non tenetur Parochus ex charitate confessiones subditorum audire, quia charitas solùm obligat tempore necessitatis, & præcisa obligatio charitatis non est alterius rationis in Parocho, quàm in aliis, neque etiam tenetur ex iustitia, quia ratione sui officij tantùm tenetur ea præstare, quæ iure communi, vel à suo superiore præcepta sunt, sed tantùm est illi præceptum, vt tempore necessitatis sacramenta ministret: ergo. Secundò, quia aliàs teneretur Parochus audire subditos, quoties confiteri velint, hoc autem esset valdè onerosum, & moraliter ferè impossibile. Sequela patet: quia si tenetur audire voluntarias confessiones, non est maior ratio de vna, quàm de alia. Denique, si Parochus probabiliter credat, subditum solùm velle de venialibus confiteri, non tenetur audire; quia illa confessio voluntatis est, non necessitatis: ergo idem erit de omni voluntaria confessione. Hanc sententiam reprehendunt Adrian. q. 5. de Confes. dub. 8. Soto dist. 18. q. 4. art. 2. Nauarr. dict. cap. *Considerent*, de Pœnit. dist. 6. à num. 152. & sanè meritò: est enim parum pia, & practicè minimè tuta.

Reprehenditur. Adrian. Soto. Nauarr.

---

*Teneri Parochum audire subditum confiteri volentem extra obligationis tempus.*

4. Prima assertio.

DIcendum est ergo primò, Parochum non tantùm teneri ad ministrandum hoc sacramentum subditis, quando illi tenentur suscipere, sed etiam aliis temporibus, si ipsi petant. Probatur, quia Pastor ex ratione officij sui non tantùm tenetur prouidere ouibus, quando illæ extremè indigent, sed etiam temporibus opportunis: quia tenetur non solùm necessitatem, sed etiam vtilitatem, & commodum, & profectum earum procurare, vel saltem non impedire: esset autem contra euidentem vtilitatem ouium, si tantùm semel in anno hoc sacramentum illis tribueretur, etiam ipsis petentibus, & desiderantibus maiorem frequentiam, nec posset maius impedimentum poni non solùm profectui, sed etiam saluti earum: ergo. Maior ex terminis videtur moraliter nota, & non obscurè colligitur ex Ezech. 3. 33. & 34. & aliis similibus sacræ Scripturæ locis, in quibus reprehenduntur Pastores, qui conuenientem ouium prouidentiam non habent. Et confirmatur; quia Pastor tenetur, si commodè potest, procurare, vt subditi euitent mortalia peccata, quoad commodè fieri possit: nullum autem est medium ad hunc finem magis accommodatum, quàm frequens confessio: nec potest non contingere (regulariter loquendo) quin intra annum sit sæpiùs peccaturus, qui semel tantùm in anno confitetur: ergo tenetur Parochus non impedire hanc frequentiam, nec cogere subditos, vt semel tantùm in anno confiteantur. Et confirmatur secundò, quia tenetur Parochus extremam Vnctionem ministrare, etiamsi fortasse subditus non teneatur suscipere, vel etiamsi nondum vrgeat extremus necessitatis articulus, interdum etiam tenetur facere sacrum, quamuis subditi non teneantur audire: ergo.

Ezech.

5. Secunda assertio.

Secundò dicendum est, teneri Parochum ad audiendam confessionem subditi, quando ille opportuno tempore, & iusta de causa petit hoc sacramentum, & nulla est rationabilis causa negandi. Probatur, quia, supposita præcedenti conclusione, nulla potest certior, vel prudentior regula præscribi. Item, quia tunc subditus habet ius petendi: ergo Parochus, & Pastor habet obligationem dandi. Sed obseruandum primò est, non semper teneri Parochum per seipsum hoc facere: si enim sunt alij, qui possint huic muneri satisfacere, poterit Parochus facultatem concedere suis ouibus, vt eis confiteantur; quia non tenetur semper per seipsum sacramenta ministrare, & hoc modo satis subuenitur necessitati subditorum. In aliquo autem casu poterit teneri Parochus ad audiendam per seipsum confessionem subditi, ipso exigente propter aliquam grauem causam, vel quia non potest aliter satisfacere suæ conscientiæ: sed hoc, vt dixi, rarum est, & prudentiæ Parochi relinquendum. Secundò est obseruandum, non semper peccare mortaliter Parochum negando hoc sacramentum subdito petenti extra tempus necessitatis, nisi grauis aliqua causa vrgeret, vt v. g. quia subditus graui aliqua tentatione, aut difficultate premitur, vel quia longum, & difficile iter aggreditur, vel certè quia est tempus Iubilæi, & priuaretur magna vtilitate, si non confiteretur: in his enim, & similibus euentibus peccaret grauiter Pastor negando hoc sacramentum. Tamen extra hos casus non erit peccatum mortale, etiamsi semel, aut iterum neget, seu differat, dummodò non sit dilatio nimia, ita vt censeatur subditus priuari iure suo in re graui, quod prudenti arbitrio existimandum est. Vnde colligitur, si subditus importunè, & nimis frequenter confiteri velit, non teneri Parochum ad audiendum illum: oportet enim etiam habere rationem aliarum occupationum, seu obligationum ipsius Parochi: præsertim, quia non tenetur summam diligentiam adhibere, vel laborem, sed moderatam, & prudentem sollicitudinem.

Limitatur præcedens assertio.

Limitatio secunda.

6. Argumentis primæ sententiæ satisfit.

Ad argumenta primæ sententiæ ex dictis patet solutio. Ad primum respondetur, non esse hîc necessarium aliud speciale præceptum, præter ipsum debitum pastoralis officij, quod intrinsecè secum affert hanc obligationem, vt explicatum est. Ad secundum iam diximus, quando, & quomodo possit tempus huius obligationis definiri. Ad tertium respondetur, quamuis hæc obligatio maximè vrgere possit, quando subditus creditur esse in statu peccati mortalis, à quo per confessionem liberari cupit; tamen non tantùm in huiusmodi confessione posse obligationem hanc interuenire, sed etiam in confessione, quæ de solis venialibus futura esse creditur, quando illius frequentia est prudens, & moderata: pertinet enim ad magnum spirituale bonum subditi, &, vt dicebam, moraliter necessaria est ad euitanda peccata mortalia, & Parochus, seu Pastor tenetur ita prouidere saluti ouium, vt possint, si velint, & proficere, & peccata vitare, & quantùm in ipso est, impedimentum non ponere.

Ex quo

Ex quo tandem intelligitur, hanc obligationem eadem, vel maiori ratione esse in quolibet ordinario pastore, qui habet vicem Parochi, proportione seruata, vt est in religionibus superior; quia licèt non accipiat stipendium, tamen ex officio, & quasi mutua conuentione, & pacto tenetur subditorum salutem procurare, tantò maiori obligatione, quantò subditorum statum maiorem perfectionis profitentur.

## SECTIO II.

### *Quomodo debeat Confessor certus fieri de dispositione pœnitentis.*

1. Cõfessorem teneri iustitiam & religionem seruare.

SIVE Confessor ex obligatione ministret hoc sacramentum, siue ex voluntate sua, tenetur & iustitiam, & religionem in eius administratione seruare: quia & iudicium, & actionem sacram exercet. Quid autem agere debeat, vt his virtutibus in hoc munere satisfaciat, supereſt explicandum, de quo videri possunt Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 19. & alij Doctores infrà citandi. Vnum ergo ex præcipuis est, vt dispositionem conscientiæ pœnitentis sufficienter agnoscat. Est enim præcipuum huius materiæ fundamentum, non posse confessorem licitè pœnitentem absoluere, nisi ille sit bene dispositus ad absolutionem suscipiendam. Primò, quia non potest ipse absoluere, nisi quem Christus etiam absoluit: gerit enim vices Christi, & quæ ipse soluit in terris, debent soluta manere & in cœlis, aliàs clauis errabit, & minister illa abutetur, & peccabit. Secundò, quia tenentur ministri sacramentorum non dare illa indignis. Tertiò, quia est iudex, & tenetur iustum iudicium facere. Ex quo fit, priusquàm absoluat, necesse esse, vt prudenter, & probabiliter iudicet pœnitentem esse dispositum: quia aliàs se exponeret periculo errandi, & sine sufficienti cognitione operaretur. Explicandum supereſt, quid debeat facere confessor, vt hoc prudenter iudicet, & suæ conscientiæ satisfaciat.

Nõ posse cõfessorem absoluere pœnitẽtem, nisi dispositum.

2. Dispositio pœnitẽtis ex quibus componatur.

In quo est secundò obseruandum, hanc dispositionem pœnitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia præteritorum, & proposito in futurum: & quidem quoad displicentiam attinet, facilè potest sibi satisfacere confessor; quia si pœnitens in ipso modo confessionis, & accusationis suæ præbet signa doloris, vel certè si est homo non valdè rudis, & apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere: bene tamen semper faciet proponendo, & consulendo detestationem peccati: & quando non habet sufficientia signa doloris, potest, & debet interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solùm communis, & generalis obligatio non peccandi de cætero. In quo obseruant Doctores, non debere confessorem proponere pœnitenti omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in manifesto periculo, non solùm non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuò peccandi: satis ergo est, vt proposita in genere fœditate peccati, Dei bonitate, & periculo damnationis, &c. pœnitens concipiat generale propositum nunquàm iterum peccandi mortaliter: neque oportet, vt confessor sibi persuadeat, & iudicet etiam probabiliter, ita esse futurum, vt pœnitens à peccando abstineat; sed satis est, vt existimet nunc habere tale propositum, quamuis post breue tempus illud sit mutaturus. Ita docent omnes Auctores. Et ratio est clara ex iis, quæ dicta sunt suprà in materia de Contritione.

Tota ergo difficultas ad hoc reuocatur, quando confessione resultat specialis obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem in futurum. Circa quod primùm obseruandum est, non semper debere confessorem cogere pœnitentem, priusquàm illum absoluat, vt id exequatur, quod facere tenetur, id est, vt restituat, &c. quia hæc obligatio non semper vrget pro statim: & quia satis est, vt pœnitens credatur habere firmum propositum suam obligationem implendi, cui credendum est, præsertim si tunc primùm incidit in eam occasionem, seu obligationem, & non est inuentus infidelis, vel inconstans in similibus propositis, neque ex aliis coniecturis potest talis suspicio probabiliter concipi. Neque oportet ab illo iuramentum, aut aliam cautionem exigere, nisi in casibus à iure expressis, vt notauit Nauarrus cap. 26. num. 2. Sylvester verb. *Confessor*, 3. quæst. 12. & Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 19. Aliquando verò oportet remittere pœnitentem, & illum non absoluere, donec suam obligationem impleat, præsertim quando iterum atque iterum illam confessus est, & implere promisit, neque impleuit: quia aliàs relinquetur in morali occasione peccandi, & eius propositum moraliter non potest iudicari efficax, quandoquidem conuincitur esse in magna mora, & posse, & non facere. Quapropter oportet confessores in hoc esse cautos, & constantes, ne grauentur peccatis alienis: quod notauit Caietanus verb. *Restitutio*, cap. 6. & Antoninus 2. part. tit. 2. cap. 8. & Nauarrus cap. 17. num. 54. & cap. 26. num. 5.

de tie... & tuendi, v. occasionem relinquendi.

Nauart. Sylvest. D. Antonin.

Caietan. Antonin. Nauarr.

4. Quid fiet, cùm pœnitens non potest statim implere obligationem.

Sed est specialis difficultas, quid fiet, quando pœnitens, vel non potest, vel difficillimè potest huiusmodi obligationem implere statim. Respondeo, in obligatione restituendi rem esse facilem; quia si moraliter non potest, pro tunc excusatur, & satis est, si restituere proponat, quando ad pinguiorem fortunam veniet. Moralis autem perplexitas esse solet in proximis occasionibus peccandi, quæ sæpe sine scandalo, vel infamia, vel alio graui incommodo relinqui non possunt; si autem non relinquantur, homo manet in graui periculo proximo, & morali. In qua re explicanda Nauarrus in Summa, cap. 3. num. 10. & sequentibus: & Corduba in Summa Hispan. quæst. 4. multa dicunt. Sed vix potest certa regula tradi, quia tota hæc res maximè pendet ex prudentia confessoris. Solùm est attendendum ad iudicandum, quòd aliqua sit moralis occasio proxima, necessarium esse, vt vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel certè, vt experimento constet in hoc homine habere talem effectum. Deinde necesse est, vt illa occasio voluntaria sit; quia aliàs quod ex illa nascitur, vt sic, non erit voluntarium, neque ipsa in se poterit esse culpabilis. Vnde fit, quando moraliter vitari non potest, illam non censeri voluntariam, neque assumptam, sed illatam: & ideò non esse morale, sed necessitatem quandam potiùs, vel impotentiam, propter quam non fit homo absolutione indignus. Oportet tamen aliis mediis vti ad curandum hominem, & probandum, an eius propositum efficax sit: neque est illi neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat, maximè si aliquantulùm se contineat, & numerum peccatorum paulatim diminuat: quod notauit Nauarrus cap. 3. num. 21. Interdum verò differri potest absolutio, & maior aliqua pœnitentia, vel cautio adhiberi: quòd si tandem experimento constet, hæc non sufficere, cogendus erit interdum pœnitens ad tollendam occasionem, etiam cum graui temporali nocumento, semper tamen magna prudentia necessaria est, vt scandalum vitetur.

Nauarr. Corduba.

Nauarr.

## SECTIO III.

*Quam diligentiam teneatur confessor adhibere, vt pœnitens integrè confiteatur.*

1. DVo sunt ex parte pœnitentis necessaria, vt sit absolutione dignus, debitus dolor, & integra accusatio. Vtriusque igitur debet confessor habere sufficientem notitiam, & satisfactionem, vt iustam possit proferre sententiam; & ideò, præter diligentiam superiori sectione explicatam circà dispositionem pœnitentis, necesse est, vt etiam circa integritatem suam operam prudenter exhibeat: quod tunc à nobis explicandum est. Et in primis inquiri potest, an debeat confessor initio confessionis aliquas interrogationes præmittere, quod tractant Nauarrus cap. 10. & Caietanus verb. *Interrogationes confessoris*; qui dicunt vtile esse, nonnulla interrogare, v.g. statum, & conditionem pœnitentis, tempus, in quo vltimò confessus est, & an satisfecerit pro priori confessione, ac denique an sufficienter paratus veniat. Addit etiam Caietanus interrogandum esse, an habeat aliquod impedimentum, propter quod absolui non possit, vt, an gerat inimicitias cum aliquo, vel quid simile. Sed hoc nec Nauarro placuit, nec mihi: quia rarò erit vtile, & sæpe poterit pœnitentem offendere: tum etiam, quia fieri poterit, vt licèt initio habeat impedimentum, & sit indispositus, tamen paulatim in confessione ipsa disponatur. Addendum etiam est, has omnes interrogationes absolutè non esse necessarias; quia ex discursu confessionis facilè cognosci poterunt, si oportuerit; & interdum non sunt circunstantiæ necessariæ alicuius peccati; quòd si fuerint, tunc interrogari poterunt, si à pœnitente non dicantur, vel si ab ipso confessore cognitæ non sint: nam hoc etiam sufficiet, vt notauit Nauarrus in cap. *Consideret*, dist. 6. num. 60. Quod intelligendum est, dummodò ipsi pœnitenti hoc constet, vt suum peccatum sufficienter in confessione explicet: quia, vt aliàs diximus, non satis est, vt alia via confessori nota sint peccata; sed necessarium est, vt in confessione dicantur: deseruit tamen cognitio aliàs habita, vt confessio vnico verbo, vel signo fieri possit.

An debeat confessor in principio interrogationes præmittere. Nauarr. Caietan.

2. Hîc verò existimant aliqui, debere Sacerdotem initio confessionis admonere pœnitentem, quam facultatem habeat, vel non habeat absoluendi à casibus reseruatis, ne fortasse accidat, pœnitentem priùs confiteri omnia peccata sua, & posteà non posse absolui ratione alicuius casus reseruati. Sed hoc, per se loquendo, necessarium non est; quia hæc cura magis ad pœnitentem spectat, quàm ad confessorem: ipse enim scire debet, an casum aliquem reseruatum afferat; ideoque, si illum habeat, interroget confessorem, quam iurisdictionem habeat in casus reseruatos: nam, si ille non interrogat, confessor potest præsumere necessariam non esse. Quòd si fortasse pœnitens ignoret, qui sint casus reseruati, siue confessor dicat se habere potestatem in illos, siue neget, nihil proderit pœnitenti; imò, licèt ipsum interroget, an casum aliquem reseruatum afferat, non poterit respondere, donec ex discursu confessionis Sacerdos id possit discernere. Inconueniens ergo illud accidentarium est, quod ex aliis etiam causis oriri potest ob indiscretionem, vel ignorantiam pœnitentis, quam non potest semper confessor præuenire.

3. An cõfessor possit esse cõtentus sola narratione pœnitentis.

Secundò inquiri potest, an in discursu confessionis, vel in fine eius, ante absolutionem teneatur confessor aliquid interrogare, vel possit esse contentus sola narratione pœnitentis. In quo duo sunt certa: primum est, si considerata conditione pœnitentis, A moribus, scientia, & longitudine, aut breuitate temporis, & aliis circunstantiis, probabiliter, ac prudenter iudicet confessor pœnitentem integrè esse confessum non teneri ad interrogandum aliquid; quia nulla est talis obligatio, cùm in his rebus non sit maior euidentia requirenda, sed ea probabilitas, quæ ad alia negotia humana grauia existimari solet sufficiens. Quin potiùs in huiusmodi euentu iudicari posset quælibet interrogatio otiosa, & curiosa, & onerosa pœnitenti, quæ omnia vitanda sunt. Secundò certum est, si confessor iudicet pœnitentem non satis explicuisse conscientiam suam, aliquaque peccata relinquere ob negligentiam, vel minùs perfectam examinationem, teneri ad interrogandum, priusquàm absoluat. Ita docent communiter Doctores cum Magistro in 4. dist. 17. & 19. Soto dist. 18. quæst. Magist. Soto.
B 2. art. 4. circa finem: & alij, quos statim referam: & colligitur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi dicitur, *Sit Sacerdos discretus, & cautus more periti medici diligenter inquirens peccatorum circunstantias*, &c. Similia habentur in sexta Synodo, can. vlt. Concil. Trullan. Concilium Trullanum. & in Concil. Vormat. cap. 7. & in cap. 2. de Pœnit. Cõc. Vorm. dist. 6. ex Augustino, lib. de vera, & falsa pœnit. cap. Augustin. vlt. Et ratio est, quia integritas confessionis est necessaria, vt homo sit capax absolutionis: ergo priusquàm confessor absoluat, tenetur probabiliter iudicare pœnitentem confessum esse integrè: ergo si non iudicat absque sua interrogatione, & inquisitione, tenetur inquirere.

4. Obiectio. Dices, nunquàm Sacerdotem teneri ad interrogandum, quia semper potest remittere pœnitentem,
C vt ampliùs se examinet, ac præparet, vt per seipsum integrè confiteatur. Respondetur in primis, sæpe Soluitur. pœnitentem esse incapacem ad hoc præstandum per seipsum solum, & ferè necessariò indigere ope, & auxilio confessoris. Deinde, si sit confessor proprius, & qui ex officio tenetur audire confessionem, eadem ratione tenebitur diligentiam adhibere, vt pœnitens integrè confiteatur: si autem sit alius Sacerdos, qui spontè audit confessionem, faciliùs poterit relinquere pœnitentem, admonendo illum, vt maiorem diligentiam adhibeat: quanquàm postquàm cœpit confessionem audire, non debet in hoc esse facilis, quia esset valdè onerosum pœnitenti; & ideò sine graui causa non debet illum relinquere, inchoata confessione, sed suis interrogationibus iuuare, vt integrè
D confiteatur. Et confirmatur, quia iudex non debet sententiam proferre, non satis cognita causa: & medicus, si ægrotus nesciat ægritudinem suam satis aperire, debet inquirere, donec sufficientem notitiam habeat ad medicinam adhibendam: ergo similiter, &c.

5. Petr. Soto. Addit verò Petrus Soto lect. 10. de Confessione, si pœnitens non patiatur se ampliùs examinari, & interrogari, dicens, sufficienter esse confessum, debere Sacerdotem illum absoluere, admonitione præmissa, absolutionem hanc illi profuturam, si integrè confessus non sit. Sed hoc prudenter est intelligendum, scilicet, si confessor probabiliter iudicet confessionem integrè esse factam; quia, si sit certus, pœnitentem temerè, & imprudenter procedere, non debet
E illi conformari, quia id esset ad malum cooperari. Aduertendum etiam in hoc est, non oportere de omnibus rebus interrogare, sed de iis, quæ considerata conditione pœnitentis, & notitia, quam ipse de seipso præbet, probabiliter possunt in ipsum conuenire, seu in probabile dubium venire. Quapropter omnes Doctores admonent confessorem, ne sit nimius in interrogando, & præsertim, vt in aliquibus rebus, seu materiis (vt v.g. castitatis) ad particularia non semper descendat, ne aut pœnitentem doceat quæ fortè nescit, aut se, vel illum periculo alicuius tentationis exponat,

Oportere cõfessorem nõ esse nimium interrogando.

D. Thom. exponat, vt rectè D. Thomas docuit 4. dist. 10. quæst. 3. quem imitatus est Soto dist. 18. quæst. 1. art. 4. post medium.

6. An confessor teneatur interrogare pœnitentem de peccato oblito. Medinæ responsio.

Difficultas verò superest, si confessori constet, pœnitentem quidem fecisse sufficientem diligentiam, & nihilominùs aliquod peccatum omittere; an teneatur tunc illud interrogare. Medina in dicto Cod. de Confessione, quæst. de Confessione iteranda, negat teneri. Ratio eius est, quia ille pœnitens iam est integrè confessus formaliter, quamuis non materialiter, & est dispositus, vt tam sacramentum, quàm effectum sacramenti, & omnium peccatorum, etiam oblitorum, remissionem consequatur: ergo non est cur confessor obligetur ampliùs inquirere. Adiungit verò limitationem, nisi tacere tale peccatum cedat in graue detrimentum alterius tertiæ personæ, cui potest ipse B minister, media confessione, remedium adhibere. Sed hæc obligatio extrinseca est: non enim prouenit ex ministerio sacramenti, vt sic, sed ex lege charitatis: quacunque enim alia via posset talis Sacerdos illud malum proximi impedire, teneretur ex charitate id facere, per se loquendo. Hîc autem agimus de obligatione per se ex vi muneris confessoris.

7. Vera responsio. Magist. D. Thom. Syluest. D. Antonin. Angel. Nauarr. Cano.

Et hoc modo dicendum censeo, per se loquendo, teneri confessorem in eo casu ad interrogandum propter integritatem ipsius iudicij: quam sententiam tenet Magister in 4. dist. 19. & ibi D. Thomas in fine literæ, post omnes quæstiones: Syluester verb. *Confessor*, 3. §. 14. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 17. §. 2. Angelus verb. *Interrogationes*, §. 3. Nauarrus in Summa, cap. 5. num. 2. Cano dict. Relect. part. 5. Et practicè probatur, quia aliàs ferè nunquam tenerentur confessores C interrogare homines rudes, & indoctos, qui quantamcunque diligentiam præmittant, nunquam per se possunt integrè confiteri, explicando circunstantias, species, & numerum peccatorum: vnde si non iuuentur, etiam excusabuntur, quamuis multa omittant, atque adeò formaliter confitebuntur integrè: ergo, si hoc satis est, vt confessor excusetur ab obligatione interrogandi, nunquàm ferè ad hoc tenebitur. Consequens est contra praxim Ecclesiæ, & contra intentionem cap. *Omnis vtriusque sexus*, & contra rationem iudicij, & curationis, seu obligationem iudicis, & medici, vt suprà argumentabamur.

8. Ratio.

Ratio verò fundamentalis est, quia confessor non solùm tenetur ex officio cauere peccatum pœnitentis in mutilatione confessionis, sed etiam per se tenetur D curare, vt iudicium ipsum integrè fiat: tum quia formaliter, ac per se hoc pertinet ad officium iudicis, cuius personam ibi confessor gerit: debet enim iudex causam perfectè examinare, antequàm sententiam ferat, & consequenter tenetur etiam inquirere, quantùm necesse est, iuxta naturam iudicij, vt causa sufficienter in illo foro explicetur: tum etiam, quia non solius peccatoris, sed etiam Dei, suo modo, res agitur in tali iudicio; & ideò tenetur iudex etiam partes Dei agere, & omnem Dei ostensionem ad tale iudicium afferre, priusquàm reus absoluatur. Vnde, quod Soto dist. 18. quæst. 2. art. 4. versus finem, dixit, officium per se confessoris non esse interrogare pœnitentem, sed ipsum audire, sano modo intelligendum est: est enim id verum per se, id est, nullo supposito defectu, vel impotentia ex parte pœnitentis ibi relicti; quia ipse debet sua sponte omnia dicere, & præuenire, vt sic dicam, interrogationes confessoris. Tamen, supposita imperfectione pœnitentis, ad officium confessoris per se spectat iuuare illum, & consequenter etiam interrogare, si necesse sit, vt confessio integrè fiat.

Soti dictum bene intelligitur.

9. Quid aget confessor, si sciat pœnitentem videat non solùm tacere aliquod peccatum, quod euidenter scit illum commisisse, sed etiam, post-

quàm interrogatus est, illud in confessione negare. Videtur enim teneri ad absoluendum illum, quia iuxta communem regulam, & doctrinam D. Thomæ quodlib. 1. art. 12. quam ferè Auctores citati sequuntur, in hoc foro credendum est pœnitenti tam pro se, quàm contra se loquenti, & in omni iudicio debet iudex iudicare secundùm allegata, & probata, & non iuxta priuatam scientiam: hîc autem tota allegatio, & probatio consistit in dicto pœnitentis. Respondetur, regulariter standum esse confessioni, & dicto pœnitentis: vnde quantumcunque confessor sciat peccatum pœnitentis, ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi pœnitenti, propter rationem factam. Deinde, si ipse confessor suis oculis vidit peccatum, & probabiliter existimare possit pœnitentem esse confessum alteri illud peccatum, potest dissimulare, & credere ideò tunc negare illud; quia non tenetur iterum illud confiteri. Si autem omninò sit euidens illum mentiri contra integritatem confessionis, non tenetur ita stare dictis pœnitentis, vt non possit vti scientia sua ad conuincendum, & redarguendum ipsum pœnitentem: præsertim, quia licèt in externo, & publico foro necessaria sit scientia publica illi proportionata, in hoc foro secreto, & ad bonum ipsius rei ordinato, scientia priuata ipsius confessoris vtilis esse potest. Vnde, si euidenter videat illum esse indispositum, non debet illum absoluere, quidquid ille dicat: idem ergo erit, si euidenter videat non integrè confiteri. tetem tacere, & negare peccatum.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm Confessor possit absoluere pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu de se malo, vel debeat illum admonere.*

1. CONTINGIT interdum aliquem retinere aliena inuincibiliter putans esse sua, vel inter virum, & vxorem intercessisse impedimentum irritans matrimonium, quod ipsi inuincibiliter ignorant; & ideò bona fide debitum petunt, & reddunt. Quid ergo aget confessor, qui totam rem bene nouit, & videt pœnitentem ignorantia laborare? Est autem sermo de ignorantia inuincibili; quia si esset vincibilis, certum est non posse confessorem absoluere pœnitentem, nisi priùs illum admoneat, & D ille proponat statum illum relinquere: quia ratione illius ignorantiæ est in statu peccati. Et ideò in huiusmodi euentibus primùm omnium debet considerare confessor, an talis ignorantia sit inculpabilis: quod colliget ex conditione pœnitentis, ex scientia eius, & dubitationibus, quas patitur, & interrogationibus, quas facit.

2. Prima assertio.

Supposita ergo ignorantia inuincibili, notandum est, aliud esse tacere veritatem, aliud mentitum, & alium in suo errore quoquo modo confirmare. Confessor ergo nullo modo habet falsum dicere, vel pœnitentem vlla ratione in suo errore confirmare, quod per se clarum est: quia hoc est intrinsecè malum. Vnde fit, si pœnitens interroget, vel dubitet, aperiendam esse veritatem. Dices, Non licebit interdum dissimulare, & occultare? hoc enim non est falsum dicere, nec fauere errori. Respondetur, si pœnitens dubitat de re, quæ pertinet ad ius, seu præcepti obligationem, confessor nullo modo debet dissimulare, sed explicare obligationem, quam pœnitens habet, supposita narratione facti, quam ipse proponit. Ratio est clara, quia tunc confessor habet rationem pastoris, & medici; & ideò ad munus illius pertinet veritatem docere: vnde tacendo tunc, & dissimulando, sine dubio alter auctoritate Obiectio.

illius confirmaretur in errore. Si verò sit res, quæ ad factum pertinet, interrogatus tenetur etiam dicere veritatem, sed non tenetur plus dicere, quàm interrogatus sit, iuxta principia statim tradenda. Vnde si vxor dubitet, v. g. an possit reddere debitum marito petenti, propter votum castitatis quod habet, & tamen confessor sciat illam habere aliud impedimentum multò maius, quod irritauit matrimonium, potest simpliciter respondere, votum non impedire redditionem debiti, & reliqua tacere.

3. Secunda assertio.

Secundò, si confessor probabiliter credat suam admonitionem profuturam sine vllo scandalo, vel graui incommodo, debet admonere pœnitentem, vt relinquat statum, qui materialiter est status peccati, quamuis excusetur per ignorantiam. Ita docent qui hanc materiam tractant, Adrianus quæst. 5. de Confessione, dub. 7. quodlib. 5. art. 2. Medina dicto Cod. quæst. de Confessione dimidiata iteranda (quamuis falsò in contrarium citari soleat) Soto dist. 18. quæst. 2. art. 4. circa finem. Petrus Soto lect. 10. de Confess. Cano dict. Relect. part. 5. Corduba lib. 1. quæst. 11. indicant etiam Nauarr. in cap. *Si quis autem*, de Pœnit. dist. 7. num. 66. & Couarr. in 4. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 15.

Adrian. Medin. Soto. Perr. Soto. Cano. Corduba. Nauarr. Couarr.

Ratio assertionis.

Et ratio est, quia in primis ex charitate tenemur admonere proximum, etiamsi ignoranter faciat id, quod ex se peccatum est, quando est spes fructus, vt constat ex materia de Correctione fraterna: quia hæc ipsa ignorantia, & huiusmodi status de se est magnum malum proximi; & ideò ipsa ratio misericordiæ obligat ad subueniendum illi, quando est spes fructus, iuxta generales regulas misericordiæ: ergo hæc obligatio multò magis vrget confessorem. Præterea ratione officij subit confessor vicem pastoris, & Doctoris: ergo tenetur (si commodè potest) illuminare pœnitentem. Oportet autem considerare, an possit illud fieri sine scandalo, & graui detrimento, vt, v. g. in casu illo, de matrimonio, si res est antiqua: posset graue scandalum generari, si publicè separentur; &, si habent filios, posset esse illis graue nocumentum: & ideò hæc, & similia ponderanda sunt: quia, cùm Dei offensio per ignorantiam inuincibilem euitetur, illud materiale malum permitti potest propter hæc grauiora mala vitanda, quando alia via vitari non posset, & in hoc est necessaria prudentia confessoris: neque alia certior regula dari potest.

4. Tertia assertio.

Tertiò, quando confessor non sperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel certè non posse sine graui incommodo id efficere, de quo admonendus est, potest, & debet tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere. Ita docent citati Auctores, quamuis Adrianus, & Soto aliquantulùm differant, vt statim dicam. Et probatur primò ex Augustino in cap. *Si quis autem*, de Pœnit. dist. 9. vbi ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* & Innocentius III. in cap. *Quia circa*, de consanguin. & affinit. propter vitandum scandalum mandat dissimulare cum quibusdam, qui bona fide matrimonium se contraxisse putabant, cùm tamen impedimentum occultum haberent: quem textum bene ad rem præsentem explicant Nauarrus, & Couarruuias suprà. Ratio autem est, quia tunc confessor nec ratione officij, nec ratione charitatis tenetur admonere pœnitentem. Primum patet, quia tunc pœnitens est bene dispositus, & integrè confessus: ergo ex vi officij confessoris absolui potest. Secundum etiam est manifestum, quia charitas, & correctio fraterna solùm obligat, quando est spes fructus. Item in eo casu potiùs esset admonitio contra charitatem, quia posset afferre magnum incommodum proximo sine vllo fructu. Et explicatur, & confirmatur, quia medicus non debet adhibere medicinam, si timeat maius damnum allaturam, quàm fructum, & præsertim quando necessitas non admodùm vrget, vt est in præsenti; quia cùm ignorantia excusat à peccato, facit vt necessitas non admodùm vrgeat.

Augustin. Innoc. III.

Contra hanc sententiam ex parte videntur sentire Adrianus, & Soto, dum quibusdam distinctionibus vtuntur: Soto enim dicit, hanc conclusionem procedere, quando ignorantia est de his, quæ non omnes scire tenentur: non verò quando est de his, quę omnes scire tenentur: quia tunc non est inuincibilis. Sed hoc formaliter non est contra conclusionem positam, quę generaliter vera est, quandocunque ignorantia est inuincibilis. Et præterea talis reuera aliquando esse potest, etiam de his, quæ omnes scire tenentur, vt suppono ex prima 2. Nisi fortè quis dicat, eum, qui inuincibiliter ignorat aliquid, pro tunc non teneri, siquidem pro tunc scire non potest, quod pertinet ad quæstionem de nomine: per se enim obligatio existit: quamuis per accidens hîc, & nunc homo excusetur. Et idem ferè dicendum est ad Adrianum, qui aliter distinguit, nimirum, si ignorantia sit de rebus pertinentibus ad ius naturæ, vel ad ius positiuum omnibus fidelibus propositum; & de his dicit docendum esse pœnitentem, etiamsi non sit spes fructus, vel sequatur quodlibet aliud incommodum, non verò de aliis rebus. Et ratio eius est, quia non censet esse ignorantiam inuincibilem de his rebus, præsertim quando homo non est paratus ad discendum illa, & bene vtendum tali scientia. Et in eam sententiam citat Ambrosium serm. 83. & Gregorium lib. 1. epist. 33. & habetur in cap. *Ephesiis*, 43. dist. Sed in primis hæc testimonia Patrum non sunt ad rem: illi enim non tractant de priuata admonitione, de qua nunc agimus; sed de publica correctione, & doctrina, quæ non est omittenda, etiamsi multi sint illa malè vsuri, quia in illa semper est spes fructus. Deinde, licèt verum sit, in his, quæ sunt iuris naturæ, rariùs contingere ignorantiam inuincibilem, non est tamen impossibilis in multis, præsertim, quæ per se nota non sunt. Et, quidquid de hoc sit, illud tamen semper formaliter est verum, si intercedat hæc ignorantia, non esse obligationem expellendi illam sine spe fructus. Neque est signum culpabilis ignorantiæ, quòd pœnitens sit ita dispositus, vt non speretur fructus ex scientia contraria; tum quia fieri potest, vt incommodum, quod timetur, aliunde nascatur, scilicet ex timore scandali, vel alterius grauis nocumenti: tum etiam, quia quamuis hic timor nascatur ex fragilitate ipsius pœnitentis, vel aliquo effectu eius; tamen fieri potest, vt hîc, & nunc illa dispositio non sit culpabilis, præsertim in ordine ad tollendam ignorantiam: & ideò nihil obstat, quominùs ignorantia illa inuincibilis esse possit.

5. Adrianus, & Sotus reduntur ad veram sententiam.

Ambrof. Gregor.

## SECTIO V.

### *Vtrùm teneatur confessor absoluere pœnitentem dispositum, vbi intercedit dubium, vel opinionum diuersitas.*

DVo principia sunt certa in hac materia: primum est, quando confessori constat pœnitentem non esse dispositum ad sacramentum, & effectum eius, non posse licitè eum absoluere, vt ex dictis patet. Vnde fit, si in huiusmodi casu, pœnitens importunus sit, & absolutionem petat, dupliciter peccare grauiter; primò, quia vult sacramẽtum indignè suscipere: secundò, quia inducit confessorem ad sacrilegium committendum. Quod bene notarunt Soto dist. 18. quæst. 3. art. 3. & Cordub. qui alios refert, quæst. 4. suæ Summæ.

1. Cõfessorem nõ posse pœnitentẽ non dispositum absoluere.

Soto. Cordub.

Secundò

2. Teneri dispositum absoluere.

Secundò certum est, si confessori constet pœnitentem esse ritè confessum, & dispositum, teneri sub graui peccato illum absoluere. Quod omnes Theologi docent, quia hoc postulat ratio iusti iudicij, & æquitas inter pœnitentem, & confessorem: debet enim iudex, audita causa, iudicare, & absoluere reum, si dignus sit. Et confirmatur: quia Sacerdos est minister Dei, cui in iudicio conformari debet; sed Deus vult absolui peccatorem bene dispositum, & ad hoc dedit potestatem ligandi, & soluendi: ergo. Denique, quia magna fieret iniuria pœnitenti, si sine causa priuaretur sacramento, & cogeretur iterum confiteri. Vnde intelligitur, obligationem hanc ex ipsa institutione sacramenti, & munere confessoris intrinsecè oriri; quia scilicet hoc postulat ratio iusti iudicij, vt sicut pœnitens tenetur obedire confessori, ita confessor teneatur curare, & absoluere pœnitentem dignum. Quare non oportet distinguere (vt multi Summistæ faciunt, quos ex parte sequitur Medina dict. quæst. de Confessione iteranda) inter confessorem proprium, seu Parochum, & alium delegatum, ita vt ille teneatur absoluere, non verò hic: est enim hoc falsum, quia licèt vnus fortasse absolutè teneretur audire confessionem, & non alius; tamen postquàm audit, & munus confessoris subit, vterque tenetur æquitatem, & iustitiam seruare; & rationes factæ in vtroque æqualiter procedunt. Quin potiùs addo, non solùm in confessione peccatorum mortalium, sed etiam in confessione venialium teneri confessorem ad absoluendum pœnitentem, nec relinquere illum vacuum sine causa: quanquàm fortè hoc non semper sit peccatum mortale, præsertim si nullum intercedat scandalum, & pœnitens facilè possit incommodum illud resarcire. Vltimò tamen circa hoc aduertendum est, hanc obligationem absoluendi per se statim vrgere, atque adeò sine rationabili causa differri non posse: tamen si hæc causa intercedat, non est dubium quin differri possit in bonum, & commodum ipsius pœnitentis: quod prudenti iudicio confessoris relinquendum est, qui hoc sine graui causa, & magna consideratione facere non debet.

Distinctio Summistarum reprobatur. Medina.

3. Difficultas.

His ergo positis, difficultas est, quando pœnitens adhæret opinioni probabili, confessor autem iudicat contrariam probabiliorem: & in hoc est diuersitas opinionum. Prima asserit, non posse tunc confessorem conformari opinioni pœnitentis: quia contra propriam conscientiam ageret. Sed hoc fundamentum nullius momenti est: tum quia, licèt aliquis operetur contra speculatiuam opinionem, potest practicè non agere contra conscientiam: tum etiam, quia in hoc casu nihil confessor agit ex opinione, sed absoluit pœnitentem, quem certò iudicat esse bene dispositum.

Prima opinio. Reiicitur.

Secunda opinio.

Secunda ergo opinio est, in eo casu confessorem proprium debere absoluere pœnitentem, quia ex officio tenetur: alienum verò, seu delegatum, nec debere, nec posse licitè, quia hic vti debet propria scientia; alius verò potest commune iudicium sequi. Ita Syluester verb. *Confessor*, 3. quæst. 7. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 20. §. 2. & Conradus quæst. 109. de Contractibus. Et eandem distinctionem sequitur Medina: limitat tamen illam, quando opinio talis est, vt possit cedere in detrimentum proximi. Sed hæc distinctio nullum habet fundamentum: quia, vt suprà dixi, licèt delegatus confessor in hoc differat à proprio, quòd in principio non tenebatur confessionem audire, sed spontè audit; tamen postquàm assumpsit illud munus, debet iustum iudicium ferre, & absoluere pœnitentem, si dispositus est; est autem dispositus, quando ex opinione probabili operatur, si practicè probabilis sit: ita enim loquimur. Neque est vlla ratio, propter quam magis obligetur delegatus confessor ad iudicandum iuxta propriam opinionem, quàm proprius. Neque etiam refert quòd sequatur detrimentum alterius, vel non sequatur: tum quia supponimus, non obstante illo detrimento, opinionem esse ita probabilem, vt pœnitens possit tuta conscientia iuxta illam opinionem operari: hoc enim posito, detrimentum illud est materiale, & per accidens; & formaliter non est iniuriosum: tum etiam, quia è contrario sequi potest detrimentum pœnitentis, si opinionem confessoris sequatur, vt constat, si controuersia sit de re aliqua restituenda: sicut enim non restituendo videtur sequi damnum temporale alterius, ita restituendo sequitur damnum temporale pœnitentis.

Sylueſt. Antonin. Conrad. Medina.

Reprobatur.

4. Conclusio. Soto. Ledesma. Nauarr.

Dico igitur in huiusmodi casu non solùm posse, sed etiam debere confessorem absoluere pœnitentem. Ita tenet Soto dist. 18. quæst. 2. art. 5. in fine. Ledesma 2. part. 4. quæst. 8. art. 5. idem sentit Nauarrus cap. 27. num. 280. & num. 288. & in cap. *Si quis autem*, num. 66. de Pœnit. dist. 7. & D. Antoninus 1. part. tit. 4, cap. 10. §. 10. Et ratio est clara ex dictis: quia in eo casu pœnitens integrè confessus est, & est bene dispositus, & nihil agit contra conscientiam; & hoc totum est euidens confessori: ergo nullum habet ius, nec rationem aliquam, vt illum sine absolutione remittat, neque in hoc est vlla difficultas.

D. Antonin.

## SECTIO VI.

### *Quid teneatur agere confessor, qui malè absoluit pœnitentem.*

1.

QVÆSTIO hæc locum habet, siue confessor id fecerit ex malitia, siue ex naturali inaduertentia, quæ culpam excusat: potestque hic defectus confessoris talis esse, vt sit contra substantiam sacramenti, vt si absoluit sine iurisdictione sufficiente, aut sine intentione absoluendi, aut quia absoluit pœnitentem culpabiliter non satis dispositum, vel non integrè confessum; quia propter verecundiam, aut timorem non est ausus illi negare absolutionem: vel potest defectus confessoris esse contra bonos mores pœnitentis, licèt non fuerit contra substantiam sacramenti; vt si absoluit illum, non obligando eum restituere quod verè tenebatur, aut tollere moralem occasionem peccandi, vel quid simile.

2. Prima quorundam sententia.

Circa priorem modum variè loquuntur Auctores. Quidam dicunt, interdum posse confessorem supplere defectum per seipsum, nihil dicendo pœnitenti, sed tantùm supplendo id, quod defuerat, v. g. intentionem, vel iurisdictionem, petendo illam à superiore, & cum his requisitis repetendo absolutionem, dirigendo illam ad pœnitentem, vbicunque fuerit: nam etiam, illo inscio, habebit in eo effectum, si sit dispositus: quod ex circunstantiis, vel aliis indiciis coniectare priùs debet confessor. Ita tenet Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 12. refertque hunc modum absoluendi, & supplèdi defectum placuisse multis Patribus in Concilio Basilensi; & placet etiam Nauarro cap. 26. num. 14. Putant enim hi Auctores absolutionem sacramentalem posse ferri in absentem; cumque præcesserit materia, nihil putant ibi esse, quod impediat talem absolutionem. Cùm ergo confessor malè absoluendo læserit pœnitentem, & possit hoc modo damnum resarcire sine vllius incommodo, ad id faciendum tenebitur.

Antonin. Concilium Basilienſe. Nauarr.

3. Hanc sententiam veram esse, si de excommunicatione loquatur, non verò si de culpa.

Hæc quidem sententia valdè mihi probaretur, si Auctores hi de excommunicatione loquerentur: nam de illa verum est, posse absolutionem eius ferri in absentem, & ignorantem, imò & inuitum, & in mortali peccato existentem, & non solùm validè, sed aliquando etiam licitè; quia non est sacramentum, sed iudicialis quædam sententia fori contentiosi, vt suo loco latiùs

latiùs dicemus. Confessor ergo, si pœnitentem decepit, eum in excommunicatione relinquens, à qua ipse putabat discedere absolutum, potest optimè illo remedio vti, imò & debebit: quia non paruum grauamen est pœnitentis esse in excommunicatione ignorata: fortasse enim priuatur suffragiis, & sub opinione est, an eius confessio in eo statu facta, sit valida; &, si posteà nouerit errorem, etiam est graue onus iterum quærere absolutionem. Debet ergo confessor, si commodè possit, subuenire pœnitenti hoc remedio quoad censuram.

4. Quoad culpam verò remedium illud nullo modo probandum est, neque in praxi applicandum. Primò, quia falsum est, absolutionem sacramentalem posse ferri in absentem, vt suprà ostendimus. Secundò, licèt demus esse corporaliter præsentem, non potest absolutio ferri in ignorantem omninò quid circa illum agatur, & nec formaliter, nec virtute consentientem in præsenti absolutione; quia valor sacramenti non tantùm pendet ex intentione dantis, sed etiam ex voluntate recipientis: in dicto autem casu voluntas hæc non intercedit: nam, licèt pœnitens petierit, & voluerit priorem absolutionem, non tamen hanc posteriorem, de qua nihil cogitauit: imò, cùm putet se iam sufficienter absolutum ab illis peccatis, nullam intentionem habet alterius absolutionis. In quo differt multùm inter hunc pœnitentem, & eum, qui amens iam, vel furiosus, absoluitur; nam hic petiit absolutionem, & in ordine ad illam confessus est, & in ea voluntate virtute permanet; ille verò, de quo agimus, solùm habuit voluntatem circa priorem absolutionem, & ibi fuit quasi terminata, & finita; & ideò circa aliam absolutionem nec formalem; nec virtualem voluntatem habet: requiritur ergo nouus consensus eius, qui non potest esse sine noua monitione, vel confessione. Accedit tertiò, quod morale est, vt dispositio talis pœnitentis mutata fuerit, vel quòd de nouo habeat materiam necessariam, sine cuius confessione iam non potest absolui. Vnde ferè semper exponet se confessor morali periculo sacrilegij ita absoluendo. Denique, quando confessio fuit audita sine iurisdictione circa aliquod peccatum, confessio quoad illam partem non fuit sacramentalis; quia non fuit accusatio coram legitimo iudice: ergo non potest in illam cadere absolutio, nisi aliquo modo iteretur saltem per voluntariam subiectionem, & consensionem pœnitentis.

5. Secunda sententia.

Est igitur secunda sententia, quæ cùm intelligat defectum commissum non posse reparari, nisi confessor moneat pœnitentem, negat ad hoc teneri, & consequenter docet, in eo casu nihil aliud esse necessarium confessori, nisi sui peccati pœnitentiam agere, & relinquere pœnitentem, vt per contritionem, vel alias confessiones validè factas iustificetur: quia per hoc non fit graue nocumentum pœnitenti; quia omnia peccata, quæ per priorem absolutionem inualidam remissa non fuerunt, per subsequentem tollentur, saltem indirectè; quod satis est ad salutem pœnitentis. Aliud verò incommodum (quòd scilicet priora peccata non subiicientur clauibus, quod iure diuino est necessarium) materiale tantùm est in eo casu: cùm pœnitens excusetur à transgressione illius præcepti, & non teneatur confessor cum tanto sui honoris, & famæ detrimento, illi incommodo remedium adhibere. Hanc opinionem indicant Antoninus, Syluester, & Nauarrus suprà, saltem quando primum illud remedium, quod nos improbauimus, applicari non potest; &, si pœnitens admoneatur, sequetur scandalum, vel infamia. Et Medina, statim citandus, refert, hanc opinionem placuisse nonnullis Patribus in Concilio Basilien. Ipse tamen contra illam obiicit; quia illa carentia spiritualis gratiæ, quæ danda fuisset per veram absolutionem eorum peccatorum, est graue damnum pœnitentis, cuius Sacerdos ille causa fuit: ergo tenetur illud resarcire. Et confirmat: nam si aliquis sua culpa baptizauit aliquem, fecitque Baptismum irritum, tenetur illum admonere: similiter Episcopus, qui alium inualidè ordinauit, propter spiritualia incommoda, quæ sequuntur: ergo similiter in præsenti.

Teneri confessorē admonere pœnitentem.

Propter hoc ergo Medina quæst. 39. de Alieno sine licent. propr. absol. affirmat in eo casu teneri confessorem ad monēdum posteà pœnitentem. Quod etiam tenuit Soto dist. 18. quæst. 4. art. 6. & Cordub. in Summa Hispan. quæst. 7. & idem sentit Nauarrus in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. num. 60. hoc tenuit etiam Syluester verb. *Confessor*, 3. in princip. Sed existimo inter hos Auctores non posse esse in re ipsa differentiam; quia hæc posterior opinio vera est, per se loquendo, id est, quando sine graui nocumento ipsius confessoris, & sine scandalo id fieri potest: nam tunc potest prodesse monitio confessoris, & non affert nocumentum alicui: ergo tenetur eam facere, quia ipse fuit in causa, vt diuinum præceptum non impleretur in re ipsa: ergo tenetur alium admonerē, vt in re ipsa impleat. Vnde ad hoc non refert, quòd fortasse confessor priùs non peccauerit, quia ex facto ipso hæc obligatio nascitur, si posteà sufficienter intelligatur. Sicut qui alium decepit, dicens, hodie non esse diem festum, cùm verè sit, tenetur illum maturè admonere, si potest, ne in re ipsa præcepti obseruatio omittatur, etiamsi ille esset per ignorantiam inuincibilem excusandus. Denique in vniuersum iudex, si malè tulit sententiam, tenetur illam declarare, si commodè potest. Sæpiùs autem poterit hoc in præsenti fieri sine incommodo, si confessor prudens sit. Et quidem, si defectus fuit tantùm ex parte confessoris, non displicet medium illud, quod insinuant Antoninus, & Syluester, scilicet, vt procuret confessor pœnitentem iterum sibi confiteri de peccatis post priorem confessionem commissis, & in ea confessione generaliter eum interroget, an de omnibus præcedentibus doleat, eaque, si necesse sit, quantùm potest, confiteatur: nam hoc satis est, vt noua absolutio cadat in totam illam superiorem materiam, quæ in illo vno verbo sufficienter nunc explicatur huic personæ, suppositā distincta confessione illi facta, quamuis inualida, iuxta doctrinam in superioribus datam. Quòd si hoc non sufficiat, vt maximè contingat, quando defectus fuit etiam commissus ex parte pœnitentis, vel quando non potest induci, vt eidem Sacerdoti iterum confiteatur, tunc clariùs admonendus est de priori errore, vt emendetur.

6. Medina. Soto. Cordub. Nauarr. Syluester. Posterior sē tentia probatur.

7. Limitatio prædictæ sē tentiæ.

Hoc autem intelligendum est, quando sine scandalo, & graui incommodo fieri potest, quomodo etiam id fatentur Antoninus, Syluester, & Nauarrus: interueniente autem morali scandalo, aut graui nocumento, excusandus est Sacerdos ab hoc onere, tum propter rationes factas: tum etiam quia totum hoc ordinatur ad integritatem confessionis (alia enim incommoda aliis modis reparantur, vt declaratum est) sed ipsemet pœnitens excusari potest aliquando ab integritate confessionis propter scandalum, vel aliam infamiam vitandam: ergo multò magis potuit excusari confessor à prædicta admonitione. Atque ita adnotauit etiam Corduba; nec repugnant alij Auctores. Vnde quoad hoc (quidquid Medina dicat) non est simile de sacramento Baptismi, vel Ordinis: nam ex defectu Baptismi sequuntur grauissima damna ferè irreparabilia? quia si Baptismus non fuit validus, nec cætera sacramenta erunt valida, neque habebunt effectum in tali subiecto. Vnde nunquàm fieri poterit per sacramentum ex attrito contritus, donec rectè

Differentia inter sacramēta Baptismi, Ordinis, & Pœnitentiæ.

bapti

baptizetur. Et idem est de sacramento Ordinis: quia si aliquis existimetur Sacerdos, cùm non sit, sequuntur incommoda ministrandi inualidè cætera sacramenta, &c. Propter quas causas vix potest admitti in his sacramentis excusatio, nisi nocumentum, aut scandalum esset grauissimum, & ineuitabile. In sacramento autem Pœnitentiæ longè dissimilis ratio est, nisi fortasse in eo casu, in quo proximus propter hanc causam exponeretur periculo æternæ mortis, vt si esset in mortis articulo, & non posset iterum confiteri, nec fortasse recepturus esset aliud sacramentum: tunc enim postponenda esset alia difficultas, vt subueniretur tali proximo, vt ex lege charitatis constat.

8. Quid fiet, quando absolutio non fuit nulla, licèt iniquè data.

Supereſt dicendum, quid teneatur agere confessor, quando absolutio non fuit nulla, licèt iniquè data. Ad quod breuiter respondeo, si inde non pendet damnum tertiæ personæ, regulariter ad nihil teneri, nisi ad pœnitentiam agendam; quia pœnitens non tenetur illam confessionem iterare, vnde per attritionem potest supplere defectum, si aliquis fuit ex parte eius. Dico autem, regulariter; quia si fortasse confessor decepit pœnitentem in re aliqua pertinente ad salutem animæ eius, ex qua pendet, vt maneat in occasione peccandi, tenebitur illum monere, vel illuminare, iuxta regulam charitatis, & prudentiæ, vitando scandalum, quoad fieri possit. Difficultas verò est, quando intercedit damnum tertij; quia, v. g. (quod est commune exemplum) confessor est in causa, vt pœnitens non restituat alienum. In qua re Syluester verb. *Confessor*, 3. quæst. 11. distinguit inter confessorem proprium ex officio, & delegatum, qui voluntariè id facit; & de priori asserit teneri ad restituendum illud damnum proximo, si ex graui, vel lata culpa id commisit: de posteriori verò ait teneri etiam ex leuissima culpa, quia ipse se immiscuit. Sed est distinctio sine fundamento, vt sæpe dixi. Alij verò Doctores absolutè obligant confessorem ad hoc damnum restituendum, si vel malitia, vel grauis negligentia eius intercessit. Ita sentit Gabriel dist. 15. quæst. 2. art. 3. dub. 5. Nauarrus in Summa, cap. 17. num. 22. Angelus verb. *Restitutio*, vlt. num. 5. & Rosella verb. *Restitutio*, 2. §. 5. aliique Summistæ communiter in illo verbo. Et fundantur, quia est causa illius detrimenti.

Quid, quando intercedit damnum tertij Syluestri distinctio.

Reprobatur. Aliquorum responsio.

Gabr. Nauarr. Angel. Rosella.

9. Limitatur,

Ego verò hanc censeo limitandam esse sententiam: primò, vt ex parte confessoris intercedat grauis culpa, aliàs non tenebitur, nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniustæ acceptionis. Deinde limito tantùm teneri, quando confessor positiuè consuluit, vel induxit ad non restituendum: quia tunc reuera committit iniustitiam contra alterum, siue id faciat ex malitia, quod est euidens, siue ex graui negligentia; quia ex iustitia tenetur non ita temerè vti suo munere cum detrimento alterius. At verò si confessor sit tantùm negligens omittendo, quia videlicet non monuit pœnitentem, tunc respectu tertij non existimo teneri ex iustitia, quia illud peccatum non fuit contra iustitiam respectu illius; sed contra religionem, sacrum ministerium negligenter exercendo: ergo non tenetur restituere, quia nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptæ. Adde, etiam in priori casu non teneri simpliciter ad restituendum, sed ad monendum pœnitentem, & tollendam deceptionem; dummodò hoc faciat opportuno tempore, ita vt propter illius moram non sit pœnitens factus impotens ad restituendum: tunc enim illi imputabitur; at verò si opportunè moneat, iam tollit causam nocumenti, quam posuerat, & ideò effectus illi non imputatur.

***

## SECTIO VII.

### *Vtrùm propter indebitam administrationem huius sacramenti aliqua pœna iure ipso imposita sit.*

EXPLICVIMVS omnia, quæ videntur pertinere ad obligationem confessoris in ipso actuali vsu huius ministerij. Nunc breuiter declarandum superest, an in iure designata sit aliqua pœna, quam incurrat minister iniquè fungens hoc munere. 1.

An non Sacerdos audiens confessiones incurrat irregularitatē. Prima sententia.

In qua re dicendum est, nullam esse pœnam Ecclesiasticam iure communi impositam Sacerdoti, qui ex defectu iurisdictionis, scientiæ, aut diligentiæ, vel quacunque alia ratione peccat ministrando hoc sacramentum. Dixi, *iure communi*: tum quia de illo magis nobis constare potest, quàm de aliis constitutionibus pontificiis, quæ extra illud vagantur, vel de statutis Ordinariorum, quæ consulenda sunt: possunt enim aliquam pœnam continere. In iure autem communi nulla censura, vel irregularitas inuenitur imposita ipso facto propter indebitum ministerium huius sacramenti. Tum etiam, quia in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur qui à casibus in ea reseruatis absoluere præsumpserint: quæ est quædam pœna ipso facto imposita propter indebitum absolutionis ministerium. Et quamuis illa pœna proximè, & immediatè videatur magis imposita propter absolutionem à censuris reseruatis, quàm propter absolutionem sacramentalem; tamen vtramque videtur comprehendere.

Victoria. Ledesma. Sylvest. Palud.

Dixi etiam, *Sacerdoti*, quia de illo, qui Sacerdos non est, sed se fingit, vt hoc sacramentum fictè ministret, dubitari solet, an propter hoc factum irregularis fiat. In qua re est prima sententia, quæ simpliciter negat esse vllam irregularitatem impositam propter hoc crimen. Hanc tenet Victoria in Summa, num. 143. Ledesma 2. part. quæst. 7. art. 3. inclinat Syluester verb. *Confessor*, 1. in princip. & Paludanus dist. 17. quæst. 3. art. 1. conclus. 1. Fundamentum est, quia talis irregularitas non est in iure expressa. Quòd si obiicias cap. 1. de Clerico excomm. minist. respondebunt fortè, ibi tantùm fieri mentionem baptizantis solenniter, & facientis sacrum sine debita ordinatione. Hoc tamen non satisfacit, quia ibi additur generale verbum, *Aut aliquod diuinum officium exercuerit*: vt autem irregularitas sit in iure, non oportet vt aliqua culpa in specie exprimatur; sed satis est, vt in generali clausula contineatur; neque aliud dicitur in cap. *Is qui*, de Sent. excomm. in 6. Vt si feratur irregularitas contra eum, qui reiterat sacramentum initerabile, rebaptizans manebit sine dubio irregularis, quamuis in specie explicatus non sit. Dicere tamen possunt, huiusmodi munus audiendi confessionem non includi sub illo verbo generali, *Si aliquod diuinum officium exercuerit*: quia hoc tantùm significat officium, quod solenniter in Ecclesia ministratur; confessio autem priuatim fit: sed neque hoc satisfacit, quia nomine diuini officij intelligitur ibi actus sacer, ad quem clericus consecratur, & non est dubium, quin actus ministrandi hoc sacramentum in hoc genere contineatur, & inter grauissimos, & perfectissimos actus sit. 2.

Secunda sententia. Angel. Rosella. Reiicitur.

Secunda sententia dicit, clericum non Sacerdotem, si ministret hoc sacramentum, manere irregularem, non verò laicum. Ita Angelus verb. *Irregularitas*, num. 38. & Summa Rosella verb. *Irregularitas*, 2. in princip. qui citant alios. Fundamentum sumitur ex Rubrica illius textus, quæ est, *de clerico non ordinato ministrante*: ergo pœnæ omnes contentæ sub illo titulo feruntur in Clericos, & non in laicos. Sed hoc fundamentum 3.

mentum non est sufficiens; primò, quia nulla potest reddi ratio, ob quam clerico imponatur tam grauis pœna, & non laico: deinde, quia laicus rebaptizans ex omnium sententia manet irregularis, vel etiam solennitèr baptizans. Denique, quia verba textus generalia sunt, scilicet, si quis hoc fecerit, & non dicit, si quis clericus, imò maximè videtur comprehendere laicos: quia dicit, *Si quis non ordinatus*: quod tamen intelligendum est respectiuè, id est, non ordinatus sufficienter ad illum actum, quem exercere vult. Verba autem Rubricæ non sunt satis ad limitanda verba textus, tum quia in Codice Gregoriano refertur, multa exemplaria solùm habere, *de non ordinato ministrante*: tum etiam quia exponi potest, vt sensus Rubricæ sit, de eo, qui cùm non sit clericus ordinatus, ministrat.

4. Tertia opinio probatur. Nauarr. Soto. Palud. Sylvest.

Et ideò est tertia sententia, omnem huiusmodi fictum ministrum, manere irregularem. Quæ est communis Canonistarum in eo loco, & eam tenet Nauarrus cap. 27. num. 142. & Soto dist. 18. quæst. 4. art. 1. in fine, vbi citat Paludanum, nec dissentit Syluester verb. *Irregularitas*, §. 12. dum ait, laicos etiam sub illo decreto contineri. Et hæc sententia vera est, propter rationes adductas. Oportet tamen ad incurrendam hanc irregularitatem, vt aliquis seriò, ac scienter, & temerè hunc actum exerceat, vt prædicti Auctores docent, & sumitur ex illo verbo textus, *propter temeritatem*.

## DISPVTATIO XXXIII.

### *De sigillo Confessionis.*

RER hanc metaphoram significatum est à Theologis secretum illud, quod confessor seruare tenetur de his rebus, quas in confessione audit. De quo in hac disputatione dicemus, quatenùs ad ipsam personam pœnitentis refertur: in sequenti verò, quatenùs aliquando spectat ad tertiam personam, seu complicem, id est, socium peccati. Et primùm videbimus quale sit hoc secretum, & quo iure ortum, & fundatum: deinde quomodo seruandum sit.

## SECTIO I.

### *Quo iure, & in quo gradu teneatur confessor seruare secretum confessionis.*

1. Teneri confessorem seruare secretum.

DVo sunt certa: primum est, esse in confessore obligationem seruandi hoc secretum. Hoc est per se euidens, & commune apud omnes Auctores, quos statim referam. Primò, ex ipsa lege naturali, quæ obligat ad seruandum secretum in his, quæ pertinent ad famam proximi. Secundò, ex tacito pacto inter pœnitentem, & confessorem; quod etiam obligat in materia digna tali secreto. Nam qui ab altero rem in custodia recipit, eam custodire tenetur; at secretum est res magnæ æstimationis, quæ alteri in custodiam committitur. Vnde Prouerb. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcanum: qui autem fidelis est, celat amici commissum*. Tertiò, quia hæc secreti obseruatio maximè necessaria est ad societatem, & pacem inter homines seruandam, & ad transigenda humana negotia; & præsertim vt possit esse inter homines consultatio de rebus occultis: nullus enim ferè auderet alterum consulere de re occultissima, nisi sciret illum teneri ad seruandum secretum. Propter quod non sola confessio, sed etiam consultatio secreta, præsertim de rebus pertinentibus ad animam, obligat ad tacendum, quamuis non æqualiter, nec, vt ita dicam, super omnia. Tandem ex lege religionis hoc potest colligi, suppositâ institutione talis sacramenti, propter reuerentiam eius, vt magis ex sequentibus patebit.

2. Nunquam licere violare secretum.

Secundò est certum, obligationem huius præcepti tantam esse, vt in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tuenda tota Republica ab ingenti malo temporali, aut spirituali, violare illud liceat. Ita docent Theologi omnes contra vnum Altisiod. lib. 4. Summæ, tract. 6. cap. 3. quæst. 7. tenet D. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. vbi contrariam sententiam erroneam vocat, & quodlib. 1. art. 8. Bonauent. ead. dist. 21. 2. part. illius, art. 2. quæst. 1. Richard. art. 4. quæst. 1. & 2. Scot. quæst. 2. Durand. quæst. 4. Palud. & Maior quæst. 3. Capreol. quæst. 2. Gabr. art. 1. & 2. Alens. 4. part. q. 19. num. 2. aliàs quæst. 78. per totam. Adrian. quæst. vlt. de Confess. & Medin. dict. Cod. quæst. de hac re. Viguer. in Summa, cap. 16. §. 4. Sylvest. verb. *Confessor*, 3. q. 19. & 20. & alij Summistæ omnes verb. *Confessor*, Petr. Sot. lect. 11. de Confess. Ledesm. 2. part. q. 10. art. 1. Soto dist. 18. q. 4. art. 5. Nauarr. c. 8. Summ. & in cap. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. n. 116. & Couarr. in 4. 2. part. cap. 8. §. 12. n. 10. Simanc. in instit. Cathol. tit. 24. n. 14. & 15. Fundamentum præcipuum huius veritatis est communis consensus Ecclesiæ, eiusque perpetua traditio, cuius nonnulla vestigia in antiquitate inueniuntur, quamuis pauca. Insinuat hoc Leo Papa epist. 78. aliàs 80. & Basilius in Regula monachor. c. 21. August. lib. de Salutarib. docum. c. 52. Ambros. apud Paulin. in vita eius, clariùs Gregor. in c. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. vbi ait, propter nullum scandalum vitandum, frangendum esse hoc sigillum: nomine enim scandali videtur ibi significare Gregor. quodcunque damnum etiam publicum, & commune; & idem sumitur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*.

D. Thom. Bonauent. Richard. Scot. Durand. Palud. Maior. Capreol. Gabr. Alens. Adrian. Medina. Viguer. Sylvest. Petr. Soto. Caietan. Ledesm. Soto. Nauarr. Couarr. Simanc. Leo. Basil. Augustin. Ambros. Gregor.

### *Quæ sit ratio huius obligationis.*

3. Prima ratio.

DIFFICVLTAS verò est in assignanda ratione huius tàtæ obligationis, & ex quo iure nascatur. Prima ratio redditur, quia hoc præceptum est negatiuum, & ideò ita pro semper obligat, vt nulla ratione illud violare liceat; sicut non licet mentiri propter vllum finem bonum. Ita ferè Soto. Tamen hæc ratio per se nõ sufficit, aliàs etiam in naturali secreto eadem esset obligatio, quia etiam est præceptum negatiuum. Item, si præceptum negatiuum non sit de re intrinsecè mala, & habente malitiam inseparabilem in quacunque occasione, & propter quemcunque finem, cessare potest interdum obligatio eius, vt per se notum est: hîc autem videtur esse actio intrinsecè mala, quia ad summum est infamatio proximi, quæ propter necessarios fines potest interdum licere; vel si hîc est aliud specialius, eius rationem, & causam quærimus.

Reiicitur.

4. Secũda ratio Alens. & Bonau.

Propter hoc Alens. & Bonau. reducunt hanc rationem ad intrinsecam malitiam mendacij: dicunt enim, confessorem reuelando quod in confessione audiuit, semper dicere mendacium: quia dicit se scire, in quo significat se scire vt hominem, cùm tamen id non sciat vt homo, sed vt Deus, vt dicitur in cap. 2. de Offic. ordin. Hęc tamen ratio est nimis metaphorica: quia licèt homo sciat vt Deus, id est, vt gerens vicem Dei in illo munere; tamen non potest excludi, quin ipse homo sciat: qui autem loquitur de re in confessione audita solùm affirmat, se, id est, hunc hominem scire, quod verum est; non tamen negat se audiuisse illud gerens vicem Dei: imò potest contingere, vt expressè id affirmet, dicendo se audiuisse in confessione: solùm ergo affirmat se scire; quod falsum non est. Huius signum etiam est, quia de licentia pœnitentis potest id dicere. Accedit etiam, quòd ex vi illius rationis non concluditur malitia mortalis, sed venialis; quia mendacium ex se non est peccatum mortale. Quod si aliunde habet

Refellitur.

Instantia enodatur.

habet hanc grauitatem, huius rei rationem inquirimus. Sed aiunt, si confessor neget se scire, verum dicet, vt infrà videbimus: ergo, si affirmat se scire, mentitur. Negatur tamen consequentia: quia in diuersis sensibus potest vtrumque esse verum: nescit enim, vt iure dicere possit, scit autem de facto.

5. Tertia ratio D. Thom.

Tertiam rationem assignat D. Thomas, quia talis reuelatio est contra significationem huius sacramenti, illamque falsam reddit, & ideò semper continet graue sacrilegium. Antecedens patet: quia per hoc sacramentum ita Deus remittit peccatum, vt omninò tegat illud, & hoc significatur per hoc sigillum. Quam rationem impugnant latè Durandus, Scotus, & alij: & è contrario illam defendunt Capreolus, Soto, &c. Ego verò censeo esse quidem aliqualem congruentiam; non tamen sufficiens fundamentum ad obligationem: quia illa significatio non est substantialis in hoc sacramento; neque hoc vlla ratione, vel auctoritate probatur. Maximè quia non est de substantia huius sacramenti, quòd secretè fiat, vt suprà ostendi. Item: quia aliàs nec de licentia pœnitentis liceret reuelare hoc secretum. Non est ergo obligatio hæc per se imposita propter significationem, sed propter rem ipsam, vt sacramentum ipsum conuenienter tractetur, & conseruetur.

Nõ esse sufficientem rationem.

6. Quarta ratio.

Quarta ratio magis moralis est: quia scientia huius sacramenti per se primò ordinatur ad spiritualem salutem pœnitentis, ac proinde est veluti quædam scientia sacra, quam non licet ordinare ad alios fines extrinsecos, præsertim si sint inferioris ordinis. Sed hæc ratio, nisi aliud addatur, fundatur in falso principio; scilicet, non licere vti re superioris ordinis ad bonum inferioris ordinis; aut non licere vti re aliqua, nisi ad illum finem, ad quem est instituta. Vtrumque autem horum falsum est, quia in hoc nulla est intrinseca inordinatio, nisi aliunde fiat iniuria rei sacræ, seu superioris ordinis; & hoc est, quod hîc inquirimus.

Reprobatur

*Vera ratio assignatur.*

7. DICENDVM est ergo, hanc obligationem oriri ex iniuria, quæ fieret sacramento, si aliquando reuelaretur hoc secretum: iniuria autem illa consistit in hoc, quòd confessio fieret odiosa: nam retardarentur homines, neque cum fiducia possent ad hoc sacramentum accedere. Quod declaratur ampliùs in hunc modum: quia si vel in vno casu daretur licentia, iam hoc esset committendum arbitrio, & prudentiæ confessoris: quia causa, vel casus, in quibus id esset licitum, non essent omninò definiti: ergo semper possent pœnitentes timere huiusmodi arbitrium confessoris. Atque hinc etiam factum est, vt quoties pœnitens timet reuelationem secreti, excusetur ab obligatione illud confitendi, vt in superioribus dictum est. Fundaturque in naturali ratione: quia nemo cogitur, vt se prodat; qui autem confiteretur peccatum à confessore reuelandum, iam ipse se proderet: ergo ad hoc non tenetur: ergo, vt ipsi pœnitentes non possint excusari à confessione peccatorum, necessarium fuit, vt omninò præcluderetur via reuelandi confessionem. Dices,

Obiectio.

Non est inconueniens, pœnitentem interdum excusari. Respondeo, excusari per accidens, & ex malitia confessoris non est inconueniens: tamen excusari ex vi, & modo institutionis ipsius sacramenti, & ex facultate à Christo data ipsi confessori pro aliquo casu, esset magnum inconueniens: & contra debitam institutionem, & finem talis sacramenti: eò vel maximè, quòd hoc ipso destruitur omnis ratio, vel vtilitas, quæ esse posset in tali reuelatione: nam quoties pœnitens timeret reuelandum esse peccatum, aut id esse licitum, non diceret illud: ergo cessaret vtilitas, quæ

Soluitur.

A fingi posset in vsu talis secreti. Vnde tandem concluditur ratio: quia hæc reuelatio est nociua sacramento, & nunquàm potest esse verè, ac moraliter vtilis: ergo nunquàm est licita.

8. Hanc obligationẽ non oriri ex iure humano.

Atque hinc intelligitur, obligationem hanc non oriri ex iure humano positiuo. Primò, quia est maior fortasse, quàm possit lege humana imponi. Quia licèt interdum possit lex humana obligare cum dispendio, vel euidenti periculo vitæ, quando ad commune bonum expedit; tamen quòd obliget etiam in periculo boni communis, videtur excedere facultatem humanæ legis, nisi aliunde, vel diuina lex, vel ipsa rei natura talem obligationem afferat. Secundò, quia hæc obligatio antiquior est, quàm omnis humana lex, & cum ipso sacramento creditur esse nata. Tertiò, à posteriori, quia non posset Ecclesia hanc legem abrogare, neque in illa dispensare; imò etiamsi summus Pontifex per impossibile præciperet hoc secretum reuelare, non esset illi parendum: quia præciperet contra ius diuinum; & hæc omnia constant ex sensu, & vsu Ecclesiæ.

B

9. Nõ oriri ex solo iure naturali. Corollariũ secundum.

Secundò sequitur, secretum hoc non oriri ex solo iure naturali puro, quia est altioris ordinis, & superat omne naturale secretum. Vnde dici potest secretum hoc aliquo modo supernaturale, quia & videtur superare omne secretum naturale, & sequitur ex actione sacra, & supernaturali, eiusque violatio sacrilega est contra virtutem religionis infusam: nam respicit suo modo Deum, vt ad supernaturalem ordinem spectat

C

10. Nõ esse merè positiuũ præceptum hoc. Obiectio. Soluitur.

Tertiò fit valdè verisimile ex dictis, præceptum hoc, quamuis supernaturale sit, & diuinum, non tamen esse merè positiuum superadditum huic sacramento, quale est v. g. in Eucharistia præceptum præmittendi confessionem ante communionem; sed esse quasi connaturale, & intrinsecum ipsi sacramento, prout de facto institutum est, ita vt ex quodam iure naturali intrinseco ipsi sacramento, & per necessariam consequutionem ex eius institutione oriatur: quam illationem iam declaraui. Dicet aliquis Christum Dominum potuisse hoc sacramentum instituere quoad totam substantiam, & effectum eius, non imponendo confessori totam hanc obligationem. Respondeo primò, quamuis hoc admittamus, fortasse non potuisse illud instituere cum tota necessitate, & obligatione, quam nunc imposuit pœnitentibus ad integrè, & omninò aperiendam conscientiam suam confessori, quin ex illa resultaret hoc sigillum. Vel certè, si de absoluta potentia potuit, non tamen secundùm conuenientem modum prouidentiæ; & ideò de facto ita fecit hanc institutionem, vt haberet hanc obligationem coniunctam; illam verò talem fuisse, consensus, & traditio Ecclesiæ satis docent, & conuenientiam eius probat experientia perpetua, qua constat, & hunc rigorem fuisse vtilissimum, & nunquàm (quod sciamus) occurrisse casum, in quo aliud expediret.

D

11.

Ratio denique, quæ ex omnibus dictis colligitur, id satis declarat: quia, cùm hîc concurrant duo, integritas confessionis, & manifestatio totius status pœnitentis, & secretum ex parte confessoris, non poterat conuenienter obligari pœnitens per se, & quantum est ex parte sacramenti in omni casu, & sine vlla exceptione ad totam suam conscientiam prodendam confessori, nisi ipse confessor simili modo obligaretur ad illam tacendam. Constat autem legem huius sacramenti per se obligare pœnitentem: ergo necesse est, vt secum afferat eam obligationem, seu conditionem ex parte confessoris, sine qua non posset rectè consistere talis obligatio pœnitentis. Alioqui, hoc ipso quòd daretur confessori licentia in aliquo casu ad aperiendum os circa res sibi in confessione reuelatas,

E

latas,hoc,inquam,ipso obstrueretur os pœnitentis ad loquendum non solùm in vno,vel alio casu, sed ferè semper propter timorem, & suspicionem. Hoc ergo modo optimè explicatur intrinseca ratio huius præcepti. A

12. Obligationē hanc esse sub mortali culpa.

Quartò colligitur ex dictis, obligationem huius præcepti ex suo genere esse grauissimam, & sub mortali culpa: quia materia talis præcepti, & finis eius sunt maximi momenti. An verò in indiuiduo possit esse transgressio hæc venialis ex leuitate materiæ, constabit ex his, quæ tractabimus de materia, circa quam versatur hoc præceptum. At verò ex indeliberatione, seu inaduertentia non est dubium,quin possit aliquando excusari confessor à culpa mortali;imò etiam ab omni culpa propter defectum voluntatis, seu libertatis,maximè quando reuelatio est indirecta, B quam omninò non aduertit confessor, dum loquitur, vel aliquid operatur; oportet tamen confessores in hoc esse cautissimos,ne fortè aliquod verbum excidat.

13. Quotuplex malitia sit in hoc delicto.

Quæret verò hîc aliquis, quotuplex malitia sit in hoc delicto. Respondeo, ad minimum esse duplicem. Vna est sacrilegij contra reuerentiam debitam sacramento, & contra bonum eius. Alia est contra iustitiam, quatenùs est contra famam proximi, & contra

Esse duplicē

secretum ab eo commissum. Alij præter hæc addunt malitiam inobedientiæ vel contra Deum propter præceptum diuinum, vel contra Ecclesiam propter præceptum Ecclesiasticum, cap. *Omnis vtriusque sexus*, & dict. cap. *Sacerdos*. Sed non oportet has multiplicare malitias, quia præceptum diuinum, vt dixi, intrinsecum est ipsi sacramento; & licèt non esset, sed à Christo Domino superadditum, constituit ta- C men actum in eadem virtute, seu materia religionis, & sub eadem ratione illum præcipit; idemque est de præcepto Ecclesiastico: nam sola multiplicatio præceptorum non sufficit ad diuersitatem malitiarum, quando materia,& motiuum virtutis eadem sunt. Alij præterea addunt malitiam infidelitatis in secreto seruando respectu proximi. Sed, si hoc intelligatur de infidelitate, vt est malitia specie distincta ab iniustitia, non est verum: quia secreti obseruatio in præsenti non est ex quacunque simplici, & pura promissione, sed ex pacto includente obligationem iustitiæ. Si verò intelligatur de infidelitate latiori significatione, prout includit etiam deformitatem contra iustitiam, sic verum est, in hoc peccato duplicem rationem iniustitiæ interuenire posse: vnam de- D tractionis contra famam proximi; aliam fractionis sigilli contra legitimum pactum, & conuentionem humanam: hæ namque duæ rationes inuicem separabiles sunt, & formaliter distinctæ manent, quamuis in eodem actu coniungantur.

14. Discrimen inter vtramque malitiā.

Ex his verò malitiis prima, quæ est sacrilegij, est maximè intrinseca, & inseparabilis: nam malitia iniustitiæ videtur posse in aliquo casu cessare, scilicet quando talis necessitas extrinseca occurrit, propter quam liceret, vel famam proximi prodigere, vel secretum eius aperire: tunc enim, quamuis fiat contra sigillum confessionis, non videtur esse contra iustitiam, licèt sacrilegium committatur. Probabile autem est etiam tunc habere locum obligationem iustitiæ E infusæ inter fideles: quia pactum inclusum in confessione, quod intercedit inter confessorem, & pœnitentem, est de seruando hoc secreto in omni casu, & sine vlla exceptione, & eo modo, quo Christus illud instituit; quod pactum validum nunc est ex vtroque capite: ergo violatio eius propter quamcunque causam etiam nunc erit contra iustitiam.

## *Aliquot obiectiones proponuntur.*

15. Prima ex Cōcilio Carthaginensi.

NONNVLLÆ supersunt obiectiones. Prima sumitur ex Concilio Carthaginensi 7. cap. 5. & habetur in cap. *Placuit*, 9. quæst. 2. vbi supponi videtur, Episcopum posse aliquando licitè dicere quod solus in confessione audiuit, & in Concilio Mogun- Concilium Moguntin. Burchard. tino cap. 10. & 21. & apud Burchardum lib. 19. sui Decreti,cap. 28. & 37. significatur, olim fuisse in vsu, vt iuxta prudens arbitrium confessoris quædam peccata in confessione audita tacerentur, alia in publicum proferrentur. Respondeo, in priori loco non esse sermonem de confessione sacramentali: nullum enim ibi est verbum,quod hoc significet; sed de exteriori confessione facta solo Episcopo interroganti. Soluitur obiectio propo sita. In alio verò loco non est sermo de reuelatione à confessore facienda, sed à pœnitente, si ipse volebat publicam pœnitentiam agere aliquorum peccatorum, quæ fieri etiam poterat sine reuelatione causæ; si autem hæc interdum dicebatur, erat ex sola voluntate ipsius pœnitentis,vt in superioribus etiam attigimus.

16. Secunda obiectio.

Secundò obiiciuntur nonnulli casus, in quibus videtur hoc licere. Primus est, si reuelatio sit vtilis ipsi pœnitenti, & credatur non fore ingratam, neque propterea confessionem reddendam esse onerosam. Et hunc casum admittit Altisiodor. Secundus est, si mortuus sit pœnitens, & necessarium sit aperire crimen eius ad impediendum v. g. vsum alicuius matrimonij, quod nullum est. Et hunc casum admiserunt multi Canonistæ,vt refert Couarruuias suprà,num.9. Tertius casus est, si sit necessarium Sacerdoti ad propriam confessionem integrè faciendam, alterius peccatum in confessione auditum reuelare, vt si grauem defectum,& culpam in audienda alicuius confessione commisit, quam posteà in sua confessione explicare non possit, quin confessor intelligat alterius pœnitentis peccatum. Tunc enim licitum id esse tenuit Soto in 4. dist. 16. quæst. 4. art. 5. quamuis in Relectio- Soto. ne de secreto, dubius fuerit, memb. 2. quæst. 4. dub. 2. Fundamentum eius est, quia grauior est integritas confessionis,quàm secretum: tum quia illa est de essentia,& non hoc: tum etiam quia sigillum ad hoc ordinatur, vt confessio integrè fiat. Addere possumus, illam non videri reuelationem sigilli,quandoquidem sub eodem sigillo dicitur. Tandem obiici solet casus euidentis periculi mortis:quia non tenetur quis tueri famam proximi cum periculo propriæ vitæ.

17. Soluitur secunda obiectio.

Nihilominùs dicendum est, in nullo horum casuum licere hanc reuelationem. Et de primo quidem certum est, & omnes Doctores conueniunt contra Altisiodorensem:tum quia moraliter est impossibile, quod assumit, videlicet, reuelationem confessionis non esse onerosam pœnitenti: tum etiam quia licèt demus ita contingere in particulari casu, id est, per accidens; at cessante in particulari fine legis, non cessat eius obligatio. Præsertim, quia hîc non tam attenditur commodum pœnitentis, quàm ipsius met sacramenti. In secundo etiam casu erronea est illorum Canonistarum sententia, vt reliqui Doctores docent, quos Couarruuias citat. Præsertim,quia testimonium confessoris ex scientia confessionis nullam fidem facit in foro exteriori, vt sumitur ex cap. 2. de Offic. Ordin. & cap. *Dilectus*, de Excessib. Prælatorum. Nec refert, quòd pœnitens mortuus sit: obligatio enim sigilli semper durat; tum quia hoc est necessarium ad bonum vsum talis sacramenti: timerent enim viui peccata sua dicere, si vel post mortem reuelari possent: tum etiam, quia præceptum est absolutum, & proximi fama etiam post mortem seruanda est: de quo latiùs Nauarrus referens alios in Summa, cap. 8. num. 7.

Aliquorum Canonistarū opinio reprobatur. Nauarr.

18. Opinio Soti reprobatur.

Idem secretum seruandum esse in tertio casu docent

cent communiter Doctores, vt Soto ipse fatetur, & videre licet in Gabriel dist. 21. qu. 1. art. 3. dub. 1. ad 5. Adrian. q. vlt. de Confessione, Sylvest. verb. *Cõfessor*, 3. q. 13. Nau. in Sum. c. 8. n. 6. & in cap. *Sacerdos*, de Pœnitent. distinct. 6. nu. 64. Ledesm. 2. part. 4. q. 10. art. 5. Richardo, Paludano, Scoto, & aliis, locis superiùs citatis. Et certè contraria opinio non est probabilis: quia licèt integritas formalis sit de essentia confessionis, tamen materialis non est adeò necessaria, quin propter alias causas prętermitti possit; nulla verò potest esse grauior, quam obseruatio sigilli. Imò multi Auctores, vt infrà videbimus, docent, solùm ob non reuelandum peccatum proximi licere, vel etiam debitum esse aliquid in confessione omittere; sed hîc intercedit hæc causa, & prætereà integritas sigilli: ergo excusat à formali dimidiatione, & consequenter obligat ad obseruationem sigilli. Prætereà, licèt sigillum ordinetur ad integritatem, tamen maius detrimentum esset ipsiusmet integritatis dare licentiam tunc ad loquendum, quàm obligare ad tacendum: quia ex prima seruatur integritas in vno singulari casu, ex secundo verò daretur occasio sæpiùs illam non seruandi. Denique, si confessor audiens confessiones duorum, ex vno intelligat alium non confiteri integrè, neque dignè, non potest vllum iudicium dare, sed absoluere, ne releuet confessionem: quia secundùm præsentem scientiam bene facit, & alia vti non debet: ergo à fortiori, &c. In quarto etiam casu falsum est, quod assumitur, vt iidem Auctores sentiunt: quia bonum commune maioris momenti est, quam propria vita: ergo si propter commune bonum non licet reuelare sigillum multo minùs propter propriam vitam. Neque hoc est tueri famam proximi, sed est non infamare; quod est valdè diuersum; & prætereà est nõ facere iniuriam sacramento, quod maius est. De quo casu videri potest Gab. suprà ad 4. Soto dicta Relect. de Secreto, p. 3. quæst. 4. & Sylvest. verb. *Confessor*. 3. quæstion. 19. Habet tamen hic casus in reuelatione indirecta nonnullam difficultatem, quam infrà attingam.

Gabriel. Adrian. Sylvest. Nauarr. Ledesm.

Præceptũ hoc obligate cum periculo propriæ vitæ.

Gabr. Soto. Sylvest.

## SECTIO II.

### *Ex qua confessione oriatur hoc sigillum.*

1. Oriri ex omni & sola cõfessione sacramentali.

REGVLA certa & communis est oriri ex omni, & sola confessione sacramentali. Prior pars constat: quia præceptum est vniuersale, & absolutum, & quia eadem est ratio de quacunque. Nec refert, si quis obiiciat confessionem publicè factam: quia etiam de illa loqui non licet, nisi quatenus hæc est voluntas ipsiusmet pœnitentis. Altera verò pars exclusiua probatur: quia hoc præceptum vel intrinsecè oritur ex sacramento, vel illi soli annexum est: si autem confessio non sit sacramentalis, sacramentum non est etiam inchoatum: ergo non habet locum ibi sigillum. Explicare tamen oportet, quæ confessio sit sacramentalis & sufficiens ad hunc effectum, tam ex parte sacerdotis, quàm ex parte confitentis.

2. Necesse esse vt fiat sacerdoti. Nauarri, & Adriani sententia reprobatur.

Et primùm, ex parte confessoris necesse est, vt confessio sit facta sacerdoti: nam ex illa, quæ scienter fit laico, vel inferiori clerico, quacunque occasione vel necessitate, non oritur hoc sigillum, sed tantum naturale secretum, licèt oppositum sentiat Nauarr. in Summ. capit. octauo, numero septimo, & Adr. quæst vltim. de Confessione, sine fundamento: quia illa confessio non est sacramentalis. Dices, ex intentione pœnitentis fit vt sacramentalis. Respondeo, si sensus sit fieri vice sacramẽtalis, parum id refert, quia

A id non mutat natura eius, neque addit obligationem. Si verò fit sensus, fieri ex apprehensione, quòd sit sacramentalis; ille est quidam error operantis procedẽs non ex deceptione personæ audientis, sed ex ignorantia iuris; & ideò nullam alteri imponit obligationem, quæ ex re ipsa non oriatur. Aliqui verò hoc limitant, nisi intercedat pactum inter dicentem, & audientem, Quod sentit Palud. d. 21. q. 3. num. 11. & Caiet. verbo *Confessor*. Sed in rigore non ita est: nam illa obligatio ex pacto semper est minor, quàm ex sacramento: quia illa ad summum pertinet ad iustitiam, hæc ad iustitiã, & religionem: illa immediatè oritur ex voluntate humana; hæc ex voluntate Christi. Vnde, non obstante illo pacto tale secretum non obligat semper & in omni casu, etiamsi Soto in dicta relectione oppositum sentiat. Nam si necessitas boni communis vrgeret, licitum esset reuelare illud secretum: quia in humano

B pacto semper intelligitur exceptum commune bonum, aliàs esset iniquum, vt rectè notauit Nauarr. c. 1. in princ. de Pœnit. d. 6. cum Felin. in cap. Pastoralis, de Offic. ord. & idem sentit Ledesm. qu. 10. art. 3. dub. 3. Adrian. q. vlt. de Confess. & alij locis sæpè citatis. Addit denique Soto, illud secretum esse maximum inter naturalia secreta, quod est piè dictum propter vmbram huius sacramenti; in re tamen non excedit consultationem secretam de rebus ad conscientiam pertinentibus.

Palud. Caiet. sẽtẽtia reiicitur.

Nauar. Felin. Ledesm. Adrian.

3. An se fingẽs sacerdotem teneatur seruare sigillũ.

Maius dubium esse posset, si is, qui audit peccatum decepit alterum dicens se esse sacerdotem, & alius bona fide, & intentione confessus est, an inde oriatur vera obligatio sigilli. Et, omissis argumentis, censeo

C oriri eo modo, quo infrà dicam, laicum audientem furtiuè confessionem alienam teneri sigillo. Est enim eadem ferè vtrobique ratio, quia intercedit iniuria & eius, qui bona fide confitetur, & ipsius etiam sacramenti: quod hoc modo posset etiam onerosum reddi. Item quia, licèt illa confessio de facto non terminetur (vt sic dicam) ad sacerdotem, tamen vt fit à tali homine, ex intentione sacramenti procedit, & fit sacerdoti. Et ideò ipsum etiam sacramentum, & præceptum eius tegit illa peccata sub sigillo. Tandem hoc præceptum impositum est in fauorem pœnitentis, & sacramenti: ergo ampliandum est ad omnem cõfessionem bona fide factam sub ratione & intentione sacramenti. Et hæc est sententia communis Gabrielis 4. d. 21. q. 1. art. 2. Palud. q. 3. Adrian. q. vlt. de Confes. & aliorum. Nam licèt Soto dicat, non esse tam grauem obli-

Gabr. Palud. Adrian.

D gationem in hoc casu, non negat esse obligationem sigilli, & in eadem specie. Instabis, Ergo si quis scienter confiteatur laico, putans illam confessionem esse sacramentalem, id est, ex ea posse perfici sacramentum, oritur obligatio sigilli: hoc autem videtur contra superiùs dicta, & contra rationem ibi factam: quia error personæ non confert ad obligationem inducendam. Respondeo aliud est confessionem fieri cum existimatione obligationis sigilli, etiamsi confessio non sit sacramentalis; aliud verò fieri hac intentione vt sit sacramentalis, & reuera existimando esse sacramentalem: primùm non sufficit; & de hac existimatione locuti sumus in primo puncto: hîc autem loquimur de secundo modo intentionis, quæ videtur sufficere, maximè quando intercedit deceptio, vel ignorantia inuincibilis.

4. An non habens iurisdictionem de beat seruare sigillum.

E Quæri verò vlteriùs potest, quid dicendum sit, si is, qui confessionem audit, sit sacerdos, non tamen habet iurisdictionem. Videtur enim ex tali confessione non magis sequi obligationem sigilli, quàm ex confessione facta laico: quia illa nullo modo videtur esse confessio sacramentalis, cùm non fiat coram legitimo iudice, & ministro huius sacramenti. Aliunde verò videtur magnum inconueniens hoc admittere,

quia est contra communem sensum omnium,& pos- A
Respõdetur. set parere multa incõmoda. Breuiter dico. Variis modis potest hæc cõfessio contingere; primò, bona fide pœnitẽtis,& cõfessoris: quia vterque putat nõ deesse iurisdictionem; & tunc non dubito quin contrahatur obligatio sigilli, etiamsi posteà constet defuisse iurisdictionem: quia oppositum reuerà multùm derogaret huic sacramento, & illud redderet onerosum, & dubium. Deinde: quia illa confessio, quantum est ex intentione pœnitentis, & sacerdotis, sacramentalis est,& per accidens contingit defectus; & ideò ad reuerentiam sacramenti pertinet, vt in ea seruetur sigillum. Secundò potest hoc accidere bona fide pœnitentis,& ex malitia sacerdotis: & credo idem esse dicendum, sicut diximus de laico proportione seruata. Tertiò, potest hoc accidere cum certa scientia vtriusque partis, & quidem si id faciant in ordine ad sacra- B
mentum cum spe obtinendæ iurisdictionis, etiam existimo oriri obligationem sigilli: quia iam est illa quædam inchoatio confessionis sacramentalis, vt si quis confiteatur inferiori sacerdoti peccatum reseruatum eo animo, vt facultatem petat,& iurisdictionem obtineat, non est dubium, quin oriatur obligatio sigilli, vt ex praxi Ecclesiæ constat; & quia reuerà non possent homines alio modo inter se tractare negotia animæ, & reuelare conscientias suas in ordine ad sacramentum perficiendum. Si autem illa reuelatio nullo modo ordinetur ad sacramentum perficiendum, neque ad petendam iurisdictionem, existimo solùm habere rationem cuiusdam consultationis; atque ita non oriri aliam obligationem secreti, præter eam, quæ ex tali consultatione nasci solet, quæ C
maxima omnium est post obligationem sigilli. Ratio est: quia illa nullo modo est confessio sacramentalis.

5. Intentio sacerdotis ad sigilli obligationem an necessaria.

Atque hinc etiam constat quomodo sit necessaria voluntas, vel intentio sacerdotis. Nam in primis, si decipiat pœnitentem, non propterea vitabit obligationem sigilli, vt à fortiori patet ex dictis. Quia alias possent sacerdotes decipere pœnitentes, & ideò non obligari; quod est & contra iustitiam, quia nemini debet dolus patrocinari; & contra bonum confessionis: inde enim & onerosa, & formidanda fieret. Item, quia licèt sacerdos in principio non habeat intentionem absoluendi, seu perficiendi sacramentum, nihilominùs confessio sacramentalis est, cuius signum erit, quia si in discursu confessionis mutet intentionem, & tandem verè absoluat, perficiet sacramentum. At verò, si à principio dicat sacerdos se nolle D
audire confessionem, quidquid pœnitens conetur, & velit eum obligare, non poterit obligationem sigilli inducere: quia non potest inuitum cogere, vt sacramentaliter audiat. Et hoc modo, voluntas audiendi confessionem est necessaria ex parte sacerdotis ad obligationem sigilli, siue habeat intentionem absoluendi, siue non, vt ostensum est. Hoc autem intelligo in confessione propria, quæ pendet ex voluntate confessoris: interdum enim potest oriri hæc obligatio ex sola petitione confessionis, vel facultatis ad confitendum alteri peccata reseruata, quia inde oritur obligatio sigilli, quia, vt suprà dixi, illa est quædam inchoatio confessionis, & subiectio ad claues in hoc foro & ex modo, quo fit, necessariò antecedit voluntatem, seu consensum alterius; & ideò in- E
dependenter ab illo parit hanc obligationem, quia reuerà est ita necessaria ad bonum vsum huius sacramenti: & in eo casu procedunt omnes rationes, quibus necessitatem sigilli probauimus. Vnde à fortiori concluditur non esse necessarium, confessionem informari absolutione, vt sigillum oriatur: quod etiam patebit ex dicendis.

Secundò principaliter dicendum est, ex parte pœnitentis requiri, confessionem fieri intentione sacramentali, id est, animo se accusandi in hoc foro, & subiiciendi se clauibus Ecclesiæ. Explicuit hoc bene Caieta. 2.2.quæst.70.artic.1.& tom. 1. Opusc. tractat. 21. & Soto distinct 18. quæst. 4. articul. 5. & in Relectione de Secreto, membr.2.quæst.7. Nauar.cap 18. num. 55. Simancas in dicto libro, titulo 42. num.15. Et ratio est, quia si confessio non fiat hoc animo, & intentione, reuerà non est confessio, nec peccata illa subiiciuntur clauibus: ergo neque illa est res sacra, neque ex illa oritur sacrum secretum. In hoc tamen aduertendum est, quando ipsemet pœnitens apertè declarat animum suum, rem esse certissimam sine difficultate; deberet tamen sacerdos tunc illum admonere ex illo modo reuelationis non oriri obligationem sigilli: quia multi ex ignorantia putant, etiamsi nolint confiteri, posse inponere sacerdoti obligationem huius secreti, in quo decipiuntur. At verò difficultas est, quando ipse pœnitens exteriùs dicit se velle confiteri, & tamen ex modo dicendi, vel aliis circunstantiis colligit confessor, illum non venisse animo confitendi, sed fortasse decipiendi, & inducendi confessorem vt sit particeps sui delicti; & in hoc casu etiam procedit conclusio posita, vt dicti Auctores diserte explicarunt. Solùm opportet obseruare vt cõiecturæ, vel signa sint ita aperta, vt faciant rem moraliter certam: nam in re dubia semper iudicandum est in fauorem confessionis, & pœnitentis, qui quamdiu non probatur omninò fictus, præsumitur bono animo accedere.

6 Ex parte pœnitẽtis necessarium esse intentionem sacramentalem. Caietan. Soto. Nau. Simanc.

Difficultas.

Addunt præterea in hoc puncto Caiet. & Simancas, etiamsi pœnitens non accedat animo confitendi, si tamen reuerà accedat bona intentione consulendi animæ suæ petendo consilium, & communicando res suas cum illo sacerdote, hoc satis esse, vt oriatur obligatio sigilli: quia hoc sacramentum ordinatur ad bonum animæ, vnde quacunque ratione hoc bonum intendatur, videtur pertinere ad bonum sacramenti, vt sigillum seruetur. Contrarium verò sentiunt Soto, & Nauar. quia illa confessio nullo modo est sacramentalis ex vi illius intentionis: aliàs ex quacunque consultatione ordinata ad bonum animæ oriretur secretum sigilli, quod tamen falsum est. Sed fortasse hi Auctores non sunt sibi contrarij, non est enim necessaria intentio ita confitendi, vt possit obtineri absolutio, & consummari sacramentum; & hoc intendunt Caietan. & Simancas, & statim latiùs probabitur. Et nihilominùs certum est, non sufficere quancumque intentionem consulendi propter bonum animæ, vt ratio facta probat, sed necessariam esse intentionem se accusandi coram iudice à Christo constituto, vt ab illo vel absoluatur, vel curetur, seu iuuetur eo modo, quo ipse iudicauerit expedire: hoc est enim satis, vt illa confessio sit aliquo modo sacramentalis, & ordinetur ad absolutionem saltem sub conditione, si confessor iudicauerit, vel certè si Deus per ministerium eius pœnitentem disposuerit. 7.

Addo præterea ex D.Thom.d.21.quæst.3.art.1.nõ esse necessarium: vt confessio fiat cum omnibus conditionibus ad absolutionem requisitis. In quo omnes etiam consentiunt, & meritò: aliàs quoties sacerdos iustè negat absolutionem propter indispositionem pœnitentis, non maneret sigillo obligatus: quod est planè absurdum,& contra communem Ecclesiæ sensum. Et ratio D. Thomæ optima est, quia hoc iudicium fit cum potestate absoluendi, & ligandi iuxta merita causæ: ergo cùm notitia causæ antecedere debeat, necesse est, vt sub eodem secreto iudici committatur, siue ligare debeat, siue absoluere, nec possent pœnitentes alio modo securè confiteri. Confirmatur 8. D.Thom.

quia

quia aliàs posset confessor dicere, illum pœnitentem accessisse imparatum ad cõfessionem, aut sine proposito emẽdæ, vel quid simile, quod absurdissimum est.

9. Vnde etiam addendum est, quòd licèt pœnitens à principio accedat sine proposito recipiendi absolutionem, vel sine contritione, & proposito emendæ; nihilominùs si habeat voluntatem se accusandi, & sub iiciendi in illo foro vt potuerit, vel vt aliquo modo satisfaciat Ecclesiæ; vel certè vt à sacerdote aliquo modo curetur; id satis esse ad sigillum, quia iam illa est saltem inchoata confessio. Quod etiam dicti Doctores præsertim Caie. notarunt. Et fauet c. *Quod quidam*, de Pœnitent. & remiss. vbi de publicis peccatoribus dicitur, admittendos esse ad confessionem. Quo tandem fit, vt licèt pœnitens non confiteatur integrè etiam ex propria voluntate, & malitia, ea, quæ dicit, maneant sub sigillo, quia in illis saltem est inchoata confessio sacramentalis, quæ reuerà fit sacerdoti vt ministro Dei, & habenti potestatem clauium, & ideò satis est, vt ex illa oriatur hæc obligatio. Et confirmatur, nam in aliis confessionibus, vt oriatur obligatio sigilli, nõ necesse est expectare finem sacramenti, vel confessionis, sed prout sigillatim narrantur peccata, singula sub sigillum cadunt: ergo quacunque ratione contingat confessionem non perfici, nihilominus ea, quæ dicta sunt, manent sub sigillo. Et hoc satis confirmat sensus, & consuetudo Ecclesiæ, & Auctores omnes consentiunt.

## SECTIO III.

### *In quam materiam propriè cadat hoc sigillum.*

1. Prima assertio. Peccatum esse materiã huius secreti.

IN genere loquendo manifestũ est, peccata esse materiã huius secreti: quia illa sunt materia cõfessionis. Quia verò & peccata ipsa sunt varia, & alia etiã misceri possunt, quæ non sint peccata, necesse est hoc magis in particulari exponere. Et de peccatis quidem mortalibus certum est, quodcunque esse materiã grauem, ita vt vel vnum solum reuelare semper sit peccatũ mortale, quod à fortiori patebit ex sequentibus. Addo, etiã peccatum veniale, vel minimum in confessione auditum esse materiam grauem huius sigilli, ita vt ex ea parte semper sit peccatum mortale illud reuelare. Dico *ex ea parte*, quia ex ignorantia, vel naturali inaduertentia potest interdum esse excusatio. Ita docent Soto Relect. de Secreto, quæstione tertia, capite 3. Nauarr. & alij communiter. Et ratio est, quia licèt respectu pœnitentis illa regulariter non sit grauis infamia; respectu tamen sacramenti semper est grauis iniuria, & graue nocumentum: quia aliàs auerterentur homines à confessione peccatorum venialium. Declaratur etiam, quia respectu alicuius personæ reuelatio alicuius peccati mortalis non est grauis infamia; & tamen respectu sacramenti semper est peccatum mortale: ita ergo in præsenti.

Soto. Nauar. Ratio præcedentis doctrinæ.

2. Ledesma verò 2.p.4.quæst.11.artic.1. capit.5. hoc limitat, dicens, si quis reuelat peccatum veniale affirmans se audiuisse illud in confessione, esse peccatum mortale: si tamen simpliciter dicat, ita vt alij non intelligant id dicere ex scientia confessionis, esse tantùm peccatum veniale. Sed est improbabilis sententia, quia hoc non est peccatum mortale tantùm propter scandalum aliorum, quod tunc oritur, quando intelligunt illam esse reuelationem confessionis, sed per se propter fractionem sigilli, quia est contra graue præceptum, & in graui materia, vt ostendi. Item, quia non solùm fit odiosa confessio ex eo quod reueletur formaliter, vt sic dicam, sed etiam quòd res ibi cognitæ

2. Ledesm. Ledesmi sententia probatur.

A reuelentur: vtroque ergo modo est peccatum mortale, & accidentarium est, quòd alij non intelligant qua via confessor id sciuerit.

### *Secunda Assertio.*

3. Circunstãtias & obiecta peccatorum teneri sub sigillo. Corollariũ

SECVNDÒ dicendũ est, etiam circunstantias, & obiecta peccatorũ contineri sub hoc sigillo. Est communis. Et ratio est, quia circunstantiæ, vt suprà dixi, sunt moraliter quædã peccata, vel sunt quasi integrãtes peccatum: & idem est suo modo de obiecto, quatenus tale est. Ex quo sequitur, si quis confiteatur se habere propositum v. g. interficiendi aliquẽ, interfectionem illam contineri sub sigillo, etiamsi nondum sit peccatum commissum, neque immediata materia confessionis, vel absolutionis: quia est obiectum illius peccati interioris, quod aliquis confessus est. Hoc verò corollarium aliqui non admittunt simpliciter, sed sub distinctione: nam, si quis (inquiunt) commisit peccatum, & illud confitetur sine proposito mutandi, sed potiùs præseruandi in illo, tunc totum manet sub sigillo; si verò nihil commisit, sed tantùm habet voluntatem committendi, tunc (aiunt) futurum peccatum non manere sub sigillo, quia non est confessionis materiæ. Quod sentit Alens. 4. part. quæst. 78. alias 19. membr. 2. art. 2. Alij verò subdistinguunt: nam, si quis confiteatur propositum de futuro peccato, vt iam præteritum, & cum nouo proposito non exequendi illud, totum manet sub sigillo propter rationem factam, quòd saltem mediatè illud peccatum futurum continetur sub materia sigilli: si tamen quis permanet in illo proposito, & refert illud vt præsens, tunc aiunt, rem futuram non cadere sub sigillo, quia illa non est vera confessio. Ita Ange. verb. *Confessio*, 8. num. 7. & sequitur Syluest. verb. *Confessio*, 3.q.5. & Adrian. q. vlt. de Confessione, cum Abb. in ca. *Omnis vtriusque sexus*, & Decio in cap. *Cùm non ab homine*, de Iudiciis. Tamen non videtur opinio probabilis, nisi fortasse differant à nobis in verbis.

B Quorũdam placitũ cum distinctione.

C Angel. Sylvest. Adrian. Abbas. Decius. Reprobatur

4. Contraria sententia. D.Thom. Bonau. Rich. Gabr. Caietan. Soto. Medin. Petr. Soto. Nau.

Contrariam ergo sententiam absolutè docent Diuus Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. artic. 1. quæstiuncula 1. & ibi Bonauent. 2. part. art. 2. quæst. 1. Richard. art. 4. quæst. 2. Gab. art. 2. cap. 3. & art. 3. dub. 1. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 21. Soto dist. 18. q. 4. artic. 5. ad 2. & Relect. de Tegen. secreto, men. 3. q. 4. dub. 1. Med. dict. Cod. q. 47. Pet. Soto lect. 11. de Confess. Nauar. dict. cap. *Sacerdos*, nu. 20. & alij moderni, quos retuli sect. præcedente. Et præter rationem factam, probatur, quia illud futurũ, vt futurum, non potest reuelari sine præsenti voluntate, cum qua habet connexionem. Et confirmatur, quia quando peccatum ex parte commissum est, non potest reuelari futura actio propter connexionem, vt dicti Auctores fatentur, sed non est minor connexio inter peccatum futurum, & præsens propositum: ergo. Præterea, quia, si ratio Angeli vera est, etiam licebit directè reuelare propositum ipsum, quia de illo non est facta vera confessio: imò quoties homo confitetur peccata sine proposito emendæ, illa non esset confessio sufficiens ad sigillum, quod esse falsum suprà ostensum est. Nulla ergo est necessaria distinctio, si supponamus propositum illud reuelari per modum accusationis, & subiectionis in hoc foro, etiamsi non sit propter absoltionem: si autem omninò diceretur extrà accusationem, iam tunc non esset confessio, tamen hoc modo non solùm res futura, sed etiam peccatum commissum potest reuelari sine fractione sigilli, quia nondum est appositum fundamentum sigilli, vt suprà dictum est.

E

5. Tertia aſſertio. Quæ dicuntur ad declarandũ peccatũ manere ſub ſigillo.

Tertiò, Non ſolùm peccata & circunſtantiæ, ſed etiam omnia illa, quæ dicuntur ad declarandum peccatum, manent ſub ſigillo confeſſionis, Ita docent omnes. Ratio eſt, quia hæc omnia ſaltem per reductionem ſunt materia confeſſionis, cùm, ordinentur ad accuſationem peccati. Secundò, quia alioquin etiã fieret confeſſio odioſa, cum peccata non poſſint reuelari ſine huiuſmodi rebus, vel circunſtantiis, nec poſſent pœnitentes loqui cum fiducia, & ſecuritate. Vnde addo, non ſolùm cadere hæc ſub ſigillo quando neceſſaria ſunt, ſed etiam quando ſunt vtilia, & quoties à pœnitẽte dicuntur propter hunc finem, etiamſi fortaſſe minùs prudenter agat, quia poſſet aliter dicere. Ratio eſt, quia hoc eſt neceſſarium ad communem modum confitendi hominum, & oportet vt etiam ſimplices & ignorantes poſſint ſecurè, & ſine timore reuelationis confiteri. Ex quo colligit Soto dict. art. 5. poſt ſecundam concl. ſi quis occaſione ſui peccati declarat ſe habere, verbi gratia, defectum originis, vel natalium, aut aliquid ſimile, totum illud cadere ſub ſigillo, quanuis per ſe non ſit materia confeſſionis, quia ſatis eſt, vt proter confeſſionem faciendam dicatur, quod mihi valdè placet: hoc enim totum neceſſarium eſt, vt tolerabilis ſit confeſſio, licèt oppoſitum videatur ſentire Ledeſm. quæſt. 10. art. 2. cap. 2, cùm tamen fateatur iniuriam aliquam fieri ſacramento: quod eſt fundamentum ſigilli. Ex quo etiam inferri poteſt, ſi alienum peccatum hac ratione reueletur, etiam cadere ſuo ſigillo: ſed de hoc dicemus diſp. ſequent. ex profeſſo.

Soto. Ledeſm.

6. Quarta aſſertio. Peccata aliàs publica cadere ſub ſigillo.

Quartò, Etiam peccata aliàs publica cadunt ſub ſigillo confeſſionis, quatenus in illa cognita fuêre, Probatur, quia præceptum eſt vniuerſale, & abſolutum. Deinde ex effectibus: nam licèt res ſit publica, ſi tamen confeſſor illam non ſciebat alio modo, non poteſt de illa loqui etiam cum illis, quibus eſt cognita: quia obligatio ſigilli eſt per ſe, & ſcientia aliorum eſt per accidens. Vnde licèt fortaſſe non fiat nocumentum pœnitenti, quia non infamatur ampliùs, fit tamen iniuria ipſi ſacramento; atque etiam poteſt eſſe oneroſum ipſi pœnitenti. Secundò, hoc erit grauiùs, ſi dicat ſe cognouiſſe in confeſſione, quia magis directè & formaliter frangit ſigillum, & moraliter continget, vt addat certitudinem infamiæ alterius. Quo fit, vt licèt hoc dicat in laudem pœnitentis, nihilominùs grauiter peccet, vt rectè docuerunt D. Thom. Bonauentura, Gabriel ſuprà, & Caiet. verbo *Confeſſor*, in fin. Nauar. in Summa. cap. octauo, numero 11. & Medin. dicto Cod. quæſtione vltima, quanuis non ſibi ſit conſtans: dixerat enim in quæſtione 51. circa principium, quando peccatum eſt notum aliis, & publicum, poſſe confeſſorem dicere, Petrum ſibi eſſe confeſſum tale peccatum cum magno dolore, &c. quia hoc nec cedit in infamiam pœnitentis, nec in odiũ confeſſionis. Sed eſt omninò falſum, quia in primis graue generaretur ſcandalũ, etiã inter pios, & doctos, quod eſt ſignũ, hanc eſſe reuelationem ſigilli, & grauẽ. Ratio verò eſt, quia in hoc attendendum eſt iis, quæ ſunt per ſe, non verò quæ ſũt per accidens; eſt autem per accidens, alios habere notitiam illius peccati alia via: per ſe autem eſt, quod notitia confeſſionis in publicum deferatur, quod ſimpliciter malum eſt, & iniurioſum ſacramento, quod non poteſt non fieri oneroſum hac ratione, & facilè poſſet extendi hæc reuelatio ad res alias fortè non ita publicas, & certas, & ex ipſa confeſſione poſſet magis augeri infamia alterius.

D. Thom. Bonau. Gabr. Caiet. Nau. Medin.

7. Confeſſor an teneatur non loqui de peccato aliàs noto.

Dubitari tamen hìc ſolet, vtrùm confeſſor ex vi ſigilli obligetur ad non loquendum de peccato in confeſſione audito, etianſi alias illud nouerit. Aliqui enim antiqui dixerunt, ſacerdotem non poſſe loqui de reA bus in confeſſione auditis, etiam quatenus per aliam viam ſunt cognitæ. Quod tenuit Altiſiodorenſis lib. 4. Summæ, tract. 6. cap. 3. quæſtione quarta, quia non poteſt non generare ſcandalum. Sed contrarium eſt certum, per ſe loquendo, quod tenent D. Thom. Bonauentura, & Alenſ. locis citatis, quos ſequuntur omnes moderni, & Summiſtæ. Ratio eſt, quia ille nullo modo reuelat confeſſionem, quiaperinde loquitur, ac ſi confeſſionẽ non audiuiſſet (ita enim ſupponendum eſt) nullam ergo facit iniuriam ſacramento, nec pœnitenti: imò eſſet grauiſſimum onus confeſſoris, ſi propter confeſſionem amitteret ius vtendi ſcientia, vel cognitione ſua: Et pœnitentes inde ſumerent occaſionem eludendi ſacerdotes: vnde moraliter poſſent ſequi grauia incommoda. Illud autem de ſcãdalo accidentarium eſt, & vitari poteſt, ac debet. Et B ideò aduertit Alenſis, in huiuſmodi euentu optimum conſilium eſſe ſimul explicare alium modum ſcientiæ, quem de tali re habet, vt dicendo; *Vidi hoc, vel audiui à Petro*: vel aliquid ſimile: quod tamen non eſt ſemper neceſſarium, ſed pro rerum opportunitate, quod prudentiæ relinquitur. Bene autem aduertit Maior diſt. 12. q. 3. cauendum eſſe, ne aliqua certitudo, vel circunſtantia addatur propter ſcientiã confeſſionis. Et cum hac limitatione verum etiam eſt, quod Soto ait, ſi ſuſpicetur, vel aliàs nouit ſacerdos aliquem furatum eſſe res ſuas, & hoc illi poſtea cõfeſſus ſit, poſſe nihilominùs eum accuſare: hoc enim verum eſt, dummodò non vtatur ſcientia confeſſionis ad agendum contra illum, vel noua indicia inquirenda. Hinc etiã obiter intelligitur, poſſe Parochum. v. g. publicè repellere à communione vſurariũ, C vel concubinarium publicum ſibi confeſſum, & non abſolutum: quia tunc vtitur ſcientia publica, qua conſtat illum eſſe in tali peccato: non tamen debet dicere, illum non abſoluiſſe; ſed ſolùm exigere publicam ſatisfactionem, vel emendationem, quam ſi non exhibeat, iuſtè illum repellit.

Altiſiodorẽſis opinio. Contraria aſſeritur. Maior.

8. Quinta aſſertio, Non eſſe vetitũ loqui in generali de peccatis auditis in cõfeſsione. Prior pars probatur.

Quintò, addendum eſt, hæc omnia, quæ diximus, intelligenda eſſe cum relatione ad perſonam, v. g. huius pœnitentis, & cum reuelatione particulari, quæ non contineatur ſub generali ratione confeſsionis. Prior pars ſumitur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, ibi, *Caueat, ne reuelet peccatorem?* non ergo ſatis eſt (vt ſic dicã) reuelare peccata in abſtracto, niſi peccatore aliquo modo reueletur. Hinc omnes Auctores citati docent, loqui de peccatis auditis in confeſsione non nominando pnrſonam, nec cum periculo, D vt in illius cognitionem, vel ſuſpicionem poſsit deueniri, non eſſe contra ſigillum, quia non reuelatur peccator, & ita non ſit illi iniuria; nec ob eam rem poteſt illi fieri oneroſa confeſsio, ac propterea, nec ſacramento fit iniuria. Et hinc licitum eſt conſulere virum doctũ dere audita in confeſsione, quando omninò perſona occultatur. In vſu autẽ huius licentiæ prudentia magna neceſsaria eſt; & ideò admonẽt Doctores, vt ſine neceſsitate, vel magna vtilitate non miſceantur ſermones de his rebus etiam in generali, præſertim coram multis, & maximè in eodem loco, ſeu ciuitate, & poſt breue tempus ab audita confeſsione. Item, maximè cauendum eſt, ne offendatur communitas, ad quam talis perſona pertinet, vt ſi dicat, religioſum hoc feciſse, & præſertim nominando religionem in particulari: quiia reuerà hoc E iam redundat in grauamen notabile pœnitentis, præter iniuriam, quæ fit communitati. Videantur D. Antoninus 2. part. titul. 17. c. 19. §. 3. & Nauar. cap. 8. nu. 16. & Petrus Soto lectio. 11. de confeſsio. Ledeſma, dict. quæſtione 10. art. 2. qui dicit, in rigore hanc eſſe fractionem ſigilli. Nauar. verò ait, non eſse in rigore contra ſigillum, licèt ſit peccatum; ſed certè nõ

Ad hoc neceſsariã eſſe magnam prudentiam

D. Ant. Nauarr. Pet. Sot. Ledeſm.

quod

quodcunque peccatum est, sed contra sacramentum: ergo & contra sigillum.

9. Posterior pars affirmatur.

Posterior pars assertionis declaratur, quia licèt confessor dicat, Petrum sibi esse confessum, nullo modo reuelat sigillum: quia hoc commune est omnibus fidelibus, & est actus virtutis; & ita nulli fit iniuria. Ex quo fit, vt licèt dicat confessum esse peccata sua, non sit reuelatio, quia hoc necessariò continetur in ipsa confessione. Vnde infertur vlterius, licèt dicat, talem personam in sua confessione non habere nisi materiam venialem, per se non esse contrà sigillum: quia talis materia, vt minimũ, necessaria est, & continetur sub priori vniuersalitate, si non sunt peccata mortalia; hæc autem excludere, & negare non est iniuriosum, vel oneroſum pœnitenti. Et in his etiam conueniunt Doctores: admonent tamen, cauenda esse quæ per accidens sequi possunt, vt si confessor habeat duos, vel tres pœnitentes, & vnum nimium laudet dicens, nunquàm afferre conscientiam peccati mortalis, tacitè videtur insinuare alios non esse huiusmodi, quod aduertit Nauar. in capit. *Sacerdos*, de Pœnit. distinct. 6. num. 71. & ideò illud vitandum est. Similiter, si superior verbi gratia, dicat de aliquo sibi esse confessum in ea occasione, vel modo, quod posset generare suspicionẽ, illum habuisse rẽ grauem ad superiorem pertinentẽ, esset indirecta reuelatio; & sic de aliis.

Nauarr.

10. Vltima Assertio.

Vltimò dicendũ est, cætera omnia, quæ in confessione concomitanter dicuntur propriè non contineri sub sigillo, si nullo modo inseruiant accusationi peccatorum. Ita docent omnes: quia illa per se non sunt materia, nec ad illam reducuntur, & quòd ibi dicantur est impertinens. Item, si sola dicerentur, non inducerent sigillum; sed concomitantia confessionis non habet: vt sic dicam, causalitatem in illa: ergo; &c. Nihilominùs tamen semper spectat ad prudentiam confessoris de his etiam rebus parum loqui.

## SECTIO IIII.

### *Quas personas obligat hoc præceptum.*

1. DVAE personæ sunt, quæ per se interueniunt in hoc sacramento; confessor, & pœnitens: possunt autem ex causa, vel ex malitia adiungi aliæ vt interpres, vel nuncius, vel consiliarius, vel qui furtiuè audit confessionem. Et de singulis breuiter dicam.

2. An pœnitẽs teneatur seruare secretũ in his, quæ confessor sibi commisit. Palud. Adrian. Nauar. Richard. Soto.

In primis autem omitto pœnitentem: quia ille propriè non obligatur hoc sigillo: imò, vt infrà dicam, pendet ex voluntate eius, cùm de illius licentia possit etiam confessor loqui: Solet autem obiter inquiri, an pœnitens è cõtrario teneatur sub secreto seruare, quę confessor illi committit, vt pœnitentiam quam imponit, vel quid simile. Aliqui enim imponunt hoc onus pœnitenti, vt Palud. d. 21. quæst. 3. num. 61. Adrian. qu. vlt. de Confess. dub. vlt. & Nauar. dict c. *Sacerdos*, n. 115. Contrarium verò docẽt Richard. d. 21. a. 5. q. 3. & Soto dicta Relect. de Secreto, men. 3. q. 4. concl. 4. Et mihi certum esse, hoc propriè non esse sigillũ; esse tamen poterit secretum naturale, vbi materia id postulauerit; aliàs nulla est hîc specialis ratio secreti.

3. Ad confessorem maximè pertinere hoc præceptũ.

Secundò de confessore res est clara, ad illũ directè pertinere hoc præceptum. Solum aduerto, quod supra tetigi, sub hoc membro contineri superiorem ipsum, quando ab illo petitur licentia absoluendi à reseruatis: quia tunc defertur ad illum causa tanquàm ad superiorem iudicem, petendo delegationem eius, & ideò fertur sub eodẽ sigillo: nam ille etiam est quidam vsus clauium in hoc foro; & aliàs fieret odiosa confessio, ipsi que superiores haberent viam cognoscendi delicta extra confessionem, occasione ipsius confessionis quod illi valdè nociuũ esset. Propter quę in his casibus, & similibus, diximus in superioribus, obligare sigillum: quod ex parte notauit Victoria in Sum. n. 10. de confessione.

Victoria.

4. An interpres teneatur seruare secretũ. Prior sent. Caiet. Sot. Contraria sent. cõmunis probatur Scot. Richar. Medin. Ledesm. Victor. Nau. D. Thom.

Tertiò de interprete sunt opiniones: nam Caiet. verb. *Confessio*, condit. 11. & Soto supra, absolutè negãt obligari sigillo: quia interpres non habet claues, neque est instrumentum Christi in illo actu, sed est organum pœnitentis: ergo. &c. Confirmari potest, quia pœnitens nõ tenetur illo modo confiteri: ergò nõ est cur obliget tam rigorosè ipsum interpretem, sed sufficiet naturale secretum. Contraria sententia communis est. Tenet Scot. d. 17. quæst. circa finem, Richard. dist. 21. art. 4. quæst. 3. Medin. dict. Cod. quæst. 50. Ledesm. 2. part. 4. quæst. 11. art. 3. dub. 1. inclinat etiam Victor. in Sum. numer. 172. licèt solum dicat, teneri interpretem omninò occultare peccata, idem Nauar. in cap. *Sacerdos*, numer. 42. Denique D. Thom. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiũcula 3. ait, sicut participat interpres actum clauium, ita participare sigillum. Atq; hic modus sentiendi, & loquendi D. Thomæ mihi placet. Et iuxta illum fortasse non est magna dissentio de re inter hos Auctores: nam etiam priores concedunt in interprete obligationem tanti secreti, vt dicit Soto in nullo casu posse illud violare. Vnde ego existimo proprie esse sigillum quanuis nõ tã graue sicut in sacerdote. Quod etiam videtur sensisse idem Soto Relect. de secreto, mem. 3. q. 4.

5. Assignatur ratio sententiæ supra positæ.

Ratio est, quia hæc obligatio secreti manat ex eodem præcepto diuino, cuius signum est, tum quòd præcipuè imponitur propter sacramentum ipsum: tum etiã, quia violatio talis secreti non solùm est iniustitia, sed etiã sacrilegiũ. Vnde interpres non solùm est instrumentũ pœnitentis, sed etiam sacerdotis: nam sicut alter per illum loquitur; ita etiam suo modo sacerdos per illum audit, ideóque participat secretum eius. Nec refert, quòd pœnitẽs non teneatur illo modo confiteri: quia etiam non tenemur venialia confiteri: & nihilominùs directè cadunt sub sigillo. Vnde constat idem dicendum esse de internuncio: nam est eadem ratio. Imò aliqui hoc extendunt ad scripturam, ita vt si quis inueniat scripta alterius peccata sub titulo confessionis, debeat sub sigillo illa tenere. Sed nimia est hæc extensio, quia illud est instrumentum valdè remotum, & sacramentalis confesio nullo modo est ibi inchoata, erit ergo illud sub secreto naturali. De quo videri potest Nauarr. dict. cap. *Sacerdos*, num. 8. & 9.

6. Extensio aliquorum reprobatur. Nauar. Pet. Sot. Ledesm. Viguer. Palud. Adria.

Quarto de consiliario siue præsens adsit confessioni, siue posteà confessor ex licentia pœnitentis illum consulat, certum est obligari sigillo. Quod docent Auctores citati, præsertim Palud. & Adrian. & Nauarr. suprà. Et prætereà Nauarrus in Summ. cap. 8. numer. 4. capit. 7. & Ledesma q. 10. artic. 3. dub. 1. Petrus Soto. lect. 11. de Confesione, Viguer. in Summ. cap. 16. §. 4. versic. 20. Ratio est, præter alias tactas, quia consiliarius participat actum clauium, scilicet quoad clauem scientiæ, & supplet defectum ministri, ita vt ex vtroque quasi coalescat minister habens omnia necessaria ad hoc munus. Et in hoc valdè differt hæc consultatio ab illa, quæ fit extra confessionem. Et confirmatur, quia pœnitens non alia intensione dat facultatem, nec dare tenetur. Dices, Si pœnitens per seipsum consuleret talem virum doctum, ille non teneretur sigillo secreti, sed alio naturali: ergo idem erit si consulat per confesorem: quia tunc nihil aliud facit confesor, quàm gerere vices pœnitentis. Respondetur negando consequentiam: quia quando aliquis omnino

Obiect.

Deciditur.

nino extra confessionem consulit alium, illa reuelatio nullo modo fit per confessionem, neque is, qui consulitur, participat vlla ratione actum clauium: at verò in casu, de quo agimus, consultatio fit in ipsa confessione, seu per confessionem; & is, qui consulitur quodammodò supplet defectum confessoris, & ita participat actum eius, quatenus ex vtroque veluti vnus integer minister consurgit: & ideò non est similis ratio. Quod confirmatur à posteriori, quia aliàs valde onerosum, & quodammdo iniuriosum erit pœnitenti si confessores licentiam petant ad consulendum aliũ, si talis consultatio sub eodẽ sigillo non manet. Deciditur.

7. Furtiuè audiens cõfessionẽ tenetur sub sigillo Scot.

Quinto, ille etiam, qui furtiuè audit confessionẽ alterius, obligatur sigillo. Quod bene docuit Scotus dist. 21. quæst. 2. quem alij sequuntur. Ratio verò est, quia ille facit iniuriũ & personæ pœnitentis, & sacramento: ergo tenetur illam resarcire quantũ potest: sed nullo modo potest, nisi seruando secretum, quantũ sigillum postulat: ergo ad hoc obligatur. Item, quia tota illa notitia orta est ex confessione: ergo in illa reperitur eadem ratio seruandi secretum propter reuerentiam sacramenti, & ad vitandam iniuriam eius. Nauarr. Addit Nauar. supra rationem aliam: quia res transit ad alios cum suo onere, sicut pignus, & similia: hæc autem notitia ex vi confessionis habet hoc onus quasi adiunctum. Præterea ipsummet sacramentum obligat alios, ne se furtiuè ingerant audiendis confessionibus: quia hoc valdè spectat ad reuerentiã sacramẽti, & bonũ eius, ne illius vsus fiat odiosus, & difficilior: ergo pari ratione obligat ad idem secretũ. Vnde rectè dixit Nau. hoc secretũ esse veluti sacratũ quoddã arcanum, quod sacerdotibus per se traditur, aliis verò prohibetur, ne vel illud iniquè contingant: vel si ad eos quacunque ratione peruenit, illud violent. Applicari etiam hîc possunt rationes suprà factę de illo, qui se fingit sacerdotem. Ex quo sequitur: si quis sine culpa propter inaduertentiam aliquid in confessione audiuit, etiam teneri eodem sigillo: quia licèt excusetur à culpa per accidens, tamen actio illa de se eiusdem rationis erat. Vnde etsi non teneatur ratione acceptionis, vt sic dicam, tenetur ratione rei acceptæ, id est ratione notitiæ ex confessione sumptæ. Imò hinc vlterius fit: si quis in casu necessitatis confiteatur audientibus aliis: quia non potest confiteri alio modo, non solùm confessorem: sed etiam omnes audientes teneri ad secretum sigilli, propter easdem rationes: quia semper illa notitia manat ab eodẽ fonte, & cum eodem onere accipitur, totumque hoc est necessarium ad bonum & conuenientem vsum huius sacramenti tota sua generalitate sumpta.

8. Illum, cui iniquè reuelatur cõfessio, teneri sub sigillo. Scot. Richar. Sylvest. Nauar.

Vltimò ex iis concluditur: si confessor iniquè reuelet alteri confessionem, illum, qui audit teneri sigillo, quidquid Medina suprà sentiat. Hæc est sententia communis Scoti suprà, Richardi, art. 5. q. 1. Sylvest. verb. *Confess.* 3. q. 1. Nauar. dict. cap. *Sacerdos*, n. 43. qui rectè dicit, hoc sigillum esse veluti onus proprium notitiæ acceptæ per confessionem, & ideò, cuicunque communicatur illa notitia, transire cum suo onere. Vnde colligere possumus vniuersale principium, Omnem notitiam comparatam ex cõfessione, vt sic, siue mediatè, siue immediatè manere sub sigillo. Item possumus applicare rationem illam, quòd hoc ipsum, scilicet audire narrationem alterius ex confessione, est per se actio iniuriosa sacramento: & quod fortasse aliter excusetur: quia præuenitur, & inuoluntariè audit, est per accidens: ergo semper relinquit obligationem resarciendi illam iniuriã, quantum fieri possit. Item confessor ipse non habebat ius reuelandi: ergo nec potuit in alterum transferre. Obiect. Dices, Ergo, quanuis res deueniat ad publicam notitiam omnium, adhuc omnes tenebuntur sub sigillo, quod moraliter est impossibile. Respondetur, per se loquendo ita esse: si reuerà tota notitia in sola cõfessione fundetur, tamen ex accidẽti excusari possunt homines, vel quia in tanta multitudine non potest omnibus hoc constare, vel certè, quia illa occasione res patefacta est aliis modis, & comparata alia notitia, cessat sigillum. Soluitur.

## SECTIO V.

### *An possit confessor loqui de rebus in confessione auditis cum ipso pœnitente, vel de licentia eius.*

1. SECRETVM sicut & loquutio ad alterum ordinatur: & ideò explicare oportet ad quem, seu circa quas personas seruandum sit hoc secretum. Et quia ex dictis satis constat respectu aliorum, propter pœnitentem, seruandum esse non interueniente facultate pœnitentis: ideò duo supersunt explicanda: scilicet quomodo cum pœnitẽte, & quomodo cum facultate eius loquendum sit.

2. Non posse confessorem cũ pœnitente sine eius facultate loqui.

Circa priorem partem dicendum est, non licere confessori post perfectam confessionem loqui de rebus in confessione auditis, etiam cum ipso pœnitente sine facultate eius. In hoc conueniunt omnes: quia hoc per se loquendi, esset valdè onerosum pœnitenti se exprobrari, vel pudoreaffici posset à cõfessore, quod sine dubio redundaret in iniuriam sacramenti. Dubium. Dubitant verò doctores, an hoc sit proprium sigillum, vel eius reuelatio. Medina quæst. 51. negat: quia loqui cum pœnitente, non est reuelare confessionem. Medin. Alij affirmant, Soto quarto distinct. 18. quæst. 4. articul. sexto, & Relect. de Secreto, membr. 3. quæstione quarta, dubio quarto, post quintam conclus. Ledesm. quæstio. 10. artic. primo, dubio nono, Victoria in Summa, numero 185. Et hic posterior loquendi modus mihi probatur, quanuis fortè in re non sit differentia, nec sit disputandum de verbis. Nam respectu eiusdem pœnitentis, non est propriè secretum, vt per se constat, & ideò si per sigillum intelligatur secretum, potest dici illud non esse sigillum. Tamen generaliori modo sigillum est obligatio non loquendi de tali re, etiam cum illo qui eã nouit, & huiusmodi est præceptum hoc, ideóque obligat ad non loquendũ etiam cum ipso pœnitente. Assumptum constat ex interpretatione tum Doctorum omnium, tum etiam communis sensus, & consuetudinis Ecclesiæ. Ratio verò est, quia ad finem huius legis & bonũ sacramẽti non tantùm necessarium est nõ loqui cum infamia pœnitentis, verùm etiam cum rubore, & pudore eius, & alioqui fieret valdè onerosa confessio. Item: quia licèt non sit infamia, aliqualis est iniuria dicere alicui peccatum proprium. Atque ita communiter Doctores loquuntur, vno vel alio excepto. Sotus. Ledesm. Victoria.

3. Interrogationis fatis sit.

Solùm est casus communis, quando confessor cõmisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad pœnitentem monendum. Respõdeo, dicere illi posse, & debere, se velle cum illo loqui de re necessaria ad confessionem pertinente: & quidem, si ille consentiat, iam habet facultatem: si verò renuat, dicat nilominùs si commodè possit: quia tunc iam verè non loquitur extra confessionem: sed supplet, & perficit eam, quæ inchoata, & imperfecta manserat, & pœnitẽs tũc est irrationabiliter inuitus. Hinc sequitur, idem esse dicendum: si plures confessionem audirẽt, qua

quacunque occasione: non enim possunt inter se confabulari de alienis peccatis in confessione reuelatis: quia, si cum ipsomet pœnitente non licet loqui, multò minùs cum alio, etiamsi notitiam confessionis habeat. Item: quia illa loquutio ex se est extra confessionem, & ideò prohibita. Denique: quia hoc ipsum est onerosum pœnitenti: nam confirmat memoriam, & infamiam eius, & est aliquo modo contra illius honorem.

A

---

*De locutione cum facultate pœnitentis.*

4. Pœnitēs dicta intra cōfessionē potest dicere extra.

CIRCA secundum punctum de locutione cum facultate pœnitentis, duo sunt distinguenda, quæ ab Auctoribus confunduntur. Aliud enim est, quòd pœnitens res semel dictas in confessione, iterū extra confessionem dicat. Aliud verò, quòd, seruato eodem sigillo, & eadem scientia, det facultatem loquendi ex illa. Primum non videtur posse cadere sub dubium, quia pœnitens est dominus suæ famæ, & scientiæ: potest ergo illam communicare prout voluerit: ergo sicut ante confessionem poterat extra confessionem dicere, ita & post confessionem. Dicit Durand. necessarium esse, vt omnia sigillatim repetat, nulla facta mētione confessionis. Sed non existimo esse necessarium: vnico enim verbo dicere potest, Omnia, quæ in confessione dixi, extra confessionem sint dicta: quia illud vnum verbum hic, & nunc sufficienter significat omnia, sicut in superioribus è contrario dicebamus, posse aliquem vno verbo plura confiteri simili modo.

B

C

5. Prima opinio negans. Scot. Durand. Maior. Gabr. Alens. Angel.

De posteriori autem modo est diuersitas opinionum. Prima negat licere ex facultate pœnitētis loqui. Tenent Scot. d. 21. quæst. 2. Durand. quæstio. 4. Maior quæst. 3. Gabr. artic. 3. dub. 4. Alensis 4. part. quæst. 19. aliàs 78. membr. 2. art. 2. §. 1. Angel. verb. *Confessio*, 8. numero quinto. Fundantur primò, quia confessor scit vt Deus: ergo nō potest pœnitens illi facere facultatē, vt loquatur vt homo. Secundò, quia hoc est præceptum diuinum: ergo non potest pœnitens illud dispensare. Tertiò, quia licèt possit pœnitens cedere iuri suo, non tamen iuri sacramenti: nec cessat obligatio præcepti, etiamsi tunc finis eius in particulari cesset. Quartò, addunt alij, hoc ipso, quòd pœnitens dat hanc licentiam, & sacerdos ex illa loquitur, alios, qui audiunt, non obligari sigillo: sed tantùm illo naturali secreto, quod res postulauerit: quia illi non cognoscunt peccatum illud in confessione sacramentali: sed perinde se habent, ac si audissent ab ipso pœnitente extra confessionem. Vnde non satis est, quòd ipse velit hanc obligationem imponere, nec alia intentione det facultatem: quia non potest extra confessionem ponere obligationem sigilli, vt suprà visum est.

D

6. Contraria opinio cōmunis, & vera. D. Thom. Bonau. Richard. Palud. Adrian. Henric. Syluest. Soto. Petr. Sot. Medin. Anton. Nau. Couar. Archid. Alex. Cardin. Abbas. Felin.

Nihilominùs contraria sententia, & communis, & vera est. Quam tenet D. Tho. d. 21. q. 3. art. 2. Bona. 2. p. a. 2. q. 2. Richard. a. 4. q. 1. Palud. q. 3. n. 42. Adrian. q. 4. de Confess. Henric. quodlib. 7. q. 26. Sylueſter verb. *Confessor*, 3. q. 3. & 5. Soto d. 18. q. 4. art. 6. & dict. Relect. Pet. Sot. lect. 11. de Confessor. Med. q. de Licentia pœnitentis ad reuel. confess. Anton. 3. p. tit. 22. §. 1. Nauar. in Sum. cap. 8. n. 2. & cap. 18. num. 12. & dict. cap. *Sacerdos*, num. 127. & Couarr. in 4. Decretalium, p. 2. cap. 8. §. 12. & est communis etiam iuris Canonici peritorum sententia Archid. & Alex. in cap. *Ipsi Apostoli*. 2. quæst. 7. Cardin. in cap. *Sacerdos*, de Pœnit. d. 6. Abba. in cap. *Significasti*, de adult. Felin. in cap. *Testimonium*, de Testibus. Ratio est, quia hoc sigillum, quanuis sit sacrum, continetur tamen sub genere secreti, & eius naturam ac rationem participat. Est autem hæc natura secreti, vt eius vsus pendeat ex voluntate committentis, sicut depositum ex voluntate deponentis, vel sicut promissio ex voluntate eius, cui est facta: ergo sicut in aliis secretis, & in exemplis positis licet ex voluntate alterius talis vsus, ita & in præsenti. Probatur consequentia: quia, nec datur lex specialis, quæ hoc prohibeat, nec ratio generalis præcepti tunc procedit: quia cessat iniuria pœnitentis & sacramenti: non enim ob hāc causā fiet onerosum. Quin potiùs hinc confirmatur: quia hoc cedit in fauorem pœnitentis, & consequenter sacramenti: sæpe enim est pœnitenti necessarium, vt confessor loquatur vel consulat: esset autem maius dispēdium, si propterea cogeretur semper extra confessionem dicere. Imò addit Nauarr. in dict. cap. *Sacerdos*, num. 151. etiam in extremo foro posse valere testimonium confessoris de licentia pœnitentis ad eius innocentiam comprobandam: & adducit quædam iura, quæ apud me nihil probant: nec existimo illam sententiam esse veram, neque in praxi esse vtendum illa: quia est exposita fraudibus, & sacrilegiis. Et propterea cùm tale testimonium confessoris totum resoluatur in assertionē pœnitentis; quam fidem potest facere in iudicio externo?

E

Nauarri sententia reiicitur.

Sed quæret aliquis, quæ sit differentia inter hunc modum & priorem. Respondeo, esse nonnullas notandas. Prima est, quia hæc facultas semper est reuocabilis: pendet enim ex voluntate dantis: quia nec contulit nouam notitiam, nec transtulit in alium aliquod ius irreuocabile. At verò, si semel extra confessionem dixit, quæ priùs in confessione dixerat, iam illa notitia irreuocabilis est, nec potest facere pœnitens, vt posteà confessor tantùm in confessione sciat. Secunda, quando cōfessor hoc posteriori modo loquitur ex facultate, potest & debet dicere, se scire in confessione, & loqui ex licentia pœnitentis, vt alter debito modo recipiat: at verò in priori modo non potest dicere se audiuisse in confessione: quia non loquitur ex illa notitia, neque ex facultate respectu illius, sed ex noua scientia. Tertia, quia tunc is, qui audit, obligatur sigillo: si confessor solùm loquatur ex propria facultate, vt statim latiùs dicetur: non verò si loquatur ex noua notitia iuxta priorem modum. Quarta, quia ille prior modus fieri potest ex mera voluntate sine causa, quæ ad sacramentum, vel pietatem pertineat: quia est res merè extrinseca sacramento: at verò alia facultas danda non est, neque est illa vtendum, nisi ex graui causa, vel vtilitate rationabili, quod notauit Nauar. suprà n. 158. Addendo verò censeo etiamsi aliter fiat, non propriè frangi sigillum, quia iam intercedit voluntas committentis; erit tamen aliud genus sacrilegij propter irreuerentiam, & abusum sacramenti: sæpe tamen esse poterit tantùm veniale peccatum, quando non ordinatur ad finem malum.

7. Differentia inter priorē & posteriorē modum. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Fundamenta prioris sententiæ facilem habent solutionem ex dictis. Ad primum enim iam suprà diximus confessorem non ita scire vt Deum, quin verè sciat vt homo, & ita loqui possit. Adde, etiam tunc loqui vt Dei ministrum, cùm in eodem foro loquatur. Ad secundum respondetur, hanc non esse dispensationem in præcepto diuino, sed mutationem materiæ eius: nam sensus præcepti est, vt hoc secretum seruetur iuxta voluntatem committentis; & ita nulla interuenit dispensatio. Ad tertium respondent aliqui, hoc præceptum sigilli præcipuè esse positum in fauorem pœnitentis, ideóque ipsum posse iuri suo renūciare: alij verò dicunt principalius esse positum in fauorem, & bonum ipsius sacramenti, ne sit nimis onerosum, & vt quantùm est ex se, integrè possit fieri.

8. Destruūtur fundamenta prioris sententiæ. Primum. Secundum. Tertium.

ri. Ego tamen censeo proximè, & immediatè secretum hoc esse fauoré pœnitentis, vt per se cõstat, principaliter verò, & ex primaria intentione instituentis esse fauorem ipsius sacramenti, vt conuenienti modo institutum sit, & vt illius vsus sit iugum tolerabile, & suaue omnibus peccatoribus. Sed tunc instat argumentum factum: quia quando fauor principaliter ordinatur ad bonum commune, non potest priuata persona iuri suo cedere, etiamsi velit, vt quia exemptio à iurisdictione temporali conceditur in bonum status Ecclesiastici, non potest priuatus clericus renunciare priuilegium, & se subdere temporali iudicio. Respondetur, assumptum esse verũ, quando actio priuatę personę cedit in detrimentum communis boni: vt, in exemplo adducto, cedit in iniuriam, & dedecus status Ecclesiastici, quòd clericus iudicetur in seculari foro, etiam ipso volente: in præsenti autem non ita est: nam, quòd confessor loquatur de rebus auditis in confessione de licentia pœnitentis, non derogat fauori sacramenti, neque aliquid includit onerosum, aut contra bonũ eius. Vnde etiam fit, vt dare hanc facultatem, non sit, pœnitentem renunciare fauori suo, sed potiùs sit vti illo, & conseruare illum. Et pari ratione assero, sicut est fauor sacramenti, vt sacerdos nihil loqui possit sine licentia pœnitentis, ita etiam pertinere ad fauorem eius, vt cum tali licentia loqui possit: nam hoc sæpe potest cedere in bonum ipsius pœnitentis per ipsum sacramentum intentum, & aliũde nullum nocumentum infertur sacramento, si prudenti & rationabili modo talis licentia detur, vt supponimus, quod magis declarabitur ex sequenti responsione.

Augetur argumentum.

Soluitur.

## *An ille, cui reuelat confessor de licentia pœnitentis, sigillo obligetur.*

9. Aliquorum responsio.

PETITVR in quarto argumento, an id quod confessor narrat ex facultate pœnitentis, maneat sub sigillo apud illum, cui narratur. Aliqui enim aiũt, illum non obligari proprio sigillo, sed ad summum secreto naturali. Et ratio est, quia ille non audit per confessionem, sed per narrationem aliam extra confessionem, ex qua non oritur sigillum, vt suprà dictum est. Nec satis est, quòd illa secunda narratio oriatur ex notitia confessionis, quia non oritur ex illa, vt talis est, sed solùm, vt est quædam notitia, qua vtitur pœnitens, vt instrumento, quo mediante, narrat alteri factum suum; tamen reuerà ille non narrat in confessione, neque ex vi solius confessionis, sed ex vi nouæ facultatis concessæ. In quo est differentia, quando sacerdos iniquè reuelat confessionem, vel quando loquitur ex licentia pœnitentis: nam in priori casu qui audit, tenetur seruare sigillum: quia confessor loquitur ex vi solius confessionis, & in iniuriam pœnitentis: in posteriori verò casu loquitur sine iniuria pœnitẽtis, & quasi ex noua relatione eius.

10. Sed hæc doctrina probari non potest, quia supponimus quando pœnitens dat confessori facultatem loquendi, non dare illi nouam notitiam extra confessionem: nam si hãc daret, clarum est, neque ipsum confessorem secundùm illam teneri sigillo, & consequenter multò minùs obligari eum, qui ex tali notitia loquentem audit. Per facultatem ergo, de qua agimus, non datur noua notitia: sed datur facultas ad extendendam illam eandem ad alium: ergo extenditur ad illam sub eodem sigillo. Atque in hoc sensu intelligunt omnes Doctores citati ita posse dari hanc facultatem, vt manente sigillo integro in omnibus aliis, sub eodem extendatur cognitio ad alium, manet ergo ille obligatus sigillo. Atque hoc etiam probant

Deciditur.

A rationes pro nostra sententia factæ, quæ ideò procedunt, quia hoc sigillum est quasi quoddam depositum pœnitentis, quod sine voluntate ipsius contingere non licet, ipso autem concedente licet, non tamen ampliùs, neque alio modo, quàm ipse velit. Præterea hoc etiam probat ratio suprà dicta ex Nauarro, quòd res transit ad alium cum onere suo. Sed respõderi potest, secretum sigilli non esse onus ipsius rei: sed esse onus personæ: scilicet ipsius confessoris: nam tantùm est quoddam præceptum illi impositum: quia rem in confessione audiuit: & ideò non extenditur ad alios, qui non in confessione audierunt: sed posteà de licentia pœnitentis. Sed contrà: quia hoc onus personæ meritò dicitur etiam esse ipsius rei, vt sic manifestè per confessionem: quia ipsa confessio ex se ita illam rem occultat, vt propterea teneatur non B solùm confessor, sed etiam quilibet alius, qui ex vi confessionis illam nouit, idem secretum seruare. Hac enim de causa si sacerdos absque licentia pœnitentis rem alteri communicet, tenetur ille sigillum seruare. Neque est verum quòd licentia pœnitentis tollat hoc onus: quia neque est hæc voluntas eius, neque ad id cogi potest. Cur enim? cùm secretum illud ex voluntate eius pendeat.

Obiect.

Diluitur.

11. Alia obiectio.

Dices, tertia illa persona, cui confessor peccatum pœnitentis reuelat de licentia eius, non tenetur tantam obligationem sigilli acceptare, cùm reuerà in confessione non audiat. Respondetur, posse quidem non audire rem illam vt in confessione reuelatam, sicut posset etiam confessor non audire cõfessionem, & tunc cogetur pœnitens aut omninò non communicare cum illa tertia persona peccatum suum, aut alium modum manifestationis permittere, tamen si C tertia illa persona acceptet seu consentiat audire illam rem ex notitia confessionis, facultate à pœnitente data, velit nolit obligabitur sigillo: quia hæc obligatio nõ oritur ex nouo aliquo pacto, sed ex ipsa confessione: nec licentia pœnitentis tollit hanc obligationem, sed solùm tollit iniuriam, seu offensionem ex parte sacerdotis reuelantis.

Soluitur.

12. Simile.

Est simile, si pœnitens sponte vellet confiteri omnia peccata coram sacerdote, & duobus testibus, ad maiorem confusionem suam, vel ad alium similem finem, integra manente quoad reliqua omnia seueritate sigilli, profectò non solùm sacerdos, sed etiam testes tenerentur sigillo: nulla enim lex diuina, aut humana declarauit, hanc obligationem pertinere ad solum sacerdotem, & non ad alios, qui eandem con- D fessionem audiunt, neque etiam declarauit pertinere ad eos, qui furtiuè, & iniquè cum sacerdote audiunt, nõ verò ad eos, qui audiunt iustè ex consensu pœnitentis, neque est vlla ratio eos excludendi. Maximè cùm ex vi iuris diuini non sit limitata confessio, vt coram sacerdote fiat sine alterius præsentia, & possit pertinere ad meliorem vsum ipsius confessionis, maiúsve commodum pœnitentis, vt simul coram alio fiat: ergo ad reuerentiam sacramenti spectat, vt ille etiam teneatur sigillo, iuxta voluntatem pœnitentis, sicut suprà dictum est de interprete. Et ideò non est simile de confessione facta soli laico, illa enim non est sacramentalis, & ideò non inducit sigillum: confessio autem facta coram sacerdote, & aliis est verè E sacramentalis, & ideò ad aures omnium audientium peruenit cum suo onere. Quod autem dictum est, quando simul confessio peruenit ad sacerdotem, & alium, intelligendum est etiam quando peruenit successiuè: hæc enim differẽtia valdè accidentalis est, cùm eadem sit confessio, & notitia quæ applicatur.

13. Probatur à posterior.

Tandem à posteriori hoc ipsum declaratur: quia si in eo casu cessaret sigillũ apud audientem à confessore, eadem ratione cessaret apud confessorem: quia

non

non videtur posse sacerdos teneri maiori obligatione, quàm alteri imponat: vel quia, iuxta contrariã sententiam, concessio talis facultatis est quædam virtualis narratio extra confessionem, vel saltem quia ille, qui à confessore rem talem audiuit, potest de eadem loqui cum eodem confessore, & ita iam confessor sciet alia via extra confessionem, & absq; sigillo. Consequens verò est absurdum, aliàs posset tunc sacerdos dicere peccatum illud cui vellet, & quomodo vellet, excedendo etiam limites facultatis, saltem absque fractione sigilli: quod planè est absurdum, & contra omnes citatos Auctores. Ad quartum ergo argumentum nego assumptum: nec enim est eadem ratio de homine loquẽte extra confessionem, & de dante prædictam facultatem, quia in hoc posteriori casu verè quis loquitur in confessione, & per confessionem, solumque permittit talem confessionem audiri ab aliis præter iudicem: per hoc tamen non excludit, quin ipsa confessio suum effectum habeat per sigillum in omnibus audientibus, vt satis declaratum est. Atque ita procedunt, optimè omnes differentiæ suprà assignatæ inter hunc modum communicandi secretum confessionis, & iteratam reuelationem extra confessionem, quæ sumptæ sunt ex communi consensu Doctorum, & alio modo subsistere non possent.

Soluitur quartum argumentum.

14. Oportet licentiam esse satis declaratam.

Vltimò verò circa hanc facultatem, & vsum eius ex eorundẽ Doctorum sententia nonnulla obseruanda sunt. Primùm, vt sit satis expressa, & declarata: nam in re tam graui non est vtendum præsumptione: quia aliàs hoc sigillũ exponeretur periculo, cum incommodo ipsius sacramenti. Vnde minùs erit sufficiens ratihabitio de futuro, & multò minùs sufficiet, quòd pœnitens hanc licentiam dare teneatur (si id contingere interdum potest) quia si de facto illam non concedit, illud non satis est: quia semper manet integra materia præcepti, nec nobis licet agere contra ius alterius, etiamsi ipse malè illo vtatur. Secundũ est, oportere hanc licentiam esse spontaneam sine vi, metu, aut deceptione obtentam: quia si inuoluntaria sit, erit inualida, non solùm quia est per iniuriam extorta, sed etiam quia cederet in magnam irreuerentiam ipsius sacramenti. Tertiò demùm oportet, vt in vsu huius facultatis de illa sufficienter constet, vt omne scandalum vitetur: quomodo autem constare possit, prudentiæ confessoris relinquendum est: frequentius autem eius testimonium sufficit, imò sæpiùs non potest alia via constare, neque enim exigenda est subscriptio pœnitentis: illud enim onerosum esset, & periculosum, & ideò nec est necessarium, nec regulariter faciendum, nisi fortè interdum prudenter existimaretur necessarium.

Deinde esse spontaneum

## SECTIO VI.

### *Quomodo seruandum sit hoc secretum, & interrogationibus respondendum.*

1. Prima assertio. Seruandum esse non solùm directè, sed etiam indirectè.

PRIMÒ dicẽdum est, hoc secretũ seruandũ esse nõ solùm directè: sedetiã indirectè, & grauiter peccari si alterutro modo reuelatur. De priori res per se nota est. De posteriori probatur, quia in moralibus eiusdẽ rationis est aliquid indirectè velle, vel cõmittere quãdo effectus, seu detrimentum idem est, ita verò est in præsenti, vt per se patet, & ita in hoc conueniũt omnes Doctores.

Modus indirectæ reuelationis multiplex.

Modus autẽ huius indirectæ reuelationis potest esse multiplex, & aliquos suprà tetigimus, vt si loquatur in vniuersali cum periculo, &c. vel si laudet vnũ cum occasione suspicionis circa alterum. De quodam tamen solet esse dubium: scilicet si confessor dicat, se non absoluisse pœnitentẽ: nam Caiet. verb. *Confessio*, negat hanc esse reuelationem indirectã: quia posũt, inquit, esse multæ causæ non absoluendi: & sequitur Armilla. Contrarium verò conseo omninò verum, si absolutè confessor ita loquatur. Quod tenet Nauarr. c.8.n.10.& dict.c.*Sacerdos*,n.63.Soto, & alij cõmuniter. Ratio est, quia absolutio, moraliter loquendo, nõ negatur, nisi supposita materia peccati mortalis, & ob indispositionem pœnitentis, & ideò qui dicit, se negasse absolutionẽ, directè dicit pœnitentẽ peccasse mortaliter, & esse indispositũ. Vnde nõ refert quòd possint esse variæ causæ negandi absolutionem, quia omnes includunt, vel supponunt id, quod diximus. Quapropter etiãsi confessor interrogetur, an absoluerit, nunquàm potest absolutè negare: sed neque affirmare potest, si non absoluit; quia non potest illa locutio habere tũc sensum verum: dicat ergo se functũ fuisse suo munere. Et ne in casibus particularibus detur occasio suspicionis sic respondẽdo, est optimũ cõsilium ita semper respondere, siue absoluat, siue non. Hæc autem intelliguntur quando quis absolutè dicit se negasse absolutionem: nam si distinctè declarat, nõ potuisse perficere confessionẽ propter superueniens impedimentũ, aut pœnitentẽ non potuisse dare sufficientẽ materiã, tũc nulla est reuelatio, vt per se cõstat.

Caietani sẽtentia reiicitur. Armil. Nauar. Soto.

### *Secunda Assertio.*

2. Seruandum esse secretũ non solùm verbis, sed etiam factis Obiect.

SECVNDÒ dicendum est, hoc secretum non solùm seruãdum esse verbis, sed etiam factis. Ita docẽt omnes Doctores, & sumitur ex c.*Omnis vtriusque sexus*, ibi, *Verbo, vel signo, vel alio modo.* Ratio verò est, quia non tantùm verba, sed etiam facta significant mentem, & ideo factis potest manifestari confessio: quæcunque autem manifestatio est contra sigillum. Dices, Facta non sunt per se imposita ad significandum, sicut verba, & ideò sæpe potest aliquis agere, ex quo alter decipitur: vt quando aliquis se occultat alienis vestibus, & alium se ostendit, quã verè sit: quia illa non est positiua deceptio, sed permissio, vt alter decipiatur: ergo in præsenti idem dici poterit. Respondetur, etiam illa facta, quæ non sunt signa ad placitum imposita ad significãdum, sæpe verè significare, vt signa naturalia, seu effectus significãt causam, & exteriores actiones significant mentem à qua procedunt. Quacunque autem ratione significetur confessio, est reuelatio eius, saltem indirecta, neque est sola permissio, sed commissio: quia homo verè exhibet signum repræsentatiuum cognitionis per confessionem comparatæ. Accedit quòd, moraliter loquendo, est maior necessitas seruandi, sigillum hoc modo, quàm verbis: quia frequentior esse potest vsus scientiæ confessionis per facta, quàm per verba. Et faciliùs etiam fingi possunt occasiones, & causæ ad huiusmodi vsum, ex quo valdè onerosa, & odiosa fieret confessio.

Soluitur.

Atque hæc assertio explicabitur meliùs adhibitis nonnullis exemplis, hinc enim fit, vt non possit Parochus, vel Episcopus negare publicè sacramentum aliquod alicui, v.g. Eucharistiæ, matrimonij, aut ordinis, &c. propter scientiam in sola confessione comparatam: quia id fieri non potest sine indirecta reuelatione, vt rectè Sylvest. verb. *Confessor*, 3.q.16. Nauar. c.8.nu.17.& alij. Et sumitur ex cap. *Si Sacerdos*, de Offic. ord. & idem diximus suprà de negatione absolutionis respectu vnius, ex scientia confessionis alterius. Item, ex eodem principio non possumus negare commu

3. Exemplis assertio explicatur.

Sylvest. Nauar.

communicationem ei, quem nouimus esse excõmunicatum solùm in confessione : præsertim coram aliis, vt omnes etiam docent. Et sumitur ex eodẽ textu, & ex c. *Cum non ab homine*, de Senten. excom.

4. An cõfessor possit in occulto nõ cõmunicare cũ eo, quẽ scit ex cõfessione esse excõmunicatum. Nauar. Adrian. Medin. Ledesm.

An verò occultè possit confessor vitare huiusmodi excommunicatum, quando nullus alius adest, sed ipse solus? Nauar. in cap. *Sacerdos*, n. 145. secutus Adrianum, & alios, quos refert, affirmat, & posse, & debere vitare illum: quia tunc nõ reuelat. Oppositum verò tenet Medin. dict. Cod. q. 51. & Ledesm. q. 10. ar. 5. dub. 6. quia licèt non reuelet aliis, saltem ipsi pœnitenti facto loquitur ; hoc autem etiam prohibitum est. Alij distinctione vtendum censent. Nam vbi solùm (aiunt) interuenit hæc communicatio sine vlla cooperatione ad malum intrinsecè, tunc non est vitanda : quia solùm est prohibita humano iure, quod non obligat cum tanto rigore : sed in his solùm, quæ humano modo sunt cognita. At verò si talis cooperatio includatur, vt si v.g. ille pœnitens petat Eucharistiam à confessore, qui ex confessione nouit non esse dispositum, potest, & debet negare: si nullus alius adsit argumento sumpto à contrario sensu ex dict. c. *Si Sacerdos*, & ex generali regula posita in dict. cap. *Cùm non ab homine*, quòd occultus excommunicatus occultè vitandus est. Item, quia illa irreuerentia sacramenti potest vitari sine incommodo : quia illa non est reuelatio, & quanuis videatur exprobratio, non est tam data à confessore, quàm ab ipso pœnitente accepta: nam iniquè se ingerit, & cogit alium ad vitãdum malum: quare etiam tunc non est pœnitens rationabiliter inuitus, neque habet veram occasionem, vt ei fiat onerosa confessio. Item, quia hic vsus scientiæ confessionis non est ad aliquam gubernationem externam, neque ad aliquam actionem publicam, sed solùm est quædam negatio rei aliàs non debitæ, solùm ad vitandam irreuerentiam sacramenti, & cooperationem ad malum. Nam si licet ex scientia confessionis propriam pecuniam diligentiùs custodire, ne à fure surripiatur, cur non licebit sacramentum etiam custodire? Inter has sententias prima nullo modo probanda est : quia imponit graue onus sine sufficienti fundamento, & non sine periculo. Secunda verò, & tertia probabiles sunt. Simpliciter verò secunda videtur securior, & magis constans. Nam illa reuerà non est cooperatio: nam ille habet rationabilem causam ita se gerendi, ac si nihil sciret : sicut iudex damnans innocentem contra scientiam priuatam propter legitimam probationem. Si autem non est cooperatio, nulla est obligatio. Maximè cùm hodie non teneamur vitare excommunicatum occultum. Si ergo sacerdos potest alio titulo se excusare, ne det sacramentum, vel quia non tenetur ex officio, vel quia est occupatus, poterit se excusare si velit, quanuis non teneatur : quia in vtroque se gerit ac si nihil sciret: at verò illo titulo negare non poterit.

---

## *Tertia Assertio.*

5. Seruandum esse secretũ, non solùm narrando, sed etiã respondendo.

TERTIÒ dicendum est, seruandum esse hoc secretum non tantùm spontè narrando, sed etiam respondendo ad quancunque interrogationem. Ita docent omnes statim citandi contra Altisiodorensem, qui oppositum sentit in aliquo casu. Ratio verò sumenda est ex generali, & rigorosa obligatione huius præcepti, & præterea quia sic interrogans iniustè facit, & ideò non meretur responsum. Quòd si cogat ad illud exhibendum, semper potest negari, salua veritate : ergo semper est ad hoc obligatio. Vnde in huiusmodi euentu, ex consilio Doctorũ omnium, optimum est nullum dare responsum, sed reprehendere sic interrogantem : si distinctè interroget, an per confessionem nouerit : si verò absolutè tantùm interroget, etiamsi superior sit qui interrogat, poterit sacerdos negare responsum, licèt iurauerit se responsurum, & dicturum quæ sciuerit, vt notarunt Henric. quodlib. 1. q. 33. & Gabr. d. 21. art. 3. dub. 1. casu 3. quia iuramentum semper intelligitur de scientia ex qua homo loqui possit, seu quæ licitè subiecta esse potest humanæ interrogationi, non est autem huiusmodi res cognita in confessione. Henric. Gabr.

6. Quid si non possit cõmodè negari responsum.

Sed quid, si non possit commodè negari responsum? Sæpe enim contingit, vt ipsa negatio responsi sit indirecta reuelatio: quia generat in alio vehementem suspicionem. Gabr. suprà negat, tunc debere respondere, sed ad summum dicere, in his, in quibus possum perhibere testimonium, nihil scio. Quòd si in alio sequatur suspicio, esse per accidens, ex malitia eius: quia non respõdere de se indifferens est. Sed hæc sententia falsa est, & moraliter repugans sigillo. Dico ergo & posse, & debere respõdere, & simpliciter negare se scire quicquam de illa re. D. Thom. d. 21. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Bonau. 2. p. art. 2. q. 1. ad 1. Richard. artic. 4. q. 2. Palud. Dur. & Maior q. 3. & 8. Soto d. 18. q. 4. art. 5. ad 4. & de Tegen. secr. membr. 3. q. 3. Adrian. q. vlt. de Confess. & quodli. 9. ad 2. Scotus d. 15. q. 4. Henric. quodlib. 8. q. 29. omnes Sũmistæ, & moderni, siue subintelligat se nescire ad dicendum, sed nescire ita vt euidenter id viderit. Deinde, si expresè interrogetur, an audierit, quanuis Soto timeat, sine dubio potest simpliciter negare, & dicere, *Non audiui*, vt omnes alij censent, specialiter Richard. d. 21. art. 4. q. 2. tum quia hic etiam optimè subintelligitur illud additum, *Non audiui ad dicendum*, Neque intelligo quam differentiam in hoc Soto inueniat inter verbum *sciendi*, & *audiendi*, *Quia scientia* (inquit) *ordinatur ad dicendum, non autem auditio.* Quod repugnat : quia auditio est scientia quædam, prout hic sumitur pro quacunque cognitione, tum etiam, quia habet alios sensus, *Non audiui vt homo*, vel, *vt teneat tibi respondere.* Improbatur Vera respõsio. D. Thom. Bonau. Rich. Palud. Durand. Maior. Sot. Adr. Scot. Henric. Rich. Sotus reprehenditur.

7. Quid si interroget quis an in confessione audierit. Vera respõsio. Adr. Sylvest. Nauar. Victoria. Medin. Ledesm.

Tandem, si indirectè interroget quis, an audierit in confessione, Palud. & Soto fatentur, non posse negare: vnde cùm neque affirmare possit, dicunt, non debere tunc quicquam respõdere, sed obiurgare alium. Quòd si in suspicionem venerit, ipse solus est in culpa: quia confessor nihil aliud habet, quod faciat. Vera tamen sentẽtia est, simpliciter posse, & debere negare quicquã audiuisse, etiã in cõfessione. Ita docuit Adr. q. vlt. de Confess. Sylu. verb. *Confessio*, 3. n. 10. Nauar. c. 8. n. 3. & n. vlt. & c. 12. in fin. Victo. in Sum. n. 184. Med. dict. Cod. de Confessio. quæst. de Confessione celanda, Ledes. q. 10. art. 1. dub. 6. Ratio est, quia etiam hæc responsio habet duplicem sensum verum. Vnus est, subintelligendo illud additum, *Ad dicendum*, vel, *Ita vt possim dicere.* Alius, & melior est, vt responsio accommodetur intentioni debitæ interrogantis, quæ esse debet, an alius taliter sciat, vt respondere teneatur, quo sensu verè negat audiuisse. Dices, hunc sensum repugnare interrogationi : nam qui interrogat, an audierit in confessione, hoc ipso excludit omnem alium modum. Respondetur, id verum esse ex eius formali intentione, illi tamen imputari repugnantiam in ipsis verbis, & interrogatione, alium verò vti iure suo respondendo iuxta mentem legitimam, quæ inesse deberet. Obiect. Soluitur.

8. Dubium Durandi.

Dubitat tamen vlteriùs Dur. dict. d. 21. q. 3. an sacerdos nõ interrogatus possit aliquãdo ita loqui: & absolutè negat, quia neq; est necessitas, neq; in rigore habet locum interpretatio vera : quia hæc fundatur in interrogatione. Contrarium verò sentiunt Palud. & Soto : quia licèt sacerdos absolutè neget se scire, vel audiuis

audiuiſſe quicquam de tali re, communi ſenſu intelligitur de communi, & externa ſcietia. Ego verò ſententiã Durandi cenſeo veram quãtùm ad illam locutionem, qua ſacerdos negat, ſe audiuiſſe in confeſſione, præſertim quia dum non cogitur, non debet miſcere ſermonem de confeſſione, neque affirmando, neque negando, ſemper enim generat ſcandalum, & eſt aliquod periculũ ſuſpicionis, vel reuelationis indirectæ: at verò ſimpliciter negare audiuiſſe aliquid de illa re, interdum poteſt eſſe licitum & conueniẽs, ſi occurrat neceſſitas, vel commodum ipſius pœnitẽtis: nam in hoc verum habet, quòd illa locutio etiã ſine interrogatione prolata iuxta cõmunem ſenſũ intelligitur de auditione merè humana, & externa, & alioqui ipſa occaſio ſeruãdi famam proximi eſt quædam tacita interrogatio, ſaltem intra eundem ordinem humanæ cognitionis.

Soluitur ex ipſo. Durand.

## SECTIO VII.

### *An liceat aliquis vſus notitiæ comparatæ in confeſſione, & quomodo.*

1. REFERTVR ab Auctoribus opinio abſolutè negans hunc vſum eſſe aliquando licitum, quia confeſſor non ſcit vt homo, ſed vt Deus, & ideò nullam actionem humanam poteſt exercere ex directione, ſeu ex motione illius notitiæ: Tribuitur Henrico quodlib. 8. q. 18. ibi tamen nihil dicit: in quæſtione autem 29. & 31. agens de aliquibus caſibus particularibus, ſcrupulosè loquitur, nunquàm tamen illam generalem regulam negatiuam conſtituit, neque alij Auctores illam admittunt, nec fundamentum eius eſt ſolidum, vt ex dictis in ſuperioribus ſatis conſtat. Vt ergo certa ab incertis ſeparemus, diſtinguamus de vſu, ex quo ſequitur aliqua ſuſpicio, vel ex quo nulla ſequi poteſt.

Henric.

2. Prima regula. Non licere vsũ notitiæ cum periculo reuelationis.

De priori eſt regula certa, Vſus huius notitiæ cum morali periculo reuelationis directę, vel indirectæ, nunquàm eſt licitus. Hæc conſtat ex ſectio. præced. vbi aliqua exempla poſita ſunt. Aliud vulgare eſt de ſuperiore, qui audiuit confeſſionem ſubditi: nã ex vi illius non poteſt ita illum gubernare, vt alij poſſint ſuſpicari peccatum illius, neque in ſpecie, neque etiam in genere, vt auferendo miniſterium aliquod, vel mutando locum.

3. Dubium. An poſſit imponi pœnitentia publica.

Hîc verò occurrunt nonnulla dubia. Primum eſt, an liceat imponere pœnitẽti pœnitẽtiam publicam in ſatisfactionem peccati commiſſi, etiamſi inde ſequatur reuelatio indirecta, ideſt, ſuſpicio alicuius grauis criminis vel in particulari, vel in generali talis pœnitentis. Sed de hac re dicemus latiùs infrà agẽtes de ſatisfactione. Nunc breuiter dicitur, id fieri non poſſe, niſi ex ſpontanea acceptatione pœnitentis: quia omnis reuelatio indirecta repugnat ſigillo, quãdo verò pœnitens voluntariè acceptat, iam non eſt reuelatio confeſſoris: ſed ipſemet pœnitens ſe prodit. Sed difficultas maior eſt, quando id, quod cõfeſſor iniungit, non eſt tantùm in punitionem peccati commiſſi, ſed in remedium cauendi ſimile peccatum, aut tollẽdi ſcandalum, vel aliquid ſimile. In quo caſu, ſi ſupponatur illud medium eſſe neceſſarium, poteſt in primis confeſſor illud præcipere pœnitenti, vt v.g. quòd dimittat hoc officium, vel hanc domum, aut aliquid ſimile; & ipſe tenebitur obedire, quòd ſi noluerit, dimitti poteſt ſine abſolutione: & ita nulla eſt fractio ſigilli: quia ſi aliquid fit, totum eſt medio conſenſu, & voluntate pœnitẽtis: neq; eſt grauamen, aut onus cõtra ſigillum, quòd ille cõſenſus per præceptum, aut per comminationem negandi abſolutionem extorqueatur: quia ſuppoſita vera neceſſitate, illud præceptum non tam imponitur à cõfeſſore, quàm declaratur pœnitẽti obligatio, quam in ſe ipſe habet: & ideò comminatio illa iuſta etiam eſt, imò & neceſſaria, quia non poteſt aliter confeſſor debito modo fungi ſuo munere.

Soluitur. Difficultas. Deciditur.

4. Aliud dubiũ.

Sed vlteriùs reſtat dubitatio: ſi ſit in poteſtate cõfeſſoris auferre talẽ occaſionem pœnitenti, an poſſit, ipſo inuito, illam auferre, non obſtante ſuſpicione, quæ moraliter inde timetur. Exemplum commune eſt, ſi cõfeſſor ſit ſuperior religionis, qui poteſt mutare officium, vel locũ ſubdito, ex quo pendet talis occaſio. Aliqui enim id affirmarunt, tribuiq; ſolet hæc opinio Gabrieli, ſed immeritò: tribuitur etiã Henrico quodlib. 8. q. 29. qui ſolùm hoc ſignificat in eo caſu, in quo ſuſpicio ſolùm timetur apud aliquẽ reſpectu alicuius, qui iam nouerat peccatum pœnitẽtis. Vera tamen ſententia eſt, cum tali ſuſpicione hoc nunquam licere: quia eſſet indirecta reuelatio, quæ ſemper eſt illicita, etiam reſpectu vnius, cui notæ ſunt res talis pœnitentis: nam ei ſaltem nota fit confeſſio, quod ſemper eſt prohibitum, etiam in peccatis publicis, vt ſuprà oſtenſum eſt. At verò, ſi ſuperior id poſſet facere ſine vlla ſuſpicione reſpectu aliorum, & res talis ſit, quæ pendeat ex arbitrio eius, multorum ſententia fuit, poſſe ſuperiorem talem rem auferre, & mutare, vt occaſionem peccandi auferat, non verò aliàs quam docet S. Th. quodlib. 5. art. 13. & in 4. d. 21. q. 3. art. 1. qui dicit, poſſe ſuperiorẽ religionis priuare ſubditum aliquo munere hac de cauſa, quando talis mutatio fieri poteſt ſolo arbitrio ſuperioris: nam ſi officium habeat certum tempus deſignatum, & auferri non ſoleat extra illud, niſi propter aliquam grauem cauſam, tunc non poſſet hoc fieri: quia eſſet reuelatio confeſſionis: & idem eſt quandocunque in particulari timeretur talis ſuſpicio. Idẽ tenet Bonau. 2. p. d. 21. art. 2. q. 1. ad vlt. Scot. ibi q. 2. ad penul. Rich. art. 4. q. 2. ad. 4. Sylu. verb. *Confeſſio*, 3. q. 14. Soto vtroque loco ſuprà citato. Ratio eſt, quia tunc nihil fit cõtra ſigillũ, vt cõſtat, nec cõtra iuſtitiã, quãdoquidẽ res pẽdet ex arbitrio ſuperioris, nec illa eſt pœna, ſed ratio nabilis medicina, quã ipſe pœnitẽs tenetur acceptare. Differunt autẽ inter ſe. Nã Sylu. & alij dicunt hoc licere, etiamſi pœnitẽs ipſe ſuſpicetur, vel intelligat ſe priuari eo munere ratione ſuæ cõfeſſionis: quia dũmodo aliis nõ præbeatur occaſio veniẽdi in ſuſpicionem, non eſt reuelatio ſigilli. Richard. verò, Angel. & alij oppoſitum docent: quia poſt confeſſionem non licet pœnitentem verbis corripere, aut peccatum illi obiicere, ergo nec factis. Item quia eſt hæc occaſio, vt homines retardentur à confeſſione, quia fit valdè oneroſa per actionem extrinſecam confeſſioni, eiq; minimè neceſſariam. Propter quam cauſam cenſeo hanc limitationem longè ſecuriorem, & valdè rationi conſentaneam. Sententiam verò communem ex natura rei ſeu ſola ratione ſpectatam, improbare non valeo: aduerto autem id quod per ſe malum non eſt, ob periculum mali poſſe prohiberi. Quare, ſi in aliqua religione talis vſus prohibitus fuerit, ſancta erit conſtitutio, & obſeruanda. Imò generatim videtur hic vſus regularibus omnibus à S. D. N. Clemente prohibitus. Nam in decreto de caſibus reſeruatis pro religioſis edito cap. 4. ſic inquit: *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Atquẽ ita per quoſcunque regularium ſuperiores, quicunque illi ſint, obſeruari mandauit.* Vnde cùm indiſtinctè loquatur, non eſt quòd à nobis limitetur, ſed ſimpliciter obſeruetur.

Bonau. Scot. Rich. Sylueſter. Soto.

Aliud

5. Vulgare dubium. An cõfessor possit vitare mortẽ in cõfessione cognitam.

Aliud dubium vulgare circa hoc punctum est, si necessarium sit sacerdoti fugere aut omittere actionẽ aliquam ad vitandam mortem, nec facere id possit, quin alij intelligant moueri ipsum ex notitia confessionis talis personæ, an liceat id facere. Vt v.g. si sacerdos per confessionẽ alicuius intelligat mortiferũ venenum in vino esse immissum, & nõ possit aut omittere sacramentũ, aut petere aliud vinum, nisi indirectè prodat confessionẽ: tũc enim videtur se occidere, si sacrificet, & sumat: si autẽ liceat omittere, iam regula posita cessat, quia illa est reuelatio indirecta. Nec refert quod Adrian. citandus air, non reuelari crimẽ, quia iam alij socij sciebant: satis enim est, quòd manifestatur confessio, vt patet ex suprà dictis. In hoc multi Auctores cõcedunt, posse tũc vitare actionem, vel fugere, quidquid inde sequatur: quia ipse vtitur iure suo, & ex vi talis actus nihil reuelat, sed alius ex praua sua cõscientia id colligit. Actio enim illa nec imposita est ad id significandũ, nec ex natura sua determinatè id significat, sed indifferẽs est ad plures alias causas, vel rationes operãdas. Ita tenet Scot. d. 21. q. 2. ad 3. Gabr. art. 3. dub. 1. Maior q. 3. ad 2. Sylu. verb. *Confessor*, 3. q. 2. & inclinat etiam Soto in illa relect. de Secreto.

Prima sententia.

Scot. Gabr. Maior. Sylvest. Sot.

6. Secunda sententia. Rich. Nauar. Ledesm. Sot.

Contrarium verò tenent Richar. ar. 4. q. 2. & Nau. dict. c. *Sacerdos*, numero 135. Ledesm. suprà, & tandem Soto distinct. 18. q. 4. ar. 5. Fundamentum est, quia reuelatio indirecta in nullo casu est licita, etiam propter tuendam vitam propriam, & negari non potest quin illa sit indirecta reuelatio, quia ad huiusmodi reuelationem non est attendẽdum signum, seu actio abstractè, & secundùm se: hoc enim modo nulla esset reuelatio indirecta: sed est considerandum hic: & nũc cum his circũstãtiis, quia est practica significatio. Et hoc modo, supposita aliorũ notitia, & aliis circũstantiis, sine dubio prodit pœnitentẽ. Et declaratur ex alio effectu: nã aliàs liceret sacerdoti in eo casu fugere, etiãsi sciret pœnitentẽ esse interficiẽdum ab aliis, eò quòd reuelauerit secretũ. Consequẽs est omninò absurdũ, quia multùm derogat huic sacramẽto, quòd aliquis possit ratione illius tam graue nocumentum pati. Sequela verò patet, quia si illa non est reuelatio indirecta, iam ex hac parte licita est, aliunde verò potest vnusquisque suam vitam custodire, etiamsi sequatur mors alterius. Habet tandem hic locum ratio illa fundamentalis sigilli, scilicet, quòd bonum ipsius sacramenti præferendum est propriæ vitæ, & quòd in eo casu ille peccator nullo modo se manifestaret in hoc sacramento sacerdoti, si timeret suam proditionem indirectam, & ita hoc ipso præcluditur via confessioni, & consequenter tam peccator, quàm ipse confessor carebunt remedio: ergo melius est, magisque consentaneum huic sacramento, quòd possit pœnitens secutè se manifestare.

7. Secunda sententia præfertur.

Inter has sententias hæc posterior simpliciter mihi probatur: nã in omni actu intrinsecè malo possunt occasiones similes fingi, & nõ propterea admittendum est, licere aliquãdo talẽ actionem facere ad vitandum quodcunque incommodum. Item, quia mors pasiuè, vt sic dicam, substinenda potiùs est, quàm reuelanda confessio: in eo verò casu non est moralis occasio actiua sui ipsius, quia non vtitur sacerdos in illo actu notitia confessionis, sed scientia humana. Item, nõ tenetur credere pœnitenti extra illud forum: nam licèt confessor debeat credere pœnitenti ad gubernãdum illum: non verò ad gubernandum se, nec ad dirigendas actiones: ergo ex hac parte illa actio non est mala moraliter, nec obligatur ille sacerdos ad nõ bibẽdum calicẽ propter dictum pœnitẽtis, nec etiam ad cõseruandam vitam fugiendo. Aliunde autem instat bonũ sacramenti, ratione cuius detrimentum corporalis vitæ postponendum est.

Solet tandem vrgeri hæc difficultas, si non solùm periculum vitæ corporalis, sed etiam spiritualis, & æternæ mortis immineat, vt si in casibus sacerdos ille sit in peccato mortali, & confiteri non possit: imò de sua contritione valdè dubitet. Et idem est, si quis per confessionem sciat sibi parari grauissimam peccandi occasionem, & moraliter timeat fore, vt non possit illi resistere, nisi fugiat, & vitet illam, cùm tamen fugere, & vitare non possit, nisi indirectè reuelando.

8. Augetur difficultas.

Resolutio tamen eadem est: huiusmodi enim casus potiùs mente finguntur, quàm moraliter possint accidere: nunquàm enim deerunt alia media, vel rationes, & indicia, quibus possit homo vti ad vitandum periculum: admisso tamen vrgenti casu, semper confessionis sigillum seruandum est, & ille sacerdos prouidebit animæ suæ eo meliori modo, quo possit, & conando, & orando ad habendam contritionem, vel tentationem superandam, cui non ipse se exponit, sed coactus exponitur: & cùm id, quod in se est, faciat, non deerit diuinum auxilium ad vincendam illam: neque enim hi casus in præsẽti materia speciales sũt, similes enim fingi possunt, si quis non possit vitare periculum, nisi mentiendo, vel quid simile, in quibus eadem responsio adhibenda est.

Resoluitur.

## *Secunda regula.*

9. Vsum notitiæ aliquando licere.

Secunda regula est, Quando ex vsu confessionis nulla sequitur indirecta reuelatio, nec mora le periculum eius, non est per se malus talis vsus, imò poterit sæpe esse honestus, & licitus, nisi specialiter prohibeatur. Ita docent omnes. Et ratio est, quia illa actio non est contra sigillum, quãdoquidem nullo modo est contra secretum. Neque ex alio capite habet intrinsecam malitiam: nam licèt illa scientia sit sacra, & comparata ex ministerio quodammodò diuino, tamen etiam vti licet rebus sacris in commodũ proprium, vel proximi, quando aliàs actio nullam continet indecentiam. Quod hic posse accidere, facilè patet exemplis. Primùm enim cõfessor potest orare pro pœnitente, petendo remissionem, vel emendam, etiam post transactam confessionem. Secundò, potest, vt suprà dicebam: consulere in re dubia virum doctum sine periculo cognitionis personæ. Tertiò, ex confessione vnius licet in confessione alterius aliquam interrogationem facere necessariam, vel vtilem pœnitenti tali modo, vt alius non intelligat vnde confessor moueatur ad interrogandum, vt notarunt Sylu. verb. *Confessor*, 3. q. 26. Nauar. c. 8. n. 17. Quartò, potest ipsemet confessor diligentiùs custodire rem propriam, vel aliquid simile: quia in his omnibus nec pœnitenti, nec sacramento fit iniuria ex dicta hypothesi, quòd nulla timeatur indirecta reuelatio. Alia item exempla ex superioribus constant, & statim aliquid addemus. Addidi, *Nisi specialiter prohibeatur*, propter verba superiùs citata ex Decreto Clementis VIII. quæ videntur prohibitionem continere, saltem pro regularibus, & eorum gubernatione, & ita obseruanda sunt. Non tamen obstant in aliis casibus & exemplis positis, vt ex tenore ipsorum verborum constat.

Sylvester. Nau.

## *Tertia regula.*

10. Duo requisita ad honestatem prædicti vsus.

Tertio dicendum est, vt hic vsus etiam vbi non est iure humano prohibitus, sit honestus, nõ satis esse quòd fiat absque indirecta reuelatione, sed duo propterea requiri, scilicet vt fiat sine iniusto grauamine pœnitentis, & ob aliquam grauem causam, seu

seu vtilitatem. Ita colligitur ex sententia Diui Thomæ, quodlib.5.13. & in 4. dist.21. quæst.3.articul.1. Bonau.2.p.art.2.q.1. & aliorum Doctorum ibi, Sylu. verb. *Cõfessor*, 3.q.14. & aliorũ Sũmistarum, & specialiter videri potest Nauar.in dict.c. *Sacerdos*, n.124. Ratio prioris partis est, quia licèt tunc actio non sit contra secretum sigilli in rigore, est tamen valdè iniuriosa sacramento : tum quia sumitur vt instrumentum ad iniustitiam exercendam, tum etiam, quia fit onerosum, & difficile pœnitentibus, quibus etiam in hoc fit grauis iniuria. Exempla communia sunt, si superior ex scientia confessionis puniat exteriùs pœnitentem, vel priuet illum beneficio, aut alia re, in qua habet ius acquisitũ, vel si paret illi insidias, vt capiat illum in simili casu. Potest quidem superior attentiùs vigilare, &, si priùs remisse se gerebat, se emendare, satisfaceréque suo muneri, non extraordinario modo, sed vsitato à prædecessoribus, ex quo nulla potest suboriri suspicio. At verò parare insidias non potest, non modò per alios, quod est certissimũ, sed nec per seipsum, quidquid aliqui senserint: quia reuerà est res valdè odiosa, & periculosa, quæ multùm auerteret subditos à confessione. Plus enim hoc est, quàm verbis corripere, aut obiurgare pœnitentem ex scientia confessionis. De quo videri potest D. Tho. suprà. & Soto dicta relect. de Secr. memb.3.q.4. post quintam conclusionem.

D. Thomas. Bonau. Sylvest. Nauar.

D. Thomas. Soto.

11 Ratio alterius partis est, quia hoc secretum est res valdè sacra, & ideò non licet illo vti ad actiones alias externas, nisi ob honestum finem, & proportionatum tali medio. Verum est tamen, si finis non sit prauus, etiamsi non sit admodùm necessarius, posse confessorem excusari à culpa graui, quando alioqui cessat omne periculum & reuelationis & incommodi alieni. Vnde è contrario, quoties illa duo concurrunt, vt causa sit grauis, & omninò occulta, tunc semper licet talis vsus, quantùm est ex diuino & naturali iure, nisi per humanum sit prohibitus. Addunt verò Richar. & alij, necessarium etiam esse vt pœnitens non intelligat sacerdotem moueri ex eâ scientia ad talem vsum : sed quando ille vsus nullo modo est onerosus pœnitenti, hoc non est necessarium, vt ait Sylu. verb. *Confessor*. 3.q.14. quia tunc non habet pœnitens vllam rationabilem causam, ob quam illi displiceat talis vsus.

Sylvest.

12 An electo posit negare suffragiũ propter notitiã confessionis. Solutio. Supereſt verò hîc grauis difficultas de actionibus pertinentibus ad iustitiã distributiuã, vt est electio ad officium, vel beneficium, an possit elector propter scientiam solam confessionis negare suffragium ei, qui exteriùs reputatur dignus, ipse autem per confessionem scit esse indignum. Nam graues Doctores simpliciter affirmant non solùm posse, sed etiam debere, quando nullum est periculum reuelationis. Ita D. Thomas, & Bonau. suprà, Scot. ibidem quæst. 2. Syluester etiam, & Soto suprà, & Nauarr. dict.c. *Sacerdos*, num.146. Qui etiam ait, si sint latæ aliquæ pœnæ, vel censuræ ipso iure contra eligentem indignum, eas incurrere electorem, qui eligit indignum in sola confessione cognitum, citat cap. *Cùm in cunctis*, de Electione, &c. *Perpetuò*, eodem titul. in 6. sed ibi nihil speciale habetur pertinens ad sigillum, sed solùm generalis prohibitio, ne eligatur indignus. Ratio verò huius sententiæ est, quia eligere indignum est intrinsecè malum, & tunc potest vitari hoc malum sine incommodo sacramenti. Hæc sententia difficilis semper mihi visa est. Et ideò ad minimum eam limito, vt non procedat quando suffragia publicè feruntur. Ratio est, quia tunc periculum est alicuius manifestationis, vel suspicionis, cùm supponatur persona publicè digna. Dices, posse esse aliam æquè dignam. Respondeo, rarissimum esse tantam æqualitatem reperiri, quin detur locus iudiciis & suspicionibus : & propter rarum euentum non est talis licentia concedenda, vbi est tam graue periculum. Dices, non sequi periculum suspicionis alicuius mali in non electo, sed potiùs iniustitiæ ex parte eligentis: vnde Soto suprà ait, electorem potiùs debere permittere, vt alij existiment se malè eligere, aut negare suffragium ex odio, vel alia passione, quàm eligere indignum in sola confessione cognitum. Hoc verò mihi probabile non est : tum quia illud est dare graue scandalum, quod semper ante omnia vitandum est: tum etiam, quia moraliter potiùs generabit suspicionem quòd aliquid occultè nouerit, præsertim si elector sit probatæ auctoritatis. Secundò limito, vt etiam in occultis electionibus nulla incurratur pœna vel censura eligẽdo indignum, quidquid sit de culpa, vt meliùs dixit Soto cum Paludano d.21.q.3. nam leges imponentes has pœnas, semper loquuntur secundùm scientiam communem, & cognitionem humanam. Denique addo, probabilius mihi videri, nullam committi culpam eligendo dignum in publica scientia, etiamsi per solam confessionem cognoscatur indignus: quia propter reuerentiam sacramenti, potest quis licitè non vti illa scientia, sed ita se gerere ac si nihil nouisset : quia illa scientia non est per se regula talis actus. Quòd verò teneatur quis nõ vti illa scientia, affirmare non audeo, propter dictorum Auctorum sententiam : quia intelligenda est (vt sæpe dixi) vbi prohibitio humana non interuenerit.

Limitatur secundò.

Tertiò limitatur.

## SECTIO VIII.

### *Quæ pœna propter fractionem sigilli incurratur.*

1 Nullam esse ipso facto incurrendã. RESPONDEO, nullam censuram vel pœnam ipso facto incurrendã latam esse in iure propter hoc delictum, quia nullum inuenitur tale ius: in cap. autem, *Sacerdos*, de Pœnit.d.6. imponitur pœna depositionis à iudice ferenda : & additur, cogendum esse huiusmodi sacerdotem, vt perpetuò ignominiosè peregrinetur. Tamen in capit. *Omnis vtriusque sexus*, confirmatur eadem depositionis pœna : additur verò, vt perpetuò detrudatur in monasterium. Vnde antiquum illud ius quoad posteriorem partem, per hoc nouum immutatum est, licèt aliqui Canonistæ velint illa conciliare, vt notauit Summa Confessorum libro 3. tit.34.q.99. sed id neque necessarium est, neque verbis textuum consentaneum.

2 Speculator & Maiolus reprehẽduntur. Quapropter improbabilem censeo sententiam Speculatoris, quam refert, & sequitur Maiolus lib. 5. de Irregularitate, cap.19.nu.6. asserunt enim, sacerdotem reuelantem confessionem fieri irregularem, ita vt post peractam etiam pœnitentiam ministrare non possit: nam ad hanc irrregularitatem probandam nihil afferunt præter dicta cap. *Omnis*, & c. *Sacerdos*, in quibus non fertur, neque ex illis Expositores illam eliciunt : & meritò, quia ibi solùm agitur de pœna ab homine imponenda: irregularitas verò solùm à iure ipso imponitur, &, si in iure expressa non est, nulla est, iuxta cap. *Is qui*, de Sent. excommun. in 6. Longè autem improbabilius est quod idem Maiolus ait, etiã laicum audientem confessionem secretam alterius sine necessitate, fieri irregularem si eam reuelet; multò enim minùs potest hoc iure probari, cùm nec pœna reuelationis sigilli in hoc locum habeat. Quanuis dignus profectò sit aliqua alia extraordinaria pœna, vt bene dixit Hostiensis in dicto capit. *Omnis*. Tum propter grauem detractionem, & valdè iniquam, tum etiam propter quandam confessionis iniuriam,

Sacerdotem reuelantem confessionẽ non esse irregularem.

Limitatur primò præcedens solutio.

quæ ibi interuenit, ratione cuius per talem reuelationem ipsa confessio offenditur, & aliquo modo odiosa fit. Maiori verò pœna dignæ sunt aliæ personæ participantes sigillum confessionis, quanuis etiam ad illas non pertineat prædicta ordinaria pœna iuris, quæ solùm directè fertur in confessorem, & propter propriam fractionem sigilli sufficienter probatam.

3 Quomodo possit constare de hoc crimine.

Sed statim occurrit inquirendum, quomodo de hoc delicto secretissimo constare possit in iudicio, vt puniri possit: sed hoc ad iuris peritos magis spectat: esse tamen potest sufficiens probatio, quando ipsemet confessor loquens dixit, in confessione audiuisse, alioqui coniecturis agendum est: & interdum sufficient plures testes, quanuis non sint contestes propter naturam delicti.

4

Speciale verò dubium est, si confessor dicat, se habuisse facultatem à pœnitente, vel alia via sciuisse, & pœnitens neget, quid agendum sit. Multi enim Auctores imponunt confessori onus probandi, vt videre est in D. Thom. d. 21. q. 3. art. 2. ad 2. Richard. ibi. ar. 4. q. 1. ad 1. Sylu. verb. *Confessio*, 3. num. 9. qui refert Panormitanum, & esse communem sententiam Doctorum in d. cap. *Omnis*, testatur Nau. d. c. *Sacerdos*, n. 164, Sed certè est difficile, & graue onus, & quod moraliter vix expleri potest. Vnde fit, vt sæpe confessores graui periculo exponantur vtendo iure suo, & ideò, quanuis cæteris paribus, inclinandum sit in fauorem pœnitentis, & sacramenti: tamen in particulari iudicia, & coniecturæ considerandæ sunt: nam si confessor aliquid egit in damnum pœnitentis, aut alterius, contra illum est præsumptio: si tamen constat nihil feciisse incommodi, sed potiùs intendisse bonum illius, salua eius fama, & honore, quod fieri potuit, in fauorem potiùs illius præsumendum est, nisi aliunde oppositum constet. Multùm etiam confert vitam & mores confessoris spectare: nam si sit bonæ famæ & honestæ vitæ, tunc illi fides adhibenda est, cum actus sit ex se secretus, neque aliter probari possit, Quod rectè notauit Bernard. Diaz in Practica, cap. 109. vbi concludit, ic hoc negotio non posse dari certam regulam, sed ex qualitate peccati, & circunstantiis personarum, & publicatione delicti, præsumptionem esse sumendam. Facit etiam quod Panormitanus fusè tractat in d. c. *Omnis vtriusque sexus*, vbi & alios refert, & dictam sententiam confirmat.

D. Thom. Richard. Sylues.

Nauar.

Explicatur.

Bernard. Diaz.

Panorm.

## DISPVTATIO XXXIV.

### *De secreto seruando circa personam complicis, seu sociæ criminis.*

DVOBVS modis potest hoc secretum seruari: primò ab ipso pœnitente, tacendo in confessione sua personam complicis: secundò ab ipso confessore, supponendo pœnitentem illam personam non tacuisse, siue id iure siue iniuria fecerit. Et quoniam hoc secretum confessoris supponit manifestationem illam ex parte pœnitentis, ideò priùs videndum est, an possit pœnitens huiusmodi personã complicis in sua confessione reuelare, vel quod secretum in hoc seruare teneatur: quod spectabat quidem ad materiam de integritate confessionis, superiùs tamẽ punctum hoc in hunc locum remisimus, vt meliori methodo totam hanc materiam de complice complecteremur. Dicemus ergo priùs quãdo, & quomodo reuelari possit à pœnitente persona complicis: deinde sub quo secreto seruari debeat peccatum eius à confessore: & quãdo, & quomodo possit ea sententia licitè vti.

A

B

C

D

E

## SECTIO I.

### *An liceat pœnitenti personam & peccatum complicis in confessione aperire.*

DVÆ possunt esse extremæ sententiæ. Prima est, nõ esse peccatum, saltẽ graue, declarare in confessione personã cõplicis sine vlla necessitate, vel causa, Hæc sumi potest ex Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. vbi dicit infamare proximũ circa vnã tantùm personã, etiã graué, nõ esse peccatũ mortale, ex leuitate materię: quia infamia circa vnã tantùm personã nõ est magni momenti, etiãsi actio seu materia eius sit res grauis. Si ergo id probabile est in detractione extra confessionẽ, minus peccatũ erit in cõfessione: quia secretũ est multò maius, & ita detrimentũ proximi est leuius, quia nullum est morale periculum, quòd illa infamia diffundatur: & alioqui non est grauis irreuerentia, sicut suprà dicebamus de mendacio in confessione dicto. Altera opinio est, hoc esse ita intrinsecè malum, vt nulla ex causa liceat. Tribui potest Bonau. tom. 1. Opusc. in Opus. de ratione confitendi, vbi absolutè negat hoc licere. Fundamentum verò esse potest, quia præceptum non infamandi est intrinsecè bonum, & necessarium, & negatiuum, prohibens rem intrinsecè malam, sicut præceptum non furandi: nunquàm autẽ licet vti prauo medio propter quemcũque bonum finem. Et confirmatur: nam alter est dominus famę suę: ergo non licet illam auferre ipso inuito, etiam propter eius vtilitatem vel similem causam.

1 Prima sẽtentia, non esse peccatũ saltem graue. Caiet.

Secũda sentẽtia omnino negatiua. Bonauen.

### *Prima Assertio.*

MEDIA via tenenda est, & dicendum primò, reuelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia eius, etiam in cõfessione, ex suo genere esse peccatum mortale, si fiat sine rationabili causa. Hæc est sentẽtia communis Doctorum, quos referam in hac & sequẽti sectione: & de detractione in genere est cõmunis sententia cõtra Caiet. in citato loco 2. 2. & videri potest Soto lib. 5. de Iustitia, quæst. 5. art. 2. Ratio est, quia infamare proximum, etiam apud vnam tantùm personam, reuerà est graue detrimentum morale, tantóque maius, quantò illa persona fuerit grauior. Et quòd fiat in confessione, non ita minuit detrimentum, vt sufficiat ad tollendum peccatum mortale: quia hæc infamia non solùm est graue damnum, propter effectus extrinsecos; sed per se, propter prauum conceptum illius personæ, & intrinsecos: seu per se, effectus qui ex tali conceptu circa affectum, & alias actiones eius sequi possunt. Vnde etiam hìc accedit irreuerentia, quæ fit sacramento, vtendo illo vt medio ad infamandum proximum. Dico autẽ, *ex genere*, quia ex inaduertentia vel ex leuitate materiæ poterit hoc peccatum esse veniale, sicut alia.

2 Reuelare peccatũ proximi sine causa, esse peccatum.

Soto.

### *Secunda Assertio.*

SECVNDO dicendum est, ex legitima causa licitum esse personam complcis, & peccatum eius in confessione reuelare. Est communis sententia, vt statim referam. Ratio verò à priori sumẽda est ex D. Thoma 2. 2. quæst. 73. art. 2. vbi docet, detractionẽ formalem esse intrinsecè malam, non autem materiale. Est autem detractio formalis, quando peccatum proximi reuelatur, vel ex intentione infamãdi illum, vel sine rationabili causa. Si autẽ fiat sine illa intentione, &

3 Ex legitima causa licitũ esse. D. Thom.

& cum hac causa, detractio est materialis, & ideò non per se mala, sed licita esse potest. Quòd si hoc verum est extra confessionem, multò magis in illa: quia & potest esse maior necessitas, & minus incommodum proximi. Iam ergo concluditur ratio: nam, si reuelatio fiat iuxta cõclusionem positã, detractio est tãtùm materialis: est ergo licita. Ratio autẽ ob quã detractio materialis nõ est mala, hęc est, quia homo habet ius propriũ vtendi sua cognitione vel notitia, & sua etiã locutione in suum commodum, vel alterius, etiamsi inde sequatur aliquod detrimentũ tertię personæ, quãdo illud non est intentum, & secundùm rectam rationẽ est minoris momenti, & postponẽdum alteri bono quod intenditur. Et ideò, quanuis homo sit dominus famæ, tamen vbi occurrunt iura contraria, potest quis vti iure suo, permittendo damnum alterius: ita ergo est in præsenti casu.

4 Quæ sit ista legitima causa.

Difficultas verò est in explicanda hac causa legitima. Circa quam aduerto, sumi posse, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte ipsius complicis, vel ex parte alterius tertij, seu boni cõmunis. Item illa vtilitas, quæ intenditur, requirere potest actionem confessoris, vel tantùm in ipsa cõfessione, vel etiam extra confessionẽ: & tunc, aut per vsum qui nullã reuelationẽ cõplicis requirat, aut cum eius reuelatione. Primùm ergo quando in ipsa confessione tantũ procuratur vtilitas (quæ necessariò ad solum pœnitentẽ pertinebit) certũ est, hoc esse licitũ. Quod docuit Rich. in 4. d. 21. art. 5. q. 2. & Sot. d. 18. q. 2. ar. 5. ad 4. & Sylu. Medin. & Armil. locis infrà citãdis, & Nau. in Sum. c. 7. n. 7. citãs Aug. in c. *Hoc videtur*. 22. q. 5. & reperitur etiã apud D. Bernardinum in sermone quodam de cõfessione in 3. p. sermonũ. Ratio est, quia tunc fit minima detractio materialis, quæ fieri potest, & intenditur maxima vtilitas, & maximè propria, scilicet spiritualis: ergo tunc maximè hoc licet. Addit etiã D. Thomas, hominem potiùs debere consulere animæ suæ, quàm famæ proximi, quod in eo casu facit. Tandem, etiam extra confessionem licet, propter consilium, vel auxilium spirituale ad cauẽdum peccatum, reuelare alicui peccatum proximi: ergo idem licebit in confessione cæteris paribus. Quod enim dixit Ludouicus Lopez in Instruct. conscientiæ 1. p. cap. 36. concl. 4. melius esse hoc facere extra confessionem, quàm in confessione. falsum est, si cætera sint paria, quandoquidem famæ proximi meliùs per confessionem consulitur.

Reſpõdetur Primò.

Richard. Soto. Nauar.

Bernard.

Ludou. Lopez reprehenditur.

4 Reſpõdetur ſecundò.

Deinde, quãdo vtilitas illa requirit actionẽ vel vsum illius notitiæ etiam extra cõfessionem, si vsus ille fieri potest sine vlla reuelatione directa, vel indirecta, certũ est, licitũ tunc esse peccatũ cõplicis cum confessore communicare, dummodò causa, vel finis sufficiens sit. Hoc etiam commune est, & ratio est clara, quia ille vsus nec famæ proximi, nec secreto confessionis derogat. Quia vsus confessionis, qui fit sine reuelatione secreti directa, vel indirecta, per se licitus est, quado subest rationabilis causa: sed aliunde licet propter propriam vtilitatem reuelare personam cõplicis: ergo etiam licebit, quanuis ille vsus sit necessarius. Atque hæc ratio probat, non solùm propter vtilitatẽ ipsiusmet pœnitentis, sed etiam complicis, vel alterius tertiæ personæ esse hoc licitum, vt si confessor possit sua sola industria sine vlla prorsus reuelatione tollere occasionem peccati, vel impedire aliquod graue nocumentum proximi: nam propter has, & similes causas licet etiam extra confessionem sub naturali secreto occultum crimen alicuius in alterius notitiam deferre: ergo à fortiori id licebit in confessione, quando ad eum finem nulla reuelatio necessaria est. Quin potiùs addit etiam D. Antoninus statim citandus, aliquando licere confessori reuelare complicem, solùm vt pro illo oret, si confessor existimetur vir sanctus,

D. Antonini dictum reuocatur.

D. Augusti.

& quòd seruentiùs orabit cognoscendo personam. Quæ sententia videtur fuisse Diui Augustini quæstione 1. in Leuit. & habetur in cap. *Hoc videtur*, 22. quæstione 5. propter cuius auctoritatem non possumus dicere hoc esse intrinsecè malum. Item quia tum parua posset esse infamia, tantáque spes fructus vt permitti possit. Nihilominùs tamen hæc licentia rarò vel nunquàm danda est, quia sufficit generalibus verbis id postulare, indicando aliquas circunstantias, quæ possint mouere confessorem ad orandum maiore diligentia, etiamsi in particulari persona non significetur. Vltimus modus est, quando requiritur aliqua reuelatio confessionis, & hîc habet specialem difficultatem. quam post sequentem sectionem tractabo.

## SECTIO II.

### *Vtrùm liceat pœnitenti reuelare personam complicis in pariculari propter solam integritatem suæ confessionis.*

1

DICO, *propter solam integritatem*, vt excludam omnem aliã vtilitatem, vel ipsius pœnitẽtis, vel alterius, de qua iam dictũ est. Rursus supponendũ est, complici nullum aliud detrimentum sequi, præter illam notitiam, quæ confessori datur sub sigillo. Nam, si esset morale periculum, confessorem extra confessionem infamaturum complicem, aut aliud nocumẽtum ei illaturum, certum est non licere, quia tunc non obligat ratio integritatis, vt ex superioribus constat: & aliunde charitas, & iustitia obligant ad cauendum damnum proximi. Supponendum verò aliunde est, illammet reuelationem complicis esse moraliter aliqualem infamationem eius: nam si persona, & culpa sint talis conditionis, vt moraliter pro nihilo æstimentur, quòd de tali persona tale peccatum reueletur, nullum peccatum erit illam reuelare: imò si ad integritatem confessionis necessarium fuerit, omninò ita fieri oportebit, vt notauit Canus infrà citãdus: quia tunc respectu complicis id nullum est incommodum: & alioqui obligatio integritatis confessionis semper vrget. Quæstio ergo solùm manet, quãdo respectu complicis potest talis infamia censeri alicuius momenti. In qua vlteriùs supponere oportet occurrere necessitatem moralem sic cõfitendi. Nam si pœnitens possit vel ei confiteri, qui non cognoscat personam complicis, vel ita confiteri, vt ipse non cognoscatur, vel denique aliquam aliam diligentiam adhibere, vt sine notitia personæ in particulari totũ peccatum cum omnibus circunstantiis necessariis dicatur, tenetur id facere: & in hoc omnes cõueniunt. Difficultas ergo est, quando hîc & nunc vnum è duobus est necessarium, aut tacere peccatum, vel circunstantiam eius necessariam, aut quòd confessor intelligat personam complicis.

Præcipua difficultas.

Et in hac re est prima sententia dicẽs, pœnitentem in eo casu non solùm non teneri ad integritatem materialem confessionis, verùm nec posse licitè illam perficere cum illo detrimẽto proximi. Ita sentit Marsil. in 4. q. 12. art. 4. ad 7. & Armilla verb. *Confessio*, nu. 11. qui eam tribuit Caietano, sed falsò: constantiùs illam defendit Nau. citans Hostiensem & Innocentium in c. *Considereat*, de Pœnit. d. 5. & in Summ. c. 7. num. 3. Tenet etiam Viguerius in Summ. c. 16. §. 4. vers. 17. qui dicit, tunc pœnitentem ita se gerere debere, sicut qui non habet copiam confessoris: sed intelligendum est, quantùm ad illam culpam vel circũstantiam,

2 Prima sententia.

Marsil. Armil. Nauar. Hostien. Innoc. Viguer.

ſtantiam, quam non poteſt ſine complice manifeſtare. Nam de cæteris peccatis certum eſt poſſe, & debere confiteri, ſi aliàs obligatio vrgeat, iuxta principia ſuperiùs poſita. Eandem opinionem tenet Cano dict. Relect. qui eã limitat extra caſum articuli mortis: de qua limitatione infrà dicam. Fundamẽtum eſt, quia tunc nulla eſt cauſa legitima infamandi proximum. Probatur, quia neque ex parte ſacramenti neque ex parte pœnitentis. Prior pars conſtat, quia ad veritatem & religionem ſacramenti ſufficit integritas formalis; hæc autem erit in illo caſu, quanuis tale peccatum taceatur, quia tacetur propter legitimam cauſam. Nam excuſare infamiam propriam, eſt cauſa legitima ad tacendum peccatum: ergo multò magis excuſare infamiam proximi, quia ad hoc ex iuſtitia tenemur. Et declaratur, quia quando concurrunt duo præcepta, quæ non poſſunt ſimul impleri, vnum naturale, & aliud poſitiuum, naturale præferendũ eſt, & ſufficienter excuſat ab obſeruatione poſitiui. Ita verò eſt in præſenti: nam præceptum non infamandi naturale eſt, lex verò de integritate confeſsionis poſitiua: ergo obſeruatio prioris præcepti eſt ſufficiẽs excuſatio poſterioris: ergo in eo caſu ſine integritate materiali ſeruabitur formalis. Et confirmatur, quia ſi confeſſor eſſet reuelaturus peccatũ complicis, excuſaretur quis à confeſsione talis circunſtantiæ, ſolùm propter vitandam eius infamiam: ergo ſignum eſt, præceptum naturale non infamandi habere maiorem vim ergo idem eſt propter ſolam infamiam confeſsionis, quia ſolùm differunt vt magis vel minùs, ratio autem naturalis obligationis eadem eſt. Et ſimile argumentum eſt, quod licet tacere propter vitandum ſcandalum, aut mortem proximi: omnia enim hæc in hoc fundantur, quòd ſunt ex lege naturæ neceſſaria: idem ergo eſt in præſenti. Atque hinc probatur facilè poſterior pars: nam pœnitens recipiet verum ſacramentum, quanuis taceat, & remiſsionem omnium peccatorum, ſiue directè, ſiue indirectè: hoc enim quantùm ſpectat ad ſalutem & vtilitatem eius non multùm refert: ergo etiam ex parte pœnitentis nulla eſt ratio, vel occaſio ſufficiens infamandi tunc proximum. Et confirmatur, quia aliàs etiam liceret reuelare peccatum alterius, quanuis non ſit ſocius criminis mei, ſed obiectum, vel materia, ita tamen connexa cum meo peccato, vt non poſsit vnum ſine alio explicari: conſequens autem videtur duriſsimum: ergo.

Cano.

A

B

C

D

3 Secunda ſententia.

Secunda ſententia affirmat non ſolùm licere, ſed etiam teneri pœnitentem in eo caſu ad integram confeſsionem faciendam, etiamſi confeſſor cogniturus ſit perſonam complicis in particulari. Hæc ſumitur ex D. Bernard. in formula honeſtæ vitæ, in quodã documento, quod proximè poſt illam habetur, *De nullo, inquit, ſiniſtrè loquaris, niſi in confeſſione, & hoc vbi aliter non poſſis explicare peccatum tuum.* Tenet etiam D. Thom. Opuſc. 12 q. 6. & in 4. d. 16. qu. 3. artic. 2. q. 5. D. Bon. tom. 1. Opuſcul. tract. de modo confit. c. 1. & in 4. d. 21. 2 part. art. 1. q. 3. Alenſ. 4. part. q. 18. mem. 4. a. 2. § 4 aliàs qu. 77. memb. 2. art. 4. Anton. 3. part. tit. 14. c. 19. §. 11. Adrian. q. 1. de Confeſſ. §. *Sed oritur dubiũ.* Dur. in 4. d. 16. q. 4. Palud. q. 3. art. 3. & d. 17. q. 2. & d. 21. q. 3. art. 2. & ibi Rich. art. 5. q. 2. Maior q. 2. in fine, & q. 3. Gabr. d. 17. q. 1. a. 2. & d. 21. art. 3. dub. 2. Almain. d. 17. qu. 2. art. 2. qui citat Altiſiod. & Henric. quodlib. 3. q. 23. Idem Carthuſ. in 4. d. 16. qu. 2. Gerſon in tract. de Præceptis Decal. 1. p. c. 17. & 2. p. c. penult. & in quodã ſermone de Cœna Domini. Caiet. verb. *Confeſſio*, condit. 3. & tom. 1. Opuſc. tract. 31. reſponſ. 5. Medin. Cod. de Confeſ. q. de Circunſtantia loci, & temporis, & Sylu. verb. *Confeſſio*, 1. qu. 24. Angel. eodem, num. 3. & Summa Roſella eodem, nu. 6. Victoria in Summ. num. 164. Petr. Sot. lect. 12. de Confeſſ. Cord. in Summ. quæſtion. 1. Soto in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 5. ad. 4. Et hanc ſententiam exiſtimo veriorem: eius verò rationem explicare neceſſe eſt. Nam communiter dicti Auctores ſolùm aiunt, vnumquemque debere ſalutem propriam præferre famæ alterius: item poſſe vnumquemque vti iure ſuo, etiamſi aliquid incõmodi alteri ſequatur. Addunt etiam hoc incommodum paruũ eſſe reſpectu complicis, cùm eius peccatum ſub eodem ſigillo permaneat. Ac denique ipſummet complicem huic ſe periculo expoſuiſſe, quando voluit eſſe ſocius criminis alterius.

Corduba. Soto.

4 Reſponſio contrariæ ſententiæ.

Ad hæc verò, & ſimilia reſpondere poſſunt Auctores contrariæ ſententiæ, in omnibus illis ſupponi, quod probandum eſt, nimirum, eſſe neceſſarium ad ſalutem animæ huiuſmodi pœnitentis confiteri peccatum ſuum, etiamſi neceſſe ſit proximi peccatum reuelare, quod probandum erat. Aſſumptum patet, quia niſi hoc ſupponatur, facilè reſpondebunt, verum quidem eſſe, magis debere vnumquemque ſuæ animæ ſaluti prouidere, quàm famæ proximi, quando vtrumque ſimul ſeruare non poteſt: in præſenti autem non ita eſſe: nam vtriuſque incommodo occurrere poteſt: tacendo enim tale peccatum, ſeruat famam proximi, & confitendo alia ſufficienter prouidet animæ ſuæ, quia & formaliter confitetur integrè, & indirectè, ſeu concomitanter etiam illius peccati veniam obtinet, quod ei ſatis eſt. Atque hinc etiam videtur fieri, vt talis pœnitens nullum habeat ius, quo vti poſſit cum damno proximi, cùm ad ſalutem eius hoc illi non ſit neceſſarium. Ius autem ad integram confeſsionem faciendam non tam eſt ius ipſius pœnitentis, quàm ipſiuſmet ſacramenti (ſi ita loqui licet) ratio autem ipſius ſacramenti non videtur obligare, niſi quantùm alia iura naturalia permittunt. Quod manifeſtè patet, quando non ſolùm ſequitur infamia proximi intrinſeca confeſsioni, ſed etiam timetur infamatio extrinſeca per reuelationem ſigilli: tunc enim (ex ſententia omnium) non poteſt pœnitens complicem reuelare, neque ad hoc habet vllum ius, quia ſatis prouidet animæ ſuæ confitendo alia, & ſeruando integritatem formalem: ergo idem reſponderi poteſt ratione infamiæ, quæ in ipſamet confeſsione fit. Neque enim hæc eſt tam parui momenti, vt Soto in præſenti putauit, quandoquidem ſufficit ad peccandum mortaliter, ſi fiat ſine cauſa, vt ſect. præced. oſtenſum eſt. Hic autem videtur fieri ſine cauſa, quia ſi aliqua eſſet maximè propter ſalutem ipſius pœnitentis: ad hunc autem finem non eſt neceſſaria, vt declaratum eſt. Tandem hinc fit, vt illa ratio periculi, quam Soto ponderauit, nulla eſſe videatur, ſcilicet, quia ipſi complices (ait) huic periculo ſe expoſuerunt: hæc, inquam, ratio non videtur conuincens. Nam vel eſt ſermo de periculo iuſtæ infamationis, & hoc nullum eſt, quia negamus alium poſſe iuſtè reuelare, alioqui ſupponitur quod probandum eſt; aut eſt ſermo de periculo infamationis iniuſtæ, & hoc nihil refert, nec excuſat alium, quominùs teneatur talem infamationem cauere.

E

## *Licitum eſſe complicis perſonam explicare, vbi neceſſarium fuerit.*

## ASSERTIO I.

5 Explicatur fundamentũ veræ ſententiæ.

VT ergo diſtinctiùs hãc rem probemus, diſtinguamus hîc duo, ſcilicet, licere & teneri integrè cõfiteri explicãdo perſonã cõplicis, ſi neceſſe ſit. Primum ergo aſſerimus hoc licere. Vt autem proprium fundamentum huius rei intelligatur, & iuxta illud explicatæ

catæ rationes adductæ robur accipiant, aduertẽdum est, quod suprà ex D. Thoma notauimus, non semper esse intrinsecè malum; nec contra legem naturalem peccatum proximi occultum alteri dicere, sed tunc solùm quãdo sine rationabili causa id fit, aut ex intentione infamandi proximum: nam, si hæc intentio desit, & alioqui intercedat sufficiens causa; detractio erit materialis, non formalis, quæ per se non est mala, nec iure naturæ prohibita. Vt ergo in casu, de quo loquimur, constet an liceat, nécne, in propria confessione, ob integritatem eius, peccatum alterius dicere, videndum supereſt, an detractio illa formalis, vel materialis sit. Nam, si est formalis, nunquàm licet: si verò est tantùm materialis, licita esse potest. In quo vlteriùs omnes tanquàm certum supponimus, non esse detractionem formalem ex parte intentionis loquentis, quia non intendit proximum infamare, sed suum peccatum confiteri: nam, si illud prius intenderet, non est dubium quin ex eo capite esset peccatũ mortale, & cõfessio esset nulla, & ficta. Supponẽda ergo est illa honesta intẽtio: solumq; superest explicãdũ, an causa iusta, & legitima intercedat.

6 An causa iusta & legitima intercedat,

Quod vt explicemus, aduerto vlteriùs, quanuis præceptum positiuum non possit per se derogare præcepto naturali, si materia eius, & circunstantiæ necessariè in eodem statu mãeant: sæpe tamẽ fieri posse, vt ratione præcepti positiui mutentur materia, vel circunstantiæ præcepti naturalis, ita vt ex præcepto positiuo oriatur causa sufficiens honestandi actionẽ, quæ alioqui per se facta sine vlla causa, fuisset contra rationem. Commune exemplum est de homine dãnato ad mortem per priuationem alimenti necessarij, qui potest licitè (iuxta probabilem opinionem, licèt dubiam) nõ comedere, etiamsi ab amico occultè offeratur, vt iusta sententia in eo impleatur, quæ sententia est veluti quædam humana lex, cùm tamen illa secluſa, non esset licitum non comedere. Idem multi censent de monacho Chartusiensi, qui potest licitè vsque ad mortem statutum nõ comedendi carnem seruare, & in aliquo casu eam non comedere, in quo, secluso statuto & professione talis regulæ, id censeretur esse contra præceptum naturale seruandi vitam. Et in materia de qua agimus, secluſa institutione confessionis, sæpe esse nonnullum peccatum dicere alteri peccatum occultissimum, etiam propriũ sine alia causa vel ratione: posita autem institutione huius sacramenti, quanuis positiua, resultat sufficiens causa, vt propter integritatem confessionis id fieri possit sine infamatione propria formali, sed materiali tantùm. Et ex his quæ de sigillo diximus, cõstat, ex eadem institutione resultare in multis casibus legitimam causam aliquid faciendi, vel prodigendi vitam, quòd aliàs esset per se malum sine tali causa factum. Sic ergo in præsenti dicimus, ex lege confessionis, quanuis positiua, oriri legitimam & sufficientem causam, ratione cuius accusatio proprij delicti cum manifestatione complicis nó est formalis detractio, sed materialis tantùm. Ex quo manifestè sequitur, talem detractionem non esse per se malam, & consequenter esse licentiam in tali casu.

A

B

C

D

E

nia quæ ad iustum iudicium consequuntur: in omni autem iuditio, qui est socius criminis, hoc ipso ratione delicti fit subditus iudici exercenti iurisdictionem in tali iudicio, quantùm ad hoc, vt possit inquirere, & integrè cognoscere peccatum sui subditi, etiamsi id fieri non possit, nisi simul, & quasi in obliquo cognoscendo personam cum qua peccauit. Vnde in foro etiam exteriori, qui habet ius accusandi aliquem, potest illum de tali delicto in indiuiduo accusare, etiãsi necesse sit personã cõplicis indicare testis: & etiã legitimè interrogatus, tenetur respõdere, & reus ipse potest crimẽ suum dicere coram iudice legitimè interrogante, etiamsi delictum tale sit, vt habeat coniunctam aliam personam. Et ratio est, quia hæc iurisdictio cadit supra hoc crimẽ, quale ipsum est, ipsũ autẽ tale est, vt per se habeat cõiunctas has circunstãtias & sine illis perfectè cognosci, aut iudicari non possit. Et ideò, qui habet ius cognoscẽdi delictũ, habet etiã ius cognoscẽdi tales circũstantias, sicut qui habet ius cognoscẽdi relationem, habet ius cognoscẽdi terminum. Et pari ratione, qui voluntariè se fecit socium talis criminis, voluntariè etiam se subdit (quantùm in ipso est) cognitioni talis iudicij, si ad perfectionem iudicij, & sententiæ in eo ferendæ necessaria sit. Est autem hoc sacramẽtum institutum per modũ iudicij: ergo ex illo intrinsecè nascitur causa intrinseca, & rationabilis manifestandi integrè totum delictum, etiam si persona complicis à iudice cognoscenda sit, quia ad hoc ipsum habet ius ex vi talis institutionis. Vnde quod Soto dixit, complicem delicti voluntariè se exposuisse huic periculo, propriùs, & veriùs dicetur complicẽ volũtariè se subdidisse tali cognitioni in tali foro, quia voluntariè se fecit circunstantiam talis delicti: & ideò nulla illi fit iniuria, si ad illud iudicium hoc modo afferatur. Et eodem modo accipit vim illa ratio, quòd pœnitens vtitur iure suo: nam quatenus in hoc foro est accusator, habet ius integrè accusandi delictum. Et eadem ratione iudex ratione suę iurisdictionis habet ius interrogandi speciem delicti, & pœnitens, quatenus est reus, & testis legitimè interrogatus, habet etiã ius simpliciter respondẽdi, & declarãdi veritatẽ: rectè ergo dicitur vti iure suo, quidquid sit de alterius personæ manifestatione, quæ materialis est, & quasi accidẽtaria: maximè cũ per accidẽs fit, quòd à cõfessore talis persona cognoscatur, nécne.

8 Secundò, ex reuerentia debita sacramento.

Secundò, potest hoc ipsum magis practicè declarari ex reuerentia debita tali sacramento: posita enim illius institutione, maioris momenti est, vt cum debita reuerentia tractetur, & in sua puritate ac integritate conseruetur, quàm quòd vnius complicis peccatum vni sacerdoti sub tali sigillo occultetur, aut reueletur. Et in hoc sensu verè dicebatur ab aliis, talem infamationem complicis leuem esse, non quòd absolutè sumpta, vel sine causa facta non sit res grauis; sed quòd, comparatione facta ad bonum ipsius sacramenti, parui momenti sit: sicut suprà de sigillo dicebamus, posita institutione sacramenti, maioris momenti esse seruare secretum sigilli, quàm tueri ab incendio integram ciuitatem: quam maius est bonum ipsius sacramenti, in cuius comparatione aliud paruum est, licèt in se sit magnum. Quòd verò hoc pertineat ad bonum ipsius sacramenti, & per se videtur manifestum: quia hæc integritas necessaria per se est ad perfectionem huius iudicij. Et moraliter declaratur, quia aliàs frequenter, & ex occasionibus sæpe occurrentibus, & veluti per se coniunctis cum modo peccandi hominum, oporteret dimidiare confessionem, & multa peccata tacere. Vt v.g. non possent vir & vxor confiteri peccata, quæ inter se committunt, moraliter & regulariter loquendo: quia cognoscuntur à confessore, & vnus confiteretur lapsum alterius,

## *Quomodo ex lege confessionis oriatur causa legitima declarandi complicem.*

7 Primò ex natura iusti iudicij.

SOlùm supereſt vt declaremus quomodo ex lege cõfessionis oriatur illa causa legitima. Hoc autem variis modis declarare possumus. Primò, ex ratione & natura iusti iudicij, sub qua hoc sacramentum institutum est ab eo, qui potestatem habuit: & ideò posita institutione, illi veluti iure suo debentur om-

& similia, quod certè maximum incommodum est. Item, quia inde possent praui homines occasionem sumere grauissima peccata committendi, ea occasione, quòd vterque ratione alterius mutuò excusabuntur ab obligatione confitendi: considerato ergo bono ipsius sacramenti, ex illo sumitur sufficiens causa, vt illa censeatur detractio materialis, & non formalis.

9 Tertiò, ex vtilitate pœnitentis.

Tertiò, potest hæc causa explicari ex parte ipsius pœnitentis, & spiritualis vtilitatis eius, quæ licèt per se sola fortasse non sufficeret, vel saltem in dubium reuocari posset, tamen adiuncta aliis, multùm profectò confert. Hæc autem vtilitas non debet esse sola necessitas sacramenti, vel vitandi peccatum contra præceptum confessionis, ne videamur petere principium, aut supponere quod probandum est, vt obiiciebatur: sed præter hæc considerari potest spiritualis fructus, qui esse potest in ipsa confessione talis delicti integri, & prout in re ipsa factum est: nam moraliter loquendo, inde crescit pudor, & dolor de tali peccato: vnde moraliter etiam sperari potest, vt crescat fructus ex opere operato, qui certè est maioris momenti, quàm fama complicis circa vnum confessorem, sub tanto secreto. Accedit præterea, quòd cum hac integritate coniuncta est satisfactio sacramentalis pro tali delicto imposita, cuius fructus etiã est maximi momenti. Deniq; accedit ipsa realis executio, seu obseruantia diuini præcepti, absque excusatione, quæ per sese etiam est magnum bonum: tum propter honestatem ipsius actionis: tum etiam propter pacem conscientiæ quam affert, dum liberatur homo ab illo onere, & obligatione iterum confitendi. Vnde etiam est magna cõsideratione dignũ, quòd, si obligetur pœnitens ad occultandum personam cõplicis in confessione, moraliter loquendo obligabitur sæpe ad bis confitendum peccatum suum: semel sub aliqua ratione generali, & iterum sub aliqua speciali, vt v.g. si quis cum matre deliquit, priùs quando cõfessor matrem agnoscit, tenetur saltem confiteri illicitum concubitum, vt etiam alterius sententiæ Auctores fatentur; posteà verò, nacta occasione, tenebitur iterum confiteri impium incestum, quod profectò magnum grauamen est. Hoc igitur sensu optimè etiam hic applicatur principiũ illud, quòd vnusquisque magis tenetur sibi prouidere, quàm alteri, cæteris paribus, nedum vbi est tanta disparitas: nam pœnitens sic confitendo, & animæ suæ prouidet, vel in necessariis, vel certè in rebus maximè vtilibus, atque etiam suo pudori, & suæ famæ aliquo modo subuenit, ne sæpiùs & multis se prodere cogatur.

10 Corollarium primum. Licere pœnitenti aperire complicem.

Ex hoc igitur discursu manifestè cõuincitur (vt opinor) licitum esse pœnitenti sic confiteri integrè, etiãsi persona complicis in notitiam confessoris deueniat. Soluturque manifestè præcipuũ fundamentũ contrariæ sententiæ: quia cùm ostensum sit illam detractionem non esse formalem, sed materialem, planè sequitur non esse contra naturale præceptum: nam talis detractio non est prohibita lege naturæ. Et ita hîc etiam reuerà non concurrunt duo præcepta, positiuum, & naturale, sese inuicem impedientia, vt propterea præferendum sit naturale præceptum: quia posita institutione sacramenti, mutatur materia præcepti naturalis, quia detractio, quæ aliàs esset formalis, fit materialis: ideóque verè tunc non concurrit naturale præceptum, nec violatur ex tali modo confitendi. Quo fit etiam, vt non rectè hîc accommodetur illud principium, *Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona*: quod aliqui obiiciunt. Primò quidem, quia illud intelligendum est de malo culpæ: quia malum pœnæ seu detrimentum aliquod sæpe fieri potest propter aliquod bonum: tum etiam, quia ibi propriè A non fit malum alteri, vt inde veniat bonum: sed fit aliquod bonum, permittendo nonnullum detrimentum, quod inde sequitur proximo: quod sæpissimè licet, vt per se notum est.

*Teneri pœnitentem manifestare complicem.*

## ASSERTIO II.

11 ATQVE hinc vlteriùs infertur secundò, non solùm licere, sed etiam teneri pœnitentem integrè confiteri peccatum, vel circunstantiam necessariam, cum prædicta complicis manifestatione. Probatur: quia præceptum de integritate confessionis B per se obligat: ergo quoties nulla legitima excusatio interuenit, homo tenetur illud complere: hîc autem nulla sufficiens excusatio interuenit, quando quidem licitè potest id fieri, vt ostensum est: ergo actualiter obligat præceptum de integritate. Obiect. Dices, Sæpe potest homo excusari illicitè ab integritate seruanda, quanuis etiam possit licitè illam omittere si velit, vt si quis timet sacerdotem reuelaturum confessionem suam, potest licitè illa omittere, quæ afferent infamiam, & nihilominùs, si velit, potest integrè confiteri. Sæpe etiam, quando inter duo præcepta (vt sic dicam) inceditur, ita est res anceps & dubia, vt detur licita optio hoc, vel illud faciendi, v.g. curare infirmum, vel audire sacrum in die festo. Respondetur ad priorem partem, illud accidere, & in his quæ sunt C extrinseca, & per accidens, & quæ spectant ad commodum ipsius pœnitentis, cui potest ipse cedere, vt patet in exemplo adducto: hîc autem neutrum eorum concurrit. Nam illa infamia, quæ præcisè prouenit ex cõfessione, & sub eius sigillo manet, non est extrinseca, neque per accidens respectu talis peccati, sed potiùs est per accidens, quòd confessor cognoscat personam complicis, nécne, cuius detrimentum neque ad ipsum pœnitentem pertinet, neque est tanta æstimatione dignum, vt possit licitè præferri integritati confessionis. Vnde patet responsio ad alteram partem: nam illud ad summum procedit, quando est tanta æqualitas inter illas duas actiones, vt habeat locum tale arbitrium: in præsenti autem reuerà non est talis æqualitas, sed multùm excedit causa sacramenti. Addo verò, D etiam in aliis rebus rarò interuenire talem æqualitatem, nisi ex ignorantia, seu ex diuersitate opinionum probabilium. Quo modo hîc etiam dicemus posse aliquem, si velit, adhærere priori opinioni, & ratione illius excusari ab hac obligatione: non enim possumus negare quin opinio illa probabilis sit, cùm habeat Auctores graues, & rationes probabiles: hoc autem est per accidens propter ignorantiam: nos autem per se loquimur.

Diluitur.

12 Corollarium tertium. Hoc procedere etiam in confessione voluntaria. Distinctio Cani reiicitur.

Tertiò colligitur ex dictis, hanc obligationem non solùm habere locum in confessione necessaria, sed etiam in voluntaria. Et ideò impertinẽs est distinctio Cani de cõfessione facta in articulo mortis, vel extra illum. Aut enim tale peccatum, vel circunstantia cum E illo incommodo complicis est de integritate confessionis, aut non: si est, ergo in omni confessione explicanda est: quia, licèt fortasse vsus confessionis hic & nunc voluntarius sit, tamen supposito tali vsu integrè confiteri necessarium est. Si verò talis circunstantia non est de integritate, etiam in articulo mortis non erit: quia non est minùs tũc cauendũ infamare proximum, quàm anteà: neque integritas confessionis alia est in articulo mortis, quàm in quacunque alia confessione. Quapropter nulla est specialis necessitas in articulo mortis: quia tunc etiam potest sufficere ad salutem integritas formalis. Obiect. Dices, occurrere tunc peculiare

celiare incommodum; nimirum periculum nunquàm ampliùs confitendi illud peccatum, si tunc non declaretur. Soluitur. Respondetur, hoc nõ afferre nouum aliquod detrimentum spirituale, nec nouam præcepti diuini transgressionem: quia totum illud per accidens est, quatenus ex futuro euentu pendet, sed solùm est attendenda præsens excusatio. Quapropter, si rationes aliæ per se nõ sufficerent ad excusandum à detractione formali, & ad obligandum ad seruandam integritatem, illa circunstantia articuli mortis parum profectò ad vtrumque conferret. Tandem, quia rationes factæ per se sufficiunt, ideò non solùm in confessione necessaria, sed in quacunque voluntaria prædicta excusatio locum habet.

13 Dubium. Sed quæres, estò hoc verum sit, supposito quòd fiat confessio, an teneatur homo saltem differre confessionem non necessariã, nec consequenter cogatur personam complicis explicare. Enodatur. Respondeo in primis, non solùm in extrema necessitate, verùm etiam quoties interueniet obligatio præcepti, posse, & debere cõfiteri, & cõsequẽter integrè confiteri, neq; excusari ab obligatione confitendi, v. g. semel in anno, aut si Eucharistia sit necessariò recipienda: non excusari, inquam, solùm propter vitandum illud nocumentum proximi: quia, vt sæpe diximus, est materialis detractio tantùm, & non est res tanti momenti, vt propter illam solam omittendus sit vsus necessarius huius sacramenti. Imò vlteriùs addo, etiamsi confessio nõ sit in præcepto pro tali tẽpore, non esse obligãdum peccatorem, vt multo tempore differat confessionem, & fortasse perduret in statu peccati propter vitandum hoc incommodum cõplicis: sed prudenti arbitrio hoc iudicandum esse, iuxta regulas charitatis: quia iustitia hîc non obligat, cùm supponamus hîc non esse detractionem formalem. Itaque, si vno die, vel altero differendo confessionem, speraretur confessor, cui sine notitia complicis posset fieri integra confessio, charitas obligabit ad expectandum illum: tamen, si necessaria esset dilatio longi tẽporis, aut nimia intermissio vtilis frequentiæ consuetæ, nõ cẽseo esse obligandos pœnitentes, vt cũ tanto incõmodo spirituali præueniant, & vitent illud incommodum proximi de Medin. fola infamia non admodùm graui. Nam etiam Medina, loco suprà citato, agens de quærendo confessore, qui non agnoscat cõplicem, solũ dicit satiùs esse illum Gerson. quærere. Imò Gerson in serm. de Pœnitentia in cœna Domini, considerat. 4. §. *Fiat integrè*, apertè dicit hoc esse cõsiliũ, nõ præceptũ. Quãquã enim hoc simpliciter verum nõ sit, vt in principio ex cõmuni sententia supposuimus, habet tamen locum, vt Corduba notauit, quando illa mutatio confessoris fieri non potest sine nimia difficultate, & graui incommodo: quia charitas non obligat cum tanto dispendio vitare damnum proximi, sed tantùm cùm facilè fieri potest. Sic ergo in præsenti dicimus de dilatione confessionis, seruata proportione.

14 Dubium deciditur. Vltimò declarandum supereſt, quod in vltima confirmatione prioris sententiæ quærebatur, quid dicendum sit quando pœnitens non potest integrè, & specificè explicare peccatũ suũ, nisi manifestãdo confessori occultum peccatum personæ, non quia illa fuerit socia criminis ipsius pœnitentis, sed solùm quia fuit obiectum peccati eius, vt si filius det venenum matri grauidæ ex prauo concubitu, aut si infamet illam, vel aliquid simile. Nullus enim ex dictis Auctoribus expressè de hoc loquitur, præter Soto, qui etiã in hoc casu dicit manifestandum esse integrè peccatum proprium, etiamsi necesse sit manifestare alienum: imò hac occasione addit, etiamsi manifestãdum sit peccatum alterius in sola confessione cognitum, integritatem dictam seruandam esse. Sed in hoc particulari casu suprà hoc iudicauimus improbabile: nunc autem generaliter etiam censemus illam sententiam nimis rigorosam. Dico ergo, in hoc casu non debere pœnitentem alienum peccatum manifestare, etiamsi necesse sit aliquam speciem criminis non declarare: existimoq; Doctores antiquos non sine causa locutos esse specialiter de complice, non de alia persona: vnde quoad hanc partem sententia hæc maiori Doctorum auctoritate nititur. Ratio verò est, quia hîc cessant causæ illæ, quæ reddebant detractionem illam materialem: erit ergo formalis, & sic intrinsecè mala: & ita procedunt optimè reliqua fundamenta prioris sententiæ. Antecedens declaratur: nam in primis cessat hîc ratio sumpta ex natura iudicij: quia quando persona non est socia criminis, nullo modo voluntate sua se immiscuit peccato alterius, & consequenter nec ex vi sui peccati se subiecit iudicio, vel cognitioni alterius, & ideò ex hac parte nullum ius, nullámve iurisdictionem directè, vel indirectè habet iudex ad cognoscendum tale peccatum, vel pœnitens ad accusandum peccatum suum, implicando, vel potiùs explicando peccatum alterius. Cessat etiam alia ratio sumpta ex reuerentia sacramenti: tum quia hic casus est rarissimus, & ex illo non potest sumi occasio moralis occultandi peccata: tum etiam quia maior reuerentia est, vt integritas seruetur rationabili modo: nulla autem ratio patitur, vt is qui inuitus recepit vnam iniuriam, posteà nouum detrimentum accipiat ex confessione eiusdem, qui iniuriam intulit, solùm propter integritatem confessionis illius. Vnde etiam cessat tertia causa sumpta ex vtilitate pœnitentis, ipse enim debet sustinere onus, & reportare incommodum, ne alius incurrat detrimentum, cùm ipse solus voluntate sua, & sine alterius cooperatione totum illud delictum commiserit.

15 Obseruandum verò est, vt in huiusmodi casu pœnitens confiteatur suum peccatum quantùm potest, sine explicatione personæ in particulari: vt si persona offensa est pater, dicat se offendisse tali modo personam valdè sibi coniunctam, & sic de aliis. Illud etiã obseruatione dignum est, sæpe esse necessarium explicare personam ad declarandam circunstantiam aliquo modo diminuentem, vt in dicto exemplo, si quis infamauit alium, & addat se vera dixisse, quanuis iniustè, illud additum determinat peccatum ad circunstantiam minoris malitiæ: quia grauius esset peccatum, si fuisset falsum testimonium: & ideò tunc facillimè excusari potest aliquis ab explicatione talis circunstantiæ cum detrimento tertiæ personæ: quia quanuis peccatum simpliciter dicatur, confessor intelligit, vt minimum habere illam malitiam, quod satis esse potest. Et in hoc nulla est difficultas: quia circunstantiæ minuentes non ita sunt de necessitate confessionis, sicut aggrauantes. Idem verò censeo de aggrauantibus, addendo etiam nouam speciem propter rationes adductas.

## SECTIO III.

### *Vtrùm teneatur confessor seruare sub sigillo peccatum complicis, & non vti illa scientia, etiam in bonum pœnitentis sine licentia eius.*

1 VIDERI potest sigillum confessionis non extendi ad personam complicis: quia obligatio sigilli solùm imposita est in gratiam pœnitentis, & in fauorem eius. Item, quia complex nullum secre-

tum commisit sacerdoti: ergo, licèt fortasse ex lege iustitiæ de non infamando proximo, teneatur sacerdos non reuelare peccatum complicis, non tamen ex obligatione secreti, cùm illi nullum fuerit secretum à complice commissum: ergo neque ex obligatione sigilli, quod rationem secreti includit, vel supponit. Aliunde autem apparet, etiam ex licentia pœnitentis non posse sacerdotem loqui de peccato complicis: quia ex eo quòd talis notitia per solam confessionem ad sacerdotem peruenit, est notitia sacra, & sacramentalis, quam propterea violare non licet. Ex eo verò, quòd tale peccatum pertinet ad alterum, & non ad pœnitentem, non potest sufficere licentia eius: quia, vt suprà dicebam, pœnitens, dando licentiam, non dispensat in præcepto, sed cedit iuri suo, vnde fit, vt respectu illius cesset materia præcepti, quando ipse dat facultatem. At verò respectu alterius non potest ipse cedere iuri illius: ergo, quanuis det licentiam, non mutatur materia, & consequenter nec cessat obligatio præcepti.

A

B

*Prima Assertio.*

2 Teneri sacerdotē sub sigillo. Scot. Gabr. Palud. Richard. Sot. Ledesm. Sylvest.

NIhilominùs dicendum primò est, eodem sigillo teneri sacerdotem ad seruandum secretum circa peccatum complicis, quo circa personam pœnitentis. Hæc est communis sententiæ in 4.d.21.vbi Scotus q.2.§. *De quid dico*, Gabr.art.3.dub.2.Palud.q.3.art.2. conclus.1.Richard.art.4.q.4.Soto dist.18.q.4.art.5. & Relect.de Secreto, mēbr.3.q.4. Ledesm.2.p.4.q.10.art.5.Sylvest.verb. *Confessor*, 3.q.6.Deniq; Doctores omnes citati sect.præced. supponūt hanc obligationem in confessore, vt pœnitens possit peccatum complicis in confessione reuelare: quia si timeat confessorem reuelaturum complicem, omnes Doctores negant licere tunc complicem reuelare, etiamsi necesse sit peccatum propriū non integrè dicere: at verò, si confessor non obligaretur sub sigillo respectu complicis, nulla posset esse securitas, neq; infamatio proximi per se tegeretur hoc sigillo, vt in præcedentibus sectionibus supponebamus. Et ferè hæc est ratio à priori huius veritatis: nam omnia illa quæ sunt necessaria ad integram confessionem faciendam, cadunt sub sigillum: sed vnum ex iis necessariis est persona complicis: ergo. Minor supponitur ex facto ipso. Maior verò constat ex superiùs dictis: nam sigillum ad hoc præcipuè ordinatur, vt pœnitentes liberè, & sine timore possint integrè confiteri. Vnde hoc confirmat Scotus: quia etiam pœnitens vult famam personæ cum qua peccauit, custodire sicut suam: ergo etiam ex hoc capite inducitur sigillum.

C

Ratio à priori.

D

3 Obiect.

Dices: Ergo si pœnitens ex ignorantia, vel malitia reuelaret peccatum proximi sine necessitate: quia poterat optimè confiteri peccatum suum sine reuelatione alterius, tunc non teneretur confessor ad sigillum: quia iam tunc illa notitia complicis non datur propter integritatem confessionis. Respondetur negando sequelam: quia satis est, quòd de facto manifestatio peccati alterius fiat quasi coniunctim, & obliquè ad manifestandum peccatum proprium: nam eo ipso totum illud est pars confessionis propriæ: quòd autem hoc prudenter fiat nécne, seu quòd possit aliter fieri, non impedit obligationem sigilli, vt suprà in similibus dixi: quia hæc obligatio oritur ex confessione prout actu fit, non prout fieri deberet, aut posset: alias nunquàm possent pœnitentes esse securi de sigillo orto ex confessionibus suis. Et in proposito esset contra rationem, vt propter imprudentiam, vel malitiam pœnitentis obligatio secreti respectu complicis minueretur, cùm alias maior iniuria ei fiat, imò tunc solùm fiat, quando peccatum eius sine causa reuelatur.

Soluitur.

E

4 Nihilominùs tamen necessarium est, vt peccatum alterius reueletur, vt pars confessionis propriæ ipsius pœnitentis, seu tanquàm quid pertinens ad illam: nam, si aliquis cum propriis peccatis solùm concomitanter diceret etiam aliena, tunc illa peccata aliena in rigore non manerent sub sigillo: quia nullo modo pertinerent ad accusationem pœnitentis: & sola concomitantia non sufficit ad sigillum, vt suprà diximus, neque dicere aliquid huiusmodi, esset dicere peccatum complicis, sed alterius personæ omninò disparatæ, nihilque per se pertinentis ad peccatum pœnitentis? quod autem huiusmodi est, non est materia sigilli: quia nullo modo est materia confessionis, neque directè, neque obliquè: peccatum autem complicis, quatenus tale est, saltem obliquè est materia confessionis propriæ, & ideò est materia sigilli. Vnde etiam confirmatur conclusio ex Paludano: quia ex reuelatione peccati complicis posset facilè prodi peccatum pœnitentis, vel suspicio de illo generari: sed sigillum obligat ad vitandum omne illud quod huiusmodi est: ergo. Tandem ex reuelatione complicis fieret onerosa confessio, & ab illa quoad hanc partem homines retraherentur. Et ita facilè respondetur ad primam rationem dubitandi in principio positam. Nam hoc sigillum respectu complicis non nascitur ex commissione eius, sed ex commissione pœnitentis: sicut etiam extra confessionem, possum ego teneri ad seruandum sub secreto naturali peccatum Petri, licèt ipse non dixerit, sed Paulus sub tali secreto: vnde, si ego tale secretum in publicum proferam, possum quidem peccare in Petrū contra iustitiam, illum infamando de re occulta: in reuelatione autem secreti non tam Petrum, quàm Paulum offendere, qui illud commisit, Ita ergo est suo modo in præsenti.

*Secunda assertio.*

5 Non posse confessorem vti notitia sine licentia pœnitentis.

HInc secundò dicendum est, non esse licitum confessori vti scientia peccati complicis ad aliquem vsum, quo possit eius persona prodi sine licentia pœnitentis. Hoc etiam est certum & commune apud citatos Doctores, sequiturque euidenter ex priori assertione: quia omnis fractio sigilli est semper mala: sed quacunque ratione, aut quouis vsu talis notitiæ prodere personam complicis sine licentia pœnitentis, est frangere sigillum: ergo semper est mala. Sicut suprà dicebamus de vsu cognitionis per confessionem acquisitæ respectu ipsius pœnitentis, nam quacunque ratione locutio, vel quilibet alius vsus redundet in proditionem, seu suspicionem personæ pœnitentis, & sine licentia eius, est reuelatio sigilli: idem ergo est, seruata proportione, respectu complicis. Atque hinc sequitur, ex vi illius notitiæ non licere confessori loqui de tali peccato complicis etiam cum ipsomet complice, nedum cum aliis. Primò quidem: quia sicut sigillum obligat ad non loquendum de peccato pœnitentis cum ipsomet pœnitente: ita etiam ad non loquendum de peccato complicis cum ipso complice. Secundò & maximè, quia loquendo cum complice, reuelat confessionem pœnitentis: quia ostendit alteri illam notitiam, quàm in sola confessione accepit, quod est directè contra sigillum, siue complex intelligat sacerdotem loqui ex notitia cōfessionis, quòd frequentiùs accidet, siue id non intelligat, sed solùm sacerdotem scire peccatum suum, quod in re ipsa non nisi per alterius confessionem agnouit: nam hoc per se sufficit ad fractionem sigilli. Neque ad hoc honestandum sufficit, quòd confessor id faciat in bonum pœnitentis,

pœnitentis, vel ipsius complicis: quia propter nullum finem, quantumuis bonus appareat, frangendum est sigillum.

6 Qui vsus intelligatur in assertione suprà posita.

Propterea verò loquutus sum de vsu, quo manifestatur aliquo modo persona complicis, & peccatum eius: quia si talis esset vsus, vt nullam omninò manifestationem secum afferret, neque aliis, neque ipsimet complici, talis vsus non esset contrarius sigillo, ideóque nec per se malus esset, sed ex bono fine prudenter factus honestari posset. Hoc manifestum est ex dictis disputatione præcedente, vbi etiam respectu ipsiusmet pœnitentis diximus non esse prohibitum omnem vsum notitiæ per confessionem comparatæ: sed illum tantùm, qui vel est contra sigillum, vel contra iustitiam, vel charitatem respectu pœnitentis, vel alterius: ergo à fortiori idem dicendum est de vsu eiusdem notitiæ respectu complicis, quandoquidem sigillum magis per se & directè obligat respectu complicis, quàm respectu alterius. Ratio verò est, quia si talis vsus non est contra sigillum, vt reuerà non est, nullum relinquitur diuinum, vel naturale præceptum, contra quod fit talis actio vel vsus: quia supponimus excludi omnem extrinsecam inordinationem contra charitatem, vel iustitiam, denique talem esse vsum, qui possit prodesse, & nemini obesse: intrinsecè enim, & ex vi huius sacramenti non potest aliud præceptum excogitari, cui talis vsus repugnet, neque aliqua eius probabilis ratio reddi potest. Nam, licèt notitia per sacramentalem confessionem comparata sit, non est contra reuerentiam huic sacramento debitam, illa posteà vti in bonum finem sine vlla iniuria, vel grauamine ipsius confessionis, prout in illo casu fit: quia hoc ipso quòd nulla est, vel minima reuelatio etiam indirecta, nullum est grauamen ipsius confessionis; neque est vnde fiat onerosa aut difficilis: & eo ipso quòd per eam intenditur bonum, & non malum, nulla etiam fit iniuria sacramento. Tandem exemplis id constat: nam in primis vti tali notitia ad orandum pro huiusmodi complice, optimum sine dubio est. Idémque est, si ea vtatur confessor ad ei conferendum quodcunque beneficium, quo possit ille spiritualiter iuuari, etiamsi nec intelligat, nec suspicetur propter eam causam à sacerdote fieri: vel etiamsi posset impedire occasionem vel periculum peccandi, nulla etiam data suspicione: idemque esset si peccatum vergeret in damnum tertij, & simili prudenti modo posset illud impedire, vt satis in superioribus in similibus casibus explicatum est. Addenda verò hîc est limitatio superiùs posita, nimirum hoc procedere ex naturâ rei, seu sacramẽti, & secluſa prohibitione positiua: nam etiam hic vsus posset aliquando per illam prohiberi vel limitari, vt de facto limitatus, & prohibitus est à S. D. N. Clemente VIII. quoad exteriorẽ gubernationem. Quam prohibitionem extendendam censeo etiam ad cognitionem complicis: nam licèt solùm loquatur de *illa notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerũt* confessores: quæ verba possent ad solos ipsos pœnitentes, & eorum peccata referri: tamen simplicius ac veriùs intelligi censeo de omnibus peccatis, tam pœnitentium quàm sociorum criminum: quia eadem est omnium notitia, & relatiuum *aliorum*, ad omnes referri potest, & debet.

A

B

C

D

E

---

## *Tertia Assertio.*

7 Posse sacerdotẽ vti notitia de licẽtia pœnitentis.

TERTIÒ dicendum est, de licentia pœnitentis posse confessorem vti scientia, quam per confessionem accepit de peccato cõplicis, in bonum ipsius pœnitentis, & præsertim in spiritualem vtilitatem, vel etiam necessitatem, v.g. vt pœnitentem defendat ab importuna complicis insectatione & inductione ad peccandum: vel, vt ab eo aliquam debitam satisfactionem accipiat, si tamen prudenter id fiat. Hanc assertionem docent communiter Theologi superiùs citati, & quos latiùs referemus sect. sequent. Eiusque ratio breuiter est, quia interueniente facultate pœnitentis, iam non agitur contra sigillum, iuxta sententiam superiori disput. demonstratam sect. 5. Et aliunde nulla est deordinatio, vel malitia in tali actu: ergo, per se loquendo, licitus est, supposito bono fine, & prudenti modo, vt supponimus.

8 Aliquorum responsio.

Respondent aliqui, licentiam pœnitentis in his, quæ ad ipsum tantùm pertinent, sufficere ad tollendam obligationem seu materiam sigilli: in his verò quæ pertinent ad personam complicis non sufficere licentiam pœnitentis, sine licentia complicis: quia sigillum quoad hanc partem in fauorem ipsius complicis impositum est, quo non potest priuari nisi sua voluntate: & ideò donec ipse facultatem faciat, non tollitur obligatio sigilli. Sed hoc nullus antiquorum Theologorum dixit; nec sustineri profectò potest. Refellitur. Nam in primis moraliter repugnat petere huiusmodi licentiam à complice: nam oportet priùs illi aperire notitiam per confessionem obtentam, vt possit ab illo peti licentia vtendi illa, vnde ante obtentam licentiam manifestaretur confessio. Quòd si quis dicat, Obiectioni occurritur. ad petendam hanc facultatem à complice, sufficere priorem facultatem pœnitentis, iam inde habemus ad loquendum cum ipsomet complice de peccato illius in ordine ad aliquem finem sufficere licentiam pœnitentis: ergo etiam sufficiet in ordine ad quẽlibet bonum finem, qualis est defensio vel satisfactio pœnitentis, obtinenda tantùm ab ipsomet complice, qui ferè est moralis casus, in quo maximè solet confessor in praxi iuuare pœnitentem, de licentia ipsius, apud suum complicem. Deinde nulla est ratio, ob quam licentia complicis requiratur: quia ipse non commisit secretum confessori, sed solus pœnitens: ergo solus ille est à quo pendet hoc secretum: ergo solus ipse sufficit dare licentiam loquendi, quantùm est ex parte sigilli. Confirmatur, ac declaratur: nam directè causa pœnitentis est quæ cadit sub sigillo, reliqua verò solùm quatenus ad hanc causam pertinent, sed pœnitẽs potest dare licentiam de tota hac causa: quia ipse solus est, qui eius accusationem sub tali secreto facit. Tandem pœnitens posset ex legitima causa, & propter suum bonum narrare sacerdoti extra confessionem totum factum cum circunstantiis, & dare licentiam loquendi de illo quantùm oportuerit: ergo magis potest hanc licentiam dare ad loquendum de eadem re in cõfessione audita: quia, si respiciamus fauorem, & cõmodum cõplicis, hoc multò maius est: quia eius infamia minor est: si verò inspiciamus rationem ipsius sacramenti, ipsum quantùm est ex parte sigilli solùm postulat, vt secretum seruetur pro iusta voluntate pœnitentis. Dico autem semper, *quantùm est ex parte sigilli*: quia ex ratione iustitiæ, & ex sanctitate ipsius sacramenti, necessarium est, vt talis licentia non detur cum iniuria complicis, nec sine causa honesta, ad quam possit tale medium sanctè referri.

Non requiri licentiã cõplicis.

9 Diluuntur rationes in fauorem cõplicis adductæ.

Atque ita facilè respondetur ad id, quod attingebatur de fauore complicis. Primum enim negamus sigillum per se respicere fauorem complicis, sed solùm per quandam redundantiam, quatenus oriri potest ex fauore pœnitentis, & religione sacramenti: fauor autem pœnitentis solùm est, vt secretum pendeat ex honesta voluntate eius, & quòd possit illam notitiam ordinare ad vtilitatem suam, præsertim spiritualem, cum minimo incommodo suo, prout fit seruando idem sigillum, & dando facultatem: neque ex hac parte plus postulat religio sacramenti. Deinde dicimus,

cimus, hoc ipsum etiam redundare in fauorem complicis, ne delictum eius sub minori secreto proferatur: igitur ex hac parte euidens est nullam esse malitiam in illo vsu: quia nullo modo violatur sigillum confessionis.

10 Aliorum responsio.

Alij verò respondent esse aliam deordinationem in illo vsu, nimirum quòd res superioris ordinis, videlicet, sacramentalis confessio, ordinetur ad res inferioris ordinis, vel certè ordinetur ad finem ad quem non fuit instituta: vtrumque autem videtur esse contra debitum ordinem, & contra religionem debitam sacramẽto. Sed hæc obiectio, vt sæpe in superioribus insinuaui, falsum assumit: quia neque est malum ordinare rem superiorem ad inferiorem, quando vtraq; est honesta, & habent aliquam proportionem vtilitatis, seu conuenientiæ: neque etiam est malum ordinare aliquid ad finem extrinsecum, vel accidentarium bonum, quando non excluditur primarius, seu intrinsecus.

Refutatur.

11 Tria explicantur, confessio, notitia confessionis, & vsus notitiæ.

Quod vt in præsenti euidentius fiat aduerto hîc tria intercedere, confessionem sacramentalem, notitiam quæ ex illa relinquitur, & vsum huius notitiæ qui extra confessionem permittitur, seu conceditur ex licentia pœnitentis. Confessio quidem ipsa, quatenus sacramentalis est, rectè appellatur res superioris ordinis, & per se primò ordinanda est ad compositionem sacramenti, & ad effectum eius, qui est remissio peccati, neq; potest vnquàm licitè fieri excludendo hunc finem, tanquàm proprium & primariũ: non est tamen malum huic fini alium adiungere, qui interdum potest esse eiusdem ordinis, id est, spiritualis, vt si quis per confessionem huic viro factam simul intendat illum consulere de rebus posteà agendis circa talem materiam, vel excitare illum, vt feruentius pro se oret. Interdum verò potest esse finis inferioris ordinis, id est, tẽporalis, vt si mulier, quæ occasione egestatis Deum offendit, procuret sacerdoti diuiti, aut eleemosynas facienti confiteri, vt sibi liberaliùs subueniat in temporalibus, non peccat, si tantùm sinistrum oculum (vt aiunt) aut secundariam intentionem ad hoc habeat.

Confessio.

Notitia cõfessionis.

Notitia verò confessionis, licèt per relationem ad confessionem sit quid sactum, tamen in se est quædam humana, & naturalis cognitio, quæ in principio potuit obtineri sine vlla relatione ad extrinsecum finem, præterquàm ad iudicium in confessione ferendum: posteà verò comparato illo fine, potest ordinari ad alios mediante alio vsu eius: quia hoc nec fini, nec religioni sacramenti repugnat, si talis vsus alioqui honestus sit. Hic autem vsus iam non est propriè res superioris ordinis: quia nec est sacramentum, nec pars sacramenti, sed est cõsilium aliquod, vel petitio humana, vel aliquid simile, procedens ex notitia comparata per sacramentum de licentia eius, qui potest eam dare.

Vsus notitiæ.

12 Corollariũ præcedentis doctrinæ.

Ex his ergo apertè constat, siue à principio confessio fiat propter illum finem extrinsecum, siue posteà tantùm superaddatur, extendendo de licentia pœnitentis notitiam in confessione acceptam ad alium vsum bonum, & ad vtilitatem honestam ordinatum, nihil malitiæ, vel inordinationis esse in tali actu, neq; aliquam iniuriam propterea fieri sacramento, vel alicui personæ, vt satis declaratum est. Atque hoc confirmat quotidianus vsus virorum prudentum, & piorum confessorum: nihil enim frequentius est, quam vt pœnitens iuuetur consilio, & industria confessoris, vt se defendat ab alio complice, qui eum sollicitat, & inducit ad malum: gerit enim contra illum quasi bellum iustum: & ideò licitè quærit contra illum iustum consilium, & auxilium: ergo etiam honestè quærit illud per confessorẽ (vt supponimus) ad hoc aptum & prudentem: quia hoc supposito, nulla est via magis secreta, minusque onerosa alteri: præsertim quia hic fructus non est omninò extra finem confessionis, quæ non solùm ad tollenda peccata commissa, sed etiam ad vitanda futura, ne committantur, ordinatur. Præterea sæpe accidit, vt socius delicti teneatur subuenire alteri, vel debitum aliquod ei persoluere, vt v. g. alere prolem, vel promissionem aliquam implere, ad quod sæpe necesse est, vt complex certior fiat de effectu subsecuto, & de obligatione quæ in eum resultat: solet ergo aliquando hoc fieri medio confessore propter maius secretum, maiúsq; commodum vtriusque partis. Neque in hoc aliquid inordinatum inuenitur, cùm omnia ordinatè fiant, & in bonum finem referantur. Et ita etiam responsum est ad posteriorem rationem dubitandi in principio positam. Neque contra hanc doctrinam inuenio aliquem grauem Auctorem ex antiquioribus: solus Soto videtur aliquando verbum aliquod proferre, quo huic doctrinæ minùs fauere videtur: sed de illius & de aliorum sententia clariùs constabit ex sect. seq.

## SECTIO IIII.

*Vtrùm liceat confessori vti notitia confessionis de licentia pœnitentis ad corrigendum complicem, vel impediendum eius delictum in bonum aliorum.*

1 Prima sent. Dominicus Bannes 2.2. q. 33. in fine.

HÆc quæstio videtur satis definita in præcedenti, tamen quia his temporibus specialiter controuersa fuit, necessarium est aliquid de ea in specie dicere. Aliquibus enim inordinata maximè res hęc visa est, & communi bono, ac sacramento contraria. Primò, quia multùm derogat sigillo vti notitia confessionis ad effectus adeò extrinsecos, & alienos à fine confessionis. Repugnat etiã hoc religioni tanti sacramenti: est enim illud veluti quoddã sacrum arcanum, quod non tam facilè debet ad quoslibet alios vsus assumi. Neque est cur pœnitenti concedamus tam amplam potestatem faciendi facultatem confessori ad loquendum de rebus in confessione auditis: quia hoc ei non licet pro suo arbitrio, vt suprà dictum est. Et quia vix potest esse vsus talis confessionis sine scandalo: quia regulariter existimabunt complices, vel confessorem id facere sua auctoritate sine alia licentia, vel certè extorsisse licentiam decipiendo, vel cogendo subditum pœnitentem. Quod declaratur secundò, quia notitia confessionis non est accommodata ad finem, seu effectum correctionis: quia correctio est quid pertinens ad legem naturæ, ad quam solùm tenemur per media eiusdem ordinis, quæ ante institutam confessionem locum habebat: confessio autem est res alterius ordinis, ordinata tantùm ad bonum pœnitentis, non verò ad correctionem complicis, vel defensionem aliorum.

Primum argumentum.

Secundum argumentũ.

Præterea est alia improportio, quia correctio fieri debet ex notitia certa, alias non potest esse efficax: sed notitia confessionis in ordine ad hunc finem non est certa: nam licèt dictum pœnitentis pro illo foro, & in ordine ad ipsum fidem faciat, non tamen contra alium: vnde facilè potest complex illud negare, & sacerdotem eludere, eiusque correctionem cõtemnere. Imò, si tunc sacerdos corrigens ipsum, maiorem fidem daret pœnitenti contra complicem, quàm complici pro se ipso, iniuriam ei faceret: quia, sicut pœnitenti credendum est pro se, & contra se, ita & complici. Ex quo vlteriùs fit, vt ex tali modo correctionis facilè sequi possint dissidia, & scandala: ergo per se loquendo

2 Secundum fundamentum.

loquendo, hic modus correctionis neque expedit, neque licet. Et confirmatur hæc ratio: quia, si liceret hac via correctionem inchoare, liceret etiam illam prosequi vsque ad denunciationem, vel coactionem complicis: si ad eius emendationem necessaria esset. Consequens est planè absurdum, vt per se constat. Sequela probatur: quia notitia, quæ sufficit ad inchoandam correctionem, sufficit ad prosequendam, aliàs imprudenter inchoaretur correctio. Tandem confirmatur: quia aliàs superiores, & prælati possent vti confessionibus subditorum suorum tanquàm medio ad suam gubernationem, & aliorum emendationem, & correctionem, ex quibusdam confessionibus aliorum peccata cognoscendo, & facultatem à pœnitentibus extorquẽdo ad corripiendos, & emendandos alios: consequens est valdè absurdum, & alienum ab vsu Ecclesiæ: nam esset facere confessionem odiosam, & peruertere ordinem, & cõfundere internum forũ cum externa gubernatione, ac deniq; esset occasionem præbere scandalis, & mendaciis. Nam cùm in hoc foro nulla postuletur probatio, vnusquisque posset facilè, & impunè falsum testimonium aliis imponere.

Prima confirmatio.

Secunda cõfirmatio.

3 Propter hæc nonnulli Theologi, præsertim moderni, simpliciter damnant, vt illicitum, huiusmodi vsum notitiæ complicis per confessionem obtentę. Pro qua sententia referri in primis possent illi Theologi, qui in vniuersum negant posse confessorem loqui de rebus auditis in confessione, etiam de licentia pœnitentis. Et hoc modo videtur tenere hanc sententiam Maior in 4.d.21.q.2. Angelus verb. *Confessio*, 1.§.3. & Summa Rosella, v. *Confessio*, 1.§.6. qui sequuti sunt Richard. d. 21.art.5.q.2. Hi enim dicunt, in eo casu, in quo necessaria est manifestatio complicis ad eius correctionem, manifestandum esse extra confessionem, quia manifestatio in confessione inutilis est ad correctionem: quod non esset verum, nisi supponeretur non licere vti scientia confessionis, etiam de licentia pœnitẽtis, aut perinde esse dare licentiam, ac dicere extra confessionem. Præterea fauent Bonau. d.21.2.p.ar.1.q.3. & Alens. 4.p.q.77.memb.2.art. 4. Qui dicunt, tutius esse extra confessionem dicere. Palud. verò ead.d.21. q. 3.art.2. concl.2. rigorosiùs dicit, debere pœnitentem extra confessionem nominare complicem, si velit vti industria confessoris ad prædictum finem. Soto denique d. 18. q. 2. ar. 5. ad 4. absolutè ait, nõ debere confessorem, etiam de licentia pœnitentis, & in commodum eius, extra confessionem tractare negotium cum reuelatione complicis, ne fiat odiosa confessio. Citatur etiam in fauorem huius sententiæ D. Bernardin. Senen. in 3.p. Sermonum, serm. de Confessione peccatorum, in 4. præparatione. Denique citatur D. Tho. d. 16. quæstione 3. art. 2. quæst. 5. ad 5. Sed ibi agens de complice, solùm dicit, licere illum reuelare propter integritatem confessionis: cætera verò non excludit.

Prima sententia negatiua.

Maior. Angel. Rosel. Rich.

Bonau. Alens. Palud.

Soto.

D. Bern.

D. Tho.

4 Contraria sententia, videlicet hunc vsum esse licitum de licentia pœnitentis, per se loquendo, ac seclusò scandalo, seruatisque aliis circunstantiis secundùm prudentiam requisitis, est communis Theologorum, & Summistarum. Et in primis sumitur ex D. Thoma Opusc. 12. q. 6. vbi dicit, non licere reuelare in confessione personam complicis, *nisi saluato ordine correctionis fraternæ*: sentit ergo seruato hoc ordine licere. Expressè docuit hanc sententiam Capreolus 4.d.21.q.2.art.3.ad 8.contra 3. conclus. dicens, de licentia pœnitentis licere confessori complicem, vel alium peccatorem sibi in confessione manifestatum corrigere. Et eadem ferè verba habet Soncinas in Summa Capreoli ead. d. q. 2. conclus. 2. ad 3. Idem docet expressè D. Antonin. 3. part. tit. 14. capit. 19. §. 11. & Adrianus q. 1. de Confessione, §. *Sed oritur ex his dubium*, ad 4. clariùs in dubio penultimo illius materiæ. §. *Ad primum*, in responsione ad 8. & §. *Ad motiua aliorum*, vbi ad tertium sub disiunctione ait in vtilitatem suam, vel aliorum hoc licere pœnitenti, si per sacerdotem facere potest, quod non valet per seipsum. Idem expressè Gabr. d. 17. q. 1. art. 2. conc. 5. qui argumentatur, si licet extra confessionem, multò magis in confessione, quanquàm posterius distinct. 2. art. 3. dub. 2. eodem modo loquatur quo Richard. credens non esse contrarius, vt iam dicam. Idem expressè Sylu. verb. *Confessio*, 1. q. 24. vbi dicit, vel esse reuelandum extra confessionem, vel dandam licentiam confessori, quia quoad hunc effectum perinde est. Et ita explicat Richardum, Bonauen. & alios. Citat etiam in hanc sententiam Raymundum. Præterea citatur in Summa Confessorum libro 3. tit. 34. quæ id significat in quæst. 87. iuncta q. 100. Et eandem habet Alensis in Summa 2.p.lib.5.tit.12. vbi alios refert. Idẽ Summa Armil. verb. *Circunstantiæ*, numero 11. citans D. Thomam, & Antonin. & Summa Tabien. verb. *Circunstantia*. §. 10. & verb. *Confessio*, 1. §. 4. & Summa Pisana verb. *Confessio*, 1. quæst. 3. & Summa quæ dicitur Enchiridium confessorum, 1. p. verb. *Confessor*, numero 8. §. 3. & aliæ Summæ recẽtiores in hoc etiam conueniunt. Idem docuit Gerson 2.p. tit. de Cognitione peccatorum venialium, & mortalium, & Considerat. 19. dicit, non esse parendum confessori interroganti de altera persona, nisi bene sciretur quòd vellet illi proficere, & clariùs in eadem 2. p. in libro quarundam quæstionum cum suis responsionibus fol. 34. lit. P. dicit non expedire dicere in confessione personam alterius, & dare licentiam confessori vt illam admoneat, quanuis non sit malum, melius tamen iudicat esse dicere extra confessionem. Idem serm. de Pœnitentia in Cœna Domini, considerat. 4. vbi ait circunstantiam personæ cum qua peccatur, non esse declarandam, nisi vel ad integritatem cõfessionis necessarium sit, vel alterius peccatoris. Docuit etiam expressè hanc sententiam Nauarr. in Summ. n. 7. dicens seruato ordine correctionis fraternæ, hoc licere. Idem Corduba libro de Detractatione famę, & restitutione illius, membr. 2. quæst. 4. conclus. 3. & memb. 3. conclus. 4. ad 2.

Soncin. D. Ant.

Adria.

Gabr.

Sylues.

Richard. Bonau. Raym. Summa Confess. Alens. Armill. Sum. Tab. Sum. Pis.

Enchir. Confess.

Gerson.

Nauarr.

Cordub.

## ASSERTIO.

5 INter has sententias hæc posterior simpliciter probanda mihi videtur. Fundamentum esto, quia vti notitia confessionis ex licentia pœnitentis ad corrigendum complicẽ non est actio mala, quia prohibita: neque etiam est prohibita, quia mala, & ideò nihil obstat, quominùs aliquando possit honestè fieri. Prior pars certa est, quia nulla potest de hoc ostendi lex positiua: & ideò ex solis principiis iudicandum est de honestate, vel malitia illius actionis. Posterior ergo pars probatur discurrendo per tres virtutes, ad quas pertinere posset honestas, vel malitia huius actionis. Prima est virtus religionis, quatenus ad illam pertinet sigillum, & reuerentia debita huic sacramento.

Secũda sententia probatur.

6 Quòd ergo illa actio per se & intrinsecè non sit contra religionem, probatur, quia neque est contra sigillum, nec contra reuerentiam debitam huic sacramento: nullum autem alind caput excogitari potest, ex quo hic oriatur malitia contra religionem. Hæc vltima pars per se nota est: nullus enim hactenus id excogitauit, neque intelligi, aut declarari potest in quo sita talis malitia. Prima verò pars manifesta est ex suprà dictis: ostendimus enim non esse contra sigillum

Quòd iste actus non sit contra religionem.

sigillum loqui de rebus in confessione auditis, etiam pertinentibus ad complicem de licentia pœnitentis: sed in præsenti assertione expresè dicimus, hâc correctionem fieri debere de licentia pœnitentis. Imò hîc etiam addimus talem licentiam, eò quòd respiciat tertiam personam, respectu illius debere esse iustam, quia non potest pœnitens suo arbitrio famam alterius prodigere, proprer quod si licentia iniusta est, grauiter peccabit confessor illa vtendo, non solùm contra iustitiam, sed etiam contra religionem: nam vti sacramento, vel notitia in eo accepta ad nocumentum iniustum alteri inferendum, sine dubio est graue sacrilegium: & posset tunc meritò censeri fractio sigilli: vel quia talis licentia, cùm sit iniusta, est nulla, & consequenter non magis dat loquendi ius, quàm si non esset data: vel certè quia complex saltem habet hoc ius, vt non possit cum iniuria eius talis facultas dari, neque recipi ex vi sigilli.

7 Veruntamen hæc omnia in præsenti locum non habent, quia manifestum est talem licentiam non esse iniustam, quia non ordinatur ad inferendum aliquod nocumentum complici, sed ad bonum eius. Neque etiam inde augetur eius infamia, quia cum illo tractandum est negotium, & ab ipsomet est emendatio procuranda: nunc enim de sola correctione secreta cum ipsomet peccatore agimus: nam de denunciatione, vel aliis mediis in solutionibus argumentorum dicemus. Quòd verò talis correctio possit esse onerosa complici, & pudorem, aut ruborem illi inferre, non reddit dictam licentiam iniustam, cùm in tota illa actione nulla sit iniuria, sed per se potiùs ad opus charitatis pertineat, alioqui ex hoc capite semper fraterna correctio esset iniusta. Est ergo illa licentia ex obiecto suo iusta: suppono etiam esse sponte datam, & non per iniuriam extortam à pœnitente: nam hoc etiam extrinsecum est, & non est per se coniunctum cum tali actione: ergo manifestatio virtute eius facta, non est contra sigillum. Atque hinc etiam facilè constat aliud membrum, scilicet, in huiusmodi actione non interuenire aliunde irreuerentiam sacramenti: nam suprà ostensum est, non esse irreuerentiam confessionis, vel notitiæ per illam comparatæ, quòd ordinetur ad finem extrinsecum additum ab operante, dummodò bonus sit, & non excludat intrinsecum finem confessionis: huiusmodi autem est emendatio complicis, qui est finis huius actionis: est enim hic finis per se bonus, & licèt non sit intrinsecus confessionis, tamen neque excludit alium intrinsecum, neque ab illo necessario excluditur. Nam cum iustificatione ipsius pœnitentis, qui est finis intrinsecus confessionis, optimè coniungitur emendatio complicis.

In hoc actu non dari irreuerentiam sacramenti.

8 Obiectio. Soluitur. Dicet aliquis, Licèt ex vi huius finis non videatur hoc cedere in sacramenti irreuerentiam, tamen ex aliis inconuenientibus, quæ moraliter ex tali actione sequi possunt nunquàm hoc fieri sine irreuerentia sacramenti. Respondeo, nulla esse inconuenientia per se coniuncta cum tali actione, neque moraliter, vel vt in plurimum resultantia: nam scandala, deceptiones, & similia, quæ finguntur, vel exaggerantur, reuerà non sunt per se, nec frequentiùs coniuncta cum illo vsu, vt experientia ipsa sæpe ostendit, & ex his, quæ dicemus in solutionibus argumentorum, manifestè constabit. Si ergo inconuenientia aliquando sequatur, id erit per accidens: ex accidenti autem non negamus hanc actionem aliquando posse esse malam, tunc autem malitia per se primò non erit contra religionem, sed aut contra charitatem, aut contra aliam similem virtutem: contra religionem autem erit per quandam redundantiam, in quantùm religioni derogat vti actione sacra cum detrimento alterius virtutis.

9 In hoc actu Atque ex his ferè etiam probatum est, per se non habere hunc vsum malitiam contra iustitiam, aut charitatem. Nam de iustitia iam ostensum est, nullam actionem iniuriosam ibi interuenire: quia pœnitens vtitur iure suo, dando confessori huiusmodi notitiam & licentiam propter talem finem, in quo nulla actio iniuriosa intercedit. De charitate vero eadem est demonstratio, quia nec finis huius actionis, nec medium repugnat charitati, sed est maximè consentaneum illi: ergo per se nulla hîc est malitia contra charitatem. Consequentia est euidens, quia illa duo capita sunt, quæ possunt in hac actione considerari: aliæ enim circunstantiæ accidentariæ sunt, & in indiuiduo possunt ita obseruari per prudentiam confessoris, vt non reddant actionem charitati contrariam: Antecedens autem patet: nam finis est emendatio fratris, quam sine dubio per se intendit charitas: medium autem est correctio per viâ occultissimam, quia minimum lædatur fama proximi: quod etiam obseruat charitas: ergo per se nihil est in hoc fine, aut medio charitati aduersum.

non esse malitiam contra iustitiam, aut charitatem.

10 Confirmatio Et confirmatur, ac declaratur vtraque pars: nam Auctores omnes citati pro vtraque opinione in hoc conueniunt, si pœnitens in eo casu post finitam confessionem det notitiam cõfessori extra confessionem de peccato complicis, vt eum corrigat & emendet, seruato debito ordine correctionis fraternæ, & aliis circunstantiis debitis, id non esse contra iustitiam, & esse maximè consentaneum charitati: imò aliquando posse esse debitum, si tale medium moraliter censeatur necessarium ad emendationem proximi, quia spiritualis salus eius præferri debet illi qualicunque infamiæ, vel pudori. Interrogo ergo, quando pœnitens dat licentiam confessori loquendi de rebus confessionis, an illa licentia æquiualeat manifestationi, extra confessionem, vel sit solùm quædam extensio, vel facultas intra latitudinem sigilli, relicta obligatione eius quoad alia. Si primum dicatur, vt non pauci existimant, ergo sicut licitum est extra confessionem dicere, ita & dare licentiam, & similiter licitum erit confessori vtroque modo corripere complicem, cùm dicantur illa duo æquiualere. Si quis autem contendat necessariam nihilominùs esse iteratã narrationem totius facti, & non satis esse vnico verbo dare licentiam, referendo illud ad ea, quæ in confessione narrata sunt, hoc profectò superstitiosum est: nulla enim est ratio cur illa cæremonia sit necessaria, cùm verbum illud virtualiter contineat totam narrationem præteritam, vt in superioribus satis ostensum est. Vnde non est dubium, quin si intentio pœnitentis sit absolutè auferre sigillum, & illa omnia extra notitiam confessionis relinquere, ille modus vnico expresso verbo sufficiat, vt etiam habet vsus apud quoscunque pios & doctos confessores. Si verò sentiamus (quod nos suprà diximus) licentiam hanc non omninò tollere sigillum, sed relinquere illud integrum in omnibus aliis, præter id quod per talem facultatem conceditur, sic profectò manifestè constat minùs hoc modo lædi iustitiam, aut charitatem, quia magis consulitur famæ proximi: ergo, si aliũde religio illæsa manet, vt ostensum est, nihil mali est in tali actu. Dicetur fortè, in hoc lædi charitatẽ, quòd medium illud insufficiens est ad fratris emendam. Respondetur, hoc ad factum potiùs quàm ad ius pertinere, idque sine fundamento vel ratione dici. Cur enim desperanda est illa correctio semper, aut etiam frequentiùs? cùm notitia per confessionẽ habita non sit minùs certa, quàm extra illam per relationem eiusdem personæ, nec minùs possit deseruire ad efficaciter loquendum cum complice, & persuadendum illi. Sed hæc omnia clariora fient in solutionibus argumentorum.

Obiect. Diluitur.

*Destruuntur*

*Destruuntur fundamenta prioris sententiæ.*

11 Soluitur primum argumentum.

AD primum ergo & principale argumentum iam responsum est, hoc non repugnare sigillo, quantuncunque finis ille ad quem ordinatur confessio, extrinsecus sit, dummodò sit iustus, & ex licentia pœnitentis fiat. Deinde etiam ostensum est, ex nullo alio capite hoc derogare religioni, aut reuerentiæ sacramenti: neque propter hanc causam datur nimia licentia vtendi notitia confessionis ad extrinsecos fines: nam hic finis, de quo agimus, grauissimus est, & valdè coniunctus cum fine huius sacramenti. Nam, post emendationem ipsius pœnitentis nihil illi propinquius est, quàm emẽdatio complicis, quod etiam moraliter spectare potest ad maiorem securitatem ipsius pœnitentis. Rursus neque ex hoc B vsu fit onerosa confessio. Cui enim fiet onerosa? an pœnitenti? minimè, quia supponimus ipsum sua libera voluntate velle vti industria confessoris ad illum finem, eò quòd opus charitatis esse censeat suo proximo subuenire, & per se non valeat, nec speret correctionis fructum, per confessorem autem propter maiorem eius auctoritatem & industriam illum obtinere confidat: hæc enim semper supponenda sunt, ex communi lege & ordine charitatis. Aut est hoc onerosum ei, qui corripitur: at verò neque hoc dici potest, si secundùm rectam rationem res æstimetur. Nam, si ille irrationabiliter sit inuitus, aut grauamen sentiat, id curandum non est, alioqui nullus erit corrigendus, ne charitas fiat onerosa proximo. C Quòd verò secundùm rectam rationem nullum onus sentire possit, satis constat ex dictis, quia intenditur bonum eius, & per optimum medium, quo eius fama, quoad fieri potest, conseruatur. Pœnitens enim (vt supponimus) habet ius, vel etiam obligationem corrigendi, & cùm non possit per se facere, posset id efficere per alium, qui non esset suus confessor: ex quo non minuitur onus & grauamen complicis, imò posset augeri, si aliàs reuelandum esset crimen confessori propter integritatem confessionis: sic enim plures scirent delictum alterius: melius ergo est, vt vnus tantùm sciat, si ille ad vtrumque munus sufficiens est. Similiter, eidem confessori posset extra confessionem dicere: sed hoc nullum leuamen complicis est, sed potiùs grauamen: nam quòd sacerdos sciuerit peccatum eius sub maioris secreti obligatione, illi melius est: nullo ergo modo fit ex hoc vsu onerosa confessio.

12 Quod verò ibi addebatur de scandalo, in primis est accidentarium, deinde est voluntariè assertum: nam si sacerdos prudens fuerit, facilè huiusmodi scandalum vitare poterit. Eò vel maximè, quòd scandalum ibi declaratum passiuum potiùs est, quàm actiuum, propter quod vitandum non semper sunt opera charitatis omittenda, & præsertim correctio, quando tamen speratur fructus. Assumptum declaratur: cur enim est iudicaturus complex sacerdotem reuelare confessionem? profectò id non potest nisi temerè iudicare, commotus fortasse acerbitate correctionis, E quod æquè iudicare posset, etiamsi confessor extra confessionem peccatum eius agnouisset, cùm enim sine fundamento id iudicet, æquè potest in vtroque casu id iudicare: præsertim cùm in neutro casu oporteat, sacerdotem explicare modum quo id sciat, sed simpliciter correctio peccati facienda sit. Non est ergo propter hunc timorem omittenda correctio, sed prudenter ita est in principio lenienda, vt priùs peccator recognoscat suam miseriam & lapsum, quàm exasperetur, & resistat. Denique in casu de quo loquimur, moraliter loquendo, talis esse debet fama, A & auctoritas confessoris, cuius industria pœnitens vtitur, vt non possit alius peccator, nisi imprudentissimus sit, tale crimen sacerdoti obiicere, aut illud de eo præsumere.

13 Soluitur secũdũ argumẽtum.

In secundo argumento multa proponũtur ad ostẽdendam improportionem huius medij ad finem correctionis. Sed illud parui momenti est, quod in primo loco obiicitur de fine intrinseco, vel extrinseco, naturali, vel supernaturali: iam enim suprà latè ostendi, posse rem superioris ordinis ordinari ad bonum inferioris ordinis, quia per hoc id quod superiùs est, in se non minuitur, & iuuat inferius, augetque bonum ipsum, saltem extensiuè, & omnia tandem in gloriam Dei ordinantur: quomodo Deus gratiam vnionis ordinauit ad gratiam nostræ sanctificationis, & gratiam hanc, quæ supernaturalis est, ordinat ad bonum naturæ, & obseruationem etiam naturalis legis. Præterea ostendimus, per se loquendo licitum esse confessionem ad extrinsecum finem honestum ordinare, vt si quis propria peccata confiteatur, vt à Deo obtineat corporis sanitatem: & aliquando potest vir sanctus confiteri alicui sacerdoti, vt suo exemplo eum ad pœnitentiam, aut ad vitæ puritatem moueat: quod exemplum apertè ostendit etiam posse licitè ordinari ad correctionem fratris. Quod verò aliqui dicunt, quanuis confessio non sit positiuè, vt sic dicam, improportionata ad hunc finem, tamen de se non esse proportionatam, & hoc satis esse vt non sit illa vtendum, non satis intelligo quem sensum habere possit. Quia si improportio talis non C sit, vt semper sit prauum, aut inutile tale medium ad talem finem ordinare, non potest tale medium reiici vt improportionatum, seu non proportionatum: hæc enim duo in præsenti æquiualentia sunt: rationes autem factæ ostendunt ordinationem huius medij ad talem finem, nec per se ac semper esse inutilem, neque habere intrinsecam paruitatem.

14 Quid ex parte pœnitẽtis requiratur.

Duo autem notatione digna in præsenti puncto occurrunt. Vnum est, aliud esse loqui de pœnitente, aliud de confessore ordinante confessionem pœnitẽtis ad correctionem alterius. Atque hæc etiam ipsa ordinatio duplex distingui potest: vna quæ antecedit ipsam confessionem, & refert ipsam ad talem finem: alia quæ consequitur confessionem, quia non tam confessionem ipsam, quàm notitiam per illam comparatam refert ad talem finem, vt in superioribus explicatum est. Omnia igitur dicta præcipuè locum habent in pœnitente ipso, in quo nulla est difficultas, quin vtroque modo possit confessionem suam referre in talem finem. Primò antecedenter volendo confiteri huic confessori, vt & sibi, & complici per eius industriam remediũ quærat: vtrumque enim est charitatis officium. Deinde etiam consequenter, vt si priùs sine intentione complicis, tantùm sui causa confiteatur, postea verò cognita obligatione, vel vtilitate, velit vt confessor notitia comparata vtatur ad bonum complicis: illa enim cognitio in se humanum quid est, cui non repugnat ad alias actiones humanas ordinari, cúmq; illa vlterior actio sit propter proximi vtilitatẽ, nihil etiã repugnat sanctitati sacramẽti.

15 Quid ex parte confessoris.

At verò ex parte confessoris maiori prudẽtia & limitatione opus est. Nam in primis ordinare antecedẽter confessionẽ subditi sibi fieri, vt per illam accipiat notitiam aliorum, quos possit corrigere, periculosum est, ideóque cauendum. Duobus enim modis id fieri potest, primò cogendo moraliter subditos vt sibi confiteantur, vel præceptum illis imponendo, vel totam iurisdictionem ad se reuocãdo: & hoc sine dubio est valdè violentum, & tyrannicum vt sic dicam) in hoc foro, quia non potest non reddere confessionem odiosam, & valdè onerosam: exponitque subditos

subditos periculo morali committendi sacrilegia, & tacendi peccata in confessione. Propter quod S. D. N. Clemens VIII. in Decreto de casuum reseruatione pro regularibus, §. 2. dixit, *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Quanuis enim hoc per se malum non sit, tamen propter vitanda pericula in vniuersum prohibetur, nisi in aliquo speciali casu sit facta concessio: maxima autem occasio scandali & periculi esset, si subditi intelligerent ad hunc finem hoc fieri à superiore, vt ex quorundam confessionibus aliorum peccata cognoscant, & corrigant. Alio verò modo posset hoc fieri, non necessitatem imponendo, sed suadendo, consulendo, aut petendo: & in hoc minus quidem periculi est: tamen quia superioris suasio, aut petitio solet esse moralis coactio, ideò hoc etiam vitandum est, imò videtur prohibitum à summo Pontifice in citatis verbis, si attentè expendatur verbum illud, *proprio motu.* Igitur nunquàm debent superiores hoc modo vti confessione vnius ad finem correctionis alterius. At verò si ordinatio non sit antecedens, sed consequens confessionem iam factam, sic licitum, & expediens esse potest, dummodò prudenter fiat: supponimus enim superiorem, vel confessorem bona fide, & vtentem suo munere simpliciter & ordinario modo, ex confessione intelligere esse opus charitatis procurare correctionem complicis: tunc ergo nulla apparet per se inordinatio, nec morale periculum, si (vt supponitur) de licentia pœnitentis, & debito modo fiat.

Clemens VIII.

16 Quæ seruãda sint, vt hoc conuenienti modo fiat.

Vt autem ita fiat, hæc seruanda videntur. Primum, vt confessor non propter hunc finem correctionis interroget in particulari personam complicis, nisi pœnitens sua sponte illam declaret, quia exponeret se periculo infamandi proximum sine causa: potest tamen in generali interrogare an complex sit in periculo, vel ope ipsius pœnitentis seu correctione indigeat, & iuxta responsionem pœnitentis poterit generaliter illum monere, vt suæ obligationi satisfaciat. Vnde secundò obseruare debet, ne se statim intuitet ad correctionem faciendam, etiamsi intelligat esse conuenientem, vel necessariam: primùm, ne scandalum aliquod præbeat pœnitenti, vel occasionem reuelandi complicem sine necessitate: fortasse enim pœnitens ipse per seipsum potest correctionem facere, aut certè vult facere per alium, quem reputat aptiorem. Deinde, quia hoc ipso quòd cõfessor se offert ad illud munus, pœnitens nõ tam liberè & spontaneè procedit in hoc negotio, sicut par est. Tertiò maximè debet cauere confessor, ne aliquid exigat à pœnitente tanquàm debitum ex obligatione præcepti, quod reuerà non sit, sed verè & fideliter illi proponat quid ex præcepto agere teneatur, quid verò tãtùm liceat alioqui grauiter deciperet pœnitentem, si sub titulo ficto, & non vero, necessitatis aut præcepti eum cogeret, vel ad reuelandum complicem, vel ad dandam facultatem corripiendi illum, aut aliquid simile, & consequenter in hoc grauiter peccaret, vel contra iustitiam, vel contra sigillum, quod ampliùs in sequenti puncto declarabitur.

17 Quando liceat pœnitẽti vti industria confessoris.

Aliud igitur in hac parte aduertendum est, aliud esse pœnitentem licitè posse vti industria prædicta confessoris ad complicem emendandum media correctione, aliud verò ad hoc teneri: nam illud sæpiùs hoc verò rariùs contingit, quia plures circunstantias concurrere necesse est, vt talis oriatur obligatio. Vt ergo hoc liceat, tria concurrere debent, & sufficiunt. Primùm, vt ex parte complicis sit aliqua moralis necessitas: nam, si vel iam est emendatus, vel non est aliqua probabilis ratio timendi nouum lapsum eius, non est facilè infamandus. Secundum, vt pœnitens per se non sufficiat ad correctionem vtiliter faciendam, nec id probabiliter speret: nam si per se posset, frustra infamaret proximum apud alium. Tertium, vt vtiliter speret se facere per confessorem, alioqui enim frustrà illam assumeret vt instrumentum. Quòd si hæc concurrant, nihil aliud, per se loquendo, necessarium est vt hoc liceat; ea enim, quæ sunt per accidens, considerari à nobis non possunt, sed per prudentiam cauenda sunt.

18 Quando teneatur.

Vt autem pœnitens teneatur, vltra hæc necessariũ est, vt necessitas proximi sit tanta, vt charitas obliget ad subueniendum illi, vel per se, vel per alium, eo modo quo pœnitens potuerit. Quòd enim aliquando ad hoc obliget proximi necessitas, certum est ex materia de charitate, vbi ex professo declaratur quis gradus necessitatis ad hanc obligationẽ sufficiat, nunc solùm dicimus debere esse grauem, & cum morali periculo noui lapsus, aut alterius grauis detrimenti alicuius proximi. Posita verò hac obligatione, non statim tenetur pœnitens per confessorem corripere, potest enim facere per alium, etiamsi per se non possit: & ideò nisi tales circunstantiæ occurrant, quæ euidenter ostendant moraliter, industriam confessoris esse ad id necessariam, vel in tali occasione aut loco nullum alium esse idoneum, qui hoc facere possit, non potest iustè pœnitens ad hoc cogi à confessore. Posset autem talis casus contingere, vel ex penuria hominum prudentum, & idoneorum ad hoc munus, vel si confessor talis sit vt non solùm consilio, sed etiam auxilio iuuare possit ad emendationem delicti. Occurrente autem huiusmodi casu, ita potest pœnitens ad hanc obligationem implendã, sicut ad alias teneri, vt etiam notauit Soto 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5.

Soto.

19 Non teneri præcisè vti notitia data in confessione.

Rursus verò, etiam posita hac obligatione in pœnitente, non propterea tenebitur vti notitia data in confessione, sed potest extra confessionem dicere sacerdoti, cuius industria vti vult: quia hoc est medium satis proportionatum, & sufficiens. Solùm in vno casu videtur esse posse hæc obligatio, nimirum, si timeat sacerdotem non seruaturum esse aliud secretum, quod minus sit quàm sigillum: tunc enim non debet subuenire proximo cum tanto periculo infamationis eius, si potest illud vitare. Nec contra hoc vrget obiectio facta, quòd correctio est legis naturalis, quæ non obligat ad vtendum medio supernaturali: quia correctio inter fideles non solùm est ex charitate naturali, sed etiam infusa, quæ obligat ad diligendos proximos altiori modo, quã pura natura obligaret: & ideò occurrente medio altioris ordinis, potest charitas obligare ad vtendum illo, si pensatis omnibus necessitas proximi illud requirat. Dicitur ergo illa lex naturalis, quia est connaturalis charitati, non quia sit ex solo & puro lumine naturæ. Et hæc de pœnitente.

Obiectioni satisfit.

20 Ex quibus facile est intelligere idem proportionaliter in confessore. Vt enim ei liceat hoc munus acceptare, & exequi, illa tria, quæ in pœnitente posuimus, requiruntur, & sufficiunt, cum proportione applicata, & propter similem rationem. Vt verò teneatur, aliquando potest obligare charitas, aliis conditionibus positis concurrentibus cum eadem proportione: aliquando verò obligare potest pastorale munus & officium, quando scilicet etiam complex est illi subditus, & ex officio tenetur spiritualem eius salutem procurare, & prudenter iudicat hoc medium esse necessarium. Tunc autem, quantùm est ex parte confessoris, regulariter loquendo, magis expedit, vt pœnitens extra confessionem dicat, vt liberius possit

suo

suo munere fungi: non debet autem ad hoc cogi pœnitens, nisi in aliquo casu, in quo secreta correctio non censeretur sufficiens, vt statim dicam.

*Destruitur secundum fundamentum.*

21 SECVNDO dicebatur improportionatum hoc medium ad corrigendum, quia non fundatur in certa scientia peccati proximi. Veruntamen, si sensus sit, correctionem fraternam nunquàm prudenter & proportionatè fieri ex fide humana, & per relationem alicuius fide digni, est id manifestè falsum, & contra communem sententiam omnium, & expressã in D. Augustini serm. 16. de verbis Domini: & habetur in capit. *Si peccauerit*, 2. quæst. 1. vbi inter alia ait. *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis produntur ab vxoribus suis, plerunque zelantibus; aliquando salutem maritorum quærentibus: non prodimus palàm, sed in secreto arguimus.* Et ratio est, quia in rebus humanis non potest semper euidens certitudo postulari, & interdũ vnius testimonium prudenter examinatum, consideratis circunstantiis omnibus, facit sufficientem fidem, præsertim ad eam actionem præstandam, qua bonum proximi procuratur absque vllo nocumento. Si verò sit sensus, notitiam comparatam per confessionem esse minùs efficacem ad correctionem, quàm extra confessionem ab eadem persona præstitam, gratis & sine vlla ratione id dicitur: nam potiùs propter reuerentiam debitam confessioni, quod in ea dicitur, cæteris paribus, fit credibilius, quàm extra illam. Quocirca, licet non ita obligetur confessor credere pœnitenti circa alios, sicut circa seipsum; potest tamẽ, imò & debet etiam in aliis fidem dare; si nihil obstare videat; vnde etiã potest ex illa fide aliquid operari in cõmodum proximi: nec est necesse vt hinc sequantur scandala, aut incommoda, si prudenter fiat.

Augusti.

22 Soluitur prima confirmatio.

Nam, quòd interdum is, qui corrigitur, possit molestè id ferre, & repugnare seu negare factum, nullum est inconueniens: nam vel confessor prudentia sua, & patientia has difficultates superabit, vel ex discursu, & aliis circunstantiis intelliget, an sit à correctione cessandum.

An per hanc viam possit ad denũciationem procedi.

Atque ex his facilè est respondere ad primam confirmationem, in qua petitur an per hanc viam possit vsque ad denunciationem procedi. In quo primùm assero, etiamsi non possit, non propterea desistendum esse à secreta correctione, si sit spes fructus; nam correctio non est tãtùm bona in ordine ad denunciationem, sed per se potest esse vtilis, vel necessaria propter fructum, quem ipsa afferre potest. Deinde assero, denunciationem paternam etiam per hanc viam habere locum, dummodò licẽtia pœnitentis ad eam expressè extendatur: per illam enim solùm acceditur ad superiorem vt ad patrem, qui hac occasione nec potest inquirere in subditum, vel aliud detrimentum illi inferre, sed solùm consilio, oratione, & opera illum iuuare, auferendo occasiones occultissimè, & sine timore suspicionis, & ex facultate à pœnitẽte data, vt in tota hac quæstione supponimus. De quo etiam superiore sine vlla suspicione præsumendum est fore prudentem, vt non facile & nimis citò credat, & moueatur ad subditum pudore afficiendum. Neque ex hoc possunt sequi moraliter grauia incommoda: quòd si aliquod interdum sequitur, est accidentarium, & rarum, propter quod vitandum non possumus, nec debemus actionem damnare, quæ per se & ex obiecto bona est, & ad bonum proximorum sæpe necessaria. At verò ad denunciationẽ iudicialem nunquam potest per hanc viam procedi: quia forum illud publicum est, & longè diuersæ rationis, multáque in denunciatore requiruntur, quæ per viam confessionis repugnant, vt per se clarum est. Quando ergo tale est negotium, vt pœnitens teneatur denunciare iudicialiter, cogendus est pœnitens vt per ipsum id faciat, quia oportet vt ipse sit iudicio notus, & vt publicam notitiam quantùm potest, ei conferat: hęc verò obligatio rarò continget in peccato complicis, quia nemo tenetur denunciare seipsum, quod faceret, moraliter loquendo, denunciando complicem. At verò in aliis peccatis vbi pœnitens non est socius criminis, vel vbi potest seipsum seruare indẽnem, sæpe potest hæc obligatio interuenire. Quòd si accidat; pœnitentem non posse per seipsum denũciationem facere, vel omninò excusabitur, vel si vrgeat necessitas boni communis, vt in peccato hæresis, necesse est vt extra confessionem alicui id committat, qui ad iudicem id deferat eo modo, quo possit, vt ipse ex officio vigilet, & inquirat prout valuerit.

23 Soluitur secunda. An hic vsus possit extendi ad alios fines.

In secunda & vltima confirmatione petitur an hic vsus possit extendi ad alios fines. In quo ipsum primùm negamus id, quod ibi infertur posse hunc vsum extendi ad exteriorem gubernationem: falsum enim hoc est, tum quia iam declarauimus non posse superiorem antecedenter ordinare confessiones subditorum ad cognoscenda aliena peccata, & illa emendanda: multò ergo minùs poterit illas ordinare ad aliam gubernationem externam: tum etiam, quia exterior gubernatio requirit notitiam magis exteriorem & publicam: & ideò confessores omninò seruare debent quod Sanctiss. Clemens VIII. statuit in decreto de casuum reseruatione pro regularibus §. 4. nimirum, vt caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationẽ vtantur. Addo verò vltimò, prædictum vsum cum circunstantiis suprà positis non solùm posse esse licitum propter spiritualem salutem alterius procurandam, sed etiam propter vitandum aliud magnum nocumentum, aut aliam similem honestam causam ad bonum proximi pertinentem, vt, v.g. si adultera intelligat maritum machinari mortem socio criminis, potest illum per confessorem monere, vt se in tuto collocet. Item si duo fuerunt socij in furto, & vnus eorum vicinus morti restituit, potest per cõfessorem monere complicem, vel vt intelligat se esse iam liberum ab onere restituendi, si alter totum restituit, & partem socio remittit, vel certè vt intelligat partem illam suis hæredibus esse restituendam. Et similes casus possunt facilè excogitari, in quibus propter bonũ proximorum licitum est voti industria confessoris ad vitãda peccata aliorum, vel nocumenta, quæ ex peccatis prouenire possunt, non per viam coactionis, aut exterioris gubernationis, sed per viam consilij, vel secretæ admonitionis, vel occultæ, tollendo aliquam occasionem moralem, ad quæ omnia notitia prædicta cum licentia pœnitentis, & sufficiens & proportionata esse potest.

Clemens VIII.

## DISPVTATIO XXXV.

*De præcepto diuino confessionis.*

HACTENVS explicuimus quæ necessaria sunt ad legitimum vsum confessionis, vel quæ ex tali vsu consequuntur, in quibus variæ obligationes, & præcepta continentur, quæ, vt in superioribus etiam attigimus, solùm obligant veluti quoad specificationem. Nunc ergo dicendum superest de ipso vsu cõfessionis quatenus cadit sub præcepto obligante ad exercitiũ eius, quod

quod præceptum duplex est, aliud Diuinum, aliud Ecclesiasticum: hoc posterius declarabimus in sect. sequenti: hîc de priori videndum est, an sit, & quas personas, quando, & ad quid obliget.

## SECTIO I.

### *Vtrùm Confessio sit iure diuino præcepta.*

1 DE necessitate confessionis quatenus est medium ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi, diximus suprà in principio materiæ de hoc sacramento, quæ omnia valdè connexa sunt cum hoc præcepto: quia sine illo non posset confessio esse mediũ necessarium, neque è conuerso præceptum separatur à medio necessario. Tamen, quia hæc ipsa connexio non est adeò euidens, & hæ necessitates formaliter diuersæ sunt, non potuimus hanc quæstionem omittere, in qua non repetemus ea, quæ ibi dicta sunt, sed alia addemus. Igitur eisdem ferè modis in hac quæstione quibus in illa erratum est. Primò enim dixerũt quidam, confessionem esse de iure diuino naturali, fortasse quia ante Christi aduentum scriptum erat Eccl. 17. *Ante mortem confitere*, & Isaiæ 43. *Dic tu peccata tua, vt iustificeris*, & Psalm. 31. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Referuntur pro hac opinione Petr. Oxomensis, & quidam Iuristæ. Est tamen vana, & erronea sententia, si intelligatur de confessione sacramentali, cùm constet sacramentum hoc non esse de iure naturæ. Si verò intelligatur de cõfessione exteriori facta coram homine vel hominibus, sic nulla ratione probari potest de hac esse latum naturale præceptum, quia ex nullo principio naturali inferri potest, vt suprà tractando de virtute Pœnitentiæ latiùs dictum est. Neque testimonia Scripturæ citata ad rem faciunt: nam primum optimè intelligitur de confessione laudis diuinæ, quòd si ad confessionem peccati illa verba referamus cum Augustino serm. 8. de Verbis Domini, intelligenda sunt de cõfessione interna per recognitionem, & detestationem peccati apud Deũ. De qua etiam loquitur Dauid in vltimo testimonio. Et eodẽ modo exponi possent verba Esaiæ: si rectè citarẽtur, tamẽ ibi nõ dicitur, *Dic tu peccata tua*, sed, *Narra, si quid habes.* Vnde sensus esse videtur, si habes aliquam excusationem, qua iustificeris, narra illam, ac si diceret, cùm reuerà nullam habeas, recognosce peccatum tuum, atque ita in re in priorem expositionem incidimus, cetera de hoc puncto videantur in comm. art. 7. q. 84.

Sententia quorũdam, cõfessionem esse de iure diuino naturali. Eccles. Isai. Psalm. Reprobatur.

2 Secundò, dixerunt alij confessionem fuisse de iure diuino legis veteris, & Christum Dominum nõ dedisse in hoc nouum præceptum, sed specialem modum priori addidisse. Ita significat Hugo de S. Victor. li. 2. de Sacramentis, p. 14. & Vualdensis, tom. 2. de Sacramẽtis, c. 135. & Guillelm. de Rubione in 4. d. 14. q. 1. D. etiam Thomas dict. art. 7. q. 84. ad 2. dicit, pœnitentiam quoad confessionem exteriorem peccati habuisse aliquam determinationem in lege veteri. Veruntamen satis declarat, illam determinationem lõgè diuersam fuisse ab illa de qua nunc agimus: atq; adeò, si aliquod tũc fuit de hac re præceptum, potiùs fuisse de offerendo aliquo sacrificio pro peccato, in quo includebatur quædam recognitio, & generalis cõfessio peccati, de qua sæpe fit mentio in lege veteri, præsertim Leuitic. 16. & Numer. 5. At illa confessio non erat sacramẽtalis, neque de internis peccatis, neque per se ordinata ad internam iustificationem de peccatis, & ideò nec præceptum eo tempore latum eiusdem rationis est cum præcepto, de quo nunc agimus, quanuis dici possit fuisse tanquàm vmbram, & figuram illius: nec fortasse Auctores citati aliud voluerunt: loquuti enim videntur de confessione valdè generatim: nos autem agimus de propria cõfessione sacramentali, & præcepto eius.

Sẽtẽtia quorundam, cõfessionẽ esse de iure diuino legis veteris. Hugo. Vuald. Guillel. D. Tho.

Improbatur.

Leuit. Numer.

De hac igitur confessione est tertia sententia extremè contraria, quæ negat, etiam in lege gratiæ datum esse à Christo Domino proprium diuinum præceptum huius confessionis. Quam sententiam non solùm docent hæretici huius temporis, dicentes præceptum hoc esse inuentum humanum, solúmque esse introductum in Ecclesia à tempore Innocentij tertij, sed etiam graues Theologi Hugo Victor. Alexander Alensis, & Bonauentura suprà dicta disput. relati, cùm negẽt confessionem esse expresè institutam à Christo, à fortiori negant esse præceptam. Fundamentum esse potest, quia ex nullo loco noui Testamenti hoc præceptum satis colligitur, neque etiam ex traditione. Prior pars constabit discurrendo per singula loca quibus hoc probari solet, quod statim faciemus: posterior verò pars probatur: quia ex decretis antiquis solùm habemus leges Pontificias, quas disputatione sequenti tractabimus, ante illas verò solùm constat nobis fuisse semper in Ecclesia vsum confessionis. Quòd autem fuerit etiam præceptum, nullo certo iudicio ostenditur, & quanuis fuisset tunc tale præceptum, potuisset esse Apostolicum, & non diuinum: ergo cùm præcepta non sint asserenda sine sufficienti promulgatione, & probatione, meritò negatur tale præceptum diuinum.

3 Tertia sententia, non esse præceptã à Christo.

## ASSERTIO.

NIhilominùs dicendum est, à Christo Domino latum fuisse diuinũ præceptum obligans fideles, qui post sacramentum Baptismi susceptum mortaliter peccarunt, ad vsum sacramentalis confessionis, seu (quod idem est) ad sacramẽtum pœnitentiæ suscipiendum in remedium seu remissionem talium peccatorũ. Hæc assertio absolutè iam est de fide, fuitque antiqua ferè omnium Theologorũ opinio cum Magistro in 4. d. 16. & 17. vbi D. Thomas. q. 3. ar. 1. Rich. ar. 2. q. 1. Palud. q. 1. ar. 2. Durand. q. 8. Scotus, & Gab. q. 1. Adr. q. 2. de Confes. Medin. C. de confes. q. 2. Sot. d. 18. q. 1. art. 1. Cano Relect. de Pœnit. p. 5. Pet. Sot. lect. 1. 2. & 3. de Confes.

4 Hoc præceptũ esse latũ à Christo Domino.

Magist. D. Thom. Richard. Palud. Durand. Scoto. Gabr. Adrian. Medin. Soto. Cano. Pet. Sotus.

Probari autem solet primò variis Scripturæ testimoniis, quæ minùs efficacia sunt, vt est illud Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* & illud Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Sed hæc, & similia per se sumpta solùm probant generalem necessitatem pœnitentiæ: & nunc indifferentia sunt ad pœnitẽtiam requisitam ante, vel post Baptismum, vt sensit etiam Concilium Trid. sess. 14. c. 1. Addi etiam solet illud Lucæ 17. vbi Christus dixit leprosis, *Ite, ostendite vos sacerdotibus:* & illud Matt. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, &c.* Matt. 18. *Quæcunque alligaueritis, &c.* & illud Ioannis 5. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*, scilicet, vt homini, quod iudicium ipse suis ministris commisit. Verùm hæc non cogunt. Nam in primo loco ad summum est mystica quædam adumbratio futuræ confessionis; ad literam verò Christus agebat de quodã præcepto legis veteris implendo ab illis leprosis. In secundo verò, & tertio testimonio solùm est promissio quædam facta Petro, & Apostolis quæ posteà impleta fuit, & ex illis tantùm locis non constat, ibi fuisse specialiter promissam potestatẽ remittendi peccata in hoc sacramento. Nam in primo loco specialiter promittitur Petro suprema potestas

5 Probatur assertio ex variis Scripturæ testimoniis. Trident. Luc. 13. 17. Math. 4. 16. & 18. Ioan. 5.

Ponti

Pontificia:in tertio verò est sermo de potestate ligandi,& soluendi per censuras. Et præterea, quanuis demus ibi fuisse contentam promissionem huius sacramenti,seu potestatis,quæ in illo exercetur:non statim infertur fuisse datum præceptum confessionis.Quòd si quis contendat, saltem fuisse ibi insinuatum ferendum: eatenus hoc esse potest probabile, quatenus in illis verbis,quibus illa promissio quoad hanc partẽ impleta est,continetur tale præceptum;& ideò in illis potiùs verbis faciendum esset fundamentum.In quarto autem testimonio non est sermo ad literam de iudicio peccatorum in foro pœnitentiæ, sed de iudicio finali, quod Christo Domino commissum est de omnibus operibus, & de vltimo præmio, vel supplicio illi debito.

6 Iacob.5. Beda.

His adiungi solet probabilior locus ex Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: illa enim verba de sacramentali Confessione Beda ibi, & alij exponunt, & necessitatem eius inde colligunt Hugo Victorinus,& Alensis, ac Bonauentura suprà,qui, licèt non asserant esse præceptum diuinum, dicunt tamen ibi fuisse aliquod præceptũ à Iacobo promulgatum. Conc. Cabilonens. Imò & Concilium Cabilonense tempore Caroli Magni c.33.dicit,ibi esse sermonẽ de confessione facienda sacerdoti,& addit illa obscura verba, *Secũdum constitutionem Apostoli*, quæ piè exponenda sunt, id est, secũdùm institutionem ab Apostolo memoriæ mandatam,seu promulgatã.Denique D.Aug.lib.2.de Visitatione infirmorum, c.4.eodẽ modo exponit hunc locum, ex eo colligens necessitatem confessionis. August. Quapropter non cẽseo hunc locum contemnendum, quanuis in rigore non omninò conuincat; tum quia ibi nullum est verbũ, quod in omni proprietate præceptum indicet:nã illud, *Confitemini*, posset esse consilium,sicut illud,*Orate pro inuicem*. Tum etiam, quia non videtur Iacobus loqui de confessione facienda sacerdoti.Sed alterutrũ,id est, mutuò, & ad inuicem, prout fit in fraterna & familiari correctione, in qua homo non debet esse proteruus, nec nimium excusare peccata sua,sed humiliter confiteri, iuxta illud Prouerb. 28. Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Sed de hoc loco Iacobi iterum redibit sermo, cum de ministro disputabimus.

7 Proprius locus ex quo hoc præceptum colligitur.

Vltimus ergo, & præcipuus locus, ex quo præceptum hoc colligitur, est Ioannis 20. in verbis illis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Vt autem ex illis verbis præceptum colligatur, supponendum est ex dictis in superioribus, ibi esse institutam confessionem, vt partem necessariam sacramenti Pœnitentiæ, sine qua non possunt sacerdotes exercere potestatem remittendi, & retinendi peccata in eo loco ipsis concessam. Quam fuisse vniuersalis Ecclesiæ perpetuam intelligentiam, & collectionem docuit Concilium Trid. Conc.Trid. sess.14.c.4.

8 Duobus modis posse colligi hoc præceptum. Primò.

Hoc autem supposito, duobus modis potest inde colligi hoc diuinum præceptum. Primò, ex vtilitate sacramenti Pœnitentiæ ad remissionem peccati obtinendam: nam supposita institutione, & efficacia eius ad hunc effectum, euidens est susceptionem huius sacramenti esse vtilissimam ad veniam peccatorum cum maiori fructu,&(quod magis ad rem præsentem confert) cum maiori certitudine, & securitate obtinendam.Hinc verò ipsum diuinum ius naturale videtur obligare hominem ad vtendum hoc medio pro remissione peccati obtinenda:quia ipsa charitas obligat in re tam graui ad vtendum remedio faciliori, & Obiect. vtiliori. Si autem hac ratione obligatur homo ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ; eadem obligatur ad confessionem,sine qua sacramentum illud perfici nõ potest. Ita conatur intelligere hoc præceptum Scotus suprà. Quòd si quis obiiciat,quia non tenetur homo vtiliorem, aut tutiorem viam semper eligere; alioqui etiã teneretur ex hoc diuino iure ad frequenter confitendum, & ad asperiorem vitam eligendam. Responderet fortasse Scotus, quando maior vtilitas Soluitur. solùm est in maiori fructu seu effectu,eam non cadere sub præcepto:quãdo verò agitur de periculo æternæ damnationis, & maior vtilitas medij consistit in maiori certitudine,quæ tollat morale dubium, quod in huiusmodi remedio interuenire potest,tunc charitatem saltem propriam obligare ad vtendum tali remedio. Ita verò est in præsenti, quia pertingere ad veram contritionem difficile est, & moraliter dubium; ideóque instituto remedio confessionis, quo certum est suppleri defectum contritionis, si fortasse interueniat, ratio charitatis videtur obligare hominem, vt saltem in extrema necessitate hoc remedio vtatur, etiam secluso omni alio speciali præcepto.

9

Atque hoc modo explicata hæc deductio Scoti non videtur mihi improbabilis, saltem quantùm ad inferendam obligationem extrinsecam charitatis pro articulo mortis. Nihilominùs tamen etiam illa esset satis incerta, si per se non esset latum præceptum de vsu confessionis:quia illa incertitudo contritionis,& maior certitudo, quæ per absolutionem additur,non videtur esse tanta, vt propter eam solam rationem, obligetur homo ad actum difficilem confessionis, si aliàs non est per se præceptus; maximè cùm in ipsa etiam absolutione possit esse incertitudo, vel de intentione sacerdotis, vel de iurisdictione, vel etiam, an sit verus sacerdos, aut baptizatus;& aliunde potest homo facere quantùm in se est ad contritionem habendam:quæ,si habeatur,est certissimum remedium, & per se sufficiens, ablato præcepto confessionis. Et de illa potest esse experimentalis quædam cognitio, quæ, licèt non sit omninò certa, tanta sit, vt sufficiat humano modo ad pacem, & quietem conscientiæ:sicut ante institutionem huius sacramenti sufficiebat. Et præterea (quod ad rem maximè spectat) hæc obligatio est valdè extrinseca; & non esset ex speciali, ac positiuo Christi præcepto,sed ex naturali lege charitatis, supposita solùm institutione huius sacramenti. Nunc autem certum est, non solùm fuisse à Christo institutum hoc sacramentum, sed etiam speciale præceptum latum de vsu illius.

10 Secundò.

Alio ergo modo colligendum est hoc præceptum ex illis verbis: quia in illis non solùm vtilitas,& efficacia,sed etiam necessitas huius sacramenti continetur,necessitas(inquam)medij ad remissionem peccatorum obtinendam. Quod suprà demonstratum est disp.3 4 sect.2.ex illa enim necessitate euidenter infertur hoc diuinum præceptum vel à priori, vt quidam volunt, inter quos videtur esse Cano Relect. de Pœnit.part.5.vel saltẽ à posteriori,vt alij volunt.A priori quidem:quia media necessaria ad salutem,quæ consistunt in nostris actibus liberis, cadunt sub præcepto, vt suprà ostensum est, cum de præcepto contritionis ageremus; sed Christus instituit hoc,vt medium necessarium ad salutẽ:ergo hoc ipso cadit sub præcepto: & dicitur hic discursus à priori: quia hæc causalis vera est.Hoc præcipitur: quia est medium necessarium. Neque ex hoc discursu infertur solum præceptũ chariratis,quo homo tenetur salutem propriam quærere; sed etiam præceptum iustitiæ, quo tenetur homo satisfacere Deo pro culpa, seu iniuria illata, quod est proprium præceptum pœnitentiæ. Fitque deductio hoc modo: nam homo tenetur satisfacere Deo pro peccato modo præscripto ab ipsomet Deo, vt suprà etiam disputando de præcepto contritionis declarauimus; sed in lege gratiæ instituit hoc sacramentum, seu Cano. A priori colligitur.

confessionem peccatorum, vt vnicam, & necessariam viam ad satisfaciendum Deo pro offensa, & ad applicandum ex Christi satisfactione quidquid homini ex parte sua deest ad satisfactionem condignam: ergo talis modus pœnitentiæ, seu satisfactionis consequenter cadit in diuinum præceptum.

11 Colligitur à posteriori.

A posteriori autem colligitur hoc præceptum ex necessitate huius medij: nam tale est, vt natura sua non sit necessarium ad remissionem peccatorum, vt suprà ostensum est: ergo hæc necessitas medij oritur ex libera voluntate Dei: non potest autem oriri, nisi ex præcepto: ergo ex necessitate huius medij optimè infertur præceptum, non tanquàm ex causa, sed tanquàm ex effectu: nam, iuxta hanc sententiam, non ideò hoc medium præceptum est: quia est necessarium, sed è conuerso: quia præceptum est, ideò est necessarium. Minor probatur: quia nunc homo iustificatur per contritionem ante realem susceptionem huius sacramenti: si ergo nõ esset homini præceptum confitendi impositum, post contritionem nullo modo esset illi necessaria confessio ad salutem: quia, si non esset illi præcepta, etiamsi voluntariè illam omitteret saluaretur: quia non peccaret. Ex quo vlteriùs sequitur, neque in ipsa contritione posse includi necessariò votum confessionis, secluso præcepto: quia, hoc ablato, posset homo voluntariè omittere confessionem: ergo posset conteri sine voto confessionis; imò cum voto, & proposito nunquàm confitendi: quia hoc tunc non esset peccatum, cùm non esset contra præceptum, & consequenter non impediret veram contritionem. Igitur necessitas huius medij supponit præceptum, ex quo oriatur.

12 Dubium, an eadem ratio possit esse à priori, & à posteriori. Aristot.

Sed queret aliquis, quid horum verius sit: nõ enim videtur vtrumque simul stare posse: quia non potest eadem ratio esse simul à priori, & à posteriori. Respondetur, in diuersis generibus causarum hoc non repugnare: sicut aliàs dici solet in principio libri secundi de Anima de demonstratione, qua Aristoteles vnam definitionem animæ per aliam ostendit. Igitur in genere finis verè dici potest, datũ esse præceptum confessionis, vt illa constitueretur medium necessarium ad salutem: nam, vt suprà etiam tetigimus agentes de necessitate huius medij, hoc præceptum non est sicut alia, quæ dantur de actibus, qui per se non habent aliam vim ad causandam salutem, vel remissionem peccati, nisi quòd præcepta sunt; & ideò eatenus tantùm necessarij sunt ad salutem, quatenus sunt necessarij ad desistendum à peccando; non verò quia contineant remedium peccati: præceptum autem de hoc sacramento datum est tanquàm de actu continente in se remedium salutis, & causam remissionis peccati. Vt autem tale remedium esset vnicum & necessarium, sub præceptum positum fuit; & ita ex necessitate medij in genere causæ finalis à priori infertur necessitas præcepti. In hoc verò sensu dici non poterit: quia hoc est medium necessarium, ideò esse præceptum, sed dicendum est, vt hoc esset mediũ necessarium, fuisse præceptum: hæc enim posterior locutio indicat causam finalem; prior verò potiùs formalem, vel efficientem. Sicut non rectè dicitur homo curari: quia est sanus; sed vt sanetur. At verò in genere causæ efficientis, vel formalis videtur hęc probatio à posteriori: nam causa per quam hoc medium constituitur in ratione necessarij, videtur esse præceptum, non quia solum præceptum conferat hoc totum, scilicet rationem medij necessarij; sed quia supposita in tali actu ratione medij, seu causæ sufficiẽtis, præceptum det illi necessitatem: hoc enim videtur conuincere ratio facta.

13

Nisi quis fortasse velit duo distinguere in hoc negotio, scilicet ordinationem, qua Deus voluit præscribere hanc viam confessionis, vt integram satisfactionem, quam nunc à fidelibus requirit de peccatis suis, & præceptum de tali satisfactione exhibenda, ita vt prior sit positiua ex libera Dei voluntate; ex illa verò præceptum necessariò, & quasi naturaliter consequatur, ratione iustitiæ, vt paulò anteà, & suprà etiam de contritione dicebamus. Difficile autem est illam priorem ordinationem à præcepto positiuo separare, vt ibidem dixi: quia, si ex vi illius ordinationis non statuitur, vt nemo possit beneficium remissionis peccatorum consequi sine confessione in re exhibita, non potest intelligi, quòd ex vi illius ordinationis requiratur vt necessaria, etiam post remissionem per contritionem factam, nisi talis ordinatio includat obligationem præcepti: non tantùm consequentis, sed constituentis, & causantis talem necessitatem: hoc enim planè videtur conuincere ratio facta. Neque enim dici potest hoc præceptum esse consequẽs ad illam ordinationem; eo quòd, illa posita, non remittitur peccatum per contritionem, nisi homo obligetur, aut se obliget ad posteà supplendum in tali satisfactione quod tunc deest: quia nec dicendum est, hominem tunc denuò sese obligare promissione sua, nec Deum exigere tunc, aut imponere hanc specialem obligationem: frustrà enim, & sine fundamento hæc dicerentur: ergo dicere oportet illam obligationem relinqui ex generali præcepto confessionis in tali ordinatione incluso, ac necessario, vt efficax sit. Atque hic modus explicandi connexionem harum necessitatum, videtur verior, & sufficiens ad explicandam vim dictorum verborum, & declarandum quomodo præceptum hoc merè positiuum fuerit, pendens ex Christi voluntate.

Obiectioni occurritur.

Huic fundamento, quod potissimum est in hac materia, adiungi potest aliud sumptum ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Quod etiam indicauit Concilium Tridentinum; & colligi potest ex antiquissimis Patribus, qui absolutè dicunt confessionem esse necessariam, non referentes hanc necessitatem ad Ecclesiam, sed ad Christum: quos suprà dicta disput. sufficienter retuli; tamen hîc etiam addere oportet, hanc necessitatem non esse separabilem à præcepto, vt declaratum est. Colligi etiam potest ex historiis, ex quibus habemus quidem perpetuum, & antiquissimum vsum confessionis. De quo legi potest Eusebius libro sexto Historiæ, cap. 25. Cyprianus epistol. 10. 11. 15. & 62. & Dionysius Alexand. apud Eusebium libro sexto, capit. 29. & alia, quæ suprà retulimus agentes de necessitate medij. Non tamen potest ex historiis sufficienter colligi semper hoc fecisse fideles ex obligatione præcepti, multoque minùs inuenietur in illis expressum id fuisse ex obligatione iuris diuini: tamen, cùm res semper fuerit tam ardua, atque difficilis, non est verisimile absque obligatione, & præcepto tam generaliter fuisse susceptam, & obseruatam; imò neque humana auctoritate esse introductam huiusmodi obligationem. Vnde in Concilio Lateranensi sub Innocentio iij. in quo Græci, & Latini Patres conuenerunt, præceptum hoc non fuit de nouo Ecclesiæ impositum, sed solam temporis determinationẽ accepit. Cuius signum est: qui cùm obligatio sit grauissima, & se extendat non solùm ad externos actus, sed etiam ad internas cogitationes confitendas, facilè ab omnibus suscepta est. Denique nullo modo expediebat Ecclesiæ, vt res tãti momenti, tamque necessaria ad hominum salutem, eorum arbitrio relinqueretur: neque etiam expediens fuit hoc præceptum Ecclesiæ committere; tum quia erat de re omninò necessaria ad salutem peccatorum: tum etiam, quia oportebat huiusmodi præceptum omninò fixum, & immutabile permanere.

14 Colligitur ex cõsuetudine Ecclesiæ.

Euseb. Cyprian. Diony.

Conc. Lat.

Vnde

15. An Ecclesia possit hoc præceptum tollere vel mutare.

Vnde obiter expeditæ manent nonnullæ quæstiones, quæ ab aliis Theologis solent tractari, scilicet an possit Ecclesia tollere, aut immutare hoc præceptum, aut in illo dispensare. Dicendum est enim non posse: quia ius diuinum est, in quo non potest Ecclesia dispensare, nedum illud abrogare, vt latiùs traditur in prima secundæ, quæstion. 97. & in hoc conueniunt omnes Theologi in quarta distinction. 17. loquentes de hoc præcepto, quatenus diuinum est: nam de determinatione adiuncta ab Ecclesia, posteà dicemus. Solet verò obiici: quia interdum Papa dispensat in aliquo iure diuino, vt in voto, matrimonio rato, ministro Confirmationis, & similibus. Sed hæc generalia sunt, & ad alias materias spectant; & ideò breuiter dicitur primò, in illis casibus non esse propriè dispensationem in iure diuino: quia in duobus primis tollitur vinculum humana voluntate contractum, & quatenus ibi intercedit aliquo modo humana voluntas, eatenus potuit ibidem habere locum humana dispensatio. In tertio verò casu ipsa diuina institutio ita facta est, vt Confirmationis sacramentum vnum haberet ordinarium ministrum, scilicet Episcopum; alium verò extraordinarium auctoritate summi Pontificis designatum. Secundò dicitur, estò in aliquo raro casu data sit potestas Ecclesiæ dispensandi in aliquo præcepto iuris diuini, vel potiùs interpretandi, non fuisse Christi Domini voluntatem obligare tali præcepto in aliquo euentu: in præsenti tamen præcepto hoc non habere locum: quia est de re simpliciter necessaria ad salutem; & quia nunquam potest expedire huiusmodi dispensatio, neque pro communitate, neque pro aliqua particulari persona. Nam, si per impotentiam excusetur, non indiget dispensatione; si autem confiteri potest, & tempus necessitatis vrget, talis dispensatio non esset in ædificationem, sed in destructionem. Propter quas causas non potest Ecclesia dispensare in præcepto Baptismi; eadem autem est de hoc seu proportionalis ratio.

D. Tho.

Obiect.

Soluitur.

16 An posset Ecclesia ferre hoc præceptum, si nõ præciperetur à Christo.

Inquiri verò solet hoc loco, si hoc præceptum non esset à Christo impositum, an potuisset Ecclesia illud ferre: nonnulli enim Theologi putant esse sufficiens signum huius præcepti diuini, quod de facto in Ecclesia inuenitur: quia Ecclesia per se non potuisset hoc præceptum introducere. Ita sentiunt Scotus dist. 17. quæstion. 1. Durand. quæst. 8. Paludanus quæst. 2. art. 2. Soto d. 18. quæst. 1. art. 1. Cano dicta Relectione part. 5. Nauarrus de Pœnit. d. 5. in principio, nu. 18. & sequentib. Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia non habet immediatum ius in actus merè internos, vt infrà tractando de censuris latiùs dicemus; sed confessio non solùm præcipitur de actibus externis, sed etiam de merè internis: imò, licèt aliquis habeat tantùm hæc peccata merè interiora, præcepto confessionis obligatur: ergo non potuit Ecclesia hoc præceptum imponere quoad substantiam eius. Hæc verò ratio non omninò conuincit, quia materia huius præcepti non est actus interior, sed exterior, scilicet receptio cuiusdam sacramenti à Christo instituti, quod sacramentum in actibus exterioribus consistit; & quanuis requirat aliquem interiorem actum, nempe contritionem, vel attritionem, non excedit Ecclesiæ potestatem, præcipere simul cum exteriori actu interiorem ad illum necessarium. Et eadem ratione non videtur esse supra Ecclesiæ potestatem præcipere confessionem, etiamsi pro materia, circa quam, habeat peccata merè interiora, quia illa non ratione sui, sed ratione alterius exterioris actus pertinent aliquo modo ad tale præceptum. Sicut posset Ecclesia præcipere publica oratione petere à Deo internam iustitiam, seu pœnitentiam fidelium. Itaque ex hoc capite non videtur mihi præceptum hoc excedere potestatem Ecclesiasticam.

Reprobatur.

17 Soto reprobatur.

Sed addit Soto, Ecclesiam non posse præcipere sacramenta, sicut non potest illa instituere, aliàs posset remedia etiam necessaria ad salutem sua auctoritate efficere. Sed hoc argumentum minùs firmum est: quia licèt Ecclesia non possit instituere sacramentum aliquod, tamen postquàm Christus illud instituit, quanuis ipse non præceperit, potest ipsa præcipere illius vsum: quæ est enim in hoc repugnantia; Si enim supponamus, Christum non præcepisse recipere sacramentum Confirmationis, cur non posset Ecclesia illud præcipere, aut ordinare, vt nulli detur Eucharistia, nisi priùs confirmetur? Sicut nunc ordinauit, vt nemini detur prima tonsura, nisi priùs sacramentum Confirmationis acceperit in Cõcilio Trident. sess. 23. c. 4. de Reformat. Item: quia Ecclesia præcipit aliqua sacramentalia, quæ ipsa instituit, cur ergo non potest præcipere sacramentum à Christo institutum? Neque enim propterea sequitur (si formaliter loquamur) Ecclesiam facere aliquid esse remedium necessarium ad salutem, sed solùm facere, vt aliquis actus sit necessarius ad salutem necessitate præcepti, quod in multis aliis actibus facere potest Ecclesia. Quia verò supponimus hunc actum scilicet receptionem talis sacramenti, esse à Christo institutum in remedium peccatorum, consequenter tunc fieret ex vi præcepti Ecclesiæ, vt tale remedium esset necessarium ad salutem non formaliter in ratione medij, sed in ratione præcepti.

Conc. Trid.

18 Vera respõsio ad quæstionem.

Quocirca, supposita institutione huius sacramenti, non video cur repugnet præcipi ab Ecclesia, etiamsi fingamus Christum non imposuisse necessitatem, sed tantùm vtilitatem præbuisse. Quod meliùs senserunt Adrianus q. 2. de Confessione, & Medina C. de Confessione, q. 2. Viguerius in Summa, c. 16. §. 4. vers. 14. & Scotus reuerà non cõtradicit, sed potiùs in hanc partem inclinat. Ratio iuxtà dicta est: quia receptio huius sacramenti non est materia excedens facultatem Ecclesiæ, & alioqui eius vsus est valdè cõueniens Ecclesiæ: ergo non est cur Ecclesia non possit ponere tale præceptum, quod de se est valdè conforme rationi, & conuenienti Ecclesiæ gubernationi. Antecedens patet: quia, si excederet, vel id esset, quia confessio versatur circa actus internos, & hoc non, vt ostensum est; vel quia ordinatur ad internam iustificationem, & remissionem peccatorum, & hoc etiam dici non potest: quia hic etiam est optimus finis, quem Ecclesia potest intendere per actus sibi accommodatos, maximè cùm per potestatem clauium possit ipsa aliquid operari circa actus merè internos, vt facit in vsu huius sacramẽti, & per indulgẽtias, &c. Vel esset, vt quidam aiunt, quia per confessionem aliquo modo homo se infamat: & hoc etiam nullius momenti est: quia talis infamia ferè nulla est, vel propter sigillum, vel quia, si prudens sit confessor, per ipsammet confessionem legitimam quodammodò tollitur. Ac denique, quia, licèt hoc existimetur aliquale detrimentum comparatione fructus quasi nihil est. Vel denique esset propter difficultatem; & hoc quidem licèt ostẽdat, tale præceptum esse arduum, & difficile, non tamen impossibile: quia sæpe Ecclesia præcipit res magis difficiles, si necessariæ sint, vel valdè vtiles, in hoc autem præcepto semper esset magna vtilitas, qua posset difficultas ipsa compensari. Tandem, si hæ rationes, vel similes validæ essent, ferè haberent locum in præcepto annuæ confessionis, ratione cuius sæpiùs obligatur homo ad confessionem, quàm solo iure diuino obligatur. Itaque non ideò præceptum hoc latum est à Christo: quia Ecclesia illud ferre non potuisset per generalem potestatem ab ipso datam: sed

Adrian. Medin. Viguer. Scotus.

quia conuenientius fuit, vt ipse per se daret, propter alias rationes superiùs adductas.

## SECTIO II.

### *Quas personas obliget hoc diuinum præceptum.*

1 Necessariam esse materiã, vt hoc præceptum obliget.

PRIMVM ac per se notum principium huius materiæ est, vt hoc præceptum obliget, supponendam esse in persona materiam huius sacramenti: quia aliàs neque ipsius sacramenti erit capax, nec dum obligationis. Vnde fit, infantes ante vsum rationis non esse capaces huius obligationis, non solùm quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non habent peccatum actuale, quod est materia huius sacramenti, & eadem ratione, si quis esset adultus innocens, vt beata Virgo, non obligaretur hoc præcepto.

Infantes ante vsum rationis non obligari.

2 Infideles nõ baptizatos nõ obligari. Quorũdam sententia. Scot. Adria. Richard. Angel. Syluest. Refellitur.

Secundò, eadem ratione infertur, infideles non baptizatos quantumuis peccatores, nõ obligari hoc præcepto, quanuis multi, & graues Theologi in hoc sine causa lapsi sint, vt Scotus dist. 16. quæstion. 1. artic. 1. qui inde colligit præceptum cõfessionis esse diuinum, quia obligat infideles, in quos Ecclesia non habet potestatem, quæ ratio placuit etiam Adriano dict. q. vlt. de confessione. Et eandem sententiam tenet Richard. distinct. 17. quæst. 4. artic. 2. & Angelus verb. *Confessio*, 2. §. 2. Syluester verb. *Confessio*, 2. §. 5. Quorum fundamentum est, quia præceptum diuinum obligat omnes vt de præcepto Eucharistiæ, quod infideles etiam obligat. Sed, vt dixi, contraria sententia tam euidenter sequitur ex principio posita, vt hæc mihi improbabilis videatur, quia peccata commissa ante Baptismum non sunt materia huius sacramenti, vt suprà probaui, ergo infidelis non solùm non tenetur, sed neque potest illa sacramentaliter confiteri, neque ante, neque post Baptismum susceptum: ergo non obligantur infideles hoc præcepto: quia non possunt obligari ad confitenda illa peccata, quæ committũt post Baptismum susceptum, quæ fortè non erunt. Confirmatur, & explicatur: quia confessio non est his infidelibus necessaria ad salutem: ergo. Patet consequentia: quia confessio non præcipitur iure diuino, nisi quatenus est necessaria. Antecedens verò patet: quia, si isti infideles baptizentur, & posteà nullum peccatum mortale committant, saluabuntur sine confessione, vnde hoc sacramentum dicitur secunda tabula post naufragium: quia illis solis est necessarium, qui post Baptismum mortaliter peccauerunt. Vnde etiam fit, si infidelis ante Baptismum per contritionem iustificetur, illam contritionem non includere votum confessionis: sed Baptismi: quia solus Baptismus est necessarius ex vi talis status: per illum enim plenè delentur omnia peccata antè commissa sine vllo ordine ad confessionem: ergo euidens est, hos infideles non obligari præcepto confessionis. Quam sententiam bene docuit Soto distinct. 18. quæstion. 1. art. 2. Medin. tract. 2. quæst. 7. Maior distinct. 17. quæst. 1. Almain. quæstion. 1. artic. 2. Neque obstat fundamentum contrariæ sententiæ, præcepta enim diuina obligant omnes, qui sunt capaces talis obligationis, vel in quibus est materia circa quam versatur præceptum, aliàs hoc præceptum etiam obligaret innocentes, quod est apertè falsum.

Soto. Medin. Maior. Almain.

Destruitur fundamentũ cõtrariæ sẽtentiæ.

3 Differentia inter præceptũ Eucharistiæ & pœnitentiæ.

Vnde colligitur aperta differẽtia inter præceptum Eucharistiæ, & confessionis; quanuis Soto eodem modo de vtroque loquatur, & neget præceptum Eucharistiæ obligare infideles, qui nondum per Baptismum religionem Christianam professi sunt, sicut præcepta (inquit) alicuius religionis non obligant aliquem, donec illam religionem sit professus, etiamsi priùs habeat votum, seu obligationem ingrediendi talem religionem. Et confirmari potest: quia ante Baptismum non est aliquis capax Eucharistiæ: ergo neque obligationis suscipiendi illam. Nihilominus hæc sententia mihi non admodùm probatur, sed non est huius loci examinare illam, sed solùm explicare apertam differentiam inter Eucharistiã, & confessionem, scilicet, quod infidelis est capax obligationis præcepti Eucharistiæ, non verò confessionis. Patet: quia ex parte subiecti non requiritur materia peccati ad præceptum Eucharistiæ: nam illud per se, & propter se obligat hominem, etiamsi nullum peccatum habeat & ideò ex hac parte non repugnat, quòd obliget infideles, aliàs verò iurisdictio Christi ferentis tale præceptum ad omnes se extendit: in quo differt hoc præceptum à particularibus præceptis humanis alicuius religionis, & ideò exemplum illud non est ad rem. Verba etiam Christi, quibus hoc dedit præceptum, generalia sunt, & ad omnes, etiam infideles, dicta, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Ac denique, quanuis ante Baptismum non possit infidelis recipere Eucharistiam, tamen recepto Baptismo tenetur illam suspicere, etiamsi vltrà non peccet, & ideò etiam ante Baptismum obligari potuit ad ipsum Baptismum suscipiendum propter Eucharistiam; ita vt duplici ratione ad Baptismum obligetur, scilicet & per se, & propter aliud, & ita potuit rectè vtroque præcepto obligari. At verò præceptum confessionis non per se, & absolutè obligat, sed supposita materia necessaria talis sacramenti, hæc autem esse non potest in infideli antequàm baptizetur, & ideò non est capax talis obligationis.

Sotus reiicitur.

4 Hoc præceptũ obligare eos qui post Baptismum mortaliter peccarunt.

Tertiò, ex dictis colligitur, hoc præceptum obligare omnes illas personas, quæ post Baptismum mortaliter peccauerunt, etiam hæreticos, Apostatas, &c. & pueros cuiùscunque ætatis, dummodò capaces sint peccati mortalis, ad quod, vt suprà dixi, non potest certa ætas designari, sed viri prudentis iudicio opus est. Tota hæc conclusio est certa absque controuersia inter Theologos, & colligitur apertè ex Concilio Tridentin. suprà. Et ratio est: quia mortale peccatum post Baptismum commissum est materia necessaria huius sacramenti, vt suprà ostendi. Item ipsum sacramentum est medium necessarium ad tollendum tale peccatum, vt suprà etiam probatum est: quia iam tale peccatum nõ potest tolli per Baptismum. Intelligendum autem est hoc de peccato mortali, quod nunquàm fuit directè subiectum clauibus: nam, si semel ritè subiiciatur, illud, per se loquendo, sufficit, neque ex vi iuris diuini, de quo agimus, obligabitur aliquis ad confitendum, nisi iterum mortaliter peccet.

5 Non obligari qui venialia commisit.

Quartò addendum est, solas illas personas obligari hoc præcepto, quæ post Baptismum mortaliter peccauerunt: itaque, qui sola venialia committit, nõ obligatur. Quæ est etiam communis sententia Theologorum. Et ratio constat ex suprà tractatis: quia venialia non sunt materia necessaria, & hoc præceptum non obligat, nisi eum, qui talem materiam habet: quia hoc sacramentum non est medium necessarium ad illa peccata tollenda, quæ omnia suprà demonstraui, & ex communi vsu, & cõsensu totius Ecclesiæ constant: & non obscurè indicantur in Trident. sess. 14. c. 5. & canon. 7. Occurrebat verò hoc loco dubium, an, qui habet dubiam conscientiam peccati mortalis, obligetur hoc præcepto diuino. Sed hoc dubium expediendum est ex principiis positis disputatione de Integritate, vbi tractaui, an necessarium sit ad integritatem confessionis, confiteri dubium peccati mortalis: eo enim modo, quo quis obligatur ad confitendum hoc dubium

Trident.

dubium propter integritatem, obligabitur etiam ad confitendum tale dubium, etiamsi nullum aliud peccatum mortale habeat: est enim eadē ratio, illa enim materia, quæ est necessaria est pars cōfessionis, si cum alia coniuncta sit, erit etiam per se necessaria, si sola adsit; quocirca præter ibi dicta, nihil hîc occurrit addendum.

## SECTIO III.

### *Quo tempore obliget hoc præceptum præcisè, vt diuinum est.*

1 DISTINGVENDVS est, vt sæpe tractaui, duplex modus, quo potest homo obligari ad actum, qui sub aliquod præceptum affirmatiuum cadit. Primus est per se ex vi talis præcepti in propria natura, & virtute considerati. Secundus est per accidens, seu propter aliud, seu ratione alterius virtutis. Dicam priùs de priori modo; deinde de secundo.

2 Prima assertio. Neminem obligari statim post peccatum confiteri. Guillel. Reiner. Alens. Bonau.

Primum ergo statuamus vt certum, non teneri hominem, qui mortaliter peccat, statim confiteri peccatum, etiamsi commodissimè possit. Quanquam contrarium docuerunt Guillelmus Paris. libr. de Sacramentis, tit. de Pœnitentia, & refertur Reinerius 1. part. Summ. verb. *Confessio*, cap. 5. tenet Angelus verb. *Confessio*, 1. nu. 3. & Alensis 4. part. q. 77. membr. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 17. art. 4. qu. 2. qui maximè religiosis imponit hanc obligationem: quia habēt semper optimam opportunitatem statim confitendi. Referuntur etiam pro hac sententia graues Doctores Canonistæ à Couarruuia in c. *Alma mater*, p. 1. §. 1. n. 6. Sed nihilominùs hæc sententia neque est vera, neque, vt ego existimo, admodùm probabilis, & ideò omnes alij Theologi illi contradicunt, quos statim referam. Quia tanta obligatio imponenda non est, sine sufficienti, & manifesto fundaméto; hæc verò sententia nullum habet. Præsertim, quia natura præcepti affirmatiui non est statim obligare, sed determinatis, seu necessariis temporibus. Ostendimus etiam suprà non obligari hominem statim ad contritionem: multò ergo minùs ad confessionem. Denique, cùm Ecclesia determinauerit tempus annuæ confessionis, satis certè indicauit, non esse de iure diuino statim confiteri.

3 Secunda assertio. Saltē in articulo mortis obligari.

Secūdò certum est, saltem in articulo mortis obligare hoc præceptum, si antè impletum non sit. Conueniunt omnes Theologi, & est euidens ex dictis, tum quia hoc præceptum affirmatiuum obligare debet saltem in extremo periculo, seu potiùs articulo necessitatis, qualis maximè est articulus mortis: tum etiam, quia hoc præceptum impleri debet in hac vita: ergo ante mortem: ergo, vt minimùm, in articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, & quo modo eadem ratio sit de periculo mortis, suprà dictum est. Et hinc infertur, si quis habeat copiam confessoris, & sit in eo statu, in quo, si nunc non confiteatur probabiliter timeat fore, vt ante mortem non possit habere copiam confessoris, vt accidere potest in India, vel aliqua captiuitate, in tali casu teneri ad confitendum statim, etiamsi extra articulum mortis sit. Quem casum ponunt omnes Doctores statim citandi: D. Thomas, Paludanus, Adrianus qu. 3. de Confessione, & in re ipsa, ac moraliter loquendo, non est diuersus à periculo mortis: ideò enim tunc tenetur præuenire: quia aliàs exponitur periculo moriendi sine confessione, vt in simili dicemus latiùs disput. sequ. Hîc verò tractari consequenter posset, qua ratione, aut modo excusari posset homo ab hac obligatione in eo articulo. Sed commodiùs hoc dicam disput. sequenti.

D. Tho. Palud. Adrian.

4 Vnde teneantur medici admonere infirmos vt cōfiteantur. Pius V.

Vnum verò hîc obiter obseruandum est, occasione huius obligationis confitendi in articulo mortis, iure positiuo præceptum esse medicis, vt cùm vocantur ad curandos ægrotos, priusquàm curationem corporis incipiant, eos moneant ad confessionem faciēdam. Ita habetur in cap. *Cum infirmitas*, de Pœnitent. & remiss. Et quoniam hæc lex consuetudine abrogata erat, ideò Pius V. motu proprio anno 1566. qui incipit, *Super gregem*, illam renouauit addendo, ne medici vltra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet, per fidem confessoris, in scriptis datam. Addit etiam, vt ante gradum Doctoratus exigatur ab illis iuramentum hanc consuetudinem seruandi, quod ita fit. In qua lege primò notandum est, de qua infirmitate sit intelligenda: nam Syluester verbo *Medicus*, quæst. 3. dicit, non tantùm in morbis periculosis, sed absolutè in omni ægritudine esse seruandam: quod cum Archidiacono colligit ex ratione legis, scilicet, ne infirmi, cum de confessione facienda admonentur, existiment se iam esse in periculo, & tristitia afficiantur. Propter quam rationem videtur lex voluisse, vt absolutè in omni morbo talis admonitio fieret. Nihilominus Nauarrus capit. 25. numer. 61. sequens Angelum, & Summam Rosel. quos citat, dicit hanc legem solùm obligare in morbo periculoso, debere tamen seruari statim in principio morbi non expectato periculo, & hoc modo satisfieri intentioni legis: nam in leuioribus morbis ridiculū videri potest statim monere ad confessionem. Caietanus verò in Summa verb. *Medicus*, media quadam via incedit: quia, si morbus (inquit) talis est, ob quem meritò decumbit ægrotus, obligat lex, non verò in aliis. Et hæc sententia benè explicata videtur satis consona intentioni legis, & ferè nihil differre à præcedente. Itaque existimo obligare hanc legem in morbo graui, vel qui prudenter iudicatur à medico in principio periculum morale esse, ne graue fiat: tunc enim optimè procedit ratio legis, & quasi ex natura rei videtur hoc requiri, vt ratio facta probat.

De qua infirmitate intelligēdum sit. Sylu. Sylu. reiicitur.

5 Satisfacere medicum ad mouendo, infirmum.

Secundò est notandum, hoc Auctores docere, satisfacere medicum huic obligationi admonendo, & inducendo infirmum, non tamen teneri illum deserere, si confiteri nolit: quia hoc videtur repugnare charitati, quod quidem iuxta antiquum ius non habet difficultatem. Tamen Pius V. videtur ampliùs præcipere, & hanc imponere veluti iustam pœnam ei, qui in illo articulo confiteri non vult. Quia tamen videtur hæc lex sic exposita valdè rigida (hoc enim modo constituitur proximus in graui periculo corporis, & animæ) ideò videtur lenienda: nam, si non immineat probabile periculum, potest & fortè debet medicus abstinere à curatione eius, si nolit hanc legem obseruare, si tamen probabile mortis periculum sit, si illum deserat, & tamen æger pertinax sit, non credo teneri, nec debere medicum illum deserere: quia non credo hanc fuisse mentem Papæ, neque legem cum hoc rigore receptam esse. Tertiò addit Caietan. & alij, satisfacere medicum, si admoneat infirmum, vel per se, vel per eos, qui eius curam gerunt, si sint fide digni, & timorati: & hāc credo esse communem consuetudinem, iuxta quam iam non seruatur, vt medicus exigat fidem confessoris in scriptis. Vnde iuxta hanc consuetudinem erit interpretandum iuramentum seruandi hanc legem, scilicet prout vsu recepta est, & obligat: cùm enim hæc lex positiua sit, non est dubium (quidquid Angelus dicat) quin in totum, vel in partem potuerit consuetudine abrogari, vt Caiet. & alij dicunt.

An

*An obliget hoc præceptum extra articulum mortis.*

NVNC supereſt difficultas, an extra hunc arti-
culum mortis hoc præceptum diuinum confeſ-
6 ſionis per ſe, & vi ſua obliget: graues enim Theolo-
D. Tho. gi negant, D. Thom. diſtinct. 17. quæſtion. 3. artic. 1.
quæſtiunc. 4. docet, non eſſe peccatum mortale dif-
ferre confeſſionem vſque ad mortem, niſi cauſa dila-
Scot. tionis aliunde malitiam mortalem inuoluat. Scotus
Durand. idem ſentit d. 17. art. 3. circa finem, & Durandus q. 10.
Gabr. nũ. 3. Gabriel artic. 3. dub. 1. Richard. artic. 3. quæſt. 6.
Richard. Paludanus quæſt. 2. artic. 5. Fundamentum ſolum eſt:
Palud. quia præceptum affirmatiuum non obligat niſi in ar-
ticulo neceſſitatis: at verò, per ſe loquendo, ante mor-
tem nullus eſt articulus neceſſitatis confeſsionis fa- B
ciendæ. Hæc verò ſententia diſplicet recentioribus
Sot. diſcipulis S. Thomæ, vt Soto d. 18. quæſt. 1. art. 5. Cano
Cano. dicta Relect. Victoriæ in Summa, num. 132. quos ſe-
Victoria. quitur Couarruuias in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 1. n.
Couar. 6. Et idem tenuit Medina Cod. de Cõfeſsione. q. Quo
Medin. tempore confiteri oportet, & Marſilius in 4. quæſt.
Marſil. 12. artic. 2. dub. 4. concl. 3. Ex quibus hæc regula colli-
gitur, Quandocunque eſt periculum morale traden-
di obliuioni peccata priuſquàm aliquis ea confitea-
tur, teneri hominem ſtatim confiteri. Vnde, quia mo-
raliter eſſet impoſsibile integrè confiteri omnia pec-
cata, ſi confeſsio in articulum mortis differretur, in-
de fit, vt hæc obligatio ſæpiùs anteà vrgeat: & ille
C etiam dici poteſt articulus neceſsitatis, non propter
mortem inſtãtem, ſed propter periculum obliuionis,
atque adeò propter neceſsitatem integrè confitendi.

7 Sed hæc ſententia difficultatem patitur in ſequen-
Reprobatur. ti diſputatione latiùs tractandã: ſequitur enim ex illa,
non poſſe nunc fidelem per annum integrum differre
confeſsionem, regulariter, ac moraliter loquendo:
quia vix eſt aliquis eorum, qui ſemel tantùm in anno
confitendo poſsit omnium peccatorum recordari. Si
autem illa obligatio eſt iuris diuini, non poterit Ec-
cleſia per ſuam determinationem illam auferre. E
contrario verò ſequitur, ſi quis ſcribendo peccata, vel
alio modo diligentiam faciat, nę peccata memoria
excidant, poſſe differre confeſsionem toto tempore,
D quo voluerit vſque ad articulum mortis, ſecluſo iure
poſitiuo; quod tamẽ eſt contra ſententiam dictorum
Auctorum, & contra rationem huius præcepti, quod
per ſe non obligat ad retinenda in memoria peccata,
ſed ad confitenda omnia, quæ memoriæ occurrunt,
facta morali, & ordinaria diligentia.

8 Tertia ſententia duo dicit. Primum eſt, hoc præ-
Tertia ſen- ceptum tale eſſe, vt obligare debeat antè articulum
tentia. mortis, quod ex natura huius ſacramenti ſatis colligi
Hoc præce- poteſt. Primò quidem, quia hoc ſacramentum non
ptum obli- eſt inſtitutum, vt vltimò diſponat hominem iam
gare ante tranſiturum ex hac vita, hic enim potiùs eſt finis Ex-
articulum tremæ vnctionis; ſed ad curandos ſpirituales mor-
mortis. bos, & præueniendum ne homo in ſimiles incidat:
contra rationem ergo huius ſacramenti eſt, vt in fi-
E nem vitæ reſeruetur. Eſt ergo incredibile tantùm vr-
gere hoc præceptum in articulo mortis. Quod opti-
mè confirmatur exemplo de præcepto Euchariſtiæ:
nam, quia illud ſacramentum non eſt tantùm viati-
cum, ſed præcipuè eſt ſpirituale alimentum, ideò præ-
ceptum de illo ſumendo non tantùm obligat in ar-
ticulo mortis, ſed ſæpe aliàs. Ac denique: quia hoc ſa-
cramentum eſt determinatio quædam pœnitentiæ, &
modi, quo ſatisfaciendum eſt Deo pro peccatis; &
ideò ſicut præceptum pœnitentiæ, & ſatisfactio-
nis diuinæ de ſe non obligat tantùm in articulo
mortis, vt ſæpe dictum eſt, ita neque hoc præ-
ceptum.

A Addit verò hæc ſententia, hoc tempus, pro quo
9 obligat tale præceptum ante articulum mortis, per
Tẽpus quo Eccleſiam eſſe determinandum, ad quod relicta eſt
obligat de- illi poteſtas à Chriſtõ: nam ſicut poteſtatem habet
terminandũ iudicandi de peccatis, ita & definiendi tempus, in
eſſe ab Ec- quo fieri debet tale iudicium. Dices, quid ſi Eccleſia
cleſia. non determinaſſet hoc tempus, in hoc enim pun-
Obiectio ctum difficultatis eſt. Reſpondent, fieri non poſſe,
ſoluitur. vt Eccleſia hoc non determinet: eſſet enim intole-
rabilis error, & in magnum animarum detrimentum;
& ideò non permittet illum Deus. Vnde hactenus
ſemper viſum eſt factam eſſe ab Eccleſia hanc deter-
minationem. Quòd ſi per impoſſibile non determi-
naſſet Eccleſia tempus: reſpondent, tunc nullum
poſſe deſignari tempus vſque ad articulum mortis:
B quia nullus eſt modus faciendi hanc determinatio-
nem. Quæ ſententia eſt probabilis, & ad illam fa-
cilè accommodari poteſt antiquorum ſententia ſu-
prà citata, & mihi, ſimpliciter loquendo, placet:
quia, vt ſuprà dixi, agendo de præcepto contritio-
nis, ſi in præcepto Pœnitentiæ ſpectemus rationem
iuſtitiæ iſt ordine ad diuinam ſatisfactionem, non
obligat niſi in extrema neceſſitate; hoc autem præ-
ceptum per ſe ſumptum, eſt quædam determinatio
præcepti Pœnitentiæ: vnde ex hoc capite non deter-
minat plura tempora neceſſitatis, pro quibus obli-
get. Aliunde verò præceptum dilectionis Dei quo-
libet tempore huius vitæ impleri poteſt ſine reali
ſuſceptione huius ſacramenti, & ideò ex vi illius non
C videtur etiam poſſe determinari aliud tempus huius
obligationis. Neque etiam ex ſola obligatione pro-
priæ charitatis, propter rationes ibidem factas: er-
go, ſecluſa determinatione Eccleſiæ, & omni ra-
tione extrinſeca, nullum aliud tempus poteſt certa
aliqua ratione deſignari. Neque hoc eſt inconue-
niens: tum quia propter hanc cauſam hæc poteſtas,
& cura eſt Eccleſiæ commiſſa: tum etiam, quia ſuf-
ficit quòd propter alios fines, præſertim propter
vſum Euchariſtiæ, ſæpiùs hæc neceſſitas poſſit oc-
currere: nam de vſu illius ſacramenti, quia non
eſt per ſe primò propter remotionem mali, ſed pro-
pter nutritionem charitatis, aliter fortè ſentiendum
D eſt, vt in ſuperiori tomo latiùs declaraui.

*De obligatione per accidens.*

CIRCA aliam partem de obligatione per ac-
10 cidens, duo tempora occurrunt breuiter notan-
Quando cõ- da. Primum eſt, quando confeſſio cenſetur me-
feſſio ſit me- dium moraliter neceſſarium ad ſuperandam tenta-
dium neceſ- tionem aliquam, ſeu peccandi occaſionem. Quem
ſariũ ad ſu- caſum attigit Caietanus in Summa, verb. *Sacramen-*
perandam *talis confeſſio*, & Petrus Soto lect. 5. de Confeſſione, &
tentationẽ. vix audent aliquid circa illud definire. Obſeruandum
Caiet. verò eſt, duobus modis hoc poſſe accidere, primò, in
Petr. Sot. E ordine ad determinatam ſpeciem peccati, vt homici-
dij, odij, &c. & ſic, poſita hypotheſi, quòd reuerà con-
feſſio exiſtimetur hîc, & nunc in hac perſona, & cum
iis circunſtantiis medium neceſſarium ad vincendum
tale peccatum; certum eſt, obligari tunc hominem ad
talem confeſſionem: quia qui obligatur ad finem,
obligatur etiam ad media neceſſaria ad talem finem,
Vnde, ſi ieiunium, vel oratio exiſtimarentur medium
neceſſarium, ſub obligationem caderent: ergo & con-
feſſio. Tunc autem illa obligatio non oriretur ex præ-
cepto confeſſionis; ſed ex illo eodem præcepto, ex
quo tenetur homo ad vitandum tale peccatum: quia
illudmet obligat ad media neceſſaria; vnde, ſi in tali
caſu homo confeſſionem omittat, non peccat contra

præceptum

præceptum diuinum confessionis, sed contra illud aliud de non occidendo, &c. vt aliàs sæpe dictum est in similibus.

11 Secundò potest hoc intelligi in ordine ad peccatum in communi, vt verbi gratia, cùm aliquis, si confessionem multo tempore differat, licèt determinatè non timeat ne adulteretur, vel occidat hominem, vel quid simile; timet tamen, & moraliter certus est sæpiùs se peccaturum mortaliter in hoc, vel illo genere peccati, cùm tamen, si frequentius confiteretur, moraliter sperat posse se omnia, vel multa peccata vitare: videtur ergo tunc saltem lex charitatis diuinæ obligare ad vtendum tali medio propter vitandum peccatum, imò ipsa lex virtutis Pœnitentiæ videtur talem obligationem inducere: quia est quædam lex iustitiæ ad Deum, & lex iustitiæ obligat ad vitandam iniuriam, & consequenter ad vtendum medio existimato ad hunc finem necessario. Quod argumentum fateor esse difficile, sed tamen Auctores non imponunt hominibus hanc obligationem, nec ego etiam impono: quia esset res valdè onerosa, & scrupulosa: vix enim possent homines, qui per annum integrum confessionem differunt, à nouo peccato propter talem dilationem excusari: quia vix vllus est, qui moraliter possit vitare per totum annum omnia peccata mortalia, omittendo hoc sacramentum. Ratio verò reddi potest: quia, quando in communi loquimur, nulla censetur moralis occasio, vel periculum morale alicuius peccati, & ideò non censetur tunc confessio ita medium necessarium, vt illius sit specialis obligatio: secus verò est, quando de speciali peccato loquimur: quia tunc semper censetur homo potiùs in occasione, seu morali periculo peccandi. Addo verò, etiam si prior casus, ex hypothesi facta, verus sit, ipsam tamen hypothesim, moraliter loquendo, raro posse accidere: quia vix potest cogitari occasio, in qua non possit superari tentatio, aut vitari nouum peccatum, nisi per medium confessionis, vt ostendunt quæ in simili suprà diximus de cõtritione, quanquàm negari non possit, quin frequenter hoc sit optimum, & vtilissimum medium.

12 Obligare hoc præceptum quãdo sumenda est Eucharistia. Trident.

Aliud tempus huius obligationis etiam ab extrinseco fine prouenies, tunc occurrit, quando homo susceperturus est Eucharistiam: nam, si conscientiã peccati mortalis habet, tenetur iure diuino confessionem præmittere, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 13. quam superiori tomo in proprio loco latè tractaui simul cum alia speciali obligatione, quam Concilium sacerdotibus imponit. Vnum autem breue dubium videtur proprium huius loci, scilicet, an hæc obligatio confessionis sit propriè per accidens, vel per se respectu præcepti confessionis, & consequenter, an qui sumit Eucharistiam non præmissa confessione committat duo peccata, alterum omissionis ex carentia confessionis, alterum commissionis propter indignam sumptionem Eucharistiæ. Cano enim in dicta relect. part. 4. existimat hæc esse duo peccata, vbi specialiter de contritione tractat: est autem apparentior ratio de confessione: quia obligatio præmittendi confessionem non oritur veluti ex sola natura rei propter dignitatem talis sacramenti, sed oritur ex speciali præcepto Christi: ergo erit specialis obligatio, & speciale peccatum. Respondetur tamen, hanc esse obligationem pertinentem ad dignam Eucharistiæ sumptionem, atque ita respectu præcepti confessionis esse obligationem per accidens, ac denique in dicto casu tantùm committi vnum peccatum indignæ sumptionis. Ita docet Soto d. 17. & 18. q. 1. art. 4. & Cano, qui in hoc non sibi constat in eadem relect. part. 5. in quadam solutione ad 4. Et ratio est, quia tali præcepto nõ per se; & absolutè præcipitur confessio, sed solùm vt dispositio, si sumenda sit Eucharistia: tota ergo illa obligatio est propter Eucharistiã, & confessio non præcipitur, nisi vt circunstantia Eucharistiæ, & ideò illud tantùm est vnum peccatum, sicut in vniuersum facere actum sine debitis circunstantiis vnum peccatum est, per se loquendo, vt orare sine attentione, & in præsenti materia sumere Eucharistiam post sumptionem alicuius cibi est vnum peccatum, quanuis speciali præcepto Ecclesiastico teneamur ieiuni accedere ad Eucharistiam: omnia enim hæc præcepta ordinantur ad vnum actum virtutis perfectè constituendum, & ideò vnum peccatum est talem actum sine debitis circunstantiis facere.

An hęc obligatio sit per se, an per accidens respectu confessionis. Cano.

Respõdetur quæstioni.

Sot. Cano.

13 An sit hæc obligatio in aliis sacramentis. Marsil. Palud. Adrian. Vera sentẽtia. Sylvest. Angel. Victoria. Petr. Sot.

Vltimò tandem quæri potest, an hæc obligatio per accidens confitendi habeat locum in aliis sacramentis, de qua re egimus satis in materia de sacramentis in genere. Quanquàm ergo nonnulli Theologi id affirmare voluerint, vt Marsil. in 4. qu. 12. art. 1. in fin. & Palud. d. 17. q. 2. Adrian. qu. 3. de Confessione. Tamen certa sententia est, nullum esse tale præceptum, neque talem obligationem, vt reliqui Theologi docent in 4. dist. 1. & dist. 17. & Sylvester verb. *Confessio*, 1. §. 2. Angel. n. 31. Victoria in Sũma, n. 135. Petrus Soto lect. 5. de Confessione. Et ratio est, quia tale præceptum, neque ex sola natura rei colligi potest: quia sufficiens dispositio potest esse contritio, neque ostendi potest speciale præceptum positiuum circa hoc impositum quia nec scriptum est, nec traditione habetur. Quin potiùs in Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij, satis indicatur, hoc non esse simpliciter necessarium, quanuis consulendum sit: D. Thomas verò quodlib. 1. art. 11. excipit sacramentum Ordinis, & cum illo Nauarrus cap. 2. nu. 9. sed id non est propter ipsum Sacramentum Ordinis præcisè, sed propter Eucharistiam, quam simul accipere solent, qui ordinantur. Obiici verò potest Leo Papa epistola 69. dicens, fideles ad communionem sacramentorum recipiendos esse per ianuam reconciliationis: quo nomine hoc sacramẽtum significat. Tamen Leo ibi non loquitur de omnibus sacramentis, sed de Eucharistia, vt ex contextu constat, & ex voce, *Communionem sacramentorum*: nam per antonomasiam, & vox communionis, & vox sacramenti, Eucharistia dici solet, & propter duplicem eius speciem sæpe solet in plurali, *sacramenta* vocari, vt constat ex multis Collectis, seu orationibus Ecclesiæ; & in propria materia latiùs dictum est.

Trident. D. Tho. Nauarr. Obiectio. Soluitur.

## SECTIO IIII.

### *Per quam confessionem impleatur hoc diuinum præceptum.*

1 TRIPLEX potest esse, vel cogitari confessio, scilicet nulla, & valida informis, & valida formata per gratiam. De duabus extremis facilis est resolutio; de media verò nonnulla dubitatio. Primò ergo certum est, quacunque ratione contingat confessionem esse nullam, id est, ex ea non confici validum sacramentum, non impleri hoc præceptum diuinum. Probatur: quia tunc non solùm finis præcepti non obtinetur, verùm etiam neque actus præceptus perficitur: obligamur enim ex vi huius præcepti ad recipiendum hoc sacramentum, tunc autem non recipitur. Vnde intelligitur, non solùm hoc procedere quando confessio est nulla ex culpa, vel defectù ipsius pœnitentis, scilicet: quia vel peccatum tacuit, vel sine vllo dolore confessus est: in quibus casibus res est manifesta, sed etiam procedere, quando ex parte

Per confessionẽ nullã non impleri hoc præceptum.

parte sacerdotis sacramentum non perficitur iure, vel iniuria: nam, licèt in eo casu excusari possit pœnitens à transgressione huius præcepti pro eo tempore: nihilominùs in re ipsa non implet præceptum, & ideò tenetur, vel perfectionem illius sacramenti procurare, si fieri potest, vel, si non potest, iterum eadem peccata confiteri, vt in disputatione de integritate latiùs dictum est. Secundò est certum, per confessionem validam, formatam non solùm sacramentali forma, sed etiam effectu eius, id est, sacramentali gratia, impleri hoc præceptum: quia & actus præceptus perficitur, & finis præcepti comparatur; quid ergo aliud desiderari potest?

Per confessionem validè impleri.

A

Difficultas verò est, an per confessionem validam, & perfectam per veram absolutionis formam, informem tamen quoad effectum gratiæ sacramentalis, impleatur hoc præceptum. Quæ difficultas supponit posse dari huiusmodi confessionem; nam, si dari non potest, vt aliqui volunt, cessat quæstio. Tamen ex illa hypothesi est prima sententia negans, per talem confessionem impleri hoc præceptum. Citatur Medin. Cod. de Confessione, quæstio. De confessione ficta iteranda: ibi tamen loquitur potiùs ex contraria suppositione: affirmat enim hoc præceptum non impleri nisi per confessionem formatam: quia putat nullam aliam esse validam: vnde potiùs in quæstione de Confess. iteranda ob defectum confitentis, sentit oppositum. Magis potest illa sententia sumi ex Adriano qu. 5. de Confess. dub. 4. vbi habet aliud generale principium, præceptum diuinum non impleri per actum non rectè factum, seu non honestum; confessio autem informis, nec rectè, nec honestè fit: ergo per illam non implebitur diuinum præceptum. Imò vlteriùs infertur, quacunque ratione aliquis actu peccet in ipsa confessione etiam venialiter tantùm, non implere hoc præceptum. Veruntamen fundamentum illud ab omnibus Auctoribus meritò reiicitur: nam, licèt per actum peccaminosum non impleantur exactè omnia diuina præcepta: nam aliquod saltem violatur, ratione cuius ille actus est peccaminosus: nihilominùs tamen aliquod præceptum diuinum impleri potest per talem actum, quantùm ad substantiam eius, vt v. g. qui dat panem esurienti propter vanam gloriam, violat quidem præceptum humilitatis, vel magnanimitatis; implet tamen præceptum eleemosynæ. Sic ergo in præsenti, etiamsi contingat, ex defectu rectæ intentionis, vel alia simili circunstantia peccari venialiter per confessionem ipsam, si tamen illa confessio valida sit, illud non obstabit quominùs hoc præceptum diuinum impleatur, præsertim cùm talis confessio non solùm valida, sed formata per gratiam esse possit: quia, vt alibi ostendi, peccatum veniale per se non impedit hunc effectum sacramentalem. Hoc tamen non contingit quando in ipsa confessione mortaliter peccatur: quia tunc fieri non potest, vt talis confessio sit valida, nedum formata, vt ostensum est, cùm de partibus huius sacramenti ageremus. Addo præterea, aliquando posse confessionem validam esse informem absque actuali culpa etiam veniali, vt suppono: etiam ex suprà dictis de attritione necessaria in hoc sacramẽto: ergo ex illo principio non potest concludi, per talem confessionem non impleri hoc præceptum.

2 Difficultas.

Prima sententia.

Medin.

Adrian.

B

C

D

E

Est igitur secunda sententia affirmans, per illam confessionem impleri hoc præceptum. Ita sumitur ex Durando in 4. d. 17. q. 14. Soto d. 18. q. 3. art. 3. Ledesm. in 4. 2. part. q. 8. art. 2. dub. 12. Petro Soto lect. octaua de Confessione. Fundamentum est, quia per talem confessionem impletur actus præceptus per hanc legem quoad substantiam eius: quia verum sacramentum Pœnitentiæ recipitur, & hoc est quod præcipitur. Quod autem finis præcepti non obtineatur, non obstat: quia finis præcepti non cadit sub præceptum. Neque etiam refert, quòd talis actus careat formatione gratiæ, quia illa solùm est quidam modus actus, qui per se loquendo, non cadit sub præcepto. Atque hæc sententia simpliciter loquendo semper mihi placuit.

3 Secũda sententia. Durand. Soto. Ledesm. Bet. Soto.

Vt verò ampliùs explicetur, obiici potest contra illam ex dictis suprà de præcepto Pœnitentiæ virtutis: ibi enim ostẽdimus, præceptum illum non impleri, nisi per talem actum Pœnitentiæ, qui gratia formetur; sed hoc præceptum confessionis est quædam determinatio illius generalis præcepti Pœnitentiæ, vt etiam in superioribus vidimus: ergo non potest hoc præceptum impleri nisi per confessionem formatam. Patet consequentia: quia, quando vnum præceptum est determinatio alterius, includit substantiam illius, & addit aliquam circunstantiam; ideóque impleri non potest præceptum determinans aliud, nisi per actum sufficientem ad implendum præceptum, quod determinatur, vt præceptum, v. g. de soluendis decimis est determinatio naturalis præcepti obligans ad alendum ministrum laborantem, & ideò fieri non potest, vt illud præceptum impleatur, quin huic satisfiat. Et eadem ratione dicemus infrà, præceptum annuæ confessionis impleri non posse, nisi per actum sufficientem ad implendum hoc diuinum præceptum, cuius determinatio est præceptum confessionis annuæ.

4 Obiectio.

Hanc difficultatem aliis modis soluunt, qui existimant dari posse confessionem validam & informem ex defectu culpabili integritatis, vel doloris, aut ex carentia omnis veræ attritionis. Ego verò suppono nullam esse confessionem validam, nisi quæ fit absque actuali culpa mortali, & ex aliqua vera supernaturali attritione: vnde etiam suppono, nullam confessionem validam esse informem, nisi quæ ex naturali obliuione, & inaduertentia non est integra, nec quoad externam confessionem, nec quoad internam attritionem: hoc ergo suppositio, loqui possumus de impletione huius præcepti, vel respectu eorum peccatorum, quæ quis confitetur, vel respectu omnium, quæ habet. Priori modo dico sufficiẽter impleri hoc præceptum per illam confessionem. Patet: quia nemo tenetur ampliùs illa peccata conteri, vt suprà ostensum est. Item quia respectu illorum peccatorum sufficienter est dispositus ad iustitiam, si ex parte aliorum impedimentum auferatur. Item hoc probat ratio facta: quia respectu talium peccatorum sufficienter est acta pœnitentia, vt per hanc institutionem determinatur. At verò respectu omnium, seu aliorum peccatorum dicendum est, non fuisse integrè impletum hoc præceptum, & hoc etiam conuincit obiectio facta: nam certè, si integrè fuisset impletum, etiam generale, seu naturale præceptum satisfaciendi Deo fuisset sufficienter impletum, & consequenter nihil aliud desideraretur ad iustitiam obtinendam. Item, quia ille homo tenetur posteà ex vi huius præcepti confiteri ea peccata, quorum fuit oblitus: ergo signum est, non impleuisse integrè tale præceptum, licèt ob inaduertentiam, vel obliuionem ab illius transgressione fuerit excusatus. Et eadem ratione, si fortasse non possit illa peccata confiteri, tenetur de eis conteri: ergo signum etiam est, non impleuisse integrè generale præceptum pœnitentiæ. Cum hac ergo distinctione ac moderatione posterior hæc sententia est acceptanda.

5 Solutio.

DISPV

## DISPVTATIO XXXVI.

*De præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis.*

QVONIAM, vt superiori disputatione vidimus, diuinum præceptum de confessione peccatorum facienda præter articulum mortis determinatum tempus nõ habet, pro quo per se obliget, ideò ad Ecclesiæ prouidentiam pertinuit hanc facere determinationem per legem ab ipsa latam. De qua in primis vidẽdum est, an verè lata sit talis lex; deinde verò quando, & quomodo implenda sit, & quæ pœna transgressoribus eius imponatur.

### SECTIO I.

*An sit latum ab Ecclesia præceptum per se obligans ad confessionem singulis annis faciendam.*

1. Durand. QVOLVS Durand. d. 17. qu. 14. ausus est in dubium reuocare, an possit Ecclesia per se statuere determinatum tempus confessionis, & proprium præceptum imponere de confessione tali tempore facienda: quia confessio, inquit, est res adeò occulta, & secreta, vt non possit Ecclesiæ constare an verè fiat: nõ ergo potest de illa ferre præceptum, magis quàm de actu interno. Sed quanuis Durandus dubitet, non tamen audet negare hãc potestatem, & meritò: quia nec dubitare debuisset: est enim res certa, habere Ecclesiam hanc potestatem, vt in superioribus probatum est, & ab eodem Durãdo bene declaratur. Quia licèt Christus instituerit sacramẽta, & vsum eorum præceperit: tempus autẽ, & omnes circũstantias nõ præscripsit: quia sæpe oportet fieri mutationem in his pro temporum, & personarũ varietate: reliquit ergo Ecclesiæ potestatẽ hæc definiendi: erat enim maximè necessaria ad bonum Ecclesiæ regimen, & ideò in vsu Eucharistię potuit hoc tempus definire, cur igitur non etiam in hoc sacramento, quòd maximè est animabus necessarium? Deniq; ex principiis fidei de suprema potestate Petro concessa, & ex vsu, & traditione Ecclesiæ hæc potestas apertè colligitur. Olim enim ter in anno obligabãtur fideles ad cõfessionẽ, vt patet ex Fabiano Papa in capit. *Et si non frequentius*, de Consecrat. Conc. Tur. dist. 2. & ex Concilio Turonensi 3. cap. 50. nunc verò saltem semel in anno obligantur, vt iam dicam, itaque de potestate nullus est dubitandi locus. Nec ratio Durandi obstat: quia satis est, vsum huius sacramenti esse externum, vt præcipi possit, quanuis per accidẽs sit occultus: actus enim externus, etiamsi occultissimus sit, sub iurisdictionem Ecclesiæ cadit, & puniri potest, vel præcipi.

2. Secundò dubitat Durand. de facto, & probabile credit hactenus Ecclesiã non tulisse hoc præceptum, sed solùm de communione in Paschate, de cõfessione verò tãtum esse consilium, & salubrem exhortationem. Alij verò dicunt, per accidens obligari hominem ad confessionem semel in anno faciendam ratione communicationis, non tamen per se ex vi D. Thom. D. Antonin. proprij præcepti. Ita indicat D. Thomas d. 17. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 4. & quod lib. 1. art. 11. & D. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 3. Sed nullum video huius sententiæ fundamentum.

3. Assertio prima. Esse in Ecclesia præceptum per se obligans ad confitendum semel in anno. Palud. Gabr. Caietan. Soto. Petr. Soto. Cano. Medina. Vnde dicendum primò est, ex præcepto Ecclesię teneri fideles ad confessionem semel in anno faciendam per se, & ex vi proprij præcepti distincti à præcepto communicationis, & nõ tantùm per accidens.

A Hæc est communior Doctorum sententia d. 17. vbi Paludan. quæst. 7. num. 26. Gabr. quæst. 1. art. 1. & 2. Caietan. tom. 1. Opusc. tit. 5. qu. 1. Soto d. 18. q. 1. art. 1. Petrus Soto lect. 5. de Confess. & Cano dicta relect. part. 5. ad finem Medina dicto Cod. q. 18. Et probatur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi est illud verbum, *Omnes fideles, &c. confiteantur*, quod ex vi sua præceptiuum est, nec in præcepto communionis ponitur verbum habens maiorem vim obligandi, seu præcipiendi. Deinde primùm præcipitur ibi confessio, deinde communio: neque est ibi vllum verbum, quo significetur confessionẽ præcipi propter communionem; vtraque enim æquè per se præcipitur. Item in B Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 8. absolutè, & nulla mẽtione communionis facta, dicitur esse in Ecclesia præceptum annuæ confessionis, & ita explicat Cõc. Lateran. in dict. c. *Omnis vtriusque sexus*. Tertiò nihil est magis vulgare inter fideles, quã esse quinque præcepta Ecclesiæ, ex quibus duo sunt confessionis & communionis; si autem confessio solùm per accidẽs propter communionem præciperetur, nõ esset illud speciale præceptum Ecclesiæ, nec illa essent duo, sed vnum tantùm de Eucharistia sumenda, ex quo ratione iuris diuini oriretur obligatio præmittẽdi confessionem, supposita conscientia peccati mortalis; sicut, si quis haberet votum communicandi semel in anno, per accidens teneretur confiteri, licèt non haberet nisi vnũ votum. Vltimò ab effectu: quia, si quis C ex rationabili causa excusetur à cõmunione, nihilominùs tenetur cõfiteri semel in anno, vt patet ex verbis legis citatæ, quæ simpliciter obligant omnes fideles, & ex vsu Ecclesiæ: & ideò pueri priusquàm ad communionem admittantur, censentur obligari præcepto confessionis. Vnde in illomet textu confessio absolutè, & simpliciter præcepta est; in cõmunione verò additur limitatio, scilicet nisi prudenti confessori differenda videatur. Denique qui omittit confessionem, & communionem, nõ vnum tantùm, sed duo peccata committit, & vtrumque cõfiteri tenetur, quod non esset verum, si tantùm per accidens ad confessionem obligaretur.

Concilium Tridentin.

4. Secunda assertio. Hoc præceptum solum esse Ecclesiasticum quoad determinationem temporis. D. Thom. Durand. Richard. Palud. Scot. Secundò dicendum est, hoc præceptum solùm esse Ecclesiasticum quoad determinationem temporis: D nam in reliquis diuinum præceptum continet. Ita omnes Doctores citati, & est clarum ex dictis disputatione præcedenti: & ex Trident. dict. cap. 5. dicente, Ecclesiam ibi tantùm ordinasse, vt diuinum præceptum confessionis singulis annis mãdetur executioni. Et ratio est clara, quia tota substantia huius actus est de iure diuino: solùm ergo mãdatur, vt tali tempore fiat. Ex quo facilè potest expediri dubiũ, quod tractat D. Tho. d. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 5. Durãd. q. 9. Rich. art. 2. quæst. 7. Palud. qu. 2. art. 6. & Soto in 4. d. 81. quæstion. 1. art. 5. An possibilis sit huius præcepti abrogatio, vel dispensatio (nam reuera eadem est vtriusque ratio.) Dicẽdum est enim primùm, in Pontifice esse potestatem tollendi omninò (quod est E abrogare hoc præceptum, & dispensandi in illo cum aliqua persona, manente præcepto in communi. Ita docent omnes, & ratio est: quia præceptum semper pendet tam in communi, quàm in particulari ex voluntate legislatoris, vel successoris eius habentis æqualem potestatem; sed hoc præceptum est Ecclesiasticum, & suprema potestas circa hoc præceptum residet in summo Pontifice: ergo. Secundò dicendum est, vt hęc abrogatio, vel dispensatio licitè fiat, necessariam esse causam actui proportionatam. Probatur: quia hęc potestas data est in ædificationem; talis autem abrogatio, vel dispẽsatio sine causa facta esset maximè nociua Ecclesię, vel subditis, ergo esset irrationabilis, & illicita.

Ex quo addo tertiò, talem abrogationem, vel dispensationem, moraliter loquendo, honestè fieri non posse: quia moraliter non potest rationabilis causa subesse, vt fiat. Circa hoc tamen aduerto, abrogationem hanc intelligi posse tribus modis. Primò, limitando tempus vnius anni, & frequentiùs obligando; & hæc non tam esset abrogatio præsentis legis, quàm additio ad illam: quia duæ partes distingui possunt in hac lege; vna est negatiua non differendi confessionem vltra annum; alia est affirmatiua confitendi saltem semel in anno, & vtraque duraret, facta illa restrictione, & aliquid vlteriùs eis adderetur, vt per se constat. Quantùm ergo ad hunc modum abrogationis, non nego aliquando posse interuenire rationabilem causam. Imò quando nulla alia subesset præter fidelium fructum, satis esset, nisi aliunde timeretur periculum maioris incommodi, propter frequentiorem præcepti transgressionem, vel periculum contemptus; & ideò etiam ad hunc modum abrogationis, vt licitè fiat, necesse est, vt prudenter, & non temerè fiat. Secundus modus abrogationis è contrario erit, si tempus hoc annum amp liùs differatur, designando aliud certum tempus duorum, vel trium annorum: & quoad hunc modum fortasse non repugnat aliquando Ecclesiam peruenire ad talem statum, vt hoc fieri expediat; nunc autem certum est non expedire, nec fortè moraliter hoc potest contingere: quia dilatio pœnitentiæ per annum integrum est satis magna, nec potest facilè licentia maior concedi, præsertim toti Ecclesiæ, sine grauissimo detrimento eius. Tertius modus abrogationis esse potest tollendo omninò Ecclesiasticum præceptum determinans tempus confessionis; & ad hoc existimo nunquàm posse subesse rationabilem causam, propter ea, quæ dixi disputatione præcedenti, sectione tertia.

5. Abrogationē, & dispensatiōe circa hoc præceptum honestè fieri non posse.

6. Dispensatio verò circa particularem personam, vel prouinciam solùm potest intelligi duobus vltimis modis: nam, si primo modo fieret, non esset dispensatio, sed obligationis additio. Idem ergo censeo, moraliter loquendo, quoad vtrumque modum dispensationis, sed præsertim quoad vltimum, quia multùm repugnat vtilitati fidelium, & intentioni Christi circa institutionem, & vsum huius sacramenti. Alter verò modus posset fortasse aliquando sine culpa concedi, vel potiùs permitti alicui ad vitanda maiora mala: verumtamen sicut hactenùs non occurrit talis necessitas, ita credo, nec moraliter occurret. Faciliùs quidem posset occurrere occasio coarctandi præceptum hoc primo modo suprà posito in aliqua prouincia, licèt non mutaretur quoad vniuersam Ecclesiam: tamen hoc etiam non posset licitè fieri sine causa rationabili: quia sicut non debet pars eximi à cōmunione totius sine causa, ita neque ampliùs grauari; esset autem causa rationabilis, si perditi mores alicuius prouinciæ, vel personæ hoc remedium postularent, vel etiam, si ad decentiam status id expediret, vt si clericis hoc maius onus imponeretur; & de religiosis aliquid infrà attingemus.

7. Abrogatio, & dispensatio semel facta à Pontifice valida est.

Vltimò dicendum est, abrogationem, vel dispensationem semel factam à summo Pontifice validam esse, etiamsi absque sufficienti causa fiat; quia, cùm hoc præceptum pendeat ex voluntate eius, factum tenet, quamuis non rectè fiat; quod quidem in abrogatione indubitatum est: quia per illam omninò lex tollitur. De dispensatione verò aliqui dubitant: quia, stante lege, non videtur Princeps posse aliquem eximere sine causa, cùm non possit eximere seipsum; sed nihilominùs communior sententia est, in his, quæ sunt iuris positiui, talem dispensationem validam esse. De hac re latiùs in materia de legibus.

## SECTIO II.

### *Vtrùm omnes homines baptizati, habentes conscientiam peccati mortalis, obligentur hoc præcepto.*

VERBA cap. *Omnis vtriusque*, hæc sunt: *Omnes vtriusque sexus fideles, postquàm ad annos discretionis peruenerint, omnia peccata saltem semel in anno confiteantur.* In quibus certum est, *fidelium* nomine intelligi baptizatos; illi enim propriam fidei professionem in Baptismo fecerūt, & spiritualis iurisdictio Ecclesiæ in illos cadit. Certum est etiam, illam particulam, *omnia peccata*, debere intelligi, saltem de peccatis mortalibus, quæ sunt materia necessaria confessionis; vnde concluditur, omnes baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis non confessi obligari hoc præcepto. Circa hæc verò peccata triplex solet occurrere dubium. 1.

Primum est de eo, qui tantùm habet peccata interna; refertur enim Margarita confessorum, verbo *Confessio*, fol. 40. negans huiusmodi personas obligari hoc præcepto, fortasse quia Ecclesia non habet potestatem in actus internos. Sed est plusquàm temeraria sententia. Certum ergo sit obligari hominem hoc præcepto, etiamsi sola cogitatione mortaliter peccauerit, quod bene notat Nauarrus, qui alios refert in cap. *Fratres*, de Pœnit. dist. 5. n. 59. Et probatur primò ex dicto decreto, quod simpliciter præcipit confiteri omnia peccata, sub quibus certū est interna cōtineri, si mortalia sint. Secundò ex vsu, & cōsensu totius Ecclesiæ, quæ hoc modo præceptum hoc intelligit. Tertiò, quia per hoc præceptum tantùm determinatur præceptum diuinū quoad circunstātiam tēporis, sed ex diuino præcepto tenetur homo cōfiteri in hoc casu: ergo ex hoc præcepto tenetur intra annū cōfiteri. Deniq; quia hoc præceptū est de actu externo, licèt materia eius remota sit actus internus. 2. Primum dubium de peccatis internis. Nauarr.

Secūdum dubium est de pueris, qui ad annos pubertatis non venerunt, & sciunt peccare mortaliter. Quidam enim existimant eos non obligari hoc Ecclesiastico præcepto, quin potiùs Soto d. 12. q. 1. ar. 11. in fine dicit, pueros ante duodecimum annum ętatis non obligari hoc præcepto, cuius nullam affert rationem. Possumus autem argumētari, quia non obligantur præcepto Eucharistiæ: ergo nec pœnitentiæ: nam vtrumque in eodem textu, & eodem tenore traditur. Dicēdum verò est, omnem illum, qui scit peccare mortaliter, obligari hoc præcepto, vnde, sicut non potest certa ætas designari, in qua homo peruenit ad vsum rationis, & inter bonum & malū valet discernere, sed alij citiùs, alij tardiùs ratione vtuntur (quod prudentis viri iudicio discernendum est) ita non potest certa ętas præscribi, in qua homo incipit obligari hoc præcepto. Sed regula est, quando primùm habet conscientiam peccati mortalis. Hæc est cōmunis doctrina in 4. d. 17. Richard. art. 2. q. 4. ad 6. Scoti q. 1. art. 3. in princ. Gabr. q. 1. cōcl. 2. Sylu. verb. *Cōfessio*, 2. q. 5. Ant. 2. p. tit. 9. c. 8. §. 2. Cano dict. Rel. in fin. Nauar. in Sum. c. 21. n. 33. Cordub. in Sum. q. 60. vbi Ant. tribuit cōtrariam sententiam, sed falsò. Consentiunt etiam Gloss. & Canonistæ in d. c. *Omnis vtriusque sexus*, & idē tandē sentit Soto d. 18. q. 1. art. 3. in fine. Probatur ex verbis textus, *cùm ad annos discretionis peruenerint*, anni enim discretionis significāt ætatē, in qua homo scit peccare. Secūdò, quia isti obligātur, præcepto iuris diuini, sed hoc præceptum est determinatio illius præcepti, vt dictū est. Tertiò, isti possunt obligari aliis præceptis Ecclesiæ, saltē quoad vim directiuā, quidquid Soto dicat; tenētur enim audire 3. Secundum dubium de pueris ante pubertatē, qui peccare sciunt. Soto. Vbi primùm quis habet cōscientiam peccati mortalis obligatur hoc præcepto. Richard. Scot. Gabriel. Sylues. Antonin. Cano. Nauarr. Corduba. Glossa. Soto.

audire sacrum in festis,& abstinere à carnibus in die prohibito: cur ergo non obligabuntur hoc præcepto maximè necessario?

4. Ad exemplum Eucharistiæ respondetur, ex ipso textu colligi differentiam: nam in illo ponitur exceptio, *nisi ex consilio confessoris duxerit differendum.* Est autem rationabili,& omnium prudentum confessorum consuetudine introductum, vt hi pueri non statim ad Eucharistiam admittantur: tum propter maiorem reuerentiam illi sacramento debitam; tum etiam quia illud sacramentum non est tantæ necessitatis. At verò in sacramento Pœnitentiæ non habent locum istæ rationes,& præceptum illius datur sine vlla limitatione; & ideò non est similis ratio. Addunt verò dicti Auctores, præsertim Soto, & Cordub. hos pueros non incurrere pœnas impositas transgressoribus huius præcepti, quod piè credi potest,& fundamentum habet in cap. *Extra*, de Delictis puerorum, vbi dicitur, licèt ante annos pubertatis peccare possint, non tamen eodem modo esse puniendos, & plura circa hoc dicam in vltima quæstione huius disputationis.

5. Tertium du biũ, an summus Pontifex obligetur hoc præcepto. Richard. Scot. Nauarr. Tertium dubium est de summo Pontifice, an obligetur hoc præcepto. Aliqui enim negant, vt Richard. dist. 17. art. 2. q. 4. ad 5. vbi dicit teneri tantùm ex congruitate, iuxta c. *Confidimus*, & cap. *Iustitia*, 25. q. 1. Scotus etiam q. 1. art. 1. inde probat præceptum confessionis non esse merè Ecclesiasticum, quia aliàs non obligaret summum Pontificem: sentit ergo præceptum, vt Ecclesiasticum est, non obligare Papam. Nauarrus etiam de Pœnit. dist. 5. in princip. §. 2. num. 32. dicit, si vera esset sententia, Concilium esse supra Papam, rectè inferri Papam obligari hac lege, quæ in Concilio generali lata est; supponendo autem (quod verum est) Papam esse supra Concilium, non esse verum, Papam obligari hac lege, quæ à Concilio inferiori ipsi, lata est; & licèt sit à Pontifice confirmata, tamen non potest Princeps vel à seipso, vel ab æquali lege lata obligari. Tamen hæc quæstio non est specialis de hoc præcepto, sed de omni lege pontificia; imò vniuersalior est de omni legislatore, an obligetur legibus à se latis, quando eadem est ratio actus præcepti in illo,& in aliis, quæ in 1. 2. in materia de legibus tractari solet. Et resolutio breuiter est, obligari Principem ad seruandas huiusmodi leges à se latas quoad vim directiuam, non quoad coactiuã: quia naturalis ratio postulat, vt caput conformetur corpori suo; vnde veluti sub hac cõditione intelligitur Princeps accepisse potestatem ferendi leges: & ita ex hoc principio inferẽdum est, obligari Pontificem hac lege cõfessionis annuæ, vt rectè Couarr. qui alios refert in c. *Alma mater*, part. 1. c. 1. §. 5.

Dubium sol uitur.

Couarr.

6. Vltimum dubium. Superest dicendum de venialibus peccatis. De quibus certum est, qui habet mortalia peccata, non teneri ad venialia cõfitenda: quia non sunt materia necessaria, vt hîc,& suprà disputando de integritate satis dictum est. Dubitari autem solet, an is, qui non peccauit mortaliter, teneatur confiteri de venialibus, saltem semel in anno. In qua re prima sententia est, obligari fideles ad confitendum semel in anno, etiamsi post vltimam confessionem in toto anno nunquàm mortaliter peccauerint. Ita Alens. 4. part. q. 77. memb. 1. art. 1. & 2. & memb. 2. art. 3. Bonauent. dist. 17. art. 4. q. 1. Richard. art. 2. q. 4. ad 1. & insinuat D. Thom. q. 3. art. 1. q. 3. Et fundamentum primò est, quia cap. illud, *Omnis vtriusque sexus*, simpliciter, & absolutè præcipit vsum confessionis semel in anno: ergo obligat omnes, qui possunt confiteri; possunt autem etiam qui non habent mortale peccatum. Secundò ex fine præcepti, qui est, vel propter maiorem securitatem,& Eucharistiæ reuerentiam, vel certè vt pastores cognoscant oues suas. Tertiò, quia absolutè excommunicantur omnes, qui non confitentur semel in anno, sine vlla exceptione.

Prima sentẽtia affirm. Alens. Bonauent. Richard. D. Thom.

7. Secunda sẽtia negans D. Thom. Durand. Maior. Almain. Scot. Gabr. Palud. Caietan. Soto. Cano. Medina. Syluester. Angel. Rophens. Ruard. Secunda sententia est, solos illos, qui habent conscientiam peccati mortalis, obligari hoc præcepto. In hanc magis inclinat D. Thom. suprà,& eam tenet Durand. dist. 17. q. 9. num. 6. Maior q. 2. Almain. q. 1. art. 6. Scotus etiam art. 3.& Gabriel q. 1. art. 2. concl. 2 Palud. q. 2. art. 4. Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 5. q. 1.& 3. part. q. 65. art. 2. circa ad 4. Soto dist. 18. q. 1. art. 3. Cano dict. Relect. part. 5. Medin. dict. Cod. q. 6. Syluest. verb. *Confessio*, 1. §. 13. Angel. verb. *Confessio*, 2. n. 4. Rophensis art. 8. contra Luther. & Ruard. art. 5. pag. 203. Aliqui horum Auctorum fundantur in eo, quòd Ecclesia non habet potestatem præcipiendi confessionem ei, qui non habet conscientiam peccati mortalis. Sed hoc fundamentum non est solidum, vt constat ex suprà dictis disputatione de Integritate, vbi de hac potestate disseruimus, & ibi etiam attigimus, an de facto hæc obligatio aliquibus imposita sit alia ratione, vel præcepto.

8. Vera decisio vltimi dubij Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censeo esse dicenda. Primum est, hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem propriè, nisi eum, qui habet conscientiam peccati mortalis, quod non est confessus. Probatur primò cum D. Thoma ex textu dicente, omnes fideles teneri ad confitenda semel in anno omnia peccata sua: necesse est enim intelligi de mortalibus: nam si cõprehenderentur etiam venialia, tenerentur fideles ad illa omnia confitenda; quod est absurdum, & impossibile: ergo qui nõ habet mortale, non comprehenditur sub hoc præcepto. Secundò ratione, quia hoc præceptum tantùm est determinatio quædam præcepti diuini, vt apertè docuit Trident. dicẽs, hoc præcepto nihil præcipi, quod non esset diuino præcepto mãdatum, præter temporis determinationem; sed ex præcepto diuino solus ille tenetur confiteri, qui habet conscientiam peccati mortalis: ergo.

9. Secundum est, quod ad rem moralem attinet, non multùm referre harum opinionum differẽtiam; primò quidẽ, quia vix reperietur aliquis, qui toto anno à peccato mortali abstineat, nisi sæpiùs in illo confiteatur, si potest. Deinde, quia, quãuis aliquis in toto anno non peccasset mortaliter, teneretur saltem ratione sumẽdæ Eucharist ę suum proprium Sacerdotem adire,& dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis,& ideò sine confessione accedere; cui esset fides adhibenda, quando contrarium euidenter non cõstaret: quia in hoc foro vnicuique credẽdum est, tam pro se, quàm contra sę loquenti. Et simili modo, non tantùm ratione Eucharistiæ sumẽdæ, sed per se, vt pastor possit bene fungi suo munere, qui intra annum non confitetur, cogi potest, vt id faciat, vel similem rationem reddat, cur non faciat, quod moraliter loquẽdo, nullus facit, sed cõfitetur vt potest. Et per hæc satisfit fundamẽtis primæ sententiæ.

## SECTIO III.

### *An hoc præceptum confessionis annuæ obliget pro determinata parte anni, vel quomodo annus computandus sit.*

1. Prima sententia. Tempore Paschatis obligare. PRIMA sententia est, sicut præceptum annuæ communionis obligat pro determinata parte anni, scilicet tempore Paschatis, ita præceptum confessionis obligare pro tempore Quadragesimæ, vel Paschatis: non solùm per accidens (hoc enim & clarum est, & non refert ad hoc præceptum) sed per se intra

Petr. Soto, intra obligationem confessionis. Ita sentit Petrus Soto lect.5. de Confess. cui fauet Sixtus IIII. in Extrauag. *Vices*, de Treuga, & pace, vbi dicit teneri parochianos ad confitendum suis Parochis saltem in Paschate, iuxta cap. *Omnis vtriusque sexus*. Fauet etiam huic sententiæ communis Ecclesiæ cõsuetudo, quæ, Trident. vt Tridentin. dixit sess. 14. cap. 5. iam obtinuit, vt tempore Quadragesimæ omnes fideles confiteantur. Vnde in cap. *In capite*, dist. 50. refertur antiqua consuetudo agendi pœnitentiam, & confessionem in principio Quadragesimæ, recipiendi autem absolutionem in Cœna Domini: de qua consuetudine Burchard, multa refert Burchardus lib. 19. Decreti, cap. 1. & Innocent. I. eiusdem meminit Innocentius I. epist. 1. cap. 1. vnde Medina. Medina in dict. Cod. quæst. 18. de Confessione semel in anno agenda, in secunda parte illius dicit, licèt ex vi cap. *Omnis vtriusque sexus*, non obliget hoc præceptum pro determinato tempore anni, tamen ex B consuetudine, factam iam esse talem determinationem, & obligationem inductam, citat D. Thom. 4. D. Thom. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. vbi tamen non loquitur de obligatione per se confessionis, sed per accidens ratione Eucharistiæ.

2. Secunda sententia. Nõ obligare certo tempore. Secunda sententia est, præceptum hoc obligare semel in anno, non tamen pro determinata parte anni per se, & ex vi sua. Sicut præceptum audiendi Missam die Dominica obligat tempore matutino, non tamen pro determinata hora illius: sed hoc relinquitur hominis arbitrio. Hæc est communis opinio recentiorum, quam tenet Soto dist. 18. quæst. 1. Soto. Cano. Victor. Ledesma, Nauarr. art. 4. Cano dict. relect. part. 5. Victor in Summa de C Sacramentis, num. 137. Ledesma 2. part. 4. quæst. 3. art. 5. dub. 6. Nauarrus in Summa, cap. 2. num. 9. Fundamentum est, quia cap. *Omnis vtriusque sexus*, non limitauit tempus hoc ad certum anni tempus, sed tantùm dixit, *semel in anno*: ergo ex vi verborum non obligat ad certam partem anni: vt, si alicui præcipiatur semel in hebdomada communicare, ex vi præcepti non cogeretur ad determinatum diem, nisi fortasse quando iam alij transacti essent, & vltima tantùm dies, vel hora superesset. Accedit, quòd in eodem textu duplex fertur præceptum, Confessionis scilicet, & Eucharistiæ; & in priori solùm dicitur, *semel in anno*, in posteriori verò dicitur, *suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum*: ergo ex differentia verborum constat, vbi Concilium voluit pro determinata parte anni obligare, illam expressisse: vbi autem noluit, indefinitè annum posuisse.

3. Nec sine congrua ratione cum hac diuersitate D hæc præcepta lata sunt: nam vsus Eucharistiæ per se præcipitur, etiamsi homo nunquàm peccauerit. Et ideò etiam præcipi potest pro tali tempore, vel die, etiamsi homo aliis temporibus voluntariè communicauerit: fuit autem conueniens ita præcipi, vel vt præceptum magis esset determinatum, faciliusque posset de illius obseruatione pastoribus Ecclesiæ constare: vel propter singularem illius temporis solennitatem, vel certè, vt pro aliquo anni tempore vniuersa Ecclesia in participatione tanti sacramenti conueniret. Vsus autem sacramenti Pœnitentiæ non per se præcipitur, nisi supposita culpa mortali, & in remediũ eius; & ideò nec præcipitur nisi semel circa eadẽ peccata, nec, si aliquo tempore volũtariè applicatum est ad illa tollenda, præceptum posteà obligat E ad vsum eius circa eadem peccata. Ac denique talis est hæc medicina, vt sẽper magis expediat, illam non differre, sed statim post peccatum illam applicare, quamprimùm commodè fieri potest. Et ideò non fuit conueniens determinare tempus anni, pro quo sumendum sit hoc sacramẽtum ex obligatione præcepti: quia si ante illud tempus necessarium sit, consulendum potiùs est, vt statim sumatur, nec præceptum potuit hoc impedire, nec debuit aliquam occasionem differendi pœnitentiam hominibus tribuere. Si autem iam fuit receptum tale sacramẽtum, non potuit ad illius vsum iterum obligare propter eadem peccata. Solùm potuisset præcipi, vt si tali die anni homo haberet conscientiam peccati mortalis, cuius nunquàm esset cõfessus, homo in illo die confiteretur, & hoc nec fuit necessarium: quia ad hoc sufficit obligatio per accidens, quæ sequitur ex præcepto Eucharistiæ, nec fuit adeò vtile: quia secluſa illa necessitate extrinseca Eucharistiæ melius est, vt homo tunc confiteatur, quando magis indiget.

Quantùm ergo ad vim præcepti, & iuris communis pertinet, certum existimo, hanc obligationem 4. non esse determinatam ad certam partem anni. Ex quo à fortiori colligo, per synodalia præcepta Episcoporum non aliter determinari (quamuis Medina oppositum indicet) quia postquàm ab Ecclesia facta est talis determinatio, vel non possunt Episcopi aliam adiungere, vel certè ipsi hoc non intendunt, sed solùm procurant, vt Ecclesiasticum præceptum impleatur: tamen, quia præceptum Eucharistiæ in fine Quadragesimæ obseruandum est, & moraliter loquendo, qui illud legitimè implet, etiam hoc exequitur, ideò simul de vtroque diligẽtiam adhibent, vt pro eo tempore impleantur, seu impleta esse constet. Neque aliud potest ex consuetudine ostendi: quia, quòd fideles tempore Quadragesimæ confiteantur, ideò est, quia communicaturi sunt eo tempore, & ideò regulariter necesse habent confessionem præmittere. Imò, quia priorum vsus meritò obtinuit, vt etiam sine conscientia peccati mortalis præmittatur confessio ante sumptionem Eucharistiæ, ideò omnes etiam eo tempore confitentur, etiamsi conscientiam peccati mortalis non habeant, nec tamen propterea dicendum est consuetudine introductum esse, vt ad hoc teneantur. Quòd si qui fortè sunt, qui sine obligatione communicandi confiteri tenentur, illi sunt rari, & pueri, qui non ita sciunt discernere tempus huius obligationis: sed id faciunt, quod alios facere vident, & ideò non sufficiunt ad obligationem ex consuetudine introducendam. Præsertim, quia ideò fortasse tunc omnes regulariter confitentur: quia vel tunc finitur annus, in quo nondum confessi sunt, vel si consuetudinem habent frequentiùs confitendi, illud tẽpus est aptissimum, nec expendunt, an sibi sit simpliciter necessarium, nẽne. Et hinc etiam ortum est, vt Concilia, & decreta suprà citata ita loquantur de hoc præcepto cõfessionis, vt de illo, quod tempore Quadragesimæ implendum est: quia moraliter, ac regulariter ita fit, licèt per se, & ex vi præcepti non esset necessarium.

## *Quomodo computandum sit initium, & finis anni.*

VT autem hæc sententia, quam veram esse existimamus, ampliùs declaretur, necesse est exponere, quomodo computandum sit initium, & terminus huius anni: variis enim modis excogitari hoc potest. Primus est, vt hic annus non sit vnus, & idem pro omnibus fidelibus, ita vt computetur intra duos terminos omnibus communes, sed in vno quoque homine computetur annus ab eo tempore, quo primùm peccauit mortaliter, ita vt sensus præcepti sit, neminem, postquàm peccauit mortaliter, posse intra annum à confessione abstinere. Hæc sententia non placet: primùm, quia non habet fundamentum in cap. *Omnis vtriusque sexus*, neque ab aliquo Auctore asseritur: sed omninò diuinat. Secundò, quia inconueniens est hunc annum non esse fixum, & communem omnibus. Tertiò, quia sequitur: si quis

5. Prima sententia.

Reiicitur.

quis postquàm in Quadragesima confessus est, non peccauit mortaliter per sex menses, & posteà peccauit, non teneri ad confessionem in sequenti Quadragesima : sed posse illam differre per alios sex menses : consequens est planè absurdum, & contra communem vsum, & sensum Ecclesiæ : ergo.

6. Secunda sententia.

Secundus modus in hoc conuenit cum præcedenti, quòd affirmat hunc annum non esse eundem, neque habere eosdem terminos respectu omnium fidelium ; differt tamen in assignando initio, & termino eius : ait enim, computandum esse ab vltima confessione, ita vt sensus præcepti sit, neminem posse differre vltra annum vsum, vel receptionem huius sacramenti, si conscientiam mortalis habeat. Ita docet Soto dist. 18. quæst. 1. art. 4. & videtur esse consentanea sententia intentioni huius legis, quæ est, ne vsus huius sacramenti nimiùm differatur. Item, quia non videtur hic annus commodiùs posse explicari. Hæc tamen sententia mihi etiam non satisfacit ; primò quidem, quia verba legis non sunt, vt fideles intra annum, vel post annum confiteantur : sed *semel in anno*. Secundò, quia inconueniens censeo hunc annum non esse certum, & fixum pro omnibus fidelibus, aliàs non posset Ecclesiæ constare, quando finiatur tempus, in quo omnes tenentur hoc præceptum implere : sed de singulis oporteret inquiri, quando fuerint confessi vltima vice, vt constaret, an esset annus absolutus. Tertiò : nam quid dicendum erit de perueniente ad vsum rationis, & incipiente peccare mortaliter, antequàm confessus sit ? in illo enim non poterit computari annus ab vltima confessione : quia nulla præcessit. Denique sequitur ex illa sententia, si quis confessus est mense Augusto, non teneri posteà ad confessionem faciendam tempore Quadragesimæ per se, & ex vi huius præcepti : è contrario verò, si quis eodem mense Augusto confessus est, & posteà non peccauit mortaliter per vndecim menses, in vltimo verò mortaliter peccet, teneri statim in illo confiteri, etiamsi in præcedenti Quadragesima communicauerit : consequens autem apertè est contra vsum Ecclesiæ.

Soto.

Refutatur.

7. Tertia sententia.

Improbatur

Tertius modus dicendi esse potest, vt hic annus sit vnus, & idem pro omnibus fidelibus, & computetur inter fixos terminos, qui sumantur à principio Ianuarij vsque ad finem Decembris, vt communiter annum vsualem numeramus. Et possunt huic sententiæ fauere verba textus ; quia, quoties de anno simpliciter loquimur, hoc modo annum computamus, lex autem intelligenda est iuxta communem vsum, & proprietatem verborum. Sed nihilominùs, si consideremus vsum Ecclesiæ, & communem sensum fidelium, non placebit hic modus : primò, quia si quis à principio anni vsque ad Pascha non peccauit mortaliter, & tunc communicauit, licèt posteà peccet, non tenetur confiteri in reliqua parte anni vsque ad mensem Decembris : sed potest differre vsque ad aliam Quadragesimam, vt constat ex communi vsu, & sententia omnium : si autem annus esset illo modo computandus, esset simpliciter obligandus homo ille ad confessionem illo tempore ; quia tenetur semel confiteri intra hunc annum naturalem, si habet conscientiam peccati mortalis : ergo etiamsi hanc cõscientiam habere incipiat in mense Augusto, tenetur confiteri, antequàm egrediatur hic annus. Secundò, quia sequitur, iuxta hanc explicationem, posse hominem ferè per duos annos integros abstinere à confessione sine violatione huius præcepti, vt si anno 1599. confiteatur in festo Epiphaniæ, & posteà in anno 1600. differat confessionem vsque ad Natiuitatem Domini, consequens autem videtur apertè contra intentionem præcepti.

8. Quarta sententia, quæ probatur.

Quartus modus conuenit cum præcedenti in assignando anno fixo, & communi omnibus fidelibus, differt tamen in designando principio, & termino eius. Vult enim hæc sententia, hunc annum esse Ecclesiasticum, & à Quadragesima ad Quadragesimam computari, comprehẽdendo omnes illos dies, in quibus potest præceptum communionis impleri. Et videtur huic dicendi modo fauere communis consuetudo, & sensus Ecclesiæ : omnes enim existimant hanc obligationem confitendi semel in anno eo tempore finiri, non solùm in obligatione per accidens ratione communionis, sed etiam per se : nam etiam illi, qui non sunt communicaturi, eo tempore confitentur, & existimant iam se obligari. Deinde Prælati Ecclesiæ eo tempore cogunt ad obseruationem huius præcepti, & excommunicant transgressores. Denique, quia à sufficienti enumeratione nulla ratio videtur esse commodior ad computandum huiusmodi annũ. Solùm potest obstare, quia ex verbis legis hoc non potest constare. Respondetur tamen, consuetudinem esse optimam legis interpretem : quamuis enim annus absolutè dictus soleat illo vulgari modo computari, tamẽ annus Ecclesiasticus in ordine ad alios effectus, alio modo cõputatur. Vnde consequenter fit, non oportere hunc annum physicè numerari per tot mẽses, & dies : sed more Ecclesiastico à Quadragesima in Quadragesimam, vt dicebam : & quia illud tempus est mobile, & habet aliquam latitudinem, poterũt interdum inter vnam, & aliam cõfessionem intercedere tredecim menses, interdum vndecim, quod non est incõueniens, vt satis ostendit Ecclesiæ consuetudo. Solùm denique potest inferri contra hanc sententiam secundum inconueniens illatum contra præcedentem cum proportione.

Obiectioni occurritur.

9. Corollariũ præcedentis doctrinæ.

Pro cuius solutione addo, & infero ex dictis, etiamsi aliquis intra annum sæpiùs sit confessus, si tamen tempore Quadragesimæ habet conscientiam noui peccati mortalis nunquàm confessi, teneri nihilominùs ad confitendum illo anno pro eo tempore. Hoc probatur primò ex dicto inconuenienti, quod hoc modo optimè vitatur, & quacunque alia ratione vitari non potest. Secundò ex textu cap. *Omnis vtriusque sexus* : præcipit enim confiteri semel in anno omnia peccata illo anno commissa, vtique mortalia, vt suprà expositum est : sed in hoc casu ille non est cõfessus omnia peccata illo anno commissa : ergo tenetur intra illum annum cõfiteri ea, quæ non est confessus. Tertiò (quod maximè vrget) consuetudo Ecclesiæ ita videtur hoc præceptum interpretari : nullus enim contentus est confessione priori tempore facta, si tunc habeat conscientiam peccati mortalis, & pastores Ecclesiæ eo tempore cogunt ad confessionem faciendam. Et hoc confirmant quæ adduximus in principio huius dubij in fauorem primæ opinionis, præsertim Extrauagans Sixti IIII. Nec consuetudo hęc videtur solùm ostendere obligationem per accidens, sed etiam per se : tum quia non tantùm qui communicaturi sunt, sed cæteri etiam homines censentur teneri hac obligatione : tum etiam, quia ipsimet, qui sunt communicaturi, timent violationem huius præcepti, & non solùm ex obligatione communicandi, sed etiam ex vi huius præcepti putant se ad cõfessionem teneri. Quartò, si quis per magnam partem anni non haberet cõscientiam peccati mortalis, & sæpiùs esset confessus de solis venialibus, & prope Quadragesimam peccaret mortaliter, obligaretur sine dubio ad cõfessionem faciendam intra Quadragesimam : quia nunquàm cõfessus est peccata mortalia illo anno, cùm tamen illa habeat : cur ergo non eodem modo obligabitur, etiamsi anteà peccasset mortaliter, & confessus esset ?

10. Conciliantur duæ sententiæ positæ in principio sectionis.

Et iuxta hanc illationem conciliantur facilè duæ sententiæ in principio tractatæ circa primam huius quæstionis partem: nam illa, quæ dicit hoc præceptum obligare determinatè pro tempore Quadragesimæ, intelligenda est, si homo habeat conscientiam peccati mortalis non confessi: quia non est verisimile eos Auctores sensisse, vel obligari hominem ad differendam confessionem vsque ad illud tempus, vel ad confitendum iterum peccatum semel confessum: vtrumque enim est improbabile: intelligunt ergo suam sententiam iuxta hanc illationem: alij verò Auctores, qui negant, hoc præceptum obligare in determinata parte anni, loquuntur per se, quia in quacunque parte anni homo confiteatur, implet hoc præceptum quoad ea, quæ tunc confiteri potest. Vnde si hoc præceptum aliquando obligat in tempore Quadragesimæ, solùm est in eo casu, B in quo præceptum non est anteà integrè impletum. Et hæc sententia sic explicata, vera est, vt dixi.

11. Victor. Ledesma.

Illatio verò vltimo loco facta, licèt securior sit, non est tamen certa: aliqui enim Auctores contrarium sentiunt, vt videtur esse Victor in Summa, num. 137. & Ledesma 2. part. 4. quæst. 6. art. 5. dub. 6. absolutè enim dicunt, qui intra annum confessus est non teneri ad confitendum tempore Quadragesimæ per se, & ex vi huius præcepti, quamuis expressè non dicant hoc esse verum, etiamsi conscientiam peccati mortalis habeat; hæc tamen videtur esse eorum intentio. Ad quam posset probabiliter accommodari cap. *Omnis vtriusque sexus*: nam cùm dicit debere hominem omnia peccata semel in anno confiteri, non est necesse intelligi de omnibus peccatis, C quæ vsque ad finem anni committuntur: sed de omnibus, quæ homo habet dum confitetur: quia, vt sæpe dixi, hoc præceptum tantùm est determinatio iuris diuini, & ita illa particula, *omnia peccata*, non addit nouam determinationem; sed explicat confessionem debere esse integram iure diuino. Quæ expositio, si sola litera textus consideretur, non potest satis improbari, & ita hæc opinio est probabilis reuerà, & ex dicendis in sequenti sectione fiet adhuc probabilior: sed nihilominùs quę diximus videntur in praxi sequenda, præsertim propter consuetudinem, quæ optimè legem interpretatur; & quia hic dicendi modus non potest omnia incommoda vitare, præsertim illud de dilatione confessionis per duos ferè annos, quod admittendum non censeo.

12. Nec etiam censeo consuetudinem solùm esse de obligatione per accidens, seu propter Eucharistiam D sumendam: nam, licèt fortasse fuerit occasio computandi annum hunc dicto modo Ecclesiastico, tamen ratio confitendi, & expiandi omnia delicta intra illum annum commissa, priusquàm omninò elabatur, non est solùm propter Eucharistiam sumendam: sed per se, quia ita præceptum est, & sub hac apprehensione à fidelibus communiter obseruatur: neque vnum tantùm, sed duplex peccatum committere se existimant, si eo tempore vtrumque sacramentum recipere omittant, permanentes in statu alicuius peccati mortalis, cuius conscientiam habent, etiamsi priùs in eodem anno de aliis peccatis confessi fuerint. Et confirmari hoc potest: nam, si priores confessiones tantùm fuissent de venialibus peccatis: quia non fuerant commissa mortalia, nemo negabit teneri hominem ad cõfitendum intra annum; si posteà mortaliter peccauit: quia præceptum est confitendi peccata mortalia, modificando diuinum præceptum, & priores confessiones non fuerunt de mortalibus, nec cadebant sub præceptum diuinum: cur ergo, non maiori ratione obligabitur quis ad confitenda peccata mortalia, quorum conscientiam habet in fine A anni, etiamsi voluntariè cõfessus priùs fuerit de aliis peccatis anteà in eodem anno commissis? Parum enim refert, quòd posteriora peccata mortalia subsequuta sint post alia peccata mortalia, vel post venialia, & diuinum præceptum omnia mortalia includit, vnde in omnia cadit Ecclesiastica moderatio, quæ statuit, vt omnia peccata, quæ in hoc anno committuntur, intra illum expientur, & quantùm est ex vi illius posset vno actu, seu confessione fieri. Si autem voluntariè incipiat fieri sigillatim, & quasi per partes prout peccata committuntur, hoc non tollit obligationem complendi in fine anni confessionem omnium peccatorum mortalium, si aliquod adhuc in conscientia maneat.

## SECTIO III.

### *Vtrùm qui non impleuit præceptum hoc intra annum, teneatur statim confiteri in sequenti anno.*

1. Prima sententia.

IN hac re est prima sententia, quæ affirmat eum, qui toto hoc anno non est confessus, peccasse quidem mortaliter, posteà tamen non teneri ad cõfessionem vsque ad sequentem Quadragesimam; sicut, qui die Dominica omisit sacrum, peccauit, non tamen tenetur audire Missam in feria secunda vsque ad alium diem festum. Ita Antonin. 2. part. tit. 9. §. 3. & Syluest. citans Archidiaconum, verb. *Eucharistia*, 3. quæst. 15. & idem indicat, si consequenter loquitur Ledesm. suprà dub. 7. vt magis infrà constabit. Fundamentum est, quia præceptum affirmatiuum determinatè obligans pro aliquo tempore, licèt intra illud tempus violetur, tamen transacto tempore iam ampliùs non obligat: ergo præceptum confitendi hoc anno, si in illo impletum non sit, non obligat in sequenti anno: ergo non tenetur homo illud implere nisi pro tempore, pro quo obligat præceptum sequentis anni. Antecedens patet inductione in præcepto ieiunij, in præcepto audiendi sacrum, recitandi Horas quotidiè, & in præcepto annuæ communionis, vt multi volunt, vt si quis non communicauit hoc Paschate, in rigore non teneatur communicare vsque ad sequens Pascha. Et ratio horum est, quia tale præceptum definit suam obligationem ad tale tempus: ergo transacto tempore, licèt violatum sit præceptum Ecclesiæ, eius tamen obligatio cessauit. Confirmatur: quia aliàs ille homo continuè peccaret, quandiu non confiteretur. D. Antonin. Syluest. Ledesm.

2. Vera sẽtẽtia

Nihilominùs dicendum est, in eo casu teneri hominem statim confiteri, & quò magis ac magis voluntariè differt confessionem, eò magis ac magis peccare. Ita tenet Maior dist. 17. quæst. 2. circa finem, Soto dist. 18. quæst. 1. art. 4. Medina quæst. 18. Nauarrus cap. 21. num. 45. Victoria num. 137. Qui in num. 147. optimè addit, si quis in toto anno, & tempore Paschatis omisit confessionem sine peccato: quia non habuit copiam confessoris, & nihilominùs communicauit in Paschate cum sola contritione, teneri ad confessionem faciendam, quam primùm potest, non ex obligatione per accidens: sed ex vi huius præcepti confessionis annuæ, quod adhuc obligat, cùm impletum non sit. Et probatur hæc sententia primò ex vsu, & praxi Ecclesiæ: excommunicantur enim fideles, qui hoc præceptum intra annum non seruant, nec possunt ab excommunicatione absolui, donec confiteantur: ergo signum manifestum est, teneri statim ac continuè ad confessionem: quia si solùm excommunicarentur propter peccatum præcedens, facilè absolui possent, præsertim cùm illa excommunicatio reseruata non sit: non ergo tantùm propter commissam culpam excommunicantur, Maior. Soto. Medina. Nauarr. Victoria.

municantur, sed vt impleant obligationem, quam semper retinent, quæ obligatio non est illis denuò imposita propter excommunicationem: sed oritur ex hoc ipso præcepto confessionis annuæ, & à pastoribus Ecclesiæ explicatur. Secundò probatur hoc ex forma, & intentione præcepti: mandatur enim, vt saltem semel in anno confiteamur: intentio verò præcepti est, vt confessio nimiùm non differatur: ergo ita obligat, vt intra annum fiat confessio, vt si tunc non impleatur, semper ac continuè obliget, ne amplius differatur. Vt si quis teneatur intra annum, aut semel in anno soluere censum, aut debitum, transacto anno multò magis continuè tenetur. Vnde ex fine, & forma talis præcepti colligitur, determinationem temporis, quæ in illo fit, non esse vt in illo terminetur, & extinguatur obligatio, si non impleatur: sed solùm, vt toto illo tempore differri possit, non verò vltra illud: sicut, si stando in solo iure diuino prudenter iudicari posset hoc præceptum obligare, v.g. intra quinquennium, transacto illo non extingueretur obligatio: sed magis semper vrgeret.

3. Destruitur fundamenta cõtrariæ sententiæ.

Et ex his facilè respondetur ad fundamenta contrariæ sententiæ. Illud enim principium, quod assumit, est verum, quando temporis designatio, quæ fit per affirmatiuum præceptum, est ad terminandam omninò obligationem pro illo tempore, vt est in præcepto ieiunij, orationis, & similium; secus verò est, quando fit determinatio ad differendam obligationem vsque ad illud tempus, & ideò non sunt similia exempla ibi adducta: in eis enim habetur specialis ratio temporis designati, vt patet de ieiunio, & de obligatione audiendi sacrum: hîc verò habetur ratio frequentiæ talis sacramenti, & solùm intenditur, vt, licèt confessio possit differri per annum, non tamen vltrà differatur. An verò idem dicendum sit de præcepto Eucharistiæ, dictum est in propria materia: Auctores enim non eodem modo sentiunt de vtroque præcepto, nec potest assignari generalis regula ad agnoscendum, quando præceptum determinet tempus vno, vel alio modo, considerandæ autem est forma, materia, & intentio, & ex illis cognoscendus est modus determinationis eius.

4. Ex hac verò decisione colligitur (quod ferè nullus negat) si quis propter inopiam confessoris, vel aliam rationabilem causam non impleat debito tempore hoc præceptum, debere habere animum, & propositum illud implendi, quamprimùm commodè possit: quia ad hoc tenetur, vt ex dictis constat, in quo cernitur aperta differentia inter hoc, & præceptum ieiunij, vel Missæ audiendæ, &c.

*Duo dubia proponuntur.*

5. Primum dubium.

DVo tamen supersunt breuia dubia: primum est, an in huiusmodi euentu, si quis distulit confessionem præsentis anni in principium anni sequentis, possit vna & eadem confessione præcepto vtriusque anni satisfacere, ita vt in illo anno ampliùs confiteri non teneatur. Videtur enim ita esse: quia per hanc confessionem satisfacit obligationi relictæ in anno præterito, & rursus iam semel confitetur in præsenti anno, nec tenetur bis confiteri: rectè verò fieri potest, vt quis satisfaciat, vno & eodem actu duplici obligationi in eodem tempore concurrenti, vt in præsenti materia est certum, si huiusmodi homo differat confessionem secundi anni vsque ad finem eius: quamuis enim malè faciat, postea tamen vnica confessione satisfaciet vtrique obligationi. Hæc difficultas maximè procedet, si asseramus hoc præceptum impleri per quamcunque confessionem in principio anni factam, ita vt ampliùs non obliget, etiamsi homo habeat conscientiam noui peccati mortalis: nam hoc posito videtur consequenter dicendum, illum hominem satisfacere per illam confessionem obligationi vtriusque anni: præsertim si in ea confessus est aliquod peccatum mortale in præsenti anno commissum: quia cõfessio illius iam pertinet ad præceptum anni præsentis, & si sola fieret, sufficeret ad implendum illud præceptum. At verò iuxta aliam sententiam, quam securiorem esse diximus, dicendum consequenter est, per eam confessionem satisfieri obligationi præsentis anni quoad eam partem, quæ ad illũ pertinet, semper tam en manere obligationem cõfitendi iterum in illo anno, si noua materia necessaria occurrat. Et hoc videtur sine dubio verisimilius: quia aliàs posset homo differre cõfessionẽ illam ferè per duos annos: pari enim ratione non esset obligãdus ad confitendum statim post transactum primum annum. Vsus etiam, & cõsuetudo Ecclesiæ hoc confirmat: nã pastores ita exigunt confessionem debitam illi Quadragesimæ, vt nihilominùs cẽseant manere hominem obligatum ad confitendum in sequenti, vel vsque ad sequentem Quadragesimam, vnde eodẽ modo, & per eandem excõmunicationem exigent posteà sequentẽ confessionẽ.

6. Secundum dubium.

Secundum dubium est, si quis in confessione huius anni omisit aliqua peccata propter obliuionem, vel aliã rationabilẽ causam, an teneatur illa cõfiteri cum primùm possit, vel possit differre donec vrgeat obligatio sequẽtis anni. Ledesma suprà distinctione vtitur: nam si recordatur, & potest confiteri intra eundem annum, tenetur id facere, quia reuerà non impleuit præceptum confitẽdi omnia peccata, quanuis excusatus fuerit, & adhuc durat tempus, in quo potest implere: ergo. Si verò recordatur, inquit, post transactum annum, iam non tenetur, in quo indicat obligationem confitendi in anno extingui cum ipso anno, aliàs nõ consequenter loquitur: nam etiamsi annus finitus sit, si obligatio cõfitendi in illo non est impleta, adhuc durat: ergo tenebitur statim confiteri, etiamsi post trãsactum annum recordetur. Aliter distinguit Soto inter peccata oblita, & peccata cognita, ex iusta causa prætermissa: nam hæc posteriora dicit esse statim confitenda, de prioribus verò subdistinguit: nam vel obliuio (inquit) fuit culpabilis, & tunc statim confitenda sunt, vel inculpabilis, & tunc cessat obligatio. Sed prior distinctio mihi non placuit suprà cùm de integritate agerem: quia, vt ibi ostendi, vtrorumque est eadem ratio. Secunda distinctio etiam non est necessaria: quia si obliuio fuit ita culpabilis, vt sacramentum fuerit nullum, tota confessio iteranda est: si verò fuisset validum, nihil referret quòd culpa aliqua intercessisset. Et ideò alij Auctores simpliciter negant, ex vi huius præcepti esse obligationem statim confitendi talia peccata, sed posse vsque ad confessionem sequentis anni differri. Ita Victoria suprà num. 137. & Nauarr. in Summ. cap. 2. n. 10. & videtur in praxi satis secura, & vsitata sententia, & opposita esset nimis rigorosa: rationẽ reddemus soluẽdo sequentem obiectionem.

Sententia Ledesm.

Soti sẽtẽtia

Vtraque sententia reiicitur.

Soluitur dubium propositum.

Victoria. Nauarr.

Oritur enim ex dictis in hac, & præcedenti quæstione contra hanc sentẽtiam obiectio. Nam si quis ex iusta causa omisit totam confessionem anni, tenetur posteà statim, cùm primùm potest, illam facere: quia, licèt excusatus fuerit, re tamen vera non impleuit præceptum: ergo eadem ratione qui omisit partem huius præcepti, tenebitur posteà statim, &c. Et augetur difficultas, diximus enim vt probabile, & securius, eum, qui post aliquam confessionem intra annum habitam, habet conscientiam noui peccati mortalis, in fine anni, seu tempore Quadragesimæ teneri ad confitendum illud intra illum annum: quia ex præcepto Ecclesiastico tenetur confiteri omnia

7. Obiectio.

Cõfirmatio obiectionis.

peccata illius anni: ergo eadem ratione, si aliquod peccatum omittit, tenebitur illud peccatum confiteri, cùm primùm potest, intra illum annum, vel anno elapso, cùm primùm possit. Respondetur negando consequentiam; & ratio sumenda est ex vero sensu Ecclesiastici præcepti: obligat enim ad confitenda omnia peccata illo anno commissa, quantùm memoriæ occurrunt facta diligentia, seu quantùm fieri potest, & necesse est ad integritatem sacramenti: quia hæc est obligatio iuris diuini, cui in hac parte nihil addit Ecclesiasticum præceptum, sed solùm in temporis determinatione, vt sæpe dictum est: qui ergo nullam confessionem facit, nullo modo implet hoc præceptum, & ideò obligatus manet; at verò qui facit, vt potest, confessionem totius anni, integrè, & absolutè implet præceptum Ecclesiasticum, & ideò etiamsi ex accidenti aliquid omittat, non manet obligatus vsque ad sequentem annum.

Soluitur.

A

B

8. Respõdetur ad cõfirmationem.

Ad confirmationem, quæ difficilior est, respondetur, propterea illam sententiam non esse certam, sed probabilem, & iuxta illam dici posse, quòd illa obligatio magis oritur ex consuetudine Ecclesiæ, quam ex vi verborum ipsius præcepti: hæc autem consuetudo vires obtinuit respectu peccatorum, quæ post aliquam confessionem commissa sunt, & nullo modo neque per se, neque per accidens per præcedentem confessionem auferri potuerunt, non verò est talis consuetudo circa peccata oblita; & ideò non oportet, vt sit similis obligatio. Deinde accommodari ad hoc potest intentio præcepti: præcipit enim, vt confessio fiat de toto anni tempore, quantùm moraliter possit: ille verò, qui per se, & ex intentione sua omnia confitetur, & ex occasione, vel obliuione aliquid omittit, reuerà quantùm est in se, extendit confessionem suam ad totum annum; & ideò totum præceptum implet. At verò qui per se, & directè tantùm confitetur de actionibus factis in vna parte anni: si in alia parte habeat peccata, nullo modo impleuit totum præceptum: quia illa confessio nullo modo relata est ad illam partem illius anni: est ergo quoad hoc tam in intentione, quàm in forma præcepti differentia. Ac denique etiam est rationis diuersitas: quia peccata oblita aliquo modo continentur in illa confessione, saltem in confuso, & per illam tolluntur saltem indirectè, & per accidens, etiamsi homo tantùm attritus sit; at verò peccata posteà commissa nullo modo tolli possunt per præcedentem cõfessionem, & ideò non est eadem ratio.

C

D

## SECTIO V.

### *Vtrùm interdum teneantur fideles anticipare confessionem, antequàm annus impleatur.*

1. HÆc quæstio intelligitur de obligatione per se: nam per accidens ratione communionis, vel sacrificij Missæ, non est dubium, quin sæpe possit accidere hæc obligatio; tamẽ ea, quæ per accidens sunt, non cadũt sub scientiam. Rursus hæc obligatio per se intelligi potest, vel ex vi huius præcepti de annua cõfessione positi in d. cap. *Omnis vtriusque sexus*, vel ex vi solius iuris diuini, vel ex vi alterius Ecclesiastici præcepti. De his ergo tribus membris breuiter dicendum est.

E

1. Communis sententia.

Quoad primam partem communis sententia est, ex vi huius præcepti teneri fideles ad anticipandam confessionem in quacunque parte anni, si præuident fore, vt amissa illa occasione non possint in toto anno confiteri, vt v. g. ex penuria confessorum, vel ex longa nauigatione, vel peregrinatione per terras infidelium. Ita docent Theologi dist. 17. Bonauẽtura 2. part. dist. 15. art. 2. quæst. 2. Gabriel quæst. 2. art. 3. dub. 1. Durandus quæst. 10. num. 6. Maior quæst. 2. art. 5. Richardus art. 3. quæst. 5. Paludanus q. 2. art. 4. Adrianus q. 3. de Confess. Petrus Soto lect. 5. de Confess. Syluest. verb. *Confessio*, 1. q. 2. Medina q. de tempore, quo confiteri oportet. Cano, Soto, & alij suprà citati. Et ratio est, quia hoc præceptum non limitatur ad finem anni: sed obligat ad confitendum semel in anno peccata commissa, & non confessa: sed, si homo positus in illa occasione, non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, imò reddit se impotentem ad implendum illud: ergo tenetur tunc confiteri. Sicut, qui in die festo præuidet se non posse audire sacrum ab hora decima, tenetur anticipare, & audire priùs, quamuis aliàs posset differre vsque ad horam decimam secundam, si futurum esset sacrum: quia illud præceptum simpliciter obligat pro illo die, prout in illo impleri potuerit: nam proportionalis est obligatio pro toto anno in confessione.

Bonauent. Gabr. Durand. Maior. Richard. Palud. Adrian. Petr. Soto. Sylueſt. Medina. Cano. Soto.

3. Solutio obiectionis.

Et hoc exemplum soluit obiectionem, quæ fieri potest: nam si quis præuidet fore, vt non possit in die Dominica audire sacrum, non tenetur præuenire, & audire in die sabbati, & idem est de ieiunio. Respondetur enim non esse simile, quia obligatio talis præcepti non incipit vsque ad diem præfixum, in illo verò obligat pro toto die, modo explicato: ita hîc obligatio incipit, vel currit in toto anno, vnde in illo est implenda, prout potuerit. An verò idem sit de præcepto annuo Eucharistiæ, suo loco dictum est; ex eo verò, quod certum est, possumus à simili confirmare sententiam positam: nam saltem intra illos quindecim dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, certum est teneri aliquem anticipare, & communicare in Dominica Palmarum, si præuidet quòd in sequentibus diebus communicare non poterit, quia saltem de illo toto tempore certum est esse aptam ad implendum illud præceptum, & in toto illo currere obligationem, vt intra illud impleatur prout potuerit. Aliud simile tractat Cano de obligatione recitandi Horas intra vnum diem, an teneatur homo præuenire, quando præuidet impedimentum. Sed hoc requirit propriam, & longiorem disputationem; quia in multis est dissimilitudo, quæ non possunt hîc breuiter explicari.

4. Limitatio quorũdam.

Quidam verò limitant hanc sententiam, vt solùm procedat in eo, qui voluntariè se exponit tali impedimento: secus verò esse, si ex defectu proprij Sacerdotis sibi inuoluntario hoc eueniat, vt v. g. si in aliquo oppido, tempore Quadragesimæ, deficiat Parochus, vel anteà præuideatur defuturus, dicunt non teneri fideles ad anticipandam confessionem: tum quia impedimentum in eo casu, cùm non sit voluntarium, non imputatur: tum etiam quia ad Ecclesiam pertinet prouidere Sacerdotes, qui si desint, non tenentur fideles anticipare confessionem. Sed non oportet limitationem adhibere: quia, vt dixi, hæc obligatio semel in anno confitendi, in quacunque parte anni locum habet, si in illa non possit impleri, ex quocunque capite hæc impotentia proueniat: id enim accidentale est, quod satis confirmat exemplum suprà positum de præcepto audiendi Missam: vnde, si pro aliqua parte anni habetur copia confessoris, iam Ecclesia sufficienter prouidet de confessore, prout fieri potest. Et hinc omnes Doctores consequenter colligunt, si quis habeat peccata reseruata, & nunc possit illa confiteri habenti iurisdictionem in illa, timeatque non habiturum amplius in illo anno copiam talis confessoris, teneri ad confitendum statim: est enim eadem proportionalis ratio.

Reprobatur

An

*An ex vi iuris diuini vrgeat interdum hæc obligatio.*

5. An præter mortis articulũ obliget ius diuinum in aliquo casu.

CIRCA secundam partem quæstionis certum est, si intra annum occurrat mortis periculum, ius ipsum diuinum ad cõfessionem obligare. Quod per se notũ est ex suprà dictis. Quod ergo dubitatur, est, an præter illum articulũ, sit alius casus, in quo obliget ius diuinum. Aliqui Auctores præter hũc casum numerant periculũ obliuionis: itaq; si aliquis timet probabiliter, expectando finem anni, se omissurum multa peccata propter obliuionem, teneri ad anticipandam cõfessionem, quãtùm necesse sit, vt omnium integrè recordetur, & cõfiteatur. Tenet Maior d. 17. q. 2. in fin. Marsil. q. 12. art. 1. p. 4. in fin. Medina q. 16. Fundamẽtum est, quia de iure diuino tenetur homo integrè confiteri: ergo tenetur tunc confiteri, cùm possit, integrè; sed præceptum Ecclesiæ non potuit auferre hanc obligationem: ergo. Respondet Soto, Ecclesiam potuisse definire tempus, pro quo possunt homines moraliter, & regulariter loquendo, recordari, quale est tẽpus vnius anni: & ideò, licèt in particulari interdum iis aliquo deficiat, non propterea obligari ad anticipãdam cõfessionem, vnde admisso antecedente, & prima cõsequentia, negat secundam.

Maior. Marsil. Medina.

Soto.

Sotus reprehenditur.

Sed non videtur consequenter loqui, quia Ecclesia determinando tempus, non potest mutare id, quod iure diuino definitum est: si ergo iure diuino quisquam tenetur confiteri, tunc cùm recordari potest, nõ potuit Ecclesia id mutare: iam enim ille articulus tam verè est de iure diuino, sicut articulus mortis. Cõfirmatur à simili: nam iure diuino, & naturali tenentur fideles alere Sacerdotes, & ad hoc Ecclesia determinauit decimas; & nihilominùs, si alicubi non sufficerent, tenerẽtur fideles dare necessaria: similiter determinauit tale ieiuniũ ad corporis macerationẽ, & tamẽ si alicui in particulari esset aliquid ampliùs necessariũ ad suam salutem, teneretur id facere, quia ius Ecclesiæ non excludit naturale. Et augetur difficultas. Ponamus enim hominẽ probabiliter timere ne omnia peccata omninò memoriæ excidant, vel ne in amẽtiam incidat: tũc tenetur sine dubio anticipare totam cõfessionem: ergo idẽ proportionaliter dicendũ est, quando est periculum de omittẽda parte.

6. Communis, & vera sententia. Sylvester. Soto. Petr. Soto. Victor. Cano. Ledesma. Nauarr.

Nihilominùs communis sententia est, in huiusmodi casu non esse obligationem anticipandi cõfessionem, Sylvest. verb. *Confessio*, 1. q. 2. Soto dist. 18. q. 1. art. 4 Pet. Sot. lect. 5. Victor. n. 132. Cano dict. Relect. p. 5. Ledesma q. 5. art. 5. dub. 7. & 8. Nauarr. c. 21. n. 35. Ratio à posteriori est, quia aliàs determinatio Ecclesiæ ferè nihil profuisset fidelibus, si incerti essent de tempore suæ obligationis, neque haberent pacatas conscientias. Ratio verò à priori esse debet, quia non tenetur homo iure diuino præuenire, & diligentiam facere, vt peccata conseruet in memoria, sed tantùm tenetur, quando tempus obligationis occurrit, moralem diligentiam facere, vt omnium recordetur, & integrè confiteatur; & hoc satis est, moraliter loquendo, vt confessor cognoscat statum conscientiæ pœnitentis, præsertim si ipse ex parte sua diligentiam adhibeat, quam iuxta personæ conditionem adhibere tenetur: neque maior obligatio satis colligi potest, vel ex sacra Scriptura, vel ex Ecclesiæ traditione. Et hęc posterior opinio est suauior, & practicè secura, quamuis prior consulenda esset.

*An ex vi alterius præcepti Ecclesiastici hæc obligatio interdum oriatur.*

7. CIRCA tertiam partem quæstionis certum est, nullum esse præceptum positiuum per se obligans totam Ecclesiam ad confitendum ante impletum annum. Solùm circa religiosas personas sunt duo iura breuiter explicanda: alterum in Clementina 1. de Statu Monachorum, vbi præcipitur Religiosis S. Benedicti, vt singulis mensibus confiteantur. De quo iure primùm incertum est, an obliget tantùm eos, qui habent conscientiam peccati mortalis, vel etiamsi non habeant nisi tantùm venialium. Glossa enim ibi priorem sententiam significat, dum ait ibi fieri determinationem menstruam pro illis Religiosis, sicut facta est annua pro omnibus fidelibus: & hoc sequitur Soto dist. 18. q. 1. art. 3. & indicat Paludan. 4. dist. 17. q. 2. art. 4. Alij verò existimant secundum, cum Caietan. tom. 1. Opusc. tit. 5. q. 1. Cano dict. Relect. part. 5. Nauarr. in cap. *Placuit*, de Pœnit. dist. 6. num. 122. & certè videtur magis consonum intentioni Pontificis: tum quia non est verisimile præsumpsisse Pontificem Religiosos peccaturos mortaliter singulis mensibus: tum etiam quia præceptis, seu regulis ibi positis intendit Põtifex reformare religionem illam: non esset autem reformatio, sed potiùs relaxatio religionis, si tantùm post commissum peccatum mortale, & singulis mensibus ad confessionem obligarentur.

Glossa. Soto. Palud. Caietan. Cano. Nauarr.

8. Deinde incertum est, an illud ius obliget sub mortali tales Religiosos ad menstruam confessionem: Soto enim suprà consequenter videtur affirmare, quod etiam sentit Maior dist. 17. q. 2. Nauarrus autem suprà solùm dicit eos teneri de honestate. At verò Caietanus sentit non obligare illam legem ad peccatum mortale, quod sequitur Cano Relect. illa, part. 5. quia nec verba legis, nec pœna imposita tantam obligationem inducant. Quæ ratio non multùm cogit: quia verbum, *teneantur*, vel aliud simile, quo ibi Pontifex vtitur, de se sufficiens est; grauitas autem obligationis non est colligenda ex pœna, sed ex materia legis: at verò hîc materia grauis est, scilicet vsus sacramenti ad vitam religiosam magis necessarij, sicut ibi etiam præcipitur communio singulis mensibus, quæ etiam videtur materia grauis. Vnde existimo hoc pendere ex instituto, & consuetudine talis religionis: arbitror enim hanc constitutionem non magis eos obligare, quàm alias eius religionis regulas: quia in toto illo capite nullum verbum est, quod aliud indicet. Vnde, si vsus, & declaratio talis religionis est, vt constitutiones eius non obligent ad culpam, nisi quando adiũgitur pœna excõmunicationis, vel alio simili modo ea obligatio explicatur, dicẽdum est, hoc ius non obligare sub mortali; si verò nulla talis est declaratio, neque ex consuetudine huius religionis aliud constat, lex hæc explicãda est iuxta vim verborũ, & qualitatem materiæ, in quã cadit; & ideò ex suo genere inducet grauem obligationem, propter rationem factam.

Soto. Maior. Nauarr. Caietan. Cano.

9. Alterum ius positiuum explicãdum erat in Concilio Tridentino, sess. 25. cap. 10. de Regularibus, vbi admonentur Moniales, vt singulis mensibus confessionem peccatorum faciant: ex verbis autem illius decreti constat, non esse rigorosam legem, præcepti obligationem inducentem; quia verbum, *Admoneo*, quod Concilium ponit, non est præceptiuum.

## SECTIO VI.

*Quibus modis excusetur homo ab executione huius præcepti.*

1. DIXIMVS de obligatione anticipandi confessionem, superest vt explicemus licentiam, seu facultatem differendi confessionem, & in primis non est quòd agamus de casu impotentiæ absolutè, & simpliciter, qualis

qualis ést, quando omninò haberi non potest copia confessoris: nam tunc per se notum est, hominem excusari à culpa, etiamsi per multos annos cõfessionem ex hac causa differat; quia nemo ad impossibile obligatur. Secundò certum est, non solùm physicam, & absolutam impotentiam, sed etiam extraordinariam difficultatem moralem posse interdum excusare, vt si quis non possit habere cõfessorem, nisi longum iter conficiat: non enim est ad hoc cogendus, præsertim quando non vrget periculum salutis. Quanta verò esse debeat hæc difficultas, prudentis viri iudicio existimandum est. Atque idem dicẽdum est, quando est copia confessoris, non tamen potest illi fieri confessio sine morali periculo infamationis, vel alterius grauis nocumenti: sicut enim suprà diximus, huiusmodi causam excusare interdum ab integritate confessionis, ita si totam confessionem comprehendat, à tota illa excusabit: est enim eadem proportionalis ratio. Quod maximè indubitatũ est in obligatione Ecclesiastici præcepti; quia non obligat cum tanto rigore: extẽdi verò potest ad obligationem præcepti diuini, si causa sit grauis, & aliàs non immineat morale periculum damnationis, vt iam explicabo. Obseruandum verò hîc est (quod suprà adnotauimus) licèt interdum occurrat hæc causa sufficiens ad excusandum à confessione vnius, vel alterius peccati, non propterea excusari ab obseruatione huius præcepti eum, qui conscientiam aliorum peccatorum mortalium habet, quia potest illa confiteri, confessione formaliter integra: non est ergo cur excusetur. Secus verò esset, si non haberet peccata mortalia, præter ea, quæ sine tali incommodo confiteri non potest: nam, licèt posset in eo casu recipere hoc sacramentum sine incommodo, confitendo tantùm venialia, non tamen tenetur, quia præceptum non obligat ad talem confessionem, vt suprà dictum est.

2. An teneatur quis cõfiteri per interpretem. Prima sententia. Sylvest. Cano.

His positis, duplex in hac quæstione difficultas esse potest. Prima, quando aliquis non potest nisi per interpretem confiteri, tunc excusetur, etiamsi nullum aliud damnum timeat. Prima sentẽtia distinguit de præcepto Ecclesiastico, vel diuino, & affirmat excusare hanc causam ab obligatione præcepti Ecclesiastici, non verò diuini. Ita tenet Sylvester verb. *Confessio*, 1. num. 15. qui refert Archidiaconum, & alios, & idem sequitur Cano. Quorum ratio pro secunda parte esse videtur, quia tunc non interuenit difficultas, vel damnum sufficiens ad excusandum: quia cùm interpres teneatur eadem lege præcepti, qua Sacerdos, & non timeatur reuelatio, non videtur graue damnum quòd duo audiant idem peccatum: nam, quod aliqui dicunt, inde fieri peccatum publicum, & iuridicè probabile duorum testimonio, nihil ad rem spectat; quia testimonium eius, qui peccatum in confessione audiuit, nullum omninò est. Et confirmatur: nam sæpe necesse est duobus peccatum reuelare, vel propter casuum reseruationem, vel consilij petendi causa, vel auxilij: ergo & propter ipsum sacramentum suscipiendum.

3. Secunda sententia. Caietan. Soto. Ledesma. Victor. Petr Soto. Medina. Maior. Palud. Trident.

Secunda sententia, & communis est, in eo casu posse hominem confiteri, si velit, excusari tamen simpliciter ab obligatione cuiuscunque præcepti confessionis, etiam in mortis articulo. Ita sentit Caietan. verb. *Confessio*, condit. 11. Soto dist. 18. q. 2. art. 6. Ledesm. 2. part. 4. q. 8. art. 3. Victor. n. 173. Petr. Soto lect. 5. de Confess. Medina qu. 19. de modo secretè confitendi. Maior dist. 17. & ibid. Paludan. Fundamentum esse potest, quia iure diuino nullus obligatur ad publicam confessionem, vt colligitur ex Trident. sess. 14. c. 5. publica autem confessio distinguitur à secreta, seu auriculari, quæ soli Sacerdoti fit: ergo quæ fit per interpretẽ publica, censetur in hoc foro.

A In hac re censeo primùm, non obligare præceptum Ecclesiasticum ad confitendum hoc modo: tum propter rationem factam: tum etiam, quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum tanto onere: tum etiam, quia in ipso cap. *Omnis vtriusque*, sic dicitur, *Omnis fidelis teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*: illa enim particula, *solus*, hoc satis indicat. Secundò certum existimo, neminem teneri ad confessionem hoc modo faciendam iure diuino extra mortis articulum. Patet ex fundamento secundæ sententiæ. Item ex his, quæ suprà diximus, scilicet, præceptum diuinum per se non obligare extra hunc articulum: sed etsi aliàs obligare posset, idem dicendum esset: quia, cùm hoc præceptum affirmatiuum sit, non obligat pro semper, sed temporibus opportunis: moraliter autem, & prudenter non censetur opportunum tempus, quando homo non potest ordinariè, & sub secreto confiteri, & aliàs non vrget extrema necessitas.

4. Vera resolutio quæstionis.

B Tertiò, in articulo mortis videtur mihi prima sententia valdè probabilis, & speculatiuè verior; qui autem voluerit secundam sequi, potest id facere tutò, quia est practicè probabilis, quantùm est ex vi præcepti confessionis: quod ideò addo, quia ex obligatione pœnitentiæ, vt sic, seu satisfaciendi Deo, & ex obligatione charitatis, & curandi salutem propriam, poterit quis tunc obligari ad confessionem hoc modo faciendam. In quo hæc regula seruanda est, si homo habeat probabilem existimationem de sua vera cõtritione, excusari poterit ab obligatione confitendi hoc modo, quia non videtur moraliter necessaria ad salutem; si autem probabiliter timeret, vel dubius esset de contritione sua, tunc teneretur confiteri etiam hoc modo, vel etiam publicè: quia cùm absolutè teneatur Deo satisfacere, meritò in casu dubio obligatur, vt alio modo iustificetur, Deoque satisfaciat. Itẽ, ne se exponeret periculo æternæ damnationis, quæ præ omnibus aliis incõmodis vitanda est. Posset autem in huiusmodi casu pœnitens confiteri ea peccata, quæ cum minori infamia explicare posset, nec teneretur ad cõfessionẽ materialiter integram: est enim hæc causa sufficiens ad excusandum illum, & ita hoc satis esset ad recipiẽdum hoc sacramentum, & consequenter ad subueniendum saluti suæ: posset enim tunc fieri ex attrito contritus.

5.

C Secunda difficultas est, si quis non possit nisi per scriptum confiteri, vt quia vel ipse mutus est, vel confessor surdus, & non potest se aliis nutibus explicare; an sit hæc sufficiens causa ad excusandum: multi enim sentiunt in eo casu excusari hominem à præcepto cõfessionis. Ita sentit Richard. dist. 17. art. 2. q. 5. Nauarr. cap. 21. num. 36. Victoria n. 137. Medina, Soto, & Ledesma locis suprà citatis. Fundamentum est, quia scriptura est publicum instrumentum, & qui scribit peccata, exponit se periculo amittendi scriptum, vel vt confessor illud accipiat de manibus eius, & in publicũ ferat, non autem tenetur publicè confiteri, nec huic periculo se exponere. Sed hæc sententia non videtur mihi solida ratione fundata, quia reuerà potest facilè fieri, vt nullum sit morale periculum, nec scriptura magis est publicum instrumentum, quàm vox, præsertim si cautio adhibeatur.

6. An teneatur quis per scriptum confiteri. Prima sen. tentia. Richard. Nauarr. Victor. Medina. Soto. Ledesma. Reprobatur.

D Vnde contraria sententia mihi videtur probabilior, non solùm de præcepto diuino, sed etiam Ecclesiastico. Eam tenet Sylvester verb. *Confessio*, 1. q. 15. qui refert alios, præsertim D. Thomam, qui hoc insinuat dist. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. & ibi Paludan. q. 2. Maior q. 1. ad 3. Caietan. verb. *Confessio*, condit. 11. Petr. Soto lect. 11. de Confess. Fundamentum est, quia præceptum confessionis obligat, quando commodè, & sine damno aliquo impleri potest; sed quòd homo

7. Cõtraria sẽtentia probatur. Sylvest. D. Thom. Paludan. Maior. Caietan. Petr. Soto.

homo per scriptum confiteatur, nullum est incommodum, neque vllum damnũ affert: nam si aliquod, maximè publicam manifestationem peccati, sed hoc nec semper, nec frequentiùs sequitur, & facilè caueri potest omne morale periculum ne sequatur. Et primò Caietanus adhibet modum, quia potest pœnitens in vna charta scribere omnes species peccatorum, & in alia varios numeros, & postea in confessione signo ostendere peccatum, & numerum. Petrus Soto adhibet alium, vt non anteà scribat, sed coram Sacerdote, & statim rumpat. Quod enim Dominicus Soto ait, posse Sacerdotem rapere chartam de manibus, & publicare, nullius momenti est: nam etiam posset confessionem voce factam manifestare: quòd si hoc non est timendum, quia est contra sigillum, neque illud aliud. Denique, quia, si homo non subscribat, & literam aliquo modo mutet, nullum est periculum: ergo nulla est hîc sufficiens ratio excusationis.

## SECTIO VII.

### *Per quam confessionem præceptum hoc impleatur.*

1. DVo possunt in præsenti quæstione interrogari: vnum est, an requiratur confessio valida, & per veram absolutionem confirmata in ratione sacramenti: secundum, an sit necessaria confessio etiam formata, & habens effectum gratiæ. Prior pars locum non habet in eorum sententia, qui negant dari posse hoc sacramentum validum, & informe: tamen iuxta aliam sententiam breuiter tractanda est. Duobus autem modis potest iuxta illam sententiam dari hoc sacramentum validum, & informe, scilicet ex defectu integritatis, & ex defectu doloris. Quando est primo modo, videtur indubitatum per talem confessionem non impleri præceptum, quia tunc homo nec exteriùs facit id, quod præceptum est.

2. Opin. quorundam. Alens. Gabriel. Paludan. Sylvest. Cano. Ledesma. Victor.

Quando verò est posterioris modi, multi putant sufficere ad implendum hoc præceptum. Ita sentit Alens. 4. part. quæst. 77. memb. 5. art. 7. Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. vlt. Paludan. quæst. 7. Sylvest. verb. *Confessor*, 4. quæst. 2. in fine. Cano dict. Relect. part. 5. in fine. Ledesma quæst. 8. art. 2. Victor. num. 163. Probatur primò, quia Ecclesia tantùm potest præcipere actum externum, ille autem homo in eo casu exteriùs facit quidquid Ecclesia præcipit, tantumque deest illi actus interior. Secundò, & præcipuè ex cap. *Quod quidam*, de Pœnit. & remiss. vbi dicitur, recipiendam esse confessionem eorum, qui publici peccatores sunt, & vitam emendare nolunt, licèt absolui non debeant. Tertiò, quia Ecclesia præcipit confessionem, non absolutionem, vnde absolutio est finis, non materia huius præcepti: ergo licèt aliquis ita confiteatur, vt absolui non possit, nihilominùs implet præceptum, dummodò integrè confiteatur.

3. Durand. Soto. Petr. Soto. Nauarr. Medina. Adrian. Concilium Tridentin.

Dicendum tamen censeo, hoc præceptum non impleri, nisi per veram susceptionem sacramenti Pœnitentiæ. Ita tenet Durand. dist. 17. quæst. 14. Soto dist. 18. q. 3. art. 5. Petrus Soto lect. 8. Nauarr. cap. 10. num. 4. Medin. quæst. 24. de Confessione ficta iteranda, sub finem: Adrian. q. 5. de Confess. dub. 4. Et sequitur manifestè ex principiis suprà positis ex Concil. Trident. sess. 14. c. 5. & can. 8. vbi inquit, Ecclesiam in hoc præcepto non præcepisse confessionem absolutè, sed determinasse tempus eius confessionis faciendæ, quæ iure diuino præcepta erat: ergo hoc præceptum non potest per aliam confessionem impleri, quàm per illam, per quam impletur præceptum diuinum: ostensum est autem suprà præceptum diuinum non impleri, nisi per susceptionem huius sacramenti: ergo. Et confirmatur ex verbis cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi dicitur, debere fideles omnia peccata confiteri, & iniunctam sibi pœnitentiam implere, non autem tenentur pœnitentiam implere, nisi quando perficitur sacramentum: ergo huiusmodi confessio ibi præcipitur.

4. Absolutionem nõ esse finem huius præcepti.

Vnde infero, non solùm illum, qui indignè confitetur, verùm etiam qui dignè, si de facto non absoluitur ex malitia Sacerdotis, vel ex aliquo repentino casu, reuerà non implere præceptum, sed teneri eo anno iterum confiteri, quia non suscepit sacramentum. Ita explicuit Soto suprà, & meritò, quamuis aliqui contradicant, propterea quod in cap. *Omnis vtriusque sexus*, dicitur, ex consilio confessoris posse differri communionem ob rationabilem causam: nam ob similem rationem putant idem esse dicendum de absolutione. Sed estò hoc ita sit, inde non fit, præceptum impleri sine absolutione, sicut non impletur præceptum communionis, quando ex consilio confessoris differtur, sed solùm pro tunc non violatur, manet tamen homo obligatus ad sumendam Eucharistiam, quamprimùm possit: idem ergo est de absolutione, sine qua non perficitur hoc sacramentum, & ideò semper manet obligatio, donec recipiatur.

5. Ex quo infero secundò, falsum esse, absolutionem esse finem, & non materiam huius præcepti: nam susceptio totius sacramenti, cuius pars est absolutio, est id, quod proximè hac lege præcipitur. Quin potiùs censeo, confessionem per se non posse præcipi, nisi quatenùs est pars totius sacramenti, cuius vsus præcipitur. Et eodem modo, quamuis contritio, vel attritio, quatenùs actus quidam interior est, per se præcipi non possit, tamen quatenùs est veluti forma actus exterioris, præcipi potest, præcepto ipso sacramento, sicut præcipiendo vocalem orationem, præcipit Ecclesia interiorem attentionem, quæ est veluti forma talis orationis. Et per hæc expedita sunt fundamenta contrariæ sententiæ præter illud cap. *Quod quidam*, ad quod dicendum est, ibi non dici illam confessionem esse admittendam, vt sufficientem ad implendum hoc præceptum, sed hos peccatores esse audiendos, vt possint iuuari, & moneri à suis Parochis. Secundò, fortasse potest deseruire hæc confessio ad vitandas pœnas Ecclesiæ, de quo dicemus sectione sequ. Addo, cap. illud, *Quod quidam*, antiquius esse cap. *Omnis vtriusque sexus*, & ideò non posse ab illo argumentum sumi ad explicandam legem latam in cap. *Omnis vtriusque sexus*.

6. Circa alteram partem quæstionis propositæ, omissis aliorum sententiis circa confessionem informem, dicendum censeo, eo modo, quo in sententia nostra dari potest sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, per illius susceptionem hoc præceptum impleri. Probatur, tum quia præceptum hoc directè, ac formaliter solùm est de hoc sacramento suscipiendo: tum etiam quia per talem actum impletur præceptum diuinum: ergo à fortiori Ecclesiasticum. Solùm est aduertenda differentia: nos enim supponimus, hoc sacramentum non posse esse validum, & informe, nisi ob dimidiatam confessionem, & attritionem ex naturali obliuione. Propter quod diximus suprà, impleri quidem præceptum diuinum quoad ea peccata, ex quibus fit confessio, non verò quoad alia oblita, quæ posteà quis tenetur confiteri ex vi eiusdem iuris diuini. In præsenti autem dicimus, per talem confessionem simpliciter impleri hoc præceptum Ecclesiasticum, ita vt intrà annum non ampliùs obliget, quia licèt maneat obligatio

gatio confitendi illa peccata oblita, non tamen intra eundem annum, vt in præcedentibus diximus. Vnde est clara differentia inter hoc præceptum, & diuinum, licèt sit illius determinatio: quia diuinum indifferenter complectitur totum vitę tempus, & in discursu vitæ sæpiùs obligat, si per vnam confessionem non sufficienter impleatur: hoc autem præceptum, vt determinatur ad vnum annum, solùm obligat per se ad vnam confessionem, & sufficienter impletur per confessionem formaliter integram, & tũc maximè, quando per solam naturalem obliuionem aliquid omittitur, & ideò non obligat eodem anno ad peccata oblita confitenda, sed hæc obligatio manet ex iure diuino, & in sequenti anno Ecclesiasticum præceptum eam etiam complectetur. Neque oportet quoad hoc distinguere inter peccata oblita in confessione informi, vel formata, seu (quod idem est) inter oblita quoad confessionem tantùm, vel quoad confessionem, & attritionem simul: quia talis distinctio nullo fundamento niti potest: neque Ecclesia per se aliquid pręcipit circa hoc, quòd confessio sit formata, nisi quatenus hoc necessariò consequitur ex valore, & efficacia sacramenti.

## SECTIO VIII.

### *Quæ pœna sit per Ecclesiam imposita ob huius præcepti transgressionem.*

1. Durandi sententia reiicitur.

TRACTARE possumus vel de potestate puniendi hoc delictum, vel de pœna iam actu imposita. Circa primum, Durand. dist. 17. q. 14. probabile existimat, non posse Ecclesiam punire hoc delictum, quia est ita occultum, vt in Ecclesiastico foro probari non possit. Sed est sententia omninò falsa, & à sensu omnium aliorum Doctorum aliena. Distinguenda ergo est duplex pœna, altera est alicuius censuræ, quæ ipso facto absq; iudicis condẽnatione occurri potest, & hęc sine dubio imponi potest propter huius præcepti transgressionem, etiamsi sit occultissima: nam ad hãc pœnam satis est, quòd peccatum sit externum, etiãsi per accidens probari non possit, vt constat in hæresi externa quantumuis occulta, tale enim peccatum subest per se iurisdictioni Ecclesiæ: hoc autem peccatum, de quo agimus, externũ est, cùm in omissione externi actus consistat. Altera pœna est, quæ per iudicem imponi debet, vt est illa, scilicet, priuari Ecclesiastica sepultura, & hæc pœna etiam potest imponi propter hoc delictum: quia licèt requirat delicti probationem, tamen hoc etiam peccatum interdum probari potest, & conuinci. Primò, si confessio omninò omittatur, potest euidenter constare peccatorem ad nullum sacerdotem accessisse, vt sua peccata confiteretur. Secundò, potest Ecclesia exigere à fidelibus testimonium confessoris de confessione facta, & illum punire, qui eo caret. Tertiò, posset interdum hoc euidenter constare ex ipso facto, vt si homo publicè, ac continuò permaneat in peccato cum publico scandalo, & proxima eius occasione, quòd si interdum probari hoc delictum non possit, ex accidenti puniri non poterit huiusmodi pœna, non ex defectu iurisdictionis, sed probationis.

Duplex pœna proponitur. Prima.

Secunda.

1. Circa secundam partem, iure communi nulla pœna est imposita transgressoribus huius præcepti, quę ipso facto incurratur: nam in dict. capit. *Omnis vtriusque*, solùm dicitur, vt *arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & priuentur sepultura*, vtrumque autem horum requirit sententiam à iudice latam, vt ex ipsis verbis, *arceantur*, & *priuentur*, & ex natura talis pœnæ constat. Et ideò bene dixit Cano in dicta Relect. p. 5. hanc pœnam non posse incurri, nisi quando omissio confessionis manifesta est. Per constitutiones autem synodales, seu ex consuetudine Episcopatuum, adiungi solet pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: & hæc, cùm non requirat probationem, vt dictum est, incurretur etiamsi delictum sit occultissimum.

3. Dubium primum.

Dubitabit autem quis primò, an hæc pœna imponatur iis tantùm, qui vtrumque præceptum confessionis, & communionis transgrediuntur, vel etiam iis, qui hoc solùm pręceptum cõfessionis omittunt, etiamsi exteriùs communicẽt (suppono enim, eum, qui debito tempore cõmunicat, implere præceptum Ecclesiæ, etiamsi indignè communicet, & alias contra ius diuinum peccet.) Et ratio dubitandi est, quia in dicto capite, *Omnis vtriusque*, priùs proponitur vtrumque pręceptum, & deinde subiungitur, *qui aliter fecerit, &c.* & eodem tenore solet ferri excommunicatio. Respondetur, hanc pœnam incurri propter transgressionem cuiuscunque ex dictis pręceptis: excommunicantur enim qui vtrumque non fecerunt, & ideò qui alterutrum omisit, pœnam incurrit. Et hæc videtur esse communis sententia omnium, quos iam referam.

Soluitur.

4. Dub. secundum.

Dubitari secundò potest, an illi, qui exteriùs tantùm confitentur fictè, vel ita vt absolui non possint, incurrant hanc pœnam. Cano enim suprà absolutè negat: sed in eo fundatur, quòd isti nõ transgrediũtur pręceptum Ecclesiasticum, quòd à nobis reiectum est. Primò ergo, si confessio talis sit, vt exteriùs non sit integra, certum est incurri has pœnas, quia ille etiam exteriùs transgreditur Ecclesiasticũ pręceptum: & ita tenet Cordub. in Summ. Hispan. quæstione 15. qui Nauarrum refert pro contraria sententia cap. 27. n. 269. sed ibi nihil dicit. Secundò, si homo exteriùs integrè confitetur, ita tamen, vt absolui non possit, & de facto non absoluitur, etiam cõtrahit has pœnas. Probatur proportionali ratione, quia ille exteriùs trãsgreditur pręceptum Ecclesię, tenetur enim suscipere hoc sacramẽtum, & absolui, quod totum quid exteriùs est, & de facto sua culpa nõ absoluitur, neque suscipit hoc sacramentum: & hoc etiam sentit Cordub. quãuis obscurè loquatur. Tertiò, si huiusmodi homo exteriùs absoluatur, res est magis dubia: multi enim existimãt illum non incurrere pœnas, quia ille facit exteriùs quidquid Ecclesia præcipit, & solùm est defectus in interiori dispositione, Ecclesia autem non potest punire actum propter solum defectum internum. Sed hæc ratio mihi non probatur, sæpe enim Ecclesia punit exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum, vt constat ex materia de Legibus, & ex materia de Hæresi: & infrà dicam latè in materia de Censuris. Et ratio est, quia illa actio exterior absolutè est mala, & in præsenti materia confessio illa, & absolutio tales sunt, vt exteriùs non impleant præceptum sacramenti: ergo ille homo etiam exteriùs non implet hoc præceptum, quod non vtcunque præcipit illas actiones externas, sed vt pertinent ad perfectionem sacramenti. Vt verbi gratia, si Ecclesia præciperet sacerdoti sub pœna excommunicationis, ipso facto, vt aliquem baptizaret conferendo sacramentum, etiamsi exteriùs faceret necessaria sine intentione baptizandi, incurreret pœnam excommunicationis. Dico igitur: si in eo casu homo sciens, & videns illo modo confiteatur, & absoluatur, reuerà incurrere pœnas, si autem ex aliqua ignorantia, vel inaduertentia hoc faciat: sed putans se suscipere sacramentum, excusari poterit à censura, quia illud peccatum est imperfectum in illo genere, & non est ex

Cordub. Nauarr.

contu

contumacia contra obedientiam Ecclesiæ quam excommunicatio requirit.

5 Tertium dubium.

Tertiò dubitari potest, an incurrant hánc pœnam pueri, qui nondum habent tam perfectum rationis vsum, vt ad communionem obligentur, sed tantùm ad confessionem, iuxta doctrinam superiùs traditam. Et est ratio dubij, quia pœna generaliter fertur: ergo comprehendit omnes trangressores præcepti, sed pueri verè violant hoc præceptum: ergo etiam illos cõprehendit, præsertim cùm textus expresè dicat, *Omnes fideles, cùm ad annos pubertatis peruenerint.* Nihilominùs Doctores communiter eos excusant ab huiusmodi pœna, argumento textus in cap. 1. de Delictis pueror. Vbi dicitur, huiusmodi pueros grandiusculos agentes contra præcepta, non excusari quidem à peccatis, quanuis in illis talia peccata, non ita vt in maioribus punienda videantur, & in capit. secundo dicitur, *In pueris relinqui solet inultum, quod in aliis progressioris ætatis humanæ leges ducunt seuerius puniendum.* Ex quo iure censent Doctores, benignè esse interpretandam dictam legem, & alias similes quoad pœnam, præsertim tam grauem, vt est excommunicatio, & priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ. De qua videri potest Corduba in Summa. Hisp. quæstione 60. cum aliis, quos refert, & infrà, tractando de censuris, plura de hac materia generatim dicemus.

Corduba.

A

B

## DISPVTATIO XXXVII.

### *De Satisfactione secundùm se.*

EXPLICVIMVS duas partes materiales huius sacramenti, superest vt de tertia, id est, de Satisfactione, dicamus. Hoc autem Satisfactionis nomen latè sumptũ, omnem actionem significare potest, per quam aliquis debitum suum implet: quandam enim æqualitatem, seu proportionem inter actionem ipsam, & debitum operantis præ se fert. Hinc verò accommodata est hæc vox ad significandam actionem quandam iustitiæ, cuius proprium est æqualitatem constituere, & quanuis interdum idem quod *restitutio* significare videatur, propriè tamen, & rigorosè sumpta versatur in recompensandis illis iniuriis, quæ in actionibus potiùs, quàm in rebus consistunt, & à restitutione differt, quia restitutio significat actionem, per quam res aliena vero domino redditur, satisfactio verò actionem indicat, per quam iniuria compensatur, quæ in personam aliquam redundauit: hinc verò apud Theologos satisfactio veluti per antonomasiam, actionem significat, per quam Deo pro peccatis satisfacimus. Duo verò in peccato inueniuntur, culpa scilicet, & pœna, quæ interdum manet ablata culpa, & proinde temporalis est: nam æterna nunquàm manet sine culpa, & ideò quoad remissionem, vel satisfactionem naturam illius imitatur. Vnde fit, duplicem posse intelligi satisfactionem apud Deum, alteram pro culpa, & alteram pro pœna temporali: de priori nihil hîc dicendum est: tum quia nullo modo pertinet ad hanc tertiam partem huius sacramenti: tum etiam, quia, si aliqua satisfactio pro culpa ab homine exhiberi potest, neque est à contritione distincta, neque alias conditiones requirit, & de illis in superioribus satis dictum est. Tum denique quia de hac satisfactione multa dixi suprà in Tom. 1. q. 1. art. 2. quibus nihil hîc addendum occurrit. Agendum igitur hic est de satisfactione pro pœna temporali, quæ duplex esse potest, altera extra sacramentum ex opere operantis, altera sacramentalis, & ex opere operato. Huius posterioris consideratio propria est huius loci: prima enim potiùs ad effectus pœnitentiæ virtutis pertinebat, in hunc tamen locum reseruata est, vt Auctorum consuetudinem sequeremur, & quia vtraque consideratio plurimùm est inter se connexa. Dicemus ergo priùs de satisfactione secundùm se, quæ natura, & tempore prior est, deinde verò de sacramentali satisfactione.

C

D

E

## SECTIO I.

### *Vtrùm possimus in hac vita remissionem pœnæ tẽporalis per nostras satisfactiones consequi.*

HÆRETICI, præsertim huius temporis, tam necessitatem, quàm vtilitatem nostræ satisfactionis negant: in quo errore videntur etiam Aëriani fuisse: refert enim Theodoretus libro 4. Hæreticarum fabul. eos solitos fuisse remittere peccata, nulla iniuncta pœnitentia, *Contra leges*, inquit, *Ecclesiasticas*. Fundamentum horum est, vel quia Christus satis pro omnibus fecit, vel (quod ex eodem errore procedit) quia, dimissa culpa, nullus manet reatus pœnæ. Contra quos hæreticos tale disputant Bellar. lib. 4. de Pœnitentia, Ruardus articul. 6. Vega lib. 13. in Trident. c. 36. & sequentibus, Petrus Soto lectionib. de Satisfactione, Hosius, Rophens. & alij multi, & videri etiam potest Marianus Victor libello de Pœnit. c. vlt. Superiùs etiam hoc fundamentum destruximus disputat. 5. & ostendimus post remissam culpam, & pœnam æternam manere in iusto, & Dei amico reatum pœnæ temporalis. Quidam etiam Michael Bayus lib. de Indulgentiis, c. vlt. dixit nos non satisfacere Deo pro pœna temporali, sed ad præsentiam nostrorũ operum applicari nobis Christi satisfactionem, ita vt opera nostra sint veluti necessariæ conditiones ad consequendam remissionem pœnæ, non tamen sint propriè solutio pro pœna, & ideò rationem satisfactionis non habeant. Cuius fundamentum esse potuit, quia aliàs, vel nos satisfaceremus sine Christi satisfactione, vel certè duplex pro eadem pœna fieret solutio, altera ex satisfactione Christi, altera ex nostra.

1 Hæreticorũ error.

Theod.

Bellar. Ruardus. Vega. Petrus. Soto. Hosius. Rophens. Marian. Victor. Michael. Bayus.

### *Posse nos consequi remissionem pœnæ temporalis. Assertio prima.*

DICENDVM est primò, posse nos per nostra opera consequi apud Deum remissionem pœnæ temporalis. Est de fide definita in Florentino, & Tridentino, vt latiùs in sequentibus videbimus. Nunc ex sacra Scriptura, adiuncta Patrum expositione, variis modis probatur. Primò, ex illis locis, in quibus generatim bonis operibus, præsertim pœnitentiæ, perfecta munditia, & peccatorum remissio promittitur. Isai. 1. *Lauamini, mundi estote, &c.* & infrà, *Venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et similia multa habentur Ezechiel. 18. & 33. Ioel. 2. & sæpe aliàs: cum enim culpa per solam contritionem omninò remittatur, si nihil veniæ per cætera pœnitentiæ opera cõparari posset, nulla peccati remissio illis promitti posset, & frustrà in hunc finem exigerentur, præsertim post remissam culpam. Et in hunc sensum exponitur à Patribus verbum illud Ioannis Baptistæ, Matt. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: id est, fructus pœnitentiæ, scilicet, qui pœnitentiam consequuntur, & ideò digni sunt aliqua remissione, tãquàm vera satisfactionis opera. Quæ interpretatio sumitur ex Isychio lib. 4. in Leuiti. Augustino lib. de vera, & falsa Pœnitentia c. 15. Chrysost. homil. 10. in Matthæum: & eodem modo intelliguntur verba Pauli 2. ad Corinth. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam:*

2

Conc. Flor. Trident.

Probatur ex sacra pagina & Patrum testimoniis.

Isai.

Ezechiel. Ioel.

Matth.

Isych. August. Chrysost.

2. Cor. 7.

*pœnitentiam*: quam pœnitentiam exponens, subdit, A *Ecce enim hoc ipsum, contristari vos secundum Deum, quantum in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed vindictam.* Hanc vindictã, nos satisfactionem vocamus, quæ vulgò dicitur pœnitentia. Et ab Augustino dicta est, *quædam dolentis vindicta*, de
Ambros. qua Ambros. ad Virginem lapsam capite octauo, *Peccato* (ait) *si sibi ipse non pepercerit, à Deo ille parcitur*: quid
August. enim aliud est, sibi non parcere, quàm de peccatis suis vindictam sumere? Nec dissimilia sunt verba Augustini epistola quinquagesimaquarta, circa principium, dicens, *Sibi non parcenti illi parcit, cuius altum, iustumque iudicium nullus contemptor euadit.*

Quod rectè confirmari potest ex verbis Pauli 1. ad
3 1.Cor.11. Corinth.11.dicentis: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt nõ cum hoc mundo damnemur.* Quæ verba
August. tractans Augustinus in Enchirid. capite sexagesimosexto, de tẽporalibus pœnis intelligit, quibus hîc interdum iusti puniuntur, vt à peccatorum laqueis liberati, non seuerius in futura vita puniantur. Et libro quinquaginta Homiliarum, in vltima, capite tertio, *Maiorem*, inquit, *seueritatem quisque in se debet adimplere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Deo.* Et Eu-
Eucher. cherius libro secundo Regum, capite octauo, *Procul dubio*, inquit, *Dominus delet peccatum, sed sine vltione non deserit: aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percutit.* Quæ verba reperiuntur etiam in Gregorio libro
Gregor. Bernard. nono Mora.cap.17.aliàs 27.Bernard.item Sermone quinquagesimoquinto in Cantica, eodem sensu tractans eundem locum Pauli, *Dabo*, inquit, *operam, ne Deus in me aliquid non iudicatum inueniat, vt fugiam iudicium eius: nec enim iudicabitbis idipsum.* Item Chry-
Chrysost. sost.hom.quadragesimaprima,& 80. & in homil. de pœnitentia, vbi inter alia, in homilia quarta, hoc
Luc.16. colligit ex illo Dauid, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, Si nos*, inquit, *peccati meminerimus, Deus obliuiscetur, à nobis vltionem sumamus, nos ipsos accusemus, & ita placabimus iudicem.* Idem in homiliis de Lazaro, & diuite, vbi in 3. hoc colligit ex verbis Lucæ capit. decimosexto, quæ Abraham dixit ad diuitem, *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: Quibus*, inquit, *à peccatis purgatius est*: adiungens testimonium ex primæ ad Corinth. 11. Et homilia quarta in fine, *Ne pœnas* (inquit) *demus, vnusquisque seipsum affligat lachrymis, ieiuniis, &c.* Denique homil. de Con- D
fessione peccati, Tomo primo, rectè colligit, si peccatoribus promissa est per contritionem, & confessionem remissio culpæ, & pœnæ æternæ, multò magis iustis per opera pœnitentiæ remissionem pœnæ temporalis concedi.

Confirmant hoc præterea illa sacræ Scripturæ loca, in quibus operibus misericordiæ peccatorũ venia
4 promittitur Tob.4. *Eleemosyna à peccato liberat, & non*
Tobiæ.4. *patietur animam ire in tenebras*: vbi apertè sermo est
Roman. Eccles. de pœna vitæ futuræ, quæ per eleemosynas compensari dicitur. Vnde Ecclesiast.tertio: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum*: & in hunc sensum
Luc.11. exponitur à Sanctis verbum illud Christi Lucæ 11. E
*Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, quod intelligitur de munditia à reatu pœnæ, si tamen
Basil. homo potiùs à se culpam abiecerit, vt exposuit Ba-
August. sil. in regulis breuioribus.in 271. & Augustin. in Enchir. cap. 73. eodem modo dicit, orationem Dominicam, & eleemosynam delere & venialia peccata, & grauiora, si homo in meliorem mentem mutetur per pœnitentiam: vbi de remissione peccati quoad
Ioan.14. pœnam temporalem loqui necesse est. Eandem vim habet illa promissio Christi Ioannis decimoquarto. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, remittet & vobis Pater cœlestis*: remissio enim iniuriarũ quædam eleemosyna est, vt August. exposuit.

Tandem confirmari potest hæc veritas Sanctorum 5
exemplis: nam ab ipso Adam hoc pœnitentiæ, & satisfactionis genus inchoatum esse, testis est Irenæus Irenæus.
libro tertio contra Hæreses, capite trigesimoseptimo, vbi inquit, hanc pœnitentiam significatam fuisse, *per succinctorium*, vt ipse loquitur, *ex foliis ficulneis confectum, quo se contegit, Existentibus* (inquit) *aliis foliis, quæ minus corpus eius vexare potuissent.* Sic etiam Epi- Epiphan.
phan. hæres.46.dicit, Adam castigationem non vulgarem nactũ in sudore, & labore degisse, & è regione paradisi habitasse, vt ipsa memoria prioris statu eum ad pœnitẽtiam excitaret. Similia indicat Augu- August.
stinus secundo de Peccatorum merit. capite trigesimoquarto, & huiusmodi Sanctorum exempla tum in Scripturis sactis, tum in aliis Historiis, quæ gesta B
Sanctorum referunt, frequentissimè leguntur. Hæc verò nunc sufficiunt ad hanc veritatem confirmandam. Solùm est obseruandum, nonnulla ex his, quæ ex sacra Scriptura adduximus, interdum à Patribus alio modo exponi, & præsertim de remissione ad culpam, quatenus hæc opera, vel præparant, vel impetrant auxilium, quo possit homo ad culpæ remissionem disponi. Sed hoc non eneruat vim dictorum testimoniorum: tum quia in multis eorum, vel solus alius est sensus literalis, vel est maximè proprius: tum quia, licèt Sancti aliter interpretentur, non tamen hunc sensum excludunt, sed illum docent aliis locis: tum etiam, qui à fortiori potest ex illis sumi argumentum, vt ex Chrysostomo suprà vidimus.

Ratio à priori huius veritatis pendet ex his, quæ C 6
de modo huius satisfactionis in sequentibus dicenda Probatur assunt, nunc congruentiæ reddi possunt. Primò, quia, tertio à priocùm homo in hac vita sit in statu vię, oportuit locum, ri.
tempus, & modum, quo posset animum perfectè purgare ab omni culpa, & reatu eius, illi concedi. Secundò, quia magis est mereri vitam æternam, quàm remissionem pœnæ temporalis consequi. Tertiò, quia hoc modo magis excitantur homines ad virtutem, & ad crescendum in meritis, & amorem, & reuerentiam erga Deum ostendendum, magis etiam à peccatis, & concupiscentiis abstrahentur, & denique hæc est optima via ad resecanda vitia, & radices peccatorum mortificandas.

D

## *Hominem iustum pro suis peccatis satisfacere Assertio secunda.*

DIco secundò, Homo iustus per sua opera absolutè, & simpliciter dicendus est pro suis peccatis satisfacere. Hæc conclusio est contra Michaelem 7
Bayum, quam ferè æquè certam ac superiorem esse cẽseo: ita enim loquuntur Theologi omnes, vt videre licet d.15.& 19.similiter omnes Catholici scriptores, ac denique tota Ecclesia. Neque est nouus hic loquẽdi modus, vt Hæretici obiiciunt: quanquàm enim hoc nihil obstaret, si res ipsa esset antiqua: tamen etiam voce satisfactionis vtuntur antiquissimi Sancti, Cyprianus lib. de Lapsis prope finem, vbi dicit, Cyprian.
agendam esse pœnitentiam, *ne quod videtur minus esse in qualitate criminis, neglecta satisfactione, cumuletur*: idem epist. 8.& 10.aliàs lib.3.epist.14.& lib.4.epist. 4.Idem Tertul.lib.de Pœnit.cap.9.& circa finem, vbi Tertull.
describit habitum, & modum pœnitentiæ August. August.
locis citatis, & lib.de vera, & fals.pœnit.sæpe. Videti etiam potest tract.124.in Ioan.& 22.contra Faustum, Hieron.
c.67.& Hieron.epist.27. quæ est epitaphium Paulæ, Ambros.
paulò post principium, Ambros. lib.de Pœnit.c. 10. Gregor. hom.34.in Euangelia, & lib.6.Reg.c.2.versus finem, & alios infrà referam. Denique Concil. Gregor.
Florentinum ita loquitur, & fusiùs Tridentinum sess. Trident.
14.c.

Triden. 14.c.8.& 9.vbi, quanuis definiat hanc noſtram ſatisfactionem in Chriſto fundari, docet tamen nos verè eſſe, qui ſatisfacimus per virtutem, & ſufficientiam ab illo acceptam. A

8 probatur ratione. Et ratione confirmatur, quia nos verè coram Deo meremur, & non ſolùm ad præſentiam noſtrorum operum applicatur nobis meritum Chriſti: ergo ſimiliter per noſtra opera ſatisfacimus. Pater conſequentia: tum quia non eſt maius hoc poſterius, quàm prius, imò potiùs minus. Tum etiam, quia Concilia, Trident. maximè Tridentinum ſuprà, & in ſeſſio. 6. cap. 14. & 26. eodem modo de vtroque loquuntur. Tum præterea, quia eadem virtus gratiæ, & omnes aliæ conditiones requiſitæ in ſatisfactione, ſicut in merito, concurrunt: & ſicut per meritum ius ad præmium acquirimus, ita per ſatisfactionem pœnam nobis debitam compenſamus, & perſoluimus, vt in ſequentibus euidentius conſtabit; tum maximè, quia non magis ſatisfactio noſtra repugnat dignitati Chriſti ſatisfacientis, quàm meritum dignitati Chriſti merentis: quia noſtra ſatisfactio eius ſatisfactioni innitur, non ſolùm quia per illum habemus virtutem ſatisfaciendi, ſed etiam quia noſtra ſatisfactio propter ipſum acceptatur, & vt rationem iuſtitiæ participet in eius ſatisfactione fundatur, vt latiùs in materia de Incarnatione explicatum eſt. Ex quo ſolutum eſt fundamentum contrariæ ſententiæ, de quo legi poteſt Baſil. in regulis breuioribus in 12. & Gregor. libro primo Regum cap. ſecundo. Neque occurrit alia hæreticorum obiectio, quæ digna reſponſione videatur: quædam enim, quæ ex Patribus obiiciunt, præſertim ex Ambroſio, & Chryſoſtomo, & per ſe facilia ſunt, cùm de horum Sanctorum ſenſu ſatis ex ſuprà citatis conſtet, & ſuprà diſp. 5. tractando de effectibus Pœnitentiæ, & diſp. 9. tractando de præcepto actuum Pœnitentiæ, ſatis explicata ſunt.

Soluitur fũdamentum cõtrariæ ſẽtentiæ.

Baſil. Gregor.

## SECTIO II.

### *Vtrum ad ſatisfaciendum neceſſaria ſit gratia viatoris.*

1 STENDIMVS ſatisfactionem nobis eſſe poſſibilem: vt igitur declaremus quæ, & qualis illa eſſe poſſit, oportet de omnibus conditionibus ad hanc ſatisfactionem neceſſariis ſigillatim dicere, quæ ex parte operantis, qui ſatisfacit, & ex parte operis, quo ſatisfacit, & ex parte Dei, cui ſatisfacit, conſiderari poſſunt: ex parte autem operantis duæ ſolùm cõditiones requiri poſſunt, ſcilicet gratia, & ſtatus viæ, de quibus in hac quæſtione dicendum eſt. D

2 Quorundã ſententia. Scot. Maior. Gabriel. Medin. Nauar. Fuit autem quorundam Theologorum ſententia, poſſe hominẽ peccatorem, & gratia Dei carentem ſatisfacere Deo pro pœna temporali peccatis remiſſis debita. Ita Scotus 4.d.15.q.1.art.4. Maior q.1. Gab.d. 16.q.2.ar.3.dub.3. Medin.tract.3.q.5.dub.vlt. Nauar. c.1.de Pœn.d.6.n.47. Fundamentum eſt, quia pœna temporalis eſt finita: ergo compenſari poteſt per æqualẽ pœnam abſque gratia, vel dignitate perſonæ patiẽtis. Vnde inferunt hi Auctores, etiam in inferno hanc pœnam temporalem ſolui ſatis patiẽdo: in quo cum illis cõſentit Durand. d.21.q.2. Et ratio eſt, quia illa pœna eſt finita in intenſione, & duratione, cùm temporalis ſit: ergo, ſi quis illã patiatur, nihil amplius debebit, in quocunque ſtatu illam ſuſtineat. Et confirmatur: quia alias pœna, quæ per pœnitentiam ex æterna in temporalem commutata erat, per ſubſequens peccatum ex temporali fieret æterna, quod eſt inconueniens: quia, *dona Dei ſunt ſine pœnuentia.* E

Durand.

### *Nullum in peccato mortali poſſe ſatisfacere. Aſſertio prima.*

3 D.Thom. Bonau. Richard. Durand. Paludan. Alenſ. Marſil. Henric. D.Anton. Adrian. Caiet. Soto. Petr.Soto. Victoria. Ledeſm. Trident. DIco tamen primò, Nullus in peccato mortali exiſtens poteſt ſatisfacere pro pœna temporali, ratione peccati alicuius debita. Hæc eſt communior ſententia Theologorũ in 4.d.15.D.Th.q.1.ar.3.quæſtiunc.2. Bonau.art.1.q.3. Rich.ar.1.q.5. Dur.q.2. Pal. q.3. Alenſ.4.p.q.85.memb.1.aliàs q.24.memb.4.art. 1. Marſil.in 4.queſt.11.art.2. Henric.quodlib.8.quæſt. 18. Anton.3.par.tit.14.c.20.§.2. Adrian.quæſtio.1.de Satisfactione, & quodlib. vlt. Caietan. tomo primo Opuſc. tract. 6.q.2. Soto diſt.19.q.1.art.4. Petri Soto lect.vlt.de Satisfactione, Victoriæ nu.201. Ledeſ. in 2. p. 4. quæſtione 13. art. 2.& 3. Et poſt Concilium Tridentinum videtur res adeò certa, vt contrarium non poſſit probabiliter defendi: apertè enim ſeſſione 12.cap.8.& can.13.& 14. definit ſatisfactionẽ hanc non eſſe opus noſtrarum viriũ, ſed eſſe opus gratiæ datæ per Chriſtum IESVM, à quo omnis noſtra ſufficientia eſt. *Nam qui ex nobis* (inquit) *tanquàm ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, vt omnis gloriatio noſtra in ipſo ſit, in quo viuimus, in que mimemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim hàbent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Dicet aliquis, hinc rectè colligi, gratiam aliquam auxiliantem ad ſatisfaciendum requiri, non verò ſanctificantem gratiam, quæ cum peccato mortali repugnat. Sed in primis contraria opinio, vt ex fundamento eius, conſtat (quod hinc facilè euertitur) neque auxiliantem gratiam requirit, quamlibet enim proportionalem pœnam ſatis eſſe putat. Deinde obſtant verba Concilij, dicit enim ſatisfactionem eſſe fructum gratiæ Chriſti in quo viuimus, &c. requirit ergo ſpiritualem vitam: vnde quoad hoc idem iudicium de merito, & de ſatisfactione facit. B C

Obiectio. Soluitur.

4 Ratione argumentor: quia pœnæ huius vitæ per ſe ac nudè ſumptæ non ſunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna vitæ futuræ: ergo per ſe non habent valorem, vt remittãt illam pœnam: ergo neceſſaria eſt gratia, à qua hunc valorem accipiant. Hæc autem gratia non ſolùm eſt auxilians, ſed præcipuè debet eſſe ſanctificans, vt conferat dignitatem perſonæ, à qua ſatisfactio ipſa habet valorem, & moralem proportionem ad debitum perſoluendum. Et confirmatur, quia vel peccator poſſet ſatisfacere de condigno, vel de congruo: non primum, quia peccator quandiu in peccato mortali eſt, dignus eſt, vt omni bono priuetur: & ideò incapax eſt, vt de condigno mereatur, vel ſatisfaciat: & ideò gratia eſt principium omnis iuſtitiæ apud Deum, præter quàm quòd promiſsio diuina, in qua iuſtitia, tam ſatisfactionis, quàm meriti fundatur, vt infrà dicemus, non fit hominibus in peccato mortali manentibus, ſed iuſtis. Secundum dici non poteſt, niſi merè gratis: vbi enim reuelatum eſt, aut vnde conſtat Deum hac liberalitate vti cum inimicis ſuis, vt eis remittat pœnas, pro quibus ipſi verè non ſatisfaciunt, cùm lex generalis ſit, vt quantùm quis glorificauit ſe in deliciis, tantùm detur ei tormentorum, & è contrà generalis etiam lex ſit, vt quod ſine charitate fit, nihil profit. E

### *An poſsit homo ſatisfacere pro vno peccato, & non pro aliis.*

5 Dubium 1. ET hinc optimè intelligitur obiter reſolutio cuiuſdã cõmunis dubij, an poſſit homo ſatisfacere

pro vno peccato,nõ satisfaciẽdo pro aliis. Certum est A enim ex dictis quãdo aliquis est debitor pœnæ æternæ pro aliquo peccato,non posse pro aliis remissis satisfacere, nisi priùs ille reatus pœnæ æternæ auferatur.Certũ etiam est, durante culpa,etiã veniali, non posse quempiã pro pœna illi debita satisfacere, quia quandiu durat culpa, est homo dignus pœna ratione illius:repugnat ergo satisfeciſſe pro pœna ante culpæ remissionem. Atque hinc fit, posse iustum satisfacere pro pœna temporali debita, ratione peccati mortalis, vel venialis iam remissi, non satisfaciendo pro alia veniali culpa: quia veniale peccatum non tollit statum satisfaciendi,nec alio modo impedit.Vnde sicut homo potest consequi remissionem vnius peccati venialis, & nõ alterius,ita potest pro pœna vni debita satisfacere,& non alteri. Certum denique est,si B homini iusto plura sint peccata remissa, & pro singulis aliqua supersit luenda pœna,posse pro parte pœnæ satisfacere, quanuis totam non persoluat, & tunc de nomine erit quæstio,an sit dicendus satisfacere pro vno peccato tantùm,an pro omnibus partialiter.

## *An reuiuiscant bona opera in mortali facta.*

Dubium 2. SECVNDÒ, ex dictis expeditur aliud dubium, quod hîc incidenter occurrit: scilicet, an bona opera facta in mortali peccato,adueniente gratia,reuiuiscant quoad effectum satisfaciendi ex opere operantis, vt nũc loquimur. Nõ enim defuerunt qui hoc affirmauerint,vt referunt S.Tho.& D.Bonau.Sed nõ est vera,nec probabilis sententia; & contrarium do- C cent omnes Theologi,D.Thom. suprà quæstiunc.tertia,Bonauentura quæstione quarta, Palud.articulo 3. quæstione quarta(cui Soto cõtrarium falsò imponit) & alij Auctores citati.Ratio est,quàm suprà disputatione septima tetigimus, quia illa opera fuerunt non mortificata, sed omninò mortua: quia,cùm à principio caruerint vita gratiæ, valore etiam tam ad satisfaciendum, quàm ad merendum caruerunt: & ideò, sicut posteà non reuiuiscunt ad meritum, ita neque ad satisfactionem: gratia enim posteà aduenies, illa non informat, & consequenter,nec dignitatem, nec valorem confert.

Respõdetur. D.Thom. Bonau. Palud.

7 Addi verò D.Thom.suprà,ad 3.esse quædam opera pœnalia, quæ permanentem effectum in homine relinquunt, vt ex eleemosyna remanet carentia ali- D cuius boni temporalis: ex ieiunio corporis debilitas, & de iis inquit, posse valere ad satisfaciendum ad- Explicatur locus Sancti Thom. uenientẽ charitate,quãuis in peccato facta sint. Quam sententiam aliqui eius discipuli non probant, alij illius mentem non explicant,quàm esse existimo, non quidem quòd præteritus actus in peccato factus incipiat habere valorem satisfactionis,hoc enim satis improbatur ratione facta: sed quòd ille effectus ex tali actu relictus, & posteà in statu gratiæ voluntariè acceptatus,Deoque in satisfactionem oblatus, ad hunc effectum conferat. Et ideò dicit D. Thomas priora opera valere ad satisfactionem, sed non esse necessarium ea opera reiterare, quia quantùm ad id, quod E de eis manet, per pœnitentiam Deo accepta sunt; quod intelligendum existimo, si per nouum interiorem actũ talis effectus, qui est veluti pœnalitas quædam, Deo offeratur, & sic videtur eandem sententiã docere Syluester verb. *Satisfactio*,quæst.7. Alij (vt Petrus Soto) exponunt,huiusmodi opera,quæ effectum relinquunt, non esse iteranda, id est, iterum in satisfactionem imponenda: quia ratione effectus deseruire possunt in medicinam peccatorum, quod etiam verum est, moraliter intellectum:quia non tam facilè huiusmodi opera iterantur propter effectum, quem relinquunt,saltem quandiu ille durat.

## *Quem fructum habeãt bona opera in mortali facta.*

TERTIÒ, huius doctrinæ occasione hîc quæri 8
potest, quem fructum habeant hæc bona opera extra gratiam facta, si neque ad meritum, neque ad satisfactionem valent: quæ res in materia de gratia proprium locum habet, disputatur tamen à Doctoribus 4. distinctio.15. & à Soto dist. 19. quæstion.1. Sotus. Medin.tit.3.q.2. Nauar.c.27.267. & præludio 3.n.7. Medin. Breuiter tamen dicendum est primùm, hæc opera, Nauar. quia honesta sunt, ex se esse expetenda, & quasi natura sua disponere hominem ad similia opera faciliùs exhibenda. Secundò valent ad impedienda peccata, & consequenter ad mitigandam inferni pœnam, nõ quidem minuendo eam, quæ peccatis aliis debetur, sed impediendo maioris reatum.Et ita est intelligendus D. Tho.3.p.q.89. art.6.ad 3.cum August. quem D.Tho citat, & Glos.in cap. *Quod quidam*, de Pœnit. & Glossa. remiss.quanuis illa de fructu horum operum non bene sentire videatur.Tertiò,valere dicuntur ad præmiũ aliquod temporale,quod de congruo intelligendum est:quia, vt dixi, peccator nullius meriti de condigno capax est. Et ita est intelligendus D. Tho. suprà: de qua re videri potest Gregor.in cap.*Cauendum*,de pœ- Gregor. nitent.d.3.Quartò,valere possunt ad impetrandum à Deo aliquod auxilium, præsertim si ex gratia fiant, iuxta illud Prouerb. 15. *Per misericordiam, & fidem* Prou. *purgantur peccata*, & Daniel. 4. *Peccata tua eleemosy-* Daniel. *nis redime*, & alia similia, quæ ex Scripturis obiecta sunt, & hoc modo commodè exponuntur, vt videre C August. licet in August.epist.105.& lib.50. Hom.homi.vlt.

## *Qui decedit in morali,non posse satisfati in vita futura.Assertio secunda.*

DICO secundò, Qui in peccato mortali decedit,non potest satisfati in vita futura pro reatu pœnæ ex peccatis dimissis relicto.Hanc docẽt omnes Auctores citati in præcedẽti cõclusione, excepto Durando, & ad eam confirmandam valent omnia, quæ suprà q. 87. adduximus ad probandum, veniale peccatum non posse in inferno remitti. Est enim ferè eadem ratio, quia pœna per se debita veniali peccato temporalis est, & omnis remissio, seu liberatio tam à culpa, quàm à pœna, est effectus gratiæ. Ratio verò propria est,quia apud Deũ nulla pœna valet ad expiandum delictũ,seu reatum eius, nisi volũtariè acceptata, quia Deus non punit peccatum solùm in aliorũ exemplum; sed præcipuè propter compẽsationem debitam, vt qui voluntariè peccauit, voluntariè puniatur:& sicut peccatum intulit iniuriam Deo, ita pœna in illius honorem redundet:sed in inferno nulla pœna voluntariè acceptatur, neque vllo modo refertur à peccatore in Dei honorem, vel satisfactionem: ergo nulla pœna sufficiet ad tollẽdum reatum. Et confirmatur: quia aliàs etiam pœna huius vitæ, vt suspendium latronis, valeret(præsertim in opinione Scoti) ad minuendum reatum pœnæ temporalis coram Deo, etiamsi peccator summa cum impatientia, & Dei offensione illam sustineret, consequens verò absurdissimum est,& contra omnes Sanctos,vt infrà in speciali quæstione dicemus. Denique con- Contraria sententia probatur. traria sententia nullum habet fundamentum: nam pœna æterna commutatur in temporalem, nõ quancunque, sed voluntariam, & (vt ita dicam) amicabilem, & quia homo in inferno nunquàm huiusmodi pœnam persoluit, mirum non est, quòd simpliciter puniatur.Nec propterea Deum pœnitet gratiæ, seu libertatis factæ, quia ipse iam remittendo peccatum

tum contulit gratiam, & constituit hominem in statu, in quo posset hanc pœnam persoluere: homo posteà sua culpa se constituit in eo statu, in quo verò posset satisfacere, nec debitã persoluere pœnam non

*Ad satisfactionẽ necessariam esse gratiam viatoris. Assertio tertia.*

10 TERTIÒ, ex dictis concluditur, ad propriam satisfactionem esse necessariam gratiam viatoris. Quæ etiam est communis sententia, & solùm ferè expositione indiget. Oportet enim propriam satisfactionem à satispassione distinguere, potest enim homo, si in gratia decedat cum aliquo reatu temporalis pœnæ, satisfacere in purgatorio, donec à reatu liberetur, vt infrà in propria disp. ostendemus, & ideò nunc B de illa non loquimur: quia ad illam non propriè requiritur status viæ, quanquàm nec omninò sint illæ animæ extra viam, cùm nondũ ad gloriã peruenerint. Propriam verò satisfactionẽ vocamus illã, quã homo assumit, vt illam purgatorij pœnam compenset, & ad hanc dicimus requiri gratiam viatoris. Quod primum in diuina ordinatione fundatur, per quam tempus huius vitæ concessum est ad huiusmodi effectus gratiæ consequendos: quia quandiu homo hîc viuit, est quasi in certamine, & palæstra: in alia verò vita, si reatum habet, punitur quasi in carcere, & vnusquisque recipit prout gessit in corpore. Præterea est alia congruentia: quia homo in hac vita, sicut organo corporis ad peccandum liberè vsus est, ita dum in C eodem corpore pœnitentiam agit, eodem organo, & eadem volũtate vtitur, vt de seipso vindictam sumat, & ideò, quandiu hîc viuit, seipsum iudicare potest, & punire, posteà verò diiudicabitur, & punietur à Domino, quando iam non erit tempus commutationis pœnæ, sed executionis sententiæ suæ.

## SECTIO III.

*Vtrùm satisfactio requirat opus liberum, & moraliter bonum, ad satisfaciendum factum.*

1 Satisfactionem esse exhibendã per opus liberũ. Conclusio prima.

TRIA in hoc titulo insinuãtur, quæ breuissimè possunt expediri. Dico ergo primò, satisfactionem exhibendam esse per D opus, seu pœnam aliquo modo voluntariam seu liberam. Ita docent omnes Theologi dist. 15. & 16. qui propterea in definitione satisfactionis ponunt, vt voluntaria sit, & in hoc à coacta punitione illam distinguunt. Et ratione probatur primò: quia satisfactio est effectus virtutis pœnitentiæ, de ratione autem virtutis pœnitentiæ est, vt sit voluntaria detestatio, & vindicta peccatorum. Secundò, quia satisfactio est moralis quidam effectus, & in morali valore operis fundatur, sicut meritum: sine libertate autem nullum est esse morale in actibus. Tertiò, quia homo voluntariè peccauit, dignus est pœna, & ideò per voluntariam etiam pœnam compensari debet: quia, vt suprà dicebamus, hæc pœna non tantùm ad aliorum exemplum, sed præcipuè ad emendationem ipsius peccatoris ordinatur: vnde etiam dicebamus, ideò in hac vita potissimùm concedi satisfaciendi locum: quia in illa, pœna potest esse maximè voluntaria: ideò etiam in hac vita non potest amens, aut dormiens satisfacere: quia voluntatis liberæ vsum non habet. Et in hoc sensu verũ est, reatũ pœnæ temporalis apud Deũ non expiari in hac vita per solam & puram satisfactionem, id est, per pœnã inflictam, & nullo modo voluntariè acceptã, vel acceptatam: vterq; enim



A modus sufficit, vt ex dicendis cõstabit. Et ideò dixi in cõclusione, generatim oportere hanc satisfactionem esse aliquo modo volũtariam: quia non oportet, vt sit formaliter libera per modum actus à voluntate elicita, sed sufficit, vt sit actus imperatus: imò interdum etiã satis erit libera acceptatio voluntatis, quãuis pœna ab extrinseco sit, vt in sequẽtibus latiùs patebit.

2 Vt pœna sit satisfactiua, necesse est fundetur in bono actu. Conclusio secunda. D. Thomas. Palud.

Dico secundò, vt aliqua pœna sit satisfactiua, necesse est, vt in actu moraliter bono fundata sit, vel saltem per actum voluntatis bonum moraliter acceptetur. Ita D. Thom. d. 15. q. 1. art. 4. quæstiunc. prima, Palud. q. 1. n. 10. & alij. Ratio facilè colligitur ex præcedenti cõclusione: tum quia hæc satisfactio esse debet voluntaria: ergo per voluntatem bonam: nam si voluntas sit mala, potiùs erit digna noua pœna, quàm venia. Tum etiam, quia hæc satisfactio est per modum moralis pœnæ ordinatæ ad correctionem satisfacientis, & ad honorem Dei, vt docet Tridentinum sess. Trident. 14. can. 14. & 18. sed non potest esse huiusmodi, nisi in voluntate bona aliquo modo fundetur. Denique solutio pœnæ, seu satisfactio est effectus diuinæ gratiæ acceptantis per Christum nostras satisfactiones: sed Deus non acceptat id, quod malum est, ad vllum gratiæ effectum, nec Christus intercedit, vt mala voluntas acceptetur à Patre: ergo.

3 Dubium deciditur. Henric.

Sed quæres, an oporteat hunc actum voluntatis formaliter esse supernaturalem, vel imperatũ ab actu supernaturali. Henric. enim quodlib. 4. q. 18. significat imperium charitatis esse necessarium. Sed propriè, & in rigore non ita est, sufficit enim, vt ab habente charitatem proficiscatur, sicut alias de merito dictum est: nulla est enim de satisfactione maior ratio. Videtur tamen necessarium, vt actus ipse aliquo modo supernaturalis sit, vel in se, vel saltem quatenus procedit ab aliqua intentione supernaturali, vt de merito dici solet, est enim eadem ratio, & Tridentinum suprà etiam fauet, & D. Thom. suprà, qui vult cum satisfactione simpliciter esse coniunctum aliquod meritum. Imò ipsa satisfactio nostra est per modum cuiusdam meriti, quia non est per exactam pœnæ inflictionem: sed per quandam recompensationem proportionatam secũdùm moralem valorem, & existimationem: sicut ergo ad meritum necessarium est opus aliquo modo supernaturale, ita etiam ad satisfactionem.

4 Obiect.

Dices, licèt ad meritum præmij supernaturalis necessarium sit opus supernaturale, tamen ad merendum temporale præmium, opus morale, & naturalis ordinis videtur sufficere: hoc autem meritum satisfactionis solùm videtur esse cuiusdam præmij temporalis: scilicet, remissionis temporalis pœnæ. Respondetur, in primis valdè probabile esse nullum meritum de condigno, cuiuscunque præmij sit esse posse, nisi fundatum in supernaturali opere, nec Dei promissionem aliter esse factam: hoc autem meritum satisfactionis de condigno est, vt infrà dicam. Deinde præmium eius non potest omninò dici temporale: nam licèt sit temporale, vt distinguitur ab æterno, sic enim pœna, quæ promittitur, est temporalis: tamen non est temporale, vt opponitur spirituali: nam E diminutio pœnæ purgatorij magnum spirituale bonum est, & ad ordinem supernaturalem spectans, cùm inde acceleretur æterna Dei visio: ideóque ad tale bonum promerendum, necessarium est opus aliquo modo supernaturale.

Solutio.

5 Sufficere vt in hac actus procedat ex voluntate placendi Deo. Conclusio tertia.

Dico tertiò, ad satisfaciendum non est necesse, vt actio procedat ex formali voluntate satisfaciendi: sed satis est, vt procedat ex quacunque voluntate placendi Deo, aut suæ saluti æternæ. Contrarium huius conclusionis indicat Henric. suprà: quia, quando opus non fit ex formali intentione satisfaciendi, non est actus vindicatiuæ iustitiæ, & ideò non est solutio

debiti, & propterea ad satisfactionem non sufficit, quæ est actus vindicatiuæ & commutatiuæ iustitiæ. Alij dicunt, tunc ex benignitate Dei remitti aliquam pœnam, quanuis reuerà, quantùm est ex parte operantis, non fiat remissio debiti: sicut, si Petrus sit debitor decem aureorum Paulo, & totidem ei donet nõ animo soluendi debitum, reuerà non soluit, quanuis alius ex sua benignitate possit remittere. Sed hic posterior dicendi modus diuinat: nam, si homo nõ soluit, vnde constat Deũ remittere? Quòd si fortè dicatur, id constare ex promissione diuina, hoc repugnat illi modo dicendi: nam hinc concluditur, illam esse veram solutionem pœnæ, & veram satisfactionem de condigno, vt latiùs infra dicemus. Et hinc etiam refellitur opinio Henrici, quæ nimis est rigorosa: quia Scriptura sacra non requirit illam formalem intentionem: deinde, quia ad merendum non oportet, vt quis operetur propter merendum: sed satis est, vt faciat opera mercede digna: ergo neque ad satisfaciendum, proportione seruata. Deinde perfectior intentio est placendi Deo propter amorem eius: ergo non est verisimile priuari hominem fructu satisfactionis propter hanc intentionem. Denique nullus est, qui vel formaliter, vel virtute non intendat consequi apud Deum omnem spiritualem effectum suis operibus proportionatum: ergo id satis est.

Refellitur opinio Hẽrici.

## SECTIO IV.

### *Vtrùm Satisfactio exhibenda sit opera supererogationis seu consilij, vel possit etiam fieri per opera præcepta.*

1 Prima sent. Palud. Maior. Almain. Scot. Gabr. Capreol. D.Tho.

PRIMA sententia requirit opera, quæ præcepta non sint. Ita Palud.d.15.q.1. art.2.Maior q.2.dub.1.Almain.q.1. videtur idẽ sẽtire Sco.q.1. vbi satisfactionem definit debere esse ex indebitis, quod exponit de debito præcepti, vt videre etiã licet in q.2.argum.1. cũ solutione. Eum imitatur Gab.d. 16.q.2.notab.1.Capr.d.15.q.1.art.3.præsertim ad 4. contra quartã conclusionẽ. Fauet D.Thom.q.1.art.2. ad 3.dum inquit, *Quædam mensura est homini adhibita, quæ ab eo requiritur*, scilicet impletio mandatorum, *& super ea potest homo aliquid erogare, vt satisfaciat.* Fundamentum est, quia non potest quis satisfacere duplici debito eadẽ solutione: quia iam non esset æqualitas iuxta doctrinã Anselmi li.1. Cur Deus homo, c.4. vbi ait, nos non posse satisfacere Deo ad æqualitatem: quia omnia, quæ illi offerre possumus, ei debemus. Ergo, si opus est debitum ex præcepto, non potest eodem solui debitum pro peccato, ratione enim peccati commissi tenetur quis specialem subire pœnam, debet ergo esse distincta ab opere, quod ex alio præcepto debetur. Nec satisfacit dicere, idem posse deberi, aut solui duplici titulo: quia, cum singuli tituli per se sufficiant ad inducendũ nouum debitũ præter æqualitatem iustitiæ, est vt eadẽ solutione vtrique satisfiat, aliàs etiam posset homo pro diuersis peccatis eodem opere satisfacere pluribus titulis, & Deus posset idẽ præmiũ reddere propter plura merita pluribus titulis. Et cõfirmatur primò: quia, si quis ex voto debet aliquod opus, non satisfacit voto per simile opus aliàs præceptum. Confirmatur secundò, quia pœnitentiam à confessore iniunctam non potest quis implere per opus præcepti: ergo similiter. Cõfirmatur vltimò, quia aliàs non oporteret homines aliquid facere in remissionẽ peccatorũ: quia implẽdo præcepta satisfacerent.

Anſel.

Obiectioni occurritur.

2 Secũda sententia. Archi. Sylueſt. D.Anton.

Secunda opinio est, per opera iure naturæ præcepta satisfieri non posse pro peccatis, secus verò per opera iure humano solo præcepta. Ita Archidiacomus, vt refert Syluester verb. *Satisfactio*, q. 8. qui pro eadẽ sentẽtia refertur cum Antonino 3.p. tit. 14. c. 20. §. 1. Sed illi non negant, quin de facto omnia hæc opera sint satisfactiua, dicunt tamen, Deum, si rigore iustitiæ vti voluisset, potuisse sola supererogationis opera in satisfactionem exigere, & acceptare, quod in operibus vtroq; modo præceptis dici posset, quapropter illa distinctio vana est, & sine fundamento.

3 Tertia sententia probatur. Omnia opera etiã præcepta valere ad satisfaciendum, Caiet. Scoto. Ledes. Victor. Per. Sotus. Adrian. Medin.

Tertia sententia est, omnia opera, etiam præcepta, ad satisfaciendum valere, non quidem ex rigore iustitiæ, hoc enim modo, nec per opera consilij satisfacere possemus, sed de condigno, modo infrà explicando. Ita Caietanus tom.1. Opusc. tract.6.q.1. Soto dist.19.quæst.2. art.1.circa finem. Ledesma q.14. art.1. dub.5. Vict.num.203. qui contrariam sententiam erroneam vocat. Petrus Soto, lection. vltim. de Satisfactione, Adrianus q.3.de Satisfactione, Medina tract.3.q.4.dub.3. Supple. dist.45.q.2.ar.3.dub. 8. & est sine dubio vera sententia: agimus enim nunc de satisfactione ex opere operantis. Et probatur primò exemplis: nam qui martyrium sustinet quando ex præcepto tenetur, non minùs satisfacit, quàm si posset illud vitare sine violatione præcepti, nec enim potest talis remissio pœnæ soli priuilegio tribui: nam, licèt morti Martyris magnum priuilegium cõcessum sit, non tamen per solam mortem, sed etiam per alia tormenta fit satisfactio, etiamsi ad mortem non perueniatur: hæc verò satisfactio non tollitur, propterea quòd ex præcedenti obligatione talia tormenta sustineantur. Similiter, quis dicat non satisfacere hominem per eleemosynam factam ex præcepto, cùm illa neque minùs pœnalis sit, neque minùs bona: imò, cæteris paribus, gratior Deo, & ordini charitatis magis consona? Idem est de Ecclesiastico ieiunio, quod inter alias causas ab ipsa Ecclesia propter satisfactionem imponitur. Et eadem est ratio de quacunq; corporis afflictione ex voto facta, ac denique de actu cõtritionis, & dilectionis Dei, quòd non minus valet ad iustificandum, & satisfaciendum Deo, tempore, quo præceptum obligat, quàm si in alio fiat. Secundò à simili: quia implendo diuina præcepta meremur vitam æternam, vt constat ex Tridentino, sess.6.cap. 10, & 16. ergo & eadẽ ratione poterimus per eadem opera satisfacere. Tertia ratio propria est, quia nostra opera pœnalia, si sint grata Deo, possunt habere rationem vindictæ, & punitionis liberæ pro peccato assumptæ, etiamsi præcepta sint: quia nec præceptum tollit libertatem, nec bonitatem, nec pœnam. Cõfirmatur: quia testimonia suprà adducta, quibus promittitur remissio perfecta peccatorum bene operantibus, & de seipsis vindictam sumentibus, non limitant hanc promissionem ad opera consilij: sed generatim loquuntur, & sepè in particulari de operibus præceptorum: ergo nec nos illa limitare debemus.

Trident.

4 Respondetur ad fundamẽta cõtrariæ sententiæ.

Quocirca fundamentũ contrariæ sententiæ ad summum probat hanc satisfactionẽ non esse de rigore iustitiæ, nõ verò quòd non sit satisfactio simpliciter eo modo, quo in puro homine esse potest. De qua re, & quomodo satisfactio esse debeat ex aliàs indebitis, latè suprà dixi, primo tomo 3.p.q.1.art.2. & ex ibi dictis addi potest primò, quando vtrumque debitũ est propriæ iustitiæ, & respectu eiusdẽ, non posse expleri eadẽ solutione cũ perfecta æqualitate: at verò debitũ præcepti solùm est debitũ obedientiæ, vel temperantiæ, aut alterius similis honestatis, & satisfacere huic debito nihil aliud est, quàm facere id, quod iussum est, quod quidem per se dignum est laude, & gratum Deo, & ideò & meritorium: &, si pœnale sit, etiam satisfactorium esse potest. Addi secundò potest, præcepto satisfieri per actionem bonam, vt talis; est pœnam

nam verò, quæ coniuncta est actioni, accidentariam esse præcepto: præceptum enim per se ad actum virtutis obligat: quòd verò exercendo illum actum homo pœnam patiatur, per se non exigebatur ex debito præcepti, & ideò per illam pœnam solui potest illa, quæ peccato debetur. Et hoc sensu acceptari potest responsio inter arguendum insinuata: nec est simile quod ibi dicitur de satisfactione pro diuersis peccatis per idem opus: negatur enim sequela, quia diuersa peccata inducunt reatus diuersarum pœnarum, & ideò diuersam, vel maiorem pœnam requirunt, maximè quia illa debita sunt eiusdem rationis, & ad iustitiam pertinent. Et idem dicendum est de præmio & merito.

5 Ad primã confirmationem de voto respondetur, assumptum non esse simpliciter verum, pender enim ex intentione vouentis. Idem dicendum est ad secundam: nam illud etiam pendet ex intentione confessoris imponentis pœnitentiam, quanquàm, si nihil aliud explicet, vel ex subiecta materia non constet, simpliciter intelligendus est imponere opera quę aliàs præcepta non sint. Ad vltimam confirmationem respondetur, per se loquendo, diuersam esse obligationem implendi præceptum à debito satisfaciendi, vnde interdum potest vnum ab alio separari: vt in statu peccati mortalis potest quis implere aliquod præceptum, etiamsi Deo non satisfaciat, interdum verò potest per eundem actum vtrumque fieri: quia, cùm sint debita diuersarum rationum, non se impediunt. Neque est inconueniens, vt per sola opera præcepta possit homo satisfacere pro peccatis: quia inde non fit, alia opera non esse vtilissima, quanuis simpliciter necessaria, aut præcepta non sint.

## SECTIO V.

### *Vtrùm Satisfactio fiat per solos actus internos vel externos.*

1 Prima sentent. DVÆ sunt extremæ sententiæ. Prima ponit totum valorem ad satisfaciendum in actu exteriori: ita vt si duo æqualem externũ dolorẽ assumant, quanuis inæquales internos actus habeant in intensione, vel alia perfectione, æquè satisfaciant. Ita sentit Scotus d.15.q.1.§. *De secundo principali*: dicit enim propriam satisfactionem, vt à contritione distinguitur, esse opus externum. Idem Almain. ibi. q.1. Gabr. d.16. q.2.ar.1.notab.1.in fin. Sed hæc opinio nullo probabili fundamento nititur, quod ego videam. Secunda omninò contraria sententia est, totam satisfactionem positam esse in actu interiori, ita vt exterior ex opere operantis nihil ad satisfactionem addat, sicut neque ad meritũ. Ita Henr. quodl.8.q.18. Ledesm.2.p.q.14. art.1.dub.4. Fundamentũ esse potest, tum quia actus exterior nec formalem bonitatem, nec libertatem habet, nisi per denominationem ab interiori, & hac ratione non auget meritum: ergo nec satisfactionem.

Scot. Reiicitur. Gabr. Almain. Secunda sét. Henric. Ledesm.

2 Prima conclusio. Dico primò, opus internum vel per se sumptum, vel coniunctum cum externo multùm valere posse ad satisfaciendum pro pœna temporali. Conclusio non solùm communis est, sed etiam certa. Et ratio eius est clara, quia actus interiores sũt optimi, & maximè liberi, & valdè difficiles, & homini mortali laboriosi, & pœnales: quid ergo illis deesse potest quominùs ad satisfaciendum valeant? Deinde sunt exempla manifesta in contritione, de qua suprà q.86. dictũ est, & de oratione, quæ ab omnibus nominatur inter opera maximè ad satisfaciendum accommodata, non quidem propter solam vocem, sed potissimùm propter mentis attentionem, in qua eius maxima difficultas, & perfectio consistit.

3 Secunda cõclusio. Sot. Dico secundò, opus etiam externum, quatenus ab interno aliquo modo procedit, valet ad satisfaciẽdum, ita vt vim satisfaciendi addat interiori. Ita Sotus d.19.q.2.art.1. & exsequentibus constabit esse communem Doctorum sententiam, & probatur: quia satisfactio fit per pœnam voluntariè assumptam: sed in ipso actu externo est distincta pœna ab interno, & voluntariè assumpta: ergo. Confirmatur, quia maior bonitas moralis, & formalis actus humani confert, cæteris paribus, ad maius meritum: ergo maior pœna voluntaria confert ad satisfactionem maiorem cæteris paribus: quia, cùm hæc satisfactio sit per modum vindictæ, & vltionis ipsius delinquentis, quò maior fuerit vltio, & punitio, eò maior erit satisfactio, cæteris paribus: sed in actu externo coniuncto interno maior est pœna, & vltio, quàm in solo interno: ergo augetur satisfactio ratione externi actus, non solùm quasi per accidens: quia actus interior fit intensior, efficacior, vel diuturnior, sed etiam per se: quia ipsamet pœnalitas actus externi auget satisfactionem.

4 Destruuntur fundamenta contrariæ sententiæ. Ad fundamenta contrariæ sentẽtiæ respondet Soto, quanuis exterior actus non addat essentialem bonitatem interiori, addere tamen accidentalem: & ideò posse augere veluti accidentalem effectum, qualis est satisfactio: quia vbi maior pœna assumitur, maiori tolerantia opus est. Quo verbo insinuare videtur, totum hoc esse positum in interni actus mutatione, quod non dicitur consequenter. Negatur ergo simpliciter consequentia: quia, licèt actus exterior non addat bonitatem, addit pœnam, & hoc satis est ad satisfactionem, vt illam augeat. Dices, Ergo nostra satisfactio in hac vita est per modum satispassionis, quandoquidem in ipsamet passione æqualis pœnæ consistit. Respondetur negando consequentiam, & propriè vtendo vocibus: nam in re ipsa verum est nos persoluere purgatorij pœnam in hac vita per pœnas, quas voluntariè sustinemus: tamen, quia hæc pœna non est eiusdem rationis cum pœna purgatorij, nec physicè æqualis, sed moraliter, id est, secundùm moralem valorem proportionalem, ideò hæc non dicitur satispassio, sed satisfactio, quanuis reuerà includat passionem pœnæ sufficientis, & proportionatæ ad compensandam purgatorij pœnam. Ex fundamento huius resolutionis oriebatur alia quæstio: scilicet, quid ad remissionem pœnæ valeant opera externa, vel eleemosynæ, quæ in legatis, seu testamentis fieri præcipiuntur, aut quæ per ministros, seu famulos fiunt: ea enim ratione, qua opera externa ad satisfaciendum conferunt, videri possunt hæc ad remissionem pœnæ iuuare, de hac verò re infrà in Disput. de suffragiis dicendum est. Vide Sotum d.45.qu.2.art.2.& 3. Palud.q.1.

Obiectio. Soluitur. Sot. Palud.

## SECTIO VI.

### *Vtrùm opus, per quod satisfactio fit, debeat esse pœnale.*

1 Prima sentẽtia, sufficere quoduis opus bonũ, licèt nõ pœnale. Victoria. Soto. Ledesm. Medin. Ratio Soti reiicitur. PRIMA sententia est, quodlibet opus bonum, quod est, & quatenus est meritorium gratiæ, & gloriæ, esse per se & intrinsecè satisfactorium, etiamsi nihil omninò pœnæ afferre intelligatur. Ita Victoria in Summa n.202. Soto d.19.q.2.art.1. qui refert Scotum, & Gab. (quorum alia est sententia, vt dicam.) Idem tenet Ledesma quæst.14.art.2. dub.2. indicat Medina tractat.3.q.4. licèt non satis se explicet. Ratio Soti, est quia maius est mereri gratiã, & gloriam, quàm satisfacere pro pœna. Sed hæc ratio

tio parui momenti est, aliàs probaret, per quodlibet opus mereri nos bona temporalia, vel quidquid minus est gratia, & gloria: non ergo bene fit illatio, quia in his, quæ sunt diuersarum rationum, non quidquid potest id, quod maius est, potest etiam quod minus est. Euasio. Responderi potest, remissionem temporalis pœnæ ordinari ad præmium meritorum consequendum, & tollere impedimentum eius, ideóque non esse omninò diuersæ rationis: sed ad illud reduci, quatenus ad illud ordinatur: ac propterea omne opus, quod valet ad meritum gloriæ, valere etiam ad satisfactionem pro pœna temporali. Refutatur. Sed hæc etiam illatio infirma est: quia aliud est augeri gloriam intensiuè, aliud verò accelerari consecutionem eius, seu tolli temporale impedimentum illius consequendæ: opera ergo meritoria merentur argumentum gratiæ, & gloriæ, inde autem non fit, vt mereantur temporis accelerationē, vel temporalis impedimenti ablationem: nam hæc diuersarum rationum sunt, neque vnum propriè ordinatur ad aliud: aliàs, quoties gratia augetur, & ius ad gloriam, etiā reatus pœnæ tēporalis minuetur, quod falsum est, vt alibi latiùs dixi.

2 Secunda sententia, satisfactionem fieri per opus pœnale. D. Tho. Bonau. Richard. Durand. Palud. Maior. Alens. Adrian. Sylvest. Viguer. Henric. Secunda sententia est, satisfactionem solùm fieri per opus pœnale, quatenus pœnale est. Ita D. Tho. d. 15. q. 1. ar. 5. quæstiunc. 1. vbi disertè dicit satisfactionem non fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Idem Bonau. 2. p. d. art. 1. q. 3. ad 4. Rich. art. 1. q. 3. Durand. q. 5. Palud. q. 3. Maior q. 2. dub. 2. Alens. 4. p. q. 84. aliàs 21. memb. 2. art. 2. Adrian. q. vlt. de satisfactione, Sylu. verbo *Satisfactio*. q. 8. Viguer. c. 26. §. 4. versic. 21. inclinat Henric. quanuis obscurissimè, quodl. 8. q. 18. Fundamētum est, quia æqualitas iustitiæ postulat, vt culpa per pœnam compensetur; quia, qui peccat, quantùm in se est, illicitè priuat Deum bono suo, & ideò satisfacere debet priuando se aliquo commodo delectabili, aut vtili, in quo pœna consistit.

3 Tertia sententia. Scot. Gabr. Tertia sententia referri potest Scoti d. 15. q. 1. §. *De tertio dico*, & Gabr. d. 16. q. 2. artic. 1. notab. 1. qui dicunt satisfactionem regulariter solùm fieri per opera pœnalia, verisimile tamen esse Deum etiam aliquid pœnę remittere propter aliquod perfectum opus charitatis, vel aliud simile, quod magis illi placet, quàm ipsa punitio.

4 Aduertendum est, aliud esse quærere, an omne opus bonum satisfactoriū sit quasi materialiter: quia semper etiam est pœnale: aliud verò est formaliter inuestigare, an vim satisfaciendi habeat ex ipsa pœna: ita, vt illa ablata, tollatur valor ad satisfaciendum, etiamsi adsint cætera. Considerandum etiam est, aliud esse quærere, an remissio pœnæ in hac vita comparari possit solùm per modum satisfactionis, quæ propriè esse intelligitur, quando vna pœna per alteram compensatur, quod nunc propriè agimus: aliud verò est quærere, an non tantùm hoc modo, sed etiam per modum meriti possimus hanc remissionem pœnæ obtinere. De quo commodiùs dicemus sect. 9.

## *Prima Assertio.*

5 Opus honestum pœnale propriè satisfactorium esse. Ioel. 2. Matth. 11. Dico ergo primò, opus humanum, & honestum propriè satisfactorium est, quatenus aliquo modo est pœnale. Hæc est D. Tho. & aliorū, quos citaui in secunda opinione, & probatur primò ex cōmuni modo loquendi sacræ Scripturæ, & Sāctorum, vbicunque enim exhortātur homines ad satisfaciendum pro peccatis, opera pœnalia proponunt, Ioel. 2. *In ieiunio, fletu, &c.* Matt. 11. *In cilicio, & cinere pœnitentiam egissent:* & alia, quæ suprà sect. 1. huius disp. citata sunt, & plura superiùs cùm de actu externo virtutis Pœnitentiæ ageremus. Secundò ratione D. Tho. quæ variis modis explicatur. Primò, quia satisfactio est actus iustitiæ, quo pœnitens vindicat, & punit in se diuinam iniuriam: sed vindicta propriè fit per pœnam, vnde in purgatorio, licèt animæ optimos actus habeant, purgantur tamen, & puniuntur pœna. Secundò, quia illa pœna purgatorij compensatur satisfactione huius vitæ iuxta diuinam ordinationem, sed optima ratio prouidentiæ postulat, vt pœna per pœnam compensetur. Tertiò, quia satisfactio etiam ordinata est ad correctionem hominis, vt illum à peccando contineat: sed hoc optimè, & accommodatissimè fit per pœnam. Quartò, quia non inde habet opus, quòd sit satisfactorium, vnde habet, quòd sit meritorium, meritū enim per se conuenit actui, quatenus est laudabilis, & bonus, quia nō respicit alterū, vt offensus est, sed præmiantem, quem facit sibi debitorem is, qui meretur, per opus bonum, vt tale est: at satisfactio respicit personam offensam, & fit per modum vindictæ ad persoluendam pœnam debitam, & ideò fit per actum, vt pœnalis est, vnde fieri potest, vt idem actus magis meritorius sit, minùs verò satisfactorius.

6 Dubium. Quomodo idem actus finitus meritorius sit satisfactorius. Hinc etiam fit, vt actus exterior per se augeat satisfactionem, licèt per se non augeat meritū. Et hinc etiam obiter intelligitur dubium, quod Medin. suprà tractat, quomodo scilicet idem actus, cùm finiti valoris sit, simul possit esse meritorius, & satisfactorius, ita vt nec meritum satisfactionem minuat, nec satisfactio meritum. Et ratio dubij est, quia actus finitus ad plures effectus ordinatus, videtur esse minùs efficax ad singulos. In contrarium verò est, quia, si satisfactio minueret effectum gratiæ, & gloriæ, non esset commodum pro pœna temporali satisfacere, melius enim esset maiorem gratiam, & æternam gloriam comparare. Deinde, quia ipsummet satisfacere est meritorium, cum sit bonum, & Deo gratum. Soluitur. Respondetur ergo, hæc duo non se impedire, quominùs per eundem actum fiant, quia ex diuersis principiis, seu conditionibus ipsius actus procedunt: sicut enim idem actus potest esse pœnalis, & bonus, ita etiam potest esse meritorius & satisfactorius, habet enim actus quasi moralem valorem distinctum ad hos diuersos effectus.

## *Secunda assertio.*

7 D. Tho. Dico secundò, Satisfactionem semper requirere, seu habere coniunctum aliquod meritum. Ita D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. arr. 4. quæstiunc. 3. ad 3. & patet ex dictis: quia satisfactio requirit actum bonum, liberum, & aliquo modo à gratia manantem, sed talis est meritorius: ergo saltem concomitanter habet satisfactio coniunctum aliquod meritum. Aduertendum verò est (quia diximus actionem externam posse interdum augere satisfactionem) accidere posse, vt externa actio fiat ex vi præcedentis voluntatis, licèt actus interior non duret, & tunc potest durare satisfactio, licèt non duret actuale meritum: necessarium tamen est, vt talis satisfactio procedat aliquo modo ex voluntate meritoria, & sic intelligenda est hęc conclusio. Exemplum facile esse potest in eleemosyna, quæ fit per famulum, vel per legatum.

## *Assertio tertia, omne opus bonum & meritorium simul esse, & satisfactorium.*

8 Dico tertiò, probabile est omne opus bonum, & meritorium simul esse satisfactorium. Ita ferè explicat sententiam suam Victoria suprà, & fortasse Soto hoc præcipuè intendit, quod bene etiam sensit Caietanus

Caier. Nauarr. Caietanus tom.1.Opusc.tractat.6.quæst.1.maximè in solutione ad 3. Nauarr.in Summa, cap.26.Et probatur: quia omne opus bonum, quatenus homini laboriosum est, aliquo modo est pœnale, & corpori, ac sensui repugnans. Confirmatur, quia omni actui vitij respondet aliqua pœna sensus, quatenus aliquo modo delectabilis est, sed omnis actus virtutis est cõtrarius alicui actui vitij, & reprimit concupiscentiam, & priuat illius delectatione: ergo respondet illi aliqua satisfactio. Nec refert, quòd in homine bene affecto paruam, vel nullam pœnam interdum ingerat, quia diminutio pœnę ex promptitudine voluntatis satisfactionem non minuit, sed ratio, & natura ipsius actus per sè consideranda est, vt D.Thomas, & alij Doctores notarunt.

9 Obiectio. D.Tho. Sed contrà: nam D. Thomas 4.d. 15.q.1. art. 4. dicit ad meritum considerari difficultatem actus, ad satisfactionem verò pœnalitatem: ergo non habet actus virtutis ex difficultate quòd satisfactorius sit, sed meritorius. Soluitur. Respondetur, difficultatem obiectiuam, de qua est ibi sermo, dupliciter considerari posse: vno modo quatenus confert ad bonitatẽ actus, & sic pertinet ad meritũ: alio modo, vt infert laborem, & pœnam operanti, & sic confert ad satisfactionem. Vnde hæc duo quodammodò mutuò se iuuãt, & includunt, bonitas, & pœna: quia ipsa voluntas sustinendi pœnam propter Deum meritoria est, & è contrario bona voluntas necessaria etiam est, vt actus sit satisfactorius. Quanuis enim actus veluti formaliter habeat rationem satisfaciendi ex pœnalitate, illa tamen pœnalitas potest esse obiectum meriti, seu voluntatis meritoriæ, & è contrà, quanuis actus bonus formaliter sit meritorius, est tamen quasi principium constituens ipsam pœnam in esse morali, vt possit habere rationem satisfactionis. Et hinc etiam fieri potest, vt, cæteris paribus, actus melior magis possit conferre ad satisfactionem, in quantùm pœna voluntaria per talem actum est moraliter maioris valoris, & dignitatis: sic etiam pœna magis voluntaria, est magis satisfactiua, & similiter, quæ est à digniori persona, vel quæ habet alias circunstantias morales meliores: quanquàm enim satisfactio fiat per pœnam, non est tamen solùm illa physicè consideranda, sed moraliter. Et hinc etiam intelligitur, quomodò actus charitatis sit satisfactorius, non solùm quia melior, sed etiam quia difficilior, & quasi virtute continens, & complectens aliarum virtutum laborem. Et similiter intelligitur quo modo contritio sit actus satisfactorius, quia est valdè difficilis, & pœnalis: & quidem, si sermo sit de contritione, quæ fit ab homine iustificato, non est difficultas: quid verò de prima contritione dicendum sit, suprà in quæst.86. diximus. Quocirca quanuis satisfactio, de qua nunc agimus, à contritione distinguatur, tamen quoad effectum, ipsa etiam contritio est satisfactio quædam, quamuis hæc duo in eodem actu facilè possint ratione distingui.

A B C D E

ciales actus virtutum, & si hoc modo *intelligantur* non ideò illis tribuitur satisfactio, quia illis solis exhiberi possit, sed quasi per antonomasiam, quia sunt opera aptissima ad satisfactionem, sunt enim pœnalia, & facilè veniunt in vsum hominum. Secundò, vt virtute contineant cætera opera satisfactoria, primò quidem, quia complectuntur bona omnia, quæ homo potest offerre in satisfactionem, scilicet, bona externa & fortunæ per eleemosynã, per ieiunium verò bona corporis, bona verò spiritus per orationẽ, & eleuationem mentis in Deum. Vel aliter, quia satisfactio fit per pœnam, quæ in alicuius boni priuatione consistit, per eleemosynam autem priuatur quis bono vtili corpori, per ieiunium bono delectabili, priuari autem bono honesto, cùm bonum non sit, non potest habere rationem pœnæ voluntariè assumptæ, sed potiùs illud acquirere bonum est, & quatenus est pœnale, potest esse satisfactorium, & hoc bonum maximè per orationem acquiritur, ideò inter actiones satisfactorias meritò numeratur. Vel denique, sicut homo peccando, & se ipsum lædit, & Deum offendit, & proximum, ita rectè satisfacit per ieiunium, quo se castigat, & eleemosynam, qua subuenit proximo, & orationem, qua Deum honorat. Tandem, si hæc opera pœnitentiæ considerentur, vt medicina in futurum præseruans, per hæc tria moderatur homo tres radices, peccatorum, per eleemosynam concupiscentiam oculorum, seu rerum externarum, per ieiunium concupiscentiam carnis, per orationem, qua se Deo submittit, superbiam vitæ. Alia de hac diuisione dicta sunt suprà disputando de actu exteriori Pœnitentiæ.

11 An per quodlibet opus pœnale possit satisfieri pro quolibet peccato. Vltimò ex dictis intelligitur, an per quodlibet opus pœnale possit pro quolibet peccato satisfieri: an verò distincta peccata distinctam satisfactionem exigant. Dicendum est enim, si satisfactio consideretur vt medicina præseruans, & curans, & expellens vitia, hoc modo diuersam satisfactionem diuersa peccata exigere: quia contraria vitia contrariis virtutibus expelli debent, quanuis quædam sint remedia omnibus communia, vt sunt oratio, amor, vel timor, & in vniuersum omnia opera, quæ ad impetrandam diuinam gratiam ordinantur. At propriè loquendo de satisfactione, vt est pœnæ solutio, quodlibet opus pœnale aptum est ad satisfaciendum pro pœna cuilibet peccato debita, non quòd in quantitate semper sit æquale, sæpe enim peccatum maiorem pœnam meretur, quàm per vnum, vel alium actum virtutis persoluatur, sed quòd quælibet species pœnæ sufficiat, & consequenter quòd multiplicando actus, possit tota pœna cuiusque peccati compensari. Ratio est, quia Deus non distribuit, nec designauit quosdam actus ad satisfaciendum pro quibusdam peccatis, & alios pro aliis, sed generatim exigit pro peccatis, virtutis, ac satisfactionis opera. Item, quia per hanc satisfactionem potissimùm intenditur diuinus honor, & bonum animæ ipsius peccatoris, vtrumque autem comparatur per quamlibet honestam pœnam. Denique quia, sicut eadem contritione possunt omnes culpæ deleri, ita eadem honesta pœna potest pro quolibet peccato satisfieri. Nec refert, quòd in purgatorio diuersis peccatis diuersæ pœnæ fortasse respondeant, quia ibi fit solutio per modum satispassionis, & ideò redditur omninò illa pœna, quæ peccato assignata est, & accõmodata: hic autem per modum satisfactionis, & veluti redemptionis, & ideò redimi potest pretiis, vt ita dicam, seu pœnis, quæ licèt in se diuersarum rationum sint, valorem tamẽ habent ad persoluendam seu redimendam illam pœnam.

## *Quomodo omnis satisfactio, ad ieiunium, eleemosynam, & orationem reducatur.*

10 Cone. Trident. SED dices, Si omnis actus virtutis satisfactorius est, cur à Theologis suprà citatis tres tantùm actus satisfactorij numerantur, oratio, elemosyna, ieiunium? Respondetur, certum esse non ita numerari hæc tria opera in rigore ac propriè sumpta, quin aliis etiam satisfacere possimus, vnde Concilium Tridentinum sess. 14. can. 13. Ieiuniis, inquit, orationibus, & eleemosynis, vel aliis pietatis operibus nos posse satisfacere. Duobus ergo modis possunt hæc tria opera explicari, primò propriè, vt significant tres spe-

## SECTIO VII.

### *Vtrùm per passiones, seu pœnas, quas quis necessariò patitur, possit Deo satisfacere.*

1 Trident. CONCILIVM Tridentinum sess.14.c.9. sic definit, *Docet præterea tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam spiritualibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum satisfacere valeamus.* Vnde fit, simpliciter de fide esse, nos posse satisfacere per hæc flagella: modus autem sub opinione est.

2 Prima opinio. Prima opinio dicit, posse nos per ea satisfacere, sicut mereri ea patienter, & voluntariè acceptando, ita tamen vt tota satisfactio sit in volũtate interiori, qua hæc acceptantur, & exterior pœna nihil satisfactionis addat: vnde si duo ita se habeant, vt alter id patiatur, & bona voluntate illa accepret, alter verò æquali omninò voluntate illa amet, vel desideret, nihil tamen patiatur, iuxta sententiam hanc nihil magis vnus quàm alter satisfaciet. Hoc asserit Richard. dist. 11. artic.1.quæst.4.Gabr.d.16.quæst.2.art.3.dub.1.Fundamentum illorum est, quia satisfactio debet fieri per aliquam actionem humanam elicitam, vel imperatam: hæc autem flagella, quæ non sunt in nostra potestate, sunt passiones, non verò actiones nostræ, vnde ista flagella solùm sunt voluntaria, vt obiecta nostræ voluntatis, non verò vt actus.

Richard. Gabr.

3 Secũda opinio. Secunda sententia est, in his flagellis duo posse considerari, scilicet, internam patientiam, & patientiam externam: per priorem remitti pœnas tanquàm per satisfactionem propriam, per posteriorem verò, id est, per ista flagella secundùm se remitti, seu solui pœnã purgatorij, non per modum satisfactionis, sed per modum vindictæ, & punitionis ab ipso iudice Deo illata, quæ hac ratione satispassiones dici possunt. Hanc

Medin. sententiam tuetur Medina tractatu tertio, quæstione quinta, in fine primi dubij. Vnde, vt hæc pœna cadat in solutum (ita enim ipse suprà loquitur) non videtur requirere hic Auctor aliquem internum voluntatis actum, seu liberam cooperationem aliquã patientiæ, sed solùm vt quis exteriùs, etiamsi inuitus, patiatur: quia de ratione pœnæ indicatiuæ à iudice inflictæ, non est actio, sed passio.

4 Tertia opinio. Tertia opinio distinctione vtitur, duplex enim potest esse huiusmodi pœna, prima proueniens ex causis generalibus, naturalibus, aut liberis, absque speciali vltione diuina, vt ægritudines, bella, & fames, & in vniuersum, quidquid ab hominibus patimur, siue iustè, vt à iudice, siue iniustè vt ab inimico, &c. Secunda specialis imposita à Deo in pœnam peccati, vt mors filij Dauid, &c. Prior non habet rationem satisfactionis, cùm non sit actio humana patientis, nec satispassionis, cùm non sit à iudice inflicta per modum vindictæ, & ita non remittit pœnam, nisi ratione actus interni, vt prima opinio dicebat: posterior autem, licèt propriè satisfactio non sit, remittit tamen pœnam per modum iustæ vltionis. Ita docet

Soto. Soto distinctione decimanona, quæstione secunda, articulo secundo, qui consequenter infert hanc passionem remittere pœnam, etiam sine actu libero patientis, dummodò ille in gratia sit. Quinimò addit, licèt resistat, & inuolũtariè, ac impatienter flagellum suscipiat, dummodò in eo non peccet mortaliter, etiamsi peccet venialiter, nihilominùs aliquid remitti per illam pœnam de pœna purgatorij, quod tamen

Ledesm. simpliciter affirmari non audet, affirmat autem Ledesm.2.part.q.14.articul.2. & videtur cõsequenter

A loqui, quia hæc pœna non pendet ex voluntate operantis, sed ex iudicis lege, & intentione.

Dico primò, qui voluntariè suscipit pœnam ab extrinseco illatam propter Deum, satisfacit pro peccatis, non solùm ratione actus interioris, sed etiam per se ac formaliter per ipsam exteriorem passionem seu pœnam. Hæc est, vt existimo, sententia Diui Thomæ 4. distinctione decimaquinta, quæstione prima, articul. quarto, quæstiunc. 2. Sylvest. verb. *Satisfactio*, quæst. nona, Victor. in Summ. numero 207. Nauar. in Summ. capit. tertio, numero quarta. Et primò multùm illi fauet Concilium Tridentinum, quod non satis de solo actu interno explicatur: tum

B quia ita dicit, nos satisfacere per hæc flagella, sicut per ieiunia, & alia opera voluntariè sumpta: tũ etiam, quia aliàs non propriè diceremur satisfacere his flagellis, si tantùm essent obiecta illius actus per quem satisfacimus: aliàs dicere etiã potuisset, nos satisfacere per beneficia, gratias enim pro illis agendo, satisfacimus, sicut etiam orando, vel petendo, illa vnde tam possemus satisfacere petendo, vt flagella tollantur, quàm ea patienter sustinendo.

5 Concl 1. D.Tho. Sylvest. Victoria. Nauarr.

Secundò, id sentiunt sancti Patres, dum docent, per hęc flagella purgare Deum iustos in hac vita, sicut per ignem purgatorij purgat in alia: & ad hoc accõmodant verba illa 1.ad Corint.3. *Saluus erit, sic tamen*

C *quasi per ignem.* Sic Augustinus de fide & operibus, ca. 15. & 16. & in Enchir. ca. 68. Greg. hom. 39. Chrysost. homil. 5. ad Hebr. *Quia bonus* (inquit) *non potest in omnibus bonus esse, ideò hìc punitur, vt purgatus exeat.* Hieron. Nahum primo, circa illa verba: *Non insurget duplex tribulatio*, seu, *Non iudicabit Deus bis in idipsum*, propter hanc causam dicit, Deum non punire in futura vita, quem in hac punit: habetur in ca. *Quid ergo*, 23.quæst.5.

6 Paul.1. Corinth.3. August. Gregor. Chrysost. Hieronym.

Tertiò, ratione probatur, quia licèt ab extrinseco patiatur homo hanc pœnam, dum tamen eam voluntariè suscipit, & offert Deo, moraliter facit eam suam: ergo satis est vt per illam satisfaciat: sicut, qui ab alio suscipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum religiosum, per illam satisfacit. Probatur consequentia,

D quia valor satisfactionis non consistit in hoc, quòd ipse dolor, seu pœna à nobis veluti actione physica fiat, sed multò magis in hoc, quòd propter Deum sustineatur, & voluntariè illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, vt per illa satisfaciamus: quia moraliter non minùs graue est sustinere flagella extrinsecùs illata, quàm à se. Et hæc veritas confirmatur exemplo Christi Domini, & passionũ eius: ait enim Concilium Trid. *Quòd dũ satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur:* at verò Christus per passiones suas extrinsecùs illatas ita satisfecit, vt non solùm interior actus, quo illas acceptabat, & offerebat Patri, sed etiam ipsi dolores,

E & pœnæ corporales essẽt satisfactoriæ, etiamsi Christus non illas in se efficeret, sed ab aliis illatas sustineret: ergo simili modo nos satisfacimus per flagella.

7 Conclusio probatur ratione. 4

Vnde fit, cæteris paribus, plus satisfacere qui maiorem pœnam patitur, cùm ipsa etiam ad satisfaciendum conducat. Fit etiam hinc magis satisfacere, qui patitur vt innocens, quã qui vt malefactor, etiãsi ipsa pœna sit æqualis: tum quia habet maiorem improportionem, & ideò maiorem rationem mali: tum quia fieri potest, vt plus satisfaciat quis per hanc pœnam toleratam, quàm per sponte assumptam: quia licèt pœna ex ea parte, qua est magis voluntaria, magisque propria, magis satisfactiua sit, tamen ex parte difficultatis, quæ est in sustinendis passionibus extrinsecùs aduenientibus, multùm excedere potest hæc pœna tolerata: præsertim si cum illa aliqua iniuria coniuncta sit.

8

Dico secundò. Hæc satisfactio non fit solùm per flagella

flagella ad eum finem à Deo immissa, sed per omnia, quæcunque illa sint, & ex quibuscunque causis proueniant, si prædicta voluntate suscipiantur. Hæc conclusio est eorundem Doctorum, vt existimo: quia vel generaliter loquuntur, & nihil distinguunt, vel apertè indicant, vt D. Thom. suprà, Victor. & Nauarr. qui exẽpla ponunt in ægritudine quacunque: Concilium etiam Trident. & Patres indefinitè loquuntur: Et ratio est, quia hæc omnia flagella potest homo facere moraliter sua, sed non alia ratione per hæc satisfacit, vt explicatum est, & infrà euidentiùs constabit: ostendemus enim, hominem non satisfacere per hæc flagella, vt ab extrinseco tantùm inferuntur, sed vt sunt aliquo modo ab intrinseco, moraliter loquendo. Et confirmatur primò, quia omnia hæc flagella prouenient ex diuina prouidentia, & saltem generali intentione per eà intendit, vt exerceamur, & purgemur à vitiis, & reatibus peccatorum, vt Sancti suprà citati docẽt: ergo si homo illis rectè vtatur, per illa etiam purgabitur. Confirmatur secundò, quia vix potest homo, nisi ex speciali reuelatione discernere, ex quo genere diuinæ prouidentiæ hæ pœnæ proueniant. Item, etiam per eas pœnas, quas homines patiuntur propter sua delicta ab aliis hominibus, si suprà dicto modo in Deum referantur, satisfaciunt: ergo non est expectanda illa specialis Dei intentio, quæ sæpe rara est, & nobis incognita. Et ex probationibus harum conclusionum satisfactum est fundamentis aliarum opinionum, quatenus his conclusionibus contraria esse possunt.

10 Conclusio tertia.

Dico tertiò, Nulla flagella huius vitæ, quacunque ratione à Deo inferãtur, sunt satisfactoria, nisi per honestam voluntatem acceptentur, & aliquo modo in Deum referantur. Hæc videtur aperta sentẽtia S. Tho. Richard. & Gabr. Et videtur colligi ex Tridentino vbi suprà: nam in primis, vt hæc flagella sint satisfactoria, requirit vt patienter tolerentur: deinde docet habere hanc vim ex Christi merito, & satisfactione. Quod non potest intelligi ex opere operato, vt per se constat: quia hæc flagella, nec sunt sacramenta, nec habent speciale priuilegium extra martyrium: ergo esse debet ex merito, seu satisfactione operantis, ad quod necesse est, vt operetur tanquàm Christi membrum: ergo necessaria est aliqua actio humana, & honesta ipsius operantis, qua acceptet huiusmodi flagella, & ea moraliter coniungat cum Christi satisfactione. Vnde solutio pœnæ, quæ fit in purgatorio, quia fit per meram satispassionem, non nititur propriè meritis Christi. Præterea, Sancti omnes, qui de his pœnis, seu flagellis loquuntur, ita hortantur homines, vt patienter, & voluntariè illa sustineant, vt planè significent omnem amitti fructum, si hæc voluntas absit.

11 Ratione probatur cõclusio. Augustt.

Ratione denique argumentor. Primò, quia, vt suprà dicebamus, & eleganter tractat Augu. 2. de peccatorum meritis, cap. 16. & 34. hæc satisfactio, & pœna, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exẽplum, quàm ad emendationem pœnitentis, & diuinum honorem: ergo requirit saltem voluntariam acceptationem ipsius pœnitẽtis: & ideò etiam in purgatorio hæc requiritur, saltem vt conditio, quia non est (vt ita dicam) quasi ciuilis punitio, sed veluti filialis castigatio, animam purificans morali modo, qui modus sine consensu voluntatis vix intelligi potest. Secundò, quia si tota remissionis pœna consisteret in passione, etiamsi homo non esset in gratia, vel etiam si peccaret per voluntatem resistẽdo, nihilominùs remissionem pœnæ obtineret, quod absurdissimum est: &, si hoc semel concedatur in peccato veniali, idem ferè sequitur in mortali. Tertiò, ratio propria est, quia passio huius vitæ non est comparabilis, nec porportionem habet cum pœna purgatorij: ergo non erit sufficiens ad remittendam illam, nisi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem, vt hac ratione possit esse veluti pretium sufficiens ad redimendam illam pœnam.

12 Obiectio.

Sed contrà, nam D. Thom. suprà dicit flagella impatienter suscepta, non habere rationẽ satisfactionis, sed vindictæ, at verò vindicta videtur esse satispassio.

Soluitur.

Respondetur, propriam diuinam vindictã dici, quãdo quis sine fructu patitur, quomodo Deus sumit vindictam de damnatis, vel dè aliis iniquis, quos punire dicitur pœna inimici. Ita ferè Antoni. 3. p. tit. 14. capit. 20.

D. Ant.

13 Dubium.

Sed quæres, si necessaria est voluntas, vt hæc passio exterior sit fructuosa, quandiu durabit hic fructus? an solùm quandiu durat actus interior voluntatis? videtur enim hoc sequi ex dictis, quia solùm eo tempore illa passio est voluntaria & libera, quia cùm non procedat ab actu voluntatis, sed solùm sit veluti obiectũ eius cessante actu, illa passio non erit voluntaria. Et confirmatur, quia aliàs etiam dormiens satisfaceret per iniuriam extrinsecùs illatam, si habuit priùs animum, & voluntatem sustinendi totam illam iniuriam, hoc autem non videtur verisimile. In cõtrarium verò est, quia durũ est affirmare, eum, qui graues pœnas patitur, non satisfacere, nisi dum actu acceptat illas pœnas.

Soluitur.

Respondetur, vix posse hoc à nobis diiudicari, sed diuinæ prouidentię, & ordinationi esse committendum. Videtur tamen verisimile, non esse necessarium, vt interior actus continenter duret physicè, sed satis esse vt moraliter durare censeatur: iudicabitur verò durare moraliter, quando & actus cecidit in totam illam passionem, quam homo humano modo sentit, & patitur, quámque ex vi illius actus patienter sustinet, nec repugnat, aut obmurmurat: denique quando prior voluntas non est per contrarium actum retractata, & eius virtus adhuc moraliter durat, vt ex dictis effectibus colligitur.

14 Aliud dubiũ.

Vltimò, ex dictis expenditur dubium, in quo Soto, Victoria & Ledesma inter se dissentiũt, scilicet, quando Deus specialiter punit in hac vita aliquem iustum pro peccato, an hoc ipso omninò liberet à tota pœna, quæ illi peccato in purgatorio designata est.

Deciditur.

Victoria enim, & Ledesma affirmant, Soto verò contradicit, & meritò, quia potest interdum illa pœna non esse æqualis, vt si sit breuis, & remissa. Vnde hoc est speciale priuilegium martyrij, quod perfectè purget, & omni pœna hominem liberet. Nec oportet, etiamsi Deus specialem pœnam vel permittat, vel infligat ad purgandum iustum, vt statim omninò purgationem perficiat, satis enim est si in hac vita purgatio inchoetur, in purgatorio perficienda: sicut è contrario accidit interdum in reprobis, qui hìc puniri incipiunt vt consummentur in inferno, iuxta illud Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.*

Deut. 32.

## SECTIO VIII.

### *Vtrùm ad nostram satisfactionem requiratur diuina promissio, & acceptatio.*

1 Opinio quorundam negat.

HACTENVS explicuimus conditiones necessarias ad satisfactionẽ ex parte satisfacientis, & operũ ipsius, superest dicẽdum de conditione requisita ex parte Dei, quæ nõ potest esse alia, nisi promissio, aut lex diuina. Quidã ergo Auctores negant, hanc promissionẽ, vel legem esse necessariã: fundamentum esse potest, quia, qui, quod debet, persoluit, nulla le-

ge,

ge,vel promissione indiget, vt eius debitum remittatur: sed nos per nostras satisfactiones verè persoluimus: ergo non est necessaria promissio,vt remittatur nobis. Imò, si propriè loquamur, non est remissio, sed solutio: remissio enim gratuitum aliquid, solutio autem opus iustitię indicat:& hoc ipsum includitur in ratione satisfactionis: est enim illa pars iustitiæ, sicut pœnitentiæ. Confirmatur, quia satisfactio vt vera sit, debet in se habere valorem ad recompensandum debitum, sed si hunc habeat, ex natura sua soluit illud,& non indiget promissione, si autem non habeat, non erit satisfactio, licèt addatur promissio, vel acceptatio, quia hæc non dat valorem operi, sed supponit illum.

2 Alia opinio affirm. Durand. Ledes.

Alia opinio esse potest, totum negotium satisfactionis nostræ positum esse in diuina acceptatione, & beneuolentia. Quam sententiam tenere videtur Durand.d.15.q.5.ad 2.& Ledesm.2.p.q.13. Fundamentum esse potest,quia pœna per se debita peccato, est pœna alterius vitæ,seu purgatorij, sed nulla pœna huius vitæ est cum ea comparabilis: ergo nec potest esse sufficiens ad satisfaciendum pro illa, nisi ex sola acceptatione diuina. Vnde Medin. tract. 5. q. 3. sub conditione,& distinctione inquit,si omnis pœna purgatorij sit alterius rationis à pœna huius vitæ, non posse satisfactionem fieri nisi ex sola diuina acceptatione, si verò aliqua sit eiusdem rationis, ad sustinendam, vel persoluendam illam in hac vita nullam esse necessariam legem, sed ex natura rei fieri per solam passionem talis pœnæ.

Medin.

Hæc quæstio ex principiis suprà indicatis, & latiùs tractatis in 1. tom.3. p.Disput. 4. & in Disputatione speciali de Iustitia Dei, atque etiã ex principiis de merito nostro apud Deũ, definienda est: quia licèt satisfactio,& meritum diuersa sint,tamen vtriq; commune est, vt secundùm quandam æqualitatẽ, & iuxta leges iustitiæ fiant, & in hoc etiam conueniunt,quòd sicut merito proprio infallibiliter respõdet præmium, nec potest denegari sine iniustitia,ita satisfactioni respondet infallibiliter condonatio pœnæ; vnde posita propria satisfactione de iustitia,impossibile est hominẽ pro illo peccato iustè puniri, pro quo satisfecit. Quare in nostra satisfactione duo cõsiderari possunt, vnum est,quòd in se habeat valorem aliquem,& proportionem ad satisfaciendũ,alterum est quòd infallibiliter, & ex iustitia Deus condonet purgatorij pœnam,propter hanc satisfactionem.

3 Assertio 1.

Dico primò. Opera, quibus Deo satisfacimus pro peccatis, prout à gratia procedunt, & gratia informantur,proportionem habent,& condignitatem aliquam ad satisfaciendum,secluſa extrinseca promissione Dei. Hanc conclusionem probant rationes factæ in prima sententia,quia aliàs reuerà non posset saluari vera, & propria ratio satisfactionis:nam, cùm promissio extrinseca sit, non dat operi proportionem; si autem non est proportio, nulla est ratio iustitiæ, & nulla est satisfactio, sicut si non esset proportio inter nostra merita,& præmia, non essent vera merita,& si non esset proportio inter pretium,& id quod emitur, non esset vera emptio. Hæc autem proportio (quod Medina non satis animaduertit) non est pensanda ex physica æqualitate pœnarum, sicut neque in merito consideratur ex physica æqualitate actuum. Pensanda ergo est, tum ex conditione ipsius actus, tum maximè ex dignitate,& statu personæ operãtis,operatio enim ipsa est pœnalis, & ex hac parte aliquam proportionem habet, &,quia est à persona Deo grata habet valorem moralem, vt possit esse proportionatum pretium ad redimendam aliam pœnam: & qui est opus viatoris,qui maiori quadam voluntate;& libertate seipsum punit,seu pœnam in satisfactionem offert, priusquàm veluti trudatur in carcerem, vt ibi puniatur, ideò, his omnibus pensatis, est in tali opere proportio, & valor sufficiens, vt sit aptum pretium ad redimendam talem pœnam.

4 Assertio 2. Necessariam esse acceptationem Dei. Trident.

Dico tamen secundò. Vt hæc nostra opera infallibiliter sint satisfactoria,& remissiua pœnarum alterius vitæ, necessaria est lex, & promissio Dei de condonanda tali pœna sub conditione talis operis. Quoad hanc conclusionem habet verum secunda opinio, & in hoc sensu intelligo dictum à Conc. Trid. sess. 14. c. 8. esse necessariam Dei acceptationem per Christum ad nostram satisfactionem: nec enim dici potest nostram satisfactionem acceptari per Christum solum, quia per illum habemus gratiam, & auxilium ad satisfaciendum: hæc enim satis apertè Concilium distinguit,dũ inquit,*in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent*: quibus omnibus verbis satis, sufficienterque videtur explicare gratiam & auxilium per Christum datum ad hæc opera facienda,& tamen subdit Concilium,*Nostras satisfactiones à Christo offerri Patri,& per illum acceptari.* Et in c.9. dicit esse maximum amoris diuini argumentum, quòd nostras satisfactiones acceptat: & hoc etiam confirmant suprà citata sacræ Scripturæ testimonia, in quibus hæc promissio continetur. Ratio verò est, quia pœna in hac vita assumpta,est alterius rationis à pœna purgatorij: ergo secluſa lege Dei,nulla est ratio propter quam debitum illius pœnæ per hanc necessariò tollatur. Confirmatur,quia si aliqua certa pœna statuta lege alicui peccato sit imposita, non tenetur iudex aliam pœnam loco illius acceptare,sed potest illam in propria specie exequi,præsertim si alia,quæ loco illius offertur,inferior sit,sed talis purgatorij pœna iusta lege debetur peccatis nostris:ergo,secluſa omni alia lege Dei, nihil est, quod obliget Deum ad remittendam illam pœnam propter opera nostra in hac vita facta. Denique in hoc nulla occurrit dubitandi ratio, neque,vt censeo,vllus est antiquorum Theologorum, qui in hoc contradicat: licèt enim in satisfactione Christi propter eius dignitatem aliqui non requirant hanc promissionem,vt non possit non acceptari à Patre,tamen de nostra satisfactione nullus dubitat,propter rationem factam, & quia nulla potest ratio probabilis in contrarium adduci. Cætera videantur in prædicta Disput.de Iustitia.

## SECTIO IX.

### *Vtrùm nostra satisfactio,concurrentibus omnibus conditionibus positis,sit de condigno, & iustitia.*

1

HÆc quæstio ferè est definita ex præcedenti, tamen propter opiniones ibi citatas,& vt exactiùs res intelligatur,aduertendum est, quandam pœnam esse impositam, & definitam singulis peccatis ex certa lege diuinæ iustitiæ, quæ pœna sustinenda est in futura vita, si in hac non fuerit plenè remissa,& hæc est veluti ordinaria pœna per se peccato respondens: præter hanc verò interdum Deus punit peccatum extraordinaria pœna huius vitæ, quæ quasi accidentalis est, seu extraordinariè posita ex speciali ordinatione Dei.

2 Nostra opera satisfacere de condigno pro pœna purgatorij. Assertio 1.

Dico primò, nostra opera esse satisfactoria de iustitia, & de condigno pro illa pœna purgatorij, quæ per se respondet peccato non plenè remisso. Est communis sententia Theologorum, quos citaui in sectione 1. & 2. huius disp. & colligitur ex Concil. Trid. suprà,

prà, vbi eodē modo definit nos satisfacere apud Deū sicut mereri: ergo sicut meremur de cōdigno, etiā satisfaciemus. Et ratio ex dictis est euidēs, quia ad meritū de cōdigno nihil aliud requiri potest, quā dignitas operātis, proportiō operis, & promissio Dei sub cōditione talis operis, ex hac enim promissione: si opus exhibeatur, oritur debitū, seu obligatio iustitiæ, vt aliis locis latiùs ostensū est. Sed hæc omnia cōcurrunt in satisfactione nostra, concurrit enim dignitas personæ per gratiā, & proportio operis, vt explicuimus, promissio enim Dei non deest, vt patet ex sect. 8. ergo nihil deest huic satisfactioni quominùs de condigno sit. Et cōfirmatur: nā qui subdit pœnā lege statutā eo modo, quo ex legislatoris volūtate posita est, cōdignè satisfacit tali legi, sed nūc ex lege diuina nō est absolutè imposita peccatis nostris pœna purgatorij, sed quasi sub conditione vel disiunctione, id est, vel illa in vita futura, vel aliqua moraliter proportionalis in hac vita: ergo qui alterum istorum facit, satisfacit legi Dei: ergo de iustitia, & de condigno. Confirmatur secundò, quia, posita hac lege, nulla ratione posset Deus de potentia absoluta dare pœnam purgatorii ei, qui in hac vita satisfecit, posset quidem vt supremus Dominus illum torquere, seu afficere illo malo, quod est purgatorij pœna, non tamen posset vt iudex inferre illud malum per modum pœnæ, id est, propter culpam, quia iam reuerà ille non est dignus tali pœna, magis, quàm si illam nunquàm commisisset, quandoquidem ipse nō debebat pœnā nisi lege statutam, & hanc iam sustinuit. Sicut iustus, qui in purgatorio passus est totam pœnam alicui peccato veniali debitam, non potest iterum propriè puniri, quanuis illud malum de potentia absoluta pati possit.

3 Assertio 2. Dico secundò, quando pœna est accidentalis seu extraordinaria, iustus non potest pro illa de condigno satisfacere, imò neque aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur. Hanc doctrinam attigit Medin. tract. 2. de Confessione, q. 46. Medin. vbi sic inquit: *Pœnas huius seculi Deus nec de iustitia legis infligit, nec de iustitia legis eas tollit, sed pro voluntate sua; pœnas autem alterius seculi de iustitia legis infert, & similiter de iustitia legis eas remittit, ob satisfactionem debitoris.* Hæc autem pœna, quam extraordinariam vocamus, semper est pœna huius vitæ, de qua Gregor. Iob. D. Greg. 6. Moral. c. 9. exponens illud verbum Iob 9. *Deus cuius iræ nemo resistere potest*, inquit, Interdum has pœnas (quanuis Deus illas comminetur) non esse absoluta voluntate definitas, & ideò posse interdum oratione impediri, & per opera nostra earū remissionem impetrari: quia nouit Deus mutare sententiam, si homo animum mutauerit, vt idem docuit Greg. lib. 16. cap. 4. & variis sacræ Scripturæ exemplis constat, quæ ab ipso afferunt. Et denique ex verbis illis Hier. 18. *Repentè loquar aduersus gentem, & regnum, &c.* & suprà, *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam supra malum quod cogitaueram, &c.* Interdum verò cōminatio est absoluta ex definita sententia Dei, & hæc non mutatur, quidquid homo operetur, quomodo Dauid per multas lacrymas vitam filij, in quo punitus est, obtinere non potuit. 2. Reg. 12. & ideò dicit ibidem, *Quis scit si forte donet mihi eum Dominus?* quæ particula, *forte*, incertitudinem ostendit: quia talis pœnæ remissio infallibilis non est: & eandem vim habere possunt verba illa Ioel. 2. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat?* & eadem verba habentur Ionæ 3. Atque eadem doctrina, præsertim quoad hanc posteriorem partem, quæ ad rem præsentem maximè spectat, sumitur ex August. libro 2. de Peccat. merit. & remissio. capit. 34. vbi eodem exemplo Dauid vtitur, & mortis, aliarúmque pœnalitatum, quæ post peccatum remissum relinquuntur, Idem libro 2. cont. Faust. cap. 67. & tract. 124. in Ioan.

Hier. 18. 2. Reg. 12. Ioel 2. Ionæ August.

Ratio verò est, quia de remissione huius pœnæ nulla est certa promissio, nec lex statuta. Quocirca quando interdum obtinetur à Deo remissio, vel commutatio huius pœnæ (vt sunt varia exempla in Scriptura sacra Exod. 32. Num. 26. 2. Reg. 24. Ionæ 3.) id non est per modum satisfactionis de condigno, sed per modum impetrationis, & meriti de congruo: quia scilicet Deus exaudit orationes, & merita amicorū suorum: sicut enim hæc pœna non est necessariò coniuncta culpæ, sed est quasi voluntaria, ita in ea dimittenda non seruatur ratio iustitiæ, sed gratiæ, & liberalitatis, quam Deus interdum concedit, interdū verò iusto iudicio negat. Nec circa doctrinā hanc noua occurrit difficultas, quæ in superioribus expedita non sit, & in aliis locis citatis ex 1. to. 3. & ex lib. 6. Opusc. 4 Ratio assertionis. Exod. 32. Num. 26. 2. Reg. 24. Ion. 3.

## SECTIO X.

### *Vtrùm hæc satisfactio necessaria sit ad remissionem pœnæ purgatorij consequendam.*

5 DVPLEX necessitas potest in satisfactione, sicut in aliis rebus, distingui, scilicet præcepti, & medij. De prima dixi satis suprà Disp. 12. agēs de præceptis, quæ in externū actū pœnitētiæ cadere possunt. Secūda verò intelligi potest vel de necessitate simpliciter ad consequendā gratiam & vitā æternā: & de hoc sensu nihil etiam est quod agamus, quia constat ex suprà dictis, posse gratiam obtineri, etiamsi tota pœna non remittatur. Certa etiam fide constat, si in hac vita satisfactio prætermittatur, superesse in alia remedium purgatorij, De qua re infrà propriam disputationem instituemus.

6 Alio ergo sensu intelligi potest hæc necessitas medij, in ordine tantùm ad remissionem pœnæ in hac vita consequendam, id est, an ad hunc effectum vnica via sit nostra satisfactio: loquimur autem ex opere operantis, vt omittamus applicationem satisfactionis Christi quæ fit per sacramenta, aut missæ sacrificium, aut per martyrium, aut indulgentias, & vt omittamus etiam remissionem, quæ fit in satisfactione vnius pro alio, de qua infra etiam latiùs in disputatione de suffragiis. Ratio autem dubij esse potest: quia non tantùm possumus à Deo obtinere remissionē pœnæ, soluendo, & sustinendo proportionalem, sed etiam impetrando, & merendo remissionem illius: sed isti duo modi sunt diuersi à satisfactione: ergo satisfactio non est medium necessarium ad tollendam pœnam. Antecedēs explicatur, & probatur quoad primā partē, quia consuetudo est Ecclesiæ, & fideliū, petere à Deo remissionem peccatorum, seu pœnæ, per hanc autem orationem non solùm petimus, vt tantùm pœna nobis remittatur, quantùm illi orationi, vt opus quoddam pœnale est, respondet, hoc enim non est necesse postulare, quia ille effectus necessario consequitur iuxta ordinem diuinæ iustitiæ, vt dictum est, sicut nemo petit à Deo, vt conferat gloriam suis meritis debitam: petimus ergo, vt Deus aliquam pœnam gratis remittat, præter nostram condignam satisfactionem: hæc autē oratio non est imprudēs, vel temeraria: ergo credendū est, aliquando, & sæpe habere effectū.

7 Secunda pars antecedentis similiter declaratur, & probatur, quia per omne opus meritorium gratiæ & gloriæ, quatenus tale est, & secluſa omni ratione pœnalitatis, fit homo aptior ad consequendam gloriam. ergo sicut per tale opus meretur homo augmentum gratiæ, & gloriæ: ita per illud tollitur, vel minuitur impedimentum gloriæ, quod est reatus pœnæ temporalis: ergo secluſa propria ratione satisfactionis, ipsū meritum est sufficiens via ad consequendam remissionem pœnæ. Confirmatur, quia non solùm consequitur

quitur homo, etiam inter homines, remissione pœ- A
næ per aliam pœnam, seu vindictam, quam de sei-
pso sumit, sed etiam per obsequia in eum, quem of-
fendit, facta, & huiusmodi sunt merita apud Deum:
ergo hæc etiam erit de se sufficiens via, vnde non erit
necessaria satisfactio.

4 De hac quæstione nihil ferè inuenio à Theologis
expresse dictum: considerata autem doctrina Cõci-
lij Trident. & modo loquendi Sanctorum, & Theo-
logorum de necessitate satisfactionis, videtur pro-
babilius, vnicam viam ad consequendam in hac vita
remissionem peccati per propriam actionem operan-
tis, esse condignam satisfactionem, & recompensa-
tionem delicti: sicut vnica via ad consequendam glo-
riam est meritum de condigno ipsius operantis.
Quod probatur excludendo duos modos suprà posi-
tos, præter quos nullus alius excogitari potest. Nam B
primùm, quòd sola impetratio, secluſa satisfactione,
Auguſt. Eccleſ. non sufficit, colligitur ex Auguſt. serm. 50. de Tem-
pore in fin. super illud Eccleſiast. 21. *Fili peccasti
ne adiicias iterum, & de priſtinis deprecare, vt tibi dimit-
tantur. Sed quid* (inquit Auguſt.) *proderit deprecari, si
te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus di-
gnos pœnitentiæ, vt tanquàm ſterilis arbor, excidaris, &
in ignis mittaris? Si ergo exaudiri vultis, cùm depre-
camini pro peccatis veſtris, dimittite, vt dimittatur vo-
bis.* Vbi, licèt etiam loquatur de remissione peccati
quoàd culpam, non tamen de illa solùm sed de om-
ni remissione. Est autem eadem proportionalis ratio:
nam etiam à Deo petimus remissionem culpæ, nõ ta-
men petimus, vt remittatur propter solam orationem C
sine debita dispositione, vt suprà agentes de necessi-
tate contritionis diximus, & ideò petendo hanc re-
missionem, ipsam etiam dispositionem postulamus:
ergo idem proportionaliter dicendum est de remis-
sione pœnæ, & petitione eius.

5 Et confirmatur, quia lex diuinæ iustitiæ, & proui-
dentiæ est, vt qui peccat, dignè puniatur, & eadem
lege est statuta via ordinaria, qua homo debeat puni-
ri, vel peccatum quoad pœnam compensari: ergo non
est cur hæc pœna gratis remittatur, & in hac lege dis-
pensetur ordinariè, aut per communẽ impetrationẽ:
Confirmatur secundò, quia cùm homo possit cum di-
uina gratia soluerũ hoc debitũ, sine causa peteret, vt
sibi gratis remitteretur, nec talis oratio in hoc sensu
mereretur exaudire: aliàs etiã animæ purgatorij pos- D
sent orare, & impetrare, vt sibi gratis remitteretur
pœna, quod, nullus, credo, affirmare auderet. Nõ est
ergo hic sensus illius orationis, quando à Deo remis-
sionem peccatorum postulamus, sed in primis per
talem orationem recognoscimus, nostra opera de se
talia non esse, vt ex rigore iustitiæ sufficerent ad
pœnam peccatis debitam, persoluendam, & ideò
petimus à Deo benignè acceptari: nam licèt hoc ab
ipso statutum sit, nihilominùs ipse voluit, & ordina-
uit, vt à nobis postularetur. Secundò, petimus auxi-
lium, & deuotionem ad ita orandum, vt satisfacere
possimus, atque adeò illamet orationẽ, qua nos debi-
tores recognoscimus, satisfactionem aliquam exhi- E
bere intendimus.

6 Secundò, probatur non esse in operibus nostris
aliud meritum remissionis pœnæ, præter ipsam satis-
factionem, quæ conuenit operi, vt pœnali: quia nulla
vel auctoritas, vel ratio fingi potest, vt tribuamus no-
stris operibus hanc duplicem vim seu efficaciam re-
mittendi pœnam. Deinde, quia meritum de condigno
per se est de augmento gratiæ & gloriæ, & eorũ, quæ
cum his per se, & necessariò cõiuncta sunt, vt constat
ex materia de gratia: remissio autem pœnę non habet
connexionem necessariam cum augmento gratiæ &
gloriæ, potest enim esse aliquis sanctior alio, licèt ma-
iorem reatum pœnæ temporalis habeat, & eadem ra-
tione potest ipsemet fieri sanctior manente eodẽ rea-
tu pœnæ temporalis, imò etiã aucto per peccata ve-
nialia: ergo, cùm ablatio, seu diminutio huius reatus,
seu impedimenti pertineat quasi ad alium ordinem
iustitię, scilicet, vindicatiuæ, non est cur per meritum,
vt sic, obtineatur necessariò. Præterea, quia nunquàm
in sacra Scriptura legimus esse promissam remissio-
nem pœnæ nostris operibus, nisi quatenus satisfacto-
ria sunt, atque adeò vt pœnalia, vt suprà ostendimus:
ergo ex præcisa ratione meriti de condigno, secluſa
ratione satisfactionis, non respondet nostris operibus
aliqua remissio temporalis pœnæ. Confirmatur: quia
hac ratione nõ meretur homo de cõdigno bona tem-
poralia, nisi quatenus necessaria sunt, & aliter obtine-
ri non possunt. Vnde, si homo indiget re temporali,
quam emere, v.g. potest, non est cur per sua merita ve-
lit extraordinariè illam à Deo obtinere: sic ergo, cùm
posit homo hanc pœnam proprio, & statuto pretio
redimere, non est cur alia via de condigno illam me-
reatur, nec censeri debet facere quod in se est ad hanc
remissionem obtinendam, donec proportionalẽ pœ-
nam soluat. Denique confirmatur: quia aliàs per se-
cundam contritionem, vel vnum actum charitatis
posset homo, licèt non per modum satisfactionis, sal-
tem per modum meriti, obtinere remissionem totius
pœnæ temporalis: quia si merendo augmentum glo-
riæ, meretur ablationem impedimenti, solùm quia
videtur quid inferius, eadem ratione meretur ablatio-
nem totius impedimenti: nam totum illud est etiam
inferioris rationis.

Supereſt ergo, vt dicamus ex opere proprio ipsius 7
operantis non esse aliam viam certam, & ordinariam
ad consequendam remissionem pœnæ, præter condi-
gnam satisfactionẽ. Quod satis quidem consonũ est,
tum diuinæ iusti tiæ vindicatiuæ, vt sicut cõmutatiua
postulat meritum, ita vindicatiua satisfactionem exi-
gat, nec vna cum altera confundatur: tum etiam diui-
næ prouidentiæ ordinantis satisfactionẽ hanc ad ani-
mæ curationem, vt saltem timore pœnæ homines à
peccando abstineant, quod remediũ valdè redderetur
inefficax, si aliis remediis possent homines facilè sine
condigno labore, & dolore, talis pœnæ remissionem
obtinere. Et per hæc rationibus dubitãdi in principio
positis satisfactum est. Accedit ad hæc, quòd ex opere
operato multis aliis modis fit remissio huius pœnæ,
præsertim per sacrificium Missæ, & aliqua sacramen-
ta, & ideò necesse non est alios modos remissionis ex
opere operantis multiplicare. Supererat hîc dicẽdum
de satisfactione vnius pro alio, sed hoc dicetur com-
modius infrà, de suffragiis disputando.

## DISPVTATIO XXXVIII.

### *De tertia parte materiali huius ſacramenti, quæ eſt ſacramentalis ſatisfactio.*

EXPEDIVIMVS præcedenti disputa-
tione quæ ad satisfactionem pertinent,
vt potest esse actus, vel effectus virtutis
Pœnitentiæ: nũc breuiter de illa dicen-
dũ est, vt est pars sacramenti, & habet
sacramentalem effectum. Quæ disputatio in duas
partes distingui posset, vt altera veluti speculatiuam
doctrinam, quæ ad esse ipsius sacramenti pertinet, al-
tera moralem, quæ pertinet ad præcepta, contineret:
tamen, quia materia breuis est, & hæc duo val-
dè sunt inter se connexa, illa breui-
ter in hac disputatione
complectemur.

SECTIO

## SECTIO I.

### *Vtrùm satisfactio sit pars necessaria huius sacramenti.*

1 Posse confessorem imponere pœnitẽtiam in satisfactionem. Leo Pap. August. Cyprian. Conc. Cauilon.1.& 2. Moguntin.1. Gratian. Burch. Maria. Victor.

PRIMVM omnium certum est, posse confessorem imponere pœnitẽti pœnitẽtiam aliquam in satisfactionẽ pro peccatis. Hoc constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, qui ex Patribus, & Conciliis colligitur, vt ex Leone Papa epist.89.c.2. August.de vera,& falsa pœnit.c.10.& 15. Cyprian.lib.1.epist.3.& ex aliis, quos præcedenti disputatione retuli. Et ex Conc.Cauilon.1.c.8.Cauilonens.2.c.45.Mogũtino 1.c.32.& ex c. *Deus*, & c. *Definitionem*,de Pœnit.d.1.cum aliis, quæ ibi,& dist.50. Gratianus cõgerit,& ex cap. *Omnis vtriusque*, de Pœnit.& remis. Et alia refert Burchard. lib.sui decreti,& sequẽtibus,& Marianus Victor proprio operẽ de hac re, vbi latè explicat antiquam historiam de publicis, & solennibus pœnitentiis: quanquàm enim non constet, omnes illas sacramentales fuisse, certum autem est ex vsu huius sacramẽti manasse. Denique in Conc. Florentino, & Tridentino hoc expressiùs, quàm in cæteris definitur. Ratio verò duplex ex suprà dictis colligitur. Prima est, quia hoc sacramentum fertur per modum iudicij, in quo non semper tota pœna gratis remittitur,& ideò ad iudicẽ illius spectat,equitate seruata, iudicium ferre, delictum vindicare, & pœnam imponere. Et in hunc modum exponit Tridentinum verbum Christi, *Quodcumque ligaueritis*, & illud, *Quæ retinueritis*, *retenta sunt*, vt latiùs in sequenti videbimus. Secunda ratio est, quia hoc sacramentum est medicina: nam in eo nõ solùm vindicta, sed præcipuè correctio pœnitentis intenditur,& ideò imponi debet satisfactio, quæ sit pœnitentia medicinalis, & accommodata ad præseruandum à similibus delictis.

2 Satisfactionem impositam esse partem sacramẽti.

Ex hoc principio colligitur, hanc satisfactionem à sacerdote impositam, & applicatam virtute clauium esse partem huius sacramenti. Ita definiunt Concil. Florent.& Trident.& consentiunt omnes Theologi. Et ratio est, quia pertinet ad perfectionem,& integritatem huius iudicij; sicut in omni iudicio, advindicatiuam iustitiam pertinente, punitio rei est pars illius iudicij. Et eadem ratio locum habet, si sacramentum hoc consideretur vt perfecta medicina peccati. An verò, vt hæc satisfactio sit pars sacramenti, necessarium sit sub præcepto imponi à sacerdote, vel satis sit applicari ab illo, quanquàm arbitrio pœnitẽtis relinquatur, in sequẽtibus latiùs dicemus: probabile enim est, quodcunque horum sufficere, vt D.Thom.docuit quodlib.3.art.28. an etiam imponenda sit hæc pœnitentia ante, vel post absolutionem, infrà dicam.

D. Thomas.

3 An hæc pars sit essentialis vel tantum integralis. Palud. Esse integralem concluditur.

Difficultas verò superest, an possit hæc pars dici essentialis, vel tantùm integralis: Palud.enim dist.16. q.1.in fin. contendit esse essentialem, & quædam argumenta congerit parui momenti, & fortasse de nomine disputat. Dicendum ergo est, hanc partem esse integralem, nõ propriè essentialem. Priorem partem docuit D. Thom. suprà q.90.art.2. & 3. & necessariò colligitur ex dictis, præsertim supposita posteriori parte: est enim hæc pars materialis: si ergo essentialis non est, oportet saltem esse integralem. Posteriorem verò partem docent ferè reliqui Theologi d.16. Capreol.q.2.art.3.in fin. Soto d.17.q.1.art.3. Cano dicta Relect.part.5.& alij, qui de hac materia scribunt. Et probatur: quia hoc sacramentum verè conficitur, & confert gratiam ante satisfactionẽ expletam (vt etiam Paludan. fatetur) sed nulla res incipit esse absolutè sine parte essentiali, vt ex Philosophia cõstat,& in successiuis etiam verum est, quidquid Palud.dicat. Quòd si fortè dicatur, tunc saltem haberi satisfactionem in proposito,& hoc modo esse essentialem. Respondetur, primùm sub quæstione esse, an hoc propositum necessarium sit, de quo infrà dicam,& saltem est certum non semper esse necessarium: quia interdum potest perfici hoc sacramentum nulla satisfactione imposita: & deinde illud propositum magis pertinet ad contritionem, quàm ad satisfactionem, nisi de nomine sit quæstio. Denique ratio à priori est, quia hæc pars non ordinatur ad primarium effectum huius sacramenti, qui est culpæ remissio, sed ad secundarium, qui est remissio pœnæ tẽporalis. Ex quo planè intelligitur, hanc partem non esse de necessitate simpliciter huius sacramenti: an verò sit de necessitate præcepti tam ex parte pœnitentis, quàm confessoris, infrà dicam.

Obiectioni occurritur.

Ratio à priori.

## SECTIO II.

### *An hæc pars habeat aliquẽ effectũ ex opere operato.*

1 Satisfactionem habere effectum gratiæ ex opere operato.

PRIMVM omnium statuendum videtur, habere hanc partẽ aliquem gratiæ effectũ ex opere operato, quanquàm enim hoc expresè definitum non inueniam, tamen ex modo loquendi Conciliorũ, & Theologorũ, & ex principio suprà posito videtur satis colligi: quia si hæc satisfactio nullũ effectum haberet virtute clauiũ, non esset maioris virtutis,& efficaciæ satisfactio sacramẽtalis, quàm nõ sacramẽtalis, quod est absurdum; neque etiam esset vlla ratio cur pars sacramenti appellaretur. Vnde confirmatur: quia hæc actio aliquo modo procedit à potestate soluendi & remittendi peccata sacerdoti, per confessionem subiecta, & ideò ex Christi institutione applicantur merita eius,& satisfactio speciali modo per hãc partẽ sacramentalem. Quod indicat Trid.sess.14.c.3. dicẽs Confessionem, Contritionem,& Satisfactionem esse partes, quatenus ad plenã, perfectamque remissionẽ peccatorum ex diuina ordinatione requirũtur. Denique, si hæc est pars sacramenti, necesse est, vt significationem aliquam propriam, & sacramentalem habeat; at sacramẽtalia signa nouæ legis sunt efficacia, id enim efficiũt quod significant: ergo necesse est vt hæc pars aliquem propriũ effectum habeat ex opere operato, illum scilicet, quem sacramentaliter significat.

Trident.

2 Quis sit hic effectus. Aliquorum opinio. Soto. Ledesm. Adrian. Reprobatur

Difficultas verò est, quis sit hic effectus. Et de duobus, aut tribus potest esse quæstio; primò, de remissione pœnæ temporalis: nonnulli enim Theologi fẽtire videntur, hanc satisfactionẽ non remittere pœnam ex opere operato, sed tãtùm ex opere operantis, quanquã in hoc genere maioris meriti,& satisfactionis sit: quia fit ex præcepto sacerdotis. Ita Soto d.9.q.1.art.5. Ledesm.q.13.art.3.dub.4. indicat Adrian.q.2.de Satisfactione, in solutionibus argumentorũ. Hæc tamẽ opinio nullum habet fundamentũ, quare nec probabilẽ esse censeo. Dico igitur, propriũ, & maximè indubitatum effectũ ex opere operato huius satisfactionis, esse remissionem alicuius pœnæ temporalis, præter illam, quæ respõdere posset ex opere, seu merito operantis. Hæc est communis Theologorũ sentẽtia d.15. & 16. quos infrà referam latiùs. Idẽ D. Th. quodl. cit. Caiet. Tom.1. Opusc. tract.6.q.vlt. Cano suprà,& Sot. d.20.q.2.art.3. videtur idẽ docere. Et ratio est, quia hæc pars potissimùm instituta est ad remissionẽ pœnæ tẽporalis, vt constat ex omnibus dictis in disp. præcedenti,& Conciliis citatis: ergo per se primò institui debuit ad remittendam hanc partẽ ex opere operato. Et confirmatur, quia totum hoc sacramentum est institutum

Vera sententia, esse remissionem pœnæ tẽporalis, D. Thomas. Caiet. Cano. Soto.

Capreol. Sot. Cano.

stitutum ad remissionem peccati: sed hæc pars non ordinatur ad remissionem culpæ: ergo ad remissionem pœnę: ergo aliquid pœnę remittet ex opere operato. Eandem confirmatur, quia hæc pars hunc maximè effectum significat, nam est quædam punitio peccati, & cómutatio pœnæ vitæ futuræ in talem pœnitentiam: ergo maximè significat remissionem illius pœnæ: ergo illam efficit ex opere operato, iuxta illud principium, quòd sacramenta nouæ legis efficiunt quod significant. Dices, hunc effectum communem esse omnibus sacramentis. Respódetur, incertum hoc esse (quanuis piè credatur) nulla autem quasi per se & ex directa institutione sua conuenit, sicut pœnitentię, maximè ratione huius partis.

Obiectio soluitur.

3 An conferat gratiã gratum facientem. D. Tho. Palac.

Secunda, & magis dubia difficultas est, an hæc pars conferat ex opere operato aliquã gratiam gratum facientem: multorum enim sententia est, non conferre, quam indicat D. Tho. in 4. d. 16. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. tenet ibi Palacios q. 1. Et potest hæc opinio suaderi primò, quia hæc pars solùm instituta est ad remissionem pœnæ, ad quem effectum non est necessaria infusio gratiæ, sicut per sacrificium Missæ remittitur pœna, licèt nõ infundatur gratia. Secũdò, quia per vnum sacramentũ, vna gratia sacramentalis datur, hęc autem in hoc sacramento confertur quando fit absolutio. Tertiò, quia aliàs sola satisfactio posset facere ex attrito contritum. Nihilominùs cõtrariam sententiam tenet apertè S. Tho. suprà qu. 90. art. 2. ad 2. vbi Caiet. id notat, & sequitur, & Soto d. 17. q. 1. ar. 2. circa finem. Et potest etiam probari primò, quia sacramenta nouæ legis causant gratiam: ergo, cùm hæc satisfactio sit pars sacramenti, aliquid gratiæ conferet. Secundò, potest ita explicari; nam, si homo tẽpore quo absoluitur, exhibuisset omnia satisfactionis opera, & esset meliùs dispositus ad sacramentum consummandum, maiorem effectum gratiæ ex opere operato acciperet, vt constat ex doctrina de Sacramentis in genere: sed satisfactio, licèt tempore posteriori fiat, tamen moraliter coniungitur cum aliis partibus, vt vnum sacramentũ cum illis constituat: ergo totum illud sacramentum conferet maiorem gratiam, atque adeò aliquid gratiæ per satisfactionem infundetur, quod anteà datum nõ erat. Tertiò, est bona coniectura: quia hæc satisfactio nõ solùm est in vindictam, & remissionẽ pœnæ, sed etiam, ac præcipuè, in curationem, & medicinã: sed ad hunc effectũ maximè necessaria est gratia: ergo. Hęc res mihi dubia est, quia pendet ex institutione, quæ nulla sufficienti auctoritate habetur, & coniecturæ pro vtraque parte probabiles sunt, & facilè etiam solui possunt: tamen in re incerta placet adhærere parti fauorabili, præsertim cùm D. Thomæ auctoritas intercedat. Et mihi saltem verum videtur, dari ex opere operato per hãc satisfactionem sacramentalẽ aliquam gratiam, id est, auxiliũ aliquod præseruans, seu adiuuans ad emendanda peccata: quia, cùm propter hunc finem primariò sit instituta hæc pars, non videtur dubium, quin illi sit data virtus adiuuans hunc finem. Et hinc etiam fit probabile, dari aliquam gratiam gratum faciẽtem: quia in sacramentali effectu semper hæc duo coniuncta sunt, vt constat ex doctrina de Sacramentis in genere.

Vera sententia. S. Thom. Caiet. Soto.

4 Quando ista gratia conferatur. Alensis opinio.

Tertiò, circa vtrunque effectum, præsertim circa priorem, dubitari potest quando conferatur, & quàm necessaria sit ad illum satisfactio. In quo est opinio Alensis 4. p. q. 8. memb. 2. art. 3. asserentis, statim ac satisfactio imponitur à confessore, incipere habere suũ effectum, antequàm executioni manderur: quia ipsamet actio sacerdotis habet aliquam efficaciam circa hunc effectum. Sed obseruandum est, ne fortè sit quæstio de nomine, suppositis dispositione pœnitentis, & acceptatione, & proposito implendi satisfactionem A impositam, probabile esse, & verum, vt suprà dixi, per ipsammet absolutionem sacerdotis remitti ex opere operato non solùm culpam, & æternam pœnam, sed etiam aliquid pœnæ temporalis. Et hoc modo certum est, ratione sacramenti suscepti remissiùs puniri hominem in purgatorio, etiamsi moriatur antequàm impositam pœnitentiam exequatur. At verò, si post datam absolutionem, manet alicuius pœnę reatus, illa sine dubio nec tollitur, nec minuitur ratione satisfactionis impositę, donec integrè, & ex parte exhibeatur. Et ratio est clara, quia sacramentum non habet effectum suum ex opere operato, donec re ipsa suscipiatur: neque pars eius proportione seruata. Circa hoc tamen cauenda est alia extrema sententia Adriani q. de clauibus. 1. dub. 2. circa finẽ, dicentis, ita esse B necessariam sacramẽtalem satisfactionem semel impositam ad tollendum reatum in sacramento relictũ, vt in hac vita per alia opera satisfactoria tolli nõ possit. Quæ sententia nec est vera, nec probabilis, vt rectè Petrus Soto lect. 2. de Satisfactione: quia impositio pœnitentiæ sacerdotis nõ abstulit vim suam aliis operibus satisfactoriis, & licèt pœnitens teneatur satisfactionem implere, tamen, si vel non possit, vel antequàm vrgeat tempus obligationis, alia opera faciat, per illa purgari poterit saltem ex opere operantis, vel ex opere operato, si alia sacramenta recipiat.

Alia opinio Adrian.

Improbatur Pet. Sotus.

Hîc verò circa hoc punctum quærere potest aliquis, 5 si quis pœnitentiã impleat, antequàm absoluatur, vt olim fieri solebat; & nunc interdum fit, an statim habeat suum effectum ex opere operato, supponendo subiectum esse dispositum per contritionẽ, & C gratiam: videtur enim statim habere, quia illa iam est pars sacramenti, & in virtute clauium nititur. Nihilominùs contrariũ verum existimo, scilicet non habere effectum ante datam absolutionẽ: quia sacramentum non incipit habere effectum, donec essentialiter consummatum sit per formam, vt inductione in omnibus patet. Deinde: quia hic est secundarius effectus coniunctus alteri principali, qui est culpæ remissio: sicut ergo non remittitur pœna ante remissionẽ culpæ, ita neque hæc pars potest habere suum effectum ante absolutionem. Denique, potior pars est contritio, & licèt præcedat, non habet effectum ex opere operato. Illa ergo satisfactio habebit effectũ ex opere D operantis, posteà verò, consummato sacramento, dabitur totus effectus ex opere operato.

5 Quid si pœnitentia impleatur ante absolutionẽ.

Vltimò dubitari potest, an quælibet satisfactio imposita habeat hunc effectum, & in qua proportione. Quidam enim dixerunt, etiamsi minima pœnitentia imponatur, illam remittere totum reatũ pœnæ, quantuscunque sit: quia Deus reliquit sacerdoti potestatẽ commutandi pœnam purgatorij in aliquam satisfactionem impositam; & ideò, si quis illam impleat, iã nihil debere: quia iam sustinuit pœnã à iudice impositam. Quam sententiam indicat Glossa in c. *Mensuram*, de Pœnit. d. 1. Addit verò, hoc maximè procedere, si pœnitens bona fide procedat, vel si confessor sit iudex ordinarius, & velit in reliquo dispẽsare. Quæ E omnia sunt voluntaria, & sine fundamento dicta. Itaque hic dicendi modus non est verisimilis: quia Deus quidem dedit potestatẽ sacerdoti iudicandi, tamen seruata iustitiæ proportione: nõ enim fecit illum dominum, sed iudicẽ, ratio verò iudicij æquitatem postulat: nõ ergo commisit illi, vt suo arbitrio disponeret, sed seruato ordine diuinæ iustitiæ: atque hoc magis constabit ex dicendis infrà sect. 5.

6 An quælibet satisfactio habeat hunc effectum. Quorundã placitum.

Reiicitur.

Propter quod alij è cõtrario opinati sunt, si satisfactio sit minima, & improportionata, nullum omninò effectum habere, quia est iniusta, & intolerabilem errorem continet. Sed hoc etiam verum nõ est, supposito absolutionẽ validã esse: quia, si fit sacramen-

7 Opposita opinio. Etiã reprobatur.

tum,

tum,illa satisfactio,quanuis minima,est pars illius, & ideò aliquē sacramentalē effectū habere potest.Item, illa satisfactio imposita ligat,id est,obligat,vt impleatur:ergo impleta soluit,vt sit æqualitas.Denique,quia ille error accidentalis est, si in valore sacramenti non committitur. Quocirca dicendum est, aliquam esse satisfactionem ita proportionatam peccatis, vt si illa imponatur,& impleatur,totum reatum deleat: nam, cùm hic reatus finitus sit, poterit adęquari per satisfactionem finitam, vnde fit, vt interdū possit satisfactio excedere reatum;interdum possit esse inęqualis, & tunc habebit solùm ex parte effectū iuxta proportionem, quam cum ipso reatu habuerit.Iam verò explicandum sequebatur quomodo intelligenda sit hęc condignitas, & proportio satisfactionis, rursus quod genus operationis, & quem statum satisfacientis requirat.Sed hæc simul cum præceptis, quæ ad hanc satisfactionem pertinent, commodiùs explicabuntur.

Vera resolutio.

## SECTIO V.

### *An teneatur confessor imponere satisfactionem pœnitenti.*

1 Prima conclusio. Teneri confessorem. Trident.

DIco primò,Per se loquendo, tenetur confessor satisfactionem imponere. Ita colligitur ex Conc.Trid. sess.14.c.8. & ex c.*Omnis vtriusque*.Et ratio est primò, quia tenetur integrū facere sacramentum. Secundò quia vt medicus,tenetur curare vulnera pœnitētis,& vt iudex,æquitatē seruare:vnde, cùm iudicet inter Deū, & hominē, sicut debet absoluere hominem dispositū, ita curare debet, vt homo satisfaciat Deo. Vnde colligitur, hanc obligationem ex genere suo grauem esse, cùm ad integritatem sacramenti,& religionem Deo debitam,pertineat.

2 Secunda cōclusio,nō teneri imponere per modū præcepti.

Dico secundò, Non tenetur semper confessor ad imponendam pœnitentiam per modum præcepti,sed potest interdum applicare pœnitentiam, si pœnitens velit illam assumere, vel solùm consilium, vt faciat. Hæc cōclusio supponit in primis,confessorem posse satisfactionem præcipere,quod mihi certum est:quia Concilū Trident. ita interpretatur potestatem ligandi,vt latiùs dicam infrà sect.7.Et hinc fit sępe posse teneri ad imponendam hoc modo satisfactionem,si causa & pœnitentis cōditio hoc requirat: imò censeo hoc esse regulariter, & frequentiùs seruandum propter rationes factas.Supponit deinde satisfactionem posse etiam imponi, seu applicari sine obligatione sub illa forma quasi conditionata, *Si hoc feceris,tibi seruiat in satisfactionem*,vt suprà cum S. Thoma docuimus:quia hoc satis est, vt illa satisfactio eleuetur per virtutem clauium:sicut indulgentiæ concedi etiam solent simili modo, quarum applicatio ad claues suo modo pertinet. Et hinc concluditur,posse interdum hoc modo imponi satisfactionem, vel totam,vel partem eius,prout confessor iudicauerit magis expedire pœnitenti:nam,cùm hęc satisfactio medicinalis sit, accommodari debet dispositioni pœnitentis, vt sæpe etiam infrà dicemus.Et hæc sententia colligitur ex D. Tho. quodl.3. artic. 28. Palud.d.20. q.2.art.2.Petro Soto lect.2.de Satisfactione. Victor. in Summa, nu.210. Ledesm.quæst.11.art.3. dub.14. Et ita potest intelligi quod idem Ledesm.1.p.4.q.31. art.2.opinatur, spontaneam pœnitentiā, pro peccatis confessis assumptam, posse esse partē sacramenti, id enim solū esse potest verum,si sit aliquo modo applicata per confessorem:quia aliàs nullo modo fundaretur in virtute clauium, neque esset pars sacramenti.

D.Thom. Palud. Petr. Soto. Victor. Ledes.

Sed contrà obiici potest primò,quia quando sacerdos non præcipit satisfactionem, non exercet actum iurisdictionis:quia non ligat: ergo non potest illa satisfactio habere effectum ex virtute clauium,nec esse pars sacramēti:ergo confessor nō satisfacit suo muneri imponendi illo modo pœnitentiam.Secundò,quia vel pœnitenti est satisfactio necessaria,vel non:si est necessaria,debet illam præcipere: si non est necessaria,nō debet illā applicare, aut imponere vllo modo. Tertiò,quia aliàs,per illa verba,quæ post absolutionē dicere solent confessores, *Quidquid boni egeris, &c.* omnia bona opera pœnitentiū fierent satisfactoria ex opere operato,quod videtur absurdū.Sequela autem patet: quia omnia illa applicantur dicto modo, licèt non præcipiantur.Respondetur ad primum, negando maiorem:quia nō solùm est actus iurisdictionis præceptum imponere,sed etiam pœnitētiā designare applicando illam ad effectū sacramenti:nam indulgentiarum concessio actus iurisdictionis est, licèt præceptum non includat.Vnde imponendo illo modo pœnitentiam sacerdos etiā ligat, & soluit:ligat quidem, quatenus necessitatem huius pœnitētiæ imponit, nō simpliciter,sed ad hūc finē consequēdi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc sacramentum:soluit autem quatenus facienti talē pœnitentiā commutat pœnam purgatorij in faciliorem pœnam;quàm per se, & sine virtute clauium necessaria esset. Ad secundū respondetur, fieri posse, vt talis pœnitētia in ratione medicinæ non sit absolutè necessaria, sit verò vtilis, expediat autē magis hīc & nunc illo modo eā imponere,quā sub præcepto,ob dispositionē pœnitētis: & tunc,quanuis in ratione punitionis fortasse sit debita,id tamē satis non est,vt semper sit necessarium sub præcepto eā imponere,si aliud expediat propter maius bonū pœnitentis:aut quia illud debitū nō est adeò rigorosum,præsertim quando est ex peccatis venialibus contractum. Denique fieri facilè potest, vt aliqua pars pœnitentiæ sub præcepto,alia sine illo imponatur.An verò interdū liceat omninò relinquere sacramentū hoc sine hac parte,infrà dicetur. Ad tertiū ferè Auctores citati concedunt illationē. Et quod attinet ad potestatem,nō dubito quin illā habeant confessores:incertum autē est, an per illa generalia verba hoc intendant:quia solū videntur esse quædam verba deprecatiua, quæ non indicant actum iudicialem, sed solam orationem ad impetrandū auxilium, quò talia opera dignē fiant, ad talem effectum obtinendum. Sed de hoc dicam in fine sectionis sextæ.

4 Concil. 3. Posse dari absolutionē sine satisfactione. Caiet. Nauar.

Richard.

Dico tertiò, Interdum potest confessor absoluere nulla imposita satisfactione.Ita Caiet.tom.1. Opusc. q.2.art.2.Nauar.c.26.nu.20.Duplex autem est casus, primò,quādo pœnitens est impotens,vt si sit propinquus morti, & præsertim si nihil percipere possit. Et ratio esse,quia,cùm hæc pars non sit essentialis,nō est omittendū sacramētū propter incapacitatem pœnitentis. Secundò,quando cōfessor ex ipsa confessione, & ex materia, & signis eius intelligit, pœnitentē integrè satisfeciſse pro peccatis suis. Estque clara ratio, quia sicut æquitas iudicij postulat, vt puniatur debitor;ita vt absoluatur qui iam soluit:vnde nō est de integritate iudicij,vt imponatur pœna, sed tunc solùm, quando adhuc intelligitur durare reatus.Denique per contritionem ipsam,& per confessionem homo satisfacit, vnde si interdum illa satisfactio æqualis sit, non est alia necessaria. Quanuis contrarium senserit Richard.d.18.artic.2.q.2.ad 1.nam saltem per modum medicinæ vult etiā in hoc casu imponendā esse satisfactionem: sed multòfaciliùs potest cessare hæc necessitas:quia fieri potest, vt peccata sint leuia, & speciali nō indigeant curatione.Fateor tamen rarò posse constare sacerdoti de sufficienti satisfactione iam facta, & ideò cōsultius esse aliquam,vel leuem satisfa-

ctionem imponere, quod etiam in primo casu fere semper seruare potest, si pœnitens percipiat: nam saltem potest vel semel proferre nomen IESV, vel aliquem bonum motum elicere.

### *Quando debeat imponi satisfactio, ante, vel post absolutionem.*

3 Gloss. SED quæret aliquis, an hæc satisfactio imponi debeat ante, vel post absolutionem. Gloss. enim verb. *audire*, in Clementina, *Dudum*, de Sepulturis, dicit esse imponendam ante absolutionem, solùm quia in illo textu hæc ordine numerantur, *Confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absoluat*. Sed hoc fundamentum leue est: nam in c. vlt. de Censibus, in 6. numerantur contrario ordine, propter quod Glossa ibi tenet contrarium. Veritas autem est, hoc esse arbitrarium: quia dummodò moraliter coniungantur hæc, & veluti in eodem iudicio fiant, non refert si alterum antecedat, vel sequatur. Ita Anton. 3. p. tit. 17. c. 20. §. 1. Nauar. de Pœnit. d. 6. c. 1. in princ. n. 35. Consuetudo verò iam ferè obtinuit, vt pœnitentia priùs imponatur, quod licèt non cadat sub obligationem, tamen consultius videtur, vt materia, quoad fieri commodè possit, supponatur formæ, & vt pœnitens saltem voto, & proposito satisfaciat priùs quàm absoluatur: sic enim melius ratio iustitiæ seruatur. Quod etiam docet Sylu. verb. *Confessor*. 4. §. 1. & Angel. verb. *Confessio*. 5. n. 2. An verò pœnitentia iniuncta ante absolutionem implenda sit, vel ad ad hoc possit obligare confessor, dicemus inferiùs sect. 7.

Anton. Nauarr. Sylueſt. Angel.

## SECTIO IIII.

### *An teneatur confessor condignam satisfactionem imponere, vel quam mensuram seruare debeat.*

1 Prima conclusio. Posse confessorē imponere pœnitentiā ex arbitrio. Conc. Nic. August.

DICO primò, nulla est certa satisfactionis mensura lege Ecclesiastica taxata, quam confessor imponere teneatur, sed arbitrio illi vtendum est. Conclusio est certa, quæ colligi potest ex Concil. Nicen. c. 12. & ex c. *Mensuram*, de Pœnit. d. 1. & ex multis aliis, quæ referuntur 26. q. 7. & ex c. *Deus, qui*, de Pœnit. & remiss. & ex August. in Enchirid. c. 65. quibus locis dicitur, hoc pendere ex arbitrio sacerdotis. Et ratio clara est, quia hæc pœnitentia maximè ordinatur in bonum, & curationem pœnitentis: dispositio autem pœnitentis potest esse varia: vnde nec eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ potest omnibus expedire, & ideò arbitrio iudicis relinqui debuit.

2 Obiectio. August. Conc. Carthag. 4. Soluit. Cōc. Cart 3.

Sed cōtrà: nam olim erant canones pœnitentiales, in quibus singulis peccatis certū pœnitentię tempus, & modus taxabatur, & (vt quidam dicunt,) septennis pœnitentia pro singulis mortalibus præcipiebatur; de quibus aliquid attigit August. in Enchir. c. 67. & Concil. Carthag. IV. c. 74. dum ait, *Vt sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges iniungat*, & in capitibus sequentibus alia similia habentur, & multa videri possunt in Burchardo lib. 18. & 19. Decreti, & apud Gratianū distinctionibus de Pœnit. & sæpe aliàs. Respondetur primò, Illud, quod dicitur de septenni pœnitentia pro singulis mortalibus, fabulosum esse, nullibi enim extat tale decretum, imò nec illæ pœnitentiæ erant vniuersales pro omnibus delictis, sed pro quibusdam grauioribus, & interdum erant breuiores, interdum diuturniores; relinquebantur etiam interdum arbitrio Episcopi, vt videre licet in Conc. Carth. III. c. 31. Denique in eis magis consulebatur ædificationi Ecclesiæ, quàm necessitati pœnitentis. Secundo, nō constat illas pertinuisse ad forum pœnitentiæ, sed fortasse sæpe ad externum forum Ecclesiasticum. Et patet, quia interdum erat pœna depositionis vel priuationis Ecclesiasticæ dignitatis, vel quid simile. Tertiò, etiam si aliquæ pertinerent ad forum pœnitentiæ, semper dabatur locus arbitrio confessoris, vt constat ex decretis citatis: vnde illa solùm erat quasi regula directiua, vt illam confessores sequerentur, quantùm expedire censerent. Quartò, iam tota hæc consuetudo antiquata est, & ad arbitrium sacerdotis totum hoc negotium est reuocatum. De hac relegi possunt Anton. 3. p. tit. 17. cap. 21. §. 1. Sylu. verb. *Confessor*. 4. in princ. & q. 2. Petr. Sot. lect. 2. de Satisfaction. Soto d. 19. q. 2. art. 5. Nauar. c. 26. num. 17. & Marianus Vict. dicto Opusc. de antiquis pœnitentiis.

Anton. Sylueſt. Petr. Sot. Sot. Nauarr. Marian. Victoria.

### *Secunda conclusio.*

3 DICO secundò, Hoc iudicium, & arbitrium confessoris, non est eius voluntati absolutè relictum, sed considerata grauitate peccatorum, & dispositione pœnitentis, seruataque ratione iustitiæ, debet proportionatam satisfactionem imponere, prout secundùm humanam prudentiam potuerit, vt suprà explicatum est: & ita colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. c. 8. vbi sunt illa verba notanda, *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis cōmineant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Similia habentur in Concilio Mogunt. 11. c. 31. Et ratio est suprà tacta, quia sacerdos est iudex: ergo debet æquitatem seruare. Et confirmatur, quia est veluti medius arbiter inter Deum, & peccatorem: si autem grauissimam pœnam imponeret pro leuissimo crimine, iniuriam faceret peccatori: ergo è contrario.

Trident. Conc. Mogunt. 2.

### *Tertia conclusio.*

4 NIHILOMINVS dico tertiò, Ex rationabili causa propter impotentiam vel fragilitatem pœnitentis potest confessor dissimulare, & leuiorem satisfactionem imponere. Ita D. Thomas in Addit. q. 18. art. 4. Soto d. 20. qu. 2. art. 3. & alij cōmuniter. Et ratio est, quia in hoc sacramento magis intenditur salus pœnitentis, & eius emendatio, quàm satisfactio pro pœna: si autem grauior satisfactio imponatur, quàm fragilitas, vel conditio pœnitentis patiatur, maiori periculo exponitur salus eius, quàm si aliquid de pœna remittatur. Et cōfirmatur, quia hoc etiam in maiorem gloriam Dei cedit, qui potissimùm vult curationem peccatoris, & aliàs causa Dei semper manet integra: quia si hic peccator plenè non satisfecerit, in purgatorio soluet vsque ad nouissimum quadrantem. Propter quod rectè Chrysosto. seu Auctor imperfecti in Matthæum, hom. 23. & habetur in c. *Alligant*, 26. q. 7. dicit confessores semper debere in mitiorem partem inclinare, & condescendere pœnitentibus: quia in hoc minus periculi est, quàm si grauioribus pœnitentiis homines deterreant, vel in desperationem inducant, & Nazianzenus orat. 26. circa finem, *Hanc* (inquit) *rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leniter, & humanè, non vt hostis, neque vt durus, & rigidus medicus.* & infrà, *Habes medicinæ regulam, Christi discipulus es, mitis, & benignus, qui nostras infirmitates portauit.* Quocirca illud præcipuè debet attendere confessor, vt satisfactionem imponat, accommodatam curationi, & præseruationi

D. Tho. Sot. Chrysost. Nazianz.

Præseruationi à peccatis, in quo opottet, vt integritatem, & seueritatem habeat: quòd si in hac parte sufficienter peccatori prouideat, quanuis in castigatione remissiùs agat, nunquàm grauiter errabit propter rationes factas: & quia in hoc difficillimum est æquitatem attingere. Aduertit autem Nauar. cap. 26. numer. 19. & 20. quando confessor leuiorem multò pœnitentiam imponit propter fragilitatem pœnitentis, quàm peccata eius mereantur, debere illum admonere, illam non esse sufficientem pœnam, sed propter eius indispositionem cum illo benigniùs agi, ne fortè ex leuitate pœnæ occasionem sumat peccandi, & vt fortasse moueatur ad alias voluntarias satisfactiones assumendas. An verò debeat confessor semper in hoc condescendere arbitrio pœnitentis, dicam commodiùs in sect. 7.

Nauar.

## SECTIO V.

### *Vtrùm condigna hæc satisfactio consistat in indiuisibili vel habeat aliquam latitudinem.*

1 DVPLICITER hoc intelligi potest vno modo in ordine ad iudicium confessoris, & hoc modo vix potest in quæstionem venire: quia certum est, non posse confessori constare hanc satisfactionem esse condignam cum tanta æqualitate, vt nulla possit maior, vel minor iustè imponi: hoc enim excedit scientiam humanam, & ideò certum est, intra aliquã latitudinem posse confessorem paulò maiorem, vel minorem satisfactionem imponere, seruata æquitate, sicut etiam in humana iustitia pretia rerum non consistunt in indiuisibili, sed habent latitudinẽ rigorosi, mitissimi, & medij pretij, & in omnibus seruatur iustitię æqualitas.

2 Secundo ergo modo intelligi potest quæstio in ordine ad effectũ, id est, an illa satisfactio, quæ in re sufficiens est ad tollendam totam pœnam, consistat in indiuisibili, an verò in ordine ad effectum habeat eandem latitudinem, quam habet in iudicio confessoris, ita vt omnis pœna, quam confessor iustè, & prudenter imponit, siue sit maior, vel minor, siue rigorosa, siue mitis, totam pœnã remittat. Multi enim Theologi hoc posterius opinantur, vt Scotus d. 18. qu. 1. & ibi Gab. art. 1. notab. 5. & art. 2. conclus. 5. Maior d. 20. q. 1. in princ. Soto q. 2. art. 3. Medin. tract. 2. q. 47. de effectu pœnitentiæ iunctæ. Fundamentum eorum est, quia hoc iudicium pœnæ commissum est homini: ergo debet iudicare modo humano, & iuxta humanam æstimationem. Confirmatur ex differentia inter satisfactionem ex opere operantis, & ex opere operato: in illa enim homo non est iudex, sed reus luens pœnas, & ideò ibi datur certa satisfactio in indiuisibili consistẽs, soli Deo cognita; at verò in posteriori satisfactione homo est iudex arbiter, & taxat pœnam condignam, & ideò licèt paulò maiorem, vel minorem taxet, erit æqualis eo modo, quo iudicium humanum, & iustitia requirit: alioqui nunquàm posset confessor iustum arbitrium ferre in hoc iudicio.

Aliquorum opinio. Scor. Gabr. Maior. Soto. Medin.

### *Satisfactionem hanc consistere in indiuisibili. Vera resolutio.*

3 NIHIL CMINVS probabilius censeo, hanc satisfactionem æqualẽ reatui in re ipsa esse certam, & in indiuisibili consistentem, ita vt, si ad illam non attingat pœnitentia impositа, licèt parum deficiat, nõ tollat omnem pœnam: si autem excedat, licèi parum, aliquid etiam satisfactionis supersit. Ita tenet Petr. Sot. lect. 1. de Satisfactione, & dicit esse communem sententiam antiquorum, sed illi, vt verum fatear, non multùm rem explicant, sed absolutè dicunt requiri condignam satisfactionem, vt videre est in D. Thom. d. 18. q. 1. art. vlt. quæstiunc. vlt. Alens. 4. p. q. 80. memb. 3. art. 1. ad argumenta. Palud. d. 20. q. 2. Durand. q. 1. Probatur autem dicta sententia; quia in diuino iudicio omnia sunt definita in pondere & mensura neque in illo est latitudo rigorosi, vel medij pretij: hoc autem iudicium diuinum est, quanuis per hominem exerceatur: nam homo tenetur iuxta diuinam legem & iustitiam iudicare. Nec refert quòd non possit indiuisibiliter cognoscere, quæ pœna, vel satisfactio à Deo taxata sit: quia satis est, vt humano modo iudicet: res autem ipsa habebit effectum, prout in re fuerit conformis legi diuinæ, & mensuræ à Deo positæ. Præsertim, quia regulariter loquendo, nec paulò magis, vel minùs attingit homo in suo iudicio illam mensuram: quia pendet ex multis, quæ homini ignota sunt, scilicet ex grauitate pœnæ, quæ ex peccato relinquitur, ex modo, quo ex opere operãtis, vel operato applicatur satisfactio, ex dispositione pœnitentis, & ex aliis similibus, quæ vix possunt in vnum coniungi, & ponderari; ita vt humanum iudicium parum discrepet à medio: non est ergo hæc commutatio ita posita in arbitrio confessoris, vt si à iusta mensura, vel modicùm aberret, æquè valeat satisfactio, eò quòd bona fide posita sit. Hæc autem mensura ex Christi institutione petenda est, supponit enim in opere proportionẽ aliquam, addit verò certam aliquam legem, qua decreuit, vt per tale opus tanta satisfactio Christi applicaretur, idque infallibiliter, & mathematicè (vt sic dicam) seruatur.

Petr. Sot. D. Thomas. Alens. Palud. Durand.

4 Et confirmatur primò: nam etiam absolutio, & effectus eius pendet ex dispositione pœnitentis, & humano iudicio fertur, & nihilominùs illa dispositio in re consistit in indiuisibili, saltem, vt talis sufficiat, & non minor, & quantumcunque confessor prudenter existimet esse sufficientem dispositionem, si in re non adsit, quanuis parum distet, nihil efficiet, in quo nullus dubitat: ergo similiter, &c. Confirmatur secundò, quia in omni alio effectu sacramentorum semper obseruatur, vt sit maior, vel minor, iuxta disputationem suscipientis, & quoad hoc in indiuisibili consistit: ergo idem erit in præsenti: sed qui maiorem suscipit satisfactionem, hoc ipso melius disponitur ad hunc effectum ex opere operato, cæteris paribus: ergo pro rata, seu proportione, maiorẽ fructũ cõsequenter. Nec ratio diuinæ iustitiæ pati videtur, vt, cæteris paribus, non plus satisfaciat qui plus operatur, etiamsi in excessu parua sit inæqualitas, eadem enim seruanda est in fructu: quia iustitia diuina æquissima est.

Hanc mensuram esse ex institutione Christi.

5 Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, duo debere sacerdotem obseruare in satisfactione imponenda. Vnum est, iusta vindicta, & commutatio pœnæ: & quoad hoc fateor non posse tam exactè æqualitatem rei ad rem obseruare: quia nõ habet sufficientem notitiam extremorum, vt possit ea inter se comparare, & compensare, sed secundùm generales quasdam rationes, pro grauioribus delictis debet graviores satisfactiones imponere. Aliud, quod debet attendere, est emendatio & præseruatio in futurum, & in hoc potest maiorem seruare proportionẽ: quanuis enim difficile sit quantitatem medicinæ ita præfinire, vt neque deficiat, neque excedat: tamen in hoc aliqua maior notitia extremorum habetur, & ita faciliùs potest, & cum maiori proportione seruari proportio. Aliquãdo verò necesse est, vt satisfactio propter aliorum exemplum, vel ad tollendum scandalum fiat, prout olim fiebat frequentiùs in Ecclesia, & tunc

Destruitur fundamentũ contrariæ sententiæ.

non

non tam grauitas culpæ coram Deo, quàm genus, & modus peccati respectu aliorum considerandus est. Et propter aliquem ex his respectibus posterioribus contingere potest, vt iustè imponatur maior pœna, quàm fortè ad satisfaciendum coram Deo esset necessaria.

## SECTIO VI.

### *Quæ opera sint in satisfactionem imponenda.*

1 Primum dubium. An debeat imponi opus bonum.

IN hac sectione tractari possunt ferè omnia, quæ suprà de satisfactione ex opere operantis tractata sunt: suppositis tamen iis, quæ ibi diximus, breuissimis dubiis res tota expediri potest. Primò ergo quæri potest, an opus iniungendum oporteat esse moraliter bonum. Respondetur, ex suo genere debere esse bonum, & habere cæteras conditiones ipsius operis, quæ ad satisfactionem ex opere operantis requiruntur: quia hæc satisfactio sacramentalis habet pro materia opus de se satisfactorium ex opere operãtis, quod per virtutem clauium eleuatur: an verò oporteat ab ipso operante bene fieri, vt impleat obligationem sibi impositam, dicam sect. 8.

2 Secundũ dubium. An debeat opus esse externum. Alens. Almain.

Secundò quæri potest, an oporteat hoc opus esse externum, vel sufficiat internũ. Alens. enim 4. p. q. 84. memb. 2. art. 1. & Almain. d. 15. q. 1. omninò requirũt actum externum, vel quia futurus est pars sacramenti, & ideò oportet, vt sit sensibilis, vel quia imponitur per modum humani præcepti, quod non solet cadere in actum internum. Dico tamen, actum externum esse magis accõmodatum propter rationes factas, & quia solet esse magis pœnalis. Nihilominùs verò imponi posse internum actum, vt si pœnitens ita ægrotet, vt nihil possit externè facere, iniungi ei potest, vt actum internum habeat. Item, si confessor iudicet valdè expedire ad bonum pœnitentis, vt aliquoties, vel aliquibus diebus proponat peccatum vitare, poterit hoc illi iniungere. Item, vt ille actus sit pars sacramenti, satis est, vt sit per accidẽs sensibilis, sicut cõtritio: fit autem per accidens sensibilis, quando exterius imponitur, & acceptatur. Deinde, cùm hoc sacramẽtum ad internũ bonum animæ pertineat, & internam salutem eius intendat, nõ mirum est, confessorem, sicut potest absoluere ab internis peccatis, ita posse ligare ad internum actum, si animæ ita expediat. Denique etiã ipsa contritio eleuatur per virtutem clauium: cur ergo non poterunt eleuari alij actus satisfactorij?

3 Tertiũ dubium. An possit imponi pœnitentia publica.

Tertiò quæri potest, an possit imponi pœnitentia publica: vocatur autem hoc loco publica pœnitentia non omnis illa, quæ coram aliis fit: nam si ita fiat, vt persona maneat occulta, vel causa: quia est res, quæ spontè fieri solet, vel certè, si talis est pœnitentia, vt soleat pro leuibus peccatis imponi, de his non est dubium, quin imponi possint. Dicitur ergo publica pœnitentia, quæ ita fit coram aliis, vt ex illa colligi possit, confessorem propter graue crimen illam imposuisse. Et est ratio dubij, quia videtur esse contra sigillum, propter quod Nauar. in c. *Sacerdos*, de Pœnit. d. 6. nu. 86. & in Summ. c. 8. n. 10. negat tales pœnitentias posse imponi, & iura, quæ de illis loquuntur, intelligenda existimat in foro exteriori. Sed est certè difficilis interpretatio: nam c. 1. de Pœnit. & remiss. & clariùs Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de Reform. apertè videntur loqui in hoc foro. Vnde communis opinio est, propter peccata occulta nõ debere imponi pœnitentias publicas, quia sunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis: pro peccatis verò publicis imponendas esse: quia ita expedit ad Ecclesiæ satisfactionem, & exemplum. Ita D. Thom. distinct. 14. quæstione prima, articulo quinto, quæstiunc. 1. ad 1. & d. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 4. ad 4. Alens. 4. part. q. 14. membr. 6. art. 1. aliàs q. 64. memb. 1. Palud. d. 14. qu. 6. Argent. art. 3. Dur. q. 4. Soto d. 19. q. 2. art. 5. Anton. 3. p. tit. 14. c. 17. §. 6. Med. tract. 2. quæst. 44. Ad difficultatem verò de sigillo respondet Durandus ibi, non reuelari peccatum, quia est publicum. Sed contrà: quia reuelatur confessio eius, quod non licet, vt suprà dixi. Meliùs D. Thom. negat esse reuelationem, quia fit ex consensu ipsius pœnitentis. Vrgebis, quia hic consensus est veluti coactus, & inuoluntarius. Propter hoc dico, si pœnitens habeat rationabilem causam ad non acceptandam huiusmodi pœnitentiam, & illa non sit necessaria ad tollendum aliquod scandalum, non esse obligandum, sed tunc tantùm, quando ad tollendum scandalum, vel ad satisfaciendum Ecclesiæ in crimine publico, & notorio iudicatur necessarium, vel valdè expediens absque graui incommodo pœnitentis, qui in eo casu non potest dici cogi, sed rationaliter induci ad id, quod facere debet: reliqua de hoc puncto dicta sunt in superioribus.

D. Tho. Alens. Palud. Argent. Durand. Soto. Anton. Medin.

4 Quartũ dubium. An debeat esse vnũ ex illis tribus, ieiunio, oratione, & eleemosyna.

Quartò quæri potest, an opus satisfactorium oporteat esse aliquod ex illis tribus, ieiunio, oratione, & eleemosyna. Respondetur, non oportet, si hæc in rigore sumantur, esse aliquod ex illis, quanuis ad illa reduci debeant aliquo modo. Videantur dicta disputatione præcedenti, & accommodentur hîc.

5 Quintũ dubium. An esse opus supererogationis.

Quintò, an oporteat hoc opus esse supererogationis, vel possit esse ex aliàs præceptis, videantur suprà dicta in simili. Quibus suppositis respondetur, regulariter imponi opera supererogationis, vt maior sit satisfactio, & vt detur pœnitentibus occasio plura benè operandi. Nihilominus non est dubium, quin opera etiam præcepta possint imponi: quia, cùm illa sint satisfactoria, possunt per claues eleuari, & in idem opus potest cadere duplex obligatio, & sæpe hoc facere expedit, saltem ex parte propter hominum fragilitatem. De quo bene Nauarrus in capit. 1. de Pœnitentia, dub. 6. cap. 40. & sequentib. vbi etiam significat, idémque alij Auctores sentiunt, quando confessor nihil explicat, semper intelligendum esse imponere opus aliàs non præceptum: quia regulariter hæc est intentio confessoris: ab hac autem regula excipit eleemosynam Victoria in Summ. numero 205. Soto verò distinct. 19. quæstione secunda, articulo primo, in fine, distinguit: quia, si obligatio faciendi eleemosynam superuenit post confessionem, sufficiet illa eleemosyna ad implẽdam pœnitentiam, non verò si antecessit. Sed hæc non sunt necessaria ratione fundata: quid enim plus habet eleemosyna, quàm ieiunium; vel quid refert quòd obligatio antecedat, vel sequatur? Totum ergo pendet ex intentione confessoris, quæ tamen ex circunstantiis, & ex materia interpretanda est: nam, si rationabiliter creditur noluisse adeò grauare pœnitentem, meritò potest credi, quòd hæc fuerit intentio eius: quia semper credendum est prudenter, & rationabiliter operari, consultius tamen esset, quando materia talis est, vt coniuncta aliis præceptis possit graue onus imponere, explicitè interrogare confessorem intentionem eius.

Nauarr. Victoria. Sot.

Addunt etiam Doctores, si quis recitet rosarium, aut horas eo tempore, quo ex præcepto audit sacrum, satisfacere. Ita Angelus verb. *Feriæ*, §. 46. Adrianus q. 1. de Satisfactione. Medin. tract. 2. quæstione 48. Et ratio est, quia reuerà facit opus impositum, ad quod aliàs non tenebatur, & quod incompossibile non est cum auditione Missæ.

Angel. Adrian. Medin.

6 Sextum dubium.

Sextò quæri potest, an oporteat hoc opus esse aliquod particulare, vel per clausulam generalem, *quid-*

*quid*

Trident. Communis opinio.

An debeat esse opus particulare. D.Tho. Palud. Petr.Sot. Nauarr.

*quid boni feceris, & mali sustinueris*, eleuentur opera ad satisfactionem ex opere operato. Quam quæstionem ponit S.Thomas quodlib.3. art.28.& respondet, hoc posterius affirmando; quem sequuti sunt Palud.suprà, & Petrus Soto lect.2.de Satisfactione, & Nauarr. in Summ.c.26.num.24.& de Pœnitent.d.6.c.1.in princ. nu.36.quibus in re pia, & fauorabili ego non contradicam: & quia, si peccatum in communi potest esse materia huius sacramenti, cur non etiam satisfactio in communi? Ne autem possint inferri aliqua absurda, existimo intelligẽdum hoc esse quoad satisfactionem pro peccatis in illa confessione confessis: quia de illis tantùm fertur iudicium, & ita postquàm illa plenè fuerint remissa, ille effectus cessabit.

7 Vltimò quæri potest, an possit etiam imponi opus per aliud implendum, sed de hoc dicam infrà in sectione nona.

## SECTIO VII.

### *Vtrùm Pœnitens teneatur satisfactionem sibi impositam acceptare, & acceptatam implere.*

1 Prima sententia non teneri.

Scot. Gabr. Medin. Sylues.

Armil. Nauar. Host. Panorm.

NVNC dicendum superest de his, quæ pœnitens exhibere tenetur. In qua re prima sententia est, pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam, si tamen illam acceptet, teneri illam implere. Ita Scotus d.18.q.1.art.1.ibi Gabr.q.1.art.3. dub.1.& d.16.art.3.dub.5.Medin.tract.2.q.45. Sylu. verb.*Confessio*.q.25.(licèt q.6. videatur cõtrariũ sentire) Armil.verb.*Confessio*,§.29.Nauar.c.26.n.20.idem sentiunt Host. & Panormitan.in cap. *Significauit*, de Pœn.& remiss.Fundamẽtum est, quia peccator in hac vita non tenetur satisfacere pro pœna temporali, sed potest in purgatoriũ remittere: ergo quoad hoc non tenetur se subdere clauibus. Confirmatur primò, quia aliàs teneretur acceptare condignam pœnam, etiamsi esset grauissima. Confirmatur secundò ex communi omniũ consuetudine, nullus enim confessor negat absolutionem pœnitenti eò solùm, quòd nolit pœnitẽtiã acceptare. Secũda sententia. Caiet.

Secũda sententia est Caiet.tom.1.Opusc. tract.6.q.2.ad 2.vbi non solùm negat teneri ad acceptandũ, sed etiã, si acceptet, teneri ad implendum; & videtur sanè magis consequenter loqui: quia illa acceptatio non est votũ, nec promissio, sed tãtùm simplex propositum: si ergo præceptum confessoris per se non inducit obligationem, nec acceptatio illam inducet.

### *Conclusio prima.*

2 Posse cõfessorem obligare pœnitẽtem, vt acceptet & impleat. Conc. Trid. Victoria. Magist. D.Tho. Richard. Palud. Maior. Durand. Alens. Anton. Ruard. Victor. Soto. Petr.Sot. Cano. Ledesm. Leo Pap. Conc. Salegust.

DICO tamen primò, confessorem obligare posse pœnitentem, vt satisfactionem impositam acceptet, & impleat. Hæc conclusio videtur mihi hoc tempore tam certa, vt sine temeritate negari non possit: nam ferè apertè definiuit illam Tridentinum, adeò vt Victoria existimauerit eam esse de fide. Docuit illam Magister d.16.& 18.& ibi D.Thom. qu.1.art.3.quæstiunc.3.Richard.art.2.q.5.Palud. d.20.q.2.in fin. & ibi Maior q.5.& d.17.q.2.& ibi Durand.qu.2.& 3. Alens.4.p.quæst.24.memb.4.art.5.aliàs q.64.memb. 2.art.3.& memb.3.art.1.Antonius 3.p.tit.18.c.19.§. 19.Ruad.art.3.pag.273. Victor.in Summ.n.240. Soto d.20.q.2.art.2.Petrus Sot.lect.2.de Satisfactione, Cano Relect.de Pœnit.p.5.in fine, Ledes.2.p.4.q.20. artic.3. Et colligitur ex Leone Papa epist.89.aliàs 91. habetur in c. *Multiplex*, de Pœnit. d.1.& ex Concil. Saleguſtadiensi c.18. in 3.tom.Conciliorum, *Multi*, inquit, *tanta fallunturstultitia, vt capitali crimine culpati, pœnitentiam à suis sacerdotibus acceptare nolint*. Fauet etiam cap. *Omnis vtriusque*, vbi eodem modo præcipitur fidelibus, vt confiteantur, & pœnitentiam impleant: item Concilium Florentin. dum inquit, hanc satisfactionem esse imponẽdam secundùm arbitrium sacerdotis: clariùs Trident. sess.14.cap.8.vbi dicitur, esse in sacerdotibus potestatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam, & hoc sensu definit canone 15. datam esse sacerdotibus potestatem, non solùm absoluendi, sed etiam ligandi. Conc.Flor. Trident.

3 Probatur ratione.

Et ratione probatur, primò ex suprà dictis: quia confessor tenetur satisfactionem imponere: ergo alter tenetur acceptare. Patet consequentia: tum quia, cùm vterque occurrat ad sacramentum, vterque tenetur integritatem eius seruare: tum etiam quia aliàs valdè inefficax esset potestas sacerdotis vindicatiua. Confirmatur: quia vnusquisque tenetur parere iudici rectè iudicanti: sed impositio pœnitentiæ est pars iustitiæ: ergo. Et hæc ratio soluit fundamenta contraria sententiæ: nam licèt in lege naturæ non esset præceptum satisfaciẽdi, tamen in lege gratiæ, quatenus hominibus commissum est integrum iudicium de peccatis, per eos imponi potest hæc satisfaciendi obligatio: sicut etiam imponi potest pœnitentia per modum medicinæ. Vnde obiter colligitur, hanc cõclusionem non tantùm procedere in annua confessione, sed etiã in quacunque alia, quæ voluntariè fit, præsertim si sit de materia necessaria: quia eadem est ratio de integritate iudicij, & sacramenti, & quia per illam confessionem extinguitur obligatio confitendi ampliùs illud peccatum, & ideò eodem modo potest pro illo satisfactio imponi.

### *Conclusio secunda.*

4 Quæ sit illa obligatio.

SECVNDO dicendum est, Hæc obligatio ex genere suo est grauis, & sub reatu peccati mortalis, tamen in indiuiduo sæpe potest esse tantùm sub veniali. Probatur prima pars: quia materia de se grauis est, & ad religionem, seu iustitiam diuinam pertinens: ergo. Vnde colligitur, si confessio sit de materia mortali, & necessaria, & pœnitentia imposita etiam sit grauis, tunc esse peccatum mortale, si voluntariè, & sine causa rationabili omittatur. Dices, Quid si pœnitens nolit acceptare, neque absolutionem recipere, sed alium adire confessorem. Respondetur, facilè posse hoc à graui culpa excusari, præsertim si pœnitenti liberum sit huic, vel alteri sacerdoti confiteri. Nihilominùs, si reuerà confessor nullam moralem vim inferat, sed conuenientem satisfactionem imponat, non est absolutè liberum, nec licitum pœnitenti sacramẽtum inchoatum relinquere, & effugere sacerdotis iustum iudicium, cui iam semel se subdidit: confessores tamen in hoc non debent esse nimis difficiles, sed accõmodari oportet fragilitati pœnitentis, & leuiores illis pœnitentias imponere, si grauiores illis acceptare nolint; præsertim quando non est aperta eorum malitia, & medicinæ necessitas in futurum non vrget, & ita fiet, vt moraliter vix possit fieri magna dissentio inter confessorem, & pœnitentem, si vterque licitè, & iustè suo munere fungatur. Obiectio. Soluitur.

5 Probatur secunda pars cõclusionis. Soto. Palud. Nauar.

Secunda pars conclusionis cõmunis est, tenet Soto d.20.q.2.art.2.Palud.d.17.q.7.concluſ.4.Nauarrus in Summ.c.21.num.3. cõstatque ex generali regula peccatorum, quæ ex leuitate materiæ venialia fiunt. Erit autem leuis materia. Primò, si confessio sit de solis venialibus. Secundò, si sit de mortalibus iam confessis, vt Soto etiam, & alij notarunt: quia, licèt integritas sacramenti non seruetur, tamen est in re valdè extrinseca,

seca, & secundaria. Tertiò, si omittat partem pœnitentiæ in confessione mortalium, quando pars illa non est grauis. Quartò, si contingat in confessione mortalium leuem pœnitentiam imponi, etiamsi tota illa omittatur, non erit peccatum mortale: quia, licèt causa sit grauis, tamen materia præcepti non est sufficiens ad tantam obligationem. Et, si illa esset materia partialis, omissio eius non esset mortalis: ergo nec etiamsi sit totalis: quia vt diximus, sola hæc mutilatio sacramenti non sufficit ad peccatum mortale. Quintò, addit Medina suprà, omissionem fore venialem, si confessor noluit sub maiori obligatione ligare, etiamsi materia, seu pœnitentia imposita grauis fuerit: ad quod necessarium erit, vt sacerdos suam intentionem pœnitenti declaret. Aliis autem videtur, non esse hoc in potestate sacerdotis, qui in hoc se habet sicut legislator, qui potest præceptũ ferre, aut nõ ferre; si autem ferat, non est in potestate eius magis, vel minùs obligare, sed id necessariò sequitur ex materiæ grauitate. Veruntamen, licèt præcipiens non possit excedere grauitatem materiæ in imponenda obligatione: quia hoc superat potestatem, & non pendet ex sola voluntate; tamen satis probabile videtur, posse obligationẽ moderari infra materiæ grauitatem: quia in hoc non se habet tanquàm agens naturale, vt necessariò agat secundùm vltimum potentię suæ. Probabilis ergo videtur hæc opinio Medinæ, præsertim cùm dixerimus posse sacerdotem pœnitentiam imponere sine vlla obligatione: cur ergo non poterit eam imponere cùm minori, seu leui obligatione, cùm hoc pendeat ex voluntate eius, infra limites suæ potestatis?

6 Quando obligetur pœnitens.

Sed quæres, quando obligetur pœnitens ad hanc satisfactionem. Respondetur, si confessor designat tempus, intra illud implenda est, vt constat: quòd si fortè intra illud non impleatur, nõ statim cessat obligatio, vt contingit in præceptis Ecclesiasticis, quæ si præcipiunt ieiunium, vel Missam tali die, illo transacto, cessat: quia intentio talis legis est omninò definire tale tempus: at verò intentio confessoris est satisfactio pro peccatis: circunstantia verò temporis solùm est, ne nimia sit dilatio. Quocirca non est intentio sacerdotis, vt statim obligatio cesset, si fortè aliqua ex causa differatur. Vnde etiam fit, vt huiusmodi dilatio facilè possit à mortali culpa excusari: quia nõ est contra substantiam præcepti, vnde si rationabilis causa intercedat, interdũ etiam poterit honestari. At verò, si confessor non designet tẽpus, obligat, per se loquendo, ad implendam pœnitentiam quàm primùm commodè fieri possit: quia & integritas sacramenti, & ratio medicinæ, & iusta sententia, quæ secum affert adiunctam executionem, ac denique rationabilis intentio confessoris hoc requirit; sicut ergo votũ, quod tẽpus non determinat, de se obligat, statim, ita etiam hæc satisfactio. Sed hæc omnia moraliter intelligenda sunt, non enim statim est iudicandum peccatum mortale in quacunque dilatione, sed quando iudicio prudentis confessoris esset nimia. Quid verò agendum sit, si pœnitens oblitus est pœnitentiæ impositæ, & an ob eam causam teneatur confessionem iterare, dictum est suprà inter disputandum de integritate.

A B C D E

---

*Pœnitens an possit obligari antequàm absoluatur.*

7 TANDEM potest ex his definiri dubium suprà huc remissum, An possit sacerdos obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priùs quàm illum absoluat. Dico enim, si sermo sit de satisfactione tantùm, vt est vindicta, non posse sacerdotem hoc facere, per se loquendo: quia nullum ad hoc habet ius; nec habet per se causam differendi absolutionem, si pœnitens acceptat pœnitentiam, & nulla est ratio existimandi non impleturum illam. Et ideò dixi, *per se loquendo*: nam per accidens ob tale periculũ, si verum sit, poterit sacerdos iustè id facere. Sicut etiam potest, & interdum debet, non absoluere, donec impleat pœnitentiam in præcedenti confessione impositam, & iniquè, ac sæpiùs omissam: quanquàm in hoc prudentia confessoris necessaria est. At verò, si propter curationem, & medicinam iudicet confessor id expedire, poterit facere, & pœnitens tenebitur obedire: quia tunc potiùs agitur de cõdigna dispositione ad remissionem peccatorum, quàm de satisfactione pro temporali pœna. Vnde illud præceptum à confessore positum, non tam est noua impositio, quàm declaratio alicuius obligationis, quam pœnitens de se habet, vt possit de illius dispositione, & proposito vitandi peccata moraliter constare: & ad summum videtur sacerdos tunc modum, seu medium determinare: in quo, si sint plura, & sufficientia, potest se voluntati pœnitentis accommodare, vt medicinam eligat: quia hoc satis est ad illius curationem, ad quam solam sacerdos ius habet, & potestatem in eo actu, vt declaratum est. Ad fundamenta primæ opinionis iam ferè responsum est. Nam, licèt stando in solo iure naturæ, & extra hoc sacramentum peccator possit temporalem satisfactionem in purgatorium reseruare: tamen supposita subiectione ad claues, in hoc iudicio tenetur satisfactionem impositam acceptare, tum propter integritatem sacramenti, & iudicij: tum maximè, quia in iudicio recto & bene instituto, arbitrium pœnæ, vbi illud locum habet, non est commissum reo, sed iudici, apud quem est potestas vindicatiua, & coactiua, quæ coactio in præsenti iudicio, eò quòd sit voluntarium, propriè non habet locum: fit autem prout potest ligando per præcepti necessitatem. Ad primam confirmationem tum respondetur, confessorem posse quidẽ obligare ad satisfactionem condignam, ita tamen vt simul sit medicinalis, atque adeò tolerabilis, & accommodata humanæ fragilitati. Alia difficultatem non habent.

---

## SECTIO VIII.

*Vtrùm necesse sit pœnitentiam implere in statu gratiæ.*

HOC dubium intelligi potest de necessitate ad integritatem sacramenti, vel ad effectum eius. Dico primò, satisfactio exhibita in statu peccati mortalis, sufficit ad integritatem sacramenti, & ad implendam obligationem à confessore impositã. Est communis & ratio est, quia confessor tantùm præcipit opus, & non modum eius. Confirmatur: quia in aliis præceptis, vel sacramentis satis est substãtia operis, etiamsi extra charitatem fiant; neque est hîc noua fingenda obligatio sine necessitate. Neque hæc conclusio pendet ex quæstione de effectu: quia effectus est finis, non materia huius præcepti. Ex hac conclusione infertur, etiamsi ipsum opus satisfactorium malè fiat ita vt ex aliqua circunstantia peccatum sit, posse sufficere, propter eandem rationem, vt si imponatur ieiunium, & pœnitens vel in quantitate excedat, vel in fine deficiat, si tamen formam ieiunij seruet, implebit præceptum sibi impositum, propter rationes factas.

1 Prima assertio, sufficere in statu peccati mortalis.

Circa alteram partem de effectu, duplex est quæstio. Prior est, an pœnitentia facta in peccato mortali, statim habeat aliquem effectum ex opere operato. Altera, an saltem habeat illum recedẽte fictione. Circa priorem aliqui dicunt habere effectum statim. Ita Marsil. in 4. q. 11. art. 3. Medin. Cod. de Confessione, q. de Pœnitentia iniuncta extra grat. implet. Scotus, & omnes

2 Marsil. Medin. Scot.

omnes qui de satisfactione ex opere operâtis ita opinantur, à fortiori hoc dicent. Fundamentum est, quia confessor mutat pœnam purgatorij in tale opus pœnale, & non præcipit, vt fiat in gratia: ergo per ipsum opus exhibitum satisfit. Confirmatur, quia sacramentum dat effectum non ponenti obicem: sed huic effectui remissionis pœnæ non ponitur obex propter solum statum peccati mortalis: ergo,

*Secunda assertio, Satisfactionem in mortali non conferre effectum operanti.*

3 NIHILOMINVS dico secundò, Satisfactio impleta in peccato mortali non confert effectum operanti, durante illo statu. Ita dicunt cæteri Theologi, quos statim referam; & probari potest ex omnibus, quibus disput. præced. ostendi, pœnã non remitti homini existẽti in peccato mortali. Vnde fundamentum huius conclusionis esset debet, huiusmodi statũ esse obicem huic effectui cõtrarium. Quod potest inductione, tam in aliis operibus, quàm in aliis sacramentis, Baptismo, Eucharistia, & similibus: nam, si homo in peccato mortali illa suscipiat, non consequetur remissionem alicuius pœnę temporalis, etiamsi reatum aliquem ex peccatis priùs remissis habeat. Ratio verò reddi potest, quia, cùm remissio pœnæ temporalis sit effectus supernaturalis aliquo modo præparans hominem, seu remouens impedimentum gloriæ, non est cur conferatur, nisi ei, qui est proportionatus ad gloriam, & amicus Dei. Cõfirmatur, quia sacramentum non confert specialem effectum sine generali, neque secundarium sine primario, vt in aliis videre est: ergo idem dicendum est de hac parte. Præsertim, cùm suprà dixerimus, hanc partem etiam conferre augmentum gratiæ. Ex quibus facilè soluitur argumentum contrariæ sententiæ, quia confessor non ita commutat pœnam purgatorij, vt ex vi operis imposîti remittatur, sed vt per illud applicetur virtus passionis Christi, quæ tamen non applicatur nisi subiecto disposito, & non ponenti obicem.

4 Quorundã opinio. Adrian. Soto. Ledesm.

Circa vltimum verò punctum quidam negarunt, hanc satisfactionem habere effectum, recedente fictione. Ita Adrianus quæst. 2. de Satisfactione in solutionibus argumentorum, Soto dist. 19. q. 1. artic. 5. Ledesma secunda parte, quæst. 13. artic. 3. dub. 4. Alij verò non generaliter hoc negant, sed de illis operibus, quæ nullum relinquunt effectum in operante: nam si relinquant, ratione talis effectus dicunt recedente fictione, posse remittere pœnam, vt ieiunia propter debilitatem, quam relinquunt. Ita Paludan. distinct. 15. quæstione prima, articulo tertio, D. Antoninus, tertia parte, titul. 14. capit. 20. §. secundò, Syluester verb. *Satisfactio*, quæstione tertia. Quæ tamen distinctio est impertinens, & sine vllo fundamento. Prior verò sententia est probabilis: quia, cùm satisfactio pro pœna temporali iterari possit, cumque aliis modis possit illius pœnę remissio obtineri, nulla videtur esse sufficiens ratio ad dicendum, satisfactionem illam aliquid operari ablato obice peccati.

Palud. Anton. Syluest.

*Tertia assertio, hanc satisfactionem habere effectum recedente fictione.*

5 NIHILOMINVS dico tertiò, Licèt res sit incerta, probabilius videtur, hanc satisfactionem habere effectum, recedente fictione. Ita Caietan. Tom. primo Opuscul. tract. sexto, quæstione vltim. Petrus Soto lectio. vltim. de Satisfactione, Victor. in Summ. numero 201. Nauarr. de Pœnitent. distinctione sexta capite primo, in principio, numero 48. Probatur: quia sacramẽtum Pœnitentiæ, si contingat esse, informe, habet effectum, recedente fictione; credibile autem est partem imitari naturam totius. Et confirmatur, quia sicut non tenetur quis iterare confessionem informem, ita nec satisfactionem extra statum gratiæ exhibitam: ergo, &c. Fateor rationes non esse adeò efficaces, quia hæc satisfactio sacramentalis non est medium necessarium ad satisfactionem pœnæ, sicut confessio est necessaria ad remissionem culpæ; & ideò neque est tam necessarium, vt tredeat hic effectus. Propter quod dixi, rem hanc esse incertam, coniecturæ tamen sunt valdè probabiles, & sufficientes. Considerandum est enim, opus illud satisfactorium, licèt, vt est opus operãtis, si mortuũ, & ideò nunquàm habeat effectum; tamen vt est opus sacramentale, & applicatio meritorum, seu satisfactionis Christi, semper esse opus ex se viuum, quodammodò tamen mortificatum ratione subiecti, vt non possit in eo habere effectum secundùm præsentem dispositionem. Sicut autem opera mortificata reuiuiscunt, & operantur recedente fictione, ita opus illud incipit habere suum effectum, ablata fictione. Ad hunc autem effectum non est necessaria aliqua actio physica, sed tantùm moralis condonatio, quæ fit à Deo intuitu prioris applicationis sacramentalis satisfactionis, & ideò impertinens est, quòd illa satisfactio aliquem physicum, seu naturalem effectum relinquat in operante, vt habeat effectum, recedente fictione.

Caiet. Petr. Sot. Victoria. Nauarr.

6 Obiectio.

Dices, Ergo non solùm satisfactio impleta in statu peccati, sed etiam impleta per opus peccaminosum habebit effectum, recedente fictione. Respondetur primò negando sequelam: quia, vt illud opus sit satisfactorium, etiam ex opere operato, oportet vt non sit malũ: quia aliàs non habet congruitatem, vt sit quasi instrumentum morale ad hunc effectum. Secundò, & magis consequenter respondetur, concedendo sequelam: quia Baptismus, etiamsi ex parte suscipientis fuerit actus peccaminosus, posteà recedente fictione, remittit totam pœnam simul cum culpa, & confessio ipsa, vel susceptio alterius sacramenti, & etiamsi fiat peccando venialiter, confert gratiam. Denique, illa actio quoad substantiam est bona, & est punitio delicti, &, vt sic, est instrumentum, quo applicatur Christi satisfactio.

Soluitur.

7 Quomodo peccet pœnitens implens pœnitentiam in mortali.

Sed quæres, an peccet mortaliter is, qui implet pœnam iniunctam in peccato mortali. Quod enim peccet venialiter, videtur clarum ex dictis: quia recipit partem sacramenti indignè, & ponit obicem effectui sacramẽti. Vnde, si verum est, quòd suprà cum S. Thoma dixi, hanc partem dare gratiæ augmentum ex opere operato, videtur planè sequi etiam mortaliter peccare, sicut suscipiendo matrimonium, vel aliud simile sacramentum, quia ponit obicem gratiæ sanctificanti. Et reuerà si speculatiuè argumentum consideretur, est ratio facta valdè efficax, & probabilis: tamen quia hic effectus est valdè incertus, & probabiliter etiam negari potest, ideò practicè & moraliter non censeo esse imponendum tantum onus sine maiori certitudine: & ita existimo, practicè loquendo, hoc non esse peccatum mortale.

SECTIO

## SECTIO IX.

*An hæc satisfactio sit omninò personalis, an verò possit per alium impleri.*

1 Posse per aliũ impleri satisfactionem. D. Tho. Palud. Sylues. Alens.

COMMVNIS sententia Theologorum est, posse pœnitentem implere per alium satisfactionem sibi impositam, præsertim si ille sit impotens, vel alius sit sanctior, & dignior. Ita D. Thom. distinct. 20. q. 1. artic. 2. quæstiunc. 3. Paludan. quęst. 3. artic. 1. Sylues. verb. *Satisfactio*, quæst. 3. Alensis 4. part. q. 85. memb. 4. Sed notandum est, duplicem posse esse quæstionem: prima est, an sine voluntate confessoris possit pœnitens satisfactionem per alium implere: altera est, an ex illius voluntate hoc possit fieri. In priori, certum est, non posse pœnitentem satisfactionem per alium implere: quia hæc obligatio oritur ex præcepto: ergo si confessor præcipit, vt ipse, verbi gratia, ieiunet, non implebit præceptum, etiamsi alius ipsius nomine ieiunet. Vnde infertur, quandocunque confessor nihil explicat, sed absolutè iniungit pœnitenti, vt hoc, vel illud faciat, imponere obligationẽ personalem per ipsum, & non per alium implendam: quia hæc est rationabilis intentio confessoris, & hoc sonant verba eius. Hæc etiam satisfactio, cùm simul sit medicina, quoad hanc partem, non potest per alium exerceri. Ac denique, hoc magis est cõsentaneum naturæ sacramenti. Et in hac cõclusione cõueniunt ferè omnes Theologi in 4. distinct. 20. D. Bonauentura articulo primo, quæstione prima, & secunda, Durandus quæstione secunda, Argentin. quæstione 1. articulo secundo, Richardus articulo primo, quæstione tertia, Gabriel distinct. 16. quæstione secunda, articulo tertio, dub. vlt. Alensis 4. part. quæst. 24. memb. quarto, articul. quarto, Medina Cod. de Confessione, quæstione de Pœnitentia tempore quo celebratur impleta, Caietan. in Summa, verb. *Satisfactio*, capit. 2. Antonin. 3. part. titul. 14. cap. 20. §. 1. Altisiod. libro 4. Summę tractat. sexto, quæst. 2. cap. 3. Angelus verb. *Satisfactio*, numero 3. Armilla §. 6. Soto distinct. 19. quæst. 2. articulo quarto, Ledesma quæstione decimaquarta, articulo quarto, Corduba libro quinto de Indulgentiis, quæstione quinta ad octauum, circa finem quæstionis, nec puto Auctores initio citatos contrariũ in hac parte sentire.

Bonau. Durand. Argent. Richard. Gabr. Alens. Medin. Caiet. D. Ant. Altisio. Angel. Armil. Soto. Ledesm. Corduba.

2 Circa alteram partem quæstionis dicendum est, si confessor indicauerit expedire, posse imponere pœnitentiam per alium implendam, & tunc satisfieri præcepto eius, si tali modo fiat: loquor autem de actu virtutis, qui fit per alium, vt per causam principalem, vt est ieiunium, oratio, disciplina: nam de illo, qui fit per alium tanquàm per ministrum, vt est, verbi gratia, eleemosyna, nulla erat quæstio. Et in hoc sensu docent hanc conclusionem Doctores citati, & citandi. Ratio verò est, quia hoc præceptum pendet ex voluntate confessoris, & ideò illi satisfit, si iuxta eandem voluntatem impleatur. Non debet autem confessor sine iusta, & necessaria causa hunc modum satisfactionis imponere: quia nec est adeò in Ecclesia vsitatus, nec ad finem huius sacramenti adeò expediens: quia talis satisfactio nec deseruire potest per modum medicinæ, neque ipsa ratio satisfactionis satis certa est, vt iam dicam.

*Sufficiátne satisfactio per aliũ impleta ad satisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit.*

3 QVÆRES, an hæc satisfactio per alium facta sufficiat non tantùm ad implendum præceptum confessoris, sed etiam ad satisfaciẽdum ex opere operato pro illo, pro quo fit. Ledesma suprà negat: tum quia ille actus non est pars sacramenti: nam partes sacramenti sunt actus ipsiusmet pœnitentis: tum etiam, quia non procedit ex virtute clauium, neque confessor potest obligare aliquem ad talem actum. Contrarium verò sentiunt apertè D. Thom. Bonauentura, Durandus, Soto suprà, Gabriel distinct. 16. quæst. 2. art. 3. dub. vltim. Alensis 4. part. quæst. 83. membr. primo, articulo secundo. Et consequenter loquendo, hoc videtur probabilius. Ratio autem reddi potest, primò, quia vnus potest alteri applicare satisfactionem suam, non solùm quæ respondet actui ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. Sed hæc ratio non placet: quia fundamentum, quod assumit, non est semper verum: nam, licèt in sacrificio Missæ, quod propriè cõsistit in actione, & pro alio offerri potest, id verum habeat; tamen in satisfactione, quæ est proprius effectus alicuius sacramenti, vt Baptismi, verbi gratia, nõ existimo posse alteri communicari, nisi solùm ei, qui sacramentum suscipit: & idem est de remissione pœnæ, quę ex priuilegio per modum operis operati conceditur alicui operi, vt est martyrium: quia huiusmodi fructus conceditur solùm suscipienti tale sacramentum, vel patienti talem pœnam, & ideò non est positum in eius voluntate, vt aliis illum communicet. Secundò, supponit illa ratio hanc pœnitentiam per alium factam habere effectum ex opere operato, & hoc est quod inquirimus.

D. Tho. Bonau. Durand. Soto. Gabr. Alens.

4 Ratio ergo esse potest, quia, quãdo pœnitentia imponitur per alium implenda, semper intelligitur facienda ex motione, & petitione ipsius pœnitentis, & sic est aliquo modo illius: ergo, vt sic, etiam potest esse aliquo modo pars sacramenti ab illo suscepti: ergo etiam potest habere effectum ex opere operato circa illum. Nec enim necesse est, vt pœnitens per seipsum exerceat omnes actus, qui sunt partes huius sacramenti. Et eadem ratione potest confessor eleuare per virtutem clauium actum alterius, vt habeat effectum ex opere operato, non ex sola intentione proximi operantis, sed ex applicatione, & eleuatione ipsius ministri, vt rectè docuit Medin. tract. 2. q. 84. Et ad hoc satis est, vt applicatio, seu impositio sacerdotis fiat in ordine ad sacramentum perficiendum, & vindicandum hoc modo delictum, etiamsi propriam obligationem non imponat alteri, vt pro altero satisfaciat; quanquàm etiam possit hæc obligatio imponi, veluti ex pacto, vel consensu alterius volentis in se assumere debitum, seu onus satisfaciendi pro alio.

Medin.

## SECTIO X.

*Quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare.*

1 DISTINGVERE oportet interpretationem, seu declarationem propria mutatione, siue ablatione pœnæ: interpretatio enim non est actus potestatis, sed prudentiæ, vel doctrinæ. Et duobus modis habet locum in præsenti. Primò, si quis rationabiliter iudicet clauem à principio errasse, & satisfactionem iniustam imposuisse, & ideò declaret pœnitẽtem non teneri ad illam implendam. Secundò, si à principio fuit iustè imposita, posteà verò pœnitens factus est impotens, vel suborta est sufficiens causa, quæ illum excusset: tunc enim etiam habet locum interpretatio, & quando causa, seu impotentia reuerà est sufficiens ad excusandum, non tenetur pœnitens commutationem postulare: quia nulla est ratio talis obligationis, vt in aliis

aliis præceptis,& votis patet: nam,quia obligatio cadit in talem actum, vel materiam, & ille actus iam non est moraliter possibilis, vel conueniens cessat obligatio.

2. Propriè ergo quæstio versatur,quando reuerà durat obligatio satisfactionis impositæ, à quo possit auferri altero è tribus modis, scilicet, vel omninò tollendo,vel dispensando,vel commutando in æqualem: & de quatuor personis potest esse quæstio,primò, de eodem confessore;secundò,de æquali,tertiò,de superiori;quartò de inferiori.

3. De eodem confessore tribus modis intelligi potest mutare pœnitẽtiam iniunctam.Primò,ex vi eiusdem confessionis, & quasi eandem causam agens, & iudicans.Secundò, iterando iudicium, & confessionem eiusdem peccati.Tertiò,omninò extra confessionem.Hic tertius modus est semper illicitus, & impossibilis, vt ex dicendis à fortiori patebit. Secundus est verus,vt Soto rectè docuit: quia hoc sacramentum,& iudicium circa idem peccatum iterabile est, vt ex statim dicendis constabit:nam quoad hoc eadem est ratio de eodem confessore, & de æquali. Tertio item modo potest idem sacerdos sine iteratione confessionis mitigare pœnitentiam,vel commutare,si pœnitẽs ad ipsum recurrat intra tempus adeò breue, vt moraliter possit idem iudicium existimari. Ita Soto d. 20. quæst.2.art. 3. cuius sententia propterea mihi probatur,quia hæc res moraliter pensanda est,& iuxta prudens,& humanum iudicium, & quia sæpe ita potest expedire ad bonum animarum, ad quod hoc iudiciũ ordinatur; & præsertim locum habet, quando confessor causam memoria retinet, & rationabilis causa subest mutandi iudicium.

Soto.

4. Secundò,de sacerdote æquali Soto absolutè docet non posse vnum confessorem mutare pœnitentiam ab alio impositam,idem Victor in Summ.numer.323. quia par in parem non habet imperium, nec iudex eiusdem potestatis potest mutare sentẽtiam ab æquali datam; & in hoc sensu interpretantur cap. *Placuit*,de Pœnit. dist. 6. quem textũ latè suprà,disputatione de ministro, interpretati sumus. Sed hæc sententia non potest generaliter,& indifferenter,ac omnibus modis intelligi, quòd si Soto in eo sensu loquitur, reuerà nõ loquitur consequenter,nam eadem est ratio de æquali cõfessore,& de eodem,quando iudicium,seu cõfessio iteratur. Vnde cõtraria opinio cõmunis est,quã tenet Syluester.verb. *Confessio*,1.quæst.27.Angel.verb. *Confessio.6*.num.4. Nauar. cap. 26. num. 22.Rosel.verb. *Confessio sacramentalis*,numer.11.& Victor.numer.211. Ledesm.quæstion.20.artic.4.Medina tit.2. quæst.45. Imò addit Nauarr.Conf.26.de Pœnitent.& remissio. cum aliis etiam extra confessionem posse commutare sacerdotem æqualem pœnitentiam ab alio impositam;quod tamen falsum esse censeo, vt infrà ostendam:nam,si hoc non licet superiori,multò minùs licebit æquali.Ex tribus ergo modis suprà positis,scilicet,in eadem confessione, vel omninò extra cõfessionẽ, vel audiẽdo aliã confessionẽ eorundẽ peccatorũ. Prius hic locũ nõ habet, quia,vt supponimus, nõ agimus de sacerdote,qui confessionẽ audiuit,& pœnitẽtiam imposuit,sed de alio.Secundus est falsus,& illicitus,vt dixi:superest ergo tertius,qui est verus.

An æqualis sacerdos possit mutare pœnitẽtiam impositam. Soto. Victor.

Vera & cõmunis opinio. Syluest. Angel. Nauar. Rosella. Victor. Ledesm. Medin.

5. Dicendum ergo est,posse æqualem sacerdotẽ, audita confessione eorundem peccatorum, pœnitentiã ab aliquo alio impositam mutare. Et ratio est, quia licèt prior sacerdos sententiam tulerit, nihilominùs pœnitens eandem causam in iudicium afferre,& nouã sententiam postulare potest:ergo etiam confessor poterit suo arbitratu pœnitentiam imponere, iuxta præsentem statum pœnitentis, ac si priùs non esset causa iudicata: ergo poterit etiam mutare priorem pœnitentiam in posteriorem. Probatur hæc vltima consequentia, quia non est cogendus pœnitens duplicem satisfactionem condignam pro eodem peccato implere:nam sicut non iudicat Deus bis in idipsum, ita neque vult duplicem satisfactionem imponere.Confirmatur,quia hæc potestas,& iurisdictio clauium nõ est data propter confessores,sed propter pœnitentes, & licèt sint æqualis potestatis, nihilominùs illis conceditur,vt possit vnus ferre sententiam in eadem causa,quæ ab alio iudicata est:ergo,si expediat ab bonum pœnitentis, non est huic potestati contrarium, sed potiùs valdè consentaneum, vt possit vnus commutare pœnitentiam ab alio impositam. Denique, quòd ministri huius sacramenti sint veluti materialiter diuersi,per accidens est,hæc autem potestas semper est eadem; vnde, sicut ad perfectam potestatem eiusdem sacerdotis, & ad perfectum huius sacramenti vsum: maiusque remedium animarum pertinet, vt vnus & idem sacerdos possit iterata confessione mutare medicinam, ita in diuersis sacerdotibus æqualem potestatem habentibus idem existimandum est.

Posse æqualem confessorem mutare pœnitentiam.

6. Vnde infero,non soùlm posse confessorem huiusmodi mutare vnam pœnitentiam in aliam æqualem, sed etiam in mitiorem, si ita prudenter iudicauerit ad bonum animæ pœnitentis expedire.Imò etiã interdũ poterit omninò tollere,& vel leuissimam, vel nullam, imponere, vt si pœnitens accedat multò meliùs dispositus,magisque contritus,& aliis vùs satisfeciſse intelligitur, si fortè indulgentiam aliquam lucratus est, & propter curationem non intelligatur indigere tali medicina. Denique quandocunque omnibus pensatis seruata iustitiæ æquitate prudenter iudicauerit, id satis esse ad dignè absoluendum pœnitentem, id poterit facere, & pœnitens tutò se illius sententiæ conformare

Posse confessorem mutare pœnitentiam in mitiorem.

7. Dices, per hoc fieri iniuriam priori confessori: quia ille iustè tulit sententiam, & præceptum iustum: ergo non potest iustè reuocari ab alio æquali. Item, iam causa fuit priori commissa, & pœnitẽs ab illo obtinuit remissionem culpæ:ergo illi debet omnino parere in executione pœnæ. Respondetur, nullam hic interuenire iniuriam sacerdotis, tum quia iudicium hoc ad bonum rei ordinatur, non in aliquam vtilitatẽ iudicis:tum maximè,quia hoc iudicium tale est,vt super eandem causam sit iterabile in fauorem pœnitentis, idque non per modum appellationis, sed per modũ noui iudicij æqualis præcedẽti, & ideò nec posterior iudex facit iniuriam priori, nec è conuerso,imo illa temporis anteceſſio accidentaria est,neque hîc acquiritur specialis iurisdictio quasi per anticipationem, seu præoccupationem iudicij: quia reus à principio habet hunc fauorem,vt sæpius possit iudicari, si velit, & æqualiter à singulis,si æquales habeant iurisdictiones. Vnde posterior non reuocat propriè sententiam prioris, sed suam profert, & pœnitenti liberum est, quam voluerit pœnam eligere.

Obiect.

Decidit

8. Tertiò,ex dictis facile est colligere quid dicendum sit de superiore. Quidam enim etiam superiori hanc negant potestatem, quia in hoc foro nullus videtur esse superior, sed omnes esse æquales: quia omnes vtuntur potestate à Christo accepta, & vt ministri eius absoluunt. Et ideò absolutè à quocunque data, est definitiua,& vltima,& à nullo potest mutari. Nihilominùs contraria sententia est vera, & communis: sed,vt explicetur, notandum est in superiore duplicẽ esse posse potestatem, vna est ad ministrandum hoc sacramentum,altera est potestas ad remittendas pœnas peccatorum per indulgentias, quæ potestas non est semper coniuncta cũ prima,sed aliquando. Quãdo ergo superior non habet potestatem concedendi

An superior possit mutare pœnitentiam.

indulgentias, solùm potest mutare pœnitentiam ab inferiori confessore impositam audita confessione, & seruata æqualitate huius iudicij, vt docent Soto d. 20.quæst.2.art.3.in fine, Sylvest.verb. *Confessio.* 1. qu. 27. Rosella quæst. 2. quanuis Victoria, Ledesma, & Nauarrus suprà dicant, etiam extra confessionem posse superiorem pœnitentiam iniunctam auferre, vel mutare, quod mihi non probatur, quia eadem est potestas ligandi, ac soluendi in hoc foro: sicut ergo superior non potest ligare, seu imponere pœnitentiam sacramentalem extra confessionem, ita non potest ab illa soluere, seu illam mutare: quia vterque est actus clauium, & ad huius sacramenti ministerium pertinet. Item vterq; est actus ordinis, & iurisdictionis, & iudicij, qui actus non potest exerceri causa inaudita. Denique, vt fiat commutatio, necesse est, vt pœnitentia sacramentalis auferatur, & alia loco illius imponatur: sed non potest sacramentalis imponi pœnitentia extra hoc sacramentum: ergo nec commutatio potest extra illud fieri: ergo multò minùs abrogatio, seu totalis pœnitentiæ ablatio.

Soto. Sylvest. Resell.

9. Quod autem in confessione audita scilicet, accusatione eorundem peccatorum, possit superior huiusmodi mutationem facere à fortiori constat ex dictis de confessore æquali. Neque contra hoc procedit ratio contrariæ sententiæ, quia licèt demus superiorem in hoc actu non esse superiorem formaliter, sed æqualem, nihilominùs dicimus eum habere hanc potestatem, & maiori aliqua ratione concedendam esse superiori: quia in potestate iurisdictionis potest aliquo modo excedere, & ad eius munus maximè pertinet iudicare oues in hoc sacramento, & salutares pœnitentias imponere: & ideò licèt ab inferiori hoc etiam fiat, nõ tamen potest impedire superiorem, quin ipse possit prouidere animabus subditorum in eodem foro, prout magis ipse expedire censuerit. Neque est eadem ratio de absolutione à peccatis, & de pœnitentia iniuncta, absolutio enim statim habet effectum, si clauis non errat: si autem errat, non solùm à superiore, sed à quocunque habente potestatem corrigi potest: at verò executio pœnitentiæ impositæ pendet in futurum, & ideò quanuis clauis non errauerit, sed iustè fuerit imposita, & habuerit effectum obligandi, nihilominùs quoad executionem est locus mutationi, quia potest causa iusta subesse, & intra iustitiæ latitudinem potest esse arbitrium.

10. Quomodo per potestatem concedendi indulgentiã possit pœnitentiã emitti re.

At verò si superior habeat potestatem concedendi indulgentias, per illam potest remittere pœnitentiam impositam. Quod dupliciter fit. Primò, concedendo plenariam indulgentiam: nam per illam extinguitur obligatio aliarum satisfactionum. Secundò, quando expressè conceditur remissio huius, vel illius partis pœnitentiarum iniunctarum. Ita sanct. Thom. in 4.quæstione prima, ar.3. & 4. & ibi Albertus Magnus articul.17.ad quintum. Bonauentura p.2. artic.primo, quæstione secunda. Richard.artic.tertio, quæst.prima, Palud.quæstione quarta, Durand. quæstione quarta, Argentin.artic.quarto, Alensis 4.part.quæst.83. mẽb. primo, articulo primo, Adrian. quæstione de indulgentiis, Nauar.de Indulgentiis, not.3.n.43.& 44. Soto 4.distinct.21.quæstione prima, arti.primo, Gabr. dist. 45.quæstione tertia, articulo secundo, concluf. 2. Ledes.2.part.quæst.27.ar.2. Sylvester verbo *Indulgentia*, quæst.9. Angelus verb. *Indulgentia.* §. 1. latè Cordub. lib.quinto de Indulgent.quæst.3.9. & 10. Intelligendum est autem, per has indulgentias remitti pœnitentias impositas, vt satisfactiuæ sunt, non vt medecinales: quia indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem animæ: tollere autem remedium seu medicinam curatiuam peccati, esset in magnum animarum detrimentum: non est ergo hæc intentio concedentis indulgentiam, neque ad hoc habet potestatem, sed solùm ad remittendam vindictam. Cùm enim sit veluti dispensator supremi iudicis, & Domini, potest remittere pœnam debitam pro aliqua culpa, & consequenter tollere obligationem satisfaciendi pro illa. De qua re latius in materia de indulgentiis. Ex dicta verò limitatione obiter intelligitur, his temporibus, considerato modo, quo pœnitentiæ imponi solent, rarò, vel nunquàm licere omittere pœnitentias impositas propter indulgentias: quia reuerà imponuntur leuissimæ pœnitentiæ, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ.

A

B

C

D

E

Vnde etiam expediri potest incidens dubium, si interdum alquis bona fide existimet se satisfecisse pro peccatis commissis sufficienter per alia opera, vel pœnas, quas pro Christo sustinuit, an hoc ipso cesset illi obligatio implendi alias pœnitentias impositas, quas cum culpa, vel fortè sine illa anteà implere non potuit. Respondetur, si sola ratio satisfactionis consideretur, & reuerà supponatur omninò aliàs satisfecisse, & hoc sibi satis constat, moraliter loquendo, cessare prædictam obligationem: quia nemo tenetur idem debitum bis soluere, & quia cessante intrinseco, & adæquato fine legis, cessat eius obligatio. At verò considerata ratione medicinæ, moraliter loquendo, semper manet hæc obligatio, præsertim quia vix potest constare aliquem adæquatè satisfecisse pro suis peccatis.

11. Dubiũ enodatur.

Vltimo loco dicendum est de inferiore sacerdote, quatenus talis est, an possit pœnitentiã à superiore cõfessore iniunctam commutare. Dico autem, *quatenus talis est*, quia, vt in superioribus dixi, in confessionis & absolutionis munere omnes sacerdotes videntur æquales: quia proferunt vltimam & definitam sententiam, vt ipsius Christi immediati ministri: quod est verissimum respectu eorum peccatorum, in quæ habent propriam iurisdictionem, à quibus per se absoluunt. Solum ergo habet locum quæstio in peccatis reseruatis, in quibus inferiores sacerdotes iurisdictionem non habent: & ideò etiam in ordine ad munus confessionis inferiores manent in ordine ad iudicium ferendum de talibus peccatis. De illis ergo dubitatur, an postquam superior directè absoluit de illis peccatis, & pro eis satisfactionem imposuit, possit aliquis sacerdos inferior illam pœnitentiam commutare.

12. An inferior possit pœnitentiam in minorẽ mutare.

Ratio autem dubitandi esse potest, quia illa peccata iam non manent reseruata: ergo potest talis sacerdos de illis absoluere: ergo & pœnitentiam pro illis imponere: ergo & alteram pœnitentiam in hanc commutare. Probatur hæc vltima consequentia (cætera enim clara sunt) quia nemo tenetur duplicem satisfactionem pro eisdem peccatis exhibere: ergo eo ipso quòd alter sacerdos pœnitentiam aliam pro talibus peccatis imponit, liberat hominem ab obligatione alterius pœnitentiæ implendæ, quæ est virtualis quædam commutatio. Confirmatur primò, quia in votis reseruatis postquàm superior commutauit votum sibi reseruatum in aliam materiam, potest inferior, seu quilibet habens potestatem commutandi ordinaria vota, etiam illam materiam commutare: ergo similiter in præsenti. Confirmatur secundò ex Glossa per textum ibi in cap. *Antecedens*, 50. distinct. & in capitul. *Tempora*, decimosexto, quæstion. 97. dicente pœnitentias omnes esse arbitrarias, ideóque posse Episcopum minuere pœnam, quam induxit Papa. Idem habet in capit. *Latorem*, 33. quæstione secunda, illudque extendit ad clericum inferiorem, vt possit minuere pœnitentiam ab Episcopo impositam. Quas glossas ita intellexit, & sequutus est Nauar.vnum tãtùm referens in Consil.25. de pœnitent.

13. Ratio dubitandi.

& re

& remissionem. & Concil. 3. aliàs 6. de Voto. Et in eandem sententiam videntur inclinare Medina, & Ledesma citatis locis.

14. Dubij resolutio. Cardin. Angel. Tabien. Sylvest. Armil. Turrecr.

Nihilominùs contrarium sentiendum est, per se, & iure ordinario loquendo, quod tenuit Cardin. in Clement. vltim. de Pœnitent. & remissionibus, & sequitur Angelus verb. *Confessio*, 6. num. quarto, Tabiena verb. *Confessio*, 2. numer. 21. Sylvester referens Monach. & Rayner. verb. *Confessio*, 1. q. 27. & sequitur Armil. n. 30. Idem habet Turrecrem. in dict. capit. *Tempora*, n. quarto. Ratio est, quia inferior per se non habet iurisdictionem in illa peccata, præcisè spectata, quatenus talia sunt, seu quatenus commissa sunt: ergo non potest pœnitentiam mutare, quæ pro illis sic spectatis imposita fuerat. Antecedens constat, quia illa peccata sic spectata, sunt reseruata, vt supponimus, & ideò dixi considerandà esse præcisè vt commissa: quia si considerentur vt iam remissa per superioris absolutionem, sic quidem iam non sunt reseruata, tamen, vt sic, non iudicantur simpliciter, sed secundùm quid: scilicet, ex suppositione prioris iudicij. Vnde probatur consequentia: tum quia non potest pœnitentiã pro peccato iniungere, nisi qui potest de peccato absoluere: agimus enim de pœnitentia sacramentali, quę ab eadem iurisdictione & potestate ligandi ac soluendi manat, & coniuncta est absolutioni, vt accessorium principali: tum etiam quia non potest sacerdos pœnitentiam impositam mutare, nisi aliam imponendo pro peccatis: si autem peccata sunt reseruata, non potest pro illis pœnitentiam imponere, nisi ex suppositione prioris iudicii: debet ergo illa secunda impositio fieri absque detrimento & iniuria prioris iudicij: illud ergo firmum & stabile manere debet: non ergo habet ibi locum talis commutatio. Confirmatur primò, quia pœnitentia illa à superiore imposita, includit quoddam præceptum à superiore impositum, quatenus superior est: sed inferior nõ potest mutare præceptũ superioris per se loquendo, ac iure ordinario: ergo. Cõfirmatur secundò ex dictis capitulis, *Accedens*, *Tempora*, *& Latorem*. Vbi Pontifex specialem concessit Episcopo facultatem ad minuendam pœnitentiam à se impositam sub certis limitationibus & conditionibus: ergo signum est (quod etiam notauit Glossa in dict. c. *Latorem*) hoc non posse inferiorem facere iure ordinario: sed solùm quatenus à superiore intelligitur cõcessum.

Addunt verò Auctores citati limitationem, nisi necessitas, vel pia vtilitas aliud postulet: nam tunc pièpræsumitur hanc esse intentionem superioris: propter quam limitationem nos addimus illas duas particulas, *per se*, & *iure ordinario*. Vnde est notanda in primis differentia inter peccata reseruata, & non reseruata, quod in nõ reseruatis potest fieri commutatio per se & ex vi propriæ iurisdictionis, & non tantùm ex virtuali commissione, aut interpretatiua voluntate prioris confessionis. Et licet fortè requiratur aliqua rationabilis causa, vt id fiat ordinatè, & ne detur occasio pœnitentibus facile procurandi huiusmodi commutationes: non oportet autem vt tanta sit causa, quæ moralem necessitatem inducat, aut quæ obliget ad cõiecturam faciendam de alterius confessoris voluntate. In casibus autem reseruatis oportet hanc necessitatem interuenire, & coniecturam moralem facere de superioris voluntate: nam si fit commutatio, per potestatem ab illo delegatam fit, & aliter fieri non potest: & hoc probant rationes factæ. Et ideò est secundò considerandum, & hanc commissionem interpretandam necessarium in primis esse, vt difficilis sit recursus ad superiorem seu prælatum, qui pœnitentiam imposuit: nam aliàs nec est vera necessitas, nec potest rationabiliter præsumi voluntas eius. Item, vt hæc præsumptio, præsertim in materia iurisdictionis delegandæ sufficiens sit, oportet vt sit, vel in iure, vel in consuetudine fundata: nõ potest alio modo ita fundari: ergo. Explicatur: quia ob hanc causam in dictis iuribus hæc facultas specialiter conceditur Episcopis, quia recursus ad summum Pontificem ordinariè difficilis est: ergo satis est quòd per similitudinem rationis extendatur ad casus necessarios, in quibus non patet aditus ad superiorẽ nec alia consuetudo allegari aut præsumi potest, nec esset rationabilis: quia hæc est veluti quædam epicheia, quæ hanc conditionem in primis requirit. Quando ergo recursus difficilis est, & alias vrget moralis necessitas, tunc locũ habere potest dicta limitatio. Quanta verò esse debeat hæc necessitas arbitrio prudentis relinquitur: existimo autem illam sufficere, quæ satis est, vt Episcopus, vel Prælatus dispenset in ordinariis præceptis Ecclesiasticis.

15. Resolutio data limitatur.

Ad rationem ergo in contrarium ex dictis patet responsio, dicimus enim inferiores sacerdotes habere iurisdictionem in talia peccata solùm quasi per accidens ex suppositione prioris absolutionis: & ideò non potest de illis ita liberè iudicare, ac si anteà non fuissent iudicata, sicut potest facere in peccatis nõ reseruatis; & ideò non potest per se loquendo, immutare prius iudicium de illis peccatis factum, sed tunc solùm quãdo ad hoc intelligitur accipere potestatẽ ab ipso superiore. Non intelligitur autem illam accipere ex vi solius prioris absolutionis, alioqui eneruaretur ferè omninò fructus reseruationis: quia statim data absolutione posset alius sacerdos iterum absoluere pœnitentiam minuendo, aut immutando. Est optimum simile, quod totam sententiam confirmat, de peccatis mortalibus semel confessis, nam, licèt simplex sacerdos possit de illis absoluere, sicut de venialibus, non tamen potest pœnitentiam à legitimo confessore pro illis iniunctam immutare, vt omnes fatentur: ita ergo in præsenti. Ad confirmationem Nauarrus suprà negat antecedens, imò faciliùs putat posse pœnitentiam pro peccato reseruato à superiore impositam commutari ab inferiori, quàm materiam voti. Sed ego valdè probabile censeo illud antecedens: sed quia illud est alterius considerationis, quidquid de illo sit, negandã censeo illationẽ, & cõsequenter asserendũ, faciliùs posse materiam voti, quàm pœnitentiã iniunctã cõmutari. Ratio differentiæ est, quia per commutationẽ voti non imponit superior aliquod præceptum, sed tantùm mutat materiam, & obligatio relinquitur ex vi voti, quod iuxta materiæ qualitatem subiicitur potestati commutandi, vel dispensandi, quam habet sacerdos. Quando verò superior pœnitentiam imponit, sua auctoritate & iurisdictione imponit specialẽ obligationem & præceptum, quod ab inferiori mutari nõ potest. Ad secundam confirmationem, Glossæ illæ intelligendæ sunt iuxta vltimam limitationem positam, alioqui earum sententia non esset admittenda.

16. Rationibus dubitãdi fit satis.

# TERTIA HVIVS OPERIS PARS.

## DE EXTREMÆ VNCTIONIS Sacramento.

QVANVIS sacramentum hoc distinctum sit à sacramento Pœnitentiæ, vt pote ad diuersum finem institutum, & ex diuersa forma, ac materia constans, habet tamen cum illo quãdam coniunctionem, & affinitatem, eò quòd pœnitentia ad tollenda peccata, vnctio verò ad reliquias peccatorum, quæ illis sublatis permanere solent, auferendas ordinatur: quamobrem consummatiuum Pœnitentiæ, vel totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, dictum est à Patribus, vt Concilium Trident. notauit c. 1. de hoc sacramento. Et ideò eiusdem Concilij vestigia sequentes, absoluto Pœnitentiæ sacramento, priusquam de aliis rebus illi sacramento annexis dicamus, visum est de hoc sacramento disputare: præsertim quia omnia, quæ in hoc libro tractanda supersunt, vt sunt Purgatorium, Suffragia, & indulgentiæ non minùs post hoc, quàm post pœnitentiæ sacramentum succedunt, suumque locum, ac fructum habent. Optimè ergo sacramentum hoc in hunc locum cadit.

Trident.

---

## DISPVTATIO XXXIX.

### *De institutione huius sacramenti.*

LICET sacramentum hoc breuiùs expediri possit, quàm præcedentia, eundẽ nihilominus ordinem in eo explicando seruabimus. Vt ergo à quæst. an sit initium sumamus, in disputatione præsenti illius institutionem, in sequentibus verò essentiam effectus, & causas eius, ac tandem cæremonias, & præcepta, si quæ sunt, quæ ad illud pertinere videãtur explicabimus.

---

### SECTIO I.

### *Vtrùm detur in Ecclesia verum sacramentum quod Extrema vnctio appelletur.*

Error hæreticorum.

NOMINE Extremæ vnctionis Ecclesia Catholica intelligit quoddã speciale sacramẽtũ sic dictũ: quia & per quandã vnctionem cõfertur, & veluti extremũ est omniũ sacramentorũ & in extremo vitæ periculo confertur: inquirimus A ergo an verum sit, esse in Ecclesia tale sacramentum. Multi enim hæretici illud esse sacramentum negarunt, vt Vvaldenses apud Æneam Syluium libro de Origine Boemorum. c. 35. & Albigenses apud Sander. lib. 7. de Visib. Monar. hæres. 151. Item Albanenses apud. Antonin. 4. p. Theolog. tit. 11. cap. 7. §. vlt. & Rutheni apud Prateolum, verb. *Rutheni.* Prætereà in eodem fuit errore Vvicleph. vt refert Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis, cap. 163. Lutherus item. Caluinus, & alij sectarij, vt Prateolus, & recentiores controuersiarum scriptores latè referunt. Fundamentum eorum est, quia in scriptura nullum est huius sacramenti indicium, nec præceptum, nec promissio, quod statim examinabimus tractando locum Iacobi.

Aeneas. Syluius. Sander. Antonin. Prateol. Vvalden.

B Dicendum verò est, Extremam vnctionem esse verum sacramentum, vnumque ex septem legis nouæ. Assertio est de fide ad quam confirmandam sufficeret Ecclesiastica traditio, & perpetua consensio, etiãsi in Scriptura non contineretur. Solet nihilominùs ex duabus locis Scripturæ colligi.

2. Assertio prima.

---

### *Locus Marci expenditur.*

PRIOR est Marci 6. vbi dicitur Christus misisse Apostolos ad prædicandum & de eis subditur, *Et vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Hoc testimonio vtuntur ad hoc dogma comprobandum Vvald. C suprà & Castro contra Hereses, verb. *Extrema vnctio,* & Petrus Soto lect. 1. de hoc sacramento: putãt enim illam vnctionem fuisse verum sacramentum. Et videtur hæc sententia fidei consentanea, & accommodata contra hæreticos huius temporis, propter hæc argumenta. Primum, quia, si vnctio in hoc loco sacramentum nõ est, nec alibi est; nulla est enim ratio cur hic negetur esse sacramentum, alibi verò affirmetur. Et confirmare hoc possumus, quia veteres expositores hac ratione moti, de eadem vnctione locum hũc & alium Iacobi statim tractandum interpretantur, vt patet in Beda, Theophyl. & aliis. Secundum argumentum est, quia sacramentum nihil aliud est, quàm cæremonia à Christo instituta tanquàm ordinarium D remedium salutis animæ, quæ tota definitio conuenit illi Apostolicæ vnctioni. Tertium, quia si solùm ad curanda corpora illa vnctione vterentur Apostoli sine causa oleum adhiberent, cuius vsus occultare potiùs ac diminuere miraculum quàm augere, vel manifestare posset, quod fuisset cõtra finem illorum miraculorum. Itaque meliùs solo verbo ostenderent sanitatem illam in Christi virtute, & supernaturaliter dari, quàm oleo adhibito: ergo non tantùm ad morbos

3. Matt. 6.

Castro. Petr. Soto.

Prior expositio suadetur.

bos curandos, sed vt verum sacramentum illud ministrabant. Quartum, quia nec Apostoli in aliis efficiendis miraculis, nec alii fideles, qui gratiam habuerunt curationis, oleo vtebantur ad corpora tantùm curanda: ergo signum est, Apostolos non ob hunc solùm finem, sed propter animæ curationem vnctione illa, tanquam vero sacramento vsos fuisse.

4. Posterior expositio defenditur.

Nihilominùs verius censeo vnctionem illam, qua ad curanda corpora ægrotantium Apostoli vtebantur Marc. 6. non fuisse verum sacramentum Extremæ vnctionis, licèt fuerit veluti quoddam præuium signũ: seu adumbratio eius. Quam sententiam videntur supponere Hugo, Magist. Bonauentura, & Alens. superiùs citati: nam si credidissent, Apostolos viuente Christo ministrasse hoc sacramentum, nunquàm negassent illud fuisse ab ipso Christo immediatè institutum. D. Thomas autem in 4. d. 23. quæst. 1. art. 1. qu. 3. ad 1. priùs rationem reddit cur Euangelistæ huius sacramenti mentionem non fecerint, supponens in hoc loco non esse sermonem de hoc sacramento, posteà verò subiungit, *tamen etiam de olei vnctione mentio fit Marci 6.* insinuans, licèt ibi non sit sermo de sacramento, tamen mentionem illius vnctionis non fieri sine mysterio, nec sine ordine ad hoc sacramentum adumbrandum. Expressiùs tenet eam opinionem Soto ibi quæstione prima, articulo primo, Iansenius in Concord. capite 55. in fine, Bellarm. libr. de hoc sacramento, cap. 2.

D. Thom. B

Soto. Iansen. Bellar.

5. Probatur primò.

Matth. 10.

Coniecturæ sunt. Prima, quia in textu illo Euangelico nullum est iudicium sacramentalis vnctionis, sed tantùm medicinalis seu curatiuæ: solùm enim dicit Marcus, *Vngebant ægros, & sanabant*, Matth. autem capit. 10. refert dixisse Christum Apostolis, *Infirmos curate*: Marcus verò insinuauit etiam modum docuisse, seu designasse, scilicet, oleo vngendo: quia non est verisimile eos vsuros fuisse oleo, nisi Christus id significasset. Quanuis enim non constet Christum præcepisse vt oleo vterentur, & non re alia (potuit enim generatim dicere, vt curarent infirmos, applicando quidquid ad manum frequentiùs occurreret, vel vtendo signo aliquo pro sua voluntate) nihilominùs verisimilius est, in particulari etiam præscripsisse vnctionem olei, non tamen ad curandas animas per ipsam vnctionem per se ac immediatè, nulla enim de hoc mentio ibi fit, sed ad curationem illam exercendam, de qua dictum est, *Infirmos curate*. Dico autem *per ipsam vnctionem, &c.* quia illa etiam corporum sanatio ordinabatur ad stabiliendam, & persuadendam fidem, & cõsequenter ad animæ salutem: id autem non satis est ad rationem sacramenti: præsertim nouæ legis, nisi ipsummet externum signum ad spiritualem effectum immediatè ordinetur: quod de illa vnctione cum aliquo fundamento in Euangelio dici non potest.

C

6. Secundò.

Secunda & vehemens coniectura est, quia tunc Apostoli non erant ordinati sacerdotes, vt possent hoc sacramentum ministrare. Antecedens sumitur ex Concilio Tridentino sessione 22. cap. 1. vbi volens explicare institutionem sacrificij Missæ ait, Christum in Cœna nouissima, qua nocte tradebatur, corpus suũ, & sanguinem sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse: & subdit statim, Ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, *quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat*, vt sumerent tradidit, &c. Si ergo tunc constituebat, certum est non priùs fuisse sacerdotes. Item, si tunc dedit eis potestatem offerendi sacrificiũ, per illa verba *Hoc facite, &c.* anteà ergo non habebant, non erant ergo sacerdotes. Quòd si quis dicat, Concilium loqui de sacerdotio quoad potestatem conficiendi corpus Domini, & quoad hanc esse certum fuisse ordinatos in Cœna, tamen quòad alias potestates potuisse priùs ordinari. Contra hoc est, quia prima potestas, quæ datur sacerdoti, est ad conficiendum verum Christi corpus: ergo si quoad hanc non erant ordinati, simpliciter & omninò ordinati non erant. Præsertim quia præter hanc potestatem solùm datur alia in corpus mysticum ad remittenda peccata, & hæc data fuit Ioan. 20. vt idem Concilium definit sess. 14. capit. 1. Fingere autem aliam potestatem, seu quasi partem ordinationis sacerdotis, & dicere quoad illam partem fuisse priùs ordinatos sacerdotes, & vanum est, & præter Ecclesiæ sensum. Responderi potest, Christo legislatori non esse legem imponendam, potuit enim ipse concedere, vt etiam à non sacerdotibus hoc sacramentum ministraretur: sicut de Baptismo legimus. Sed non est simile, quia in Baptismo sacerdos non est necessarius minister, sicut est in hoc sacramento: & licèt potuerit Christus dispensare, tamen sine necessitate, & sine testimonio id asserere, minùs probabile videtur.

A

Euasio refutatur.

Tertia coniectura est, quia Apostoli nõ solùm vngebant baptizatos, sed quoslibet, cùm tamen hoc sacramentum solis baptizatis validè dari possit. Quarta est similis huic, quia non vngebant tantùm infirmos decumbentes, & in periculo vitæ constitutos, sed quoslibet. Ad hæc verò eodem modo respondeti potest, primò Christum etiam in hoc dispensasse, quod eodem modo refellitur: quia qua facilitate asseritur sine fundamento, eadem contemnitur. Secundò negari potest, quod assumitur: nam res est incerta. Et fateor quidem non esse certam; dico tamen esse valdè verisimilem: quia Matthæus absolutè & indefinitè refert Christum dixisse, *Curate infirmos*: non baptizatos solùm, sed fortasse potiùs non baptizatos, propter quorum conuersionem gratia illa concedebatur: iam verò declarauimus, verisimile esse quando Christus hoc Apostolis dixit, etiam designasse modum vnctionis olei, ergo eam tunc non limitauit ad baptizatos, sed generatim cõcessit ad omnes infirmos, quos curare præcipiebat. Accedit, quòd tunc pauci erant Baptizati, Marcus verò ait, multos ægros vnctos, & sanatos fuisse, denique est maximè credibile Apostolos ad illam vnctionem non expectasse internam animæ dispositionem: præsertim peccatorum dolorem, sed ad summam fidem, in cuius confirmationem illa opera faciebant: at si illa esset, sacramentum cum maiori delectu dispensandum fuisset. Propter hæc ergo, & propter alia, quæ statim in secunda assertione explicabo, sentẽtiam hanc verisimiliorẽ cẽseo, priùs verò quàm aliorum fundamentis respondeam, alia sunt à nobis tractanda.

7. Reprobatur tertiò.

B

C

D

## *Locus Iacobi expenditur.*

ALTER locus Scripturæ, in quo hæc veritas catholica potissimùm fundatur, est Iac. 5. vbi sic dicitur, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eũ oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quod testimonium primò eludũt hæretici, negando hanc Iacobi epistolam esse canonicam: sed non id supponimus de fide certum ex Ecclesiæ traditione & consensu, & definitione Concilij Tridentini sess. 4. de qua re alio loco ex professo agendum est. Secundò respondent ad varios, & falsos sensus verba detorquendo, vt latè refert, & impugnat Bellarmin. suprà cap. 3. Nobis autem ad veritatem confirmandam sufficit in primis verbotum proprietas, deinde antiqua Patrum expositio. Nam in illis verbis continentur omnia quæ sunt de ratione sacramẽti nouæ legis

8. Hæreticorũ responsio recitatur.

Trident.

Bellarm.

E

gis:primò ritus externus sensibilis,materia, & forma, constans,scilicet,vnctione olei,& verbo,seu oratione sacerdotis.Secundò designatur minister,scilicet presbyter.Tertiò subiectũ,scilicet,fidelis infirmus. Quartò effectus cum promissione gratiæ ad remissionem peccatorum,& alleuationem ægroti ordinatam. Quæ omnia in discursu materiæ explicabuntur cum singulis verbis huius testimonij. Quòd verò ita Patres intellexerint,ex sequente probatione constabit.

*Probatur assertio ex Concilijs,& Patribus.*

9. SECVNDÒ ergo probatur assertio ex traditione, & definitione Ecclesiæ. Et in primis est celebre
Innoc. 1. testimonium illud Innocentij primi epistol.ad Decẽt. cap.8.vbi de hac vnctione exponit locum Iacobi,cuius verba in sequentibus quæstionibus, prout ad illas pertinuerint,expendemus.Ad hunc verò locum maximè spectat, quòd vnctionem hanc vocat genus quoddam sacramenti: & ideò ait pœnitentibus non esse concedendum. *Nam quibus*, inquit, *cætera sacramenta negantur,quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Vbi constat, *genus* pro specie accepisse. Loquitur autem de his,qui in publica erant pœnitentia, quibus ante reconciliationẽ nulla dabantur sacramenta.Eandem veritatem docuit Innocentius III.in capite vnico
Innoc. 3. de Sacra Vnctione,vbi vnctionem visibilem, de qua Iacobus locutus est, dicit esse signum inuisibilis vnctionis interioris,atque adeò sacramentum. Pontificum imitata sunt Concilia: nam Vormatiense cap. 72.
Cõc.Vorm. verba Innocentij I.transcripsit,Cabilonens.sub Caro-
Cõc. Cabil. lo c.48.eodem modo exposuit locum Iacobi, & sub-
Cõc.Aquisg dit,*Non itaque contemnenda est huiusmodi medicina, quæ animæ,corporisque medetur languoribus.* In Concilio verò Aquisgran. II. sub Ludouico capite octauo, præci-
Cõc.Mogũt pitur Episcopis, vt in die Cœnæ *oleum sanctum conficiant:*quia in eo *saluatio infirmorum esse creditur.* Concilium Moguntin.sub Gregorio IV.præsidente Rabano cap.26.agens de infirmis, *Sacra*, inquit, *cum vnctione Dei animati secundùm statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.*De infirmisloquitur.Similia
Burchard. Cõc. Meld. refert Burchard.libr.4.Decreti,capit. 75. ex Concilio Meldon.quanuis in his decretis, quæ in tertio tomo Conciliorum ex illa synodo referuntur, non habeantur. Expressiùs traditur hæc veritas in Concilio Se-
Conc Seno. Concil. non.capit.de Extrema, vnctione, & in alio Concilio
Mogunt. Moguntin. capite 34. Florentin. in decreto Eugenij,Tridentin.sessione 14.in doctrina & canonibus de
Florent. Trident. hoc sacramento,vbi in capite secundo locum Iacobi eleganter expendit,dicitque,eum sensum ex Apostolica traditione per manus accepta,Ecclesiam didicisse. Attingens verò ibi dem locum Marci solùm ait,apud Marcum fuisse sacramentum hoc insinuatum, vt intelligamus, etiam ex mente Concilij non esse parem vim horum testimoniorum, immeritóque citatos auctores illa æquiparare. Quod ex ipsis etiam locis perspicere licet:nam apud Marcum tantùm curationis corporalis ægritudinis mentio fit: Iacobus verò expressè addidit spiritualem fructum, eiúsque promissionem:quæ propria sunt sacramenti,si ex vi ipsius operis effectus fiat,vt Iacobus satis indicat.

10. Tertiò confirmatur ex Patribus tam interpreta-
Dionys. tio Iacobi,quàm veritas ipsa.Primò enim Dionys. ca. septimo de Ecclesiastic. Hierarch. licèt priùs in parte secunda sermonem habeat de quadam vnctione, qua solebant corpora fidelium defunctorum ad sepulturam præparari, quæ sine dubio sacramentum non erat, sed pia aliqua cæremonia:statim verò in parte tertia in fine videtur de hoc sacramento loqui dicens,*Idcirco Sanctorum sacra functio diuinas participationes largitur vtrique,animæ quidem in vera eorum, qui generantur, scientia, corpori verò per sacratissimum vnguentum,& per diuinæ communionis augustissima signa,totum sanctificans hominem,integrámque ipsius salutem operans,& resurrectionem denuncians.*In quibus verbis loquitur de speciali vnctione infirmorũ adhuc viuentiũ nam planè significat dari homini ad sanctificationem totius,& ad animæ profectum, licèt in corpore fiat. Vnde illi satis clarè tribuit sacramentalem efficaciam, illámque cum communione coniungens, declarat, illam esse vnctionem viuorum, & esse verum sacramentum.Dionysium imitatus est Augustinus libro de August.
Rectitudine Catholicæ conuersationis,aliquantulùm à principio dicens, *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui,&c.*& infrà:*Eucharistiam cum fide & deuotione accipiat,oleúmque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundùm Apostolum, oratio fidei saluabit infirmum,& alleuabit eum Dominus,nec solùm corporis,sed etiam animæ sanitatem accipiet.* Et libro secundo de Visitatione infirm.capite quarto,idem sacramentum,*typicalem vnctionem*, vocat, & de illo Iacobi locum interpretatur. Scio hæc duo opera non reputari Augustini, sed satis nobis est quòd sint alicuius auctoris antiqui, & grauis: nam eo saltem nomine recepta sunt. Accedit, quod priora verba sumpta videntur ex sermone 215.de Tempore, quod dubium non est esse Augustini. Et similia refert ex
Cyril. Anast. Cyrillo in libro de Adoratione in spirit. Anastasius Nissenus libro quæstionum in sacram Scripturam, quæstione vigesima tertia. Solet etiam referri idem Cyrillus libr.2. de Leuit. sed ibi potiùs de sacramento confessionis loqui videtur. Præterea Chrysostomus
Chrysost. lib. tertio de Sacerdot.ex dictis verbis Iacobi colligit habere sacerbotes potestatem remittendi peccata infirmis decumbentibus: neque id dicere videtur propter potestatem remittendi peccata per sacramentum confessionis, vt interpretari videtur Vval-
Vualdens. densis tomo secundo capit.centesimo quadragesimo-septimo. Non enim affert Chrysostomus verba illa Iacobi, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, sed illa, *Infirmatur quis in vobis*, vsque ad illa, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*, nimirum per ipsam vnctionem sacram, & quia hæc à solis presbyteris dari potest: ideò sacerdotes, quatenus habent potestatem ad hoc sacramentum ministrandum, dicuntur speciali modo habere potestatem ad remittenda peccata. Multa etiam in huius veritatis confirmationem sumi
Cyril. Hierosol. possunt ex Cyrillo Hierosolymitano Cateches. 5. Mystagog.& Beda libr.2. in Marcum cap. 24. & Ia-
Beda. cob. 5. Bernard.in vita Malachiæ Episcopi circa fi-
Bernard. nem,vbi refert,illum in fine vitæ hoc sacramentum postulasse.Quam curam omnibus viris sanctis fuisse
Surius. constat ex Surio, præsertim tom. 2. Item ex Alcuino
Alcuinus. lib.de Offi.Eccles.c.de Cœna Domini,& Amalar. li.
Amalar. 1.de Diuinis Offic.& aliis,constat, vsum huius sacramenti fuisse in Ecclesia Romana perpetuum. Eundemque fuisse in Ecclesia Græca,non obscurè colligitur ex Hieremia Patriarcha Hierosol.in Respons.ad confessionem Augustanam, vbi hoc sacramentum inter reliqua confitetur.Hinc ergo constat vanam esse hæreticorum calumniam,qui nobis obiiciũt, apud veteres nullam esse huius sacramenti mentionem,falsum enim id est.Quod autem non sit adeò frequens, sicut de pœnitentia,Eucharistia, vel similibus,mirandum non est, tum quia res ipsa non est ita necessaria, & frequens,ideóque non tam frequenter incidit de illa moralis sermo; tum etiam quia non fuit res controuersa,vt de illa daretur disputandi occasio.

Vltimò

Vltimò possumus argumentari ratione, quæ primaria hîe est voluntas Christi, & institutio. Possumus verò multa coniectare, quæ illum mouerint ad hoc beneficium nobis præstandum, quæ ex dicendis de effectu huius sacramenti constabunt. Nunc illud sufficiat, mortis articulum multis de causis esse hominibus formidabilem, propter conscientiam malæ vitæ, propter timorem diuini iudicij, & incertitudinem futuri status, propter tentationes dæmonis, qui eo tempore vehementius vrget: opportunissimè ergo Christus Dominus nobis prouidit, instituendo hoc diuinum sacramentum, quo recrearentur, & in maiorem spem erigerentur fideles in eo discrimine constituti: &, si opus esset, etiam ab ægritudine corporali liberarentur.

11. Probatur assertio ratione.

## SECTIO II.

### *An hoc sacramentum fuerit immediatè à Christo institutum.*

1. Aliquorum Catholicorum opinio.

INTER Catholicos nonnulli negarunt, Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo planè consequebatur non esse verum sacramentum: ipsi verò consequens non admittunt, quia putát posse esse sacramentum ab Apostolis institutum. Ita verò sensit Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. pag. 15. cap. 2. quem sequutus est Magister in 4. d. 23. & Bon. ibi art. 2. quæst. 2. Alens. 4. pag. quæst. 8. memb. 2. art. 1. Altisiodor. libr. 4. Sum. tract. 7. c. 1. Qui solùm in eo fundatur, quod sacramentum hoc non ex Euangelio, sed epistola Iacobi colligitur.

Hugo de S. Vict. Magist. Bonauent. Alens. Altisiod.

2. Assertio de fide à Christo fuisse institutũ hoc sacramentũ. D. Thom. Palud. Gabr. Trident.

Dicendum verò est, sacramentum hoc fuisse à Christo Domino immediatè institutum. Hæc fuit semper communior Scholasticorum sententia in 4. d. 23. D. Thom. Palud. Gabriel & aliorum. Et nunc est de fide definita in Tridentino in particulari, sess. 14. can. 1. de hoc sacramento, & in genere sess. 7. cant. 1. eámque in genere latè confirmaui superiori tomo, disput. 12. sect. 1. Ex quo principio, & præcedenti assertione, euidenti consecutione hæc concluditur, Nam omnia sacramenta nouæ legis sunt immediatè à Christo instituta: sed vnum ex his sacramentis est Extrema vnctio: ergo. Confirmatur, quia si ab alio, quàm à Christo Domino fuisset institutum, maximè ab Apostolo Iacobo. Sed hoc nõ est cur dicatur, quia licèt ipse solus illius fecerit mentionem, potuit tamen loqui, non vt auctor sacramenti, sed vt prædicator, & doctor. Nec oportet vt dixerit, se tradere, vel docere, quæ à Christo acceperat, præsertim cùm ex ipsa materia id satis constaret: nec enim posset verè promittere remissionem peccatorum sub tali cæremonia, nisi de hoc haberet Christi verbum & promissionem: quòd si hanc habebat, etiam credendum est cæremonias habuisse. Et deinde, si potestas designandi, vel instituẽdi talem cæremoniam alicui cõmittenda esset, certè potiùs data esset Petro, vt capiti, vel certè toti Collegio Apostolico. Cur enim Iacobus instituisset, & præcepisset, quæ Petrus esset seruaturus? non fuisset quidem id consentaneum potestati supremæ, quã Christus Petro tribuerat. Quòd si dicatur, non solùm Iacobum, sed simul cum Petro, vel aliis Apostolis hoc sacramentum instituisse: quæro, vnde hoc habeatur? & cur non potiùs Christo institutio tribuatur? cùm ex illo loco Iacobi non possit vnum magis, quàm aliud colligi.

3. Difficultas verò supereſt, quando fuerit hoc sacramentum à Christo institutum: hoc enim est quod Bonauẽturam maximè mouit loco suprà citato: quia cum Euangelistæ nullam mentionem huius institutionis faciant, verisimile est Christum Dominũ illam non fecisse. Cur enim Euangelistæ omisissent rem adeò grauem, & ad Ecclesię fundamentum maximè pertinentem? Addit etiam coniecturam, quia cùm hoc sacramentum proximè nos præparet ad introitum gloriæ, non fuit conueniens ante consummatam Christi glorificationem; & ascensionem institui. Alij verisimile putant, Christum hoc sacramẽtum instituisse, quando misit Apostolos ad prædicandum: nam, vt suprà dicebam, tunc instruxit illos, vt per olei vnctionem miraculosè, & supernaturaliter infirmos curarent: non enim ausi fuissent Apostoli illo medio vti ad sanitatem conferendam, nisi à Christo edocti fuissent, & in virtute ac fide verbi illius id facerent. Nec enim putandum est, Apostolos curasse & sanasse infirmos virtute naturali olei, aut id solùm intendisse: quid namque opus illud ad doctrinam confirmandã contulisset? aut quomodo posset medium illud omnibus ægris indifferenter prodesse, & non multis noceret? Ergo sicut tunc instituit Christus illam vnctionem ad sananda corpora, ita credendum est instituisse in ratione sacramenti, cùm nõ habeamus in Euangelio iudicium aliud huius institutionis.

Quãdo fuerit hoc sacramentum à Christo institutum.

4. Non cõstare de certo tẽpore quo fuerit institutum.

Dicendum verò est, de tempore huius institutionis nihil certò nobis constare. Et verisimiliùs esse, non fuisse institutum saltem ante noctem Cœnæ: cur enim ante Eucharistiam, & pœnitentiam institueretur? Item iam diximus vnctionem illam Apostolorum Marc. 6. non fuisse hoc sacramentum. Vnde, licèt admittamus tunc Christum præcepisse Apostolis, vt corpora infirmorum vngerent ad sanitatem præstandam, non tamen inde infertur instituisse sacramentum hoc, quia nec illos tunc docuit de sanctificatione, seu benedictione olei præmittenda per Episcopum: nec de forma verborum vllum est vestigium, nec de spirituali effectu, vel eius promissione. Ac denique Christus tũc non tradidit potestatem perpetuò duraturam in ministris Ecclesiæ; sed contulit tunc Apostolis gratiam sanitatum, quæ non est communis omnibus, nec certa lege aut modo alicui datur, sed prout Spiritus sanctus vult, & prout expedit ad confirmationem fidei, vt dicitur 1. Corinth. 12. Quanuis autem hæc gratia sanitatum non soleat limitari ad vnctionem olei, vel aliam similem; fortasse Christus vt abumbraret hoc sacramentum, & adillud homines disponeret, illum modum curandi ægros præscripsit: vt sicut Baptismus Ioannis preambulũ fuit ad Christi Baptismum, ita illa vnctio Apostolica præambula esset ad hanc sacramentalem vnctionem. Quod significauit Tridentinum dicens, hoc sacramentum fuisse ibi insinuatum, non institutum. Ex illo tamen Apostolico exemplo fortasse ortum est, vt olim Christiani sæpe vterẽtur vnctione olei, Deo miraculosè cooperante, non per modum operis sacramenti, sed per modum effectus gratiæ gratis datæ, vt ex Tertulliano sumimus in lib. ad Scapulam, c. 4. vbi refert, Proclum Christianum oleo curasse Antoninum Imperatorem, qui Christianus non erat, nec capax sacramenti, vbi Pamelius similia notat ex Hieronymo in vita Hilarionis, Rufino lib. 2. Histor. c. 4. de Discipulis S. Antonij, & aliis.

Tertul.

Pamel. Hieron. Rufin.

5.

Non fuit igitur hoc sacramentum ibi institutum, neque aliquo alio tempore ante Cœnam, non solùm quia nullum est in Euangelistis vestigium (hæc enim ratio per se non sufficeret, quia non est necesse vt Euangelistæ omnia narrauerint, sed etiam quia nulla est necessitas, vel aliqua alia coniectura talis institutionis, cùm in vsu hoc sit postremum omnium sacra-

mentorum. De nocte autem Cœnæ verisimile est, in ea docuisse Christum Apostolos, inter alia mysteria, ritum obseruandum in hoc sacramento. Quia verò in illa nocte nõ fecit Apostolos sacerdotes quoad potestatem in corpus Christi mysticum, sed hanc dedit post Resurrectionem Ioa.20. ideò probabiliter existimo, etiam non dedisse illis potestatem ministrandi hoc sacramentum in ea nocte, sed Ioan. 20. quia, sicut hoc sacramentum est quasi annexum sacramento pœnitentiæ; ita potestas illud ministrandi, supponit, & quodammodò includit potestatem remittendi peccata, vt Chrysost. etiam citato loco indicauit: ideóq; plena huius sacramenti institutio consummata non fuit à Christo Domino ante Resurrectionem suam. Sine vllo verò dubio credendum est, fuisse consummatam ante Ascensionem, quia plenè ac perfectè fundauit Ecclesiam, priusquàm ex hoc mundo discederet, ideóque omnia etiam sacramenta priùs perfectè instituit, vt in tomo superiori disp. 32. sect. 2. latiùs dixi: ex quo loco confirmari possunt omnia, quæ in præsenti diximus. Nec posterior coniectura Bonauenturæ contra hoc vrget (prior enim iam reiecta est) tum quia satis fuit consummata gloria Christi post Resurrectionem etiam ante Ascensionem: tum etiam, quia oportuit vt priùs quàm Christus ad gloriam conscenderet, & nos institueret, & media institueret, per quæ nos ad ascendendum cum illo disponeremur.

Ioan.20.

Fuisse institutum ante Ascensionẽ.

## DISPVTATIO XL.

### *De essentia sacramenti Extremæ vnctionis.*

EX dictis in superiori disputatione sumere possumus, huic sacramento essentialia esse illa omnia, quæ communia sunt sacramentis nouæ legis: atque illud præcipuè constare hoc sacramentum materia, & forma sensibili, ex quibus constituitur vnum integrum signum gratiæ. In hac ergo disputatione explicabimus materiam, & formam huius sacramenti, in sequenti verò declarando effectum eius, consequenter exponemus quam gratiam significet; & ita erit explicata tota essentia huius sacramenti, tam quoad rem, seu cæremoniam impositam ad significandum, quàm quoad relationem, seu significationem ipsam, quæ sine re significata plenè intelligi non potest.

## SECTIO I.

### *Vtrùm materia remota huius sacramenti sit oleum oliuarum ab Episcopo consecratum, seu benedictum.*

1. Oleum oliuatũ esse materiã remotam huius sacramenti.

PRINCIPIO certum est apud Catholicos, materiam remotam huius sacramenti esse oleum, nam expresso nomine illam designat Iacobus dicens, *Vngentes eum oleo.* Hinc secundò etiam est de fide, oleum hoc debere esse oliuarum: vt declarauit Concilium Florentinũ in Decreto Eugenij, dicens materiam esse, *oleum oliuæ*, quod etiam ex vi verborum Iacobi desumptum est. Nam oleum simpliciter dictum, liquorem illum significat, qui ex olearum baccis exprimitur, quam significationem habet non solùm ex Latinorum vsu, sed etiam in Scriptura sacra, & in communi modo loquendi. Quapropter, sicut aqua Baptismi intelligitur esse aqua naturalis, & materia Eucharistiæ panis triticeus, ex vi & proprietate verborum, *Aqua & panis*, simpliciter sumptorum: ita in præsenti ex vi vocis, *oleum*, intelligimus hoc debere esse oleum oliuæ: & hanc fuisse Christi institutionẽ, quæ est prima radix huius necessitatis. Ita vt nulla sit in Ecclesia potestas dispensandi, vt ex alia materia fiat hoc sacramentum, propter necessitatem vllam, quia illa, quæ ex Christi institutione sunt essentialia, immutabilia sunt. Congruentia verò huius institutionis præcipuè sumitur ex ordine ad significandos effectus huius sacramenti. Nam oleum ad leniendos corporis dolores proficere solet, sanitatem interdum restituit, hilaritatem affert, & luminis veluti pabulũ esse solet. Hinc etiam oleum pinguedinem gratiæ & spiritus significare solet, vt notauit Gregor. lib. 4. in 1. Reg. c. 4. Gregor.

Et oliua ipsa solet esse pacis signaculum, vt attigit Tertull. lib. de Corona militis, & notari solet ab Interpretibus circa illud Genes. 8. *Venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis.* Ob has ergo & similes causas oleum aptissimũ fuit ad declarãdum quid virtute huius sacramenti Deus operetur, tam in animo, quàm in corpore ægroti illud suscipientis: fuit ergo ex hoc capite materia hæc aptissima. Aliũde verò est satis communis materia, quæ facilè vbique reperitur, & ideò etiam tanquàm necessaria & essentialis posita est: vt res esset stabilis & firma, nec propter raros euentus oportuit dispensationem admittere. Tertull. Genes. 8.

2. Oleũ debere esse ab Episcopo benedictum.

Tertiò, est etiam constans apud fideles, oleum hoc debere esse ab Episcopo benedictum. Et quidẽ quòd hoc sit saltem de necessitate præcepti, indubitatum est, propter ea quæ statim subiiciam. An verò sit etiam de necessitate sacramenti, à nonnullis dubitatum est: inuẽti enim sũt aliqui Catholici, qui affirmarent simplex oleum sufficere ex Christi institutione, aliúmque ritum benedicendi oleum esse accidentarium ex Ecclesiæ institutione, ideóque, si prætermittatur, etiam peccaminosè; validum nihilominùs confici sacramentum: aliquando verò ex causa iusta, scilicet, necessitate vrgente, sine culpa posse ita confici. Opinio quorundam.

Quam opinionem tenuisse videtur Victoria, vt patet ex eius Summa de sacramentis, num. 216. Fundamentum sumi potest ex Iacob. 5. vbi solùm dicit, *vngentes eum oleo*: non enim dixit, *benedicto*, sed simpliciter, *oleo*: ergo tantùm oleum simplex & naturale est essentialis materia. Simili enim argumento colligimus, essentialem materiam Baptismi esse simplicem aquam naturalem, non sanctificatam aut benedictam, quia Scriptura simpliciter aquam requirit, iuxta illud Actor. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? &c.* ergo similiter, &c. Nec refert quòd Iacobus subiiciat, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, non enim dixit oleo benedicto, aut sanctificato in nomine Domini; sed vngentes oleo in nomine Domini, id est, vnctionem ipsam debere fieri in nomine Domini: quod dici potuit, vel propter formam, quæ adhiberi solet supra talem vnctionem, vel propter fidem & intentionem, cum qua debet fieri talis vnctio, tanquàm res à Christo instituta, in cuius virtute operatura est. Confirmari hoc potest primò, quia licèt aliqua Concilia, vel decreta antiqua dicant, oleum debere esse consecratum, tamen non dicunt expresè consecrationem illam esse de necessitate sacramenti, sed explicant consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ ex præcepto seruanda est. Confirmatur secundò, quia quæ sunt de substãtia sacramenti, sunt à Christo Domino definita in particulari, sed nunquàm Christus præscripsit aliquam olei benedictionem, nec à quo, vel quomodo facienda esset: ergo non est substantialis materia huius sacramenti. Victor. Iacob. 5. Actor. 8.

3. Contraria sententia probatur.

Contraria sententia est communis Theologorum in 4.

Conc. Flor.

D.Thom. in 4.d.23.vbi D.Thom.quæst.1.art. 2. qu.2. coniungendo 3. argumentum cum corpore articuli, & responsione: nam in corpore solùm ait, oleum sanctificatum esse materiam; in primo verò argumento cum solutione, constituit discrimen inter hoc sacramentum, & Baptismum, quòd in Baptismo non est de necessitate sacramenti sanctificatio materiæ, sicut in hoc: & rationem differentiæ sumit ex his, quæ in corpore articuli dixerat, scilicet, quia Christus suo vsu & tactu sanctificauit aquam, quæ est materia Baptismi, & ideò non indiget alia præsanctificatione; Christus verò non ita sanctificauit suo contactu materiam huius sacramenti, & ideò de necessitate eius

Bonau. Palud. Durand. est vt benedicatur. Eandem doctrinam habet Bonau. art.1.q.3.Palud.q.1.ar.1.Durand.q.2.Qui omnes d.7. idem dixerant de materia Confirmationis, de qua quoad hoc eadem est ratio. In quo etiam Victoria B non loquitur consequenter, nam de materia Confirmationis rectè senserat num.42. Eandem sententiam

Soto. tenet Durandus lib.1.de Ritib.Eccl.c.20.num.20.vbi eam bene declarat. Denique Soto d.33.quæst.2.art. 3. dicit, indubiè hoc tenendum esse, nullam verò aliam probationem affert, nisi quia Ecclesia Romana ita sensit de hoc sacramento, quòd non reputaret esse sacramentum, si ex oleo non benedicto fieret: sed hoc est quod inquirimus, vnde constet ita sentire Ecclesiam.

4. Trident. Flor. Primò ergo & præcipuè hoc suadent Concilium Florent.& Trident. Vtrumque enim dixit, materiam esse oleum per Episcopum, seu ab Episcopo benedictum. Quando autem hæc Concilia assignant mate- C riam simpliciter sic dictam, tantùm ea ponunt, quæ sunt essentialia, vel substantialia, vt patet, tum ex absoluta appellatione, tum ex doctrina, quam de aliis

Innoc. 1. sacramentis tradunt. Innocentius etiam primus, qui expressiùs quam cæteri Patres huius sacramẽti mentionem fecisse videtur in dict. epist. 1. ad Decent. c. 8.dicit, ægros inungendos esse *oleo sancto, ab Episcopo*

Conc.Vor. Concilium Aquisgran. *consecto*. Quæ verba vsurpauit Concilium Vormatiẽs. cap.72.& Cõcilium Aquisgran.tit.2.c.8.dicit, oleum sanctum conficiendum esse ab Episcopo, quia in eo *saluatio infirmorum creditur*, scilicet, posita: quo verbo maximè significatur necessitas huius benedictionis,

Beda. seu sanctificationis olei. Hinc etiam Beda in Commentar.ad cap.6. Marci ait, Ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, *vt ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato*. Nec verò D dicit hanc fuisse Apostolorum institutionem, sed dicit ex ipsorum Apostolorum traditione durasse hunc morem in Ecclesia, tanquàm res omninò necessaria, & à Christo instituta. Et super epistolam Iacobi, videtur ad hanc significationem trahere verbum illud, *In nomine Domini*, vt scilicet, adiectum sit à Iacobo ad indicandum oleum debere esse in nomine Domini confectum, seu benedictum, seu non quolibet oleo, sed illo, quod in Ecclesia destinatum est ad talem vsum sacrum, esse infirmum vngendum.

5. Probatur hęc sentẽtia ratione. Durand. Palud. Hæc ergo veritas sufficienter nobis constat ex traditione, etiamsi non sit in Scriptura euidenter expressa. De ratione autem seu congruentia talis institutionis multa disputant Durand. Paludan.& alij d. 23. Nam Durandus impugnat congruentiam à D. Thoma traditam, & aliam ipse affert non sanè probabiliorem. Veruntamen de hac re sufficienter dixi superiori tomo disp.33. sect. 2. vbi simulem quæstionem de materia Confirmationis disputaui, & ferè omnia ibi adducta à simili confirmãt præsentem sententiam, & eandem congruentiam in hac institutione esse ostẽdunt. Ac denique ratio illa generalis optima est, quia cùm materia sacramenti eleuanda sit ad munus adeò sacrum, & supernaturale, per se maximè A decet, vt consecrari seu benedici priùs debeat, & ideò talis benedictio à Christo postulata est, vbi aliqua ratio specialis non obstat, vt in Baptismo non est requisita, vt essentialis, benedictio aquæ, propter illius sacramenti necessitatem: in Eucharistia verò non prærequiritur alia præconsecratio, quia ipsa sacramenti confectio in materiæ consecratione consistit: in confessione, & matrimonio, quia materia est omninò trãsiens, & consecrabilis non est, in ordine verò suo modo hoc seruatur, quia res ipsę, quę tradũtur, sacræ sunt, vt suo loco dicemus. Clariùs verò & expressiùs in hoc sacramento, & Confirmatione, quia illorum materia accommodatissima est, & ipsa sacramenta non sunt tantæ necessitatis, vt oportuerit materiã omninò cõmunem ad illa perficienda admittere: habent etiam specialem quandam rationem singularis sanctificationis, quatenus Confirmatio abundantiam spiritus significat, Vnctio verò extrema puritatem, & quasi vltimam dispositionem ad introitum glorię, & ideò merito sanctificata materia postulatur.

6. Respõdetur ad præcipuũ fundamentũ prioris sententiæ. Atque ex his facilè responsum est ad præcipuum fundamentum prioris sentẽtiæ. Fateor enim ex nuda Scripturæ litera non colligi euidenter hanc necessitatem: nobis verò sufficit Ecclesiastica traditio, quæ in hac re est adeò clara, vt mihi videatur ad minimũ temerarium illi repugnare: eaque suppositа, expositio illa verborum Iacobi probabilis est. Quanuis autem Iacobus simpliciter locutus de oleo fuisset, Ecclesia à Christo per Apostolos edocta, potuisset verum illius Scripturæ sensum, & de quo oleo sermo esset, nobis aperire. Ideóque non est simile de Baptismo, tũ quia Ecclesia aliter intellexit testimonia, quæ loquuntur de aqua Baptismi: tum etiam quia in aliquibus, & præsertim in illo citato ex Actibus, circunstantia loci euidenter ostendit sermonem esse de aqua naturali tantùm: tum denique quia diuersitas ipsa talis sacramenti, & fini eius hanc differentiam ex parte materiæ requirit. Simili etiam modo responsum est ad priorem confirmationem: nam ex multitudine testimoniorum, & ex modo quo Concilia loquuntur satis colligitur ea loqui de hac benedictione, vt de re pertinente ad substantiam sacramenti. Cuius rei magnum signum est communis intelligentia sapientum, & perpetua, atque inuiolabilis Ecclesiæ consuetudo, cuius initium ignoratur.

7. Qualis benedictio requiratur. Paludani sẽtentia reprobatur. In altera verò confirmatione, petitur, qualis benedictio requiratur, & quid in hoc Christus præscripserit, quid verò addiderit Ecclesia. In quo primò cauendam censeo opinionem, quam vt probabilem affert Palud.in 4.d.7. qu. 4.numero 34. Christum non definiuisse positiuè (vt sic dicam) vt hæc materia esset oleum benedictum: sed vt esset tale oleum, quale Ecclesia determinaret, ipsamque determinasse vt esset oleum benedictum, ideóque nunc esse de substantia, potuisse tamẽ Ecclesiam determinare vt oleum commune sufficeret, & tunc non fuisse futurum de substantia sacramenti. Hanc enim opinionem improbaui dict.disp. 33. superioris tomi, in materia Confirmationis, & ob easdem rationes in præsenti omninò displicet: tum quia hoc est planè dicere non esse simpliciter de essentia sacramenti, vt oleum sit E benedictum; quia sine fundamento dicimus, etiam ex suppositione præcepti Ecclesiæ, eum ritum esse substantialem, qui ex sola Ecclesiæ determinatione manauit: alias etiam poset quis dicere panem azymum esse de substantia, vel vinum aqua mistum, & similia; nam in omnibus sacramentis dicere possemus materiam esse hanc, vel illam rem, secundùm hanc, vel illam qualitatem, vel ritum, si Ecclesia illum determinauerit. Tum etiam quia iuxta illum dicendi modum videmur non tribuere Christo im

sto immediatè totum ritum substantialem huius sacramenti, quia benedictio est substantialis, & hæc absolutè & definitè non est ex institutione Christi. Dico ergo, Christum sua institutione determinasse, vt materia esset oleum benedictum, nec potuisse Apostolos, vel Ecclesiam hunc ritum immutare. Et certè si à principio potuissent Apostoli illum ritum non præscribere, seu benedictionem non requirere, etiam nunc posset Ecclesia illum immutare: at hoc planè est contra communem eius sensum. Quin potiùs censeo, non solam abrogationem, verùm nec dispensationem posse in hanc materiam cadere per summi etiam Pontificis potestatem: quia in his quæ sunt de substantia sacramentorum, non potest Ecclesia dispensare: neque in hoc admittenda est exceptio, nisi in his, quæ ab ipsamet Ecclesia declarata sunt, vt eodem loco dixi, & statim in simili subiiciam.

8. Christũ præcepisse oleũ ab Episcopo benedici.

Nihilominùs tamen addo, hanc benedictionem olei non omninò fuisse à Christo Domino in particulari præscriptam. Duo tamen in ea distinguere oportet, scilicet, eum à quo danda est, & modum quo danda est. Quoad illud prius existimo esse à Christo Domino in particulari præscriptum, quidquid Palud. Durand. & alij sentiant, qui certè non consequenter loquuntur. Nam Concilia eodem modo dicunt, oleum ab Episcopo benedictum esse materiam: ergo totum hoc est de substantia talis materiæ, & sacramenti: ergo totum est ex Christi institutione. Vtraque enim consequentia ex dictis probata relinquitur: & antecedens in terminis est Concilij Florentini, & Tridentini, & sumitur ex aliis decretis citatis. Et in dict. Disp. 33. idem dixi de materia Confirmationis ex eodem fundamento, quod ibi latiùs declaraui. Et vlteriùs inde intuli per dispensationem Papæ non posse inferiori sacerdoti committi, vt Chrisma conficiat, eadémque consecutione nunc infero, non posse committi eidem, vt oleum illud benedicat, quod futurum est materia huius sacramenti, quia in substantiali materia non cadit dispensatio, & Christus ex vi institutionis determinatè postulauit oleum ab Episcopo benedictum. Nec est quòd nos moueat vulgare exemplum de ministro Confirmationis, tum quia in illo habemus Ecclesię declarationem, nonverò in hac materia: tum quia, propter illam declarationem, non dicunt Concilia absolutè ministrum Confirmationis esse Episcopum, sed cum addito, *ordinarium ministrum*: hîc autem non dicunt, *ordinariam materiam*, sed absolutè *materiam*. Estque hæc doctrina conformior cæteris Theologis suprà citatis, præsertim D. Thomæ dict. quæstiunc. 2. & 3. vbi congruentiam huius institutionis reddit, nimirum, vt ostenderetur, virtutem Christi, quæ in sacramentis operatur, ad inferiores ministros, quales sunt sacerdotes, per intermedios, vt sunt Episcopi, descendere. Quod morali modo, & secundùm quandam analogiam intelligendum est, vt per se satis constat. Ratio verò magis moralis esse potuit, vt materia sacramenti minùs esset vulgaris, in maiorique reuerentia haberetur. Itaque, vt hæc benedictio Episcopalis esset, à Christo præscriptum fuit.

D. Thom.

9. Modum benedictionis non esse à Christo præscriptum. An modus præscriptus ab Ecclesia sit essẽtialis.

Modus autem eius non fuit definitus, vt omnes docent, & in simili de materia Confirmationis satis declaratum reliquimus. Vbi statim oritur dubium, ibi etiam tractatum, an modus benedictionis ab Ecclesia præscriptus, sit essentialis, nécne; quod eodem modo definiendum est. Dico igitur, omne oleum, de quo verè dici possit esse ab Episcopo benedictum, esse sufficientem materiam, quia hanc solam Christus instituit, vt patet ex Conciliis Florentino, & Trid. & fieri nullo modo potest, quin materia à Christo instituta sufficiat. Vnde, licèt Episcopus mutaret modum benedictionis ab Ecclesia designatum, si tamen ea mutatione non obstante, verè & in re ipsa illud oleum benedictum maneret, esset materia sufficiens. Fortasse tamen fieri potest ab Ecclesia, vt talis benedictio irrita sit, nec apud Deum habeat rationem consecrationis, sed execrationis potiùs: & hoc modo fieri etiam poterit, vt benedictio ab Ecclesia instituta, necessaria sit, qua ex ea pendet vt Christi institutio impleatur, vt citato loco latius declaraui.

10. An sit necessarium vt sit oleum simplex.

Vltimò circa hanc materiam declarandum occurrit, an sit de illius necessitate, vt sit oleum simplex, id est, non mistum alio liquore. Aliqui enim Theologi ita sentiũt, præsertim Palud. d. 23. q. 1. a. 1. vbi ait debere esse oleũ simplex, ita vt si misceatur balsamũ sit transgressio præcepti. Idem sentit Soto dict. art. 3. addens si tantã fieret mistio alterius liquoris, vt formam, id est, externam speciem olei tollat, non esse materiã. Ego verò in primis censeo, Chrisma, licèt mistionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, & per se non esse contra Christi institutionẽ illa vti in hoc sacramento. Imo aliquando videtur Ecclesia vsa hac materia, etiam ad vngendum infirmos, idque sumit ex dict. Epist. 1. Innocentij 1. vbi post allatum Iacobi testimonium, subdit, *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto Christiani vti possunt in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Concilium etiam Vormatiense eodem modo ait, *sancto oleo Chrismatis*. Et quòd loquatur de proprio Chrismate, colligi potest ex illo verbo, *ab Episcopo confecto*, illud enim participium, *Confectum*, mistionem aliquã, & plusquàm simplicem benedictionem significat. Fauet etiam Conciliũ Aquisgran. iuncta epist. Fabiani II. nam dictum Concilium ait iuxta Apostolicam traditionem debere Episcopos feria quinta in Cœna Domini sanctũ oleum conficere, *in quo saluatio infirmorum creditur*. Vbi apertè loquitur de sancto oleo, quo dabatur hoc sacramẽtum: Fabianus autem, ad quem alludit Concilium, dum refert Apostolicam traditionem, docet ex Apostolorum traditione, Chrisma ex oleo & balsamo debere ab Episcopo per singulos annos in CœnaDomini consecrari. Et ex eisdẽ Patribus, & Conciliis cõstat, Chrisma simpliciter appellari, vereque dici posse oleum sanctum ab Episcopo benedictum. Quod etiam colligere licet ex epist. 70. Cypriani, vbi priùs ait necesse esse baptizatum, *Chrismate* inungi, & posteà subdit *Eucharistiam, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificari*. Ipsum igitur Chrisma oleum sanctificatum est. Et eodem modo appellatur à Dionysio capit. 3. de Eccles. Hierarch. *sacrum Vnctionis oleum*. Cùm ergo habeamus ex Conciliis, oleum ab Episcopo benedictum, esse materiam huius sacramenti, & Chrisma sit oleum sanctificatum ab Episcopo, non est dubitandum, esse sufficientem materiam.

Conc. Aquisgran. Fabian. 1. Cyprian. Dionys.

11. Obiectioni occurritur.

Verum est, interdum omne oleum sanctificatum solere Chrisma appellari, & in Pontificali Romano oleũ infirmorũ, in sua benedictione ita vocatur, quo modo posunt aliqua ex testimoniis adductis exponi, nihilominùs tamẽ existimo, secluſa Ecclesiæ prohibitione, nullum peccatum esse vti Chrismate proprio ad hoc sacramentum perficiendum, & præsertim si aliud oleum simplex, & sanctificatum deesset. Per se tamen verum est, ad hoc sacramentum conficiendum sufficere simplex oleum benedictum, & in hoc differre à Cõfirmatione, in qua necessariũ est Chrisma confectum ex balsamo, & oleo, vt suo loco diximus.

Sufficere simplexoleũ

ximus. Et hoc probat' testimonium Iacobi, adiunctis Conciliis: simpliciter enim de oleo loquuntur, non est ergo necessaria mistio balsami. Et rationem differentiæ tradit Altisiodor. lib. 4. Summæ, tract. 7. quia balsamum significat bonum famæ odorem, quem viuentes tenentur per bona opera, & exempla dare, de quo admonentur fideles quando confirmantur: his verò, qui iam morti appropinquant, solùm curandum est de bona conscientia, quã oleum significat, ac propterea ex institutione simplex oleum traditũ est.

Altisiodor.

12. Propter quæ addendum est, propria auctoritate non licere illi aliquid miscere, absolutè, & sine causa: vt constat ex doctrina communi de sacramentis. Verum item est, si tanta esset mistio, vt corrumperetur olei natura, imò etiam, si communem vsum, & appellationem olei amitteret, ita vt licèt non esset oleum substantialiter transmutatum, tamen ita esset iam commistum & condensatum, vt non oleum, sed mistum aliquod artificiale, seu vnguentum censeretur illud non fore materiam sufficientem: quia hæc est oleum simpliciter & vsuale. At verò, si oleum maneat in vera natura, specie, & vsu olei, non repugnaret iustitutioni, quòd ex ordinatione Ecclesiæ sanctificaretur cum parua aliqua mistitione alicuius liquoris, sicut vino consecrando miscetur aqua, & aquæ Baptismi parum salis: & hac ratione dicebamus, Chrisma posse sufficere, & aliquando fortasse fuisse in vsu. Nunc autem quando Ecclesia has materias, earumque benedictiones distinxit, non esset licitum eas commutare, nec alio oleo in hoc sacramẽto vti, præterquàm illo quod ad hoc munus ex Ecclesiæ institutione consecratur.

## SECTIO II.

### *An vnctio ex oleo ab Episcopo benedicto, sit proxima materia huius sacramenti.*

1. D. Thom. Bonau. Antiqua sententia, oleum benedictum esse sacramẽtũ reiicitur.

REFERVNT D. Thom. Bonau. & alij in 4. dist. 23. fuisse antiquam sententiã asserentẽ, sacramentum hoc esse ipsum oleũ ab Episcopo benedictum, vnctionem autem eius tantùm esse vsum sacramenti iam confecti. Hanc verò sententiam meritò vt improbabilem reiiciunt: quia nullum sacramentum consistit in facto esse, aut habet esse permanens, nisi Eucharistia, vt ex doctrina de sacramẽtis in genere constat. Cuius ratio est, quia per consecrationem Eucharistiæ ipse auctor gratiæ sub speciebus efficitur, & significatur, per benedictionem autem olei nulla gratia significatur, neque datur: vnde illa sacramentale quoddam est, non sacramentum. Aliàs, forma essentialis huius sacramenti non esset quam Concilia præscribunt, id est, quæ profertur in ipso vsu, & vnctione, sed esset oratio illa quam Episcopus dicit cùm oleum benedicit: & consequenter minister proprius huius sacramenti non esset Presbyter, sed Episcopus: quia ad illum solum pertinet olei benedictio. Ac denique si sacramẽtum ipsum iam esset confectum, non esset de essentia applicationis eius, quòd fieret à sacerdote, vt in Eucharistia videre licet: hæc autem omnia sunt absurda, & contra veram doctrinam de hoc sacramento, vt ex dicendis constabit. Sit ergo certum, sacramentũ hoc cõsistere in ipso vsu, & olei benedictionem solũ esse quandam materiæ præparationem, seu cõfectionem.

2. Materiã proximam esse vnctionem. Trident.

Ex quo concluditur, materiam proximam huius sacramenti esse vnctionem ex oleo factam: quod optimè probat verbum Iacobi, *Vngentes eum oleo*, & verba Tridentini sessione decimaquarta, capite primo de hoc sacramento dicentis, *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum: nam vnctio aptissimè Spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter ægrotantis anima inungitur, repræsentat.* Ex illa enim causali nota, *Nam*, intelligo Concilium ostendere oleum esse materiam, quia vnctio est ipsum sacramentum, vtique quoad materiam proximam illius: statim enim formam subiungit, de qua posteà. Quòd verò vnctio sit ipsum sacramentum, probat optimè Concilium ex significatione: illud enim est sacramentum, quod est efficax signum gratiæ: huiusmodi autem est illa vnctio. Præterea hoc sequitur necessariò ex refutatione opinionis prædictæ: nam hoc sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, sed in vsu: ergo materia permanens est tantùm remota: proxima ergo est vsus illius materiæ, qui nõ est nisi vnctio. Tãdẽ idẽ probari potest à simili de Baptismo: quod enim ibi est ablutio, hîc est vnctio, idemque est de sacramẽto Cõfirmationis: videri ergo possunt dicta de illis sacramẽtis, & hic applicari.

### *Qualis, & quanta esse debeat hæc vnctio.*

3. An oporteat fieri in figura crucis.

EXPLICANDVM verò supereſt, qualis, & quãta esse debeat hęc vnctio. Nã quoad qualitatẽ interrogari potest, an oporteat fieri vnctionẽ in figura Crucis: id enim significauit Glos. in capit. *Nunquid*, de Consecrat. dist. 5. & vsus etiam idem confirmat. Dicendum verò est, hoc non esse de necessitate huius sacramẽti: quod est certissimũ. Nec illa Glossa dixit contrarium, sed potiùs hoc etiam sensit, si integrè legatur. Et eodem modo intelligendus est Syluester verbo, *Vnctio extrema*, quæstione secunda. Quia oppositum, neque in loco Iacobi, neque in Conciliis, aut traditione fundamentum habet: non est autem aliquid addẽdum substantiæ sacramenti sine aliquo huiusmodi fundamento. Primum patet, quia Iacobus simpliciter dixit, *Vngentes eum oleo*; modum autem: vel signum vnctionis non definiuit. Cõcilia etiã de hoc nihil dicunt. Quin potiùs Concilium Florentinum solùm indicat vnctionem per modum Crucis esse necessariam in Confirmatione, quia in forma illius sacramenti exprimitur, dum dicitur, *Signo te signo Crucis*: at hic nihil huiusmodi interuenit: nam in forma simpliciter dicitur, *Per istam sanctam Vnctionem*. Potestque reddi congrua differentia inter vtrumque sacramentum: quia in Confirmatione vngitur quis vt Christi miles ad portandã, & confitendã eius Crucem coram Regibus & Tyrannis; per hanc verò Vnctionem solùm vngitur per modum medicinæ ad recuperandam salutem. Vnde vlteriùs addo, non videri hoc signum esse de necessitate præcepti, saltem sub culpa graui, secluso cõtemptu, aut scandalo: quia nullũ est expressè latum præceptum de hac re: & de cõsuetudine non constat sub hac existimatione esse introductam: & præterea materia ex se non est grauis. Quare si ex iusta causa omittatur, vt breuiùs, vel securiùs agatur, nullum erit peccatum: regulariter verò id maius pium est, ideoque debet seruari, ac fieri. Vide Ledesm. 2. p. 4. q. 21. art. 8.

Concil. Floren.

Ledesma.

4. Quot debeant fieri vnctiones.

Circa vnctionis verò quantitatem in primis Concilium Florentinũ numerat septẽ vnctiones, quibus perficiendum est hoc sacramentum, scilicet, in oculis propter visum, in auribus propter auditũ, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Hic ergo numerus vnctionum dici potest veluti discreta quãtitas huius materiæ. De singulis verò vnctionibus inquiri potest quantam esse oporteat vnamquamque, seu cuius magnitudinis: in hoc verò immorari non est necesse, quælibet enim sufficit, etiamsi minima sit, dummodò verã rationem vnctionis attingat, iuxta communem loquendi mõdum. Non enim erit satis vnicam guttam olei stillare, quia

quia id vel nõ est vngere, vel certè est res aliquo modo dubia, sed oportet partem corporis oleo lenire, aliquod per illam diffundendo: hoc enim est propriè & in rigore vngere. A

5. Corollariũ. Sufficere simplicẽ vnctionem.

Hinc verò obiter colligo non esse absolutè de essentia huius sacramenti in vnctionibus singulorum sensuum duplicem facere vnctionem, v. g. duorum oculorum, aut duarum aurium, &c. Quanquàm enim ita communiter fiat, & regulariter, ac secluſa necessitate, ita faciendum sit propter consuetudinem Ecclesiæ, tamen non est de essentia, quia in vna parte sufficienter significatur vnctio talis sensus, licèt virtus eius in pluribus partibus vigeat: & ideò si ob necessitatem in vnoquoque sensu vna tantùm fiat vnctio, & verum fiet sacramentum, & nihil peccabitur.

6. An dictus numerus sit de necessitate sacramẽti vel præcepti

At verò de numero vnctionum posito à Concilio Florentino dubitari potest, sítne de necessitate præcepti, vel sacramenti. Nam quòd non omnes sint necessariæ etiam ex præcepto, nedum essentiales, ex eo euidenter euincitur, quòd plerumque duæ earum omittuntur, scilicet pedum, & renum, præsertim in fœminis, propter honestatem. Imò licèt sint in communi vsu Romanę Ecclesię, vt est particularis Ecclesia, non verò sunt in vsu omnium Ecclesiarum, atque adeò nec vniuersalis Ecclesiæ, vt omnes Auctores referunt, quos statim insinuabo. Qui consequenter de his duabus vnctionibus fatentur nõ esse necessarias, imò de vnctione renum aliqui censent conuenientius esse illam omittere: vt supplem. Gabr. d. 23. q. 1. art. 2. Soto q. 2. art. 3. Victoria in Summ. num. 223. B

Gabr. Victoria.

7. Dubium.

Hinc verò colligi videtur, de nulla aliarũ vnctionẽ posse certò cõstare esse simpliciter necessariã, multoque minùs de toto numero earũ, quia Cõc. Flor. omnes ęquè numerat: ergo, si aliquas excipimus, quãtùm est ex auctoritate Cõcilij, nõ possumus de aliqua aliarũ affirmare esse necessariã simpliciter. Huc accedit, quòd Iacobus solùm dixit, *Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros Ecclesiæ, & vngãt eũ oleo*, in quibus verbis sufficiẽter explicatur materia huius sacramẽti, vt Cõciliũ Tridentinũ significauit, sed ad veritatẽ & cõplementũ horũ verborũ nõ est necessaria multiplex vnctio, sed vna sufficit: sicut ex vi verborũ Christi, *Baptizãtes eos, &c.* vna aspersio vel ablutio sufficit. Quòd si quis dicat, traditione declaratũ esse, illã vnctionem debere esse multiplicẽ, & in talibus partibus corporis: contra hoc est, tũ quia diximus, traditionẽ hãc nõ esse vniformẽ, & eandẽ in omnibus, ideóque nõ indicare essẽtialẽ materiã, sed ad summũ cęremoniã aliquã Ecclesiasticã: tũ quia aliqua etiã fuit traditio, vel multarũ Ecclesiarũ cõsuetudo baptizãdi per trinã mersionẽ, ex qua solùm potuit inferri, alicubi, vel aliquando id fuisse præceptum, non tamen esse de necessitate materiæ: idem ergo in præsenti dici poterit. C D

8. Aliquorum opinio, sufficere vnicam vnctionem.

Propter hæc vnus vel alius modernus dicere ausi sũt, nõ esse de necessitate huius sacramẽti, vt per plures actiones fiat, neque in determinata parte corporis, sed vnicã vnctionẽ sufficere, quantũ spectat ad valorẽ sacramẽti. Antiqui verò Scholastici in 4. d. 24. sentiũt plures vnctiones esse de essẽtia & valore huius sacramẽti, saltẽ quinque illas, quibus quinq; sensus inungũtur. D. Tho. q. 2. a. 3. q. 2. Dur. q. 4. Bonau. Rich. Palud. Maior. Supplem. Gabr. Soto. & Sũmistæ, quãuis nõ omnes distinctè loquãtur de necessitate sacramẽti, sed absolutè. Iuxta quã doctrinã omninò certũ existimo, has quinque vnctiones quinque sensuũ esse de necessitate præcepti, hoc enim vt minimum cõuincit vniuersalis Ecclesię cõsuetudo: à qua discordare graue crimẽ est, præsertim in re, quæ facilè redũdare potest in dubiũ de valore sacramẽti. Ratio, seu cõgruẽtia, quã D. Th. suprà adducit, est optima: quia hoc sacramentũ adhibetur, vt medicina ad sordes, seu reliquias peccatorũ tollẽdas, & ibi adhibetur vbi est radix peccatorũ: hæc autẽ radix est in quinque sẽsibus: meritò ergo in illis partibus applicatur medicina. An verò hæc necessitas sit tãta, vt sit etiã substãtialis, vel essẽtialis, nõ caret aliqua difficultate, pendet tamẽ ex his, quæ de forma, & effectu, ac subiecto huius sacramenti dicturi sumus: & ideò illam paulatim in sequentibus disputationibus expediemus. D. Thom. Bonau. Durand. Richr. Palud. Maior. Gabr. Soto. E

9. Ordinẽ taliũ vnctionũ nõ esse de essentia sacramenti.

Illud verò nũc pro certo habeatur, ordinẽ taliũ vnctionũ non esse de essẽtia sacramẽti: scilicet, vt priùs vngãtur oculi, postea aures, &c. licèt. n. hic ordo seruãdus sit, quia & est rebus ipsis cõsentaneus, & maximè, quia ita habet Ecclesiæ cõsuetudo, quæ sine aliquo peccato nõ potest omitti: nõ est tamẽ absolutè de essẽtia, nec illa immutatio esset cõtra valorẽ sacramẽti, vt omnes Doctores supponere videtur, quia materia essẽtialis nõ est relatio, aut ordo, sed vnctio, quãuis autẽ mutetur ordo, seruatur tota vnctio essẽtialis: ergo.

## SECTIO III.

### *Quæ sit legitima huius sacramenti forma.*

1. Aliquã verborum formam esse de essentia huius sacramenti.

PRincipio statuendũ est, aliquã verborum formã esse de essẽtia huius sacramẽti. In hoc nulla est controuersia inter Catholicos, sed cũ solis hæreticis, contra quos sufficiũt nobis definitiones Conciliorũ Florentini, & Tridẽtini, & quæ in superiori tomo de sacramẽtis in genere diximus. Ex quib⁹ etiã est certũ, aliquã verborũ formã esse determinatã iure diuino, atque ita essentialẽ huic sacramẽto, vt sine illa cõfici nullo modo possit: hoc enim generale est omnibus sacramẽtis nouę legis, & in particulari significãt dicta Cõcilia de hoc sacramẽto, & ex dictis de illius institutione colligitur: si enim Christus Dominus nõ præscripsisset certã verborũ formã, nõ plenè, nec definitè instituisset essentialẽ ritũ huius sacramẽti, sicut in simili de materia dicebamus. Quocirca cùm aliqui Catholici dicunt posse Ecclesiã mutare formã huius sacramẽti, vt Victoria in Sum. sacram. n. 201. & Nau. in Sum. c. 22. n. 13. sano modo intelligẽdi sunt, videlicet posse Ecclesiam mutare, aut materialia verba, seruato eodem legitimo sensu, aut aliqua verba, quæ non sunt de substantia: sed ad ritum accidentalem pertinent, vt videbimus.

Victoria. Nauar.

2. Obiect.

Obiici verò potest, quia forma huius sacramẽti solùm colligitur ex illis verbi Iacobi c. 5. *Et orent super eũ*, vt significarunt prædicta Concilia dicẽtia, Iacobũ in illis verbis, *Vngant eum, & orent, &c.* materiam, & formam indicasse huius sacramenti. Quod etiam declarauit idẽ Iacobus subdẽs, *Et oratio fidei alleuiabit infirmum*, vbi prædictę orationi tribuit, seu promittit effectũ sacramẽti, cõstat autẽ effectum maximè procedere à forma: ergo, iuxta promulgationem Iacobi, sola oratio presbyteri sufficit ex Christi institutione ad effectũ huius sacramẽti: at verò oratio nõ dicit aliquã determinatã formã verborũ, imò in rigore nec verba requirit: ergo. Et cõfirmatur ex varietate formarum, quę in Ecclesia fuit in vsu huius sacramẽti. Nã tẽpore D. Ambr. in Ecclesia Mediolanẽsi hæc forma erat in vsu, *Vngo te oleo sãctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti, vt more militis vncti præparatus ad certamẽ, aeras possis superare potestates.* Ita refert Bona. d. 23. p. 1. a. 1. q. 4. & alij ibi. Similẽq; formã refert ibi Palac. ex l. sacramẽtali Venetorũ, approbato, vt ibi dicitur, à Leone 10. *Vngo te oleo sãcto, vt hac vnctione protectus fortiter sta re valeas aduersus aereas cateruas, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: Ecclesia autẽ Romana vtitur illa forma, *Per hanc sacrã vnctionẽ, & suam pissimã misericordiã, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visũ, &c.* vt patet ex dictis Conciliis, & ex vsu: ergo signũ est, hanc formam non habere determinationem ex diuino iure.

Bonau. Palac. Leo X. Forma qua vtitur Eccle sia Romana.

Sed

3 Soluitur.

Sed quod attinet ad Iacobũ, dicẽdum est ipsum in primis loqui de oratione sensibili, per vocem expressa, ita enim intellexit Ecclesia, & sumitur ex circũstantia literæ: nam Iacobus loquitur de oratione facienda super vnctione infirmi, & ad consolationem & leuamen eius: ergo loquitur de oratione sensibili, quæ fit per verba sensibilia. Rursus, quanuis Iacobus non declaret modũ orationis, tamẽ etiã ex subiecta materia, & eadem Ecclesiæ traditione cõstat, eum loqui de oratione sacramẽtali, atq; adeò quæ certo ritu, & ad sacramentalẽ significationẽ accõmodato fit: nõ est enim necesse, vt omnia in Scriptura distinctè explicẽtur, sed sufficit vt insinuentur, & ab Ecclesia declarentur: sicut in aliis sacramẽtis perspicuũ est. De illis autẽ variis formis dicendũ est, eam, quã Ecclesia retinet, continere substantialẽ formã huius sacramenti, vt apertè definiunt dicta Concilia: & sumitur ex c. *ad àbolendã*. de hæret. cũ similibus. Quia Ecclesia Romana in ritibus sacramentorũ errare nõ potest. Vnde omnes aliæ formæ vel reducẽdę sunt ad formã Ecclesiæ Romanæ quoad substantialem sensum, vel aliquid eis addendũ est, seu additũ semper fuisse credendum est, quo prædictus substãtialis sensus perficeretur, vt magis in sequentibus explicabitur.

---

*Explicantur singulæ particulæ formæ, qua vtitur Ecclesia Romana.*

4 An forma debeat proferri per modum deprecatiuum, an per indicatiuum.

SVPEREST, vt per singulas particula dictæ Romanę formę discurrẽdo, videamus in quibus pręcisè constat huius formæ essentia. Et in primis, an sit de essentia huius formæ, vt per modũ deprecatiuũ proferatur, vel sufficiat modus indicatiuus. Hoc enim posterius suadẽt primò formæ illæ, Ambrosiana, & Venetica, quę dantur per illud verbũ *Vngo te*, quod iudicatiui modi est: nec additur aliud deprecatiuũ: neq; est verisimile aliquid substãtiale in illis formis fuisse omissũ. Secũdò, idem suadetur à simili: Nam ex illis verbis, *Baptizantes eos*, colligit Ecclesia illã formã, *Ego te baptizo*, & ex illis, *Quorum remiseritis peccata, &c*, illã, *Ego te baptizo*: ergo ex illis, *vngentes eum*, optimè etiã hãc formã vt sufficientẽ, *Ego te vngo, &c.* Tertio in cõfirmatione modus indicatiuus est sufficiẽs, *Chrismo te, &c.* Cur ergo nõ etiã in Extrema vnctione? Quartò, sacramẽtalis forma, etiamsi per modũ indicatiui proferatur, solet à Sãctis Patribus oratio vocari, sicut in superioribus visũ est de absolutione sacramẽtali, quã Leo Papa, & alij *orationẽ sacerdotis*, appellant: ergo pari ratione in præsenti, quãuis forma proferatur per modum indicatiui, erit sufficiens ad verificandum verbum Iacobi, *Et orent super eum.*

5 Opinio quorundã Theologorum. Albert. Richard. Palud. Durand.

Propter hæc multis Theologis visũ est, non esse de essẽtia huius formę, vt per modũ deprecationis proferatur. Ita sentit Albertus in 4.d.23.art.4. Richard.art.1. q.4.ad 2. Palud.q.1.art.2. Imò Dur.q.3.n.7. videtur reuocare in dubiũ, an forma deprecatiua sit sufficiẽs: quia forma indicatiua, & deprecatiua nõ sunt æquiualentes quoad sẽsũ, vt cõstat ex proprtia significatione verborũ, & ex aliis formis, baptismi, cõfirmationis, & pœnitẽtię, in quibus deprecatiua nõ sufficit: quia indicatiua est necessaria, cui nõ æquiualet deprecatiua: ergo etiã in præsẽti nõ possunt illę duæ formę esse sufficientes, sed alterutra tantùm. Non possumus autẽ negare, vt Durandus significat, quia forma indicatiua sufficiat, cũ Ambros. qui fuit vnus ex primariis Doctoribus, illa vsus fuerit, suæq; Ecclesiæ reddiderit: ergo illa sola est legitima forma.

6 De fide esse, formã deprecatiuam sufficere.

Nihilominùs certissimũ est, ac de fide, formã deprecatiuã esse sufficientẽ: ita enim planè definiunt Concil. Florẽt. & Tridẽt. fuitque semper cõmunis Scholasticorum sentẽtia, fundaturq; sufficiẽter in traditone Ecclesiæ, quã impossibile est decipi in his præsertim, quę pertinẽt ad substãtiã sacramentorũ, vt dicitur in c. *Ad abolendã*, de Hæret. constat autẽ vniuersalẽ Ecclesiam vti forma tantùm deprecatiua: ergo, vt minimũ certum est illam esse sufficientẽ: cuius consuetudinis nullum initiũ cognoscitur, sed ab initio Ecclesiæ tradita est, quæ traditio ita etiã declarat verba Iacobi, *Et orent super eũ*, quæ in omni proprietate deprecationem significant.

7 Solum indicatiuũ verbũ sine forma deprecatiua non sufficere. D. Tho. Bonau.

Ex quo vlteriùs probabilius videtur, ita esse necessariam hanc formam, vt solùm indicatiuum verbũ sine formali deprecatione nõ sufficiat. Ita sentit D. Tho. in 4.d.23.q.1.art.4.q.2. & Bonau.art.1.q.4. Capreol. Soto, & alij: & fauent multùm Concilium Florent. & Trident. Et patet retorquẽdo rationem factã in proximo puncto. Nã duæ formæ non possunt esse per se, & sigillatim sufficientes ad constitutionem huius sacramenti, nisi sint æquiualentes in sensu: si ergo forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit: quia non habet æquiualentẽ sensum, vt rectè ostensum est, & patebit ampliùs, ex solutionibus argumentorum.

8 Soluitur primum. D. Tho.

Ad primũ ergo respõdetur in primis, maiorem esse auctoritatẽ Ecclesiæ Romanæ & vniuersalis, quàm cuiuscunq; particularis: & ideò veritas, seu necessitas substantialis formę potiùs ex vsu Ecclesiæ Romanæ, quàm cuiuscunque alterius sumenda est: neque Ecclesia Romana est cæteris accõmodanda, sed è conuerso. Vnde dicitur secundò ex D. Tho. suprà ad 3. *Verba illa indicatiui modi, quæ sunt in vsu aliquarũ Ecclesiarũ, non esse formã huius sacramẽti, sed esse cæremoniã quandam, seu dispositionẽ ad formã.* Vnde significat D. Tho. nullã Ecclesiã vti solis illis verbis indicatiui modi: sed præmittere illa ad explicãdam actionẽ, & intentionẽ ministri, posteà verò subiungere deprecationẽ. Quod etiã significauit Alber. & Durand. etiã hoc modo interpretari cõatur vsũ Ecclesiarum, quãuis rẽ sub dubio relinquat. Hinc verò obiter colligo, si quis vtitur hæc forma, *Vngo te oleo sancto, vt Deus tibi remittat quidquid peccasti, &c.* formam esse sufficientẽ: quia verbo indicatiui modi adiungitur sufficiens deprecatio, quãuis non careret culpa graui illam mutationem efficere absque vsu Ecclesiæ Romanæ. Corollariũ.

9 Soluitur secundum.

Ad secundũ respõdetur, ex vno, vel alio verbo Scripturæ non sumi sufficiens argumentum ad colligenda verba substantialia formæ substantialis: sed vel conferenda inter se sunt diuersa Scripturę testimonia, vel adiungenda est traditio, & cõsuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ est optima legũ interpres, præsertim in explicandis ritibus sacramentorum. In aliis ergo sacramentis sufficiunt verba per modum iudicatiui: quia & per illa sufficienter declarantur actio, & effectus sacramẽtalis, & alioqui neq; ex Scriptura, neq; ex ritu Ecclesię aliud postulatur: at verò in hoc sacramẽto verbũ Iacobi, *Et orent super eũ*, in omni rigore & proprietate deprecationẽ postulat, & ritus Ecclesiæ ita id declarauit.

10 Cur hoc modo instituta sit forma in hoc sacramento, & non in aliis.

Cur autẽ potiùs in hoc sacramento, quàm id aliis sit forma instituta in hũc modũ, multiplex ratio à Theologis redditur. Prima est, quia hoc sacramentũ nullum habet effectũ infallibilẽ, qui nõ possit impediri, vel propter obicẽ recipiẽtis quoad effectus spiritualis gratiæ: vel quia est effectus indifferens, qui aliquando nõ expedit, vt in corporis sanitate, quod secus est in Baptismo, & Cõfirmatione: nã, vt minimũ habent effectum characteris, si substãtialiter perficiãtur: & ideò meritò dantur per verbum indicatiui, quod magis declarat actualẽ efficaciam, quàm verbũ deprecatiuũ. Hac ratione vtitur D. Thom. per quã non significat formã huius sacramenti non conferre effectum ex opere operato non ponẽti obicẽ: constat enim de hoc sacramẽto eandem esse rationẽ circa hoc, quę de aliis: sed solùm intẽdit huiusmodi efficaciã nõ significari per hãc formam, vt actualiter exercitam, sicut per alias, propter rationẽ dictam. Videtur tamen illa ratio deficere in sacramento pœnitentiæ, cuius forma per verbum indicatiui profertur, & tamen nullum habet effectum ita infallibilem, quin impediri possit per obicem suscipientis. Instantia. Soluitur.

Hæc verò instantia facilè excluditur iuxta sententiam, quæ negat dari sacramentũ pœnitentiæ validum & informe, iuxta quam D. Thom. citat. loco processisse videtur.

videtur. Tamẽ,quia veriùs credimus aliquãdo dari absolutionẽ validam absque effectu gratiæ:ideò aliter respondendũ est.Equidẽ Palud.& Capreol.dicerent,tũc saltem dari ornatũ. Verũtamen hæc opinio de ornatu nobis improbabilis visa est. Et præterea eadem ratione ponendus esset in extrema vnctione. Dico igitur in sacramento Pœnitentiæ esse peculiarẽ rationẽ ob quam necessarius est ille modus formæ: quia profertur per modũ sententiæ.Vnde prædicta ratio,seu congruentia intelligenda erit vel respectu aliarũ formarũ,vel ita vt locum habeat, nisi aliqua alia peculiaris ratio obsistat. Addi etiam potest,illã absolutionem,quæ informis est, & valida,licèt nõ auferat peccata in re ipsa,& apud Deũ saltem habere hunc effectũ absoluendi hominẽ in tali foro,ita vt non teneatur ampliùs confiteri illa peccata.

Alia ratio seu congruentia est, quia hoc sacramentum datur homini quasi extremè indigẽti,& propriis viribus destituto,qui iam incipit exire à foro Ecclesiæ,& in solius Dei manibus constitui:& ideò conueniẽter in orationibus sacerdotũ iuuari, Deoque cõmendari. Tertia ratio est,& ferè in idẽ redit,quia hoc sacramentum ordinatur ad obtinendũ per modũ indulgẽtiæ id quod in iudicio pœnitẽtiæ obtineri nõ potui per modũ iustitię, propter imperfectã hominis satisfactionẽ vel dispositionẽ. Vnde, quia homo infirmus iam est quasi viribus destitutus ad satisfaciendũ, ideò exoratur Deus, vt remittat, si quid post sacramentũ pœnitẽtiæ residuũ est. Et per hæc responsum etiã est ad tertium argumẽtum.

11 Soluitur quartum argumentum.

Ad quartum verò dicitur propositionem indicatiui modi formaliter ac propriè non esse orationem,vt per se notũ est ex ipsa verborũ proprietate.Quòd autẽ aliquando ita vocetur à Patribus,ideò est, quia dum profertur in fide promissionis Christi, virtute videtur rationem & vim orationis includere: hoc autem non obstat,quominùs aliquando possit esse necessaria propria & essentialis deprecatio, vbi de tali institutione satis constat,sicut de hoc sacramento ostensum est.

12 An debeat in hac forma explicari materia remota.

Adhuc verò supersũt nõnulla minutiora dubia circa eandem formam. Secundũ ergo dubiũ est,an oporteat in hac forma explicare materiã remotã ex qua fit talis vnctio,sicut in Cõfirmatione dicitur, *Confirmo te Chrismate*,Respõdeo, hoc non esse de necessitate huius formæ,nec de substãtia sacramẽti,nec de præcepto.Nam, licet aliquæ Ecclesiæ in hac forma declarent hanc vnctionẽ fieri ex oleo sancto,vt suprà relatum est:tamen Ecclesia Romana solùm dicit, *Per istã sacram vnctionẽ*, nulla facta mentione olei:ergo certũ est,hoc non esse de substãtia,neque de præcepto.Item in Baptismo non est necesse explicare materiã remotam:scilicet aquam, in forma,nisi quatenus continetur in verbo abluendi: ergo neq;hîc necesse est explicare materiam olei, nisi quatenus in voce vnctionis inuoluitur,præsertim cùm fit sermo in particulari de ista sacra vnctione.In sacramento autẽ Confirmationis occurrit specialis occasio declarandi materiã Chrismatis:quia sine illa verbum, *Confirmo*,aut *Signo*, non satis explicaret materiã proximam,seu actionem ministri,quæ fit per modũ vnctionis propriæ illius sacramẽti.Quod secus est in præsenti:nam verba illa, *Per istam sacram vnctionem* sufficienter declarãt materiã proximam,& actionẽ ministri. Hinc tamẽ colligimus,hæc verba substãtialia esse, quia formæ sacramentorũ semper debent exprimere actionem seu efficaciã ministri. Incertum est autem an singulæ illæ particulæ,scilicet,*istam*,& *sacram*, sint essentiales, vel sufficiat dicere,*Per istam vnctionem*, vel *vngendo te, parcat tibi Deus*. Et fortasse verius est, has mutationes non esse substantiales, nihilominùs omninò cauendæ sunt:quia non fierẽt sine graui culpa,tum propter dubiũ & periculũ,tum propter Ecclesiæ consuetudinem.

An particula *istam*,& *sacram*,sint essentiales.

13 An particula *& suam piissimam misericordiam*, sit essentialis.

Idémque dicendum censeo de illa particula,*Et suam piissimam misericordiam*, per quam declaratur virtus diuina,quæ principaliter in hoc sacramento operatur,& in qua nititur deprecatio,quæ per hanc formam fit,vt D.Thom.suprà quæstiunc.3.declarauit.Indicatque illam particulam esse de substantia formæ,& in solut.ad 2 reddit congruentiam:quia misericordia respicit miseriam:vnde,quia hoc sacramentũ datur homini quasi in vltima miseriæ necessitate constituto,ideò in illo veluti confugimus ad diuinã misericordiã,quæ promptè in forma expressè declaratur. Præterea, sicut diximus modũ deprecatiuũ esse de substãtia huius formæ, ita est verisimile esse de substantia explicare diuinam misericordiam,ad quam homo ægrotus confugit,tanquàm destitutus viribus ad satisfaciendum. Denique, cùm Ecclesia interponat hæc verba inter alia substantialia,videtur certè verisimile,etiam ipsa substantialia esse. Quæ rationes vt minimùm persuadẽt esse necessarium(sub graui culpa)illã particulã non omittere,ne à cõmuni Ecclesiæ cõsuetudine recedatur, & vt omne periculum,& dubiũ vitetur. An verò in re ipsa particula illa substantialis sit,incertum mihi est:quia explicari in forma principalem causam effectus sacramentalis, non solet esse de substantia sacramenti, nisi vbi inuocatio Trinitatis ob specialem aliquam rationẽ est necessaria. Item quia ipsamet forma deprecatiua ex se includit ordinẽ ad diuinã misericordiã seu inuocationẽ eius. Præterea de illa particula *piissimam*,clariùs videtur nõ esse essentialem,& si quis loco misericordiæ poneret,*bonitatem*, vel aliquid simile,certè videtur valida forma,vt si dicatur,*per suam bonitatem*,*&c.* Denique hoc ipso quòd dicitur, *Indulgeat tibi Deus*, actus misericordiæ satis expressè postulatur:ergo in actu exercito per misericordiã petitur,quanuis in actu signato non proferatur : non est igitur certum, particulã illam esse essentialem,quanuis sit certum,non esse omittendam.

D. Thomas.

Non esse essentialem.

14 Cur potius petatur remissio peccatorum quàm aliquid aliud.

Maius dubium est,an reliquæ particulæ, quibus significatur effectus huius sacramẽti, sint de substantia huius formæ. Et in primis est dubiũ,cur potiùs petatur remissio peccatorũ,quàm aliquid aliud. Sed hoc pẽdet ex dicẽdis in disputatione sequenti de effectu huius sacramẽti. Nũc breuiter dicitur,illud exprimi,quia vel inter effectus huius sacramenti ille est præcipuus, vel ne finis præcipuè intentus in hoc sacramento propter peccata impediatur.

15 Cur addatur illa determinatio *per visũ*,*&c.*

Sed tunc occurrit secundò inquirendũ,cur addatur illa determinatio,*per visũ*,*vel per auditũ &c.* Et ratio difficultatis est,quia impiũ est à Deo postulare dimidiatã peccatorũ veniã. Quod si quis respõdeat,licèt per singulas partiales formas videatur postulari remissio partis peccatorũ,tamẽ ex omnibus perfici integrã petitionẽ omniũ. Contrà hoc est,quia homo non solùm peccat per quinque sensus,sed etiã per actus merè internos intellectus aut volũtatis. Aliqua etiã sũt peccata externa,quæ nõ pertinẽt propriè ad voluptatẽ alicuius sensus, vt sunt vindicta de inimico, & similia. Præterea hinc saltẽ videtur probari nõ esse necessarias illas determinationes,*per visũ*,*auditũ*,*&c.* quia vel essent necessariæ propter effectũ explicandũ,vel propter indicandã determinatã partẽ subiecti, in qua facienda est vnctio:non primũ,tũ quia effectus sufficiẽter,imò & meliùs explicaretur per illa verba, *Per hanc sacrã vnctionẽ*, *remittat tibi Deus quidquid peccasti*:tum quia sæpè homo caruit perpetuò tali sensu,vnde per illũ peccare nõ potuit,& ita redditur forma quoad illã partẽ,vel falsa,vel vana:neque etiã secundũ,quia non videtur de essentia huius sacramẽti,vt in illis partibus vnctio fiat:Iacobus enim solùm dicit,*Vngentes eũ* : quod verbũ sufficienter cõpleretur vngẽdo infirmũ in corpore,vel capite,&c. Item sæpe homo caret organo alicuius sẽsus,vt manibus,&c.Et quanuis demus vnctionem talis partis esse essentialẽ, nõ propterea esset necessariũ illã exprimere in forma.Nã de essentia Confirmationis est,vt vnctio fiat in fronte,& tamen id non declaratur in forma.

16

Hinc rursus dubiũ est,an sit de essentia huius sacramenti

Præter verba prædicta nihil aliud esse de necessitate.

mẽti quinquies repetere illa verba formæ cũ quinque sensuũ determinatione, vel sufficiat vnica simplex forma, cõludẽdo tantùm, *Remittat tibi Deus quidquid peccasti:* vel ad summũ addẽdo simul quinque sensus, scilicet, *quidquid peccasti per visũ, auditũ, odoratũ, tactum, vel gustum.* Nã rationes factæ suadere videntur hoc posterius sufficere. Et præterea, quia hæc verba semel prolata æquialẽt in sensu seu petitione omnibus illis sæpe repetitis. Verũtamen harũ difficultatũ integra decisio pẽdet ex his, quæ dicemus de effectu huius sacramenti: & ideò nũc solùm dicimus necessariũ esse, hanc formã proferre eo modo, quo est in vsu & traditione Ecclesiæ Romanæ: hoc enim vt minimùm docet Concilium Florentinum in decreto Eugenij dicẽs, formã esse, *Per istã vnctionẽ, &c.* vsque ad illud, *per visũ, &c.* & subdit, *& similiter in aliis mẽbris.* Item hoc etiam ptobat vniuersalis consuetudo Ecclesiæ. Item, quia est probabile hunc ritũ esse essentialẽ, & vt minimùm est res dubia an sacramentũ aliter collatũ valeat: ergo saltẽ est de necessitate præcepti seruare hunc ritũ. Quid verò dicendũ sit de necessitate sacramenti, dicam seq. disputatione.

17 Tandẽ addendũ est, præter verba prædicta nihil aliud esse de necessitate huius formæ. Hoc est certũ, & commune: quia neque ex verbis Iacobi, vel Cõciliorũ, neque ex vsu Ecclesiæ aliquid aliud habetur: neque ex ratione, aut cõiectura aliqua colligi, cùm per verba prædicta sufficienter indicentur omnia, quæ ad actionem ministri & effectũ huius sacramenti pertinent. Solùm dubitari potest de inuocatione Trinitatis, quã aliqui addere solent in fine omnium verborũ. Et Paludan. & Angelus saltẽ esse necessariũ ex præcepto asserunt. Sed nulla est talis necessitas: quia neque hoc sacramẽtum est professio fidei, sicut Baptismus: neque in hoc sacramẽto occurrit aliqua specialis ratio inuocãdi Trinitatẽ in forma. Imò si bene attẽdatur modus deprecatiuæ formę nõ bene illi accõmodatur. Deniq; neq; in Cõciliis hoc declaratur, neq; in Cęremoniali Romano, neq; etiã cõmunis cõsuetudo id habet: nullũ ergo fundamẽtum est ad asserendam talem præcepti obligationem.

## SECTIO IV.

### *De definitione, & vnitate sacramenti Extremæ vnctionis, eiúsque iteratione.*

1 Definitio physica extremæ Vnctionis.

EX dictis in præcedentibus sectionibus licet colligere integram definitionẽ huius sacramenti, quæ duobus modis cõfici potest, sicut de aliis sacramentis diximus: scilicet, physico modo, seu ex partibus physicis: & sic dicetur sacramentũ hoc esse, *vnctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, vbi præcipuè quinque organa sensuum vigent, sub præscripta forma verborum.* Quæ tota definitio sufficiẽter patet ex dictis. In qua solùm est aduertendũ, quod licèt in ea pars materialis ponatur loco generis: quia in rebus artificialibus solet materia de toto artificiato prædicari: ipsum tamen sacramentum nõ est propriè vnctio, nec pro alia sola supponit, sed pro toto cõposito ex vnctione, & verbis. Vnde propriùs cõpositum ipsum ponetur loco generis, diceturq; hoc sacramentũ esse quoddam artificiale ex tali materia, & tali forma. Aliter potest dari hæc definitio metaphysico modo ex genere, & differentia, nimirũ, *esse sacramentũ nouæ legis ad confortandum, seu alleuiandũ in animo, & corpore fidelẽ grauiter ægrotantem, institutũ.* Cuius definitionis genus satis constat ex dictis, vbi ostendimus hoc esse vnum ex sacramẽtis nouæ legis. Differẽtia verò sumpta est ex verbis Iacobi 5. *Et oratio fidei alleuiabit infirmũ: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Posita autẽ à nobis est illa particula ita in generali, vt abstrahamur ab opinionibus, quia definitiones esse debent quasi cõmunes conceptiones: exacta verò illius particulæ intelligentia pendet ex his,

Definitio metaphysica.

Iob. 5.

quæ de effectu huius sacramẽti in sequẽti disputatione dicemus. Alij verò vtrãque definitionẽ miscẽt, dicẽtes Extremã vnctionẽ, *esse sacramentũ ex sacra vnctione olei, & prece sacerdotis confectũ, & ad salutẽ mẽtis, & corporis ægrotantis hominis diuina institutione ordinatum.* Quæ tota definitio ex aliis sufficienter constat: complectitur verò ferè omnes effectus & causas huius sacramenti, de quibus paulatim in discursu materiæ dicturi sumus.

Alia definitio.

Secundò colligitur ex dictis, sacramentũ hoc esse vnum & specie, & numero. Primũ constat, quoniã hoc sacramentũ ex eadem materia & forma semper fit: & ad eundẽ finẽ seu effectũ semper ordinatur: sẽper ergo est eiusdẽ speciei. Vnde & eandẽ definitionẽ essentialem semper habet, vt visum est. Præterea suprà ostẽdimus, quando Cõcilia definiunt tantùm esse septem sacramenta nouæ legis, intelligendũ id esse de speciebus vltimis sacramentorũ. Est autẽ hoc vnũ ex septem sacramentis nouæ legis: est ergo vnũ in essentia seu specie vltima: & ita hæc pars certa est, neq; habet vllã rationẽ dubitãdi. Circa vnitatẽ verò numericã aduertẽdũ est, non ita esse vnũ, vt saltẽ in diuersis personis nõ possit secũdùm numerũ multiplicari: nã per se constat esse diuersa individua sacramẽta, quę diuersis personis tribuũtur: vnde hęc multiplicatio numerica omnibus sacramẽtis cõmunis est. Duob⁹ ergo aliis modis põt dici hoc sacramẽtũ esse vnũ tãtùm numero in eodẽ subiecto scilicet, compositione, & quia iterabile non est.

2 Hoc sacramentum esse vnũ specie & numero.

De vnitate specifica.

De vnitate numerica.

Circa priorẽ modũ difficultas est, an hoc sacramentũ quando semel cõfertur, sit vnũ tãtùm, vel multiplex. Et ratio dubitãdi est, quia in hoc sacramẽto cõficiendo interuenit multiplex vnctio, & multiplex etiã forma: ergo ex singulis vnctionibus, & singulis formis, quæ in illas cadũt, cõficiũtur singula sacramẽta integra, vtpote ex propria forma, & materia cõstantia, & fortasse proprios effectus habentia, vt infrà disputabimus: ergo interueniũt ibi plura sacramẽta numero distincta. Nihilominùs tamẽ dicendũ est, ex illis omnibus cõsurgere vnũ numero sacramentũ, quod vocamus vnum compositione, quia ex omnib. illis vnctionibus & formis, siue essentiales omnes sint, siue non, vnũ tantùm integrũ sacramentũ cõponitur: quia omnes illæ vnctiones ad integrã totius hominis vnctionem, quam institutio exigit, ordinãtur. Et omnes illæ formæ deprecatiuæ tẽdunt ad completũ effectum obtinendũ. Vnde, licèt daremus (quod incertũ est) per vnctionem vnius sensus sub propria forma statim dari aliquẽ gratiæ effectum; nihilominùs sacramentũ esset vnũ ex omnibus actionibus compositũ, quia ille effectus non est integer, nec sufficiens ad confortandũ, vel alleuiandũ infirmũ quãtùm indiget vel indigere potest. Et confirmatur: nam multitudo materiarũ, & formarũ non sufficit ad multiplicandũ numero sacramentũ, si omnes illæ materię, & formæ ad artificiosam cõpositionẽ vnius adæquati signi referuntur, vt in Eucharistia videre licet: imò neque etiã multiplicatio effectuũ satis est, si etiã tales effectus ad eundẽ proximũ finẽ, atq; adeò ad vnũ totalem, & integrũ effectũ referuntur, vt suo modo videre etiam licet in Eucharistia: nam singulæ formæ efficiunt singulas cõsecrationes. In sacramento etiã pœnitentiæ satisfactio posteà cõpleta nouum confert effectum, præter eum, quẽ contulit absolutio, & tamen vnum, & idẽ cum illa cõstituit sacramentũ. Clariùs verò id cernitur in sacramento Ordinis: nam in singulis ordinibus proprij effectus characteris, & gratiæ conferuntur, & nihilominùs vnum ex omnibus coalescit sacramentum integrum, iuxta veriorem doctrinam, vt suo loco videbimus. Atque hæc sententia communis est Scholasticorum in 4. d. 23. vbi, præsertim D. Thom. q. 1. art. 1. q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Soto & reliqui, & Summistæ etiã omnes. Fauet etiam communis modus loquẽdi, & sẽtiendi Conciliorũ, & totius Ecclesiæ, sem-

3 An hoc sacramentum, quando semel confertur, sit vnum tantùm.

Esse vnum numero.

D. Thom. Paludan. Soto.

Per enim de hoc sacramẽto tanquàm de vno loquuntur: non est ergo quòd de hoc dubitemus, & ratio in contrarium facta, soluta iam est. Addit verò Ledes. 2. p. 4. q. 31. art. 2. nihilominùs facta vna vnctione sub sua forma, iam posse dici esse sacramentum, quia res successiua dicitur esse statim ac vna pars eius existit. Sed hoc ad modum tantùm loquẽdi spectat: nam statim addit, per illam vnctionem non dari gratiam vsque ad vltimam. Imò etiam subiungit, si aliæ vnctiones non sequantur quocunque casu, illam priorem non esse simpliciter sacramentum. Quare meliùs dicemus simpliciter, ac semper sacramentum nondum esse, donec omnes vnctiones essentiales factæ sint: quia (vt alibi dixi) sacramentum non dicit vt cunq; rem successiuã, sed consummatã & perfectam.

## *Posítne sacramentum hoc iterari.*

4 Per hoc sacramentum nõ imprimi character.

CIRCA aliud punctum dubitari potest, an hoc sacramentum sit ita vnum in eadem persona, vt etiam successiuè, seu per iteratam collationẽ multiplicati non possit, sicut Baptismus dicitur esse vnus, vel confirmatio vna. In quo in primis supponendum est, per hoc sacramentum non imprimi characterem. Quæ est certa & communis sententia Theologorum dicta dist. 23. satisque insinuatur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. docente per tria sacramenta, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimi characterem: nam, licèt expressè non addat exclusiuam, tamen ex modo tradendi completam doctrinam sufficienter colligitur. Expressiùs verò concilium Florentinum in Decreto Eugenij addidit quatuor alia sacramenta characterem non imprimere: vnde constat partem hanc esse de fide certam. Ratio verò congruentiæ reddi potest, quia per hoc sacramentum non deputatur homo ad specialem statum huius vitæ: nec consecratur ad speciale munus: sed solùm curatur, seu adiuuatur in speciali necessitate, ex infirmitate corporis proueniente: & ideò nulla est necessitas characteris impressi per hoc sacramentum. Dices, etiam per Confirmationem non videtur homo specialiter consecrari, aut deputari ad aliquod munus, sed iuuari tantùm ad fortiter confitendã fidẽ, quando necesse sit. Respõdetur, per sacramentum Confirmationis Christianum militem veluti armari & consignari ad pugnandum pro fide, & occurrentes difficultates superandum, & ita quoad hoc constituitur in quodam statu, qui pro toto tempore vitæ durat: nam hæc Christiana militia semper durat, eiusque difficultates & occasiones variæ sunt, sẽperque occurrere possunt, ideóq; semel tantùm præparatur homo illo sacramento, & ratione illius ei semper confertur auxilium, quoties occasio occurrit, tanquàm perfecto militi ad hoc opus consignato. Hoc verò sacramentum Extremæ vnctionis solùm confertur per modum medicinæ, quæ tempore ægritudinis applicari solet.

Trident.

Obiectio.

Diluitur.

5 Sacramẽtum hoc esse iterabile. Trident.

Hinc ergo fit, vt sacramentum hoc simpliciter, & absolutè sit iterabile, quod de quatuor sacramentis expressè docuit Concilium Florentinum, & specialiter Tridentinum sess. 14. c. 3. de hoc sacramento. Sicut enim corporalis ægritudo in eodem homine iterari potest, ita etiam & hoc sacramentum sæpiùs dari, quia in noua ægritudine nouo indiget auxilio: quod non datur ex vi prioris vnctionis in alio morbo susceptæ: quia illa tantùm data fuit ad illius morbi curationem, & leuamen: debet ergo hoc sacramentum iterari, quoties homo in simile periculum iterum, atque iterum incidit.

6 Hinc verò intelligi potest, secundùm quid, seu durante eiusdem morbi necessitate, sacramentum hoc non posse iterari, non quia etiam pro tunc characterẽ imprimat: sed quia de se est sufficiens medicina pro tali necessitate, ratione cuius & auxilium spirituale pro illa sufficiens, & sanitas etiam corporis, si oportuerit, conferetur. Dico autem, *durante eadem morbi necessitate*, & non absolutè, *durante eodem morbo*; quia in eodem morbo, si necessitas & periculum iteretur, poterit etiam sacramentum iterari, vt si morbus esset diuturnus, & priùs hominem constitueret in graui periculo mortis, posteà verò remitteret morbi vis, ita vt homo censeretur esse extra mortis periculum, non tamen omninò à morbo liber, & in eo statu aliquandiu duraret, posteà verò in simile periculum iterum incideret, posset iterum inungi. Hoc docuit Albertus Magnus in 4. d. 23. art. 21. quanuis cum magna formidine & limitatione, solùm enim loquitur de morbis, quos chronicos appellat: quia nũquàm recedunt, vt sunt ethica, paralysis, & similia, & in his addit conditionem *Si vltra annum durat morbus post acceptam vnctionem.* Paludanus verò q. 4. n. 3. generaliter id affirmat de quacunque infirmitate diuturna, & quotiescunque ex tali infirmitate homo deducitur ad periculum mortis. Et hanc sententiam sequuntur frequentiùs Summistæ, Sylu. verb. *Vnctio extrema*, §. 8. Tabiena, Armilla & alij, & Victoria in Sum. n. 224. Ac denique est aperta sententia D. Th. d. 23. q. 2. art. 4. q. 2. qui optimam rationem insinuat, quia hoc sacramentum non respicit infirmitatem, vt sic, sed infirmitatis statum, & ideò non datur cuilibet infirmo: sed in periculo mortis constituto, vt infrà dicemus: quoties ergo status infirmitatis iteratur, est sufficiens causa iterandi hoc sacramentum, etiamsi infirmitas non omninò cessauerit, seu interrupta fuerit.

Durante eiusdem morbi necessitate non posse iterari.

Albertus Magnus.

Palud.

Sylues. Tabiena. Armilla. Victoria.

D. Thomas.

Ex hac autem ratione constat, necessarium esse status illos ægritudinis per aliquam diuturnam moram interrumpi, ita vt secundùm communem existimationem diuersi censeantur. Friuolum autem est vnius anni interruptionem postulare, quia intra illud tempus cœlestium corporum, præsertim Solis, reuolutio perficitur, vt Albertus philosophari videtur: quid enim hoc refert ad sacramenti necessitatem, vel dignam administrationem? Alij vnius mensis tempus assignant, voluntario magis arbitrio, quàm certa ratione. Paludanus pro regula assignat, quoties probabile est in noua peccata venialia incidisse: iuxta quam regulam nihil aliud expectandum videtur, nisi quod homo simpliciter dici possit euasisse prius periculum, ita vt medicorum, & prudentum iudicio censeatur esse liber ab illo ægritudinis statu: nam si posteà iterum recidat, etiamsi in illo medio statu breui tempore durauerit, poterit iterum inungi: nam in quolibet breui tempore timeri possunt noua peccata, præsertim venialia. Quia verò præcipua ratio suscipiendi hoc sacramentum non est peccatorum venialium remissio, vt infrà dicemus, ideò etiam hæc regula non est admodùm certa, ideóque prudenti arbitrio hoc relinquendum est, vt nimirũ considerata diuturnitate ægritudinis, & statuũ ei⁹, & interruptionis eorum inter se, practica, & cõmuni existimatione illa censeantur diuersa pericula, & status ita diuersi, vt perinde se habeãt ac si essent morbi omninò distincti.

7 Oportere infirmitate interrumpi.

Alber. & Pal. placita reprobantur.

# DISPVTATIO XLI.

## *De effectu & fine huius sacramenti.*

EXPLICATA essentia huius sacramenti, supereſt dicendum de causis, & effectibus eius. Incipimus autem à finali causa, quoniã prima omniũ est, & quia cum effectu, & re significata per

Hoc sacramentum cõferre gratiã sanctificãtẽ.

per hoc sacramentum coincidit, ex quibus exactior eius intelligentia pendet. Supponimus ergo in primis habere hoc sacramentum effectum illum, qui communis est omnibus sacramentis nouæ legis: scilicet, gratia sanctificans: cùm enim ostensum sit hoc esse verum sacramentũ nouæ legis, omnia, quæ his sacramentis communia sunt, in illud cõuenire necesse est: & ideò de his nihil hoc loco ampliùs dicemus, sed applicanda hîc erunt, quæ de sacramentis in genere sunt dicta. Sed inuestigandus à nobis erit proprius, & sacramentalis effectus huius sacramenti: & quia vnũ quodque sacramentum, quatenus tale est, propter huiusmodi effectũ est principaliter institutũ: ideò simul propriũ finẽ institutionis huius sacrameti declarabimus. Est autem peculiare huic sacramento, quod præter spiritualem effectum animæ, habet etiam effectũ salutis in corpore: & ideò priùs de spirituali tanquàm de principaliori: posteà verò de corporali dicemus.

## SECTIO I.

### *Quis sit proprius effectus sacramentalis gratiæ sacramenti Extremæ vnctionis.*

1 Prima sententia, hunc effectũ esse remissionẽ venialium. Bonau. Richard. Durand. Gabriel. Maior. Carth. Scot. Almain. Alens. Altis. Astens. Abulis. Albert. Pigius. Ayal. Nauarr.

PRIMA sententia affirmat hunc effectũ esse remissionem venialium peccatorum. Est valdè cõmunis in 4.d.23.vbi etiã tenet Bonau.art.1.q.1. Richard.ar. 1.q.5.& 6. Dur. q.1.n.9. Supplementũ Gabr.q.2.c.2. Maior q.1. & idem sentiunt Carthus. q.2. Scot.& Almain.q.vnica, Alens.4.p.q.5.memb.7. art.2. Altisiod.lib.4.Sum.c.de Extrema vnctione,q.1. Astẽsis lib.5.Summæ,tit.41.art.5. Abulens.super 8.c. Matth.q.8. Alber. Pigius Controu.10. Ayala de Trad. 3.p.consid.8. Denique Nauar.c.22.n.13.dicit, hoc sacramentũ principaliter esse institutũ in remissionem peccatorũ venialium, iuxta cõmunem sententiã in c. *Si Romanorum*, d.19.& in c. *Solitæ*, de Maiorit. & obed. Potestque hæc sententia fundari, quia hoc sacramentum primariò institutum est ad remissionẽ peccatorũ, & non mortalium: ergo venialium. Maior constat ex verbis formæ, nihil enim magis explicat propriũ effectum vniuscuiusque sacramenti, quàm eius forma. quia sacramentum efficit quod significat, & significatio per formam maximè determinatur, & exprimitur. At verò per formam huius sacramenti directè solùm postulatur remissio peccatorũ: ergo hic est effectus primarius, propter quẽ institutum est hoc sacramentum. Vnde D. Bernard. in vita Malachiæ, referens Sanctum illum cuidam fœminæ ægrotanti hoc sacramẽtum ministrasse, addit hæc verba: *Sciens in hoc sacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei saluet infirmum*. Et Concil. Trident. sess.14.c.2. inter effectus huius sacramenti hunc primo loco ponit. Minor autem propositio subsumpta probatur primò, quia propter mortalia tollenda institutum est sacramentum pœnitentiæ, & duo sacramẽta non instituuntur propter eundem finem: maximè cùm sacramẽtum pœnitentiæ positum sit tanquàm necessarium medium ad remissionem morralium peccatorum. Vnde cõfirmatur, quia tria sunt peccatorũ genera, originale, mortale, & veniale: sed ad delendum originale per se primò institutus est Baptismus, ad tollendum mortale instituta est confessio: ad tollendum ergo veniale, aliquod sacramentũ per se institui debuit, sed non aliud ex cæteris, vt per se facilè constat: ergo huiusmodi est Extrema vnctio.

Bernard.

Trident.

2 Diuersitas in modo explicãdi prædictã sententiam.

In modo autem explicandi hãc sententiam est diuersitas inter prædictos Auctores. Nam quidam eorũ asserunt hoc sacramentum non delere peccata venialia, nisi excitando actum displicentiæ, vel amoris, cui sit sufficiens forma, vel dispositio ad expellenda talia peccata: quia cùm sint actualia, & per conuersionem voluntatis commissa, non possunt nisi contrario motu deleri. Eatenus ergo sacramentum hoc institutum dicit ad remittẽda hæc peccata, quatenus virtute illius, & ex opere operato datur homini sufficiens auxilium, quo possit elicere motum expellentẽ venialia peccata. Ita ferè Duran. Bonau. & insinuat Viguer. in Summ. cap.16.§.5.vers.4. Alij simpliciter asserunt sacramentum hoc remittere hæc peccata per se & immediatè, dummodò homo non habeat obicem, id est, complacentiam actualem, vel virtualem in tali peccato, etiamsi non habeat dispositionem per se sufficientem ad expellendum tale peccatum, nec sacramentum illam excitet: quia satis est, quòd gratiam conferat, ex diuina institutione ordinatam ad hunc effectum remittendi tale peccatum. Et qui ita sentiunt, magis consequenter loquuntur, vt rectè significauit Palud. d.23.quæst.4. numero 7. & ibi Capr. q.1.art.3.ad 2.4. & 5. contra 2. conclusionem. Et facilè intelligi potest ex his, quæ suprà diximus de remissione venialium peccatorum, & in sequentibus etiam exponemus.

Durand. Bonau. Viguer.

Palud. Capreol.

Circa hanc ergo opinionem totam aduertendum est, aliud esse inquirere, an hoc sacramentum deleat venialia peccata, & quando: aliud verò, an sit primariò ad hunc finem institutum. Illud ergo prius à nemine negari potest, probaturque optimè argumentis recitatæ sententiæ, & in sequentibus cõfirmabitur. Posterius verò est de quo nunc agimus. Et quoad hoc meritò reprehendit hanc sententiam D. Thom. 4.d. quæst.1.art.2. quæst.2. quem sequitur ibidem Palud. quæst.4. Capr. quæst.23.art.1. Soto q.1.art.2. Ledes. 2.p.4. quæst.32.art.1. Viguer. suprà, Ferrar. 4. contra gent. capit. 73. Victoria in Summ. numero 197. Rationes sunt. Prima, quia sacramentum pœnitentiæ est per se institutũ ad remissionem venialium peccatorum: quanquàm enim non sit ita necessarium mediũ ad tollẽda venialia, sicut mortalia, tamen ita delet illa per se & ex vi suæ institutionis, sicut mortalia. Sũt enim hæc duo valdè distincta, vt per se patet, & Auctores dictæ sententiæ fateri tenentur: nam licèt dicant, Extremam vnctionem esse per se primò institutam ad remissionem venialium peccatorum, non tamen dicunt, nec dicere possunt esse medium necessarium ad illa tollenda. Nam, vt sit medium necessarium, oportet vt sit causa vnica talis effectus, vt verò sit per se institutũ, satis est quòd sit causa per se, & ex propria institutione habẽs virtutem ad hunc effectum: potest autem esse causa per se, licèt non sit vnica, nec necessaria, vt per se notum est. Sacramentum ergo pœnitentiæ per se institutum est ad remissionem venialium: quia illa sunt sufficiens materia confessionis, & per se ac directè tolluntur per sacramentalem absolutionem: ergo non oportuit aliud sacramentum per se primò institui propter hunc effectum: maximè cùm non esset futurum medium necessariũ ad illum, & essent multa alia remedia: quibus tolli possunt peccata venialia, vel ex dispositione operantis, vel ex opere operato secundariò, & quasi per accidens, vt infrà explicabimus. Quin potiùs addit D. Thom. 3.p.q.65.art.1. non oportuisse institui sacramentum aliquod propter venialia peccata tollenda: quia sacramentum nouæ legis non instituitur nisi propter effectum, qui requirat gratiæ infusionem: hæc autem necessaria non est ad tollenda venialia peccata. Hoc autem intelligendum puto de adæquato seu omninò primario effectu, non tamen repugnat quia hic sit effectus sacramenti alicuius per se intentus in illius institutione, licèt non sit adæquatus, vel omninò primarius: satisque est quòd per gratiæ infusionem, specialiori, & faciliori modo venialia tolli

3 Hoc sacramẽtũ nõ esse primariò ad venialia delenda institutum.

D.Tho. Palud. Capreol. Sotus. Ledesm. Viguer. Ferrar. Victoia.

D.Thom.

possint: & hoc modo est effectus per se pœnitentiæ, neque oportuit ea de causa aliud sacramentũ institui.

4 Probatur secundò. Secunda ratio est, quia si hoc sacramentum per se primò esset institutum ad hunc finem, non oporteret expectare tempus infirmitatis ad illud recipiendum, sed quoties esset multitudo peccatorum venialium suscipi deberet: sicut absolutio procuranda est statim ac mortale peccatum commissum est, & non

Respõsio. est periculum mortis expectandum. Respondent, hoc sacramentum institutum esse ad perfectam curationẽ venialium peccatorum, quandiu autem vita durat, non potest fieri hæc perfecta curatio: quia semper homo patitur in hac vita necessitatem quãdam committendi hæc leuia peccata, in fine autem vitæ possunt omninò auferri, & ideò institutum est hoc sacramentũ, vt remedium applicandum tantùm in fine

Reiicitur. vitæ. At verò si hæc ratio valida esset, non esset sacramentum hoc ministrandum nisi post hanc vitam, vel saltem in extremo vitæ articulo, ita vt simul cum illo vita finiretur: quia si vel solus dies supersit, homo in illo venialiter peccabit: contrarium autem est certum: debet enim hoc sacramentum applicari cùm adhuc vigent sensus, & vita naturaliter sperari potest, & per aliquod notabile tempus durare. Et præterea, quando aliquod remedium instituitur ad remissionem peccatorum, non respicit per se tempus futurum, sed præteritum, ideóque ad illud applicandum non oportet vt talia peccata iterum cõmitti non possint: sed satis est quòd sint commissa, & possint deleri.

5 Alia respõsio. Alij ergo his rationibus conuicti fatentur non esse absolutè institutum propter remissionem venialium peccatorũ secundùm se, sed solùm quatenus impedimẽto esse possunt, ne statim homo euolet in cœlum, sub qua ratione solùm considerantur proximè, quãdo iam homo est in periculo mortis constitutus, & ideò

Refutatur. pro illo, & propter hunc finem est principaliter institutum hoc sacramentum. Sed contra hoc est: tum quòd non solùm veniales culpæ, sed etiam reatus pœnæ temporalis impedimentum est, ne homo statim euolet: ergo eadem ratione dicendum erit fuisse hoc sacramentum per se primò institutum ad remittendas temporales pœnas. Tum etiam, quòd inde fieret in omni mortis periculo sumendum esse hoc sacramentum, etiam si non ex ægritudine, sed aliunde ex violẽta, vel naturali causa extrinseca proueniat, quod tamen falsum est, vt infrà videbimus. Et sequela patet: quia tunc est eadem occasio, in qua finis & ratio sacramenti huius æquè intercedit. Tum maximè, quia etiã in articulo mortis sacramentum pœnitentiæ applicari potest, & per se tollere illud impedimentum euolandi in cœlum: ergo etiam propter hoc non oportebat aliud sacramentum per se primò institui.

6 Probatur tertiò. Tertiò principaliter contra dictam opinionem obiici solet, quòd iuxta illam nullus esset capax huius sacramenti, nisi qui venialiter peccasset: cõsequẽs est falsum: ergo. Sequela patet à simili: quia enim sacramentum pœnitentiæ per se primò institutum est propter actualia peccata tollenda, ideò nullus est capax illius sacramenti, qui nunquàm peccauit. Patet enim ratione: quia ille, qui est incapax primarij effectus sacramenti, & propter quem est primò institutum, est etiam incapax sacramenti, vt fœmina est incapax sacramenti Ordinis: quia est incapax

Respõsio. characteris, & proprij effectus talis sacramenti. Responderi potest negando sequelam: quia licèt demus primarium effectum huius sacramenti esse remittere peccata venialia, tamen ipsa peccata non sunt materia talis sacramẽti, sicut sunt materia sacramenti pœnitentiæ, satisque erit ad effectum eius, quòd conferat gratiam de se remissiuam talium peccatorũ si adsint, vt Iacobus insinuauit, dicens, *Et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Sic enim beata Virgo fuit capax Baptismi, licèt non habuerit originale peccatum, cùm tamen originalis peccati remissio sit proprius effectus Baptismi, ad quem per se primò & maximè directè ordinatur Baptismus: quia est regeneratio, & confert gratiam baptismalem, quæ de se apta est ad tollendum peccatum originale si adsit, non tamen ex necessitate illud præsupponit, licèt requirat personam ex sua origine obnoxiam tali peccato: sic ergo dici poterit de hoc sacramento.

7 Nihilominùs tamen ratio facta non caret probabilitate, est enim magna differentia inter peccatum originale, & actuale, quòd originale quasi per se & per modum naturæ inest, ideóque sacramentum, quod ad illud tollendum institutum est, pro omnibus hominibus simpliciter institutum est: nam quòd aliquis illo careat, vel ex speciali priuilegio, vt Beata Virgo, vel quia per priora remedia sublatum est, vt in his, qui ante institutionem Baptismi iustificati fuerunt: hoc (inquam) est per accidens, & non impedit generalem institutionem. At verò peccatum actuale tam veniale, quàm mortale propria vniuscuiusque voluntate committitur, & ita nec per se inest omnibus, nec per modum naturæ consequitur: ideóque remedium per se primò institutum ad illud tollẽdum non debuit pro omnibus generatim institui, sed pro his tantùm, qui actualiter peccauerunt, & consequenter qui nunquàm peccauit, non esset capax huius sacramenti. Hoc autem falsum esse infrà latiùs dicetur: nũc satis probatur ex illis verbis Iacobi, *Si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ex quibus etiam Palud. non malè colligit, non esse hunc primarium effectum huius sacramenti, quia primarius effectus non tribuitur sacramento sub conditione huiusmodi, sed simpliciter & absolutè: illa ergo conditio indicat effectum hunc consequenter, & quasi secundariò fieri si necesse sit, non tamen esse primarium finem sacramenti. Et confirmatur: nam sacramentum per se primò institutum ad remissionem actualis peccati, per se etiam requirit motum aliquem contra peccatum ad dignam receptionem talis sacramenti: quia peccatum actuale per se postulat hunc motum, vt remittatur: sed hoc sacramentum per se nõ requirit motum aliquem pœnitentiæ, vt dignè & conuenienter suscipiatur: ergo non ordinatur per se primò ad remissionem alicuius peccati actualis. Dicetur fortasse, ipsum sacramentũ per se & ex opere operato conferre talem motum, vt per illum expellat veniale peccatum. Sed hoc & voluntariè est dictum, & ex illo sequitur, eum, qui dormit, vel priuatus est sensu, & actuali vsu rationis, non esse capacem proprij effectus huius sacramenti: quod esse falsum infrà ostendemus.

---

### *Secunda sententia, hunc effectum esse tollere reliquias peccatorum.*

SECVNDA ergo sententia est, primarium finem & effectum huius sacramenti esse tollere reliquias præcedentium, tam originalis, quàm actualium, mortalium, & venialium. Hæc est sententia D. Thomæ 4. dist. 24. quæst. 2. artic. 2. quæst. 1. Albert. artic. 1. & 2. Capreol. quæst. 1. articul. 1. Antonin. 3. p. tit. 14. capit. 8. Soto, Ledesma, Viguer. & Victor. locis suprà citatis, Sylvest. Armil. & communiter Summistarum. Carthus. in Summa fidei, c. 246. Fundamentum esse potest, quia hoc sacramentum institutum est ad tollenda peccata, vt verba formæ declarant, & non ordinatur per se primò ad tollenda ipsa peccata secundùm se: nam ad hoc alia sunt remedia, vt ostensum

8 D. Thomas. Albert. Capr. Anton. Soto. Ledes. Viguer. Victor. Sylvest. Carthus.

est:

est: ergo est ad tollendas peccatorum reliquias. Quid autem nomine reliquiarum intelligatur, variè exponitur. Quidam intelligunt peccata aliqua, quæ interdum accidit relinqui in anima, etiam quoad culpam, post alia sacramenta susceptа, siue quia per inadvertentiam omissa sunt, siue quia posteà sunt commissa, quod frequentiùs accidit in venialibus peccatis, quàm in mortalibus, & ideò magis solent venialia comprehendi sub his reliquiis, quàm mortalia peccata. Hic tamen dicendi modus esset quidem verus, si sermo esset de secundario effectu & concomitante, vt infrà dicam, nunc autem agimus de primario effectu, & ideò non rectè accommodatur illa expositio, neque est iuxta mentem D. Thomæ, & aliorum, qui de his reliquiis peccatorum loquuntur: nam reuerà illa distinguunt ab omnibus peccatis commissis. Peccata ergo, vel per præcedentem absolutionem non dimissa, vel post illam commissa, licèt dici possint, relicta, seu durantia post præcedentem remissionem, vel susceptionem sacramenti, non tamen propriè dici possunt peccatorum reliquiæ. Adde, remedium per se institutum ad tollenda hæc residua peccata si mortalia sint, esse ipsummet sacramentum pœnitentiæ, si verò sint venialia, vel nullum sacramentum specialiter ac per se primò, vel non aliud quàm ipsum sacramentum pœnitentiæ institutum esse propter illa, vt suprà vidimus. Quòd autem ex inconsideratione, vel obliuione tale sacramentum non applicetur, est per accidens. Neque ob eam solam rem est primariò institutum sacramentum Vnctionis: alioqui applicandum non esset, quoties applicari posset pœnitentia.

Quid nomine reliquiarum intelligatur, opinio.

9 De reliquiis peccatorum alia opinio.

Alij ergo per reliquias peccatorum reatum pœnæ tẽporalis intelligunt. Sed hoc minorẽ habet probabilitatẽ: quia ad pœnam temporalem tollẽdam nullum est sacramentum per se institutum: nec fuit necessarium: tum quia talis effectus per se non requirit infusionem gratiæ: tum etiam quia ille est proprius effectus sacrificij ex opere operato, suntque alia sufficientia media quibus hæc pœna tolli potest. Denique, cætera quæ de peccatis venialibus diximus, hic à fortiori locum habent. Alij per reliquias intelligunt prauos habitus ex peccatis relictos, sed improbabilius: quia illi non tolluntur per gratiæ infusionem, quantumuis perfectam, & ideò nec tolluntur per hoc sacramentum, magis quàm per alia. Vnde experientia constat, eum, qui in ægritudine hoc susceptit sacramentum, si posteà conualescat, eosdem habitus sentire. Item verba Iacobi, *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, & verba etiam formæ, non rectè de his habitibus intelliguntur. Denique propter hunc effectum esset sumendum hoc sacramentum, etiam in quolibet tempore vitæ.

10 Alia de eisdẽ reliquiis opinio.

Alij ergo cum Diuo Thoma, & Alberto dicunt reliquias peccatorum esse pronitatem ad malum, & torporem ac difficultatem operandi bonum, quæ ex peccato originali & actuali relinquitur. Hæc sententia videtur pati easdem difficultates, quas præcedentes. Nam in primis non apparent quæ sint hæ reliquiæ sic explicatæ præter fomitem, & phãtasmata, vel habitus prauos. Ex peccato enim originali secluſa pœna, & culpa, nihil aliud relinquitur nisi fomes, ex actualibus verò nihil nisi phantasmata, vel habitus, & ab his prouenit, vel pronitas ad malum, vel torpor ad bonum, & si quid aliud fingitur, voluntarium est, nec facilè explicari poterit quid illud sit. At fomes non tollitur per sacramentum, vt per se notum est, nec etiam habitus, vt est declaratum: ergo. Quod si dicatur, vt verè dicendum est, sacramentum hoc non tollere hæc radicitùs, sed iuuare, & confortare animum ad hæc vincenda, &c. Contra hoc est: tum quòd hic non videtur particularis effectus alicuius sacramenti: omnia enim dando gratiam, eiusque specialia auxilia iuuant ad vincendas, & superandas has reliquias peccatorum: tum etiam quia si hic esset præcipuus finis huius sacramenti, etiam tempore sanitatis esset suscipiendus, quia ille finis semper est necessarius. Nec refert, quòd in articulo mortis sit specialis necessitas, inde enim solùm sequitur potissimè esse suscipiendum in illo articulo, non verò in illo solo. Sicut Eucharistia etiam est magis necessaria vt viaticum in articulo mortis, & nihilominùs semper sumenda est vt spiritualis cibus: ita ergo erit hoc sacramentum semper suscipiendum, vt speciale adiutorium contra fomitem, licèt in articulo mortis vt medicina maximè necessaria sumendum sit.

---

## *Hoc sacramentum esse institutum primùm ad iuuandum & confortandum animum ægroti. Assertio prima.*

11

NIHILOMINVS hæc sententia rectè explicata vera est, imò & ferè omnes aliæ aliquid verum habent, & ex omnibus potest vna vera sententia & explicatio huius effectus confici. Dico ergo primò, sacramentum hoc est per se primò institutum propter iuuandum & confortandum animum ægrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis. Hæc assertio fundatur primò in verbo illo Iacobi, *Et alleuiabit eum Dominus*: Græcè, *excitabit*, seu *confortabit eum Dominus*. Deinde sumpta est ex Concilij Tridentini doctrina sess. 14. vbi in Proœmio de hoc sacramento sic inquit, *Clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remedijs aduersùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quẽadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore spiritus incommodo possint: ita Extremæ vnctionis sacramento finem vitæ, tanquàm firmissimo quodam præsidio, muniuit: nam, etsi aduersarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, vt deuorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiã, si possit, diuinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Idem significauit Concilium Colonienſe part. 4. cap. 40. dicens, *Restat Extrema vnctio, quæ, quoniam in morte extrema lucta est, adhibetur, vt vel conualescat ægrotus, si Deo ita visum, fide, bonaque spe obdormiat in Domino.* Ratio verò à posteriori optimè sumitur ex argumentis factis: non enim sine causa institutum est hoc sacramentum pro solis ægrotis vsque ad mortis periculum: hoc est enim manifestũ indicium, finem institutionis eius sumptum esse ex speciali necessitate illius articuli, quæ non potest esse alia, nisi quæ in cõclusione significatur, & à Concilio tradita est. A priori verò est ratio, quia per reliqua sacramenta sufficienter subuentum est hominibus integras habentibus vires corporis pro necessitatibus omnibus in discursu huius vitæ occurrentibus, vt suprà in suis locis, & præsertim de sacramentis in genere ostensum est: solùm supererat necessitas articuli mortis, quæ maxima est, præsertim vbi vires corporis deficiunt: optimè ergo intelligitur sacramentum hoc ad prædictum finem institutum confortandi hominem, & iuuandi illum in mortis articulo. Tandem hoc etiam indicat ipsa exterior vnctio, in qua hoc sacramentum confertur: tum quia vnctio sanat & corroborat: tum etiam quia per eam disponi solent luctatores & pugiles ad pugnam.

Conc. Col.

Ratio à posteriori.

Ratio à priori.

12 Corollariũ primum.

Atque hinc sequitur primò, specialem gratiam sacramentalem

cramentalem huius sacramenti non consistere in sola remissione, seu expulsione alicuius mali, sed præcipuè in collatione aliquorum auxiliorum gratiæ, quæ fini huius sacramenti accommodata sunt. Hoc constat supposita doctrina de sacramentis in genere, qua diximus, gratiã quidẽ communem omnibus sacramentis esse gratiam habitualem cum virtutibus & donis, seu eius augmentum, vnde hæc etiam est quæ primò infunditur per hoc sacramentum, quia est fundamentum, & principium totius roboris & fortitudinis spiritualis, gratia autem sacramentalis non consistit in speciali habitu, sed in speciali auxilio proportionato effectui sacramenti, hoc autem auxilium maximè necessarium est eo tempore, in quo homo graui ægritudine laborat, & vix potest seipsum mouere, & excitare: ergo sacramentalis gratia huius sacramẽti includit huiusmodi auxilia.

13 Trident.

Quæ ad tres præcipuos effectus dari videntur, primò ad roborandã spem, quæ maximè in articulo mortis necessaria est: nam vt Concil. Trid. dixit, *tunc dæmon omnes suæ versutiæ neruos intendit ad hominem à fiducia diuinæ misericordiæ deturbandum.* Et ideò capit. 2. addit de hoc sacramento, *Ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo misericordiæ fiduciam excitando.* Et ideò alibi dixi sicut Baptismus dicitur sacramentum fidei, Eucharistia amoris, confessio pœnitentiæ: ita hoc posse dici sacramentum spei: quia tempore opportunissimo illam maximè corroborat. Secundò, præbet hoc sacramentum auxilium ad hilaritatem animi concipiendam, qua infirmus morbi incommoda, & labores leuius fert, vt idem Concilium dixit. Tertiò hinc etiam promptior & fortior redditur ad tentationes dæmonis, quæ tunc grauiores sunt, superandas. Atque ad hunc modum explicandum est quod Concilium Florentinum dixit, effectum huius sacramenti esse *mentis sanitatem, seu sanationem*, alludens ad verbum Iacobi, *Et ratio fidei sanabit infirmum*: non solùm corpore, vt quidam exponunt, sed etiam animo: hæc autem animi sanitas, quatenus per hoc sacramentum per se primò datur, non est primæ gratiæ infusio, seu restitutio, quæ interdum etiam sanitas animæ dici solet, iuxta illud, *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, Psalm. 118. illa enim posteriùs est excitatio animæ ab spirituali morte, quæ per se est effectum pœnitentiæ: sed sanitas appellatur robur illud, quod homini ægrotanti tribuitur, vt vigor mentis ad mortem transigendam, vt magis in sequentibus constabit.

Vide Prosper. lib. 2. de Præd. Dei. ca. 29. Dion. c. 2. & 7. de Eccles. Hierar. in 3. p. vtriusque. Psal. 118.

## *Esse institutum secundariò ad disponendam animam ad introitum gloriæ. Assertio 2.*

14

DIco secundò, Ad finem seu effectum per se institutum per hoc sacramẽtum pertinere vltimo præparare animam, & quantùm in ipso est, eam proximè disponere ad introitum gloriæ. Hoc colligitur ex Auctoribus statim citandis, & ex Concil. Trident. suprà, & quatenus ait, sacramentum hoc esse totius humanæ vitæ consummatiuum, & vt ait, ad sacramentum hoc spectare debere peccata si sint, & peccatorum reliquias. Duo etenim sunt, quibus homo potest proximè ad gloriæ introitum præparari: vnum est, perfectæ animæ sanctificatio, quæ, præter gratiam sanctificantem, consistit in ablatione omnis mali ex peccato prouenientis: aliud est, perseuerantia in illo bono vsque ad mortem. Ad hoc posterius iuuat hoc sacramentum auxiliis explicatis in priori assertione: illud verò prius confert quantùm est in se, quia si non inueniat obicem, tollit omne malum, quod posset introitum gloriæ impedire, aut retardare, ergo rectè dicitur præparare hominem ad gloriam. Et sane, cùm homo in eo articulo maximè indigeat hac præparatione, & sacramentum hoc pro illo articulo specialiter institutum sit, per se apparet verum, hunc ob finem esse institutum. Maximè cùm in hoc fine omnes effectus huius sacramenti comprehendantur, sitque dignissimus, vt propter illum sacramentum aliquod institueretur, nullúmque sit aliud, quod propter illum institutum sit.

Hoc sacramentum iuuare ad perseuerantiam in bono vsque ad mortem.

15 Quomodo sit ordinatũ ad tollenda peccata. Corollariũ 1.

Atque hinc optimè intelligitur quomodo sacramentum hoc sit ordinatum ad tollẽda peccata etiam quoad culpam, non enim possumus negare quin aliquo modo ad hunc etiam finem ordinatum sit: tum propter verba formæ, *quidquid peccasti*, tum propter verba Iacobi, *Si in peccatis sit, &c.* tum propter verba Concilij, *Delicta, si quæ sunt adhuc expianda*: quæ omnia non satis intelligerentur de solis pœnis peccatorum, vt ex proprietate, & modo locutionis constat. Neque etiam possunt coarctari ad sola venialia peccata: tum quia verba generalia sunt, & cum distributione, *Quidquid peccasti*: tum etiam quia propter sola venialia non oportuisset ponere conditionem: quia vix reperitur homo aliquando sine culpa veniali. Quæ ratio à fortiori probat de reatu pœnæ. Tum denique quia delicta in rigore magis significãt mortalia, quàm venialia, magisque necessaria est in illo articulo eorum remissio, quàm istorum.

16 Esse ordinatum ad omnia peccata delenda.

Itaque ad omnia peccata delenda est aliquo modo ordinatum hoc sacramentum, non tamen per se primò, vt probant omnia superiùs adducta contra primã sententiã: nec etiã omninò per accidẽs, quomodo probabile est omnia sacramenta habere hunc effectum remittendi peccata non ponenti obicem, quatenus ex se habent conferre gratiam: sed medio quodam modo, scilicet ex secũdaria intẽtione propriæ institutionis. Cùm enim hoc sacramentum per se primò ordinetur ad præparandum proximè hominem ad introitum gloriæ, & ad hanc præparationem maximè necessaria sit peccatorum remissio, quanuis hoc sacramentum per se primò non sit propter illam, illa tamẽ non est omninò excluſa ab intentione instituentis, sed speciali etiam intentione hoc remedium procurauit, vt si fortasse casu aliquo accideret, peccatum aliquod non esse dimissum, per hoc sacramentum deleretur. Et hoc significatur in illis conditionalibus Iacobi, *Si in peccatis sit, dimittentur ei:* & Concilij, *Delicta, si quæ sunt adhuc expianda, abstergit.* Apponendo enim conditionalem, indicant hunc non esse effectũ per se primò intentum, talis enim effectus non requirit aliam conditionem præter ablationem obicis: exprimendo autem talem effectum sub conditione, planè significant esse aliquo modo peculiarem huius sacramenti, & in eius institutione aliquo modo intentum. Commendátque hoc maximè Christi Domini prouidẽtiam circa salutem æternã hominum, illiusq; desiderium: nam quia ab illo momento æternitas pendet, & damnum, quod tunc incurritur circa æternam salutem, irreparabile est: potéstque multis de causis contingere, vt vel alia remedia applicari non possint, vel certè vt sine effectu applicata sint, ideò huic extremo remedio propriam virtutem tribuit ad supplẽdum hunc defectum, subueniendumque homini in tãto periculo constituto. Quo fit, vt hæc virtus maximè necessaria fuerit propter periculum mortalium peccatorum: hinc verò consequenter, & quasi à fortiori data est ad tollenda etiam venialia, & frequentiùs circa hæc exercetur: quia faciliùs contingit superesse venialia peccata nondum remissa, quàm mortalia.

17 Per hoc sacramentum remitti etiã reatũ pœnæ temporalis. Corol. 2.

Sequitur secundò ex dictis, remitti per hoc sacramentum etiam reatum pœnæ temporalis, ex peccatis priùs quoad culpam remissis, relictum. Hoc etiam colligo primò ex fine prædicto, quia nõ solùm culpa, sed

sed etiam reatus pœnæ non remissus impedit introitum gloriæ: sed hoc sacramentum institutum est ad tollenda omnia hæc impedimenta, quantùm in ipso est, & proximè præparandum hominem ad gloriam: ergo. Secundò idem colligo ex verbis formæ, *Quidquid peccasti*, absoluta enim & vniuersalis remissio peccatorum de se etiam pœnas complectitur. Iuuat præterea Conc. Trid. separatim dicens, *Delicta, & peccati reliquias abstergit*: optimè enim inter reliquias peccatorũ numerari potest reatus pœnæ post remissionẽ culpæ relictus, esto aliæ etiã peccatorũ reliquiæ: locutio autẽ Cõcilij, cùm sit indefinita, & doctrinalis, vniuersaliter est intelligẽda. Imò, licèt aliæ sint peccatorũ reliquiæ, in nullas alias tã propriè cadit verbũ, *Abstergit*, sicut in reatum pœnæ, ille enim propriè tollitur, aliæ verò reliquiæ non ita propriè, vt ex dictis constare potest, & ampliùs statim explicabitur. Hic autem effectus ita explicandus est sicut remissio culpæ, non enim est per se primò intentus, sed secundariò, & sub conditione, *si sit*, propter easdem rationes. Quantum verò pœnæ per hoc sacramentum tollatur, Deus nouit. Non existimo tamen asserendum, statim auferri omnem reatum pœnæ, sicut per Baptismum, nullum enim fundamentum habemus ad hoc asserendum, multúmque repugnat veritati, & necessitati Purgatorij, quo etiam fideles post susceptionem huius sacramenti diu purgantur: quod tamen ita non esset, si hoc sacramentum statim omnem reatum pœnæ remitteret, consequenter enim dimittendo culpam, semper dimitteretur tota pœna, nihil ergo purgandum remitteret. Dico igitur, remittere quidem reatum pœnæ ex opere operato iuxta dispositionem, & deuotionem recipientis, ideóque non semper totum auferre.

18 Quomodo institutũ sit contra reliquias peccatorum. Corollarium 3.

Tertiò sequitur ex dictis, quomodo verum sit hoc sacramentum esse institutum contra alias reliquias peccatorum: ita enim D. Tho. loquitur, & non dicit hoc sacramentũ tollere has reliquias peccatorũ, quia vt suprà argumẽtabamur, nec tollit fomitẽ, nec prauos habitus, nec phãtasmata, nec corporis habitudinẽ, aut dispositionem immutat: sed dat robur & vigorem contra hæc omnia per auxilia suprà explicata, & hoc modo est institutum contra debilitatem ex peccato relictam: non quidem illam in se tollendo, sicut tollit culpam, vel reatum pœnæ, sed vires contra illam superaddendo. Dici etiam potest remittere has reliquias, quatenus ex vi peccati debitum erat homini, vt suæ fragilitati & debilitati relictus, auxiliis gratiæ, præsertim extraordinariis, & superabundantibus priuaretur: per hoc autem sacramentum ita dimittitur hoc peccati debitum, vt potiùs ratione illius debita iam sint talia auxilia, quibus homo in tali statu ægritudinis constitutus contra huiusmodi reliquias confortatur. Vnde etiam intelligitur, hunc effectum non esse secundarium, sed sub primario comprehendi: nam hæc cõfortatio per se necessaria est ad primarium finem huius sacramenti, vt ex assertionibus constat, sed hæ reliquiæ non aliter auferuntur, nisi accipiendo robur contra illas: ergo ablatio earum, eo modo, quo datur, ex vi primarij finis & effectus confertur. Et ob eandem causam licèt hæc confortatio esset homini valdè vtilis tempore sanitatis, non tamen datur, nec sacramentum aliquod est ad hoc ordinatum: quia non est considerata quælibet vtilitas, sed specialis necessitas, & fragilitas ægrotantis hominis. Atque ita explicarunt hunc effectũ Catechismus Pij V. & Anton. 3. p. tit. 14. cap. 15. Sylvest. bene verb. *Vnctio extrema*, nume. 3. vbi ait, principalem effectum huius sacramenti esse sanationem & roborationem spiritus contra debilitatem ex peccato relictã, quam statim dicit esse idẽ cum remissione reliquiarum. Eodem modo loquitur ibi Tabiena numero 5. & ibidem

Catech. D. Ant. Sylvest.

Tabiena.

A Angel. Osius, in Confess. capit. 49. Vict. in Sum. numero 247. significat Vualden. tom. 2. de Sacrament. c. 16. Petrus Soto lect. 1. de hoc sacramento, & alij.

Angel. Osius. Victoria. Vualdens. Petr. Sot.

Quartò sequitur hoc sacramentum posse aliquando facere hominem de attrito contritum, & infundere gratiam primam. Probatur, quia potest aliquando delere peccatum mortale, vt ostensum est. Vnde, licèt hoc sit probabile de omnibus sacramentis, in hoc autem longè certius est quàm in cæteris, excepto baptismate, & pœnitentia: nam in cæteris non est ex speciali institutione, sed tantùm ex generali quadam ratione: in hoc verò est aliquo modo ex propria institutione, vt declaratum. est Præterea in cæteris id solùm habetur ex pia, & probabili coniectura, in hoc B verò ex verbis Iacobi, & Concilij Trident. efficacissimè colligitur, vt satis deductum est. Circa modum quo hoc fiat, cauenda sunt extrema. Primùm enim non opinor facere hoc sacramentum ex attrito contritum eum, qui sciens & videns accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione, & absque sacramento pœnitentiæ: etiamsi per eum non stet confessio, sed confiteri non possit: quia saltem per eum stat quominùs contritus accedat: semper enim conteri potest, & ad hoc tenetur, per se loquendo, nec excusatur ratione ignorantiæ, vt supponimus, nec ratione huius sacramenti: quia ipsum, per se loquendo, est sacramentum viuorum, licèt debilium, & ideò C per se supponit gratiã, nec ex directa intentione institutum est ad illã primò conferendam: est ergo contra institutionem huius sacramenti, quòd quis sciens & videns se esse mortuum, id est, in statu peccati mortalis, ad illud accedat, quantumuis sit attritus. Item secluso sacramento pœnitentiæ, aut Baptismi, obligat naturale præceptum contritionis: quia illud erat per se medium necessariũ ad remissionem peccati, cuius necessitas non cessat, nisi interueniente alio medio ad eundem finem per se primò institutum, quod de hoc sacramento, sicut de illis dici non potest, aliàs tam esse per se institutum sacramentum in remedium peccati, sicut pœnitentia, quod planè falsum est. Tandem hoc significatum est in illa conditionali locutione Iacobi, & Trid. *Si in peccatis sit, &c.* quæ maximè D propter mortalia posita est, vt declarauimus: indicatur ergo solùm propter occulta peccata & pericula hoc sacramentum ita esse institutum, non quia per se liceat in statu peccati ad illud accedere. Atque hinc fit, vt per se loquendo, necessaria dispositio sit status gratiæ, & consequenter vt is, qui conscientiam habuit peccati mortalis, priùs vel dignè confiteatur, vel si non datur copia confessoris, saltem conteratur: per accidens autem poterit sufficere sola attritio, dummodò intercedat excusatio noui peccati commissi propter omissam contritionem. Erit autem illa excusatio, si vel inuincibiliter putetur contritio, quæ tantùm gradum attritionis attigit, vel inuincibi- E liter quis putet illam esse sufficientem dispositionem vel certè si absque actuali vsu rationis sacramentum ei detur: nam tunc non potest in ipsa susceptione actualiter peccare: vnde, si erat attritus, quando vsum rationis perdidit, sine dubio iustificatur. De illo enim statu, iuxta proximè præcedentem dispositionem iudicandum est: quia in illa censetur moraliter permanere. Vnde, si nullus omninò dolor præcessisset, non esset ille dispositus ad effectum sacramenti; quia voluntas censetur adhuc manere moraliter affecta peccato: secus verò est si præcessit attritio, vt dictum est.

Refutatur quædam sententia.

Addendum verò deinde est, non fieri hominem ex attrito contritum per hoc sacramentum per mutationem ipsius actus attritionis in contritionem, sed per solam gratiæ infusionem, sicut de Baptismo, & pœnitẽtia diximus: est enim eadẽ ratio in hoc, imò

20 Hominem fieri ex attrito contritum per solã gratiæ infusionem.

& in

& in cæteris ſacramentis, vt probat exemplum de illo qui ſine actuali vſu rationis inungitur, vel qui tunc diſtrahitur in actuali ſuſceptione ſacramenti, neque eſt vllum fundamentũ ad fingendam illam mutationem actus, contra experientiam, imò & præter efficaciam ſacraméti, vt in dictis locis latiùs dictum eſt.

21 Peccata venialia quomodo remittãtur per hoc ſacramentum. Corollar. 5.

Vnde obiter colligo quintò, quando per hoc ſacramentum peccata venialia remittuntur, id non fieri per ſolam excitationẽ deuotionis, ſed immediatè per efficaciam ipſius ſacraméti. Alioqui oporteret ibi interuenire aliquam mutationem interioris actus imperfecti, & per ſe inſufficientis ad remiſſionem peccati venialis, in alium perfectiorem, qui per ſe ſufficiat: hæc autem mutatio eſt æquè conficta, & eaſdem difficultates habet, de quibus ſufficienter dictum eſt ſuprà in generali diſputatione de remiſſione venialiũ peccatorum ex opere operato: vbi etiam expoſuimus quæ diſpoſitio neceſſaria ſit ad hanc remiſſionem, & an omnia, vel aliqua tantùm venialia peccata per ſacramenta tollantur: quæ omnia ad hoc ſacramentum applicari poſſunt.

22 Quæ diſpoſitio requiratur ad effectum ſpiritualẽ huius ſacramenti. Palud.

Tandem conſtat ex dictis, quæ diſpoſitio neceſſaria ſit ad effectum ſpiritualem huius ſacraméti conſequendum. Per ſe enim neceſſarius eſt ſtatus gratiæ, vel contritio: ex accidenti verò ſufficere poteſt attritio, vt declaratum eſt. Addit verò Palud. d. 23. q. 1. art. 13. licèt ad effectum gratiæ in hoc ſacramento ſit neceſſaria contritio, vel attritio, ad effectũ autẽ ornatus neutrã neceſſariã eſſe, in quo conſtituit differẽtiã inter hoc ſacramentũ, & pœnitẽtię, quod ad aliquem effectum, ſcilicet ornatum, minor diſpoſitio neceſſaria eſt in hoc ſacramento, quàm in illo: nã in hoc ſine vlla attritione imprimitur, in illo verò minimè. Et ratio differentiæ eſt, quia in illo attritio eſt de eſſentia ſacramenti, non verò in hoc. Hæc verò doctrina ſupponit aliam improbabilem de ornatu, qui nihil eſt, neque in hoc ſacramento, nec in pœnitentia, neque in quolibet alio, vt in materia de ſacramentis in genere dixi. Vnde vera differentia inter hoc ſacramentum & pœnitentiam, ſolùm eſt, quòd aliquis attritionis actus eſt de eſſentia ſacraméti cõfeſſionis, in hoc verò non eſt de eſſentia, ſed ſolùm neceſſaria diſpoſitio ad effectum in eo, qui habet conſcientiam peccati mortalis. Ex qua differentia ſequitur alia, videlicet, vt confeſſio ſine vera attritione facta non ſolùm non habeat effectum, verùm neque ſacramentum ſit: Vnctio verò extrema cum debita forma, & intentione facta, verum ſit ſacramentum, etiamſi ob defectum attritionis nullum omninò habeat effectum. Ex qua multi inferunt

D. Thom.

aliam differentiam, quam etiam D. Thom. d. 23. inſinuat, ſcilicet, ſacramentum hoc poſſe validum, & informe, non verò ſacramentum pœnitentiæ. Sed quid de hac poſteriori parte ſentiendum ſit, ſuprà in proprio loco dixi.

23 Diſcrimẽ inter cõfeſſionem, & extremam Vnctionem.

Probabilius eſt aliud diſcrimen, quod inde naſcitur, nimirum, confeſſionem factam ſine attritione, non modò tunc non habere effectum, verùm etiam nec poſteà, quantumuis homo conteratur: quia ſacramentum ſemel nullum, ſemper eſt nullum, & ideò ſemper caret effectu. De Vnctione autem extrema informi veriſimile ſatis eſt habere ſuum effectum, recedente fictione per contritionem, vel attritionem, iuxta dicta in ſimili, ſuprà de Baptiſmo. Quanuis enim hoc ſacramentum non imprimat characterem, nec ſit omninò initerabile, hæc tamen neceſſaria non ſunt ad habendum effectum recedente fictione, vt de pœnitentia diximus, & eſt probabile de matrimonio: ſufficit enim vt ſacramentum hoc in eodem morbo, & in eodem ſtatu eius iterari non poſſit, vt expediat habere ſuum effectum recedente fictione. Maximè ſi contingat ſacramentum hoc ſine attritione recipi, & poſteà durante eadem morbi vi contritionẽ haberi, non enim debet tunc homo priuari ope huius ſacramenti, alioqui deberet iterum illud recipere, cur enim priuaretur & ſacramento, & fructu ſacramenti, cùm alioqui nullum videatur eſſe eſſentiale impedimentum ad tale ſacramentum iterandum?

24 Corollariũ.

Atque hinc probabiliter colligo, etiamſi quis à fictione non recedat vſque ad ſanitatem recuperandam, nihilominus tunc etiam recipere effectum, ſaltem quoad gratiam habitualem: quia hic effectus de ſe perpetuus eſt, & ſicut ſemper reſtituitur per pœnitentiam, etiamſi per peccatum ſæpiùs amittatur, ita ſemper datur ratione ſacramenti ſuſcepti, & propter merita Chriſti iam ſemel applicata, quoties recedit fictio, quæ initio interceſſit. Secus verò eſt de illo ſpeciali effectu ſacramentali, qui conſiſtit in auxiliis ſuprà explicatis, hic enim dabitur quidem in eodem morbo, ſi illo durante recedat fictio: quia totum tempus eſt ad talem effectum conferendum præſtitum. Et hoc etiam probat ratio facta de initerabilitate huius ſacramenti in eodem morbo: nam hoc eſt apertum ſignum, ſacramentum hoc ſemel ſuſceptum, eſſe ſufficiens ad iuuandum, & alleuiandum infirmum pro toto illo ſtatu morbi, tẽporibus opportunis: ideoque licèt in principio non fuerit infirmus diſpoſitus ad recipiendum effectum huius ſacramenti, ſi poſteà diſponatur, incipiet illum ſuſcipere, aliàs deberet ſacramentum in illo iterari, ne careret fructu ſacramenti, ſicut in diſtincto morbo iteratur: quia ſacramentum ſuſceptum priùs in alio morbo, non habet effectum extra illud. Qua etiam ratione in omnibus ſacramẽtis nõ iterabilibus reuiuiſcit effectus recedente fictione.

25 Cõfirmatur hæc doctrina ex ſacramento Confirmationis.

Et ſpecialiter hoc confirmatur ex ſacraméto Confirmationis: nam, quia ratione illius datur auxilium ad confitendam fidem pro toto vitæ tempore in quacunque neceſſaria occaſione, ideò licèt in aliquo tempore ſit quis indiſpoſitus ad recipiendum effectum, ſi poſteà tollat obicẽ, dabitur infallibiliter effectus. Ita autẽ ſe habet extrema Vnctio pro illo morbo in quo ſuſcipitur, ſicut Confirmatio pro toto tempore vitæ. Quòd autem Confirmatio imprimat characterẽ, & non Vnctio, eſt impertinens ad præſentem quæſtionem, vt rectè notauit Caiet. tom. 1. Opuſ. tract. 5. q. 5. quia effectus non datur per ſe primò ratione characteris, ſed ratione ſacramenti ſuſcepti, quanuis in vno imprimatur character, & non in alio, propter rationem ſuprà datam. Atque hinc contraria ratione colligitur, ſi quis non tollat fictionem, donec ab eo morbo liberatus eſt, in quo hoc ſacramentum fictè ſuſcepit, iam non redire ſacramentalem gratiam prioris ſacramenti: quia iam finita fuit neceſſitas, vel opportunitas, pro qua ſola habuit ſacramentum ſuam vim, ideoque eſt capax ille homo nouæ Vnctionis, ſi fortaſſe in morbum iterum incidat. Eſt optimũ ſimile in matrimonio, ſi quis enim in peccato mortali matrimonium contrahat, pro tunc non recipiet ſacramẽtalem gratiam, ſi tamen poſteà ſe diſponat, & tollat obicem durante illo matrimonio, reuiuiſcet effectus, qui temporibus opportunis dabitur quoad noua auxilia, & motiones gratię, dũmodò homo non reſiſtat, ſi tamen matrimonium illud finiatur per mortem alterius coniugis, iam ceſſat proprius effectus illius ſacramenti, ita vt, licèt homo poſteà ſe diſponat, vel iterum contrahat matrimonium, non recipiat ſacramentalem gratiam ratione prioris matrimonij, ſed tantùm ratione poſterioris. Sic ergo in præſenti cum proportione ſentiendum eſt.

Obiectioni occurritur. Caiet.

Aliud corollarium.

Simile ex matrimonio.

26 Quanta attritio ſit neceſſaria.

Inquirere verò hîc poteſt aliquis quanta attritio neceſſaria ſit ad effectum huius ſacramenti. Quidam enim putant maiorẽ hîc requiri, quàm in pœnitentia, quia hoc ſacramentum per ſe non eſt ita efficax ad effectum

Palud. fectum hunc, sicut pœnitentia. Ita Palud. in 4. d. 15. q. 1. art. 3. concl. 3. Alij è contrario minorem hîc sufficere putant, quia attritio non est ita intrinseca sacramento huic: sicut pœnitentiæ. Dico tamen eandem omninò requiri, loquendo per se, de collatione talis effectus, sicut suprà dixi in simili comparatione inter Baptismum & confessionem. Quia necessaria est attritio supernaturalis, absoluta, efficax, & vniuersalis de omnibus peccatis mortalibus commissis, & si has conditiones habeat, sufficit, quantumuis remissa sit: ergo in hac dispositione non potest inæqualitas cum ratione aliqua exigi, aut cogitari. At verò quo ad tollendam fictionem eadem distinctione hîc vtendum est, qua in Baptismo: nam, si in ipsa susceptione sacramenti huius absque contritione, peccatum mortale nouum commissum nō est propter ignorantiam, vel inaduertentiam, eadem attritio sufficit ad tollendum obicem, propter eandem rationem: si verò nouum peccatum mortale fuit commissum, necessaria erit contritio, vel confessio, quia iam tale peccatum non potest tolli virtute ipsius Vnctionis, cum reuerà sit illa posterius. Videantur dicta de Baptismo, & Auctores ibi citati.

Soluitur quæstio.

## SECTIO II.

### *Quando sacramentum hoc conferat suum gratiæ effectum.*

1 QVÆSTIO est de effectu gratiæ habitualis, & remissionis peccati, quæ in vno instanti datur, & per se loquendo, dari solet in eo instanti, in quo sumitur sacramentū: nam de proprio effectu sacramentali iam satis dictū est: ille enim effectus non datur semper in vno certo instanti, sed temporibus opportunis durante morbo eodem. Neque etiam hîc agimus de tempore quasi accidentario, quale est, quando in ipsa susceptione interceſſit fictio, de quo etiam dictum iam est. Oritur autem hîc specialis difficultas ex eo, quod sacramentum hoc pluribus vnctionibus & formis perficitur, & in vnaquaque videtur completa gratiæ significatio: & ideò dubium est, an hic effectus detur finita vna vnctione cum vna forma, vel finitis pluribus, aut omnibus. Quatuor enim possunt excogitari opiniones.

An hic effectus detur finita vna vnctione, an finitis omnibus.

2 Prima opinio est, vt per primam vnctionem & formam detur per se totus gratiæ effectus, per subsequentes verò vnctiones compleatur sacramentum, nihil verò gratiæ addatur, nisi veluti ex accidente, propter meliorem susceipientis dispositionem. Huic opinioni videtur fauere D. Thom. qui aliquando comparat hoc sacramentum cum sacramēto Eucharistiæ, in quo singulæ species gratiam conferunt, ita vt prior det totam gratiam, quam dare potest illud sacramentum homini sic dispoſito, quæ augebitur quidem per alteram speciem, aucta dispositione, non verò aliàs: idem ergo dicendum est in hoc sacramento, videtur enim eadem proportionalis ratio: nam sicut in illo sacramento interuenit materia & forma in singulis speciebus, ita hic in singulis vnctionibus: & sicut ibi est sufficiens significatio in susceptione vnius speciei, ita hîc in vna vnctione cū sua forma. Denique Iacobus solùm dixit, *Vngant eum, & orent super eum,* & huic actioni adiungit promissionem *Et oratio fidei alleuiabit infirmum, &c.* sed facta vnctione, & prolata vna forma, completur illud prius: ergo & subsequens promissio compleri debet. Tandem confirmatur, quia hoc modo potuit instituti hoc sacramentum, estque vtilior hic modus, magisque accommodatus humanæ infirmitati, & periculis quæ occurrere solent, contingere enim sæpe potest, vt infirmus facta prima vnctione moriatur: & nulla ratione, vel auctoritate constat hanc institutionem esse alienam à Christi Domini præcepto, vel à promulgatione Iacobi, vel ab vsu Ecclesiæ: neque habet aliquod speciale inconueniens: cur ergo non ita sentiendum est? Vltima pars minoris, reliquæ enim omnes claræ videntur, probatur: nam, si quod esset inconueniens, maximè quòd tota essentia huius sacramenti consisteret in prima vnctione cum sua forma, seu quòd illud esset vnum integrum sacramentum: hoc autem non sequitur, quia non negamus per alias vnctiones & significari, & dari posse gratiam, si subiectum sit dispositum magis quàm erat in prima vnctione, quod satis est ad rationem partialis sacramenti, vt ex dicto exemplo Eucharistiæ constat: & ad summum sequitur posteriores vnctiones non esse partes essentiales huius sacramenti, sed integrales tantùm, quod non videtur esse inconueniens.

Prima opinio, dari per primam vnctionem.

D. Thom.

Hæc verò sententia, licèt apparenter confirmata videatur, imprimis nullum habet auctorem, quem ego sciam, quod satis est, vt in re singulari, graui, & Theologa à nobis doceri non debeat. Deinde non habet solidum fundamētum, si aduertamus differentiam inter hoc sacramentum, & Eucharistiam: primùm enim sacramentum Eucharistiæ consistit in facto esse, seu permanens est, hoc verò consistit in ipso vsu, & fieri: vnde fit, vt in Eucharistia priùs fiat sacramentum, posteà applicetur susciipienti, & tunc conferat effectum, hîc verò ipsa effectio sacramenti, est eius applicatio, & ideò simul fit, & dat effectum cùm primùm perficitur. Rursus in Eucharistia vnaquæque forma partialis est indicatiui modi, & suam propriam requirit veritatem, ideóque statim efficit sacramentum in ea specie materiæ, super quam profertur, & ideò in singulis partibus est essentialiter sacramentum verum, quod licèt non sit integrum quoad species significantes, quoad rem verò sub illis contentam est perfectissimum: hîc verò forma est per modum deprecationis, quæ non erit falsa, etiamsi partialis forma non statim habeat effectum, vnde per se non complet essentialiter sacramētum, sed tantùm inchoat: neque etiam perfectam significationem, quandoquidem per eam non postulatur simpliciter remissio peccatorum, sed eorum tantùm, quæ per vnum, vel alterum sensum commissa sunt. Hinc ergo tandem fit, vt in Eucharistia per sumptionem vnius speciei detur perfectus gratiæ effectus iuxta dispositionem susciipientis: tum quia sumitur verum sacramentum iam essentialiter confectum in esse sacramenti, & perfectum quoad rem sub speciebus contentam, in qua est specialis virtus ad talem effectum gratiæ conferendum: tum etiam quia est verus cibus animæ, cuius sumptio sensibilis sufficienter significat spiritualem animæ refectionem. At verò in hoc sacramento per vnam solam vnctionem, vnámque partialem formam non potest dari integer gratiæ effectus, quia sacramentum nec quoad signum, nec quoad rem aliam sub signo contentam est integrè confectum: imò nec essentialiter perfectum est, vt ex superioribus patet. Significatio etiam eius non est perfecta, vt ex ipsa forma constat, & consequenter ex materia, quia non est absoluta hominis vnctio: sed inchoata. Ac proinde falsum est, ritum essentialem à Iacobo significatum esse perfectum, ac denique cessant cætera omnia, quæ in illius sententiæ confirmationem dicebantur, vt magis ex sequent. patebit.

3 Reprobatur hæc prima opinio.

Differentia inter hoc sacramentum, & Eucharistiam.

Secunda sententia est, Dari quidem aliquem effectum gratiæ sanctificātis in prima, & singulis vnctionibus, non tamen esse totalem, sed partialem gratiam respectu

4 Secunda opinio, dari totalem effectum per omnes vnctiones.

respectu adæquati effectus huius sacramenti. Itaque sicut totum hoc sacramentum quinque vnctionibus, & quinque formulis constat, ita etiam totus effectus gratiæ huius sacramenti constat, v.g. quinque gradibus, vel portionibus, quæ diuisim & sigillatim dantur in singulis vnctionibus, ita vt si homo moriatur susceptа vna vnctione, reportabit vnã partem gratiæ, quæ est quinta pars adæquati effectus, & sic de aliis.

Interrogationi satisfit. Quòd si interroges de effectu priuatiuo remissionis peccatorum, fortasse diceret hæc opinio quoad venialia peccata, vel pœnas peccatorum, per singulas vnctiones remitti illa peccata, quæ per illum sensum commissa sunt seu pœnas debitas pro peccatis etiam mortalibus occasione talis sensus commisis: quia in his potest diuidi effectus, & remitti quædam peccata sine aliis. De mortalibus autem, quia per minimam gratiam omnia tolluntur, necessariò dicendum est, si quæ sunt, omnia tolli per vnam vnctionem. Addi verò potest, quædam tolli quasi per se, & ex vi formæ: illa scilicet, quæ per talem sensũ commissa sunt. alia verò quasi per accidens, & concomitanter ratione gratiæ, sicut remittuntur per omnia sacramenta. Denique de effectu positiuo auxiliorum specialium, quæ dantur contra reliquias peccatorum, vel idem cum proportione dici potest, vel certè dicendum est, vt suprà suppositi in illo non habere locum quæstionem hanc, quia non statim datur, sed posteà tempore opportuno, & quia si contingat hominem mori post solam primam vnctionem finitam, iam non indiget tali auxilio.

5 Fũdatur hæc secunda opinio. Hæc autem opinio sic explicata fundari potest, omnibus congruentiis in superiori insinuatis, quæ hîc magis videntur vrgere, quia partialis gratiæ effectus magis videtur esse accommodatus partiali sacramento, quòd dici potest quoad illam partem esse essentialiter perfectum, cùm suã habeat materiã, formã, & sufficientem significationem, cui respondet proportionatus effectus: quia sacramenta nouæ legis & totalia & partialia efficiunt quæ significant. Et hoc modo meliùs confirmatur hæc sententia exemplo Eucharistiæ, quàm præcedens: magis verò exemplo sacramenti Ordinis: nam quia in singulis ordinibus est partialis forma, & materia, essentialiter perficiuntur, & ita proprios habent effectus, qui sunt partiales respectu totius, sicut ipsi ordines partialia tantùm sacramenta sunt. Hoc etiam satis esse videtur ad subueniendum periculis exurgentibus, quia quilibet gradus gratiæ sufficit ad salutem, licèt non sit cum tanta perfectione: videtur autem conueniens, vt in huius sacramẽti institutione occurrentibus periculis sit ita prouisum, vt saltem ea, quæ necessaria sunt, per vnam vnctionem conferri possint.

6 Auctores huius opinionis. Adrian. Medin. Ledesm. Neque sententia hęc est Auctoribus destituta, sicut prior. Potest enim apparenter attribui Adriano in 4. materia de Sacramento confessionis, q.4.§. *Sed dubiũ*, & Medin. Cod. de Confess. q. de Integritate absolutionis, quatenus asserunt, primam vnctionem sub forma sua esse sacramẽtum: quanquàm idem asserit Ledesm. 2.p.4.q.31.art.2. & tamẽ explicat non dare gratiam, & solùm vsurpat modum loquendi: fortasse ergo dicti Auctores in eodem sensu sunt loquuti. Citatur etiã Palud. d.23.q.3. sed ibi nihil dicit: in q. autem 4. refert, visum esse aliquando, quendam infirmũ successiuè sanari prout successiuè inungebatur, & finaliter completa vnctione omninò fuisse alleuiatum, & sanatum: vnde significat hoc sacramentum statim in prima vnctione incipere operari secundarium effectum: ergo idem videtur sentire de primario: tũ quia vterque effectus supponit aliquo modo susceptum sacramentũ: tum etiam quia effectus secundarius supponit primariũ, & illum comitatur. Sed nihilominùs ille contrarium alibi dicet, vt infrà referam. Eandem opinionẽ indicat ibi Scot. q. vnica. ad 2. dicẽs, hoc sacramentũ esse vnum vnitate integritatis, nõ vnitate indiuisibilitatis, sicut effectus eius (inquit) non est vnus indiuisibiliter: quia nõ est remissio vnius venialis, sed vnitate plenariæ remissionis omnium venialium, vbi significant venialia peccata tolli successiuè, & per partes. Scot.

Hæc sententia probabilis est, contrariam verò tenet D. Thom. in 4.d.23. q.1.art.2.q.1.ad 3. quem sequuntur Soto q.1.art.1. Ledes. q.34.art.2. & expresè Palud. 4.d.17.q.5.art.1.n.11. & alij, & videtur magis probanda. Quia nihil asserendum est in his grauissimis rebus, quæ ex institutione pendent, præter communem legem sacramẽtorum, nisi vbi sufficienti fundamento ex Ecclesiæ traditione, aut principiis ab ea traditis constiterit. Communis autem lex sacramentorum, quæ consistunt in vsu, est, vt vnicam gratiam conferant, in eo puncto & momento, quo sacramentum completur: ergo hoc idem sentiẽdum est de Extrema vnctione, cùm nulla ratio satis aliud persuadeat, nec auctoritate fundari possit. Nam est valdè singulare, & extraordinariũ, quòd Extrema vnctio priusquàm essentialiter consummata sit, gratiam tribuat, & quòd conferat quinquies gratiam sanctificantem, & priùs tollat vnum peccatum, quàm aliud, vel conferat auxilium ad vincendas reliquias peccatorũ quorundam, & non omnium: non sunt ergo hæc tam facilè credenda, & asserenda. Nam de sacramento Eucharistiæ est longè diuersa ratio, vt iam dixi, quia non cõsistit in vsu, & forma eius non facit effectum sacramenti, sed sacramentum: facit autem illud per partes, vt sic dicam, quia vnaquæque partialis forma habet per se perfectam significationẽ, & statim requirit veritatem suam, & inter consecrationes partium nõ est connexio necessaria, quia si consideretur totum id, quod fit virtute verborum, & per concomitantiam, sub vnaquaque specie est totus Christus, & vt existens sub vna, non pendet ex existentia sub alia: si verò solùm consideremus id, quod fit virtute verborum, sic etiam non pendet corpus à sanguine, vel è conuerso: quia quantùm est ex se, possunt esse separata, sicut aliquando fuerunt, & ideò vnaquæq; forma potest statim habere effectum suum: imò ita fuit conuenientissimum ad institutionem illius mysterij, quatenus sacrificium est, vt in confectione illius mysterij, expressiùs Christi mors significaretur. Hæc autem omnia cessant in hoc sacramento, vt per se clarum est, ideoq; per solam partialem vnctionem, & formam propriè non completur essentialiter aliquod sacramentum, etiam partiale, quòd nimirum per se sit sufficiens, & efficax signum alicuius gratiæ, seu supernaturalis effectus, vt magis ex dicendis constabit. Quod verò attinet ad effectum gratiæ, qui per Eucharistiam datur ille per se loquendo vnus est, & semel datur: tamen, quia sacramentum illud habet extensionem, seu multitudinem partium, & virtus eius est tota in toto, & tota in qualibet parte, ideò potest aliquando dari totus effectus vna parte specierum tantùm susceptа: in hoc autem sacramento virtus nulla esse potest, donec sacramentum sit essentialiter perfectum, & ideò nullum gratiæ effectum anteà conferre potest. Palud.

7 Contraria opin. D. Thom. Soto. Ledesm. Sacramenta cõferre vnicam gratiam in puncto, quo cõplentur. Diuersa ratio in hoc sacramento & Eucharistia.

Hoc autem euidentius fiet attingẽdo aliud exemplum de sacramento Ordinis, in quo videtur esse maior similitudo, quia consistit in vsu, sicut Extrema vnctio, & tamen sicut habet septem partiales materias, & formas, ita septies confert gratiæ sanctificantis effectum, & characterem. Est autem in illo longè diuersa ratio. Primò quidem, quia formæ partiales ibi significant modo imperatiuo, *Accipite potestatem, &c.* vel alio simili, quam locutionem oportet esse efficacem,

8 Diuersa ratio in hoc sacramento, & sacramento Ordinis.

cem,vtverè ac nõ inaniter profer tur.Secundò,proximus finis,ad quem ordinãtur ſinguli Ordines,ſeu ſingulę formæ,& materiæ partiales illius ſacramẽti, comparari poteſt per ſe ſolus, & independenter ab aliis:nam eſt quoddã ſpeciale munus,quod ſine aliis exerceri poteſt. Imò conſentaneum inſtitutioni eſt, vt ea munera in aliquibus miniſtris ſeparata ſint, & quòd prius ſinguli habeant & exerceant inferiorem ordinem,quàm ad ſuperiorẽ promoueantur:& ideò neceſſarium fuit,vt ſinguli ordines per modũ vnius ſacramenti conſummarentur,& vnuſquiſque conſtitueret proprium miniſteriũ in tali gradu:vnde, quia hoc non fit niſi per cõſignationẽ characteris, oportuit,vt ſtatim ſinguli characterem imprimerent,ſiue illi ſint plures, ſiue idem magis ac magis auctus: & conſequẽter fuit neceſſaria gratia vnicuique muneri accommodata.Tertiò,hinc fit vt in ſacramẽto Ordinis conferatur vnus ordo per ſe, ſeparatimque ab aliis, ac ſi eſſet ſacramentum integrum, ac denique etiam in modo loquendi ſeptem ordines vocantur, ac ſi eſſent totidem ſacramenta.

9. Hæc autem omnia in hoc ſacramẽto lõgè diuerſa ſunt.Primò enim formę tantùm ſunt deprecatiuę, vnde non ſignificãt ſingulæ actualẽ efficaciam, neque eſt de ratione aut veritate orationis deprecatiuę vt ſtatim ac finitur vna pars orationis, aut petitionis,conſequatur effectum,ſed ſatis eſt quòd pro illo tempore,pro quo poſtulatur, vel completur oratio, habeat effectum. Secundò(quod eſſe debet primum fundamẽtum)id quod per ſingulas vnctiones ſignificatur,& per partiales formas poſtulatur, ita eſt inter ſe connexum, & ordinatum ad vnum integrum effectum ex ſe indiuiſibilẽ,vt non poſſit conuenienter per partes inchoari,& ſucceſſiuè perfici. Declaratur aſſumptum, quia licèt gratia habitualis per ſe ſe conſiderata,poſſit ſucceſſiuè perfici quoad intentionẽ,hîc autem non ita conſideranda:ſed vt cõiuncta gratiæ ſacramẽtali,per quam quodammodò determinatur,cuique accommodatur ſacramẽti efficacitas.Hoc autem modo planè habent connexionem, & vnionem inter ſe effectus omnium vnctionum. Nam vel ille cõſideratur in remiſſione peccatorum, vel in auxilio ſpeciali contra reliquias peccatorum. Priori modo eſt connexio inter peccata mortalia, ſi plura ineſſe contingit, & per varios ſenſus commiſſa. Dicere autem tunc tolli quædam per ſe, alia per accidẽs,gratis dicitur:tum quia in rigore omnia excluduntur per accidens virtute huius ſacramenti, & ita vix vlla eſt differentia: tum etiam quia admiſſo illo effectu in hoc ſacramento,ſtatim applicanda eſt forma, & materia per ſe ordinata ad illum, non eſt ergo cur anteà detur, nondum finito ſacramento. Alioqui,ſi vnicuique materiæ,& formæ partiali data eſſet efficacitas ad infundẽdam gratiam expellentem omnia peccata, certè ex ſe, ac per ſe poſſet omnia expellere, & non oporteret inſtitui cum determinatione huius vel illius ſenſus,ſed abſolutè dicẽdo,remittat tibi Deus quidquid peccaſti:ſicut abſolutio,quæ poteſt interdum per accidẽs tollere quædam peccata,quantùm eſt ex ſe,poſſet etiam illa per ſe tollere,& ex aliquo impedimento accidit, vt non faciat,& ideò ex ſe abſolutam, & totalem remiſſionem ſignificat.

10. Item in peccatis venialibus licèt non ſit tanta cõnexio,ſed vnũ poſſit ſine alio dimitti, tamẽ interdũ contingit idem peccatum veniale cõmitti per plures ſenſus, non poteſt autem prius dimitti, vt commiſſum per vnum,quàm per alium,vt per ſe conſtat, nec debet dimitti donec per formam integrè explicetur:quia ex modo inſtitutionis huius ſacramenti, & partium eius cõſtat debere exprimi diſtinctè peccata per ſingulos ſenſus commiſſa, vt remittantur: item quia oratio non obtinet effectum, donec compleatur:non eſt autem completa petitio remiſſionis talis peccati,donec exprimantur omnes ſenſus, per quos commiſſum eſt. At verò,ſi loquamur de auxilio ſpeciali contra reliquias peccatorum, fingi non poteſt aliud auxilium dari cõtra reliquias peccatorum viſus, aliud contra reliquias auditus, & ſic de aliis:nam vna hilaritas mẽtis,vna fiducia in Deum, & ſic de cæteris,contra omnia valent:gratia ergo ſacramẽtalis & propria huius ſacramenti per modum vnius indiuiſibilis gratiæ confertur: ergo & gratia habitualis. Tertiò tandem hoc cõfirmatur ex modo conferendi hoc ſacramentum, nunquàm enim datur vna vnctio ſeparata ab aliis, ſed omnes per modum vnius ſacramẽti ordinati ad effectum vnicum reſpectu omnium vnctionum: quia, vt ſuprà dicebam, ex omnibus conſurgit vna vnctio integra ipſius hominis, quæ neceſſaria eſt ad hunc effectum.

11. Tertia opinio, nõ dari effectum vſque ad vltimam vnctionem.

Tertia ſentẽtia eſt in contrario extremo,ait enim hunc effectum non dari vſque ad vltimam vnctionem,hanc verò eſſe illam,quę in re eſt vltima ex intentione miniſtri vngentis. Itaque ſi vult miniſtrare hoc ſacramentum per ſeptem vnctiones, effectus nõ dabitur vſque ad finẽ vltimæ vnctionis: ſi verò ſolis quinque vnctionibus illud conficere intendat,dabitur in fine quintæ. Ratio eſt, quia effectus non cõfertur donec ſacramentum integrum perfectum ſit: quando autem ſacramẽtum fit ſeptem vnctionibus, quanuis non omnes ſint de eſſentia, omnes tamen ſunt de ſubſtantia, & integritate ſacramenti ex Eccleſiæ inſtitutione: ergo effectus non fit donec omnes abſoluantur, & hæc eſſe debet miniſtri intentio. Ita ſentit Soto d. 23.q.2. art. vlt. Citari etiam ſolent D.Thom.& alii Auctores,ſed nullos eorum id dicit. Nec mihi videtur veriſimile,quia cẽſeo effectum ſacramenti neceſſariò conſequi in ſuſcipiente remoto obice ſtatim ac ſacramẽtum perficitur eſſentialiter, neque in hoc pendere ſacramentum ab intentione miniſtri: quæ duo latè probaui in materia de Sacramentis in genere. Cenſeo etiam nihil eſſe de ſubſtãtia ſacramenti,& integritate eius,niſi quod Chriſtus inſtituit, neque intentionem miniſtri poſſe aliquid facere ſubſtantiale, quod non eſt ex inſtitutione diuina:quod ibidem probaui,& eſt per ſe notum,quia tota ſubſtantia ſacramentorum pendet ex inſtitutione. Iam ergo inquiro an ſexta, & ſeptima vnctio ſint de inſtitutione Chriſti, nécne: ſi ſint, profectò ſunt de eſſentia, gratis enim dicetur,cùm omnes vnctiones ſint ex inſtitutione Chriſti, quaſdam eſſe de eſſentia,& non alias, vt in ſimili dixi in materia de Euchariſtia, agens de verbis conſecrationis ſanguinis:nec in cæteris ſacramentis inuenietur exemplum ſimile, niſi fortaſſe in Pœnitentia quoad ſatisfactionem: ſed in illa eſt ſpecialis ratio, & ideò non eſt afferenda in exemplum, vbi nulla ſimilis, vel proportionalis ratio intercedit. Dices, à poſteriori ſumi argumentum, duas poſtremas vnctiones non eſſe de eſſentia, quia interdum omittuntur. Reſpõdeo, hoc argumentum æquè conuincere non eſſe de ſubſtãtia, neque de inſtitutione Chriſti:quia quod huiuſmodi eſt, nõ poteſt licitè in ſacramentis cõficiendis omitti,præſertim ſine ſpeciali neceſſitate cogẽte, aut alia via ceſſante ratione inſtitutionis, ſicut in ſacramẽto pœnitentiæ omittitur ſatisfactio,vel quia ſecũdùm prudentiam, & iuſtitiam iudicatur pœnitentem non indigere illa: quia integram remiſſionẽ conſecutus eſt, vel quia eſt impotens omninò, aut incapax eius, vt quia non audit,&c. At in præſenti abſque vlla ex his cauſis,propter generales rationes honeſtatis,vel ſimiles, quæ in ipſa inſtitutione aduerti potuerunt,

Soto, D.Thom. Reprobatur hæc opinio.

Obiect.

Soluitur.

omittuntur illę vnctiones sine vlla culpa: ergo signũ est, non esse de Christi institutione. Quòd si hoc ita est, certè nec de substantia sunt, sed merè cæremoniales, additæ ex aliquarum Ecclesiarum consuetudine: ergo nec potest minister sua intentione suspendere effectum vsque ad finem eorum: neque etiam potest efficere, vt illæ concurrant ad effectum, quia sicut nemo, præter Christum, potest instituere signũ efficax gratiæ, ita nec facere quòd aliquid ad gratiã concurrat, præter id quod ex Christi institutione virtutem recepit.

13. Quarta, & vera opinio dari effectũ in instanti, quo cõsummatur sacramentum. D. Thom.

Quarta ergo & vera sententia est, effectum huius sacramenti dari in eo instanti, in quo consummatur essentialiter hoc sacramentum, consummari autem quum primùm quinq; vnctiones cum quinque formulis perficiuntur. Quæ sententia est communis D. Thomæ & aliorum quos retuli: & sufficienter probatur, tum ex generali doctrina sacramentorum hîc applicanda, tum à sufficienti partium enumeratione. Vnde fit, quoniam ordo vnctionum non est de essentia, vt suprà est dictum, si contingat mutari ordinem, illam vnctionem, quæ postrema sit, habere hãc efficacitatem in virtute omium præcedentium, & verborum formæ. Sequitur deinde intẽtionem ministri nunquàm esse limitandam ad vltimam vnctionem, quam ipse facere cogitat, si illa futura sit alia præter essentiales, sed vel esse determinãdam ad vltimam necessariam, vel esse generaliter concipiendam, iuxta id quod institutum est, seu Ecclesia intendit, vel (meliùs) non esse necessariam in ministro intentionem effectus, seu efficiendi hoc vel illo tempore, aut per hanc, vel illam vnctionem, sed solùm debere habere intentionem faciendi sacramentum: quia ex illo quasi necessitate naturę sequitur efficiẽtia tempore & modo consentaneo institutioni. Tandem ex dictis habetur, idem cum proportione dicẽdum esse de formis, quod de vnctionibus: nam per omnes simul fit effectus: quia omnes componunt essentialiter sacramentum: tamen, quia non simul existunt, sed successiuè fiunt, ideò in vltima cẽsetur esse virtus omnium, & per illam fieri effectum eo modo quo in vltimo instanti, in quo sensus eius perficitur, existit. Quòd si tunc simul finiãtur vltima forma, & vltima vnctio, simul concurrunt, sin minùs illa, quæ fuerit vltima, agit in virtute omnium partium præcedentium, vt de sacramentis in genere, & de Baptismo, & aliis dictum est.

14. Quomodo quinquevnctiones sufficiant ad effectum.

Hîc verò occurrit dubium suprà tactum, & in hũc locum remissum, scilicet, quomodo illę quinque vnctiones vel formæ sufficiant ad effectum: nam ratio quam in singulis fecimus, videtur in omnibus simul militare, nimirum, quòd per omnes etiam simul non significatur integrè effectus huius sacramenti: patet, quia per omnes has formas, & vnctiones simul sumptas solùm significatur curatio, sanatio, & expulsio omnium defectuum, qui contracti sunt per peccata quinque sensibus commissa: at sacramentum hoc nõ dat gratiam sanantem ab his tantùm peccatis, sed etiam à multis aliis, quæ sine ministerio sensuum committuntur, vt sunt spiritualia peccata superbiæ, & similia: ergo. Accedit quòd aliquando homo à natiuitate caret aliquo sensu, vt visu per quem proinde peccare nunquàm potuit: superfluum ergo est pro illo postulare remissionem eorum quæ per talem sensum commisit. Dicendum verò est per illas quinque formas, & vnctiones sufficienter significare curationem de omnibus peccatis absolutè: quia prima radix omnium peccatorum est cogitatio, omnis autem cogitatio à quinque sensibus originem ducit, iuxta illud, *nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*: & ideò sub peccatis per quinque sensus commissis, omnia peccata simpliciter comprehẽduntur. Quia, licèt non omnia peccata executioni mandentur per aliquem sensum, neque omnia pro obiecto habeant aliquid per se cognoscibile aliquo sensu: nullum tamen est in homine peccatum, quod non ducat originem ab aliqua specie, per sẽsum aliquem accepta. Denique nullum est peccatum in homine quod sit solius animæ, & non totius hominis, quantumuis peccatum spirituale sit: & ideò nullum est peccatum, cuius curatio per corporis curationem significari non possit: optimè ergo significatur per radicem eius, quæ est in sensibus. Ad casum verò illũ de eo, qui perpetuò caret aliquo sẽsu, respõdeo id esse accidentarium, & sensum formæ cõditionalẽ esse, si quid peccasti per visum: nam fieri potest, vt etiam alij, qui sensibus sunt præditi, per aliquem eorum nihil peccauerint. Addi etiam potest, eum, qui caret sensu aliquo, posse peccare per illum effectum, licèt non possit exequi effectum, idque satis esse.

Dubium soluitur.

## SECTIO III.

### *An interdum detur effectus huius sacramenti, sine omnibus vnctionibus.*

1. Distinctio.

SVPEREST verò difficultas suprà tacta, de casu illo, quando accidit infirmum non posse recipere quinq; vnctiones, sed vnam, vel duas, an omnino priuetur effectu huius sacramenti. Circa quem casum distinguendi sunt varij modi, quib⁹ ille occurrere potest: videlicet, aut ex parte infirmi, quia est tam proximus morti, vt nõ sit tempus perficiẽdi omnes vnctiones, & proferendi omnes formas: vel ex parte ministri, idq; dupliciter, scilicet, quia inchoatis vnctionib⁹ moritur antequã quinque perficiat, vel quia timet grauis morbi cõtagiũ, si tot vnctionibus ęgrotũ vngat, vel deniq; ex parte aliorũ, quia sunt plures ægrotantes, & vnus tantùm minister, timetq; fore, ne dũ vnũ integrè vngat, alij sine vnctione moriãtur. Rursus; primus modus necessitatis ex parte ipsius infirmi duob⁹ modis accidere potest, primùm, vt periculũ nõ sit pręuisũ, nec minister intẽdat aliter quàm cõmuni modo cõferre hoc sacramẽtum, & finita vna, vel duabus vnctionibus infirmus moriatur: secũdo, vt prævisо periculo id minister intẽdat. In priori casu dicunt aliqui, tali infirmo dari gratiam sacramẽtalem, totúmque effectum huius sacramenti. Summa Cõfessorum li. 3. tit. 24. q. 140. & alię nouiores: comparantq; quoad hoc extremam vnctionem cum confessione, quæ valida est, etiamsi propter instantem mortem non possit integrè fieri.

Quod si ægrotus morte oppressus vnamtãtùm suscipiat vnctionem. Prima sententia. Sum. Cõfess.

2. Oppositа sententia probatur.

Oppositã sententiã tenet expressè Soto suprà, estq; communiter recepta. Sequiturq; apertè ex dictis: nã illud non est sacramentũ, quia non constat omnibus patribus essentialibus: neque etiam minister in eo casu, de quo agimus intendit perficere sacramentũ, aut dare effectũ per illas solas vnctiones: quia, vt supponimus, modo ordinario conficere intendebat, & casu pręuenit mors. Prętereà vel exemplum de confessione, aut nõ est simile, aut potiùs probat oppositũ. Nam si dum pœnitẽs cõfitetur, moriatur, nondum recepta integra absolutione, nõ recipit sacramentũ, nec gratiam sacramẽti: si verò priusquàm moriatur, integrè absoluatur, tunc sacramẽtum recipit, & effectũ eius. Hic ergo posterior casus non est similis, quia ibi essentialiter perficitur sacramentum pœnitentiæ: nam licèt cõfessio nõ sit materialiter integra, est formaliter, & illa informatur tota essentiali forma: in præsẽti autem nec forma, nec materia essentialis applicantur, vnde nec sacramentum essentialiter perficitur.

Prior

Prior verò casus est aliquo modo similis, quàtùm ad hoc saltem, quòd essentialis forma nõ applicatur: ex illo verò potiùs sumitur argumentum in contrariũ, quia tunc non datur gratia sacramenti, etiamsi sacramentum fuerit per confessionẽ inchoarum: ergo neque in præsenti dabitur, etiamsi sacramentum fuerit per partialem materiam, & formam inchoatum.

3. Quid si intendat minister perficere sacramentum in vna vnctione propter periculum infirmi. Prima sententia.

Maius dubium est de secundo casu, quando sacerdos præuidens periculũ infirmi, à principio intẽdit perficere sacramentum in vna, vel duabus vnctionibus, prout potuerit, videtur enim tunc illa intentio efficax, & prudens, atque adeò ratione illius, & perfici sacramentũ, & dari effectum. Et quoad hoc potest applicari exemplum cõfessionis: quia, licèt per se loquendo, materia essentialis illius sacramenti sit omnium peccatorum confessio, in necessitate verò sufficit confessio vnius peccati: & hæc cõfessio dicitur tunc formaliter integra: ergo in hoc etiam sacramẽto dici potest, per se loquendo, integram & essentialem materiam esse quinque vnctiones, tamen in necessitate vnam, vel duas esse materiam formaliter integram, & sufficientem: ergo si alioqui minister intendat in illis efficere sacramentum, reuerà perficit, & confert effectum. Atque hæc sententia (vt audio) aliquibus nõ displicet, quia est pia, & fauorabilis, & non videtur habere aliquod incommodum. Iuxta illam verò etiam in præcedenti casu dicendum esset, semper in huiusmodi euentu perfici sacramẽtum, & dari effectum, moraliter loquendo. Quia omnis minister intendit perficere sacramentum meliori modo quo potest, seu prout Christus instituit, seu intendit: iuxta hanc verò sententiã Christi institutio fuit quasi disiunctim: scilicet, vt sacramentum hoc quinque vnctionibus fiat, si potest, sinverò fiat, prout potuerit: hoc igitur ipsum intendit quilibet minister: ergo quoties nõ potuerint fieri quinque vnctiones, implebitur conditio, & perficietur sacramentum, dabiturque effectus.

4. Refellitur.

Vnde rursus interrogabo, quãdo detur hic effect⁹: nõ quidem in ipso instanti mortis, quod est primum non esse hominis, vt alibi probaui: quia nec homo post hanc vitã est capax nouæ gratiæ sacramentalis, neq; sacramẽtum potest operari in anima à corpore separata, nec etiã in tẽpore immediato ante illud instans, quia nullus effectus potest illo modo incipere, vt latè in materia de sacramentis in genere dictũ est. Si autẽ dicatur dari in aliquo priori instanti, in quo perfecta fuit prima, vel secunda vnctio, viuẽte adhuc homine. Cõtra hoc est, quia necesse est talẽ hominẽ aliquo tẽpore viuere post illud instãs, quia nõ desinit per vltimũ sui esse, vt suppono: ergo posset illud tẽpus tãtùm esse, vt in eo fieri posset alia vnctio: ergo non potuit sacramentum perfici in illo instanti: quia vbi possunt perfici plures vnctiones, non perficitur sacramentũ paucioribus: pẽdebit ergo hæc res ex futuro cõtingenti, & ex diuina scientia præuidẽte illud: vt si viderit tam breue futurum tempus, vt nõ possit subsequi alia vnctio, tunc det effectum, non verò aliàs: hoc autem videtur absurdum in materia sacramentorum, quæ certa lege hominibus accommodata debet esse statuta.

5. Maius autẽ argumentũ esse videtur cõtra illã sententiã, quod sine auctoritatis, vel cõsuetudinis Ecclesiæ fundamẽto asserit quippiã valdè nouũ, solũ ob exẽplũ quoddã insufficiẽs, & pietatem quandã non satis fundatã. Nã in primis exemplũ in hoc deficit, quòd licèt ex parte materiæ videatur deesse in confessione materialis integritas, tamen forma integra proferri debet, & in ea est principalis significatio, & virtus sacramẽti: hîc autẽ sicut deficit pars materię, ita & pars formæ: in nullo autẽ sacramẽto dabitur exemplũ, in quo forma inchoata, in necessitate sufficiat, quæ per se sufficiens non esset. Deinde est lõgè diuersa ratio, quia ibi materia est actus pœnitẽtis, cuius integritas, & perfectio maximè pendet ex eius potestate, & voluntate: ideoq; meritò illa existimata est cõfessio integra, in qua pœnitẽs facit quod potest: hîc autẽ materia est actus ministri, qui ex sola Christi institutione solet habere determinationẽ indepẽdẽter à potestate, vel capacitate alterius, vt in cęteris sacramẽtis habẽtibus similem materiã constat. Tertiò (quod caput est) ibi habemus Ecclesiasticã traditionẽ, & declarationẽ, hîc verò nihil horũ habemus. Tandẽ illud sacramentũ est maximè necessariũ, & ideò oportuit necessitatibus hominũ illo modo subuenire, hoc autem vtilitatis est potiùs, quàm necessitatis: & ideò etiã ratio pietatis hîc cessat. Quia nõ interueniente necessitate ex parte hominis, magis expedit essentialem materiam sacramenti esse omninò definitam in re ipsa, & non variari propter raros euentus, & pericula humanæ vitæ, alioqui multa alia absurda sequi facilè possent, vt ex dicendis ampliùs patebit.

6. Vera resolutio quæst.

Atq; hinc c õstat, quid dicendũ sit in modo necessitatis suprà posito, scilicet, ex parte ministri & aliorum: nam si opinio proximè tractata vera esset, certè consequenter dicendum esset, etiam in illis casibus licere vti vna vel duabus vnctionib⁹ pro ratione periculi, quãdo præuidetur. Quod patebit prosequendo exemplũ de confessione, in qua potest omitti integritas materialis, & seruari formalis, non tantùm ob necessitatem pœnitentis, sed etiã propter aliorũ periculum, & necessitatem, vel ipsius ministri: si ergo similis est integritas vnctionũ, pari modo philosophandum esset. Hoc autem non video esse in Ecclesiæ vsu, nec auctoritate fundari, ideoq; illud affirmare non audeo. Nam inde etiã fieret, vt materia huius sacramenti magna ex parte esset posita in arbitrio ministri, quod censeo magnum incommodum, quod in confessione nullum est: quia reuerà pendet ex cõscientia, & bona intentione confitentis.

7. Dubium.

Solum occurrit dubitãdum, an in huiusmodi casu necessitatis & periculi, ex quocunq; illorũ trium capitum oriatur, liceat ministro huius sacramẽti vnico breuissimo motu attingere quinq; organa sensuum, leniendo vnũ oculum, & vnam aurem, vnamq; manum (hoc enim iam diximus posse fieri) nares, & os vngendo, non expectato signo crucis, quod etiã diximus non esse necessarium, & super hanc totam vnctionem vnicã breuissimam formã proferendo, quæ omnes quinq; quoad sensum cõprehendat, videlicet, Per hanc sacrã vnctionem, vel per has sacras vnctiones remittat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustũ, vel tactũ peccasti. Nam hoc modo ministrãdo sacramentũ, videtur tã breui tẽpore perfici posse, vt cuilibet necessitati moraliter occurrẽti sufficiẽter subueniatur. Aliundeque videntur seruari omnia essentialia: quia reuerà illæ sunt vnctiones quinq; sensuum: quia (vt dixi) nõ habẽt definitã quãtitatẽ, sed breuissimo tactu olei perfici possunt, quod ibi seruatur: forma verò illa est æquiualẽs in sensu & in expressa significatione, aliis quinq; partialib⁹: quia dũ expressè nominãtur quinq; sensus, reliqua omnia verba super singulos satis apertè cadũt, quod autem cætera verba quinquies quasi materialiter repetãtur videtur parũ, vel nihil referre ad substãtiã sacramẽti: erit ergo hic ritus essentialiter sufficiens. Nec contra illũ procedũt, quę cõtra alios dicẽdi modos obiecta sunt: quia hic dicẽdi modus nõ fundatur in sola pietate, sed in ratione efficaci, & principiis certis, vel huius sacramenti, vel omniũ, nimirum, formã in sensu æquiualentẽ sufficere, & magis esse sensũ attẽdendum, quàm multitudinẽ materialiũ verborum, materiam

riam autem non postulare certam figuram, vel quantitatem in singulis vnctionibus.

8. Quòd si modus ille sufficiens est ad substantiam sacramenti, videri etiam potest esse licitus in casu necessitatis: quia necessitas caret lege: vnde ob necessitatem licet omnem ritum accidentalem omittere: totum autem id, quod substantiale non est, ad accidentalem ritum, pertinere videtur. Quòd ergo hic modus ministrandi hoc sacramentum non sit in ritu Ecclesię, solùm probat non licere vti illo sine necessitate vrgente, quia consuetudo solùm habet vim cuiusdam legis, & ideò propter necessitatem licere potest ab illa discedere. Dices etiam in necessitate non solet hoc fieri. Respondeo primùm id oriri ex vario iudicio ministrorum, qui frequentiùs non sunt homines docti, neque in hoc sunt per Ecclesiam specialiter instructi: quia leges morales non sunt pro casibus valdè extraordinariis positæ. Deinde addo: non omninò carere sententiam hanc auctoritate, & consuetudine. Nã in lib. Pastorali. seu Manuali Mechliniẽsi, can. 9. de Extrema vnctione, ex consilio, & sẽtentia facultatis Theologicæ Louanienſis ita decretum est: *In morbis contagiosis, & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis advnctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam vnctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratũ, gustum, tactum, & gressum. Et tunc preces quæ præmittendæ, & subiungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili sacramento deuotè legi.* Et huic sentẽtiæ subscribunt Archiepiscopus Mechlinienſis, Decanus Vniuersitatis, & professores Theologi Louanienſes anno 1588. mense Septembri: & ferunt in more esse introductum in regione Belgica. Esset autẽ hæc sentẽtia verisimilior, si quemadmodum in forma expressè numerantur omnes sensus, ita per vnctionem omnes in propriis organis attingerẽtur: quod in solo capite breuissimè fieri potest modo à nobis declarato: nam quod de *gressu* additur in forma, necessarium nõ est, licèt nõ impediat: reliqua verò in forma videtur substantialia, & ideo necessarium videtur, vt in materia proxima aliquid cũ proportione respondeat: tũ quia materia debet esse proportionata formæ, tum etiam quia ex vsu Ecclesię nõ minùs habemus esse necessariam vnctionem quinque sensuũ, quàm expressionẽ eorum in forma. Hanc ergo sententiã hoc modo explicatam improbare non possum: sed nec simpliciter approbo, sed aliis iudicium committo. Neque etiam simpliciter cõsulo vsum eius absolutè loquẽdo: quia securius est consuetum modũ seruare. Si tamẽ omittẽdum est hoc sacramẽtum, quia scilicet nullus vult illud ministrare modo ordinario propter periculũ contagij, vel quia morale periculum est, vt infirmus anteà moriatur: consulerẽ omninò ita inũgere sub cõcepta cõditione, potiùs quàm omittere: quia tunc nec fit irreuerẽtia sacramẽto: & proximo valdè vtile esse potest: nã fortasse ita saluabitur, & aliàs cõdemnabitur: si fortasse est tãtùm attrit⁹, & cõfiteri nõ potuit, vel per ignorantiam nõ ritè cõfessus est: cùm ergo sic cõfessio possit prodesse; & nõ obesse, quia supponim⁹ nõ posse aliter dari, omittẽdum omninò nõ est, sicut in similibus casibus sæpe aliàs diximus.

Obiectum. Soluitur.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm sacramentum hoc etiam sanitatem corporis aliquando tribuat.*

1. Hoc sacramentum tribuere corporis sanitatem.

OMMVNIS consensus Theologorum est etiam corporis sanitatem ad effectus huius sacramenti pertinere, atque adeò aliquando virtute illius conferri: quod etiam de fide certum est, ac definitum in Cõciliis Florentino, & Trid. sæpe citatis, sumiturque ex loco Iacobi 5. vel illis verbis, *Et oratio fidei saluabit infirmum*, vel illis, *Et alleuiabit eum Dominus*: vtraque enim possunt tam ad animum, quàm ad corpus accõmodari, priora verò cõmuniter intelliguntur de salute corporis, quę opponitur infirmitati corporis, de qua ibi ad literã sermo erat. Et ita intellexerunt D. Tho. Bonau. & alij, cum Magistro in 4. d. 23. Hugo lib. 2. de Sacramentis, p. 15. c. 2. Quia verò sanitas corporis non est bonum per se necessarium homini, sed est inferioris ordinis, atque ex his, quæ interdum ob bonum animæ expediunt, interdum verò minimè, ideò promissio illa non intelligitur esse absoluta, sed sub ea conditione, quam Concilium c. 2. expressit, *Vbi saluti animæ expedierit.* Quanuis enim Iacobus hanc conditionem disertè non posuerit, ex natura tamẽ talis effectus subintelligebatur comprehẽsa. Vnde D. Augustinus. epist. 121. ca. 12. & libr. 2. de serm. Domini in monte, c. 12. & 24. sub simili conditione, vel expressa, vel subintellecta dixit, hæc bona esse à Deo impetrãda. Quò fit, vt effectus hic absolutè sumptus nõ sit infallibilis in hoc sacramento, quia fieri potest, vt illa cõditio non subsistat: illa verò posita, erit infallibilis, quia iam promissio transit in absolutam. Posteriora autem verba etiam videntur à Concilio Tridentino referri ad corporis leuamen, dum inquit, *Ægroti animam alleuiat, & cõfirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, & labores leuiùs fert, &c.* Hic ergò effectus videtur distinctus à corporis sanitate: nam illa etiam nõ recuperata sæpe contingit vt morbus ipse leuior appareat, faciliúsq; tolleretur, & in hoc effectu Concilium non ponit conditionem, quam in præcedente posuerat, vnde significat magis absolutam esse eius promissionem.

poris sanitatem. Iacob. 5. D. Thom. Bonau. Magist. Hugo. Augustin. Hunc effectum non esse infallibilem.

2. Difficultas.

In vtroque verò nonnulla supereſt difficultas: in priori quidem, quia experimur sæpe restitui sanitatẽ his, qui posteà in detrimentum animarum suarum illa vsuri sunt, è conuerso verò sæpe negari his, qui non solùm rectè & honestè victuri sunt, sed etiam magnos fructus spirituales producturi, quãtùm moraliter cõiectare licet. Deinde, vix potest intelligi illa cõditio: aut enim intelligenda est secundùm sufficientiam: aut secundùm efficaciã, vt sic loquar. Priori modo vita expediet ad salutem animæ, quia de se confert, & sufficiens est ad proficiendum in spiritualibus bonis, & ita conditio semper implebitur, eritque semper explenda promissio, & sanitas restituenda. Posteriori autẽ modo solùm dicetur id expedire, qnando Deus præuidet talem hominẽ, si sanitatem recuperet corporis, maiorem etiam animi perfectionem esse consecuturum: videtur autem hoc incõueniens: tum quia effectus sacramenti nõ debet esse pẽdens ex huiusmodi præsciẽtia Dei, quæ est valdè extrinseca ad merita & dispositiones hominum: tũ etiã quia aliàs quoties præuideret De⁹ homini profuturam salutẽ ad bonum animæ, illã necessariò, conseruaret ex vi sacramẽti, & cõsequenter, si de aliquo sẽper id præsciret, vt fieri potest, talis homo semper viueret. Circa secundũ verò punctũ est difficultas: quia quęcũque remissio morbi est ex bonis inferioris ordinis, quæ possunt expedire animæ, ergo illius promissio nõ potest esse absoluta. Vnde etiam cõstat experientia hoc corporis ac morbi leuamen no semper cõferri, aut sentiri post hoc sacramẽtum susceptum: non est ergo certus & infallibilis effectus.

3. Soti placitum.

Propter priorem difficultatem Soto d. 23. q. 1. ar. 2. post 2. conclus. prędictam reiicit cõditionem, putátque nõ semper restitui sanitatem corporalem, etiam tunc, quãdo bono animi expedit, tum propter obiectiones

ctiones factas, tum etiã quia hæc sanitas non est medium necessariũ ad illum animi profectũ: tum denique quia aliàs sæpiùs esset opus miraculo: tãta enim solet esse morbi iniquitas, vt sine miraculo vinci nõ possit: effectus autem sacramẽti non est per miraculum expectãdus. Addit deinde, hũc effectum, quantũ per hoc sacramentum cõfertur, esse absolutum & infallibilem: quia eius effectus immediatus non est sanitas ipsa in se, sed est auxilium aliquod ad sanitatem recuperandã, quod auxiliũ in certa quãtitate & proportione datur, & sic est infallibile, nõ tamen semper sufficit ad sanitatẽ prẽstandam, sicut ars medici etiã iuuat, nõ tamẽ semper sufficit, propter magnã morbi vim: fieri autẽ potest (inquit) vt ars, & solertia peritissimi medici plus iuuet, quàm virtus sacramenti: & ideò licèt infallibiliter iuuet, non tamẽ infallibiliter restituit sanitatem. Sicut etiam effectus Cõfirmationis dicitur esse fortis fidei confessio, & in hoc sacramento victoria tẽtationum potest dici effectus eius, neuter autem est infallibilis: quia non immediatè & in se datur, sed in auxilio, quod interdum non est efficax, propter magnitudinem passionis, vel tentationis, &c. Reprehendit ergo Soto in hoc puncto communẽ doctrinam, quam præcipuè Hugoni attribuit, & consequenter tacitè reprehendit Concilium Florentinum, cuius mentionem facit, dicitq; Conciliũ non dixisse hoc tanquàm articulum fidei, sed alludendo ad doctrinã Hugonis. De Cõcilio verò Tridẽtino nihil dicit, nec mentionẽ eius facit: in illo tamẽ aduerti potest, quòd licèt in doctrina capitulorũ idẽ dixerit de sanitate corporis, in definitionibus verò canonum solùm definit, sacramentum hoc dare gratiam, remittere peccata, & alleuiare infirmum.

4. Refutatur. Nihilominùs temerè loquutus est Soto, ne quid grauius dicam: leui enim fundamento à recepta Theologorum sentẽtia recedit: &, quod grauius est, cõtra expressam doctrinam Conciliorum loquitur. Et præterea id totum, quod affirmat, gratis & sine vllo testimonio affirmat, quod valdè temerarium est in re supernaturali, quæ pendet ex diuina promissione. Vnde enim illi cõstitit, hoc sacramentum dare semper hoc genus auxilij ad corporis curationem, cùm etiam tale auxilium pertineat ad bona inferioris ordinis, quæ non semper animæ prosunt? Sacramenta verò nihil conferre debent infallibiliter, nisi quatenus ad bonum animę prodesse possunt, cùm propter hunc finem primariò instituta sint. Deinde indignè videtur sentire de sacramento, nõ plus illi tribuens, quàm medicinæ, seu arti medici. Tandem exempla quæ affert non sunt similia: nam fortis fidei confessio, vel constans resistentia tentationis est opus humanum pendens ex hominis libertate, quam gratia non tollit: & ideò fieri potest, vt talis effectus nõ sequatur virtute sacramenti, etiamsi magnum auxiliũ ad illum præbeat. At verò sanitas corporis naturali modo fit, id est, non libero, & ideò, quòd effectus nõ sequatur, tribui non potest nisi imperfectioni virtutis, quæ morbi acerbitatem superare non potest, hoc autem indignum est vt de sacramento dicatur: alioqui cùm virtus, quam confert, limitata sit ad certum gradum, nunquàm vincere poterit grauiorem morbum, etiamsi maximè expediat, quod absurdum est.

5. Vera doctrina & solutio obiectionis Soti. Persistendum est ergo in communi & sana doctrina proposita. Et ad obiectionẽ Soti facillimè respõdetur, licèt salus corporis nõ sit simpliciter necessaria ad animæ profectum: interdum verò esse vtilem, & hoc satis esse vt per sacramentum conferatur: eò vel maximè, quòd vita est simpliciter necessaria ad meritum: & ideò nihil mirum, quòd virtute sacramenti conseruetur contra vim morbi acerbissimi. Quòd verò hoc sit aliquo modo miraculosũ, id est, supernaturale, & præter omnem spem in causis naturalibus nixam, nullum est inconueniens, sed omninò verum, imò hic est vnus ex finibus huius sacramenti: quia verò hoc opus iam non est omninò prẽter leges à Deo statutas, sed iuxta eas, quæ in talis sacramenti institutione includũtur intrinsecè, ideò talis effectus iam non censetur miraculosus, sicut nec transsubstantiatio panis, & similes, sicut ipse Soto paulò antè responderat. Neque etiã obstat quòd aliqui post receptum hoc sacramẽtum sanitatem recuperent, qui malè posteà illa vtuntur, tum quia non constat illos recuperasse sanitatẽ virtute huius sacramenti, neq; enim omnes, qui vnguntur, habent desperatam salutem virtute naturali, neque è conuerso omnes, qui sanantur post vnctionem per sacramentũ sanãtur: tum etiam quia fieri potest vt sanitas illa pro tunc spiritualem fructum secum attulerit, quem posteà superuenientibus aliis occasionibus homo amittat: neque enim necesse est, vt salus animæ, ad quam Concilium Trident. dixit sacramentum hoc esse profuturum, futura sit permanens, ac in re ipsa perpetuò duratura: sed satis est, quòd ex illo effectu sacramenti quoad salutem corporis, iuuãdus sit homo ad salutem & bonum animæ, licèt fortè in eo nõ sit perseueraturus. Simili modo respõdetur ad aliud membrum de iustis, qui moriuntur non obstante vnctione, quando ampliùs fortasse essent profecturi: nam imprimis dicimus hoc esse incertum, & sine fundamento affirmari. Deinde addimus, fortasse aliis rationibus id non expedire illis: quia posteà nutarentur, & melius illis est statim euolare. Vnde ad dilẽma factum à nobis vnico verbo respondendũ est, hãc rationem conuenientiæ seu vtilitatis corporalis sanitatis ad bonum animæ, sumendã esse iuxta ordinem diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ. Necessarium quippe est, illam cõditionem intelligi secundùm efficaciam, vt ratio probat, id est, vt cum effectu futura sit expediens sanitas corporis ad sanitatem animæ, hoc autem solus Deus ex se præscire potest, & ideò necesse est vt hoc pendeat ex præscientia, quæ licèt sit extrinseca, non tamen impertinens ad hos effectus, cùm sit eorum causa. Vnde Concilium Colonienſe anni 1536. p. 7. cap. 49. solùm hanc conditionem posuit, *Si Deo ita visum fuerit*, quæ iuxta dicta à nobis explicanda est. Quantus ergo, & qualis esse debeat ille fructus, qui speratur, Deus ipse nouit, mensuram enim aliquam habet, ea verò est secundùm ordinem à Deo ipso statutum ac præfinitum, nullo enim alio modo præscribi potest. Concil Colonien.

6. Ad alteram difficultatis partem dicendũ est, aliud esse morbum corporis remitti in se, aliud verò ipsum ægrotum confortari & iuuari, vt labores morbi leuiùs ferat: illud prius nõ pertinet ad infallibilem effectum huius sacramenti, vt ratio facta probat, sed sub corporis sanitate continetur: quia eo modo quo sacramentum hoc restituit sanitatem integram, quãdo expedit, ita etiam restituit tantum ex parte, si illud & non ampliùs expediens fuerit. Neque Concilium in illis prioribꝰ verbis de hac remissione morbi locutum est, sed de ferendis faciliùs morbi laboribus, quod secundo loco proposuimus: fitque non remittendo morbum, sed confortando infirmum per mentis hilaritatem, ac fiduciam, vt Trid. apertè dixit. Vnde quoad hunc effectum rectè dicitur, esse absolutum, & infallibilem quoad auxilium, in quo, seu per quod datur, quia reuerà est spiritualis effectꝰ: quoad tolerantiam verò, seu leuamen laborũ nõ esse infallibilẽ, vt in vltima cõfirmatione probatur, quia pendet ex libera cooperatione infirmi, ratione autẽ liberi vsus semper potest impediri effectus sacramenti, qui ab illo pendet, quantumuis spiritualis sit.

7. Sacramentũ & res sacramenti, & vtrunq; simul declarãtur.

Tandem ex his constat, quomodo in hoc sacramẽto distingui possint illa tria, quæ in cæteris sacramẽris distingui solent, scilicet, sacramentum tantùm, de quo iam satis constat quid in præsenti sit: & res tantùm, quæ est gratia sanctificans, & remissio peccatorum: & res ac sacramentum simul, quod difficile videtur inueniri in hoc sacramẽto: & ideò multi in illo explicando solliciti non sunt, nec putant inconueniens, si non inueniatur: quia illa partitio nec in generali ratione sacramenti intrinsecè fundata est, nec alia necessaria ratione, aut auctoritate constat. Vt autẽ seruetur proportio ad alia sacramẽta (omissa opinione de ornatu, quę improbabilis semper mihi visa est) aliqui censent ipsam corporis sanitatem esse rem sacramẽti, quatenus ab illo fit, & sacramentum aliquo modo, quia sanitatem animæ significat. Nec putant inconueniens non esse infallibilem effectum, quia satis est quòd sacramẽtum ex se possit illum conferre, si expediat. Alij, ipsam mentis hilaritatem & confortationem, maioremque sustinentiam laborum, dicunt rem sacramenti, quatenus ab illo manat, esseque signum interioris animæ sanitatis, & vt sit esse aliquo modo sacramentum. Et hæc est D. Thomæ sententia, & communior.

## DISPVTATIO XLII.

### *De subiecto cui dandum est hoc sacramentum.*

POst effectus huius sacramenti, sequitur dicendum de causis eius: & quoniam de finali simul cum effectibus actum est, formalis autem hîc nulla est alia præter formam sacramẽti quam suprà declaratam reliquimus, solùm superest vt de materiali, & efficiẽte dicamus. Materialem autem hîc vocamus, non materiam ex qua sacramentum conficitur, hæc enim iam est expedita, sed subiectum in quo sacramentum recipiendum est: illud enim per modum materiæ in qua, seu circa quam ad totum sacramentum comparatur, & ab illo sacramentum in suo esse pendet, ideoque merito inter eius causas computatur. De hac ergo causa considerabimus in præsenti disputatione, videbimusque priùs de subiecto quasi totali & integro, & aliquo modo remoto, quod est ipsa persona, deinde de subiecto propinquiori, quod est pars talis suppositi.

## SECTIO I.

### *Vtrùm solus homo baptizatus ratione vtens possit hoc recipere sacramentum.*

1. Solum hominem viatorem esse capacem huius sacramenti.

VT à clarioribus incipiamus, certũ est solum hominem viatorem, atq; adeo in hac mortali vita degentem, esse capacem huius sacramenti. Hoc constat ex principio generali de sacramentis in genere: sacramenta enim pro viatoribus instituta sunt, qui sunt capaces medicinæ, vel augmenti gratiæ, non pro aliis, qui iam sunt in termino. Hinc docent Theologi omnes, si infirmus iam sit mortuus, vngendum non esse cadauer eius, iam enim non fiet sacramentum, nec illa vnctio quidquam animæ proderit. Vnde vnctio illa, de qua

Corollariũ.

Dionys. Areopa.

Dionysius Areopagita mentionem facit in fine libr. de Eccles. Hierarch. quæ circa corpora fidelium defunctorum fieri solebat, vt ad sepulturam præpararentur, sine dubio non erat hoc sacramentum, neq; aliud, sed cęremonia aliqua pia, quę à fidelibus tunc retinebatur, fortasse ad imitationem eorum, quæ in lege veteri fieri solebant, quæ circa corpus Christi Domini in Euangelio facta esse legimus. Vnde vlterius infertur, quando dubium est an fidelis verè sit mortuus, nec potest veritas omninò explorari, an meritò timetur ne dum exploratur veritas, moriatur, dari posse & debere hoc sacramentum sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta, *Si non es mortuus.* Generale enim omnibus sacramentis est, vt in casibus dubiis possint hoc modo ministrari: nam per adiunctam conditionem tollitur omne periculum irrogandi iniuriam sacramento: & ministrando sacramentum illo modo, vitatur periculum priuãdi proximum magno subsidio, & remedio suæ salutis, cuius fortasse adhuc capax est: ideoq; in hac doctrina omnes Summistæ, & Theologi conueniũt.

Aliud corollarium.

2. Hoc sacramentum rãtum dari posse baptizato adulto.

Secundò, est certum, hoc sacramentum tãtùm dari posse homini baptizato adultæque ætatis, qui rationis vsum habeat, vel aliquãdo habuerit. Hæc etiã assertio communis est. Et prima pars clara est ex generali principio de Baptismo, & sacramentis, vbi ostẽdimus Baptismum esse ianuam sacramentorum, eiúsque characterem comparari vt potentiam passiuam ad receptionem sacramentorum omnium, quare indubitatum est hoc esse de substantia sacramẽti, ideóque vnctionem sub forma verborum factam à sacerdote, circa hominem non baptizatum in re ipsa, etiamsi sit baptizatus in voto, & cathecumenus, fidelis, ac iustus, inanem, nullúmque sacramentum esse, aut effectum eius habere. Vnde Concilium Trident. sess. 14. in principio de hoc sacramento, ait, esse consummatiuum pœnitentiæ, & totius Christianæ vitæ: supponit ergo necessario Christianã vitam inchoatam, at hæc inchoabatur in Baptismo, vt constat: ergo.

Trident.

3. Infantes nõ esse capaces huius sacramenti. Maior.

Atque ex eiusdem Concilij verbis potest altera conclusionis pars confirmari, in qua Theologi etiam dist. 23. conueniunt, dicentes, infantes non esse capaces huius sacramenti. Vno excepto Maiore, qui q. 2. oppositum sine fundamento asserit, contra Ecclesiæ consuetudinem, & contra rationem: quia sicut isti infantes non sunt capaces pœnitentiæ, ita neque huius sacramenti, quod est consummatiuum pœnitentiæ, vt dixit Concilium. Item, quia in illis nondum est Christiana vita inchoata, quia hæc vita, iuxta Concilij mentem, in rationali actione consistit: subdit enim, *quæ* scilicet vita, *perpetua pœnitentia esse debet.* Tandem id patet ex fine huius sacramenti suprà posito, & ab ipso Concilio declarato; institutum enim est propter luctam, & grauissimas tentationes articuli mortis, ad confirmandum infirmum hominem, & exhilarandum illum, ac recreãdum eius animum molestiis ægritudinis oppressum, atque adeò ad superandam debilitatem ex peccato relictam, vel conferẽdam etiam remissionem actualium peccatorum, si necessaria sit: quorum omnium non est capax infans, quia nec tentari potest, nec resistere, &c. non est ergo subiectum capax huius sacramenti. Deniq; hoc sumi potest ex verbis Iacobi, dum enim ait, *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, apertè loquitur de actualibus peccatis: supponit ergo hominem vngendum debere esse capacem actualis peccati. Item dum ait, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ:* significat ipsummet infirmum debere petere hoc sacramentum, vel eius susceptioni consentire, quod facere non potest, nisi qui ratione vtitur. Quæ omnia æquè procedunt in illis, qui nunquàm rationis vsum habuerunt, vt perpetuò amentes, qui infantibus cõparantur quoad omnia, ex sententia omnium, sæpiùs in superioribus pertractata.

4. Obiectio.

Dicet verò aliquis, in infantibus, vel amentibus sunt reliquiæ peccati originalis, contra quas etiam hoc sacramentum datur. Item est mortis periculum, vnde potest hoc sacramentum eis esse vtile ad sanitatem

tatem corporis recuperandam, ac deniq; ad augmẽ-
Soluitur. tum gratię obtinendum. Respõdetur, hoc sacramentum nõ tollere reliquias peccati originalis in se seu radicaliter, sed per auxilia spiritualia, confortando animum ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam, infãtes verò non sunt capaces huius remedij, vt per se constat. Sanitas autem corporis non est effectus primarius, sed secundarius huius sacramẽti, qui cessat cessãte primario: vnde propter illum solũ non est dandum hoc sacramentũ, maximè cùm infallibilis non sit. Augmẽtum verò, vel infusio gratiæ est generalis effectus sacramẽtorum, qui per singula sacramenta non datur, nisi vt coniunctus propriis effectibus sacramentorum ipsorum, & ideò vbi non est capacitas primarij ac proprij effectus, nec est capacitas sacramenti, nec effectus cõmunis sacramẽtorum, quatenus per tale sacramentũ conferẽdus est.

5. An debeat homo habere vsum rationis, quãdo suscipit hoc sacramentum. D. Thom.

Difficultas verò superest, an necesse sit hominem habere vsum rationis, quãdo susceperus est hoc sacramentum: aliqui enim Theologi hoc significant inter quos videtur esse D. Thom. in 4. d. 23. q. 2. art. 2. q. 3. ait enim sacramentum hoc non esse dandum furiosis, aut amẽtibus, etiamsi in periculo mortis sint, neque distinctionem facit de amentibus perpetuis, & de aliis. Imò loquens de illis, qui habent lucida interualla, inquit, eis dari posse in eo statu in quo ratione vtuntur. Ratio etiam eius hunc sensum indicare videtur, videlicet, quia hoc sacramentum confert suum effectũ mediante motu & deuotione suscipiẽtis, & ideò non potest dari illi, qui non est capax talis motus secundùm præsentẽ statũ, in quo tale sacramentũ recipit. Confirmare hoc possumus, quia hoc sacramentũ debet peti ab ipso suscipiente, vel saltem requirit consensum, & intentionẽ eius: hãc verò habere non potest qui caret vsu rationis: ergo. Distinguere verò oportet id, quod sufficit ad substantiã sacrameti, vel quod necessarium est vt honestè & rectè ministretur. Vt ergo sacramentum hoc validè ministretur, non est necesse vt quí illud recipit, tunc sit sui compos, aut habeat vsum rationis, satis enim est quòd aliquãdo habuerit, & peccare actualiter potuerit, quantùm est ex parte vsus rationis, quodq; susceptionis huius sacramenti sufficientem consensum præstiterit. Atque hæc pars communis Theologorũ est 4. d. 23. vbi Palud. q. 3. n. 14. Soto q. 2. ar. 2. Sylvest. verb. *Vnctio extrema*, q. 5. Nauarr. cap. 22. nu. 13. Ratio est, quia ad substantiã sacramenti, & vt persona absolutè sit capax illi⁹, sufficit quòd fuerit capax peccati actualis, deuotionis, tẽtationis, & resistentiæ, ac fiduciæ in Deum: quòd verò hic & nunc sit impeditus ne hos actus exercere valeat, per accidens est, ideóque non est contra substantiam sacramenti.

Soluitur quæstio cũ distinctione

Palud. Soto. Sylvest. Nauarr.

6. Obiectio.

Dices, Hoc argumentũ idem probaret de perpetuò amente, quia etiam illi est per accidens non posse recipere proprios effectus huius sacramenti, aut non indigere eius auxiliis. Respondetur negando similitudinem rationis: nã hic de facto nunquàm fuit capax actualis peccati, & ideò omninò non indiget, neque indigere potest sacramẽto hoc, quoad primarium effectum eius, qui est vltimò præparare hominem ad gloriam: alius verò fuit capax peccati actualis, & potest extremè indigere hoc sacramẽto ad salutem suam: quia est incapax hîc & nunc sacramenti pœnitentiæ: & inter fines præcipuos huius sacramẽti est supplere vices sacramenti pœnitentiæ, quando vel illud applicari non potest, vel de facto non satis vtiliter applicatũ est. Et ideò in huiusmodi homine accidentarium censetur, quòd non sit capax actualis deuotionis, & motionis, etiamsi hæc ad primarium effectum huius sacramẽti pertineant. Atque hoc maximè confirmat Ecclesiæ vsus, nihil enim frequentius fit, quàm iuuare hoc sacramento homines aliis sacramentis destitutos, & omni sensu, ac ratione carentes. Vt autem susceptioni talis sacramenti consentire censeantur, satis est quòd signa aliqua contritionis ediderint, vel quòd quacunque ratione probabili præsumantur esse dispositi ad sacramentũ recipiendum, quod semper præsumendum est, quoties contrarium non constat: quia qui malus non probatur, bonus esse præsumitur. Qui autem præsumitur contritus, vel bene dispositus ad iustificationem, etiam creditur habere, & reuerà habet virtute volũtatem suscipiendi illa media, quæ hîc & nunc ad suã salutem vel necessaria sunt, vel valdè vtilia, & hæc voluntas sufficit ad valorem huius sacramenti, vt superiori tomo Disputat. 6. de sacramentis in genere dixi, & Nauarrus suprà declarauit, dicens, sufficere vt antequàm aliquis amittat vsum rationis hoc sacramentum petierit, aut si meminisset, petiturus fuisset. Et in hoc sensu dicunt ferè Doctores omnes, quòd licèt ad recipiendum hoc sacramentum necessaria sit intentio seu petitio recipientis, iuxta illud Iacobi 5. *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, non tamen semper sit formalis necessaria, sed virtualis, seu interpretatiua sufficiat, vt patet ex Palud. Soto, Ledesm. aliis d. 23. Antonin. 3. p. tit. 11. cap. 8. §. 3. Petro Soto, Lect. 2. de hoc sacr. & Summistis.

Soto. Anton.

7. Quanuis autem hæc ad substantiam sacramenti sufficiant, ministri tamen huius sacramenti curare debent, vt detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, & cognoscere possint quid circa eos agatur, & ad deuotionem & fiduciam per ipsum sacramentum valeant excitari. Atque hoc est quod præcipuè voluit docere D. Thom. loco citato: estque valdè cõsentaneum reuerentiæ debitæ huic sacramẽto, & modo operandi eius, vt ratio etiam D. Thomæ ostendit, quæ non ampliùs probat. An verò hoc ita sit necessariũ, vt cadat sub præceptum, Auctores nihil dicunt, neque ego facilè hanc obligationem imponam, saltem sub culpa graui. Itaque quoties casu accidit infirmũ priùs amittere rationis vsum, quàm vngatur, tunc sine vlla culpa vngi potest.

8. Duo tamen obseruanda sunt, vnum, vt non constet illum amisisse rationis vsum, in malo statu, & indispositum ad effectum sacramenti: nam tunc cõstat fore peccatum graue dare sacramentum homini habẽti obicem, & nullo modo, id est, nec expressè, nec nec implicitè seu interpretatiuè petenti sacramentũ, & salutis suę remedium, saltem per signa attritionis, aut bonæ vitæ. Et hoc etiã spectat quod dixit Innocentius I. in Epist. 1. ad Decentium, cap. 8. Pœnitentibus non posse dari hanc vnctionem: quia genus est sacramenti: *nam quibus cætera* (inquit) *sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Ex quibus verbis constat, per pœnitentes intelligere, vel excommunicatos, vel omnes qui quacunque ratione per Ecclesiam sunt ab vsu sacramentorum seperati, quibus dandum non est hoc sacramẽtum nisi priùs à censura absoluantur, vel (antiquo more loquamur) donec per manus impositionem pacem accipiant, Ecclesiæque reconcilientur.

9. Alterum obseruandum est, vt etiam quoad exteriora, & corporalia, possit sacramentum ministrari sine vlla indecentia, vel immundicia: aut quid simile, quod etiam D. Thomas animaduertit in furiosis, & amẽtibus, in quibus maximè potest hoc periculũ intercedere, semper enim reuerentia sacramẽti præferẽda est priuatæ vtilitati alicuius personæ: ad prudentiam verò ministri spectat ponderare quanta illa sit, quantumque cauenda. Vnde quando ad conferendum hoc sacramentum consultò expectatur talis status hominis, in quo iam nihil sentiat, nec intelligat, id

gat,id certè non fit ſine antecedente culpa.Dico autem *antecedente*,quia poſtquàm infirmus iam eſt in illo ſtatu,non eſt ei denegãdum ſacramentum, ſi aliàs creditur eſſe diſpoſitus, neque erit noua culpa illud præſtare,licèt ſupponatur negligentia, quæ ſæcluſo contemptu,non videtur excedere culpam venialem. A

10. Dubium. Sed quoniam diximus neceſſarium eſſe, vt quando dandum eſt ſacramentum ei,qui tunc ratione nõ vtitur,credatur eſſe diſpoſitus ad effectum ſacramẽti,interrogari poteſt quid faciet miniſter ſi credat illum non eſſe in gratia, quia nec confeſſus eſt,nec aliud ſacramentum ſuſcepit,nec ſigna cõtritionis ſufficienter exhibuit,ſed cuiuſdam attritionis & timoris:itaque ponamus ſacerdoti cõſtare infirmum fuiſſe attritum, poteritne dare hoc ſacramentum licitè? alter enim nõpoteſt licitè accipere cũ ſola attritione

Reſoluitur. cognita:ergo nec miniſter poteſt licitè dare.Reſpõdeo,poſſe: quia ſi conferat ſacramentum, non carebit effectu ſuo.Diximus enim ſuprà ſacramentũ hoc facere de attrito contritum,quoties ſuſcipiẽs de nouo non peccat in illius ſuſceptione: ſed ille recipiẽs non peccat de nouo:nã ratione talis ſtatus eſt incapax noui peccati,& aliàs ſupponitur attrit⁹,ergo fiet cõtritus virtute ſacramẽti, ergo dignè illi tribuitur. B

## SECTIO II.

### *Vtrùm ſolus infirmus corpore,& animo,ſit capax huius ſacramenti.*

1. VANVIS ſolus homo baptizatus,viator, & ratione vtẽs, ſit huius ſacramenti capax, non tamen omnis:neceſſe eſt enim vt aliqua ſpeciali ratione hoc ſacramento indigeat:ſicut enim pœnitentia nõ eſt per ſe inſtituta vt omnibus detur, ſed indigentibus:ita hoc ſacramẽtum, quod eſt pœnitentiæ conſummatiuum, non eſt vt per ſe detur omnibus, ſed in aliqua neceſſitate conſtitutis. Hæc autem neceſſitas eſſe poteſt, vel corporis, vel animi, de quibus hîc dicendum eſt. C

2. Solum infirmũ corpore eſſe capacẽ. Aſſert. 1. Circa primum punctum aſſertio certa eſt,eum tantùm hominem,qui corpore infirmus eſt,& in eo ſtatu vt vita eius periclitetur,eſſe capacem huius ſacramenti.Concluſio eſt omnium Theologorũ diſtinct. 23.ſumpta ex verbis Iacobi, *Infirmatur quis in vobis? &c.*igitur donec quis infirmetur,non eſt in ſtatu capaci huius ſacramenti.Vndè Concilium Florent.di- D

Conc. Flor. xit,*Hoc ſacramentum niſi infirmis dari non debet*.. Atque ita etiam declarauit Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14.

Trident. c.3. de hoc ſacramento dicens, *Declaratur etiam, eſſe hanc vnctionem infirmis adhibendam.* Vbi non expreſsè declarant hæc Concilia hanc conditionem eſſe de neceſſitate ſacramenti: nam Florentinum non dixit, *Dari non poteſt*,ſed,*non debet*,quod verbũ etiam de his quæ ſolùm ex præcepto ſunt neceſſaria, dici poteſt: nec plus exprimunt verba Tridentini.Nihilominùs tamen certum eſt, ita eſſe hanc neceſſitatem intelligendam,vt omnes Theologi intellexerunt,& ex cõmuni ſenſu & vſu totius Eccleſiæ conſtat. Vnde & oleum,quo ſacramentum hoc conficitur,*oleum infirmorum* appellari conſueuit,vt conſtat ex Pontificali E Romano, & ex cap.vnico , de ſacra vnctione. Item Concilia id ſatis ſignificant: tum quatenus id colligunt ex loco Iacobi, in quo apertè ponitur hæc cõditio vt neceſſaria:tum quia ita dicunt infirmum eſſe ſuſceptiuum huius ſacramenti, ſicut presbyterum eſſe miniſtrum, at hoc poſterius ponunt vt neceſſarium ad ſubſtantiam ſacramenti,ergo & prius. Præterea ex fine huius ſacramenti idem conſtat, primarius enim finis eſt alleuiatio & confortatio infirmi, ſecundarius verò reſtitutio ſanitatis, vterque autem ſupponit hominem infirmare. Deniq; ad hoc ſignificandum (vt ex D. Thoma ſuprà retulimus) forma huius ſacramenti per modum deprecationis inſtituta eſt, materia verò per modum vnctionis ſeu curationis.Eſt ergo hæc conditio ex parte ſubiecti de neceſſitate ſacramenti:neque in hoc eſt vlla difficultas.

3. Quis gradus infirmitatis requiratur. Maius dubium eſt de gradu ægritudinis:nam Tridentinum poſt dicta verba, *Declarat hanc vnctionem eſſe infirmis exhibendam*; ſubdit hæc, *Illis præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur,vnde & ſacramentum exeuntium appellatur.* Addendo enim illam particulã,*præſertim*, ſignificare videtur hoc non eſſe abſolutè neceſſarium, vel ſaltem non æquè neceſſarium ac prius.Concilium autẽ Florentinum abſolutè & eodem verborũ tenore dixit. Conc.Flor. *Hoc ſacramentum niſi infirmo,de cuius morte timetur,dari non debet:* vtrumque ergo æquè neceſſarium eſt. Verba etiam Iacobi rem dubiam relinquunt:nam ſi verba vulgatæ editionis ſpectemus,ſolùm habent,*Infirmatur quis in vobis?* ſufficit ergo infirmari, qualiſcunque infirmitas ſit.Si verò ad Græcum textum recurramus,verbum Κάμνοντα deficientem,& penè moriẽtem ſignificat.Videtur ergo hunc ſtatum requirere. Quod etiam indicant illa verba, *Et oratio fidei ſaluabit infirmum:* hæc enim promiſſio ſupponere videtur ſalutem infirmi periclitari. Item quod ſubdit, *Et alleuiabit eum Dominus*,etiam ſupponit infirmitatem eſſe grauem & moleſtam.

4. Vera reſolutio. Vnde in hac re faciliùs dicitur quid in vſu ſeruandum eſt, quàm quid ſit ſimpliciter neceſſarium, tam ex præcepto,quàm de neceſſitate ſacramenti. Itaque in primis oportet vt infirmitas ex ſua ſpecie, vel in hoc indiuiduo,iudicio prudentum ſit grauis,& quæ infirmum in periculo vitæ conſtituere valeat. Hoc conſtat ex vſu Eccleſiæ. Vnde non dubito quin hoc ſaltem ſit ex præcepto,vt conuincit Concilium Florentinum.Et probabilius exiſtimo eſſe etiam hoc de neceſſitate ſacramenti, propter idem Concilium, & ptopter verba Iacobi.Item propter rationem,quæ ex fine,& inſtitutione huius ſacramenti colligitur. Eſt enim hoc ſacramentum inſtitutum tanquàm extremum remedium hominum infirmorum, & morientium,quo & in grauiſſimo mortis periculo iuuẽtur, & ad gloriæ introitum,quoad fieri poſſit, diſponantur:ergo vt minimum requirit hominem ita decumbentem, vt ex tali infirmitate mors poſſit moraliter timeri ſaltem remotè, & quantùm eſt ex natura talis ægritudinis in tali ſubiecto. Item cùm ſanitas etiam corporis per hoc ſacramẽtum procuretur, certè ſupponi debet infirmitas ex ſe grauis:namveriſimile nõ eſt tale ſacramentũ eſſe inſtitutũ propter quamlibet leuem ægritudinem curandam. Et ſanè, ſi ſacramentum hoc validè dari poſſet cuilibet ægrotanti communi & ordinario morbo, ex quo nullũ periculum timeretur, non eſſet cur omnibus huiuſmodi infirmis tale ſacramentum denegaretur, ita vt licitè illis dari non poſſet.Cur enim priuarentur hoc ſacramẽto, cùm aliàs nulla tali ſacramẽto irreuerẽtia fieret? requiritur ergo grauis ſeu lethalis morbus etiam ad valorem ſacramenti.

5. Oportere vt morbus ſit periculoſus & in periculo conſtituat infirmum. Vnde vlteriùs addo,in vſu ſeruandum eſſe,vt non ſolùm morbus ex ſe grauis ſit,ſed etiam vt ſtatus,talis ſit,qui infirmum in graui periculo mortis conſtituat. Ita docent omnes Doctores, & ſatis confirmatur ex cõmuni vſu Eccleſiæ. Et teſtimonia adducta, præſertim Concilij Tridentini, hoc etiam probant: ac denique idem perſuadet ratio ex fine ſacramenti deſumpta.Quia verò hic ſtatus nõ poteſt habere tãtam certitudinem,multumq; ex arbitrio pẽdet, ideò non videtur hæc conditio ita ſubſtantialis,vt ſi fortè aliquantulùm prẽmaturè vngatur infirmus,ſacramentum

mentũ propterea sit nullum existimandum: quin potiùs quoties morbus ex se fuerit periculosus & grauis, existimo sacramentum esse validum, etiamsi ad statum morbi vel non satis, vel etiam nihil attendatur. Dices, Cur ergo meliùs censetur expectare morbi grauitatem, augmentum, & periculum? Respondetur, tum propter maiorem certitudinem: tum etiã, quia effectus, & auxilium huius sacramẽti ad illum articulum sunt maximè accõmodata. Addo verò, nõ esse expectandum vt infirmus iã sensu & cognitione careat: nam id potiùs est cõtra reuerentiã, & vtilitatẽ sacramenti, vt suprà tactum est. Nec etiã est expectãdum tempus, in quo iam constet infirmum nõ posse naturaliter viuere: nam hoc etiam derogat secundario fini huius sacramenti. Quanuis enim hoc sacramẽtum supernaturaliter iuuet ad sanitatẽ recuperãdam, non tamen, est consentaneum institutioni, nec rationi expectare tempus, in quo ferè manifestè sit necessarium miraculum: nam hoc est quodammodò tentare Deum, & virtutem sacramẽti velle experiri.

Interrogationi satisfit

6. Dubium. An in quouis mortis periculo dãdum sit hoc sacramentũ. Dubio satisfit.

Sed quæres, an in quouis articulo, seu periculo mortis dandum sit hoc sacramentum: spectato enim fine huius sacramenti, ita videtur affirmandum: quia semper in illo euẽtu indiget homo specialibus auxiliis contra tentationes, semperque Dæmon vehemẽtiùs tunc insistit aduersùs hominem, vndecunque talis articulus oriatur. Denique semper est tunc necessaria melior dispositio, & puritas animæ pro ingressu gloriæ. Respondetur, non in omni occasione mortis, sed solùm in illa, quæ ex corporis infirmitate prouenit, esse hoc sacramentum applicãdum. Ratio est, quia solus infirmus est huius sacramenti capax, sæpe autem homo sanus existens, est moraliter morti vicinus, vt si mors sit violenta, siue per coactionẽ homini, vt cùm homo est damnatus ad mortem, siue per aliam causam naturalem, vt si homo incipiat lõgam nauigationem, vbi est periculum naufragij. Ita docent omnes Doctores. Sylu. verb. *Vnctio extrema*, q.5. Soto d.23. & ibi alij Theologi, Nauar. c. 22.n.13. Vnde colligere licet, sacramentum hoc esse specialiter institutum ad roborandum hominẽ corpore deficientem ob ægritudinem, quãdo autẽ sanus est, licèt sit morti vicinus, habet integras naturales vires, & non ab intrinseco, sed per accidens, & ab extrinseco deficit, & ideò nõ est pro illo institutum sacramentum hoc. Aduertendum est tamen, aliud esse hominẽ sanum violẽter interfici, aliud verò quòd homo per violentiam in morbum inciderit, in quo iam est morti vicinus: nam quæ diximus procedunt in priori casu, vt exempla adducta declarãt. At verò in posteriori casu est longè diuersa ratio, quia homo est verè infirmus, & consequenter capax huius sacramenti, vndecunque infirmitas originẽ duxerit. Exẽplum est, cùm aliquis lethale vulnus accipit, estque in periculo mortis, sine vlla enim dubitatione vngendus est: quia iam verè ægrotat, licèt causa ægritudinis fuerit extrinseca, & violẽta, quod accidentarium est: & ita etiam in hoc omnes conueniunt.

Sylueſt. Soto. Nauarr.

## *An solus ille, qui actualiter peccauit, sit capax huius sacramenti.*

7. CIRCA aliud punctum tractari solet quæstio, an sit de necessitate huius sacramenti, vt suscipiens aliquando actualiter peccauerit. Et ratio dubitandi sumitur ex verbis formæ, *Remittat tibi Deus quidquid peccasti per visum, &c.* quæ manifestè supponit actuale peccatum. Vnde propter hanc præcipuè causam pueri, & perpetuò amentes non sunt capaces huius sacramenti: quia cùm non sint capaces peccati actualis, non potest super illos formam verè proferri. Quod videtur significasse D. Tho. d.23.q.2.art.2.q.4.ad 1. dicens, hoc sacramentum nõ esse cõtra reliquias peccati originalis, nisi quatenus sunt per actualia peccata confortatæ, & ideò non esse dandum pueris. Beatissima etiam Virgo non fuit capax huius sacramenti, quia non fuit capax actualis peccati: signum ergo est, neminem esse capacem huius sacramenti, nisi qui actualiter peccauit. Tandem, hoc sacramẽtum institutum est per modum medicinæ, tam animæ, quàm corporis: ergo sicut supponit infirmitatem corporis, ita etiam animæ.

D.Thom.

Nihilominùs dicendum est, hoc sacramentum dari posse etiam illi, qui nunquàm actualiter peccauit. Ita docuit Carthus. in Sum. fidei, lib.5.cap.149. in fine, Viguer. in Instit.c.16. §.4. vers.6. Astens. in Sum. lib.5.tit.41.art.5.q.1. & ar.7.q.3. & 4. Bonau. d.23.p.2.art.1.q.2. Rich. art.2. q.4. & sumitur ex q.1. ad 3. Guille. de Rub. ibi q.1.dub.3. Mai.q.1.ad 2. Palacios disp.1.circa finem: idemq; supponunt Albert. Anton. & alij qui dicunt beatã Virginem suscepisse hoc sacramẽtum, quos retuli 1.tomo, disput.18.sect.3. Ratio est, quia neque ex verbis Iacobi, neque ex aliquo Concilio, nec ex forma vel materia huius sacramenti, neq; ex fine eius colligi potest necessitas huius cõditionis, & alioqui effect9 primarius huius sacramẽti optimè locũ habet in eo, qui nunquàm actualiter peccauit, ergo & ipsum sacramentũ. Maior probatur quoad singulas partes: nam Iacobus solùm dixit: *Si in peccatis sit, dimittẽtur ei,* quę verba nõ supponunt necessariò peccatum: quia conditionalis nihil ponit in esse, sed ad summum supponunt possibilitatem peccandi. Concilium item Florent. & Tridẽt. in hoc nihil addunt his, quæ Iacobus explicauit. Forma item iuxta verba Iacobi intelligenda est, scilicet cõditionaliter, seu potentialiter, *Ignoscat tibi Deus quidquid peccasti*, id est, *si quid peccasti*, vel, *quidquid solet per visum peccari, &c.* sicut suprà dicebamus de illo, qui semper caruit aliquo sensu, per quem peccare non potuit. Ex materia verò clarum est nihil posse colligi: quia, licèt vnctio significet curationẽ spiritualem, & hæc videatur animæ ægritudinem supponere, nõ tamen aliam necessariò, præter eam quam homo lapsus ex se habet ad resistendũ tentationibus dęmonum, pręcipuè in mortis articulo, & adiuncta debilitate corporis ex morbo proueniente. Vnde neque ex fine aliquid colligitur: quia vnus ex principalibus finibus huius sacramenti est roborare infirmum in eo articulo cõtra dæmonis insidias, & vngere athletam ad pugnam, hoc autem subsidio indiget etiam ille homo, qui nunquàm peccauit. Atq; hac ratione locum habet in huiusmodi homine auxilium huius sacramenti contra reliquias peccati: nam satis ad hoc sunt reliquiæ peccati originalis, quales sunt ipsa etiã corporis ægritudo, vel debilitas, vel etiam quilibet dolor, aut tristitia, quæ possit hominem retardare à feruore deuotionis, & hilaritate mentis, in eo articulo maximè necessariis. Minor autẽ principalis argumenti ex dictis probata relinquitur: quia ille etiã, qui nunquam peccauit actualiter, de se est debilis & infirmus ratione originalis peccati, vel reliquiarum eius, & ægritudinis ad superandas dęmonis insidias: ergo nõ solùm est capax proprij auxilij huius sacramenti, sed etiam illo maximè indiget: præterquàm quòd gratiæ sanctificantis augmentum recipiet, & ad ingressum gloriæ perfectiùs præparabitur.

8. Posse dari hoc sacramentum illi qui nũquàm actualiter peccauit. Secunda cõclusio. Carthus. Viguer. Astens. Richard. Guillel. de Rub. Maior. Palac. Antonin.

Et confirmatur primò conclusio, quia ex communi sententia omnium, si quis in graui morbo, & in fine vitæ constitutus baptizetur, & viaticum suscipiat, potest & debet hoc sacramẽtum illi ministrari, etiãsi nullius peccati post susceptum Baptismũ habeat: ergo peccasse actualiter non est de necessitate huius sacramenti.

9. Cõfirmatur conclusio.

sacramenti. Probatur consequẽtia, quia ille non habet peccata actualia post Baptismum commissa, vt supponim⁹, si quæ verò habuit ante Baptismum, illa sunt in Baptismo prors⁹ extincta. Quòd si dicas manere reliquias, certè fieri sæpe potest, vt non plures maneãt, quã ex solo originali peccato: ponam⁹ enim semel tantùm, aut iterum venialiter peccasse. Vnde confirmatur secundò: nam licèt quis post huiusmodi peccata actualia sanctissimè vixerit, & per multos annos (ex priuilegio) omni peccato caruerit, nihilominùs capax est huius sacramenti, & tamen iam non sunt reliquiæ actualium peccatorum, & forma non potest in eo vera esse, nisi in sensu suprà explicato: ergo idem erit, etiamsi nullum actuale peccatum commisisset: nam si de præsenti peccatum, vel reliquiæ eius necessaria non sunt, quòd peccatum præcesserit actu, impertinens est. In sacramento enim pœnitentiæ debet peccatum saltem præcessisse: quia per cõfessionem debet subdi clauibus, & ita fit quodammodò præsens: quod non habet locum in hoc sacramento, nec alia necessitas fingi potest. Tandem confirmatur tertiò, quia peccatum actuale non est materia proxima, vel remota huius sacramenti, sicut pœnitentiæ: ergo, quanuis non præcesserit, possunt applicari omnia essentialia ad hoc sacramentum cõficiendum: ergo.

10. Obiectioni satisfit.

Dices, licèt peccatum actuale non sit materia necessaria ratione sui, tamen est ratione reliquiarum. Respõdetur primò sufficere reliquias originalis peccati: secundò impropriam esse locutionem illam, nõ enim minùs ordinatur Baptismus contra ipsum originale peccatum, quàm Extrema vnctio contra reliquias eius, imò illud certius est, & tamen nemo dicit peccatum originale esse materiam Baptismi, sed esse terminum à quo effectus Baptismi, vel esse malum contra quod institutus est Baptismus: idem ergo erit in præsenti. Vnde, sicut est capax huius Baptismi, qui non habet originale peccatum, vt patet maximè in his, qui sine voto illius iustificati fuerunt ante illius institutionem, imò etiam est capax illius qui nunquàm illud in re habuit, de se tamen, & ex vi suę originis erat illi obnoxius, vt beata Virgo: quia hoc satis est vt sit capax gratiæ expulsiuæ peccati originalis: ita esset capax huius sacramenti, etiamsi quis non haberet vllas reliquias originalis peccati, nec habuisset vnquàm ex priuilegio: quia nihilominùs esset capax gratiæ, & auxilij confortantis contra illas reliquias, & ex vi suæ originis indigeret illa gratia, quod satis est. Et ita etiam applicari potest efficaciter forma, *Indulgeat tibi Deus, &c.* id est, conferat tibi gratiam ex se remittentem omnem culpam, si adsit, & confortantem contra reliquias eius, si necesse sit.

11. Satisfit rationi dubitãdi in principio positæ.

Atque ex his satisfactum videtur rationibus dubitãdi in principio positis. Ad illud verò, quod de beatissima Virgine attingebatur, ex dictis hîc, & in citato loco tom. 2. colligere licet, probabilius esse illam recepisse hoc sacramentum, quia nihil est quod obstiterit: & aliàs decuit, tum propter fructũ, tum propter exemplum, tum propter ipsum sacramentum, ne despici videretur, neq; hoc est magis indecens, quàm quòd beata Virgo fuerit baptizata, quandoquidem etiam Baptismus datur in remissionẽ peccati, & ipsa ablutio non quamcunq; sanctificationem, sed illam, quæ à sorde peccati lauat, significat: tamen quia non significat illum vt necessariò actualiter faciendum, sed solùm quoad collationem gratiæ de se sufficientis & ordinatæ ad illud malum expellendum, ideò in Virgine etiam locum habere potuit: idem ergo dicendum est de forma, & effectu seu gratia huius sacramenti. Magis dubitari poterat ex eo quòd beata Virgo non videtur corporaliter ægrotasse, nec ex propria infirmitate corporali mortua fuisse, Verumtamen dicendum est, licèt nõ fuerit passa infirmitatem prouenientem ex inordinatione humorum, tamen habuisse quandam corporis debilitatem ab intrinseco prouenientem, quæ ad eum statum peruenit, in quo iam naturaliter nõ poterat anima in corpore conseruari: atque hæc dispositio est sufficiens infirmitas corporis ad hoc sacramentum suscipiendum. Sicut si quis confectus senili ætate, moreretur ex ipsius naturæ defectu absque alia ægritudine, nihilominùs vngendus esset: quia illa est sufficiẽs infirmitas constituens hominem in necessitate huius sacramenti: ita ergo de beata Virgine sentiẽdum est.

## SECTIO III.

### *Quæ partes corporis sint proximum subiectum huius sacramenti.*

1. Non esse necessarium totũ corpus inungere.

CERTVM est ad conficiendum hoc sacramentum, necessarium non esse totum corpus homini inungere. Quod docent omnes Theologi, & ex vsu Ecclesiæ, & dictis suprà de materia proxima huius sacramenti satis constat. Item, quanuis Iacobus dicat, *Vngentes eum*, non dicit, *vngentes totum eum*; nec ad veritatem illius locutionis necessarium est totum corpus inungere. Sicut quando de Apostolis dicitur, *Vngebant infirmos*; non est sensus, vnxisse integrè tota corpora illorum, sed in aliqua parte ad curationem accommodata: sic ergo est in præsenti. Denique, quanuis de Baptismo dicatur, *Baptizantes eos*, nõ est necesse integrè totum corpus lauare: ergo similiter, &c. Scio D. Thomam in 4. d. 23. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3. differentiam in hoc constituere inter Baptismum, & sacram Vnctionem, quòd in Baptismo abluitur totum corpus, non verò vngitur totum in hoc sacramento. Et rationem differentiæ, reddit, quia Baptismus datur per modum ablutionis ad tollendas sordes: per ablutionem autem tantùm mundatur ea pars, quæ lauatur; & ideò, vt significetur totum hominem mundari, totum corpus abluitur. Vnctio verò datur per modum curationis: sæpe autem curatur pars, licèt non ipsa, sed alia, vbi est radix mali, inungatur: & ideò, vt significetur integra curatio, non est necesse totum corpus vngi, sed partes illas, in quibus est radix morbi. Quæ doctrina optimè declarat & confirmat veritatem positam, continetque congruentiam non solùm illius ritus, qui pertinet ad substantiam Baptismi, sed etiam illius, qui ad cæremoniam seu frequentiorem vsum spectat. Certum est enim nõ esse de substãtia Baptismi, vt totum corpus lauetur, aut quòd per immersionem fiat: quia verò nunc frequentiùs ita fit, præsertim in infantibus, in vnctione verò nunquàm fit, ideò voluit D. Thomas illius rei rationem reddere.

D. Thom.

2. Quinque partes determinatas esse vngendas.

Deinde docent Theologi, quanuis non totum corpus sit vngendum, non tamen esse liberum ministro, quas voluerit partes corporis vngere, sed iuxta numerum quinque vnctionum, quas suprà declarauimus, quinq; partes determinatas esse vngendas, nempè quinque organa sensuum. Cuius ratio est institutio, per vsum & traditionem Ecclesiæ nobis sufficienter manifestata. Congruentia verò iam tacta fuit à D Thoma: quia in quinque sensibus viget origo omnis peccati. Non possunt autem sensus ipsi in se inungi, sed solùm ratione organi corporei; ibi ergo faciẽdę sunt quinq; vnctiones: vnde, sicut illę essentiales sunt, ita ex parte subiecti ad substãtiam sacramenti pertinet, quòd in talib⁹ subiectis proximis seu partialibus fiãt. Est autem aduertenda differentia in

Differentiam sensum

tia inter tactũ, & alios sensus.

ter sensum tactus, & alios, quòd alij habent determinatas partes corporis, in quibus eorũ organa insunt: vnde etiam manifestum est illas solùm pertinere ad substantiam huius sacramenti. Quòd si contingat sensum deesse, aut organum esse prorsus destructum, necessarium semper est, vt, si homo viuit, maneat in facie situs ille corporis, in quo sensus, eiúsque organum residere debet, & ideò nunquàm deesse potest essentiale subiectum (vt sic dicã) talium vnctionum. At verò tactus est dispersus per totũ corpus, & ideò videri potest illa vnctio, quantùm ad substantiam spectat, sufficienter fieri in quacunque corporis parte: quia ibi viget tactus.

3. Vnctio tactus debet fieri in manibus.

Nihilominùs communis Ecclesiæ vsus habet, vt talis vnctio fiat in manibus: quia ibi dicitur esse organum huius sẽsus in maiori perfectione ac vigore: & communiter indicant Theologi illam determinatam partem pertinere ad substantiam sacramẽti. Solùm vnum inuenio, qui dicat, potiùs vnctionem pedum essentialem esse, quàm manuum: oppositum autem docet D. Thom. expressè in 4. dist. 23. q. 2. art. 3. q. 2. aliàs in Additionib. q. 23. art. 6. Palud. d. 23. q. 2. art. 3. Richard. art. 3. q. 1. Durand. q. 4. n. 8. Soto q. 2. art. 3. Ledesm. q. 34. art. 6. Sylue. Nau, & omnes Summistæ. Ex ipsis formis optimè colligitur: nam cùm manus vnguntur, dicitur, *Remittat tibi Deus quidquid peccasti per tactum:* cùm verò vnguntur pedes, dicitur *quidquid per incessum:* signum ergo est manus adhibere, vt continentes principaliter organum tactus, atq; adeò illam partem esse per se magis necessariam: quia vis motiua seu incedendi, propter quã vnguntur pedes, & vis appetitiua seu concupiscentiæ, propter quam vnguntur renes, sunt secundaria principia peccatorum, ideoque non sunt ita necessaria.

D. Thom. Palud. Richard. Durand. Soto. Ledesma. Sylvest. Nauarr.

4. Quid si vngendus careat manibus.

Circa hanc verò partem occurrit cõmunis difficultas: quia fieri potest, vt his, qui vngẽdus est, careat manibus; ergo caret proximo subiecto, (vt sic dicã) quod est de necessitate sacramenti: erit ergo ille incapax huius sacramẽti: vrget autem difficultas, quãdo homo caret vtraque manu: nam si altera tantùm careat, altera erit sufficiens: quia, vt suprà dictum est, in singulorum sensuum organis vna sufficit vnctio, licèt ad maiorem integritatem, vel ornatum soleant duæ fieri in his sensibus, qui veluti bipartita habent organa in duabus partibus principalibus. Vnde, deficiente vna manu, altera est inungẽda propter essentiã: propter vsum autem, seu perfectionem vngetur in alio brachio pars extremæ manui propinqua, vel si brachium desit, in eo situ fiet vnctio, qui est quasi fundamentum manus. At verò quando vtraq; manus deest, maius videtur esse dubium. Primò à simili de sacramento Ordinis, supponendo enim vnctionem manuũ esse de essentia Diaconatus, vel Presbyterij, qui caret manibus, incapax prorsus est illius sacramenti, nec poterit in propinquis partibus inungi, non solùm licitè, verùm etiam neque validè: ergo similiter, &c. Secundò, quia partes vngendæ ex vi institutionis sũt determinatæ; si ergo inter alias partes manus fuerunt designatæ, non possunt loco illarum aliæ à nobis substitui. Tertiò, si coniectura vrendum est, non esset localis propinquitas attendenda, quæ est veluti materialis, sed potiùs illa pars esset vngenda, in qua post manus tactus vehementior est, magisque viget: quia hæc est formalior propinquitas, ac similitudo.

Respõsio.

Impugnatur.

5. Vera resolutio.

Nihilominùs certissimum est huiusmodi hominem non esse incapacem huius sacramẽti, & vnctionem tunc faciendam esse in parte propinqua, vt omnes Doctores docent, & vsus Ecclesiæ satis ostendit. Et ratio est facilis, quia talis homo non minùs indiget fine, & fructu huius sacramẽti: debuit ergo ita instituivt ab eius participatione non excluderetur. In quo cernitur clara differentia inter hoc sacramentũ, & Ordinem: nam qui caret manibus, prorsus est ineptus ad finem & officium illius sacramenti, & ideò meritò est incapax illius, ibique manus designatæ sunt, vt omninò essentiales, nõ verò in præsenti. Vnde etiam facilè respondetur ad secundam rationem, in hoc sacramento manus nõ esse designatas, vt adæquatum subiectũ illius vnctionis, quę ratione tactus sic, sed illud esse organũ tactus, manus verò designatas esse, vt per se loquẽdo ibi debeat fieri talis vnctio quoad fieri possit: quia cùm nõ sit vngendum totum corpus, pars aliqua designari debuit, non tamen ita præcisè, vt illa deficiente, esset impossibilis talis vnctio, cùm adhuc maneat organum tactus, sed ita vt ille sit quasi primarium subiectum, quo deficiente, eius locum habeat pars illi propinquior. In hoc autem retinenda etiam est sententia communis, vt pars situ corporis propinquior vngenda sit, quanuis non videam omnimodam certitudinem cur hoc pertineat ad essentiam sacramenti: quia nec ex consuetudine Ecclesiæ hoc satis constare potest, cùm casus sit rarissimus, nec ex alio certo principio: quia coniectura tertio loco posita contemnenda non est. Præferenda verò est communis sententia, quæ sine dubio etiam in praxi seruatur, quando similis casus occurrit. Et ratio reddi potest, quia nulla certior regula, & notior omnibus dari poterat: nam vbi post manus tactus magis vigeat incertum est, vixque Philosophi, aut Medici id norunt: quæ autem pars sit manui propinquior, notissimum est: & ideò cùm manus fuerint veluti primo loco designatæ, consequẽter suo ordine designatæ ad id muneris erunt partes propinquiores, vt illis deficientibus, earum loco substituerentur.

Impugnatio suprà posita refellitur.

## DISPVTATIO XLIII.

*De Ministro sacramenti Extremæ vnctionis.*

HÆc est vltima causa huius sacramenti, de qua duo breuiter dicẽda sunt, scilicet, quis sit minister omninò necessarius huius sacramenti, quisque sufficiat.

### SECTIO I.

*Vtrùm Sacerdos sit minister proprius huius sacramenti.*

1. Hæreticorũ error.

HÆRETICI sicut negant vnctionis sacramentum, ita negant vnctionem illam, de qua loquutus est Iacobus, esse necessariò à sacerdotibus ministrandam: quia Iacobus solùm dicit, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, id est, seniores, & grauiores fidelium, id enim (aiunt) & nõ aliud in rigore significat vox Græca πρεσβύτερος. Atq; hi consequenter loquuntur, quia putant illã vnctionem tãtùm fuisse ad curationẽ corporũ per gratiam sanitatũ, qua vnctione vti possunt omnes fideles, qui talem gratiã à Deo habuerint, vt de discipulis Antonij refert Ruffi. li. 2. hist. c. 4. & de S. Martino, Seuerus Sulpic. in vita eius c. 21. & de aliis Palad. c. 1. & 20. Accedit, quòd Innocẽt. I. epist. 11. ad Decen. ca. 8. loquendo de oleo sancto, inquit, *Quo non solùm sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet, in sua, aut suorum necessitate inungẽdo.* Quæ verba vsurpauit etiam Concilium Vormatiẽse c. 72. & ferè Beda in Iacobũ. Aliqui verò ex Catholicis dixerunt, saltem in extrema necessitate, quando sacerdotis copia haberi non potest, posse hoc sacramentum ministrari ab inferiori clerico vel etiam à laico, si alius non fuerit, sicut potest

Ruffin. Seuer. Sulpic. Palad. Innoc. I.

Conc. Vormatiens. Beda.

Vualdens. test Baptismus: ita Vualdens. tom. 2. de Sacramentis, cap. 163.

2. Solum sacerdotem esse ministrum huius sacramenti. Assert. 1. Dico tamen primò, Solus sacerdos est minister huius sacramenti, neque ab alio validè confici potest. Cùm autem excluduam addimus, clarum est inferiores excludi, non tamè superiores, qui, licèt sint Episcopi, sunt etiam sacerdotes: nam, vt dixit suprà Innocentius, *Superfluum est vt de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus, aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere.* Quibus verbis, vt suprà dixi, oleum sanctum comprehendit; cuius benedictionem manifestè sentit esse propriam Episcopi; quod suprà attigimus, & in hac disputatione exactiùs declarare proposuimus. Vsum verò olei benedicti in conficiendo hoc sacramento dicit ita licere presbytero, vt à fortiori Episcopo liceat. Conclusio ergo sic exposita de fide est, fundaturque præcipuè in verbis Iacobi, *Inducat presbyteros Ecclesiæ.* Quamuis enim nomen *Presbyteri*, in communi vsu Græcæ linguæ possit etiam seniorem significare; tamen in viu Ecclesiæ, & præsertim Apostolorum, communiter sumitur pro Ecclesiæ sacerdotibus: quod ostendit tum locus ille Pauli 1. ad Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyterij*, tum communis vsus retentus in Ecclesia Latina, quæ veluti traditio quædam Apostolica reputari potest: atque ita intellexerunt locum hunc Concilia Florētinum, & Tridentinum sess. 14. ca. 3. & canon. 4. de hoc sacramento, & indicarunt Beda, & alij in eum locum, & Cyrillus libr. 2. in Leuitic. Chrysostomus libro secundo, & tertio, de Sacerdotio. Gratianus post cap. *Presbyteros*, 95. distinctione.

Conc. Flor. Trident. Cyrill. Chrysost. Gratian.

3. Ratio à priori. Ratio à priori est Christi institutio, quam nobis Iacobus, & Ecclesia sufficienter proposuerunt. Congruētia optima est, quia hoc sacramētum ordinatur suo modo ad sanctificandos fideles: potestas autem sanctificandi fideles est propria sacerdotum, per se loquendo, pertinetque ad potestatē in corpus Christi mysticum, & ideò etiā administratio huius sacramenti eorum est propria. Estque hoc etiam consentaneum sanctitati Sacramentorum, per se enim requirunt sacros ministros ad id muneris specialiter consecratos, excepto Baptismo, propter specialē necessitatē, & matrimonio, propter specialem eius naturam: in hoc autem sacramento nulla est peculiaris ratio, quę talem exceptionem postulet. Dices, Etiam Diaconus est minister consecratus. Respondetur, nō tamen sufficienter ad hoc sacramentum ministrandum: quia nec habet potestatē in corpus Christi verum, nec ad remittēda peccata; & ideò nec per se habēt potestatē in corpus mysticum, ad sanctificandū illud, & remittēda peccata etiam mortalia, quod interdum per hoc sacramentum fit. Vnde etiam obiter verisimile fit, potestatem hanc ministrādi hoc sacramentum, tunc maximè datam fuisse Apostolis, quādo ordinati sunt quoad potestatem remittendi peccata, Ioann. 20. Non expediebat autem hoc ministerium reseruari Episcopis, tum quia, vt ex Innocentio retulimus, aliis grauioribus occupationibus impediendi erant, nec tam facilè poterāt in omnibus oppidis inueniri, tum etiam, quia, si iudicium de peccatis per pœnitentiā sacerdotibus commissum est, meritò etiam sacramentum hoc, quod veluti consummatiuum est pœnitentiæ, eiisdem committitur.

Obiectioni occurritur.

4. An quilibet simplex sacerdos sit sufficiens minister. Potest verò quis interrogare, an quilibet simplex sacerdos sit sufficiens minister huius sacramenti, vel indigeat aliqua alia potestate. Respondeo, vt sacramentum validum efficiat, quemlibet sacerdotem simplicem esse sufficientē ministrum, quia sacramētum hoc non pendet quoad substantiam, nisi ex potestate Ordinis sacerdotalis; hanc autem integram habet quilibet sacerdos simplex, vt de fide certū est. Prior propositio certissima est, quia hoc sacramentū non confertur per modum iudicij, sed per modum cuiusdam sanctificationis, & medicinæ; ergo per se, & essentialiter nō requirit potestatē iurisdictionis; ergo solam postulat potestatem ordinis, nam præter has duas non potest fingi alia potestas, seu conditio simpliciter necessaria. Dices sacramentum hoc dari per modum curationis: quamuis autem corporalis curatio non indigeat iurisdictione, spiritualis autem videtur illam requirere, quia est actus pastoralis. Respondetur, hoc argumento ad summum probari, ad rectam & licitam huius sacramenti administrationem necessarium esse, vt sacerdos habeat iurisdictionem, vel licentiam proprij sacerdotis, vt dicemus commodiùs sequenti sect. id enim ad præcepta huius sacramenti pertinet. Non tamen probat ratio facta necessitatem simpliciter ad validitatem sacramenti, quia nec est actus ligandi, aut soluendi, nec propriè actus superioris: & quamuis hoc sacramentum interdum remittat peccata, id tamen nec est per se primò, nec per modum absolutionis, seu sententiæ.

Sufficiēs minister. Obiect. Diluitur.

5. Nec laicum nec diaconū esse ministros huius sacramenti. Assert. 2. D. Thom.

Vltimò dicendum est, sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita vt propter nullam causā vel defectum sacerdotis possit laicus, imò nec diaconus, sacramentum hoc validè cōficere. Assertionem hanc ferè æquè certam quàm primam esse existimo. Et in ea cōueniunt Theologi in 4. d. 23. D. Thom. q. 2. ar. 1. Vbi assignās generalem regulam sacramentorum, ait, in solo Baptismo diuina dispensatione factū esse, vt in necessitate possit à non sacerdote ministrari: intelligit autem de sacramentis, quæ consistunt in vsu, vt dispensationem Eucharistiæ excludamus; & quorum proprius ac per se minister est sacerdos, vt matrimonium etiā excipiamus. In eadem sententia sunt Bonauent. Palud. Dur. & reliqui, & Summistæ, Bonau. Paludan. Durand. Tridentin. Præterea hoc voluit Concil. Trid. c. 3. de hoc sacramento, cùm docuit, vel Episcopum, vel sacerdotem ritè ordinatum esse proprium ministrum huius sacramenti, quod sub anathemate definit can. 4. Cōcilium autem Florent. simpliciter dixit, *Minister autem huius sacramenti est sacerdos*, nulla adhibita exceptione, quā agens de sacramento Baptismi statim adiunxit, ideoque non dixit absolutè, sacerdotem esse ministrum Baptismi, sed *ordinarium ministrum*. Vnde concluditur ratio, nā in his rebus supernaturalibus, quæ ex institutione pendent, nobis non licet addere exceptionem, præter generalem regulā, sine auctoritate, vel euidenti ratione: hīc autem regula generalis Iacobi est, vt ad vngēdum infirmum inducatur presbyter, & Concilia declarant illum esse sacerdotem, quem simpliciter definiunt esse ministrum, seu proprium ministrum: nulla est autē auctoritas ad excipiendum ab hac regula aliquem casum: nec etiam probabilis ratio, quia sacramentum hoc non est necessitatis, sicut Baptismus: ergo. Et confirmatur, nam per se loquendo, magis necessarium est sacramētum pœnitentię, & nihilominùs propter nullam necessitatem potest ab alio, quàm à sacerdote ministrari, quia nunquàm ita necessarium est, quin possit homo per cōtritionem saluari: ergo à fortiori idem dicendum est de hoc sacramento.

Florent.

6. Destruitur fundamentum hæreticorum.

Ad fundamentum ergo hæreticorum iam responsum est, mentem Iacobi fuisse de sacerdotibus loqui: alioqui quid necesse erat seniores vocare, vt infirmū vngerent? certè potiùs sanctiores vocandi fuissent, per

per quos Deus faciliùs cõferret sanitatem, si talis vnctio ad illam supernaturaliter conferendam præcipuè ordinabatur. Igitur illud fundamentum hæreticũ est, vt in superioribus est ostensum. Circa exempla verò sanctorum, quæ ibi afferuntur, aduertendum est, non constare ex historiis illos vsos fuisse ad sanandos miraculosè infirmos oleo ab Episcopo cõsecrato ad vngendos infirmos, sed oleo alio, quod ipsi fortasse per signum crucis, vel aliam deprecationem benedicebãt. Quod si fortè oleo infirmorum vtebantur, non licet inde argumentum sumere ad sacramentalem vnctionem, quæ est valdè diuersa: nec verò illi damnandi alicuius criminis sunt, eò quòd materia remota sacramenti, ad alium vsum, quàm ad sacramentum conficiendum, vterentur: tum quia credendum est diuina inspiratione motos id fecisse; tum quia id non est intrinsecè malum, nec constat esse prohibitum, quando alius vsus sanctus est, & cum debita reuerentia, aliisq; honestis circunstantiis fit. Atq; in hũc modum voluerunt aliqui explicare locũ Innocentij, scilicet, licere omnibus Christianis vti oleo ad vngendũ suos infirmos in necessitate, non quidẽ sacramentaliter, sed alio modo ex deuotione, si necesse sit. Nõ est autem expositio consentanea mẽti Innocentij, qui planè loquitur de vnctione sacramentali: nam infrà concludit hoc esse genus sacramenti. Dicendum ergo est loqui de vsu passiuo, scilicet, licere omnibus fidelibus vti passiuè hoc oleo, vocando presbyteros qui se vel suos in necessitate vngant. Ita exposuit Ruard. art. 2. Iansen. in c. 6. Marci, & ibidem Maldonatus, Bell. lib. 2. de hoc sacramẽto cap. 9. Cæsar. Bar. tom. 1. Anno Christi 63. numer. 14.

Ruard. Iansen. Mardon. Bellarm. Cæsar. Bar.

## SECTIO II.

### *Vtrùm possit hoc sacramentum à multis sacerdotibus confici.*

1. Sufficere vnũ sacerdotem.

DVo sunt in hac quæstione certa. Primum est, vnum sacerdotem, per se loquendo, esse sufficientem ministrum huius sacramenti. Hoc est de fide certum, constatque ex vniuersali vsu Ecclesiæ, & ex generali regula sacramentorum: & quia in vno sacerdote est potestas sufficiens ad applicandam totam materiam, & formam ad hoc sacramentum necessariam. Vnde in c. *Quæsiuit* de verb. signi. definiuit Pontifex sacerdotem, vel alio præsente, vel etiam solum, posse infirmum vngere.

Obiect. Soluitur.

Dices, Cur ergo Iacobus dixit, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*? Respondeo perinde fuisse ac si diceret vocet vnum ex presbyteris Ecclesiæ, ita vt plurale pro singulari acceptum sit: vel certè propter reuerentiam, vel solennitatem sacramenti positum est plurale illud, vt significaretur sacramentum hoc cum debita pompa, & solennitate esse deferendum. Atque hinc colligitur aliud: quod certum esse diximus, hoc sacramentum, regulariter ac per se loquendo ab vno, & eodem ministro esse perficiendum à quo inchoatur, ita vt si aliter sine necessitate fiat, sine graui peccato non fiat. Ita indicant Doctores cõmuniter de hoc sacramẽto scribentes, licèt in particulari non ita expressè declarent. Videtur autem certum ex eisdem ferè principiis, quibus positam veritatem ostendimus. Nam in primis ita habet vsus Ecclesiæ, à quo in re graui non sine graui crimine discrepatur: deinde ita obseruatur in omnibus aliis sacramentis, ergo & in hoc seruandum est. Tertiò, quia voluntariè relinquere sacramentum inchoatum, & imperfectum, de se graue crimen est: nam quòd ab alio posteà perficiatur extrinsecum, & quasi accidentarium est.

2. Vtrùm sit de necessitate sacramẽti, quòd sit vnus sacerdos. Dupliciter explicatur quæstio. De priori modo.

Difficultas verò superest, an possit sacramentum hoc interdum à pluribus ministris validè fieri. Duobus autem modis possunt duo sacerdotes ad hoc ministerium concurrere: primò, vt vnus faciat vnctionẽ, alius verò proferat formam, siue in omnibus vnctionibus, siue in singulis, seu aliqua ex essentialibus: secundò, vt vnus faciat vnam vel plures vnctiones cum formis illis proportionatis, non tamen omnes essentiales; alius verò compleat, quæ defuerint. De priori modo nihil inuenio dictum à Theologis in particulari de hoc sacramento. De Baptismo quidem docent non esse validum, si vnus abluat, alter verò formam proferat. Videtur tamen hic diuersa ratio: nã ibi forma profertur per modum indicatiui. Ego te baptizo: vnde nõ potest esse vera, nisi idem lauet qui profert formã: hic verò forma est deprecatiua, quæ non designat actionem propriam deprecantis, sed solùm præsentem vnctionem, quæ potest ab alio fieri, vt patet, cùm dicitur, *Per hanc sacram vnctionẽ, &c.* ergo nec formæ, nec materiæ huius sacramenti repugnat quòd minister integer huius sacramenti ex duabus personis conficiatur, quarũ altera vngat, altera formã proferat: potestq; id esse necessariũ, si alter sit mutus, alter verò manibus careat: cur ergo dicemus, tale sacramentũ esse inualidũ. Maximè cum in genere loquẽdo, nõ repugnet rationi sacramẽti, vt sic, materiã ministrari ab vna persona, formã verò proferri ab alia, vt in sacramẽto pœnitentiæ constat, & suo modo in matrimonio; in speciali autem ratione huius sacramenti nihil sit quod repugnet.

3. Non posse hoc sacramentum à pluribus validè fieri.

Nihilominùs dicendum, non posse hoc modo sacramentum validè fieri à pluribus personis, seu ministrit partialibus. Hoc videntur de sacremẽto hoc supponere qui de Baptismo idem sentiunt, quos retuli superiori tomo, disp. 23. sect. 3. videtur enim esse eadẽ vel maior ratio. Nam, si in illo sacramento, quod est maximè necessitatis, id Christus non permisit ex vi suæ institutionis, cur in hoc sacramento, quod necessarium non est id admittere debuisset? Item est ratio generalis in omnibus sacramentis, quorum materia proxima est actio ministri: nam determinanda est per formam, vt cum ea vnum sacramentum constituat: ergo conuenientissimè omne huiusmodi sacramẽtum ita institutum est, vt ab eadem persona proferenda sit forma, à qua fit actio, & è conuerso. Præterea vsus Ecclesiæ plurimùm fauet, nunquàm enim visum est sacramentum hoc aliter cõfici: ex quo vsu explicari videntur verba Iacobi, & verba formæ, vt hunc sensum referant. Nam Iacobus ait, *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum.* Expendenda enim & coniungenda sunt illa verba, *Orent vngentes:* eundẽ ergo vult esse qui orat, & qui vngit, vult enim vt vngendo oret, & vngat orãdo. Simili modo cũ in forma dicitur, *Per hanc sacrã vnctionẽ*, minister nõ alienã, sed propriã actionẽ designat: nã etiã iuxta vsitatũ loquẽdi morẽ hic est cõmunior sensus illius locutionis. Hęc ergo sententia tenenda videtur: nã coniecturæ in cõtrarium nullius sunt momenti, & ex dictis solutæ manent.

4. De secundo modo. Cõc. Florẽt. D. Thom.

Supereſt breuiter dicendum de alio sensu, in quo etiam videri potest, nunquam posse sacramentum hoc à pluribus sacerdotibus partialiter fieri. Primò, quia Concilium Florentinum dixit, ministrum huius sacramenti esse *sacerdotem*, non sacerdotes. Secundò, quia generalis ratio D. Thom. hac tertia parte quæstione 67. articul. 6. est, sicut principalis auctor sacramenti, qui est Christus, vna persona est, ita ministrum, qui ipsum repræsentat, debere esse vnam tan-

tùm personam. Tertiò, quia nulla est necessitas aliud dicendi, maximè enim esset illa, quæ ex illo ordinario casu sumitur, si contingat vnum sacerdotem mori facta vna vel duabus vnctionibus, nam tunc censetur necessarium, vt alius perficiat sacramentum: at hoc necessarium non est, nam potest alius inchoare sacramentum, & integrum conferre: nam quod alter facere incœpit, nullum fuit, hoc ipso, quòd essentialiter perfici non potuit. Ergo à posteriore sacerdote potest, & debet omitti, ac si factum non fuisset, & totum sacramentum integrè fieri. Quod potest exemplo Eucharistiæ cõfirmari, partim per similitudinem, partim per differentiam horum sacramentorum. In Eucharistia enim ita sunt formæ & materiæ partiales, vt tamen priora verba formæ statim cõficiant verũ sacramentum factum permanens, & ideò probabilius est, si sacerdos moriatur, consecrato pane, ante consecrationem calicis, alium debere perficere sacramentum, incipiendo tantùm à consecratione calicis: in præsenti verò est longè diuersa ratio: quia per priorem vnctionem nihil confectum aut sanctificatum manet. Adde, non obstante illa efficacitate priorum verborum Eucharistiæ, aliquos sensisse in dicto casu secundum sacerdotem debere integrum sacramentum perficere, incipiendo à consecratione nouæ hostiæ: quam sententiam probabilem saltem reputat D. Thomas. Soto verò, licet non censeat necessarium id fieri, affirmat tamen posse licitè fieri, vt tractaui superiore tom. disp. 85. sect. 1. Ergo multò magis hoc licebit in hoc sacramento: ergo erit etiam necessariũ, cùm prior sacerdos nihil in re effectum reliquerit. Quod inde magis declaratur, quia si in Eucharistia post consecratum panem cœpisset sacerdos dicere sequentia verba, *Simili modo posteaquàm cœnatũ est, &c.* si non perfecit formam sanguinis, alius sacerdos non debet tantùm addere verba, quæ defuerant, sed totam consecrationem sanguinis inchoare ab eisdem verbis, *Simili modo, &c.* quia quoad hoc prior sacerdos nihil in re factum reliquit, etiamsi verba inchoauerit: ergo simili modo in præsenti philosophãdum est. Tandẽ cõfirmatur, quia aliàs si extra illũ casum necessitatis duo sacerdotes ita vngerent diuidẽdo inter se ministerium, sacramentũ esset validum, quidquid sit de eorum culpa: consequẽs autem videtur absurdum, & contra communem vsũ Ecclesiæ.

D. Thom. Soto.

5. Vera resolutio quæstionis.

Nihilominùs satis recepta sententia est, posse sacramentum hoc dicto modo confici à pluribus sacerdotibus: Docet D. Thomas in 4. d. 23. qu. 1. art. 1. q. 2. ad 3. Ric. art. 1. q. 1. ad 4. Dur. q. 1. in fi. Sot. q. 1. art. 1. Ledesm. q. 31. art. 2. Syl. verbo *Vnctio extrema*, q. 4. Tabiena, num. 5. Qui dicunt esse hoc singulare in hoc sacramento, quia ex pluribus formis, & materiis partialibus constat, quanuis priores partes nihil factum relinquant quantùm ad effectum sacramenti, seu formę vel materiæ. In hoc enim posita est singularitas, si quę est in hoc sacramento. In aliis enim contingit sacramentum inchoatum ab vno, perfici ab alio; tamen ibi hoc est propter efficaciam priorũ verborũ, vt in Eucharistia declaratum est. Et suo modo cõtingere posset in Ordine: nam, si Episcopus ordinans sacerdotẽ, postquã dedit illi potestatẽ consecrandi corpus Christi verum, dicens, *Accipite potestatem offerendi sacrificiũ, &c.* statim moreretur, ordinatio esset ab alio Episcopo perficienda, non repetẽdo quod factũ est: quia fuit validum, fuitque verus character impressus. At verò in præsenti per priorem vnctionem & formã partialem nihil fit, & nihilominùs Doctores citati asserunt nullo modo repetendam esse, sed quod deerat supplẽdum esse ab alio sacerdote. Et hoc videtur esse fundamentum huius communis sententiæ: quia necesse est, vt tale sacramentum perfici possit, non enim debet priuari hoc sacramento, & effectu eius talis infirmus, eò quòd alius minister sacramentũ in eo inchoauerit, & perficere non potuerit: sed non potest perfici ab alio sacerdote iterando omnes vnctiones: quia hoc perinde esset, ac consecrare iterum eandem hostiam iam consecratam: ergo necesse est vt perficiatur illud sacramentum à duabus personis. Iuxta quod fundamentum non solùm dicendum est in hac sententia, sacramentum hoc in eo casu perfici posse à duobus ministris partialibus, verùm etiam non posse aliter fieri saltem licitè; quia non potest licitè secundus sacerdos iterare quod alter inchoauerat. Quod profectò difficile est, nihil enim tunc videtur iterari, cum nihil factũ sit, vt priora argumenta ostendere videntur: vt si in consecrationem Eucharistiæ poneremus vnam speciẽ non confici per priora verba, donec prolatis posterioribus verbis vtraque simul consecretur, consequenter dicendum esset, si moriatur sacerdos prolatis verbis cõsecrationis super hostiam, alium sacerdotem debere vtramque speciem conficere, etiam super eandem hostiam verba iterando: quia priora non habuerunt effectum: cur ergo in præsenti non idem licebit: cùm per priorem vnctionem nihil effectum sit? Quod si licet certè id videtur securius, vt certior sit effectio sacramenti, neque in hoc sacramento aliquid singulare sine necessitate asseratur.

6. Defenditur communis sententia.

Defendendo autem communem sententiam, à qua sine maiori fundamento nobis recedere non licet, dicendum est, priores partiales vnctiones, à priore sacerdote factas sub propriis formis partialibus, reuerà fuisse validas, id est, ex se sufficientes ad verum sacramentum conficiendum, & in suo gradu & ordine habuisse suam significationem, & perfectionem partialem. Cuius signum est, quia si prior sacerdos reliquas partes consummasset, perfectum ex omnibus fieret sacramentum: ergo priores ex se validæ erant. Vnde in hoc conuenit hæc partialis confectio sacramenti cum consecratione Hostiæ in Eucharistia, quòd vtraque est vera confessio sacramenti partialis, quanquàm differat in modo, quia diuersum esse sacramenti habent: Eucharistia enim habet esse permanens: & perficitur per transmutationem materiæ, & ideò, fit illa species sacramenti per propriam, & physicam actionem formæ circa materiam: hoc autem sacramentum tantùm consistit in vsu; eiúsque effectio non consistit in actione formæ circa materiam, sed in sola prolatione cum tali veluti informatione, seu artificiali coniũctione, & significatione, & ideo sine vlla actiuitate formæ verum efficitur hoc partiale sacramentum: in hoc ergo est formalis conuenientia. Et in ea fundatur ratio prioris sententiæ: nam in sacramentis conficiendis, quod semel validè factum est, non est iterandum, sed addendum quod deest: hæc autem pars sacramẽti validè facta est: ergo non est iteranda. Nam quòd vnũ sacramentum fiat per actionẽ, aliud verò minimè, diuersitas materialis est: formaliter enim etiam vnctio partialis manet suo modo consecrata per formam suã, id est, determinata ad significationem sacramentalẽ, & consequenter etiam ad efficientiam, si aliæ partes adiungantur. Vnde etiam non refert, quòd illæ priores vnctiones nullum habuerint effectum gratiæ in suscipiente: nam etiã per consecrationẽ hostiæ nondum gratia alicui confertur: satis ergo est, quod sacramentum quoad partem illam verè maneat confectũ, & subiectum licèt non maneat sanctificatum quantùm ad sanctitatem gratię, manet tamen, vt sic dicam, ex ea parte sacramentum, & dispositum ad effectum gratiæ, si reliquæ partes adiungantur: & ideò illud, quod factum fuit, non est iterandum, sed quod defuit addendum, ex quo fuit necessariò consequens, vt tale sacramentum à pluribus personis conficiatur.

Neque

Neque contra hoc obstant in contrarium obiecta. Ad Concilium enim Florentinum respondetur, Concilium Tridentinum in plurali fuisse locutum de sacerdotibus iuxta modum etiam loquendi Iacobi: & ideò ex neutro loquendi modo posse argumentum sumi: nam & plurale pro singulari, & singulare pro pluribus personis concurrentibus per modum vnius accipi potest. Ad secundum respondetur, illam congruentiam saluari sufficienter in hoc, quòd simul vnus sacerdos tantùm operatur, quòd verò plures successiuè operentur, est per accidens, & materiale quid, sicut quòd artifex nunc per vnum calamum, nunc per aliũ scribat, per accidens, & materiale quid est, semper enim vtitur vno tantùm calamo, & omnibus aliis in ratione vnius, vt D. Thom. in 4. dist. 23. dixit. Ad tertium verò iam responsum est. Quod verò in fine eius addebatur de verbis consecrationis sanguinis inchoatis, non est simile: nam illa verba inchoata non habent completam significationem, etiam partialem, vnde etiam in fieri nondum conficiunt partiale sacramentum, nec aliquid confectum relinquunt: in præsenti autem partialis vnctio cum sua forma iam habent suã integritatem, suumque complementum in esse sacramenti partialis: quia iam habent suam significationem completam, & ideò quoad illam partem verè relinquunt sacramentum confectum: similitudo autẽ procederet, si sacerdos inchoasset, vel fecisset aliquam vnctionem, non tamen perfecisset formam ad illam pertinentẽ; tunc enim talis vnctio, & forma eius omninò iteranda esset, quia perfecta nõ fuit. Ad vltimam denique confirmationem concedo in illo casu validũ fore sacramentum, quia nihil substantiale illi deest: grauiter tamen peccaturos sacerdotes, qui sine necessitate sacramentum illo modo conficerent, tum propter vsum & ritum Ecclesiæ, tum quia per se vnitas ministri, etiam quoad personam, aptior est, & certior in conficiendo sacramento: denique argumentum fieri posset in Eucharistia.

7. Diluuntur argumenta posita contra sententiã communẽ.

D. Thom.

8. Ruard.

Atque hinc colligit Ruard art. 12. posse hoc sacramentum à pluribus sacerdotibus simul confici, si vnus vngit aures, dũ alius vngit oculos, & sic de aliis: quod in rigore verum videtur, quantùm attinet ad substantiam sacramenti: quia non est de essentia huius sacramenti, quòd illæ vnctiones successiuè fiant, nulla enim ratione probabili id ostendi potest. Sicut enim suprà dicebamus ordinem vnctionum non esse de essentia: ita videtur manifestum, successionem non esse essentialem: nam par est ratio: sed vnitas personæ non est etiam essentialis: ergo, si illo modo ministretur sacramentum, nihil essentiale deest: erit ergo validum. Imò, si necessitas vrgeat, & mors infirmi timeatur, non videtur illicitum sic vngere: quia propter necessitatem omnia hæc accidẽtalia prætermitti possunt. Item: quia si ob necessitatem ex parte ministri licitũ est hoc sacramentum ministrari à pluribus personis: cur non ob necessitatem suscipientis, & timorem, ne subiectum & tempus deficiant? Denique hoc non est alienum à verbis Iacobi, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &cæt.* At verò sine necessitate hoc facere, illicitum esset, propter rationes suprà tactas. Sed quid si duo sacerdotes simul vngãt omnes sensus, vnus vnum oculum, & alius aliũ, & sic de cæteris? Respõdeo, hoc semper esse illicitum: quia nunquàm potest esse necessarium, vel ad valorẽ sacramenti: quia sufficienter conficitur per singulas vnctiones sensuum, vt diximus, vel ad subueniendum necessitati infirmi: quia sacramentum non citiùs conficitur illo modo, quàm si ab vno tantùm per vnam vnctionem vniuscuiusque sensus fieret. Non est tamẽ dubium quin esset validum sacramentum, vt à fortiori ex dictis constat: an verò esset vnum, vel plura, controuerti potest, & Ruardus significat esse vnum: quia ex omnibus illis vnctionibus integrari potest tota materia vnius sacramenti: estque probabile. Ego verò censeo esse distincta, vt sint valida: quia necesse est vt vnusquisque intendat perficere sacramentum independenter ab alio quoad singulas vnctiones singulorum sensuum: quia aliàs nihil efficerent: nam illo modo non potest minister sacramenti esse partialis, vt in simili de Baptismo probaui loco suprà citato; estque eadem ratio in præsenti.

A

B

C

D

E

## DISPVTATIO XLIV.

### *De præceptis, & ritu sacramenti Extremæ vnctionis.*

DVæ tantùm personæ per se interueniunt in hoc sacramento, suscipiens & ministrãs, vnde ad illas possũt pertinere obligationes seu præcepta, si quæ sunt in hoc sacramẽto coniuncta. Hæc ergo explicanda superfunt in hac materia, simulq; dicimus de ritu, quoniam breuis res est, nullamque difficultatem, aut eruditionem requirit.

### SECTIO I.

### *Vtrùm fideles obligentur aliquo præcepto ad susceptionem huius sacramenti.*

1. Duo genera præceptorũ.

DVo genera præceptorum soleo in hac materia distinguere, vnum voco quoad exercitium, vel vsum, estque illud, quod obligat ad suscipiendum sacramentum; aliud appello quoad specificationem, quod obligat ad modum seruandum in tali vsu, si fiat: quod per negationem solet etiam explicari, scilicet, non accipiendi sacramentum sine hac vel illa conditione: de vtroque igitur præceptorum genere breuiter dicemus.

2. De primo genere, non esse affirmatiuum præceptum ad suscipiendũ hoc sacramẽtum.

D. Thom. Palud. Soto. Gabr. Rub. Sylvest. Nauar. Caiet. Armil. Victoria. Ruard. Couar.

Circa primum est communis opinio, nullum esse affirmatiuum præceptum de suscipiendo hoc sacramento, etiam in extremo vitæ discrimine. Ita D. Thomas in 4. dist. 23. articulo primo, quæstione tertia, ad primum, vbi in hoc sensu negat hoc sacramentum esse de necessitate salutis, non enim agit de sola necessitate medij, sed etiã præcepti, vt patet: quia in hoc constituit differentiam inter hoc sacramentum, & Eucharistiam. Idem sentit Palud. ibi quæstione 3. Soto quæstione prima, articul. primo, Supplemẽt. Gabriel quæstione prima, Rub. vlt. Sylvest. qu. 9. Nauar. capit. 22. num. 16. Caietan. verb. *vnctio extrema.* Armilla, num. 1. Victoria in summa, num. 219. Ruardus art. 12. Couar. cap. *Alma*, 2. par. §. 2. num. 6. Qui fundantur: quia tale præceptum neq; ex natura rei sequitur ex institutione huius sacramenti; nec inuenitur à Christo, vel ab Ecclesia traditum: ergo asserendũ non est. Maior probatur: quia sacramentum hoc non est medium necessarium ad salutem: sed tantùm vtile & ad melius esse: ergo ex vi suæ institutionis non affert secum præceptum. Minor verò patet, quia nec tale præceptum inuenitur scriptum: Iacobus enim promulgans hoc sacramentum, nullum verbum apposuit vim præcipiendi habens, sed simpliciter dixit, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, &cæt.* Neque etiam in Conciliis reperitur, vt statim dicemus. Nec etiam tale præceptum sufficienti aliqua traditione aut consuetudine introductum est, cuius argumentum est, quod Theologi tale præceptum non agnoscunt. Nec Concilium Tridentinum aliquid huiusmodi insinuauit: nam sess. 7. de Sacramentis in genere solùm dixit, non omnia esse singulis ad salutem necessaria: in sess. verò 14. agens de hoc Sacramento tantùm dixit, non posse à Christianis sine peccato contemni. Præterea Ecclesia cùm tempore interdicti permittat ministrari fidelibus ea sacramenta, quæ sunt necessaria, hoc minimè permittit, vt patet ex capit. *Quod in te*, de pœnit. & remiss.

Trident.

missis.& sequenti libro suo loco latiùs dicemus: ergo signum est, vsum huius sacramenti absolutè non esse necessarium, atque adeò non esse in præcepto diuino: de Ecclesiastico autem certum est nullũ extare: ergo.

3. Petri Sori sententia cõtra communem. Magist.

Ab hac tamen communi sententia videtur dissentire Petrus Soto lect.2.de hoc sacramento: sentit enim sacramentum hoc sine peccato non omitti, etiamsi per negligentiam omittatur, quod verũ non esset, nisi esset sub præcepto. Fauetque huic opinioni Magist.in 4.distinct. 23. vbi sub disiunctione ait, esse peccatum omittere hoc sacramentum, vel ex contemptu, vel ex negligẽtia, vbi in secunda particula indicat præceptũ: vbi Bonauentura ibi in expositione textus illam particulam, *vel*, pro copulatiua, *Et*, exponit esse positam; quia nimirum singula membra sufficiunt ad tale peccatum. Vnde subdit, ita esse iudicandum de hoc sacramento, sicut indicatur de sacramento altaris: ergo vel negat esse præceptum de sacramento altaris, quod credendum non est, vel affirmat esse de hoc sacramẽto. Videtur idẽque fauere huic sententiæ Concilium Colonienſe anni 1536.part. 7. cap. 50. dicens. *Est autem vnctio impendenda cum expositione vnctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet, Infirmatur quis in vobis, &c.* Et Concilium Senonense in Decretis fidei decreto 10.dicens: *Ne hic noster vngendi infirmos ritus Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dixit Iacobus, Infirmatur quis in vobis, &c.*

4. Reprobatur Petri Sori sententia.

Veruntamen hæc sententia simpliciter loquendo de præcepto sufficienter fundari non potest, & ideò à communi sentẽtia recedendum non est. Nam quod hoc sacramentum sit per se vtilissimum, & interdum ex accidenti possit esse necessarium, non satis ostendit præceptum per se annexum huic sacramento ex vi religionis, aut charitatis Dei: hæ namque virtutes non obligant sub præcepto ad id quod melius est, neque etiam charitas propria, vt per se constat. Et quanuis videatur quædam prodigalitas spiritualis, sine cogente causa perdere tantùm spiritualem fructum; tamen intrinsecè, ac per se non est peccatum mortale: quia sine illo fructu potest diligi Deus super omnia, & salus æterna obtineri. Neq, etiam ex parte periculi, cui homo se exponit in articulo mortis omittendo tale remedium contra insidias inimici, est per se peccatum mortale: quia potest aliis modis subuenire sibi per orationem, & sacrificia: quia licèt hoc sacramentum multum ad hoc conferat, non est tamen necessarium medium, nec ob illius carentiam exponit se homo morali ac proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere, seu consentiendi alicui tentationi dæmonis. Denique neque ex consuetudine Ecclesiæ potest colligi tale præceptum: quia licèt regulariter omnes qui possunt, hoc sacramentum recipiant in illo articulo, non est sub ratione obligationis necessaria, sed quia in illo momento, à quo æternitas pendet, omnes cupiunt securissimam addere salutis viam quoad possint, præsertim in re quæ sine difficultate aliqua fieri potest. Denique Concilium Colonienſe loquitur latè de mandato, vt includit quancunque admonitionem, voluntatis superioris manifestantem volũtatem; vel certè loquitur de mandato explicante ritũ & modum sacramenti, non verò præcipiente simpliciter vsum eius. Concilium autem Senonense non agit de præcepto huius sacramenti, sed de illo speciali mandato, quo præcepit Christus Apostolis vt infirmos curarent, Marc.6.

5. Quando in omissione huius sacramenti detur peccatum. Primus casus ex scãdalo.

Sed licèt hæc per se loquendo, vera sint, omnes Doctores aduertunt in duobus casibus posse in hac omissione interuenire peccatum mortale. Primus est ratione scandali, quæ ratio generalis & accidentalis est, vt per se constat. Oportet tamen aduertere, scandalum propriè esse, quando ex vnius facto alij ad peccandum excitantur: quod scandalum tunc maximè est peccatum mortale, quando alij inducuntur ad peccandum mortaliter, efficaciter, vel cum periculo morali, quantum est ex parte operantis. In præsenti ergo rarò interuenit huiusmodi scandalum in hoc rigore & proprietate, tum quia ex eo quòd aliquis sit negligens in sumenda Vnctione extrema, rari sunt qui inducantur ad similem omissionem, cuius occasio tunc non occurrit: tum etiam quia licèt ad hoc inducerentur exemplo alterius, non inducerentur ad peccandum mortaliter, per se loquendo, vt ex dictis constat: & ideò ex eo solo capite non esset proprium & rigorosum scandalum. Posset tamen eam rationem habere, si eo exemplo inducerentur fideles, vel ad parui pendendum hoc sacramentum, vel ad negligenda generaliter remedia suæ salutis, vel ad iudicandum temerè & cum publica detractione de salute spirituali talis personæ, vel alia similia, quæ respectu cõmutantis non sunt sine graui periculo multorum peccatorum mortalium, vel certè non sine graui detrimento spirituali eiusdem communitatis, quod interdum potest sufficere, vt scandalum sit graue peccatum, vt suo loco dicendum est latiùs.

6. Secũdus casus ex contẽpta. Conc. Trid.

Alter casus est, quando ex contemptu hoc sacramentũ omittitur, quẽ ponunt expressè omnes Theologi, & Summistæ, & illum approbat Concilium Tridentinum, quanuis non definiat tunc esse peccatum mortale, sed simpliciter doceat, non posse sacramentum hoc sine peccato contemni. Et meritò ita loquitur, quia in contemptu possunt esse gradus, & aliquis potest esse leuis, saltem ex imperfecta deliberatione: regulariter verò talis contemptus peccatum mortale est, multùm enim derogat religioni, & reuerentiæ debitæ sacramento. Conc.Col. Vnde in Concilio Colon. sub Adolpho c.vlt. sic habetur: *Relatum nobis in Concilio est, impios quosdam homines infirmitatis suæ tempore vnctionem sacram respuisse ac contempsisse: quamobrem statuimus, vt si quis sacramentum illud, nobis ab Apostolo Iacobo tantoperè commendatum, contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.* De hoc verò contemptu quid, & quando sit, in materia de Legibus ex professo declaratur & videri potest Nauarr.cap.23.num.42. Quidã verò putant hîc sufficere ad contemptum, quod quis sciens & videns, directè nolit recipere sacramentum hoc, licèt ad id solùm moueatur ex notabili negligentia seu accidia aut ex nimio aliquo timore humano, ita sentit Maior.4. distinct.23. vbi videri debet Richard. & Michaël Episcopus Vespergensis in Catechis.concione 75.& 76. Vnde Ruard. suprà asserit, vix posse aliquem excusari à peccato mortali, qui ex graui negligentia sacramentum hoc prætermittit. Sed in rigore hoc satis non est ad contemptum, licèt moraliter præsumatur: si tamen quis solùm moueretur ex eo, quòd non est sibi præceptum, & aliunde repugnantiam, vel difficultatem sentit, non esset contemptus, nec mortale peccatum per se loquendo, & seclusis aliis periculis, vel scandalis. Oportet ergo vt quis parui pendat sacramentum & fructus eius, qui modus contemptus vix potest in aliquo reperiri, nisi laboret aliquo errore, vel hæresi circa tale sacramentum. Et iuxta hæc intelligendum puto quod Nauarrus suprà dicit, peccare grauiter eũ, qui hoc sacramẽtum non petit filio, aut seruo, famulo, pupillo, aut alij suæ curæ commisso. Nam videtur hoc intelligendum quando id petere omittit ex contemptu. Quem sensum indicat ipse Nauarrus: nam dixerat peccare eum, qui sibi non petit, quando id omittit ex contemptu: & subdit, *Idem si non petit filio*; ergo eodem modo intelligendum hoc est: vel in vniuersum, quando filius, vel subditus omittendo peccat mortaliter, alioqui non apparet cur debeat hoc esse peccatum

Maior. Richard. Michael Episc. Vesperg. Ruard.

graue

graue in superiori, si in ipsomet, qui sumpturus est, non est graue peccatum: nam ille non tenetur cum tanto rigore procurare alteri spiritualia commoda, quæ præcepta non sunt, vt ex eodem Nauarro sumi potest capit. 21. numero. 57. Secus vero esset in superiore religionis, vel etiam in Parocho, qui speciali obligatione officij sui ad hoc tenentur.

Nauar.

7. Tertius casus quando infirmus nō potest aliud sacramentū suscipere. Palud.

Tertius casus potest hîc addi, qui iam sæpe tactus est, quando infirmus non possit aliud sacramentum suscipere: nam tunc videtur esse mediū maximè necessarium ad salutem, vt sentit Palud. d. 23. qu. 1. art. 3. conc. 4. Sed hic casus in primis rarissimus est, quia hoc sacramentum non potest nisi à sacerdote ministrari, vel igitur pœnitens ratione vtitur, & sentit, & sic confiteri poterit, cessabitque illa necessitas: vel omninò non sentit, & tunc non est capax talis oligationis, nec potest sacramentum postulare, sed alij ex officio tenebuntur ministrare. Rarissimè ergo potest fingi talis casus, nisi tunc fortasse, quando sacerdos non vult confessionem audire, vel est tam ignorans, vt nesciat absolutionem proferre, sciat autē vnctionem ministrare, vel denique si omninò non potest confessionem audire, aut infirmus non audet confiteri illi sine grauissimo periculo, vel scandali, vel alterius detrimēti, quod ex vnctione non timet: quę omnia excogitari potiùs quàm moraliter accidere possunt. Admisso verò illo casu, adhuc videtur valdè incerta illa obligatio: quia vel infirmus contritus est, & moraliter ita iudicat, & tunc videtur cessare obligatio: quia iam nō est illi sacramentum hoc necessarium: & aliunde non est per se præceptum: vel cognoscit infirmus se esse tantùm attritum, & tunc non potest licitè suscipere hoc sacramentum cum ea sola dispositione: ergo non sumendo non peccabit immediatè contra hoc sacramentum seu illud omittendo, sed non habendo contritionem quam si habeat, iam cessat altera obligatio, vt argumentabamur. Respondeti verò potest, hanc obligationē tunc vrgere, etiamsi homo reputet se cōtritum, eò quòd facilè decipi potest, & in re ipsa non habere contritionem, & ob eā causam damnari, ideóque graui periculo suæ damnationis videtur se exponere omittendo hoc sacramentum. Quæ ratio est satis apparens quantùm ad obligationē ex charitate propria, propter damnum irreparabile, quod imminet, & propter difficultatem & incertitudinem veræ contritionis. Et mihi certè valdè probabilis res est, quanuis non adeò certa, quin aliis sit locus opinandi oppositū, dicendo, eum, qui moraliter est certus de contritione, non se exponere periculo, etiāsi alia media, quæ præcepta per se non sunt, omittat: maximè cùm non sit certum sacramentum hoc facere ex attrito cōtritum. Sed ego maiorem diligentiam censeo pro salute æterna adhibendam esse, ex lege saltem charitatis.

8. De secundo genere præceptorum.

De secundo genere obligationis seu præcepti pertinentis ad specificationem seu modum actus, pauca dicenda supersunt. Nam in superioribus diximus, teneri infirmum suscipere hoc sacramentum sine conscientia peccati mortalis, atque adeò existimans se esse contritum, seu in gratia: quia hoc est sacramentum viuorum, vt satis eo loco dictum est. Quæri verò potest vlteriùs, an teneatur infirmus priùs suscipere viaticum, quàm sacramentum hoc; & ferè idem de parocho quæri potest, an teneatur priùs illud sacramentum quàm hoc ministrare. Consuetudo enim Ecclesiæ hunc ordinem obseruat, vnde videtur cadere sub præceptum. Respondetur, certum est, viaticum non esse dispositionem per se loquendo requisitam ad hoc sacramentum: quia vtrumque sacramentum per se supponit iustitiam, & illa est dispositio ex natura rei sufficiens ad dignam susceptionem cuiuscunque sacramenti; vnum verò non est dispositio ad aliud ex natura sua, nec ex speciali ordinatione, cùm de hoc non inueniatur præceptum. Vnde propter rationabilē causam certum est posse dari Vnctionem sine viatico, quando vel illud haberi non potest, vel non sine vomitu, aut alia irreuerentia sumi, vt rectè docuit Alcuin. libr. de Diui. Offici. capit. 40. Vbi etiam significat si fieri possit, pœnitentiam & communionem esse præmittendam: eadem verò ratione poterit mutari ordo, quando seruari non possit sine mora, in qua periclitaretur vita infirmi. Secluſa verò aliqua huiusmodi causa; seruandus est ille ordo, propter cōsuetudinem: & quia ille ordo videtur satis consentaneus rationi, & institutioni vtriusque sacramenti: illud enim vt cibus ad confortandum in via præbetur: & ideò vt detur non est expectandum vltimum vitę periculum: hoc verò sacramentum exeuntium est, quasi in vltimum subsidium institutum. Non opinor autem hunc ordinem adeò esse rem grauem, vt si absque cōtemptu prætermittatur, ad peccandum mortaliter sufficiat: quia non extat adeò clarum præceptum de hac re. Nam Decreta, quæ ad hoc adduci solent ex Innocentio Epistol. 1. & Concil. Vormatiens. capite septuagesimo secundo, falsò citantur. Consuetudinem verò non constat esse sub hac apprehensione obligationis, & præcepti de ipso ordine, sed quia ipsa rerum dispositio hoc postulat; & Doctores, qui de hoc loquuntur non id docent vt necessarium. Addo, antiquum morem fuisse, & nunc etiam ferunt alicubi esse consuetudinem seruandi viaticum in postremum locum: quia est finis sacramentorum, & omnia ad illud quodammodò referuntur, vt loquitur D. Thom. 3. p. q. 63. artic. 3. Ita refert Supplem. Gab. d. 23. qu. 1. art. 3. dub. 3. & ex capi. *Ab infirmis*, 26. q. 7. potest sumi nonnullum argumentum ab ordine literæ: dicitur enim *Infirmos post confessionem sacra vnctione inunctos, communione viatici esse reficiendos*. Idem colligitur ex Bernardo in vita S. Malachiæ, *Vngitur* (ait) *Episcopus, & sumpto viatico ad lectum reuertitur*, & ex Petro Venerabili, lib. 3. epistol. 4. ibi, *A Domino Viselhasensi Abbate eum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus*. Surius etiā die 15. Augusti in vita S. Arnulphi Suession. Episcop. capite 50. refert priùs ipsum fuisse inunctum die Sabbati, posteà verò ad vesperam viaticum sumpsisse. Et B. Gertrudis lib. 5. diuinarum insinuationum, capit. 29. refert, ægrotis in primis ministrari solitum sacramentum pœnitentiæ, deinde extremæ vnctionis, vltimo Eucharistiæ inviaticum. Nec defuit congruentia huic cōsuetudini vel quæ suprà insinuata est, quod Eucharistia est finis omnium sacramentorum, & ideo esse debet executione vltimum: vel quia decet vt post perfectissimam animæ purgationem, tam quoad culpas quàm quoad reliquias earū, susciptatur: vel, quod perinde est, quia cum Extrema vnctio sit consummatiua pœnitentiæ, illi debet proximè coniungi, vt perfectè hominem disponat ad Eucharistiam. Vel denique quia viaticum, vt tale est, maius periculum, seu propinquitatem mortis requirit, quàm vnctio: quia viaticum per se solùm dandum est his, qui discessuri sunt, nec datur eis vt retineantur (vt sic dicam) sed vt proficiscantur: Vnctio verò datur, vt in vita retineantur, si expediat: & ideo magis datur vt curentur, quàm vt vadant, & ideo per se videtur prius danda. Quocirca, cùm dicitur in Catechismo Pij V. p. 2. cap. 6. n. 12. *Quoniam omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediat, ei verò nihil magis aduersatur quàm alicuius peccati moriferi conscientia, seruanda est Ecclesiæ Catholicæ perpetua consuetudo, vt ante Extremam vnctionem pœnitentia, & Eucharistiæ sacramentum administretur*. Hoc (inquam) quod de perpetua consuetudine dicitur, vel referendum est ad solum sacramentum pœnitentiæ: quia ratio in principio verborum posita

Vtrùm teneatur infirmus priùs suscipere viaticum, quàm hoc sacramē tum.

Alcuin.

D. Thom. Gabr.

Bernard.

Petrus Venerab.

Surius.

B. Gertrud.

Catech. Pij V.

sita non aliud probat. Nam conscientia peccati mortalis non tollitur per Eucharistiam, sed per pœnitentiam: aliàs potest retorqueri ratio, scilicet, Quia curandum est, ne gratia, sacramenti Eucharistiæ impediatur, Pœnitentiam, & Vnctionẽ præmittendam esse, &c. vel certè intelligi potest, de Eucharistia, vt absolutè cibus animæ est, non vt viaticum. Vel denique loquitur de communi consuetudine Ecclesiæ Romanæ aut Catholicæ maiori ex parte, non verò de omnibus eius prouinciis, vel regionibus. Et hoc satis est, vt hic ordo conuenientior à nobis iudicetur. Qui etiã fundari potuit in hoc, quòd Eucharistia multò citiùs, & faciliùs datur infirmis, quàm Extrema vnctio: quia non habet solùm rationem viatici, sed etiam cibi, qui semper necessarius est: postquàm autem semel accipitur, regulariter sæpiùs non datur eidem infirmo, etãsi ad extremum deueniat, propter difficultatẽ, vel propter reuerentiam, aut propter Parochorum morem, qui suo muneri satisfecisse videntur Vnctionem extremam addendo. At si post acceptam vnctionem infirmus petat Eucharistiam, licèt illam anteà receperit, illi neganda non est, si aliud non obstat. Et hoc fortasse modo accidit in exemplis in contrarium allatis: nam ex his solùm habetur, Eucharistiam datam fuisse post vnctionem, non verò quod anteà etiam susceptа non esset.

9. An necessariò ante hoc sacrametum sit præmittẽda cõfessio.

Tandem verò quæret aliquis an is, qui habuit conscientiam peccati mortalis, debeat necessariò præmittere confessionem ante hoc sacramentum, si ratione vtatur, & confiteri possit. Respondeo, ex vi ordinis sacramentorum id non esse per se necessarium, licèt concomitanter possit aliunde sæpe interuenire talis necessitas. Prior pars declaratur, quia ad dignè suscipiendũ hoc sacramentũ sufficit esse contritũ, neque ex sola rei natura, aut generali ratione sacramentorũ aliud ostendi potest, neque etiam inuenimus de hoc sacramento latum esse speciale præceptum, vt confessio ante illud præmittatur, sicut in Eucharistia factum est. Altera verò pars probatur, quia cùm hoc sacramentum sit exeuntium de hac vita, supponit hominem iam in extremo mortis articulo, in quo necesse est omnia peccata mortalia confiteri, & ideò per se antecedit confessio: quia semper id præmittitur, quod maximè necessarium est: & quia necessaria est gratiæ dispositio, quæ certiùs per confessionem comparatur. Vnde, si aliquando tantum esset periculum, vt timeretur non esse futurũ tempus ad vtrumq; sacramentum suscipiendum, confessio esset omninò præmittenda. Imò etiam addo, etiamsi timeatur non esse futurum tempus vnctioni, si confessio integrè fiat, non ideò esse dimidiandam, sed perfectè absoluendam, & viaticũ suscipiendum, & posteà si tempus fuerit, vnctio recipiatur: quia tam cõfessio, quàm integritas eius est per se necessaria, priùs autem sunt necessaria adimplenda, posteà verò quæ vtilia tantùm sunt.

10. Nihilominùs tamen, si contingat, aliquẽ post confessionem, & susceptum viaticum peccatum aliquod mortale committere, nec possit commodè sine aliqua nota confessionem præmittere, non peccabit suscipiendo vnctionem cum sola contritione, cum proposito posteà confitendi peccatum illud: quia (vt suppono) moraliter loquendo non est periculum moriendi sine confessione illius peccati: & alioqui ex vi huius sacramenti non est necessaria præcedens confessio. Regulariter verò loquendo, consultius est in tali euẽtu præmittere confessionem: quia est securius, & moraliter nulla infamia vel nota generatur in eo articulo ex qualibet repetita confessione: imò hoc solet maximè circunstantes ædificare, quia si culpa fuit publica, est optimum exemplũ, & eo tempore ferè necessarium quod statim fiat confessio: si verò peccatum fuit ocultum, nemo illud prudenter suspicabitur propter confessionenem iteratam: nam in eo articulo sunt aliæ quamplurimæ occasiones iterandi confessionem.

Sunt autem qui censent, quando sacerdoti constat infirmum de nouo peccasse mortaliter, non posse licitè illi dare hoc sacramentum, nisi confessionem prę-mittat, argumento sumpto ex Innocentio 1. epist. 1. capit. tertio, vbi ait pœnitenti non esse dandum hoc sacramentum. Veruntamen Innocentius non de hac re loquitur, sed de publicis pœnitentibus. Quare non censeo id esse per se præceptum ipsi sacerdoti, si enim pœnitens ad id non tenetur, vnde obligabitur sacerdos, si videat signa contritionis, & propositum confessionis absque morali periculo moriendi sine illa: & præsertim si aliqua rationabilis causa occurrat differendi confessionem, ne videlicet detur hic & nunc aliqua occasio manifestandi peccatum, vel quid simile. Prudentiæ igitur sacerdotis hoc relinquendum est vt & confessionem præmitti procuret, si commodè potest, & non nimium molestus sit, sed credat infirmo suam contritionem ostendenti. Denique hæc omnia de culpa sola intelligũtur: nam, si antecedat etiam censura excommunicationis, huius absolutio omninò præmittenda est, & à quolibet sacerdote dari potest in eo articulo, si necessarium sit, & pœnitentiæ signa ostensa sint, vt latiùs in propria materia dicetur. 11. Innoc. 1.

## SECTIO II.

### *Quæ præcepta seu obligationes ad ministrum huius sacramenti pertineant.*

1. Solos Parochos teneri ad hoc sacramentum ministrandum. Assert. 1.

VPPOSITA distinctione superiùs data de præceptis, quæ ad ministrandum ipsum sacramentum, vel ad modum eius pertinent, dicendum est primò, solos Parochos teneri, per se loquendo, ad hoc sacramentum ministrandum. Quod enim illi teneantur, constat: quia ex officio, atque adeò ex iustitia tenentur suas oues pascere: ergo ordinaria remedia salutis præbere, qualia sunt sacramenta. Dicet fortasse aliquis, Parochum non teneri ad ministrandum ouibus omnia, quæ vtilia eis sunt ad salutem, sed tantùm necessaria, alioqui esset intolerabile onus parochorum; hoc autem sacramentum non est ad salutem necesarium, sed tantùm vtile, vt dictum est. Respondetur, falsum esse antecedens ita vniuersè sumptum: estò enim non teneatur Parochus ex præcepto, & obligatione rigorosa omnia media vtilia ad subditorum arbitrium ministrare, quod meritò censeri posset intolerabile onus, quodque nulla sufficienti ratione ostendi potest: tamen falsum est, solùm teneri ad necesaria ministranda, vt suprà tractando de Pœnitẽtia diximus: quia id etiam esset magnum detrimentum fidelium, & contra debitum pastoris munus. Tenẽtur ergo eis ministrare ordinaria remedia, quæ Christus pro omnibus fidelibus reliquit, & quæ sunt in ordinario vsu Ecclesiæ, quãdo opportuno tempore, & secundùm rectam rationem petuntur; vnum autem ex his est hoc sacramentum in graui infirmitate applicatum, vt per se constat. Quare non est dubium, quin Parochi ad hoc teneantur ex officio; & consequenter grauiter peccent, si illud negent, aut notabiliter differant cum morali periculo infirmi. Atque hæc est communis sententia Doctorum, & Summistarum, tam in materia de sacramentis in genere, quàm de singulis disputantes, quatenus suscipientibus necessaria non sunt, vt constat ex suprà dictis de Confirmatione, & Confessione, & de hoc in 4. d. 28. & Summistis in hoc verbo. Victoria in Summ. nu. 145. Nauar. c. 24. nu. 131. Obiect. Soluitur. Victor. Nauar.

2. Supereſt probanda alia pars excluſiuæ, qua diximus, ſolos Parochos ad hoc teneri. Per quam in primis

mis non omninò excluduntur Episcopi, qui pastores etiam sunt animarum,& ex iustitia etiam obligantur earum curam habere:& ideò:licèt proximè pertineat hæc obligatio ad Parochos, qui sunt Episcoporum coadiutores:tamen,illis deficientibus,redit obligatio ad Episcopos, qui proinde tenentur, vel prouidere ouibus per alios, vel certè per seipsos id præstare,nisi fortasse aliis iustis de causis excusentur, quod est per accidens;obligatio enim per se illis inest. Deinde solùm excludimus obligationem per se, & ex officio, & ita res est clara: quia alij, qui tale munus non habent, non est vnde dicto modo obligentur. Quanquàm ex accidenti, & ex charitate non repugnet interdum obligari; si proximus in extrema necessitate sit,& non adsit Parochus, qui tale ministerium exercere possit. Eritque clarior hæc obligatio,si proximus non sit capax alterius sacraméti propter repentinam mortem, & impotentiam confitendi, &c. quia tunc reuerà est ferè extrema necessitas. Veruntamen,etiàsi alia sacramenta receperit, existimo charitatem obligare ad hoc sacramentum ministrandum:quia necessitas illius existimari potest grauis,ergo si absque magna difficultate,vel incommodo potest sacerdos subuenire proximi necessitati,profectò tenetur.

3. Simplicem sacerdotem non posse sine licentia Parochi hoc sacramẽtum ministrare.

Addendum verò hic est,& aduertendum,sacerdotem simplicem seu non Parochum, non solùm non teneri,verùm etiam neque posse licitè hoc sacramentum ministrare sine licentia Parochi:quia(vt suprà dicebam)hoc est officium pastoris, quod vsurpare propria auctoritate, & in materia adeo graui, graue peccatũ est,atque ita docent Doctores omnes. Quia tamen in hoc ministerio iurisdictio non est de substantia sacramenti,nec per se principium illius,sed conditio necessaria vt rectè fiat:ideò dicunt aliqui,necessarium non esse, vt hæc sit semper expressa, sed interdũ posse sufficere interpretatiuã,aut præsumptam. Ita tenet Sot.dist.23.q.2.a.1.cum Sylu.verb. *Vnctio extrema*,q.4. Sed hi Auctores reuerà solùm censent hãc ratihabitionem locum habere in prædicto casu, quãdo infirmus in necessitate existit,& Parochus abest, nec potest facilè aut sine periculo,vel vocari, vel moueri: atque ita multi loquuntur. Ego verò in eo casu nõ tã censeo illã esse interpretatiuã licentiã, quàm excusationẽ ab obligatione, vel à necessitate talis licentiæ. Quia,licèt constaret Parochum esse inuitum,vel licèt expresè nollet tale sacramentum ministrare, dummodò certum esset iniquè id facere,& proximum esse dignum sacraméto tali,& in vera necessitate illius, liceret sine licentia Parochi illud ministrare, si fieri posset sine violentia, vel scandalo: quia tunc non est vsurpatio iurisdictionis, sed defensio innocentiæ: &, licèt ille sit inuitus,præsumi potest, vel Episcopi, vel certè supremi pastoris Christi licentiam non deesse. Quia non est verisimile velle Ecclesiam in eo casu priuare infirmum tam vtili remedio, nec fauere iniquitati & iniuriæ proprij pastoris, aut tam rigorosum ius ei tribuere contra spiritualem salutem fidelium. Extra hunc verò casum raro,vel nunquàm admittenda erit licentia tantùm præsumpta, quæ aliàs dici solet ratihabitio de futuro. Secus verò si sit interpretatiua facultas iam concessa, licèt subobscurè & implicitè:nam illa facilius admitti potest, vt ex dictis suprà de ministro confessionis à fortiori constat.

Soto. Sylvest.

4. An sit in iure pœna imposita trãsgressoribus.

Quæri hîc potest, an sit aliqua pœna iure imposita trãsgressoribus horum præceptorum. Respondetur, Parochum peccantem grauiter, omittendo munus suum per negligentiam,humanũ timorem, vel aliam quancunque causam, nullam incurrere pœnam ipso iure: quia nulla imposita est, sed ab Episcopo, prudenti arbitrio puniri potest. At verò de sacerdote simplici ministrante hoc sacramentum sine licentia Parochi, dicunt aliqui incurrere excommunicationem maiorem ipso facto per Clement. 1. de Priuilegiis. Quod videtur sentire Soto suprà, nisi benignè excusetur: indicat enim illam Clementinam loqui vniuersè de omnibus sacerdotibus non Parochis: Clementinã autem, *Dudum*,de Sepultur.loqui specialiter de religiosis. Sed licèt hæc posterior Clement.de solis religiosis loquatur, non tamen de hoc sacramento, nisi fortè negatiuè, quia illius vsum non cõcedit specialiter religiosis; tamen non positiuè prohibet, nec propter hoc aliquam pœnam statuit. In alia verò Clementina sine vllo dubio non in vniuersum de simplicibus sacerdotibus, sed tantùm de religiosis est sermo:nec licet à similitudine rationis in materia pœnali argumentum sumere: imò etiamsi maior ratio aliqua ex parte in aliis sacerdotibus militare videatur, non refert, sed standum est verbis legis, nam aliqua causa est in religiosis,quæ potuit Pontificem mouere ad ferendam legem illam pro eis,& non pro aliis, vt latiùs explicaturi sumus infrà in materia de Excommunicatione,textum illum in particulari declarando. Vbi etiam declarabimus contra Sylvest.& alios, hoc esse intelligendum de religiosis respectu secularium, non verò respectu regularium inter se,nam textus limitatè loquitur, & Doctores annotarunt. Solet autem hîc specialiter dubitari, an religiosus ministrans hoc sacramentum in illo casu extremæ necessitatis, quando Parochus, vel abest, vel omninò non vult hoc sacramentum ministrare,incurrat dictam censuram. Nam Sylvest.cum Archidiacono dixit illam incurrere. Verior tamen est contraria sententia, quam tenẽt Soto suprà,& Caiet.verb. *Excõmunicatio*, c. 64, quia Pontifex ibi non intendit prohibere aliquid de nouo religiosis,sed solùm censuram adiungere priori obligationi; & ideò non vetat in eo casu dare Extremam vnctionem, in quo iure communi,& quasi naturali poterant. Nec vult etiam sacramentorum administrationem concedere Parochis in detrimentum infirmorum;sed solùm ius eorum, & debitam subordinationem defendere.

Caiet.

5. Teneri ministrũ huius sacramenti esse in statu gratiæ.

Circa aliud præcepti genus dicendum est,teneri in primis ministrantem hoc sacramentum esse bene dispositum,id est,in statu gratię,ita vt si peccati mortalis conscientiam priùs habebat, saltem per contritionem se disponat: nam hoc in omnibus sacramentis esset necessarium. Nec excusabitur in præsenti propter instantem necessitatem infirmi, quia breuissimè potest conteri, & semper confert hoc sacramentum vt minister ex officio ad id consecratus: sicut diximus de sacramento pœnitentiæ. Deinde necessarium est, vt Parochus non sit excommunicatus, vel suspensus, ita vt sit publicè & nominatim declaratus,vel sit manifestus percussor clerici:quia,si excommunicatus sit, priuatus est omnibus actibus iurisdictionis, & ordinis:si verò sit suspensus, saltem caret vsu iurisdictionis, & ideò etiam non potest hoc ministerium tanquàm pastor ministrare:secus verò erit, si non sit denunciatus nominatim, nam tunc infirmus petit ius suum,quod ipse sine peccato reddit,quãdo aliter subuenire infirmo non potest,propter Extrauag. *Ad euitanda*,de qua seq. lib. fusè dicemus. Hîc verò quæri possunt duo:vnũ est,estò nõ possit Parochus sic ligatus per se ministrare hoc sacramentũ,an saltem possit vices suas alteri committere. Nam Summistæ cõmuniter asserunt posse cum Palu.d.22.Sylu.dict.q.4. & ferè alij eodem verb. Existimo tamen non posse, per se loquendo,quia dare illam licentiã reuerà est actus iurisdictionis,vt in simili dixi de sacramento Pœnit. contra eosdem Auctores,vbi alios pro nostra sententia retuli. Dixi autẽ, *Per se loquendo*, nam ex accidenti propter necessitatem infirmi, ne sine hoc sacramento

Itẽ non esse excõmunicatum.

An Parochus excõmunicatus possit vices suas alteri cõmittere. Palud. Sylvest.

moriatur, probabile eſt poſſe id facere, vt iam dicam.

6. An excommunicatus in neceſſitate poſſit dare hoc ſacramẽtum.

Dubitari enim ſecundò poteſt, an excommunicatus poſſit dare hoc ſacramentum propter neceſſitatẽ infirmi, quia aliàs ſine illo morietur. Aliqui putant poſſe, quia non eſt veriſimile Eccleſiam voluiſſe hoc prohibere cum tanto diſcrimine infirmi. Veruntamẽ cùm videamus Eccleſiam nõ permittere dare vel accipere hoc ſacramentum tempore interdicti, veriſimilius videtur hoc etiam non permittere excommunicato: nam de ſuſpenſo non eſt eadem ratio, quia hæc cenſura non priuat actu ordinis, & hic actus non eſt tam per ſe actus iuriſdictionis, quin ſine illa dari poſſit ob neceſſitatem, vt dictum eſt. Et eadẽ ratione cenſeo non licere infirmo accipere hoc ſacramentum ab excommunicato denunciato; à ſuſpenſo verò poſſe. In eo verò caſu poſſet Parochus alteri licentiam dare, quia id potiùs eſſet permittere vt alter miniſtret quando id neceſſitas cogit, cum non ſit alius habens poteſtatem ſine legitimo impedimento. Sed hæc tractanda ſunt latiùs in materia de cenſuris.

7. Dãdum eſſe hoc ſacramentum cõuenienter diſpoſito.

Præterea dicendum eſt teneri miniſtrum huius ſacramenti non dare illud niſi homini conuenienter diſpoſito, vt in ſuperioribus ſatis explicatum eſt. Denique dicendum eſt, teneri ad ſeruandum ritum debitum huic ſacramento. De ſubſtantiali id per ſe notum eſt, & ſatis explicatum ex dictis. De accidentali verò generalis regula ſacramentorum ſeruanda eſt. Nam regulariter ac per ſe loquendo, ſeruandus eſt ritus ab Eccleſia præſcriptus, vel conſuetudine retentus. Ad quem ſpectant multa, quæ in ſuperioribus attigimus, verbi gratia, quod fiant ſeptem vnctiones, ſi id habeat talis Eccleſiæ vſus: quòd tali ordine, & modo fiant, & proferantur verba formæ, & ſimilia. Rurſus huc pertinent Pſalmi & orationes, quæ præmitti ſolent ante vnctiones, vel poſt illas adiungi. Denique quòd fiãt cum veſtibus ſacris vſitatis ab Eccleſia, v.g. ſuperpellicio, ac ſtola. Dixi autem, *per ſe loquendo*, hæc eſſe neceſſaria, quia inſtante morte cum periculo, ſine peccato poſſunt, vel interdum etiam debent omitti Pſalmi, & miniſtrari ſacramentum, & poſteà, ſi tempus ſit, accidentalia ſuppleri. Nunquàm tamen credo licere ſine ornatu ſacerdotali debito, & vſitato miniſtrari ſacramentum hoc, quia non eſt neceſsitatis, & reuerentia ſacramenti præferenda eſt ſemper. Dubitat autem hic ſupplem. Gabr. d. 23. q. 1. art. 3. dub. 2. an hoc ſacramentum poſsit extra lectum miniſtrari in Eccleſia, ſi infirmus ibi illud petat, vt ſi ſit peſte affectus. Sed hoc nullam habet difficultatem: ſine dubio enim licet, ſi aliàs vera eſt infirmitas, quia nec eſt prohibitum, nec indecens. Denique quando aliqua omiſſio in aliquo ritu ſit mortale peccatum: quando autem veniale, ex materia facilè intelligi poterit.

Gabr.

## SECTIO III.

### *Vtrùm Parochus teneatur miniſtrare hoc ſacramentum cum periculo vitæ.*

1. QVæ dicta ſunt de his præceptis videbantur ſufficere, tamen propter præſentis temporis neceſsitatẽ libet in fine huius materiæ dubiũ addere, quod frequẽter interrogatur, & cõmune eſt ſacramentis confeſsionis, & Euchariſtiæ, ibi tamẽ prætermiſſum eſt, quia ad materiã de charitate, vel de beneficiis Eccleſiaſticis potiùs pertinebat. Eſt enim dubium, an teneatur Parochus in neceſsitate miniſtrare hæc ſacramẽta ſubdito ſuo, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, vt quando peſtis graſſatur, & non poteſt tale periculum euitari. Nam, ſi poſsit, clarum eſt, tentanda eſſe omnia remedia ad vitandum periculum, videlicet, vt infirmus non in lecto, nec cubiculo clauſus, ſed in libero aëre ſit, vbi minus eſt periculi: item vt ipſemet ſacerdos ſecum ferat res præſeruatiuas, &c. Difficultas verò eſt, ſi omnibus his mediis ſuppoſitis adhuc ſit morale periculũ, vel ſi ea non poſsint adhiberi, & euidens ſit periculum, & non ſit alius, qui hoc munus velit exercere, an teneatur Parochus ſacramenta hæc miniſtrare.

2. Prima ſententia.

Nõ enim deſunt Auctores, qui abſolutè id negent, per ſe loquẽdo: ſed ſolùm in caſu, nimirũ quãdo moraliter timetur æterna damnatio proximi, ſi abſque hoc ſacramento moriatur. Hanc opinionẽ tenuit quidam modernus auctor in Speculo Epiſcoporũ, libr. 1. diſp. 1. q. 1. c. 5. qui pro hac ſentẽtia refert Armill. verb. *Epiſcopus*, num. 6. cuius verba ſunt, *Prælatus pro adminiſtratione ſacramentorum, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus, ſed ſufficit præparatio animi, non tenetur ſe morti exponere.* Tabiena eodem verb. nu. 5. eadem ferè verba habet, & ponit exemplũ de cõfeſsione, & viatico. Inſinuat etiã Maiol. lib. 2. de Irregularit. c. 20. quia ſolùm illos caſus ponit, quos Tabiena. Pro hac ſententia afferri poteſt Abulenſ. qu. 306. in 22. c. Matth. ad 3. quatenus ſolũ ait, paſtores Eccleſiæ teneri ad exponendã vitã corporalem pro ſpirituali ouiũ, *ſi aliter illa ſeruari nõ poteſt*: nam in præſenti aliter ſeruari poteſt. Super c. autẽ 22. Matth. q. 110. indifferenter ait, teneri paſtores nõ fugere tẽpore peſtis, vt ſacramenta ſuis ſubditis miniſtrent. Fauet item D. Tho. Opuſc. de Perfect. vit. ſpir. c. 14. vbi ait, ſolũ in caſu neceſsitatis extremæ teneri homines ſe exponere periculo mortis pro ſalute ſpirituali proximi: & ponit exemplum, ſi proximus ſeducatur ab hæretico.

Prima ſententia. Tabiena. Maiol. Abulenſ. D. Thom.

3. Ratio huius ſententiæ.

Ratio eſt, quia Parochus non tenetur vitam corporalem euidenti periculo exponere pro ſubdito, niſi ille extremè indigeat ad ſpiritualẽ vitam æternã, vel ſaltem niſi in graui eius periculo verſetur: ſed ratione confeſsionis, vel viatici non eſt in hoc externo periculo: quia per contritionem poteſt ſufficienter ſaluari, & illa non eſt ita difficilis, vt propter ſolam illius neceſſitatẽ cẽſendus quis ſit exiſtere in graui periculo damnationis: ergo. Cõfirmatur apparentiſsimo argumẽto. Nam ipſemet ægrotus nõ tenetur ſacramentum ſuſcipere cũ morali periculo mortis, etiamſi tale ſacramentũ aliàs ſit mediũ neceſſarium ad ſalutem: non eſt mediũ in re tantùm, ſed vel in re, vel in voto, & prædicta neceſsitas ſufficit excuſare neceſsitatẽ rei, & facere vt ſufficiat votum: ergo à fortiori paſtor excuſatur. Antecedens tractatum eſt à nobis latè 3. tom. Diſput. 31. ſect. 3. videri etiam poteſt de illo Soto libr. 1. de Iuſtitia, q. 6. artic. 4. dub. vlt. Conſequentia verò probatur, quia maior eſt obligatio, qua vnuſquiſque ſibi obligatur, quàm alteri: ergo, ſi idem nõ tenetur ſibi ſubuenire cũ tãto periculo, multò minùs tenebitur alteri. Fac enim ſacerdotẽ peſte infectũ eſſe, & nullũ aliũ eſſe cõfeſſorem, nunquid tenebuntur ſubditi illi cõfiteri? minimè: quia hæc poſitiua præcepta nõ obligant cum tanto rigore: ergo nec è contrario. Hæ autem rationes euidentiùs de Vnctione procedunt.

Ratio huius ſententiæ. Soto.

4. Secunda ſententia.

Secunda ſententia eſt, propter ſacramentũ confeſsionis miniſtrãdum teneri Parochũ accedere ad ſubditum, etiã cum periculo vitæ, ſeu infectionis peſtis, quando aliter nõ poteſt; non verò propter alia ſacramenta minùs neceſſaria, etiã Euchariſtiam. Priorem partem docet expreſsè Maior d. 17. q. vlt. præter alios infrà citandos. Et probat, quia Parochus tenetur cõfeſsionem ſubditi audire quoties ille tenetur confiteri: ſed in eo caſu ſubditus tenetur confiteri; ergo. Sed dicitur, illud prius eſſe verum per ſe, per accidens verò excuſari ob neceſsitatem. Sed cõtrà, quia Parochus non ſolùm ex charitate, ſed ex iuſtitia etiam tenetur ſubdito ſacramenta miniſtrare; ergo maximè tenetur quando ſubditus maximè indiget. Neque tũc eſt legitima excuſatio: nam propter illum maximè

Secunda ſententia. Maior.

arti

articulũ munus accepit,& aliter,&c. Accedit, quòd hoc sacramentũ nõ est tantùm præceptũ,sed etiã mediũ necessariũ ad salutem, ex cuius carẽtia sequitur morale periculũ, vt latè idem Maior prosequitur d. 23.q.1. Vbi posteriorẽ partem negantẽ expressè ponit quoad sacramẽtum Extremæ vnctionis. De Eucharistia verò expressè nõ loquitur, ex rationibus autem, & discursu eius videtur idẽ sentire:quia hæc sacramẽta non sunt necessitatis.Nam, licèt viaticũ necessariũ sit,nõ tamẽ necessitate medij,sed præcepti,à qua potest excusari infirmus:quia nõ habet copiam ministri.

5. Tertia sententia. Nauar.

Tertia sententia esse potest,in eo casu teneri Parochum ad ministrandũ sacramentũ Cõfessionis,& Eucharistiæ,non verò Vnctionẽ extremã.Sentit Nauar. c.24.nu.10.& c.25.num.133. nam de duobus affirmat expressè,de tertio verò tacet, in quo satis insinuat nõ esse in eo tantã obligationem. Fundamentum quoad duas partes de confessione, & Extrema vnctione idẽ est:quia illa est maximę necessitatis,hæc nullius,cùm non sit in præcepto:& licèt sit vtilissima, tamen non tenetur Parochus cũ tanto discrimine ea,quæ tantùm vtilitatis sunt, conferre. Altera verò pars de viatico, probatur: quia suo modo est sacramentum necessitatis:quia est in præcepto iuris diuini: Parochus autem tenetur ex officio cooperari suo subdito vt ius diuinum impleat,quantùm in ipso est. Accedit,quòd infirmus sine hoc viatico relictus, magno periculo exponitur, Parochus autem ratione sui officij tenetur succurrere subdito existenti in graui periculo & necessitate,etiam cum vitæ discrimine.

6. Quarta sententia. Gabr.

Quarta sententia est,teneri Parochũ ad ministranda hæc omnia sacramenta,etiam Extremã vnctionem,subdito laborãti morbo cõtagioso,etiã cum periculo contagij,& mortis.Citantur Gabr.in Serm. Domin.4.post Pẽtecost.in q.de Fuga pestis,concl.4. corol. 1. & 2. Ioannes Echius in hom. vlt. Domin. 2. post.Pasca.Claudius Espẽsæus in 1. epistolam ad Timoth.lib.3.digressionum,c.19. Fundamentũ esse potest,quia Parochus non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia tenetur omnia hęc sacramenta subditis ministrare,ergo hæc obligatio vrget etiam tempore pestis,& cũ periculo contagionis.Probatur consequentia, primò quia ad aliquid ampliùs tenetur Parochus in eo casu,quàm alius qui non est Parochus.Secũdò, quia propterea per totum annum alitur, & stipendiũ accipit,vt his tẽporibus maximè necessariis,& quãdo ab aliis oues deseruntur,ipse subueniat, & se exponat alicui periculo propter illas. Hæc enim iusta conditio tacitè videtur inclusa in pacto inter Parochum, & subditos. Tertiò,quia aliàs tẽpore pestis totus populus esset destitutus ministris, qui ex obligatione teneantur hoc sacramẽtum ministrare,quod absurdum videtur, & contra commune bonum. Quintò, quia Dux,vel miles in tẽporali militia sæpe obligatur exponere vitam suam corporalem maioribus periculis propter necessitatem,etiamsi non sit extrema,sed ordinaria pertinente ad munus suum,vt est vigilare,aut seruare insidias debito loco,& tempore: cur ergo nõ tenebitur etiam Parochus vt suum munus exerceat circa subditum,eo tempore quo spirituali pugna maximè erga illum exercetur, non se exponere periculo vitæ corporalis,ministrando ei sacramentum vnctionis, quod opportunissimum est ad vincendas illius temporis tentationes:& ad disponendum animã perfectè ad beatitudinis consecutionem.Et in hanc vltimam sententiam ego fui aliquando valdè propensus, nunc autem illam esse moderandam censeo.

Ioan.Echius Claud. Espens.

7. Maiorẽ esse quoad hoc Parochi obligationem,

Et in primis statuo, maiorem esse obligationem Pastoris Ecclesiæ quoad sacramentorum administrationem in prædicto euẽtu, quàm sit alterius sacerdotis,qui hoc munus non habeat, non solùm quia ille tenetur ex iustitia,alij tantùm ex charitate: sed etiam quia ad plura & in pluribus casibus tenetur pastor, quàm teneãtur alij.Hoc est certissimum apud omnes. Nam quòd in extrema necessitate spirituali quilibet teneatur alteri subuenire, etiam cum periculo vitæ corporalis, concors est Theologorum sententia, vt patet ex citatis, tractaríque latè solet in 2. 2. q.26. ar.5.vbi D.Tho.& frequenter aliis locis. Et Alens. 3. p.q.184.membr.3.& omnes.Quod verò hæc obligatio generaliter sit tantùm ex charitate, vel misericordia,certũ est etiam apud eosdẽ,quia nec iustitia obligat omnes, nec est alia virtus vnde possit oriri talis obligatio. Denique quòd Parochi teneantur ex iustitia,etiã in eo casu,iidẽ Auctores docẽt:quia Parochus tenetur ex vi sui muneris & officij ministrare sacramenta subditis:hæc autem est obligatio iustitiæ. Dices,ex vi officij non teneri in illo casu, seu cum tanto discrimine: quia non tenetur debitor ex vi iustitiæ soluere debitum cum tanto detrimento suo.Respondetur,officium hoc obligare ad ministranda sacramẽta subdito,quoties ille indiget,& iuxta mensuram seu exigentiam necessitatis illius, & ideò,si necessitas sit extrema,etiam ipsum munus obligat iuxta modũ talis necessitatis : sicut miles tenetur pugnare in bello ex iustitia etiam cum vitæ discrimine : non est ergo dubium, quin hæc sit obligatio iustitiæ. Dices, hoc, ad summum procedere in his pastoribus,qui stipendium recipiunt, & ad hoc aluntur ab ipsis subditis: non verò in aliis, qui sine stipendio, ex charitate,vel obedientia munus suscipiunt, vt sunt prælati religionum. De quibus propterea nonnulli aiunt non teneri ex iustitia:sed ex specialiori debito charitatis .Mihi tamen videtur etiam eos ex iustitia teneri : quia non solùm ipsi vtcunq; tenentur,sed etiam subditi habent proprium ius exigendi & petendi ab illis. Nec enim illi esse debent peioris conditionis quàm reliqui fideles, vt non habeant tale ius respectu alicuius pastoris proximi.Vnde, hi prælati dum munus suscipiunt, & loco Parochorum,vel Episcoporũ constituuntur,totã illã obligationem in se recipiunt, quæ in aliis futura fuisset.Item,licèt à subditis nõ recipiant materiale stipendium,recipiunt tamen reuerentiam,& obediẽtiam,& inter eos quoddam tacitum pactum interdit, ratione cuius ex iustitia tenẽtur sacramenta illis ministrare. Denique ad hoc munus aluntur ab ipsa religione, vel à summo Pontifice, qui curam suam illis committit.Omnes ergo Pastores tenentur ex iustitia, & in hoc superant reliquos simplices sacerdotes.

Obiect.

Diluitur.

Alia obiectio.

Enodatur.

8. Parochum teneri nõ deserere gregẽ in necessitate.

Atque hinc fit,vt ad plura teneantur etiam in illo necessitatis articulo.Nam in primis tenentur non fugere,nec deserere gregem eo tempore, ad quod alij, per se loquendò,non tenentur.Dico autem, *Per se loquendo*,quia si contingat deesse Parochum,& omnem alium sacerdotem,teneri poterunt alij ex charitate ad subueniendum communi bono,ibique permanendũ. Atque ita prior pars illationis cõmunis est apud Auctores citatos,& omnes qui de residentia Parochorũ, vel Episcoporum scripserunt,& præsertim videri potest Rebuffus in sua practic. benef.cap.de Dispensat. non resid.& Imola in c. vlt. de Cleric. non resid. D. Tho.2.2.q.185.ar. 5.& quodl.12. q. 18. art.3. Estque de hac re egregia epist.August. 180. Ratio autem est manifesta ex dictis,quia Pastor tenetur in prædicta necessitate ministrare sacramenta suis ouibus : ergo tenetur eas nõ deserere.Item, Pastor ex officio tenetur residere,ergo maximè obligatur ad hoc in tẽpore tantæ necessitatis,etiamsi periculum propriæ vitæ immineat:quia hoc est bonum inferioris ordinis cõparatione spiritualis vitæ gregis. Propter quod dixit Christus Ioan. 20. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*. Quo testimonio omnes vtuntur ad

Rebuff. Imola. D.Thom. August.

Ioan.20.

hanc

hanc veritatem confirmandam, cum Aug. Beda, D. Thom. & aliis ibi. Et Aug. serm. 50. de verbis Domini, qui etiam videri potest serm. 149. de Tempore.

August.

9. Obiect.

Dices, non est maior ratio de periculo mortis proueniente ex causis naturalibus, quàm de illo, qui procedit ex Tyrannorum persecutione: sed imminẽte periculo persecutionis licitum est pastori fugere, iuxta illud Matt. 10. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et latè prosequitur Athanas. Apolog. pro fuga sua. Tertul. lib. de Fuga in persecut. Aug. breuiùs libr. 1. contra epist. Gaudentij, cap. 16. ergo respondetur, concedendo eandem esse in vtroque casu rationem: ideoque in persecutione licere pastori fugere sine periculo gregis, quomodo fugiebat Athanasius: imò pro maiori eius fructu, vt se ad Ecclesiæ defensionem reseruaret. At cum periculo gregis non licet illum deserere, vt rectè Augustinus distinxit. Et sumitur etiam ex Nicolao Papa in cap. *Scisciteris*, 7. q. 1. vbi inter alia inquit: *Non dicimus quòd persecutorẽ non fugiamus, &c. sed quòd præcipuè nos, qui tanquàm arietes præcipuè ducatum gregibus præbemus, imò qui & eorum pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conueniat.* Vbi etiam habet illam celebrem sententiam. *Si pernicioſum est, nautam in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus?* Et in eadẽ sententia est Tertullia. lib. de Fuga in persecutione, præsertim cap. 7. Itaque in vtroque casu ingruẽtis necessitatis, seruata proportione, eadem est ratio, vt sentit etiam Caiet. 2. 2. q. 185. art. 5. Nam si populus indiget præsentia sui pastoris, nõ potest ipse fugere, & eũ deserere, siue necessitas immineat ex hominum persecutione, siue ex aëris, aut infirmitatis contagio. Si verò populus non indiget, vel quia persecutio non ad ipsum, sed ad solum Episcopũ tẽdit, vt contigit in causa Athanasij, vel quia eo fugiẽte, manent alij ministri Ecclesiastici qui populũ doceãt, & in veritate confirment, vt in eadẽ causa accidebat: vel certè quia populus simul cũ ipso pastore dissipatur, & fugit. In his, & similibus euẽtibus cõstat licitũ esse fugere. Tempore autẽ pestis regulariter non potest totus populus fugere, aut periculum mortis vitare: & ideò tenetur pastor adesse, vt debitum ministerium suis ouibus exhibeat.

Mat. 10. Athan. D. Aug. Tertul. Soluitur obiect.

Caiet.

10. Posse Parochum adesse per vicariũ.

Hinc verò colligitur limitatio ab omnibus recepta, nimirum teneri pastorem per se adesse, aut per Vicarium sufficientem suis ouibus prouidere. Cùm enim hæc præsentia solùm requiratur propter sacramentorum administrationem, cum necessaria doctrina, vel exhortatione, si hæc fiant sufficienter per Vicariũ satisfactum videtur obligationi: quia necessitati ouiũ satis subuentum est. Sed oportet hoc conuenienter explicare, ne in re morali nimiam licentiam pastores accipiant. Distinguamus ergo inter Episcopos, & Parochos, non est enim æqualis inter eos ratio. Episcopi ergo, regulariter loquendo, rectè faciunt si à ciuitate & Ecclesia sua nõ discedant tempore pestis: quia moraliter loquendo, possunt sine magna difficultate propria pericula præcauere, & sua præsentia plurimum ad populi salurem, tam corporalem, quàm spiritualem, & ad exemplum aliorum proficient: de qua re multa egregiè traduntur in Cõcilio Mediolan. V. sub Carol. Borrhomeo. Nihilominùs per se loquẽdo, non malè faciet Episcopus, si à ciuitate vbi pestis serpit corporaliter discedat, dummodò debitã sui gregis prouidentiã non relinquat, vt à simili sumitur ex his, quæ tradit Aug. dict. li. 1. contra epist. Gaudent. c. 16. & ex Athanasio, Tertulliano, Nicoalo Papa citatis locis. Ratio est, quia in primis non tenetur Episcopus per seipsum sacramenta ministrare, etiam cùm præsens est, nisi vbi nullus alius sacerdos adesset, de quo casu non agimus, tum quia his temporibus ferè morale non est, tum etiam quia in illo non possit Episcopus discedendo sufficienter prouidere ouibus: moraliter ergo loquendo, non tenetur per se ministrare sacramenta, quia hoc est proprium munus Parochorum, qui sunt proximi ministri horum munerum: Episcopus autem est veluti vniuersalis causa, quæ per se immediatè nõ operatur particulares effectus, nisi in casu raro, & necessario, vt dictum est, & sumitur ex D. Thoma quodlibet. 1. art. 14. & quodlib. 3. ar. 17. Deinde nõ tenetur per seſe docere, aut exhortari tunc populum: tum quia etiam hæc ministeria possunt per alios sufficienter fieri: tum etiam quia eo tempore non expedit publicas, & pro toto populo conciones habere, ad priuatas autem exhortationes sufficiunt Parochi. Loquimur de tempore pestis: nam de tempore persecutionis Tyrannorum, si illa sit contra Catholicam fidem, alia est ratio, vt per se constat. Ergo tempore pestis non est cur Episcopus cogatur adesse in loco pestilenti præsentia corporali.

A

B

C

D

E

D. Thom.

Dices, iure diuino tenetur residere, Triden. sess. 23. c. 1. de Reform. hæc autem obligatio tũc maximè vrget. Respondeo in primis non teneri ad residendum in vno & eodem loco, sed in sua diœcesi: potest ergo à loco pestilẽte discedere, & in alio suæ Diœcesis manere. Deinde, si contingat pestem per totam diœcesim serpere, aut non posse in tota illa tutè manere, non erit contra præceptum de residendo pro tunc habitare in aliquo tuto loco vicino diœcesi, quoad fieri possit, & inde attendere ad bonum regimen diœcesis, prouidendo ouibus in necessariis quantùm potuerit. Quia præceptum illud non plus obligat, quàm ratio iustitiæ, & charitatis ex natura sua obligant: hę autem virtutes in eo casu non ampliùs obligant, quia solùm obligant ad residendum propter spirituale regimen ouium, ad hunc autem finem expedit tunc, vt pastor superior & architectonicus sit in loco tuto, tum vt possit ouibus meliùs prouidere: tũ etiã vt se ad omniũ saluté, & commodum meliùs conseruare possit. Non potest autem licitè Episcopus relicto Vicario discedere in locum distantem, & ouium curam omninò relinquere, quantumcunq; Vicarius videatur sufficiens: quia semper ipse tenetur onere personali, & præceptũ de residẽdo saltẽ ad hoc obligat: & quia, moraliter loquẽdo, deserẽdo oues, magno periculo illas exponit.

11. Obiect. ex Trid. soluitur.

At verò Parochi maiori obligatione tenentur (per se loquendo) ad non discedendum à loco pestilente. Primò quidem, quia ipsi sunt pastores proximi, ad quos immediatè pertinet sacramentorum administratio. Secundò, quia sunt immediatè subditi Episcopis, sine quorum licentia non possunt discedere, suumque munus alteri mercenario committere. Nihilominùs tamen etiamsi Parochus habeat Vicarium sufficientem, non tenetur per seipsum ministrare sacramenta: quia satis est tunc sufficienter succurrere necessitati ouium. Vnde etiam cogendus non est in conscientia, vt personaliter adsit intra locũ peste infectum, si reuerà habet ibi sufficientem Vicarium: quanuis absolutè non possit curam suæ Parochiæ deserere, sed debeat proximè adesse, & animo ac sollicitudine nunquàm deesse ouibus. Quòd si Episcopus iudicauerit expedire bono cõmuni, vt ad proprium locum reuertatur, vel ne ab illo discedat, parere tenebitur: quia præceptum per se est iustum, & ad Episcopum spectat curam habere communis boni, eiusque iudicio, & voluntati magis standum est.

12. Parochos maiori obligatione teneri.

Secundò principaliter assero, teneri Parochum, per se loquendo, ad ministrandum sacramentum Confessionis suis subditis in eo euentu, etiam cum periculo vitæ, licèt in aliquo casu excusari possit. Suppono enim in primis, posse, & debere conuenientia media adhibere ad vitandum propriæ vitæ peri

13. Teneri Parochum ministrare etiam cũ periculo vitæ. Asser. 2.

periculum in administrando suo munere: quia propria charitas ad hoc obligat. Deinde suppono teneri Episcopum, Rempublicam, seu communitatem prouidere Parochis de antidotis, & remediis necessariis ad præseruationem eorum, quando illa extraordinaria sunt, & valdè onerosa ipsis Parochis: nam si sint faciliora, ipsi tenebuntur ex officio ad illas expensas. Tandem suppono teneri ægrotum, quoad commodè possit, accedere ad sacramentum cum minimo periculo ministri, & de longinquo stare, vel in tali habitu, aut loco, &c. quæ omnia per se nota sunt. Casus verò vrgetur, quando sacramentum hoc non potest ministrari sine periculo: & tunc dico regulam generalem statuendã esse in fauorẽ animarũ, exceptionem verò esse posse in fauorem Parochorũ. Probatur primò, quia in his rebus moralibus id simpliciter statuendũ est pro regula, quòd, moraliter loquendo, & vt in plurimũ est necessariũ: sed hoc modo est necessariũ ad salutem æternã animarũ, vt sine sacramento Cõfessionis nemo decedat, quæ salus æterna præferẽda est propriæ corporali vitæ: ergo generalis regula est hoc cadere sub obligationẽ. Maior est euidẽs ex terminis: quia res morales vix habẽt maiorẽ necessitatẽ. Itẽ, quia si oppositũ pro regula statuatur, homines facilè sumẽt occasionẽ nũquàm subueniẽdi proximis in tali necessitate. Minor etiã est clara, quia sacramentũ hoc est medium necessarium ad salutem.

14. Obiect. diluitur. Respondent, non esse necessarium in re, sed in voto sufficere per contritionem. Contra hoc verò est, quia contritio difficilis admodùm est, & magno periculo exponitur proximus, si cum hoc solo remedio relinquatur. Negant tamen esse difficilẽ cũ diuina gratia, quæ præstò adest homini, si per ipsum nõ stet: quòd si per ipsum steterit, iam non est periculum necessitatis, sed voluntatis, ideoque obligationem non inducere. Sed profectò nemo negare potest difficilem esse contritionem, quantùm est ex parte hominis, cùm includere debeat purã Dei dilectionẽ super omnia. Et augetur in eo statu difficultas, tum propter corporis debilitatem, tum propter sollicitudinẽ salutis corporalis, quæ multùm distrahit animã à spiritualibus, tũ propter nimium timorẽ, ex quo potiùs tunc homo mouetur, quàm ex amore: tũ denique, quia si tunc homo à pastore suo destituatur, exponitur multis periculis tentationũ, vel desperationis, vel nimiæ tristitiæ, qua facilè potest absorberi. Maximè verò hæc vrgẽt (quòd valdè attendendum est) si non in vna priuata persona, sed in aliqua cõmunitate considerentur: nam licèt in vno vel altero singulari homine hæc non videatur extrema necessitas, in tota communitate est extremũ periculum, nec fieri moraliter potest, quin multi dãnentur, si tota communitas hoc sacramento destituatur: cùm tamen æterna salus vnius personæ maioris æstimationis sit, quàm propria vita corporalis. Quòd si tota communitas priuanda non sit hoc sacramẽto, & periculum prædictum non fit determinatè in hoc vel illo individuo tantùm (vt suppono) sed absolutè in hac plebe, necesse est, vt obligatio cadat in singulos, quia non potest aliter illi communi necessitati subueniri, nisi ministrando singulis hoc sacramentũ. Denique falsum est, necessitatem prouenientem ex defectu voluntario, non obligare ad subueniendum proximo in spiritualibus cum periculo vitæ, aliàs nunquàm ad hoc obligaret charitas, nisi fortasse respectu paruulorum Baptismo indigentium: hoc autẽ falsum est, vt constat ex his, quæ de correctione fraterna, & scandalo tradunt Theologi cum Diuo Thoma, 2.2.q.33.& 35. Quando ergo defectus non est ex sola malitia, sed vel ex ignorãtia, vel fragilitate, & homo ea ratione est in periculo morali æternæ dãnationis, illa est extrema necessitas, vel ita grauis, vt ad obligandũ sufficiat, vt rectè docuit Adrian. dub. 8. de Cõfess. Nauar. in Sum. cap. 24. num. 23. & communiter Doctores. Quòd si in eo casu obligaret charitas, multò fortior erit obligatio, adiuncto debito iustitiæ, quod ex officio prouenit. Adrian. Nauar.

D. Thom.

*Generalis regula proponitur.*

15. HÆc ergo omninò constituenda est pro generali regula: quia verò hæc obligatio ad præceptũ affirmatiuũ spectat, possunt in aliquo casu tales circunstantiæ occurrere, cum quibus non obliget tale præceptum: nã hæc est natura affirmatiui præcepti. Casus autem huiusmodi erit, si Parochus moraliter præsumeret, ac pro certo haberet, infirmum non habere cõscientiã peccati mortalis, vel esse bene dispositum ad mortem, & alioqui periculum vitæ corporalis esset magnum, & moraliter euidens, tunc enim posset Parochus probabiliter excusari. Maximè si esset solus, & eo deficiẽte seu mortuo, nõ speraretur facilè posse prouideri populo de pastore, seu successore: tunc enim cõmune bonũ multùm prępõderaret. Vbi aduerto, nõ satis esse quòd Parochus negatiuè se habeat, ignorans statum infirmi, vt (ex generali regula) præsumat illũ esse in bono statu, quem non scit esse in malo: huiusmodi enim præsumptio postulatur ad ea, quæ sunt fauorabilia alteri: non verò licet illa vti ad negandum illi debitum ministerium, & exponendum eum periculo saltem dubio æternæ damnationis, & ideò in eo casu optimè locum habet illa regula iuris, in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Vnde meritò dixit Adrianus dicto dub. octauo ad vltim, quoties dubitatur verisimiliter de salute æterna proximi, interuenire prædictam obligationem: quia tenemur temporalia contemnere pro salute spirituali proximi, non solùm quando non potest aliter saluari, sed etiam quando verisimiliter aliter non saluabitur: aut probabile dubiũ est, an sine illo remedio saluabitur. Requiritur ergo, vt positiuè constet moraliter de bono statu, bonaque dispositione pœnitentis, vt quia paulò ante ęgritudinẽ confessus est, & aliàs studiosus, & prudens æxistimatur. Et tũc est ratio clara, quia proximus non est in vera necessitate graui, nedũ extrema. Imò in eo casu nõ creditur obligatus ad cõfessionem, ergo multò minùs erit obligatus Parochus ad audiendam tunc confessionem voluntariam, seu supererogationis. Nam, licèt diximus teneri Parochum ad confessionem audiendam, quando pœnitens non tenetur eam facere, id tamen est intelligendum per se, & sine tanto nocumento, seu periculo. Adrian.

16. Hoc etiã confirmat ratio quædam suprà facta pro prima sententia, quia pœnitens non tenetur confiteri, vel baptizari cum euidenti periculo vitæ corporalis: ergo multò minùs obligãdus est Parochus cũ eodem periculo ad ministrandũ illi aliquod ex his sacramentis. Antecedens enim non est verũ, quando homo est in articulo mortis, & non habet vehementem probabilitatem suæ contritionis, tunc enim potiùs debet accipere sacramentũ cũ periculo corporalis vitæ: quã se exponere periculo æternę mortis, quia ordo charitatis hoc postulat: & cũ eisdẽ circunstãtiis tenetur Parochus ministrare hoc sacramentũ subdito indigenti: quando verò aliquis vel non est in mortis articulo, vel sufficienter est paratus ad mortẽ sine reali susceptione sacramenti: quia nõ habet conscientiam peccati mortalis, vel quia satis probabiliter putat se contritũ, tunc excusari poterit: in quo euentu etiã excusatur Parochus. Est tamen differentia, tum quia facilius quisque potest propriã, quàm alienã prępparationẽ cognoscere: tum etiã, quòd propria necessitas est priuata & particularis, quam vnusquisque facilè discernere potest: Parochus verò debet curare publicã & cõmunem

munē necessitatem,quæ insurgeret grauissima,si cum prædictis circunstantiis nō ministraretur hominibus hoc sacramentum in tempore talis necessitatis. Vnde Rutil.suprà tandē cōcedit,quoties Curato probabile est subditū esse in statu peccati mortalis,etiāsi nō appareant signa impœnitentiæ,vel desperationis, teneri ad confessionem eius audiendam in illo articulo,quia illa est grauis necessitas spiritualis.

17. Teneri Parochum tēpore pestis viaticum ministrare cū periculo. Asser.3.

Dico tertiò, absolutè teneri Parochum viaticum ministrare infirmis tempore pestis, cum ordinario periculo contagij, quod in tali occasione esse solet: etiamsi in particularibus casibus excusari possit,si periculum multùm augeatur, & proximi necessitas nimiùm diminuatur. Hæc conclusio est magis pia, & iudicio meo valdè necessaria ad bonum regimen animarum,ne facilè tanto bono in illa necessitate priuētur.Eamq; confirmat vsus Ecclesiæ: nam omnes Parochi timorati hoc obseruant,etiamsi intelligāt ægros esse dispositos per sacramentum confessionis.Episcopi etiam illos compellunt ad Eucharistiam ministrandam:quod non esset iustum, si ipsi ex vi officij non tenerentur.Populo item magnum esset scandalum,si Parochus subditos suos sine viatico mori sineret:signū ergo est eiusdem obligationis. Duplex autem necessitas hîc interuenit,ex qua potest oriri hæc obligatio. Prima est necessitas diuini præcepti, quo tenetur ægrotus in periculo mortis viaticum recipere:sed hęc necessitas per se sola nō videtur sufficiens:quia, licèt Parochus non ministret Eucharistiam, alius nō transgreditur diuinum præceptum,sed excusatur,quia nō habet ministrantē. Nihilominùs tamen hæc necessitas multùm iuuare potest ad hanc obligationē,si aliūde non interueniat magna occasio excusationis: quia Parochus,per se loquēdo,tenetur ministeriū necessariū exhibere,vt subditus seruet diuina præcepta.Secūda necessitas est medij ad salutē, & hæc multò minor est in hoc sacramēto,quàm in confessione; & ex hac parte est minor sine dubio,magisque dubia hæc obligatio.

18. Necessitas sacramenti Eucharistię.

Nihilominùs est in hoc sacramento quædam necessitas moralis,vel quia auxilium, quod per tale sacramentum datur, moraliter necessarium censetur ad perseuerandum in iustitia per pœnitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrētes:vel etiam quia potest aliquando conferre gratiam primam,quam imperfecta pœnitentia priùs non contulit.Vnde multò maior erit hæc necessitas,si fortasse sacramentum pœnitentiæ administrari non potuit, vt quia infirmus non sentit aliquid, vel quia nō adest sacerdos,sed tantùm diaconus. Quibus etiam accedit fructus essentialis ipsius viatici, qui maghi momenti est,& præferendus multis incommodis temporalibus.Ex quibus omnibus simul sumptis, & prudenter consideratis insurgit quædam necessitas,quæ licèt nō sit extrema,videtur tamen esse valdè grauis,atq; adeò sufficiens ad obligandum Parochum,qui non tantùm ex charitate, sed etiam ex iustitia obligatur: & ideò non tantùm in extrema,sed etiam in graui necessitate subditi obligatur,cum aliquo periculo communi, & ordinario talis ægritudinis. Nam in extrema necessitate etiam illi obligantur,qui Pastores non sunt: plus ergo debet obligari pastor.Vnde D.Tho.2.2. q.184. art.7.& q.185.art.5. agens de obligatione pastorum, non requirit ad illam extremam necessitatem,sed opportunitatem,& absolutam necessitatem.

D.Thom.

19. Huc accedit consideratio suprà tacta, quia hæc, quæ respectu singulorum est necessitas aliquo modo grauis, respectu communitatis est grauissima: nam esset ingens damnum quòd totus populus in ea occasione destitueretur,& priuaretur viatico:& moraliter loquēdo cederet in extremum periculum multorum: ergo tenetur Pastor ex officio subuenire communitati in ea necessitate per hoc ministerium. Neque esset conuenienter prouisum Christianæ Reipublicæ,si in tam graui necessitate non haberet hoc ministeriū ex officio necessarium, sed voluntarium ex perfectione charitatis.Ergo hac lege constituuntur,& aluntur pastores animarum ab Ecclesia,vt teneantur tam necessariū ministeriū in tā graui periculo populo exhibere.Exceptio autē in cōclusione posita per se clara est, potestque facilè ex dictis circa præcedentē intelligi, & ad particularia applicari.Nam, quia viaticū minùs necessarium est quàm cōfessio,faciliùs potest in particulari occurrere excusatio:præcipua tamen erit,si ad audiendas aliorum cōfessiones necessarium sit alios sine viatico dimittere. Vel si Parochus sit solus, & nimiùm periclitetur eius vita, si vtrumque sacramentum omnibus velit ministrare, & maximè si in illius defectū non possit facilè alius sacerdos substitui. Et similes circunstantiæ in particulari expendendæ sunt, obligatio autem generalis negari nullo modo debet.

20. Teneri Parochos ministrare Extremā vnctionem,quādo nō sit periculum. Assert.vlt.

Vltimò assero, Parochos, seu pastores proprios animarum teneri ministrare sacramentum Extremæ vnctionis in tempore pestis, si id facere possint sine morali periculo vitæ, & ad hoc periculum vitandum tenentur adhibere cōuenientia remedia prudentium medicorum arbitrio, vt sine illo possint huic operi vacare: absolutè tamen non tenentur ministrare hoc sacramentum cum morali periculo vitæ corporalis. Hæc assertio quoad priorem partē optimè probatur rationibus quartæ sententiæ. Quoad vltimam verò partem probatur rationibus aliarum opinionum, & ex dictis,circa præcedentes assertiones.Hîc enim generalem regulam negatiuam statuimus,quando vitari non potest morale periculum vitæ corporalis: quia hoc sacramentum neque est medium necessarium ad salutem,neq; ex diuino præcepto:& præterea supponit iam,per se loquendo, duo alia sacramēta, quibus sufficienter subuenitur necessitati subditi, & ideò si periculum reuerà ita immineat, vt hîc & nunc vitari non possit, non sunt obligandi pastores hoc sacramentum ministrare. Nihilominùs tamen, quia hoc etiam sacramētum est magnæ vtilitatis, & per se spectat ad ministerium, & obligationem Parochorum, tenentur præuenire periculum, si commodè possunt, & tentare remedia conuenientia,vt illud sine periculo probabili administrent. Partim anticipando collationem huius sacramenti statim in principio talis ægritudinis, priusquàm multùm inficere possit: quia, cùm hęc ægritudo sit per se lethalis, & aliàs sit ideò noxia, & contagiosa, non oportet aliquem terminum eius expectare, vt hoc sacramentum detur, sed statim à principio dari potest.Partim procurando, vt in loco puro, & libero æger constituatur, sine vestibus quoad fieri possit, vt minus sit contagij periculum. Partim vtendo virgula aliqua argentea oblongiori ad vngendum è distantiori loco. Partim adhibendo ea, quæ purè essentialia sunt, & breuissima mora quoad fieri possit. Deniq; sumēdo alia antidota ac præseruatiua,quæ ad hoc cōferre possunt.Nā, si his omnibus adhibitis remediis, iudicio peritorum medicorum non sit morale periculum contagij, non sunt excusandi Parochi ab hoc munere,etiamsi fortasse sit aliquod dubium, quod sæpe nascitur potiùs ex nimio timore, quàm ex re ipsa. Atq; hoc obseruatum est in vsu inter viros prudentes ac timoratos: & hoc suadent etiam omnia, quæ hactenus dicta sunt.

Ex quibus est satisfactum fundamentis aliarum opinionum, vt in eorum solutionibus immorari non sit necesse.

QVARTA

# QVARTA HVIVS OPERIS PARS.

## DISPVTATIO XLV.

## DE PVRGATORIO IN GENERE, AN, ET VBI SIT.

INCHOAMVS hoc loco A quartam partem principalem huius operis, in qua de quibusdam remediis annexis superioribus sacramentis dicendum est. Cùm enim pœnitentiæ sacramentum ad actualia peccata post Baptismum commissa tollenda institutum sit, interdum verò ob suscipientis impedimentum huiusmodi effectum integrè non cõferat, quod venialia saltem peccata, reatusque pœnarum temporalium, & alias peccatorum reliquias, ei adiunctum est sacramentum Extremæ vnctionis, quod, si necesse sit, hunc effectum perficiat, præsertim in mortis articulo, in quo maior animi puritas, maiusque sacramentalis gratiæ auxilium necessaria sunt. Contingit tamen sæpissimè, vt post vtrumque sacramentum ritè, & cum principali fructu susceptum, nondum reatus pœnæ temporalis omninò remissus sit: & ideò necessaria sunt alia remedia, quibus possit anima huiusmodi debito liberari, quæ remedia meritò dicemus esse annexa prædictis sacramentis, eorumque cognitionem ad huius libri perfectionem pertinere. Possunt autem hæc remedia prodesse aut in præsenti vita tantùm, aut tantùm C post hanc vitam, aut in vtroque statu simul. In primo ordine solùm potest constitui propria satisfactio, quæ ab vnoquoque homine pro seipso fit ex opere operantis, de qua diximus, simul agentes de satisfactione sacramentali, quæ est tertia pars materialis sacramenti pœnitentiæ: ideò de illo membro nihil hîc dicendum superest. In secundo igitur ordine constituuntur pœnæ purgatoriæ, quæ à Deo post hanc vitam infliguntur. In tertio autem sunt suffragia, & indulgentiæ, quæ (vt dicemus) tam viuis, quàm defunctis prodesse possunt: illa ex opere operantis, hæc verò ad modum operis operati. De his D ergo tribus modis liberandi animas à reatibus peccatorum, dicendum superest. Primò ergo dicendum est de loco Purgatorij, an, & vbi sit: Deinde de animabus, seu personis ibi degentibus, quænam sint, quémve statum habeant: ac denique de pœnis illius loci quales sint, quamque graues ac diuturnæ. De qua re frequentiùs disputant Theologi cum Magistro in 4. d. 21. Soto verò dist. 19. aliqui d. 18. & 20. latiùs verò moderni scriptores contra Lutheranos, quos in sequentibus referemus.

Magist. Soto.

### SECTIO I.

*Sítne locus aliquis, in quo animæ in hac vita non plenè purgatæ, post hanc vitam purgentur.*

MVLTI hæretici Purgatorium negarũt, quorũ primus dicitur fuisse Aerius: sed ille negauit quidem suffragia viuorum prodesse defunctis, diserte tamen non legimus Purgatorium negasse: & quanuis vnus error alteri affinis sit, non tamen ex illo necessaria illatione consequitur: possent enim animæ per rigorem iustitiæ vindicatiuę post hanc vitam purgari, etiamsi à viuentibus iuuari, non possent. Imò ita sensisse Aerium colligi videtur ex verbis, quæ Epiphanius refert hæresi 75. sic enim aiebat: *Orat viuens, aut dispensationem facit quid profuerit mortuo? Igitur nemo sit pius, neque boni quidquam faciat: sed acquirat amicos, qui orent pro ipso, vt ne quid ille patiatur.* Ille itaque error ad materiam de suffragiis spectat. Error verò negantium Purgatorium ortus videtur Hieronymi tẽporibus, vel propè à morte eius, vt legitur in Epist. ad Augustinũ, quæ nomine Cyrilli Hierosolymit. est 206. inter epist. Aug. in eodem errore fuerũt posteà Albanẽses ante 800. annos. Hi verò, vt Prateol. refert, non solùm de Purgatorio, sed etiam de inferno dixerũt nihil esse, nullasque post hãc vitam manere pœnas. Quod etiã Albigenses posteà senserunt: quanquã enim Anton. 4. p. tit. 17. c. 11. §. 5. inter hos hæreticos distinguere non videatur, sunt tamẽ diuersi, nã hi plus quàm quadringẽtis annis sunt posteriores: exorti enim sũt tẽpore Innocen. III. vt Prateolus notat, & ex eodẽ Anton. intelligitur. Rursus excitarunt hunc errorem hæretici dicti Apostolici, nõ illi, quorũ mentionẽ fecit Aug. li. de Hęresibus in 4. loco, sed illi, qui tẽpore Bernardi exorti sunt, quos etiã secuti sunt Petro Brusiani, à Patro de Brusis eorũ duce sic nominati, vt colligitur ex Bern. serm. 65. & 66. in Cãt. & Petr. Cluniacẽsi in ep. ad omnes Episcopos. Prætereà in eodẽ errore reputati sunt Pauperes de Lugduno, qui & Vualdẽses, Armeni etiam, & Rutheni: vt apud Prateolum videre licet, & in Armacano lib. 13. de Errorib. Armenorum: quanuis Nicephor. Armenorum errores referens lib. 18. Historiæ, c. 53. hũc prętermiserit. Idemq; tribuitur Græcis, ideoq; inter errores eorũ cõputatur à D. Tho. in Opusc. contra illos; & idem sumitur ex Concil. Florent. session. vltim. quanquàm ex session. 1. acta Ferrarię hoc limitari possint, vt infrà videbimus. Tandem Lutherus hunc excitauit errorem nam licèt in principio,

1 Quihæretici Purgatorium negauerint. Aerius.

Vide Homnia, tract. de infer. c. 10. Augusti. Albanenses hæret. Albigen. Anton.

Prateol.

Apostolici hæret. Petro Brusiani. Bernar. Petr. Cluni. Pauperes de Lugduno, qui & Vualdenses. Armeni. Rutheni. Armac. Niceph. D. Thom. Conc. Flor.

Lutherus.

principio, vt Prateolus in Euthera, num.44. & alij referunt, Purgatorium nõ absolutè negauerit, sed solùm colligi ex Scriptura: ex aliis verò Auctoribus cõstat illud tandem simpliciter negasse, siue quia paulatim in suo errore processit, siue quia apud ipsum quidquid in Scriptura non continetur, credendum non est. Atque ita tandem eundem errorem omnes sectarij, & posteriores hæretici, Caluinus, Brentius, Petrus Martyr, & alij similes sectati sunt.

Caluin. Brent. Pet. Martyr.

2 Fundamentũ potest esse multiplex. Antiqui hæretici multùm fundantur in hoc, quòd anima simul cum corpore extinguitur, qui proinde non Purgatorium solùm, sed etiam infernum, & gloriam negabant. Sed hos omittamus, nam error eorum & valdè generalis est, & contra ipsam rationem naturalem. Proprium ergo fundamẽtum sumẽdum videtur ex duobus principiis. Prius est, peccatũ veniale non distingui à mortali, sed esse æterna pœna æquè dignum. Aliud est, peccatum mortale non remitti, quin tota pœna, omnisque reatus eius remittatur. Ex his enim planè sequitur omnem animam post hanc vitam aut esse dignam æterna pœna, aut nulla, ac proinde nullum esse locum pœnarum tẽporalium, quod *Purgatorium* appellatur. Atque huc adiungũtur aliqua Scripturæ loca, in quibus significatur, duo esse tãtùm extrema loca animarum, in quibus perpetuò viuunt, aut miseræ, aut beatæ, iuxta illud Eccles. 11. *Si ceciderit lignum, siue ad Austrũ, siue ad Aquilonẽ, vbicúmque ceciderit, Ibi erit,* & Mat. 25. *Venite benedicti, & ite maledicti, &c.*

Hæreticorũ fundamentum.

Eccle.11. Matt.25.

---

## *Purgatorium esse ex veteri Testamẽto ostenditur.*

3 NIhilominùs certa veritas fidei est, dari post hanc vitam Purgatorij locum. Potest autem hæc veritas imprimis ex sacra Scriptura ostendi directè, & in se. Nam, licèt fortasse hoc Purgatorij nomen in Scriptura sacra nõ inueniatur, id parum refert, si ostẽderimus rem illo nomine intentam inueniri: sæpè enim Ecclesia, vel propter hæreses insurgentes, vel vt doctrina fidei clariùs & breuiùs declaretur, noua, & simplicia nomina imponit, quibus fidei mysteria breuiter complectatur, vt constat ex materia de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, & aliis. Res ergo hoc loco intenta est, sæpe contingere, vt iustorũ animæ, quando à corporibus separantur, non plenè ac perfectè pro suis peccatis satisfecerint, ideóque post separationem à corporibus interdum aliquas pœnas luant, donec plenè satisfaciant, satisue patiantur, ita vt & ab omni culpa, & ab omni reatu pœnæ immunes fiant. Hanc ergo animarum castigationem temporariam, *Purgationem* vocamus, & quia necesse est illam in aliquo loco fieri, locũ illũ appellamus, *Purgatorium*. Sic ergo intellectum Purgatorij nomen, & res quæ illi subest, probari potest, primò ex veteri Testamento, in quo celebre testimonium est illud 2. Machab. 12. *Sãcta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Nam ex his verbis apertè colligitur aliquos defunctos posse à peccatis solui: quod verum esse nõ potest de his qui in peccato mortali decedũt: ergo necesse est de iustis intelligi: quod satis apertè ibi explicatur, cũ dicitur: *Eos qui cũ pietate dormitionẽ acceperant, optimam habere repositã gratiam:* & de eisdem subditur, optimum ac religiosum consilium esse pro eis exorare, vt à peccatis soluantur. Supponuntur ergo huiusmodi defuncti adhuc ligati reatibus peccatorum, nisi enim ligati essent, solui non possent. Rursus necesse est vinculum, seu reatum illũ temporalem esse: nam si esset æternus, non possent animæ ab illo solui. Datur ergo post hanc vitam in animabus sanctis reatus pœnæ temporalis: ergo puniuntur donec integrè soluant. Neque enim putandum est, semper solui per suffragia, vel orationes viuentium: nam hoc subsidium est quasi extrinsecum & accidentarium respectu proprij delicti, quod, per se loquendo, & iuxta leges vindicatiuæ iustitiæ, soluendum est per propriam pœnam eius qui deliquit. Sic ergo ex verbis citatis manifestè colligitur Purgatoriũ, & status quidã medius animarum, quæ nõdum beatæ sunt: quia non sunt plenè à peccatis solutæ, & nihil coinquinatum intrare potest ciuitatem sanctam Hierusalem: neq; damnatæ, quia adhuc possunt à peccatis solui.

2.Mach.12.

Dices, ex illo loco ad summum haberi, Iudam, & Machabæos ita de mortuis cogitasse: nõ ergo inde satis colligitur in re ita esse: potuerunt enim illi homines pia ignorantia decipi. Præsertim, quia illi defuncti, pro quibus orabant, videntur mortui in peccato mortali, quale videtur fuisse donaria idolorum contra legem accipere, pro quo scelere iusto Dei iudicio mortui fuerant. Respondetur, non videri dubiũ, quin peccatum illud ex genere suo graue fuerit: nã erat cõtra præceptum grauissimis verbis latum Deut. 7. Nihilominùs tamen pium etiam fuit pro illis defunctis exorare, & sacrificium offerre: non quia per tales orationes, vel sacrificia possent à mortali culpa solui, si in ea fortasse mortui fuerãt, sed quia incertum erat an in tali peccato mortui essent: verisimile namque erat, eos saltem in mortis articulo de tali peccato doluisse, veniamque cõsecutos fuisse: præsertim cùm pro fide, & religione pugnarent, vitasque suas prodigerẽt: propterea enim ibi dicitur, Iudã consideransse, eos, *qui pro pietate dormitionẽ acceperant, optimã habere repositam gratiam.* Fortasse etiam aliqui eorum poterant à culpa graui excusari, vel propter ignorantiã, vel propter leuem materiã, etsi ob exemplum & societatem aliorum simul interfecti fuerint. Denique eo modo nunc Ecclesia orat pro omnibus in aliquo bello defunctis, & nos oramus pro mortuis vel interfectis, etiãsi sciamus parũ anteà mortaliter peccasse: quia ignoramus, an Deus illis contulerit spiritum compunctionis, & hoc ipsum illis optamus: sic ergo sancta fuit, & prudẽs Machabæorũ cogitatio. Nec dubitari potest, quin veritati innixa fuerit: tũ quia existimatio illa non fuit vnius vel alterius priuati, & indocti hominis: sed totius illius populi, in quo tũc erãt sanctissimi viri, & in vera fide satis instructi: tum etiã, quia sacra Scriptura ita refert factum illud, vt illud maximè laudet, nobisque imitandum proponat. Tũ denique, quia veram, ac propriam rationẽ illius facti eadem Scriptura profert, dicens: *Bene, & religiosè de resurrectione cogitans, nisi enim eos, qui ciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.*

4 Obiect.

Enodatur.

5 Cur oratio pro mortuis in resurrectione fundetur 2. Machab. 12.

Vbi altera difficultas occurrit, cur hoc fundet in resurrectione, & non potiùs in animæ immortalitate, cùm hæc sufficiat, etiãsi anima non esset iterũ corpori vnienda. Sed quia hoc est alterius considerationis, dico breuiter, in diuina Scriptura, maximè in ordine ad præsentem causã, hæc pro eodẽ reputari: quia resurrectio supponit animæ immortalitatẽ, & hæc infert resurrectionẽ: si vera, & recta fides de diuina prouidentia, & iustitia in præmiãdis & puniẽdis hominũ operibus habeatur: nã si Deus post hanc vitã præmia & pœnas pro operibus confert, necesse est, vt non solùm in animabus, sed etiam in corporibus illam seruet prouidentiam. Huiusmodi ergo fides comprehenditur in illo loco sub illa bona & religiosa cogitatione de resurrectione: & eãdẽ supponit Paul. 1. Corinth. 15. cùm ait, *Si mortui non resurgunt, quid mihi prodest? comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Ac si diceret, si mortui non resurgunt, nulla pœna vel gloria

1. Cor. 15.

supereſt

superest post hanc vitam pro eorum operibus, quia vtrumque ad Dei prouidentiam æquè pertinet, & vtrumque in diuinis promissionibus, & comminationibus continetur: quia non animabus, sed hominibus præmia, & pœnæ promittuntur, & ideò, resurrectione sublata, cætera auferri necesse est, vt rectè Chrysost. & Ansel. in illum locum annotarunt. Sic igitur in præsenti perinde fuit dicere Iudam religiosè de resurrectione cogitantem, pro mortuis sacrificia offerri fecisse, ac dicere religiosè de diuina prouidentia, & de pœnis ac præmiis hominem cogitantem, id fecisse.

Chrysost. Ansel.

6 Ex aliis testimoniis Purgatorij colligitur.

Atque iuxta hæc, potest veritas hæc de Purgatorio ex aliis locis veteris Testamẽti demõstrari, in quibus suffragia mortuis vtilia esse significatur: cũ enim animæ beatæ illis non indigeant (idémque erat tempore legis veteris de animabus existẽtibus in sinu Abrahæ, sola enim Christi morte iuuari poterant) animabus verò damnatis vtilia esse non possint, manifestè supponunt illa testimonia locum alium animarum, qui non est nisi Purgatorium. Hoc ergo modo induci solet ad hanc veritatem confirmandam, id quod 1. Reg. 31. refertur de Iudæis, qui ieiunauerunt septem diebus pro Saul, & aliis, qui cum eo mortui fuerant. Quod ieiunium fuisse pro mortuis, vt ad requiem peruenire valerent, exponit Beda lib. 4. in Samuelem c. vlt. & putat esse expositionem literalem. Simile est quodlib. 2. Reg. cap. 1. refertur, Dauid, & qui cum eo erant, ieiunasse vsque ad vesperã super Saul, & Ionathã, &c. & quod c. 3. fertur dixisse Dauid ad populum post mortem Abner, *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Et statim dicitur, ieiunasse pro illo vsque ad vesperã. Sed hæc testimonia eneruari possunt, quia illa ieiunia non videntur fuisse in suffragiũ defunctorum, sed in ostẽsionem tristitiæ & doloris, *eò quòd corruissent gladio,* vt ibidem dicitur, sicut enim flebant & lamentabantur super mortuos, ita etiã ieiunabant: quod notauit Abulen. 1. Reg. 31. q. 19. & 2. Reg. 1. q. 9. & c. 3. q. 33. & 34. Nihilominùs probabilia sũt illa testimonia, quia verisimile est etiam facta esse illa ieiunia & afflictiones viuentium, vt prodessent defunctis: nam 2. Reg. 12. cùm Dauid fleuisset, & ieiunasset pro impetranda vita filij sui infantis, postquàm mortuum illum esse intellexit, non ampliùs luxit, seu ieiunauit, & rationem ipsemet reddit: quia iam non poterat tale ieiunium puero esse vtile: quia (nimirum) nec reuocandus erat ad vitam, nec aliquid peccare potuerat, pro cuius remissione ieiunium illud ipsi prodesse posset, vt ibidem notauit Abulen. quæst. 24. ergo cùm pro aliis adultis Dauid ieiunauit, luxit, &c. verisimile est ipsum considerasse, potuisse ex illis afflictionibus vtilitatem aliquã in mortuos redundare. Fortius argumentum sumitur ex vebis Tobiæ 4. *Panem tuũ, & vinũ tuum super sepulturam iusti constitue.* Hoc enim consilium non potuit in alio sensu esse sanctũ & honestum, nisi quatenus panis, & vinum in sacrificium & oblationem Deo offertur pro mortuis, aut in eleemosynã pauperum, vel sustentationem sacerdotum datur propter eundem finem, vt rectè expendit Turrianus lib. 4. pro epistolis Pontif. cap. 14. adiungens illud Eccles. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam,* id est, beneficentiam & subsidium, quem locum Iansen. ibi pro hac veritate rectè expendit. Præterea purgatorium ignem colligit August. lib. 20. de Ciuitate, c. 25. ex illo Malachiæ 3. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui*: adiungens illud Isaiæ 4. *Lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem circundabit de medio eorum in spiritu iudicij & spiritu combustionis.* Et lib. 50. Homil. in 16. adiugit illud Daniel 7. *Et fluuius igneus currebat ante eum.* Sed hæc loca alios habent literales sensus, in quibus explicandis nunc non possumus immorari. Et ob eandem causam omitto alia minùs efficacia, quæ ex 1. Reg. 2. Psalm. 29. 65. & aliis adduci solent.

1. Reg. 31.

Beda.

2. Reg. 1. & 3.

Abulen.

2. Reg. 12.

Ex Tob. 4. eadem veritas colligitur.

Turrian. Eccles. 7.

Iansen.

Ex Malachiæ 3. Isai. 4. & Dan. 7. idem colligit Aug. Dan. 7.

1. Reg. 2. Psal. 29. 65.

*Secundò probatur Purgatorium ex nouo Testamento.*

7

EX nouo Testamento potest in primis sumi argumentum simile præcedenti, quia etiam ex illo habemus, defunctos postea iuuari operibus, & satisfactionibus viuentium: quod non potest esse verum, nisi de existentibus in Purgatorio, vt deductum est. Assumptum probatur ex Paulo 1. Corinth. 15. *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Horum enim verborum sensus facilior, magisque literalis esse videtur, *Quid faciunt qui affliguntur, & pœnitentiam agunt pro iuuandis mortuis, si mortui non resurgunt?* Hoc ergo adducit Paulus tanquàm certum signum resurrectionis, supponens apertè, operari illo modo non esse vanum & inutile, sed fructuosum mortuis. De quo loco multa dixi in 2. tom. huius partis, vbi plures attuli expositiones, hanc verò aliis prętuli. Eique nunc solùm addendum occurrit ex Turriano suprà, & Pamel. in libr. Tertulliani de Coron. milit. num. 36. etiamsi per verba illa, *Baptizantur pro mortuis*, intelligamus lauacra & ceremonias Iudæorum, qui pro mortuis baptizabantur, eundem sensum, eandemque vim, quantùm ad præsens attinet, retinere: quia etiam illæ aspersiones legales fiebant pro mortuis, ad satisfaciendum scilicet pro illis. Vnde colligit sanctus Ephrem in suo Testamento, multò magis posse sacerdotes noui Testamenti pro mortuis efferre. Ex quo sicut Paulus colligit resurrectionem, nos immediatiùs colligimus pœnalitates aliquorum mortuorum temporales, in quibus per suffragia viuorum iuuari possunt, & consequenter etiam colligimus Purgatorium.

1. Cor. 15.

Turrian. Pam. 1.

S. Ephrem.

8

Confirmari hoc ipsum solet ex verbis Christi Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam Sanctorum interpretatio est, facite eleemosynas pauperibus, qui vos adiuuent cùm ex hac vita exieritis, vt in æternam beatitudinem recipiamini. Sic ferè Aug. 21. de Ciuit. cap. 27. Hieron. epist. 151. ad Algas. q. 6. & li. contra Vigilan. Tertul. lib. contra Marc. c. 32. & alij super Lucam. Dicere verò potest aliquis, licèt ex hoc loco suffragia & intercessiones Sanctorum satis probabiliter colligantur (ideò enim dicuntur nos recipere in tabernacula æterna, quia suis nos orationibus iuuant) tamen, quòd hoc auxilium nobis præstent etiam post mortem nostram, vt inde colligatur Purgatorium, non videri ex illis verbis sufficiẽter colligi. Respondetur ex verbo illo, *cùm defeceritis*, id colligi: nam illud deficere, non est condemnari, aliàs nunquàm possunt, qui sic deficerẽt, in æterna tabernacula recipi: igitur nihil aliud significat, quàm ex hac vita decedere, vt cum Theophyl. Euthym. & aliis, exponit Iansen. Aliquibus hoc non placet, quia Christus nõ loquitur de defectu mortis, qui communis est bonis, & malis, quia cõuenit illis, quia mortales sunt: sed loquitur de defectu in reddenda ratione villicationis malè administratæ. Videtur ergo ibi, *deficere*, esse à diuina gratia cadere, non perpetuò, sed in hac vita, & in ea cõdemnari, atque à Deo fugari: vnde Irenęus li. 4. c. 47. pro illis verbis, *cùm defeceritis*, vertit, *postquàm fugati fueritis.* Fauet etiam Tertullianus lib. de fuga in persecutione cap. 13. vbi sic exponit, vt cùm cœpisset ab his deficere gratia. Iuxta hãc verò expositionem nihil ex verbis citatis colligere possumus, quod ad rem præsentem conducat: quia si, *deficere*, tantùm

Luc. 16.

Augustin. Hieron. Tertul. Obiectio.

Solutio.

Theoph. Euthym. Iansen.

Irenæus.

Tertul.

est in hac vita cadere à gratia & fauore Dei, solùm possumus ex illa parabola colligere, illos amicos, quos de mammona nobis comparamus, posse in hac vita nos iuuare ad gratiã Dei recuperãdã, aut per eleemosynas iterũ à Deo impetrari posse gratiã perditã.

9 Reiicitur Maldonati expositio.

Non video autem cur verba illa ad tempus huius vitæ coarctanda sint, præsertim cùm iuxta verborum proprietatem, *recipi in æterna tabernacula*, in futura vita, & non in præsenti contingat, nisi impropriè, & remotè, seu in radice. Optimè ergo exponitur verbum illud, *cùm defeceritis*, vtique in reddenda ratione, sicut villicus defecerat reddendo rationem villicationis suæ: & quia hæc ratio propriè à nobis non postulatur nisi in morte, ideò etiam illud, *deficere*, ad tempus mortis optimè refertur: nam etiam, simpliciter loquendo, neminem Deus amouet à villicatione in hac vita, quantumuis malus sit. Non omnes autem, qui in reddenda ratione deficiunt, possunt recipi in æterna tabernacula, aliqui tamẽ possunt, si non essentialis (vt sic dicam) & substantialis sit defectus, sed accidentalis & leuis. Atque hoc satis est, vt Christi consilium, & promissio locum habeant: nam cùm ait, *Vt recipiant vos in æterna tabernacula*, subintelligit conditionem, *Si aliunde vos fueritis capaces.* Vel certè loquitur de facientibus eleemosynas in charitate, & ex charitate: hi enim, licèt aliquo modo deficiant in reddenda ratione, optimè poterunt amicorũ precibus iuuari. Et ita intellexisse videtur hunc locum Augustinus dicto loco de ciuitate, dicens, Christum loqui de quibusdam hominibus, nec ita malis, vt crimina committant de suis eleemosynis confisi, nec ita bonis, quin aliquid soluendum habeant.

Augustinus.

10 Ex aliis testimoniis Purgatorium colligitur.

His verò testimoniis optimè cõsentiunt illa, in quibus significatur, post hanc vitam posse fieri aliquam peccatorum remissionem, seu potiùs solutionem: illa enim nõ possũt intelligi de peccatis mortalibus quoad culpam, vt suppono, ergo debent intelligi de venialibus, vel de omnibus quoad aliquem reatum pœnæ temporalis. Vtroque autem modo concluditur Purgatorij locus, quia necesse est illas animas, dum ab illis peccatis expiantur, in aliquo loco esse, & illum, *Purgatorium*, appellamus. Huc autem in primis accõmodari solent illa verba Matt. 5. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Sed, vt Augustinus notauit lib. 1. de Serm. Dom. in mont. capit. 1. illa particula, *Donec*, non significat pœnam aliquando esse finiendam, sed potiùs significat æternitatem pœnarum: sensus enim est, omnium peccatorum etiã minimorũ pœna à te exigetur, & ita solues vsque ad minimum quadrantẽ, & quia nunquàm satis solues, semper lues. Ita verò est hic sensus accipiendus, vt tamẽ veritati Purgatorij nõ repugnet: intelligi ergo debet generaliter seu permissiuè, vel accõmodè. Monet enim Christus, vt in via, id est, quandiu in hoc mundo versamur, causas nostras cum Deo, seu *cum aduersario* (quicunque ille sit) componamus: nã si posteà in Dei iudicium inciderimus, & rei seu debitores inuenti fuerimus, non eximus è carcere, donec reddamus vsque ad minimum debitum: quòd, si reddere nõ possimus, vt continget dãnatis, nunquam inde eximus: si autem reddere possimus, vt eueniet iustis, qui nondum plenè satisfecerunt, persoluemus quidẽ exactè, donec minimum etiam reddamus, tamen, toto debito soluto, inde eximus. Atque in verba hæc per se sola non probant, si tamen aliàs ostendatur dari aliquem reatum pœnæ temporalis in hominibus iustis, & capacitatem ex parte illorum ad satisfaciendum pro illa, rectè ex illis verbis concluditur, posse huiusmodi iustos in eo statu peruenire ad Dei iudiciũ, ac propterea mitti in carcerem donec soluant, ibi autem posse soluere vsque ad minimum, & consequenter inde exire, atque adeò carcerem illum Purgatorium esse. Et hoc modo intelligendi sunt Patres, qui hunc sensum interdum indicant. Citatur Hieronymus ibi, & epist. 8. ad Demetriad. & Ambros. Luc. 12, & Athanas. quæst. 26. ad Antioch. sed hi ferè nihil ampliùs dicunt, quàm minima etiam peccata puniri à Deo, & neminem inde exire, donec soluat: an verò aliquid post hanc vitam soluant, non declarant. Expressiùs id affirmant Tertullia. libro de anima, cap. 35. & vlt. & Cyprian. epist. 52. ad Antonian. & lib. 2. ad Quirin. cap. 57. Possuntque verba Christi in hunc sensum induci, quia licèt ex forma illius locutionis, & ex vi illius particulæ, *Donec*, non affirmetur aliquid in futurum, sed negetur exitus, donec fiat integra solutio: nihilominùs videtur supponi, aliquando esse solutionem possibilem, & consequenter etiã exitum è carcere: nam de re impossibili non ita loquimur. Atque hoc satis est ad colligendũ, pro aliquibus peccatis seu debitis peccatorum, posse post hanc vitam solui, & consequenter esse aliquem carcerem deputatum ad hoc genus solutionis, qua facta, inde possit exiri.

Hieron. Ambros. Athan. Tertull. Cyprian.

11 Aliqua peccata esse post hãc vitã remissibilia probatur. Mat. 12.

Probari etiam solet illud assumptum ex verbis illis Matt. 12. *Non remittetur in hoc seculo, neque in futuro*, scilicet, blasphemia in Spiritum sanctum. In his enim verbis planè supponi videtur remissionem aliquam peccatorum fieri nonnũquàm in vita futura. Nemo enim ita loquitur de re impossibili pro illo statu: quis enim dicat, *Non ducam vxorem neque in hoc seculo, neque in futuro*: vel quidpiam simile? quando ergo aliquid in vtroque seculo fieri contingit, vt negetur vnquàm futurum, rectè dicitur non esse futurum, vel in hoc seculo, vel in futuro. Et ideò nihil repugnat quod Marcus cap. 3. dixerit, *Non habet remissionem in æternum*: nam hoc ipsum explicatiùs dixit Matthæus, significans, licèt alia peccata in futura vita remittantur, hoc verò minimè. De quo, qualiter intelligendũ sit, superiùs est à nobis disputatum, nunc enim solam illam particulam expendimus: fuitque consideratio Augustini. lib. 6. contra Iulian. c. 15. & lib. 21. de Ciuit. 14. à quo id didicerunt Beda in illum locum, Isidor. lib. 1. de Diuin. offic. cap. de Sacrificio Missæ. Greg. 4. Dialog. cap. 39. Bern. serm. 66. in Cantic. Chrysosto. autem, quem Græci sequuntur, in Matth. homil. 42. habet aliam expositionem, quæ in eo videri potest, nam ad causam non refert, & sensus explicatus est syncerior & planior, ipsisque verbis conformior.

Matt. 12. Marc. 3. Augustin. Beda. Isidor. Gregor. Bernard. Chrysost.

12 Obiectio.

Vltimò tamen circa hoc totum argumentum dicere quis potest, licèt aliqua peccata remittantur post hanc vitam, non satis inferri Purgatorium, quia peccata venialia remitti possunt post mortẽ quoad culpam, quod satis est ad illorum testimoniorum veritatem; & tamen illa peccata dimittũtur in ipso instanti mortis cùm primùm anima est à corpore separata, propter quod instans non est necesse ponere specialem locum Purgatorij: nam pro illo instanti fortasse nondum anima mutauit locum quoad præsentiam substantiæ suæ: vel satis esse posset quòd in ipsa via ad cœlum per interiores actus mundaretur: quòd autem vltra hoc aliquid aliud requiratur, ex illis locis colligi non potest. Respondetur, euasionem hanc magis pertinere ad alias quæstiones, vbi sit Purgatorium, vel quantùm duret pœna eius, quàm ad quæstionem an sit: quomodocunque enim intelligamus intercedere aliquam moram inter statũ huius vitæ, & ingressum beatitudinis, in qua anima iam separata à corpore à peccatis mũdatur, intelligitur Purgatorium esse, vbicunque, & quãtumuis breue intelligatur. Addo verò, ex vltimis Christi verbis concludi, non sola peccata venialia remitti in vita futura, sed etiam mortalia: nã peccatum in Spiritum sanctum mortale, & grauissimum,

Enodatur.

mum est,& de illo ait Christus,nō remitti in hoc se- A culo,neque in futuro:contingit ergo etiam mortalia peccata remitti in seculo futuro:quod cùm non possit intelligi de remissione quoad culpam, necessariò intelligendum est quoad pœnam, quæ non statim vno momento persoluitur, nec per solus actus interiores purgatur, sed per alia pœnarum genera, vt posteà videbimus.

13 Aliquas pœnas in futura vita habere finem ostenditur,ex Act. secundo.

Tertiò principaliter afferri possunt ex nouo Testamento illa testimonia, in quibus asseritur, aliquas pœnas futuræ vitæ habere finē,& ex illis fieri transitum ad æternam requiem. Solet hoc colligi ex verbis illis Actorum 2. *Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni*, id est,ablatis pœnis inferni:non quidem ab ipso Christo, de quo ibi est sermo, sed ab eis quos ipse resurgendo ab inferno liberauit. Vnde Polycarp. epist.ad Philippens. ad hunc locum alludens B ait; *Quem Deus suscitauit soluens dolores inferni*. Atque ita hunc locum exposuit August.lib.12. Genes.ad liter.c.33.vbi declarat, per infernū non posse ibi intelligi Sinum Abrahæ:licèt autem non exponat,quis locus inferni ille sit,necessariò intelligere debuit Purgatorium, quia à cæteris locis neminē Christus eduxit. Dixi plura de hoc testimonio in 2. tom. huius 3.p.in Comment.a.4.q.52.& in Disp.43.sect.1. Adduci prętereà hîc solet locus ille difficilis Matt.5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue,reus erit gehennæ ignis*. Nam omnia hæc membra continent comminationem alicuius pœnæ, & solùm in tertio membro fit comminatio pœnæ inferni,& æternæ:ergo præter eam est aliud genus temporalis pœnæ,qualis est in solo Purgatorio. Sed hic locus perobscurus est, & non spectans ad præsentem controuersiam, quia valdè probabile est omnia illa membra significare æternam condemnationem,& pœnam maiorem vel minorem pro qualitate delictorum:quomodo autem hæc inæqualitas illis verbis significetur tam in delictis, quàm in pœnis, quomodo etiam illi peccatorum gradus tales sint, vt mereantur æternam pœnam, non est huius loci explicare.

Matt.5.

---

## *Expenditur Pauli locus* 1.*Cor.*3.

14 PRÆCIPVVS ergo, & celebris locus, ex quo hæc pœna temporalis colligitur, est ille Paul. primæ Corinth. tertio. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quid positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, & stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit:dies enim Domini declarabit,quia in igne reuelabitur,& vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit,quod superædificatur,mercedē accipiet:si cuius opus arserit,detrimētū patietur;ipse autē saluus erit,sic tamē quasi per ignē*. Cuius testimonij vis in his vltimis verbis posita est, quibus affirmari videtur à Paulo aliquos saluari per ignē, eò quòd aliqua opera fecerint igne digna non æterno,sed temporali,qui non videtur posse esse alius,nisi purgatorius ignis. Quia verò talia opera metaphoricis nominibus significantur,ideò in primis declarandum est, quid per *lignum*, *fœnum* & *stipulam* significetur,hinc enim cætera pendent, quæ ad nostrum institutum spectant. Aliqui ergo per has voces intelligunt opera vitæ actiuæ, quæ bona sunt, tamen circa temporalia versantur, & ad illa ita afficiunt, vt posteà non sine dolore amittantur. Hanc expositionem indicat aliquando Augustinus infrà citandus, & non displicet Anselmo.

D. Thom. autem, & alij eam reiiciunt, nisi ea opera sumantur,quatenus aliquid culpæ illis admiscetur. Nam quòd per illas voces metaphoricè significauerit Paulus praua opera, quæ à fidelibus fiunt, manifestum esse videtur,tum ex omnium expositione,tum ex aliis vocibus, *aurum,argentum, &c.* quæ planè bona opera significant,aut(quod perinde est)spirituales fructus eorum: tū denique ex omnibus quæ sequuntur de probatione & examinatione operū perignem.

15 Num peccata mortalia, an venialia per, *Lignum, fœnum,& stipulam*,significentur.

Difficultas verò est, an illæ voces significent peccata mortalia, aut venialia. Est enim multorum opinio, principaliter indicare mortalia: quia Paulus duos tantùm ordines operum posuit, bonorum scilicet, & malorum: ergo sub malis mortalia peccata comprehendit. Nec enim dici potest ea prætermisisse,quia non possunt superædificari super illud fundamentum,quod est Christus:nam etiam venialia peccata non possunt super illud fundari, formaliter loquendo, materialiter autem, sicut ille,qui per fidem est in hoc fundamento fundatus, potest venialia peccata superædificare, ita etiam mortalia. Ergo hæc Paulus sub illis vocibus metaphoricè comprehendit. Quod sensisse videtur Hieronym.in cap. 1. Ieremiæ, Hieronym. dicens, *Qui leui peccatorum sorde maculatus est, leuioribus purgatur montis: porrò peccata grauia quæ ad mortem trahunt, grauioribus tormentis indigent, vniuscuiusque enim opus quale sit,ignis probabit*. In quibus vltimis verbis alludit ad præsens testimonium Pauli. Idem verò Hieronym. Nahum 1. etiam de operibus hæreticorum hæc verba exponit. Quod etiam habet Zach.1. C De mortalibus etiam peccatis has voces exposuerunt Paulinus epist.29.ad Aprū, & Arnoldus tract. vlt.de Paulin. Verbis Domini in cruce. Eādémq; expositionem se- Arnold. quitur,& nonnullis testimoniis confirmat Turrianus Turrian. lib.4.contra Magdebur.cap.13.

16 Quorundam expositio, *saluus erit*,de permanentia in existentia.

Iuxta hanc verò interpretationem, illa posteriora verba, *Ipse autem saluus erit*, non erunt intelligenda de æterna salute ac gloria, sed solùm de permanentia talis hominis, seu animæ eius: ac si diceretur, quanuis opus destruatur, non tamen ipsa persona, non enim redigetur in nihilum,sed conseruabitur vt æterno igne crucietur. Quæ fuit expositio Chrysostomi homil.9. in priorem ad Corinth.qui dicit interdum vti Paulum nomine præ se ferēte bonum aliquod ad significandum potiùs malum, atque ita in proposito illud, *saluus erit*,seu, *saluabitur*, non veram salutem, D sed permanentiam hominis peccatoris ad æternitatē Theophy. pœnæ significare. Quam expositionē sequitur Theo- Nazian. phylact. & eam indicauit Greg. Nazian. orat.39. in fine, vbi de Nouatianis hæreticis loquens ait, *Si via sua insistant, in altero æuo igne baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solùm acerbior, sed diuturnior, qui crassam materiā instar fœni depascitur,vtiq; omnis leuitatē absumit*. Vbi Nizetas de igne sempiterno hæc verba intelligit,nec possunt de alio exponi,cùm hæretici in suis erroribus manentes alio igne non reseruentur. Eadem expositio habetur in quæstionibus ad Antio- Athan. chum inter opera Athanasij quæst.131. *Detrimentum* (inquit) *patietur regni cœlorū, ipse verò manebit integer* E *pœnas luens*. Eandem habet Anastas.Nicen.libr.quæ- Anast. stion.in Scripturam,q.60. Et hanc expositionem defendebant Patres Græci in Concilio Ferrarien.sess.1. Conc.Ferrar. in princ.Eandem necessariò sequi debent omnes,qui nomine *fœni,&c.*vel peccatum mortale in genere, vel peccatum speciale prædicādi,seu superædificandi falsa dogmata intelligunt,vt Clem.Alexand.lib.5.Stro- Clemens mat.non longè à principio. Hieronym. in id Isai.5. Alex. *Væ qui coniungitis domum ad domum*: quanuis non tam exponere, quàm verba accommodare videatur.

Hæc verò expositio probari nullo modo potest.Et 17 primò Patres Latini in dicto Concilio Ferrarien.sess. Improbatur opinio as-

seretiũ verbum *saluabitur*, nõ significare æternã salutẽ. Ps.11.79.85.

Mat.14.

Tertul.

Hieron. Cyprian.

Origen.

Auguſt.

18 Hieron.

Ambroſ.

Baſil.

19 Per verba *lignum, fœnum, & ſtipulum*, peccata venialia, aut mortalia quo ad culpam remiſſa ſignificari.

1. vim faciunt in verbo illo, *ſaluabitur*, quòd in Scriptura ſemper in bonam partem ſumitur pro cõſequutione ſalutis, ſeu vitæ corporalis, vel ſpiritualis, vel temporalis, vel æternæ, iuxta loci circunſtantiam, vt videre eſt frequenter in Pſalm. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus.* 79. *Deus virtutum conuerte nos, oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* 85. *Saluum fac ſeruum tuum, &c.* Matth. 14. *Domine, ſaluum me fac.* Vbi Græcè idem verbum habetur. Vnde cõſtat & verbum *ſaluandi* ſemper in bonam partem, & pro conſeruatione illius vitæ, quæ amittí poterat, vel periculis erat expoſita, accipi: exiſtentia verò animæ rationalis non eſt huiuſmodi, & ideò ſaluari propriè non dicitur, ex eo ſolùm quòd in eſſe conſeruetur. Secundò, non dicit Apoſtolus, *Saluabitur in igne*, ſed *per ignẽ*, quo apertè ſignificat nõ permanſurũ in igne, ſed tranſiturum per ignem, & ita conſequuturum ſalutem, quod vno verbo Tertull. expoſuit libro 5. contra Marcion. cap. 6. dicens, *Merces illi per ignem rependetur.* Idem Hieronym. in Amos 4. & Cyprian. epiſt. 52. ad Antonian. dicens, *Horum pro peccatis longo dolore cruciatus emendari, & purgari diu igne.* Et optimè Orig. hom. 6. in Exod. *Idcirco qui ſaluus fit, per ignem ſaluus fit, vt ſi quid plumbi habuerit admiſtum, id ignis decoquat, & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum.* Et eandem expoſitionem eleganter proſequitur homil. 12. in Hierem. Sed oportet aduertere, licèt hæc loca Origenis, & ſimilia dictam expoſitionem rectè confirment, non tamen veritatem Purgatorij: quia ille, vt notauit Auguſt. 21. de Ciuit cap. 15. & 16. omnem ignem vitæ futuræ Purgatorium facit: quia nullas agnoſcit æternas pœnas, ſed omnes putat *aliquando futuros aurum bonum* (vt eius verbis vtamur.) In citata verò hom. 6. in Exodum indicat per illa, tria peccata cordis; verbi, & operis, atque ita vniuerſa peccata, ſignificari. Sed Originem omittamus.

Meliùs confirmat eãdem expoſitionem Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. poſt medium, ex hoc loco colligens, inter ſaluationem & ſaluationem eſſe diuerſitatem: nam quædam fit per ignem purgantem & conſumentem praua opera, alia ſine igne: loquitur autem apertè de ſaluatione æterna. Vnde idem Hyeronym. Iſaiæ 65. in fine, ex profeſſo oſtendit contra Origenem, damnatorum pœnas futuras eſſe æternas, tandem verò concludit, *Chriſtianorum, quorum opera per ignem probanda ſunt, atque purganda, moderatam ac miſtam clementiæ eſſe ſententiam iudicis.* Quia nimirum tantùm ad temporalem pœnã damnantur. Oportet tamen *Chriſtianorum* nomine, illos ſolos intelligere, qui in Chriſto per fidem viuam fundati ſunt, & aliquid nihilominùs habent, quod oporteat igne conſumi. Eodem modo de vera animæ ſalute intellexit locum illum Ambroſ. ibi rectè inde colligens dari purgatorium: & enarrat in Pſalm. 36. in illa verba, *Arcus eorum intret in corda ipſorum, &c.* vbi breuiter quidem, tamen eleganter, locum hunc attingit. Cui meritò adiungi poteſt Baſil. orat. in cap. 9. Iſai. in fine, vbi exponens verba illa: *Et erit populus ab igne deuſtus* (vt ipſe legit) ſeu *quaſi eſca ignis*, vt habet vulgata, inquit, *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, ſed innuit expurgationem, iuxta Apoſtoli ſententiam.* Sit ergo conſtans, Apoſtolum loqui de ſalute ſpirituali & æterna obtinenda, non in igne, ſed per ignem, qui ad tempus vrat, ad ſalutem verò æternam purificet.

Hinc vlteriùs fieri non poteſt, vt per verba illa *lignum, fœnum, & ſtipulam* peccata mortalia ſignificentur, quatenus talia ſunt: nam qui hæc commiſerit, & cũ eis in iudicio diuino apparuerit, non ſaluabitur per ignem, ſed ad ignem perpetuò damnabitur: debẽt ergo intelligi venialia tantùm peccata: aut ad ſummũ ea etiam mortalia, quæ per veram pœnitẽtiam venialia ſunt effecta, ſeu potiùs venia digna, etiam ſi non ſint perfectè remiſſa. Cui expoſitioni magis etiam quadrat ipſorum verborum metaphora, quę res leuiores indicat: nam peccata mortalia potiùs plumbum, æs, aut ferrum dicenda eſſent, vt dixit Gregorius 4. Dialog. cap. 39. Eſtque hæc frequens Sanctorum expoſitio, quos ſtatim referam. Reperitur autem inter eos quædam diuerſitas: nam quidam hunc locum intelligunt de quibuſcunque iuſtis in Chriſto fundatis, ſuperædificantibus, aut bona opera, aut defectuoſa & maculata: & ſic exponentes, conſequenter intelligunt per illas tres voces quælibet peccata venialia, quæ intra ſuam latitudinem in illos tres gradus diſtingui poſſunt, grauia, quæ difficiliùs comburuntur, ſicut lignum, leuiſſima, quæ facillimè vruntur, ſicut ſtipula; & media, quæ per fœnum intelliguntur: Sumitur ex Origine ſuprà, & Auguſtino ſerm. 41. de Sanctis. Enchirid. capit. 68. & libr. quæſt. ad Dulcitium, quæſt. 1. in fin. Gregor. ſuprà, & optimè ex Cæſario Homilia octaua, Diuo Thoma prima ſecundæ quæſt. 89. art. 2. præſertim ad 4. Atque hoc ſenſu dixit Hieron. lib. 2. contra Iouin. non longè à principio: *Cùm viderit* (ſcilicet dæmon) *nos ſuper fundamentum Chriſti ædificare fœnum, ligna, & ſtipulam* (id eſt, venialia peccata) *tunc ſupponit incendium* (id eſt, tentationem ad mortaliter peccandum) vnde ſubiungit, *ædificemus ergo aurum, argentum, lapides precioſos, & tentare non audebit.*

Quorundam expoſitio verbi *ſuperædificare*, de quibuſcunque iuſtis.

Origen. Auguſt. Gregor. Cæſar. D. Thom. Hieron.

20 Aliorum expoſitio verbi *ſuperædificare*, de prædicatoribus. Anſel.

Alij verò intelligunt Paulum loqui non generatim de omnibus, ſed de prædicatoribus Euangelij, de quibus ibi ad literam loquebatur, quos adiutores Dei vocat, qui ſua doctrina & fundamentum ponunt, Chriſtum in cordibus plãtando, & ſuperædificant, ad ſpirituales fructus hominem promouendo. Vnde ſubdit de ſe: *Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat: vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificat. Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c.* Tunc autem ſubiungit: *Si quis autem ſuperædificat argentum, &c.* id eſt, ſi prædicator Euangelij optimam doctrinam prædicat, &c. *mercedem accipit. Si verò ſuperædificet lignum, &c.* id eſt, prædicet res parum vtiles, & curioſas ſeu leues, *detrimentum patietur, ſaluus tamen erit per ignem.* Hanc expoſitionem refert ibi Anſelmus, non tamen approbat, licèt probabilem exiſtimet. Diuus Thom. verò vtramque expoſitionem refert, & approbat, neutram præferendo. Caietanus autem eam anteponit: quod & alij ſequuntur, indicatúrque à Tertulliano lib. 5. contra Marcion. cap. 6. dicente, Paulum poſuiſſe vnicum fundamentum, quod eſt Chriſtus, *ſuper quod prout quiſque ſuperſtruxerit dignam, vel indignam doctrinam, ſic opus eius per ignem probabitur, ſic merces ei per ignem rependetur, &c.* Debent autem hæc verba intelligi de indigna doctrina, non quacunque, ſed illa quæ non labefactat ædificiũ, licèt illud non promoueat. Doctrina enim hæretica euertit omninò ædificium: doctrina etiam contra bonos mores deſtruit formam eius, quæ eſt charitas: & ideò qui talem doctrinam prædicant, nec ſuperædificare dici poſſunt, nec ſaluari per ignem, ſed omninò condemnari, quantùm eſt ex vi taliũ operum. Eſt ergo ſermo de indigna doctrina, id eſt, vana & inutili, quæ ſuperædificatur quidem à Doctore, ſed non auget, imò impedire poteſt incrementum ædificij: tamen, quia ex ſuo genere hoc non eſt peccatum mortale, non impedit quin pro aliis operibus merces rependatur per ignem.

Anſel. D. Thom. Caietan. Tertul.

Diuerſitas autem inter has expoſitiones ab illis verbis ſumenda eſt, *vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Illud enim relatiuũ, *Alius*, 21

poteſt

potest referri ad quemcunque alium à Paulo, qui superædificet fundamento ab ipso posito. Potest autem superædificare & ipsemet fidelis, qui à Paulo, vel ab alio ministro Euangelij ad Christi fidem & dilectionem conuersus fuit: nam posteà vnusquisque suis cogitationibus, verbis, & operibus superædificat supra fundamentum positum. Potest item superædificare quilibet alius prædicator, vt per se constat. Iuxta illius ergo verbi intelligentiam cætera accommodãda sunt, vt procedãt dictæ expositiones: nec ex textu satis clarè constat, quis illorum superædificantium referatur, an verò Paulus indifferenter fuerit locutus de quocunque superædificante, quod certè probabile est. Et saltem quantùm ad rem ipsam spectat, vtrumque verum est, & parùm ad præsens institutum refert, quòd vno vel alio modo exponatur, dummodò cõstet Paulum loqui de venialibus culpis, quod in extrinseco superædificatore iam exposuimus: in intrinseco verò seu in ipso homine operante constat: quia dici non potest superædificare mortalia peccata, illa enim euertũt ædificium: quia licèt non tollant fidem absolutè, tollunt saltem vitam eius, & tollunt Christum ex cordibus, licèt non tollant ab intellectu. Paulus autem loquitur de hominibus ita fundatis in Christo, vt digni sint mercede ac præmio, si rectè operentur, atque adeò de fundatis in Christo per fidem viuam, quales credebat esse Corinthios, ad quos scribebat. Quæ fuit
Augusti. expositio Augustini lib. de Fide & operibus, c. 1. tom. 4. & lib. 21. de Ciuit. c. 26. Ac propterea in hac enumeratione operum nullam facit Apostolus mentionem peccatorum mortalium: quia illa non superædificantur, cùm destruant ædificium: nec de sic operãte dicit, *Saluus erit per ignem*, sed, *Qui templum Dei violauerit, destruet illum Deus*, 1. Corinth. 3. Vnde ad id quod obiiciebatur,
1. Cor. 3. quia etiam peccata venialia non superædificantur, respondetur, licèt non superædificentur formaliter ipsi ædificio gratiæ: quia non augent illam, superædificantur personæ habenti & retinenti gratiam, & ideò diuersa est ratio.

A moderatè amant, & non sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur: & nihilominùs per hũc ignem saluantur: quia, licèt doleant, fundamentum tamen non amittunt, nec à Dei amore recedunt. Vnde fit, vt diuersa ratione vtrique transeant per hunc ignem, perfecti ad probationem & augmentum mercedis, imperfecti verò ad purgationem, & vt eis tollantur impedimenta salutis.

Hæc expositio continet bonam doctrinam, non tamen videtur verbis & contextui posse satis accommodari. Et primùm si intelligamus Paulum loqui de prædicatoribus & doctoribus Euangelij, qui in doctrina sua superædificant aurum, vel lignum, &c. nullo modo potest illa expositio adaptari. Deindè secundùm aliam expositionem, verba illa, *Dies Domini declarabit*, non possunt commodè intelligi nisi de die Iudicij, vel generalis, vel particularis: hoc enim significat illa locutio iuxta communem phrasim Scripturæ. At verò iuxta dictam expositionem necesse est intelligere per *Diem Domini*, quemcunque diem tribulationis huius vitæ, quod vsitatum non est. Et praterea, si Paulus loqueretur de tribulationibus huius vitæ, non potuisset absolutè promittere, *Saluus erit per ignem*, id est, per tribulationem: multi enim imperfecti in tribulatione deficiunt, & grauiter labuntur, quia illa, quæ amabant, amittunt. Alij verò adhuc per tribulationes non satis purgantur. Et ideò, etiamsi quis
Augusti. velit hanc expositionem sustinere, non potest solas tribulationes huius vitæ intelligere, & omninò purgatorium ignem excludere. Nam tribulationes huius vitæ non semper purgant perfectè has leues maculas. Et ideò etiam ipse Augustinus serm. 41. de Sanctis, dixit, hæc peccata leuiora in hoc seculo purgari per tribulationes, *vt in futuro, ille purgatorius ignis aut non inueniat, aut certè parum inueniat, quod exurat.*

Alij ergo locum hunc exponunt de igne conflagrationis, putant enim diem illum Domini, de quo Paulus loquitur, esse diem iudicij vniuersalis: quia de illo ad literam verum est illud, *Quia in igne reuelabitur.* Hanc expositionem habet Chrysost. hom. 6. ad Popul. Chrysost. Sed reuerà, vel non est propria, vel non est adæquata Reiicitur.
D huic loco. Nam Paulus vel non loquitur de illo igne, vel saltem non de illo solo, sed in vniuersum de igne puniente, & purgante iustos à leuibus maculis in fine huius vitæ. Vt hoc autem clariùs intelligatur, recolere necesse est, duplicem ignem futurum in vltimo & vniuersali iudicio: vnum, post peractum iudicium ad mundum innouandum, qui propriè dicitur ignis conflagrationis, & de hoc non potest hic locus Pauli intelligi, quia ille nec declarabit, nec purgabit opera iustorum: iam enim erunt declarata, & digna merces, vel pœna eis erit retributa: alium ante iudicium, qui Iudicem præcedet, & de hoc posset apparentiùs hic locus intelligi quoad aliqua verba, illa præcipuè, *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Sed ta-
E men sequentia non possunt illi adaptari, quia iuxta veriorem sentẽtiam, hic etiam ignis supponet factam resurrectionem hominum, & consequenter supponet omnes iustos iam plenè purgatos, vnde nullo modo per illum saluabuntur, nec illorum opera igne illo comburẽtur. Imò licèt daremus illum ignem futurum ante resurrectionem, ideoque posse munus illud exercere circa aliquos iustos, quos tunc viuentes in carne mortali, & nondum plenè purgatos reperiet: nihilominùs non poterit hoc munus exercere circa omnes iustos, qui fœnum, & stipulam superædificarunt, cùm tamen Paulus vniuersè loquatur. Et ideò dixi expositionem illam, vel non esse adæquatã, vel nullo modo ad hunc locum spectare. Videantur quæ de hac materia dixi tom. 2. huius tertiæ partis, Disputat. 57. sect. 1. & Disput. 58. sect. 1. & 2.

## *Quid per ignem in illo Pauli loco significetur.*

22 SED adhuc supereſt difficultas, quid per *ignem* in illis vltimis verbis intelligatur, hinc enim maximè pendet efficacia huius probationis. Non enim videtur posse significari aliquis Purgatorius ignis vitæ futuræ. *Vniuscuiusque enim opus quale sit, ignis probabit*, inquit Apostolus: at constat bona opera non esse probanda per ignem Purgatorij: non est ergo ibi sermo
Augustini expositio. Gregor. de Purgatorio igne. August. ergo in locis nuper citatis, & libr. de Fide & symb. cap. 16. quem Gregorius citato loco imitatur, hunc locum intelligit de igne tribulationis. Quod si obiicias, quia hoc igne tam boni quàm mali vri solent, & affligi, imò frequentiùs illum patiuntur iusti, qui aurum, &c. superædificant, quàm E alij, qui fœnum, &c. Respondebitur concedendo assumptum, neque id esse contrarium intentioni Pauli, sed cõsentaneum, cùm dicat, vtrosque esse per ignem probandos. Differentia ergo est, quòd viros perfectos ita vrit tribulatio, vt licèt eorum corpora patiantur, opera tamen integra maneant, & Deo placita. Imperfecti verò ita affliguntur, vt & opera eorum imperfecta, & inutila appareant, in quo magnum detrimentum patiuntur. Vel aliter, iuxta mentem eiusdem Augustini, boni & perfecti dum in his temporalibus rebus patiuntur, non solùm non contristantur de illorum amissione, verùm potiùs gaudẽt, eorũque opera semper manent integra, quia amorem suum non in his rebus, sed in Deo collocarunt: at imperfecti dum in his rebus patiuntur, contristantur valdè: quia ea im-

23 Expositionẽ August. verbis Pauli nõ esse accommodatam.

24 Alia expositio verbi *per ignem.*

In vniuersali iudicio duplex ignis futurus.

25 Dies Domini in loco illo. 1.Cor.3. significat particulare iudicium. 1. ad Tim.4.

Hinc verò consequenter concluditur, *Diem Domini* vocari à Paulo hoc loco non diem iudicij vniuersalis, sed particularis: vtrique enim applicatur illa locutio, iuxta illud 1. ad Timoth. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Quòd si quis velit de die vniuersalis Iudicij hunc locum intelligere, facilè poterit aduertendo, Paulum dicere diem Domini declaraturum qualitatem operum, non, quia tunc primò facienda sit eorum discretio, sed, quia tunc ostenderetur, quæ priùs facta erit in primo iudicio, in quo quale sit vniuscuiusque opus, ignis probabit. Apparet autem expositio hæc probabilis, quia aliàs obscurum est quomodo de illo die verum sit, *quia in igne reuelabitur*: hoc enim ad literam verum est de die vniuersalis Iudicij, ad particulare verò nec iudex in propria ac corporali præsentia venturus est, nec ignis illum antecedet. Propter hoc verò Sedul. Caietan. Lyra. Carthus. & alij in hunc locum putant, in his prioribus verbis ignem esse metaphoricè accipiendum pro ipso iudicio & sententia Iudicis: aliquando enim Scripturam vti hac metaphora, in citato loco 2. tomi ostendi, & hîc optimè accommodari videtur, quia in hoc igne reuelabitur ille dies, quia erit dies Iudicij diuini. Et ita facilè etiam satisfit priori difficultati propositæ. Nam hic ignis diuinæ sententiæ omnes tam iustos, quàm peccatores, omniaq; eorum opera probabit: eaque opera dicuntur in hoc igne manere, quæ ab illa sententia probantur: ideóque talia opera mercede afficiũtur. Ea verò opera dicũtur hoc igne comburi, quæ reprobantur, & tunc dicitur persona detrimentum pati, quia sua opera amittit, & pœnam potiùs quàm præmium propter illa mereri intelligit. Est ergo expositio hæc apparens.

Per verba illa, *ignis probabit*, significari Iudicis sententiam, seu ipsum iudicium, aliqui tenẽt. Sedul. Caiet. Lyra. Carthu.

26 Obiectio contra hanc expositionẽ.

Vnum verò illi obstat, quia, vel tollit efficaciã huius testimonij ad ostendendum Purgatorium, vel necesse est, *ignem*, in his prioribus verbis, & in illis posterioribus, *saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non eodem modo sumi, quod videtur inconueniens. Sequela patet: nam si eodem modo sumatur illa vox, solùm habetur ex vltima sententia Pauli, eum, qui superædificat lignum, &c. saluum fieri quasi per ignem, id est, quasi per sententiam iudicis, quæ ad instar ignis consumet talia opera, & quasi in nihilum rediget, vnde non satis colligitur Purgatorium. Ad hoc verò responderi potest ex Caietano: ignem quidem significare examen diuini iudicij in alia vita, & simul etiam significare pœnam in huiusmodi iudicio inflictam: quia non est inconueniens vt & rem, & effectum eius significet, vnum propriè, alterum per translationem: neque etiam est incommodum, vt in discursu eiusdem capitis in vtraque significatione vox sumatur, quando ex ipso contextu constat metaphora, seu diuersus vsus vocis. Sic autem est in præsenti: nam priùs dicitur omnia opera probanda esse igne: manifestũ autem est opera non esse materiam ignis materialis: cogimur ergo ibi ignem metaphoricè interpretari: non est autem in illo vltimo die futurum aliquid aliud commune bonis & malis operibus, quo vtraque probentur, nisi diuinum iudicium, & examen, illud ergo rectè intelligimus per ignem metaphoricè significari. Peccata autem venialia comburi hoc igne, nihil est aliud quàm inutilia declarari, & digna pœna: cùm ergo mutatus sermo de operibus, & dicitur saluum fore per ignẽ, rectè exponimus fieri transitum ad pœnam ex tali iudicio resultãtem, quam patientur in alia vita, qui cum his leuibus culpis decedunt, significat ergo purgatoriam pœnam. Est ergo expositio hæc probabilis.

Solutio.

27 Turrian. Alia expositio verbi, *ignis probabit.*

Longè verò aliter Turrian. lib. 4. contra Magdeburg. cap. 13. respondet bona & mala opera probari per ignẽ pœnalem (vt sic dicã) non verò per eundem ignem, sed bona per ignem purgatorij, mala per ignẽ inferni: nam de vtroque vult loqui Paulum hoc loco, ac propterea indefinitè dixisse, *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Nam si opus fuerit aurum, argentum, & lapis pretiosus, etiam illud probabit ignis, vt si quas minutas habet sordes admistas, illas expurget, iuxta illud Malac. 3. *Sedebit constans, & emundans argentum, &c.* Si verò opus fuerit lignum, stipula, &c. (per quæ mortalia peccata intelligit) probabit, seu reprobabit illa ignis inextinguibilis, hõc enim modo exuret illa opera, & hoc est *detrimentum*, quod Paulus ait passurum eum, qui hæc operatur: scilicet, detrimentum salutis æternæ. Quapropter verba illa vltima, *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non putat referẽda ad ea, quæ proximè præcesserunt, sed ad illa, *Si cuius opus manserit, mercedem accipiet*, per hyperbaton. Hæc verò expositio sicut est singularis, ita mihi videtur parum verisimilis. Primò, quia incredibile mihi est, Paulum cùm ait, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non referre eum, cuius opus arserit, de quo proximè locutus fuerat, sed eum, cuius opus manserit, de quo sermo præcesserat: tum propter relatiuum, *ipse*, quod secundùm planum contextum refert personam proximè præcedentem: tum propter coniunctionem, *autem*, quæ non bene construitur cum priori persona: scilicet, *mercedem accipiet, ipse autem saluus erit*: potiùs enim dicere debuisset, *ipse enim saluus erit*, tum propter illa verba, *Quasi per ignem*: nunquàm enim Paulus significauit eum, qui aurum, &c. superædificat, esse dignum aliqua pœna, neque enim sic operans esse potest dignus illa: nam si minutas sordes miscet, vt sic, non superædificat aurum, &c. aliàs non debuisset absolutè dicere Paulus, sic superædificantem solum argentum, aurum, & pretiosos lapides superædificare, nullúmque eius opus arsurum, nec detrimentum aliquod passurum, sed omninò mercedem accepturum. Tum denique, quia ferè tota illa expositio voluntaria est, quid enim nos cogit, vt *per lignum, fœnum, & stipulam*, mortalia peccata intelligamus? cùm nec metaphora vocum, nec contextus verborum, nec Sanctorum expositio nos cogat: quid vt dicamus detrimentum pati esse in æternum damnari? nonne etiam carere fructu talium operum, & mercedis loco ignem Purgatorij experiri magnum detrimentum est? Tandem verisimile satis est, loqui Paulum de Doctoribus Ecclesiæ superædificantibus vel aurum, vel lignum, &c. quibus nullo modo accommodari potest illa expositio: vel si loquatur de omnibus fidelibus, loquitur de fundatis in Christo per fidem viuam: & ideò expositio illa nullo modo probari potest.

Reiicitur.

28 Totum locũ Pauli intelligendũ esse de vero & proprio igne, vera resolutio. 2.Thes.1.

Dicamus igitur tandem, totum hunc locum intelligi de igne vero, & proprio, in quo Dominus, vel dies Domini reuelandus dicitur. Vel quia in die Iudicij vniuersalis verus ignis antecedet aduentum Iudicis 2. ad Thessal. 1. vel etiam, quia in iudicio particulari per ignem ostendet seueritatem iustitiæ suæ: nam hoc etiam est in igne reuelari. Nec enim tunc veniet Dominus corporali, & visibili præsentia, vt ille ignis antecessurus sit, vel vt in specie visibili in igne reueletur, sed veniet per intellectualem manifestationẽ, per quã ostendet quomodo opera per ignem probanda, aut punienda sint: & ideò in igne reuelabitur. Rursus omnia opera dicuntur per ignẽ probanda, non quia omnia illa, seu qui ea operati sunt, in ignem sint mittẽdi, vt in eo probentur: sed quia ignis ille positus est ad purgandas sordes operum: & ideò quando ignis ille nullo modo attingit opera, nec personam, satis probat, & testimonium præbet bonitatis, & perfectionis talium operum, quando verò necesse est ingredi ignem, vt opera purgentur, tunc sordida esse probantur.

bantur. Sicut si inter homines esset constitutum iudicium de aliquo crimine, & paratus ignis ad eos comburendos, qui rei esse conuincerentur, Iudex ad tribunal ascendẽs dici rectè posset in igne apparere, & qui innocentes inuenti essent, dicerẽtur per ignem probati, etiãsi flamma eos non attigisset. Sic igitur in præsenti dicuntur omnes per ignem probari, quia omnes examinantur an indigeant purgatorio igne, & qui illum omninò euadunt, omninò puri esse probantur. Quæ expositio sumi potest ex Ambr. in Psal. 118. enarrat. in 3. Octonar. in princ. & in 20. Octonar. circa illa verba, *Vide humilitatem meam.* Tandem indicat Rupert. li. 3. in Gen. c. 32. Sic etiam dixit Lactan. li. 7. cap. 21. Deum igne esse examinaturum omnes iustos, *sed quos* (ait) *plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient, &c.* Declaratur denique hoc optimè ex Historia, quam refert Beda lib. 3. Hist. Angl. c. 19. vbi iustus quidam in raptu, vel morte ad tempus, vidit ignem sibi appropinquantem, dixitque angelo suo: *Domine, ecce hic ignis mihi appropinquat.* Cui ille, *Quod non accendisti, non ardebit te. Nam, etsi terribilis ille, & grandis rogus videtur, tamen iuxta merita operum singulos examinat.*

Ambr. Rupert. Lactant. Beda.

A quæstiones de Purgatorio, & de suffragiis ita coniunctæ sunt, vt ex posteriori assertione prior illa necessariò sequatur, vt notauit Isidor. lib. de Diuinis officiis, cap. de Sacrificio, & est per se notum, quamuis è contrario expositione Purgatorij non statim inferatur suffragiorum valor, vt infrà videbimus: Gregorius item de suffragiis pro defunctis multa habet lib. 2. Dialog. c. 23. & lib. 4. per multa capita: tamen cap. 25. dicit apertè, animas perfectas statim euolare in cœlũ, imperfectas verò, licèt iustas, priùs detineri in quibusdam mansionibus. Quas mansiones esse Purgatorium declarat cap. 39. & in Psal. tertio de pœnitent. initio, & libr. 2. in 1. Reg. ca. 3. in fine. Isidor. Gregor.

B Præterea Hilarius in id Psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c.* in Octonar. 3. ait. *Purgatorium vocat indefessum ignem, in quo grauia sustinentur supplicia, per quæ animæ à peccatis expiantur.* Manifestum enim est, non posse hoc dici de igne inferni: nam per illius supplicia non expiantur peccata, sed perpetuò vindicantur. Vnde exemplum adhibet in verbo otioso, de quo rationem sumus reddituri in die iudicij. Sic etiam Beda in Psal. 37. in principio dicit, esse ignem purgatorium, in quo leuiora peccata iustorum expiantur, & de illo intelligit verba illa, *Nec in ira tua corripias me*, dicens vereri illam correptionem in ira: quia grauior est omnibus huius vitæ pœnis. Vnde in id Marc. 3. *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne*, ait, aliquos iustos in hac C vita baptizari Spiritu sancto, in sequenti verò, igne Purgatorij, de quo etiam multa habet lib. 3. Histor. Anglic. cap. 19. & lib. 5. cap. 13. vbi nonnullas reuelationes refert ad animas Purgatorij pertinentes, quæ in aliis etiam historiis, & Sanctorum Legendis passim inueniuntur. Et præsertim legi potest Gregor. Turonen. lib. de Gloria confessor. c. 5. & Rhaban. li. 2. de Institut. cleric. cap. 44. Et hoc satis confirmat commemoratio solemnis defunctorum, quam Ecclesia celebrat post festum Sanctorum omnium, quam ex diuina reuelatione incœpisse aliqui referunt. Rursus in eandem sententiam Petr. Damian. serm. 2. de Sancto Andrea, dixit, quidquid nobis in hac vita de pœnitentiæ fructibus defuerit, in Purgatorij ignibus esse perficiendum. Multa etiam referri solent ex Eusebio D Emis. hom. 3. de Epiphan. quæ deest in eius operibus, quæ videre potui. Plura etiam habet Bern. serm. 65. & 66. in Cantic. & serm. de obitu Humbert. Lact. libr. 7. cap. 21. & sequentibus, Hugo de S. Vict. lib. 2. de sacram. p. 14. cap. 30. Marc. 3. Gregor. Turon. Rhaban. Pet. Dam. Euseb. Emis. Bern. Lactant. Hug. de S. Vict.

Apud Gregorium item Nyssenum oration. de Infant. qui præmaturè arripiuntur, hæc verba leguntur, *Subibit acta vita iudicium, accipiet pro merito retributionem, & compensationem, vel igni purgata, iuxta Euangelij verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata.* In quibus obscurum est, quem locum Euangelij indicet, cùm ait, *iuxta Euangelij verba*: nam in Euangelio nullus inuenitur locus, in quo dicatur, animas aliquas igne E purgatas, accepturas meritorum retributionem. Quidam Scholiastes ait Nyssenum citare parabolam de Diuite, & Lazaro, Luc. 16. & verba illa, *veligne purgata*, propter diuitem fuisse dicta. Iuxta quam expositionem de igne inferni hic locus intelligendus est: nam certum est, diuitem illum in inferno esse. At quomodo potest ignis inferni dici purgare animas, quas ita affligit, vt nunquàm mundet? Præsertim cùm Gregorius dicat, animam, quæ igne purgatur, postquàm purgata fuerit, accepturam meritorum retributionem. Dicendum ergo puto, Euangelij nomen pro toto Testamento nouo fuisse vsurpatum, quod inusitum non est, vt noster Salmeron in Prolegomenis, & alij annotarunt. Confirmatúrque optimè hoc testimonium ex alio eiusdem Nysseni in oratione ad Dornicent. longè post medium dicentis, ordinasse Deum, 32 Greg. Nyss.

## *Tertia ostensio ex Conciliis.*

29 ANTIQVA Concilia sub expresso nomine Purgatorij, vel pœnarum eius, pauca de illo dixerũt, quia veritas hæc tunc controuersa non erat: tamen dum docent orandum esse, & suffragia esse pro defunctis offerenda, hanc veritatem supponunt, illa verò referemus infrà agentes de suffragiis. Posteriora verò Concilia, in quibus vel cum Græcis, vel contra nouos hæreticos res hæc tractata est, expresè eam definiũt, vt patet ex Concilio Florentino in literis vnionis, & in Trid. sess. 6. can. 30. & Decret. de Purgatorio, & sess. 22. c. 2. & can. 3. vbi dicitur, esse Apostolicam traditionem offerendi sacrificium pro defunctis in Christo nondum plenè purgatis.

Conc. Flor. Conc. Trid.

## *Quarta probatio ex Patribus, & traditione.*

30 MVLTA ex Patribus suprà commemorauimus inter exponenda Scripturarum testimonia, quæ hîc repetere necesse non est, videantur potissimè quæ adduximus circa locum Pauli 1. Cor. 3. Estque etiam insignis locus apud Cyprian. epist. 52. & ibi Pamel. alia refert. Súntque notanda verba, quæ habentur nomine Hieronymi in id Prou. 11. *Mortuo homine impio nulla erit vltrà spes. Notandum* (ait) *quòd etsi impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui, vel pœnis castigari, vel suorum precibus, & eleemosynis, Missarúmque celebrationibus.* De quibus optimè etiam loquitur epist. 26. ad Pammach. Rectéque consentit doctrina eiusdem Hieron. Dialog. 1. contra Pelag. aliquantulum à principio, distinguentis leuia peccata à grauioribus, & dicentis, leuia peccata, quæ fetula sufficienter puniuntur, non esse gladio vindicanda. Ex Aug. addi possunt, quæ tradit lib. 2. contra Manich. c. 20. in fine, vbi ait, *Qui agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, & post hãc vitam habebit vel purgatorium ignem, vel pœnam æternam.* Idem lib. 21. de Ciuit. ca. 24. 26. & seq. & enarrat. in Psalm. 37. in princip. & serm. 48. ad Fratres in Eremo, & lib. de ver. & fals. pœnit. c. 18. & quæ docet de Suffragiis in Quæstionib. ad Dulcitiũ, q. 2. Serm. 32. de Verb. Apostoli, Serm. 44. ad Fratres in Eremo, & lib. 9. Confess. ca. 11. Hæ námque duæ

Cyprian. Pamel. Hieron. Auguſt.

Deum, vt homo post peccatum in multis laboribus & calamitatibus versaretur, vt ipsa experientia doctus, ad primam beatitudinem recurreret, *Omni vitiosa affectione remota, vel in hac vita per sobriam, & attentam viuendi rationem, ac philosophiam, vel post transmigrationem ab hac vita per purgatorij ignis fornacem expurgatus.* Et in eâdem rursus oratione de infantibus, versùs finem habet hæc verba, *Quicunque diuinam potentiam considerat, is planè animaduertit, quòd etiam illum, qui ad eum modum improbitatis progressus sit, longi cuiusdam temporis circuitu per æoniam purgationem, atque expiationem, ordini eorum, qui seruantur, restituere possit.* Vbi licèt de possibili loquatur, videtur tamen de illa potestate loqui, qua Deus secundùm ordinariam legem vti soleat: quod ergo ait posse Deum iniquissimum quemque hominem per diuturnam purgationem saluare, intelligendum est, dando illi prius in hac vita veram suorum peccatorum pœnitentiam.

33 Basil. Ex Basilio etiam aliquid suprà adduximus. Idem verò in c.9.Isaiæ circa verba illa, *Vt gramen siccum vorabitur ab igne*, vt ipse legit. *Si per confessionem* (ait) *detexerimus peccatum, iam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur, ac deuoret purgatorius ignis.* Nazianz. Ex Gregorio etiam Nazian.orat.9.in fine, afferti possunt hæc verba: *In altero æuo igni fortasse baptizabuntur, &c.* Sed planè loquitur de hæreticis, qui resipiscere nolunt, satis verò impropriè ignis ille Baptismus appellatur, cùm non mundet, neque ad hoc institutus Diadoc. sit. His addi potest antiquus P.Diadoch. libr.de Perf. spir.capit.100.vbi purgatorium ignem, iudicij ignem appellat. S.Max. Quem locum de igne purgatorij citat, & interpretatur sanctus Maximus Confessor in Responsis de obscurioribus locis sanctæ Scripturæ ad Thalassion.vt refertur in 5.tom.Bibliothecæ sanct.in Præfatione ad prædictum lib. Diadochi. Denique Plato Euseb. apud Euseb.lib.12.de præparat.Euang.ca.3.purgatorium post hanc vitam agnouit, *Purgantur autem* (inquit) *quicunque curabiliter peccarunt, doloribus, & hîc vsi, & apud inferos mortui: non enim aliter possibile est impressas vitiorum detergi maculas.* Quam sententiam Eusebius ipse valdè commendat, & ex diuinarum Scripturarum lectione Platonem illam didicisse affirmat.

## *Ratione ostenditur eadem veritas.*

34 Primũ principium vnde purgatoriũ colligitur. NONNVLLA sunt principia, & secundùm fidem certa, & naturali rationi maximè consentanea, ex quibus ratio huius veritatis petenda est. Primum est, dari quædam peccata venialia, digna quidè pœna apud Deũ, sed nõ æterna. Hæc veritas ex professo tractanda est, & probanda in 1.2.q.72.& 89. Nunc verò satis constare nobis potest testimoniis Scripturæ adductis, adiunctis expositionibus & sentẽtiis Patrum, quas etiam tractauimus: & videri prætereà potest Augustin. Augustin.lib.15.de Ciuit.c.17.& in Enchirid.ca.68. & 70.& lib.83.quæstion.in 26.& de Natura & grat. ca. 38. Ex hoc ergo principio optimè colligitur, posse hominem esse iustum, & habere aliquam culpam, ratione cuius sit reus alicuius pœnæ: vnde consequenter fit, posse hominem in eo statu acceptari, & ratione talis culpæ retardari ab ingressu gloriæ: quia, vt rectè Laurent. Iustin. dixit Laurẽt.Iustin.li.de Perfect.grat.c.1.circa finem, *Peccatum mortale priuat gloria, veniale retardat*: ergo pro huiusmodi hominibus necessarium est purgatorium. Hoc verò principium solitariè sumptum habere potest euasiones superiùs tractatas agendo de remissione venialium peccatorum: & præsertim illam, quòd ex vi solius culpæ ad summum probat retardari animam per vnum instans ab ingressu gloriæ, quòd si maior castigatio non esset necessaria, non fuisset ad- modùm necessarium, Purgatorij pœnas constituere.

35 Secundum principium ex quo idem euidentiùs colligitur. Proptereà addendum est aliud principium: scilicet, remissa culpa, posse interim permanere reatum temporalis pœnæ, quod tam de culpa mortali, quàm de veniali verum est, & in superioribus demonstratum. Ex quo etiam fit, posse hominem iustum cum eo reatu mori, animámque iam à corpore separatam posse, & esse iustam, & ream, ac debitricem alicuius pœnæ. Nec enim dici potest morte ipsa purgari talem reatum, quia neque mors habet hanc vim ex opere operato, nec homini datur semper in eo articulo vis ad satisfaciendum perfectè pro omnibus debitis huiusmodi: vbi enim est de hac re facta promissio? Præcipuè cùm repentinæ mortes sæpe veniant, in quibus nullius bonæ operationis, nedum tantæ satisfactionis locus datur. Nec etiam habet hîc locum responsio, quæ dabatur de peccatis venialibus, quòd scilicet, in primo instanti separationis animæ, datur illi vehemens dolor, quo ab omni reatu pœnæ purgetur, sicut ab omni veniali culpa. Hoc (inquam) locum non habet. Primùm, quia hoc etiam gratis dicitur, & sine vlla promissione Dei, vel cogente ratione. Deinde, quia post separationem animæ à corpore iam non est satisfaciendi tempus, sed satispatiendi. Vnde est magnum discrimẽ inter culpam & pœnam: culpa enim intrinsecè postulat internam dispositionem contrariam per quam remittatur, & ideò illa posita statim remittitur, & sine illa non potest conuenienter remitti: at verò pœna tolli potest per rigorosam solutionem, sustinendo illam. Atque ita fit in vita futura: nam commutatio pro leuiori genere pœnæ solùm pro hac vita concessa est, vt in superioribus vidimus, & paulò inferius idem confirmabimus. Vnde qui ita respondent, minùs malè dicerent, illum vehementem dolorem dari iusto in fine vitæ, prius tamen quàm anima separetur à corpore. Sed hoc etiam est omninò improbabile, quia gratis, & sine promissione dictum est contra vniuersalis Ecclesiæ sensum, & contra experientiam, maximè in repentinis mortibus, vt dictum est.

Obiectioni occurritur.

36 Tertiũ principium. Addendum verò est tertium principium, nimirum, ad diuinæ iustitiæ æquitatem pertinere, vt nemini præmium beatitudinis concedat, nisi priùs delictum peccatorum perfectè soluat. Probatur primò, quia hoc exigit perfectio vindicatiuæ iustitiæ, quam nõ minùs ostendit Deus, seruatque in suæ prouidentiæ ratione, quàm cuiuscunque alterius, vt vulgaribus testimoniis Scripturæ cõstat. Deinde est necessarium ad conuenientem gubernationem, quia alias homines contemnerent in hac vita satisfactionem condignam pro peccatis mortalibus, & pro nihilo ducerent peccata venialia, si pro eis nulla timeretur vindicta, dummodò in gratia morerẽtur: pertinet autem ad Dei prouidentiam, eas pœnas pro singulis peccatis destinare, quæ ad malitias eorum accommodatæ sint, & ad homines in officio continendos aptissimè.

37 Hæreticorũ error. Vnde vehementer errant hæretici, dicentes, Deum tantùm punire peccata in hac vita propter emendationem, non verò in futura propter vindictam: est enim hoc contra diuinam prouidentiam, eiusque iustissimas leges & comminationes, alioqui nec damnatos in æternum puniret: quia illa iam non est emendatrix pœna, sed vindicatiua. Pœna ergo vindicatiua etiam per se est consentanea prouidentiæ, & ex se est præseruatiua pro hac vita, ideò enim comminatur Deus vindictam futuram, vt eius timor nos cohibeat à peccando: vt autem ad hoc sit efficax, oportet vt vera & absoluta sit comminatio in eo, qui in hac vita, vel peccata non cauet, vel pro eis non plenè satisfacit. Atque hæc ratio conuincit, etiam solam mortem non tollere reatum, quia mors per se non est pœna actua

Mors non tollit reatũ pœnæ.

na actualium peccatorum, sed secundùm se est quædam conditio naturæ: secundùm autem præsentem prouidentiam est pœnalitas originalis peccati. Item nulla ratio patitur, vt secundùm ordinariam & communem legem eadem pœna purgentur, qui parum & qui multum debent, præsertim cùm acerbiores mortes sæpe sustineant, qui iustiores sunt. Deinde vbi est priuilegium martyrij, si hoc omni morti commune est? ad quid etiam sunt necessaria suffragia pro defunctis, si mors omnia purgat? Denique eadem ratio persuadet, non omni homini morienti dari in ipsa morte auxilium efficax, vt possit per suum actum plenè satisfacere pro omni præterita negligentia, cur enim Deus hac vniuersali lege faueret hominum negligentiæ satisfaciendi dum viuerent: securi de plena remissione in morte, si saltem absque culpa mortali inuenirentur? Eadémque ratio probat non esse admittẽdam talem satisfactionem post mortem, alioqui timor futuræ vindictæ non cohiberet homines in hac vita, sed in futuram satisfactionem reseruaret.

Homini morièti non datur semper auxiliũ efficax ad satisfaciendum.

## *Soluitur hæreticorum fundamentum.*

38 Explicantur loca Scripturæ.

ATQVE ex his principiis satisfaciendum est fundamento contrarij erroris negantis Purgatorium: nam ex contrariis principiis sumebatur, Loca autem Scripturæ, quæ indicant post hanc vitam non supereſſe nisi præmium, vel pœnam, duo continẽt. Vnum est, post hanc vitam non esse merendi locum, vel satisfaciendi per propria opera, sed sustinendi iustam iudicis sententiam, *vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum*, 2. Corinth. 5. *Nam quæ seminauerit homo, hæc & metet*, vt dicitur ad Galat. 6. Et eodẽ sensu dicitur Ecclesiastes 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.* Possunt enim hæc verba, aut de solo damnatorum loco intelligi, & sensus erit, nihil horum esse ordinatum, & rectum in eo loco: vel possunt intelligi de omnibus locis inferis, & sic erit sensus, nihil horum esse vtile ibi ad meritum, vel satisfactionem ex parte operantis: & hic sensus optimè quadrat priori consilio Sapientis: eumque indicauit Greg. lib. 4. Dialog. ca. 39. vbi alia testimonia congerit. Aliud verò, quod Scriptura continet est, post hanc vitam duos esse terminos vltimos eorum, qui actualiter peccauerunt, qui perpetuum habent statum, & immutabilem. De his locutus est Christus, in finali sententia Matt. 25. agit enim de vniuersali Iudicio, quando iam purgatorium cessabit. Sic etiam potest intelligi locus ille, quem hæretici maximè vrgent Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum, vel ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Intelligi enim rectè potest de locis illis, in quibus vltimò terminatur via. Alioqui cõstat, Patres veteris Testamenti non semper in eodem loco mansisse, in quo aliquando post mortem fuêre. Vel generaliter intelligi potest de loco consolationis, aut tristitiæ, vt exposuit Gregor. lib. 12. Moral. c. 3. aliàs 4. Nam sicut Sinus Abrahæ dicitur in Euangelio locus consolationis, ita locus purgatorij sub eo membro comprehendi potest. Vel certè sensus, & vt mihi quidem videtur maximè proprius est, post hanc vitam non esse locum amittendi, vel recuperandi diuinam amicitiam, sed vbi ceciderit lignum, seu in quo statu homo defecerit, siue ad Austrum, id est, in diuina amicitia, siue ad Aquilonem id est, Dei odio, ibi perpetuò mansurum esse, vt Hieronymus exposuit. Denique in prædicto sensu diuus Augustinus variis in locis contra Pelagianos contendit, duo tantùm loca esse hominibus, parata, scilicet, regnum æternum, aut ignem æternum scilicet, loca vltima, in quibus via omninò terminata est. Vnde eleganter Sixtus Pontifex in epist. ad malos Doctores, aliquantulùm ab initio, cùm dixisset, *Ego in Scriptura duo tantùm loca inuenio, Regni, & gehennæ, hoc est, vitæ, & mortis*, declarat statim, *Purgatorium semper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ expiãtur.* Et adhuc est quæstio de paruulis in solo originali decedentibus, de quibus aliàs: nunc satis est, illos etiam ad aliquam æternam pœnam extra regnum destinari, vbicunque tandem futuri sint.

Greg. Matth. 25. Eccle. 11. Greg. Hieronym. Aug. ser. 14. de Verb. Apost. & li. 1. de pec. mor. c. 18. & sequ. & lib. 1. Hypogn. Sixtus Papa.

Sed obiiciunt quædam Scripturæ loca, in quibus significatur, iustos in morte sua statim sine vlla mora recipi in beatudinem æternam, iuxta id Psalm. 126. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, &c.* Et 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, habitationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cœlis.* Et Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo iam dicit spiritus, vt requiescãt à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Respondetur, Scripturam nunquàm dicere, statim finita hac vita, recipi hominem in gloriam, si decedat in gratia, & quando id significaret, intelligẽda esset subintellecta conditione, si homo inueniatur omni ex parte iustus, seu perfectè mundus, & sine impedimento: nam licitum est, imò necessarium, vnam Scripturã per aliam interpretari. Atque ideò Patres, cùm dicunt iustos in morte statim recipere mercedem, addunt conditionem, *si digni sunt, vel perfectè purgati*, vt videre licet in Aug. tract. 49. in Ioan. Tamen adducta testimonia hanc expositionem non requirunt: nam, vel habent longè diuersum sensum, vel verba clarissima sunt. Dauid igitur in prædicto loco non videtur loqui de somno mortis, nec de hæreditate beatitudinis, sed de somno pacis, & quietis animæ, quæ in Deo suam spem, & fiduciam collocat, & de hæreditate omnium bonorum ex Dei cura & prouidentia prouenientium, Dixerat enim, Nisi Dominus ædificauerit domum, vel custodierit ciuitatem, frustrà esse nostrum laborem: è contrario verò subdit, eos, qui confidunt in Deo, omnibus abundare bonis. Ita Basil. & Theodoret. & moderni ad literam, Augustin. verò & alij per anagogẽ exponunt de æterna hæreditate, quam perfectam & plenam accepturi sunt iusti in corpore & animo, non nunc, sed cùm dederit dilectis suis somnum, id est, post vniuersalem mortem, & consummationem prædestinatorum omnium. Denique licèt daremus sermonem esse de morte singulorum iustorum, & de retributione gloriæ, non ibi dicitur statim dandam, sed, *Ecce hæreditas Domini*, scilicet, præstò est, parata est, certa erit eius possessio, perfecta nimirum purgatione, si necessaria fuerit, vel ablato impedimento, quodcunque illud fuerit, vt in Patribus veteris Testamenti manifestum est, cùm tamen Dauid illo tempore fuerit locutus.

39 Obiectiones hæreticorũ. Psal. 126. 2. Cor. 5. Apoc. 14. Dissoluũtur. D. Aug. Exponitur Psal. 126. Basil. Theodor. Auguſt.

Nec aliud dixit Paulus in citatis verbis, nisi quòd iusti post hanc vitam habent domum æternam, an verò statim illam ingrediantur, & quomodo priùs purgari, seu parari debeant, ibi non declarat, aliis verò locis explicuit. Atque eodem modo possent facilè exponi verba Ioannis: quia solùm dicit iustos requiescere à laboribus huius vitæ, & habere certum præmium suorum operum, hoc est enim opera illorum sequi illos. Præsertim, quia sicut illos sequuntur opera bona, ita & mala, si quæ habuerunt, quorum aliquem reatum adhuc retinent, & quamuis ex prioribus beati sint, & in Domino moriantur, tamen quatenus habẽt posteriora, non omninò perfectè moriuntur in Domino, & in tantùm retardantur à beatitudine in re possessa, quamuis iam sint beati certa inamissibili spe. Sic enim Aug. lib. 2. contr. epist. Pelag. cap. 3. dixit, iustum

40 Loca Pauli, & Apocal. exponuntur. Auguſt.

iustum habentem venialia peccata viuere simpliciter Deo, secundùm autem quid mundo: sic ergo nos dicimus in præsenti tertium illud testimonium intelligendum esse de iusto quatenus in Domino moritur. Alij putant hæc verba dicta esse propter tempus legis gratiæ, in quo iusti statim post mortem recipiunt mercedem laborum, quam ante Christi aduentum non recipiebant statim. Sed vtrumque referendum est ad homines perfectè iustos, nullúmque habentes debitum personale. Quomodò loquitur etiam Greg. lib. 3. Moral. cap. 15. aliàs 20. & de hac expositione legi potest Turrian. libr. 4. contra Magdeburg. cap. 12. Alij denique intelligunt mori in Domino idem esse quod mori pro Domino, vt Ribera latè: sicque locus intelligitur de solis martyribus, de quibus facilè admittemus statim & sine vlla prorsus mora recipi in beatitudinem, quia si quas habebant maculas, ipso martyrio perfectè purgantur, sed hoc est martyrij priuilegium.

Greg. Turrian.

Ribera.

## SECTIO II.

### *Vbi sit Purgatorij locus, & an vnus tantùm sit.*

1

Purgatoriũ est aliquis corporalis locus.

DE hoc loco nihil in Scriptura sacra, vel definitione Ecclesiæ habetur, ideóque res hæc in disputatione Theologorum versatur. Omnes verò supponunt hunc esse aliquem corporalem locum, in quo animæ detinentur, donec pœnas debitas perfectè luant. Nam licèt per se non requirant corporalem locum, cùm spiritus sint, nihilominùs cum intra hunc mundum contineantur, necessariò sunt in aliquo loco corporeo saltem secundùm præsentiam substãtialem, vt aliis locis ex professo disserui. Et ita videmus omnes spiritus Angelicos, pro suorum statuum diuersitate, habere loca diuina prouidentia destinata, vt gehennam, quæ *parata est diabolo, & angelis eius*, & cœlum Empyreum pro Angelis sanctis. Sic ergo est certum, purgandas animas in aliquo loco corporeo detineri, qui nec est cœlum: quia *nihil coinquinatum illuc ingreditur*, nec est ibi aliqua pœna: nec est infernus, quia inde *nulla est redemptio*, neque egressus. Quis ergo ille locus sit, & an sit certus, & vnus, & vbi sit, inuestigandum est.

### *Sitne Purgatorium certus, ac determinatus locus.*

2

Prima opinio. Hugo de S. Victor.

QVIDAM dixerunt non esse certum locum purgandis animis destinatum, sed variis locis deputari ex diuina voluntate iuxta occurrentes circunstantias. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 16. c. 4. vbi ait locum Purgatorij determinatum non esse, præterquàm quòd multis reuelationibus, & exemplis constat, pœnam illam in hoc mundo exerceri. Vnde colligit probabilius esse, *vnumquemque purgari, vbi potissima peccata commisit, sicut multis documentis sæpe probatum est.* Et hanc sententiam non reputant improbabilem Bonau. in 4. d. 49. artic. 2. q. 2. Fauet modus loquendi Gregor. 4. Dialog. capit. 25. vbi animas purgandas, *quibusdam mansionibus detineri* dixit, indefinitè loquens tanquàm de indeterminato loco. Et c. 40. dicit, Paschasium virum sanctum in Thermis Augulanis apparuisse Germano Episcopo Capuano, eique reuelasse in eum pœnalem locum fuisse deputatum: quia contra Symmachum cuidam Laurentio fauerat, similemq; reuelationem habet ca. 55. & Petrus Damian. in epist. 13. ad Desiderium, c. 7. Arnoldus etiam Bonæuallis tractat. de Verb. Domin. in cruce, c. 2. *Non ad loca purgatoria* (inquit) *non ad flammas peccatorum vltrices confitens destinatur:* significans illa loca esse varia, & incerta. Aliorum opinio fuit, locum quidem Purgatorij vnum esse, illum verò supra terram, & infra cœlum in media quadam regione esse collocatum. Ita referũt D. Th. & alij Scholastici dist. 21. Quorum fundamentum esse potuit, quia status illarum animarum medius est inter statum beatorum, & damnatorum: ergo etiam locus debet esse medius, vt locus sit locato proportionatus.

Bonau. Greg.

Pet. Damia. Arnold. Bonæual.

Secũda opinio.

### *Purgatorium esse vnum, ac certum locum versùs terræ centrum; vera conclusio.*

3

NIHILOMINVS dicendum est primò, vnum aliquem locum certum, ac definitum, sub terra versùs eius centrum constitutum esse à Deo ad animarum purgationem. Hæc est communis sententia Theologorum, Diui Thomæ in 4. dist. 21. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. Richardi articul. 1. quæstion. 3. & distinction. 45. articul. 1. quæstion. 2. & ibi Bonauenturæ art. 2. quæst. 2. & dist. 20. 1. p. illius quæst. vlt. Paludani q. 3. & d. 21. q. 1. artic. 1. Durandi in 3. d. 22. q. 4. Gabrielis ibi artic. 3. dub. 3. & aliorum eisdem locis. Probatúrque primò ratione, quia spectat ad conuenientem Dei prouidentiam, quod hic locus determinatus sit, sicut enim omnibus peccatis certas pœnas certa lege definiuit, ita etiam certa loca destinauit ac præparauit, in quibus illæ pœnæ luendæ sunt: quia locus ipse est pars quædam pœnæ, quatenus in eo spiritus, vel contra dignitatem suam, vel etiam contra desiderium detinentur: tum etiam, quia non est verisimile Deum pro solo arbitrio vnam animam in hunc locum, aliam in alium mittere ad purgationem: quia licèt pro sua voluntate, & potestate possit id facere, non tamen est iuxta ordinariam prouidentiã, quòd sine aliqua certa lege aut ratione id fiat: nulla autem assignari potest. Nam quòd dicebatur, singulas animas purgari vbi peccarunt, verisimile non est: nam peccata committuntur in variis ac distinctissimis locis: quis ergo credat animas singulas per omnia illa loca deferri vbi peccauerunt, vt ibi pœnas luant; Præsertim quia simul potest anima varias pœnas pati propter peccata in diuersis locis cõmissa, vel certè pro omnibus simul patitur donec ab omnibus purgetur. Deinde quia ratio iustitiæ non postulat vt quis puniatur vbi deliquit, sed in loco malefactoribus destinato, nisi quando ob exemplum aliorum id fieri expedit, quod hîc locum non habet. Rursus quia pro aliis statibus animarum, vt ad puniendum perpetuò damnatos, &c. certa loca destinata sunt: cur ergo hîc prouidentiæ modus circa animas purgandas mutari debuisset? Tandem quia ex ipsis reuelationibus, quæ in contrarium afferuntur, potest oppositum constare. Nam Perrus Damian. in dict. epist. refert sanctum illum Episcopũ in flumine apparuisse, suamque purgatoriam pœnam ostẽdisse, quam patiebatur, eò quod in recitandis horis debitis temporibus negligens fuisset, vbi manifestum est, culpam illam non fuisse in loco fluminis commissam. Denique argumentum sumi potest ex Gregorij historia: nam ille, qui in balneo apparebat, non ibi sua peccata commiserat, idémque est de similibus.

Animæ non purgantur vbi peccauerunt.

Ex his verò vlteriùs cõcludi potest, hunc locũ esse vnũ tãtùm, vel sumpto à simili argumẽto de aliis locis: nam pro singulis animarum statibus singula tantùm loca deputata sunt, vel quia vnus sufficit, & superfluò plura multiplicarentur, nec esset aliqua ratio sistendi in aliquo certo numero: vel denique quia modus ipsius pœnæ, & instrumentorum eius vnum tantùm locum postulat, de qua re occurret occasio dicendi

4

Locum Purgatorij esse vnũ, ostenditur.

cendi plura in Disp. seq. vbi specialis difficultas circa hoc occurret, & ideò hæc nunc sufficiant.

5 Locum Purgatorij esse subterraneũ, probatur ex scriptura.

Denique locũ hunc subterraneum esse, & in concauo terræ iuxta locum gehẽnæ constitutum, videtur sentire Ecclesia in illis verbis: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Petit enim liberationem à Purgatorio, & non ab inferno. Verum est hæc verba aliis etiam modis posse exponi, vt infrà dicam disputando de suffragiis, Sumi præterea potest ex illis noui Testamẽti testimoniis, in quibus dicitur, esse sub terra & in inferno animas aliquas iustas, quæ Deum laudant, ac confitentur. Vbi est illud ad Philippenses 2. *In nomine IESV* Phil.2. *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Sed hæc verba, referri etiam possunt ad infernũ damnatorum: nam dæmones credunt, & contremiscũt, vnde sicut coacti credunt, ita coacti genua flectunt, & adorant, vt Chrysostomus ibi, & Anselmus, & alij exponunt. Et fauet generalis illa locutio, *Omne genu*, qua videtur voluisse Paulus omnẽ intellectualem creaturam comprehendere, in quocunque statu, & termino existentem. Probatur ergo idem ex illo Apocalyp. 5. *Nemo inuentus est dignus aperire librum,* Apoc.5. *neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram.* Non enim videtur verisimile, Ioannem enumerare nisi iustos: illi enim tantum digni poterant videri aperire librum: ergo supponit etiam subtus terram esse animas iustas. De quibus inferius subdit, cum aliis iustis dixisse, *Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Quæ verba sine dubio non sunt damnatorum, sed iustorum. Sed hic etiam locus exponi potest de animabus iustis, quæ erant in sinu Abrahæ: supposita enim dicta expositione eadem ratione dicetur, animas Purgatorij non numerari inter eos, qui videri poterant digni aperire librum, sed animas sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum. Nec refert, quòd hæ animæ iam erant in cœlo quando Ioannes illam reuelationem scripsit: quia fortasse in ea ostendebatur status & cõditio humanæ naturæ prout erat ante Christi aduentũ, quem omnes expectabant: quia solus ille inueniri poterat dignus aperire librum. Postquàm autem ille venit, & victoriam reportauit, etiam illi qui erant subtus terram, id est, in sinu Abrahæ, gloriam & honorem Deo cantant: quia iam per Christum beati effecti Gregor. sunt. Adde Gregorium libro quarto Dialogor. capite quadragesimosecundo, per locum illum, *subtus terram*, infernum ipsum damnatorum intelligere: nã Hieron. per *librum*, Scripturam intelligit cum Hieronymo Ezechiel 2. & 44. & cum multis aliis, de quo optimè dici potuit, neque Angelos; aut sanctos beatos, neque homines in terra degentes, neque ipsos dæmones potuisse illum librum aperire seu declarare. Et eadem expositio de inferno locum habet, etiamsi per librum ipsammet prophetiam Apocalypsis, quam Ioannes scribebat, cum multis aliis, intelligamus. Alia verò posteriora per prosopopæiam dicta sunt de omnibus creaturis etiam carentibus intellectu, quandoquidem etiam pisces maris numerantur: & ideò in hoc secundo loco per creaturas subtus terram existentes intelligi possunt etiam metalla & mineralia omnia, & damnati etiam iuxta sensum positum in priori testimonio. Quanquàm optimè etiam Ribera. intelligantur de animabus Purgatorij, vt Ribera etiã notauit, non tã ex illis verbis, probando Purgatoriũ ibi esse, quàm supposita veritate Purgatorij, ad animas in illo existẽtes laudẽ illã, & benedictionẽ referendo.

6 Ex Eccles. 24. idẽ colligitur.

Aliud testimonium, ex quo potest hoc comprobari, legitur apud Sapientem Ecclesiast. 24. *Penetrabo omne inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino:* Quæ verba, & de sapientia increata secundùm se, & de incarnata sapientia possunt intelligi: vtroque verò modo ex eis constat esse in inferioribus partibus terræ aliquos dormientes sperantes in Domino, quod de damnatis dici non potest, sunt ergo illi qui purgantur. At hic locus optimè intelligitur de antiquis Patribus existentibus in Sinu Abrahæ. Vnde ex isto probari solet descensus Christi ad inferos. Sed estò hoc verum sit, inde optimum argumentum colligitur, Purgatorium esse subtus terram prope infernũ. Nam, si locus vbi detinebantur antiqui Patres iam mundi ab omni reatu personali, fuit in illis infimis regionibus: quia erat veluti carcer in quo detinebantur propter reatum naturæ, donec per crucem expiaretur: multò magis locus, in quo & detinentur, & puniuntur animæ nondum perfectè liberæ à propriis reatibus, erit in illis infimis regionibus. Vnde Aug. epist. 99. ad Euod. significat, Christum descendendo ad inferos, etiam ad Purgatorium descendisse, & ab illo aliquas animas liberasse, propter verba Act. cap. 2. *Solutis doloribus inferni.* Quanuis enim hęc verba alias habeant expositiones, vt suprà vidimus, & ille descensus Christi ad Purgatorium incertus sit; tamen Augustinus pro certo supponit, omnia loca pœnalia, à quibus Christus animas liberauit, esse in inferno: non credo tamen Augustinum in ea fuisse sententia, vt existimauerit Christum ab inferno damnatorum aliquas liberasse. Huc accedunt reuelationes aliquæ, quibus Purgatorium sub terris visum est, vt refert Beda. Beda lib. quinto Hist. Anglic. cap. 13. & aliis locis infrà tractandis.

7 Ratione ostẽditur Purgatoriũ esse subterraneũ locum.

Denique, iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionem locus hic superior terræ pro hominibus viatoribus deputatus est, vt sit quasi ad pugnam & meritum, vel demeritum destinatus: ergo non est verisimile in illo esse locum Purgatorij, in quo iam animæ sunt in alio statu. Nec etiam fuit conueniens esse in aliquo loco suprà terram, quia debet esse locus humilior, magisque tenebrosus, & in carceris modum accommodatus: ergo verisimilius est esse subtus terram: sicut sunt reliqua loca animarum infœlicium, seu quæ beatitudinem assequi non potuerunt. Neque reuelationes illæ, quæ in contrarium afferebantur, nos cogunt: nam etiam si admittamus omninò veras esse, & ex eis haberi aliquas animas in aliquibus huiusmodi locis purgari, dicemus illud esse extraordinarium, & præter legem, propter Dei voluntatem, & causam quam ipse nouit: locum autem lege statutum ad purgationẽ, definitum, ac iuxta centrum terræ existere. Et hæc est communis responsio Theologorum quos suprà retuli, & Supplem. Gabr. dist. 45. quæst. 1. artic. 1. Soto q. 1. artic. 1. & 3. Carthus. quæst. 1. & Dialog. de iudicio, & lib. de Quatuor nouissimis, cap. 48. Addo verò, in Cartus. his reuelationibus aliquid ostendi in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem, non quia in tali loco illud opus fiat. Hoc patet ex Petri Damiani historia suprà citata: ait enim, Episcopum illum in flumine apparuisse cuidam presbitero, eiúsque manum apprehendisse, vt vehementiam suæ pœnæ, & ardoris sentiret. At verò pœna illa vehementis vstionis non erat in flumine, quantùm ex proportione loci & effectus intelligi potest: ergo illa reuelatione significatum non est, Episcopum illum ibi cruciari, vbi apparebat. Deinde in aliis capitibus eiusdẽ epistolæ refert idem Auctor, damnatos aliquos visos esse in flumine, vel in aliis locis similibus, cùm tamen certissimum sit ibi non puniri: Gregorij autem verba expressiora videntur; scilicet, *in hoc pœnali loco*, seu, *hic destinatus sum*: vnde videtur magis requirere priorem expositionem. Nisi interpretemur, *hic*, id est, in

Satisfit reuelationibus in cõtrariũ. Supplem. Gabriel. Soto.

hoc igne, quem patior, ibi enim etiã igné Purgatorij sentiebat, vel *hic*, id est, in hoc pœnali loco, qui per hunc sensibilem significatur: sicut dicebat Angelus repræsentans Deum, *Ego sum Deus, &c.*

A

## *Quem ordinem situs seruet Purgatorij locus ad alia receptacula animarum, quæ sub terra sunt.*

8 SVPEREST verò dubium, quem ordinem situs seruet hic locus Purgatorij ad alia receptacula animarum, quæ sub terra existunt. Et difficultas est de comparatione loci Purgatorij ad Limbum puerorum: nam de gehenna omnes fatentur esse in infimo loco, id est, in centro terræ, & de Sinu Abrahæ, esse in superiori, hoc est, digniori loco, vt dixi in 2. Tomo, Disput. 42. sect. 2. in fine. De aliis verò duobus locis inter se collatis est diuersitas opinionum. Quidam asserunt Purgatoriũ esse infra Limbum puerorum, gehennæ vicinum. Ita tenet Maior dist. 44. q. 3. in fin. & Palud. d. 45. qu. 3. cum Petro de Tarantas, Problem. 1. art. 3. Soto d. 45. q. 1. art. 2. qui D. Thom. in suam sentẽtiam adducit, eò quòd dicat in d. 21. & 45. Purgatorium esse vicinum inferno, & eundem ignem habere: alibi verò docet oppositum, vt iam dicam. Fundamẽtum eorum est, quia hæc duo loca conueniunt in pœnæ qualitate: in vtroque enim est ignis eiusdem rationis; & ideò oportet esse contigua: adeò vt censeant isti Auctores nullo interiecto corpore denso ac solido separari, sed habere potiùs eundem ignem continuũ, eundemque numero, solúmque distingui quoad partes illius ignis, & per terminum à Deo præfixum. Confirmari potest hæc opinio, quia, licèt originalis culpa maioris mali rationem habeat, quàm culpa venialis, aut reatus temporalis pœnæ, eò quòd illa separat omninò à Deo, hæc verò non: nihilominùs reatus proueniens ex culpa actuali, & personali, magis redundat in defectum, & in infamiam (vt sic dicam) peccatoris, & ideò ex hac parte meretur maiorẽ pœnam, saltem quoad sensum & dolorem: eadem ergo ratione statui talium peccatorum debetur vilior & inferior locus: huiusmodi autẽ est Purgatorium: ergo

Opinio prima. Maior. Palud. Vide Rofen. art. 37. cõtra Luther. Pet. de Tarant. Soto.

B

9 Alij sentiunt, Limbum puerorum esse inferiorem, & propinquiorem inferno. Ita sentit D. Thom. in 3. d. 22. q. 2. art. 1. q. 2. vbi Gabr. idem sentit, eiúsque Supplem. 4. d. 45. qu. 1. art. 1. & Rich. vbi suprà. Fauétque illis Concilium Florent. in literis vnionis, quatenus ait, animas iustas, si nondum plenè satisfecerunt, detineri in Purgatorio: eos verò qui in peccato actuali mortali, vel in solo originali decesserunt, *mox in infernum descendere, pœnis imparibus puniendos.* Vbi Limbum puerorum comprehendit sub inferno simpliciter dicto, non verò Purgatorium. Item significat, ad Limbum puerorum maiorem fieri descensionem, quàm ad Purgatorium; imò transitum ad Purgatorium non vocauit descensionem, sed detentionẽ. Vnde ex illo loco certiùs apparet, Limbum puerorum esse in inferno, quàm Purgatorium. Ratio etiam reddi potest, tum quia Limbus est locus pro quibusdam Dei inimicis deputatus, & ideò maiorem conuenientiam habet cum gehenna, quàm Purgatorium: nam animæ, quæ in eis sunt, veluti in ratione essentiali culpæ conueniunt, quæ est auersio à Deo: vnde etiam conueniunt in essentiali pœna, quæ est pœna damni: conueniunt item in æternitate pœnæ: ergo pensatis omnibus maior conuenientia est inter status animarum vtriusque loci, quàm inter damnatas animas, & purgandas; ergo: etiam loca debent esse inter se viciniora. Et confirmatur, nam hi pueri absolutè sunt in statu indigniori: ergo debetur eis inferior locus.

Secunda opinio. D. Thomas. Supplem. Gabriel. Richar. Conc. Flor.

D

10 Tertia sententia potest esse inter has media, scilicet, hæc duo loca non seruare ordinem inter se, sed æquè ab inferno distare, & æquè esse illi propinqua secundùm diuersas eius partes. Quod vt declarem, suppono infernum esse in ipsomet centro terræ, quia debet esse in loco infimo, vt talis status meretur, & ita in hoc omnes conueniunt. Videtur ergo centrum terræ esse etiam centrum inferni, ipsúmque inferni locum per modum sphæræ vacuæ, seu cõcauæ, circa ipsum centrum terræ versùs omnem mundi partem, in distantia vndique æquali intra terminum à Deo præfixum, extẽdi. Quia suppositio situ talis loci in illo spatio, nec potest meliùs concipi, nec maiori ratione versùs vnam partem quàm versùs aliam constitui, aut extendi. Supra hunc ergo locum variis modis possunt cætera loca constitui. Primò, vt alia non constituantur, seu extendantur per modum circuli, sed tantùm vt putei quidam versùs aliquam partem huius mũdi, ita tamen vt illa loca collocata sint vnus sub alio, & alius sub altero. Et hic modus nõ est dubium quin sit possibilis: tamen quòd ita sit, nullo fundamento ostẽdi potest. Et si vera est prior pars eius, asseritur secunda: nam, si hæc loca illo modo sunt constituta, non est cur vnus sub alio collocatus fuerit, sed potuerunt versùs diuersas mundi partes in eadem profunditate fieri.

Opinio tertia. Primus modus astruẽdi tertiam opinionem.

11 Atque hic potest esse alius modus collocandi hæc loca, iuxta quem cessat dubitatio proposita: nam supponit illa duo loca ita collocanda esse, vt alter sit sub altero, quod necessarium non est. Sic ergo relinquitur tertia opinio proposita, scilicet, quòd hæc duo loca distant æquè à gehenna secundùm diuersas partes eius. Imò etiam sequitur, iuxta hunc collocationis modum Sinum Abrahæ nõ esse supra Purgatorium, vel Limbum puerorum, sed versùs aliam tertiam partem mundi æquè esse supra infernum collocatum. Cùm enim vltima superficies concaua inferni ampliſſimum ambitum contineat, facilè potest intelligi, supra illam immediatè esse collocatos puteos altissimos, & capacissimos, qui versùs diuersas mundi partes protendantur. Neque video quomodo facilè possit hoc impugnari: nam in Scriptura nullum habemus de hoc ordine indicium, nisi hoc solum, quòd gehenna sit infra omnem locum, propter quod infernus quasi per antonomasiam nominatur: quòd autem alia loca inter se seruent otdinem inferioris & superioris, non videtur in Scriptura significari; nec ratione aliqua satis persuaderi. Nam sine dubio illa loca sic constituta possent esse capacissima ad recipiendas animas illuc destinatas, quia numerus animarũ simul existentium in aliquo istorum trium locorum non seruat maiorem proportionem ad numerum animatum gehennæ, præcipuè simul cum dæmonibus: ergo, si infernus est capax totius illius multitudinis, multò magis quilibet horum locorum poterit esse capax suorum captiuorum. Quod in singulis locis potest ita declarari. Nam in primis, id est certum de Sinu Abrahæ, cuius status & breui tempore durauit comparatione aliorum, & in toto illo tempore paucæ animæ ad illum descendebant, facta etiam collatione ad alia loca, quia ante Christi aduentum gratia Dei paucis communicabatur abundãter, & cum perseuerantiæ dono. De Purgatorio etiã est certissimum, eius statum non esse perpetuum: in quo illud singulare est, quòd non omnes animæ, quæ ad illud descendunt, simul aliquando in illo congregãtur. sed successione quadam, sicut homines in hoc mundo, existunt. Vnde fit, vt numerus animarum, quæ in illo loco simul existunt, semper sit exiguus, comparatione facta ad alia loca. D Limbo puerorum res est dubia: probabile verò est, eiiam post diem iudicij non esse permansuros in illo loco, sed suprà terræ superficiem, in

Secunda.

C

E

quadam

quadam philosophandi ratione esse victuros. Quorum numerus etiam respectu aliorum paruus est, quia infantes, qui ad rationis vsum non perueniunt, non sunt vigesima hominum pars, & ex illis multi saluantur. Itaque hęc tria loca illo modo collocata, ad finem eorum, & ad omnia quæ de illis dicuntur, sufficiunt: quia nec propter animas requirunt immensam aliquam magnitudinem, neque vnquàm humanis corporibus replebuntur, sed solus infernus, iuxta discursum factum.

12 Tertius modus astruendi tertiã opinionem.

Propter quædam tamen Euangelij verba potest alius modus collocandi hæc loca, & astruendi tertiam opinionem propositam excogitari, videlicet supra locum inferni, cætera loca esse etiam in circulũ collocata; ita tamen vt non singula occupent integrum circulum. Non enim videtur necesse hos integros locorum circulos sese inuicem circundantes, seu continentes fingere, ac si essent elemẽtaria, vel cœlestia corpora, cùm animarum susceptioni non videatur tanta magnitudo necessariè. Videri ergo potest sufficiens, vt proximè supra gehennam sint Limbus puerorum, & Purgatorium, in modum circuli locum inferni circundantis; ita tamen vt vnusquisque illorũ locorum semicirculum tantùm occupet, sintque inter se contigua, & supra locũ inferni æquali propinquitate, versùs diuersas huius mundi partes collocata: supra illa verò sit Sinus Abrahæ, siue in modum alterius circuli, siue alio modo, prout Deo placuit. Nam quòd inter hunc sinum & gehennam sit aliquis locus medius, neque sint inter se contigua, videtur ex parabola de Diuite, & Lazaro colligi, in qua refertur, diuitem in tormentis existentem eleuasse oculos, & vidisse Abraham à longè, quasi in superiori, & distante loco existentem; & Abraham dixisse, *Et in his omnibus inter nos, & vos magnum chaos firmatum est, &c.* Est ergo aliqua intercapedo inter illa duo loca, quæ non videtur esse, nisi vel Limbus puerorum, vel Purgatorium, vel vtrumque simul. Deinde Purgatorium est iuxta infernum, vt frequentius Theologi volunt, non videtur autem verisimile tocum illud circũdari Limbo puerorum, vt necessarium sit animas purgandas hinc exeuntes per Limbum puerorum transire ad Purgatorium, & inde reuertentes transire per eundem locum ad cœlum, vel olim ad sinum Abrahæ, quod videtur inconueniens: procedit autem supponendo, spiritus non transire ad extremum nisi per medium. Similiter è contrario, quòd Limbus puerorum sit vndique circundatus igne Purgatorij, non est admodùm verisimile: rectè ergo hoc ordine illa loca collocantur.

13 Quartus modus.

Alius etiam modus occurrit, quo hæc loca possunt intelligi situata, nimirum vt Purgatorium sit ad oram & quasi ripam inferni: sic enim in priuatis reuelationibus aliquando ostensum legitur: & S. Thom. certè ita sentit d. 21. nam vult eundem ignem esse in vtroque loco, imò eundem esse locum, solúmque differre, quia gehenna est quasi in profundo, Purgatorium quasi in ingressu illius loci: optimè ergo locatur quasi in ora & circunferẽtia eius. Ne autem necesse sit animas, quæ ad infernum descendunt, per Purgatorium transire, verisimile est locum Purgatorij non integrè, & ex omni parte totam circunferentiam inferni occupare; sed in aliqua mundi parte relictum esse aliquod spatium, in quo sit veluti os putei infernalis, supra quam partem nullus alius locus pœnalis collocatus sit. Quomodo intelligi potest quod dixit Anselmus lib. de Imagine mundi, cap. 21. *Infernum esse inferiùs dilatatum, & superius coangustatũ*, scilicet, quoad foramen illud, quod est veluti os inferni. Alia verò duo loca intelligi possunt longè distantia à toto inferno, vt Purgatorium includit: inter se autem maximè vicina, & quasi contigua. Quòd enim Sinus Abrahæ multùm ab inferno distauerit, & omnes Doctores docent, & planè colligitur ex citatis verbis Euangelij. Quòd verò Limbus puerorum ab alio sinu, qui Limbus etiam appellatur, parum distet, colligi potest ex proprietatibus, in quibus illa loca conueniunt: nam in vtroque nulla est pœna sensus; in vtroque detinentur animę solùm propter Adæ peccatum, quamuis diuerso modo: nam in vno detinebantur animæ propter illud peccatum vt fuit totius naturæ, pro qua nondum erat satisfactum: in alio verò detinentur animæ puerorum propter peccatum illud participatum in propria persona, & in ea durans. Ex quo fit, vt Limbus puerorum sit in inferiori parte illius sinus, tamen distans longè à locis pœnarum, & coniunctus Sinui Abrahæ: nam est etiam probabile in illo Limbo habere pueros suam requiem, & quẽdam modum naturalis consolationis, si fortasse ignorant naturæ suæ casum, & redemptionem, solaque naturali cognitione, & amore fruuntur. Vnde etiam credũt aliqui, ad tempus tantùm ibi detineri, & quòd sicut animæ sanctæ in primo Christi aduentu à suo Limbo eductæ fuerunt: ita animæ puerorum ab illo loco in secundo aduentu Christi educendæ sunt, non vt in cœlum ferantur, aut beatam Dei visionem accipiant, vt Pelagiani contra Euangelium senserunt; nec etiam vt mittantur in stagnum ignis, & demergantur cum damnatis in infernum, vt alij contra omnem rationem & pietatem opinati sunt: sed vt in superficie terræ habitent, hacque sensibili luce fruantur, Deumque vt auctorem naturę cognoscant, ament, & laudent, vt multi Theologi sentiunt, & in suo loco latiùs disputandum est.

Vide Somnia, tractat. de Extrem. iud. c. 6. & 7. Ch. Opusc. de infanti Maio. 5. d. 44. q. 3. Pal. suprà.

Vide Palud. in 4. d. 45. c. 3. ex Pet. de Tarant. Problem. 1. art. 3.

## *Quæstionis resolutio.*

INTER has sententias non potest ferri certum, imò nec definitum iudicium, quia res occulta est, & non reuelata, potuitque Deus, pro suæ prouidentiæ, ac sapientiæ ratione, vel his modis, vel aliis hæc loca constituere; & ideò de situ Purgatorij hæc sufficiant, atque etiam de aliis, de quibus obiter diximus, quia non possunt in hac disputatione seu collatione separari. Semper autem verisimilius mihi est, hæc loca non esse ita subordinata per circulos, vt non possit ad vnum nisi per alium transiri, quia etiam censeo inconueniens, quòd ante Christi aduentum omnes damnatæ animæ, & purgandæ transirent per Limbum Sanctorum Patrum, & sic de aliis: nec modus ille ædificandi, seu architectandi (vt sic dicam) illa loca ratione aliqua necessarius est, nec per se conueniens, aut consentaneus diuinæ prouidentiæ. Reliqua verò probabiliter possunt cogitari, & dici. Satis autẽ verisimile est, Purgatorium esse vicinum inferno, tum proprer conuenientiam in pœna sensus, & ignis, tum quia hoc spectat ad quandam maiorem afflictionem & humiliationem purgandorum. Et ideò non refert quòd illæ animæ sint absolutè digniores animabus puerorum, quia pro tunc merentur maiorem afflictionem & pœnam. Tum præterea, quia verisimile est, post iudicium infernum dilatandum esse, & occupaturum totum purgatorium ignem, imò fortasse etiam ad Limbum puerorum, & antiquorum Patrum extendetur, vt aliqui censent. Sed hæc magis incerta sunt, quia de Limbo puerorum non constat an sit euacuandus. Concilium autem Florentinum licèt de hoc Limbo dixerit esse in inferno, non tamen fecit comparationem cum Purgatorio, sed consultò id prętermisse videtur, imò & omninò de situ Purgatorij nihil significasse, quia est res quæ adhuc in disputatione Theologorum versatur. Quia tamen multùm significat

cat Limbum esse coniunctum inferno, ideò aliæ etiam opiniones probabiles sunt. A

15 An loca inferna mole terrę interiecta distinguantur.

An verò hæc loca distinguantur muris per interiectam alicuius terræ partis molem, vel solùm terminis à Deo præfinitis, mihi non constat: neque ab Auctoribus aliquid expressè dici video, præter eos qui sentiunt ignem inferni, & Purgatorij esse cõtinuum, nam hi planè putant illa duo loca non habere murũ, seu molem terræ interiectam. Quod non est improbabile propter rationes suprà factas, neque inde sequitur aliquod absurdum: nam ad distinctionem locorum satis est terminorum præfinitio, & quod non possit esse transitus, neque permistio, quod etiam ad B decentiam animarum sanctarum, & conuenientem ordinem pertinet. De aliis verò duobus locis vel inter se, vel cum aliis comparatis faciliùs credi potest distingui muris, quia nullum habent commercium, nec est vlla necessitas, vel cõgruitas, vt debeant aliter constitui. Quamuis verba illa Abrahæ, *Inter nos & vos magnum chaos, &c.* indicare videantur spatium illud fuisse quasi concauum & subtili corpore repletum, nam vox *Chaos* hæc indicat: & verbum etiam Græcum, quod *hiatum*, seu *voraginem* significat. Sed quia spiritibus omnia penetrabilia sunt, ideò potuit tota illa distantia *chaos* appellari, etiamsi aliqua pars densa; terra esset repleta. Paludan. verò, & alij indicant, totum spatium omnium istorum locorum esse concauum, & post diem Iudicij replendum esse corporibus damnatorum.

Palud.

16 Sufficientia locorum infernorũ colligitur ex variis animarũ statibus.

Tandem, quoniam de his locis vlteriùs disputandum nobis non est, ex dictis etiam colligitur eorum C sufficiẽtia, de qua etiam videri possunt Paludan. Supplem. Gabr. & alij suprà citati. Sumitur autem ex statibus animarum: quædam enim omninò fœlices sunt, & purissimæ, quæ non infra terram, sed supra cœlos collocantur. Alię sunt omninò damnatæ propter peccata propria, pro quibus est infimus locus simul cum dæmonibus. Aliæ sunt etiam damnatæ propter solum originale peccatum, quibus proprius locus debetur propter diuersum statum, & rationes suprà tactas. Aliæ sunt iustæ, sed purgandæ. Aliæ denique fuerunt aliquando iustæ, satisque purgatæ quoad personalia, eo verò tempore, quo nondum erat ianua cœli hominibus aperta. Non sunt autem plures status animarum, ergo nec receptacula earum. Satis verò pullulat quæstio de statu animæ decedentis in originali pec- D cato cum actuali veniali tãtùm. Sed de hac re & in 2. Tomo citato loco, & suprà in hoc libro, agens de remissione venialium peccatorum, satis dixi. Aliæ verò difficultates, quæ hîc tangi poterant, post disputationem sequentem tractando de statu animarum Purgatorij, expedientur meliùs.

## DISPVTATIO XLVI.

### *De genere, & acerbitate pœnæ Purgatorij.*

QVONIAM præcipuus finis Purgatorij est, vt animæ, quæ illic existunt, pœnam suis peccatis debitam patiantur, ideò consequenter de qualitate grauitatéque illius pœnæ dicendum est. In qua re primum considerandum occurrit, quotuplex illa pœna sit; deinde quàm acerba sit, quibúsque mediis seu instrumentis exerceatur; ac tandem quantùm duratura sit, sed quomodo incipiat, continuéque sustineatur, donec tandem finiatur.

## SECTIO I.

### *Vtrùm animæ Purgatorij pœnam damni & sensus patiantur.*

POENA damni appellatur carentia diuinæ visionis, totiúsque æternæ beatitudinis; pœna verò, sensus pœna alicuius doloris specialiter inflicti, vltra priuationem cœlestium bonorũ. Quòd ergo animæ Purgatorij pro eo tẽpore quo ibi detinentur, careant visione beata, manifestum est ex dictis. Disp. præced. ideò enim ibi detinentur, quia nõ sunt expeditæ & aptæ ad videndũ Deũ. Item quia si viderent, nõ essent capaces alicuius pœnæ, quia visio, cùm sit essentialis beatitudo, omne malũ excludit, iuxta illud, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorũ, & iam non erit amplius neque clamor, neque vllus dolor.* Adhuc verò dubitari potest, an illa carentia visionis habeat in illis animabus rationẽ pœnæ damni, nécne, non enim semper similis carentia habet rationem talis pœnæ, vt in nobis constat. Quòd ergo ibi nõ sit pœna, sentire videtur Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 4. q. 4. & vtitur discursu fundato in doctrina communi D. Thomæ, & multorum dicentium, duo esse in peccato, scilicet, conuersionem, & auersionem; & auersioni respondere pœnam damni, conuersioni autẽ pœnam sensus. Hinc enim sequi videtur, peccato iam remisso quoad culpam nõ deberi pœnam damni, sed ad summum posse deberi aliquam pœnam sensus; quia cùm peccatum remittitur, omninò tollitur quoad auersionem, solúmque potest manere quoad conuersionem. Ex quo tandem concluditur argumentum: nam animabus Purgatorij remissa sunt omnia peccata quoad culpam, ergo ablata est ab illis omninò auersio à Deo, ergo ablatum est omne debitum pœnæ damni, quod in auersione fundatur: ergo illa carentia non manet in illis animabus vt pœna, sed solùm ratione status, & necessitate quadam naturali, prout in nobis est. Et confirmatur, quia pœna Purgatorij maximè instituta est propter venialia peccata, sed peccatis venialibus nulla debetur pœna damni, quia non habeat malitiam infinitam, vt tantam merentur pœnam: ergo.

1 Animæ Purgatorij carent visione beata.

Apocal. 7. & 21.

Habeátne carentia visionis rationem pœnæ dãni in animabus Purgatorij. Opinio negans, Caiet.

Nihilominùs dicendum est, animas Purgatorij pœnam damni pati: imò hanc esse præcipuam pœnam, quam ibi patiuntur. Est communis sententia in 4. d. 20. & 21. vbi D. Thom. Bonauent. Palud. Richard. & alij. Soto d. 19. Durãd. in 3. d. 22. q. 4. Et probatur, quia detinentur ab ingressu patrię ratione culpę commissæ; sed hæc est pœna damni: ergo. Maior patet, quia nulla est in eis alia ratio cur detineantur. Nam quantùm est ex parte status veluti naturalis, hoc ipso quòd sunt extra corpus, sunt in statu sufficiente ad videndum Deum. In quo multùm à nobis differunt: anima enim coniuncta corpori corruptibili, ratione talis coniũctionis non est in statu apto ad videndũ Deum, secluso omni alio impedimẽto; ergo illæ animæ iam separaræ ob aliud impedimentum priuantur eo tempore visione Dei: hoc autem non est nisi culpa commissa nondum plenè satisfacta: ergo. Dices, non culpam ipsam, sed reatum pœnæ manentem esse proximam rationem huius detentionis. Sed hoc nullius momenti est, quia ille reatus pœnę primò, ac per se est de ipsa carentia visionis Dei: non enim meretur videre Deum, qui pro peccato nondum illi plenè satisfecit, quandiu in eo statu durat; *Quis enim habitabit in tabernaculo Dei, aut quis requiescet in monte sancto eius, nisi qui ingreditur sine maculæ, & operatur iustitiam?* vtique primò ac præcipuè ad Deum ipsum. Propter quod alibi scriptum est; *Nihil coinquinatum introibit in illam*, scilicet, ciuitatem sanctam Hierusalem, in qua est

2 Animas Purgatorij pœnã dãni pati, vera resolutio. D. Tho. Bonau. Paludan. Richard. Sotus. Durand.

Obiectioni occurritur.

est visio pacis. Neque enim putãdum est ratione peccati commissi, etiam remissi quoad culpam, solùm deberi homini pœnam sensus, & quia hanc sustinere non potest videndo Deum, ideò detineri ab illa visione, donec satispatiatur: hoc enim gratis, & præter omnem rationem excogitatum est, tum quia hoc ipso quòd debetur pœna sensus, intrinsecè debetur detentio ab illo vltimo termino, nec possunt hæc naturaliter seiungi in illo debito, cùm in se sint intrinsecè connexa. Tum etiam quia peccatum potissimè est pœna dignum, quatenus est vel simpliciter, vel aliquo modo Dei offensio, sub qua ratione ei maximè respõdet carentia eiusdem Dei.

Non solùm pœnam sensus, sed etiam damni deberi propter peccatũ iam remissum quoad culpam.

3 Ratio autem, quæ in contrarium inducebatur, ex falsis principiis, vel malè intellectis procedit: suprà enim in materia de Pœnitentia ostendimus, cùm peccatum remittitur, totum id, quod est culpæ, remitti, siue ad auersionem, siue ad conuersionem pertineat. Itemque, si reatus pœnæ manet, non solùm manere propter cõuersionem, sed etiam propter auersionem, imò propter hanc maximè: quia illa est potissima malitia propter quã præcipuè debetur pœna: vnde, si satisfactio hominis est insufficiens, maximè est, quia non est proportionata iniuriæ seu offensioni Deo factæ. Quanuis ergo in remissione culpæ auersio omninò tollatur quoad maculam; reatus tamẽ pœnæ ex illa nascens non omninò tollitur, quia non pendet ab illa in conseruari, nisi quatenus ad æternam pœnam extenditur, & ideò adhuc potest manere reatus pœnæ damni temporalis. Vnde doctrina illa, quæ in contrarium allegatur, vel admittenda non est, vel secundùm quandam accommodationem solùm est intelligẽda, vt citato loco latiùs declaraui. Ad confirmationem negatur minor: nam sicut venialia peccata sunt aliquo modo offensiones Dei, aliquam pœnam damni merentur, saltem temporalem, & sicut in via retardant tendentiam in vltimum finem, ita etiam merentur aliquam moram in vltima coniunctione cum illo, & hæc est pœna damni temporalis.

Ratio in cõtrarium soluitur.

## *De pœna sensus.*

SVPEREST vt de pœna sensus dicamus, vt in qua distinguere possumus tristitiam illã, quæ proximè consequitur ex carentia seu detentione visionis Dei, habétque illam pro obiecto, ab alio dolore quasi externo, proportionato dolori sensibili, qui in nobis ab igne, vel alia simili actione naturæ contraria, seu violenta excitari solet. Quòd ergo sit in Purgatorio prior modus pœnæ, certissimum est: nam illa carentia, seu detentio reuerà est magnum incommodum & malum, & vt tale apprehenditur efficacissimè ab illis animabus, quæ totis suis viribus (vt infrà dicam) diligunt Deum, eiusque cupiunt conspectum: ergo non possunt non tristari maximè de illa mora. Dices, si animæ illæ diligunt Deum, erunt conformes voluntati eius: ergo erit eis voluntaria illa carentia & detentio, quam ex diuina ordinatione, & prouidentia non ignorant prouenire, ergo non possunt de illa tristari: nam tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt. Respondetur, hoc argumento probari, nullam tristitiam esse posse in illis animabus: quia nihil patiuntur, quod non voluntariè sustineant, quatenus ex diuina iustitia prouenit. Negatur ergo consequentia: quia quod vna ratione voluntarium est, potest alia ratione esse inuoluntarium, &, vt sic, magnam tristitiam inferre. Illa ergo carentia voluntaria est ex suppositione, quòd Deus illam vult, quódque ad satisfaciendum perfectè pro peccatis necessaria est.

In Purgatorio datur tristitia ex detentione visionis Dei.

Obiect.

Solutio.

A Est autem inuoluntaria, quatenus est contra inclinationem charitatis, & naturale desiderium beatitudinis, &, vt sic, valdè contristatur. Adde ipsummet Deum esse (vt ita dicam) seu voluntate antecedente non velle illam carentiam; sed potiùs cupere, vt homo iustus sine vlla mora illum videat, sed ex suppositione nostræ malitiæ & negligentiæ, voluntate cõsequente vult illam detentionem: sic ergo animæ respiciendo posteriorem Dei voluntatem, illi conformantur: considerando autem priorem, valdè tristantur, eò quòd illam non expleuerint, quódque per eas steterit vt voluntas illa Dei, quæ antecedens fuit, non transierit in consequentem; & hac ratione tristantur de illa carentia: & consequẽter dolẽt maximè de causa illius, quæ ab ipsis, & non à Deo exorta fuit.

B

### *Sitne præter tristitiam alia pœna sensus in purgatorio.*

EX his autem videtur colligi posse, non esse in Purgatorio necessariam aliã pœnam sensus, quia hæc tristitia est maxima pœna, & ad pœnam sensus spectat, cùm sit pœna ex cognitione orta, quæ lata significatione, nobisque notiori nomine sensus significatur. Vnde Scot. 4. d. 50. q. 1. art. 4. concluſ. 2. omnem dolorem prouenientem ex apprehensione alicuius mali, ad pœnam sensus spectare dicit: ergo præter hãc necessarium non est aliam pœnam sensus in Purgatorio ponere. Eò vel maximè quòd illæ animæ non solùm dolent de carentia visionis Dei, sed multò magis de causa illius, non propter suum incommodum, sed propter Deum, quem peccando offenderunt. In quo est magnum discrimen inter illas animas, & damnatas; quòd damnatæ non dolent de peccatis vt sunt contra Deum, imò ipsum Deum maximo odio prosequuntur, & ideò meritò speciali pœna sensus affliguntur: at verò animæ Purgatorij non videntur dignæ tot pœnis & doloribus. Tandem confirmatur, quia multis reuelationibus ostensum est, animas aliquorum Sanctorum detineri post hanc vitam, ne pro aliquo tempore Deum videant, in quo tẽpore nullam aliam pœnam patiuntur, præter detentionem. Refert enim Beda lib. 5. Historiæ Anglic. quibusdam sanctis animabus in hac vita existẽtibus, & extra illã, vel reipsa, vel interna visione ductis, ostensum esse locum quendam amœnissimum, in quo animæ quædam nondum aptæ ad videndum Deum detinebantur, & per illam detentionem purgabantur. Similia sumi possunt ex Gregorio 4. Dialog. capit. 36. & ex Dionysio Carthusiano Dialog. de iudicio partic. capite 31.

C

D

Scot.

Beda.

Gregor. Dionys. Carthus.

Nihilominùs dicendũ est, præter pœnam damni, & tristitiã illi adiunctã esse in Purgatorio propriã ac peculiarem pœnã sensus. Hæc est communior sententia Scholasticorum, quos retulimus, & infrà referemus, videturque communi sensu, & approbatione Ecclesiæ recepta. Et in Scriptura habet eadem fundamenta, quibus suprà probauimus Purgatorium esse, præsertim illud. 1. Corinth. 3. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Patres etiam superiùs citati hoc sensu docere videntur purgatorias pœnas. Ratio denique est, quia æquitas iustitiæ diuinæ vindicatiuæ hoc postulat, iuxta illud Apocal. 18. *Quantùm glorificauit se in deliciis, tantùm date ei tormentorum.* Nam, licèt hæc verba de damnatis dicta videantur, cum proportione habent locum in Purgatorio ex consimili iustitiæ æquitate. Cùm enim peccator propter inordinatam delectationem, & affectionem ad creaturam dignus sit aliqua pœna contraria illi delectationi, quã vocamus pœnã

6 Præter pœnam damni, & tristitiam esse in Purgatorio propriam pœnã sensus.

1. Cor. 3.

Apoca. 18.

sensus, si in hac vita plenè non satisfecit, aliqua huiusmodi pœna purgandus, & puniendus erit. Atque ita sentiunt communiter Theologi distinguentes propriam pœnam sensus, præter tristitiam ex carentia visionis. Quanquàm enim illi de inferno absolutè loquantur: tamẽ idem sentiunt de Purgatorio, vt patet ex S. Thom. Palud. Dur. Rich. & aliis in 4. partim, d. 44. & 45. partim d. 50. & Palud. distinguit pœnas spirituales, vt tristitiam de carentia visionis, remorsus conscientiæ, &c. & corporales quæ sunt ab igne, & si quod est aliud Dei instrumentum, & has nos comprehendimus sub pœna sensus.

D. Tho. Palud. Durand. Richard.

7 Scot. Nec aliud sensit Scot. qui in contrarium citari solet: nam dist. 50. circa fin. §. *Ad primam quæstionem*, distinguit etiam spiritualem & corporalem pœnam, & priorẽ subdistinguit in pœnam damni, & vermis, & sub priori euidenter comprehendit nolitionem illius carentiæ, & tristitiam de illa. Pœna ergo sensus non sic appellata est, quia per cognitionem causatur, quod commune est omni tristitiæ & dolori, sed quia per extrinsecam & realem mutationem efficitur ad modum sensibilis. Alioqui ipsamet carentia visionis Dei dicẽda esset pœna sensus, quia in illa significatione non tantùm dolor, sed malum etiam illud, quod cognitum infert dolorem seu tristitiam, dicetur pœna sensus, seu quę sentitur, sic enim non tantùm dolor ex flagellis ortus, sed flagella ipsa sunt pœna sensibilis. Denique sub nomine & impositione pœnę includitur semper tristitia vel dolor concomitans malum illud, quod in pœnam imponitur, neque in vlla lege, vel aliquo iudicio censentur duæ pœnę, priuatio pecuniæ, & tristitia inde secuta, sicut non sunt duo præmia, visio Dei, & delectatio quæ illam cõsequitur: & in vniuersum proprietas naturaliter consequens non censetur ponere in numerũ cum re ad quã consequitur. Præter pœnam igitur damni seu carentiæ visionis Dei cum tristitia inde secuta, aliam pœnã sensus patiuntur animæ, non solùm in inferno, sed etiam in Purgatorio. Imò non solùm præter tristitiam de carentia vel dilatione, sed etiam præter dolorem ex remorsu, seu verme conscientiæ, qui etiam animabus Purgatorij non deest: nã omnis hæc pœna est purè spiritualis, & quasi ab intrinseco, præter quàm esse debet aliqua pœna ab extrinseco, & quasi corporalis, quoadmodum, & instrumentũ quo fit. Estque specialis ratio in animabus Purgatorij, quam in sequenti puncto adiiciam.

A B C D

8 Patiantúrne omnes animæ Purgatorij pœnã sensus. Dixerunt verò nonnulli, quasdã animas Purgatorij pati pœnã sensus distinctam ab aliis pœnis purè spiritualibus seu internis; non verò omnes, nã quædam sunt quæ sine tali pœna purgantur. Distinguunt enim duo loca Purgatorij, vnum inferno simile in pœnis ignis & similibus, excepta æternitate illarum, alium magis disiunctum ab inferno & situ, & similitudine pœnarum, in quo per solam detentionem ab ingressu patriæ, & dolorẽ de illa animæ purgantur. In priori loco dicuntur purgari animę, quæ diu in peccatis vixerunt, & tandẽ in fine vitæ iustificatæ: in alio verò animæ bonę & sanctæ, quę tamẽ imperfectè hîc vixerũt. Quæ sententia fundatur solùm in quadã visione, quã refert Beda citato loco, illique fidem adhibet, nam circunstantiæ, quas refert, & effectus optimi ex illa visione orti, & sanctitas eius, qui eam narrauit, magnam probabilitatem afferre videntur.

E Beda.

9 Improbatur. Mihi autẽ aliqua occurrũt, quæ sententiã illã satis improbare videntur. Primò, cõmunis sentẽtia Theologorũ. Secundò, quia nulla est ratio aut congruentia sufficiẽs ad distinguẽda hæc loca in Purgatorio, magis quàm in aliis statibus, seu receptaculis animarum. Tertiò, ita hoc declaro, quia vel animæ detinentur in illo carcere honorario propter mortales culpas, pro quibus nõ plenè satisfecerũt, vel propter veniales, vel neutra ex causa, sed propter aliũ imperfectũ viuendi modũ: nihil horum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primã partẽ, tum quia peccatũ mortale nõ est dignũ honorario carcere; tũ quia illa est potissima causa cõstituẽdi Purgatoriũ aliud magis pœnale. Et differentia solùm secũdùm magis & minus nõ satis est ad diuersa loca, vel pœnas quasi genere distinctas cõstituẽdas. Sicut enim peccatũ mortale non remissum in eodẽ loco inferni, & eodẽ genere pœnæ punitur, siue vnũ sit, siue plura, variata solũ quantitate, vel fortasse etiã specifico modo, aut instrumẽto sensibilis pœnæ: ita cẽsendum est de punitione temporali pro peccato mortali remisso quoad culpã, & nõ plenè quoad reatũ: ergo, siue illud sit vnũ, siue plura, grauius vel leuius, breuius, vel diuturnius, in eodẽ loco Purgatorij, eademque pœna sẽsus cũ proportione punitur. Secũda verò pars de peccatis venialibus probatur; quia de his Paulus 1. Corinth. 3. dixit. *Qui autẽ superædificat lignũ, fœnũ, aut stipulã*: & tamẽ de eodẽ subdit, *Saluus erit, sic tamẽ quasi per ignẽ*: ergo etiã viri iusti, qui tantùm peccata cõmiserunt, si cũ eis, eorúmvè reatibus decedãt, in cõmuni loco Purgatorij, & pœna sensus puniũtur, donec purgẽtur plenè: nã & hic locus, & illa pœna significata intelliguntur à Paulo, illo verbo, *Quasi per ignẽ*, vt ex lõga huius loci tractatione superiùs tradita cõstat. Nec habemus firmius testimoniũ ad probandũ Purgatoriũ, & pœnã sẽsus pro reatu relicto ex peccatis mortalibus, nec aliud, aut apparentẽ rationẽ ad distinguẽda hæc loca, vnũ pro his qui cõmiserunt peccata mortalia, aliud pro his qui tantùm venialia, si in vtroq; est pœna sensus & ignis. Eò vel maximè, quòd pauci sunt, qui hãc vitã sine peccatis mortalibus transigãt, vt pro eis solis specialis locus deputãdus fuerit: maximè quia verisimile est, eos, qui huiusmodi sũt, vel hil, vel parũ Purgatoriis pœnis indigere, quia nõ possũt ita in gratia perpetuò perseuerare, quin sanctè viuant, magnaque opera exerceãt, quibus reatũ venialiũ peccatorũ prorsus cõsumant. Ac deniq; quidquid purgãdũ habeãt, inordinatũ supponit affectũ, & conuersionẽ ad creaturas, quæ aliqua pœna sensus purgãda est. Tertia verò pars minoris certissima mihi videtur, nã secluſa culpa, & reatu ex illa relicto, nihil est quod possit hominem ab ingressu beatitudinis retardare, iuxta definitionem Concilj Floren. sess. vltim.

1. Cor. 3.

10 Quartò, accedit probabilis cõiectura, quia solus spiritualis & internus dolor: vel de peccatis cõmissis, vel de dilatione beatitudinis nõ est proportionata pœna pro loco Purgatorij, quia ille dolor magis videtur in actione cõsistere, quàm in passione: purgatio autẽ illa esse debet per passionẽ potiùs quã per actionem, quia est per modũ satispassionis, non per modũ satisfactionis. Quod declaro, cõstituẽdo differẽtiã inter animas dãnatorũ, & Purgatorij: nã dãnatæ habẽt tristitiã de beatitudine amissa quasi coactã & inuoluntariã, quia cogũtur semper ac necessariò considerare suã miseriã, & de illa dolere: in animabus verò sanctis nõ videtur esse talis necessitas ab extrinseco: sed volũtariè & ex charitate ad illã considerationẽ se applicãt, & tristitiã eliciũt, quæ mihi videtur esse supernaturalis, quod est animaduersione dignũ. Probari autẽ potest, quia illa tristitia nascitur vel ex amore Dei propter se, vel ex amore propriæ beatitudinis, vel (quod verius videtur) ex vtroq;: est ergo eiusdẽ ordinis cũ tali amore: vterq; autẽ talis amor supernaturalis est in illis animabus sãctis, & desideriũ etiam, quod ex illo nascitur, ergo & tristitia, aut dolor de illius dilatione. Qui discursus eodẽ modo fieri potest de dolore orto ex verme cõsciẽtiæ, qui sine dubio spectat in illis animabus vel ad virtutem charitatis, estq; vera cõtritio, vel etiã ad virtutẽ spei, estque attritio: nã etiã dolere de præteritis peccatis, propter propriũ incõmodũ dilationis beatitudinis,

bonum

bonum est, non excludendo priorem dolorem. Et ob eandem rationem dolere possunt ex motiuo honesto pœnitentiæ: pœnitet enim eas quòd iniurias Deo intulerint, quodque pro illis non plenè ipsi satisfecerint. Et quanuis hunc dolorem tunc non habeant ex intentione satisfaciendi, quia sciunt se non posse iam satisfacere, habere tamen illũ possunt propter ipsam honestatem pœnitentiæ, seu (quod idem est) propter abominationem mali, quod in ipsa iniuria Dei cernunt. Hi ergo omnes sunt boni motus, quos voluntariè exercent illæ animæ propter honestatem ipsorum, & amorem Dei, non propter purgationem. Vnde etiam fit, vt hi dolores & tristitiæ maiores & intensiores sint in illis animabus quæ sunt sanctiores, etiãsi minus debitum, minorémve reatum habeant, quia vnaquæque potest his modis dolere iuxta totam intensionem sui habitus, & illam non excędunt, quia non debetur illis maius auxilium, neque est cur conferatur: ergo hoc etiam est signum non esse hanc pœnam, per quam illę animæ purgantur. In omnibus ergo animabus Purgatorij est aliud genus pœnæ & doloris, ab extrinseco prouenientis aliquo modo, quam pœnam sensus appellamus, & pœnam ignis esse cẽsemus, de qua plura in sectione sequenti.

11 Respondetur ad Bedæ reuelationẽ.

Prius verò necesse est ad illam reuelationem, quam Beda refert, respondere, difficilem námque habet expositionem, illam autem liberè reiicere non minùs difficile videtur. Nihilominùs aliqua proponam, propter quæ mihi suspecta est. Primum, quòd in ea simpliciter dicitur, pœnas purgatorias in vno loco, & detentionem in alio durare vsque ad finem iudicij: hoc enim incredibile est de omnibus animabus, & ex lege ordinaria talium pœnarum, non solùm quia per suffragia viuentium dicuntur animæ aliquæ citiùs liberari, sed etiam per condignam & sufficientem satispassionem: aliudque videtur incredibile, & præter iustitiæ æquitatem, quia temporalis pœna debita propter peccata remissa non est æqualis in omnibus, neque in intensione, neque in duratione. Vnde contra omnium Theologorum, imò totius Ecclesiæ sensum esse videtur dicere, nullam animam liberari à Purgatorio ante diem Iudicij, nisi per suffragia, vt sect. 4. videbimus. Deinde ipsamet descriptio illius loci amœni videtur præ se ferre absurditatem: nam ibi nulla esse dicitur obscuritas, sed maxima lux, superans nimiam lucem Solis. Item ibi nulla tristitia vel dolor esse significatur, sed maxima lætitia, nulla item culpa, vel culpæ macula, sed perfecta innocentia, quam albæ vestes indicare videntur, & loci amœnitas, & florum varietas, & similia quæ ibi describuntur. Tandem dicitur ibi, priorem locum pœnalem esse pro his, qui in hac vita mortaliter peccarunt, & pœnitentiam distulerunt vsque ad mortem: alium verò esse pro his, qui bona opera, non tamen perfecta habuerunt. Quæ partitio & insufficiens, & parum apta videtur: tum quia multę sunt animæ iustæ, quæ in hac vita non distulerunt pœnitentiam vsque ad mortem, sępiùs tamen grauiter peccarunt, & surrexerunt, & iterum ceciderunt, & ita cadendo & surgendo, tandem in statu gratię decesserũt: ad quem ergo locum pertinebunt? quia negare illas pati pœnam sensus absurdissimum est, & tamen non distulerunt pœnitentiam vsque ad mortem, nec caruerunt bonis operibus. Tum etiam, quia bona opera, quantumuis imperfecta, non detinent animas in aliquo Purgatorij loco, quia, si sunt opera bona, de se potiùs sunt digna præmio; quòd verò sint minùs perfecta, non est ratio detentionis seu purgationis: quod si etiã dicãtur imperfecta priuatiuè, iam non sunt bona, sed peccata saltem venialia, quę per ignem purgantur.

12 Propter hæc non possum dare fidem illi visioni vt sonat: nec tamen dicam fuisse confictam, aut mendacem; sed vel non esse ad literam intelligẽdam, sed sub aliqua metaphora, ita vt per illa loca, quæ vt distincta visa sunt, non oporteat significari loca Purgatorij distincta, sed diuersos status animarum eiusdem Purgatorij, & per locum amœnum, &c. significentur spirituales consolationes, quibus aliquæ animæ iuuantur, &c. Vel certè dicendum est, quòd licèt pœna sensus taceatur in illo loco, non excluditur, sicut neque ab alio excluduntur spirituales consolationes, licèt taceantur: sed in vtroque explicatur id, quod magis confert ad finem visionis, scilicet, vt homines non differant pœnitentiam, & in bonis operibus exerceantur. Et fortasse hoc totum verum est, & accommodari potest ad alias visiones similes in Carthusiano, & aliis: nam apud Gregorium similis locus amœnus dealbatorũ hominum, paradisum euidenter repræsentabat.

## SECTIO II.

### *An pœna sensus Purgatorij sit à vero igne, & quomodo fiat.*

1 DE pœna damni seu spirituali nihil ampliùs dicendum occurrit: de pœna verò sensus est in primis magna controuersia, an sit à vero igne elementari & corporeo, quæ solet etiam de inferni pœna tractari: sed ibi certum est esse verum ignem, nam licèt non sit res expresè definita de fide, est tamen ita certa, vt opposita temeraria, & errori proxima censeatur. De igne autem Purgatorij nihil in particulari Theologi dicunt, sed illum cum igne inferni inuoluunt, sentientes æquè certum esse illum esse corporeum & verum, sicut ignem inferni. Sed, licèt rem existimem omninò verã: de gradu tamen certitudinis ambigo. Primò, quia de igne inferni sunt infinita loca Scripturæ, & in multis eorũ nullum est metaphoræ indicium: vnde in eis habet locum regula generalis de propria interpretatione, vbi metaphorica nõ est necessaria. At de igne Purgatorij sub eo nomine vnus tãtùm est locus in Scriptura 1. Cor. 3. & in eo additur particula, *Quasi per ignem*, quę videtur esse diminuens, magísq; admittere analogam significationem. Secundò, quia in Concilio Florẽtino sessio. prima, Patres Græci constanter negarunt ignem Purgatorij: tamen quia non negarunt locum pœnalẽ Purgatorij, quem dicebant esse obscurũ quendam locum, ac laborũ plenum absque igne, in quo præter obscuritatem, & detentionem, nihil aliud ponebãt, non sunt existimati in fide, vel doctrina necessaria dissentire. In sess. autem 25. paulò ante literas vnionis, cùm Græci vellent in literis vnionis mentionem fieri solius articuli de processione Spiritus sancti, Pontifex contẽdit vt etiam de aliis diceretur, *Cùm præsertim* (inquit) *Ferrariæ de Purgatorio bene fuerit dictum.* Et inferiùs nihil aliud reperitur, neque in literis vnionis ponitur, nisi Purgatorium esse, in quo animæ iustæ, quæ in hac vita non plenè pro peccatis satisfecerunt, purgatoriis pœnis post mortem purgãtur: de igne autem tacetur.

Rationes dubitandi.

2 Hæc sanè continuncunt rem hanc non pertinere ad dogmata fidei, nec esse tam certum sicut de igne inferni, & saltẽ non esse oppositam opinionem dignam tam graui censura: satis enim est si improbabilis censeatur, cùm Pontifex absolutè dixerit, bene fuisse de Purgatorio dictum: quanquàm ipse loquutus fuerit in ordine ad stabiliendam fidem. Addo etiam Aug. in Enchirid. c. 69. & lib. de 8. quæstionib. ad Dulcit. q. 8. circa fin. solùm dixisse, incredibile non esse dari hunc purgatorium ignem, vbi non ratione loci absolutè, sed ratione ignis loquutus videtur, aliàs non debuisset dicere, non esse incredibile, sed omninò esse credendum; propter ignem verò videtur cum illa limita-

2 Non est de fide, pœnam sensus Purgatorij esse à vero igne.

Auguſt.

Est tamen certum intra latitudinem opinionis Theologicæ.

tione loquutus. Nihilominus censeo esse hanc rem certam intra latitudinem opinionis Theologicæ. Primò, propter consensum Patrum Latinorum in Conc. Florent. Secundò, propter consensum Theologorum. Tertiò propter verba Pauli, quæ ita faciliùs, propriùs, & melius exponuntur: nam illa particula, *quasi*, non est adiuncta ad minuendam veritatem ignis, sed ad explicandum modum salutionis, ait enim, *salui erunt*, ne crederent autē nihil mali eis superesse, sed tantùm salutem, addit, *sic tamen quasi per ignem*. Quartò, quia visiones omnes, & reuelationes, quæ de his locis leguntur, quoad ignem & pœnas sensibiles nihil ferè distinguunt inter infernum, & Purgatorium, sed quoad durationem. Et in hunc modū intelligendum

Cyrill.

B céseo locū Cyrill. lib. 10. in Ioā. c. 14. qui optimus est, & vniuersè cōtra omnes negantes Purgatoriū, & specialiter cōtra Græcos negantes ignē eius. Agēs enim de palmitibus, qui manent in vite, & indigent purgatione, affert id Psalm. 93. *Beatus vir, quem tu corripueris Domine* (ita enim legit) *& de lege tua docueris eum*, scilicet, in hac vita, *vt mitiges ei à diebus malis*, id est, Purgatorij; sic enim ait, *Dies enim certè nefasti ac praui decisis palmitibus illi sunt, in quibus in ignem mittuntur æternum, quando correctis & castigatis mitem se reddit Deus: non enim absolutè tales damnantur, quoniam non omninò infructuosi palmites fuerunt*. Vocauit ergo palmites decisos non à gratia, sed ab hac vita, & eos dicit puniri igne æterno, id est, eodem igne inferni, non tamen pœna æterna, sed donec purgentur. Quintò, quia ratio etiam videtur esse eadem, tam ex parte peccatorum, quàm ex parte talis instrumenti. An verò præter ignem sint ibi alia corpora, quæ sint etiam instrumēta ad purgandas animas, vt aqua, nix, &c. incertum est. Refert autem

Beda.

Beda lib. 5. de Historia Anglic. c. 13. visū esse Purgatorij animas sæpe mutari à nimio calore ad rigidum

Anselm.

frigus, & è conuerso. Anselm. in Elucidario sub disiunctione has numerat pœnas *Aut aliud* (inquit) *quodlibet genus pœnarum*. De hoc ergo non satis constat.

---

## *Quomodo ignis pœna afficiat animas separatas.*

D

5

HOc supposito, difficultas vulgaris est, quomodo ignis pœna afficiat animas separatas. Quam quæstionem facilè multi expediunt, dicentes modum

Greg.

illum esse nobis occultum: quod significarunt Greg. 4. Dialog. c. 29. dicens, *ex igne visibili ardorem, & dolorem inuisibilem trahi*, inuisibilem enim appellasse videtur, quia nobis est occultus & inexplicabilis. Et

Augusst.

August. 21. de Ciuit. dicens, *Spiritus torqueri ab igne miris, sed veris modis*. Sed, licèt verum sit non posse nos explicare hunc modum sicuti est, quia reuerà spiritualis est, licèt à corporeo igne procedat; nihilominùs tentandū nobis est, aliquid de illo dicere, vt saltem qualis non sit priùs explicemus, posteà verò E saltem per analogiam aliquam, vel communes rationes, qualis sit declaremus: hoc enim modo quæ supra nos sunt, & ferè spiritualia omnia inquirimus. Et his etiam modis August. & Gregorius suprà rem hanc declarare conati sunt, vt videbimus: nec Gregorius vocauit ardorem & dolorem inuisibilem, quia nobis occultus est, sed quia spiritualis dolor est, & non sensibilis.

4 Prima opinio. Bonau. Scot. Gabr. Durand. D. Thom.

Multi ergo ex Scholasticis modum huius pœnę declarant per quandam alligationem spiritus ad ignem sibi inuoluntariam, de qua valdè tristantur. Ita Bonauent. Scot. Gab. Duran. & alij in 4. d. 44. & D. Thom. 1. part. q. 64. art. 3. & 4. contra Gent. cap. 90. Ex quibus aliqui addunt, non solùm alligari spiritum igni, sed etiam cogi ad intuendum semper illum, & cogitare de illo, siue per speciem impressam, siue per ipsammet cogitationē à Deo vel immediatè, vel per ignem emissam. Hi autem Doctores præcipuè loquuntur de pœna inferni, de qua multæ aliæ sunt opiniones, quas hìc examinare non est nostri instituti.

5 Improbatur.

Solùm ergo dicimus, quod ad nostrū institutū pertinet, hæc omnia insufficientia quidē esse ad pœnam inferni explicandam, multò verò magis ad pœnā Purgatorij. Primum patet, quia illa detentio, alligatio, cogitatio, vel impressio speciei parui momenti sunt ad vehementem dolorem aut tristitiam causandam. Aut enim consideratur detentio illa vt excludit à Regno cælorum, seu beatitudine, & vt sic maximum dolorem infert; tamen ille non est de termino ad quem talis detentionis (vt sic dicam) sed de amissione termini à quo, & ita non pertinet ad propriam pœnam ignis, sed ad pœnam damni superiùs explicatā. Adde, quòd re attentiùs inspecta, non causatur exclusio à cœlesti patria ex detentione in igne, sed sunt hę pœnæ omninò diuersæ, & potiùs hęc posterior supponit priorem, quàm è conuerso. Et ideò Chrysostomus sæpe, & alij Sancti comparantes has pœnas vt omnino diuersas, dicunt longè maiorem esse tristitiam de exclusione à Regno, quàm de ignis cruciatu, vel alligatione, quod tam in temporali, quàm in æterna verum est, proportione seruata. Si ergo cōsideretur detentio illa in igne per se ac præcisè, supposita exclusione à Regno cœ-

C lesti, certè diminuta pœna est: quid enim interest illis spiritibus esse in illo loco, vel igne magis, quā in alio, si inde nihil patiuntur? Quod si fortasse pœna est in eo, quòd priuantur libertate se mouendi ad alia loca: hæc in primis potiùs est pœna incarcerationis cuiusdā quàm proprij cruciatus. Deinde, licèt aliqua pœna sit, tamen non est nimis acerba, nec qualis in Scriptura significatur esse inferni pœna. Ac denique illa pœna æqualis erit, siue ignis sit in loco illo inferni, siue non sit: cur enim minùs dolerent de illa detentione, si spatium illud esset repletum aere, quàm si igne; imò quia nobilior est ignis, inde videtur minui pœna. Quòd autem præter alligationem addatur necessitas intuendi vel cogitādi de illo igne, esset quidem grauis pœna, si

D nihil aliud cogitare possent, tamē hoc dici non potest de dæmonibus, vel de animabus, vt per se notum est, ergo hæc ratio explicandi pœnā illam insufficiens est.

6

Addo verò, in animabus Purgatorij nullā ferè esse, quia supposito temporali exilio à patria cœlesti, illis molestum non est detineri in tali loco, si in eo nihil speciale patiuntur: tum quia conformes sunt diuinæ voluntati, qua cognita, sine alia coactione ibi voluntariè detinentur: tum etiam, quia non habent falsas apprehensiones vel existimationes: re tamen vera ad commodum rei spiritualis parum refert esse in hoc, vel illo loco corporeo, supposito quòd priuetur pro tunc visione Dei, & illo honorifico loco, qui ad beatorum statum deputatus est. Vnde omnes ferè Au-

E ctores citati, quanuis hanc detentionem numerent inter pœnas sensus; addūt tamen præter illam negandum non esse aliquem alium cruciatum spirituum ab igne. Imò Augustin. & Gregor. satis expressè id declararunt. *Adhærebunt* (ait Augustin.) *spiritus in corpore corporeis ignibus cruciandi*. Et infrà, *Accipientes ex ignibus pœnas, non dantes vitam*. Gregorius autem ait, *Ex igne visibili, ardor, ac dolor inuisibilis traditur*: & infrà, *Colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima, non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur*.

Augusst. Greg.

7 Secunda opinio.

Est ergo secunda sententia, quæ faretur, præter detentionem, pati animas ab igne propriū cruciatū: eum verò putant consistere in eodem genere doloris vel tristitię, quam patiatur anima coniuncta corpori, dum per corpus ipsum igne cōburitur. Nam per actionem ignis causatur in corpore distemperamentum naturalium

lium qualitatũ,ex quo resultat qualitas aliqua disconueniés animæ, quæ obiectum doloris est,ac propterea dolorifera dici solet,cuius qualitatis affectionem sensu tactus perceptam refugit in primis appetitus sensitiuus, cúmque comitatur voluntas, & ita perficitur dolor. Fit ergo virtute diuina vt in anima separata absque sensu tactus sit in intellectu eadem apprehensio illius qualitatis, & eadem fuga eius in voluntate, quæ esse solet in anima coniuncta,& ita sentit eãdem afflictionem,quam in corpore sentit cùm corpus vritur. Hoc autem ita esse posse cõstat,quia potest Deus talem apprehensionem animæ separatæ infundere, quæ non sit minùs efficax, quàm si reuerà corpus cremaretur. Quòd autem ita sit,patet,tum quia hic modus est sufficiens,& consentaneus Scripturis dicentibus, animas cruciari, & vri ab igne; & alius non est intelligibilis: tum etiam, quia post diem iudicij animæ damnatorum ita cruciabuntur ab igne:non augebitur autem in illis pœna sensus, nec mutabitur, nec duplici modo ab igne cruciabuntur. Atque hanc sententiã indicasse videtur Soto d.50.art.2. circa finem, dum ait, animas extra corpus eodem modo torqueri ab igne, quo animæ in corpore ab igne cruciantur: quod ampliùs non declarat, & tam in dæmonibus, quàm in animabus ponit hoc genus pœnæ ignis; in quo fortasse consequenter locutus est, vt declarabo. Henric.etiam quodlibet.8.qu.34.ad hanc sententiam quodammodò accessit,modo autem improbabili, & qui ab omnibus facilè impugnatur, & ideò illũ omitto. Hæc igitur sententia Soti probabilis est, maximè quia secundùm illam locutiones Scripturæ videntur optimè explicari,vt est illa, *Vt intingat linguam meam, quia crucior in hac flamma*, & similes.

Soto.

Henric.

8 Reiicitur secunda opinio.

Nihilominùs mihi non satisfacit, neque probatur. Primò, quia non videtur sufficiens ad explicandam acerbitatem illius pœnæ sensibilis, quam Sancti docent,& exaggerant, vt in sequenti sectio. videbimus, etiam de pœna Purgatorij. Dicunt enim esse longè acerbiorem,quàm sit ignis combustio in hac vita,essęq; alterius rationis: at si solùm esset tristitia voluntatis,eiusdem rationis cum illa, quam vstio ignis causat in anima coniuncta, certè non esset maior, saltem in specie sua,nisi fortè in intensione aliqua:nam in extẽsione minor esset, quia deest dolor sensus, qui vehementer affligit, & fortè sine illo fuga voluntatis non admodùm cruciaret.Secundò,modus ille multùm videtur minuere de veritate illius pœnæ, & ob eã rem fortasse etiam repugnat,dicente Augustino,ignem illum cruciare miris,sed veris modis. Assumptũ explicatur:nam apprehensio illa,quæ ponitur in animabus illis vt tristentur,non habet verum obiectum,quod in re ipsa subsistat: & ex hac parte videtur repugnare, quia dolor sensibilis, quem causat ignis, essentialiter respicit obiectum præsens,& realiter inhærens,& lædens sensum;in hoc enim differt ab illa tristitia, quæ ex abstractiua cognitione, vel immutatione purè intentionali causatur: tristitia autem,quæ ex tali dolore resultat in voluntate, est illi proportionata, simili modo respiciens obiectum:ergo vbi non est talis vera læsio & combustio,non potest esse talis tristitia.

9 Euasio.

Dici potest,quòd sicut visio intuitiua naturaliter & per se requirit verum obiectũ realiter existẽs, & cum proportione applicatum; & nihilominùs fieri potest, vt visus videat obiectum tanquàm præsens,quod verè non est, vbi apparet per impressionem speciei omninò similis, & eiusdem actiuitatis cum concursu, vel motione accommodata:ita fieri potest in tactu vt habeat sensationem requisitam ad dolorem ex nimia calefactione causatum, sine tali calefactione vera, & tunc habebit appetitus eundem dolorem,& voluntas eandem tristitiam cum proportione. Et simili modo potest in sola anima, & in solo intellectu,& voluntate fieri similis cruciatus, per puram apprehensionem quasi intuitiuã, & experimentalem,sine reali obiecto. In qua re fateor me non inuenire implicationem contradictionis;& ideò non dixi absolutè esse impossibilem: inuenio tamen quoddam genus falsitatis, & deceptionis. Nam, vt Aristot. dixit in lib.de Anima, *Sola apprehensio vel imaginatio non mouet affectum, nec causat amorem, vel tristitiam, nisi ad iudicium perueniat:* ergo in illis animabus debet esse iudicium de existentia talis obiecti vera,& reali,vt possit talem tristitiam causare: tale autem iudicium falsum est: ergo repugnat veritati illius pœnæ talis existimatio. Maior patet, quia talis est natura huius doloris, seu tristitiæ,vt non nascatur,nisi ex experimento mali realiter inhærentis:ergo saltem necesse est, vt per existimationem talis appareat. Minor autem probatur, qui illud est intellectuale iudicium, & præsentia illius mali non tantùm apprehenditur ex parte concipientis, quia ita apprehendit, ac si esset, sed ex parte obiecti, qui ita iudicat esse, cùm verè non sit, aliàs non causabit dolorem: illud ergo iudicium nõ est conforme obiecto, ac proinde deceptionem,& falsitatem continet.Consequentia autem declaratur, quia in primis hoc repugnat veritati ipsius Dei, qui specialiter mouet, & infert necessitatẽ ad illud iudicium ferendũ. Deinde animabus Purgatorij specialiter repugnat ratione status in gratia, nullam enim deceptionem pati possunt, præsertim à Deo ipso.Denique specialiter videtur repugnare quòd anima separata apprehendat, & sibi persuadeat se habere illammet causam doloris, & tristitiæ in voluntate, quam haberet coniuncta corpori, quòd actualiter ab igne cremaretur, quia euidenter videt talem causam, seu tale malum suo statui repugnare,cùm videat se non esse vnitam corpori:& aliàs etiam est euidens, animam non vnitam habere pro obiecto doloris,& tristitiæ malum,quod sibi actualiter inferatur ex combustione corporis.

Eluditur. Arist.

10

Confirmatur, quia dæmones sunt incapaces huius doloris, ergo & animæ separatæ. Antecedens simul cum consequentia probatur,quia cùm dæmones non sint,neque esse possint formæ corporũ,obiectum illius tristitiæ est extra obiectum voluntatis eorum: sed eo modo tale malum est extra obiectum tristitiæ animæ separatæ,nam quoad hoc perinde se habet forma:quæ actu non est forma corporis, ac illa quæ esse non potest, quia illud malum non potest afficere formam, nisi quatenus actu informantem corpus: ergo. Quòd si dicatur,licèt afficere non possit,posse apprehendi,& hoc satis esse ad motionem voluntatis,idem dicam de voluntate dæmonis, quòd nimirum possit ex tali apprehensione moueri,etiamsi in re obiectum esse non possit, vt si fingatur gaudere apprehendens se esse Deum: & ideò dicebam loqui Sotum consequenter eodem modo de animabus, & dæmonibus. Re tamen vera vtrumque videtur repugnare,sicut (in exẽplo posito)repugnat tale gaudium circa obiectum simpliciter impossibile, & cognitum vt tale: sic enim repugnat tristitia vera de malo impossibili, propter solam apprehensionem, quando tale obiectum non ignoratur impossibile: ita verò est illud malum impossibile animæ separatæ in sensu composito ipsius separationis, sicut repugnat dæmoni simpliciter. Video dici posse, Deum posse impedire considerationem separationis, & impossibilitatis, & solam illam apprehensionem immittere; sed & idem fingi posset cum proportione in dæmonibus, & illud totum non est pati veris, sed fictis modis,qui nec decent diuinam veritatem, & potestatem, ac si indigeat his fictionibus ad affligendos spiritus: nec est credibile quòd impediat animam, ne intueatur & videat id, quod

Solutio.

Præcluditur.

quod euidenti discursu facilè cognoscere potest, aut ne videat se esse separatam, aut ne animaduertere possit animam separatam non posse lædi passione, quæ solùm in corpore exerceri potest: aut quòd hæc videat, & nihilominùs apprehendat illam læsionem, ac realiter existentem, & contristantem.

*Ignem verè cruciare spiritus, Assert. 1.*

11 PRIMÒ ergo statuo, ignem verè, realiter, ac physicè efficere cruciatum in animabus, seu spiritibus.
Augusti. Hoc significauit Augustinus dicens, *Cur enim non dicamus, quanuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis affligi?* Non enim dicitur pœna ignis, nisi quia ab igne, & per ignem B fit: nec enim dicitur pœna aëris quæ fit in aëre, sed quę fit ab aëre. Imò ideò vocauit illam pœnam corporalem, non quia formaliter & in se corporalis sit: cùm sit inhærens, & formaliter afficiens rem spiritualem: sed quia ab instrumento corporali, & ad modum rerum corporalium fit. Item infrà ait, *Adhærebunt spiritus dæmonum corporeis ignibus cruciandi, accipientes ineffabilibus modis ab ignibus pœnas:* modus ergo ineffabilis est, ita verò esse, certum est: non accipit autem spiritus ab igne pœnas, nisi quatenus ignis in spiritum efficit. Et infrà repetit, *sumendo ab igne pœnas, non ei impertiendo vitam.* Nec enim fingi potest spiritus ita adhærere, & vniri igni, vt ratione illius vnionis quasi formaliter affligatur à calore ipso, qui inest C igni; sicut anima vnita corpori affligitur ex nimia vstione corporis. Illa enim vnio non est formalis, vt per se notum est, & tetigit Augustin. cùm dixit, *non ei impertiendo vitam:* seclusa autem vnione formali, nulla est alia, quæ ad illud genus pœnæ sufficiat, imò nulla est alia possibilis nisi effectiua, vltra indistantiam localem: effectiua autem hîc non est per effectionem animæ in ignem, tum quia esset impertinens ad cruciatum, tum quia fingi non potest nisi merè gratis; ergo est per effectionem ignis in animas, vel spiritus.
Greg. Hoc ipsum significauit Gregorius, dicens, *Ex igne visibili ardor, atque dolor inuisibilis trahitur:* non enim trahitur solùm obiectiuè, vt suprà ostensum est, ergo effectiuè: vnde subdit; *Et per ignem corporeum mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur.* Quam sententiam colligit ex illo Luc. 16. *Quia crucior in hac flamma:* Luc. 16. nam his verbis intelligit Gregorius significari non videndo tantùm, sed experiendo cruciari. Quem locum Gregorij notauit etiam Maldonatus Luc. 16. dicens, approbasse Gregorium communiorem hanc Maldon. Theologorum sententiam, quam ipse etiam probabiliorem existimat.

12 Durandi obiectio. Contra hanc verò partem obiicit Durandus, quia corpus non potest physicè agere in spiritum, etiam vt instrumentum Dei, quia non potest habere actionem præuiam. Sed de hac ratione, & multis aliis, quæ hîc sese poterant offerre, latè dixi in 1. & 3. tomo, agens de potentia humanitatis Christi Domini, & efficacitate sacramentorum, quæ hîc repetere non est E
Solutio. necesse. Respondeo igitur, vt citato loco, in diuinis, instrumentis non requiri propriâ actionem præuiam connaturalem instrumento, imò cùm hoc sumitur, principium petitur: quia hoc ipsum est instrumentum esse naturale, & non supernaturale ac diuinum, sed vrgent aliqui postulâdo mutationẽ, quę in effectu fiat ex influentia talis instrumẽti, vt possit ad illud referri noua relatione, quam non haberet, si illud instrumẽtũ nõ ageret. Iam verò respondi citato loco, non esse necessariam propriam mutationem in effectu, seu termino, sed in actione ipsa per quam fit. Nam idem terminus potest fieri, vel conseruari diuersis actionibus, & ratione illarum ad diuersa agentia referri. Denique si petatur principium seu actus primus in ipso instrumento seu igne, à quo hæc actio instrumentaria manet: eisdem locis respondi, non esse potentiam superadditam, sed ipsam ignis, vel caloris eius entitatem, quæ est in potentia actiua obedientali, vt à Deo in instrumentum assumatur.

13 Quòd autem videtur de nouo obiici, quia talis potentia erit natiua, & consequenter principalis, vel integra, si sit completa ad totum effectum secundùm omnem rationem eius, vel inchoata, si tantùm sit ad effectum secundùm aliquam rationem eius. Hæc (inquam) obiecto soluta etiam est eisdem locis, vbi concessimus illam potentiam esse cõgenitam ipsi rei, imò ab ea non esse distinctam. Negamus autem inde sequi esse principalem, & non instrumentalem causam: B quia est inferioris ordinis, & natura sua improportionata, ideóque non petens ex se concursum seu eleuationem ad talem effectum. Nec rectè sequitur, si potentia hæc est natiua, esse natura sua proportionatam, & propriam causam effectus, vel secundùm totam, vel secundùm aliquam rationem eius: quia quando potentia est inferioris ordinis, & solùm instrumentaria per subordinationem ad primarium agens, non est necesse habere illam proportionem cum effectu. Imò neque in naturalibus instrumentis est id necessarium, intelligendo per propriam causam, vt in obiectione sumitur, causam sufficientem & vnicam in ratione causæ proximæ: de qua re latiùs in Metaphysica. Nec etiam sequitur, ratione huius potentiæ esse debitum C concursum: sicut non sequitur, si potentia animæ ad recipiendam gratiam est natiua, illi deberi gratiam. Nec sequitur, si intellectus habet natiuam capacitatem ad visionem Dei, deberi illi visionem, aut lumen gloriæ. Sed de his exemplis, & de tota hac re sufficiunt dicta, & de illa distinctione virtutis ad effectum secũdùm totam rationem eius; vel secundùm aliquã, videri possunt quæ dixi in 1. tom. ad quæstionem 10. D. Thomæ. Addo denique obiectionem factam, si efficax esset, etiam probare non posse Deum vti instrumento physico ad agendum aliquid supernaturale, etiam quoad modum. Itaque non potest vti igne, vt instrumento ad producendum caloré. eundem numero, qui fuit, nec animæ influxu ad illuminandum cæcum: & similia: sequela patet: nam, si ad hos effectus est in causa secũda virtus innata, debebitur concursus, & naturaliter faciet, si verò non est, nec supernaturaliter facere possunt. Id autem videtur incredibile propter multa, quæ breuitatis causa omitto, ne à proposito diuertar, & quia ex dictis in Metaphysica de instrumentariis causis, & reproductione eorundem effectuum facilè intelligi possunt. Concludo igitur potentiam innatam latiùs patere, quàm potentiã merè naturalem cui debeatur concursus, & vocamus illam obedientialẽ propter latiùs dicta in dict. quæst. 13. tertiæ partis.

Non omnis potentia cõgenita est causa principalis.

Non omni potentię natiuæ debetur concursus.

*Ignem agere in spiritus rem aliquam disconuenientem, quæ sit obiectum doloris & tristitiæ, Assertio 2.*

14 SECVNDO assero, ignem agere in spiritus rem aliquam disconuenientem, quæ sit obiectum doloris, seu tristitiæ. Hæc etiam est communis Theologorum sententia, quãuis in modo explicandi differant: nam qui dicũt ignẽ detinere, & alligare damnatos, id ponunt tanquàm obiectum & doloris & tristitiæ: qui etiam dicunt efficere aliquem cruciatum nobis inexplicabilem, illum ponunt, vt obiectum illius doloris. Solùm à nobis differre videntur, qui dicunt ignem solũ efficere species aliquas intelligibiles, vel apprehensionem

henſionem aliquam, aut ipſam triſtitiam. Sed horum ſententia veriſimilis non eſt, & ex eius improbatione demonſtratur aſſertio. Primò, quia actus illi vitales fiunt à principio intrinſeco, id eſt, ab ipſa anima, & eius potentiis, non ergo ab igne: quia cauſa extrinſeca non influit phyſicè in actum immanentem, niſi fortè per modum obiecti, media ſpecie: ignis autem non eſt obiectum talis doloris, vel triſtitiæ ſecundùm ſe, ſi aliud malum non operatur, vt per ſe notum apparet. Vnde licèt daremus ignem, vt inſtrumẽtum Dei concurrere ad producendas aliquas ſpecies intentionales, vel ipſos etiam actus vitales apprehenſionis, & triſtitiæ (quod fortè non repugnat, dummodò non tollatur influxus potentiarum in eoſdem actus) tamen adhuc oportet aſſignare obiectum verum talis doloris ſeu triſtitiæ, & apprehenſionis ex qua cauſatur, vt ſuprà oſtenſum eſt: hoc autem obiectum eſſe debet aliquod malum verè, & realiter exiſtens in ipſis animabus, alioqui falſa eſſet apprehenſio, & illuſoria triſtitia, vt ſuprà argumentabamur. Hoc autem malum debet eſſe diſtinctum ab ipſo dolore, & prius illo: tum quia actus immanens non eſt primum obiectum ſui ipſius, vt egregiè probat D.Tho. 1.2.q.1.art. 1.ad 2. tum etiam, quia eſt cauſa illius. Ergo in efficientia talis mali conſiſtit cruciatus: ergo, cùm ignis verè ac phyſicè cruciatum efficiat, hoc malum efficit. Et hæc ſufficit, nam reliqua efficientia actuum vitalium immediatè eſt impertinens: nam ex tali obiecto neceſſitate quadam naturali ſequuntur illi actus: ſicut ex combuſtione ignis in corpore, ſequitur neceſſariò ſenſus & dolor, licèt ignis ipſe non efficiat immediatè actus ipſos ſenſationis, aut doloris. Vnde tandem confirmatur: nam tunc aliqua cauſa extrinſeca dicitur efficere cruciatum, quando efficit obiectum proximum doloris: ſed ita loquuntur Sancti, & Scriptura de hoc igne: ergo.

Impugnatur ſententia aſſerens ignẽ efficere ſpecies intelligibiles, & ita cauſare triſtitiam.

D.Thom.

15 Ignis efficit rem poſitiuã in ſpiritibus.

Atque hinc ſequitur, hoc malum, quod efficit hic ignis, eſſe rem aliquam poſitiuã, tum quia realis actio non poteſt tendere directè & per ſe ad ſolam priuationem: tum etiam quia nulla realis priuatio fieri poteſt in anima ſeu ſpiritu: quia nec eius ſubſtantia minuitur, cùm indiuiſibilis ſit, nec priuatur potentiis, aut naturalibus habitibus: nam licèt in inferno animæ habitibus priuẽtur; tamen neque hoc dici poteſt de animabus Purgatorij, neque in inferno talis priuatio fit ab igne, ſed vel ſupponuntur illæ animæ priuatæ in hac vita, vt gratia, charitate, & aliis moralibus infuſis, vel in eo puncto priuantur, vt habitibus fidei, & ſpei mortuis, non per actionem ignis, ſed per ſuſpenſionem diuini influxus. Quo ſenſu dixit Cyrill. lib. 10. in Ioan. cap. 14. *Auferetur ab illis humor, id eſt, ſpiritus Domini, antequàm igni tradantur. Nam ſi honoribus huius ſeculi præditi, qui aduersùs Regem aliquid commiſerunt, non priùs puniuntur, quàm Magiſtratu ſe abdicauerint; quomodo non erit neceſſe, vt antequàm igni anima infructuoſa tradatur, penitus à gratia ſpiritus decidatur?* Et eodem fortaſſe modo priuantur habitibus virtutum acquiſitarum, ſi quos retinebant, aut fortè illos retinent, donec propriis actibus obduratæ voluntatis illos amittant: nam per actionem ignis non eſt veriſimile eos tolli. Quia ille ignis nõ efficit vitia cõtraria, hæc enim per Dei ſpecialem & miraculoſum influxum infundi non poſſunt, talis autem eſſet ibi neceſſarius: habitus ergo illi non amittuntur; præſertim in ſpiritu ſeparato, niſi vel per ſuſpenſionem diuini concurſus conſeruantis, vel per habitus & actus contrarios. Itaque actio illa ignis non poteſt conſiſtere in priuatione ſola: ergo in effectione alicuius rei poſitiuæ. Imò diſcurſus factus probat talem eſſe illam poſitiuam effectionem, vt ad illam non conſequatur priuatio alicuius rei incompoſſibilis cum termino talis actionis, de quo ſtatim dicam.

Cyrill.

Neceſſarium autem omninò eſt, vt res illa, quæ per illam actionem fit, & fiat in ipſomet ſpiritu qui cruciatur, eique inhæreat, & ſit illi diſconueniens. Vtrumque patet ex eodem principio, ſcilicet, quia aliàs non poſſet eſſe aliquod verum malum ſpiritus, qui cruciatur, & conſequenter non poſſet eſſe obiectum veri doloris. Etenim ſi res illa non afficit ipſum ſpiritum, quomodo eſſe poteſt illi diſconueniens, niſi fortè per extrinſecam habitudinem, ſicut infamia, vel contumelia eſt quoddam malum? Sed hic modus non habet locum in illo genere effectus, vel actionis, vt per ſe notum eſt: tum quia hoc malum extrinſecum non cauſat proprium dolorem ſenſus, licèt triſtitiam inferat: tum etiam quia nullam ſimilem extrinſecam habitudinem habere poteſt ad dæmones, vel animam res ſimilis extrinſeca effecta ab igne, in aëre, vel alio corpore, vt magis in ſequentibus declarabitur. Oportet ergo, vt illud, quod ab igne fit, in ſpiritu fiat, inhæreat, & de potentia eius educatur, & conſequenter vt ſit illi diſconueniens, aliàs non poſſet eſſe verum malum eius. Nam res poſitiua, vt ſic, mala non eſt, ſed malum in priuatione conſummatur, quæ priuatio quando non eſt per excluſionem alicuius boni, ſalrem in diſconuenientia aliqua conſiſtit, vt latiùs in Metaphyſica Diſput. 11. tractatum eſt.

16 Res, quæ fit per actionẽ ignis, debet eſſe diſconueniens, & inhærens ſpiritui.

---

## *Per actionem ignis fieri in ſpiritu qualitatem illi diſconuenientem, quæ ſit obiectum doloris & triſtitiæ, Aſſertio tertia.*

17 VLtimò ex his concludo, per actionem ignis fieri in ſpiritu, qui cruciatur, qualitatem aliquam ſpiritualem diſconuenientem illi, quæ dolorifera dici poteſt, quatenus eſt obiectũ doloris & triſtitiæ. Probatur, quia per illam actionem res aliqua fit, & illa non eſt ſubſtantia, cùm inhæreat ſuſtantiæ, neque eſt in aliquo alio prædicamento accidentium, vt facilè patebit diſcurrendo per omnia, quantitas enim eſſe non poteſt, quia non poteſt habere effectum ſuum in re omninò indiuiſibili: nec eſt vbi, vt oſtenſum eſt: quia non conſiſtit cruciatus ille in ſola illa detentione, nec eſt duratio, quia hæc per ſe eſt æterna in his rebus, nec maior fieri poteſt: præterquàm quòd duratio non poteſt fieri alia actione, quàm rei exiſtentia, hæc autem non fit ab igne in his ſpiritibus, vt per ſe patet, nec ex eo cruciarentur: nec eſt actio, vel paſſio: quia hæ non ſunt termini actionum, ſed via ad terminũ: vnde iam ſupponimus ibi interuenire actionem, & paſſionem, ſed illius mutationis terminum quærimus: item de relatione conſtat, quia per ſe nihil eſt diſtinctum à fundamento, ideóque neque per ſe fit per actionem. Denique de habitu eſt res per ſe nota: ſupereſt ergo vt ſit qualitas. Dicere enim eſſe rem alterius prædicamenti poſſibilis nobis ignoti, ridiculum eſt, & nihil deſeruiens ad leniendas difficultates, quæ de tali qualitate poſſunt occurrere. Idémque eſt, ſi quis contendat non eſſe propriam rem, ſed modum rei: nam & hoc difficilius intelligitur in re ſpirituali, eo modo quo excogitatus fuerit talis modus debet ad qualitatem reduci ex eodem diſcurſu.

Denique quòd qualitas illa ſpiritualis ſit, ex ſubiecto ſufficienter probatur, credimus enim impoſſibile eſſe qualitatem corpoream verè inhærere & afficere ſpiritum, quod in primo tomo huius 3. part. latè tractaui. Et (vt daremus id non implicare contradictionem) eſſet impertinens tale miraculum in præſenti fingere, aliiſque illud addere ſine vtilitate: quia ſicut ignis non poteſt naturali virtute efficere in ſpiritũ qualitatem incorpoream, ita neque corpoream, & aliunde

18 Qualitas impreſſa ab igne in ſpiritibus eſt ſpiritualis.

& aliunde qualitas spiritualis est magis proportionata ad excitandum vehementiorem dolorem, seu tristitiam; sicut enim delectationes spirituales, id est, ex obiectis spiritualibus prouenientes, maiores sunt, ita de dolore, & tristitia existimandum est. Est ergo illa spiritualis qualitas, qualis autem illa sit, vel in quo posita sit eius malitia, vel disconuenientia aut cruciatus, ab homine non potest explicari. Atque hoc modo explicatum manet quod August. dixit, *veris, licèt miris modis*. Hactenus enim declarauimus veritatem cruciatus, & omnia, quæ ad illam necessaria sunt seu consequuntur, quæ pertinent (vt sic dicam) ad quæstionem, an sit talis cruciatus igneus: reliqua verò quæ pertinent ad interrogandum, quid, vel qualis sit, mira esse dicimus, neque ampliùs à nobis explicari posse.

*Argumenta contra præcedentem assertionem.*

19 Prima. NON desunt tamen qui persuadere velint qualitatem hanc esse impossibilem. Primò, quia necesse est qualitatem illam non esse connaturalem Angelis, vel animabus, ergo nec alicui creaturæ, ergo erit qualitas supernaturalis quoad substantiam; ergo tantùm abest, vt possit esse mala, vel disconueniens spiritui, vt potiùs illum maximè perfectura sit, sicut Secunda. character, vel alia similis. Secundò, quia qualitas positiua non causat dolorem vel tristitiam, nisi quatenus tollit, aut minuit conuenientem naturæ dispositionem, vel in ordine ad esse seu conseruari; vel in ordine ad operationem, vt ex rebus corporeis constat, per quarum proportionem possumus nos hæc spiritualia concipere, & non aliter: nulla verò qualitas potest fieri in spiritu, quæ minùs benè illum disponat in sua substantia, & in ordine ad esse, vel conseruari, vt per se constat: quia in hoc est simplicissima, & perpetua, nullaque indiget qualitatum dispositione. Nec etiam in ordine ad operationem, quia supponimus qualitatem hanc non esse speciem intelligibilem, vel habitum aliquem, vt dictum est, ergo. Tertiò, quia non apparet quomodo illa qualitas Tertia. possit esse disconueniens spiritui, non enim ratione eius effectus, quem positiuè confert: nam ille necessariò debet esse bonus, & ad perfectionem spectans, cùm omnis res positiua, vt sic, dicat perfectionem: nec ratione alicuius boni, quo priuat: quia nec tollit temperamentum, nec qualitatem, nec pulchritudinem aliquam, in quo ergo posita est illa disconuenientia?

20 Hæ rationes, si efficaces sunt, non solùm probant hunc effectum ignis non consistere in aliqua qualitate impressa ab ipso in spiritum, sed etiam non posse esse rem aliquam veram, cuiuscunque ordinis aut prædicamenti cogniti, vel incogniti à nobis esse fingatur. Patet: nam eodem modo inquiram, in quo consistat malitia, vel disconuenientia talis rei. Nam, vt res positiua est, non est mala, & necessariò confert aliquam perfectionem, non tollit autem aliquam aliam rem, vel proportionem conuenientem, vel necessariam ad conseruationem, vel operationem: quæ igitur esse potest res talis, aut eius disconuenientia; quámve incommoditatem, aut deformitatem potest afferre spiritui? Et similiter inquiram, an res, quæ accidentaria necessariò esse debet, cùm sit in Angelo, sit supernaturalis quoad substantiam, vel connaturalis alicui creaturæ. Itaque, vel rationes in vniuersum probant nullum esse possibilem talem cruciatum, vel nihil probant, sed ab omnibus soluendę sunt. Quod æquè procedit, siue ponatur cruciatus hîc fieri per ignem, siue immediatè à Deo ad præsentiam ignis: eodem enim modo inquirendum erit quænam res illa sit, quam Deus in anima, vel Angelo facit, cuius ordinis, quam disconuenientiã afferat, & similia.

Ad primam ergo obiectionem in primis assero non sequi, qualitatem nulli creaturæ connaturalem esse supernaturalem, eo modo quo gratia, & virtutes infusæ supernaturales dicuntur: est enim hoc necessarium, non tamen sufficit: nam vltra hoc necesse est, vt sit qualitas diuini ordinis, sitque participatio eminens alicuius perfectionis simpliciter naturæ intellectualis, quatenus talis est. Vnde dotes gloriæ corporis, quæ qualitates sunt, nulli creaturæ sunt naturales, & tamen non sunt supernaturales eo modo, quo gratia, & charitas. Imò nec character, etiamsi spiritualis sit, videtur illo modo supernaturalis, ideóque ad perfectionem simpliciter animæ Christi non spectat. Adde calorem vt centum fortasse nulli creaturæ connaturalem esse, & non propterea esse supernaturalem illo modo. Has ergo qualitates præternaturales potiùs creaturis; quàm supernaturales censeo, vel saltem non esse de ratione earum, vt supernaturales sint, vt v.g. si Deus tribuerunt intellectui angelico speciem intelligibilem inferioris ordinis, & commensuratam illi, quæ est in homine; præternaturalis illi esset, non tamen simpliciter supernaturalis. Sic ergo philosophandum censeo in re hac, de qua agimus, talis enim est qualitas impressa ab igne, ac proinde ad perfectionem non spectat, sed potest esse spiritui disconueniens.

21 Soluitur prima obiectio.

Qualitas impressa ab igne in spiritibus est præternaturalis.

Vnde ad 2. & 3. obiectionem respondetur in primis, vt aliqua res seu qualitas disconueniens sit alteri, & habeat rationem mali, non esse necessarium, vt aliã rem vel qualitatem ab illa excludat, sed tantùm vt illi sit naturaliter improportionata, vt in Disp. 11. Metaph. latà tractatum est. Et exemplis declarari potest, quia nimius calor vltra octo gradus est disconueniens igni, etiamsi illum nulla qualitate priuet, & rebus monstrosis superflua multitudo membrorum, aut partium non naturalium est disconueniens, etiamsi alia re non priuet. Deinde dicitur, licèt disconueniẽtia vnius rei ad aliã regulariter nõ intelligatur, nisi in ordine ad debitã conseruationẽ, vel operationem, tamen etiã intelligi posse in ordine ad pulchritudinẽ, & conuenientem naturæ compositionem: maximè in ordine ad diuinam, omnipotentiam, quæ infinitis modis potest vel perficere, vel deformare creaturam suam, & affligere illam, quæ sensus vel cognitionis capax fuerit.

22 Satisfit 2. & 3. obiectioni.

Vt qualitas sit disconueniẽs sufficit, vt sit illi naturaliter improportionata.

Tandem potest hæc sententia specialem habere difficultatem in animabus Purgatorij, quibus non videtur posse imprimi qualitas aliqua, quæ illas deformes reddat, cùm sint pulcherrimæ per gratiam, & alia supernaturalia dona. Sed nihilominùs si verum est, illas torqueri ab igne, necesse est aliquid huiusmodi in eis fieri, vt rationes factæ, cum proportione applicatæ, probant. Et ita in reuelationibus apud Bedam, & alios, etiam animæ Purgatorij leguntur videri deformes: nec repugnat superiori modo esse perfectas, & adhuc manere in illis aliquid imperfectionis per inferiores qualitates seu impressiones. Quidam verò excogitant hanc qualitatem non aliter deformare, aut affligere, quàm repræsentando animæ peccata præterita, & creatum inde contractum, & omnes defectus, omnemque vitæ negligentiam, quæ fuit occasio moriendi in eo statu. Sed hoc mihi non probatur, tum quia illa repræsentatio non potest esse naturalis, sed hac placitum ex aliqua Dei impositione priùs reuelata ipsi animæ; tum etiam, qui tota illa repræsentatio non excedit pœnam vermis conscientiæ, & ideò superflua, & insufficiens est. Id ergo, quod imprimitur spiritui, quidquid illud sit, alteri modo, & nobis incognito illum malè afficit, deformat, ac contristat: illud autem esse non potest nisi qualitas aliqua, licèt modus eius ignoretur.

23 Beda.

SECTIO

## SECTIO III.

### *Quàm sit acerba hæc pœna ignis Purgatorij.*

1 Pœnã damni Purgatorij excedere quodlibet tẽporale malum. D. Tho. Palud. Richard. Sotus.

PROTEST præsens quæstio de pœna dãni,& de pœna sensus tractari.De priori certum est, esse grauissimã ex parte priuationis tanti boni, quæ licèt temporalis sit,maius malum meritò existimatur, quàm quodlibet tẽporale damnum vitæ præsentis,vt docuit D. Thom.4.d.21.q.1.art.1.q.3. quem sequuntur Palud.ibi q.1. art.1. conc.4. Rich.d.20.art.2.q.1. Soto d.13.art.3.concl.2.Qui etiã intendunt, tristitiã ortam ex illo malo apprehenso, esse maiorẽ quolibet dolore vel tristitia huius vitæ.Vnde cõcludunt,pœnã illam damni omnibus modis excedere omnes huius vitæ pœnas:censent enim, vt suprà notaui, hanc tristitiam ad pœnam damni pertinere,& ideò hunc dolorem cum priuatione coniungunt, vt illa sit omnibus modis maior pœna. Quia sæpe contingit priuationem maioris boni non inferre tantum dolorem, quantum minus damnum infert: flagellum enim sæpè causat maiorem dolorem quàm ensis, licèt non priuet æquali bono. Probatur autem hæc sententia: quia magnitudo tristitiæ oritur ex magnitudine boni amissi, seu mali præsentis, & ex vehementiori illius consideratione,& ex magna affectione ad illud: hæc autem omnia excellunt in pœna illa; talis enim est visio & beatitudo cœlestis, vt possessio illius vel per diem excedat omnia bona huius vitæ simul sumpta, & per diuturnum tempus possessa:tale est etiam bonum illud, vt si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etiamsi ad breue solum tempus concederetur:ergo è contrario retardatio tanti boni,& priuatio eius,licèt temporalis, maximum malum est,infinitè (vt sic dicam)excedens omnia huius vitæ nocumenta. Rursus animæ illæ sanctæ ponderant & expendunt optimè grauitatem illius mali, &, quòd grauissimè pungit, cognoscunt sua culpa & negligentia illud sustinere. Ac denique vehementer amant Deum, & cõsequenter eadem intensione appetunt illum videre:se etiam ordinatissima charitate deligunt, ergo necesse est vt vehementem tristitiam inde concipiant.

2 Obiect.contra assertionẽ positam. Cæsar. Arelat.

Dices,multa etiam sunt, quæ dolorem illum lenire possunt. Primò,certitudo gloriæ futuræ.Quæ spes non potest non afferre illis magnum gaudium,iuxtà illud Pauli, *Spe gaudentes, &c.* Vnde Cæsarius Arelatens. homilia octaua, sic obiicit, *Sed dicet aliquis, non ad me pertinet quandiu moram habeam, tantum vt ad vitam æternam perueniam.* Secundò,honestas & rectitudo voluntatis, per quam conformantur diuinæ iustitiæ, vnde fit illa pœna quodammodò voluntaria, & consequenter non admodùm affligens. Tertiò, ex diuina charitate non solùm tolerant, sed etiam gaudent tali pœna: quia vident esse medium ad satisfaciendum Deo,& ad obtinendam perfectam conscientiæ puritatem,ac dispositionem necessariam ad vidẽdum Deum. Confirmatur,quia Patres veteris Testamenti eãdem pœnam sustinẽtes quoad priuationem, seu dilationem beatitudinis, nihilominùs habebant spiritualem consolationem: nam de Lazaro dicitur Luc.16. *Hic autem consolatur.* Nec est verisimile habuisse tantam tristitiam, quantam in hoc seculo in multis occasionibus homines patiuntur. Imò Augustinus epist.99.ad Euod.& Gregorius.13.Moral.capit. 17. aliàs 22. significant illos fuisse, in requie, absque vlla pœna. Tandem hinc oritur difficultas suprà tacta:quia sequitur sanctiores animas Purgatorij,quanuis leuissimas culpas & reatus habeant, acerbiùs punIri quoad hanc pœnam, & tristitiam.Patet,quia priuantur maiori pondere gloriæ, ergo etiam inde magis tristantur: tum quia bonum, quod amittunt, est maius: tum etiam, quia perfectiorem habent charitatem,quę est radix huius doloris.Propter hęc igitur, sanctus Bonauentura in 4. dist. 20.art.1.q.2. non putat tristitiam animarum Purgatorij ex hoc solo capite dilationis beatitudinis esse magnam. Bonau.

Veruntamen negotium hoc considerari potest vel ex natura rei, vel vt subest ordini diuinæ iustitiæ. Et licèt vtroque modò tristitia hæc magna sit: tamen, si solùm naturalem actionem seu consequutionem spectemus, non est dubium, quin hic dolor possit aliis mediis & considerationibus propositis minui,vel leniri:imò etiam nõ semper esset vniformis ac necessarius omninò. Possent enim animæ illæ pro suo arbitrio considerationem auertere à malo dilationis, & vehementer illam applicare ad bonum spei, & inde magis consolari,& sic de cæteris.Nihilominùs tamen etiam hoc modo magis consentaneum est naturali propensioni,tum naturæ,tum etiam charitatis,vt illæ animæ ferantur in actualem considerationem præsentis status, quem habent, & illius quo carent sua culpa,& quòd ex illa dilatione vehementer affligantur. Et quanuis huic considerationi aliæ superueniãt, quæ consolationem generent, non minuunt priorem tristitiam, sed iuuant ad illam ferendam patienter, summa cum rectitudine.Nam hinc etiam prouenit vt pœna illa,secundùm se spectata, inuoluntaria sit,tamen in ordine ad iustitiam diuinam sit acceptata voluntariè: conformantur enim illæ animæ diuinæ voluntati in formali volito, non in materiali, & ideò etiam illa conformitas non excludit ingentem tristitiam, sed facit vt peccato & honestissimo affectu sustineatur. Cum hac tamen intrinseca propensione & quasi radice adiungenda est ratio, & prouidentia diuinæ iustitiæ, quæ facit ita ordinari & moueri hos affectus, sicut necesse est ad condignam seu proportionatam punitionem singularum animarum. Vnde in quibusdam excitabit maiorem apprehensionem afflictiuam,eamque(si necesse sit) perpetuam, & inuariabilem esse faciet: in aliis verò è contrario talem considerationem minuet,& aliunde excitabit aliam,quę magis consoletur. Et, si necesse fuerit, sicut in Christi anima simul fuerunt, & dolor summus in portione inferiori, & summum gaudium in superiori eiusdem voluntatis, ita suo modo, & in gradibus proportionatis, coniunguntur hi duo affectus in illis animabus,quãuis etiam sine miraculo existimo idẽ fieri posse:quia nõ oportet vt vterque actus intensissimus sit.

Hinc etiam existimo tristitiam illam, vt est pœna per se imposita ad purgationem culparum,magis esse de gradibus beatitudinis perpetuò amissis seu nõ lucratis propter otiũ,& venialia peccata, quàm propter solam dilationem beatitudinis aliquando cõsequẽdę. Et hoc modo grauiùs tristabũtur animæ imperfectiores,vel quæ maioré reatum habẽt. Quod si fortasse ex alio capite iustiores animæ interdũ magis tristantur, id non est inconueniens,vel quia est per accidens,vel quia hoc ipsum illas iuuabit vt citiùs inde liberentur. Et ita facilè soluuntur difficultates tactæ. De animabus verò sanctorum Patrũ in limbo,dictum sufficienter est in secũdo tomo,disputatione quadragesimasecunda,sectione prima,vbi ostendimus illas etiã aliquã tristitiam ex tanta dilatione sensisse; illa verò minor sine dubio erat quàm sit in animabus Purgatorij:tum quia nõ detinebantur illæ animæ ob proprium & personalem reatum,sed erant quasi incapaces ex generali statu & conditione totius naturæ: tũ etiam quia credendum est ex diuina prouidẽtia habuisse plura media ad leniendam, vel diuertendam illam tristitiam.

## *De acerbitate pœnæ sensus in animabus Purgatorij.*

5 Quorũdam opinio.

SVPEREST dicendum de pœna sensus: de qua nonnulli Theologi volunt non esse grauiorem pœnam, quàm sit ea, quæ ex igne causatur in anima corpori coniuncta, dum corpus comburitur: quia putant eundem omninò dolorem resultare ex illo igne in anima separata. Et hoc planè sequitur ex opinione Soti suprà relata. Nihilominùs communis sententia est, illam pœnam esse acerbiorem omni pœna huius vitæ. Ita Diuus Thomas, Bonauentura, Paludan. Richard. citatis locis. Idem sentit Augustinus libro secundo contra Manichæum, capite vigesimoquarto, & libro quinquaginta homiliarum in 16. latiùs libro de Cur. pro mort. agend. capite decimooctauo, vbi de igne Purgatorij loquens, ait, *Et si æternus non sit* (vtique quoad punitionem) *miro tamen modo grauis est, excedit́q; omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est.* Vnde in id Psalm. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me*, ait, damnatos argui in furore Dei, iustos verò in Purgatorio corrigi in ira Dei: quia purgantur igne, qui grauior est omni pœna huius vitæ. Idem Gregorius exponens verba eiusdem Psalmi trigesimiseptimi, qui est tertius pœnitẽtiæ, Beda ibidem, & lib. tertio Historiæ Anglic. capite decimonono, & libro nono, capite decimotertio, & Bernard. sermone de obitu Humberti. Anselm. 1. Corinth. 3. *Sciendum enim est* (inquit) *quòd grauior est ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* Et in Elucidar. loquens de Purgatorij pœnis, ait, *De quibus minimum maius est, quàm maximũ quod in hac vita excogitari potest.* Idem habetur nomine Augustini lib. de vera & fals. pœn. Facit etiam illud Hilarij Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c. Ille nobis est indefessus ignis adeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia, quæ nos purgationem vocamus.* Denique Cæsarius dicta homil. octaua post verba suprà citata *Nemo*, inquit, *hoc dicat, fratres charissimi: quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc seculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari.* In epist. etiam 206. inter epistolas Augustini, quæ tribuitur Cyrillo Hierosolym. estque de miraculis D. Hieronymi, refertur, pœnam sensus Purgatorij esse æquè grauem, ac inferni, solumque in duratione differre. Idem latè Carthusianus lib. de Iudic. animarum, capite decimoquarto, & sequentibus. Ratio à priori sumenda est ex ordinatione diuinæ iustitiæ, & ex grauitate offensionis eius, etiam minimæ, quæ altioris rationis est, quàm omne malum creaturæ, & ideò, licèt non semper æternam mereatur, meretur tamen pœnam grauiorem, & quasi altioris rationis, quam Deus in vita futura cum rigore exigit: quia homo in hac vita, tempore sibi concesso vsus non est ad benigniorem compensationem faciendam. Quòd autẽ anima capax sit huiusmodi pœnæ, suppositis, quæ diximus in præcedenti sectione, facilè intelligi potest: quia malum spirituale, quod est obiectum illius tristitiæ, est grauius malum, quàm sensibile obiectum doloris, & fortiùs apprehenditur ab anima separata, quæ etiam expeditior est ad operandum, affectiones etiã spirituales tam gaudij, quàm tristitiæ, ex se sunt vehementiores, Deus etiam facilè potest necessitate quadam ad tantum dolorem mouere: ergo.

Vera sententia. D. Thomas. Bonau. Palud. Richard. Augustin. Gregor. Beda. Bernard. Anselm. Augustin. Hilar. Cæsar. Cyrill. Hieros. Carthus. Ratio conclusionis.

6 Bonauenturæ limitatio.

At verò D. Bonauent. in 4. distinct. 20. articul. 1. q. 2. assertionem hanc limitat, dicens, licèt ex suo genere illa pœna grauior sit omni pœna sensibili huius vitæ, ita vt maximam ad maximam comparando, illa excedat, non tamen in indiuiduo: quia magna pœna huius vitæ potest excedere minimã aliquam purgatorij pœnam. Et morali ratione videtur hoc verisimile, quia si anima Purgatorij solùm habeat vnum veniale peccatũ leue, nõ videtur mereri propter illud summos huius vitæ cruciatus, & tamen meretur aliquam pœnam Purgatorij: ergo non omnis illa ita est acerba, vt superet omnes huius vitæ. Quod à fortiori sequitur, si veræ sunt reuelationes suprà relatæ, quòd animæ aliquæ purgantur sine vlla pœna ignis, ergo à fortiori purgabuntur aliquæ leuissima pœna. Aliqui tamen Patres citati generaliùs loqui videntur, etiam comparando minimã pœnam Purgatorij ad maximã huius vitæ. Et specialiter expressè id affirmatur in illa epist. Cyrillo Hierosol. attributa, & refertur ibi de hac re quædam reuelatio.

7 Sitne minima pœna Purgatorij maior omnibus huius vitæ.

Breuiter assero rem esse incertam, quia comparatio propriè fit inter homogenea, seu similia: hæ autem pœnæ sunt diuersarum rationum. Vnde, si loquamur de grauitate essentiali seu specifica, excedit Purgatorij pœna etiã minima, quia est alterius speciei seu ordinis in genere mali & doloris: si verò comparentur in accidentibus, sic non repugnat, multa esse in aliquibus pœnis huius vitæ, quæ non sint tam grauia in aliquibus pœnis Purgatorij: vt v.g. potest pœna aliqua huius vitæ excedere in duratione, in gradibus intensionis, in multitudine pœnarum seu dolorum. An verò hic excessus possit esse tantus, vt in æstimatione morali æquet, vel etiam superet aliam grauitatem, ita vt in genere vindictæ cẽseatur maius supplicium, incertum est: non videtur autem inconueniens, nec à ratione alienum ita iudicare: quanuis mihi verisimile sit, quamcunque animam in Purgatorio existentem optare potiùs sustinuisse quascunque huius vitæ pœnas, quàm in illis quibuscunque, & qualicunque tempore detineri, saltem propter detentionem gloriæ, de qua grauissimè dolent. Vnde posset hoc loco comparari pœna damni cum pœna sensus, quæ maior sit. Sed ea res latiùs tractatur de inferni pœnis, & videri potest Chrysost. hom. 24. in Matthæum, & 35. ac 47. ad populum, & libr. 1. de Compunct. cord. ad finem, & Paræn. 1. ad Theodorum lapsum. Qui elegãter exaggerat pœnam damni, eamque semper præfert pœnæ sensus. Quòd si hoc verum est in inferno, vbi nullus est ordo, verisimiliùs erit in Purgatorio, cùm rectæ rationis ordo ibi seruetur, & secundùm rectam rationem maius malum æstimari debeat carentia diuinæ præsentiæ, quàm quælibet sensibilis afflictio.

Chrysost.

## *Num pœna Purgatorij per dæmones, tanquàm per ministros, infligatur.*

8

VLTIMO dubitari hoc loco solet, an pertineat ad supplicium hoc Purgatorij, vt per dæmones, tanquàm per ministros, diuinæ iustitiæ, pœna illa infligatur. Nam si hoc ita est, id pertinebit ad huius pœnæ grauitatem: nam ipsa visio dæmonum grauissima pœna est, vt dicitur in illa epistola Cyrillo attributa. Quòd autem dæmones ministri sint huius pœnæ, ex multis reuelationibus colligitur. Nam in vita D. Bernardi lib. 1. cap. 10. refertur, religiosum quendam post mortem sancto Bernardo apparuisse, qui quatuor dilaceratis se traditum esse querebatur, à quibus affligebatur, qui posteà eiusdẽ Sancti precibus liberatus est. Idem sumi potest ex Beda lib. 3. de Histor. Anglic. cap. decimonono, Carthus. de Iudi. partic. Congruentia etiam afferri potest, quia dæmones sunt ministri diuinæ iustitiæ in vindicandis peccatis post hanc vitam: ipsi etiã in diuino iudicio vnumquemq; accusant, etiã iustũ, de quocunque vel leui lapsu, aut reatu: ergo illis etiam vt ministris committitur eorum supplicium.

Pars affirmans. Ex vita Bernardi. Beda. Carthus.

Contrariam

Contrariam nihilominùs sententiam docent communiter Theologi in quarto, distinctione vigesima, & vigesimaprima, vbi Diuus Thomas, Richardus, Bonauentura, Paludan. Soto distinctione decimanona, & alij, qui solùm videntur niti coniectura, quòd non deceat animas iustas & sanctas, quæ iam peccare non possunt, dæmonésque vsque ad vltimum conflictum vicerunt eis iterum tradi, vt ab eis torqueantur. Aliunde etiam videtur credibile, dæmones, quòd in ipsis est, non affligere illas animas, quia non sperant illas ad peccandum posse prouocare, qua spe mouentur ad vexandum viatores, quantumuis perfectos; & aliunde vident vexationem suam potius profuturam, vt illæ animæ citiùs ab illis tormentis liberentur. Et ideò, quantùm coniectura assequi possumus, nisi dæmones à Deo cogantur, volũtate sua non assument hoc ministerium; nulla autem necessitas appareret ob quam à Deo cogantur: nec etiam videtur expediens, cùm ipsi dæmones non nisi praua voluntate & odio sint tale ministerium effecturi.

9 Pars negans communis. D Thom. Richard. Bonau. Paludan. Soto.

In hac re tam in inferno, quàm in Purgatorio difficile est explicare, quomodo dæmones sint ministri vel instrumenta ad torquendas animas per ignẽ, quia in hoc nec actionem physicam per se efficere possunt: quia ipsi non concurrunt cum igne, sed solus Deus vt per se notum est: nec etiam per accidens concurrunt, quia nec applicant ignem, ne aliquid aliud operantur, quod ad illam ignis actionem aliquo modo conferat. Solùm ergo videntur posse concurrere, aut deferẽdo animas ad illa loca pœnarum, aut illas violenter detinendo, aut ibi aspectu suo, & conuitiis, & aliis actionibus similibus, mentalibus potiùs, quàm externis, illas affligendo. Primus modus possibile est, etiã circa animas Purgatorij, communiter tamen non creditur necessarius, quia animæ illæ agnita Dei voluntate, sponte illic tendunt, & honoris, ac consolationis causa potiùs creduntur Angeli custodes eas comitari, quàm impugnatores. Vnde multò minùs indigent in eo loco violenta detentione, quare ad pœnam ignis nullo modo existimo concurrere, aut ministerium aliquod conferre Angelos malos. Reliquę autẽ actiones dæmonum non sunt consentaneæ statui animarũ iustarum; nec credo fieri posse ex imperio Dei, sed solùm ex permissione: & ideò verisimiliorem censeo sententiam Theologorum, quòd dæmones nullo modo torqueant illas animas, quia neque hoc eis imperatur, neque ex sola permissione facient, ne illis occasionem alicuius boni, vel celerioris liberationis afferant. An verò illæ animæ videant clarè deformitatem dæmonum, incertum est: tamen, etsi videant, non videntur inde torqueri, sed potiùs gratias agere Deo, quòd se ab eo statu liberauit: nec de malo illorũ compatientur, quia illos vident iam esse omnino extra statum salutis. Si autem percipiunt blasphemias dãnatorum contra Deum, non parum inde torquentur.

10 Quomodo dæmones possint esse ministri ad torquendas animas.

## SECTIO IV.

### *Quàm sit diuturna Purgatorij pœna.*

1 Pœnã Purgatorij esse tẽporalem.

IN hac re aliqua in generali possumus statuere, quæ reuelata sunt, vel ex reuelatis apertè colliguntur, propriũ tamen præcisum tempus illarum pœnarũ præfigere, impossibile est in particulari, quia nõ est reuelatũ. Primò ergo certũ est, pœnã illã non fore æternam, sed temporalẽ. Hoc satis patet ex Disputatione prima, sectione prima. Nã hæc est veluti differentia essentialis inter infernũ, & Purgatoriũ, & in hoc sensu credit Ecclesia Purgatorium esse: sicque dixit Paulus, *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. 3.

Vnde optima est illa disiunctio Augustini libro secundo de Genes. contra Manichæum, vbi de eo, qui reatum aliquem retinet peccatorum, *vel ignem* (inquit) *sentiet purgatorium, vel pœnam æternam.* Augustin.

Secundò certum est, pœnas purgatorias non esse duraturas vltra diem Iudicij. Quod his verbis docuit Augustin. 21. de Ciuitate, capite decimosexto, *Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur* (scilicet homo fidelis) *nisi ante illud vltimum, tremendúmque Iudicium.* Et sumitur ex sententia finali Matthæi 25. per quam proponuntur iudicandi omnes, qui propria opera habere potuerunt (nam de infantibus ibi mentio nõ est) illi autem omnes, vel in beatitudinem recipiuntur, vel in gehennam relegantur, iam ergo tunc non est Purgatorius locus, sed supponuntur purgati omnes, qui saluandi sunt. Priùs enim antecedit iudiciũ particulare erga omnes, & concedetur tempus sufficiens, & pœna ita augebitur, vt quidquid reliduũ fuerit, intra illud possit perfectè purgari, & ad gloriosam Resurrectionem præparari. Vnde confirmatur, quia ante Iudicium, omnes tam saluandi, quàm damnandi resurgent, & omnes saluandi resurgent in gloria, impassibiles, & immortales, iuxta illud 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Quem locum tractãs Orig. hom. 14. in Lucã, ait, piaculũ esse maximũ cogitare, corpus resurgens esse sordidum, vel pollutũ, aut purgatione indigens. Vnde quod paulò inferiùs in eadẽ homil. habetur, post resurrectionẽ ex mortuis indigere nos sacramẽto eluente, atq; purgãte, quia nemo absque sordibus resurget, vel suppositititium est, vel mendosum: nam fortasse dicendum esset, ante resurrectionem indigere nos purgatione, quoniam aliàs nemo purus omninò resurgeret. Et cũ hac lectione quadrat ratio, quæ ibidem subiungitur, scilicet, quia nulla inuenitur anima, quę statim vniuersis vitiis careat, videlicet, sine Sacramento Baptismi, vel aliis remediis.

2 Pœnas Purgatorij non duraturas vltra diem Iudicij. August. Mat. 25. 1. Cor. 15. Origen.

Dicetur fortasse repugnare, integram purgationem fieri in sola anima ante resurrectionem corporis. At hoc dici non potest, aliàs nullæ animæ indigẽtes purgatione viderent Deum ante generalem resurrectionem, vel vident illum ante perfectam purgationem, quę posteà perficietur in corporibus reassumptio: quorum vtrumque absurdissimum, & erroneum est. Non ergo repugnat perfectam satispassionem in animabus fieri, quia licèt corpus fuerit organum animæ ad peccandum: tamen quia ipsa anima est principalis causa, in cuius voluntate vera ac formalis ratio peccati existit, in illa poterit fieri sufficiens vindicta, pro illo reatu temporali, qui ex peccato iam remisso in ea manet. Nam quidquid doloris & tristitiæ patitur homo in corpore, dum in eo castigatur, vel flagellatur, in anima est principaliter, ideóque fieri optimè potest, vt per grauiorem dolorem solius animæ compensetur: secluso autem sensu doloris & tristitiæ, satis pœnæ patitur homo in corpore, tam in ipsa morte, quàm in corruptione, vel incineratione post mortem. Itaque esse possunt animæ perfectę purgatæ ante resurrectionem, pertinetque ad diuinam prouidentiam vt ita fiat: nã facilè fieri potest, & expedit, quia dies Iudicij est veluti vltimus terminus totius viæ, & cõsummatio prędestinatorũ omniũ.

3 Rectè posse solã animã luere pœnã pro culpa, quam etiam corpus commisit.

Tertiò certum est durationem pœnarum Purgatorij non esse æqualem in omnibus animabus, quæ ibi purgantur. Ita docent omnes Scholastici suprà, cum Augustino libro de 8. quæstionibus ad Dulcitium, quæst. 1. in fin. & lib. 50. homil. in 16. Ratio est, quia non omnes animæ decedunt cum æquali reatu peccatorum remissorum; ergo nec pœna illorum erit æqualis, sed *quantò magis, minúsve transeuntia dilexerunt,*

4 Durationẽ pœnarũ Purgatorij non esse æqualẽ in omnibus animabus. Augustin.

*runt, tantò breuiùs tardiúsve saluabuntur : nam quanta*
Augustin. *fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora*, vt Aug.
Obiectio. dixit. Dices; Poterit esse hæc inæqualitas in intensione pœnarum cum æqualitate in duratione, hoc enim
Beda. non repugnat iustitiæ : & Beda lib. 5. Hist. Angl. c. 13. refert animas omnes purgandas vsque ad diem iudicij in Purgatorio detineri ex ordinaria lege, nisi propter Ecclesiæ intercessionem aliquæ citiùs liberentur: est ergo in hoc quædam æqualitas. Sicut in inferno est, æqualitas in duratione pœnarum, & nihilominùs est inæqualitas secundùm mensuram iustitiæ commutatiuæ, vt rectè notauit Aug. 21. de Ciuit. c. 16.
Solutio. Respondetur, de potentia absoluta hoc non repugnare ; nulla enim apparet implicatio contradictionis; tamẽ de facto non ita fieri. Quod patet primò ex sensu Ecclesiæ: credit enim animas Purgatorij ad beatitudinẽ successiuè trãsire, prout in eis reatus maior vel minor, pleniùs, vel tardiùs expiatur. Nec refert dicere hoc fieri per satisfactiones Ecclesiæ: nam in his etiam satisfactionibus est compensatio secũdùm quandam æqualitatem, solúmque sufficiunt ad aliquam temporalem pœnã soluẽdam, ergo eadẽ ratione per ipsam pœnã potest fieri liberatio intra aliquod breue tempus. Et propterea non est conueniens, neque decens diuinam iustitiam, vt animas sanctissimas propter leuissimam culpam, vel reatum, tempore nimiùm diuturno extra beatitudinẽ detineat. Accedit, quòd ablata auersione à Deo per gratiam, tollitur æternitas pœnæ, qua sublata, duratio pœnæ, quæ manet, sumi debet cum aliqua proportione ad culpam, sicut sumitur etiam intensio. Et ideò non est simile de damnatis, quia illi æquales quodammodò sunt in substantiali (vt sic dicam) auersione à Deo, & ideò etiã in æternitate pœnæ æquales sunt: animæ verò Purgatorij, licèt conueniant etiam in conuersione ad Deum; ratione cuius omnium illarum pœna temporalis est; tamen in ratione seu fundamento pœnæ non sunt æquales, & ideò nec in duratione pœnæ esse debent.

5 Non purgari singulas animas vsque ad Iudicij diem.

Quocirca incredibile est (vt suprà dicebam) pœnas Purgatorij in omnibus durare vsque ad Iudicij diem regulariter, seclusis suffragiis Ecclesiæ, tum propter dicta, tum etiam quia illa esset quædam inæqualitas, vt si sanctus vir cum leuissimo reatu multò anteà moritur. Item, quia etiam ante Christi aduentum erat transitus à Purgatorio ad Sinum Abrahę, aliàs illas solas animas ibi Christus inuenisset, quæ ex hac vita sine vllo reatu temporalis pœnæ migrarunt, quod per se incredibile est : ergo multò magis erit nunc transitus in paradisum, etiam per iustam solutionem pœnarum. Vnde, si quæ sunt reuelationes, quæ aliud indicent, vel exponendæ sunt de toto Purgatorio, & non de singulis personis : vel si hanc expositionem non
Rupertus exponitur. patiantur, admittendæ non sunt. Similiter est piè exponendus Repert. lib. 3. in Genes. capite trigesimo secundo; vbi significat ante Christi aduentum nemini fuisse peruium purgatorium ignem : vel enim intelligit non fuisse peruium vsque ad beatitudinem : vel certè loquitur in generali de igne afflictionis, & alicuius pœnæ, saltem per detentionem in aliquo loco inferni.

## *Possitne assignari terminus maximus vltra quem duratio pœnæ Purgatorij non transcendat.*

6

His ergo existentibus certis, incertum manet, quanto tempore vnaquæque anima purgetur, vel an possit aliquis terminus maximus assignari, vltra
Soti opinio. quem non transcẽdit illa duratio in aliqua vel aliquibus Purgatorij animabus. In qua re Soto 4. d. 19. q. 3. art. 2. in fi. quibusdam coniecturis iudicat, neminem vltra decennium in Purgatorio detinere. Quia potuit Deus ita in constituere grauitatem intensiuã illarum pœnarum, vt intra illud tempus possint delere omnem maculam ex peccatis relictam, ergo non est verisimile voluisse Deum diutius detinere amicos suos. Secũdò, quia per leues & temporales satisfactiones breuiores huius vitæ compensantur similes reatus, præsertim ex solis venialibus peccatis relicti. Tertiò, quia iuuant Ecclesiæ suffragia. Alij graui censura notant hanc sententiam. Primò, quia variis reuelationibus constat animas iustorum diutius in Purgatorio detineri. Secundò, quia vsus Ecclesiæ videtur id supponere, tum in suffragiis pro defunctis particularibus, qui ante plures annos decesserunt, tum in forma & modo concedendi indulgentias plurium annorum. Tertiò, quia illa annorum mensura nullo fundamento nititur, nec coniecturæ illæ magis probant de decem, quàm de quinque, vel de viginti, aut triginta annis. Atque hæc vltima ratio vrgentior est cæteris, non vt directè probet iudicium illud Soti esse erroneum, vel dignum aliqua censura, sed esse incertum ac voluntarium. Quod ego verum censeo, quanuis nec facilè credendas censeam reuelationes, quæ de diuturnitate harum pœnarum circunferuntur: præsertim si generaliter fiunt de illis animabus, & non de vna, vel aliqua in particulari, in quibus faciliùs credi potest aliquando contingere, vt pœnæ multò maiori tempore durent, quàm homines interdum cogitant. Quod satis est, vt suffragia post multos etiã annos fiant pro quibuscunque animabus, quia iudicia Dei occulta sunt. Quanuis fortasse hæc consuetudo Ecclesię non in hoc solùm fundatur, sed in pietate eorum, qui talia suffragia fieri præceperunt, non solùm propter suam vtilitatem, sed etiam vt aliis prodessent, quãdo ipsi non indigerent. Nec de hac re ampliùs nobis reuelatũ est, aut ex reuelatis colligi potest.
Impugnatur.
Resolutio.

## *Num pœna Purgatorij paulatim per remissionem minuatur, vel semper eadem intensiuè duret.*

Quæret verò aliquis, an hæc pœna Purgatorij paulatim minuatur, ita vt quasi per continuam remissionem desinat, vel potiùs quoad intensiuam grauitatem eadem perseueret, donec tota simul finiatur. Illum enim priorem modum suadet reuelatio, quam D. Bernard. refert in vita Malachiæ §. *Mortua est interim soror eius, &c.* Quæ illi post mortem apparuit sæpiùs, talia ostendens signa, & habitum doloris, vt planè significaret per sancti fratris suffragia in dies sibi pœnas fuisse remissas, donec omninò cessarunt. Similesque leguntur reuelationes in Beda, & Carthus. Dialog. de iudic. partic. vbi ar. 31. hanc rem tractat. In contrarium autem esse videtur, quia res ad eundem modum destruitur, quo generatur: illa autem pœna non incœpit paulatim per intensionem, sed simul in summo gradu incœpit: ergo in illo integra durat, donec tota etiam simul auferatur. Dicetur fortasse, in principio fuisse simul totum reatum, & ideò maximam etiam pœnam à principio incœpisse, posteà verò in dies minui reatum, & ideò in dies etiam remitti pœnam. Sed contrà, quia in principio reatus fuit tantæ pœnæ tanto tempore sustinẽdæ, in dies ergo minuitur reatus quoad debitum durationis pœnæ, non verò quoad debitam intensionem eius. Nec simul potest eadem pœna sufficere ad remittẽdum sub vtraque ratione reatum futuræ pœnæ, qui enim damnatus est ad triremes per decenniũ, non minùs laborat, & flagellatur, &c. in vltimo anno, quàm in præcedentibus, ita ergo erit in præsenti. Vnde

7 Ratio dubitandi pro vtraque parte.
Bernard.
Beda. Carthus.
Obiectio.
Soluitur.

de per suffragia & indulgẽtias diminuitur pœna purgatorij quoad durationem, non verò quoad intensionem, seu grauitatem pœnæ.

8 Resolutio quoad pœnã damni.

Potest interrogatio hæc, vel de pœna damni, id est, de tristitia ex dilatione gloriæ, vel de pœna ignis fieri. Prior videtur ea ratione semper diminui, quòd semper obiectum talis tristitiæ minus fieri videtur, semper enim dilatio est minor, & è conuerso beatitudo quodammodò magis ac magis semper appropinquat quod non potest non afferre aliquam cõsolationem. Vnde, quia suffragiis tempus illius dilationis maximè minuitur, ideò consolationem magnam afferunt illis animabus, quãdo de illis, & de effectu certiores fiunt: quod potuit per illas reuelationes indicari, quæ sufficienter hoc modo intelliguntur. Quanquàm, si consideremus pœnam damni in alio sensu suprà declarato, pro dolore de aliquo incremento gloriæ in perpetuum amisso, necesse non est talem dolorem durante Purgatorio remitti, aut minorem fieri quoad intẽsionem seu grauitatem. Quod etiam probabilius mihi videtur de pœna sensus, præsertim si per se spectetur ille status, & secluſa extrinseca remissione per Ecclesiæ suffragia. Nam ratio facta est vrgens, cùm nulla possit causa talis diminutionis, aut remissionis continuò assignari, cùm tota illa pœna secundùm totam durationem æquè respondeat tali peccato, illudque æquè sit tota illa dignũ. Solùm potest quis cogitare, diuersis peccatis diuersas pœnas Purgatorij respondere, vel diuersos gradus eiusdem pœnæ ignis, & pœnam vni peccato debitam finiri interdum priùs alia, sicque remitti aliquãdo intẽsionem pœnæ. Sed neque hic modus est necessarius, probabilius enim apparet, considerata multitudine peccatorũ, quæ homo commisit, & satisfactione imperfecta, quam exhibuit, relinqui talem reatum, eique tantam pœnam tanti temporis respondere, eámque durare in eadem intensione pro toto tempore quo durat. Per suffragia verò Ecclesiæ fortasse interdũ fit, vt pœna illa remittatur quoad intentionem: probabilius verò apparet remissionem semper fieri per diminutionem tẽporis illius pœnæ, quod & ipsis animabus vtilius est.

Quid de pœna sensus.

9 Quorũdam sententia improbatur.

Quamobrem mihi non admodùm probatur sententia eorum, qui asserunt, animas priùs puniri in quodam loco, vbi ignis acriùs & intensiùs vrit; deinde transire ad alium, vbi mitiùs puniuntur; posteà ad alium amœnum, vbi detinentur sine pœna sensus, vt ita tandem ad beatitudinem perueniãt, non transeundo immediatè ab extremo ad extremum, sed per hæc media. Quod etiam indicatum est in quibusdam reuelationibus, quas commemorat Dionys. Carthusian. Dialog. de Iudic. part. art. 30. & 31. Sed hæ reuelationes, nisi metaphoram aliquam contineant, mihi non faciunt fidem, vt suprà in simili dixi, quare ex his, quæ suprà indicaui de variis locis Purgatorij in præsenti etiam iudicium ferendum est. Finita enim pœna sensus, purgatio finita est, & anima est apta & expedita ad videndum Deum, quapropter non amplius detinetur: quia, vt suprà ostendi, nunquàm pœna damni æterna, vel temporalis, propter peccata actualia separatur à pœna sensus, quia reatus manẽs nõ est maior seu diuturnior respectu vnius, quàm alterius: neque oppositũ potest probabili ratione suaderi: maximè si verum est, reatũ pœnæ temporalis nõ magis relinqui propter conuersionem, quàm propter auersionem. Quapropter credibile non est, animas Purgatorio trãsire ad locum amœnũ, priusquàm cœlũ ingrediãtur: multoq; absurdius est cogitare (quod eodem loco Carthus. indicat) transire priùs ad paradisum terrestrem, ibique detineri, quàm ad Dei visionem admittantur. Quia, si plenè purgatæ non sunt, non possunt ad illum paradisum transire; si verò iam

Carthus.

A sunt purgatæ, statim Deum videre incipiunt, prout est dogma fidei. Sed obiici solent Patres dicentes, interdum iustorum animas reuocari ad locum, quẽ in Adam perdiderunt. Respondetur facilè, Patres illos non loqui de materiali loco, in quo Adam peccauit; alias animæ sanctissimæ, etiam beatæ Virginis, illuc priùs essent deferendæ, quod est absurdum, & sine vllo fundamento, vel vtilitate: intelligunt ergo de præcipuo paradiso, quẽ in Adam perdidimus, quemque per secundum, & gratiam eius recuperamus. Igitur sanctæ illæ animæ immediatè transeunt à loco Purgatorij ad beatitudinis locum. Quod non est transire ab extremo immediatè, quia Purgatorium ipsum, medium est inter hanc vitam & beatitudinem, & propinquias eius ad statum beatitudinis non attenditur in pœnis, sed in spirituali sãctitate, & puritate talium

B animarum. An verò in ipso Purgatorio sit vicissitudo pœnarum & aliqua remissio, incertũ est, & quod dixi probabilius apparet.

Exponuntur Patres qui contrarium sentire videntur. Vide in tom. 2. disp. 44. sect. 3. in fin.

## *Possintne purgatorij animæ ante finitam purgationem, ad tempus inde exire.*

10

SOLET verò tandem à Theologis quæri, an illæ animæ ita sint addictæ toto illo tempore illi loco, vt egredi non possint, etiamsi velint; ita vt continuus ille carcer sit veluti pars grauitatis talis pœnæ. Respondeo, communem legem hanc esse, vt sumitur ex Tertulliano de Anima, capite quinquagesimo septimo, circa finem, Chrysostomo homilia vigesima nona in Matthæum, Athanasio quæstione vndecima ad Antioch. Augustino lib. de Cur. pro mort. agend.

C cap. 11. 12. 15. 16. Theophyl. Matth. 8. Quidam pro ratione reddunt, quòd anima separata non potest suo arbitrio moueri localiter, nec etiam virtute motiua Angelorum, vel dæmonum, & ideò soli Deo reseruata est talis motio. Sed hæc ratio falsum sumit: nam anima reuerà potest moueri virtute sua, etiam separata à corpore, non minùs quàm Angelus, nisi à Deo impediatur. Potest etiam à dæmone virtute naturali moueri, si permitteretur, quanquàm de facto non possit, quia non potest dæmon diuinæ iustitiæ aut ordinationi resistere efficaciter. Propter quam causam nõ possunt dæmones animas mortuorum ad hunc modum reuocare, vt latè Tertull. suprà,

D & in Apologet. c. 23. & Lactan. lib. 12. c. 17. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 16. qui dicunt apparẽter id facere dæmones ad decipiẽdos homines, pertinétque ad quandam speciem Magiæ: tamen reuerà nihil posse: quia, si sunt animæ sanctæ, non habent in illas potestatem, si verò sint damnatæ, non possunt illas educere è carcere, in quem Deus illas deturbauit, ibique permanere voluit, vel semper, vel tali tempore.

Resolutio. Tertull. Pamel. Chrysostom. Athan. August. Theophyl.

Quorũdam ratio. Reiicitur.

Tertul. Lactant. August.

11 Germana ratio.

Ratio ergo reducenda est in legem diuinæ iustitiæ, quæ ibi animas detinet, damnatas quidem violenter & coactè, in Purgatorio verò voluntariè: cognoscunt enim iustam Dei voluntatem, & illi se submittunt. Hæc autem lex indispensabilis non est, & ideò Aug. suprà probabile credit, sæpe fieri veras apparitiones talium animarum ex dispẽsatione diuina.

E Loquitúrque Aug. in communi de animabus defunctorum, nec dissentit Tertul. suprà, vt Pamel. ibi notat. Adducítque Aug. in exemplum animam Moysis, & Eliæ, de quibus alibi dictũ est; illæ verò tunc erant in Limbo: idémque dici potest de anima Samuelis 1. Reg. 28. & Eccles. 46. item de animabus Oniæ, & Hierem. 2. Machab. 17. De animabus verò beatis varia exempla referuntur in 7. Synod. act. 4. & à Theodoreto lib. 5. Hist. c. 24. Niceph. libr. 12. cap. 39. Idem ergo est verisimile ex dispensatione diuina aliquando accidere animabus Purgatorij: quod etiam suadent nõnulla exempla, quæ suprà ex Greg. 4. Dialog. Beda,

August. Animas aliquãdo è Purgatorio exire. Tertul. Pamel. Theodor. Niceph.

Gregor. Beda.

& aliis attigimus. Quanquàm enim verum sit, ordinariè illas apparitiones esse animarum, quæ ex dispensatione diuina dicuntur purgari in aliquo huius mundi loco, tamen sicut hoc dispensatoriè fit, ita nihil vetat & illud fieri, licèt oppositum censeat Auctor illarum quæstionum ad Anthioch. quæ tribuuntur Athanas. in 3. sine sufficienti fundamento. Solùm est aduertendum, quando hæc dispensatio fit, pœnam non interrumpi, vt in eisdem visionibus ostensum est; & ratio postulat, quia talis intermissio earum potiùs pœnam augeret, tempus beatitudinis ampliùs differendo, neque est necessaria, quia ignis ille sicut in hoc aëre cruciat dæmones, ita etiam illas animas torquere ac continuè purgare potest.

## DISPVTATIO XLVII.

### *De statu gratiæ animarum Purgatorij.*

HACTENVS ea exposuimus, quæ ad pœnalitates Purgatorij spectant, quia in hunc finem primariò est hic locus institutus: pertinere autem videtur ad huius tractatus complementum, vt statum gratiæ; & rationem viuendi seu operandi illarum animarum declaremus, quia hoc & per se dignum scitu est, & ad meliùs comprehendendas illas pœnas cõferet. Dicemus ergo priùs de statu gratiæ, quem habent, deinde de operibus seu cognitione, bonis actibus, & fructibus eorum: vnde etiam constabit, sintne illæ animæ omninò extra viam, vel adhuc in illa versentur.

## SECTIO I.

### *Vtrùm omnes animæ Purgatorij ita careant omni culpa, vt tamen non careant aliquo pœnæ reatu.*

1 Varij errores referuntur.

PRINCIPIO hîc referri possunt varij errores eorum, qui dixerunt per ignẽ purgari etiam eos, qui in mortali peccato post hanc vitã inueniuntur. Quod de omnibus tã dæmonibus, quã prauis hominibus sensisse Originẽ refert Epiph. epist. de illis erroribus ad Ioannẽ Episcopum Hierosol. & Hieron. epist. 61. ad Pammach. & Aug. 21. de Ciui. c. 13. & seq. Alij non quidẽ de dæmonibus, sed de omnibus prauis hominibus id dixerũt. Alij non de omnibus hominibus, sed de omnibus baptizatis, etiamsi posteà in infidelitate seu hæresi moriantur. Alij de his tantùm hominibus, qui cũ fide Christi etiam mortua decedũt. Alij nec de his omnibus, sed de his, qui cum fide habuerũt opera misericordiæ, etiãsi alia habuerint peccata mortalia, in quibus mortui fuerunt. Hanc enim totã varietatẽ refert Aug. dict. lib. 21. de ciuit. c. 17. 18. vsq. ad 25. & in Enchirid. c. 75. & 76. Facitque nobis negotium D. Hiero. Dial. 1. contra Pelag. col. 18. nam significare videtur omnes regeneratos in Christo, & in fide eius morientes tandem esse purgandos. Vbi Marianus Victor sine alia declaratione idem affirmat. Eadem sententia reperiri videtur in Hieronymo ferè in vltimis verbis Comment. in Isai. & in id Amos 7. *Ecce vocabis iudicium ad ignem.* Insinuatur etiam in commentariis attributis Ambrosio 1. Corinth. 3.

Epiphan. Hieron. Auguſt. Auguſt. Hieron. Marian. Victoria. Ambroſ.

2 Prædicti errores refutantur.

Hæc doctrina variis in locis à Theologis impugnatur, vt hæretica, & apertè fidei cõtraria. Nam in 1. p. q. 64. docent, dæmonum pœnas fore æternas, illosque nunquàm posse per ignem purgari. In 1. 2. q. 72. art. 5. & q. 87. ar. 3. ostendunt, peccatum mortale esse dignũ pœna æterna, eaque puniri in hominibus, nisi in hac vita remittatur. Rursus disputantes de fide & operibus contra hæreticos huius temporis, ostendunt, fidẽ mortuam, vel quælibet opera huius vitæ in peccato mortali facta, non sufficere ad salutem, sine pœnitentia, quæ ad peccati remissionem obtinendam sufficiat: de quo etiam multa in 1. p. huius libri diximus. Ex his ergo principiis sufficienter impugnatur tota illa errorum varietas, ideoque hoc loco circa illos immorari necesse non est, præsertim cùm Christus Dominus satis expresè dicat, omnes, etiã fideles, si operibus careant, & in peccato inueniantur, damnandos esse, vt latè exponit Aug. lib. de Fide & operibus, & Greg. optimè lib. 26. Moral. c. 20. aliàs 24. Nec conferet illis; quòd aliqua opera misericordiæ exercuerint, quia si absque charitate ea fecerint, *nihil eis prodest.* 1. Corinth. 13. Videri etiam potest Aug. dicto lib. 21. de Ciuit. vbi dictos errores abundè confutat, eorúmque obiectionibus respondet. Et specialiter ponderat, Ecclesiam non orare pro his, quos certò scit in peccato mortali mortuos esse, quia de eorum salute desperat: de quo videri possunt cap. *Quibus*, 13. q. 2. cap. *Placuit*, 23. q. 2. Gregor. 4. Dialog. c. 51. & 53. Cæsarius Arelaten. homil. 8. & Disput. seq. de Suffragiis, plura de hac re dicemus.

Auguſt. Gregor. 1. Cor. 13. Gregor. Cæſarius. Arelat.

3 Hieron. exponitur.

Hieron. ergo in citatis locis aliquo modo est à nobis exponendus, nec enim verisimile est in re tam manifesta hallucinasse: Maximè, quia exponens illa verba ad Galat. 5. *In Christo Iesu, nec circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur, &c.* Et illud; *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt:* in primis ait, fidem per charitatem implere mandata, & sine illa mortuam esse, sicut & opera sine fide. Deinde circa vltima verba ait, *In anima in qua peccatum regnauerit, non posse Dei regnare regnum.* Et infrà, *Nec refert quòd vno, aut pluribus à beatitudine excludatur, cùm omnia similiter excludant*: alludens autem Iacobi 2. *Qui in vno offendit, factus est omnium reus*, Matth. etiam 25. ait, iudicium fieri non solùm inter fideles & infideles, sed simpliciter inter iustos, & iniustos, & omnium iniustorum, ait, supplicia esse æterna. Et epist. 148. ad Marcel. q. 2. eandem expositionem confirmat. Cumque Marcella illi scripsisset, expositionem aliam de fidelibus aliquando inueniri in Opusculis eiusdem Hieronymi: Respondet, *Non memini me hoc aliquando dixisse, & si dixissem, non essem in errore pertinax.* Ac tandem se refert ad librum secundum contra Iouinianum, vbi dicit, propter grauia peccata omnes puniri perpetuò, nisi in hac vita pœnitentia præcedat. Ex quo loco exponuntur alij, vno è duobus modis. prior est, vt sensus sit, Christianos saluari posse per ignem, quantumuis peccatores fuerint, non tamen omnes, sed qui pœnitentiam in hac vita egerint. Nec enim Hieronymus cum distributione de omnibus loquitur, sed tantùm differentiam constituit inter Christianos, & non Christianos, quòd illi nullo modo, hi verò saltem per pœnitentiam & ignem saluari possunt. Vel secundò, vt peccatores, quos ab impiis distinguit, vocet omnes iustos, qui peccatis venialibus interdum maculantur: & hos dicit non esse in æternum puniendos, sed per ignem purgandos. Et fortè hoc voluit Marianus Victor, cùm dixit, hanc esse totius Ecclesiæ sententiam. Atque ita nomine fidelium non intelligit Hieronymus ibi quoscunque credẽtes, sed eos, qui habentes fidem, per charitatem operantur. Vnde definiens impios, & impietatem eorum, ait, *Impietas enim propriè ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressionem mutarunt.* Et infrà ait, omnes impios, & præuaricatores perire perpetuò: per impios intelligens infideles, per præuaricatores,

Marian. Victor.

uaricatores, eos, qui cùm fidem habuerint, præuaricati sunt, non à fide, ab eius obedientia & vita, quæ est charitas: & ita mortui sunt. Et hæc maximè accommodantur illi loco contra Pelagianos. In aliis verò locis obscuriùs, & dubitando loquitur, in eundem tamen sensum piè explicãdus est. Quanquàm sint adeò difficilia verba, vt Stanislaus Pannonius lib. de Diuina Philanthropia, & alij non dubitent fateri Hieronymum in eâ fuisse sententia: id tamen credibile non est, cùm res sit adeò clara in Scriptura, & aliis locis ab eodem Hieronymo satis declarata.

Staniſl. Pannonius.

4 Animas Purgatorij carere omni mortali & originali culpa. Asser. 1.

Ex his ergo concludo in primis, omnes animas Purgatorij carere omni culpa mortali: quia, si in hac vita illam commiserunt, necesse est, vt illius remissionem consequantur antequàm hinc decedant, aliàs non Purgatorium, sed infernum adibunt. Difficultas verò est, an æquè id certum sit de originali peccato: scilicet, necessariò carere illo omnes animas, quæ in eo loco purgantur. Dicendum autem est breuiter, etiam hoc esse omninò verum, non tamen æquè certum. Ratio huius posterioris partis sumitur ex illa communi hypothesi de homine adulto non iustificato, qui priùs venialiter peccaret, quàm mortaliter, & in eo statu moreretur: nam aliqui putant, illum fore propter culpam venialem priùs castigandum in Purgatorio, & soluta pœna pro illo actuali peccato debita, transiturum esse ad limbum puerorum. Quem dicendi modum non inuenio damnatum in aliquo Concilio, neque est clarè contra Scripturam, vel aliquam traditionem. Nihilominùs verum censeo, nullam animam ad Purgatorium deferri, quæ non sit iusta, ac proinde carens culpa, non tantùm mortali, sed etiam originali: quia gratia vtramque excludit. Antecedens videtur consentaneum communi Ecclesiæ consensui: sentit enim omnes animas in Purgatorio detentas esse fideles, & posse fidelium suffragiis iuuari, vt ait Trid. sess. 25. ca. 1. ergo supponit esse iustas. Et sumi potest ex illis verbis 1. Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quibus significatur, illo igne nullum opus ardere & consumi, nisi persona, cuius est opus, salutem æternam sit per ignem consequutura, vt suprà declarauimus. Accedit, quòd iuxta veriorem doctrinam, peccatum veniale non remittitur ei, qui gratia caret: ergo nec pœna eius esset finienda: ergo nec locus Purgatorij illi est accommodatus. Quare vel admittendum non est hominem aliquem in eo statu mori, etiamsi in vita in illo esse possit, vel si casus admittatur, alij modi excogitari possunt puniendi illud peccatum, de quibus semel & iterum in superioribus dixi. De macula item peccati venialis dubitare posset, an in illo loco durare possit: sed de hoc diximus latè suprà tractando de Pœnitentia virtute, ibique ostendimus, nunquàm esse in illo loco, quia in primo instanti, in quo anima sancta illuc defertur, talis culpa, etiamsi anteà fuerit, omninò deletur.

Conc. Trid. 1. Cor. 3.

A B C D E

qui post Baptismum ante ætatem adultam moriũtur, Aug. 21. de Ciuit. c. 16. Idem est de animabus martyrum ex proprio priuilegio, vt latiùs superiori tomo diximus. Deniq; idem est de omnibus illis adeò perfectis, vt in hac vita plenissimè satisfecerint, vel per propria opera, vel per indulgẽtias, &c. Quocirca, cùm Sancti videntur aliquando dicere, etiam purissimas animas ad illum ignem deferri, si non vt ab illo patiãtur, saltem vt non patiendo earum puritas comprobetur, vt suprà citatum est, & sumi potest ex Hieronymo Amos 7. Ambrosio in id Psal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Origen. hom. 3. eiusdem Psalmi & homilia vigesimaquinta in Numer. circa finem, & Homilia decimatertia in Hieremiam. Hæc (inquam) & similia non sunt intelligenda de reali descensu ad Purgatorij locum, & transitu per ignem eius, frustrà enim esset talis descensus, & vana ac sine fundamẽto talis cogitatio, & indecens statui talium animarum, quæ cùm innocentes sint, statim in primo instanti, quo separantur à corpore, Deum videre incipiunt, & rectà in cœlum tendunt, vel etiam sine transitu per medium, si necessarium non est, quia omnis detentio esset veluti quædam pœna, sine culpa, & sine causa: sed intelligenda sunt de examine virtuali (vt sic dicã) per ignem: nam cùm ille ignis pro omnibus non satis purgatis sit paratus, per illum in iudicio Dei examinantur, quatenus ibi probatur an illo sint digni.

D. Aug.

Patres qui contrarium insinuare videntur exponuntur. Hieron. Ambros. Origen.

6 Ex eodem principio altera pars declaratur: nam si anima plenè pro qualitate sui reatus passa est, statim recipit præmium, & è carcere liberatur: ergo è contrario quandiu ibi permanet, nondum perfectè soluit, adhuc ergo habet aliquem reatum. Consequentia clara est, & antecedens patet, quia aliàs vltra condignum punirentur, & absoluto delicto, adhuc in carcere detinerentur, quod diuinæ iustitiæ repugnat: aliàs vel bis puniret idem delictum, vel prior remissio insufficiens, & inualida fuisset. Neq; est quæstio huic loco, vel materiæ accommodata, an illa pœna & reatus in instanti intrinseco, vel extrinseco finiatur: impertinens namque est ad rem præsentem, vtcunque enim desinat, immediatè vnum alteri succedit, ita vt primum non esse reatus, sit primum esse gloriæ, vel si pœna durat vsque ad aliquod instans intrinsecum, gloria semper incipiet in alio instanti immediato sibi intrinseco, quidquid sit de coexistentia ad nostrum tempus, quæ accidentaria est. Dicet verò aliquis: Ad beatitudinem obtinendam non satis est carere omni culpa, & reatu pœnæ, sed etiam prauis habitibus, & inclinationibus. Respondeo, propter hanc causam non oportere fingere detentionẽ aliquam: nam quidquid huiusmodi est in appetitu sentiente, in ipsa morte deponitur, simul cum corpore, in quo est appetitus: habitus verò existentes in voluntate, vel in ipso instanti mortis auferuntur, aut per actus contrarios diuina virtute factos, aut per abstractionem diuini influxus conseruantis, aut certè in primo ingressu gloriæ ratione status infunduntur per accidens omnes virtutes etiam naturales, quæ habitus repugnantes expellunt, sicut infunduntur etiam scientiæ generales, quæ omnem expellunt ignorantiam.

Quomodo habitus praui ab animabus Purgatorij auferantur.

## *Animas quandiu in Purgatorio detinentur, non esse omninò liberas à prioribus culpis. Secunda conclusio.*

5 SECVNDÒ dicendum est, animas, quæ ad Purgatorium deferuntur, vel ibi sunt, seu quandiu ibi detinentur, non esse omninò liberas à reatu pœnæ, etiãsi sint omninò liberæ à prioribus culpis. Hæc conclusio de fide certa est ex illo principio definito in Conciliis Florent. & Trident. animas sanctas nullum habẽtes reatum pœnæ, statim fieri beatas. Hinc enim fit, si ex hac vita decedant sine tali reatu, ad Purgatorium non pertinere. Huiusmodi sunt animæ infantiũ,

## *Animas purgandas in instanti mortis in gratia confirmari. Tertia conclusio.*

7 TERTIÒ dicendum est, animas iustas indigentes purgatione, in ipso instanti mortis & separationis à corpore confirmari in gratia, & in bono, ita vt ampliùs peccare non possint. Est res certa de fide cõtra Lutherum, qui dixit illas animas semper peccare horrendo & fugiendo pœnas illas iustas, in quo seipsas suũq; commodo quærunt, vt refert Rofens. ar. 38. Rofenſ.

Sed hoc vanum est: nam licèt illæ animæ voluntate simplici refugiant pœnas illas, & cupiant finiri, hic tamen actus per se non est malus: sed potest esse, tum ex bono affectu naturæ, tum ex propensione charitatis ad videndum Deum: aliunde verò hunc eundem affectum diuinæ ordinationi subiiciunt, & absoluta voluntate nolunt inde liberari, donec aliqua via diuinæ iustitiæ satisfactum sit. Conclusio ergo ex illo principio certa est, quòd via hominis ad merendum, vel demerendum in morte finitur: & ideò in eo statu, in quo tunc inuenitur, immobilis permanet, vel per obstinationem in malo, si sit in peccato, vel per confirmationem in bono, si in gratia sit, iuxta illud Eccles. 11. Ecclesiastes 11. *Si ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, vbicunque ceciderit, ibi erit.* Quem locum in sectione prima huius materiæ cum Hieronymo ita exposuimus, & alia loca adduximus, quibus hæretici abutuntur ad impugnandum Purgatorium, probant autem hanc veritatem, vt ibi ostensum est. Et significarunt Gregorius 12. Moral. capite tertio, & quarto, Greg. Bernard. August. Bernardus sermone quadragesimonono ex paruis, August. lib. de Prædestinatione Sanctorum, capite decimo quarto, vbi ait, nullum fidelem dubitare posse, cum hac vita finiri pericula peccandi, citatque Cyprianum libro de Mortalitate, qui totus est de hac re. Cyprian.

8 Plura in sequenti sectione referam, eadem enim quoad hoc ratio est meriti, & demeriti, imò quodammodò maior: nam si animæ illæ extra statum merendi constituuntur, vt ibi ostendemus, multò magis demerendi: tum quia pronior est Deus ad reddendum præmium, quàm pœnam: tum etiam, quia valdè misera esset cõditio animarum, quæ relinquuntur in periculo peccandi, & sine spe fructus, vel meriti. Dicere autem (vt hæretici insinuant) posse animas illas peccare, non autem demeriti, absurdum est, cùm peccatum ex se sit dignum pœna, absque alio pacto vel promissione. Dices etiam damnati prauè operantur, & non semper merentur nouam pœnam. Respondeo, illi sunt iam desperati, & obstinati in malo, & in vltimo supplicio: ideóque verisimile est, non crescere eorum pœnas propter opera, quæ ibi committunt: at si animę Purgatorij peccarent, merè liberè peccarent, puramque ac veram iustitiam amitterent pro ratione culpæ, ideóque nouam mererentur pœnam, imò inde transirent ad æternam, si culpa esset mortalis: quia hæc simul esse non potest cum vera iustitia & gratia Dei.

9 Vnde habeant animę illam confirmationem in bono. Sed quæret aliquis, vnde habeant illæ animæ talem confirmationem in bono. Respondeo, non habere illam ab intrinseco ex aliqua interna perfectione actuali, habituali, vel naturali, quia non vident Deum, vt inde confirmentur in bono, nec soli habitus possunt tantam perseuerantiam, & immutabilitatem conferre: nec anima separata natura sua est inseparabilis, potiùs quàm Angelus. Diuina ergo gratia, & protectio est, quæ illas animas in bono confirmat ratione illius status: ad quem duo spectant, vnum est vt pœna illa temporalis tantùm esse possit; aliud est, vt inde sit transitus infallibilis ad gloriam: ad vtrumque autem necessaria est confirmatio in bono, & carentia omnis peccati: nam per mortale amitteretur gratia, per venia posset pœna illa semper magis, ac magis protrahi. Est autem facile Deo hanc confirmationem tribuere, sicut illam tribuit animabus sanctorum Patrum in Sinu Abrahæ, & alicui viatori interdum illam contulit. Denique, si animæ, quæ in peccato mortali decedunt, statim per diuinam desertionem confirmantur in malo, iuxta illud Matth. 25. *Clausa est ianua*, & alia suprà adducta, & communem Ecclesiæ sensum ac traditionem; quid mirum est, quòd animæ decedentes in gratia, statim confirmentur in bono, vel per beatitudinem, vel per specialem Dei fauorem, ac protectionem? Nulla ergo in hac re supereſt difficultas.

## SECTIO II.

### *Sintne animæ Purgatorij in statu merendi, atque adeò an sint omninò extra viam.*

1 Rationes dubitãdi pro vtraque parte. ANIMÆ quidem Purgatorij nondum sunt in termino, nec omninò extra viam, quia cùm Deum non videant, adhuc per fidem ambulant; & alioqui iustæ sunt, & ex gratia ac libera voluntate operantur: nihil ergo eis deesse potest quominùs opera meritoria faciant: ergo verè merentur. In contrarium autem est, quia si mererì possent, etiam possent demereri: licèt enim absolutè & in aliqua persona non repugnet ita confirmari in bono, vt peccare non possit, & nihilominùs possit mereri: at verò ex parte status, & seclusis priuilegiis, ille status, qui est sufficiens ad meritum, est etiam capax demeriti. Vnde qui vnum asseruerunt de animabus Purgatorij, etiam aliud affirmarunt, vt refert Hieron. Ecclesiastes 9. circa illa verba, *Mortui nihil nouerunt amplius, neque habent vltra mercedem.* Hieron.

2 Has animas non posse in gratia crescere. Dicendum verò in primis est, animas Purgatorij non esse in statu, in quo possint in gratia, vel charitate crescere, aut in iure ad gloriam. Est cõclusio certa de fide, vt sentiunt Caietanus Tomo primo Opusculorum, tractat. 23. quæstion. 1. Roffensis dicto articul. 38. Soto in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. Et fundamẽtum est, quia tempus merendi gloriam, vel gratiæ augmentum, in morte finitur: quod principium communi totius Ecclesiæ consensu receptum est, illudq; variis sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum testimoniis confirmaui suprà in 1. tom. disp. 29. sect. 1. & 3. tractando de Christi merito, & in 2. tom. disp. 42. sect. 1. tractando similem quæstionem de animabus sanctorum Patrum, quæ in sinu Abrahæ ante Christi mortem detinebantur. Quibus addi potest Chrysostomus homil. 37. in Matth. dicens, *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: præsens enim hæc vita rectè viuendi occasionem, & opportunitatem habet: postquàm, verò diem tuum obieris, iudicium, & pœna consequitur.* Facit etiam vulgare dictum Damasceni lib. 2. de Fide, c. 4. quod in Angelis malis fuit lapsus, adde, & in bonis perfecta conuersio, hoc esse in hominibus mortẽ: quia, sicut in eis vna deliberatione perfecta, via & status merendi, aut demerendi finitus est, ita & in hominibus finitur morte. Addere item possumus illud Lucæ cap. decimooctauo, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam opera in hac vita facta, post mortem vtilia sunt: post mortem autem facta non prodessent ad vitam æternam capessendam: sic ferè exponit Augustinus 21. de Ciuitate, cap. 27. & insinuat Hieronymus Epist. 151. ad Algas. quæstione sexta. Quanuis aliæ etiã esse possint illius loci interpretationes. Facit etiam illud Eccle. 11. *Facile est coram Deo in fine obitus retribuere vnicuique secundum opera sua.* Vide Has animas non posse in gratia crescere. 1. Asser. Caiet. Roffens. Soto. Suadetur ex Patribus. Chrysost. Damas. Luc. 18. August. Hieron. Eccle. 11.

3 Ratione probatur primò. Vnde sumitur prima ratio, quia priusquàm animæ illæ ad Purgatorium deferantur, iudicium ac finalem sententiam recipiunt: ergo post illud iudicium non faciunt opera, de quibus iterum iudicandæ sint, atq; adeò nec meritoria, nec demeritoria. Cui consonat illud Lucæ cap. decimosexto, *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Vbi videri possũt Theophylactus, & Euthymius suo capit. 58. Sic etiam in parabola de talentis Matth. 25. reddita ratione vnusquisque accepit mercedem, seu præmium, iuxta opus suum. Idem in parabola vineæ, & similibus. Lucæ 16. Theoph. Euthym. Matth. 25.

Deni

Eccle.18. Denique hanc ob causam dictum est Ecclesiast. decimooctauo, *Nec verearis vsque ad mortem iustificari, quia tempus iustitiæ acquirendæ est ante iudicium: nam de his quæ posteà sequuntur, nulli iudicantur.* Vnde nec animæ damnatæ de malis actibus, quos in inferno faciunt, nec beatæ de his, quos faciunt in patria, iudicantur: idem ergo est de animabus Purgatorij.

Secunda ratio. Secundò, est ratio à priori diuina lex, quæ ita statuit terminum viæ hominis. Congruentia verò est, quia humana anima vnitur corpori, vt mediante illo suam perfectionem, vel etiam beatitudinem consequatur, & ideò ex supernaturali prouidentia spatium illud ei præfixum est ad supernaturalia dona promerenda.

Tertia ratio. Tertiò, est ratio à posteriori, quia aliàs fieri posset, vt animæ illæ commodum ex negligentia, quam in hac vita habuerunt, reportarent: quia ea occasione crescere possent in gratia, & gloria perpetua. Vnde fieret, vt duæ animæ hinc decedentes cum æquali gratia, tandem in gloria perpetua essent inæquales, solùm quia vna, quæ plura peccata habuit, vel minùs in hac vita satisfecit, in Purgatorio crescere potuit: alia verò purior, ac diligentior, statim rapta est in Paradisum: id verò absurdum est, & rectæ prouidentiæ minimè consentaneum.

4 Obiecta quædã contra præcedẽtem assertionem soluuntur.

Sed obiici potest, quia vel illæ animæ habent gratiam consummatam, vel non: si habent, iam sunt gloriosæ; si non habent, cur non possunt crescere, & consummari? Similiter, vel habent charitatem perfectam, & sic fruuntur Deo, vel non habent, & sic perfici poterunt. Respondeo, dupliciter dici posse gratiam consummatam: primò, quia iam est actualiter coniuncta suo fini, quod est esse consummatam per operationem, & hoc modo animæ illæ non habent gratiam consummatam: quia non coniunguntur Deo per visionem claram, nec illum possident, vt supponimus ex supradictis de loco Purgatorij, vnde adhuc per solam fidem illum cognoscunt. Nam secũdùm legem ordinariam omnis vera iustitia, quandiu non est consummata per visionem, in fide fundatur, sine qua impossibile est placere Deo. Nec in illis animabus est aliquid fidei repugnans, vel ex parte voluntatis, vt per se patet: quia sunt iustissimæ, nec ex parte intellectus, quia nondum vident, nec habent nouam scientiam supernaturalem infusam, id enim nullo fundamento affirmari potest. Nec refert quòd per aliquam rerum experientiam videntur comparasse quãdam euidentiam veritatis fidei: quia illa, licèt fortasse sufficiat suo modo ad impediẽdam libertatem in credendo saltem, quoad specificationẽ actus, vt sensit Chrysostomus homil. 55. in Ioan. dicens, *Velint, nolint, omnes post mortem acquiescere veritati*: nihilominùs neque ad gratiæ consummationem satis est, vt per se constat, neque excludit veram fidei rationem: tum quia non habent experimentum omnium veritatum, & articulorum, quos crediderunt, eorum præcipuè quæ ad Deum pertinent: tum maximè, quia non assentiuntur illis altioribus mysteriis propter talem euidẽtiam vel experientiam, quam de ipso Purgatorio habent, sed propter firmiorem propheticum ac diuinum sermonem, cui bene faciunt attẽdentes, & propter illud firmiùs, ac supernaturaliter credẽtes. In hoc ergo sensu concedẽdum est, non habere gratiam consummatam.

Chrysost.

5 Animæ Purgatorij habent gratiã consummatam in intẽsione.

Alio verò modo potest dici gratia consummata quoad intensionem, quam in tali subiecto habere potest, aut debet: sicut dicitur calor in summo, quando habet omnes gradus suæ intensionis, & in hoc sensu dicendum est habere animas illas gratiam consummatam. Quia in intensione nunquàm crescere potest in tali subiecto: nam in instanti mortis habuit omnes gradus, quos in hac vita aliquo titulo homo promeruit, posteà verò nec mereri potest, nec intẽsius operari, quàm ipsi habitus connaturali modo operari valeant. Et ideò nec ibi augeri potest gratia, nec est verisimile in ingressu gloriæ aliquam intensionem gratiæ addi sine merito, vel alio titulo: hoc enim nec fundamentum habet, nec consonat Scripturis dicentibus, quòd vnusquisque refert prout gessit in corpore, & similia.

Similiter dicendum est ad aliud de perfectione charitatis. Potest enim charitas dici imperfecta essentialiter: & hoc modo nulla charitas est imperfecta, si est vera, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Omnis enim charitas vnit Deo animam, vt vltimo fini supernaturali, estque essentialiter virtus & forma virtutum, & hoc modo imperfectio essentialis ei repugnat. Potest autem esse imperfecta accidentaliter, idque dupliciter. Primò, quoad statum, & hoc modo dicitur charitas imperfecta eo ipso quòd non est coniuncta actualiter, & immobiliter suo vltimo fini: & hoc modo verum est: charitatem animarum Purgatorij esse imperfectam, id est, non consummatam, sicut de gratia dictum est. De qua imperfectione videtur loquutus Paulus ad Philippenses tertio, dicens, *Non quod iam perfectus sit*: nam subdit, *Sequor autem si quomodo comprehendã.* Non tamẽ inde fit posse augeri, quia est in suppositio, quod iam est extra statum merendi. Vnde alio modo potest charitas esse imperfecta: quia non habet totam intensionem, quam in tali subiecto habere potest, & debet: & sic charitas illarum animarum imperfecta non est, sed perfecta, sicut de gratia dictum est: eadem enim est vtriusque ratio.

6 Hæ animæ habent charitatem perfectã essentialiter. 1. Ioan. 2.

Non tamen accidentaliter.

Philipp. 3.

Atque ex his vlteriùs colligitur, animas Purgatorij non esse in statu satisfaciendi propriè, sed tantùm satispatiendi. Hoc erit manifestum si termini propositi explicentur, quod erit facile supposita doctrina suprà tradita de satisfactione. Ex peccato enim remisso, primò & per se relinquitur reatus pœnæ ignis & afflictionis Purgatorij, & hanc sustinere possunt animæ Purgatorij: & quia illa pœna temporalis est, per sufficientem durationem illius dicuntur posse satispati iuxta qualitatem, seu quantitatem reatus, ad quod illis sufficit esse in statu gratiæ. Rursus verò concessum est hominibus iustis, & viatoribus, vt possint quodammodò mereri remissionem illius pœnæ per alias pœnas voluntarias huius vitæ, moraliter æquiualentes, iuxta diuinam legem, & iustam institutionem: & hæc vocatur propria satisfactio. Hanc ergo dicimus exhibere non posse animas Purgatorij, quia sicut tempus merendi fuit tantùm in hac vita, ita etiã status satisfaciendi per volũtarias pœnas, vel afflictiones. Quod eisdem testimoniis, rationibus, & Ecclesiæ traditione ostendendum est, est enim eadem ratio. Nam hîc priusquàm feratur vltima sententia, est tempus misericordiæ: tunc autem lata iam sententia, est tempus rigorosæ iustitiæ, & executionis pœnæ, prout fuit per sententiam declarata. Item, quia aliàs per feruentem actum contritionis, detestationis peccati, & amoris Dei, posset homo breuissimo tempore satisfacere, nec pœna ignis Purgatorij esset ferè vtilis, nedum necessaria. Accedit, quòd licèt illa pœna Purgatorij sit voluntaria concomitanter per conformationem cum diuina voluntate, non tamen est voluntariè assumpta: nec ex tali voluntate habet valorem compensandi debitum culpæ, sed ex sua acerbitate iuxta mensuram diuinæ legis. Quamuis vt sit fructuosa, requirat vt conditionem necessariam, statum amicitiæ diuinæ, quia quantumuis illa pœna rigorosa videatur, est pœna amici, quem Deus vt pater, non vt inimicus castigat, vt tandem suo conspectu dignus, & ad illum omninò purus inueniatur. Vnde ipsæmet animæ sanctæ hanc diuinam iustitiam

7 Animas Purgatorij non esse in statu satisfaciendi, sed satispatiẽdi. Corol. 1.

conside

considerantes, nolunt inde exire; donec perfectè purgatæ inueniãtur. Hoc autem non impedit, quominùs suffragiis fidelium iuuari possint, de quo sequenti Disputatione dicturi sumus.

8 Has animas nec de congruo posse aliquid ad suam liberationem pertinens mereri. Corol. 2.

Secundò infero ex dictis, nec de congruo posse illas animas aliquid sibi mereri, vel impetrare, quod ad earum liberationem, seu breuiorem exitum pertineat. Hoc non est ita certũ sicut præcedentia, est tamẽ probabilius, & frequentiùs receptum. Fundaturq; in eodem principio: nam ex ipso quòd homo voluntariè, & negligenter amittit occasionem in præsenti vita sibi à Deo concessam ad satisfaciendum, amittit etiam omnem congruitatem, vt sic dicam, obtinendi à Deo post hanc vitam remissionem aliquam circa pœnam illam per actiones suas. Et hinc Diuus Augustinus in Enchir. cap. 110. dixit, suffragia viuentium Augustinus. B prodesse illis animabus defunctorum, qui priùs in hac vita sibi meruerunt, vt suffragia pro illis oblata Deo essent accepta. Quamuis enim hoc diuersas habeat expositiones, de quibus Disputatione sequenti, tamen clarè supponit Augustinus in ipsomet Purgatorio nihil posse ab eis fieri, quod ad hunc effectum per se conferat. Vnde concludo animas illas ex vi actuum, quos ibi faciunt, mereri, aut impetrare non posse remissionem aliquam concedendam omninò gratis per liberalem applicationem satisfactionis Christi, absque alio medio: hic enim modus remissionis etiam in hac vita fortasse nunquàm fit, vel non nisi ex magna dispensatione: ergo in Purgatorio locum non habet, propter solam petitionem ipsarum C animarum. Vnde verisimile non est, ipsas animas hoc petere: esset enim inordinata petitio. Aliqui verò putant posse impetrare remissionem aliquam per satisfactionem aliorum, ita vt ea ratione Deus illam acceptet pro illis animabus, aut certè tales satisfactiones prouideat, aut inspiret ipsis viuentibus, quod est probabile, sed incertum, si tamen aliquid huiusmodi ibi inuenitur, debet potiùs fundari in meritis huius vitæ, quàm illius status. Dixi autem, non posse impetrare aliquid pertinens ad liberationem ab illa pœna, quia fortasse impetrare ibi possunt solatium aliquod, vel consolationes per Angelos, vel aliquid simile, quia D hoc non repugnat illi statui, quanuis incertum nobis sit quid in hoc Deus statuerit. Secus autem est de remissione culpæ venialis, nam ad hanc se disponere possunt in instanti mortis: an verò dicendæ sint illam mereri, suprà in propria Disp. visum est.

9 Orentne pro nobis animæ Purgatorij, possintque aliquid nobis de congruo mereri, aut impetrare. D. Thom. opinio.

Hîc verò occurrebat quæstio, an ibi orent pro nobis, possintque aliquid nobis de congruo mereri, vel saltem impetrare, vt alij loqui malunt. Nam Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 83. articul. 11. ad 3. ait, eos, qui sunt in Purgatorio, non esse in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis, propter pœnas quas patiuntur. Et articul. 4. ad tertium, sentit nos non implorare suffragia existentium in Purgatorio: quia nondum fruũtur visione verbi, vt possint cognoscere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus. Sentit ergo animas illas non orare pro aliis, quia non decet earũ statum, eò quòd sint debitrices, & quasi in carcere E propter propria debita, & nõ esse orãdas à nobis: quia cũ Deũ non videant, non cognoscunt quæ hîc aguntur, nec speciales de his rebus reuelationes accipiunt, cùm eorum statui non debeantur, iuxta ea quæ tradit Augustinus. Diuus Augustinus libro de Cura pro mortuis agend. capit. 13. Hanc sententiam Diui Thomæ impugnant Greg. aliqui, quia legimus aliquando Deum fecisse miracula propter Sanctos adhuc in Purgatorio existentes, vt de Paschasio refert Gregor. 4. Dialog. capit. 40. Cõmunior opinio. Responderi verò potest, id fecisse Deum in honorem illius Sancti, propter merita quæ in hac vita habuit, ipso etiam tunc nihil petente, vel sciente. Sed certè A si hoc fieri potuit, quod negare non possumus, & ad hoc non est impedimentum status pœnalis, etiam non impediet quominùs animæ illæ pro nobis orare possint, & impetrare. Maximè quia illæ animæ sunt sanctæ, & charæ Deo, nosque ex charitate diligunt, & nostri recordantur, noruntque saltem generaliter ea pericula, in quibus versamur, & quantùm indigeamus diuina ope & auxilio, cur ergo non orabunt, etiamsi aliàs suis pœnis soluant quod debent? Nam etiam nos in hac vita debitores sumus, & pro aliis oramus, & Patres, qui erant in Sinu Abrahæ, pro viuentibus orabant, vt de Onia, & Hieremia refertur 2. Machab. vl- 2. Mach. vlt. tim. Neque etiam est incredibile, Sanctos Angelos aliqua reuelare illis animabus, quæ hîc fiunt à viuentibus amicis, vel alio titulo illis coniunctis, vel propter aliquod earum solatium, vel vt etiam in particulari pro nobis orent, vel sciant à nobis pro illis orari. Quæ quidem omnia probabilia sunt sed incerta: & ideò D. Thomæ opinio contemnenda non est, licèt alia satis pia sit, & verisimilis. Præsertim quia Diuus Thomas, nec constanter, nec absolutè oppositum docet, sed comparatiuè ait, magis esse in statu, in quo pro eis oretur, quàm orandi. Vnde practicè non dubito quin honestè possint à nobis orari animæ illæ, & quòd possimus etiam fructum aliquem talium orationum media illarum intercessione sperare.

10 Sintne illæ animæ in via.

Tandem ex dictis constat, an illæ animæ dicendæ sint esse in termino, vel in via: simpliciter enim nõ sũt in termino, quia nondum possident, & quoad hanc negationem sunt in via, & quoad aptitudinem soluendi debitum alicuius pœnę per satispassionem, item quoad statum fidei: absolutè tamen non sunt in via, sicut nos sumus, scilicet, quoad omnes conditiones, & effectus viatorum: sunt ergo veluti in statu medio. Dicique possunt esse in termino gratiæ, nondum verò in termino gloriæ.

## SECTIO III.

### *Vtrùm animæ Purgatorij certæ sint de sua præsenti iustitia, & futura æterna salute.*

1 Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi esse potest, quia illæ non sunt certę per euidentem cognitionem ipsius gratiæ, vel iustitiæ in se ipsa, quia hæc pertinet ad superiorem scientiam, quæ illi statui debita non est: vnde multò minùs possunt hanc euidentiam habere de sua impeccabilitate in futurum. Neque etiam harum rerum certitudinem habent per fidem, quia tale obiectum particulare non spectat ad fieri reuelationem. Ponere autem in illis animabus speciales reuelationes, voluntarium est. Confirmatur, quia aliàs non possent ibi timere, & consequenter nec sperare, sunt enim hęc duo necessariò coniuncta: sicut enim malum apprehensum vt ineuitabile, iam non timetur, ita bonum apprehensum vt inamissibile, iam non speratur: quia non apprehenditur vt arduum, imò neque vt moraliter absens. Hac enim ratione animæ beatæ non habent propriam spem de resurrectione, & gloria suorum corporum, licèt illam nondum actu habeant.

2 Proponuntur quorundam errores. D. Thom.

Antiqua fuit sententia, illas animas nõ solùm non habere hanc certitudinem, verùm potiùs versari in quadam eximia animi anxietate, & perturbatione, & interdum etiam desperationis motibus agitari, ex grauissimis doloribus, quos patiuntur. Ita refert D. Thom. d. 21. q. 1. articul. 1. quæst. 4. Quem errorem Lutherus priusquàm Purgatoriũ negasset, amplexus est, dicens, animas illas verè ac propriè desperare de sua salute, & in hoc grauissimè peccare. Alij verò dixerunt

xerunt non quidem desperare, nec peccare, simpliciter tamen incertas esse de statu suo, & an sint perpetuò puniendæ, nécne: imò hanc putant esse maximam pœnam, quam patiuntur. Ita sentit Michaël Baius lib. 2. de Meritis oper. cap. 8. qui in eo fundatur, quòd peccatum veniale dignum de se est æterna pœna, quam licèt Deus interdum remittat, tamen, quòd semper id faciat, nullo certo principio constat: vnde possunt illæ animæ dubitare, an Deus hoc rigore iustitiæ cum eis vsurus sit. Præterea refert Dionys. Carthusian. libr. de Quatuor nouissimis, artic. 47. animam quandam Purgatorij cuidam apparuisse, & dixisse, *Scio quia ante Iudicij diem veniam non obtinebo; an autem tunc, incertum habeo.* Et infrà dicit, *Qui taliter torquebantur, communiter erant incerti, an finaliter saluarentur, & quasi desperabiliter fluctuabant, qui in tormentis suis nihil existimabant ita pœnale, sicut incertitudinem indulgentiæ.* Quæ omnia refert ex Petro Cluniacensi.

Mich. Baius.

Dionys. Carthu.

A

B

3 In animabus Purgatorij esse desperationem, est contra fidē.

Tota hæc doctrina erronea est, quanuis in ea quædam sint magis hæretica, & impia. Primò ergo ponere in illis animabus veram desperationem, est contra fidem & contra omnem rationē suppositis principiis fidei. Probatur, quia desperatio est grauissimum peccatum, & saluti contrarium: quia sicut fides est ad salutem necessaria, ita & spes, quandiu ad terminum peruentum non est. Item, quidquid sit de certitudine C salutis, saltem est euidens, animas illas non esse certas de sua damnatione, aut quòd Deus illas deseruerit, imò neque ad hoc præsumendum habent coniecturas, cur ergo desperabunt? An quia puniri se conspiciunt? At hoc potiùs est indicium salutis, & amoris Dei, quando cum illa pœna non est coniuncta alia significatio diuini odij, vel desertionis, quæ nulla fingi potest in illis animabus, vt statim ampliùs patebit.

4 Purgatorij animas non ita doloribus perturbari, vt anxietatem irrationabilē sustineant. Prou. 12.

Secundò, censeo esse de fide, & fide suppositā, euidens, illas animas non ita perturbari doloribus, vt irrationabilem aliquam anxietatem, vel impatientiam sustineant. Probatur primò ex eodem principio, quòd peccare non possunt. Secundò ex illo Prouerb. 12. *Non contristabit iustū quidquid ei acciderit*, id est, non perturbabit illum, aut deiecto animo faciet, sed æquo feret D animo, sciens non sine diuina prouidentia & iustitia euenire. Quòd si hoc dixit Sapiens de iusto in hac vita degente, quando diuina gratia & protectione custoditur, quid dicendum est de animabus illis, quæ confirmatæ sunt in gratia, & in omni bono, & certissimè norunt illas pœnas esse iustissimas, & ex Dei ordinatione euenire? non ergo perturbantur, & impatientes sunt, sed potiùs conformantur diuinæ voluntati: & ideò Ecclesia in canone Missæ eas dicit in pace dormire, ac quiescere. Nec verò dici potest, ex vehementia doloris perturbari rationem in illis animabus: & ideò veluti necessitate quadam inculpabili huiusmodi perturbationem pati. Hoc enim perturbationis genus habet locum in anima coniuncta corpori, quando vehementia doloris ita perturbat humores, vt lædat organa sensuum, qui posteà perturbant rationis E vsum, propter dependentiam intellectus coniuncti à phantasmatibus. At in puro spiritu, vel anima separata hic perturbationis modus locum non habet, sed non obstante quacunque tristitia integram habet intelligendi, vel ratiocinādi vim. Quamquàm enim parua voluntatis affectio etiā in puro spiritu possit inclinare intellectum vel ad actualē cogitationē, vel etiam ad iudicium, in his quæ aliàs euidentia non sunt, nunquàm tamen potest ita perturbare, vt verum vsum rationis auferat. Vnde etiam in inferno anima illius diuitis optimè cognoscebat statum suum, & causam suæ pœnæ, & similia. Eò vel maximè, quòd in animabus Purgatorij nulla est inordinata affectio, ex qua possit talis perturbatio, aut impatientia oriri.

*Has animas certas esse de sua salute.*

TERTIÒ assero, certissimum esse animas Purgatorij esse omninò securas, & certas de sua salute, tam quoad præsentem iustitiam, quàm quoad æternam beatitudinem post illum statum consequendam. Ita docet D. Tho. citato loco, & ibi cæteri Doctores, & dist. 45. Soto dist. 19. q. 3. artic. 2. dicit esse Catholicam doctrinam. Caiet. Tom. 1. Opuscul. tract. 23. quæst. 2. solùm dixit esse communem doctrinam, latè Roffens. art. 38. Bellarm. lib. 2. de Purgatorio, capit. 4. Ratio huius veritatis constabit explicando modū huius certitudinis, simulque respondendo ad rationem dubitandi. Duo ergo necesse est certò cognoscere ad habendam hanc certitudinem. Vnum est, vt animæ illæ cognoscant statim ac separantur à corpore, se non esse damnatas, sed in statu gratiæ. Aliud est, vt cognoscant se non fore damnandas. Quoad primum videtur dici posse probabiliter, animas illas per scientiam euidentem & intuitiuam id cōspicere, quia seipsas intuitiuè videndo, videt etiā quidquid in ipsis est, sicut Angeli seipsos videntes, vident suas potentias, & habitus. Vident ergo illæ animæ in sua substantia habitum gratiæ, & habitum charitatis in voluntate: ergo vident se secundùm præsentem statum nō esse damnatas. Ita sentit Caiet. suprà, quem imitatur Bellarm. dict. cap. 4. circa finem. Mihi tamen res incerta est, & contrarium videtur verisimilius, quia neque Angelus, nedum anima separata, potest per sua naturalia videre mysteria gratię: quantumuis ergo videat suam substantiam, & naturales potentias, & habitus, nihilominus non poterit intueri qualitates supernaturales in se existentes, sine speciebus propriis illarum, quas oportet esse per se infusas, & supernaturalis ordinis: vnde etiam erit necessarium lumen illis speciebus accommodatum: non possumus autem cum fundamento dicere, hoc lumen & species infundi animabus in Purgatorio: pertinent enim ad statum beatitudinis, & sunt quasi proprietates consequētes essentialem beatitudinem, & ad accidentalem pertinentes. Item quia talis scientia supernaturalis infusa non est debita naturæ, nec tali statui pœnali, cur ergo dicemus ibi infundi?

5

D. Tho. Soto.

Caiet.

Roffens. Bellarm.

Num hæ animæ statim ac à corpore separantur, cognoscant non esse dānatas, & quomodo.

Aliter ergo dici potest, animas illas ex principiis fidei, quæ in hac vita habuerunt, & retinent, & ex effectibus, quos in se experiuntur, euidenter colligere se non esse in statu damnationis. Qui discursus fieri potest variis modis. Primò, quia certò credimus animas damnatas non diligere Deum, nec detestari peccata, imò nihil boni operari: illæ autem animæ euidenter experiuntur se diligere Deum, & detestari peccata, & nihil mali actu velle: ergo euidenter vidēt se non esse damnatas. Deinde certa fide credimus, animas decedentes in peccato mortali, in eodem puncto & momento mortis damnari, iuxta illud Luc 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*: ergo è conuerso certum etiam est, animam, quæ non statim in morte damnatur, non decedere in peccato mortali, & quæ in peccato mortali non est, esse in gratia (de adultis enim agimus) cùm ergo anima Purgatorij euidenter cognoscat se non esse damnatam, euidenter etiam scit, suppositā fide, se esse in statu gratiæ, & non in peccato mortali. Vnde hæc est differentia inter illum statum, & viatoris, quòd in via ex nullo experimento bonorum actuum potest homo euidenter inferre se esse in gratia: quia etiam illi, qui non sunt in gratia, possunt habere actus bonos, & adeò similes, vt non possint euidenter à nobis discerni. At verò in animabus separatis non ita est: nam quæ non sunt in gratia (loquor de animabus adultorum) nullum bonum actum, nec amorem Dei super omnia, verum, aut verisimilem

6 Ex effectibus, quos in se experiuntur, cognoscere has animas se esse in gratia.

Luc. 16.

tisimilem habere possunt ratione status dānationis, & ideò ex talium actuum experimento euidenter inferri potest status gratiæ. Rursus certū est animas, quę decedunt in peccato mortali, statim in puncto mortis cognoscere se esse dānatas, sed animæ Purgatorij non cognoscunt se esse damnatas, aliàs falsum cognoscerent, ergo ex hoc euidēter cōcludunt se non esse damnatas: quia ex vna negatione euidenter infertur alia, & priorem positiuè, & euidenter cognoscunt, si reflexionem faciant, quod ferè necessarium est: ergo inde inferunt euidenter posteriorem. Solùm restat probāda maior propositio, quæ videtur æquè certa, ac certū est, animas decedentes in peccato mortali statim in morte puniri pœna condigna, quod est manifestè de fide ex dict. loco Luc. 16. & ex illo Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt:* cum similibus. Nemo autem est damnatus nisi sciat se esse damnatū, tum quia aliàs non statim esset obstinatus in malo, nec fidem aut potestatem bene operandi amitteret, tum quia magna pars pœnæ damnati est scire se esse damnatum: quia non est damnatio sine desperatione veniæ, neque sine apprehensione perpetuæ pœnæ & inimicitiæ cum Deo, neque etiam è conuerso desperatio aliunde nascitur cum necessitate nisi ex cognitione talis damnationis. Vnde etiā animæ Purgatorij eo ipso quòd non desperant, vident se non esse dānatas in perpetuum, nec gerere cum Deo perpetuā inimicitiam. Huc accedunt aliæ coniecturę, quia animæ quæ sunt in mortali, sicut feruntur in gehennam, ita cognoscunt locum ad quem deferuntur, & audiunt blasphemias in Deum, quæ ibi dicuntur, & quibus ipsæ cooperantur: hæc autem omnia non experitur anima Purgatorij, imò videt se esse in loco, vbi Deus honoratur, & non blasphematur, &c. ergo.

Luc. 16. Iob. 21.

7 Quomodo hæ animæ cognoscant se non fore damnandas.

His ergo modis cognoscunt illud principiū: sed illud non satis est, nisi addatur secundum. Dicere autem possumus illud solùm cognoscere ex fide, quam in hac vita habuerunt. Nam de fide credimus animas sāctas post mortem non posse peccare, vt in superioribus ostensum est: hanc autem fidem etiam retinent animę separatæ: ergo hoc ipso quòd vidēt se non esse in statu peccati mortalis quando hinc decedunt, certò iudicant se non posse cadere ab illo statu, atque adeò pœnas illas fore temporales, & post illas vitam beatam consequuturas. Si quis tamen rectè consideret, tota hæc cognitio non excedit Theologicā certitudinem, vnde non est euidens quoad ipsum consequens, sed solùm quoad illationem. Ex quo videtur vlteriùs inferri, hanc cognitionem non posse esse communem omnibus illis animabus. Nam principia illa, quæ nos supponimus vt certa, quamuis talia sint, non tamen sunt articuli fidei omnibus noti, sed doctis tantùm, & plusquàm mediocribus Theologis noti sunt: multi ergo iusti idiotæ morientur sine fide vel cognitione talium principiorum, vt quòd anima Purgatorij non possit peccare, quòd anima discedens in peccato mortali, statim sciat se esse damnatam, vel similia: ergo possunt esse in Purgatorio multæ animæ, quæ per se non valeant talem discursum Theologicum facere: quia illis pro illo statu non reuelatur Theologia, quam in hac vita non didicerunt. Ad hoc verò dici potest, quoad hæc principia, quæ facilia sunt, facillimè edoceri, & illuminari à suis Angelis custodibus.

8 Rationi dubitandi fit satis.

Addimus deniq;, directè & per se hanc certitudinē recipere in iudicio particulari. Suppono enim omnes homines iudicari in morte, particulari iudicio, de quo dixi multa in secundo Tomo, disput. 52. sect. secunda, vbi ostendi & illud esse, & in instāti separationis animæ à corpore fieri, & in eo ferri sententiam, quæ ipsi animæ statim manifestatur, nam ad hunc finem profertur, imò nihil aliud videtur esse proferri, quàm manifestari, quia apud se iam Deus illā habebat, profert autem cùm manifestat: hæc autem manifestatio per se pertinet ad eum qui iudicatur: nam quod aliis manifestetur, accidentarium est. Per hanc autem sentētiam duo cognoscunt illæ animæ, scilicet, dignas esse vita æterna propter bona merita, & illam esse illis reddēdam in tali ac tanto gradu, differri tamen, quia dignæ etiam sunt tali ac tanta pœna, quā priùs luituræ sunt: simul etiam vident sententiā Dei esse immutabilem, & infallibiliter habiturā effectum. Per eam ergo sententiam, quæ reuelationem diuinam continet, & de præsēti statu, & de futura beatitudine certissimæ reddūtur. Vnde existimo, non solùm certò scire illam pœnam futuram esse temporalem, sed etiam quanto tempore duratura sit, per se loquendo. Quod etiam cōstare potest ex illis reuelationibus, in quibus animæ Purgatorij apparent, & petunt suffragia, affirmantes fore statim liberandas ab illis pœnis, si hoc vel illud pro illis fiat, vt patet ex Gregor. 4. Dial. c. 40. & aliis.

Greg. 9

Ratio igitur dubitandi initio posita soluta est. Ad id autem quod de spe & timore dicebatur, respōdeo, imò animas illas tātò sperare certiùs, quātò securiùs: non est enim contra rationem spei certitudo consequendi bonum speratum, quādiu illud obtentum non est, maximè si adhuc sustinendi sunt labores, & superandæ difficultates ante consequutionem. Ita verò se habent illæ sanctæ animæ, & differunt aliquo modo à iam beatis, etiam respectu gloriæ corporis: quia beatę iam habent gloriam animæ, quæ est veluti principium intrinsecum gloriæ corporis, & sine vlla pœna, vel difficultate sua illam consequuturæ sunt, & ideò licèt habeant simplicem expectationem, illa tamen in eis non habet rationem spei, quia non habet rationem ardui, siue diuersitas inter eas essentialis sit, siue non, de quo aliàs: in præsenti autem & est vera expectatio, & fiducia, & nomen etiam spei retinet, quia adhuc rētinet bonum illud rationem ardui. Vnde, cùm de beatis incertum sit an habitus spei quoad substantiam & realitatem in eis maneat, de animabus Purgatorij id dubitari non potest, quia retinent integram iustitiam habitualem, quæ sine re, aut spe esse non potest, & quia nihil egerunt, quo illam amitterent, nec etiam aliquid ei incompossibile receperunt.

Has animas habere certam spem de sua beatitudine, licèt beati nō habeant spem de gloria suorum corporum.

Ad aliam verò partem de timore, primùm dicitur, non esse de ratione spei vt habeat timorē coniunctū, quæ est enim necessitas? Deinde dicitur, proprium timorem esse de malo futuro, nam de iam præsenti potiùs est tristitia: animæ ergo illæ tristantur, & dolent de præsenti malo pœnę, quia hoc prauum non est, sed naturale: imò ad hoc ibi sunt, vt cōtristentur: simul autem naturaliter fugiunt malum illud, & cupiūt finiri. Nam, vt Cypr. ait lib. de Mortal. *Quis non tristitia carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet?* Illa autem fuga pro illo statu non est per modū appetitus efficacis, sed velleitatis cuiusdā, & ideò potiùs simplex fuga mali dicitur, quàm timor. Rursus, perpetuitatem illius mali, vel carentiæ perpetuæ diuinæ visionis minùs timēt, quia certissimę sunt eis non imminere tale periculum: simplici ergo affectu illas fugiūt, & odio habēt, vel ex appetitu proprię beatitudinis, certáque spe illius vel ex charitate Dei, propter cuius honorem, & amorem, illum maximè videre desiderant. Deniq; proprium timorem seruilem non habent, & quoad hoc dici possunt habere charitatem perfectam, quæ hunc timorem excludit, non enim iam fugiunt culpam propter timorem pœnæ, in quo talis timor consistit, sed culpam propter se, & propter Deum fugiunt; quod pertinet ad timorem filialem, & pœnam ipsam ea potissimùm ratione detestantur, quia est fructus culpæ. Igitur prædicta certitudo, nec veram spem, nec timorem illi statui accommodatum excludit.

10 Confirmationi respōdetur. Huiusmodi animas non habere timorem cum spe beatitudinis. Cyprian.

QVINTA

# QVINTA HVIVS OPERIS PARS.

## DISPVTATIO XLVIII.

### DE SVFFRAGIIS.

POSTQVAM visum est quomodo solui posset temporalis pœna peccatis debita, per propriam actionem, vel passionem ipsiusmet peccatoris, videndum superest quomodo remitti possit, vel solui per alterius actionem, vel passionem alteri communicatam, quæ communicatio prout inter fideles fieri potest, suffragium solet appellari, iuxta vsitatam phrasim Ecclesiæ, & Theologorum. Est enim suffragium, vt sumitur ex D. Thom. & aliis in 4. d. 45. auxilium quoddam, cum vnus fidelis præbet alteri ad obtinendum à Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliquid huiusmodi. Supponendúmque est tribus modis posse suffragium vnius prodesse alteri. Primò, ex opere operato. Secundò per indulgentias, quę etiam iuuant ad modum operis operati. Tertiò ex opere operantis. De primo modo nihil nobis dicendũ superest in hac materia: suppono enim, remissionem pœnæ ex opere operato, seclusis indulgentiis, non fieri nisi aut per sacramenta, aut per sacrificium, nam ex Christi institutione non habemus alia instrumenta, seu causas huius effectus. Et quamuis probabile sit, aliquod sacramentale ex institutione Ecclesiæ habere hunc effectum: tamen, si ita est, illud reducitur ad aliquem modum ex dictis, &, quantum ad præsens spectat, eadem ratio erit de hac remissione, & de illa, quæ fit in sacramentis. Suppono enim vlteriùs, remissionem pœnæ, quæ ex opere operato comparatur per susceptionem alicuius sacramenti, tantùm in eo fieri, qui sacramentum suscipit, & non in alio, vt in superiori tomo latè tractaui. Idémque erit in sacramentalibus, si per vsum alicuius talis effectus conceditur, vt si per aquam benedictam alicui remittitur aliquis gradus pœnæ, illa remissio fit ei, qui deuotè vtitur aqua benedicta, non alteri; quod simile suo modo est in Baptismo, & aliis sacramentis. Quò fit vt nullum suffragium possit aliis prodesse ex opere operato, præter Missæ sacrificium; de quo disputatum est sufficienter in superiori Tom. disp. 79. sect. 9. & sequentib. & ideò de hoc genere suffragij ex opere operato nihil aliud in hac materia dicendum nobis superest. De suffragio verò per modum indulgentiæ dicturi sumus in seq. disp. & ideò in præsenti solùm est sermo de suffragiis ex opere operantis, siue hæc fiant auctoritate priuata singulorum fidelium, siue auctoritate publica totius Ecclesiæ: vtroque enim modo fieri possunt, vt constat ex vsu Ecclesię, & in discursu disputationis explicabitur. In qua primò videndum est, an possit hoc genus suffragij inter fideles reperiri. Secundò, quibus modis fieri possit. Tertiò, per quæ opera fieri possit, & quas cõditiones requirat ex parte auxiliantis, & eorũ quibus hoc genus auxilij, seu suffragiorum impenditur.

Suffragium quid.
Quotmodis suffragium vnius possit alteri prodesse.
D. Thom.

---

## SECTIO I.

### *An inter fideles quorundam suffragia aliis valere possint ad satisfactionem, seu remissionem pœnæ temporalis.*

PRIMÒ inter fideles sit aliqua communicatio bonorum operum, quibus quidam possint alios iuuare, extra controuersiam est: id enim apertè in Symbolo confitemur in articulo de Sanctorum communione: nam sensus illius est, esse inter sanctos, qui sunt viua Christi membra, communicationem aliquam in bonis operibus, quatenus vnusquisque suis bonis actionibus alios iuuare potest. Sumus enim eiusdem corporis membra, teste Paulo 1. ad Corin. 12. & ad Ephes. 4. & ideò, sicut in eodem corpore humano vnumquodque membrum non in suam tantùm, sed aliorũ etiam vtilitatem operatur; ita in mystico Ecclesiæ corpore, membra, quæ viua sunt, & vtiliter operari possunt, non solùm sibi mereri, sed etiam aliis præstare possunt auxilium. Quod saltem in orationibus inter viuentes manifestũ est ex illo Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt soluemini*, & ad Roman. 15. *Obsecrò vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me à Deo*, & Iob vlt. dixit Deus; *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis*. Quapropter de veritate hac ita generatim sumpta, etiam hæretici non contradicunt. Sed cum eis duplex est controuersia; prior est de personis, seu statu hominum, inter quos possit esse hoc genus auxilij, & communicationis: nam ipsi volunt tantùm esse posse in viuentibus inter se, non verò respectu mortuorum. De qua re posteà videbimus. Altera cõtrouersia est, quæ ad præsens pertinet, de effectu huius communicationis: negant enim Lutherani posse vnum fidelem alios iuuare ad satisfactionem pro peccatis seu remissionem pœnæ temporalis. In quo errore fuit priùs Vuicleph, vt latè tractat Vualdensis tom. 3. de Sacramentis lib. à c. 93. ad 100. Possunt autem hi hæretici fundari, vel in eo, quod post culpam remissam nullus manet reatus pœnæ temporalis; vel in hoc, quod Christus sufficienter pro omnibus satisfecit: vel denique in hoc, quod nemo potest vnquàm ita abundare meritis, vel satisfactionibus, vt ei supersit aliquid, quod aliis, ad satisfaciẽdũ pro illis prębeat.

1. Esse inter fideles communionẽ bonorum operum est de fide.
1. Cor. 12. Ephes 4.
Iacob. 5. Rom. 15. Iob vlt.
Lutheranorum error.
Vualdens.

*Posse fideles per suffragia se inuicem iuuare ad satisfaciendum pro pœna temporali.*

2. NIHILOMINVS dicendum est, fideles posse sese mutuò iuuare ad satisfaciendum pro peccatis, ita vt opus vnius alteri valeat ad remissionem alicuius pœnæ temporalis obtinendam. Hic est communis consensus Scholasticorum omnium quos referam sectione sequenti, qui veritatem hanc contineri censent in dicta Sanctorum communione, quam in symbolo profitemur. Nam, si quoad alios effectus bonos mutuò sese iuuant fideles, nulla ratio est, cur etiã quoad hunc, suffragium sibi inuicem afferre non possint. Atque in hoc sensu applicata, probabilia sunt quædam Scripturæ testimonia, quibus hæc veritas confirmari solet, quamuis non omnia efficacia sint. Primum est illud Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Quorum verborum proprius, & literalis sensus non est agere de hac communione, solùm enim per illa verba significat Dauid, ex consideratione diuinorum iudiciorum se inductum fuisse ad custodienda diuina præcepta, & ita factum esse socium eorum, qui timent Deum, vnde *esse participem illorum* in eo loco, nihil aliud est, quàm cum eis conuenire in obseruatione diuinorum mandatorum. Ex quo nascitur peculiaris quædam amicitia, & vnio, quæ est inter eos, qui diuina mandata seruant, ad quam consequitur communicatio prædicta in spiritualibus bonis.

Suadetur assertio Scripturæ testimoniis. Psalm. 118.

3. Deinde probari hoc solet ex verbis Pauli ad Rom. 15. *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Hierusalem, placuit enim eis, & debitores sunt eorum: nam si spiritualium eorum particeps facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis:* quoniam in his vltimis verbis videtur significare Paulus, quod, sicut inter fideles est communicatio in temporalibus bonis, ita multò maiori ratione esse debet in spiritualibus. Verumtamen, licèt argumentum hoc sit probabile ex quadam morali coniectura, & ratione, non tamen ex vi verborum, & intentionis Pauli. Nam sensus manifestus est, meritò fideles Macedoniæ & Achaiæ decreuisse temporales eleemosynas mittere in subsidium fidelium pauperum Iudæorum, qui erant in Hierusalem, quoniam per ministerium, & prædicationem Iudæorum notitiam acceperant Euangelij, per quam participes facti fuerant spiritualium bonorum. Atque ita exponunt Ambros. Chrysost. Anselm. & D. Thom. Qui hinc colligit, deberi sumptus non solùm illis, qui prædicanti sed etiam qui prædicatores mittunt: quod intelligendum censeo de debito gratitudinis, vel specialis charitatis: clarum est enim ibi non interuenisse debitum intrinsecum, nam huic fit satis alendo ministros ipsos, qui spiritualia seminant, iuxta illud 1. Cor. 9. *si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Addo etiam verisimile esse, Paulum nõ solùm loqui de ministerio Apostolicæ prædicationis, nam illo solo titulo non multùm videntur facti fuisse Macedones debitores pauperibus, qui erant in Hierusalem, sed quia suis orationibus, & bonis operibus aliquomodo eos iuuarant. Ex quo potest aliquod argumentum à simili, & per coniecturam desumi, non tamen efficax ex sola vi verborum Pauli.

Idẽ ex Paulo ad Ro. 15. deducitur.

Ambros. Chrysost. Anselm. D. Thom.

1. Cor. 9.

4. Tertiò ac præcipuè citari solent verba Pauli ad Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, &c.* Quæ verba obscura

Efficacius idẽ probatur ex Paulo ad Coloss. 1.

A sunt, & varios sensus admittunt. Vnus esse posset, passionem, & pœnas Christi non fuisse sufficientes ad hominum remissionem, & salutem, nisi eis etiam addantur passiones Sanctorum, ideòque dicere Paulum, se supplere quod ex parte sua deerat passionibus Christi. Verùtamen hic sensus, vt D. Tho. ibi adnotat, erroneus est, quia certum est de fide, Christi passionẽ per se solam sufficientissimam fuisse ad omnium hominũ salutem. Alius ergo sensus esse potest, quanuis Christi opera, & passiones per se satis superque fuerint quoad sufficientiam, tamen, vt in nobis habeant effectum & efficaciam, adhuc illis deesse applicationem, quæ nobis fieri debet, circa quam laborant Sancti, & maximè laborauit Paulus, & hac de causa multa patiebatur pro Ecclesia, cuius factus erat minister. Et hunc sensũ significant verba sequentia, *Vt impleam verbum Dei, mysteriũ quod absconditũ fuit à seculis.* Atq; hunc sensum B insinuat Gregor. 1. Reg. cap. 9. & eum admittit Bellarm. libr. 1. de Indulgent. capit. 3. dummodò Apostoli sententia ad illum non limitetur, nec excludatur alius sensus veritatem Catholicam confirmans. Nam Paulus generaliter loquitur, & ostendit effectum sustinendi passiones, vt omnibus modis prosit Ecclesiæ, ex quibus vnus ac valdè vtilis est per communicationem satisfactionum. Cùm ergo Paulus absolutè & generatim loquatur, non sunt limitanda eius verba ad vnum modum communicationis.

Primus verborum Pauli sensus. Improbatur D. Thom.

Secundus sensus.

Gregor. Bellarm.

Est ergo tertius sensus, Paulum non loqui de solis passionibus, quæ Christus in propria persona sustinuit sed de his, quas in corpore suo, quod est Ecclesia, & in suis membris, ad eorum perfectionem, & confirmationem, sustinere decreuit, vsque ad finem mundi. De C quibus rectè ait Paulus adimplere in carne sua, quæ deerant passionibus Chisti, quia, licèt solæ pœnæ, quas Christus passus fuerat, satis esse potuissent, tamen ad maiorem Sanctorum perfectionem, & charitatis communicationem voluit Sanctorum satisfactiones suis coniungi, & Ecclesię prodesse. Cùm enim addit Paulus, *Pro corpore eius, quod est Ecclesia*, satis significat, se non solùm sustinuisse passiones in carne sua, vt coniunctæ Christi passionibus sibi prodessent, sed etiam vniuersæ Ecclesię, pro qua Christus pati voluit, non solùm in seipso, sed etiam in membris suis, vt exponunt Chrysostom. Theophyl. Anselm. D. Thom. & alij. Clarissimè Augustinus Psalm. 61. vbi inter alia multa inquit. *Patitur Christus in membris suis, id est, in nobis ipsis, ad communem hanc quasi Rempublicam, nam quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus, & D pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus, paritoria plenaria.* Quæ verba statim ex D. Thom. exponemus: in eis tamen satis significat Aug. passione singulorum Sanctorum ad communem aliorum vtilitatem prodesse, quanuis modum huius vtilitatis non declaret. Item fauet Aug. in enarratione super Ps. 86. vb ponderat Paulum dixisse, se adimplere quæ desunt passionũ Christi, non in carne Christi, sed in carne sua, vt inde colligat, Paulũ loqui de Christo, non tantùm in propria persona, sed vt coniuncto corpori suo: nam propter hanc coniunctionem solent attribui Christo ea, quæ fiunt in membris eius, iuxta illud Act. 9. *Saule, Saule, quid me persequeris.* Et Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ve- E rùm est, verba Pauli non ita esse construenda, vt particula illa, *in carne mea*, coniungatur cum verbo, *desunt*, sed cum verbo, *adimpleo*, ita vt sensus sit, *Adimpleo in carne mea, quæ desunt passionum Christi*: tamen sub passionibus Christi videtur Paulus comprehendere etiam passiones, quæ supererant sustinendæ in carne ipsius, vel aliorum Sanctorum, & ideò satis probabiliter exponitur, vt loquatur de Christo mysticè, vt coniuncto corpori, & membris suis. Atque iuxta hanc expositionem

5. Tertius sensus ad præsens spectãs.

Chrysost. Theophyl. Anselm. D. Thom. August.

Actor. 9. Matth. 25.

nem colligitur ex hoc loco thesaurus satisfactionum, qui est in Ecclesia ex Christi infinita satisfactione, & Sanctorum etiam passionibus, & satisfactionibus coalescens, de quo dicemus in disputationibus sequentibus, tractando de Indulgentiis. Et hoc significauit Glossa ibi, quàm D. Thom. refert, dicés, *Passiones adhuc desunt, eò quòd paritoria meritorum Ecclesiæ non est plena, nec adimplebitur, nisi cùm seculum fuerit finitum. Est autem paritoria* (ait D. Thom.) *vas vel domus, vbi pariter multa inferuntur.* Hoc denique significare fortasse voluit Orig. hom. 24. in Num. circa princ. cùm ait, non solùm Christi sanguinem, sed etiam aliorum Sanctorum & iustorum valere ad expiandum pro parte aliqua populum.

Gloss. D. Thom.

Orig.

6. Ratio assertionis.

Potissima verò ratio superiùs tacta est sumpta ex vnitate corporis Ecclesię, & vnione membrorum eius: hæc enim vnio maximè fit charitate, quæ sicut in multis, & ex multis efficit cor vnum, & animam vnam, vt dicitur Actor. 4. ita bona omnia facit communia, seu communicabilia, non tantùm corporalia, sed etiam spiritualia quantùm expedit seu rationi consentaneũ est, vt eleganter explicat Aug. tract. 32. in Ioan. circa finem, & Chrysost. hom. 41. in 1. ad Corinth. qui ad hoc etiam expendit verba Pauli 2. ad Corinth. 1. *Adiuuantibus vobis in oratione pro nobis, vt ex multis personis eius quæ in nobis est, donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Ex quibus colligit Chrysostomus, solere Deum aliis propter alios gratificari. Et infrà subdit, *Vnum corpus omnes sumus, sint membra licèt alia aliis illustriora, vndique veniam ipsis impetrari licet precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur.*

Actor 4.

Augustin. Chrysost.

B

C

7. Tertul. Cyprian. Pamel. Lindan. 2. Cor. 2.

Tandem in hoc fundata censetur quædam antiqua Ecclesiæ consuetudo: solebant enim Ecclesiæ pastores publicis pœnitentibus aliquid de pœna seu satisfactione debita remittere propter aliorum iustorum intercessiones, & satisfactiones, vt colligitur ex Tertul. lib. ad Martyres, cap. 1. & Cyprian. ep. 11. aliàs libr. 3. epist. 15. quibus locis Pamel. id notat, & Lindan. libr. Panop. c. 73. Imò aliqui putant hoc insinuatum esse à Paulo 2. ad Cor. 2. dicente, *Cui aliquid donastis, & ego*, id est, Rogastis me, vt ego remitterem, & ego id feci: vnde subdit. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi.* Nam, si ministri Christi in persona eius quibusdam fidelibus remittũt, siue pœnas, siue satisfactiones, vel relaxant censuras propter aliorum iustorum intercessiones (hæc enim omnia sub illis verbis comprehẽdi possent, vt ex Ambros. Theodor. & aliis colligere licet) ergo & ipse Christus quibusdam remittet pœnas peccatorum propter aliorum intercessiones, seu satisfactiones. Quin potiùs Cyprian. suprà & ep. 13. & 14. significat, ideò pastores Ecclesiæ solitos fuisse admittere libellos deprecationum, & intercessionum Sanctorum confessorũ, qui pro fide Christi constanter patiebantur, & ideò martyres interdum appellabantur; & propter eos cõsueuisse faciliùs remittere aliis, qui lapsi fuerãt, & in cõfessione fidei defecerant, quia existimabãt apud Deũ, etiam eorum intercessiones efficaces esse: *Vnde* (inquit Cyprian.) *qui libello* (scilicet intercessionum) *à martyribus acceperunt prærogatiua eorum apud Deum adiuuari possunt:* & iterum, *Auxilio eorum adiuuari apud Dominũ in delictis suis possunt.* Cùm ergo remissio pœnæ temporalis minimum sit eorum, quæ in peccatorũ remissione donantur, ad eam maximè poterunt quidam fideles ab aliis adiuuari.

D

E

8. Satisfit fundamentis hæreticorum.

Ad duo prima fundamenta hæreticorum satis est in superioribus responsum. Falsum enim est, remissa culpa, semper remitti omnem pœnam, & contrarium de fide certum vt suprà vidimus. Christi autem satisfactio sicut non excludit indigentiam seu necessitatẽ proprię satisfactionis, ita etiã non excludit, quin possit vnus alteri suffragari. Tertium autem fundamentum postulat, vt explicemus modum huius suffragij seu auxilij, quod ad huiusmodi effectum possunt fideles sibi inuicem præstare, quẽ modum seq. sect. exponemus.

A

## SECTIO II.

### *Vtrùm vnus possit alteri suffragari pro illo satisfaciendo seu pœnam illi debitam persoluendo.*

1. Prima sententia.

PRIMA sententia quorundam modernorum Theologorũ est, non posse vnũ fidelem alteri suffragium ferre pro illo satisfaciendo, & soluendo pœnam debitã; sed solùm impetrando ac merendo de congruo, vt Deus remittat talem pœnã, siue immediatè gratis illã condonãdo propter orationes alterius, siue dãdo aliquod auxilium propter easdem oratione quo alter bene operetur ad huiusmodi remissionem obtinendam. Fundamentum huius sententiæ est, quia debitum pœnæ est debitum personale: ergo non potest per alium solui. Patet consequentia, nam in hoc propriè differt debitum personale à reali, quòd reale soluitur per traditionem alicuius rei omnino distinctè à debitore, & ideò solui potest per aliam personam, quia ibi intercedit virtualis donatio per quam tertia persona rem suam donat debitori, vt per illam soluat creditori suo. At verò personale debitum dicitur illud, quod per actionem, vel passionem propriæ personæ soluendum est, & ideò non potest per alium solui, quia non potest vnus ita donare alteri actionem suam, vel passionem, vt illius propria efficiatur.

2. Argumenta dictæ sententiæ.

Quod autem huiusmodi debitũ pœnæ hoc modo personale sit, ostendi potest primò, quia propter peccatum fit aliquis dignus pœna in se ipso, non in alio: ergo contrahit debitum persoluendum per actionem, vel passionem propriæ personæ, non alterius. Secundò, quia hoc debitum pœnæ tale est, vt contrahi non possit per opus alienum, sed per proprium: ergo etiam è contrario solutio eius debiti non potest fieri per alienum opus, sed per proprium. Tertiò, quia illud debitum, quod ex peccato relinquitur, ad satisfaciendum pro culpa eo modo, quo potest; seu (quod idem est) ad se disponendum ad remissionem culpæ. hoc, inquam, debitum non potest per alium solui, sed omninò personale est: ergo idem dicendum est de debito pœnæ, quod ex eodem peccato relinquitur etiam per remissionem eius quoad culpam. Quartò, quia meritum gratiæ, aut gloriæ ita est personale, & nemo possit alteri suum meritum præstare, vt alteri valeat ad gloriam obtinendã, & sit quasi pretium illius mercedis, sed illud pretium esse debet proprium ac personale opus, quia per illud solum fit homo dignus vita æterna: ergo eadem ratione non potest vnus pro alio soluere reatum pœnæ temporalis, quia non potest per opus alterius fieri nõ dignus pœna, cuius per propriam culpam dignus effectus fuerit, quandiu autem non manet dignus pœna nõ est ablatus pœnæ reatus. Quintò, quia hæc pœna peccatis debita medicinalis est, & pertinet ad quandam maiorem hominis sanctificationem; nemo autem curatur per medicinã alteri inhærentẽ, nec fit sanctior per bonum opus alterius: igitur nec potest propriè soluere hoc debitum pœnæ per alterius satisfactionem. Sextò tandem, quia loquitur Scriptura de hac pœna, vt sustinenda ab vnoquoque peccatore in propria persona ad Galat. 6. *Vnusquisque onus suum portabat.* & ad Corint. 5. *Vnusquisque recipiat, prout gessit in corpore:* Galat. 6. 2. Cor. 5

*corpore*:& 1. ad Corinth. 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiat secundum suum laborem*, & Psal. 61. *Tu reddes vnicuique secundum opera sua*, cùm similibus. Aliunde verò omnia, quæ in superiori sect. adduximus, ad summum probant, fideles posse se mutuò iuuare orando,& impetrando.

3. Corollariũ ex prædicta sententia.

Atq; ex hac sententia infertur, etiamsi vnus iustus pro alio offerat opera sua satisfactoria, vt illi obtineat remissionem pœnæ temporalis, & de facto illam impetret; nihilominùs æquè satisfacere per illa opera pro peccatis propriis, quia non se priuat fructu propriæ satisfactionis: cùm enim per suam pœnam pro alio non soluat, consequens est, vt pro se soluat. Sicut iustus, quando orat pro alio, aut benè operatur, vt alteri impetret auxilium gratiæ, vel aliud bonum, non minùs meretur sibi de condigno vitam æternam, quã si nihil alteri mereretur de congruo: ita ergo quanuis alteri impetret de congruo remissionem pœnæ, nihilominùs pro se æqualiter satisfacit de condigno, ac si nihil alteri impetraret. Imò, sicut ex hac circunstantia orandi, vel intercedendi pro alio augetur moraliter bonitas,& dignitas ipsius operis, ita etiam augetur satisfactio de condigno pro peccatis propriis.

4. Prædicta sẽtentia reiicitur. D. Thom. Bonau. Durand. Palud. Richard. Soto. Gabr. Alens. Adrian. Turrecre. Nauar. Couar. Caiet. Bellar. Medina. Corduba. Pius V.

Hanc sententiam censeo esse falsam,& valdè nouã in Theologia, ideoque omninò vitandam in materia adeò graui. Nam in primis Theologi omnes contrarium sentiunt. D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 2. qu. 3. & d. 45. q. 2. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 158. Bonau. d. 20. art. 1. q. 1. & 2. Dur. q. 2. Palud. q. 2. Rich. art. 1. q. 3. Soto d. 19. q. 2. art. 4. & lib. 3. de Nat. & grat. c. 6. Gabr. d. 16. Gab. d. 16. q. 2. a. 3. Alens. 4. p. q. 24. mẽbr. 4. a. 4. Adriã. quodlib. 8. art. 2. conclus. 3. Turrecrem. in cap. *Mensurã* & in c. *Quis aliquando*. §. *in Leuitico*. n. 13. de Pœnit. d. 1. Nau. tract. de indulgent. notab. 13. per totum, & not. 22. n. 8. & 19. Couar. in c. *Alma mater*, 1. p. §. 4. num. 7. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 16. q. 1. & 5. Bellarm. lib. 1. de Indulgent. c. 2. Prope. 2. Et idẽ tenent Medin. & Cord. citandi sect. seq. quanuis immeritò soleant in fauorem prioris sententiæ referri. Denique addo Catechismum Pij V. cuius verba sunt valdè notanda in fine totius materiæ de Sacramento pœnit. n. 61. *In eo*, inquit, *summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus possit pro alio satisfacere.* & infrà explicans modum huius satisfactionis ait, *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persoluere, quare fit, vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Declarat igitur hanc satisfactionem esse solutionem debiti, quam vnus pro altero Deo reddit,& ipse acceptat. Et subdit, *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo Sanctorum communionem profitemur.*

---

## *Quæstionis resolutio.*

5. Dicendum igitur est, posse fideles sibi inuicem suffragium ferre, dum vnus pro alio soluit pœnam temporalem, pro peccatis remissis debitam. Ratio à priori huius veritatis sumenda est, ex diuina institutione: nam, vt sæpe in superioribus dixi, in huiusmodi præmiis, vel pœnis taxandis nihil potest ex sola rei natura definiri, sed necessaria est supremi legislatoris institutio, qui potuit vnam tantùm pœnam Purgatorij, præcisè ac definitè pro peccato remisso præscribere, & tunc nullus posset in hac vita pro tali pœna etiam per propria opera satisfacere, tamen etiam potuit non ita definitè pœnam taxare, sed quasi alternatiuè, vel talem Purgatorij pœnam, vel aliam condignam, & moraliter æquiualentem huius vitæ: at-

A quæ ita de facto fecisse, suprà ostendimus ex virtute, quam iusti habent ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ita ergo nunc dicimus potuisse Deum disiunctionem illam ita extendere, vt debeat homo tantam pœnam in purgatorio sustinere, vel in hac vita pro illa satisfacere, aut per se, aut per amicos suos. Quod enim potuerit Deus hoc modo pœnam hanc definire, videtur certissimum, tum quia nulla potest in hoc ostendi repugnantia, vt euidenter ostendemus soluendo argumenta prioris sententiæ; tum etiam, quia sæpe punitur aliquis per iustam legem, non tantùm in propria persona, sed etiam in filio, vel in alia persona sibi coniuncta: aliquando in pœnam ponitur opus per se, vel per seruum aut aliam personam coniunctam implendum, quia hæc ipsa coniunctio facit, vt talis pœna non censeatur omninò aliena, sed moraliter propria, quomodo puniuit Deus Dauid propter adulterium in filio: per mortem eius. Fideles autem ratione charitatis habent inter specialem vnionem, ratione cuius, quod vnus pro alio patitur, non censetur omnino ab altero alienum: potuit ergo optimè, seruata iustitiæ æquitate ita pœna hæc temporalis taxari, vt per nos, vel per amicos possemus pro illa satisfacere, interueniente ex parte satisfacientis voluntaria oblatione suæ pœnalitatis pro alio, tum quia hæc satisfactio debet esse voluntaria, tum etiam, vt per illam voluntatem tanquàm per donationẽ quandam moraliter fiat hæc satisfactio alterius, pro quo offertur. Vnde, si reuerà huiusmodi fuit diuina institutio, non est dubium, quin de facto possit vnus fidelis pro alio satisfacere, verè soluendo pœnam pro altero, seu alteri debitam, quia est suo modo dominus sui operis, quatenus habet moralem valorem ad satisfaciendum, &, quantum est ex parte voluntatis suæ, potest tale opus alteri donare: &, quantum est ex parte diuinæ legis, sufficienter illi hoc modo satisfit: quia sicut ad veritatem disiunctiuæ suffic;t vnius membri veritas, ita in pœna sub distinctione posita sufficit, si aliquo modo ex his, quæ in lege designatur, sustineatur. Vnus autem modus ex concessis in lege erat, posse per se, vel per alium pœnam sustinere.

B

C

6. Diuinã fuisse institutionem vt vnus fidelis pro alterius pœna posset satisfacere.

Solùm superest, vt probemus, huiusmodi fuisse diuinam institutionem, quod non possumus ratione ostendere, cùm hoc pendeat ex diuina voluntate: nec etiam habemus testimonium Scripturæ, quo id sufficienter conuincamus: nam quæ in superiori sectione adduximus, de intercessione per modum impetrationis,& meriti de congruo, possent in rigore declarari. Communis autem sensus Ecclesiæ, & perpetua traditio, quæ ex illa colligitur, videntur nobis sufficientem fidem facere huius diuinæ voluntatis, & institutionis. Hoc enim modo videtur Ecclesia semper intellexisse quoad partem, Sanctorum communionẽ, quã in symbolo profitetur, vt Catechismus Romanus loco citato dixit; & testimonia Scripturæ suprà citata indicant, quæ indifferenter loquuntur, & quantùm in se est, omnem communicationem possibilem & conueniẽtem includunt. Hũc item Ecclesiæ sensum colligimus ex vnanimi Theologorum confessione, quæ in re tam graui esse non potuit sine magno fundamento. Secũdò, ex ipso nomine satisfactionis, est enim commune apud omnes, posse vnum iustum satisfacere pro alio; satisfacere autem, in proprietate, & rigore sermonis non est impetrare gratuitam remissionem pœnæ, sed est debitum soluere: & in hoc sensu vsurpatum est nomen satisfactionis in hac materia, vt rectè adnotauit Catechismus Romanus suprà n. 52. Alioqui etiã Sancti in patria possent nunc satisfacere pro nobis, quia possunt etiam pro nobis orare, & remissionem pœnæ efficaciùs impetrare, quàm vnus viator possit alteri viatori idem beneficium obtinere, ex vi solius

D

E

impe

impetrationis. Item alias ad satisfactionem illo modo pro alio, in rigore non esset necessarium existere in gratia; quod est contra omnium sententiam, vt infrà videbimus. Sequela patet, quia ad impetrandum à Deo aliquod beneficium sibi, vel alteri, non est simpliciter necessaria gratia ex parte petentis, quia impetratio non nititur in propria iustitia, sed bonitate, & misericordia eius, à quo aliquid postulatur. Tertiò, principaliter hoc colligitur ex alio dogmate communi consensu Ecclesiæ recepto, scilicet, esse in Ecclesia thesaurum spiritualem conflatum ex satisfactionibus, non tantùm Christi, sed etiam ex superabundantibus satisfactionibus Sanctorum: de quo thesauro dicemus in sequentibus disputationibus de indulgentiis: illud autem dogma necessariò supponit satisfactionem vnius posse alteri applicari, illique prodesse ad solutionem pro pœna debita; alioqui frustrà esset ille thesaurus satisfactionum seu pœnalitatum, vt tales sunt: nec posset Ecclesia vti (vt sic dicam) diuitiis illius thesauri ad redimendos fideles à suis debitis, seu reatibus pœnarum temporalium, pro illis soluendo, quod est contra vsum, & efficaciam indulgentiarum, vt posteà videbimus. Atque hinc possent assumi duæ congruentiæ huius veritatis, quas soluendo argumenta melius declarabimus.

7. Duobus modis posse aliquem impetrare alteri à Deo remissionẽ debiti. Primus modus.

Vltimò confirmatur hæc sententia, quia vnus fidelis non potest suffragari alteri per modum impetrationis, vel meriti ad obtinendam immediatè remissionem pœnæ temporalis: ergo oportet, vt id faciat per modum solutionis communicando illi, seu dando pro illo satisfactionem suam. Patet consequentia, quia præter hos modos nullus alius est proprius, quo possit vnus alteri hoc suffragium præstare. Antecedens, & totum argumentum declaratur, quia duobus modis intelligi potest vnus impetrare alteri à Deo remissionem alicuius debiti; primo impetrando illi bonum motum, seu auxilium, quo efficiat bonum opus, per quod possit remissionem talis debiti obtinere: & hoc modo certum est, posse vnum fidelem iuuare alterum ad obtinendam remissionem pœnę: imò etiam est certum posse iuuare ad obtinendam remissionem culpæ: non solùm venialis, sed etiam mortalis: quia potest illi impetrare auxilium ad se disponendum, vel ad satisfaciendum eo modo, quo potest, pro tali culpa, quomodo potest vnus alteri mereri de congruo primam gratiam. Tamen ex hismet exemplis constat, cùm Theologi tractant de satisfactione vnius pro alio quoad pœnam temporalem, nõ agere de hoc genere auxilij, seu suffragij, alioqui etiam dicerent, posse vnum satisfacere pro alio quoad culpam venialem vel mortalem. Item, immeritò dicerent talem modum suffragij esse solùm ad remissionem pœnę temporalis, nam potiùs esset ad bene operandum, & merendum coram Deo; consequenter verò, & secundariò ac remotè vtilis esset ad obtinendam remissionem pœnæ temporalis iuxta dignitatem, & proportionem meritorij operis alteri impetrati. Item, ille modus suffragij non haberet locum circa animas Purgatorij, quia illæ non possunt per sua propria opera satisfactoria soluere pœnam debitam, vt suprà visum est: certum est autem, vt infrà dicemus, hoc genus suffragij de quo agimus ad animas defunctorum extendi.

Quæstionẽ non procedere de hoc modo suffragij.

8. Secundus modus.

Alio ergo modo intelligi potest vnum impetrare alteri remissionem pœnæ, immediatè petendo, & obtinendo, vt gratis, & sine vlla satisfactione, vel compensatione tollatur. Et hunc quidem modum videntur admittere multi Theologi, præsertim circa animas Purgatorij; de quorum sententia infrà dicemus. Tamen illi non vocant hanc satisfactionem vnius pro alio, sed puram impetrationem; ac proinde non negant esse possibilem alium modum solutionis. Nec potest quis cum fundamento illum negare, si hunc modum impetrationis admittit: nam quippiam maius est impetrare alteri remissionem pœnæ omninò liberalem, quàm impetrare, vt pro pœna, quam alius debet acceptetur, quam ego voluntariè sustineo, & pro ipso offero; & si rationes alterius opinionis validæ essent, multò magis procederent contra hanc gratuitam cõdonationem ob alterius preces, vt inter respondendũ ad illas declarabimus.

9. Hunc modũ esse impossibilem.

Vlteriùs verò ego existimo, illum modum remissionis, & impetrationis secundùm legem ordinariam à Deo statutam esse impossibilem. Primò, quia nemo potest sibi ipsi impetrare illo modo remissionem gratuitam pœnę temporalis, vt suprà disputando de satisfactione, dixi ergo neque alteri poterit, quia, cæteris paribus, efficacior est oratio ad impetrandum sibi, quã alteri. Secundò, quia intercedit eadem proportionalis ratio, scilicet, quia cùm habeat aliquis vnde soluat, immeritò postulat gratuitam remissionem, & quasi dispensationem in lege iustitiæ, vbi nulla vrget sufficiens ratio misericordiæ: ita ergo, cum aliquis habeat opera pœnalia satisfactoria, quę possit pro alio offerre, cui suffragari cupit, immeritò postulat illi remissionem pœnæ omninò gratuitam. Terriò, quia ipsemet Christus non obtinuit nobis remissionem pœnæ, nisi sustinendo pœnam, & ita pro nobis satisfaciendo, & nunc, quoties de facto remittitur nobis aliquis pœna tẽporalis propter Christũ, id non fit sine applicatione, & solutione ex satisfactionibus ipsius Christi: ergo multò minùs poterit vnus ex aliis hominibus impetrare alteri gratuitam remissionem sine vlla solutione.

10. Obiectio.

Dices posse saltem impetrare, vt sine solutione, quã ipse exhibeat, fiat remissio, applicando quoad hunc effectum satisfactionem Christi. Respondeo in primis, si argumenta contrariæ opinionis efficacia essent, æquè probarent, hunc modum applicationis esse impossibilem, ac modum satisfactionis vnius pro alio per propriam satisfactionem, vt statim ostendam. Ac deinde, quanuis ille modus non sit impossibilis, tamen sine fundamento dicitur esse ordinarius, aut vsitatus à Deo, quia satisfactio Christi vltra proprium opus operantis non applicatur nobis extra sacramenta, sacrificium, & indulgentias, propter solam intercessionem, vel petitionem nostram, præsertim quæ fit à priuata persona, nam de illa, quæ fit nomine totius Ecclesiæ, nonnulla est maior dubitatio, de qua infrà dicemus. Neque de illo genere impetrationis, seu applicationis potest ostendi aliqua promissio, vel fundamentum sufficiens, alioqui dici etiam posset, vnum fidelem posse immediatè impetrare alteri infusionẽ gratiæ absque sacramento, vel contritione, impetrando immediatè applicationem meritorum Christi ad hunc effectum, quod tamen cum fundamento dici non potest. Verisimilius ergo est, non dari hanc impetrationem gratuitæ condonationis pœnæ propter alterius petitionem: superest ergo, vt proprius modus suffragiorum fidelium quoad remissionem pœnæ tẽporalis, sit per modum solutionis, & satisfactionis vnius pro illo.

Soluitur.

---

*Satisfit argumentis contrariæ sententiæ.*

11. Ad primum.

AD fundamentum ergo contrariæ sententiæ respondetur, negando assumptum in sensu ibi intento: nam reatus pœnæ temporalis potest quidem dici debitum personale: quia per se, & vi sua solam talem personam constituit debitricem, ideoque ab illa potest iustè exigi, non est tamẽ ita personale, vt necessariò sit soluendum per actionem, vel passionem solam talis personæ, nec quia repugnet legi

iustitiæ, pœnam vnius pro altero oblatam in recompensationem debiti illius acceptari. Alioqui nec Christi satisfactio posset hoc modo applicari alteri ad remissionem huius debiti per modum solutionis, sed tantùm per modum impetrationis & meriti, quod absurdum est. Sequela patet, quia pœnâ à Christo susceptâ, non est punitio, vel satisfactio pœnalis alterius. Quod si dicatur, licèt non sit satisfactio in propria persona, esse in persona sui capitis, idque satis esse, si per ipsum applicetur: hinc concluditur, illud debitum non esse in toto rigore personale, atque adeò simili ratione, non quidem æquali, sed proportionali, satis esse satisfactionem alterius membri pro altero susceptam, & oblatam. Atque hinc sumitur prima congruẽtia suprà promissa huius institutionis, & legis diuinæ scilicet, vt sicut est communicatio capitis ad membra, ita etiam sit membrorum inter se in his, in quibus commodè esse potest. Quorum vnum est hæc satisfactio. Quocirca licèt ex vi peccati aliquis fiat in se ipso dignus pœna, nec reatus ille propriè, & verè sit in alio, ideóque ipsemet debeat luere pœnam si aliundè ipsi non subueniatur, nihilominùs non repugnat huic dignitati, seu debito pœnæ, vt per solutionem, & quasi donationem alterius possit extingui: quia, vt diximus, ex vi primæ institutionis, seu legis taxantis hanc pœnam, non est præcisè posita, vt soluenda in propria persona, sed cum disiunctione, & latitudine soluenda, vel per se, vel per amicos.

12. Ad secundũ. Cur debitũ pœnæ tẽporalis per proprium reatũ peropus alienũ contrahi possit, non autem sic solutio eius.

Ad secundum negatur consequentia: nam debitum pœnæ temporalis per proprium reatum non cõtrahitur, nisi per culpam actualem, in qua non potest esse communicatio: quia per solam voluntatem priam committi potest, eò quòd sit voluntaria deuiatio à rectitudine: solutio autem pœnæ potest ab alio fieri & alteri prodesse: quia quatenùs ab alio fit, seu offertur bonum opus est, & ex charitate fieri potest, prout verò alteri prodest, seu pro illo acceptatur, potest etiam interuenire consensus eius, quanquàm hîc non requiratur particularis, seu expressus: nam sufficit implicita, seu generalis voluntas, qua vnusquisque vult liberari à malo, quantum in ipso est, Loquutus sum autem de debito pœnæ per proprium reatum, qui dicit habitudinem ad propriam culpam; nam, si loquamur de debito voluntariè sumpto per propriam obligationem, & quasi fideiussionem, sic potest aliquis habere debitum soluendi pœnam pro alio sine propria culpa, quale debitũ suo modo fuit in Christo, & ex sentẽtia multorũ Theologorũ potest esse in vno homine acceptãte pœnitentiã pro alio, vel promittẽte satisfactionem suam pro illo. Denique hoc argumẽtũ, & præcedens manifestè deficiunt in satisfactione Christi nobis applicata.

13. Ad tertium.

Ad tertium negatur consequentia, quia remissio culpæ pertinet ad iustrinsecam rectitudinem, & sanctificationem hominis, & ideò non fit sine intrinseca & proportionata dispositione eius, cui remittenda est (loquimur in adultis, & secundùm legem ordinariam) remissio autem solius pœnæ temporalis non reddit hominem meliorem, aut magis studiosum, & ideò fieri potest per extrinsecam actionem, seu solutionem alterius, alteri communicatam. Atque eadem

Ad quartũ. ferè est solutio ad quartum, quod sumebatur ex merito gloriæ: neganda est enim consequentia, propter eandem rationem, quam tetigit diuus Thom. suprà, quia meritum tale esse debet, vt intrinsecè disponat hominem in ordine ad gratiam, & sanctitatem proportionatam præmio, quomodo nullus disponitur per actum alterius, sed per proprium: remissio autem pœnæ non requirit nouam sanctitatem intrinsecam, aut propriam dispositionem virtutis, vt dictum est, & de animabus Purgatorij constat. Vnde non est

A simile de dignitate præmij, & de carentia reatus seu dignitate pœnæ: nam illa dignitas semper fundatur in intrinseca sanctitate, siue habituali, siue actuali, de qua agimus: dignitas autem pœnæ, licèt orta sit ex culpa; non tamen sæpe fundatur in culpa, quæ adhuc maneat physicè: aut moraliter: nam potest radicari in culpa iam remissa, & secundùm præsentem iustitiam solùm fundari in hoc quòd nondum est sufficiens pœna soluta. Et ideò per solam pœnæ solutionem, absque alia intrinseca dispositione, vel maiori sanctificatione potest illa dignitas, seu reatus pœnæ temporalis auferri.

Cur non possit alteri suum meritum ad gloriam tribuere, possit autem pro illius pœna satisfacere.

Accedit etiam alia ratio differentiæ, ex qua sumitur alia congruentia optima prædictæ institutionis quoad satisfactionem, quæ non habet locum in merito, quod meritum proprium & de condigno, de quo B agimus, ordinatur ad essentialem hominis beatitudinem, & debitum statum in illa acquirendum; in quo integrè explentur singulorum merita: nam vnicuique datur præmium secundùm totam meritorum mensuram: & ideò nunquam possunt homini aliqua merita superesse, quæ excedant præmia: nec posset vnus aliquod meritum proprium dare alteri, nisi se priuando aliquo præmio essentiali correspondente tali merito, quod est alienum ab ordine charitatis. At verò satisfactio ordinatur ad remissionem pœnæ temporalis, quæ est quid accidentarium ad statum beatitudinis, & sæpè fieri potest, vt non sit necessaria homini satisfaciẽti: quia fortasse non est debitor tantę pœnę, & ideò possunt aliquando esse in iustis superabundantes satisfactiones. Ac propterea congruum fuit ex hac parte, vt satisfactio vnius posset communicari alteri, ne omnino sine ptoprio fructu, & effectu maneret, quando C in ipso operante illum habere non posset, ac propterea etiam factum est, vt quando tales satisfactiones ab ipsismet personis operantibus non donantur, & applicantur aliis, reponantur in thesauro Ecclesiæ, vt per Christi Vicarium possint dispensari. Rursus, remissio temporalis pœnę, quę est proprius fructus satisfactionis, quid accidentarium est ad statum beatitudinis, & per se non auget, neque mutat intrinsecam sanctitatem, potéstque reatus talis pœnæ alia via, saltem per satisfactionem auferri. Et ideò ex hac etiam parte cõgruum fuit, vt posset vnus alteri suam communicare satisfactionem: quia hoc non repugnat ordini propriæ charitatis, cùm ob eam rem homo nullum essentiale detrimentum patiatur in his, quæ ad propriam boni- D tatem, vel ad beatitudinem pertinent: nam ad summum potest ob eam causam, aliquo tempore detineri ab ingressu beatitudinis, & aliquam grauiorem pœnam temporalem sustinere, quod superabundanter compensatur ipso vsu charitatis, quæ in communicatione propriæ satisfactionis exercetur, & essẽtiali prę- mio, quòd illi respõdet apud Deum, quod múltò maioris momenti est, vt per se constat.

14.

Ad quintum argumentum facilis est responsio ex dictis: concedimus enim, opera hæc pœnalia, quatenùs ordinantur ad remedium vitiorum, seu mortificationem passionum, non posse formaliter (vt sic dicam) seu efficaciter prodesse aliis, sed his tantùm, qui E ea operantur: quia huiusmodi effectus fit per talia opera physico, & cõnaturali modo, & nõhabẽt vim ad illum causandum, nisi in proprio subiecto: quia operantur tanquam actus immanentes in illo. Dico autem, *formaliter*, *seu efficienter*: quia per modum impetrationis vel meriti de congruo etiam possunt hæc opera ab vno facta, aliis prodesse, quia illa est quædam causalitas moralis, quæ ad alios potest ordinari. Negamus autem se qui talia opera, vt sunt satisfactoria pro pœna, non posse aliis communicari, & in eis habere totum effectum suum: quia hic effectus

15. Ad quintũ. Opus pœnale, quateus medicinale est, solùm prodest illi à quo exercetur.

Vt autem satisfactoriũ

ctus est per se separabilis à primo,& è contrario:nam Deus non exigit satisfactionem tantùm propter curationem vitiorum, vel acquisitionem virtutum, sed etiam propter vindicationem delicti commissi,vt patet in animabus Purgatorij, in quibus iam nec virtutes crescunt, nec vitia timentur, & nihilominùs puniuntur propter iustitiæ æquitatem,sicut è contrario homo iustus quanuis nullius pœnæ sit debitor, exercet hæc opera ad moderãdas passiones,& virtutes acquirẽdas.Quãquàm ergo hic fructus semper in operante maneat, nec possit alteri communicari, nihilominùs fructus satisfactionis potest alteri donari, alter verò, cui donatur, licèt possit fortasse illa via omninò liberari à debito pœnæ,nihilominùs ad propria vitia,& passiones curandas, seu moderandas indigebit proprio vsu, & exercitio talium operum.

potest aliis cõmunicari,

16. Ad sextum. Exponuntur Scripturæ loca. Augustin.

Ad sextum respondetur, illa testimonia Scripturæ intelligi de retributione finali, & duo præcipuè in eis intendi. Vnum est,quòd in diuino iudicio nullus cõtaminatur peccatis alienis, sed hoc modo vnusquisque onus suum portat, vt exposuit August. serm. 24. de Verbis Apostoli, quomodo etiam suprà dicebamus, nullum fieri reum pœnæ, nisi ex peccato proprio. Atque hinc fit secundò, vt in diuino iudicio,& ex vi iustitiæ vindicatiuæ Dei nullus condemnetur ad pœnam in alia vita substinendam ( qualis est ea, quæ per finalem sententiam imponitur ) nisi in propria persona : hoc autem semper habet subintellectam conditionem, scilicet, nisi alia via homo pro pœna satisfecerit, vel per alios ei subueniatur tempore congruo, seu in eo statu, in quo sit capax huius subsidij : nam quoad hunc effectum locũ habet quod in eodem c. 6. ad Galat. monuit Paulus, vt alter alterius onera portemus, quod *de oneribus participandæ infirmitatis* exposuit August.lib.2.de Consensu Euangel.cap.30. quæ autem maior participatio infirmitatis,quàm pro alio pœnam suscipere? quòd autem in prædictis sententiis,scilicet, *Vnusquisque recipiet, prout gessit in corpore*, & similibus, subintelligenda sit aliqua similis conditio, manifestum est, quia aliàs, nec per indulgentias, nec per sacramenta possemus illo onere liberari,quod hæreticum est.

17. Corollariũ ex proxima & vera sententia. D.Tho.

Vltimò,ex dictis cõcluditur oppositum eius,quod contraria sententia inferebat, nimirum quoties vnus pro alio efficaciter satisfacit, seipsum priuare fructu illius satisfactionis, quantùm ad remissionem pœnæ. Quod expressè docuit D.Thom.d.45.q.2.art.1.quæstiunc.4.& d.20.q.1.ar.2.quæstiunc.3.& est communis consensus aliorum Doctorum quos retulimus.Et sequitur manifestè ex dictis : quia hæc satisfactio fit per propriam solutionem,& recompensationé æquialentem : vnum autem satisfactorium opus, quod in ratione pœnæ est finiti valoris, solùm potest secundùm æqualitatem valere ad remissionẽ tanti reatus:ergo,si hunc effectum habet in alio, pro quo offertur,non potest habere alium in ipsomet operante: nam hoc excedit valorem operis, sicut suprà dicebamus, futurum esse in merito de condigno, si vnus posset alteri suum meritum dare, vt ratione illius acciperet condignum præmium, necessario enim esset ipse priuandus tali præmio, quia non potest idem meritum finitum duobus præmiis, simul, & singulis eorum adæquari. Quod secus est in impetratione: nam hæc non tollitur respectu sui, propterea quòd etiam ad alterum ordinetur, vel è contrario, quia ad impetrationem non attenditur æqualitas, vel condignitas operis,seu operantis, sed liberalitas, & bonitas eius, qui oratur. Similiter etiam satisfactio pro alio, & meritum pro se non repugnat simul, quia sunt diuersarum rationum,& ad diuersos effectus ordinantur, fundanturque in distinctis principiis, seu proprietatibus actuum, scilicet bonitate, & pœna, vt in superioribus explicatum est, imò inde fit vt ex satisfactione pro alio augeatur potiùs meritum essentialis præmij, cæteris paribus, quia augetur opus charitatis, in qua præcipuè meritum fundatur. Ac simili modo meritum de cõdigno respectu sui,& meritum de congruo respectu aliorum non repugnant simul in eodem opere, quia etiam sunt diuersarum rationum, & in altero non attenditur condignitas, seu ratio iustitiæ, quæ consideratur in altero, & ideò eadem charitas potest esse principium sufficiens vtriusque meriti. Secus verò est de satisfactione:nam hæc, siue fiat pro se, siue pro alio,debet fieri soluendo tantùm,quantùm debetur, & ideò non potest eadẽ satisfactio sufficere ad soluẽda duo debita æqualia,proprium,& alienum, sicut ob eandem causam, qui suam satisfactionem vni applicat, nõ potest simul eandem pro altero offerre, quia non habet tantum valorem. Vnde,si pro multis offeratur,minor est in singulis,quàm si pro vno tantùm offerretur, vt est communis sententia Theologorum in 4.d. 45. quam tenet etiam Scotus quodlib. 20. Antoninus 3. p. tit. vlt.cap.2.Et ratio constat ex dictis.

Scot. Anton.

## SECTIO III.

### *Vtrùm Suffragia fidelium prosint viuentibus infallibiliter,ac de iustitia quoad remissionem pœnæ temporalis.*

1. Suffragia pro viuis offerri possũt.

QVANVIS ostensum sit, hoc genus suffragij fieri per modum satisfactionis, seu solutionis,adhuc supereſt dubium,an ex parte Dei acceptatio huius solutionis sit ex iustitia,nécne. Nam hęc duo separabilia sunt,vt in speciali disputatione de iustitia Dei latiùs & generaliùs declaraui. Hoc ergo supereſt in præsẽti tractandũ,tamẽ,quia respectu diuersorũ,pro quibus suffragia offerũtur,diuersa est dubitandi ratio,& incertitudo,& ideò oportet simul dicere de his,quibus possunt hæc suffragia prodesse, & in hac sectione agimus de viuentibus, posteà verò de defunctis. Supponimus autem in hac quæstione,hæc suffragia posse offerri pro aliis viuentibus quoad satisfactionem pœnæ temporalis. Quod est certissimũ: nam omnia, quæ adduximus, maximè procedunt de viuentibus inter se,& quæ posteà dicemus de defunctis,hoc à fortiori confirmant:nam quoad vnctionem charitatis eadem est inter viuentes, quæ est cum defunctis, quoad statum verò est inter illos quædam maior proportio, & ita Scripturæ, in quibus est sermo de his mutuis auxiliis,seu suffragiis fidelium, frequentiùs de viuentibus inter se loquuntur.Hoc ergo supposito,difficultas est, an hæc satisfactio vnius pro alio ita sit de iustitia,& de condigno, sicut pro seipso.

2. Prima sententia.

Prima sententia est, hanc satisfactionem non esse de condigno ex iustitia, sed ex libera acceptatione ipsius Dei, quæ potest etiam fundari in aliqua congruitate ex parte offerentis satisfactionem suam: non tamen propterea erit acceptatio infallibilis etiãsi à iusto,& pro iusto offeratur.Ita Medina tract.3. de Satisfactione,q.2.& 3.& tract.6.de Oratione, q.19. in fine,Cordub.lib.5.de Indulgentiis,q.5. ad 8. Fundamentum est, quia punitio est propria actio iustitiæ vindicatiuæ, quæ veluti confert ius in ipsummet reum, qui deliquit, & ideò nunquàm iudex tenetur satisfactionem per alium acceptare, etiamsi aliàs fortasse æqualis sit, sed ius habet puniendi ipsummet personam. Vnde D.Thomas 3.p.q.90.art.2.dicit, in vindicatiua iustitia solutionem fieri secundùm arbi-

Medin. Cordub.

D. Thom.

trium iudicis, non ſecundùm voluntatem ſoluentis. Dici poteſt hoc verum eſſe, ſi lex, quæ pœnam imponit, illam omninò limitet ad perſonam ipſius delinquentis, potuiſſe tamen ipſammet lege ſtatui, vt ſic peccans tãta pœna afficeretur, quàm per ſe, & per amicos ſoluere poſſit. Poſita autẽ hac lege, ſatisfactio vnius pro alio erit infallibilis, & de iuſtitia, quandoquidẽ iam ſoluitur pœna lege ſtatuta. Quidam reſpõdent, etiam poſita illa lege, ſatisfactionẽ quidem eſſe infallibilem, non tamen eſſe ex iuſtitia, quia non oritur ex ipſa rerum natura, & qualitate, ſed ex lege Dei, & beneplacito. Sed hoc etiam prædictis Auctoribus non placet, neque eſt verum, quia inter talem pœnã, & delictum poteſt inueniri ſufficiens proportio, vnde lex illa non confert æqualitatem, & valorem ipſi pœnæ, ſed eſt quaſi pactum, vel promiſſio ſub conditione, vel taxatio pœnæ, ſeu modi puniẽdi delictũ: huiuſmodi autem promiſſio, aut lex non ſolùm non repugnat iuſtitiæ, ſed potiùs poteſt eſſe fundamentũ illius, ſi aliunde æqualitas & proportio ſeruetur, vt ſæpe ſuprà dictum eſt. Meliùs ergo dicti Auctores fatentur hunc modum ſatisfactionis eſſe poſſibilem, negant tamen eam legem, ſeu promiſſionem factam eſſe, tum quia nec Scriptura ſacra, nec traditione conſtat; tum etiam, quia ſicut mereri, ita & ſatisfacere de condigno pro alio cenſetur eſſe proprium Chriſti Domini; tum denique, quia hæc ſatisfactio ſolùm fundatur à Theologis in vnione membrorum Eccleſiæ, quæ per charitatem fit, hoc autem non ſatis eſt ad rationem iuſtitiæ.

3. Secunda ſententia.

Contraria videtur eſſe communis ſententia Doctorum, quos ſectione præcedenti retuli: nam, licèt diſertè non vtantur his verbis, *de condigno, & de iuſtitia*, tamen abſolutè loquuntur de hac ſatisfactione vnius pro alio, tanquàm de certa, & infallibili, & D. Thom. 3. contra Gentes, c. 158. ſimpliciter ait, *ſicut per ſeipſum, ita & per alium poteſt aliquis ſatisfacere Deo*, & infrà inquit, *Affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis ſatisfactionem Deo acceptam, quàm ſi pro ſe pateretur*. Significat ergo eſſe æquè infallibilem quoad acceptationem, & creſcere aliquo modo quoad valorem. Idem ſignificant alij Doctores, præſertim Gabriel, Adrian. Nauarrus, Caiet. & Sot. Fundamentum eſſe debet, quia opus, quod ab aliquo offertur in ſatisfactionem pro alio, ex ſe habet ſufficientem proportionem, & valorem moralem ad cõpenſandam pœnam: ſupponimus enim ex parte ſatisfacientis concurrere omnes conditiones ad hunc valorem neceſſarias, quas infrà declarabimus. Sed ex parte Dei etiam intercedit ſufficiens ordinatio, & promiſſio acceptandi ſatisfactionem vnius pro alio, & ob illam remittendi proportionatam pœnam Purgatorij: ergo nihil hîc deeſt ad ſatisfactionem de cõdigno. Minor probatur, quia ſuprà diximus, ſatisfactionem vnius pro alio neceſſariò ſupponere talem Dei legem in taxandis pœnis peccatorum, vt non limitetur ad propriam perſonam, ſed ſub diſiunctione poſita ſit, ita vt vel per ſe, vel per amicos ſolui poſſit: ergo, vel negãdum eſt, vnum poſſe ſatisfacere pro alio, vel fatendum eſt, illam ſatisfactionem eſſe de condigno: neque locum habet illa via media, quam Medin. hîc, & Cordub. ſequi videtur. Probatur cõſequentia, quia vel dicta lex dicto modo poſita eſt, vel non; ſi non eſt poſita, non erit ſatisfactio vnius pro alio per modũ ſolutionis, ſi autem lex illa dicto modo lata eſt, non poteſt ſatisfactio non eſſe de condigno; quia, qui ſoluit pœnam iuxta modum à lege præſcriptum, ad nihil aliud tenetur, nec poſſet Deus ab illo iuſtè exigere aliam pœnam, quia iam non eſt debitor. Vnde, licèt poſſet Deus, vt ſupremus Dominus, inferre totum illud malum, tamen non poſſet illud infligere per modum pœnæ, nec vt iuſtus iudex: ergo ſignum eſt ſatisfactionem factam eſſe de iuſtitia.

Gabr. Adrian. Nauar. Caiet. Soto.

Medina. Corduba.

Pro reſolutione huius dubij aduertendum eſt, dupliciter poſſe dici ſatisfactionem condignam, & de iuſtitia: primò, quia fit ſecundùm quandam æqualitatem rei ad rem, quomodo dicitur aliquis condignè emere, & ſecundùm leges iuſtitiæ, quando ſoluit pretium æquiualens, quanuis & ipſe voluntariè emat, & alius etiam ſine antecedente obligatione iuſtitiæ vendat. Secundo modo dici poteſt ſatisfactio eſſe ex iuſtitia, quia non ſolùm eſt ſufficiens, & æquiualens, ſed etiam intrinſecè, ac neceſſario includit actualem ſolutionem, ita vt obliget iudicem, ſeu perſonam offenſam ad illam acceptandam ne poſſit amplius exigere talem pœnam. Qui modus iuſtitiæ inter Deum, & hominem locum non habet, niſi ex ſuppoſitione pacti conditionati, ſeu promiſſionis ex parte Dei de remittenda tanta pœna ſub conditione talis, vel talis operis, vt ex materia de Incarnatione, & ex citata diſputatione de iuſtitia Dei ſuppono. Vnde fit, vt hic poſterior modus iuſtitię ſupponat priorẽ, nã promiſſio diuina, niſi ſupponat ex parte operis ſufficientẽ cõdignitatem, & æqualitatem, non inducet debitũ iuſtitiæ, ſed fidelitatis, vt in dictis locis oſtẽdi. Prior autẽ modus non videtur neceſſariò coniunctus cũ poſteriori, ſed ſeparabilis ab illo, quia nõ obſtãte cõdignitate ſeu proportione operis, poſſet Deus nõ promittere mercedem reſpectu operis meritorij, aut compenſationẽ pœnæ reſpectu operis ſatisfactorij, vt eiſdem locis declaraui.

4. Dupliciter poteſt dici ſatisfactio condigna.

## *Prima Concluſio.*

5. IN præſenti ergo quæſtione certum videtur, ſatisfactionem vnius pro alio eſſe poſſe, imò & eſſe debere de condigno priori modo, nec minorem ſufficere. Hanc aſſertionem non negant Medina, & Corduba: non enim putant deeſſe operibus iuſtorũ condignitatem ad ſatisfaciendum pro aliis, ſed ſolùm negant eſſe legem, ſeu promiſſionem diuinam, eandémque aſſertionem videtur conuincere ratio facta pro ſecunda ſententia, & omnia adducta in præcedenti ſectione. Nam ſi ſatisfactio non eſt æqualis, & condigna, reuerà non eſt ſolutio, ſicut qui non dat pretium æquale, non ſoluit rem, ſaltem integrè, ſed ad ſummum ex parte: ſed oſtenſum eſt hanc ſatisfactionem fieri per modum ſolutionis: ergo fit ſecundùm proportionem æqualitatis, quia, vt diximus, nulla pœna gratis remittitur, ſed per debitam compenſationem. Vnde hîc admittenda non eſt ſolutio inæqualis tanquàm ex parte ſufficiens, quia vel ſatisfactio, quæ pro alio offertur, vt illi remittantur duo gradus pœnę, habet æqualitatem moralem cum toto illo effectu: vel, licèt non habeat cum toto, habet cum parte, v.g. cum vno gradu pœnæ: vel nec cum toto, nec cum parte condignam æqualitatem, ſed ſolùm quandam congruitatem cum toto effectu. Si hoc tertium dicatur, omninò euertitur ſatisfactio per modum ſolutionis, ſolúmq; relinquitur per modum impetrationis, & meriti de congruo: dicendumque erit, quando vni propter alium immediatè pœna remittitur, gratis remitti, & non per veram recõpenſationem, quod repugnat omnibus dictis in ſect. præced. Si verò dicatur primũ, id eſt, quod intendimus, ſi autẽ dicatur ſecundũ, tũc gratis, & ſine fundamento dicitur, propter talem ſatisfactionem remitti duos gradus pœnæ, ſed vnum tantùm, quia non ſatis eſt, vt offerens intendat totum hunc effectum, niſi etiam

etiam offerat sufficiens, & æquiualens pretium: quã- A
tum ergo minùs offert, tantum minùs consequitur,
quia in hoc negotio nihil pœnæ gratis remittitur. Et
ideò dixi, hanc satisfactionem non solùm posse, sed
etiam debere esse condignam hoc modo, nec mino-
D.Tho. Palud. rem sufficere: & hoc apertè supponunt D. Tho. suprà
& Palud. d.20.q.3.n.23. & alij Doctores, dicentes, eũ,
qui pro alio satisfacit, eodem opere non satisfacere
pro se, quia eadem satisfactio finita non potest adæ-
quari duobus reatibus, proprio, & alieno: requirunt
ergo adæquationem inter satisfactionem, & reatum
per illam tollendam.

8. Num opus satisfactoriũ pro alio oblatũ æquè valeat, ac si pro se offerretur. Prima opinio. Cordub. Secũda opinio. Dubij resolutio.

Statim verò occurrebat inquirendum, an idem sa-
tisfactoriũ opus oblatum pro alio, valeat æqualiter ad
remissionem pœnæ obtinendã, ac oblatũ pro se. Ali-
qui enim existimant non valere in tanta quantitate,
seu ad tantum effectum, quod tribuit communi opi-
nioni Cordub. suprà, sed certè Nauarr. Soto, & alij,
quos refert, id non dicunt, sed absolutè aiunt, hanc
satisfactionem esse de condigno. Alij verò in alio ex-
tremo aiunt, idem opus pro alio oblatum plus vale-
re, & ad maiorem effectum remissionis pœnæ, quàm
oblatum per se, propter maiorem quandam, magis-
que spontaneam charitatem. Quod videtur significa-
re D. Thom. locis suprà citatis. Dicendum verò est,
formaliter loquendo, ac cæteris paribus, idem opus,
oblatum pro alio, vel pro se in satisfactionẽ eundem
D. Thom. Palud. Soto. valorem habere. Ita sentit D. Tho. dict. q. 20. q. 1. art.
2. quæstiunc. 3. si bene exponatur, quem sequitur ibi
Palud. q. 3. & Soto d. 19. q. 2. art. 4. Et ratio est, quia
dignitas, seu valor talis operis non sumitur ex rela-
tione ad se vel ad alterũ, sed ex cõditione ipsius ope-
ris, & dignitate gratiæ, seu charitatis, à qua procedit.
Sicut, si homo posset suũ meritum donare alteri, non
inde diminueretur præmium eius in altero: quia tan-
tum præmium debetur operanti illud opus, siue illud
in se recipiat, siue in alio: hoc enim solùm pendere
potest ex lege meriti à principio statuta: idem ergo
est in præsenti quoad satisfactionem, & effectũ eius,
non enim diminuitur valor operis in ordine ad satis-
factionem eò quòd alteri donetur, neque etiam re-
missio ipsius pœnæ, eò quòd alteri fiat, habet ratio-
nem maioris remissionis, si alioqui pœna, quæ remit-
titur æqualis est. Eadẽq; ratio est de augmẽto: nã idem
opus satisfactoriũ formaliter ac præcisè sumptũ, nõ fit
maioris valoris moralis, eò quòd pro altero offeratur.

7. In satisfactione pro alio duo cõsiderantur.

In hac verò oblatione duo distinguere oportet, sci- D
licet, & opus pro altero oblatum, v. g. ieiunium, &
voluntatem illam per quam ei donatur, seu pro illo
offertur, quæ voluntas & bona est, & meritoria, &
consequenter etiam esse potest satisfactoria per nouũ
gradum satisfactionis distinctum à tota satisfactio-
ne, quæ est in ieiunio pro alio oblato. Vnde optimè
fieri potest, vt ex illa voluntate coniuncta cum ope-
re ieiunij consurgat maior satisfactio, quàm fuisset
in solo ieiunio per se, & sine tali voluntate facto: ta-
men (quod considerandum est) qui pro altero offert
ieiunium in satisfactionem, non necessariò etiam of-
fert pro illo quasi reflexiuè illam satisfactionem, quæ
sibi accrescit ex illa voluntate. Et ideò semper verum
est, ieiunium illud pro alio oblatum, non plus valere
illi ad satisfactionem, quàm valeret alteri, quanuis
ex illo charitatis opere alius fructus accreuerit ipsi
operanti. Quòd si ponamus, operantem nõ solùm of-
ferre pro alio ieiuniũ, sed etiam totã satisfactionem, E
quæ ex opere charitatis sibi accrescit, ac deniq; totũ
hoc opus internum, & externum prout hîc, & nunc
fit, sic verum esse potest, totum illud opus oblatum
pro altero prodesse illi ad maiorẽ remissionem pœnę,
quàm solùm ieiunium prodesset operanti: sed hoc
non est, quia idem opus præcisè sumptum ex hoc ca-
pite fiat magis satisfactorium: sed quia cum illo con-
iungitur nouus actus satisfactorius pro alio etiã obla-
tus, ex quo augetur satisfactio.

8. Etiã in satisfactione pro se ipso posse illa duo considerari.

Addendum verò est, etiam quando aliquis exer-
ceat opus satisfactorium pro seipso, posse habere for-
malem voluntatem satisfaciendi pro se ex vera chari-
tate erga Deũ, vel seipsum, quæ voluntas aliquẽ gra-
dũ satisfactionis addit ieiunio, vel alteri operi simili.
Et ex parte poterit cum proportione comparari satis-
factio pro alio oblata dicto modo cum satisfactione
pro seipso, & supererit videndum quænam illarum
voluntatum sit magis satisfactoria, an voluntas satis-
faciendi pro alio, vel pro se, cæteris paribus. Nam,
quia charitas bene ordinata incipit à seipso, præser-
tim in spiritualibus: videtur ex hac parte voluntas
satisfaciendi pro se melior esse, & consequenter ma-
B gis satisfactoria, quia bonum illud, quod intendi-
tur, scilicet remissio pœnæ, & expeditio seu acce-
leratio gloriæ, spirituale est: aliunde verò voluntas
substinendi malum pro alio videtur esse difficilior, &
ex hac parte magis pœnalis, magisque satisfactoria.
Quidquid verò de hoc sit: nam fortasse interdum po-
test esse excessus, interdum æqualitas, iuxta varias cir-
cunstãtias, semper tamen verum est, idem opus satis-
factorium non habere maiorem, vel minorem effe-
ctum in alio, quàm in operante, cæteris paribus: volũ-
tas enim satisfaciendi pro se, vel pro alio non est ea-
dem voluntas, neque habet idem obiectum: & ideò
potest inter eas esse excessus, vel æqualitas iuxta di-
uersas circunstantias.
C

---

*Secunda conclusio.*

9. Prior pars assertionis probatur.

SECVNDO dicendum est, de posteriori modo
condignitatis, seu iustitiæ rem esse magis dubiã,
piè tamen credi posse, etiam satisfactionẽ vnius pro
alio esse de cõdigno. Prior pars probatur argumentis
factis pro priori sententia, præsertim quia prior con-
dignitas separabilis est à posteriore: nã posterior addit
promissionẽ, & pactũ diuinum, de quo non habemus
certã reuelationem, nec couincentẽ, aut satis vrgen-
tem rationem ex principiis reuelatis. Declaratur vlti-
ma pars assumpta (reliquæ enim claræ sunt) nam licèt
ad priorem condignitatẽ satisfactorij operis proxi-
mã, vt sic dicam, & non omninò remotam necessa-
D riũ fuerit, vt in taxandis pœnis peccatorum Deus nõ
restrinxerit, vel limitauerit illas ad pœnas alterius vi-
tæ, sed concesserit facultatem aliquã cõmutandi illas
pœnas voluntarias huius vitæ (vt aliis locis tracta-
tũ est) non tamen est necessarium, vt Deus promise-
rit, aut se obligauerit ad acceptandam satisfactionem
pro alio oblatam, sed hoc potuit reseruare suæ libera-
litati, seu liberæ voluntati. Nam eò ipso quòd respe-
ctu ipsiusmet peccatoris taxauit, vt pœna tali peccato
sic remisso respondens esset, vel tanta in Purgatorio,
vel tanta in hac vita, factum est, vt talis pœna huius
vitæ sit proximè condignũ pretium tantæ pœnę Pur-
gatorij. Dico autem *proximè*, quia sine tali lege Dei,
in ipso opere secundùm se, & prout à gratia facto, es-
set sufficiens proportio, & condignitas ad talem effe-
ctum: illam tamen appello *remotam*: quia de facto nõ
sufficeret ad cõpensandum vnam pœnam per aliam,
nisi diuina lex, & institutio interueniset: illa verò po-
E sita, est sufficiens tale opus, & quasi pecunia sigilla-
ta ad talem compensationem faciendam. Et hinc vl-
terius consequitur, vt ex vi illius concessionis vnum
opus satisfactorium pro alio oblatum, sit proximè
condignum tanquàm valor sufficiens ad recompen-
sationem illam faciendam, etiamsi Deus non promi-
serit, nec se obligauerit ad talem commutationem,

vel

vel acceptationem faciendam: potuit ergo esse institutio concessiua (vt sic dicam) quam probant omnia dicta in priori mẽbro, & in præcedenti sectione, quãuis non fuerit promissiua, de qua non videtur satis constare. Neque, hoc posito, remissio pœnæ gratis fieret, quando Deus acceptaret satisfactionem vnius pro alio: nam reuerà fieret propter condignum pretiũ, & consequenter secundùm æqualitatẽ rei ad rẽ, quæ est ratio iustitiæ, quãuis non esset ex obligatione iustitiæ simpliciter, sed tantùm ex suppositione cõtractus volũtariè initi, in qua volũtate acceptãdi vnum pro alio esset quædam gratia, & liberalitas, non tamen in cõpensatione ipsa: sicut, qui rogatus vendit pro pretio æquali, licèt in voluntate vendendi aliquod fortasse beneficium faciat, tamen in venditione ipsa nihil de pretij æqualitate remittit. Quapropter etiam iuxta illam sententiam dicendum non esset, vnum hominem solùm de congruo, vel impetratoriè satisfacere pro alio, aut è conuerso Deũ gratis remittere propter petitionem alterius, cùm iusta compensatio interueniat: sed dicendum esset hominẽ impetrare à Deo vt suam satisfactionem pro alio acceptet, satisfactionem autem ipsam esse æqualem, & è conuerso Deum liberaliter quidem acceptare, remissionem autem ipsam non facere, nisi ob condignum pretium.

10. Secũda pars assertionis suadetur.

Nihilominùs tamen altera pars proposita, scilicet verisimilius esse hanc satisfactionem vnius pro alio esse absolutè de condigno etiam posteriori modo, suadetur ex contrario fundamento: quia non constat in hoc negotio, seu effectu magis, quàm in aliis, institutionem ita esse factam, vt promissio separetur à concessione, seu quòd data sit facultas condignè merendi, & operandi apud Deum, & non sit promissum præmium, seu effectus proportionatus. Nam in omnibus aliis rebus non ita factum est: ergo nec in præsenti est asserendum. Alioqui etiam posset dici, satisfactionem pro seipso ita esse institutam, vt possit quidem homo, quantùm est in se, offerre pœnam cõdignam, & acceptabilem, Deus autem acceptare non promiserit. Prætereà, si satisfactio vnius oblata pro alio, acceptari potest, vt æquiualens, seruata æquitate iustitiæ, quantùm spectat ad æqualitatem rei ad rem, necesse est, vt ex vi illius legis per quã Deus taxauit pœnas peccati reddendas, non statuerit, ac definitè præscripserit, vt pœna temporalis, quæ manere solet post remissam culpam, luenda sit in propria persona eius, qui peccauit, alioqui acceptare pœnam alterius in compensationẽ, non esset secundùm ordinariam legem iustitiæ, sed ex dispensatione eius, & ita non esset secundùm condignã solutionẽ. Si autem lex nõ fuit illo modo definita: ergo posita est sub disiunctione: ergo talis lex in virtute continet hanc promissionẽ acceptandi, seu remittendi pœnã ab vno debitã ob satisfactionem eius nomine per aliũ factã. Quòd si quis contendat, potuisse Deũ ita statuere legẽ, vt daret locũ illi disiunctioni, nõ tamẽ absolutè & simpliciter: sed dependenter ex libera voluntate Dei, fateor me nõ videre in hoc repugnantiam, aut implicationem: tamen, cùm non constet, Deum hoc ita disposuisse, nec sit ita consentaneum dignitati gratiæ, & vnioni, quam charitas efficit inter iustos, nec diuinæ etiam benignitati, credibilius profectò est, Deum simpliciter statuisse legem, vt per nos, vel per amicos satisfacere possemus. Atque hoc etiam videtur magis consentaneum communi modo sentiendi, & operandi fidelium, qui videtur ex antiqua traditione manasse: neque in hac re maiorem certitudinem inuenio: neque etiam obiectionem difficilem, quæ in contrarium fieri possit.

11. Etiamsi aliquis nõ pe-

Addunt verò aliqui, & est probabile, hoc maximè procedere quando vnus ab alio petit, vt pro se satisfaciat, vel saltem scit, aut sperat alium oblaturum pro se satisfactionem, eámq; acceptat, ac Deo pro se offert, quia per hãc voluntatem & oblationẽ videtur magis facere suã alterius satisfactionẽ. Nihilominùs tamẽ dico, etiãsi vnus pro altero offerat satisfactionẽ suo solo arbitrio, altero neq; petente, neque sciente, nihilominùs infallibiliter acceptari, & habere infallibiliter effectũ circa alium, tũ quia iã satisfecit secũdùm pœnam taxatam à lege; tum etiam quia generali saltem, vel implicita voluntate vnusquisque acceptat huiusmodi donationem, & vult liberari à pœna, quacunque iusta ratione sibi possibili. tat vt alius pro se satisfactionẽ offerat prodest ei.

Aliqui etiam addiderunt, necessarium esse, vt is, pro quo satisfactio alterius offertur, sit impotens ad satisfaciendum. Sed hoc necessarium non est, vt notauit D. Th. d. 20. q. 1. ar. 2. quęstiun. 3. quia hęc cõmunicatio non fundatur in impotentia alterius, sed in vnione charitatis, & in prædicta lege taxante dicto modo pœnas peccatorum: neque oportet, vt nos restrictiones addamus, de quibus non constat. 12. Nõ necesse est vt ille proquo satisfit, sit ad id impotens. D. Thom.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm suffragia viuentium prosint etiam defunctis ad remissionem pœnarum.*

AErius hæreticus absolutè negauit vtilitatẽ suffragiorũ pro defunctis, vt sumitur ex Epiphanio hęresi 75. & Aug. 53. referẽtibus, illũ negasse orandũ esse pro defunctis. Idẽ negãt hæretici huius tẽporis, & omnes, qui nõ credũt Purgatoriũ esse, eõsequenter hoc sentiunt, quia, vt ostẽdemus suffragia prodesse nõ possunt animabus in aliis locis existẽtibus, de quibus hæreticis superiori disputatione dictum est. Alij in extremo fuerũt errore, dicẽtes, posse suffragia prodesse defunctis, etiã dãnatis, & in peccato mortali decedentibus. Quod affirmari potuit iuxta sententiã, quæ cõmuniter tribuitur Origeni de pœnis inferni, quòd æternæ nõ sint, sed aliquãdo saltem post longissima tempora finiendæ, vt suprà attigi, & refert etiam Hieronymus epist. 59. ad Auitum, quid cauendum in lib. Patriarch. &c. Athanas. orat. in id Euangelij, *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, &c.* Refert etiã Aug. 21. de Ciu. c. 13. & 17. fuisse sententiã Platonicorũ, nullã pœnã vitę futurę fore æternã. Iuxta hunc ergo errorẽ facilè dici posset, suffragia viuẽtium prodesse defunctis etiã dãnatis, vel vt pœnæ fiãt breuiores, vel certè vt doleãt de suis peccatis, & sic ab illo statu liberẽtur. 1. Primus hæreticorũ error. Epiphan. Augustt. Secũdus hæreticorum error. Hieron. Athan. Aug.

Alij verò, etiãsi pœnæ æternæ sint, dixerunt, suffragia prodesse dannatis, vel omnibus, vel saltẽ hominibus, vel ex his, saltẽ iis, qui fidẽ habuerũt, idque non vt à pœnis omninò liberentur, sed, vt vel leuiores fiant, vel vt in eis aliquam intermissionem, aut varietatem recipiant, vel saltem vt aliquo modo roborentur ad eas sustinendas, vel deniq;, vt aliquod solatium recipiant, dum intelligunt, non omnino se esse ab amicis destitutos. Quas sententias latiùs referunt Gabr. lect. 56. in Canonem. D. Anton. 3. p. tit. 32. c. 2. §. 2. Carthus. in 4. d. 45. q. 2. & ibidem Palacios, & alij. Et in c. *Tępus*, 13. q. 2. Glos. asseruit, non omnibus decedentibus in peccato mortali, sed his saltem, qui cũ paucis peccatis decesserunt, prodesse suffragia ad remissionem pœnæ: ita tamen, vt hæc remissio semper sit minor, & fiat secundùm quandam proportionem, vt nunquàm possit tota pœna cessare. Alij tandem addiderunt, posse suffragia prodesse defunctis, etiam beatis, ad gloriæ augmentum, quod aliquando significat Chrysost. vt hom. 33. in Matt. & hom. 3. ad Phil. & aliis 2. Tertius error. Gabr. Anton. Carthus. Palac. Glos. Quartus error. Chrysost.

& aliis locis infrà tractandis. Duo ergo à nobis ostẽdenda sunt: primum, prodesse suffragia defunctis ad remissionem pœnarum; secundum, & ad hunc effectum, & simpliciter ac propriè loquendo, non prodesse omnibus defunctis, sed illis tantùm, qui in Purgatorio existunt.

---

*Suffragia viuorum prodesse aliquibus defunctis. Conclusio de fide.*

3. Suadetur ex Scriptura.

PRIMVM ergo de fide est, suffragia viuentium prodesse aliquibus defunctis ad remissionem pœnarum. Quod probant omnia, quibus suprà ostendimus Purgatorium esse: nam ex hac veritate quasi à posteriori illa maximè ostenditur. Estque manifestũ, ac celebre testimonium illud 2. Machab. 12. *Sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quod testimonium egregiè expendit, soluens omnia hæreticorũ subterfugia, noster Bellarminus lib. 1. de Purgatorio, c. 3. Idem probatur ex illo Tobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Sensus enim est pro animabus defunctorum oblationem sacram, seu eleemosynam esse faciẽdam. De quo testimonio videri potest noster Turrianus lib. 4. contra Magdeburgenses, c. 13. Facit etiam id Eccles. 38. *Fili in mortuum produc lacrymas, &c.* & infrà, *Et non despicias sepulturam illius*, & infrà *In requiem mortui requiescere fac memoriam eius, & cõsolare illum in exitu spiritus sui.* Vbi in prioribus verbis rectè ponderat Iansenius, commendari sepulturã defuncti, non quomodocunque, sed prout ordinatur etiam ad bonum animæ eius: ideò enim dicitur, *Et secundùm iudicium contege corpus illius*, id est, secundùm fidelium morem cum precibus, & alio funebri ritu. Posteriora etiam verba in hunc sensum à multis intelliguntur, sed in eis non immoror, quia non multùm vrgent, si rectè extendantur, vt ibidẽ Iansenius aduertit. Magis fauent verba illa Eccles. 7. *Gratia datur in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiã.* Quorũ verborum sensus est, non tãtùm viuis, sed etiã defunctis esse gratiã præstandã, sub qua gratia auxiliũ suffragiorũ cõprehendi. Catholici omnes intelligũt. Hoc etiam cõuincũt verba Pauli 1. Cor. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* id est, qui pœnitentiã agunt, & se affligunt, vt pro defunctis satisfaciãt, iuxta expositionem probabiliorem, quam latè tractui 2. tom. d. 50. sect. 1. Citari etiam solet illud ad Rom. 12. *Necessitatibus Sanctorum communicantes*, vbi aliqui legunt, *Memoriis Sanctorum*, vt videri potest in Ambros. & Origene, ibi, & latiùs tractat Turrian. suprà, cap. 14. & sanè sub *necessitatibus Sanctorum*, rectè comprehenditur indigentia suffragiorum, quando post remissam culpam adhuc decedunt cum reatu pœnæ.

Bellar. Tob. 2. Turrian. Eccl. 38. Iansen. Eccle. 7. 1. Cor. 15. Rom 12. Ambros. Origen. Turrian.

4. Ex Conciliis probatur.

Secundò, definita est hæc veritas in multis Conciliis, vel quatenus in eis approbatur oratio pro defunctis, vt in Carthag. III. cap. 29. Carthag. IIII. capit. 79. Toler. II. cap. 12. Arelat. III. cap. 12. Vasen. I. capite secundo, quibus locis, pro his, qui in pœnitentia moriuntur, offerendum, & orandum dicitur. Nec minùs id probant alia Concilia, quæ prohibent offerre, aut publicè orare pro his, quos in peccato mortuos esse cõstat, quę infrà commemorabimus. Facit etiam, quod in Concilio Vasensi II. capite quarto, statuitur, in Missis, quę pro defunctorum commemorationibus fiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sicut in cæteris dicenda esse. Item in Concilio Brach. I. cap. 39. fit mentio de collectis, quæ in commemoratione defunctorum fiebant. Et alia similia sumi possunt ex Concilo Cabilonen. II. cap. trigesimonono, Aurelianen. II. capite decimoquinto, Vormatiẽsi capite octuagesimo, Nanneten. apud Gratianum de Consecratione d. 5. cap. *Nullus*, Epaunensi apud eundem 26. quæst. 6. capit. *Si aliquis*, ac denique ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. capite 67. & habetur in capit. *Ad Apostolicam*, de Simonia. Et alia, quæ specialiter hoc definiunt de Sacrificio Missæ, vt Cõcilium Tridentinum sessione vigesimasecunda, & alia, quæ in præcedenti tomo, suo loco adduximus. Expressiùs idem Trident. sess. 25. decreto 1. definit, *Animas in Purgatorio detẽtas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuuari.* Et in Concilio Florentino in literis vnionis Græci, & Latini in hoc articulo conuenerunt, scilicet, animas iustorum, qui in hac vita non plenè satisfecerunt, pœnis Purgatorij post mortem purgari, & vt *à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & elemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt secundùm Ecclesiæ institutum.*

5. Idem ostẽditur ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Tertiò, hæc veritas constat ex perpetua Ecclesiæ traditione: nam in primis in omnibus antiquis Liturgiis Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & in aliis Latinis officiis semper fit oratio, & oblatio pro defunctis, expressè etiam id monet Clemens Romanus libr. 8. cap. 41. aliàs 47. & 48. & in Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini. Idque obseruatum fuisse semper in Ecclesia, constat ex antiquis historiis, Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 71. Niceph. libr. 8. histor. c. 26. Platin. in vita Sixti II. vbi refert eum instituisse, vt in Missa secunda collecta fieret pro defunctis. Vnde hîc etiam addi possunt alia decreta Pontificum, quæ habentur extra de celebr. Missar. cap. *Quidam laicorum*, & c. *Cum creatura.* & 13. quæst. 2. cap. *Pro obeuntibus*, cum seq. vbi dicitur, hanc esse Ecclesiæ traditionem. Quæ etiam constat ex Dionys. de Eccl. hierarc. ca. 7. pag. 3. vbi ait, *Preces fundere pro mortuis à magistris nostris doctis à Deo accepimus.* Item Greg. Nazian. in funebri oratione de fratre, & in alia de parte, & eundem refert Damascenus in oratione pro defunctis (seu auctor illius orationis, quisquis ille fuerit) qui ex aliis Patribus, & Scripturis multa congerit. Athanas. in epist. ad solitariam vitam agent. refert orationem factam à Catholicis pro Eutychio ab hæreticis necato, quod esse vtile dicit, q. 34. ad Antiochum. Epiph. in Anchor. in fine inter Apostolicas traditiones hanc ponit, idem contra hæreses in 75. Chrysost. hom. 69. ad Populum, & 41. in 1. ad Corinth. & 32. in Matth. in fin. & homil. 3. ad Philip. refert Apostolicam traditionẽ: idem hom. 21. in Acta. In hom. verò 4. ad Heb. agit de pompa funeris, vbi includit suffragia, licèt distinctè nõ explicet. Idem Theophyl. Luc. 12. & Cyril. Hieros. catechesi 5. mystagogica. *Oramus* (inquit) *pro omnibus, qui inter vos vita functi sunt; credentes magnum esse animarum iuuamen, &c.* Idem supponit Ambros. in variis orationibus funebribus, & lib. 2. epist. 8. animam cuiusdam defuncti ait esse oblationibus Deo cõmendendam. Aug. latè li. de Cura pro mor. agend. & in Enchir. c. 110. & aliis locis suprà citatis. Greg. 4. Dialog. c. 50. & 55. Bernard. serm. 63. & 66. in Cantic. Addo denique Tertul. libr. de Corona militis, c. 3. in illis verbis, *Oblationes pro defunctis, & natalitiis annua die facimus*, quæ ibi notat Pamel. n. 38. alia loca eiusdem Tertulliani, & aliorum Patrum adiungens.

Bellar. Tob. 2. Turrian. Eccl. 38. Iansen. Eccle. 7. 1. Cor. 15. Rom 12. Ambros. Origen. Turrian. Dionys. Gregor. Nazian. Damasc. Athan. Epiph. Chrysost. Theophyl. Cyril. Hieros. Ambros. Augustin. Gregor. Bern. Tertul. Pamel.

6. Cypr.

Hoc etiam confirmat antiqua consuetudo Ecclesiæ excludendi aliquem à participatione suffragiorum Ecclesiæ, si in peccato aliquo moriatur. De qua videri potest Cyprian. epist. 66. Et nunc etiam hoc seruat Ecclesia cum excõmunicatis. Vnde etiam post mortem

tem consueuit Ecclesia vinculum excommunicationis tollere, quando defunctus signa pœnitentiæ præbuit, iuxta c. *A nobis*. 2. de Sent. excom. In quo euidẽter supponitur, suffragia Ecclesię posse defunctis prodesse. Et iuxta hæc intelligenda sunt Conc. Tolet. XI. c. 12. & Carthag. IV. c. 79. quæ statuũt, vt, si contingat eos, qui pœnitentiam agũt, mori ante reconciliationem, memoria eorum orationibus, & oblationibus commẽdetur, nam eadem veritas ibi supponitur, loquuntur autem illa Concilia de agentibus publicam pœnitentiam, qui non erant ab Ecclesia præcisi. De quo extat etiam optima definitio in Concil. Triburiensi, c. 31. quam infrà expendemus.

Concil. Tolet. XI. Carth. 4.

Tribur.

7. Ratione sua detur eadẽ conclusio.

Vltimò, argumentari possumus ratione, quia etiam animæ defunctorum, quæ sine peccato decesserunt, vniuntur nobis in charitate: ergo si aliunde adhuc in carcere detinentur, & indigent aliqua remissione, possunt à nobis iuuari: nam hoc generaliter verũ est, membra eiusdem corporis posse se inuicem iuuare iuxta vniuscuiusque indigentiam, & facultatem. Quã rationem latiùs infrà expẽdemus: & plura in confirmationẽ huius veritatis videri possunt in Auctoribus modernis suprà citatis, & Soto in 4. d. 19. q. 3. art. 1. & d. 45. q. 2. art. 2. Canisi. in Catechismo, tit. de Eucharistia, c. 7. & tit. de Pœnitentia, c. de Purgatorio, Ruard. art. 16. Castr. contra hæres. verb. *Suffragium*. Torrensi in confessione Augustana libro 4. c. 1. §. 9. 10. 11. & 12. Obiectiones autem, quæ contra hoc fieri possunt, videbimus sect. sequenti.

Soto. Canisius. Ruard. Castr. Torren.

## *Quibus mortuis viuorum suffragia prosint.*

8. Tres mortuorum ordines ab Augustino numerantur.

SVPEREST, vt in particulari explicemus quibus mortuis hæc suffragia prodesse possint. Tres enim mortuorum gradus seu ordines distinxit August. in Enchir. c. 109. *Quidam enim*, ait, *sunt valde mali, alij valdè boni, alij in statu medio.* Et pro existentibus in primo, vel secundo ordine, negat offerendum esse sacrificium, sed pro his tantùm, qui in illo statu medio existunt. Quod nos de omnibus Ecclesiæ suffragiis intelligendum esse dicimus: nam quoad hoc eadem est de omnibus ratio, vt omnes Theologi docent, & ipse Augustinus satis declarauit, cum sacrificio altaris eleemosynas coniungens, quæ pro defunctis offeruntur: cõstat enim idem esse de orationibus, ieiuniis, aliisque, piis operibus. Qui autem appellentur ab Augustino valdè mali, aut boni, aut medij, explicãdum superest. Vt autem ab optimis incipiamus, qui sunt quasi regula, & mensura cæterorum, certum est per valdè bonos intelligi ab Augustino beatos cũ Christo regnantes, qui meritò valdè boni dicuntur, quia habent statum omnium bonorum aggregatione perfectũ, & non solùm mali non sunt, verum nec esse possunt, neque solùm ab omni malo culpæ, sed etiam ab omni malo pœnæ liberi sunt. Vnde valdè mali dicuntur illi, qui sunt damnati, & in statu extremæ miseriæ, quæ est summũ malum: vnde Gloss. suprà citata valdè errauit existimans, aliquẽ existentem in inferno posse appellari mediocriter malum, eò quòd propter pauca, vel leuia peccata mortalia damnatus sit. In quo errore fuit etiam Gloss. vlt. in cap. *Cùm Marthæ*, §. vlt. de celebrat. Missar. Constat autẽ hunc esse erroré, tũ quia pro nullo damnato offerri potest sacrificium, vt ostendi superiori tomo Disput. 78. sect. 3. tũ etiã, quia is, qui nihil boni habet, nec habere, aut perficere potest, Deúmque odio habet, estque in summa miseria, non mediocriter, sed maximè malus censendus est.

Qui mortui dicantur ab Augustino optimi.

Qui valdè mali.

Glossæ error.

9. Qui mortui dicãtur esse in statu medio Innocẽtij 3. diuisio statusmedij.

Supereſt ergo vt in tertio ordine, & gradu medio constituantur animæ Purgatorij, quæ, quia iustæ sunt, & in bono confirmatæ, bonæ simpliciter sunt; quia verò nondum beatæ sunt, & aliquid expiandum habent, pro quo malum aliquod patiuntur, ideò mediocriter bonæ dicũtur. Aduertere autem oportet, Innocentium III. in dicto cap. *Cùm Marthæ*, hoc tertium membrum in duo distinguere, scilicet, in mediocriter bonos, & mediocriter malos; & vtrisque sentit prodesse suffragia, quæ pro mediocriter bonis, *expiationes* appellat, pro mediocriter autem malis, *propitiationes*. Sed hunc locum Innocentij latè exposui in citato loco tomi superioris, quia vel necesse nõ est illam subdistinctionem admittere, quia neque Augustinus eam posuit, neque Innocentius approbat, sed eam nobis disputandam, & examinandam proponit. Vel si admittenda est, vtrumque membrum animabus Purgatorij accommodãdum est secundùm diuersos gradus earum, nam quædam sunt, quæ solùm habent alicuius minimæ pœnę reatũ, cuius integra remissio facilè obtinetur: & ideò oblationes pro illis dicuntur esse expiationes. Aliæ verò sunt, quæ cũ magno reatu pœnæ, & aliquibus etiã venialibus culpis ex hac vita decesserunt: quæ propterea & mediocriter malæ dicuntur, & non tam facilè expiari possunt, licèt possint adiuuari.

## *Suffragia non esse offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus, 1. Conclusio.*

10.

EX hac ergo doctrina tres Catholicę veritates colliguntur. Prima est, suffragia non esse offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus, quibus per se, ac propriè prodesse non possunt. Ita docet Innocentius 3. in dict. cap. *Cùm Marthæ*, & Augustinus citato loco, & de Cura pro mortuis agenda. c. 1. & tract. 84. in Ioannem, & ser. 34. de Verbis Apostoli: & consentiunt omnes Scholastici d. 45. Et quidem, si sermo sit de effectu suffragiorum, quantùm ad pœnæ expiationem, est res certissima, quia in beatis nihil pœnæ supereſt, quod expiari, aut remitti possit. Si verò sit sermo de vtilitate suffragiorum, quantùm ad impetrationem alicuius boni, certum etiam est non posse nostra suffragia prodesse sanctis beatis, quantùm ad augmentum essentialis gloriæ, nec esse necessaria illis quoad perpetuam conseruationem eius, nec quoad alia bona, quæ intrinsecè & connaturaliter ad talem gloriam consequuntur: quia hęc omnia vnicuique conferuntur iuxta propria merita, seu propriam, gratiam, & charitatem. An verò nostra opera possint prodesse Sanctis ad aliquam accidentalem gloriam, quam in seipsis recipiant, vel quoad extrinsecum honorem, quem in viuentibus, & à viuentibus recipere possunt, disputaui latè in citato loco superioris tomi, quibus nihil hîc addendum occurrit. Propriè enim nos non impetramus, Sanctis intrinsecam gloriam etiam accidentalem, quanquam possimus bene operari hac intentione, vt ex nostris bonis operibus, vel sacrificiis aliqua accidentalis gloria in eos redundet potius obiectiuè, & quasi per occasionem, quam per propriam impetrationem, si castè loquamur. Et ideò dixerunt August. & Innoc. suprà, oblationes pro Sãctis esse gratiarum actiones, quæ Deo fiunt, & à Sanctis cognoscuntur, ideóque de illis gaudent, & ita accidentalis gloria eorum augetur. Honoré autem extrinsecum impetrare possumus, quatenus ille honor potiùs in nobis est, qui Sanctos honoramus, & cedit in profectum, & vtilitatem nostram, vt Innocentius & August. suprà sentiunt, & Scholastici communiter, loquuntur dist. 45. vbi præsertim Palud. q. 2. & Soto q. 2. artic. 2. cum D. Thoma q. 2. ar. 2. quæstiunc. 4. Syluestro verb. *Missa*. q. 8. Antonin. 3. p. titul. 13. c. 6. §. 13. & tit. 32. c. 2. §. 2. & Nauar. in Tractat. de Iubil. notab. 22. n. 46. & sequentibus.

Innocent. Auguſt.

Adquid prodesse possint nostra opera beatis.

Palud. Soto. D. Thom. Sylueſt. Antoni. Nauar.

*Suffragia viuorum non prod ſſe damnatis,*
*2. Concluſio.*

11. SECVNDA veritas eſt ſuffragia viuorum non prodeſſe damnatis. Ita docent omnes Theologi citati cum Auguſtino etiam & Innocentio. Vt autem intelligamus in quo gradu certitudinis tenenda ſit hæc veritas, aduertendum eſt, triplicem pœnam intelligi poſſe in damnatis, prima eſt illa, quam ſuſtinent propter peccata mortalia, quorum remiſſionem in hac vita non obtinuerunt. Et quoad hanc eſt de fide, ſuffragia viuorum non poſſe damnatis prodeſſe ad eius pœnæ expiationem, ſeu terminationem, quia de fide eſt, hanc pœnam eſſe æternam, ex immutabili lege Dei, vt conſtat ex vulgaribus loquutionibus Scripturę, in quibus ſuppliciũ dãnatorum æternum, & inextinguibile appellatur Mat. 3. & 25. cum ſimilibus. Ex quibus cetum eſt, ſatisfactiones noſtras non poſſe ad hoc valere per modum ſolutionis, tum quia nõ poſſumus ſatisfacere pro pœna æterna, tum etiam quia multò minùs poſſumus ſatisfacere pro culpa aliena; quamdiu autem culpa non tollitur, impoſſibile eſt ſatisfactionem exhibere pro pœna. Et ob eandem cauſam nemo impetrare poteſt, vt illa pœna ceſſet perdurante culpa, quia hoc repugnat diuinæ legi, & iuſtitiæ. Denique certum eſt, nec per modum impetrationis poſſe obtineri vt damnatus à culpa mortali, in qua deceſſit, liberetur, & conſequenter à pœna, quia hoc etiam eſt contra diuinam legem, qua ſtatuit damnatos perpetuò deſerere, & iudicium cum eis facere ſine miſericordia, vt dicitur Iacob. 2. Vnde Dionyſ. ca. 7. de Cæleſti hierar. eos tantum defunctos ait poſſe precibus Sanctorum iuuari, qui ſacerdotibus ſe in hac vita ſubmiſerunt: ideò que non eſſe pro impiis orandum, & Clemens lib. 8. Conſtitutionum, c. 43. poſtquam in præcedentibus capitibus exequias, & ſuffragia defuctorum commendaſſet, ſubdit, *Sed hæc de piis dicimus: impios enim tametſi omnia bona externa pro eis largiaris, neque iuuare queas. Cui enim viuo inimicus fuit Deus, haud dubium, quin ſit etiam defuncto, non eſt enim iniuſtitia apud Deum.*

De fide eſt ſuffragia nõ prodeſſe dãnatis ad expiationẽ pœnæ pro mortalibus debitæ.

Mat. 3. & 25.

Vide in 2. tomo 3. ſ.

12. Hinc etiam Auguſt. lib. de Cura pro mort. agent. c. 1. & 18. propter damnatos quoad pœnam æternam dixit ſuffragia non prodeſſe mortuis valdè malis. De quibus integram habet diſputationem lib. 21. de Ciuitate capit. 13. & ſequentibus, & capit. 24. concludit, Eccleſiã nunquam orare pro eo, quem ſcit eſſe damnatum. De qua re extant etiam multa Patrum decreta 13. quæſt. 2. capit. *Quibus*, capit. *Cum grauia*, & capit. *Non æſtimemus*, & cæt. *Pro obeuntibus*, cùm duobus ſequentibus. Et 23. quæſt. 5. ex Concil. Bracharenſi 1. cap. 34. in cap. *Placuit*, decernitur ob hanc cauſam, vt pro his, qui ſe interficiunt nulla oblatio, nullúmve ſuffragium fiat. Et in Concil. Triburienſi cap. 31. de illo, qui in actuali peccato mortali interficitur, dicitur, vt *nullus pro eo præſumat orare, aut eleemoſynam dare:* & ſtatim refertur hæc Auguſt. ſententia, *Nemo te poſt mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluiſti.* Similis deciſio ſumitur ex cap. *Ex parte*, tit. 2. de Sepulturis, vbi Gloſſa id aduertit.

Vide eundẽ Aug. ſerm 34. de ver. Apoſtoli, & ſer. 118. de Tẽpore Eulg. de fide ad Petr. ca. 3. Cõc. Brach. Cõc. Tribur.

13. Ratio autem huius veritatis à priori eſt, quia mortale peccatum dignum eſt tali pœna: ex ordinatione autem diuina conceſſum eſt homini huius vitæ tẽpus vt in eo poſſit talis peccati remiſſionem obtinere per pœnitentiam: poſt hanc autem vitam conſtituitur in termino, in quo iam non conceditur pœnitentiæ locus. Quæ omnia aliis locis, præſertim 1. p. quæſt. 64. & 1. 2 qu. 72. & 88. fuſius demonſtranda ſunt. Statim verò occurrebat hîc quæſtio, an contingat interdum Deum in hac lege diſpenſare: quam ſufficienter attigi

Ratione oſtẽditur.

A ſuprà in 2. tomo, diſput. 43. ſect. 3. vbi dixi, iuxta veriorem doctrinam; nunquàm in hac lege Deum diſpenſaſſe, propriè loquendo, nunc verò addo, præſumptuoſum ac temerarium eſſe, talem diſpenſationem à Deo poſtulare vel in communi pro damnatis, vel pro aliquo in particulari, niſi fortaſſe aliquis ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti ita ad hoc moueretur, vt reſiſtere non poſſet: nam hoc non cadit ſub lege ordinaria, vt conſtat ex his quæ de donis Spiritus ſancti Theologi tradere ſolent.

14. Arque hinc vlteriùs colligitur, ſuffragia viuentium non prodeſſe defunctis damnatis ad aliquam mitigationem remiſſionem aut intermiſſionem huius æternæ pœnæ quę illis debetur propter culpam mortalem non remiſſam. Quæ pars licèt non ſit tam expreſsè de fide ſicut præcedens eſt tamen fidei proxima, oppoſitàmque cenſeo eſſe erroneam. Nam, propter cõmunem conſenſum Theologorum, & Patrum, eſt valdè conſentanea illis locutionibus Scripturæ, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccleſ. 11. & illis, *Mortuo homini impio nulla erit vltrà ſpes, & expectatio ſollicitorum*, aliàs Ethnicorum, *peribit*, Prouerb. 11. Nam licet aliqui hæc verba interpretentur de ſpe temporalium bonorum à fortiori ſeu multò magis intelligũtur de ſpe euadendi malum illud, aut aliquam partẽ eius. Idem colligitur ex aliis multis, quæ leguntur Iob 7. 10. 15. 20. & 24. & Iſ. 24. 33. & ſimilib. de quib. videri poteſt Hieronym. Ionæ 3. & Cyprian. ad Demetrianum, in fin. & Chryſoſtom. homil. 9. in 1. ad Corinth. Præterea colligitur ferè euidenter ex principiis fidei nam, ſi damnatis remitterentur pœnæ propter ſuffragia viuorum paulatim poſſent auferri, ſaltem quoad pœnam ſenſus, ſeu quoad poſitiuum dolorem: eſtò pœna damni numquam tollatur: conſequens autem etiam hæreticum eſt, quia Scriptura ſacra etiam cruciatum ignis, & vermem conſcientiæ dicit eſſe æternum. Sequela probatur quia pœna illa quoad intentionem finita eſt: finitum autem per ablationem finiti conſumi poteſt. Nam reſponſio illa de diminutione per partes proportionales ſophiſtica eſt, & ſine vllo fundamento: nam remiſſio hæc per quandam recompenſationem, aut impetrationẽ fieri deberet: ſi ergo per tale opus obtinetur remiſſio vnius gradus pœnæ cur per opus ſimile, & cæteris paribus, nõ obtinebitur remiſſio alterius gradus, ſed dimidij tantùm? Imò licèt hoc daremus ſaltem opus duplò perfectiùs valebit ad remiſſionem alterius gradus; & ſic augendo numerum operum iuxta numerum graduum pœnæ & valorem vniuſcuiuſque operis iuxta dictam proportionem, ſufficiet ad obtinendam remiſſionem totius pœnæ.

14. Suffragia non prodeſſe damnatis ad remiſsionem aut intermiſsionẽ æternæ pœnæ propter mortale debitæ.

Eccle. 11.

Prouerb.

Iob. Iſai. Hieron. Cypr. Chryſoſt.

Simile argumentum fieri poteſt ex multitudine iuſtorum ſuffragantium eidem animæ damnatæ: nam ſi vnuſquiſque eorum ſufficit ad vnam particulam pœnæ tollendam, ſi plures conuenirent, & æqualiter operarentur, poſſent totam pœnam auferre: nec enim rationabiliter dici poteſt diminuendum eſſe fructum operis vniuſcuiuſque, ſolùm propter conſortium plurium, ſi in cæteris eſt æqualitas. Hæc verò argumenta non procedunt de intermiſſione pœnarum, quia poſſet integra pœna redire, quanuis aliquantulùm ceſſaret: repugnat autem hoc æternitati pœnæ, non enim eſt futura æterna per intermiſſionem, & reditum ad pœnam, ſed per continuam durationem. Quanuis enim fortaſſe ſit aliqua viciſſitudo pœnarum in inferno, tamen nunquàm erit requies: vnde apertè dicitur Apocalyp. 14. *Fumus tormentorum eorum aſcendit in ſecula ſeculorum, neque habet requiem die ac nocte.* Denique quæ ex Auguſtino, & aliis Patribus adduximus circa ſuperiorẽ partẽ,

15.

Apoc. 4.

hanc demonstrant, vt ampliùs in sequenti puncto explicabimus.

16. Per suffragia non remitti dánatis aut venia lẽ culpã, aut pœnã ex illa aut ex mortali remisso relictam.

Secunda pœna, quam patiuntur damnati in inferno, esse potest propter mortalia peccata iam remissa, quoad culpam, non tamen quoad totum pœnæ reatum, quia pro illo in hac vita non plenè satisfecerunt. Tertia pœna huic non dissimilis est, quam patiuntur propter culpas veniales, cum quibus decesserunt, simul cum mortalibus; & de vtroq; genere harum pœnarum est aliquorum Theologorum sententia, quæ non reputatur erronea, sed merè opinio, non esse æternas, sed aliquando finiri. Pari ergo modo videtur posse sub opinione constitui, quòd suffragia valere possint damnatis ad breuiorem remissionem huius pœnæ: quia omnia, quæ adduximus, fundãtur in æternitate pœnæ; & ideò non videntur quoad hanc pœnam procedere. Præsertim quia intelligi possunt de damnatis formaliter quatenus damnati sunt: non autem sunt damnati prout patiũtur has pœnas, quia nec propter venialia peccata, nec propter reatum pœnæ temporalis damnati sunt. Nihilominùs certum etiam existimo, suffragia non prodesse damnatis quoad vllam remissionem, vel culpæ venialis, vel alicuius pœnæ ex dictis. Primo quidem, quia probabilius est culpam venialem nunquàm remitti in inferno, nec pœnam aliquam quibuscunque peccatis debitam ibi finiri, vt in superioribus ostensum est. Secundò, quia licèt finiri posset per satispassionem, non tamen per suffragiorum communicationem, vt rectè sensit Medina. Medina God. de Oratione, quæst. de his pro quibus orandum est, & propriùs qu. de Valore orationis pro alio fusæ. Et ratio est, tum quia iuxtà ostendemus, suffragia non prodesse his, qui sunt in peccato mortali: tum etiam quia damnati sunt extra statum alicuius gratiæ, vel misericordiæ, quantum spectat ad iudicium peccatorum, vt suprà testimonio Iacobi ostensum est. Et optimè confirmatur ex facto diuitis damnati petentis ab Abraham aliquod refrigerium, qui nullum misericordiæ signum ab eo potuit obtinere, Lucæ 16. Lucæ 16. Item ex parabola diuitis, qui suo conseruo misericordiam negauit; & ideò traditus est tortoribus, *quoadusque redderet vniuersum debitum*, Matthæi decimooctauo, cui consonat illud Matthæi quinto, *Non exeas inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Matth. 18. Matth. 5. Ex quibus, & similibus testimoniis intelligimus, in pœnis damnatorum, quæcunque illæ sint, nullum admitti genus compensationis, aut gratiæ, sed ita esse definitas, vt in propria persona, & in illo loco, & per illa instrumenta sustinenda sint. Et hoc confirmat traditio Ecclesiæ suprà adducta de non orando pro damnatis; nam, si vel ad leuamen harum pœnarum prodesse illis possemus, saltem hac ratione orandum esset pro ipsis. Satis ergo probata relinquitur proposita veritas. Bellar. Nonnulla verò, quæ hic obiici solent, ex Patribus expendit sufficienter Bellarminus suprà capite decimooctauo: & nonnulla nos attigimus in locis superius citatis ex secundo & tertio tomo.

## *Suffragia Ecclesiæ prodesse posse animabus Purgatorij. 3. Conclusio.*

17. TERTIA veritas est, suffragia Ecclesiæ: prodesse posse animabus Purgatorij. Hæc satis probatur à sufficienti enumeratione, & ex omnibus dictis in priori membro. Et consequenter etiam concluditur, suffragia hæc prodesse posse animabus purgatorij, non solum ad aliquam mitigationem pœnarum, sed etiam ad integram remissionem. Quod facilè ostendi potest applicando argumentum paulò anteà factum, quia illa pœna finita est quoad gradus: ergo si potest remitti per suffragia, potest etiam omninò tolli, vel multiplicando successiuè suffragia, vel simul in personis diuersis, vel ita augendo vnum & idem opus, vt multis operibus satisfactoriis, atque adeò toti pœnæ æquiualeant. Denique, cùm illa pœna temporalis sit, ideóque finita intensiuè & extensiuè, mirum non est, quòd per opus etiam finitum compensari possit. Quo modo autem id fiat, dicemus sectione sequenti, vbi simul explicabimus an omnes animæ Purgatorij sint capaces suffragiorum.

18. Obiectio cõtra doctrinã datam. Soluitur.

Dicet verò aliquis, diuisionem datam non esse adæquatam, ideóque nec doctrinam hanc satis esse completã, quia nec pueri decedentes cum solo originali peccato, vel, si qui decedunt cum solo originali, & veniali, nec etiam animæ sanctorum Patrum, quæ erant in Sinu Abrahæ sub illis mẽbris cõprehenduntur. Respondetur, omnes hos status posse ad illa tria membra reduci, vt in superiori tomo dixi. Nam in primis non admittimus aliquos in culpa veniali cum solo peccato originali decedentes: nec si essent, illis prodessent suffragia, propter gratiæ defectum. Quæ ratio in omnibus pueris locum habet. Vnde, quod ad præsens spectat, animæ puerorum reputantur tanquã valdè malæ & damnatæ, quia reuerà perpetuò puniũtur pœna damni, & in illa nullam possunt remissionẽ accipere: aliam verò non patiuntur, pro qua iuuari possint: sunt ergo omninò extra viam, & irremissibiliter extra gratiam: & ideò non sunt capaces suffragiorum. Quod etiam adnotauit Nauar. in Commentario de Iubil. notabil. 22. nume. 46. Status autem Patrum in Sinu Abrahæ iam est finitus, & ideò non oportet illos in prædicta diuisione comprehendere: quatenus verò nihil mali personalis (vt sic dicam) patiebantur, & Sancti erant, & omninò confirmari in bono poterant sub valdè bonis cõprehendi: ideóque illis poterant suffragia prodesse quoad remissionem alicuius propriæ pœnæ. Tamen, quia nondum beati erant, & communem totius naturæ pœnam adhuc sentiebant, poterant dici mediocriter boni, & fortasse suffragia iustorum illius temporis, seu orationes poterant illis aliquod gaudium, vel consolationem afferre. Quod est probabile, licet incertum. Certius verò est, quòd sicut iusti tũc merebantur Christi Incarnationem, vel eius accelerationem; ita etiam consequenter proderant illis Patribus, vt eorum exilium finiretur.

Pueri in limbo non sunt capaces suffragiorum.

## SECTIO V.

### *Quibus modis prosint animabus Purgatorij suffragia viuentium.*

1. Bona opera viuentiũ solùm possunt valere de cõgruo vt animę aliquem bonũ motũ, vel consolationẽ accipiant.

AGIMVS præcipuè de fructu remissionis pœnæ temporalis, nam si fortasse opera nostra valent illis animabus ad aliquam consolationem, vel bonum motum internum recipiendum, certum est solùm per modum impetrationis, aut meriti de congruo posse id obtinere, quia meritũ de condigno in puro homine solùm habet locum & in ordine ad seipsum, & in ordine ad vitam æternam, vel ad ea, quæ per se ad illam ordinantur: neutrum autem horũ habet locum in præsenti, vt per se constat. Item quia inter viatores non potest vnus mereri alteri de cõdigno auxilium gratiæ, seu internum motum, aut spiritualem cõsolationem: ergo multò minùs possumus hoc mereri de cõdigno animabus Purgatorij, quia ex parte nostra est minor communicatio cum illis, quàm cũ viuentibus, minorq; cõuenientia in statu: ex parte autẽ Dei nõ magis est facta promissio respectu animarũ Purgatorij, quàm respectu aliorũ viuẽtiũ. Estq; ea dẽ ratio, vt facta nõ sit, videlicet, quia operi meritorio apud Deũ sẽper respõdet de cõdigno essentiale præmium

mium ipso operante, adæquatum ipsi operi secundùm naturalem proportionem, & condignitatem eius, quo præmio numquam priuatur ipse operans, & ideò non habet aliud præmium de condigno in altera persona: nam hoc excedit valorem, & proportionem finiti operis. At verò, sicut non obstante hoc meritò de condigno respectu sui, potest quis impetrare, & mereri de congruo aliquod temporale, vel spirituale commodum aliis amicis viuentibus: ita etiam verisimile est, posse idem fieri respectu defunctorum iustorum, qui adhuc in carcere detinentur, indigéntque aliquo subsidio, & consolatione. Nec de hoc genere auxilij aliquid certius dici potest, præterquam quod est rationi, & pietati consentaneum, & satis cõforme vsui & orationibus Ecclesiæ, vt constat ex toto officio pro defunctis.

2. Sensus quæstionis. Quæstio ergo præsens versatur de remissione temporalis pœnæ: nam hoc est proprium subsidium, quo per se ac maximè indigent animæ Purgatorij, & ideò hic effectus est certior, quàm reliqui, eúmque maximè intendunt Ecclesia, & fideles, quando pro defunctis operantur. Duobus autem modis, generatim loquendo, potest hic effectus fieri, vnus est, per modum impetrationis, sub qua meritum de congruo comprehendo; alius est, per modum solutionis & satisfactionis condignæ vel cum pacto & promissione acceptandi eam, vel sine illa: nam præter hos modos, alius, qui sit ab his distinctus hic interuenire non potest. De prædictis autem duobus modis meritò dubitari potest.

## *Prosíntne suffragia viuorum animabus Purgatorij per modum impetrationis.*

3. Prima sententia. CIRCA priorem difficultas est, an temporalis pœna interdum remittatur gratis animabus Purgatorij propter orationes, & merita aliorum iustorum qui hoc impetrant à Deo, etiamsi vel suas satisfactiones pro illis non offerant, vel certè illas non habeant, nec efficiant, vt eas offerre possint. In qua re est prima sententia quæ generaliter affirmat, hunc modum impetrationis & suffragij non solùm esse possibilem, sed etiam nullum aliũ posse nos exhibere animabus Purgatorij ad hunc effectum obtinendum. Hoc à fortiori tenent illi Theologi, qui inter viuentes non admittunt alium modum satisfactionis vnius pro alio; nam hoc principium apud omnes certum est, Non posse nostra suffragia esse efficaciora ad remittendam pœnam defunctis quam aliis viuentibus. Sed hæc sententia sicut inter viuentes falsa est, ita & respectu defunctorum; quod eisdem argumentis suprà factis probari potest cum his, quæ in discursu huius sectionis addemus.

4. Secunda sententia. Caietan. Est igitur secunda sententia, quæ affirmat, hunc modum gratuitæ remissionis per modum impetrationis aliquando obtineri, quãuis alius etiã modus per æquialentem solutionẽ sit possibilis, de quo infrà videbimus. Hanc supponit Caietanus tomo primo, Opusc. tractatu decimosexto, quæstione quinta, sine vlla probatione; ille autem distinguit modum impetrationis, & meriti de congruo in duos, quos nos coniungimus, quia eadem est vtriusque ratio. Atque eandem sententiam admittit Nauarrus in Commentario de Iubil. notabil. 22. num. decimoquinto, & videntur sequi Soto, & Cano infrà citandi, & tenet expressè Durandus in quarto dist. 41. qu. prima, numero sexto, quod solùm declarat morali exemplo, quia vnus ex amore potest apud iudicem alium liberare à debito pœnæ, vel rogando vel satisfaciẽdo. Potest autẽ fundari primò, quia orant pro animabus Purgatorij: ergo eis obtinent remissionem alicuius pœnæ; non possunt autem obtinere soluendo pro illis, quia non sunt in statu satisfaciendi: ergo impetrant, vt gratis fiat remissio. Secundò, quia Ecclesia frequenter orat Deum, vt per suam piissimam misericordiam liberet animas Purgatorij ab illis pœnis: ergo intendit impetrare gratuitam remissionem pœnarum. Tertiò, quia Theologi omnes, vt infrà videbimus, distinguunt tria genera suffragiorum, scilicet Missæ sacrificium, orationem, & opera pœnalia: omisso autem Missæ sacrificio, alia duo opera non possunt alia ratione distingui, nisi, quia oratio sumitur quatenus per se impetrat remissionem pœnæ absque æquiualente solutione: nam, si ipsa oratio hunc effectum non consequitur nisi soluendo, hoc facit quatenus quoddam opus pœnale & satisfactorium est: ergo non oportebat illam specialiter numerare potiùs quam eleemosynam, vel ieiunium, aut alia similia: ergo sentiunt Theologi orationem habere hanc vim ex propria ratione impetrationis. Quartò, quia in hoc nulla est repugnantia, & est consentaneũ diuinę liberalitati, & generalibus locutionibus, & promissionibus de oratione, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, cum similibus. Denique, quia non est maius beneficium remissio pœnæ temporalis, quàm elargitio alicuius gaudij, vel spiritualis consolationis: si ergo Deus liberaliter hoc beneficium confert animabus Purgatorij propter orationes viuentiũ, cur non etiam illud?

5. Quæstionis resolutio. Hæc sententia est pia, & probabilis, & fortasse est vera: nihilominùs tamen duo mihi occurrunt dicenda: primum est, hunc modum remissionis valdè esse incertum, & non satis fundatum, vt facilè statim patebit discurrendo per coniecturas adductas. Secundum est, satis verisimile mihi esse, Deum nunquàm remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, nisi oblata seu applicata cõdigna satisfactione, atque adeò nunquàm id facere omninò gratis, sed seruata vindicatiua iustitia, & commutatiua, ac distributiua, quatenus cum illa coniunguntur. Hoc posterius mihi persuadeo illis argumentis, quibus suprà probaui, neminem posse sibi impetrare gratuitam remissionem pœnæ: ex quo intuli, neminem posse alteri viuenti impetrare hoc modo remissionem pœnarum: quia in huiusmodi rebus, & cæteris paribus, nullus efficaciùs impetrat alteri, quàm sibi: eadem ergo proportione nunc infero, non posse hoc impetrari animabus Purgatorij, quia in hoc genere non possumus aliquid efficaciùs impetrare mortuo, quàm viuenti, & quia hæc etiam est impetratio respectu alterius, quæ non est efficacior, quàm respectu sui. Vnde duobus modis intelligi potest oratio fieri pro defunctis, vt à pœnis soluantur. Primo definitè petendo, vt gratis, & sine alia solutione pœna eis remittatur. Secundò, petendo simpliciter liberationem earum iuxta modum, & leges diuinæ prouidentiæ. Prior modus orationis probari satis non potest, ex posteriori autem non colligitur ille modus gratuitæ remissionis: vtrumque autem constabit discurrendo per capita, quę in argumentis contrariæ sententiæ attinguntur.

## *Num beati animabus Purgatorij aliquam pœnæ remissionem impetrent.*

6. Opinio negans beatos pro his animabus orare Soto. D. Thom. Durand. CIRCA orationes ergo beatorum pro animabus Purgatorij nõ defuerũt Auctores Catholici, qui negarunt orare beatos pro animabus Purgatorij, quod tenuit Soto in 4. dist. 45. q. 3. artic. 2. in fine, eandem sententiam indicat ibi D. Thomas q. 3. a. 3. ad 6. & Durand. q. 1. vbi ait, vnum defunctum non posse prodesse alteri ad remissionem pœnæ: posset autem exponi

de defunctis non beatis, quia paulò anteà dixerat, mortuos non posse prodesse viuis, nisi sint beati: ergo, quod subdit de mortuis inter se intelligendum videtur de mortuis non beatis. Obstat tamen ratio, quam subdit, scilicet, quia status merendi de congruo, vel de condigno solùm est in hac vita: quod principium æquè verum est in defunctis non beatis, ac in beatis: non rectè autem colligit Durand. ex illo principio quod intendit, quia non tantùm fuerat loquutus de modo iuuandi alios per viam meriti, sed etiam per viā impetrationis: status autem impetrandi non finitur cū hac vita: obscurè igitur loquutus est, & supponere videtur tamquam clarum, mortuos non posse prodesse mortuis per modum impetrationis.

7. Beatos orare pro animabus Purgatorij. D. Thom. Soto.

Nihilominùs certum existimo sanctos beatos interdum orare pro animabus purgatorij. Nam quòd illæ animæ precibus beatorū iuuentur, communiter docent Theologi, Diuus Thomas in 4. distinctio. 45. quæstione secunda, articulo tertio, quæstiunc. 3. & ibidem Soto quæstione secunda, articulo tertio in vltimis verbis circa primam conclusionem ait, Missas oblatas in honorem aliquorum Sanctorum pro defunctis, posse eis prodesse, vt *Deum exoratum curent pro eisdem defunctis*: sentit ergo Sanctos exorare Deum pro defunctis. Atque idem sentit Gabriel lect. Gab. Supplemētū Gab. 55. in Canonem, & Supplementum eius dicta distinctione 45. quæstione secunda, articulo secundo, conclusione tertia, & ibidem Bonau. Richard. & alij, & Abulensis Matthæi 6. quæstione 83. Bellarminus libro secundo de Purgat. capite decimoquinto. Estq; apertè sententia Augustini libr. de Cura pro mortuis agēda, capite quarto, vbi ait, ad hoc prodesse defunctis sepeliri in locis sacris in honorem aliquorum Sanctorum dicatis, vt eisdem sanctis commendent defunctos, apud Dominum ab ipsis Sanctis adiuuandos: quod etiam in capite primo ex sententia Paulini retulerat. Idem sumitur ex primo libro de Ciuitate, capite duodecimo, & decimotertio, & ex Gregorio, quarto Dialogorum, capite 50. Anselmo in Elucidario. Imo videtur hoc apertè supponere Ecclesia: nam in quadā oratione pro defunctis postulat, vt defuncti ad beatitudinem perueniant, *Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis.* Ratio etiam addi potest, quia hoc est officium charitatis, & non repugnat, sed consentaneum est Sanctorum statui.

Bonau. Richard. Abulensis. Bellarm. Augusti. Gregor. Anselm.

8. Viguer.

Ex hoc autem, quòd Sancti orent pro animabus Purgatorij inferebatur impetrare illis gratuitam remissionem alicuius pœnæ, atque ita concedit Viguerius in summa cap. 16. §. 4. versic. 33. videturque sumi ex cap. *Animæ.* 13. q. 2. vbi sic dicitur, *Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis aut ieiunio cognatorum.* Nihilominùs tamen, licèt sancti orent pro animabus, non sequitur, quod immediatè impetrent gratuitam remissionem alicuius pœnæ. Imò verisimilius videtur, non hoc postulare à Deo. Primò quidem, quia vident hoc non esse consentaneum diuinæ iustitiæ, neque interuenire causam aliquam dispēsandi, vel vtendi sola misericordia cùm iam illæ animæ sint in statu, in quo iustitiæ æquitas potius, quàm gratia, aut misericordia seruanda est. Secundo, quia alias preces Sanctorum facilè Purgatorium euacuarent, quia preces Sanctorum efficaciores sunt, & frequentiùs, generalius, ac feruentius fiunt. Et fortasse hoc hoc solùm voluit dicere Soto in primo loco suprà citato, ne sibi contrarius fuisse videatur; & quia præcipuè motus est secundā ratione modò facta. Item ex eo, quòd Sancti non sunt in statu satisfaciendi, sicut viui: & quia suffragia (inquit) existentibus in Purgatorio non prosunt, nisi per modum satisfactionis, fit vt pro illis Sancti non orent vtique oratione, quæ

Beatos per suas orationes non impetrare animabus Purgatorij remissionem pœnæ.

Soto exponitur.

per se immediatè efficiat seu obtineat remissionem, seu liberationem. Et hoc ipsum sensit D. Thom. eadē d45. q. 3. art. 3. ad 6. cùm enim obiecisset argumentum à nobis factum, quia, si Sanctorum preces exaudiuntur, & illi orant pro animabus Purgatorij, omnes illas liberabunt. Respondet: *Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis, quædam satisfactiones viuentium vice mortuorum, & secundùm hoc mortuos à pœna absoluunt, quam non soluerunt: sed Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi: & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ.* Quibus verbis videtur dissimilitudinem constituere non in hoc, quod Ecclesia militans oret pro animabus Purgatorij, & non Ecclesia triumphans: nam potiùs in argumento assumit Sanctos orare pro illis animabus, & in solutione id non negat, sed admittit: differentiam verò in hoc ponit, quòd orationes Ecclesiæ militantis sunt suffragia, quæ per se & immediatè sufficiunt ad remissionem pœnarum, orationes verò Sanctorum huiusmodi non sunt, & ratio differentiæ est, quia orationes Ecclesiæ sunt satisfactiuæ, ideóque sunt sufficientes ad soluendum pro alio, quod non habent orationes Sanctorū. In qua ratione, & solutione planè videtur Diuus Thomas supponere pœnas Purgatorij non remitti nisi per modū solutionis, & satisfactionis; ideoque orationes beatorum per se non efficere immediatè talem remissionem & consequenter nec ad eam sic obtinendam ordinari, aut fundi.

D. Thom. explicatus.

9. Quid impetrare possint sācti animabus Purgatorij.

Possunt igitur Sancti orare pro illis animabus primo exorando, vt satisfactiones viuorum pro eis acceptentur; quòd maximè locum habet, si illa acceptatio nō est infallibilis ex lege, quod posteà videbimus. Secundò, postulando, vt Deus præbeat viuentibus auxilia ad satisfaciēdum debito modo pro animabus Purgatorij, ita vt efficaciter earū liberationem consequantur. Tertiò, petere possunt, vt liberatio animarum à Purgatorio acceleretur, etiamsi necesse sit diututnitatem temporis intentione pœnarum compensari: hoc enim commutationis genus, quanuis aliquā gratiam continere videatur, non tamen omnino excludit æquitatem iustitiæ: & ideò minùs repugnat illi statui. Quartò verisimile est Sanctos, qui in hac vita reliquerunt aliquas superabundantes satisfactiones proprias posse obtinere à Deo, vt his, vel illis animabus purgatorij ad remissionem pœnæ applicentur. Cùm enim illæ satisfactiones non habuerint effectum nec fuerint remuneratæ, applicari possunt alicui, in quo talem effectum habeant, & ad hoc manent in thesauro Ecclesiæ, vt infrà videbimus: cùm verò talis satisfactio fuerit propria alicuius Sancti, qui in hac vita poterat ram applicare cui vellet, non videtur amisisse hoc ius ac potestatem per mortem vt beatitudinis statum. Quod si hoc verum est, quanuis aliquis beatus immediatè obtineat alteri remissionem pœnę, non tamen gratis, vel sine solutione faciendam, quia de sua satisfactione persoluit quod alter debet. Secus verò est de satisfactionibus alienis, non enim est similis ratio, nec videtur vni Sancto commissum vt satisfactiones alterius applicet cui voluerit, multóq; minùs datum est Sanctis omnibus, vt applicent satisfactiones Christi: & ideò, secluſa satisfactione propria non possunt aliam applicare, & consequenter neque immediatè impetrare remissionem pœnæ.

10. Vnus beatus potest ab alio impetrare vt suas satisfactiones alicui animæ applicet.

Dices, Ergo vnus Sanctus poterit etiam impetrare ab alio, vt suas satisfactiones applicet. Respondetur, concedendo illatum. Imò hic esse potest alius modus, quo Sancti possunt subuenire animabus Purgatorij, neq; est incōueniens quod Sācti inter se aliquid inuicem petant. Sed vrgebis: Ergo omnes inferiores Sancti poterunt impetrare à Christo, vt de sua satisfactione tàntum applicet huic, vel illi animæ, quantùm

tũ illi necesse est, vt à Purgatorio liberetur, ergo hoc modo possunt impetrare liberalem remissionem, quæ respectu animæ gratis fiat, quamuis respectu Christi fiat ex iustitia. Respõ deo, etiam hunc modum suffragij Sanctorum esse probabilem; ita tamen, vt non intelligamus aliquem Sanctorum habere potestatẽ applicandi suo arbitrio Christi satisfactionem: nam hoc proprium est Christi, vel Vicarij, seu ministrorũ eius, quibus hoc ipsum specialiter concessit: sed ita, vt possint tales Sancti impetrare à Christo, vt ipse talem applicationem faciat. Mihi autem valdè dubium est, an Christus Dominus per se aliquando vtatur hac potestate: nam ipse est tamquam vniuersalis causa, & fons totius remissionis; & iam constituit instrumenta, & quasi causas secundas, per quas sua satisfactio applicaretur: & ideò secundùm ordinariam legem verisimile est, non applicare per seipsum, & immediatè satisfactionem suam, vt omninò gratis, & sine mediis ab ipso institutis pœnam remittat. Quòd si hoc aliquando facit, erit ex speciali dispensatione, quæ sub legem, vel scientiam non cadit: & ideò verius videtur, regulariter, & secundùm ordinariam legem, Sanctos hunc modum applicationis, aut remissionis non postulare.

Christum non applicare iis animabus suas satisfactiones per se, sed per Vicarium suũ.

## *Quid impetrent Ecclesiæ orationes animabus Purgatorij.*

11. ET ex his facile constat quid dicendum sit de orationibus, vel suffragiis, nomine totius Ecclesiæ factis. De quibus procedebat secundum fundamentum prioris sententiæ. D. Thomas autem loco proximè citato generatim ait, hæc suffragia in tantum soluere mortuos à pœna, in quantum sunt satisfactiones quædam vice illorum, & idem sentit Bonauentura distinctione 45. articulo primo, quæstione prima, ad vltim. dum inquit, quanuis propter suffragia remittatur pœna, nihil manere impunitum: quia punitur vel in ipso, qui peccauit, vel in aliis pro ipso. Et ad eundem modum loquuntur Soto, & alij Scholastici, Igitur quando Ecclesia pro defunctis orat, in primis omnia illa petere potest, quæ beatos petere diximus. Quod difficultatem non habet quoad tria priora: quoad quartum verò incertum est, an Ecclesia per has orationes publicas, quas fundit pro defunctis, intendat eis applicare aliquam partem satisfactionis ex thesauro suo, constante ex superabúdantibus satisfactionibus Christi, & Sanctorum: nam hæc applicatio fieri non solet, nisi per indulgentias, non constat autem factam esse ab Ecclesia generalem concessionem alicuius indulgentiæ, quæ ex vi talium orationum, seu suffragiorum communium applicetur, de quo infrà dicã. Præter hæc verò orat Ecclesia pro defunctis, vt pro eis satisfiat, & vt eis applicetur talium orationum valor: & in hoc excellunt orationes Ecclesiæ militantis orationes Ecclesiæ triumphantis, ratione diuersi status.

D. Thom.

Bonau.

Soto.

12. Tandem aduerto, Ecclesiam in orationibus pro defunctis non tantùm postulare vt liberentur à pœnis Purgatorij, sed etiam vt liberentur à gehenna & à pœna æterna inferni. In quarum orationum sensu explicãdo laborant Medina Cod. de Oratione, quæstione de his, pro quibus orandum est, & Bellarm. libro secundo de Purgatorio, capite quinto, & suprà agentes de Purgatorio aliquid retigimus: veriorque sensus esse videtur, in eis orationibus ita Ecclesiam orare pro defunctis, vt tamen repræsentet diem exitus eorum, & animas adhuc in corpore existentes, & constitutas sub ancipiti euẽtu mortis, aut salutis eternæ, & sub hac repræsentatione postulet, vt à pœnis

In quo sensu petat Ecclesia vt animæ à pœna æterna liberentur. Medina. Bellar.

A inferni liberentur, id est, vt ita à Deo præueniantur, & disponantur, vt per viam salutis incedant. Ad eundem ergo modum dicere possumus, postulare, vt liberentur omninò à locis inferni, & à pœnis Purgatorij. Vnde sicut Ecclesia nõ postulat, vt animæ defunctorum saluentur, & liberentur à gehenna sine debita dispositione ac merito, ita non postulat, vt liberentur à Purgatorio sine debita satisfactione, vel ab ipsis, vel ab aliis pro eis oblata. Et sicut probabile est, illam orationem Ecclesiæ, etiamsi post mortem alicuius fiat, in præscientia Dei illi potuisse proficere etiam ante mortem, vt maius auxilium à Deo reciperet ad vitandum periculum mortis æternæ: quia aliàs non peteret aliquid Ecclesia, quod ex dispositione præterita omninò pendebat: ita credi potest, propter has rationes præuisas interdum Deum iuuare fideles, vt

B melius se disponant, magisve satisfaciant in exitu huius vitę, vt ita faciliùs possint à pœnis Purgatorij liberari. Igitur quanuis Ecclesia simpliciter petat, vt defuncti à Purgatorio liberentur, non propterea petit, vt sine debita solutione per se, vel alios facta soluantur. Nec etiam refert quòd petat, vt per misericordiam soluantur: nam hæc misericordia non excludit iustitiam, sed prouidet modum, quo iusta remissio faciliori, & suauiori modo obtineatur.

13. Cur oratio inter genera suffragiorũ pro animab. numeretur.

Nec magis vrget tertia obiectio sumpta ex numeratione suffragiorum: nam in primis in capite *Animæ*, 13. quæstione secunda, non tantùm tria illa membra sed quatuor numerantur, scilicet *oblationes sacerdotum*, id est, sacrificia, *preces Sanctorum*, quod non solùm de Sanctis beatis, sed etiam de viatoribus intelligitur; *charorum eleemosynæ*, & *ieiunia cognatorum*. In

C quibus duobus membris vltimis non ideò adduntur cognati, vel amici: quia illi soli modis prædictis iuuare possint defunctos: sed quia illi frequentiùs hoc faciunt. In illa autem numeratione comprehensa est satisfactio pro defunctis ex opere operato, & ex opere operantis: nam prior fit per sacrificium Missæ, posterior verò per alia tria genera suffragiorum, sub quibus omnia satisfactoria opera comprehenduntur, sicut diximus suprà tractando de actibus externis pœnitentiæ, & de operibus satisfactoriis vniuscuiusque pro seipso. Vnde non sequitur, orationem numerari: quia gratuitam remissionem pœnæ, ac sine debita solutione obtineat; sed quia est vnum ex præcipuis operibus satisfactoriis, & quia sub illa comprehenduntur omnes actus religionis & pietatis ad Deum. Aduerto tamen, illud caput *Animæ*, quoad illam primam par-

D tem, in qua fit dicta enumeratio, non habere certum auctorem, quanuis enim Gratianus & Iuo Carnotensis in suo Decreto parte 15. capit. 124. illud tribuant Gregorio, & Burcardus lib. 19. Decreti, c. 112. ascribat Origeni, in neutro reperitur: neque etiam apud Augustinum, ex quo sumpta est reliqua pars illius capitis in libro de Cura pro mortuis agenda cap. 2. & 3. & in 1. de Ciuitate cap. 12. & 13. Sed hoc nihil obstat, tum quia pars illa iam videtur communi consensu recepta, & acceptata: tum etiam per se probabilis est: tum denique quia, licèt non sub illis verbis, tamen in sententia multi antiqui Patres id docent: nam Chrysostomus homil. 41. ad Corinth. preces & eleemosynas poscit, & in homil. 69. ad Populum, maximè commendat sacrificia: & hæc tria numerauit Augustinus serm. 32. de Verbis Apostoli: ieiunium verò etiam addidit Beda libr. 5. Historiæ Anglic. cap. 13. frequentiùs tamen numerant Patres sacrificia, & orationes, vt patet ex Clemẽte suprà, & ex Ephrem in suo testamẽto & Dionysio de Ecclesiastic. hierar. c. vlt. Isid. 1. de Officiis, c. 18. Rabano 2. de Institut. clericorum c. 44. Vnde addo vltimò, orationem specialiter numerari, quia non solùm satisfacit, sed etiam impetrat, non tamen

Gratian. Iuo. Burchar.

Augustin.

Chrysost.

Augustin.

Beda.

Clem. Ro. Ephrem. Dionys. Isidor. Raban.

oportet vt impetret remissionē & liberationem omninò gratuitam: nam impetrare potest vel acceptationem vel solutionem alio modo, vel ab aliis factam, seu (quod idem est) auxilium & prouidentiam, vt fiat, vt iam satis explicatum est.

14. Congruētia cur pœna per modum impetrationis non remittatur his animabus.

Quartum fundamentum prioris sententiæ solùm petebat congruentiam huius institutionis, prout à nobis proposita est, quæ satis ex rationibus in contrarium factis desumi potest: nam per se expedit, vt delicta non maneant impunita, atque opera Dei eò illustriora fiunt, quo exactiùs in eis iustitia, & misericordia seruantur: magis autem seruatur iustitia, si hæc remissio semper fiat per modum solutionis: & in hoc etiam magis reluceat misericordia, quod auxilium detur ad solutionē per se, vel per alios faciendam, & maximè quando fit per alios, non solùm fit beneficium, & misericordia eis, pro quibus solutio fit, sed etiam eis, qui ad illam exhibendam excitantur: nam & ipsi proficiunt, & alios iuuant. Atque hoc modo etiam oratio, quæ pro defunctis fit, exauditur, & in ea impletur generalis promissio orationi facta: quamuis enim dicere possemus cum Diuo Augustino, illam promissionem, vt infallibilem, habere locum in oratione, quam vnusquisque pro se facit, admittimus nihilominùs etiam pro aliis, & pro animabus Purgatorij exaudiri, quando aliud non obstat, non oportet tamen, vt exaudiatur ad gratuitam solutionē, seu liberationem, sed ad alios effectus suprà numeratos. Neque etiam est simile de impetratione alicuius gaudij, vel auxilij: nam hæc non est materia iustitiæ, sed beneficentiæ, & ideò petitur, & impetratur iuxta modum sibi accommodatum: punitio autem, vel remissio pœnæ est materia iustitiæ vindicatiuæ, & ideò postulat alium modum impetrationis, vel solutionis.

In remissione pœnę sē per intercedere æquiualētē solutionem.

Ex his ergo satis verisimile fit, quauis suffragium per modum impetrationis exhiberi possit animabus defunctorum, nunquàm tamen habere in eis effectum remissionis pœnæ, nisi interueniēte æquiualente solutione per aliquem facta, ad quàm exhibendam potest oratio iuuare, vel etiam potest per sese illam facere, si sit oratio viatoris. Atque hanc sententiam planè tenent Diuus Thomas, Bonauentura, & Soto locis citatis. Et, vt minimum, certum est effectum hunc per modum satisfactionis, & solutionis habere locum circa animas Purgatorij; quod Auctores etiam alterius opinionis tanquàm certum supponunt. Et ideò videndum supereſt, an hæc satisfactio pro animabus Purgatorij sit ex iustitia, vel ex misericordia, quod in sequēti sectione expediemus.

D. Thom. Bonau. Soto.

## SECTIO VI.

### *An suffragia prosint defunctis ex iustitia.*

1. Satisfactio pro animab. iusta est quo ad æqualem cōpensationem.

IN hac quæstione duos sensus suprà distinximus. Prior est, an hæc satisfactio sit iusta quoad æqualem compensationem: & de hoc sensu non est quòd disputemus: nam omnia, quæ in præcedenti sectione adduximus, probant, hanc solutionem debere esse æqualem: nam ad hoc requiritur solutio, vt iustitia seruetur; vt autem seruetur, requiritur æqualitas, quam supponimus in hoc negotio interuenire posse: nam pœna Purgatorij secundùm moralem valorem compensari potest per voluntariam pœnam huius vitæ: hac enim ratione suprà ostendimus, posse vnumquemque de condigno satisfacere pro seipso. Vnde fit, vt secundùm eandem æqualitatem possit satisfacere pro amico, sicut de viuentibus inter se ostendimus: est autem quoad hoc eadem ratio de defunctis: nam quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: si ergo opus satisfactorium pro amico viuente oblatum est, æquale tantæ satisfactioni ab ipsomet oblatæ in hac vita: & rursus satisfactio eius esset æqualis tantæ pœnæ, quæ illi in purgatorio respondebit: ergo etiam satisfactio alterius oblata pro illo iam in Purgatorio existente habebit similem æqualitatem, seu condignam proportionem cum tanta pœna: ergo secundùm hanc proportionem fit remissio, cùm fiat per modum solutionis, & iustitiæ. Hoc igitur supposito quantùm ad hunc sensum, alter sensus est, an hæc satisfactio sit de iustitia, etiam quoad acceptationē Dei, ita vt teneatur Deus ex iustitia illā acceptare, vel solùm id facere de misericordia.

2. In quare prima sententia est, hanc satisfactionem pro animabus Purgatorij solùm esse ex misericordia. Ita tenet Caietenus tomo primo Opusculor. tractat. 16. quæst. 5. Cano libro 12. de Locis, capit. 13. ad nonum, & Relectione de pœnitentia, part. 5. Soto in 4. distinct. 19 quæstione secunda, articulo quarto, & lib. 3. de Natura, & grat. cap. 6. & Angles quæst. de Indulgentiis, art. 2. definit. 3. & artic. 3. definit. 6. & idem à fortiori tenent Medina, & Corduba, cùm idem dicant de satisfactione vnius viuentis pro alio. Hi Auctores aliquando fundantur in improportione pœnarum huius vitæ, si cum pœnis alterius vitæ conferantur, iuxta doctrinam Diui Tomæ 3. part. quæst. 46. art. 6. Veruntamen hæc ratio, iuxta ea quæ diximus, locum non habet: quia, licèt inter illas pœnas sit aliqua improportio physica, vel naturalis: quia vel sunt diuersarum rationum, vel pœna Purgatorij est acerbior; tamen secùndùm valorem moralem habent proportionem, & sufficientem condignitatem. Igitur propria, & vnica ratio esse debet; quia de hoc nulla extat promissio, aut pactum diuinum: cuius signum esse potest, quia Ecclesia, & Sancti orant Deum, vt accepter hæc suffragia pro defunctis, vt in superioribus tactum est: ergo signum est, non esse opus iustitiæ, sed misericordiæ. Item colligi potest ex eo, quòd animæ in Purgatorio existentes iam sunt extra forum Ecclesiasticum, & pertinent tantùm ad forum Dei: cùm ergo, etiam inter viuentes, incertum sit, an tale pactum, vel promissio intercedat, verisimilius est respectu defunctorum nullum esse, maximè cùm nullo sufficienti testimonio, & ratione ostendi possit.

Caiet. Cano. Soto. Angles. Medin. Cordub. D Thom.

3. Corollariū præcedentis sententiæ.

Atq; hinc infert Caietanus, suffragia oblata pro defunctis, non infallibiliter omnibus prodesse, de aliquibus autem id non negat. Distinguit enim inter Purgatorij animas: nam quædam sunt, quæ meruerunt in hac vita, vt suffragia pro ipsis oblata post mortem eis prodessent, atque in his, ait, infallibile esse, vt suffragia suum habeant effectum, & fortasse non æqualem in omnibus, sed pro ratione meritorum. Et huiusmodi censentur esse animæ eorum, qui in hac vita specialem deuotionem habuerunt circa animas Purgatorij, aut plura beneficia illis præstiterunt, aut aliquid huiusmodi. Aliæ verò sunt animæ, in quibus nullum est tale meritum, & in his non habent suffragia, iuxta hanc sententiam, infallibilem effectum, aliquando verò habere possunt ex diuina misericordia, accedente virtute orationis impetrantis à Deo huiusmodi acceptationem. Haber autem fundamentum hæc distinctio in Dionysio capit. 7. de Ecclesiastica hierar. & clariùs in Augustino 21. de ciuitate, capit. 15. & 24. & quæstionibus ad Dulcitium, quæstione secunda, & in Enchirid. capite 110. & serm. 34. de Verbis Apostoli, & libro de Cura pro mortuis agenda, capit. vltim. In quibus locis ait, suffragia non omnibus defunctis prodesse, sed iis, qui in hac vita id meruerunt. Et habetur in cap. *Non æstimamus*, 13. quæstione secunda. Et Anselm. in Elucid. dixit, suffragia

Dionys. August. Anselm.

gia iis potissimùm defunctis prodesse, qui dum viuerent, ea pro aliis fecerũt. Potestque explicari à simili ex D. Thoma 3. part. quæstione 52. articulo octauo, ad 1. dicente, Christum Dominum descendentem ad inferos non liberasse à Purgatorio omnes animas, quæ nondum pœnas soluerant; sed eas tantùm, quæ peculiari affectu illius aduentum desiderauerant.

D.Tho.

4. Secũda & vera sententia.

Nihilominùs dicendum censeo, hanc satisfactionem viuentium pro defunctis esse simpliciter de iustitia, & infallibiliter acceptari secundùm totum suum valorem, pro quocunque offeratur. Ita sentiunt antiqui Theologi, qui, loquentes hoc modo de satisfactione vnius pro alio, indifferenter loquuntur de viuis, & defunctis, quos suprà latè retuli sect. 3. præsertim D. Thom. 4 dist. 45. quæst. 2. art. 1. qu. 2. simul cum 1. Expressiùs autem id declarauit Gabriel in 4. dist. 16. q. 2. artic. 3. dub. 8. Nauarrus in Commentario de Iubilæo, numer. 18. & in libro de Oration. & horis canon. cap. 20. num. 82. & idem tenuit Soto in 4. d. 21. qu. 2. art. 3. vel non sibi constans, vel sententiam corrigens: & idem sentit Viguer. in Summ. cap. 16. §. 4. vers. 33. Couarr. cap. *Alma*, 1. part. §. 4. num. 7. Et in primis, quòd hæc satisfactio potuerit ita institui, vt sit de iustitia, manifestum est, iuxta principia à nobis posita: quia, intercedente promissione sub conditione operis, nihil hîc deest ad veram iustitiam: nihil autem repugnat in hoc negotio interuenire hanc promissionem, vt per se notum est. Rursus, si admittimus hãc promissionẽ respectu viuentium, non est cur negemus eam extendi ad animas Purgatorij, quæ etiam nobis sunt charitate coniunctæ, & non minùs indigent, quàm viuentes: imò magis quodammodò: quia non possunt per se satisfacere, sed tantùm satisfpati: nec etiam sunt omninò in termino, sed adhuc durant in via: & ideò tam ex parte earum, quàm ex parte nostri est fundamentum, seu capacitas huius pacti, seu promissionis. Ex parte autem Dei eadem est congruentia liberalitatis, & misericordiæ non repugnantis iustitiæ, & eadem significatio volũtatis eius: quia, quantùm ex vsu & traditione Ecclesiæ colligimus, eadem lex est suffragiorum respectu defunctorum, quæ est respectu viuentium: nam Ecclesia æqualiter offert sua suffragia pro viuis & defunctis. Sancti Patres eodem etiam modo de illis loquuntur, tradentes hanc vt Apostolicam doctrinam, quæ per continuam successionem ad eos peruenit: vt patet ex Chrysostomo homil. 69. ad Populum, & homil. 3. ad Philip. & ex Augustino serm. 32. 33. & 34. de Verbis Apost. & ex multis decretis, quæ habentur 15. q. 2. Vnde propter similem traditionem diximus in superiori tom. disp. 79. sect. 10. sacrificium Missæ ita remittere pœnam temporalẽ ex opere operato defunctis, ac viuis, æquè pro vtrisque oblatum, &, quæ ibi adduximus, hanc sententiam confirmant: item ea omnia, quæ suprà adduximus de viuentibus inter se. Nam, si lex taxãs pœnas peccatorum ita instituta est, vt possit iuxta æquitatem iustitiæ per pœnas huius vitę compensari, consequenter sequitur, facta tali compensatione satisfactum esse iustitiæ, & consequenter ex vi eiusdem iustiæ nihil amplùs deberi, & hoc est, satisfactionem esse de iustitia.

D.Thom. Gabr. Nauar.

Soto.

Viguer. Couar.

Chrysost.

Augustin.

5. Rationibus primæ sententiæ fit satis.

Primæ.

Denique, indicia, quæ in contrarium afferebantur, nullius momenti sunt. Primum erat, quia oramus, hæc suffragia acceptari à Deo. Quod in primis non constat, saltem de publicis orationibus Ecclesiæ, in quibus huiusmodi petitio formaliter, & expressè non reperitur, sed simpliciter, vt liberentur ab illis pœnis, vel aliquid simile; sub qua petitione multa alia intelligi possunt, quæ suprà explicata sunt. Deinde, aliquando petimus à Deo ea, quæ certissimè scimus ipsum esse facturum, vt Ecclesia petit, ne animæ Purgatorij absorbeantur à Tartaro, & similia; quas orationes multi simpliciter intelligunt, vt sonant: quia non est inconueniens petere à Deo, quod scimus ipsum esse facturum: nam in hoc ostendimus piam voluntatem, & charitatem ad illas animas, & respectu Dei confitemur, nostras satisfactiones secundùm se non esse æquiualentes, nisi procedant ex gratia: neque hoc ita esse opus iustitiæ, quin supponat diuinam promissionem, & benignam legem. Denique non solùm respectu mortuorum, sed etiam respectu aliorum viuentium, imò etiam respectu nostri possumus hoc postulare: sic enim quotidiè petimus, vt Deus, contentus nostris qualibuscunq; pœnis, remittat nobis Purgatorij pœnas, quarum sumus rei, quanuis certi simus de remissione, si pœnæ sint sufficientes, & non aliàs: tamen hoc ipsum per talem orationem petimus, scilicet vt Deus nobis concedat facere opera digna tali remissione, simulque recognoscimus, totum hoc opus principaliter esse gratiæ Dei. Aliud signum erat, quia iã animæ Purgatorij sunt in diuerso foro. Quod est verum quantùm ad iurisdictionem Ecclesiasticam, vt dixit Chrysostomus homil. 9. de Vinculo anathematis: & dicemus latiùs in sequenti opere de Censuris: non est tamen verum quoad vinculum charitatis, per quod plura membra in vno Ecclesiæ corpore vniuntur, à quo non separantur animæ fidelium defunctorum, vt Augustinus dixit libro decimosecundo de Ciuitate, capite nono, & ideò non etiam separantur quoad communicationem bonorum, proportionatam statui vniuscuiusque. Et ob hanc causam tam de nostris satisfactionibus, quàm de indulgentiis Ecclesiæ solet dici, prodesse animabus Purgatorij, *per modum suffragij*. Per quam loquutionem aliqui putant excludi infallibilem applicationem ad acceptationem ex iustitia. Quod non ita est: sed significatur solùm, non fieri per proprium actum iurisdictionis, & absolutionis iudiciatiæ, sed per modum amicabilis communicationis, seu eleemosynæ, quæ à viuentibus quidem fit ipsis animabus; tamen per eam ad æqualitatẽ, & ex iustitia soluunt debitum earum, vt latiùs in sequentibus disput. de Indulgentiis declarabimus.

Secundæ respondetur. Chrysost.

Augustin.

---

*Suffragia pro anima Purgatorij oblata, infallibiliter illi prodesse. Coroll.* 1.

6. ATQVE hinc infero primò, suffragia hæc oblata pro defunctis, infallibiliter prodesse cuilibet existenti in Purgatorio, si pro eo offerantur. Probatur ex dictis, quia effectus iustitiæ apud Deum infallibilis est. Et hæc ratio probat, hanc infallibilitatem esse æqualem respectu omnium animarum Purgatorij hac sola spectata conditione, quòd sanctæ sint, & tali satisfactione indigeant: quia hæc lex iustitiæ non respicit specialia merita earum, sed valorem ipsius satisfactionis, & vnionem charitatis, quæ facit hęc bona communia. Vnde Leo X. in Bulla quadam de Indulgentiis, quam refert Caietanus 3. part. qu. 48. art. 5. circa ad 3. ad communicationem satisfactionis per indulgentias respectu defunctorum solùm requirit ex parte eorum vnionem charitatis cum viuentibus; &, dum æqualiter de illis loquitur, significat eadem infallibili lege eis prodesse, eadem autem, vel maior ratio est de suffragiis. Præterea Caietanus admittit, hunc effectum saltem esse infallibilem in illis iustis, qui, dum viuerent, habuerunt aliquod speciale meritum circa animas Purgatorij. In quo in primis non video quomodo admittat esse infallibilem, & neget esse ex iustitia: quia, si est infallibilis, necesse est vt intercedat diuina lex & promissio, quia in nullo alio potest illa infallibilitas fundari: si autem intercedit

Leo X. Caiet.

Caietani diuisio impugnatur.

promissio Dei, nihil deest ad rationem iustitiæ, cùm alioqui supponatur æquiualés commutatio, seu compensatio, vt ostensum est: neque enim maior ratio iustitię inuenitur inter viuentes, imò nec in satisfactione vniuscuiusque pro seipso. Rursus, si Caietanus admittit promissionem, & infallibilem legem respectu aliquarum animarum Purgatorij, non video cur neget esse vniuersalem respectu omnium, nec video vnde illi constituerit illa differentia, cùm Ecclesia æqualiter oret pro omnibus, & Sancti indifferenter dicant, suffragia prodesse defunctis in iustitia.

7. Exępla Augustini, & Dionys. non esse ad rem ostenditur.

Nam, quod ex Dionysio, & August. Caietanus adducit, non rectè intellectum est, quia illi non requirũt aliud speciale meritum, præter illud quod sufficit ad vnionem charitatis. Quod patet ex verbis Augustini serm. 34. de Verbis Apost. vbi cùm dixisset, *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro mortuorum spiritibus erogantur, non esse dubitandum mortuos ădiuuari*, subdit inferiùs, *Non ouanino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem.* Explicans autem quinam isti sint, subiungit, *Nam, qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, &c.* Ex quibus verbis satis constat, Augustinum nullum aliud meritum postulare in defunctis, vt suffragia viuentium illis prosint, nisi vt cum fide, quæ per dilectionem operata fuerit, eiusque sacramentis de corporibus decesserint. Idem colligitur ex eodem Augustino lib. 21. de Ciuitate, c. 24. idemque est sensus D. Dionysij, vt ex eius verbis constat, & exposuit etiam Turrianus lib. 4. contra Magdeburgenses, c. 12. Et sumitur ex Diuo Thoma in 4. d. 45. q. 2. art. 1. qu. 3. ad vlt. & art. 4. quæstiunc. 1. ad 2. Nullo ergo firmo fundamento nititur illa distinctio Caietani. Exemplum autem, quod adducit ex descensu Christi ad inferos, & valdè incertum est, vt latè tractaui in secundo tomo, disput. 43. section. 3. & non est simile: quia illa libertas, seu remissio, quæ concessa fuit animabus Purgatorij in descensu Christi ad inferos, fuit ex speciali priuilegio, & dispensatione ob gloriam Christi descendentis: & ideò non potest inde sumi argumentum ad negotium iustitiæ, de quo tractamus.

Turrian. D. Tho.

Exemplum Caietani nihil probare.

---

## *Suffragia secundùm totum suum valorem defunctis prodesse. Corollar. 2.*

8. SECVNDÒ infero, suffragia oblata pro defunctis, integrè illis prodesse secundùm totum valorem, quem habent, prout ab offerente procedunt; vt verbi gratia, si satisfactio, quam ego exerceo, pro me facta valeret ex iustitia ad remissionem quatuor graduum Purgatorij, toridem remittit illi animæ, pro qua offeruntur. Probatur ex dictis suprà de satisfactione pro aliis viuentibus, vbi ostendimus, non minui valorem satisfactionis eo quòd pro alio fiat: nam omnia, quæ ibi adduximus, non minùs habent locum in satisfactione facta pro animabus Purgatorij: quia neque est opus minoris charitatis, neque ex eo capite in aliquo minuitur valor satisfactionis. Vnde vlteriùs infero, non minùs operari æqualem satisfactionem in vna anima Purgatorij, quàm in alia, etiamsi illæ inter se in sanctitate, aut meritis inæquales sint. Probatur, quia valor satisfactionis pro alio, non sumitur ex dignitate personæ, pro qua offertur, sed ex dignitate personæ operantis, & conditione operis: agimus enim de satisfactione ex opere operantis, quicquid sit de opere operato, de quo in 3. par. dictum est, vel de applicatione indulgentiarum, de qua infrà dicemus. Solùm ergo requiritur ex parte eius, pro quo offertur, quòd sit capax talis satisfactionis, eique obicem non ponat: in quo æquales sunt omnes animæ Purgatorij, etiamsi alioqui in gratia, & meritis inæquales sint. Assumptum patet, quia hæc satisfactio pro alio est veluti donatio quædam, quæ illi fit, vt autem donatio tota sit valida, satis est quòd is, cui fit, sit capax eius, & is, qui donat, habeat voluntatem donandi totum. Nec ex parte Dei potest hìc intercedere inæqualitas, quia iam supponimus remissionem fieri ex certa lege iustitiæ commutatiuæ, quæ respicit æqualitatem rei, non conditionem personæ, nisi quatenus hæc redundat in moralem valorem operis, vel est necessaria dispositio ad effectũ: in præsenti autem neutrum istorum habet conditio maioris, vel minoris sanctitatis, aut meriti in persona, pro qua offertur suffragium: & ideò secundùm legem iustitiæ non confert ad maiorem, vel minorem effectum æqualis suffragij. Quomodo autem intelligi possit quædam sententia Anselmi in superioribus citata, in sequenti sectio. dicam. Secus verò est, si suffragium offeratur pro pluribus animabus Purgatorij: tunc enim non æqualem effectum habebit in singulis, ac si pro vna tantùm fieret, quia, cùm sit finiti valoris, diuiditur inter illas, vt in secunda sectione generatim dictum est. Quapropter, si aliquis applicat totam suam satisfactionẽ alicui animæ in particulari, & vult simul alteri prodesse, non poterit id facere per modum solutionis, sed ad summum per modum impetrationis, aut meriti de congruo eo modo, quo in præsenti possunt habere locum, iuxta superiùs dicta.

Suffragium pro pluribus animabus oblatum non habet in singulis tãtum valorẽ, ac si pro vna offerretur.

Suffragia æqualia æqualiter operari in animabus in gratia inæqualibus.

---

## *Sitne omnes animæ Purgatorij capaces suffragiorum.*

9. TERTIÒ, ex dictis definitur quæstio suprà huc remissa, an omnes animæ Purgatorij sint capaces suffragiorum. Loquendo enim generatim & indefinitè de suffragiis, dicendum est, omnes esse capaces illorum, quia sunt in gratia, & habent culpas remissas, & aliquod debitum pœnæ, quod pro eis solui possit. Dico autem, *loquendo generatim & indefinitè*, propter Catechumenos, seu omnes illos, qui sine Baptismo in re suscepto saluati sunt, & in Purgatorio existunt: de quibus dubitari potest, an sint capaces quorumcunque suffragiorum: nam de aliquibus res videtur certa, scilicet, de priuatis suffragiis, quæ vnusquisque de suis satisfactionibus pro illis offerre potest: nam ad hæc sufficit vnio charitatis, & intentio operantis, & indigentia recipientis. Arque ob hanc causam etiam ante legem gratię poterat esse communicatio suffragiorum viuorum ad defunctos, vt constat ex 2. Machab. 12. & nunc Catechumenus potest orare, & suffragium offerre, vel pro alio Catechumeno, vel pro baptizato defuncto: ergo à fortiori poterit baptizatus suffragari Catechumeno defuncto. Denique nihil fingi potest, quod impediat, quia character baptismalis nulla ratione necessarius est ad hunc effectum. De suffragio autem singulari, quod ex opere operato impenditur per sacrificium Missæ, dubitari potest, an offerri possit pro Catechumeno defuncto, quod disputaui superiori tom. disput. 79. sect. 10. vbi partem negantem cum August. Chrysostomo, & D. Thoma definiuimus. De suffragiis item communibus Ecclesiæ idem interrogari potest, de quibus breuiter dico pendere ex intentione Ecclesiæ: nam de potestate nihil video quod repugnet, magis quàm in priuatis suffragiis. De facto verò non videtur hæc esse intentio Ecclesiæ, regulariter loquendo, sed cùm

sit

sit mysticum corpus visibile tantùm pro membris suis per visibile sacramentum sibi coniunctis orat, & suffragia offert quæ pro suo communi nomine fiunt. Quod optimè confirmat can. 35. Concilij Brachar. primi, qui sic habet, *Placuit vt Catechumentis sine redemptione Baptismi defunctis, neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium.* Tandē interrogari posset de suffragiis indulgentiarum, de quibus infrà suo loco dicemus.

Concil. Brachar.

## SECTIO VII.

### *Quæ conditiones requisitæ sint ex parte eius pro quo offertur suffragium, vt infallibilem habeat effectum.*

1. Prima cōditio ex parte eius, pro quo offertur suffragium.

IN hac & sequenti sectione breuiter cōprehendemus cætera omnia, quæ de his suffragiis tractare proposuimus: nā omnia reducuntur ad conditiones offerentis suffragiū, vel eius pro quo offertur. Prima ergo conditio requisita ex parte eius, pro quo suffragium offertur, est, vt culpa, ratione cuius pœnam meretur, iā ei sit remissa. Ratio est, quia fieri non potest vt remittatur pœna ante remissam culpam, quia quandiu culpa manet, intrinsecè manet homo dignus pœna; ergo non potest aliquis efficaciter obtinere alteri remissionem pœnæ, nisi supponat ab illo ablatam intrinsecam dignitatem eius, quæ est culpa. Dices, Non oportet, vt supponat culpam ablatam, sed quòd pro illa etiam satisfaciat. Respondetur, non posse vnum pro culpa alterius condignè satisfacere, sed hoc fuit proprium Christi propter excellentiam personæ eius. Imò nec de congruo potest vnus mereri, aut obtinere alteri immediatè remissionem culpæ, etiam venialis, sed ad summū potest vnus alteri mereri auxiliū quo se disponat ad culpæ remissionem, vel illā mereatur, quia culpa dicit moralem inordinationē morali modo adhuc permanentē, quam reatus pœnæ, vt sic, nō includit. Et ideo, si multa non sit remissa, nō habet locum suffragiū satisfactionis pro pœna, sed prius impetranda erit dispositio ad remissionē culpæ, vt posteà locū habeat suffragium pro remissione pœnæ.

Non potest vnus alteri remissionē culpę mereri.

### *Secunda conditio ex parte eius pro quo suffragium offertur.*

2. SECVNDA conditio est, vt is, pro quo suffragium offertur, sit in statu gratiæ. Hæc conditio nō est eadem cum præcedēti; nam potest aliquis habere reatum pœnæ ex culpis remissis, & non esse in statu gratiæ, sicut è contrario potest esse in statu gratiæ, & non habere remissam omnem culpam venialem. Solùm in animabus Purgatorij semper sunt inseparabiliter coniunctæ hæ duæ conditiones: quia constat esse in statu gratiæ, & cum illa habere semper omnem culpam remissam, ideoque ex neutro capite potest impediri effectus suffragij pro eis oblati. Nam, licèt contingat iustum mori nondum remissis omnibus culpis venialibus, tamen in ipsomet instanti separationis animæ à corpore, omnis culpa venialis ei remittitur, vt suprà declaratū est. Et ideò statim manet capax cuiuscunque suffragij, quantum ad remissionem pœnæ. Ex quo rectè animaduertit Durandus in 4. d. 45. q. 1. nu. 5. suffragia viuorum non posse prodesse defunctis quoad remissionem culpæ venialis, quia si sit coniuncta cum mortali, remitti nō potest, nec talis homo est capax suffragij, vt iam dicemus. Si verò est sola, statim in ipso instanti separationis animæ è corpore remittitur; & ideo nunquam anima separata est capax suffragiorum quoad hunc effectum. Et quamuis dici posset, suffragia, quæ fiūt pro agonizante, posse, illum iuuare ad hunc effectū per modum impetrationis, vel meriti de congruo, tamen id non est necessarium: quia ex perfectione charitatis, & ex necessitate talis status infallibiliter cōsequitur motus voluntatis sufficiēs ad tolleda omnia peccata venialia. Conditio ergo posita locū habet in viuētibus, in quibus potest esse reatus pœnæ temporalis relictus ex aliquibus culpis remissis simul cū alia culpa morali.

Durand.

3. Ratio huius cōditionis.

Ratio autem generalis huius conditionis est, quia qui est in peccato mortali, est omninò indignus omni remissione tam culpæ, quàm pœnæ, & ideò nō solùm est impotēs ad propriam satisfactionē exhibendam, sed indignus etiam, vt aliena ei applicetur, vel pro eo accepte tur. Qua ratione diximus in superioribus, etiam satisfactionē Christi non applicari, vt habeat effectum ex opere operato in eo, qui in statu peccati mortalis, vel sacramentum recipit, vel pœnitentiā iniunctam implet, vel sacrificium offert, aut pro eo offertur, & de Indulgentiis Ecclesiæ idem infrà ostendemus: ergo maiori ratione idem dicendū est in præsenti. Tandem est hîc propria ratio, quia hæc communicatio suffragiorum fundatur ex parte hominum in vnione charitatis: ergo in his, qui non sunt per charitatem vniti aliis iustis; non possunt hæc suffragia effectum habere, huiusmodi autem sunt qui gratia carent: ergo. Quocirca pactum illud, & promissio Dei, quam diximus in hoc negotio interuenire, intelligitur respectu amicorum, quia alij non sunt digni, nec capaces huius sacramenti. Et hoc ipsum fundari potest in valore morali, & proportione nostræ satisfactionis: nam, licèt moraliter ad hoc valeat, vt homini iusto, & sancto remittatur tanta pœna temporalis, non verò vt remittatur homini inimico Dei, & ideò, si pro illo offeratur, non est acceptatione digna: imò qui scienter illam auferret, Deum ipsum offenderet: aliud est enim pro peccatore orare, vt ei remittatur culpa per conuenientia auxilia, & ordinatas dispositiones: aliud verò postulare, vt manente statu culpæ; aliqua pœna remittatur, quod est inordinatum, & contra debitum talis status. Quod etiam ita declaratur, quia quilibet reatus pœnæ coniunctus peccato morali secundùm præsentem iustitiam fit æternus, & ideò per satisfactionem quancunque temporalem tolli non potest. Neque in hac resolutione inuenio difficultatem alicuius momenti.

4. Nū suffragiū pro existenti in peccato mortali obla tū recedēte fictione habeat effectū.

Quæri verò potest, an illud suffragium accepte tur à Deo, vt saltem posteà, si homo ille resurgat, & tollatur impedimētum peccati, ei prosit talis satisfactio, ad eum modum, quo dicunt Theologi dari effectum sacramenti, vel satisfactionis sacramentalis, recedente fictione. Respondeo, non posse hoc in præsenti affirmari cum sufficienti fundamento, quia nullo testimonio, vel ratione probari potest, Deum acceptare talem satisfactionem pro tali persona in huiusmodi euentu: neque etiam hoc est debitum ex natura rei satisfactioni oblatæ pro illo, qui est in peccato mortali. Et ideò non cēseo esse illi fructuosam talem satisfactionem quando à peccato resurgit. Imò satisfactio oblata pro iusto, qui solùm habet culpas veniales nondum remissas sine alio reatu pœnæ, neque illi tunc prodest, neque illi seruatur in acceptatione diuina, vt post remissam culpam venialem, incipiat illi prodesse ad solutionē pœnæ, quia nec propria satisfactio prodest hoc modo ipsimet homini iusto, vt suprà visum est: ergo nec satisfactio oblata pro homine existente in peccato mortali potest illi prodesse modo prædicto. Quid autem de illa satisfactione dicendum sit, paulò inferiùs explicabitur.

*Tertia*

*Tertia conditio eius pro quo suffragium offertur.*

3. TERTIA conditio requisita ex parte illius, pro quo satisfactio offertur, est, vt effectu satisfactionis indigeat, id est, quòd sit debitor alicuius pœnæ. Quia ei, qui nihil debet, nihil remitti potest. Ex hac ratione non possunt suffragia pro beatis offerri, quia nullius pœnæ rei sunt. Et, si contingat suffragium offerri pro aliquo viuente adeò puro & sancto, vt nullius pœnæ reatum habeat, non poterit in illo habere effectum. Quæri verò potest, an saltem pro illo acceptetur, vt si fortasse posteà peccet, & remissionem culpæ consequatur, pœna etiam propter tale suffragium remittatur. Respondeo, non acceptari: nam etiã propria satisfactio à iusto exhibita pro seipso, si illa tunc non indigeat, quia nullius pœnæ pro tunc debitor est, non acceptatur statim veluti in solutionem pœnæ, cuius reatus per futurum peccatum contrahendus est: ergo multò minùs acceptabitur hoc modo satisfactio vnius pro alio oblata. Antecedens in superioribus tractatum est, eiusque generalis ratio esse videtur, quia nõ potest quis priùs esse dignus remissione, quã sit dignus pœna, nec priùs soluere debitũ, quàm illud cõtrahat. Quod maximè verũ habet in debito, quod per actionem iniuriosam contrahitur. Et quidquid sit, an hoc implicet contradictionẽ) posset enim hoc facilè cõtrouerti) sine dubio non est ordo conueniens iuxta rerum naturam, seu exigentiam; nec etiam est expediẽs, si moraliter res consideretur: posset enim, quantùm est ex se, occasionẽ præbere faciliùs peccandi, si quis intelligeret esse soluendum à pœna propter præteritas actiones, etiamsi de nouo peccet, sine alia applicatione, vel satisfactione, præter dispositionem necessariam ad remissionem culpæ. Itaque in eo casu tale suffragiũ omninò caret effectu in illo, pro quo offertur, neque pro tunc, neque etiam in aliud tempus pro illo acceptatur.

Dubiũ circa hãc conditionem. Resoluitur.

6. Præter has conditiones aliqui requirunt, vt non solùm quis indigeat remissione pœnæ, sed etiam vt sit impotens ad satisfaciendum pro illa. Sed iam suprà diximus cum D. Thoma hanc conditionem non esse necessariam: & loquendo generaliter de satisfactione, vt includit satispassionem, seu quamcunque iustã solutionem, id est certissimum; aliàs nunquàm possent suffragia prodesse animabus Purgatorij: quia semper illæ possunt soluere, saltem patiendo sufficienter. Si verò intelligatur de satisfactione propriè, & in rigore sumpta, sic è contrario sequitur, vix posse suffragia prodesse viuẽtibus, sed tantùm defunctis, quia viuentes semper sunt in statu satisfaciendi, & rari sunt qui non possint per se satisfacere, saltẽ per intensos actus doloris, & contritionis, præterquàm quòd sine fundamento exigitur talis conditio, præter legem charitatis, & iustitiæ, vt superiùs à priori declaratum est.

Non requiritur vt is, proquo satisfit, sit impotẽs ad per se satisfaciendum.

7. Præterea requirunt aliqui acceptationem formalem, & consequẽter cognitionẽ suffragij pro se oblati; sed iam etiam diximus, hoc non esse per se necessarium, quia sufficit generalis voluntas, quã vnusquisque iustus habet obtinendi remissionẽ pœnæ, & soluendi Deo quacunque ratione possit: nam per hoc sufficienter habet implicitam voluntatem acceptandi solutionem pro se oblatã, etiamsi ignoret, vt inter viuentes sæpe contingit. Quod etiã confirmat Ecclesiæ vsus, offerunt enim fideles sua opera pro aliis amicis viuentibus, etiam illis ignorantibus ac nescientibus. Et de animabus Purgatorij satis dubia res est, an cognoscant suffragia, quæ pro eis offeruntur, & à quibus offerantur, quia neque in verbo vident, quæ hic agimus, nec fortasse naturali virtute hæc possunt intueri, vt sentit Augustin. lib. de Cura pro mor. agen. c. 13. Nec etiam videtur debitum statui illarum animarum vt hæc illis reuelentur: ergo hæc cognitio non est necessaria ad effectum suffragij: sed sæpe fortasse priùs in se sentit anima fructum suffragij, & ex effectu cognoscit aliquod suffragiũ esse pro se oblatum, saltem confusè & generatim. Et licèt interdum ab Angelo custode discat in particulari à quo oblatum fuerit; illa tamen scientia nõ est prærequisita vt suffragium operetur. Vnde acceptatio, quę subsequitur, potiùs est per modum cuiusdam complacentiæ, vel gratitudinis, quàm vt conditio necessaria ad effectum suffragij. Sufficit ergo acceptatio diuina, à qua per se pẽdet hic effectus modo superiùs declarato: nam ex parte eius, pro quo offertur, satis est non repugnantia seu virtualis consensus. Denique alij requirunt ex parte eiusdẽ personæ specialem aliquam dispositionem, vel meritum ad hunc effectum: sed hoc etiam excluſimus in superioribus, ideóque tres conditiones propositæ sufficiunt.

Auguſt.

## SECTIO VIII.

*Quæ conditiones requirantur ex parte offerentis suffragium.*

1. EX parte offerentis satisfactionem tres aliæ conditiones videntur necessariæ. Prima conditio est, vt sit in gratia quando efficit opus, per quod vult alterum iuuare, siue viuum, siue defunctum. Hæc est communis sententia Scholasticorũ d. 19. 20. & 45. vbi D. Thom. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. & 3. p. q. 82. art. 6. Soto q. 2. art. 1. & d. 19. q. 1. art. 2. Anton. 3. p. tit. vlt. cap. 2. Viguer. in Sũma. c. 16. §. 4. versic. 33. Ratio à priori est, quia opus in mortali peccato factum non est alicuius valoris moralis apud Deum ad satisfaciendum, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et cõfirmatur, quia hac ratione suprà ostendimus contra Scotũ, & alios, peccatorem non posse satisfacere pro pœna debita propter alia peccata remissa, quia pœnale opus sine gratia factum nõ habet moralem valorem necessariũ ad soluendum tale debitum: ergo multò minùs poterit sufficere ad soluendum pro alio: nam solutio pro alio supponit potestatem ad soluendum pro se, & simpliciter requirit valorem in ipso opere. Præsertim quia ostensum est, hanc satisfactionem pro alio esse debere de condigno, & de iustitia, cuius capax non est homo in peccato mortali existens.

Prima conditio. D. Thom. Soto. Anton. Viguer. 1. Cor. 13.

2. Atque hæc assertio certa est de suffragiis, quæ offeruntur à priuatis personis proprio nomine. Sũt autem præter hæc, duo genera operum, seu suffragiorũ, de quibus potest dubitari. Primum est de suffragiis, seu orationibus, aut diuinis officiis, quę publicè fiunt à ministris Ecclesiæ pro defunctis: nam illa non fiunt ab huiusmodi ministris nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ. Et ideò difficultas est, si ipsi ministri omnes sint in peccato mortali, an nihilominùs prosint defunctis. Videtur enim prodesse: nam quãdo aliquis operatur nomine alterius, valor operis non pensatur ex dignitate proximi operantis, sed eius, cuius nomine operatur; vt si Rex per nunciũ petat aliquid, dignitas petitionis non consideratur ex petitione nuncij, sed regis, cuius nomine fit. Nam ob hanc etiam rationem sacrificiũ oblatum à malo sacerdote, nihil minùs operatur, quia non in sua, sed in Christi persona illud offert. In contrariũ verò est quod Gregorius in Pastorali, p. 1. c. 11. ait, *Sollicitè formidandum, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is, qui*

Nũ suffragia nomine Ecclesiæ facta à ministro existẽte in mortali, aliis prosint.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.

Ratio dubitandi pro negatiua. Gregor.

*displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Multi enim graues Auctores docent, peccatum ministrorũ Ecclesiæ in his publicis suffragiis & orationibus nõ impedire quominùs suum effectũ habeãt in animabus, pro quibus offeruntur. Ita D. Tho. dict. quæstiunc. 2. & Soto d. 45. qu. 2. art. 1. & idem sentit Nauar. in tractatu de Oratione, c. 19. concluſ. 4. n. 59. & sequent. & in c. 20. nu. 39. & sequ. quibus locis ait, has orationes habere effectum ex opere operato ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, citans Gabrielem lection. 57. in Canonem; & Gersonem.

Prima sentẽtia.

D Thom. Soto. Nauar.

3. Duo verò necesse est in oratione distinguere, scilicet impetrationem, sub qua meritum de congruo inuoluimus; & satisfactionẽ propriam per modũ condignæ solutionis: meritum autem de condigno hîc non habet locũ, quia, vt supponimus, nunquàm inuenitur in pura creatura respectu alterius. Igitur quoad impetrationem nõ est dubium, quin oratio facta nomine Ecclesiæ habeat vim impetrandi apud Deum, etiamsi ministri, qui orant, sint in peccato, quia tunc non pensatur efficacia orationis ad impetrandum ex conditione proximi orantis, sed ex dignitate principalis perentis, quæ est Ecclesia, vt ratio ptiùs facta probat, & latiùs traditur in materia de sacrificio quãtùm ad orationes, & cæremonias Missæ. Neque contra hoc procedit dictum Gregorij suprà citati: nam loquitur de illo, qui propria auctoritate, & vt persona priuata intercedit. Quin potiùs non solùm oratio facta à ministro existente in peccato, sed etiam facta ab illo peccaminosè potest esse hoc modo fructuosa, & impetratoria, quia oratio illa quoad substantiam bona est, & vt sic fit nomine Ecclesiæ, & ideò non potest personalis malitia, quam minister adiungit, Ecclesiæ intercessionem & impetrationem impedire. Vnde quoad hunc modum suffragandi per modum impetrationis facilis est doctrina D. Thomæ, qui nunquàm aliud explicuit, sed solùm dixit, valere posse suffragia post hanc vitam ex opere operantis, & operato.

Orationem factã à prauo ministro nomine Ecclesiæ habere vim impetrandi.

4. At verò quoad satisfactionẽ, & consequẽter quoad modũ suffragij per modum solutionis, seu satisfactionis, nõ videntur posse habere effectũ suffragia Ecclesiæ, quæ per malos ministros fiunt, etiãsi nomine Ecclesiæ ea facere dicantur: quia opus est satisfactorium quatenus pœnale est, atq; adeò quatenus est personale, & propriũ talis personę, quę per illud patitur. Opus autẽ, quod fit à ministris Ecclesię relatũ ad ipsam Ecclesiã, nõ habet rationẽ pœnalis operis: ergo, vt sic, nõ est satisfactoriũ. Solùm ergo est satisfactoriũ, quatenus est opus talis ministri operantis, nã solùm est pœnale vt relatũ ad personam eius: ergo, si talis persona sit inimica Dei, non potest illud opus esse satisfactorium, quantùm est ex opere operantis. In quo est magna differentia inter impetrationem, & satisfactionem: nam impetratio fundatur in oratione, solùm vt est petitio, & significatio voluntatis, & desideriorum Ecclesiæ, quæ, quatenus est vnum corpus mysticum, loqui potest per vnum vel alium ministrum, quæ locutio vt est signum quoddam, per quod Ecclesia sua desideria repræsentat Deo, accipit ab illa quandam dignitatem, & efficaciam ad impetrandum: satisfactio verò, quæ per eandem orationem fieri potest, fundatur in illa quatenus opus pœnale est: sub qua ratione non refertur ad Ecclesiam, nec nomine illius sustinetur, vt sic dicam. Cuius etiam signum est, quia nulla alia opera pœnalia, vel satisfactoria fieri solent ab Ecclesia per ministros suos ad satisfaciẽdum Deo nomine totius corporis, sed tantùm orationes, vel sacrificia, aut alia signa religiosi cultus. Et confirmatur, quia quando Ecclesiæ ministri sunt iusti, & publica suffragia, seu orationes offerunt Deo, tale opus, vt est ab ipsis, satisfactoriũ est: illa verò satisfactio est personalis, & propria ipsorum operantium, quam ex vi sui ministerij non tenentur offerre pro alio, v. g. defuncto, pro quo talia suffragia fieri iubentur: nam sine tali satisfactione possent ministri suo muneri satisfacere, quantùm est ex vi huius obligationis. Præter hanc verò satisfactionem non est alia, quæ correspondeat illi operi quatenus est, vt sic dicam, totius Ecclesiæ operantis per ministrum, quia nihil est, in quo possit fundari hæc satisfactio, tum propter rationem factam, quòd pœnalitas operis non spectat ad Ecclesiam vt sic: tum etiam, quia tota satisfactio, quæ in illa pœnalitate fundari potest, iam est exhibita ab ipsa particulari persona operante: ergo in his suffragiis, vt sunt ab Ecclesia, nihil satisfactionis est quasi ex opere operantis ipsius Ecclesiæ.

4. Suffragium per modum solutionis à prauo ministro nomine Ecclesiæ factũ, non habet effectũ.

Discrimen inter impetrationẽ & satisfactionem.

5. Quod autem Nauarrus ait de satisfactione ex opere operato, si cum proprietate, & rigore sumatur, mihi verisimile non est: nam ex institutione Christi nullum habemus opus, vel signum satisfactoriũ ex opere operato præter sacrificium, & sacramenta, neque aliud nobis fingere licet sine certo testimonio, & Ecclesiæ traditione: neutrum autem habemus. Ecclesia verò non habet potestatem ad instituenda signa operantia similes effectus ex opere operato, propriè loquendo. Dices, Hæc suffragia ex institutione Ecclesiæ sunt impetratoria ex opere operato: ergo etiam esse possunt satisfactoria. Respondetur, negando assumptum, si propriè loquamur, sed solùm sunt hæc suffragia, vt fiunt nomine Ecclesiæ, impetratoria ex opere operantis, ita tamen vt operans, seu orans intelligatur esse tota Ecclesia, licèt per ministrum oret: non est autem ita satisfaciens per ministrum, vt declaratum est. Vnde institutio Ecclesiæ non facit immediatè vt opus sit impetratorium, sed facit vt oratio fiat à ministro nomine Ecclesiæ, & inde quasi ex natura rei sequitur, vt talis oratio ob Ecclesiæ sanctitatem sit Deo accepta ad impetrandum. Et ob eam rem, vt opinor, quò Ecclesia fuerit sanctior, & dignior, eò talis oratio magis erit accepta Deo, & sub hac ratione sanctitas ministri multùm conferre potest ad hanc impetrationem, vt expresè docuit Alexander Papa in epist. 2. & habetur in cap. *Ipsi Sacerdotes*, 1, q. 1.

5. Orationes nomine Ecclesię factæ non habere effectum ex opere operato.

Obiect.

Soluitur.

Alex. Papa.

6. Hinc etiam censeo, hanc vim horum suffragiorum, quoad impetrationem, non prouenire ex speciali potestate, quam Christus dederit Ecclesiæ ad conferendum operibus suorum ministrorũ aliquem effectum ex opere operato; sed prouenire ex natura rei, supposita solùm institutione talis congregationis, & vnitatis eius. Vnde non solùm in lege noua, sed etiam in lege veteri, & naturæ, erat in Ecclesia ille modus orãdi, & impetrãdi à Deo nomine totius Ecclesiæ, quanuis tunc nullus esset effectus ex opere operato. Igitur nullo fundamento dici potest, hæc suffragia esse satisfactoria ex opere operato. Dixi autem, *propriè, & in rigore loquendo*, quia per modum indulgentiæ posset Ecclesia applicare per hæc suffragia aliquid satisfactionis de thesauro suo: nec dubito, quin posset ita id facere, vt illa applicatio haberet effectum independenter à sanctitate ministrorum iuxta ea, quæ dicemus disputationibus sequentibus. Tamen nõ constat Ecclesiam concessisse talem indulgentiam applicandam per omnia hęc suffragia. Debuisset enim talis indulgentia concedi, aut ab aliquo summo Põtifice, aut à generali Concilio: nullum autẽ decretum, aut testimonium eorum circa hoc habemus, nec etiam traditionẽ: non potest ergo ita liberè sine fundamento affirmari. Cõcludo igitur, hæc suffragia nomine Ecclesiæ facta per ministros prauos, valere quidẽ per modũ impetrationis, non verò per modum satisfactionis seu solutionis: loquimur autem extra sacrificium Missæ: nam illud satisfactorium est ex opere operato.

Quod

*Quod sit discrimen inter publica & priuata suffragia ad impetrandum, vel satisfaciendum.*

7. SED obiiciet aliquis, iuxta hanc nostram sententiam, nullum esse discrimen inter suffragia publica, & priuata: quia etiam oratio priuatæ personæ potest per modum impetrationis aliis prodesse. Ad hoc
Nauar. ex Nauarro suprà responderi potest negando sequelam, & probationem eius, quia Deus non audit oratio-
Ioan. 9. nem peccatoris, quatenus est eius, iuxta illud Ioan. 9. *Deus peccatores non exaudit*: audit tamen orationem peccatoris, quatenus est alterius, scilicet Ecclesiæ. Sed
D.Tho. contra hoc est: quia, vt D. Thom. ait secunda secundæ q. 83. ar. 16. ex Augustino tract. 34. in Ioan. verbum illud Ioannis, *Deus peccatores non exaudit*, à cæco fuit dictum nondum perfectè illuminato; & ideò aut admittendum non est, aut piè exponendum de peccatore petente, quatenus peccator est, id est, praua, & indigna petente. Si autem pia oratio à peccatore fundatur, impetratoria, esse potest: quia non in sanctitate orantis, sed in diuina misericordia fundatur. Sic ergo oratio facta à peccatore pro alio potest esse impetratoria ob eandem rationem: ergo nulla erit differentia inter suffragia facta ab aliquo peccatore vt ministro Ecclesiæ, vel vt priuata persona: quia vtroque modo sunt impetratoria, & neutro modo sunt satisfactoria. Consequens autem est contra communem modum loquendi Theologorũ, & præsertim contra D. Tho. 3. p. qu. 72. art. 6. Quem locũ duobus modis ibi interpretatus sum, qui nunc non omninò videtur satisfacere. Vnus est, quod oratio peccatoris, vt est à priuata persona, licèt impetrare possit ex misericordia Dei, nõ tamen est impetratoria de cõdigno. Veruntamen etiã oratio facta à ministro Ecclesiæ, vt talis est, nõ est impetratoria de cõdigno: imò nulla oratio facta pro alio à quocunq; iusto, vel etiã à tota Ecclesia, est impetratoria de cõdigno, iuxta doctrinã D. Thom. in citato loco 2. 2. quia hoc est proprium Christi Domini. Alius modus erat, differentiam illam intelligendam esse de oratione peccatoris formaliter, id est, peccaminosè facta: nam hæc, si fiat à priuata persona, nunquàm est impetratoria, si verò fiat nomine Ecclesiæ, potest esse impetratoria, supponendo id, quod petitur, iustum esse, & sanctum, quanuis in modo, vel intentione ministri malè petatur. Quæ differentia vera mihi videtur; sed aliquid ampliùs videntur intendere D. Thom. & Theologi.

8. Propter quod dici posset, orationes, quæ fiunt nomine totius Ecclesiæ, adeò esse efficaces, vt immediatè impetrent à Deo remissionem pœnæ temporalis, idque infallibiliter, & ex certa promissione propter singularem amorem, & sanctitatem totius Ecclesiæ; vel etiam, quia in hac Ecclesia est potestas ad applicandum Christi satisfactionem vel potius ad impetrandum, vt Deus eam applicet, & hoc facere intendit per huiusmodi orationes publicas, & impetrare à Deo, vt sub hac ratione eas acceptet, præsertim quãdo per modum suffragij eas offert pro defunctis. Et fortasse hoc solum intendit Nauarrus cùm dixit, hæc suffragia esse satisfactoria ex opere operato: quod est probabile in hoc sensu, quanuis meliùs, & priùs hoc totum comprehenditur sub nomine impetrationis, quæ fortasse est certa, & infallibis ex statuta Dei lege, non propter meritum de condigno, sed propter specialem vim, & efficaciam concessam Ecclesiæ ad applicandam Christi satisfactionem. Et quanuis aliquis contendat non esse omninò infallibilem: quia de tali lege, aut promissione non constat, tamen verisimile est ob alias congruentias orationes Ecclesiæ sæpe ad hunc effectum exaudiri. De orationibus autem priuatis non est similis ratio: nam suprà ostendimus, etiam iustos nunquàm impetrare alteri immediatè liberalem pœnæ remissionem, quod multò est certius de persona in peccato existente. Præterea, etiamsi non admittamus, Ecclesiæ suffragia, vel orationes habere hunc specialem effectum impetrandi immediatè remissionem pœnæ liberalem, seu per solam applicationem satisfactionis Christi, ad huc possumus constituere aliquam differentiam: nam oratio Ecclesiæ facta per malos ministros, semper in conspectu Dei consideratur vt petitio facta ab amico; & ideò semper retinet illam efficaciam, vel valorem, quem oratio habere potest ad impetrandum ex dignitate personæ orantis: oratio autem facta à peccatore in persona propria, omninò amittit efficaciam ex parte personæ petentis, quanus aliquando exaudiri possit ex sola benignitate, & liberalitate diuina. Et hæc videntur sufficere de suffragiis communibus Ecclesiæ.

9. Quãdo censendus sit aliquis nomine Ecclesiæ orare. Nauarri sententia.

Tractat autem Nauar. suprà dict. c. 20. de Orat. nu. 40. quando cẽsendus sit aliquis orare vt minister Ecclesiæ, & numerat in primis omnes clericos, etiam primæ tonsuræ. Deinde omnes religiosos, etiam nouitios, item donatos & donatas tam Ecclesiarum secularium, quàm regularium. Ac denique addit omnes, qui recitant orationes ab Ecclesia institutas, & tanquàm res institutas ab ipsa, quia hoc ipso virtualiter volunt orare nomine ipsius, & ipsa Ecclesia instituendo tales orationes virtute etiam voluit, vt, quicunque vellent, possent suo nomine illas recitare. Sed hæc piè potiùs considerata, quàm fundata videntur: nam quidam textus, quos allegat, nihil ad causam faciunt. Et mihi est dubia tam generalis, & ampla regula: nam Ecclesia non instituit omnes orationes, vt nomine suo dicãtur, sed etiam vt fideles habeant aliquem moralem modum certum, & sua auctoritate confirmatum, sicut Christus Dominus docuit Apostolos orare, *Pater noster*, &c. Illæ ergo orationes videntur propriè fieri nomine Ecclesiæ, quæ non solùm ab ea institutæ sunt, sed dicuntur à ministris ad hoc deputatis ex præcepto, vel ordinatione sua: alia verò, quæ dicuntur omninò priuata auctoritate, non videtur fieri nomine Ecclesiæ, etiamsi preces ipsæ, quæ recitantur, ab Ecclesia institutæ sint: de qua re plura dicturi sumus in seq. lib. agẽtes de Interdicto. Superest dicendum de alio genere operum, quæ vnus facit per alium, vel è conuerso quæ vnus facit nomine alterius, vt quando vnus dat eleemosynam per famulum, vel postulat ab alio, vt pro se, & nomine suo petat: & de hoc genere ac modo operãdi dicemus commodiùs in puncto sequente.

10. Secunda cõditio ex parte offerentis suffragium requisita.

Est ergo secunda conditio requisita ex parte eius, qui suffragium offert, vt faciat opus proportionatum ad satisfaciendum ex conditione ipsius operis, vt est à tali operante. Hoc etiam est certum: nam satisfactio pro alio supponit satisfactionem in se, vt sic dicam, quia non potest pro alio ferri aliquid in pretium, nisi præintelligatur habere in se pretij valorem; non potest autem fieri satisfactio in se, nisi per opera proportionata ad satisfaciendum. Vnde Theologi eadem opera, per quæ homo potest satisfacere pro se ipso, assignant ad satisfaciendum pro aliis, siue viuis, siue defunctis, quæ reducunt ad illa tria, orationem, eleemosynam, ieiunium. Quæ etiam in decretis, & Sãctis Patrib. inuenimus, vt in superioribus citatũ est: omittimus autem sacrificium, quod ab eis frequenter additur: quia non agimus de satisfactione ex opere operato, sed ex opere operantis, & sub hac ratione sacrificium, & quodlibet opus religionis sub oratione comprehenditur.

*Num opus externum præcisè sumptum pro alio oblatum, illi prosit ad pœnæ remissionem.*

11. Est autem hîc speciale dubium, an opus externum, per se ac præcisè sumptum, pro alio factũ, possit illi ad satisfactionem seu remissionem pœnæ prodesse. In quo est considerandum, duobus modis posse vnũ pro alio operari. Primò, nomine suo, quia nimirum ipse facit illud opus tanquàm proprium, & fructum eius quoad satisfactionem donat alteri, vel proprio motu, vel ad petitionem alterius. Non enim repugnat operari hoc modo pro alio, proprio nomine, & virtute ipsius operantis, & id facere rogatum, & excitatum ab altero, nam hoc totum possumus ab alio postulare. Et in hoc modo satisfaciendi pro alio ex opere operantis certum est, opus externum per se solùm non sufficere ad effectum suffragij; non quòd ipsum opus externum coniunctum interno non addat illi aliquem valorem ad satisfaciendum, vt suprà visum est, sed quòd requirat in ipsomet operante internam voluntatem bonam, & aptam ad satisfaciendum, à qua tale opus procedat. Nam in hoc modo suffragandi totum id, quod requiritur ex parte operis ad satisfaciendum pro se, à fortiori requiritur ad satisfaciendum pro alio: constat autem neminem satisfacere pro se per externum opus, nisi vt coniunctum, & informatum voluntate interna proportionata: idem ergo requiritur in hoc modo satisfaciendi pro alio nomine proprio. Est autem alius modus suffragandi alteri per opus externum factum nomine alterius, id est, quod aliquis facit vt instrumẽtum alterius, quod potest dici alter facere per ipsum: & in hoc genere suffragij habet maximè locum dubitatio posita, quæ clariùs, & frequentiùs cernitur in suffragiis pro defunctis, quanuis cum proportione possit idẽ reperiri inter viuos. Est ergo quotidianũ, vt homo ante mortẽ præcipiat fieri eleemosynas pro sua anima post mortem quas posteà hæredes, vel curatores animæ tribuunt, & tunc dicuntur illi suffragium ferre defuncto tanquàm instrumenta eius, & nomine ipsius. Difficultas ergo est, an illud opus externum, quod est dare eleemosynam, sit per se satisfactorium defuncto independenter à voluntate eius, per quem executioni mandatur, id est, siue illa sit bona, siue mala, siue hominis iusti, siue peccatoris.

Primus dubij sensus.

Posterior & germanus dubij sensus

12. Videtur enim opus illud ampliùs satisfactorium non esse pro defuncto: quia illa satisfactio nõ est futura ex opere operato (propterea enim nõ agimus de sacrificio; alia enim opera non habẽt talem effectum ex opere operato) opus autem externum nõ est satisfactorium ex opere operãtis, nisi quatenus procedit ab interna voluntate, illique cõiungitur: ergo opus illud externum per se sumptum non potest satisfactionem addere. Dices, opus illud non solùm procedere à proxima voluntate ministri exequentis, sed etiã à voluntate defuncti mandantis illud opus fieri, quæ voluntas bona fuit & satisfactoria: hoc ergo satis erit, vt illud opus externũ satisfactorium sit: cum enim dicitur præcisè ac solitariè sumi, intelligitur comparatione facta ad proximum operantem, non verò ablato respectu ad voluntatem mandantis. Sed contra: quia licèt opus illud externum comparetur ad voluntatẽ mandãtis tanquã obiectũ, & tanquàm effectꝰ eius; nõ verò tanquã actio humana ipsiusmet mandantis, quia iã nõ procedit humano modo, & liberè à tali volũtate: at verò satisfactio requirit opus humanum, per quod fiat, & nõ sufficit quilibet effectus, resultans, & procedens quouis modo ex præcedente voluntate. Nam, si quis v.g. sumpsit potionem amaram voluntariè in pœnitentiam, vel mortificationem, quanuis posteà ob eam causam patiatur grauissimos dolores, si circa illos nullam posteà habeat voluntatem, vel, si fingamus iam tunc non habere vsum rationis, nihil omninò de nouo satisfaceret per illos dolores, quia non sunt humani, & quia tũc non est in statu satisfaciendi. Sic, ergo in præsenti, quidquid hæres posteà faciat, defunctus nullam nouam satisfactionem habebit, qui non est in statu satisfaciendi. Et similiter si quis viuens præcipiat famulo facere eleemosynam ex suis bonis, si posteà, quando famulus illam elargitur, ipse dormit, vel nihil de illa cogitat, nullam nouam satisfactionem habebit propter externam largitionem quia respectu illius iam non est humana actio.

Obiectio.

Solutio.

Confirmatio.

13. Et confirmatur: nam ob hanc causam, qui præcipit famulo, vt alium interficiat, si posteà, quando fit externum homicidium, ipse dormit, vel nihil de illo cogitat, nihil de nouo peccat; nec est dignus apud Deũ maiori supplicio; quàm fuerit ex vi prioris voluntatis, & mandati, non ob aliam causam, nisi quia, licèt illa occisio sit effectus prioris voluntatis, tamen iam non est actio humana: ergo simili proportione in præsenti, &c. Confirmatur secundò, quia 1. aliàs etiam possent fideles præcipere, vt alij pro se ieiunent, vel aliter se castigent, vel orent; & tũc opera illa externa facta ab aliis, vt ab instrumentis mandãtis, etiamsi ab eis fiant in peccato, vel quocunque alio modo, erunt satisfactoria ex opere operantis respectu ipsius defuncti, quia non est maior ratio de eleemosyna, quàm de aliis operibus satisfactoriis. Consequẽs autem videtur valdè absurdum, quia talia opera non sunt satisfactoria, nec virtutis, nisi vt procedunt à voluntate proximi operantis. Tandem 2. confirmatur: quia aliàs, si eleemosyna legata à defuncto, mandaretur executioni sine vlla actione ipsius ministri; nihilominùs adderet satisfactionem, vt v.g. si hæres sit negligens, vel iniustus in implenda testatoris voluntate, & ideò alius, cui danda fuisset eleemosyna, occultè accipiat, ex vi huius effectus accresceret satisfactio defuncto, & remissio pœnæ, quod videtur per se incredibile. Sequela verò patet, quia voluntas ministri nihil confert ad hanc satisfactionem iuxta hanc sententiam. 3.

14. Rationes pro parte affirmatiua. Prima.

Nihilominùs, quòd tale opus externum per se addat satisfactionem, suaderi potest primò, quia aliàs hæredes defunctorum, neque implendo hæc legata eleemosynarum quidpiam per se conferrent ad liberandam animam testatoris citiùs à Purgatorio, nec non implendo essent in causa, vt ditiùs in purgatorio detineretur. Consequens est contra communem sensum fidelium, & cõtra multa decreta, quæ habentur 13. quæst. 2. præsertim in cap. *Qui oblationes*, 2. ex Concilio Vasensi I. cap. 4. Est etiam contra intentionem defunctorum, qui hæc legata relinquũt, quòd si in ea intẽtione decipiuntur, error profectò est valdè generalis in Ecclesia, quem deberẽt Pastores & Doctores eius auferre, ne illi occasione magno fructu satisfactionis priuarentur fideles defuncti. Præterea, ipsa elargitio eleemosynæ habet specialẽ vim ad redimẽdum hominem à peccatis, vt Scriptura sæpe significat, quod potissimè dicitur, quia ex se habet vim satisfaciẽdi pro pœna temporali: ergo talis elargitio addita priori volũtati redimet speciali valore, & satisfactione animam à peccato, quãdoquidem est voluntaria ex vi prioris voluntatis. Tandem suprà ostensum est, actum exteriorẽ conferre per se aliquid ad satisfactionem, vt coniunctum interiori voluntati: ergo idem dicendum est in præsenti.

Conc. Vas.

Secunda.

Tertia.

Propter has posteriores rationes plures Theologi hanc posteriorem partem sequuntur, inter quos videtur esse D. Thom. in quarta, distinctione 45. quæ- D. Thom.

stione secunda,articulo primo,quæstiunc. 3. vbi ait, *Si aliquis in charitate decedens,præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto,quanuis illi,per quos fiunt,in peccato existant,* & loquitur de suffragiis, quæ ex opere operantis prosunt:nam etiam inter viuentes concedit,eleemosynam factam per instrumentum, seu famulum in peccato existentem,suffragari mandanti. Eandē sententiā tenet Palud.d.45.q.1.concl.3.& 5.Bonau.ar.2. q.2.& Sot.ibi q.2.art.1.cōcl.4. Nauar. de Orat.c.19. nu.59.& sequētibus.Qui omnes requirūt, vt saltem is,qui mādat fieri eleemosynam, aut aliud piū opus, sit in statu gratiæ: nam; si ille etiam esset in peccato mortali, nō esset vnde talis actio acciperet valorem. Addit verò Supplementum Gabr. dict. distinct. 45. quæstione secunda,articulo secundo,etiamsi quis sit in peccato mortali quādo cōdit testamentū,si postea in gratia moriatur,id satis esse vt cōsequatur effectū suffragij.Sed id profectò probabile nō est,nisi addatur huiusmodi testatorē in gratia constitutum, ante mortem priùs mandatum sua voluntate confirmasse, ita vt opus posteà factum originem ducat ab aliqua volūtate hominis grati.Quod notauit Gabri.lectione 56.in Canonē,& Richard.distinct.45.articul. secundo,quæstione quarta,qui addit, etiamsi quis viuēs sit in peccato mortali eo tempore, quo minister exequitur opus à se præceptū,si tamen quando præcepit, erat in gratia,nihilominùs non priuari fructu talis operis: quia illud opus non progreditur à mādante, neque habet valorem ab illo secundùm statum illius temporis,in quo fit opus,sed illius,in quo mandatum est.Verūtamen,si intelligat illud opus ita esse fructuosum,vt statim possit habere effectum remissionis pœnę temporalis in homine existente in peccato mortali,mihi non videtur probabile, aliàs etiā defūcto in peccato mortali posset prodesse op⁹, quod in statu gratiæ legatū fuit ad remissionē alicuius pœnæ debitæ,saltem pro culpis remissis,quod falsum esse cōstat ex suprà dictis,& notauit Gabr.loco proximè citato.Si verò intelligat,tale op⁹ prodesse,quia in se est veluti opus viuum, pro eo tempore mortificatū propter statū peccati ipsius mandantis, quod tamen possit reuiuiscere,ipso mandante resurgente à peccato,sic esset magis tolerabilis opinio.

Palud. Bonau. Soto. Nauarr.

Supplem. Gabr.

Gabriel. Richard.

16. Posterior opinio affirmans impugnatur.

Veruntamen,vt verum fatear, tota hæc sententia, quānis probabilis sit propter auctoritatem tantorū Doctorum,mihi est valdè dubia,intellecta de fructu satisfactionis,nec possum illi fidem præbere,quia nō video rationem vrgentem,&,quæ primo loco factæ sunt,mihi videntur valdè difficiles.Et præsertim inter viuentes non video quomodo eleemosyna facta per famulum ex præcepto Domini, qui tēpore executionis dormit,aut nihil de ea re cogitat,quomodo inquam, aliquem fructum satisfactionis, vel remissionis pœnæ illi de nouo cōferat,cùm iam nihil humano modo operetur, nec illud opus externum sit actus humanus eius,cumque ex eo nullam pœnam, aut difficultatem nouā moraliter patiatur, quod videtur intrinsecè necessarium ad rationē satisfactioni. Vnde,quando ille præcepit ex bonis suis eleemosynam dari,tunc & meruit,& satisfecit per illam voluntatem, & per ipsum actum præcipiendi, qui & studiosus est,&difficilis ac pœnalis:tamē posteà nulla pœna,aut bonitas adiungitur, aut repræsentatur, seu voluntariè apprehenditur:quomodo ergo potest noua addi satisfactio? Atque hæc ratio ferè procedit in animabus purgatorij,quanuis de illis dici possit, semper actu perseuerare in priori voluntate desiderando,vt pia opera,quæ fieri præceperūt,executioni mandentur. Veruntamen hoc nihil cōfert, tum quia illa volūtas nullo modo est iam principium morale talis actus: tū maximè,quia iam illæ animæ nō sunt in statu satisfaciendi, & ideò non potest ex coniunctione ad præsentem volūtatem fieri satisfactorium sine actu externo.

17. Gabrielis solutio.

Respondet tamen Gabr. in hac vita meruisse animam in purgatorio existētem illam satisfactionem, tamen fuisse meritū conditionale,videlicet,vt,si fieret talis actio exterior,acceptaretur in satisfactionē, secus verò si nō fieret.In quo videtur alludere ad doctrinam Aug.dicētis,animas defunctorum meruisse in hac vita,vt suffragia viuentiū illis prodessent post mortem.Sed non rectè illam applicat, vel tacitè exponit:nam Aug.non dixit,nos hîc mereri, vt opera, quæ pro nobis post mortem fiunt, habeant valorem moralem ad satisfaciendum,sed sensus illius est mereri viuentes talem statū habere post mortem, vt eis possint prodesse suffragia viuētium,si fiant:quod nō propriè est conditionale meritum,sed est proprium, & absolutum meritum talis status, qui est veluti capacitas quædam fructus suffragiorum,si fiant:quoad effectum enim necessariò addenda est hæc conditio, quia quòd suffragia fiant,pendet ex voluntate viuētium.Tale autem meritum sub conditione,quòd det valorem ipsi operi satisfactorio, seu sit principium eius,vt tale est,nunquàm est ab Augustino positum, nec videtur rationi consentaneum:nam,si illa cōditio,scilicet,quòd tale opus fiat,nécne,iam non pendet ex voluntale mea;&quòd fiat,nullam pœnalitatem,vel moralitatem mihi addit:cur ergo debet talis conditio ad meritum,vel satisfactionem facere?

Augustin.

Eluditur.

18. Prior sentētia negans admittitur.

Probabilissimū ergo mihi videtur, in huiusmodi actibus totam satisfactionem esse positam in actu volendi, ac præcipiendi tale opus, posteà verò ex vi solius externi effect⁹ nihil satisfactionis addi, per se loquendo,& ex opere operantis respectu mandantis. Possunt autem talia opera prodesse primò per accidens,seu remotè,quatenus is,qui eleemosynam recipit, excitatur ad orandum, vel satisfaciendum pro defuncto,qui dare præcepit,ad quod etiam ex gratitudine tenetur; & interdum posset esse maior obligatio,si sub ea conditione, & quasi pacto eleemosynam reciperet:quanquàm ea obligatio nunquàm esse videatur ad modum operis, scilicet, vt fiat in gratia,sed tantùm ad substantiam talis operis,orationis, vel similis:quod est signum, hæc opera non præcipi vt satisfactoria formaliter,sed tantùm vt impetratoria. Vnde etiam verisimile est, talia opera facta ex præcepto alterius conferre aliquid ad impetrationem:quia non tātùm bona opera, sed etiam effectus bonorum operum possunt mouere Deum ad exaudiendas facilius orationes, & aliquod beneficium ex misericordia præstandum, quanuis ad præmium iustitiæ valere non possint. Atque ob has causas nocumentum inferunt defuncto, qui eorum pia legata implere omittunt, aut differunt, præter peccatū infidelitatis,quod committunt,& iniustitiæ,si eleemosynas pauperum detinēt,propter quod, *necatores pauperum* vocantur in dicto Concilio Vasensi, & in Concilio Carthaginensi quarto capit.95. & Concilio Agathensi capit. quarto, & aliis quæ referuntur decima tertia,quæstione secunda. Atque in hūc modum videtur tandem explicare hāc sententiam Soto dicta quæstione secunda,articulo quarto, & Ioseph. Angles quæstione de indulgentiis, articulo vltimo, difficultate septima. Et mihi verisimile est Diuum Thomam nihil aliud docere voluisse. Vnde etiam concludo,vtilius esse hæc opera facere in vita,quàm præcipere fieri post mortem: nam, licèt hoc posterius bonum sit:nam est misericordiæ, vel religionis, aut pnœitentię opus,tamē illud de se est melius,non solùm quia est securius, & quia citiùs prodest, quod

Hæc opera externa per accidēs prodesse posse mandanti.

Conc. Vas. Conc. Cart. Cōc. Agath.

Soto. Angles.

omnes

omnes fatentur: sed etiam quia magis meritorium est, magisq; satisfactorium, vt ex dictis satis constat.

## *Num restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur, aliquid conferat ad remissionem pœnæ.*

19. ATQVE hinc expeditur facilè aliud dubium de restitutione quæ post mortem fieri præcipitur, an cõferat aliquid ad remissionem pœnæ, vel ob solam eius dilationẽ possit anima diutiùs in Purgatorio detineri. In quo dubio non disputamus, an teneatur quis restituere ante mortem: supponimus enim, per se loquendo, teneri, tamen sæpe accidit, vt id fieri nõ possit in articulo mortis, siue ex præterita culpa, siue absque vlla: vtroque enim modo potest homo tunc iustificari præcipiendo restitutionem post mortem. Et tunc certum est apud omnes, etiamsi restitutio posteà non fiat, nõ propterea fieri perpetuã pœnam defuncti: quia illud non imputatur illi ad nouam culpam mortalem: præterita autẽ culpa iam remissa fuit, & ideò non potest pœna fieri perpetua propter illam solam causam. Dicunt verò aliqui, multùm differri ob eam causam, ita Gabr. cum Richar. suprà: quibus fauẽt nonnullæ reuelationes animarum defunctorum, quæ viuis apparent, & petunt restitutionem suorum debitorum fieri, vt valeant à Purgatorio liberari: imò S. Brigitta lib. 6. Reuelationum, c. 66. affirmat, animam tandiu cruciari, donec restituatur quod ablatum est. Hæc autem dilatio non potest fundari, nisi in hoc, quòd ipsamet actualis restitutio aliquid prodest animæ ad pœnæ solutionẽ: nam, si illa non prodesset, nec omissio eius obesset.

Prima sententia.

S. Brigitta.

20. Secunda sẽtentia. Soto.

Nihilominùs Soto in 4. d. 45. q. 2. art. 3. absolutè negat, restitutionem hanc quidquam conferre animæ Purgatorij, vt à pœna liberetur: quia, si anima decessit in gratia, & sine vllo reatu pœnę, statim euolabit in cœlum, etiamsi restitutio facta nõ sit, si verò decedit cum aliquo reatu, luet quidẽ in Purgatorio tantam pœnam, quanta ad expiationem illius reatus sufficiat; statim verò præmium glorię accipiet: etiãsi restitutio facta non sit. In qua sententia indubitatum esse censeo, animam non detineri in Purgatorio ob solam omissionem restitutionis, si nõ habet reatum pœnæ, quia anima non punitur à Deo, nisi sit debitrix pœnæ: & quia aliàs puniretur anima propter id, quod non est in potestate eius, absque alio reatu, qui in ea duret. Deniq; quia aliàs dilatio beatitudinis perpetuò duraret, vel saltem vsq; ad finem mundi, si debita nunquàm soluerentur. Vnde in hoc non sentiunt oppositum Gregorius, & Richardus.

Primus secundæ sententię sẽsus.

21. Secundus sensus eiusdem sententiæ.

Adhuc verò supereſt difficultas, quando anima decessit cum reatu pœnæ, & maximè propter culpam non restituendi toto tempore vitæ, quæ licèt in fine eius fuerit remissa, non tamen omninò quoad pœnę reatum: manet, inquam, difficultas, an ad hũc reatum tollendum conferat restitutio, ac proinde, si nõ fiat, necessaria sit diuturnior pœna ignis ad illum reatũ expiandum. In quo sensu videtur etiam Soto negatiuè respondere, quanquàm discursus eius reuerà id non probet. Et ideò Bellarm. lib. 2. de purgator. c. 16. eandem sequens sententiam, addit aliam rationem, scilicet, quia restitutio non est actus satisfactorius: quia satisfactio est bonum opus pœnale; pœnale autem est dare suum, non restituere alienum. Quæ ratio difficilis est: nam quodlibet opus virtutis est satisfactorium; nam inter viuos facere opus iustitiæ restituendo alienum, est apud Deum satisfactorium: quia, moraliter loquendo, pœnale existit. Si ergo dicamus cum communi sententia suprà tractata, ipsam executionem eleemosynæ mandatæ à defuncto conferre posteà ad specialem satisfactionem; idem ego dicerem de opere restitutionis: quanquam fortasse non sit æquè satisfactorium, tamen quòd aliquid conferat, si cætera necessaria concurrant, probabilius videtur. Quia verò nos credimus hãc executionem externi operis per se non conferre ad pœnæ solutionem, idcirco à fortiori idem dicimus de actu restitutionis; ex accidẽti verò potest iuuare excitando creditores, vel alios fideles ad orandum pro defuncto. Et ex hoc capite poterit interdum diuturnior fieri pœna Purgatorij propter dilationem restitutionis: & in hũc modum possunt explicari prędictæ reuelationes, si admittendæ sunt.

## *Tertia conditio ex parte offerentis suffragium.*

22. TERTIA conditio ex parte suffragantis est, vt intendat per opus suum, suffragium ferre alteri: quam omnes etiam Theologi admittunt. Et ratio est clara, quia quando opus satisfactorium pro altero non offertur ex intentione operantis, illius tantùm manet; quia non est vnde in alium transferatur; & ideò alij non prodest ad satisfactionem, sed solùm ipsi operanti. Quando verò voluntate sua alteri illud donat, tunc ei propriè suffragatur; ideoque hæc conditio necessaria est ad proprium suffragium. Dubitant verò Theologi, an opus pro vno tãtùm oblatum prosit aliis, vel æqualiter, vel saltem inæqualiter, & consequenter, an opus bonum aliis non applicatum, quanuis præcipuè prosit ipsi operanti, nihilominùs aliquid prosit cæteris. Denique dubitant, an sufficiat intentio generalis offerendi opus pro animabus purgatorij, vt prosit omnibus æqualiter, vel inæqualiter. Quibus omnibus vt respondeamus aduertendum est, tribus modis posse opus vnius iusti prodesse aliis. Primò, de condigno per modum satisfactionis. Secundò, directè per modum impetrationis, seu meriti de congruo. Tertiò, indirectè tantùm, & veluti per quandam consequutionem, quę etiam est per modum impetrationis & meriti de congruo.

Dubia nonnulla circa cõditionem positam.

Tripliciter opus vnius iusti aliis prodesse potest.

Primo igitur modo illi soli prodest suffragium, cui ex intentione offerentis applicatur. Et de hoc præcipuè loquimur in assertione, idq; conuincit ratio facta: & docet D. Thom. distinct. 45. quæstion. 2. art. 4. quęstiunc. 1. & ibi Richard. art. 2. q. 3. Palud. quæst. 2. artic. 2. Suppl. Gab. art. 3. dub. 6. Qui referũt oppositum sensisse prępositum, qui comparabat suffragium lucernæ, quæ licèt ex intentione illuminandi aliquem afferatur, tamen ex consequenti æquè illuminat adstantes, sed non erat accommodata comparatio: nam potiùs hoc suffragium est simile pecuniæ, quæ offertur ad liberãdum inclusum in carcere, quæ pro vno oblata, illi prodest, & non aliis: & ideò tam D. Thom, quàm reliqui Theologi illam sententiam reiiciunt. Imò hac ratione suprà dicebamus, opus oblatum omninò pro altero in satisfactionem, etiam ipsi operãti non prodesse ad pœnæ solutionem. Vnde è conuerso, si nulli alteri applicetur ex intẽtione operãtis, illi prodest, & non aliis: nam, vt ipsi prosit, non requiritur specialis intentio, quia ex natura rei suum est opus: vt autem quasi alienetur, necessaria est specialis voluntas, & intẽtio formalis, vel virtualis. Ex quo etiam cõstat, si hæc intentio generalis sit ad multos, vel ad omnes alicuius status, & conditionis, omnibus illis prodesse, minùs tamen singulis, quàm si pro vno tãtùm offerretur: quia id, quod donatur, finitũ est, & ideò inter plures diuisum minus fit in singulis, vt sæpe dictum est. Illa autem diuisio fiet aut secundùm æqualitatem, aut secundùm proportionem

23. Suffragium illi soli prodest de condigno, cuiex intentione offerentis applicatur. D. Thom. Richard. Palud. Supplem. Gabr.

portionem iuxta intentionem offerentis: nam est eadem proportionalis ratio.

24. Suffragium illi potissimùm directè impetrat, cui offerens aliquid impetrare intendit. Augusl.

Secundò, de impetratione directa etiam est certum, multùm pendere ex intentione operantis, imò in hoc potissimum differt ab indirecta, quòd ad illum dirigitur, cui orans, seu offerens aliquid impetrare intēdit. Et ideò certum apud omnes est, orationem magis esse impetratoriam pro his, pro quibus funditur ex intentione orantis, quàm pro aliis, quod non solùm de orationibus priuatis, sed etiam de communibus Ecclesiæ suffragiis sentit Augustinus lib. de Cura pro mortuis agenda, cap. 4. fatilq; constat ex vsu Ecclesiæ: non enim sine causa pro aliquibus in speciali orat. Imò ex natura rei hoc sequi videtur ex ratione orationis: est enim petitio quędam, quæ ad hoc ordinatur, vt voluntas petentis impleatur, & ad hoc habet suam specialem vim, & efficaciam, quam impetrationem vocamus. In hoc ergo est aliqua conuenientia inter satisfactionem, & impetrationem. In eo verò constituitur ab aliquibus differentia, quòd oratio pro multis facta non est minùs impetratoria pro singulis, quàm si pro eis tātùm fieret, quia impetratio non consistit in solutione pretij, quod diuidendum sit, sed solùm in petitione, quæ innititur liberalitati, vel promissioni Dei, quæ non est minor respectu plurium, quàm vnius. Ita sentiunt Adrian. quodlib. 8. & Palud. d. 4. q. 2. art. 2. Cordub. q. 42. de indulg. Scot. autem quodlib. 20. putat hoc modo minui efficaciam orationis ad impetrandum singulis. Quæ sententiæ possunt fortasse in concordiam redigi, si prior intelligatur quando oratio ita fit pro multis, vt distinctè & in particulari fiat pro singulis: posterior verò, quando confusè, & generatim fit pro multitudine, iuxta ea, quæ breuiter dixi superiori tomo, disputatione 79. sect. 12. in fin. & latiùs, Deo dante, dicam in tomo de Religione de Oratione disputans.

Diserimen inter impetrationem, & solutionē.

Adrian. Palud. Cordub. Scot.

25. Quibus & quomodo suffragium indirectè prosit.

Tertius fructus, quem indirectum vocamus, communiter explicatur à Theologis per gaudium, quod in aliis bonis resultat ex bono opere cuiuslibet iusti, quem fructum possumus obiectiuum appellare, & de hoc manifestum est nec requirere intentionem operātis, nec minui in singulis, propterea quòd multi sint, sed hoc non potest dici suffragium etiam impropriè, vt per se constat. Alium ergo fructum indirectum ego considero in operibus iustorum cum Adriano, & Corduba suprà: nam propter illa Deus interdum benefacit eorū sociis, vel amicis, etiā ipsis nihil petentibus, vel cogitantibus: & hanc ego voco indirectam impetrationem, quæ non pendet ex intentione operantis, sed est quid concomitans vitam iustam, & sanctam apud Deum; quia verò hoc non fit sine aliquo merito de congruo, existimo seruare aliquam proportionem cum effectu obtinendo, & cum personis, quibus impetrandus est, quia nullum est aliquale meritum, quod non seruet aliquam proportionem cum præmio, qualecunque illud sit.

26. Possitne satisfactio vnius alteri per superiorem applicari. Palud.

Quæret verò aliquis, an opus satisfactorium vnius possit alteri applicari per voluntatem alienam, v. g. superioris. Quidam enim putant id posse fieri, quando voluntas operantis subest alteri, etiamsi ipse operans renuat, vel pro alio offerat. Quod sentit Paludanus dist. 41. quæst. 1. nu. 8. qui etiam putat mandatum superioris tantum posse, vt, si ipse sit iustus, suffragium fructuosum sit, etiamsi subditus exequēs sit in statu peccati. Neutrum autem credo verum, & de posteriori quidem puncto sufficiant superiùs dicta, & videri potest Soto dist. 45. quæst. 2. art. 1. De posteriori verò dicemus fortasse plura in sequentibus Disputationibus de indulgentiis, interim videri potest Cordub. lib. 5. de Indulgent. q. 42. & quæ in simili diximus superiori tomo agentes de applicatione sacrificij Missæ. Tandem inquiri potest, quid fiet de fructu satisfactionis, si v. g. offeratur suffragium pro anima, quæ illo non indiget, quia iam est in cœlo, vel illius non est capax, quia est in inferno. Atque eadem quæstio est, si iustus faciat opus satisfactorium, cuius ipse non indiget, quia nullius pœnæ est reus, neque alteri applicat. In iis enim & similibus casibus aliqui dicunt, pro Dei arbitrio, & voluntate applicari aliis indigentibus. Sed verior responsio est, reponi in thesauro Ecclesiæ. De quo in sequentibus dicemus.

Soto.

Cordub.

# VLTIMA PARS HVIVS OPERIS.

## DISPVTATIO XLIX.

## DE POTESTATE CONCEDENDI INDVLGENTIAS.

### *Et an sit, & quid sit Indulgentia.*

HÆc est pars vltima huius libri, in qua tractandum est de alio modo obtinendi remissionẽ pœnæ temporalis absq; propria satisfactione, vel satispassione ipsius peccatoris, qui est per concessionem indulgentiæ. Qui modus communis est viuis, & defunctis, sicut modus subueniendi aliis per suffragia. Differt tamen, quia suffragia offerri possunt, & applicari pro aliis per priuatam voluntatem, & potestatem: indulgentiarũ verò concessio publicam potestatem, seu iurisdictionem requirit. Vt igitur à quæstione, an sit indulgentia, initium sumamus, videndum in primis est, an sit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, posteà verò causas omnes, & effectus indulgentiæ, & alia, quæ ad legitimum vsum huius potestatis pertinent, sigillatim declarabo. Priùs verò vocis significatio præmittenda est: aliqui enim reprehendunt Theologos, eò quòd hac voce in bonam partem vtantur, id est, ad explicandum legitimum vsum alicuius Ecclesiasticę potestatis, cùm in Latina proprietate nimiam quandam licentiam, & facilem permissionem impunè agendi contra ius significare soleat.

Laurentius Valla in lib. 4. Eleg.

Veruntamen quanuis hæc vox interdum habeat significationem hanc, sæpiùs tamen in bonã partem accipitur, & significat honestam seu moderatam alicuius debiti, seu pœnæ remissionem ex liberalitate, vel misericordia factam: imò Cicero interdum naturalem amorem parentum ad filios, indulgentiam appellauit; alibi verò amicitiam mutuam, ac veniam, seu remissionem debitorum, quam sibi inuicem homines exhibere debent, dixit esse indulgentiã, & beneuolentiam, qua humanum genus continetur, & conseruatur. Hic etiam vsus frequens est apud sanctos Patres Hieronymum in cap. 4. Daniel. Cyprianum lib. de Lapsis, & Tertullianũ lib. de Pudicitia, & alios infrà referendos, quos posteriores Doctores, & Scholastici imitati sunt. Sic igitur indulgentia, generatim sumpta in bonam partem, dici solet quælibet gratia, seu liberalis concessio, vel debiti remissio, aut etiam iusta legis dispensatio: imò aliquando etiam ius, quod benignam aliquam concessionem, seu moderationem continet, *Indulgentia* nominatur, iuxta cap. *Interfectores*, 33. q. 2. In cap. autem *Dudum*, de Priuileg. quodlibet Pontificium priuilegium, *Indulgentia* nominatur, idemque sumitur ex cap. vlt. *Vt lite pendente*, &c. Leges etiam ciuiles eadem voce in simili significatione vtuntur, vt Bellar. eruditè notauit in principio huius materiæ. Ex hac verò generali significatione vsu Ecclesiæ accommodata est hæc vox ad significandam specialem remissionem pœnæ debitæ pro peccatis iam remissis quoad culpam, quę fit à pastore Ecclesiæ, habente ad hoc potestatem, iuxta cap. *Quod autem*, de Pœn. & remis. & cap. *Indulgentiæ*, eod. tit. in 6. In hac ergo significatione voce hac in hac materia vtimur, quæ explicando rem ipsam magis innotescet.

Lib. de Officiis. Lib. de Legibus.

Hieron. Cyprian. Tertul.

Vocis indulgentia descriptio.

Bellarm.

## SECTIO I.

### *An sit in Ecclesia potestas concedendi fidelibus peccatorum indulgentias.*

1.

SEnsvs huius quæstionis exposita nominis interpretatione facilis est, nimirum an sit in Ecclesia potestas ad remittendam alicui pœnam temporalem debitam pro peccato remisso sine propria satisfactione eius, cui remittitur, & sine speciali aliquo suffragio aliorum fideliũ. Vnde in hoc titulo supponitur in primis illud fidei fundamentum, quod asserit, post remissam culpam per pœnitẽtiam, sæpe manere reatum pœnæ tẽporalis de quo propterea disputare solent Doctores in principio huius materiæ, vt videre licet in Corduba lib. 5. de Indulgent. q. 2. & Medina li. de Indulgẽtiis, per quinque prima capita. Sed veritas hæc sufficienter à nobis tractata, & confirmata est in superioribus, tractãdo de effectibus pœnitentiæ, & ex dictis etiã de Purgatorio, & de Suffragiis est manifesta. Intelligenda etiam est hæc quæstio de potestate remittendi pœnam temporalem extra sacramentum, & sacrificium, licèt in hoc cum eis conueniat, quòd sit ad modum operis operati, seu (quod idem est) extra meritum & satisfactionem operantis: nam de remissione pœnæ temporalis per applicationẽ sacramenti, vel oblationem sacrificij, satis est in superioribus dictũ. Et quibus constat, eos qui possunt sacramẽta ministrare, vel sacrificium offerre, posse pœnas tẽporales pro peccatis remissis debitas remittere; veruntamẽ illa potestas non est per se primò (vt sic dicã) ad remittẽdam temporalẽ pœnã, sed ad conficiẽdum sacramẽtum, vel offerendũ sacrificium, quibus ex Christi promissione talis effectus adiunctus est, siue ille sit secũdarius, vt videtur esse in sacramẽtis, siue pri-

Post remissam culpam potest manere reatus pœnæ temporalis. Cordub. Medina.

Sẽsus quęst.

ue priuarius, vt in ſacrificio. Hîc autem inquirimus, an extra ſacramenta, & ſacrificium ſit in Eccleſia poteſtas ad remittendam pœnam temporalem immediatè, ac per ſe per ſolam relaxationem, ſeu condonationem ipſius pœnæ.

*Rationes dubitandi.*

2. Prima. ATQVE ex his colligi poteſt ratio dubitandi in quæſtione propoſita. Talis enim poteſtas ex nullo Scripturæ loco ſufficienter colligitur, neque etiam ex antiquo vſu Eccleſiæ, neq; etiã videtur ipſi Eccleſię neceſſaria: igitur aſſeréda nõ eſt. Prima pars antecedẽtis probatur: nam duo præcipua ſunt teſtimonia Euãgelica, ex quibus ſolet hæc poteſtas colligi: neutrum autem eſt efficax. Vnum eſt illud Ioan. 20. Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Illud autem propriè in rigore intelligitur de remiſſione, quæ fit in ſacramento pœnitentiæ, & ad ſummũ extenditur ad illam, quæ fit per ſacramentum Extremæ vnctionis, vel etiam per Baptiſmum: nulla ergo poteſtas remittendi peccata, vel pœnas peccatorum extra ſacramentum inde colligi poteſt. Cuius ſignũ eſt, quia ibi eſt præcipuè ſermo de poteſtate ordinis ſupra Corpus Chriſti myſticum: poteſtas autem concedendi indulgẽtias non pertinet ad poteſtatem ordinis, vt infrà dicemus. Aliud teſtimonium eſt Mat. 16. & 18. Mat. 16. & 18. *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Ibi autem ſermo ad literam eſt de poteſtate ligandi per leges, vel cenſuras, & de poteſtate remittẽdi proportionata, ſcilicet, per abſolutionem à cenſura, vel per diſpenſationẽ in lege. Ergo alia poteſtas remittendi pœnas peccatorum inde colligi non poteſt. Vnde poteſt hæc pars dupliciter confirmari. Confirmatio 1. Primò, quia in Eccleſia nulla eſt poteſtas ſoluendi, cui non correſpõdeat proportionata poteſtas ligãdi, vt patet ex citatis teſtimoniis: ſed in Eccleſia nulla eſt poteſtas ligandi quoad pœnas peccatorum coram Deo debitas: nam illas ſolus Deus imponit, & taxat: ergo nec eſt poteſtas remittẽdi illas pœnas. Confirmatio 2. Secundò, quia omnis poteſtas ligandi, aut ſoluendi eſt ordinis, aut iuriſdictionis: hæc autẽ non eſt poteſtas ordinis, vt ſupponimus. Poteſtas autẽ iuriſdictionis, aut eſt in foro interiori, & hęc nõ exercetur niſi medio ſacramento pœnitẽtiæ: vnde cõſtat ſub illa nõ comprehendi hanc poteſtatẽ dandi indulgentiã. Vel eſt poteſtas iuriſdictionis in foro contẽtioſo: & hæc etiam ſpectat ad externũ, & politicũ regimẽ Eccleſiæ: non ergo extẽditur ad internam remiſſionẽ pœnarum in foro animæ: relinquitur ergo, nullam eſſe in Eccleſia huiuſmodi poteſtatem quantùm ex Scriptura, & ratione in illa fundata colligi poteſt.

3. Secunda. Quòd verò ſpectat ad Eccleſiæ vſum, legimus quidem aliquãdo paſtores Eccleſiæ ſolitos fuiſſe indulgere peccatorib⁹, remittẽdo eis pœnas tẽporales. Ad 2. Cor. 2. quod etiã induci ſolet illud 2. ad Cor. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* Et nonnulla antiquorũ Pontificum decreta, quibus ſignificant ſe remittere pœnas pro peccatis debitas. Illa autem omnia non oportet intelligi de remiſſione pœnarum, quæ debẽtur in diuino foro, ſed de his tãtùm, quę debẽtur in foro Eccleſię: nã in hoc ſenſu loquitur Paulus in citato loco: & in Põtificiis decretis ad hoc ſignificandum ſępe additur illa particula, *De iniũctis pœnitẽtiis*, vt videre licet in c. *Cum ex eo*, & c. *Noſtro*, de pœn. & rem. & in Clem. vnica de Reliq. & venerat. Sanct. Ratio etiã ſuprà facta id ſuadere videtur, quia Eccleſia eatenus ſoluere poteſt, quaten⁹ ligare: ergo ad ſummum poteſt ex his pœnis quas ipſa iniunxit, aliquas remittere, non verò ex his: quas iniunxit Deus: non eſt ergo in Eccleſia poteſtas ad tollendum ipſum reatum talis pœnæ, ſed ſolùm ad tollendam obligationem aſſumendi vel exequendi pœnam impoſitam ab Eccleſiaſtico iudice.

4. Tertia. Tertia pars in principio propoſita, nimirum hanc poteſtatem non eſſe Eccleſiæ neceſſariam, ex eo probatur, quòd abſq; hac poteſtate ſunt in Eccleſia alia media ſufficientiſſima ad remiſſionẽ harũ pœnarum obtinendam, vt conſtat ex dictis de effectibus ſacramentorum, & præſertim Pœnitẽtiæ, & Extremæ vnctionis, itẽ ex dictis de ſacrificio Miſſæ, & Eccleſiaſticis ſuffragiis. Ergo præter hæc ſuperuacanea videtur alia poteſtas. Addere item poſſumus, per hãc poteſtatem, ſi ſit, eneruari diuinam iuſtitiam, & irritas quodammodò fieri Purgatorij pœnas, cùm earum reatus poſſit omninò liberaliter per hanc poteſtatẽ auferri, & paſſim id fiet per indulgẽtiæ plenariæ cõceſſionem. Addunt deniq; Lutherani hæretici, poteſtatem hanc repugnare diuinæ legi & iuſtitiæ: nam cùm Deus ſit ſupremus iudex, & eius voluntas ſit efficaciſſima & immutabilis, nemo poteſt auferre pœnam, quam Deus ipſe pro peccatis ſtatuit.

5. Hæreticorum error In hac re fuit antiqua hæreſis, negans eſſe in Eccleſia huiuſmodi poteſtatem. Ita docuerunt Vvaldẽſes, quos ſecuti ſunt Ioannes Vvicleph, & Ioãnes Huz, & Hieronymus de Praga, vt conſtat ex Concilio Conſtantiẽſi ſeſſ. 8. 15. & 19. Conc. Cõſt. Sed præcipuus auctor huius hæreſis eſt Lutherus, qui occaſionem ſui erroris, & omnium hæreſum, quas in Eccleſia ſeminauit, ſumpſit ex affectu impugnandi indulgẽtias, & poteſtatẽ illas cõcedendi, quem cõcepit ex immoderato auaritiæ affectu, vt hiſtoriæ paſſim referunt, & Auctores qui cõtra Lutherũ ſcribũt, Roffenſ. art. 17. & ſeq. Io. Echius in Enchiridio, loco 24. Hoſſius in Inſtitutionibus, cap. 48. Iacobus Lathomus ar. 7. cõtra Luther. Lindan. lib. 4. Panopliæ c. 73. Caſtro verb. *Indulgẽtiæ*, & Prateol. Præter hos Petrus Oxomenſis, cuius mẽtionẽ in ſuperiorib⁹ fecimus, inter alios errores hũc habuit, Papam non poſſe alicui viuo remittere Purgatorij pœnam. Quidam etiã Catholici dixerũt, per indulgẽtias non remitti reatum pœnæ apud Deum, ſed ſolùm tolli obligationẽ exequẽdi canonicas pœnas, ſeu iniunctas per Eccleſiã. Quod docuit Caiet. ſed ille nõ loquitur de poteſtate, ſed de actu: & ideò illa controuerſia magis ſpectat ad diſputationem de effectu indulgẽtiæ. Alij denique Catholici dixerunt è contrario, Eccleſiam poſſe concedere indulgentiam viuis, non autem defunctis: ſed hoc etiam ſpectat ad ſpecialem quæſtionem de amplitudine huius poteſtatis, & de perſonis in quas exerceri poteſt, quę infrà ſuum locum habebit.

Roffen. Echius. Hoſſius. Iacob. Lathom. Lindan. Caſtro. Prateol. Petrus. Oxom.

*Quæſtio reſoluitur.*

6. DICENDVM ergo eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias, per quas remittantur fidelibus pœnæ pro peccatis remiſſis debitæ apud Deum: quã poteſtatem à Chriſto Domino Eccleſia accepit. Hæc aſſertio eſt de fide, quam ſupponit Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 9. de Reformat. vbi indulgentias, *Cœleſtes theſauros* appellat. Clariùs verò in ſeſſ. 25. in Decreto de Indulgẽtiis, id docet, cuius initium eſt, *Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit:* & infrà eos anathemate damnat, *qui indulgentias aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Conc. Trid. Solet autem in primis probari hæc aſſertio ex citatis verbis Scripturæ, præſertim ex illis, quibus Chriſtus promiſit Petro claues regni cœlorum, quarum vim & efficaciam declarans, ſubdit, *Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Mat. 16. Quæ verba ſpecialiter intelligenda eſſe de hac poteſtate remittendi

remittendi pœnas temporales per indulgentias, contendit Roffensis suprà, & latissimè prosequitur Medina lib. de Indulgẽtiis, disputatione quinta à capit. 15. vsque ad 22. Sed omnia quæ adducit, parum efficacia, parúmque necessaria esse iudico: non enim putandum est, Christum in illis verbis de hac solâ potestate in speciali esse loquutum, cùm illa generalia sint, & per ea Ecclesiæ primatũ Petro, & successoribus eius Christus promittat: sed illud præsenti instituto sufficit, quod verissimum est per illam generalem promissionem, cœlestem quandam, & supernaturalem potestatem Petro promissam esse, quæ inter alios actus hunc etiam concedẽdi indulgẽtias complectitur. Et quidem primum horum per se satis manifestum est, quia cùm Ecclesiasticæ Reipublicę institutio diuinum opus, & Christi Domini proprium fuerit, eiúsq; fundamentum post se, Petrum esse voluerit, manifestum est hoc fuisse supernaturale donum. Item, quia, cùm clauis sit ad aperiẽdum & claudendum, & Petro claues regni cœlorum singulariter promittantur manifestum est ei promitti singularem potestatem aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, qui actus per verba ligandi & soluendi etiam significatur. Hanc autem potestatem supernaturalem esse per se constat, cùm & finis, & effectus eius omnem naturalem virtutem excedat: sed de hoc alibi latiùs, vbi de Primatu Petri disputabimus.

Roffens. Medina.

Ex Matthæi loco potestas hæc colligitur.

7. Quòd verò sub hac vniuersali potestate indulgentiarum concessio cõprehendatur, quidã ex eo colligunt, quòd Christus hanc potestatem promisit Petro in præmium suæ confessionis de Christi diuinitate: hanc enim vim habent illa verba, *Beatus es Simon Bar Iona, &c.* & infrà, *Et ego dico tibi, &c.* Illa enim particula, *Et*, vim habet causalis, ac si diceret Christus, *Ac propterea ego dico tibi, &c.* Ergo signum est, per illa verba, *Quodcunque solueris, &c.* non solum esse datam potestatem necessariam ad regimen Ecclesiæ, qualis est potestas dispensandi in lege, vel absoluendi à censuris, sed præterea ampliorem potestatem esse concessam ex merito prioris confessionis, quæ non potest esse alia, nisi potestas hæc remittẽdi pœnas per indulgentias: nam potestas remittendi culpas & magis necessaria est Ecclesiæ, & alibi data est: scilicet Ioann. vigesimo. Probatur illatio, quia potestas simpliciter necessaria ad regimẽ communitatis non datur alicui propter aliquam bonam actionem, vel meritum, sed datur ei, qui virtutes necessarias ad Magistratum rectè gerendum obtinet, etiamsi alia merita non habeat: quòd si hæc etiam habeat, aliquid vltra potestatem necessariam ex liberalitate, seu gratitudine Principis concedi solet. Ad hoc ergo modum interpretandum putant aliqui hoc factum Christi respectu Petri.

Quidã colligendi modus.

8. Veruntamen tota hæc collectio parum efficax profectò est. Primò, quia licèt magistratus ipse seu potestas necessaria ad gubernãdum danda sit ei, qui præditus sit virtutibus necessariis ad tale regimẽ, tamen non excluditur, quin dari simul possit alicui propter honestas eius actiones, & merita: imò, cæteris paribus, ratio iustitiæ distributiuę id postulat: ergo eodẽ modo potuit Christus promittere Primatum Petro in præmium confessionis, etiamsi solùm necessariam potestatem ei concederet. Præsertim quia Christus non solùm dedit Petro primatum propter virtutes, quibus ad tale munus idoneus effectus erat, sed etiã è conuerso ideò ei dedit tales virtutes, talemque fidem & dilectionem, vt eum redderet idoneum ministerio, ad quod illum elegerat: ideò ergo ab eo priùs postulauit fidei confessionem, vt ostenderet ipsum esse dispositum ad tale munus suo tempore suscipiendum. Sicut etiam Ioan. 20. priusquàm Christus hanc promissionem impleret, ostensionem, & confessionẽ eximij amoris erga seipsum à Petro postulauit, quãuis ipsum pastorale regimen quoad omnia illi intrinseca, & necessaria ei esset daturus: igitur ex illa coniectura non rectè colligitur, aliquam potestatem ibi fuisse Petro liberaliter promissam, præter eam quæ ad conueniens Ecclesiæ regimen necessaria est. Secundò, quia vel est sermo de potestate necessaria simpliciter, vel de potestate necessaria ad melius esse: si intelligatur priori modo, plures potestates comprehenduntur sub illis verbis, quæ non erant ita simpliciter necessariæ, sicut est potestas, verbi gratia, dispensandi in voto, vel in matrimonio rato, & similes: ergo quælibet ex his potestatibus dici potest adiuncta huic muneri in præmium confessionis Petri: & ita nõ rectè colligetur potestas cõcedendi indulgentias: erit enim collectio ex puris particularibus, vt sic dicam, cùm ad præmium cõfessionis sufficiat liberalis concessio alicuius potestatis non necessariæ. Si verò sit sermo de potestate necessaria ad melius esse, etiam hæc potestas concedendi indulgentias potest dici necessaria ad conuenientissimum Ecclesiæ regimen: tum quia confert ad tollendum quoddam impedimentũ introitus regni cœlorum, tum etiam quia est valdè necessaria hæc potestas ad conuenientem dispensationem thesauri, vt infrà videbimus: ergo etiam hæc potestas non fuit danda Petro in præmio confessionis.

Improbatur

9. Et reuerà ita est, si de primaria ratione dandi hanc potestatem loquamur: sicut enim claues Regni cœlorum non sunt institutæ à Christo, & datæ Petro principaliter propter eius meritum, sed propter bonum Ecclesiæ, ita hæc potestas concedendi indulgẽtias non est à Christo instituta vel promissa propter remunerationem Petri principaliter, sed propter Ecclesię vtilitatẽ; alioqui non fuisset instituta tanquàm perpetuò duratura, sed tãquàm speciale aliquod priuilegium Petri: igitur sicut totum pastorale munus, totúsque Primatus Petri per se primò institutus fuit in bonum & vtilitatem Ecclesiæ, applicatus verò fuit ad personam Petri ex Christi voluntate, considerata (secundùm ordinem executionis) Petri idoneitate, & congruitate confessionis eius: ita omninò sentiẽdum est de potestate indulgentias concedendi: ergo ex eo quòd potestas illa ligandi, & soluendi data sit Petro quasi in præmium confessionis suæ, non rectè colligitur extẽdi potiùs ad indulgentiarum concessionem, quàm ad alios actus. Quòd igitur sub illis verbis comprehendatur hæc potestas, primò ex proprietate & amplitudine ipsorum verborum colligẽdum est: sunt enim verba vniuersalissima, quæ ex vi sua omnem actum includunt, qui ad aperiendum regnum cœlorum possit esse accommodatus: ideóque non solùm includit potestatem soluẽdi à præceptis, vel obligationibus, sed etiam ab omnibus vinculis, & impedimentis: quæ, nisi tollantur, non potest intrari in regnum cœlorum, ideóque non dicitur, *Quemcunque solueris*; sed, *Quodcunque solueris*, id est, quodcunque vinculum vel impedimentum regni cœlorum abstuleris. Meritò ergo sub prædicta potestate comprehenditur hic actus remittendi pœnas per indulgentias, quia reatus pœnæ temporalis est vnum ex impedimẽtis & vinculis, quæ detinent homines ab ingressu regni cœlorum. Quam intelligẽtiam maximè confirmat Ecclesiæ traditio, quæ est optima legum, & sacræ Scripturæ interpres: de qua traditione postea videbimus.

Verus colligẽdi modus indulgẽtiarum ex illo Matthæi loco.

10. Huic testimonio adiungitur aliud simile ex Matt. 18. vbi Christus omnibus Apostolis, & in eis omnibus Episcopis dixit ferè similia verba, *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo,*

Mat. 18.

*in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Sed non obstante hac verborum similitudine, Roffensis suprà existimat ibi non esse sermonem de hac potestate, sed tantùm de potestate ligandi & soluendi per censuras Ecclesiasticas, vt præcedentia verba declarant, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus.* At verò Medina hoc reputat incõueniens, quia aliàs, inquit, potestas concedendi indulgentias soli Petro fuisset à Christo promissa, atque ita Episcopi non haberent potestatem ordinariã indulgentias concedendi, sed ad summum delegatam ex concessione summi pontificis, quod reputat inconueniens. Ait ergo, etiam per hęc verba Matth. 18. fuisse hanc potestatem promissam, quanuis non solam, sed etiam potestatem ligandi, & soluendi à censuris. Ad hoc autem explicãdum considerat tres status correctionis peccatoris. Primus est, quando primùm corripitur à fratre, vel omninò priuatim, vel coram vno, vel duobus testibus, iuxta illud, *Corripe illum, &c.* ad quem actum nulla specialis potestas à Christo data est, sed tantùm explicata illa, quæ naturalis est, quia illa actio priuata est, & ad charitatem fraternam spectans. Secundus status est, quando post priuatam correctionem peccator non corrigitur, ideoque ad prælatum defertur, iuxta illud, *Dic Ecclesiæ.* Tertius est, quando subditus post prælati correctionem adhuc est pertinax, & incorrigibilis, ideoq; per censuras cõpellendus, iuxta illud, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus:* Hinc ergo colligit duplicem potestatem Ecclesiæ promissam in illo loco. Vna est potestas ligãdi contumacem peccatorem per censuras, cui correspondet etiam potestas soluendi à tali censura eum, qui à contumacia recedit: quæ potestas certa est, & de illa dicemus latè in toto sequenti volumine. Alia potestas est imponendi conuenientem pœnitẽtiam peccatori, qui denũciatus fuit prælato, & ab eo corripitur, eiúsque correctioni obedit: nam illa peccati correctio iam non est merè priuata, neque ad solam charitatẽ pertinet, sed est pastoralis, & ad iustitiam instaurandam ordinata, ideoque requirit in Ecclesiastico prælato potestatem imponendi conuenientem pœnam propter præcedẽtia delicta, etiamsi subditus à peccando desistat. Potestas autem hæc punitiua potestas ligandi est, cui cum proportione respondere debet potestas soluendi, quæ non est alia nisi potestas remittendi satisfactorias pœnas, qualis est illa, quæ per indulgentias exercetur.

Roffens. Medinę discursus, ad colligẽdum ex hoc loco indulgẽtias concedẽdas.

11. Hic verò discursus tam à longè petitus parũ profectò persuadet. Nam in primis non constat ex vi illius ordinis correctionis fraternæ requiri in prælato Ecclesiastico specialem potestatẽ ligandi, distinctam à potestate ferẽdi censuras, vt illi possit subditi peccatum paternè denunciari: nam illa denunciatio præcisè sumpta ad correctionem fratris ordinatur, non verò ad punitionem, si ipse obedire, & corrigi velit. Vnde licèt in Magistratu, seu prælato ad perfectionem muneris eius requiratur potestas coërcendi, & puniendi delicta cõmissa, etiamsi in posterum emendentur, nihilominùs illa potestas non pertinet ad hũc ordinem correctionis, vt sic, sed requirit aliam iuridicam notitiam per viam accusationis, vel denunciationis iudicialis, vel legitimæ inquisitionis: ergo ex illo secundo statu seu actu correctionis non rectè colligitur specialis potestas ligandi ad pœnam, sed solùm illa auctoritas, quæ in Prælato in subditum requiritur ad emẽdationem eius. Deinde, quanuis concedamus illam potestatem ligandi, cui respondeat proportionata potestas soluendi, non rectè inde colligitur indulgẽtiarum potestas, quia illa potestas ligandi solùm erit ad imponendam canonicam seu Ecclesiasticam pœnã pro delicto commisso, quæ per se nõ tollit reatum pœnę debitę apud Deũ, nisi quatenus homo per illam pœnã potest ex opere operantis satisfacere apud Deum, si sit in statu digno, sicut posset satisfacere per alia opera pœnalia: nã ad hoc nihil peculiare addet illa pœna à superiore imposita, cũ sacramentis nõ sit: ergo potestas soluendi, cum proportione respondens huic potestati ligandi, ad summum erit potestas remittendi subdito hanc canonicam pœnam, quæ longè diuersa est à potestate concedendi indulgentias, vt per se patet.

12. Et confirmatur à simili: nam etiam sacerdotibus data est potestas ligandi, imponendo satisfactorias pœnas in foro pœnitẽtiæ, cui respõdet potestas soluendi proportionata, quæ non est potestas concedẽdi indulgentias, vt per se constat, sed est potestas mutandi vel auferẽdi pœnam semel impositam, aut certè illam omninò non imponendi, si confessor æquũ esse iudicauerit: ab ipsa verò pœna debita apud Deũ per se & immediatè confessor non soluit, nisi quatenus iuxta dispositionem pœnitentis cum culpa ipsa remittitur. Sicut etiam cõfessor reatum alicuius pœnæ per se non imponit, sed interdum retinet, seu non tollit propter defectũ dispositionis pœnitẽtis. Semper ergo potestas soluendi cum proportione respõdet potestati ligãdi. Cùm ergo ex dicto loco Matth. 18. ad summum colligatur potestas ligãdi ad pœnam canonicam & Ecclesiasticã, qualis fortasse olim erat pœnitentia publica, solùm potest inde colligi potestas remittendi pœnam in foro Ecclesiæ, non verò soluendi à reatu pœnæ coram Deo per indulgentiæ concessionem. Cuius etiam signũ est, quia quantumuis peccator aliàs satisfaciat apud Deum, vel lucretur indulgẽtias, nihilominùs puniri potest ab Ecclesiastico iudice hæc pœna Ecclesiastica, seu canonica, iuxta denunciationem ipsi factam, & meritũ culpę, quia satisfactio apud Deum, & apud Ecclesiam sunt diuersarum rationum, & vna non tollit obligationẽ alterius: signum ergo est, potestatem sic ligãdi etiam esse diuersæ rationis, ideoque non respõdere illi potestatem remittendi reatum pœnæ apud Deum per indulgentias, sed solùm remittendi talem pœnam canonicam in foro Ecclesiæ.

## *Potestatem concedendi indulgentias soli Petro & successoribus eius immediatè fuisse promissam Mat. 16.*

13. SENTIO igitur potestatem concedendi indulgentias soli Petro, eiúsque successoribus fuisse per se ac immediatè promissam Mat. 16. Vnde verum etiam censeo, solum summum Pontificem habere immediatè à Christo, & ex diuino iure hanc potestatem indulgẽtias concedẽdi: illi enim soli immediatè data est hæc potestas, cui fuit immediatè promissa. Item in superioribus ostensum est, omnem potestatem iurisdictionis ordinariæ, & perpetuò duraturæ in Ecclesia, soli Petro fuisse immediatè commissam, per ipsum verò, & successores eius aliis communicari: ergo à fortiori idem dicendum est de potestate concedendi indulgentias. Atq; hoc ipsum colligitur ex c. *Cùm ex eo, &c. Nostro*, de Pœnit. & remiss. vbi Pontifex præscribit, & moderatur indulgentias, quas Episcopi, vel Archiepiscopi possunt cõcedere: atque eadem ratione posset Pontifex illam potestatem minuere, vel omninò auferre, si expedire iudicaret: eadem est enim ratio, nec magis repugnat iuri diuino vnum, quàm aliud: ergo signum est, potestatẽ hanc immediate datam esse Põtifici, aliis verò solùm iuxta communicationem eius. Neque inde fit, potestatem

ſtatem hanc tantùm eſſe delegatam in Epiſcopis, ſi
Non tamen propterea poteſtatem hanc eſſe in Epiſcopis delegatam.
propriè loquamur, quia non omnis poteſtas, quę per hominem conceditur, delegata eſt, aliàs omnis iuriſdictio Epiſcoporum, & Patochorum eſſet delegata, cùm tamen non ita ſit, ſed ordinaria, quia conceditur ex vi alicuius muneris, cui per ſe coniuncta eſt, iuxta Eccleſiæ inſtitutionem & ordinationem. Ita ergo hæc poteſtas, prout conceditur Epiſcopis, eſt per ſe coniuncta cum eorum munere, & ex vi illius eis confertur, ideoq; non delegata, ſed ordinaria dicenda eſt. Iuxta hanc ergo ſententiam hæc poteſtas propriè colligitur ex loco Matth. 16. ex loco autem Matth. 18. per ſe non colligitur, niſi quatenus poſtetior locus cũ priori coniungitur, & in eo fundatur.

14. Dicet verò aliquis, æquè vniuerſalia eſſe poſteriora illa verba Matt. 18. *Quæcunque ligaueritis, & quæcunque ſolueritis*, ſicut ea, quæ dicta ſunt Petro Mat. 16. ergo nõ eſt cur hęc poteſtas magis ex his verbis, quàm ex illis colligatur: nos enim fundauimus hanc collectionem in amplitudine & vniuerſalitate verborum. Reſpondetur in primis, illam ſingularem promiſſionem factam Petro, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum*, apertè indicare ſingularem excellentiam poteſtatis Petro cõceſſæ *ad diſpenſandas diuitias immortalitatis*, vt dixit Ambroſius ſerm. 66. & Maximus homil. 5. de SS. Petro, & Paulo. Et notauit etiam Origines homil. 6. in Matth. ponderans ſingula verba promiſſionis factæ Petro. Vnde vlteriùs concedo, vtraque verba, prout ſonant, eſſe vniuerſaliter intelligenda, tamen cum debita proportione iuxta circunſtantiam loci, & ſermonis. Illa ergo verba dicta Petro omnem perfectionem Eccleſiaſticæ poteſtatis comprehendunt, quia dicta ſunt ad explicandum ſummum principatum illi promiſſum in vniuerſam Eccleſiam, vt notarunt dicti Patres, & Chryſoſt. hom. 55. in Matthæum, & Greg. lib. 4. epiſt. 32. & Leo Pap. epiſt. 84. & 89. & alij frequenter. In loco verò Matth. 28. Chriſtus dixit illa verba occaſione eorum, quæ immediatè præceſſerant, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus:* vt enim oſtenderet futuram eſſe in Eccleſia poteſtatem excommunicandi rebelles, ſubdit: *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, &c.* Ex vniuerſali Eccleſiæ poteſtate ad ligandum, & ſoluendum, colligens illum peculiarem actum excommunicandi: atque in hoc ſenſu verum eſt, etiam illa verba intelligi de vniuerſali clauium poteſtate. Non explicat autem ibi Chriſtus apud quem futura ſit hæc poteſtas, ſed tantùm quòd in Eccleſia futura ſit. Quomodo autẽ futura ſit, ex alio loco Matthæi colligendum eſt. Vnde, cum c. 18. in plurali dicitur, *Quæcunque ligaueritis ſuper terram*, quantum ad poteſtatem ligãdi, & ſoluendi, omnia in vniuerſum comprehenduntur, quæ ſub talem poteſtatem cadunt, ita vt tam latè pateat ſignum illud diſtributiuum, *Quodcunque*, ſicut aliud ſimile, *quodcunque* Matth. 16. Quantùm verò ad eos, per quos exerceri poteſt hæc poteſtas, diſtributio fit accommoda, ita vt iuxta poteſtatem vnicuique conceſſam, vel participatam, quod vnuſquiſque ritè ligauerit, vel ſoluerit ſuper terram, ſit ligatum, vel ſolutum in cœlo. Atque hoc modo poteſt ex hoc loco probari poteſtatem concedendi indulgentias eſſe in Eccleſia, ſeu prælatis eius, ſiue ſit immediatè à Chriſto in multis, ſiue in vno tantùm: hoc enim aliunde inueſtigandum eſt.

Ambroſ. Maxim. Origen.

Chryſoſt. Gregor. Leo Pap.

Quid ex loco Mat. 18. circa poteſtatem hanc probetur.

---

## *In quo loco Euangelij poteſtatem Matt. 16. promiſſam Chriſtus dederit.*

DICET aliquis, in his duobus locis nullam poteſtatem eſſe à Chriſto datam, ſed promiſſam tantùm, vt manifeſtè patet ex illis verbis Mat. 16. *Tibi dabo, &c.* &, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vnde quod ſubiungitur, *Quodcunque ligaueris*, apertè, intelligitur, poſtquàm Eccleſiã fundauero & claues dedero. Idemq́ue eſt ſenſus ſimilium verborum Matt. 18. nam illa verba, *Quæcunque ligaueritis*, manifeſtè referuntur ad tempus, in quo futura erat fundata Eccleſia, & in ea futuri erant ſacerdotes, & prælati, quos nondum Chriſtus creauerat, vt per ſe conſtat. Imò verba illa, *Quæcunque ligaueritis*, ex vi ſuæ ſignificationis non tam ſunt promiſſiua, quàm prædictiua futuræ poteſtatis Eccleſiaſticæ. Quia verò Chriſtus hîc non prædicebat niſi quod erat ipſe facturus, ideò verba illa virtualem promiſſionem continent. Adhuc ergo quærendum reſtat, vbi fuerit hæc promiſſio impleta, atq; adeò vbi Chriſtus hanc poteſtatem Eccleſiæ dederit.

16. Quorundã ſententia. Cordub. lib. 5. q. 6.

Aliqui cenſent eam dediſſe Ioan. 20. verbis illis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* ibi enim peccatorum nomine non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ comprehenduntur: vnde ad vtraſque remittendas poteſtas conceditur, ad ſingulas verò modo eis proportionato. Nam, quia peccata quoad culpam non remittũtur niſi per gratiam, quæ per miniſtros Eccleſiæ non infunditur, niſi medio aliquo ſacramento, ideò poteſtas illa quantùm ad remiſſionem peccatorum quoad culpã, alligata eſt ſacramento pœnitentiæ: pœnæ verò remitti poſſunt ſine infuſione gratiæ, & ideò ex vi illius poteſtatis remitti poſſunt extra ſacramentum pœnitẽtiæ per indulgẽtiarum conceſſionem. Hæc verò ſententia mihi non probatur (vt ſuprà tetigi) ſcilicet, quia illis verbis propriè inſtituit Chriſtus ſacramentum Pœnitẽtiæ, ſolúmque dedit poteſtatem ordinis ſacerdotalis, quæ ad hoc ſacramentum adminiſtrandum neceſſaria eſt, & conſequenter etiam ad reliqua ſacramenta, quæ conſiſtũt in vſu fidelium, quatenus eorũ adminiſtratio propria eſt ſacerdotum: poteſtas autem concedẽdi indulgentias non ſpectat ad poteſtatem ordinis ſacerdotalis, neque illam neceſſariò ſupponit: nam à non ſacerdote & haberi, & exerceri poteſt, vt infrà dicam. Accedit, quòd ex diſcurſu illo ſequeretur per poteſtatem à Chriſto datam in illo loco poſſe remitti peccata venialia extra ſacramentũ pœnitentiæ, quia ad remittendum peccatum veniale quoad culpam, non eſt per ſe neceſſaria gratiæ infuſio. Conſequens eſt falſum, tum quia eſt contra communem vſum, & ſenſum Eccleſiæ: tum etiã quia aliàs poſſet quilibet ſacerdos peccata venialia tollere extra iudicium confeſſionis: quia reſpectu venialium Eccleſia non ſolùm non limitauit poteſtatem ibi datam à Chriſto omnibus ſacerdotibus, ſed etiam iuriſdictionem neceſſariam ad hoc cõceſſit: tum denique, quia etiam per indulgentias non poſſunt remitti venialia peccata quoad culpam, vt infrà oſtendemus. Reſpõdebit aliquis, licèt venialia ſecundùm ſe ſpectata poſſint remitti quoad culpam ſine infuſione gratiæ, nihilominùs ex vi talis poteſtatis non poſſe remitti ſine gratia, quia illa poteſtas alligata eſt ſacramento pœnitentia, & ſacramẽtum non operatur niſi infundendo gratiam. Sed contrà: nam pari ratione dici poteſt, & debet, licèt remiſſio pœnæ per ſe non requirat gratiæ infuſionem, tamen, vt ſit per talem poteſtatem, nõ fieri ſine gratiæ infuſione, quia illa poteſtas alligata eſt ſacramento, quod nihil omninò remittit, niſi priùs gratiã infundat. Vnde, licèt verum ſit eo loco datam eſſe poteſtatem remittendi peccata quoad culpas, & quoad pœnam, non tamen aliter quàm in foro ſacramentali & iudiciali, ideoq; ex vi illius poteſtatis nõ remittitur pœna, niſi vel ſimul cũ culpa per abſolutionẽ ſacramentalẽ, vel per impoſitionem ſatisfactionis, quæ ſit pars ſacramẽti.

Improbatur.

Euaſio.

Præcluditur

Dico

17. Promissionem illam fuisse impletam Ioã.21. vera sententia.

Dico igitur, promissionem illam esse impletam, & potestatem hãc fuisse à Christo datam Ioan. 21. cùm dixit Petro, *Pasce oues meas*: nullus enim ali⁹ locus in Euãgelio, ex quo possit actualis donatio seu collatio huius potestatis colligi. Ex illo autẽ optimè colligitur in hunc modum. Nam hæc potestas non fuerat à Christo promissa in propria specie (vt sic dicam) seu in particulari, sed sub potestate vniuersali promissa Petro, quando claues cœli, & primatus Ecclesiæ illi promissa fuêre: ergo tunc impleta fuit illa promissio, quando primatus, & vniuersalis potestas data est Petro: hæc autẽ data fuit dicto loco Ioan 21. vt nunc supponimus ex vniuersali traditione & consensu Ecclesiæ, & omnium patrum, & alibi, Deo dante, latiùs ostendemus: ergo tunc etiam impleta fuit hæc promissio quoad hanc potestatem. Et confirmatur, nam sub illo verbo, *Pasce*, includitur omnis actus iurisdictionis, qui ad claudendum, vel aperiendũ Regnum cœlorum conferre potest, vt hoc modo donatio sit æqualis promissioni: sed remissio pœnarum per indulgentias est vnus ex actibus, quibus aperitur regnum cœlorum: ergo ille etiam comprehenditur sub vniuersali munere pascendi oues Christi. Et sanè meritò, nam ipso vsu constat hanc gratiam & fauorem indulgentiarum multùm conferre ad spirituale profectum fideliũ, vt meliùs ac frequentiùs à peccatorum vinculis liberẽtur: ergo merito tale beneficiũ ad spirituale pastum fidelium pertinere cẽsetur. Denique beneficium principis (vt aiunt) amplissimè interpretãdum est, quantùm & verba principis, & finis concessionis patiuntur, secundùm rectam & cõuenientem rationem: ergo hoc modo interpretãda est hæc Christi concessio. Antecedens tanquàm per se decens ad verum, vtroque iure receptum est, in cap. *Quanuis*, de præb. in 6. & l. *Beneficium*, ff. de Constit. princip. Consequentia verò patet, quia hoc beneficium non qualecunque est, sed pertinens ad perfectam Ecclesiæ gubernationem: quando autem alicui conceditur aliqua potestas, intelligitur concedi ad omnia, quæ vel necessaria sunt, vel valdè cõmoda ad finem talis potestatis, vt alia iura docẽt, & Doctores in illis exponunt: cap. *Præterea*, de Offic. deleg. l. 2. ff. de Iurisdict. omn. iud. Ob hanc ergo causã intelligimus, non solùm datam fuisse Petro vulgarẽ potestatem, quæ solet esse in principibus ad ferendas leges & dispensandum in illis; sed etiam ad ea omnia, qua ad commune bonum animarum spectant, etiamsi ad Deum ipsum aliquo modo pertineant, vt est v.g. dispẽsatio in votis. Eadem ergo ratione rectè intelligimus sub illo verbo comprehensam esse potestatem hanc remittẽdi pœnas temporales per indulgentias. Atque ita etiam cõfirmatum manet quod paulò anteà dicebamus, potestatem hanc immediatè datam esse à Christo soli Petro, & successoribus eius, per quos aliis ex parte communicatur. Denique constat ex dictis, quomodo ex Scriptura hæc potestas colligatur. Et soluta ex parte manet prima ratio dubitandi in principio posita: omnia verò magis confirmabuntur; si ostenderimus hanc esse Ecclesiasticam traditionem, quod in sequenti sectione præstabimus: posteà verò reliquis difficultatibus satisfaciam.

## SECTIO II.

### *Quàm sit antiquus in Ecclesia vsus concedendi indulgentias.*

1. IN præcedenti sectione quasi à priori ostendimus esse in Ecclesia prædictam potestatem: nunc idem est à posteriori ex ipso vsu talis potestatis demonstrandum. Vt autem probatio sit efficax, duo à nobis probãda sunt. Vnum est, esse in Ecclesia hunc vsum; aliud est, illum esse legitimum & validum: nam, si hoc non habeat, dici poterit (quod hæretici aiũt) illum non esse actum alicuius veræ potestatis à Christo datæ, sed esse abusum potestatis ab hominibus ex ambitione, vel auaritia vsurpatæ. Primum igitur horum facilè probabimus ex his, quæ nostris temporibus experimur, & quæ in communibus historiis Ecclesiasticis passim legimus: vnde in hoc etiã ipsi hæretici nobis non cõtradicunt. Secundum ergo, scilicet, hunc vsum esse legitimum, probamus primò auctoritate Conciliorum, quæ hunc vsum probauerũt, videlicet Tridẽtini sess. vlt. vbi addit hunc vsum sacrorum Conciliorum auctoritate fuisse approbatũ: ad quod citari solent Concilium Nicenum can. 11. Carthag. IV. ca. 75. Neocæsariense c. 3. Agathẽse c. 60. Laodicenum can. 1. & 2. Sed in his solùm legimus semper licuisse Episcopis ex canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro diuersis criminibus imponi solebant, aliquid peccatoribus, & pœnitẽtibus remittere, si eorum vita, & laudabilis conuersatio id mereri videretur: quòd autem illa remissio se extenderet vsque ad ablationem vel diminutionem reatus pœnæ apud Deum, ex illis Conciliis non satis colligitur, ideoq; non potest ex illis sumi argumentum efficax, sed ad summum coniectura quædam, seu probabilis ratio à simili fundata in potestate clauiũ. Expressiùs probatur hic vsus à Clemẽte V. in Concilio Vienẽsi in clem. vnic. de Reliquiis & veneratione Sanctorũ, & à Clemẽte VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnit. & remiss. Conc. etiam Constantiens. sess. 8. 15. & 41. oppositum errorem damnauit. Et in decretalibus tam antiquis, quàm in 6. & Clementinis, habentur multa decreta pontificum, & Conciliorum, in quibus hic indulgentiarum vsus & probatur, & exercetur. Idem habetur in Bulla Leonis X. contra Lutherum, & in Decretali quam ad Caietanum legatum suum misit in Germaniam, vt ipse refert 3. p. quæst. 48. ar. 5. Idem confirmauit Sixtus IV. in Bulla cõtra Petrum Oxomensem, qui in hoc etiam errasse dicitur.

Vsum indulgentiarum esse legitimũ, ex Conciliis ostenditur. Conc. Trid. Conc. Nic. Cõc. Carth. Conc. Neocæsar. Cõc. Agath. Conc. Laod. Conc. Vien. Clemens 6. Conc. Cõst. Leo. 10. Sixtus 4.

2. Excõmuni vsu & consuetudine Ecclesię idẽ suadetur.

Secundò, probatur hunc vsum esse legitimum ex communi acceptatione & cõsensu Catholicæ Ecclesiæ: impossibile enim est quòd vniuersa Ecclesia erret in re morali, & grauissima, & ad bonos mores fidelium pertinente, sed vniuersa Ecclesia ita acceptat hũc vsum, ac de illo sentit, vt hæreticos existimet illos, qui talem vsum reprehendunt, seu hanc potestatem Ecclesiæ negant: ergo impossibile est, vniuersam Ecclesiam in hoc errare, esset enim intolerabilis error practicus, & moralis. Quocirca, quãuis daremus (quod aliqui hæretici contendunt, & nonnulli Catholici non cõtradicunt) hunc indulgẽtiarum vsum non esse admodùm antiquum, sed à temporib⁹ Gregorij incœpisse, non propterea potest à viro Catholico reprehendi, cùm videat vniuersam Ecclesiam illum recepisse ac probasse. Nec repugnat, potestatem esse antiquissimam, & à Christo collatam, vsum verò esse recentiorem. Quia cùm potestas Pontificia sit amplissima, & varios actus complectatur, non est necesse vt omnes illos statim, & à principio nascentis Ecclesiæ exercuerit, sed discursu temporum pro occurrẽtibus occasionibus, & opportunitatibus. Vt verb. gr. quòd ministerium sacramẽti Confirmationis simplici sacerdoti committatur, fortasse ante tempora Gregorij nunquàm factum est: quis autem rectè de fide sentiẽs propterea dicat commissionem illam (de qua in c. 1. 95. d.) fuisse illegitimã, aut Gregorium vsurpasse potestatem, quam non habuit, & non potiùs exercuisse potestatem, quæ semper fuit in Ecclesia, licèt vsus eius necessarius fortasse anteà nõ fuisset? Si ergo in præsenti dicendum esset, quanuis

daremus

daremus talem vsum nō esse antiquiorem. Idemque de omni simili vsu censendum est, maximè quando eiusdem Ecclesiæ definitione, vel vniuersali consensione est approbatus.

3. Hunc vsum esse legitimū, ex eius antiquitate colligitur.

Tertiò verò argumētor ab antiquitate. Nam vsus quem Apostoli inchoarunt, & ab eis Ecclesia suscepit, & continuata pastorum successione semper retinuit, non potest nō esse legitimus, & à Christi potestate, quę ad illum sit necessaria, descēdens: hic enim est præcipuus modus probandi legitimas, & Apostolicas traditiones, teste Augustino lib. 4. de Baptismo, c. 24. Huiusmodi autem esse hunc vsum, probatur, Nam Paulus 2. ad Cor. 2. indulgentiam concessit alicuius partis pœnę incestuoso illi, quē prius grauiter punierat. Hoc autem ostendunt illa verba eiusdem Pauli, *Sufficit illi, qui huiusmodi est, obiurgatio hæc.* & infra, *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Vbi Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Ambrosius, & alij expositores aduertunt, Paulum vsum fuisse verbo significandi liberalem remissionem, & condonationem: quia incestuosus ille nondum plenè satisfecerat pro delicto, & nihilominùs Paulus liberalem ei indulgentiā concessit vlterioris pœnæ debitæ, vel ex quadam prudenti misericordia, ne fortè abundantiori tristitia absorberetur, vt idem Apostolus dixit, vel in gratiam Corinthiorum, qui pro ipso interceſſerant, vt verbum illud, *Propter vos*, significat. Illam autem indulgentiam fuisse veram, & per potestatē à Christo datā, declarauit Paul⁹ illo verbo, *In persona Christi.* Habemus igitur ex hoc loco indulgentiarū vsum à Christo fuisse inchoarum. Simili modo, cùm olim variæ pœnæ, & satisfactiones propter varia delicta præscriptæ essent, sēper fuit in potestate Episcoporum aliquid de eis remittere, vel propter intercessionem aliorum fidelium, præsertim martyrum, & confessorum, vel propter dispositionem ipsorum pœnitentium. Ita colligitur ex Tertulliano lib. ad Martyres, capit. 1. vbi hanc indulgentiam *pacem* appellat, quam illi, qui in confessione fidei defecerant, à sanctis Martyribus, qui in carcere existebant, exorare consueuerant. Similia scribit Cyprianus epist. 11. aliàs libr. 3. epist. 15. & alia sumi possunt ex lib. de Lapsis, & ex alio lib. ad Nouatianum, quòd lapsis spes venię deneganda non sit. Et epist. 54. ad Cornelium, de Pace lapsis danda, & epist. 52. ad Antonianū. Legi etiam potest epist. 21. vsque ad 32.

Chrysost. Theoph. Theodor. Oecum. Ambros.

Ab Apostolis in Episcopos deriuatum fuisse vsum indulgentiarum. Tertul.

Cyprian.

## *Difficultas circa vltimum modum colligendi hanc potestatem ex antiquitate vsus eius.*

4. Quorūdam solutio.

SOLET autem ad hæc loca respōderi, in eis non esse sermonem de remissione pœnæ in foro animæ, per quam liberatur homo à reatu pœnæ coram Deo: sed solū de remissione exterioris, & quasi ciuilis pœnæ debitæ in foro externo. Quam responsionem aliqui contemnunt, tum quia Paulus dixit, hāc remissionem fieri in persona Christi: Christus autem alibi dixit. Quod hoc modo soluitur in terris, solui etiam in cœlis: ergo hæc remissio non solùm est rata in foro Ecclesiæ, sed in foro Dei. Tum etiam quia eæ pœnitentiæ non solùm imponebantur pro delictis publicis & scandalosis, pro quibus imponi solēt exteriores & publicæ pœnæ; sed etiā pro occultis criminibus, imò non solùm pro externis, sed etiam pro merè internis, quæ sola cogitatione, & affectione committuntur: quæ omnia constant ex antiquis canonibus, qui leguntur apud Burchardum lib. 19. sui Decreti, & apud Basilium, Gregorium Nyssenum, & alios, qui hos canones pœnitētiales collegerunt: ergo signū est, has pœnas nō fuisse tantùm externas, id est, ad exteriorē Ecclesiæ satisfactionē ordinatas, sed etiā internas, id est, ad curationem animæ, & satisfactionem Deo exhibendam impositas. Quod significauit Concilium Nicenum cap. 8. & Cyprianus dict. epist. 52. & Basilius canone 84. & 88. ad Amphilochium. Vnde etiam iidem patres referunt, in huiusmodi pœnis imponendis, non tantùm externam Ecclesiæ offensionem, sed etiam ipsius delicti grauitatem, & modum peccandi, aliásque circunstātias considerari solitas fuisse, vt patet maximè ex Cypriano in dictis epistolis, & ex Gregorio Nysseno canon. 62. & 63. signum ergo est pœnas illas non tantùm solitas fuisse imponi pro externo foro Ecclesiæ, sed ad satisfaciendum, & placandum Deum. Ergo pari ratione remissio & indulgentia, quæ de prædictis pœnis fieri solebat, nō solùm erat externa, sed etiam interna, & apud Deum. Quod significasse videtur Cyprianus epist. 14. in illis verbis, *Qui libellum à martyribus acceperunt, auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis possunt:* & infrà, *Cum pace à martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.*

Conc. Nic. Cyprian. Basil.

Cypria. Grego. Nyss.

Sed adhuc difficultas in prædicta respōsione tacta, non videtur prædictis coniecturis, aut obiectionib⁹ sufficienter expediri. Duobus enim modis intelligi potest pœnitentias variis criminibus olim præscriptas potuisse imponi committentibus talia crimina. primō, in sacramentali foro pœnitētiæ, secundò, extra illud forum ex speciali mādato prælatorum Ecclesiæ. Quando priori modo inungebantur, certum est, per se primò fuisse ordinatas ad internum bonū ipsius pœnitentis, vt & dignè Deo satisfaceret pro commissis, & caueret similia in futurum committere. Et de his pœnis verum est, non solùm pro delictis publicis, vel externis, sed etiam pro internis & occultis fuisse taxatas, nec solùm pro grauioribus, sed interdum etiam pro leuioribus delictis, & in eis imponēdis veram delicti grauitatem apud Deum ex illius materiæ circunstantiis fuisse spectatam. Deniq; de hoc genere satisfactionis verum est, non solùm habere valorem ad remittendum pœnę reatum apud Deum ex qualitate & quantitate pœnæ seu actionis, sed etiam ex virtute clauium, per quam imponitur. Veruntamen ex toto hoc genere pœnarū, non potest colligi vsus indulgētiarum in tota illa ætate, à tempore Pauli vsque ad tempora Cypriani. probatur & explicatur in hunc modum, quia si cōsideremus impositionē talis pœnę, illa potiùs pertinet ad potestatem vindicandi, quàm indulgendi: si verò cōsideremus remissionē pœnæ apud Deum, quæ fit ex opere operato per talem pœnam exhibitam, illa non est effectus indulgētiæ, de qua nūc agimus, sed sacramenti pœnitētiæ. Si verò cōsideremus remissionē ipsiusmet pœnitentiæ impositæ: primùm in omnibus locis allatis nullum est vestigium huius remissionis: quia in illis sermo nō est de sacramētali pœna in foro pœnitētiæ imposita. Paul⁹ enim apertè loquitur de grauissima pœna exteriori, qua incestuosum illum Satanæ tradiderat, in priori epist. cap 5. à qua posteà illū absoluit, & delictū condonauit, non imponēdo ampliorem satisfactionē propter causas suprà insinuatas. Et simili modo Tertullianus, & Cyprian⁹ apertè loquuntur de pace cōmunionis Ecclesiasticę, ad quā non facilè admittebantur lapsi in talia delicta, sed post diuturnam pœnitētiam, & satisfactionē Ecclesiæ exhibitam, de qua interdum aliquid remittebatur propter aliorum martyrū intercessionē, vel alias iustas causas. Apud hos ergo patres nulla est mentio de remissione seu indulgentia pœnitentiæ sacramentalis. Nec facilè (vt existimo) inuenietur in aliqua historia, fuisse aliquando vsitatum in Ecclesia, vt protper aliorum intercessiones pœnitentia sacramentalis

5. Prædictam difficultatē non satis soluī ostenditur, eadémque ampliùs roboratur. Ex potestate imponendi, aut remittēdi pœnitentias in foro pœnitentiæ nō satis colligi hāc potestatem.

Tertul. Cypria.

Burchar. Basil. Greg. Nyss.

mentalis tolleretur, aut mutaretur.

Quòd si quis tandem ex ipsa potestate imponẽdi talem pœnam, colligere velit potestatem remittẽdi illam, in primis hoc iam non est argumentari ex traditione, & antiquo vsu Ecclesiæ, quod inquirim⁹: & deinde, vt suprà argumentabar, hæc potestas ad summum esse potest ad remittendam specialem obligationem à confessore impositam ad talem pœnitentiã seu satisfactionem exhibendam: hanc enim auferre potest, qui illam posuit, non tamẽ inde sequitur posse merè gratis remittere reatum pœnæ apud Deum, pro quo auferendo talis satisfactio imponitur: talis enim consecutio nullum habet fundamentum. Neq; ipsum consequens verum est, aut probabile, quia sacerdoti ex vi potestatis remittẽdi peccata in foro pœnitẽtiæ, non datur facultas, vel iurisdictio ad remittendam totam pœnam omninò gratis, sed secundùm talis iudicij æquitatẽ, vt suprà in materia de satisfactione declaratum est: vbi etiam diximus, quòd licèt interdum bene faciat cõfessor leuiorem pœnitentiã imponendo, vel vt condescendat fragilitati pœnitẽtis, vel quia bona fide existimat iuxta dispositionem pœnitentis, & modum criminis illam pœnam sufficere, nihilominùs in re ipsa per talem satisfactionem non auferri totum reatum pœnæ apud Deum, sed solùm iuxta proportionem iustam à Deo taxatam, quam solus ipse, prout est, cognoscit: ergo eadem, vel maiori ratione, quoties confessor remittit obligationem talis pœnæ, non propterea remittit reatum ipsum apud Deum, donec alia satisfactio æquialens loco illius exhibeatur, igitur ex hoc modo remittendi pœnitentiam sacramentalem, nullum argumentum sumi potest ad comprobandam remissionem pœnarum per indulgentias.

7. Ad quid pœnitentiæ publicę imponerentur.

Venio ad alium modum, quo pœnitentiæ illæ, siue arbitratiæ, siue lege Ecclesiastica taxatæ, imponi solebant à Prælatis Ecclesię extra sacramentum pœnitentiæ. De quo modo pœnarum apertè loquitur Paulus citato loco, & plura ex decretis antiquis, & apertissimè Tertullianus, & Cyprianus. Ex quibus coniectare licet, huiusmodi pœnas non fuisse solitas imponi pro quibuscunque criminibus, sed tantùm pro grauioribus, nec pro occultis, sed tantùm pro publicis, vt in superioribus in materia de Pœnitentia tactum est, & sumitur ex 6. Synodo canone vlt. Trullano, & ex canone 34. ad Amphilochium, apud Basilium, vbi etiam dicit, magnum discrimen constituendum esse inter eum, qui sua sponte sacerdoti confitetur, & eum qui punitur, quia de crimine cõuictus est. Vbi indicare videtur duos modos imponendi pœnitentiam à nobis distinctos: nam prior spectare videtur ad sacramentale forum, non verò posterior, vt per se constat. Eadémque distinctio reperitur apud Gregorium Nyssenum can. 62. & sumi etiam potest ex multis decretis apud Burchardum dict. libr. 19. Hæ igitur pœnitentiæ quando extra sacramentum imponebantur, magna quidem ex parte ad satisfactionem Ecclesiæ, & ad reparanda scandala, & ad exemplum aliorum ne talia crimina auderent committere, ordinabantur: & quoad hoc vocari possunt illæ pœnæ politicæ, quia ad politicum Ecclesiæ regimen pertinent, tamen quia politia Ecclesiastica ad bonum animarũ ordinatur, ideò prælati Ecclesiastici in imponendis his pœnis non se gerebant vt meri iudices seculares, sed etiam vt pastores, & spirituales Patres, & ideò maximè etiam intendebant placare Deum, ne propter talia crimina suæ fortasse Ecclesiæ irascerentur: intendebant etiã spirituale commodum ipsius peccatoris, tum quoad correctionem in futurum, tum etiam quoad compensationem delicti commissi apud Deum, non quidem vt ex opere operato remissionem aliquam per talem pœnam consequeretur; id enim fieri non poterat, cùm pœnitentia non esset sacramentalis: sed vt saltem magnitudine pœnæ fieret ex opere operantis condigna satisfactio, ad quam iuuare poterãt humilitas, & obedientia pœnitentis, se subiicientis in hoc Ecclesiastico prælato. Atque ob hanc causam etiam in his pœnis imponendis cõsiderabatur dispositio & voluntas pœnitentis, & aliæ circunstantiæ quæ ad prædictos fines conferre poterant. Ex quibus etiam constat huiusmodi pœnam, quanuis sacramentalis non esset, nihilominùs nonnisi per potestatem à Christo datam imponi potuisse: quia illa impositio actus iurisdictionis erat, non temporalis, & ab hominibus deriuatæ, sed spiritualis, & à Christo manantis.

8. Difficultas circa prædicta testimonia.

Quoad hanc igitur pœnã rectè conuincitur testimoniis adductis, fuisse antiquum morem in primitiua Ecclesia remittendi aliquãdo huiusmodi pœnas, vel condonando illas postquàm impositæ fuerãt, vel aliquando etiam condonando delicta in externo Ecclesiastico foro, nullam, vel leuiorem pœnam imponẽdo; vtrumque enim eiusdem est potestatis, & in vtroque eædem rationes seu congruentiæ interuenire possunt, & vtrumque vsitatum fuisse probant allata testimonia præsertim citata epist. 54. Cypriani ad Antonianum. Difficile autem videtur explicare, quomodo ex illo modo remissionis satis probari possit, tunc fuisse consuetum vsum indulgentiarum, prout nunc illum probare intẽdimus. Nam, licèt huiusmodi peccatores hanc veniam à prælatis Ecclesiæ acciperent, vt sine tali, vel tali pœnitentia canonica admitterentur ad pacem & communionẽ cum aliis fidelibus, vel vt liberarentur ab onere exhibendi talẽ pœnitentiã publicam: nihilominùs hæc remissio vel condonatio præcisè sumpta, nihil ab eis auferebat de reatu pœnæ pro tali peccato debitæ apud Deũ. Quia Prælatus Ecclesiæ recipiens huiusmodi peccatorem ad pacem & vnitatem Ecclesiæ, absq; onere talis pœnæ, non propterea liberabat illum ab eadem Purgatorij pœna, sed necessarium erat, vt peccator ille alio modo satisfaceret Deo, vel certè supponebatur, & credebatur ex modo & feruore cõuersionis, vel alia via, illam plenè satisfecisse.

9.

Accedit quòd apud Paulum non videtur inueniri sufficiens iudicium talis remissionis alicuius pœnæ Purgatorij ex vi illius condonationis. Nam quod dicit, se id condonasse *in persona Christi*, solùm ostendit illum fuisse actũ iurisdictionis & potestatis à Christo acceptæ, quod verum est etiam de sola condonatione Ecclesiasticæ pœnæ: nam sicut potestas ligandi ad hanc pœnam à Christo est, ita etiam soluendi. Vnde parum etiam ad rem præsentẽ refert quod Christus dixerit; *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo:* nam sensus horum verborum non est, per omnem solutionem seu remissionem cuiuscunq; pœnæ remitti aliquid de pœna soluenda in Purgatorio, seu debita apud Deum, quia non est necesse omnem remissionem hac intentione fieri, seu ad hũc effectum ordinari: sed sensus est, omnem solutionem factam virtute clauium non errantium, ratam esse & validã apud Deũ, quantũ ad effectũ per eã intentum. Vt in præsẽti quãdo Prælatus remittit Ecclesiasticã pœnam in cœlo probatur, & cõfirmatur talis remissio: quia talis peccator ita manet liber à debito illius pœnę vt nõ possit ampli⁹ illi imponi, etiãsi apud Deũ maneat liber ad omni reatu pœnæ pro tali peccato.

10.

Neque etiã ex verbis Cypriani suprà citatis videtur posse colligi, eũ loqui de huiusmodi remissione: solũ enim ait, *lapsos, qui libellum à martyribus acceperũt*, id est, pro quibus martyres interceſſerunt, *necessitate vrgente*,

Gregor. Nyss. Burch.

*vrgente, cum pace à martiribus sibi promissa ad Dominum esse remittendos, exomologesi facta, & pœnitentia accepta.* In quibus verbis, *cum pace remitti ad Dominum*, non est mitti omninò absolutos à culpa & pœna: quia nec verba hoc significant, nec martyres huiusmodi pacem lapsis promiserant: sed est remitti ad Dominum absolutos ab omni censura, & cum pace & communione Ecclesiæ. Nullo ergo sufficienti fundamento affirmare possumus, illam remissionē, quæ tunc fiebat à prælatis, fuisse eiusdem rationis cum illo vsu indulgentiarum, quem nunc inquirimus, aut processisse ex potestate liberaliter remittendi pœnas peccatis debitas apud Deum, sed debitas tantùm apud Ecclesiam. Nā potestas soluendi & ligandi cum proportione sibi respondent: illa autem pœna solùm imponebatur per potestatem ligandi ad Ecclesiasticam pœnam: similis ergo seu proportionata erat illa remissio. Quod nunc etiam ex parte in vsu esse videtur: sæpe enim puniuntur peccatores, vt hæretici, vel schismatici aliquibus Ecclesiasticis pœnis publicis, quæ interdum vel omninò, vel ex parte remittuntur ob iustas & pias causas occurrentes, quantùm spectat ad Ecclesię sorū quanuis nulla interna indulgentia quātùm ad reatum pœnæ coram Deo concedatur. Ad hūc ergo modum intelligi potest factum fuisse à Paulo, Cypriano, & aliis antiquis Ecclesiæ prælatis. Imò ita videtur apertè exponere Paulum Innocentius I. in epist. 22. aliàs 23. ad Episcopos Macedoniæ, cuius exemplum imitatus, intercessione aliorum Episcoporum, quosdam in communionem recepit, sublata excommunicatione.

Innoc. 1.

11. Caiet.

Atque his, & similibus rationibus videtur conuictus Caietanus infrà citandus, vt diceret, per indulgētias, quæ sunt in vsu Ecclesiæ solùm remitti pœnitentias per ministros Ecclesiæ impositas, nō verò pœnas ipsas in iudicio Dei debitas. Quod quidem licèt falsum sit de præsenti statu Ecclesiæ vt suprà tactum est, & infrà etiam videbimus, de illis tamen temporibus ante Gregorium magnū, de qnibus nunc inquirimus, non videtur improbabile: non quòd positiuè, vt sic dicam, nobis constet tunc non fuisse eundem modum & vsum indulgentiarum, qui nunc est, hoc enim nulla historia testimonio, aut ratione ostendi potest, sed tantùm negatiuè, quod ex his quæ de illis temporibus legimus, non satis conuincitur hic vsus. Et hoc apud me suadent omnia quæ adduxi, nihil enim occurrit, quod omninò satisfaciat. Solùm ergo potest aliqua coniectura fieri ex illo antiquo vsu, idque dupliciter. Primo, à simili, quia sicut Episcopi remittebant pœnas ab Ecclesia definitas, quando ad bonum animarum expedire censebant; ita verisimile est remisisse etiam pœnas apud Deum definitas, quando id facere oportebat, cùm potestas ligandi & soluendi de se omnia complectatur. Secundò, quia cum illæ pœnæ impositæ essent nō solùm ad satisfactionem Ecclesię, sed etiā ad compensationem delictorum, vt diximus, verisimile est, non fuisse remissas illas pœnas, quin alia via aut modo compensaretur satisfactio seu remissio pœnæ apud Deum. Vnde Cyprianus dict. epistol. 14. dicit, ideò has remissiones solitas esse fieri per intercessiones martyrum, vel aliorum fidelium: *quia auxilio eorū adiuuari apud Dominum in delictis suis possent*, indicans satisfactiones istorum per modum suffragij prodesse lapsis ad remissionem apud Deum, ideóque eorum intercessione meritò fieri remissionem apud Ecclesiam. Neque aliquid certius de vsu illorum temporum inuenire potui: nam quæ hìc etiam adduci solent de indulgentia faciliùs concedenda peccatoribus in necessitate existentibus ex Leone Papa epistol. 77. & 89. & Innocentio primo in epistol. prima ad Decentium, cap. 7. & ex aliis quæ congerit Gratianus 26. quæstion. 6. & 7. & non loquuntur de hac indulgentia, sed de absolutione vel à censuris, vel à peccatis in sacramento pœnitentiæ cum Eucharistiæ cōmunione, non obstante cuiuscunque delicti grauitate, si sufficientia pœnitentiæ indicia ostendantur.

Non constare fuisse in Ecclesia ante Gregorij tempora indulgentiarū vsum.

Cyprian.

Leo Pap. Innoc. 1.

Gratian.

12. Variis Pōtificum testimoniis ostēditur indulgentiarum vsū esse antiquissimū.

Plurimùm verò ad confirmandam indulgentiarum antiquitatem valet Romana traditio, quæ in Vrbe habetur de stationibus aliquarum Ecclesiarum, in quibus plenariæ indulgentiæ lucrantur, quarum initium ignoratur, & à primis Pontificibus manasse videtur. Quod significauit Bonifacius Papa in Extrauag. 1. de Pœnit. & remiss. dicens, *Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de Vrbe, concessæ sunt magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum.* A temporibus verò Gregorij clarior est de hac re notitia: nam illum referunt plenariam indulgentiam concessisse, quanquàm de ea re scriptam historiam non inueniam, sed publicam famā, tum Romæ, tum etiam aliis locis. Scholastici verò septennem indulgentiam illum concessisse aiunt, D. Thom. 4. d. 20. qu. 1. artic. 3. quæst. 2. Altisiodor. libr. 4. Summæ, tract. 6. ca. 9. Leonem III. anno Domini 800. plures indulgentias concessisse refert S. Ludgerus in epist. quam refert Surius tom. 2. die 5. Martij post vitam S. Svvberti, capit. 9. Addit Bellarm. lib. 1. de Indul. c. 3. Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus extare memoriam in marmore excisam literis antiquissimis, indulgentiæ illi Ecclesiæ concessæ à Sergio II. Gregorius etiam VII. in epistol. ad Episcopos Britanniæ, & in epist. ad fratres cuiusdam monasterij Masilienſis, plenariam indulgentiam promittere, ac concedere videtur. Eandem concesit posteà Vrbanus II. cum Concilio Claromontano in eorum fauorem, qui crucem in pectore signati, ad bellum pro recuperanda Terra sāncta proficiscerentur: quam posteà confirmauit Clemens III. Et rursus Innocent. III. cum Concilio Lateranensi in decreto vltimo, cuius titulus est, *Expeditio pro recuperanda Terra sancta*, qui in eodem Concilio cap. 3. eandem extendit ad *Catholicos, qui Crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint*, & habetur in cap. *Excommunicamus.* §. *Catholici:* de Hæreticis. Denique, vt suprà dicebam, ex pluribus textibus iuris, qui habentur sub titulis de Pœnit. & remiss. constat, hunc vsum indulgentiarum maximè viguisse à tempore Alexādri III. per quingētos ferè annos, in quibus vel in fauorem religionum, vel priorum locorum, aut bellorum contra infideles, aut ob alias iustas causas, vel vniuersæ Ecclesiæ, vel variis prouinciis, & regnis plures indulgentiæ cōcessę sunt. Inter quas celebris est illa, quam Honorius III. concessit B. Frāciſco, qui eam priùs à Christo Domino impetrauit, vt latè refert Medina lib. de Indulgentiis, Disp. 4. c. 13.

D. Thom. Altisiodor. Leo 3. Bellarm. Gregor. 7. Vrban. 2. Cōc. Claro. Clemens 3. Innoc. 3. Conc. Later Alex. 3. Honor. 3. Medina.

13.

Est etiam in Ecclesia celebris indulgentia Iubilæi plenissimi, quæ in anno sancto, vt vocant, Romæ conceditur omnibus fidelibus, limina Apostolorum visitantibus, quæ priùs tantùm centesimo quoque anno posteà quinquagesimo, nunc autem vigesimo quinto conceditur, vt constat ex Extrauag. *Antiquorū*, & ex Extrauag. *Vnigenitus*, & in Extrau. *Quemadmodum*, de Pœniten. & remiss. In quibus concessionibus, quod Soto etiam aduertit, considerandum est, quoties Pontifices mentionem faciunt indulgentiarum, aut antiquas indulgentias referre, confirmando illas, instaurando, augendo, vel moderando, aut certè si nouas concedunt, semper loqui de indulgentiis, vt de re antiquissima, & procedente à potestate ligandi & soluendi à Christo Domino suo Vicario concessa. Hæc ergo sufficiunt non solùm apud Catholicos, sed etiam apud quoscunque cordatos & prudentes viros ad persuadendum, hunc visum indulgē-

Soto.

tiarum esse legitimum, & ex vera potestate à Christo data profectum.

14. Cur antiqui patres mentionem expressã indulgentiarũ nõ faciant.

Nec mouere debet quèquam, quod apud antiquos Doctores Ecclesiæ Græcos, & Latinos, Augustinum, Chrysostomum, &c. nulla inueniatur expressa mentio indulgentiarum: nam licèt in particulari de illis non loquantur, sæpe tamen agunt de potestate remittendi peccata, & ligandi, & soluendi, data Ecclesiæ sub qua illam comprehendunt; neque in specie distinguunt omnes modos, quibus Ecclesia potest ligare, & soluere. Et fortasse illi huiusmodi remittendi pœnas per indulgentias expressam & specialem mentionem non faciunt, quia neque ad persuadendam, neque ad defendendam fidem erat necessarium, nondum exortis hæreticis indulgentiarum calumniatoribus: neque etiam propter mores fidelium componendos id tunc facere oportebat, quia rigor disciplinæ, & feruor pœnitentiæ & satisfactionis tunc magis vigebat. Et inde etiam fortasse ortum est, vt in primis Ecclesiæ temporibus rarus esset indulgentiarum vsus vt notauit Sot. d. 21. q. 1. ar. 3. in fin. & Roffensis art. 18. Qui etiam addit, in principio Ecclesiæ non ita fuisse omnibus notas Purgatorij pœnas, ratione quarum hæ indulgentiæ maximè conceduntur. Quæ ratio non placet Soto, eámque acriter impugnat: sed de ea re & de antiquitate fidei Purgatorij satis à nobis in superioribus dictum est.

Soto. Roffens.

## SECTIO III.

### *Vtrùm potestas concedendi indulgentias sit ordinis vel iurisdictionis.*

1.

HACTENVS explicatum à nobis est, & probatum, esse in Ecclesia & potestatem & vsum indulgẽtiarum; nũc, vt distinctius explicemus quid sit indulgentia, & soluamus nonnullas difficultates factas, declarandum superest, qualis sit hæc potestas, ex quo etiam constabit qualis sit actus eius. Dixerunt ergo aliqui potestatem hanc pertinere ad potestatem ordinis sacerdotalis: nam & sacerdotes omnes possunt aliquo modo indulgentiam concedere, & nullus non sacerdos potest illas concedere. Et hanc posteriorem partem refert Dur. d. 20. q. 3. & 5. & Hostiensis in c. *Accedentibus*, de Excessib. prælat. Et prior pars probatur, quia omnibus sacerdotibus data est potestas remittendi peccata: ergo possunt ea remittere non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam: remissio autem pœnæ gratis facta ex potestate à Christo concessa, est indulgentia: ergo omnes sacedotes habent potestatem concedendi aliquam indulgentiam. Posterior verò pars probatur, quia per indulgentiam remittitur pœna etiã iniuncta per sacerdotem in sacramento pœnitentiæ: sed nemo potest talem pœnam relaxare, nisi qui habet æqualem, vel superiorem potestatem in illo foro, quam nemo habere potest nisi sacerdos: ergo nullus potest indulgentias concedere nisi sacerdos: pertinet ergo hic actus ad potestatem ordinis sacerdotalis. Et confirmatur, quia nullus habet potestatem ad remittendam pœnã in foro interiori, nisi qui habet potestatem remittendi culpam, cui est annexa pœna: sed per indulgentiam remittitur pœna in foro interno: ergo nullus potest illam concedere, nisi qui habet potestatem remittendi culpam, qui est sacerdos.

Prima sententia. Durand. Hostiens.

2. Durandi sẽtentia. Ratio.

Addit prætereà Durand. hanc potestatem, vel actum eius non esse iurisdictionis, sed cuiusdam alterius curæ vel prouidentiæ pastoralis: sunt enim hæc duo distincta: vt v. g. an prælato religionis dispensare bona religionis, & de eis eleemosynas facere, vel curare infirmos, aut quid simile non est actus iurisdictionis, sed est alia cura pastoralis muneris. Sic, inquit, indulgentiarum concessio solùm est dispensatio Ecclesiastici thesauri ad subueniendum spiritualiter indigentibus: non est ergo actus iurisdictionis, sed potiùs dici potest paterna quædam misericordia. Vnde & Pontifices, cum indulgentias concedunt, dicunt se illas misericoditer largiri. Et confirmat, quia si esset actus iurisdictionis, posset exerceri etiamin inuitum quod de indulgentia dici non potest. Secundo confirmat, quia si esset actus iurisdictionis, non posset indulgentia frui, qui illam concedit, quia nemo potest exercere iurisdictionem in seipsum: consequens autem est falsum, & cõtra Ecclesiæ vsum. Tertiò cõfirmare id possumus, quia Ecclesia cõcedit indulgentias defunctis, in quos iurisdictionem non habet.

1. Confirm. 2. confirm. 3. Confirm.

---

### *Potestatem concedendi indulgentias non consistere formaliter in potestate ordinis, neque necessario illam requirere, 1. Conclusio.*

3.

DICENDVM verò est primò, potestatem concedendi indulgentias nec per se ac formaliter consistere in aliqua potestate ordinis, neque necessariò illam præsupponere, aut requirere. Hæc est communis sententia Theologorum cum D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 4. qu. 2. vbi Palud. qu. 4. Sot. d. 21. q. 1. art. 4. Caiet. d. Opusc. de Indulgen. ad Iuli. c. 2. nec Durand. audet omninò dissentire: nam fatetur ex consuetudine Ecclesiæ Romanę hoc haberi. In quo etiam Canonistæ consentiunt, vt Calderin. & Panormitanus, quos refert, & sequitur Sylvest. verbo. *Indulgentia*. num. 13. Et quidem, quòd potestas ordinis per se sola ad hunc actum validè exercendum nõ sufficiat, certissimũ est, quia nec simplex sacerdos, nec simplex etiam Episcopus, id est, consecratus absq; Episcopatu potest validè peccataremittere, neq; aliquo alio modo quenquã ligare, aut soluere, vt patebit facile discurrẽdo per omnes alios actus huius potestatis: ergo nec potest per indulgentias pœnas peccatorum remittere. Ratio autem à priori est, quia ex vi solius potestatis ordinis nemo habet subditos, nullus autem potest indulgentias concedere nisi suis subditis, vt definitur in c. *Quod autem*. de Pœnit. & remiss. Hinc potestas hæc per se augeri potest vel minui seu moderationem recipere, iuxta c. *Cùm ex eo*. de Pœnit. & remiss. & c. *Romana*. eod. tit. in 6. At verò potestas ordinis per se non potest restringi aut limitari, sed hoc est proprium potestatis iurisdictionis: ergo signum est, hanc potestatem non consistere in sola potestate ordinis.

D. Thom. Palud. Soto. Caiet. Durand. Calderin. Panormit. Sylvest. Potestatem ordinis ad hunc actum non sufficere ostenditur.

4. Potestas ordinis etiam coniuncta cũ alia non est principium huius actus. Discrimẽ inter remissionem per sacramẽtũ pœnitentiæ, & per indulgẽrias.

Quod autem potestas ordinis non solùm sola non sufficiat, verùm etiam quòd coniuncta cum alia non sit principiũ huius actus, ex eo apertè probatur, quod non est simpliciter necessaria ad talem actum exercẽdum, & ita prior pars assertionis ex posteriori rectè colligitur, nam sine principio per se non potest actus exerceri. Vnde hæc est differentia inter remissionem peccatorum quoad culpam vel pœnam, quæ in sacramento pœnitentiæ fit, vel extra illud per indulgentias, quòd ad priorem licèt potestas ordinis sola non sufficiat, est tamen per se requisita tanquam principium per se illius actus, vt in superioribus dictum est. Posterior verò remissio etiam hoc modo potestatem ordinis non requirit. Quocirca illa remissio pœnæ temporalis, quæ fit ex opere operato per sacramentum Pœnitentiæ, non est propria indulgentia, de qua nunc loquimur, quia vel non est absolutio per se à pœna, sed à culpa, & à pœna tantùm cõsequẽter, vel certè non fit per modum puræ remissionis, sed

per

per modum condignę ſatisfactionis, quæ virtute clauium eleuatur ad ampliorem effectum: vnde illa potiùs eſt per modum punitionis, quàm indulgentiæ.

Supereſt vt probemus, ad hoc genus remiſſionis
5. præſtandum non eſſe neceſſariam poteſtatem ordinis. Id autem oſtenditur primò, quia ſi aliqua, eſſet maximè poteſtas ſacerdotalis: ſed hæc non, ergo nulla. Maior ab omnibus conceditur, quia inferiores ordines per ſe non ordinantur ad remittenda peccata, ſed magis inſtituti ſunt ad miniſtrandum ſacerdoti, quatenus poteſtatem in corpus Chriſti verum exercet. Vnde etiam ad remittenda peccata in ſacramento non ſunt per ſe inferiores ordines neceſſarij, ſed ſolùm quatenus iuxta debitũ ordinem ſupponũtur ad ſacerdotalem ordinem: ergo ſi excludatur in præſenti neceſſitas ſacerdotalis ordinis, conſequenter excludetur neceſſitas cuiuſcunq, ordinis inferioris. De ſuperiore autem B ordine ſeu conſecratione Epiſcopali, facilè idem perſuadetur, tum quia ordinatio non ordinatur per ſe ad remiſſionem peccatorum, ſed ad alia munia: tum etiã quia ordo ſacerdotalis ſufficiens eſt ad remittẽda peccata quoad culpam, ſi alia requiſita non deſint: ergo multò magis ſufficeret ad remiſſionem pœnarũ, ſi daremus aliquẽ ordinem eſſe ad hunc actum neceſſariũ.

6. Ad hunc actum nõ eſt neceſſariã poteſtatem ordinis.

Iam verò probandum eſt, poteſtatem ordinis ſacerdotalis neceſſariam non eſſe ad hunc actum. Id autem ſufficiẽter probatur ex vſu Eccleſię: ſæpe enim Diaconi & Cardinales, vel alij ex conceſſione Papæ indulgentias concedunt: & ipſe etiam ſummus Põtifex electus, quanuis non ſit conſecratus, neque ordinatus ſacerdos, ſicut poteſt abſoluere à cenſuris, ita etiam poteſt indulgentias concedere. Ratio verò eſt, quia poteſtas ordinis ſacerdotalis per ſe & ex intrinſeca neC ceſſitate ſolùm requiritur ad ſacramentum aliquod perficiendum: hæc autem remiſſio, quæ per indulgẽtias fit, non eſt actus ſacramentalis, ſed eſt quædã diſpenſatio Eccleſiaſtici theſauri, quæ extra ſacramentũ fit, vt infrà dicemus. Vnde licèt remiſſio pœnæ, quæ conſequenter datur ad remiſſionem culpæ, & ferendo de illa iudicium, neceſſariò ſupponat in operante poteſtatem remittendi culpam; tamen remiſſio pœnæ, quæ nullo modo verſatur circa culpam, ſed illam ſupponit aliàs remiſſam, non eſt cur requirat in concedẽte poteſtatem remittendi culpam. Neque ratio Durãdi contra hoc cogit, quia hæc poteſtas, & illa, quæ eſt in ſacerdote ad imponendam ſatisfactionem in foro pœnitentiæ, ſunt diuerſarum rationum, nec propriè ſubordinatæ ſunt tãquàm ſuperior & inferior, ſed haD bent ſe tanquàm excedens & exceſſum diuerſis cõſiderationibus. Nam poteſtas ſacerdotalis excedit in hoc, quòd ſe extendit ad conferendam gratiam, & ad remittenda peccata quoad culpam: alia verò excedit in hoc, quòd poteſt liberaliori modo pœnas condonare: vnde etiam fit, vt poſſit quaſi ſubtrahere materiam pœnitentiarum in confeſſione iniunctarum, nimirum ipſum pœnæ reatum, quo ablato, ceſſat obligatio aliarum ſatisfactionum, atque hoc modo relaxare poteſt ſacramentales pœnitentias, etiamſi poteſtatem remittendi peccatum quoàd culpam, in concedente indulgentiam non ſupponat.

---

*Poteſtatem hanc eſſe ſpiritualem, non ad ligandum ſed ad ſoluendum. 2. Concluſio.* E

7. DIco ſecundò: Poteſtas hæc concedendi indulgentias eſt poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, non cogentis nec ligantis, ſed miſerentis potiùs ſeu benefacientis, & ſoluentis. Prima principalis pars probari poteſt, primò ex dictis in ſectione prima, vbi oſtendimus Chriſtum promiſiſſe hanc poteſtatem Matth.

A 16. dediſſe autem Ioan. 21. vbi, *Paſce oues meas*: ibi autem Chriſtus non dedit Petro aliam poteſtatem niſi iuriſdictionis. Secundò, probatur expreſsè ex ca *Quod autem*, de pœnit. & remiſſ. vbi conſultus Alexand. III. Alex 3. an indulgentiæ conceſſę ab Epiſcopis in dedicationibus Eccleſiarum, &c. proſint aliis, quàm eorum ſubditis, reſpondet non prodeſſe. Et rationem reddit, quia ſicut nemo poteſt à ſuo non iudice ligari, ita neque ſolui: ſupponit ergo remiſſionem pœnæ, quæ per indulgentiam datur, eſſe actum iudicis, qui ſolùm erga ſubditum exercetur, atq; adeò eſſe actum iuriſdictionis. Tertiò, probatur à ſufficiẽti partium enumeratione, quia omnis poteſtas ſpiritualis, quæ eſt in Eccleſia, aut ordinis eſt, aut iuriſdictionis: ſed hæc eſt quædam poteſtas ſpiritualis, & non eſt ordinis, ergo eſt iuriſdictionis. Simile argumentum eſt, quòd hæc poteſtas ſpectat ad claues Eccleſiæ, vt ſuprà oſtenſum eſt, ex Matth. 16. & ſumitur ex cap. *Cum ex eo*, de Pœnit. & remiſſ. ſed non ſpectat ad clauem ordinis, vt oſtenſum eſt, ergo ad clauem iuriſdictionis. Declaratur etiam ex re ipſa, quia diſpenſatio in aliqua lege, vel cõceſſio alicuius priuilegij, actus eſt iuriſdictionis, ſed per indulgentiam magnum priuilegium conceditur fidelibus, dum pœna Purgatorij in leue aliquod opus commutatur, & quodammodò etiam fit diſpẽſatio in ea lege, qua talis reus ad talem pœnam vel ſatisfactionem cõdemnatus erat: ergo eſt actus iuriſdictionis. Tandem quia aliàs nulla eſſet ratio ob quam vnus Epiſcopus non poſſet indulgentias concedere alienis ſubditis, ſi iuriſdictionem talis actus non poſtulat.

8. Argumenta Durandi diluuntur.

Altera pars aſſertionis poſita eſt ad ſoluenda argumenta Durandi, & ex eorum reſponſione eadem pars C confirmatur. Concedimus ergo principali argumento indulgentiam concedi per quandam diſpenſationem Eccleſiaſtici theſauri, quod infrà latiùs declarabimus: concedimus etiam eſſe magnum beneficiũ, & opus miſericordiæ concedentis indulgentiam: negamus tamen inde ſequi, hunc non eſſe actum iuriſdictionis. Nam illa duo non repugnant, neque actus ille miſericordiæ exerceri poteſt niſi à ſuperiore in ſubditos quatenus tales ſunt. Addo etiam, ita hoc eſſe opus miſericordiæ, vt non omninò excludat æquitatem iuſtitiæ: tum quia non poteſt illa diſpenſatio pro ſolo arbitrio fieri, ſed iuſtis ex cauſis: tum etiam, quia illa remiſſio nunquã fit ſine aliqua ſufficiẽte compenſatione reſpectu Dei. Vnde ad primam confirmationem ne- Ad 1. cõfirm. gatur ſequela: nam licèt actus iuriſdictionis includens coactionem, vel obligationem, locum habeat etiam in inuitum, actus tamen iuriſdictionis voluntariæ, qui eſt fauor, vel gratia ſeu priuilegium, propriè non habet locum in inuitum. Et eadem ratione, quamuis hic ſit actus iuriſdictionis, regulariter loquendo non obligatur ſuperior ad illum exercendum, quia nõ obligatur ad fauores vel gratias cõcedendas, quãuis interdum nõ repugnet obligari, ſaltem ex charitate, ſi magna ſit ſubditorum neceſſitas. Addo præterea, proprium eſſe horum effectuum internorũ, qui ad perfectam animæ purgationem coram Deo ſpectant, vt non poſſint inuitis concedi: ſic enim abſolutio à culpa, licèt ſit actus iuriſdictionis, non poteſt inuito tribui: idémque eſt de abſolutione à pœna. Vnde etiam in Purgatorio, vbi dubium non eſt, quin punitio illa ſit actus diuinæ iuriſdictionis, effectum ſuum non poteſt habere in inuitum. Sic ergo dicendum eſt in præſenti. Ad ſecundam confirmationem Ad 2. cõfirm. reſpondetur, licèt actus iuriſdictionis coactiuæ à nemine exerceri poſſit circa ſeipſum, actum verò iuriſdictionis fauorabilis, ſeu benefactiuæ, vt ſic dicam, eſſe poſſe eiuſdem ad ſeipſum ſub diuerſis rationibus conſideratum, ſcilicet vt Vicarium Chriſti, vt & hominem peccatorem, ſicut in ſimili ſupra declarauimus tra-

ctando de ministro pœnitentiæ. Atque hoc facilius accidit, quando actus iurisdictionis directè respicit communitatem, & effectus eius redundat in concedentem, vt in partem communitatis: sic enim qui Ecclesiæ, vel ciuitate Iubileum concedit, illo frui potest.

Ad 3. confir. Ad tertiam confirmationem infrà respondimus, explicando modũ quo indulgentiæ applicantur defunctis: nunc solùm dicimus, etiam illud non fieri sine vsu iurisdictionis erga viuentes, quibus conceditur, vt per modum suffragij lucrentur indulgentias pro defunctis.

9. Anton. Rosel. Atque hinc expeditur dubitatio quam tractat Antonius Roselli tract. de Indulg. num. 203. an hæc iurisdictio indulgentiarum sit voluntaria, aut contentiosa: nam (vt ipse refert) quidam vnum affirmarunt, alij oppositum: ipse verò ait esse voluntariam, quando simpliciter conceditur indulgentia, esse verò coërciuam, quando aliquis cogitur lucrari indulgentiam loco pœnitentiæ iniunctæ. Nihilominùs verum est, semper esse actum iurisdictionis voluntariæ: nam iurisdictio voluntaria illa est, quæ tantùm in volentes exercetur. l. 2. ff. de Off. Proconſ. huiusmodi autem est actus huius iurisdictionis, quia non ligat, sed soluit, & nonnisi volentem: vnde regulariter conceditur indulgentia sub cõditione alicuius operis voluntarij. Quòd si aliquando quis obligetur à confessore, vel superiore ad lucrandam indulgentiam, illa obligatio non nascitur ex hac iurisdictione indulgentiarum, sed ex alia, quam sacerdotes habent ad ligandum & soluendum in foro sacramentali, quæ longè diuersa est: & licèt simpliciter voluntaria etiam sit, aliquid participat contentiosæ iurisdictionis, quatenus ligare etiam potest, & punire.

## SECTIO IIII.

### *Quid sit indulgentia, seu quomodo propriè definienda sit.*

1. Indulgentię definitio. EX dictis concludimus quid sit indulgentia, quam sic possumus definire, est *quidam actus spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra sacramentum.* Quæ definitio omnia continet, quæ sufficiunt ad explicandã rationem huius actus, & distinguendum illũ à cæteris, & ferè ex superioribus satis declarata est. Vt autẽ res ipsa magis constet, nonnulla sunt circa illam obseruanda.

### *Sub quo genere indulgentia constituatur.*

2. Prima sentẽtia. ET primùm circa genus aduerto, varias esse opiniones Doctorum. Quidam enim definiunt, indulgentiam esse absolutionem, vel remissionem pœnæ rẽporalis, qui in hoc nobiscum conueniunt, quòd existiment esse actum iurisdictionis: addunt verò esse per modũ sententiæ, per quam à pœna absoluitur debitor. Caiet. tract. de Indulgẽtiis, qui est 15. primi tomi c. 1. & 2. Soto in 4. d. 21. q. 1. a. 1. latè Cordub. q. 3. de indulg. Angelus, Rosella, Armilla, & alij definientes indulgentiam per *remissionem* aut *relaxationẽ*. Et videtur hæc sententia probari in dict. c. *Quod autem*. vbi indulgentiæ *remissiones* vocantur, & solùm in subditos valere dicuntur, quia iudex tantũ sibi subditum absoluere potest: in quo significatur, indulgentiã esse iudicialẽ absolutionẽ. Ratione probatur, tum quia indulgẽtia est actus iurisdictionis & potestatis clauium, & non est actus ligandi, ergo est actus soluendi: ergo est absolutio, quia omnes actus clauium ad hos duos reducũtur: tum etiã, quia per indulgentiam infallibiliter (si clauis nõ errat) liberatur quis à reatu pœna temporalis, ergo

Caiet. Soto. Cordub. Angel. Rosel. Armil. Cap. Quod autẽ, de Pœn. & rem. Ratio.

A est vera absolutio à tali vinculo. Et confirmatur, quia in hoc videtur distingui indulgentia ab aliis Ecclesiæ suffragiis: nam etiam per suffragia liberatur is, pro quo offeruntur, à reatu pœnæ temporalis, tamen illud non fit absoluẽdo ex potestate iurisdictionis, sed quasi priuata donatione: indulgentia ergo liberat à pœna per modum absolutionis. Confirmat.

3. Secunda sententia. Alij existimãt indulgentiam non constitui essentialiter sub genere absolutionis, sed sub genere solutionis, quod per se non requirit iurisdictionẽ, sed æqualem debiti solutionem. Dur. in 4. d. 20. q. 3. & ferè Palud. q. 4. Sylvest. v. *Indulgentia*, §. 3. & 4. Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. Adrian. 4. q. de indulg. & tribuitur D. Th. in 4. d. 20. q. 1. a. 3. q. 1. vbi significat indulgentiã nõ esse absolutionẽ, sed distributionẽ de satisfactionibus Christi, & Sanctorum existentium in thesauro Ecclesiæ: & B ad 2. ait, qui indulgentiam suscipit, non absolui simpliciter à debito pœnæ, sed dari illi vnde debitum soluat: & ad 3. discrimen constituit inter absolutionem sacramentalem, & indulgentiam, quod absolutio sacramentalis est diminutio reatus, *& hic effectus*, inquit, *non inducitur per indulgentias, sed pro eo dans indulgẽtias, soluit pœnam, quam debebat de communibus Ecclesiæ bonis.* Dur. Palud. Sylvest. Anton. Adrian. D. Thom.

Fundamẽtũ. Fundamentum est, quia indulgentia nõ habet effectũ remittendi pœnas, nisi quatenus per eam applicatur de thesauro Ecclesiæ tanta quantitas satisfactionis, quanta necessaria est ad condignam solutionẽ, vt cõstat ex definitionibus Clementis VI. in Extrauag. *vnigenitus*, & Leonis X. in Bulla contra Lutherum suprà citatis: ergo indulgentia est solutio quædam debiti, nõ verò propria absolutio, si quis esset damnatus ad mortem, & alius solueret ingentem pecuniam, vt cũ ab illa pœna liberaret, non diceretur absoluisse reum ab illa pœna, sed pro eo potiùs soluisse. C Clem. 6. Leo X.

4. Obiectio cõtra illationẽ Sed obiici potest, quia illa duo non repugnãt in eodẽ actu: scilicet, esse solutionem, & absolutionem, quia potest fieri absolutio potestatiuè, vt sic dicam, coniũgendo solutionem. Sic enim sacerdos sacramentaliter absoluens, verè soluit iudicialiter, & nihilominùs ex Christi meritis, & satisfactionibus applicat quidquid necessarium est ad condignam solutionem, ita vt illa absolutio & remissio quanuis gratis fiat respectu peccatoris: respectu verò Christi fiat ex perfecta iustitia. Quorundã solutio. Responderi potest ex Palud. & Sylu. negãdo assumptũ: putant enim per absolutionem sacramentalem non applicari satisfactionem Christi, sed merè liberaliter fieri remissionem, quia aliàs, inquiunt, minùs liberalis D esset Deus cum hominibus. In hoc tamen errant, nam sacramenta non operantur, nisi in virtute Christi, & applicando merita & satisfactiones eius, vt in 1. & 3. tomo visum est, latiùs in primo, vbi ostendimus, sicut Christus satisfecit sufficienter pro omnibus, ita etiam satisfeciſſe efficaciter pro his omnibus, quibus peccata cum effectu dimittuntur. Multum etiã derogat illa sententia cõsilio diuino in misterio Incarnationis, quò voluit summam misericordiam cum perfecta iustitia coniungere in negotio iustificationis hominum. Neque in hoc est minus liberalis Deus, sed cum perfecta liberalitate, quod homini tribuit vnde soluat, coniungit iustitiam, non remittendo sine debita solutione. E Palud. Sylvest. Improbatur

5. Aliorum solutio. Alij respondent, esse discrimen inter remissionem sacramentalem, & per indulgentiam, quod illa innitur solutioni ex satisfactionibus solius Christi, & ideò habet vim efficacis absolutionis: indulgentia verò nititur in thesauro constante ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum: & ideò non potest simpliciter habere rationem absolutionis, quia ex satisfactionibus Sanctorum non potest oriri potestas absoluendi à pœnis peccatorum, sed ad summum potest oriri facultas applicandi illas satisfactiones per modum suffragij,

Soto. fragij, & solutionis. Quod ex parte indicat Sot. d. 21. q. 1. art. 2. ante conclus. 3. dum ait, quando dicitur virtute passionis Christi, & Sanctorum fieri remissionem per indulgentias, non esse intelligendum potestatem clauium inniti meritis Sanctorum, sed solius Christi. *Quare*, inquit, *si sola applicarentur Sanctorum merita, non esset absolutio, sed tantùm applicatio pretij, quo fieret solutio.* Vnde inferiùs ante solutionem argumentorum concludit, indulgentiam esse absolutionem à pœna temporali in virtute Passionis Christi extra sacramentum factam, indicans indulgentiam, quatenus fit ex satisfactionibus Sanctorum, non esse absolutionem, quia nulla absolutio dari potest, nisi in virtute Passionis Christi, & in nomine eius, iuxta illud 1. ad Corinth. 1. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine eius baptizati estis?*

1. Cor. 1.

6. Insufficiens reputatur responsio 1.

Veruntamen hæc responsio non expedit difficultatem propositam, primò quidem, quia indulgẽtiæ nũquàm cõceduntur ex solis satisfactionibus Sãctorum sine satisfactione Christi, sed indistinctè ex hoc thesauro ex vtrisque constante: nunquàm enim in forma concessionis talis distinctio fit, neque aliunde colligi potest, neque esset expediens: quia nec Sanctorum satisfactiones excludi debent propter eorum honorem, & nostram vtilitatem, quia nõnihil iuuant, vt infrà videbimus: nec satisfactio Christi excludi potest, tum quia sine illa thesaurus est finitus, & posset exauriri, & esse insufficiens; tum etiam quia sine illa nulla potest esse perfecta iustitia: sicut ergo absolutio sacramentalis includit solutionem ex satisfactione Christi, ita etiam indulgentia: ergo ex hac parte potest esse vera absolutio. Quòd autem etiam iuuetur satisfactionibus Sanctorum, non potest impedire veritatem absolutionis, quia infinita Christi satisfactio semper habet efficaciam suam. Nec potest ibi distingui aliqua pars pœnæ remissa per modum absolutionis, quia in re ipsa non est talis partitio, sed totum remittitur propter Christum, etiamsi nitatur remissio satisfactionibus Sanctorum. Propter quod Marsil. in 4. q. 12. concedit, etiam in absolutione sacramentali fieri solutionem ex meritis Christi, & Sanctorum: qui, licèt in eo erret, quia sacramenta, eorúmque efficacia soli Christo nituntur, vt infrà dicam; tamen in hoc verum habet, quod id non repugnat cum veritate absolutionis.

Marsil.

7. Impugnatur secundò.

Vnde argumentor secundò: num, licèt daremus indulgentiam aliquam concedi à Pontifice, applicando solum satisfactiones Sanctorum, hoc nõ impediret rationem absolutionis, in quo non placet sententia Soti. Probatur assumptum, quia aliud est congregatio thesauri, aliud vti illo thesauro ad remittẽdas illas pœnas: primum potuit pertinere ad sanctos, sua volũtate operantes superabundãter satisfactiones, & eas relinquẽtes in thesauro Ecclesiæ. Vnde clarum est, in eo actu nõ exerceri absolutionem aliquam, vel actum clauiũ, imò nec solutionem, quia nulla fit remissio, sed sola depositio tantę satisfactionis in thesauro Ecclesiæ. Secundum autem non pertinet ad Sanctos, sed ad Christum principaliter, ministerialiter verò ad Vicarium eius, cui ipse commisit eius thesauri dispensationem, & applicationem, vndecunque cõgregatus sit. Ille igitur qui concedit indulgentiam, etiamsi fingamus illam concedere ex solis satisfactionibus Sanctorum, verè soluit pro aliis, quibus tales satisfactiones applicat: ergo eâdem ratione dici poterit verè absoluere, quia eam solutionem facit actum iurisdictionis exercendo: vndecunque enim thesaurus congregatus sit, dispensatio eius non est, nisi ex potestate clauium. Ideóque talis indulgentia, & absolutio verè fieret in virtute, & nomine Christi, & non sanctorum: quia, licèt Sancti dederint pretium, vt sic dicam, non tamen potestatem ad absoluendum vtendo tali pretio, sed solus Christus: & ideò concedens indulgentias, non operatur in persona Sanctorum, sed in persona Christi. Tum etiam, quia, quod tales satisfactiones Sanctorum possint aliis prodesse & applicari, & infallibiliter acceptari à Deo, id totum Christus promeruit, ideóque principalis auctor talis absolutionis Christus est, proximus verò Vicarius eius per potestatem ab ipso acceptam. Quòd ergo indulgentia concedatur ex satisfactionibus Sanctorum, non repugnat quominùs absolutio esse possit, Vnde neque in decretis, aut bullis, vel priuilegiis, in quibus conceduntur indulgentiæ, vlla fit in hoc distinctio, sed eodem modo de illis est sermo.

8. Solutio vera.

Meliùs posset responderi pro hac opinione ad obiectionem contra eius rationem factam, non repugnare quidem solutionem coniungi cum absolutione, quando ipsamet forma solutionis est per modum iudicij & sententiæ, vt contingit in sacramento pœnitentiæ: secluſa autem illa speciali ratione iudicij, solutionem non habere secum coniunctam rationem absolutionis, vt in suffragiis manifestum est, quando vnus pro alio soluit, & in sacrificio Missæ, quod ex opere operato pœnam remittit, nõ per modum absolutionis, sed satisfactionis, vel redemptionis. Et in aliis etiam sacramentis, quę similiter remittunt pœnam ex opere operato, non quidem per modum absolutionis, sed cuiusdam spiritualis curationis & sanationis. In præsẽti autẽ indulgentiarũ cõcessio nõ exercetur per modũ iudicij aut sentẽtiæ, sed per modũ cuiusdã simplicis donationis, per quam vnicuique fidelium tantùm donatur de thesauro Ecclesiæ, quantum necesse habet ad soluendum Deo pro tali, vel tali reatu pœnæ: erit igitur indulgentia donatio quædam, seu dispensatio thesauri Ecclesiastici, seu suffragium auctoritate publica factum fidelibus, vt pro peccatis suis soluant, non tamen erit propria absolutio. Et confirmatur: nam indulgentia in vniuersali communis est pro viuis & defunctis, sed indulgentia pro defunctis non est absolutio; ergo neque indulgentia in communi potest per illud genus definiri.

9. Tertia sententia.

Propter hoc verò vltimum argumentum potest esse alia sententia, quæ distinguendum putet inter indulgentiam pro viuis, & pro defunctis, & priorem asserat esse veram & iudiciariam absolutionem: posteriorem autem minimè, sed esse tantum subsidium quoddam, quod per modum suffragij, pro defunctis offertur. Indulgentia autem in communi (iuxta hanc sententiam) definienda non est, sed diuidenda in illa duo membra: quia sunt diuersarum rationum, & distinctorum generum, per quę singula definienda sunt. Hanc opinionem obiter attigisse videtur Bellarminus lib. 2. de Purgatorio, capit. 16. vbi ait, indulgentiam pro defunctis nihil aliud esse quàm applicationem satisfactionum Christi, & Sãctorum: nam propterea dicitur concedi per modum suffragij, non absolutionis. Expressiùs docuit, & egregiè explicauit hanc sententiam idem illustrissimus Cardinalis in opere quod post hoc confectum ad nostras manus peruenit libr. 1. de Indulgent. capit. 5. Fundamentum autem huius sententiæ primò sumitur ex diuerso modo loquendi Pontificum, & Doctorum omnium de his indulgentiis: nam illæ, qui conceduntur pro viuis, simpliciter vocari solent remissiones relaxationes, & alia huiusmodi, quæ absolutionem significant. Imò Martinus quintus in vltim. sess. Concilij Constantien. *Absolutionem* plenariam eam vocat, & similes formę loquendi inuenientur in aliis rescriptis. Illæ verò quæ conceduntur pro defunctis, neque his vocibus appellantur, neque Pontifices dicunt se remittere pœnas defunctis, sed concedere talem indulgentiam viuis, vt

Bellarm.

Fundamentum.

Martinus V.

per modum suffragij possint eam offerre pro defunctis. Ratio verò est, quia Pontifex concedens indulgentiam habet directam iurisdictionem in homines viuentes, & ideò potest eos absoluere à peccatis, vel in sacramento, vel extra sacramentum secundùm diuersas potestates, quas habet, seu diuersos actus suæ potestatis: in animas verò Purgatorij non habet directam iurisdictionem, quia sicut per mortem constitutæ sunt extra statum viæ, ita etiam sunt extra forum Ecclesiæ militantis, ideóque directè non subsunt iurisdictioni eius: ergo indulgentia respectu earum non potest habere rationem absolutionis, sed suffragij.

## *Quæstionis resolutio.*

10. Indulgentias viuorũ sub absolutione constitui.

DOCTRINA huius vltimæ sententiæ quoad illa duo membra nobis probatur, quoad definitionem autem indulgentię in communi, aliquid ei addendum est, quod in definitione à nobis data est insinuatum. Explico singula: nam in primis verum censeo indulgentias viuorum esse absolutiones à reatu pœnæ temporalis: in quo conuenit hæc tria sententia cum prima, quæ de his indulgentiis sine dubio loquitur, & sufficienter probatur ex omnibus dictis, præsertim ex locutionibus Pontificum, quæ possunt cum proprietate intelligi. Et declarantur præterea in hunc modum: nam Pontifex concedens viuo indulgentiam pro seipso, non donat illi tantam quantitatem satisfactionis, vt eam possit pro suis peccatis offerre, & per eam soluere pœnam debitam, sed immediatè liberat subditum à tali reatu pœnæ, vtens potestate iurisdictionis ad hoc sibi concessa: & ideò ibi non interuenit propria donatio alienæ satisfactionis facta ei, cui conceditur indulgentia: sed interuenit potiùs condonatio proprij reatus in virtute satisfactionis repositæ in thesauro Ecclesiæ: neque etiam interuenit quasi oblatio illius satisfactionis facta Deo, vt ipse remittat alteri pœnam, ad eum modum quo in suffragiis fieri solet: sed interuenit etiam remissio facta à Christi Vicario, vice ipsius Christi, seu (quod idem est) facta à Christo per ipsum: ergo nihil ibi deest ad veram rationem absolutionis, & remissionis. Denique hic modus est possibilis, & maximè consentaneus potestati clauium Ecclesiæ, & communi modo, ac formæ, quo illa exercetur, & nullum habet inconueniens, cur ergo negandus est? Neque verò multum curandum est, an vera ratio iudicij & sententiæ in concessione indulgentiæ intercedat, tum quia hîc non contendimus esse absolutionem per modum particularis sententiæ, qualis proferri solet inter partes, seruato iudiciario ordine iuxta exigentiam talis foris, quo modo remissio sacramentalis est vera absolutio, sed contendimus esse absolutionem, id est, efficacem remissionem pœnæ immediatè factam per voluntatem & declarationem Vicarij Christi vtentis potestate iurisdictionis sibi à Christo concessa. Tum etiam quia non immeritò talis concessio potest dici quędam sententia interlocutoria, & absolutoria, quam iudex profert sine ıtrepitu iudicij contentiosi, aut vindicatiui vtendo benigna condonatione propter iustas causas, & simul, ac in actu exercito, vt sic dicam, bona ex communi thesauro applicando, quantùm necessarium est: hæc enim sententia partem hanc non excludit, vt rectè sensit Bellarm. suprà ita interpretans Auctores eius.

11. Indulgentiã incõmunicatione conuenire, & ideò vnica definitione posse definiri.

Altera pars de indulgentia pro defunctis pro nunc sufficienter probata est referendo tertiam sententiam: inferiùs enim in specie de hac indulgentia dicendum est in propria disputatione. Iam verò declaratur vltima pars: quia indulgentiæ pro viuis, & defunctis non ita sunt diuersarum rationum, quia sub aliqua communi conuenire possint. Neque enim quando de indulgentia abstractè & in communi loquimur æquiuocè loquimur, solúmque vtimur communi nomine, sed conceptum aliquem habemus communem, ratione cuius multi effectus, causæ, & proprietates vtrique indulgentiæ communes sunt. Propter hanc ergo causam non sum vsus in definitione nomine absolutionis, & applicationis, sed in communi dixi, esse actum clauium, quo mediante liberatur peccator à reatu pœnæ temporalis: nam hoc vtrique indulgentiæ conuenit, quatenus ea liberatio fieri potest & per modum absolutionis, & per modum suffragij, distinguiturque per hoc genus indulgentia quælibet ab omnibus suffragiis, quæ indulgentiæ non sunt: nam illa non sunt actus clauium, aut iurisdictionis, non enim fundantur in potestate soluendi à Christo data, sed sunt actus charitatis, in cuius vnione & communicatione fundantur. Continetur que sub ea definitione non tantùm indulgentia concessa omni viuẽti pro seipso, vel pro alio defuncto, vel etiam pro alio viuo: nam hæc etiam per modum suffragij concedi solet, vt infrà declarabimus, non tamẽ sine actu iurisdictionis, & vsu clauium. Aliquibus autem videtur, genus hoc non fuisse declarandum per actum iurisdictionis, quia definitiones debent esse communes omnium conceptiones, & ideò dari non debent per ea, quæ in controuersia versantur, quale est, an indulgentia sit iurisdictionis actus. Vernntamen non censeo de vnius vel alterius dicto curandum, quando cæterorum omnium est concors sententia, atque ita fundata, vt singulare dictum vnius nec probabile habeat fundamentum. Huiusmodi autem esse existimo sententiam hanc, quòd indulgentia sit actus iurisdictionis: & ideo meritò ac securissimè potuit loco generis constitui. Quòd si quis velit ampliùs ab opinionibus abstinere, dicat, indulgentiam esse *concessionem virtute clauium factam, qua mediãte liberatur peccator ex opere operato, seu ad modum eius à reatu pœnæ temporalis extra sacramentum.* Et hæc sufficiunt ad explicandum genus indulgentiæ.

## *De differentia indulgentiæ constituta.*

12. Caietani opinio reiicitur

CIRCA differentiam, quæ definitionem indulgentiæ complet Caiet. in dict. Opusc. de Indulgentiis cap. 2. definit indulgentiam esse absolutionem à pœna iniuncta in foro pœnitentiali. Sed ille procedit ex falsa sententia, quam sequẽti disputatione referemus, vbi ostendemus indulgentiam non tantùm esse remissionem pœnitentiæ iniũctæ, imò, si nihil aliud remittatur quàm pœnitentia iniuncta, illam non esse propriè indulgentiam, etiamsi talis remissio extra sacramentum fiat, quidquid aliqui dicant: idem enim confessor, qui pœnitentiam iniunxit, potest illam remittere, etiamsi non possit propriam indulgentiam concedere. Soto verò d. 23. q. 1. art. 1. ita definit. *Indulgentia est Ecclesiastica relaxatio pœnæ pro peccato debitæ, quæ extra sacramentum fit.* Quæ quidem definitio in vltima differentia cum nostra conuenit, & statim à nobis declarabitur. Simpliciter autem videri potest tota definitio conuenire remissioni pœnæ, quæ fit per suffragia: nam etiam illa fit extra sacramentum. Verũ tamẽ si genus illud *Ecclesiastica relaxatio*, in bono sensu accipiatur, per illud videntur excludi omnes illæ remissiones, quæ indulgentiæ propriè non sunt, ideò enim relaxatio illa Ecclesiastica dicitur: quia debet fieri virtute clauium. Quod explicauit idem Soto in ar. 2. proximè ante solutionem argumẽtorum, dicens, collationem indulgentiarum esse absolutionem à pœna temporali virtute passionis Christi, non applicatæ

Soto.

catæ per suum instrumentum, id est, per sacramentum, sed per peculiarem Ecclesiæ facultatem: atque hoc sensu parum dicta definitio à nostra differt. Et eâdem ferè habet Medina disp.4.de indulgent. cap. 11. quanquàm plures alias particulas, quæ nobis necessariæ non videntur, addat, vt statim adnotabimus: & ponat loco generis *compensationem*. sentiens indulgentiam nunquàm concedi per modum absolutionis. Aliam definitionem habet Cordub. q. 3. de Indulg. quam latissimè explicat, aliam Henricus quodlib. 15. q.2.aliá Alex.Alens.4.p.q.83. membr.2.Alias refert, & explicat Albert.d.20.art.16. Sed illas omitto, quia reuerà sufficientes non sunt, & quam maximè Albertus approbat, cũm definitione à Caietano data coincidit.

Medina.

Corduba. Henric. Alens. Albert.

13. Propria indulgentiæ differentia.

Igitur in definitione à nobis proposita loco differẽtiæ vltimæ positum est, quòd hæc pœnæ relaxatio, quæ per indulgentiam fit, extra sacramẽtum fiat: nam per hanc particulam, suppositis prioribus, sufficienter declaratur, & distinguitur indulgentia ab omni remissione pœnæ temporalis, quæ indulgentia non est. Per indulgentiam ergo dicitur liberari peccator à reatu pœnę, quia indulgentia, vt sic, nõ liberat à culpa, sed supponit illam remissam, de quo infrà videbimus. Et inde necessariò fit, talem pœnam debere esse temporalẽ, nec posse esse æternam, quia pœna æterna nõ per se, sed simul cum culpa remittitur, & ideò non per alia remedia tollitur, nisi per ea, quibus remittitur mortalis culpa. Additum verò est, hanc pœnam esse debitam in foro Dei, & in eodem fieri remissionem hanc, quia etiam post peccatum remissum potest manere reatus pœnæ temporalis in foro humano, ciuili, vel Ecclesiastico, cuius remissio à prælato liberaliter facta suo modo vocari potest indulgentia, non est tamen illa de qua nunc tractamus. Debet ergo hæc pœna esse debita ex lege diuina, & luenda in Purgatorio, si pro illa in hac vita aliquo modo non satisfiat: reatum ergo huius pœnæ tollit indulgentia: & ideò dicitur tollere pœnam in foro Dei, quia pœnam ipsam lege diuina taxatam tollit, Deo ipso annuente, seu principaliter remittente.

A qua pœna liberet indulgentia.

14. Particulam ordinariæ pœnæ, à Medina additã ad indulgẽtię definitionem, nõ esse necessariã.

Addit verò Medina suprà particulam quandam, scilicet, *ordinaria pœna*: supponit enim quasdam esse pœnas ordinarias, quæ in vindictã peccati lege diuina statutæ sunt, aliàs verò esse extraordinarias, quæ absque certa lege pro diuinæ voluntatis arbitrio interdum peccatoribus inferuntur, quales esse solent aliquæ pœnæ huius vitæ, vt in peccato Dauid fuit mors filij, & similes. Vt ergo significetur, per indulgentias remitti ordinarias pœnas, non verò extraordinarias, purat particulam illam in definitione esse addendam. Sed non inficior compensationem, seu remissionem pœnæ temporalis ex vi indulgentiarum solùm fieri de pœna ordinaria in Purgatorio sustinẽda ex præscripto diuinæ legis, quia aliæ pœnæ, sicut sub certam legem non cadunt, ita nec de eis remittẽdis, vel commutandis in alia remedia facta est certa aliqua lex, aut promissio. Imò aliquando tam definita Dei voluntate statuuntur, vt propter nullam causam, vel orationem condonentur, vt in commemorato facto Dauid videre licet. Nego tamen propterea necessarium esse, particulam illam in definitione addere, tum quia iuxta subiectam materiam cõstat sermonem esse de hac pœna, quia sermo est de remissione pœnæ, pro qua fieri posset condigna satisfactio per se, vel per alium: ostendimus autem hanc condignam satisfactionem solùm habere locum in ordinariis pœnis; tum etiam, quia nulla est remissio, quæ virtute clauium fieri possit circa extraordinarias pœnas, vt propterea necessarium sit addere illam particulam ad distinguendam indulgentiam à tali remissione. Igitur quanuis simpliciter sit sermo de pœna, intelligitur de ea pœna, quæ sub potestatem clauium cadere potest: quod non est necessarium explicitè declarare in definitione, quia non omnia in ea declarãda sunt, sed ea tantùm quæ ad cõstituendũ definitũ, illudq; ab alio distinguendũ sufficiunt, alioqui esset prolixissima, & redundans. Sicut etiã per indulgẽtias non tollitur medicinalis pœna, sed satisfactoria, seu vindicatiua, non tamen necesse est id in definitione explicare, quia medicinalis pœna nullo medio remitti solet: talis enim remissio potiùs esset supplicium, quàm fauor vel indulgentia. Addo denique, etiamsi quis maximè illã particulam desideret, satis insinuari per alterã, *in foro Dei*, quia nulla pœna dicitur propriè debita in foro Dei, nisi quæ aliqua certa Dei lege taxata est, ac definita. Dũ ergo dicitur hæc remissio esse in foro Dei, satis indicatur cuius pœnæ futura sit.

15. Aliæ particulæ non necessariæ ab indulgentiæ definitione reiiciuntur. Nauar.

Idem dicendum censeo de alia particula, quæ frequenter ab Auctoribus additur, videlicet, quòd hæc remissio fiat ex Ecclesiastico thesauro, vt inter alios addit Nauarrus in Commentario de Indulgent. notab.20. qui etiam ponit in hac definitione, indulgentiam debere concedi à prælato Ecclesiæ, & ob rationabilem causam. Verùm quæ ad causas extrinsecas pertinent, non sunt in definitione ponenda. De priori verò particula aliqui necessarium putant addere, quòd fiat ex thesauro constante ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, vt per hanc particulam differat hæc remissio ab illa quæ fit in sacramentis, vel sacrificio: illa enim fit ex solis meritis & satisfactionibus Christi, hæc verò etiam ex satisfactionibus Sanctorum. Et ratio differentiæ est, quia sacramenta, & sacrificium sunt Ecclesiæ fundamenta, quam solùs Christus sanguine suo fundauit, & ideò solum voluit, vt in suo merito, suaque potestate excellentiæ niterentur: extra sacramenta verò voluit honorare Sanctos suos, & modum instituere, quo possent eorũ abundantes satisfactiones per claues Ecclesiæ aliis applicari, & prodesse. Atq; ita illa particula rectè separat remissionẽ indulgentiarum ab omni remissione sacramentali. Hæc sententia, quoad differentiam, quam declarare intendit, vera est. Opinor tamen clariùs & meliùs declarari per particulam à nobis positam, scilicet, *extra sacramentum*, & hac posita, aliam non esse necessariam. Primùm ex terminis patet: solùm aduerto, maximè positam esse particulam illam propter sacramentum Pœnitentiæ: nam cætera satis excluſa videri poterunt per ipsum genus: nam in sacrificio, & aliis sacramentis, per se non interuenit actus clauium, nec est necessaria iurisdictio, nisi vt rectè & ordinatè fiant, & ideò per illam particulam excludi etiam potuerunt omnia sacramenta. Maximè tamẽ posita est propter sacramẽtũ pœnitẽtiæ, in quo intrinsecè, & substantialiter, vt sic dicam, exercetur actus iurisdictionis spiritualis, virtute cuius remittitur ex opere operato temporalis pœna, vel simul cũ culpa, vel interdum etiam relicta post dimissam culpam: illa tamen non est indulgentia, sed excellentior quædam remissio & absolutio, scilicet sacramentalis. Extra sacramentum verò nullo alio modo fit remissio temporalis pœnæ virtute clauium, & ad modum operis operati, nisi per indulgentiam: ergo posita illa particula, satis completur definitio indulgentiæ.

16. Nõ esse necessarium in definitione addere particulam, extra sacramẽtalia

Dices, per sacramentalia remittitur aliquando aliquid pœnæ temporalis ex vi institutionis Ecclesiasticæ, addendum ergo fuisset, *extra sacramenta, & sacramentalia*. Respondetur negando assumptum, nisi contingat vsui alicuius sacramentalis adiunctam esse indulgentiam ex concessione Ecclesiæ. Vt, v.g. in tẽpli dedicatione, vel Episcopali benedictione dicuntur concedi quadraginta anni indulgentiæ, quæ remissio

missio non fit per ipsum sacramentale, formaliter loquendo, sed concomitanter per indulgentiam illi adiunctã. Quomodo etiã in sacramento, verbi gratia, communionis, contingit dari indulgentiam plenariam, si ad vsum sacramenti accedat concessio Ecclesiæ: sed illud non est per se, sed tantùm concomitanter, & ideò talis remissio formaliter etiam fit extra sacramentum: sufficienter ergo per particulam illam completa est ratio indulgentiæ. Non addidi verò ilã particulam, *de thesauro Ecclesiæ*, aut, *de meritis Christi, & Sanctorum*, aut, *de alienis meritis*, vt alij aiunt, quia in primis omnes istæ particulæ necessariæ non sunt ad distinguendam remissionem indulgentiæ ab aliqua alia, vt ex dictis patet. Deinde particula, *de alienis meritis*, cõmunis est omni remissioni peccatorũ, quę fit sine propria satisfactione eius, cui remissio donatur, quia nulla fit nisi ob alienã satisfactionẽ alteri applicatam, vt in materia de satisfactione, & de suffragiis diximus. Et de remissionibus, quæ in sacramento, vel sacrificio fiunt, verè dici potest fieri *ex thesauro Ecclesiæ*, saltem quatenus constat ex Christi meritis, & satisfactionibus: licèt autem non fiant ex satisfactionibus Sanctorum, tamen cùm ad rationem indulgentiæ parum hoc referat, quid necesse est in illius definitione hoc inuoluere? Maximè, quia licèt fingeremus applicari ex Christi institutione per sacramentum pœnitentiæ, non tantùm satisfactiones Christi, sed etiam Sanctorum, nihilominùs illa non esset indulgentia, sed altioris ordinis remissio: scilicet sacramentalis, & ex diuino iure immediatè proueniens, cum tamen indulgentiæ remissio proximè, & immediatè semper proueniat ex hominis concessione. Et è conuerso, licèt per possibile, vel impossibile consumptæ essent omnes satisfactiones Sanctorum, quæ erant in thesauro Ecclesiæ, & ex solis Christi satisfactionibus fieret similis concessio extra sacramentum, virtute clauium, illa nihilominùs esset vera indulgentia, vt per se notum est.

Particulam, de thesauro Ecclesiæ, & similes, non esse necessariss in hac definitione.

17. Non esse in hac definitione ponẽdum, pœnã debere esse ex culpis remissis relictam.

Vltimò explicari solet in hac definitione pœnam hanc, quæ per indulgentiam remittitur, debere esse relictam ex peccatis priùs remissis quoad culpam. Quæ quidem doctrina in se verissima est, sed adeò clara, vt ob eam rem non oportuerit definitionem pluribus particulis onerare. Nam in eo ipso quod dicitur per indulgentiam dari remissionem pœnæ temporalis, indicatur non dari remissionem culpæ, quanuis hoc etiam posteà disputandum, & probãdum sit. Rursus per se notum est in foro Dei non remitti pœnam, nisi remittatur, vel iam supponatur remissa culpa, quia quandiu manet culpa, tandiu manet homo dignus pœna, cùm ergo indulgentia remittat pœnam in foro Dei, & per se non valeat remittere culpam, necesse est vt illa pœna sit ex his, quæ relinqui solent post remissam culpam: atque ita totum hoc sufficienter in prædicta definitione continetur. An verò necesse sit culpam, cuius pœna per indulgentiam remittitur, esse iam dimissam, quando sit necessariũ ad indulgentiam lucrandam, vel sufficiat posteà dimitti ante indulgentiæ effectum: item an hoc necessarium sit, non solùm in culpa, quæ est causa talis pœnæ, sed etiã de quacunque alia cõcomitante mortali, quæstiones sunt infrà tractãdæ, nõ verò in definitione inuoluẽdæ, & ideò de definitione indulgẽtiæ hæc sufficiũt. De diuisione autem tractãdo de effectibus dicemus.

## SECTIO V.

### *Vtrùm Indulgentiarum vsus, vel iustitiæ, vel perfectioni repugnet.*

QVÆSTIONEM hanc expediemus commodè satisfaciendo nonnullis difficultatibus, in principio ferè disputationis positis, quæ illam attingunt, & illis nondum responsum est. Erat ergo prima difficultas, quomodo possit Ecclesia soluere quod non ligauit: videtur enim hoc iustitię repugnare, quia potestas ligandi & soluendi proportionem inter se seruare debent: at Ecclesia, nec imposuit, nec taxauit pœnas debitas in foro Dei: ergo nec tollere potest. Respondetur autem idem argumentum fieri posse de remissione pœnarum per sacramentum, quia etiam Ecclesia non taxauit illas pœnas. Dicendum ergo est, potestatem soluendi latiùs interdum patere potestate ligandi: Pontifex enim soluit hominem à voto, quamuis ipse illum non ligauerit. Probabile etiam est, aliquando posse Pontificem soluere hominem ab obligatione ex iure diuino proueniẽte, atq; ita posse soluere quod non ligauit. Vnde secundò dicitur potestatem ligandi, vt sit adæquata potestati soluendi, non semper sumendum esse positiuè, sed interdum priuatiuè, sicut de potestate retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ declarauimus. In præsenti ergo licèt Ecclesia non liget per se ad pœnas Purgatorij, potest tamen quodammodò retinere illas quantùm ad vsum huius potestatis, vel iusta de causa non concedendo indulgentias, vel reuocando concessas, vel aliquem illarum vsu & fructu priuando.

1.

Nisi potestas ligandi priuatiuè sumatur.

Secunda difficultas erat, quomodo possit Ecclesia legem à Deo statutam irritam reddere, aut eius præscriptã volũtatem immutare. Sed hæc difficultas obiici etiã potest contra omnem effectum suffragiorum, imò & contra omnes satisfactiones iustorum. Dicendum est ergo, in hac lege diuina pœnã Purgatorij taxãte non interuenisse efficacẽ, & omninò absolutam Dei volũtatem statuẽtem, vt omnis qui semel cõtraheret reatum talis pœnæ, illã in specie omninò sustineret, neq; aliter posset illo reatu liberari: sed adiũctã esse conditionẽ, nisi pro suis peccatis satisfaceret, vel aliis modis ab ipso Deo concessis plenã peccatorum veniã cõsequeretur: ex quibus modis vnus est per indulgentias, quarum cõcessio licèt ab homine fiat, nõ tamẽ nisi vt ministro Dei, vtente potestate à Christo concessa. Ideóque indulgẽtiarum vsus neq; est cõtra diuinã legẽ, neque illã irritã facit, sed est fauor quidã ipsamet diuina lege permissus, & ad eius rigorẽ temperandum humanæ fragilitati valdè accommodatus.

2. Soluitur secunda difficultas.

Diuina lex pœnas taxãs nõ est absoluta sed cõditionata.

Ex quo facilè soluitur tertia difficultas, nimirũ videri nimiã, & superuacaneã tã liberalem indulgentiã, cùm sint in Ecclesia tot alia media, per quæ possint pœnæ peccatorũ remitti. Respondetur tamen, hoc argumentum ad summum probare hoc medium non esse simpliciter necessarium, non tamen non esse valdè vtile, & (vt Concilium Tridẽtinum dixit) *Christiano populo maximè salutare*. Quod non solùm verum est propter proprium fructum per se intentum per indulgentias, qui est remissio pœnarum, sed etiam propter multa bona opera, quæ occasione, & desiderio talis fructus à fidelibus exercẽtur. Exercetur enim fides in Christum, & circa pœnas peccatis debitas, & circa valorem meritorum Christi, & potestatem ab ipso datam ad peccata tolleda. Ea etiã occasione crescit cultus, & religio, non tantùm Christi, sed etiam Sanctorum, & obedientia, & amor erga Christi Vicarium. Quæ est moralis congruentia non contemnenda, indulgẽtiarum potestatem valdè credibilem faciens: quilibet enim Rex, quia regna, vel prouincias longinquas per Proreges gubernat, eis concedit facultatem aliquam distribuendi aliqua bona, vel fauores aut priuilegia aliqua concedendi subditis. Cùm ergo Christus Vicario suo non dederit tẽporalia

3. Tertia difficultas soluitur.

Rationes ob quas expedit tam liberalis indulgẽtiarũ concessio.

poralia bona, quæ posset destribuere, decuit maximè vt saltem daret facultatem elargiendi aliqua spiritualia, quibus Christianum populum sibi beneuolum redderet. Denique, est alia vtilitas in hac gratia, quia spe & desiderio consequendi illam, aliqua opera pietatis, orationis, & pœnitentiæ exercent fideles, & se ad iustitiam disponunt per contritionem, vel etiam per confessionem, atque interdum etiam ad Eucharistiam accedunt: quæ omnia absque huiusmodi fiducia non facerent, vt experimẽto constat. Et quanuis fortasse aliqui ea occasione satisfactiones aliquas, vel pœnitentiæ opera pro peccatis suis facere omittant; id tamen est per accidens, & vt ergo opinor, spirituales viri, dum indulgentias lucrantur, potiùs inde magis excitantur & promptiores redduntur ad pœnitẽtiæ opera: qui verò illa occasione hæc omittunt, vel æqua facilitate id facerent, vel diutiùs in suis peccatis manerent sine indulgentiarum vsu. Accedit tandem alia publica vtilitas, quia cùm sæpiùs sint in populo Christiano plures calamitates & afflictiones, hoc medio excitat Ecclesiæ fideles ad purgandos animos, & exorandum Deũ, vt ea mala seu calamitates auertat.

4. Caiet. Cordub. Soto.

Vltimò ex dictis expeditur dubium tractatum à Caietano tom. 1. Opusc. tract. 10. qu. 2. & Cordub. qu. 40. de Indulgen. & Soto in 4. d. 22. qu. 2. art. 1. in fine, nimirum, an liceat, vel magis expediat vsus passiuus indulgentiarum, id est, operari ad lucrandas illas. Certissimum enim ac de fide est, ex suo genere bonum & optimum id esse, tum quia si indulgentias concedere sanctum est, etiam illas recipere: tum etiã, quia frui thesauro Christi, modo ab ipso concesso & instituto, sanctum est. Tum denique, quia opus, quod fit ad lucrandam indulgentiam, ex suo genere sanctum & bonum est, vt supponimus: & finis etiam ille est bonus, cùm pertineat ad maiorem animæ puritatem, & ad tollendum impedimentum gloriæ. Propter quæ etiam censeo certum, tale opus non posse dici imperfectionis, seu imperfectum. Duplici enim de causa hoc potest attribui alicui operi, scilicet, vel quia impedit perfectius opus, vel quia caret aliqua perfectione. Primum hîc dici non potest, quia per se euidens est hoc studium indulgentiarum per se non excludere alia perfectionis opera. Secundum etiam hîc locum non habet, quia si sit sermo de carentia priuatiua, id est, perfectionis debitæ, falsum est, quia potest quis lucrari indulgentiam nihil eorum omittendo, quæ ad talis operis perfectionem necessaria sunt. Si verò sit sermo de carentia negatiua, est impertinens, quia hoc modo quidquid est præter Deum, imperfectum est.

5. Dices, nullo ex his modis vocari hoc opus imperfectum, sed in genere satisfactionis: quia talis modus satisfaciendi Deo pro culpa commissa, imperfectus est. Respondeo primò, acquisitionem indulgentiæ non impedire quominùs possit homo, si velit, propriam & personalem satisfactionem exhibere per propria opera pœnalia, & ita hoc lucrum ex se nullam perfectionem excludit. Deinde nego illam satisfactionem esse imperfectam, alioqui etiam satisfactio, seu remissio pœnæ per sacramenta, vel sacrificium esset imperfecta, quia non fit iuxta mensuram proprij laboris seu pœnæ, sed infra illam: id autem falsum est, quia fit perfectissima compensatio ex satisfactionibus Christi. Sic ergo in præsenti in hoc sensu fit perfecta satisfactio, seu potiùs solutio. Nam satisfactio in rigore connotat habitudinem ad hominem operantem: in quo sensu verum est, eum, qui lucratur indulgentiam non perfectè satisfacere; illa verò, vt dixi, tantùm est imperfectio negatiua, quæ non excludit, quin talis satisfactio aliter exhiberi possit, neque aliud quidpiam ad perfectionem necessarium est. Quin potiùs assero, exhibere satisfactionem per propria opera pro reatu pœnæ temporalis, si alioqui ex satisfactionibus Christi, vel Sanctorum facta est condigna solutio, per se non pertinere ad perfectionem sanctitatis, aut charitatis, quia iam sufficienti modo comparatus est ille effectus: ipsa verò opera continentia talem satisfactionẽ, conferunt maximè ad perfectionem, vel propter eorum merita, vel propter comparandas virtutes, moderandas passiones, & vitia præcauenda, vel propter conformitatem cum Christo in passionibus & doloribus, quæ possint aliis ad remissionem prodesse; denique ad exercendam charitatẽ, & promptitudinem voluntatis satisfaciendi Deo, ac si pœnam non remisisset: quæ omnia propter acquisitionẽ indulgentiarũ nec impediũtur, nec minuuntur: nulla ergo ratione dici potest imperfectus ille actus.

6. Nũ religiosis expediat indulgẽtias lucrari.

Ex quo etiam (vt hoc obiter dicamus, quia res est facilis) cessat illa quæstio vulgaris apud Scholasticos, an indulgentias lucrari consentaneum sit statui religiosorum: omninò enim affirmandum est, nam etiam illi possunt indigere huiusmodi subsidio, & nihil repugnat, per se loquendo, statui eorum, vt declaratum est. Quòd si aliquando opus aliquod requisitum exercere non valẽt, talem quidem indulgentiam obtinere non poterunt, nisi in ipsa exprimatur, vt infrà dicemus: tamen id non prouenit ex eo quòd lucrari indulgentias repugnat statui perfectionis, sed quia talis indulgentia hîc & nunc pro illis non est concessa, seu non est illis accommodata.

7. An sit consultius pecuniã in eleemosynã dare, quàm subsidiũ ad lucrandam indulgentiam.

Cessat præterea alia quæstio, quam Caietanus in dict. Opusc. q. 3. tractat, nimirum, an sit meliùs dare argentum, v. g. in eleemosynam, quàm dare in subsidium ad consequendam indulgentiarum: hæc enim comparatio, vt rectè fiat, non debet fieri inter actus in indiuiduo, sed ex suo genere. Nam in indiuiduo aliquando potest esse, non solùm melius, sed etiam necessarium ad bonitatem moralem dare eleemosynam, prætermissa indulgentia, si vtrumque fieri non potest, vt si præceptum de eleemosyna pro tunc vrgeat. Aliquando etiam, quanuis circunstantiæ non obligent ad præceptum, tales esse possunt, vt hic & nunc consultius sit dare eleemosynam, quàm lucrari indulgentiam: aliquando verò mutatis circunstantiis, potest hoc esse melius. Sicut Magdalena meliùs fecit vngendo corpus Christi, quàm si vnguentum illud pro pauperibus reseruasset, vt Christus ipse Matth. 26. significauit. Loquendo autem ex genere, censeo esse meliùs, subsidium facere ad consequendam indulgentiam, tum quia tale opus ex illo fine ad pœnitentiam spectat, cuius munus est, diuinam recompensationem & solutionem intendere, licèt sub aliis motiuis possit etiam esse à charitate, vel spe, quæ omnes sunt virtutes perfectiores misericordia. Ex fine etiam intento à Pontifice regulariter tale opus aut est religionis, aut iustitiæ legalis, aut charitatis ad commune bonum, & ideò ex suo genere melius est. Mat. 26.

8. Sitne opus maioris charitatis, velle satisfacere in Purgatorio, quàm lucrari indulgentiam.

Cessat denique interrogatio, quam attigit Soto in fine dicti art. scilicet, an sit opus maioris charitatis ad Deũ, velle in Purgatorio soluere per rigorosam pœnam, quàm ex alieno soluere per indulgentiam. Ad quam ipse respondet, considerata solùm pœna sensus, videri illud maioris charitatis, ob tollendam tamen pœnam damni, & impedimentum visionis beatæ, quã maximè appetit charitas, simpliciter melius esse velle liberari ab illo reatu quocunque modo. Ego autem non video quomodo ad charitatem pertineat velle pati pœnas Purgatorij, aut per illas soluere, potiùsquàm per quamcunque aliam satisfactionẽ propriam, vel alienam, quia in illis pœnis nõ erescit charitas, neque in illis est conformitas ad Christum, neque

que pro aliis est aliqua vtilitas, sed solùm ad purificandam animam vtiles sunt: quacunque ergo alia via hoc perfectè fiat, eligibilius est etiam ex charitate, quia, omnibus pensatis, melius est purificationem hanc fieri in hac vita, quàm in alia, si cætera paria sint quoad meritum, & augmentum charitatis.

## DISPVTATIO L.

### *De effectu Indulgentiarum.*

PRIVSQVAM de causis indulgentiarum dicamus, dicèdum est de illarum effectu, quoniam proximè coniũctus est cũ propria ratione, & quasi essentia indulgentię. Vnde inter eam explicãdam multa suppoſuimus, quæ nõdum probata, nec satis explicata sunt. Hoc ergo in præsẽti disputatione perficere necesse est. In qua præcipuè tractandũ est, scilicet quis, & quotuplex sit hic effectus, vbi obiter cõstabit quotuplex sit indulgẽtia. Quomodo autem hic effectus fiat, tractare non est necesse; fit enim per simplicem hominis concessionem, vt satis in præcedenti disputatione declaratum est: ideoque solùm fit morali modo, non physico: nam & ipse effectus omninò moralis est, neque alium modum causalitatis requirit, vel admittit.

## SECTIO I.

### *Vtrùm effectus indulgentiæ extendi possit vsque ad culpam.*

1. Ratio dubitandi. Mat. 16.

RATIO dubitandi sumi potest ex verbis Christi Matth. 16. quibus potestatem concedendi indulgentiam probauimus, *Tibi dabo claues Regni cœlorũ, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Nam, si argumentum superiùs à nobis factum ad potestatẽ indulgentiarum probãdam ex vniuersitate & amplitudine horum verborũ efficax est, perinde probare videtur eam potestatem extendi ad indulgendas culpas, quia culpa est maximũ impedimentũ ingrediendi Regnũ cœlorum: & signũ illud distributiuũ, *quodcunque*, omnia hæc impedimẽta complectitur: ergo clauis illa valet etiã ad tollendum hoc obstaculum, & potestas illa ad soluendum hoc vinculum. At verò potestas ibi promissa nõ est illa sacerdotalis, quæ data est Ioan. 20. solúmque operatur in sacramẽto; sed est illa pastoralis, quę data est Ioan. 21. & operatur extra sacramentũ, vt suprà insinuauimus: sub qua cõtinetur potestas cõcedendi indulgẽtias: ergo illa etiã ad remissionẽ culpæ extẽdi potest. Cõfirmatur ex tenore Iubilæorum, vel aliorũ priuilegiorũ, quibus hæ indulgẽtiæ concedũtur, absolutè enim promittũt remissionẽ peccatorũ, quæ simpliciter dicta nõ est nisi remissio culpæ: & interdũ distinctè cõcedunt integram absolutionem à culpa, & à pœna: ergo vtrunque potest indulgẽtia remittere. In contrarium verò est cõmunis vsus & sensus Ecclesiæ: nam indulgentiæ solùm ad remissionem pœnarum temporaliũ valere cẽsentur. Atque hoc etiã probat definitio indulgentiæ superiùs data, quæ ex hoc vsu & communi consensu Doctorum sumpta est.

### *Prima conclusio.*

2. Posterior conclusionis pars suadetur.

DICENDVM est primò, indulgentiam per se non posse conferre remissionem culpæ mortalis, concomitanter verò aliud interdum secum affert, quòd ad illam faciliùs consequendam prodest. Hæc posterior pars est facilis, nam interdum cum indulgentia conceditur facultas absoluendi à peccatis reseruatis, vel à censuris, vel ad commutanda vota, vel interdum etiam alia debita, & restitutiones cõponendas; quæ omnia multùm iuuant ad faciliùs obtinendã veniam & absolutionem culparum, quæ facultates non sunt indulgentiæ propriè loquendo, sed alia priuilegia, quæ quatenus ad indulgentiam disponunt, adiunguntur. Addo etiam ad indulgentiam obtinendam sæpe postulari opera, per quæ remissio culparum obtinetur, tunc autem indulgentia non est causa per se & formalis (vt ita dicam) vel efficiẽs talis remissionis, de qua causa prior pars conclusionis intelligitur. Quæ certa est de fide, vt existimo. Probatur autem ab aliquibus, quia remissio indulgentiarum solùm fit per dispensationem thesauri Ecclesiastici: thesaurus autem ille solùm constat ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, quæ tantùm valent ad temporalem pœnam propter peccatum debitam compensandam: ergo neque indulgẽtia, quæ fit per dispensationem huius thesauri, potest vltra hanc pœnam extendi ad remissionem ipsius culpæ mortalis. Hæc verò ratio non est conueniens: nam licèt satisfactiones Sanctorum solùm valerent ad compensandam temporalem pœnam, satisfactiones Christi, etiam ad æternam pœnam compensandam, & mortalem culpam delendam non solùm æquiualentia, sed etiam superexcedentia sunt: ergo ex parte thesauri secũdùm se totum spectati non est inopia, sed abundantissimum pretium ad huiusmodi effectum. Vnde, si de potentia absoluta loquamur, non dubito quin potuisset Christus concedere potestatem suo Vicario ad remittendas culpas, etiam mortales, per simplicem concessionem veniæ extra sacramentum, postulando etiam ex parte peccatoris solam attritionem, nam in hoc nulla est repugnantia, vel contradictio ex parte effectus. Nam etiam de fide certum est, Christum ipsum per potestatem excellentiæ posse hoc facere. Neque etiã est repugnantia ex parte causæ, quid enim obstat, quominùs potuerit Christus participationẽ illius potestatis cum suo Vicario communicare? Illo autem casu posito, talis remissio esset indulgẽtia quædam similis illi, quam descripsimus circa temporales pœnas.

Quòd ergo in Ecclesia non sit potestas ad talem indulgentiam concedendam ex parte thesauri, probari non potest: sed ex eo probandum est, quòd talis modus dispensandi thesaurum, seu satisfactiones & merita Christi in eo contenta, non est Ecclesiæ concessus: & hoc dicimus esse de fide. Quod probatur primo, quia peccatum mortale nõ remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis: sed gratia iustificans non potest infundi per solam indulgentiam, seu remissionẽ aliquam extra sacramẽtum factam: ergo maior est certa de fide; vt suppono ex materia de iustificatione, & ex doctrina Concilij Tridentini sessio. 6. cap. 7. Minor etiam de fide est ex doctrina eiusdem Concilij Tridentini sessio. 6. canon. 4. de Sacramentis in genere, vbi definit, sacramenta nouæ legis esse ad salutem necessaria, & sine eis, aut eorum voto neminem posse gratiam iustificationis adipisci: quod dictum est ratione Baptismi respectu infidelium, & (quod ad præsens spectat) ratione sacramenti Pœnitentiæ respectu baptizatorũ, qui post Baptismũ lapsi sunt. Vnde idem Conciliũ sessio. 14. in particulari de his agẽs, docet capitulo secũdo, sacramentũ Pœnitẽtiæ esse ad salutem lapsis post Baptismũ necessarium. Est ergo de fide non esse in Ecclesia potestatẽ ad conferendã gratiam iustificantem, vel remissionem peccati mortalis homini lapso post Baptismũ extra sacramentum Pœnitentiæ: ergo nec ad concedendam indulgentiam, per quam talis remissio tribuatur extra sacramẽtum.

A

B

C

D

E

Quorũdam probatio prioris partis cõclusionis.

Improbatur

3. Vera prioris partis conclusionis ratio.

Conc. Trid.

Dicere

4. Euasio. Dicere quis potest, esto hoc verum sit, si omninò excludatur sacramentum, tamen posse intelligi huiusmodi indulgentiam extra sacramentum in re susceptum, cum voto illius. Respondetur, etiam hoc nullo modo locum habere, quia vel illa iustificatio in voto sacramenti futura erat per veram contritionem, aut per solã attritionem, aut sine vtraque per solum propositum cõfitendi: hoc postremum est manifestè cõtra principium fidei sine pœnitentia neminem iustificari posse: quia est, semperque fuit ad salutem necessaria, ex eodem Trident. sess. 14. c. 1. omnis autem vera pœnitentia sub contritione, vel attritione includitur, ibidem cap. 4. Secundum etiam dici non potest iuxta principia fidei: nam *contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, sine sacramento pœnitentiæ per se perducere peccatorem ad iustificationem nequit*, vt eodem c. 4. idē Concilium docuit. Et quanuis probabile sit, huiusmodi attritionem bona fide coniunctam alicui alteri sacramento in re ipsa susceptо, vt v. g. Eucharistiæ vel Extremæ vnctioni, posse perducere hominem ad iustitiam, & remissionem peccati mortalis, in voto sacramenti pœnitentiæ: tamen quòd hoc possit facere sola attritio sine adminiculo & operatione alicuius sacramenti, propter solam extrinsecam hominis concessionem aut remissionem alienum est à doctrina fidei, & inauditũ in Ecclesia. Quia nulla sunt instrumẽta continentia gratiam Christi, illãque ex opere operato conferentia, præter septem sacramenta: nec ministri Christi possunt aliter gratiam conferre ex opere operato, nisi ministrando aliquod ex his sacramentis: attritio autem non potest perducere hominem ad iustificationem, nisi ratione alicuius gratiæ collatæ ex opere operato: extra sacramenta ergo fingi nõ potest remissio peccati mortalis cum sola attritione. Si autem dicatur primum, scilicet, tale votum habendum esse per contritionem, iam tunc indulgentia non operatur remissionem peccati mortalis, sed supponit illam, quia supponit contritionem, quæ hominem Deo statim reconciliat, in se includendo pœnitentiæ sacramenti votum, quem effectum, quantum attinet ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, æquè conferet, etiamsi indulgentia concessa non sit, aut licèt homo habeat voluntatem & propositum non lucrandi illam: ergo signum est indulgentiam per se nihil conferre ad remissionem mortalis culpæ.

Præcluditur

A

B

C

5. Atque hoc confirmant omnes formulæ concedendi indulgentias, vsitatæ in Ecclesia, semper enim explicant concedi hominibus contritis, vel confessis, vel aliquid simile, per quod ostenditur, supponendam esse confessionem, vel contritionem, quia proprius eius effectus non potest per indulgentiam dari. Et in iure sæpe significatur, per indulgentiam compensari satisfactionem, quæ est tertia pœnitentiæ pars, nõ verò contritionem, vel confessionem. Et ideò in c. *Cum ex eo*, de Pœnit. & remiss. dicitur, per indulgentias indiscretas eneruari satisfactiones. Atq; ita in hac parte conueniunt Theologi omnes in 4. c. 20. vbi D. Thom. qu. 1. art. 5. q. 1. breuiter indicat discursum à nobis factum. dicens, quanuis merita illa, quæ per indulgentiam communicantur, possent valere ad merendum gratiam: non tamen propter hoc dispensari, sed determinatè propter remissionem pœnæ. Eadem in sententia conueniunt ibi Palud. Dur. Capre. & alij, Soto d. 21. q. 2. art. 3. & Summist. omnes verb. *Indulgentiæ*, præsertim Syl. qu. 10. Ant. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 3. & 5.

Cap Cũ ex eo. de Pœnit & remiss.

D. Tho.

Palud. Durand. Capr. Soto. Sylvest. Anton.

D

E

## *Possintne indulgentiæ per modum impetrationis valere ad remissionem culpæ.*

6. Rationes pro affirmatiua parte. DICET verò aliquis, prædictis rationibus rectè probari indulgentias non valere alicui immediatè & per se ad culpam mortalem remittendam, non tamen probari quin mediatè valere possint, impetrando saltem peccatori bonum motum, quo se disponat sufficienter ad remissionem peccati mortalis: hic enim fructus indulgentiæ non includit in se repugnantiam, quia vnus homo iustus potest alteri impetrare, & mereri de congruo remissionem peccati mortalis dicto modo, ergo ex parte effectus nõ repugnat idem fieri per indulgentias Ecclesiæ. Neque etiã repugnat ex parte thesauri, in quo indulgentiæ nitũtur, vt à fortiori probant quę in superiori discursu diximus, imò ad hoc non solùm Christi merita, sed etiam merita Sanctorum valere possunt saltem de congruo, nã hęc etiã reposita sunt in thesauro Ecclesię, vt in sequenti sectione declarabimus, & non omnia habuerunt proportionatũ prẹmium: poterũt ergo per Ecclesiam ad hũc effectum applicari. Neque etiã est aliqua ratio ob quam Ecclesiæ negemus hanc potestatem, cùm hoc beneficium non sit minùs necessariũ toti Ecclesiæ ad suorum membrorum sanctificationẽ, quàm remissio tẽporalis pœnæ. Vnde D. Tho. supra refert quosdã antiquos Doctores dixisse indulgẽtias valere ad hunc effectum, & quantùm ad illam posse esse vtiles, etiã his, qui sunt in peccato mortali. Et ipsemet D. Tho. ait, quãtùm est ex parte thesauri & potestatis Ecclesiasticæ ad applicandum illum, posse indulgentias habere hunc effectum, tamen de facto non valere, quia ad hoc non applicantur: hoc autem colligit ex vsitata forma indulgentiarum, per quam solùm conceduntur pro verè contritis, vel confessis: vnde peccatoribus, vt sic, non applicantur ad aliquem effectum. *Si autem* (inquit) *fieret communicatio per hunc modum, Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel vnius congregationis, vel vnius specialis personæ: sic posset valere ad merendum aliquid ei, qui est in peccato mortali, vt prædicta opinio dicebat.* Atque idem sensit Soto d. 21. qu. 2. ar. 3. qui solùm dicit, opera Christi, & Sanctorum applicari per indulgentias in ratione meriti, sed solùm in ratione satisfactionis: hoc autem non probat, neque ampliùs declarat. Vtrumque autem à nobis præstandum est, quoad fieri possit.

D. Thom.

Soto.

7. Tria ergo hîc possunt inquiri: primum est, an illa concessio possit fieri ab Ecclesia ad talem effectum: secũdum, an aliquando fiat: tertium, an fiat per indulgentias, seu an talis concessio habeat rationem indulgentiæ. Vt autem ab hoc vltimo incipiam, certè talis concessio, neque est, neque propriè dici potest indulgentia. Probatur, quia indulgentia, vt constat ex ipsa voce, & ex vsu Ecclesiæ & ex omnibus dictis de illius definitione, est remissio quædam: illa autem concessio non est remissio, sed impetratio, seu adiutorium quoddam longè diuersæ rationis: sicut quando vnus iustus impetrat peccatori bonum motum contra peccata, nõ potest dici illi remittere peccatum. Vnde colligo, concessionem huiusmodi non pertinere ad potestatem ligandi, & soluendi, quæ est in Ecclesia, quia non est propriè actus iurisdictionis, nec vinculi, aut solutionis. Nihilominùs tamen negandum non est esse hanc potestatem in Ecclesia, vt D. Thom. apertè docet & probat ratio facta, & ex ipso actu magis declaratur. Pertinet enim genus hoc beneficij ad suffragia & intercessiones Ecclesiæ, quæ sicut publicas orationes pro suis membris offerre potest, ita etiam merita Sanctorum suis orationibus adiungit, vt faciliùs à Deo exaudiãtur: secluſa enim remissione pœnarum, non videntur posse merita Sanctorum aliter applicari ad aliquem effectum, quatenus merita sunt; sic enim in hac concessione applicantur, & non vt satisfactiones sunt. Pertinet ergo hæc potestas, quæ est in Ecclesia, ad communicationem suffragiorum in ratione meriti vnius pro alio, quæ vel est eadem cũ impetratione,

An cõcessio ad impetrãdam remissionẽ culpæ habeat rationem indulgentiæ.

Est tamẽ in Ecclesia potestas ad hãc concessionẽ.

tione, vel certè ab illa non separatur. Vnde actus eius consistit in Ecclesiæ intercessione offerentis etiam merita Sanctorum, vt faciliùs exaudiatur, & hoc totum applicantis ad aliquod beneficium tali personæ, Prouinciæ, aut etiam toti Ecclesiæ obtinẽdum. Quomodo etiam potest applicari ad impetrandam detestationem peccatorum, morum emendationem, extirpationem errorum, & similia, quæ frequenter in Iubilæis proponuntur, & ideò licèt hoc beneficium nõ sit indulgentia, solet esse cum illa coniunctum: quanquàm regulariter potiùs sit finis intentus per Iubilæum, & indulgentiam, quàm præparatio ad indulgentiam consequendam: ideóque indulgentia solùm conceditur confessis, vel contritis, vt ipsi puriores sint, meliúsque dispositi ad fouendam Ecclesiæ orationẽ, & cooperandũ ad efficaciorem impetrationẽ.

8. Indulgentia non habet aliquẽ spiritualem effectũ positiuũ, sed solùm priuatiuum.

Ex quibus infero primò, indulgentiam, quatenus talis est, per se & immediatè non habere aliquẽ spiritualem effectum positiuum in eo, cui conceditur, sed solùm priuatiuũ moraliter, qualis est ablatio alicuius pœnæ. Probatur ex dictis: nã, si posset habere aliquẽ effectum positiuum, maximè esset aliquod diuinum auxilium obtentum per modum inpetrationis aut meriti de congruo: hic autem operandi modus non pertinet ad indulgentiam, quatenus talis est, vt ex proximè dictis constat. Ratio enim facta de impetratione auxilij ad contritionem habendam, æquè procedit de quocunque alio auxilio, aut effectu positiuo. Dixi autem *per se, & immediatè*, quia remotè, & ex accidenti multùm deseruit indulgentia, & eius proprius effectus ad alios spirituales effectus, tum quia conscientiæ puritas interiorem pacem, & spirituale gaudium secum affert, tum etiam quia, cæteris paribus, oratio cum ea dispositione facta magis accepta Deo est, faciliúsque à Deo impetrat.

9. Indulgentia non valet ad remissionẽ pœnæ æternæ. Ratio dubij. Valeátne in dulgentia ad commutandam pœnam æternã in temporalem.

Secundò sequitur ex dictis, sicut indulgẽtia per se non valet ad remissionem culpæ mortalis, ita etiam neque ad remissionem æternæ pœnæ, quia hæc simul & concomitanter cũ æterna pœna remittitur. Dubitari autem potest, quia pœna æterna frequẽtiùs commutatur in temporalem, an saltem hæc commutatio fiat aliquando ratione indulgẽtiæ in minorem pœnã. Et est ratio dubij, quia interdum contingit indulgentiam obtineri in eodem instanti, in quo aliquis iustificatur, vt v.g. quando homini conceditur vt per confessionem, talem indulgentiam obtineat, vel vt simul absoluatur à culpa, & à tota pœna: tunc enim ratione indulgẽtiæ sæpe commutatio fiet in minorem pœnã, quàm fieret sine indulgentia, vel erit totalis remissio pœnæ æternæ: ergo interdũ valet indulgentia ad mitiorem commutationem, vel etiam ad integram remissionem pœnæ æternæ. Dubij resolutio. Respõdeo, etiam in his casibus indulgentiam propriè non versari circa æternã pœnam, sed tantùm circa temporalem. Duplex enim causa, & duplex actio moralis, atque adeò duplex remissio ibi interuenit, licèt vtraque in eodem instanti fiat: prima causa est sacramentum, vel contritio, quæ priùs natura remittit culpam, & cõsequenter pœnam æternam, eámque in tantam temporalem commutat, quãtùm est ex se: statim verò in secundo signo naturæ applicatur alia causa, nimirũ indulgẽtia, quæ pœnã ex priori remissione relictam, vel minuit, vel omninò aufert. Neque obstat, quia videtur sequi, in eodem instanti fieri reatũ tantæ pœnæ temporalis ex vi prioris commutationis, & tolli, vel diminui per posteriorem remissionẽ quod iuxta principia Metaphysicæ videri potest impossibile: nam hoc moraliter spectandum est, nam reuera in eodem instanti non fit introductio & mutatio eodem reatu pœnæ temporalis: sed quia ex vi solius sacramenti, vel contritionis commutatio fiat in tantum reatum, ideò talis causa hunc tantùm effectum moraliter habere dicitur, quia verò ratione indulgentiæ fit, vt talis vel tãtus reatus non introducatur, ideò remissio, vel diminutio talis reatus tẽporalis dicitur esse effectus talis indulgentiæ.

## *Indulgentiam per se non valere ad remissionem culpæ venialis. 2. Conclusio.*

10. Dico secundò in hac sectione, Indulgentia per se non valet ad remissionem culpæ venialis. Conclusio præcipuè intelligitur de immediata remissione: nam quoad remissionem mediatã per impetrationem alicuius motus, eadem ratio est in præsenti, quę in culpa mortali, vt ex dictis patet. De remissione autem immediata nõ est tam certa hæc cõclusio, sicut præcedens, quia ad remissionem culpæ venialis non est necessaria gratiæ infusio, neque operatio, aut votum alicuius sacramenti, sicut ad remissionem culpæ mortalis. Item, quia multi existimant sacramentalia delere culpas veniales ex opere operato ob solam Ecclesiæ institutionem, quæ non potest esse nisi concessio quædam per modum indulgentiæ facta vtenti hoc vel illo sacramentali. Prætereà Scotus, & alij existimant transacto peccato veniali, nihil manere nisi reatum pœnæ temporalis: sed quilibet reatus pœnæ temporalis potest remitti per indulgentias: ergo iuxta illam sententiam peccata venialia possunt per indulgentias remitti: nam, quidquid in peccato veniali remissibile est, per indulgẽtiam remitti potest. Denique Palud. licèt aliàs sentiat peccatum veniale habituale habere verã rationẽ culpæ, nihilominùs in 4. d. 20. q. 4. in fine sentit vt probabile, posse culpã venialem per indulgentiam tolli. Sequitur Anton. 1. p. tit. 20. c. 3.

Scotus. Palud. Anton.

11. Conclusio probatur: solúuntur que argumenta in contrarium. Nau. Adrian.

Nihilominùs conclusio posita multò probabilior est. Quam tenent Nau. in Comment. de Indul. notab. 10. n. 12. & seq. citans Adrianum in 4. in materia de Indulgentiis, fol. 4. Et est communior sentẽtia Theologorum: restrigunt enim effectum indulgentiæ ad pœnam temporalem, vt absolutè culpã excludit. Ad quam probandam supponendum in primis est peccatum veniale transiens actu, & manens habitu, esse aliquid distinctum moraliter à reatu pœnæ temporalis: quod in superioribus latè à nobis confirmatum est. Quo supposito, certũ est, donec auferatur culpa venialis, non posse tolli reatum pœnæ temporalis proportionatæ, quia intimè coniunctus est cum ipsa culpa, quæ intrinsecè habet reddere hominem dignum pœna. Vnde posset quidem Deus, manẽte culpa, nolle dare homini pœnam debitam, quod etiã posset facere durante actuali culpa: tamen, quòd existente culpa nõ sit homo dignus pœna, id fieri nõ potest. Solùm ergo supereſt probandum, indulgentiam per se non habere vim ad tollendam culpam venialem habitualiter manentem, inde enim consequenter constabit, nec pœnã tali culpæ debitam posse remittere, nisi aliunde supponat culpã ablatam. Primò autẽ probari hoc potest ex forma vsitata in concedendis indulgentiis, scilicet, si is, qui eam lucrari vult, sit contritus & confessus, nam hæc conditio non videtur intelligi tantùm absolutè de ipsa persona, sed respectiuè de ipsis peccatis, quorum plenam remissionem aliquis consequi vult. Vnde sæpe etiam in his priuilegiis vel decretis explicatur, per indulgentias concedi remissionem temporalium pœnarum. Secundò potest ratione ita declarari, quia venialis culpa deleri non potest secundùm ordinariam legem sine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur, in quo multùm differt à remissione pœnæ temporalis, quæ huiusmodi mutationem voluntatis non requirit. Sed per indulgentiã non datur homini huiusmodi actus cõtra peccatum veniale: ergo. Respondet in virtute Paludanus

Paludani euasio.

suprà, licèt ad remissionem peccati venialis requiratur aliqua contritio, nihilominùs aliquam attritionem cum indulgentia posse sufficere ad tollendum peccatum veniale, quæ per se sola non satis esset, & nunc verè dici talem indulgentiam tollere veniale peccatum: sicut sacramentum dicitur tollere peccatum, non quia sine vlla contritione, vel attritione id faciat, sed quia cum aliqua attritione id facit, quæ per se non sufficeret ad illum effectum. Eluditur. Sed contra hoc est, quia quoties remissio culpæ etiam venialis tollitur sine dispositione per se sufficienter ad remissionem eius, necesse est interuenire aliquam causam, quæ ex opere operato possit delere culpam venialem, cuiusmodi est sacramentum: indulgentia autem, seu qui illam concedit, non habet virtutem sic operandi sine sacramento. Cuius ratio reddi potest, quia per sacramentum infundi potest gratia, seu gratiæ augmentum, & non per indulgentiam. Quantùs autem; absolutè loquendo, ad remissionem peccati venialis non sit necessaria gratiæ infusio, tamen ad remissionem eius ex opere operato necessaria est.

12 Quod aliqui adeò verum putarunt, vt dixerunt, etiam de potentia absoluta non posse peccatum veniale tolli absque infusione gratiæ habitualis, quando alioqui tollitur sine dispositione actuali, quæ per se sola sufficeret ad remissionem venialis peccati. Quod licèt in ordine ad potentiam absolutam non ita sit, cùm non possit repugnantia vel contradictio ostendi; tamen secundùm legem ordinariam est id satis consentaneum rationi, tum quia ad remissionem venialis peccati per se necessaria est talis dispositio actualis, ergo quando Deus minori dispositione contentus, remittit talem culpam, id non facit nisi supplendo imperfectionem actus per aliud nobilius donum, etiam ipsi animæ inhærens, quod non est nisi habitualis gratia, vel iustitia: tum etiam, quia remissio venialis culpæ est aliqua hominis sanctificatio, quæ non fit quasi connaturali modo, nisi fiat per formam, vel dispositionem animæ inhærentem: cuius signum est, quia ex se, & secundùm legem ordinariam, & secluſis priuilegiis legis gratiæ, non fit sine actuali dispositione sufficiente: ergo quando interuenit priuilegium legis gratiæ, non fit sanctificatio minùs perfecta: ergo non fit sine aliquo intrinseco dono saltem habituali. Vnde propter hanc causam, & similes, tractando de sacrificio Missæ dixi, non delere peccata venialia immediatè & per se, quia non potest per se conferre gratiam habitualem, sed solùm impetrare contritionem, vel amorem repugnantem peccato veniali. Quæ ratio cessat in pura remissione pœnæ temporalis, quia hæc non est propria sanctificatio, cùm non excludat veram malitiam mortalem ab anima, sed solã pœnam, quæ non est malitia simpliciter: inde enim fit, vt reatus pœnę temporalis auferri possit sine vlla intrinseca dispositione hominis, per extrinsecum suffragium sacrificij, aut satisfactionis alienæ.

## *Rationi dubitandi in principio sectionis positæ satisfit.*

13 AD rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, vniuersalẽ promissionẽ Petro factam non solùm includere potestatẽ iurisdictionis, sed etiã ordinis; nec solã potestatẽ iurisdictionis, quæ in foro exteriori seu extra sacramẽtum exercetur, sed etiam illam, quæ ad sacramẽtum pœnitentiæ spectat. Tamen quia potestas Ordinis non est maior in Põtifice summo, quàm sit in aliis sacerdotibus, & Episcopis: ideò quoad hanc potestatem non est singulariter in Petro, sed ordinatus fuit sacerdos & Episcopus, quã-



A do alij Apostoli fuêre ordinati. Quoad potestatẽ verò iurisdictionis in vtroque foro habet singularem & supremam excellentiam, ideóque quoad hoc promissio illi facta impleta est Ioan.21. Quapropter verissimum est, Petrum ex vi clauium sibi promissarũ posse remittere peccata etiam quoad culpam, quia ex vi promissionis ibi factæ recepit immediatè ab ipso Christo potestatem Cardinis, & supremam potestatẽ iurisdictionis: potestas verò hæc non est potestas remittendi per indulgentias, sed per sacramentum: falsumque est, hanc non fuisse comprehensam sub illa promissione, quanuis non sola illa, sed multiplex B etiam alia potestas promissa fuerit.

Ad confirmationem ex verbis priuilegiorum re- 14
spondetur, peccatorum nomine sæpe significari pœnas peccatorum, iuxta illud 1. Machab. 12. *Vt à peccatis soluantur*: in eadem ergo significatione dicitur per indulgentias cõcedi peccatorũ remissio: quod ex vulgari modo loquendi, & ex aliis verbis eorundem Iubilæorum suprà indicatis satis constat. Illa autem locutio absoluendi *à culpa, & à pœna* ab aliquibus Scholasticis reprehenditur, præsertim Antonino, & Syluestro suprà, & Supplementũ Gabrielis in 4. dist. 45. q. 3. art. 1. Imò etiam in iure non videtur probari, vt patet ex Clemen. 1. de Priuileg. & Clement. 2. §. 1. de Pœnitent. & remiss. Quia verò, vt ibi notat Glossa, aliquando vtuntur Pontifices illo loquendi modo, præsertim in concessione anni Iubilæi in Extrauagant. *Antiquorum*, de Pœnitent. & remiss. ideò dicendum est, sensum illorum verborũ in rigore esse, per huiusmodi indul- C gentiam concedi, vt qui eam lucratus fuerit, omninò absolutus maneat à culpa, & à pœna, non quia indulgentia vtramque tollat, sed quia, vt habeat effectum, debet supponere remissam culpam, & ipsa complet totius pœnæ remissionem. Aliqui etiam addunt, ex vi illorum verborum concedi non tantùm indulgẽtiã, sed etiam licentiam, vt quis possit absolui sacramentaliter ab omnibus culpis, etiam reseruatis, præsertim ab his, quæ non habent censuram annexam: sed circa hoc considerandadiligentiùs sunt, verba rescripti. 1.Mac. 12. Anton. Sylueſt. Supplementum. Gab.

## SECTIO II.

### *Vtrùm indulgentia tollat reatum pœnæ temporalis debitæ apud Deum, vel tantùm remittat pœnitentias iniunctas in foro sacramentali.*

POSSVMVS in hac quæstione agere de potestate, vel de vsu seu de concessione indulgẽtiæ prout de facto fit. Rursus de potestate multa possunt dubitari. Vnum est, an Ecclesia possit remittere reatum pœnæ temporalis apud Deum. Secundum, estò hoc possit, an solùm illud valeat efficere post iniunctam pœnitentiam sacramentalem pro tali culpa seu reatu, vel etiam anteà. Tertium, an possit etiam E relaxare pœnitentias sacramentales, tollendo nimirum obligationem eas implendi. Quartum, an hæc duo ita connexa sint, vt non possit vnum sine alio fieri. Et similia ferè possunt de vsu interrogari, atque ad omnia sigillatim respondebimus. 1 Varia quæstiones proponuntur.

## *Per Indulgentias posse pœnam temporalem apud Deum debitam remitti. 1. Conclusio.*

DICO ergo primò, posse Ecclesiam talem in- 2
dulgentiam concedere, vt per eam remittat extra sacramentum Pœnitentiæ reatum pœnę tempora-

lis apud Deum. Hanc assertionem censeo certam de fide, coincidit enim cum illa, quæ in tota præcedenti disputatione demonstrauimus, ostendendo esse in Ecclesia potestatem ad concedendas indulgentias, & per indulgentias intelligi veras remissiones, quæ hûc habeant effectum: hic enim est communis sensus Ecclesiæ, & fidelium omnium de indulgentiis, & Theologi omnes interpretãtur. Diuus Thomas distinctione vigesima, quæstione prima, articulo tertio, Bonauentura 2.p.q.2. & reliqui ibidem, Soto distinctione vigesimaprima, quæst.1.art.1. & 2. Denique Põtifices ipsi concedentes indulgentias hoc modo suam mentem interpretantur, vt videre licet in Extrau. *Vnigenitus*, de pœnit. & remiss. & ex aliis suprà citatis, & infrà commemorandis. Quapropter non oportet hîc plures probationes afferre, sed petendæ sunt ex disput. præcedente: basis autem, & fundamentum omnium est testimonium Christi; *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo*: prout ibi expensum est.

D. Thom. Bonau. Soto.

3 Per indulgẽtias posse remitti pœnã tẽporalem debitã peccatis remissis nondum ad sacramẽtale forum delatis. 2. Conclus.

Hinc dico secundò, Ecclesia non solùm potest remittere hunc pœnæ reatũ per indulgentias, postquàm in sacramento est iniuncta pœnitentia pro peccatis, ex quibus ortum est tale debitũ, sed etiam antequàm vlla pœnitentia sacramentalis iniuncta sit, seu antequàm talia peccata per confessionem sint delata ad sacramentale forum pœnitentiæ. Hanc etiam conclusionem existimo esse certam: & ita etiam in hoc Catholici non dissentiunt. Fundamentum à priori est ideò, quia Christus Dominus dicens, *Quodcunque solueris*, non limitauit promissionem, seu potestatem ad reatum pœnæ, pro qua est sacramentalis pœnitentia iniuncta: ergo nec nos restringere id possumus cõtra vim verborum, & sine vllo fundamento auctoritatis, vel rationis. Imò adiungi etiam hîc potest auctoritas totius Ecclesiæ, quę ita intellexit hãc potestatem, vt ostendit vsus plurium indulgentiarum, quæ sub hac generali remissione conceduntur, & acceptãtur, quas statim connumerabimus. Ratio etiam est: nam, si Ecclesia extra sacramentum potest remittere reatum pœnæ apud Deum, non est cur expectet, quòd pro tali pœna sacramẽtalis pœnitentia iniuncta sit: quid enim hoc refert ad vsum illius potestatis? quandiu enim satisfactio impleta non est, ita mãnet reatus & debitũ pœnæ, ac si pœnitentia iniuncta non esset: si ergo Ecclesia potest remittere tale debitũ post pœnitentiam iniunctam, & nondum impletam, idem etiam poterit antequàm pœnitentia iniuncta sit, quia non est maius vinculum, nec difficilius ad soluendum. Quin potiùs difficilius videri poterat remittere hanc pœnam post pœnitentiam iniunctam, quia denuò est pœna taxata, nouáque obligatio imposita: si ergo, hoc non obstante, potest illa pœna remitti, à fortiori tolli poterit, antequam vllum iudiciũ sacramẽtale de illa latum sit.

4 Obiectio.

Solùm poterat obstare, quòd Ecclesia non potest soluere hoc pœnæ vinculum, donec culpa remissa sit: culpa autem remittẽda est per iudicium confessionis: in quo simul iniungitur sacramentalis pœnitentia: & ideò remissio per indulgentias videtur tantùm esse de peccatis, pro quibus est sacramentalis pœnitentia iniuncta.

Solutio.

Sed hoc facilè soluitur, aduertendo, culpas nõ solùm remitti per confessionem in re, sed etiam in voto, per contritionem: hinc enim fit, vt possit culpa esse remissa, quanuis nulla sacramentalis pœnitentia pro ea iniuncta sit; ergo etiam circa pœnam pro tali culpa debitam habet locum indulgentiæ remissio. Atque hoc significant Pontifices, quando concedunt indulgentias non tantùm confessis, sed etiam contritis nondum confessis. Imò, etiamsi interdum ad indulgentiam lucrandam promittenda sit confessio, ad hunc habet locum remissio indulgentiæ, vbi non præcesserit sacramẽtalis pœnitentia iniuncta, quia possunt esse multa peccata oblita, & per accidens saltem remissa quoad culpam, quanuis nulla pro eis fuerit imposita satisfactio. Potestas ergo indulgentiarum vtraque peccata comprehendit, quia nec satisfactio iniuncta est necessaria ad talem potestatem, neque etiam impedit illam.

## *Per indulgentiæ effectum posse relaxari pœnitẽtias in confessione impositas. 3. Conclusio.*

5 Explicatur assertio.

DIco ergo tertiò. Per effectum indulgentiæ tolli potest, seu relaxari sacramentalis pœnitentia, iuxta modum seu quantitatem indulgentiæ. Declaratur: nam in primis locutus sum de effectu indulgentiæ, non de indulgentia ipsa: nam vt relaxetur sacramentalis pœnitentia, non satis est, vt alicui concedatur indulgentia, si illa non lucretur cum effectu: quia donec hoc fiat, præceptum satisfaciendi in confessione impositum vim suam semper retinet. Fit quidem statim per concessionem indulgentiæ, vt in arbitrio hominis sit, vel indulgentiam lucrari, vel satisfactionem implere: & hoc modo dici potest statim remitti illa obligatio, vt saltem non ita præcisa sit: si tamen indulgentia non obtineatur cum effectu, prior obligatio integra manet, vt ex fundamento assertionis positæ constabit. Dixit etiam, *iuxta modum seu quantitatem indulgentiæ*: quia, vt infrà dicam, non omnis indulgentia tollit totum pœnæ reatum, sed tantùm illa, quæ vel est plenaria, vel saltem adæquata pœnæ debitæ: at si pœna iniuncta sit decem annorum pœnitentiæ v.g. & per indulgentiam solùm concedatur remissio duorum annorum, non statim remittitur tota pœnitentia sacramentalis, sed ex parte & cum proportione.

6 Auctoritate suadetur. D. Thom. Bonauen. Palud. Durand. Sylueſt. Angel. Panor.

Hoc igitur modo explicata conclusio communis est Theologorum in 4. d.20. D. Thomæ, Bonau. Palud. Durand. & aliorum. Consentiunt Sũmistæ verb. *Indulgentia*, præsertim Syluest. & Ang. Panor. & alij Canonistæ in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remiss. qui rectè id colligunt à contrario sensu ex illo textu, quantus ibi dicitur, *per indiscretas & superfluas indulgentias, satisfactionem sacramentalem eneruari*: ideò enim hoc verum est, quia per indulgentias relaxatur satisfactio sacramentalis, quod quidem iustè & moderatè fit, quando pœnitentiæ sunt discretæ: quando verò sunt nimiæ & immoderatæ, eneruant satisfactionem pœnitentialem. Et hoc ipsum est quod Concilium Tridentinum dixit, *nimia facilitate indulgentiarum, Ecclesiasticam disciplinam eneruari*. Ratione probari solet hæc assertio: quia summus Põtifex potest tollere vinculum à confessore impositum: quia per supremam soluẽdi potestatem potest tollere omne ius humanum: illud autem præceptum à confessore impositum non est maius quam humanũ. Hæc verò ratio mihi non probatur: primò quidem, quia vel talis dispensatio hîc necessaria non est, vel si est, iam talis relaxatio satisfactionis sacramentalis non fieret per se ex vi indulgentiæ, sed tantùm concomitanter ex vi alterius fauoris & dispensationis simul cõcessæ. Atque ita, si tantùm concederetur indulgentia peccatorũ, ex vi effectus illius concessionis non cessaret obligatio satisfactionis sacramentalis, nisi expressè adderetur in bulla seu priuilegio, vt lucrans talem indulgentiam non teneretur satisfactionem impositam implere: at hoc falsum est, & contra formalem sensum assertionis positæ, & omnium qui illam docent. Quis enim dicat per indulgẽtiam relaxari, v.g. Ecclesiasticum ieiunium: quia simul cum indulgentia concedi potest lucranti illam: vt non teneatur ad tale

Conc. Trid. Quorundã probatio cõclusionis.

Reiicitur.

Eccle

Ecclesiasticum ieiunium? Secundò, existimo valdè probabile, talem dispensationē propriè sumptam esse impossibilem, saltem extra sacramentum Pœnitentiæ. Esset autem talis dispensatio propria, si intelligeremus, manente causa integra in reliquis omnibus, quoad reatum & debitum pœnæ, tolli obligationem implendi talem satisfactionem ex sola voluntate Pontificis dispensantis, seu potiùs abrogantis tale præceptum à confessore positum. Quòd ergo hoc fieri nō possit, satis probabiliter ostēdere videtur posterior ratio dubitandi in principio posita, quia forum sacramentale est supremum, & sententia eius est vltima ac definitiua: quæ ergo ibi aguntur, nō sunt subordinata alicui homini, etiam summo Pontifici, vt operanti extra sacramentum, non ergo possunt ab eo directè mutari, aut abrogari. Patet vtraque consequentia, quia causa tractata, & definita in vno foro, præsertim supremo, non potest in alio reuocari, vt ratione naturali per se constat; & sumitur ex Cap. 2. de Exception. in 6. Forum autem sacramentale supremum est, nam Christus ipse principaliter fert sententiam, licèt per ministrum ferat. Item quia potestas soluendi est proportionata potestati ligandi; sed nullus potest ligare ad pœnitentiam sacramentalem extra forum illud maximè internum, ergo neque soluere: indulgentiarū autē cōcessio nō pertinet ad illud forum: nam licèt aliqui ita loquantur, vt dicāt indulgentias concedi in foro pœnitentiali, vel id non est verum, vel aliter vocibus vtuntur, vocando forum pœnitentiale non illud tantùm, quod sacramentale est, sed omne illud, quo satisfit Deo pro pœna debita. Tandem infrà ostendam huiusmodi potestatem non fore in ædificationem, sed in destructionem.

7 Germana assertionis ratio.

Ratio ergo à priori assertionis positæ esse debet: quia comparato effectu indulgentiæ, ipso iure & facto tollitur necessitas pœnitentiæ iniunctæ, & ideò etiam per se cessat obligatio eius. Declaratur, quia effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis, ergo formaliter expellit reatum seu debitū eius: implicat enim pœnam esse remissam, & adhuc manere debitum eius. Ablato autem debito pœnæ, aufertur etiam debitum satisfaciendi pro illo, vndecumque ortum sit, siue ex diuina lege, siue ex præcepto confessoris, tum quia sicut in communi lege cessante fine eius in vniuersali, cessat eius obligatio, ita in præcepto particulari à sacerdote imposito cessante fine eius intrinsecō, & particulari, cessat eius obligatio: tū etiā, quia præceptum illud non imponitur nisi sub ratione satisfactionis ad Deum: ratio autem satisfactionis iam cessauit, quia vbi non est debitum, nec satisfactio locum habet: sicut ergo per remissionem indulgētiæ tollitur debitum, ita etiam cessat satisfactionis ratio, & consequenter præceptum eius.

8 Per indulgētiæ effectum cessare pœnitentiam iniunctam per modum satisfactionis, nō verò per modum medicinæ. Corol. 1.

Atque hinc fit primò, cùm in pœnitentia iniuncta duplex ratio inueniri possit, nimirū vindictæ, & medicinæ præseruantis, quanuis ex vi indulgentiæ cesset satisfactio sacramentalis sub priori ratione, nō tamen sub posteriori, si sub illa posita sit. Ratio est, quia hîc non cessat præceptum ob dispensationes, vel abrogationem eius, vt dixi, sed per substractionem materiæ: substrahitur autem per indulgentiam materia satisfactionis seu vindictæ, vt sic, quia indulgentia tollit debitum, non tamen tollitur materia seu necessitas medicinæ: quia indulgentia nec moderatur passiones, nec prauam consuetudinem seu habitum remittit, & ideò, non obstante indulgentia, manet eadem obligatio applicandi medicinam præseruatiuam. In quo etiam Doctores conueniunt: & inde optimè confirmatur quod diximus, pœnitentiam sacramentalem non relaxari propter specialē dispensationem, sed propter materiæ substractionem: alioquin si dispensatio interueniret, absolutè solueret omnem obligationem talis præcepti, relinqueretur que homini sola naturalis obligatio applicandi medicinam præseruatiuam, suo tamen arbitrio eligendam, solùm quatenus necessaria esset.

9 Obligationē implēdi pœnitentiā non solùm tolli per indulgētias, sed per omnem aliā remissionem pœnæ pro illis peccatis debitæ. Coroll. 2.

Secundò sequitur ex dictis, non solùm per indulgentiam cessare obligationem pœnitentiæ in sacramento impositæ, sed etiam per omnem aliam remissionem pœnæ pro talibus peccatis debitæ, quacunque alia via obtineatur, id est, siue per alia opera satisfactoria propria, siue per aliorum suffragia, vel satisfactiones sibi applicatas, siue ex opere operato per alia sacramenta, aut sacrificia. Hoc corollarium aliquibus videtur difficile, & tanquàm in cōueniens illud nobis obiiciunt contra rationem factam, quia videtur hinc multùm eneruari satisfactiones sacramentales, imò omninò tolli illarum obligationem, quia semper est liberum homini facere alia opera satisfactoria, quibus factis tollitur materia alterius præcepti. Sed reuerà ratio facta generaliter conuincit, quotiescunque remissio pœnæ pro peccato debitæ integrè obtenta est, cessare omnem obligationem assumendi nouam pœnam in vindictam, seu satisfactionem talis culpæ. Vnde si constiterit de tali remissione, constabit etiam de tali obligatione sublata. Nihilque ad rem pertinet, quòd remissio hæc vel illa via iustitiæ, aut gratiæ obtenta sit, quia cessatio obligationis non prouenit ex causa remissionis, sed ex eo solùm, quòd remissio verè facta sit, vt in ratione facta declaratum est. Quia verò extrà indulgentias constare non potest prudenti credulitate, totam pœnam debitam propter peccata, pro quibus erat iniuncta sacramentalis pœnitentia, esse integrè remissam, ideò non potest quis ob hanc causam à tali obligatione excusari: & ideò non sequitur, pœnitentias sacramentales hoc titulo eneruari, aut facilè relaxari. Quia in primis nemo potest licitè ea intentione alia opera satisfactoria exercere, aut procurare, vt liberetur onere implendi pœnitentiam iniunctam, quando nullam aliam habet legitimam excusationem, quia hoc reuerà esset in fraudem præcepti impositi, quod primū omnium impleri debet, si commodè fieri potest. Deinde, quanuis alia opera satisfactoria aliquis faciat, aut aliis viis remissionem aliquam consequatur, non propterea statim liberabitur à proprio reatu & debito illorum peccatorum, pro quibus pœnitentia sacramentalis iniuncta fuerat: nam semper esse possunt alia peccata non integrè remissa, & illamet peccata possunt esse digna maiori pœna quàm fuerit imposita, vel quàm alia via sit exhibita, & quacunque ratione non sit integrè satisfactum pro tali peccato, adhuc permanet obligatio exercendi satisfactionem sacramentalem. Accedit denique ratio medicinæ, qua interueniente, semper pœnitentialis satisfactio vim suā retinet. Hæc igitur omnia moraliter cōsiderata sufficiūt, vt ex prædicto capite pœnitentia sacramentalis non eneruetur. Quòd si contingat, alia via, & bona fide procedendo, tantam fieri satisfactionem seu abundantem solutionem, vt iudicio prudentis viri credatur remissio plenè consecuta, nullum est inconueniens, quòd tunc cesset obligatio iniunctæ pœnitentiæ. Imò desiderādum est, quòd homines tam perfectè satisfaciāt, vt aliis obligationibus non indigeant: consulendum tamen est pœnitentibus, vt hoc titulo nunquàm se exonerent hac obligatione, nisi priùs re tractata in eodem foro cum eodem, vel alio confessore, eiusque iudicio.

Ex hoc tamē capite nullū ferè ab obligatione implendi satisfactionē liberari.

* * *

*Potestatem relaxandi pœnas peccatorum coram Deo, & pœnitentias iniunctas, eandem esse. Assertio 4.*

10 TERTIÒ, principaliter sequitur ex dictis responsio ad quartam interrogationem suprà positã, nimirum, an sit necessaria connexio inter hos duos effectus. Dicendum est enim quartò, potestatem relaxandi pœnas peccatorum coram Deo, & pœnitentias iniunctas in foro sacramentali non esse duas, sed vnam & eandem, quæ vtrumque effectum simul & vna actione operatur, propter connexionem eorum inter se supposita iniunctione pœnitentiæ sacramentalis. Tota hæc assertio planè colligitur ex fundamentali ratione, per quam suprà explicuimus modum, quo per indulgentiam relaxantur pœnitentiæ sacramentales, scilicet, non per se sed per subtractionem debiti alicuius satisfactionis. Vterque ergo effectus vna actione efficitur, quia vnus est per se, alius consequens & resultans: vna est ergo potestas, quæ vtrunque operatur, tum quia vna actio ab vna est potestate proxima; tum etiam quia potentia habet vnitatem ab effectu seu termino per se intento, nec multiplicatur propter effectus necessariò resultantes. Fit etiam ex eodem principio, necessariam esse connexionem inter hos duos effectus, quia nec sacramentalis pœnitentia relaxari debet (nec fortasse potest per se) absque remissione illius reatus, pro quo imposita est, neque è conuerso talis reatus remitti potest, quin inde sequatur relaxatio pœnitentiæ, si imposita est: hoc enim necesse est supponi, quia non relaxatur vinculum, quod impositum non est: licèt possit præueniri (vt sic dicam) vt non possit imponi: quia, sicut ablato reatu, aufertur obligatio satisfaciendi per pœnitentiam iniunctam: ita etiamsi non sit iniuncta, ex vi talis indulgentiæ fit homo immunis, vt sic dicam, ne pro tali peccato illi possit ampliùs sacramentalis pœnitẽtia imponi in vindictam.

11 Discrimen inter pœnitentiam impositam in foro sacramentali, & impositã in foro exteriori.

Atque in his omnibus est magnum discrimen inter sacramentalem & quamcunque aliam pœnitentiam publicam, quæ extra sacramentum possit per Ecclesiasticam potestatem propter aliquod peccatum imponi: nam remissio peccati, & pœnæ eius coram Deo non est necessariò connexa cum remissione pœnæ exterioris fori. Potest enim aliquis esse liber à culpa, & ab omni reatu eius apud Deum, & nihilominùs esse reus alicuius pœnæ Ecclesiasticæ extra sacramentum imponendæ, & sustinendæ, quia hæ pœnæ ordinantur ad diuersos fines proprios ac per se, scilicet, ad satisfaciendum Deo, vel Ecclesiæ: de quo possunt videri gloss. & Doctor. in c. de his, de accusation. Tiraquel. de Pœnis temper. caus. 28. n. 18. Couar. lib. 2. Vari. c. 15. nu. 3. Gutier. lib. 1. q. c. 2. n. 13. c. 12. nu. 16. Et eadẽ ratione potest è conuerso aliquis esse sufficienter punitus in foro exteriori Ecclesiæ, & nõ in foro Dei, seu sacramẽtali: quod perinde est. Est ob eandem omninò causam potest optimè Prælatus Ecclesiasticus remittere alicui publicas pœnas in foro exteriori Ecclesiastico debitas, nõ remittendo culpã, neque pœnam debitã apud Deũ, quia sunt fori distincti, & habent fines diuersos, ex quibus prouenit vt res ipsæ inter se non sint cõnexæ. Eademq; ratione potest sacerdos in foro sacramentali punire peccatorem vt Deo satisfaciat, etiamsi sciat exteriùs esse punitum ab Ecclesia, aut ei sufficienter satisfecisse: quia, vt dixi, fori sunt distincti. Fieri tamẽ potest vt per Ecclesiasticam pœnam homo etiam Deo satisfaciat, si eam voluntariè acceptet, & honestè, & in statu gratiæ illam sustineat, & tãta esse poterit satisfactio, vt etiam confessor in sacramentali foro illa debeat esse contentus, & aliam non imponere: quod prudenti eius arbitrio relinquendum est. Ipse tamen in hoc credere debet pœnitenti in suo foro sacramentali dicenti, se hoc vel illo modo satisfeciisse Deo, vel adhibuisse talia media ad obtinendam remissionem pœnæ debitæ apud Deum pro tali culpa: ad cõfessorem autem si pertinet iudicare an sufficientia fuerint. Extra sacramentum verò nec reo credere necesse est, nec etiam credatur, ideò excusant, quominùs pœnitentiam publicam per canones taxatam, aut iusto iudicis arbitrio imponendam sustinere debeat. Ex quo tandem fit, vt ex indulgentia per se & intrinsecè non sequatur relaxatio huiusmodi pœnitentiæ publicæ, impositæ, vel imponendæ extra sacramentum in exteriori foro Ecclesiæ: quia effectus indulgentiæ, qui est remissio pœnæ apud Deum, non est intrinsecè connexus cum relaxatione illius pœnitentiæ publicæ: indulgentia autem nihil operatur nisi vel suum per se effectum, vel id quod ex illo intrinsecè resultat. Ideoque potestates concedendi indulgentias, & relaxandi has pœnas externas & publicas formaliter seu ratione distinctæ sunt, & per diuersas actiones seu concessiones suos effectus operãtur, vt ex discursibus factis satis constat.

*Variæ sententiæ de relaxatione sacramentalis pœnitentiæ per indulgentias, reiiciuntur.*

12 Prima sententia.

VLTIMO reiiciuntur facilè ex dictis nonnullæ sententiæ circa hanc potestatem relaxandi sacramentales pœnitentias per indulgentias. Dixerunt enim aliqui, hanc potestatem esse dependentem à voluntate eius, qui pœnitentiam imposuit, ita vt indulgentia non relaxet pœnitentiam sacramentalem, nisi sub hac conditione, & voluntate seu consensu confessoris imposita sit, videlicet, quòd per indulgentiam relaxari possit. Ita sentit Gloss. in c. *Quod autem*, verbo, *Vt possint*, de pœnit. & remissionibus. quam sequuntur aliqui Canonistæ. Est tamen hæc falsa sententia, & sine fundamento, vt notauit Corduba q. 10. cum Angelo verb. *Indulgentia*. §. 1. & supplementum Gabrielis in 4. d. 45. q. 3. a. 2. propositione 11. Ratio autem propria sumitur ex principio posito, quòd hæc relaxatio intrinsecè ac necessario sequitur ex effectu indulgentiæ; & ideò confessor nõ solùm non consentiendo, sed etiamsi expressè dissentiat, & nolit relaxationem fieri, non potest id obtinere, quia non potest Prælatum Ecclesiasticum impedire quominùs indulgentiam validè concedat, quia vel est superior, vt ordinariè contingit, vel vtitur potestate diuersi ordinis, quæ non est subordinata potestati iudicandi in foro sacramentali. Vnde si contingeret Papam ipsum esse confessorem, & ita imponere pœnitentiam sacramẽtalem, vt nollet eam relaxari per indulgentias, necessarium esset, vt vteretur non sola potestate confessoris, sed potestate supremi Pastoris in quocunque foro, per quam potest & alios priuare potestate concedendi indulgentias in tali casu, & suasmet indulgentias limitare, vt pro tali persona, & tali casu non proficiant. Neque etiam potest confessor impedire ne ex effectu indulgentiæ consecuto, sequatur relaxatio pœnitentiæ sacramentalis, quia non potest obligare iterum ad satisfaciendum pro pœna iam dimissa. Hæc ergo potestas, & effectus eius nullo modo pendet ex consensu confessoris. Alij er ò dixerunt, per indulgentiam non posse relaxari pœnitentiam sacramentalem, nisi post factam condignam satisfactionem.

Gloss. 1. Improbatur. Cordub. Angel.

Sup. Gabr.

13 Secunda sententia.

Alij asseruerunt necessariũ esse, vt is, qui indulgentiam concessit, oratione, aut eleemosynis pro alio satisfaciat, vel ad satisfaciendũ pro illo obligetur. Alij denique

denique quòd licèt remittatur talis pœna, quando ex aliqua negligentia vel inaduertentia omissa est, non tamen si directa volũtate omittatur. Quæ omnia referunt dicta glossa, & Corduba suprà. Sunt tamẽ improbabilia, tum quia gratis dicuntur, & limitant supremam Pontificis potestatem: tum etiam quia ex solido fundamento à nobis posito omnia facilè ruunt. Nam si esset necessaria cõdigna satisfactio, nihil operaretur indulgentia: nam ipsa cõdigna satisfactio per se tollit obligationem iterum satisfaciendi: indulgẽtia ergo supplet vicem cõdignæ satisfactionis, faciendo æquiualẽtem solutionem & remissionem, & ideò per se sufficit ad dictam obligationem tollẽdam. Neque est cur sit necessaria obligatio in concedente indulgentiam ad satisfaciendum pro alio, quia neque oportet vt ipse hoc promittat, aut intendat, vt per se constat, neque ex effectu ipso sequitur talis obligatio, quia iustè operatur, & ad remissionem faciendam non applicat suas satisfactiones, sed communes, quæ sunt in thesauro Ecclesiæ, ad quem dispẽsandum habet potestatem. Denique qui potest indulgentiam iustè lucrari, non malè facit, etiamsi nolit aliter satisfacere, nec per tenorem indulgentiæ excluditur quominùs hunc effectum cõsequatur: ergo etiam ille relaxationem obtinere potest. Atque hæc de priori pũcto quod ad potestatem pertinebat.

Improbantur 2.

Reiicitur 3.

Eluditur 4.

## SECTIO III.

### *Num per indulgentias, quæ sunt in vsu relaxentur aliæ pœnæ præter iniunctas pœnitentias in sacramentali foro.*

1 Prima sentẽtia.

CIRCA secundum punctum propositum qualis sit de facto vsus huius potestatis, omnes ferè Catholici conueniunt, per indulgentias relaxari pœnitentias iniunctas in sacramento Pœnitẽtiæ, quia hoc expressè habetur in Decretis vel bullis concedentibus indulgẽtias. In aliis verò rebus est diuersitas opinionũ. Quidã enim senserunt, per indulgentias, quæ de facto conceduntur, nõ remitti reatum pœnæ apud Deum, sed solam obligationem exequendi sacramentalem pœnitentiam. Quæ opinio antiqua fuit, eam enim referunt D. Tho. & Bonauent. & insinuat Albertus d. 20. ar. 16. definiens, indulgentiam esse remissionem de pœnitentiis iniunctis. Fundamentum est, quia in iure sæpe dicuntur dari indulgentiæ de pœnitentiis iniunctis, vt patet ex c. *Cùm ex eo.* de Pœnit. & remiss. & ex c. *Romana*, eodem tit. in 6. & ex Clem. vnic. de Reliquiis & veneratione Sanctorum. Ex quibus locis colligere licet, generalem formã concedendi indulgentias esse *de pœnitentiis iniunctis*, ideóque licèt indulgentiæ concedãtur simpliciter, & aliud non exprimatur, intelligendas esse secũdùm iuris formam, atque adeò de pœnitentiis iniunctis. Eò vel maximè quòd Pontifices sæpe concedunt indulgentias sub hac forma: *Concedimus septem annos, vel quadraginta dies, aut tot quadragenas indulgentiæ*: quæ numeratio manifestè fit iuxta canones pœnitentiales taxantes hoc modo pœnitentias peccatis imponendas. Tandem cõfirmari potest hæc sententia ex his quæ suprà adduximus de antiquo vsu Ecclesiæ in indulgẽdis pœnitentiis, nimirũ ex eo non posse colligi, per illas remissiones solitas fuisse dimitti pœnas etiam in foro Dei, sed vsus indulgentiarum posteà extensus est ad pœnitentias iniunctas etiam in foro sacramentali sub eadem ratione, & ad similem effectum introductus est, & ille est qui nunc durat in indulgentiis concedendis: ergo etiam nunc per indulgentias nihil aliud relaxatur nisi pœnitentiæ iniunctæ.

Secunda sententia est, per indulgentias, quæ de facto cõcedũtur, solùm remitti peccata semel delata ad forum pœnitentiæ, pro quibus iam est debita pœnitentia sacramentaliter iniuncta, quauis per hanc remissionẽ non solùm tollatur obligatio implendi pœnitentiam iniunctã, sed etiam tollatur reatus pœnæ Purgatorij, pro qua compensanda talis pœnitẽtia iniuncta est: & hæc fuit altera opinio posteriorũ Theologorum, Dur. Palud. 4. d. 20. q. 4. Alen. 4. p. q. 23. nu. 2. Adria. q. vlt. de indulg. Caie. Opusc. de indulg. ad Iul. c. 2. & 7. Pet. Sot. lect. 2. Fundamenta huius opinionis sunt eadem ferè quæ præcedentis, præsertimque sumuntur ex forma concedendi indulgentias.

Secunda opinio.

Durand. Palud. Alens. Adrian. Caier. Soto.

Est tertia sententia, quæ distinguendum putat inter indulgentias iuxta tenorem concessionis: in quibusdã enim tenor est limitatus, & cũ illa adiectione, *de pœnitentiis iniunctis*: in aliis verò est absolutus & sine limitatione, vt quando concedũtur tot anni indulgentiæ, vel simpliciter indulgentiæ plenariæ. Quãdo conceduntur priori modo, cõcordat hæc sententia cũ præcedẽti ex illo principio, quòd indulgentia nõ plus valeat, quàm sonat, si ergo cum tali restrictione conceditur, non plus valet. In posteriori autem modo indulgentiarũ discordat hæc sententia à præcedente: nã valere putat ad quorumcũque peccatorũ remissionẽ, etiamsi pro illis nulla pœnitentia iniuncta sit, ex alio principio simili, quòd indulgẽtiæ tãtùm valent, quantùm sonãt. Atque hanc opinionẽ tenet. Nauar. Comment. de Indulg. notab. 11. nu. 13. Sot. d. 21. qu. 2. art. 1. Ledes. 2. p. 4. q. 27. art. 2. Cord. qu. 9. & dicit esse communem Theologorũ in 4. d. 20. & 45. & Canonistarũ in c. *Quod autem*, de Pœnit. & remiss. & in hanc partẽ trahit Durand. & Adrian. & Angelũ verb. *Indulgentia*, §. 1. & 2. & Syluest. q. 8. & 10. & alios. Quarta verò opinio est, indulgẽtias, siue simpliciter concedantur, siue cum illo addito, *de iniunctis pœnitentiis*, valere ad remittendas quascunque pœnas relictas ex peccatis remissis. Et hanc existimo esse opinionem D. Thomę satisque probabilem, quam sequentibus Assertionibus exponam.

3 Tertia sententia.

Nauarr. Soto. Ledes. Cord. Durand. Adrian. Angel. Syluest.

Quarta sententia.

### *Per indulgentias, quæ sunt in vsu Ecclesiæ, remitti pœnã peccatis debitam in foro Dei. 1. Conclusio.*

4 D. Thom. Bonau. Prima D. Thomæ ratio.

DICO ergo primò, per indulgentias, quæ de facto sunt in vsu Ecclesiæ, remittitur pœna peccatis debita, etiã in foro Dei. Ita D. Tho. suprà, Bonau. d. 20. 2. p. q. 2. & omnes Doctores pro secunda, & tertia opinione citati, & alij statim citandi. Probat D. Tho. primò, quia priuilegium Petri est, vt quod soluit in terris, sit etiam remissum in cælis: ergo remissio, quæ per indulgentias fit in foro Ecclesiæ, valet etiam in foro Dei. Hæc verò ratio magis probat potestatem, quàm actum, vt ex superius dictis cõstare potest: probat enim (vt sic dicam) ex hypothesi, si Pontifex intendit soluere in terris homines à reatu pœnæ Purgatorij, solutos manere etiam in cælis; quia ostensum est, verba illa hanc potestatem includere. Nunc autem inquirimus, an hæc sit intentio Pontificis concedentis indulgẽtias, quod illa ratione non videtur probari: quia in quocunque alio modo concessionis, remissionis, vel dispensationis legitimæ verum habet, efficaxque est verbum Christi, *Quodcumque solueris, &c.* vt superioribus etiam dictum est.

Secunda ratio D. Tho. est, quia Ecclesia concedendo indulgentias, magis damnificaret, quàm iuuaret fideles, quia absolueret eos à pœnitentiis iniunctis, & remitteret ad grauiores pœnas Purgatorij. Quæ ratio optima

5 Secunda, & optima D. Thomæ ratio.

optima profectò est, & apud me non solùm probat A
de facto non fieri talem modum remissionis, sed etiá
fieri iustè non posse per communes indulgentias: nam
Discrimen inter relaxationem pœnitentię impositæ in interiori foro, vel in sacramentali. talis potestas esset in destructionem potiùs, quàm in
ædificationem. Atque in hoc est magna differentia
inter pœnitentias, quæ imponuntur in exteriori fo-
ro, & in sacramentali: quia illæ non ordinantur per se
ad remissionem pœnarum Purgatorij, sed ad satisfa-
ctionem Ecclesiæ, quanuis ex bono vsu ipsius patiẽtis
possint etiam priorem effectum seu fructum habere,
quo non priuatur, etiamsi per Ecclesiam tales pœnæ
remittantur, quia sua voluntate potest vel illas, vel
similes æquiualentes assumere: at verò pœintẽtia sa-
cramentalis per se primò ordinatur ad satisfaciendũ B
Deum, & tollendam Purgatorij pœnam: & ideò si il-
la relaxetur, & Purgatorij pœna non auferatur, non
incommodum, sed in detrimentum potiùs peccato-
ris redundabit.

Obiectio. Dices, etiamsi relaxetur debitum talis pœnæ ortum
ex præcepto confessoris, poterit pœnitens sua volun-
tate illam assumere, & ita non sentit detrimentum
ex illa relaxatione. Respondetur primùm, satis esse
Solutio. quòd non sentiat commodum, vt talis indulgentia
impertinens sit: remissio enim publicæ pœnæ saltem
in rebus ad conuictum humanum ordinatis, habet
commodum, & ideò non est impertinens, quia ad hoc
proximè ordinatur: indulgentia verò sacramentalis C
pœnitentiæ nec per se ordinatur ad hęc exteriora cõ-
moda, neque ad illa per se vtilis est: & ideò si neque
spiritualem fructum affert, impertinens est. Deinde
etiam moraliter detrimentum afferret, tum quia abla-
ta obligatione, regulariter homines satisfactiones
omitterent: tum etiam quia illudmet opus posteà fa-
ctum non esset satisfactorium ex opere operato, quin
iam non habet ordinem ad claues.

7 Differentia inter satisfactionẽ propria voluntate assumptam, & à confessore impositam. Vnde colligitur alia notanda differentia, quia pœ-
nitentia iniuncta solùm in exteriori foro non est pars
sacramenti, & ideò quanuis per se remittatur, nullum
sequitur incommodum, at verò pœnitentia iniuncta
in sacramentali foro, est pars sacramenti, & ideò non D
potest per se tolli, nec libera facultas dari mutilandi
sacramentum, cùm hoc per se malum sit. Hoc autem
inconueniens non sequitur, quando pœnitentia in sa-
cramento iniuncta non per se relaxatur, sed per sub-
stractionẽ sui fundamenti, scilicet, reatus pœnæ apud
Deum. Quia sacramentum non postulat hanc inte-
gritatem satisfactionis nisi propter hunc effectum, &
ideò illo consequuto, non est contra reuerentiam sa-
cramenti, quòd illa integritas omittatur. Imò, cùm
tale sacramentum sit iustum iudicium, ex se postulat
vt satisfactio non exigatur, si aliàs debitum solutum
iam sit, vel remissio consequuta. Atque hinc tandem
concluditur ratio conuincens conclusionem positam,
partim ex principiis concessis, partim ex probatis in
Ratio alia cõclusionis. superiori puncto. Nam per indulgentias relaxatur sa- E
cramentalis pœnitentia, vt maximè supponũt hi Au-
ctores, cum quibus disputamus: sed hæc pœnitentia
non relaxatur per se, sed quatenus connexionem ha-
bet cum reatu pœnæ, propter quem imposita est, &
quo ablato cessat eius obligatio: ergo per indulgen-
tias non tantùm relaxantur pœnitentiæ iniunctæ in
foro Ecclesiæ, sed etiam aufertur ipsemet reatus pœ-
næ apud Deum, imò hoc est quod primariò fit aliud
consecutione quadam. Confirmari hoc potest, quia
aliàs per tales indulgentias non applicaretur thesau-
rus, nec propter illas esset necessarius: item non pos-
sent defunctis applicari, qui iam sunt liberi à
pœnitentia sacramentali: vtrumque au-
tem est contra mentẽ Pontificum,
& verba concessionum.

## *Indulgentiam concessam sine adiectione particulæ* de iniunctis pœnitentiis, *ad quaslibet pœnas peccatorum extendi Cõclusio 2.*

Dico secundò, Indulgentiæ, quæ simpliciter, & 8 Probatur primò.
sine adiectione illa, *de pœnitentiis iniunctis*, non
solùm remittunt pœnitentias iniunctas, seu pœnas
illis correspondentes, sed etiam quaslibet alias iuxta
quantitatem seu largitatem concessionis. Ita tenent
Auctores citati pro tertia opinione, & pro præcedenti
assertione, & quos in sequenti referam. Et probatur
sufficienter ex illo principio, quòd indulgentia valet
prout conceditur, neque à nobis est restringenda, sed
potiùs amplianda quantùm verba patiuntur, cùm fa-
uores ampliandi sint, præsertim illi, qui cedunt in fa-
uorem animarum, & nulli nocent, qualis est indul-
gentiarum fauor, vt rectè sensit Gloss. in Clem. vnica, Glos.
verb. *Confessionis*, de reliquiis & vener. Sanct. quam Syluest.
sequitur Syluest. verb. *Indulgentia*, quæst. 7. dist. 8. & Angel.
quæst. 8. num. 22. dist. 4. & Angel. verbo, *Indulgentia*, Corduba.
in principio, & Cordub. q. 9. versùs finem. Non de- Indulgẽtias esse odiosas, quomodo intelligendum.
sunt verò Auctores, qui dicant indulgentias esse odio-
sas, quatenus eneruant pœnitentias iniunctas, & con-
tinent dispensationem bonorum communium, &
ideò esse strictè interpretandas, vt patet ex Nauar. Nauarr.
Comment. de Indulgentiis, notab. 9. nu. 9. cum Palud. Paludan.
in 4. d. 20. q. 4. Sed hoc vt verum sit, intelligẽdum est,
vt indulgentiæ non sint extendendæ ad personas, vel
actiones, aut casus similes, sed iuxta tenorem verbo-
rum, & quoad illũ pręcisè limitandę & restringendę,
non verò quòd vltra tenorẽ ipsorum verborum liceat
nobis addere aliquid, quo tenorem ipsum restringa-
mus, hoc enim & cõtra rationem est, & contra omne
ius. Sed aiunt, hãc restrictionem non à nobis addi vo-
luntariè, sed ex iure ipso sumi, vt supra allegatum est,
& ex alio iuris principio, quod habet, generalem con-
cessionem iuxta ius commune esse interpretandam,
argumento c. *Licet*, & eorum quæ ibi notantur, de
Translat. Episcopo. Respondemus tamen; nullum
esse ius commune, in quo talis restrictio fundari pos-
sit. Nam, licèt in aliquibus decretis fiat mentio indul-
gentiarum de pœnitentiis iniunctis, in multis verò
aliis non additur illa restrictio, nullumq; est decretum
significans omnia esse cum illa restrictione intelli-
genda, Addo, in dicto c. *Cùm ex eo*, de pœnit. & remiss.
vbi refertur forma, qua solent vti summi Pontifices in
concedendis indulgentiis, nullam mentionem fieri
iniunctarum pœnitentiarum.

9 In indulgẽtiis plenariis probatur cõclusio. Extrauag. Antiquorũ, de Pœnit. & remiss. Caiet. improbatur. Secundò ergo principaliter probatur conclusio,
distinguendo indulgentias, quæ sine illo addito con-
ceduntur: quædã enim sunt plenariæ indulgentiæ, alię
definitæ ad certam pœnæ quantitatem. De prioribus
habemus exemplũ in Extrauag. *Antiquorum*. de Pœn.
& remiss. cum similibus; cùm ergo plena remissio in-
cludat totius pœnæ remissionem, certũ videtur, talẽ
indulgentiã comprehendere omnia peccata, siue pro
illis sint iniunctæ pœnitentiæ, siue non. Respõdet Ca-
iet. etiã hîc addendã esse illam restrictionem, nimirũ,
vt fiat remissio plena, & vniuersalis omniũ iniuncta-
rum pœnitentiarum, non verò ampliorem. Hæc verò
interpretatio incredibilis est, primò, quia ipsemet Bo- Bonif. 8.
nifacius VIII. aliter explicuit intentionẽ suã, vt refe- Palud.
runt Palud. suprà, & Ioan. Monachus in expositione Ioan.
dictæ Extrauag. verb. *Plenissimam*, vbi ait, se audiente, Monach.
declarasse dictum Põtificem in Consistorio Cardina-
lium voluisse tam plenã indulgentiã concedere, quam
potest dari per Ecclesiæ claues, nõ est autem dubium
quin fuerit in Pontifice potestas ad illam in prædi-
cto sensu concedendã. Vndè Palud. addit, dictũ Pon-
tificem reprehendisse pœnitentiarios eo anno impo-
nentes

nentes nouas satisfactiones. Est autem mirum Caietanum ita suæ opinioni adhæsisse, vt dixerit vereri se, ne Bonifacius vt priuatus Doctor non verò vt Pontifex, expositionem illam adhibuerit: nam aperire intentionem suam non erat munus Doctoris, sed Pontificis, & hominis fide digni: supponebat autem illa declaratio, verba illius decretalis sufficientia fuisse ad exequēdam adæquatè illam intensionem; nam intentio sine verbis in huiusmodi rebus non sufficit ad effectum. Secundò, quia Bonifacius concedit illam indulgentiam *verè pœnitentibus, & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur*, ergo iuxta hunc tenorem, etiamsi quis nunquàm fuisset confessus sua peccata, si habeat eorum contritionem, & propositum confitendi illa, poterit indulgentiam lucrari, & remissionem omnium peccatorum obtinere, etiamsi iniunctas pœnitentias non habeat.

10 Tertiò, ad lucrandam illam indulgentiam necessarium est peregrinis hominibus Romam adire, & per quindecim dies Basilicas Petri, & Pauli visitare, quibus adiddit etiam Lateranēsem Ecclesiam Clemens VI. in Extrau. *Vnigenitus*, eod.tit. Paulus verò 11. & Sixtus 1v. Ecclesiā S. Mariæ maioris addiderūt, vt patet ex Extrauag. *Quemadmodum*, de Pœnit. & remiss. At verò si tantùm cōsequerētur indulgentiam pœnę pœnitentiarum iniunctarum fortasse quamplures plus laboris assumerent, quàm per iniunctas pœnitentias eis esset impositum. Quod argumentum euidentiùs sumitur ex indulgentia quam Martin. V. concesit in confirmatione Concilij Constantiensis in sess. 45. eiusdem Concilij, quam *absolutionem plenariam* vocat, præcipit autē, vt qui eam consequi voluerint, semel in vita, priùs per annum ieiunent singulis sextis feriis, & pro absolutione in mortis articulo, per alium annum, & vt posteà vsque ad finem vitæ vel similiter ieiunēt singulis sextis feriis, vel alia opera pietatis peragant: quæ onera sunt grauissima, si per eam indulgentiam solùm concedebatur relaxatio de pœnitentiis iniunctis. Ergo dicendum est, esse absolutè de omnibus peccatis, prout verba sonant. Quartò, idem confirmatur ex forma concedendi indulgentias sæpius vsitata, per quam declaratur, concedi indulgentiam plenariam tam plenè remittentem pœnam, quantùm in Baptismo remittitur, ita posit homo, si in eo statu moriatur, statim cœlum ingredi absque alia purgatione. Quam formam concedendi, Caietanus negare non potuit, dixit tamen, eam sumptam esse ex nostra opinione, quæ communis est, ideoque non absolutè, sed sub formidine proferri, *vt indicant* (inquit) *verba illa quæ adiunguntur, Quantùm claues se extendunt, &c.* Sed in primis magnum argumentum est, Pontifices adhærere huic opinioni, & secundùm illam loqui. Deinde aut Caietanus dubitat de potestate, aut de volūtate Pontificum: prius dubium satis ablatum est disput. præcedenti: posterius autem sine ratione est, quia non est verisimile, Pontifices decipere fideles omnes, cùm sciant has indulgētias plenarias hoc sensu accipi communiter à fidelibus: si enim solùm vellent de iniunctis pœnittēiis eas concedere, deberēt id declarare, cùm facilè possent, esset que necessarium ad vulgarem errorem tollendum.

11 Prætereà verba illa, *Quantùm claues se extendunt*, non solùm non indicant formidinem, verùm etiam tollunt omne dubium, quia indubitatum est, claues, quātùm est ex se, seu ex potestate ligandi, & soluendi, se extendere ad totum hunc effectum: si ergo Pontifices declarant se concedere quantùm claues se extendunt nullus relinquitur locus opinioni, aut formidini, quia de potestate non est quæstio, sed de facto: factum autem pendet ex voluntate concedentis: qui non habet formidinem aut opinionem de sua voluntate, sed certitudinem, eamque per illa verba sufficienter declarare. Si quid verò formidinis indicare videntur dicta verba, non est de concessione, sed de effectu eius; claues enim, vt operantes per indulgentiam, sed extendunt ad omnem pœnam, non verò ad culpam: & ideò aiunt Pontifices, se concedere restitutionem ad innocentiam baptismalem, quantùm claues se extendunt; id est, quantùm ad pœnæ reatum, si culpa supponatur remissa. Et ita etiam exploditur aliud refugium Caiet. dicentis, illam formam concedendi indulgentias intelligi posse quantùm est ex parte earum, quia præsumitur facta confessio de omnibus peccatis, & de omnibus esse pœnitentiam iniunctam. Hoc enim & voluntarium, & falsum est, tū quia sæpe conceduntur hæ indulgentiæ pro his, qui nondum confessi sunt: sed tantùm contriti cum proposito confitendi, tum etiam quia licèt posit præsumi facta confessio de omnibus peccatis mortalibus, non tamen de omnibus venialibus: tum denique, quia verba illa, *Quantùm claues Ecclesiæ se extendunt*, vniuersaloria, sunt, vt satis declaratum est.

12 Suadetur conclusio in indulgentia nō plenaria.

Supereſt dicendum de alio membro diuisionis positæ, scilicet, quando indulgentia non est totalis, sed partialis, indefinitè tamen ac simpliciter concessa: de qua in primis procedit illa ratio, quòd cùm à concedente indifferenter tribuatur, à subdito etiam poterit indifferenter obtineri. Addo verò subinde, facilius applicari ad peccata pro quibus nondum sunt pœnitentiæ iniunctæ, quàm ad alia, quia melius est vt pauciora vincula relaxentur, quàm plura: quod ampliùs post sequentem conclusionem explicabimus. Nec verò opposita sententia satis probabile habet fundamentum, vt eam limitationem in his etiam partialibus seu temporalibus indulgentiis admittamus. Primùm quia (vt dicebamus) illa forma, *De pœnitentiis iniunctis*, nec semper additur, nec est vllo iure præscripta. Deinde quia forma illa antiquior est, erátque in vsu, eò quòd sacramentales pœnitentiæ grauiores imponebantur, quarum relaxatio magis desiderari poterat: nunc autem pœnitentiæ sunt leuiores propter hominum fragilitatem, ideoque penè omissa iam est illa forma, consuetumque est absolutè remissiones fieri. Quæ licèt fiant per numerum annorum, seu quadragenarum, non poterit intelligi de pœnitentiis iam iniunctis, sed etiam de iniungendis, seu de taxatis secundùm antiquum modum, & per proportionem ad illas: & ita facilè soluuntur omnia in principio huius puncti tacta. Nam de comparatione illa inter relaxationem pœnarum pertinentium ad forum externum, & ad internum, seu sacramentale, iam fusè ostendimus nullius esse momenti, esseque rationem longè diuersam.

13 Ratio Caietani contra conclusionē positam soluitur.

Vnde etiam facilè soluitur quod Caietanus instat, *quia consentaneum* (inquit) *rationi est, vt iudex Ecclesiasticus non iudicet, nisi de latis ad suum iudicium*, & consequenter vt non mittat pœnas, nisi eorum peccatorum, quæ ad iudicium confessionis delata sunt. Si enim hæc ratio aliquid valet, non solùm probat ita de facto fieri, sed etiam non posse aliter fieri. Procedit ergo illa ratio in eodem foro sacramentali, in quo nec iudex soluit, nec soluere potest pœnas nisi eorum peccatorum, quæ per confessionem ad illud iudicium delata sunt. Secus autem est in diuersis foris: nam cognitio, quæ in vno habetur, nihil confert ad aliud exercendum, ideoque impertinens est illam requirere. Ita verò est in præsenti, quia forum indulgētiarum est longè diuersum à foro sacramentali. Eò vel maximè quòd forum indulgentiarum non tam est iustitiæ, quàm gratiæ, nec remittit per sententiam particularem, sed quasi per legem, vel sententiam generalem, sub hac conditione, si tale opus fiat: & ideo non sup-

ponit culpæ cognitionem, sed solùm requirit rationabilem causam ad remittẽdum tantùm reatum, vel debitum in re existens, quandocunque contractum sit.

## *Indulgentiam de iniunctis pœnitentiis, etiam extendi ad pœnas peccatorum pro quibus pœnitentia non est iniuncta. Assert. 3.*

14 Ratio assertionis. D. Thom.

DIco tertiò: etiamsi tenor indulgentiæ sit de iniunctis pœnitentiis, nihilominùs valet ad remittendas pœnas peccatorum, si pro illis nullę pœnitentiæ iniunctæ sint. Ita sentit D. Thom. dist. 20. q. 1. artic. 3. quæstion. 1. dum simpliciter ait, indulgentias valere ad remissionem pœnarum, siue pœnitentiæ sint iniunctæ, siue non. Clariùs refert illam opinionem Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 1. n. 18. censetque illam valdè probabilem. Idem Antonin. 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 3. Defendit hanc opinionem Thomas Elysius in Clypeo piorum Catholicorum, qu. 44. art. 7. & idem sentit Supplementum Gabrielis dist. 45. quæstion. 3. art. 2. & Medina disp. 4. de Indulgentiis, cap. 14. & d. 6. cap. 27. & sumitur ex his quę tradit Nauarrus suprà à numero octauo, quanuis iudicio meo non consequenter loquatur. Ratio, ad hãc assertionem astruendam est, quia illa adiectio, *de pœnitentiis iniunctis*, non est restrictiua, sed potiùs ampliatiua: quia maius quid videtur, remittere pœnas pro quibus sacramentalis pœnitentia iam est iniuncta, quàm reliquas pœnas: ergo cui cõceditur indulgentia de pœnis iniunctis, non negatur de non iniunctis, si vel aliàs non habeat, vel nolit illas sibi relaxari. Antecedens declaratur primò à simili: nam in foro exteriori facilius est iudici remittere delictum, aut pœnam eius, priusquam sententia definitiua de illa lata sit, & pœna imposita, quam post illam. Sic ergo in præsenti videri potest difficilius remittere pœnitentiam iniunctam per definitiuam sententiam fori pœnitentialis, quàm ante eam. Item, quia difficilius est tollere duplex vinculum, quàm vnum tantùm. Tandem quia probabile est, quoties ex opere operantis per voluntarias pœnitentias quis satisfacit pro peccatis suis, priùs remitti pœnas illorum peccatorum, quæ non habent definitam pœnitentiam iniunctam per potestatem clauium, quàm eorum, quæ in confessione iam iudicata sunt: quia horum remissio reseruatur facienda per pœnitentiam iniunctam quantùm fieri potest. Signum ergo est, ex hac parte faciliorem esse remissionem pœnarum absque relatione iniunctarum pœnitentiarum: ergo verisimile est, idem contingere, eundémque ordinem seruari in remissione per indulgentias, ita vt si alicui concedantur septem anni indulgentiæ simpliciter & absolutè, habeatque debitum illorum, tam de peccatis confessis, quàm de non confessis, lucrando talem indulgentiam, non consequatur remissionem de pœnitentiis iniunctis, sed de aliis: quia cùm possit illa indulgentia habere suum effectum non derogando iuri confessoris, nec eius præceptum abrogando, & cum maiori commodo eius, cui indulgentia donatur, ita omninò explicandus videtur talis indulgentiæ effectus: hac ergo ratione facilior est indulgentia, vbi non est iniuncta pœnitentia: quàm vbi iam est iniuncta.

Particula, *de iniunctis pœnitentiis*, ampliatiua est, non restrictiua.

15 Cap. Ex parte, de Decimis.

Iam verò probatur prima consequentia, primò ex cap. *ex parte*, 17. de Decimis pro regula statuente, quòd, *vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur*; quæ maximè procedit in his, quæ sunt eiusdem ordinis, & per se ad idem priuilegium, seu potestatem spectant, qualia sine dubio sunt ea, de quibus nunc agimus. Secundò declaratur, quia illa particula, *de iniunctis pœnitentiis*, additur ad augendam concessionem hoc modo: quia quando indulgentia sic conceditur, immediatè tollitur reatus illius pœnæ, pro quo erat pœnitentia iniuncta, & consequenter relaxatur eadem pœnitentia, etiamsi homo habeat reatus aliorum peccatorum, pro quibus non est pœnitentia iniuncta, quod tamen non fieret iuxta superiùs dicta, nisi concessio facta esset cum illa adiectione, & declaratione: ergo, cùm hæc adiectio facta sit ad maiorem fauorem, non excludit aliam remissionem, si opus illa sit. Vnde confirmatur tertiò eadem illatio, quia beneficium Principis largissimè interpretandum est, vt dicitur in cap. *Olim*, de verbor. significat. & aliis, quæ ibi Gloss. citat. Quod maximè verum habet, quando tale beneficium alicui prodest, & nemini nocet, vt Doctores ibi interpretantur, & in cap. *Quia circa*, de Priuilegiis; ad hanc autem largissimam, & aptissimam interpretationem pertinere videtur, vt quando in cõcessione additur speciale verbum, quod optimè intelligitur positum ad ampliandam concessionem, sine alicuius exceptione, hoc modo exponatur: ita verò est in præsenti: nam illud additum, *de pœnitentiis iniunctis*, potest optimè exponi per modum ampliationis absque exceptione vlla, ergo ita intelligendum est. Estque optimum simile, si alicui concedatur facultas absoluendi à casibus reseruatis, sine dubio enim intelligitur etiam concedi à non reseruatis, quia illud additum positum est ad ampliandam concessionem. Vnde etiam fit, vt talis concessio absoluendi à reseruatis, perinde valeat ac si dictum esset, etiam à reseruatis: ergo simili modo interpretari rectè possumus indulgẽtiam de pœnitẽtiis iniũctis, vt sensus sit, etiã de pœnitentiis iniũctis, per quæ verba euidens est alias non excludi. Neque talis interpretatio est voluntaria, per quam possint facilè multi textus corrumpi, vt Caietanus obiicit: quia non dicimus semper licere illam particulam, *etiam*, addere: sed tunc solùm quando implicitè continetur in proprietate verbi adiuncti, consideratis aliis regulis iuris, & recta ratione: hæc autem omnia concurrunt, quando id quod additur, rectè intelligitur positũ ad ampliandam concessionem fauorabilem.

16 Quartò accedit optima congruentia, quia nulla est ratio ob quam Papa cõcedat remissionem tantæ pœnę Purgatorij, pro qua est pœnitentia iniuncta, excludendo illam pro qua non est imposita, quando altera deest, cùm remissio illius, neque sit maius beneficiũ, neque speciale aliquod nocumentũ, aut inconueniens afferat, nec denique occurrat aliqua conueniens ratio, ob quam recipi potuerit. Respondeti potest ex Nauar. suprà, eum, cui est pœnitẽtia iniuncta: digniorem esse remissione, eò quòd & acceptauit eam, & facere proposuit. Sed certè hoc parui momenti est, quia ex vsu, & ex Bullis, quibus cõceduntur indulgentiæ, facilè intelligi potest, huiusmodi indulgentiam non concedi propter hanc dignitatẽ hominis pœnitentis, qualiscunque illa sit. Deinde retorqueo argumentum: nam si hîc est fauor illo titulo seu ratione concessus, non debet in detrimentum eiusdem personæ redundare. Ponamus ergo illum hominem, cui est talis indulgentia concessa, priusquàm illam lucraretur, satisfactionem sibi impositã integrè impleuisse: si ergo posteà lucretur indulgentiam, nullum fructum ex illa consequetur, etiamsi habeat reatus aliorum peccatorum, pro quibus non sunt pœnitentiæ iniunctæ, atq; ita priuabitur fructu is, qui dignior erat maiori fauore, quod est absurdũ. Quæ ratio potest in hũc modum ampliùs vrgeri: nam cùm dicitur, *de pœnitentiis iniunctis*, vel intelligitur de iniunctis in vltima confessione, vel in aliqua alia, aut indefinitè de quibuscunque iniunctis in toto tempore vitæ; certum autem videtur non posse priori modo intelligi, quia concessio est

sio est indefinita, & quæcunque illarum est sine fundamento. Si autem intelligatur absolutè de tota vita præterita, interrogo rursus, an intelligatur solùm de pœnitentiis nondum impletis, vel etiam de impletis. Primum videtur contra omnem rationem, sic enim ille esset aptior ad tales indulgentias comparãdas, qui esset negligentior in pœnitentiis implendis: imò qui consultò illas omitteret, quoad negotium indulgẽtiæ fieret melioris conditionis, quod contra rationem est, & contra intentionem Pontificum, qui in ipsismet concessionibus indulgentiarum solent homines exhortari ad satisfactionem pro peccatis nihilominùs exhibendam. Secundum autem videtur repugnare contrariæ opinioni, quia si pœnitentiæ iniunctæ impletæ sunt, iam non debentur, nec pœna quæ illis respondet: ergo iterum per indulgentiam remitti non possunt. Quòd si ad instar, aut mensuram illarum remittitur similis pœna, pro qua nondum fuerat pœnitentia iniuncta; hoc est quod intendimus, nam inde concluditur formam illam intelligendam esse, de pœnitentiis iniunctis, aut iuxta mensuram illarum, seu, quod idem est, de iniunctis à iure, vel ab homine, vel si ab homine, de iniunctis aut iniungendis, vel etiam de iniunctis, licet nondum impletæ sint.

17 Vnde Durand. suprà de huiusmodi homine concedit, quòd si priùs lucretur indulgentiam, & nihilominùs posteà iniunctam pœnitentiam exequatur, per huiusmodi pœnitentiam consequetur remissionem aliarum pœnarum, seu peccatorum, etiamsi talis pœnitentia non sit pro illis iniuncta: quod est certissimum ex opere operantis, valdeque probabile ex opere operato: quia, licèt talis pœnitentia iniuncta sit per respectum ad vnum, vel aliud peccatum in confessione explicatum, tamen effectus eius non est limitatus ad reatum illius peccati: nam, licèt illum primò tollat, si duret; tamen si sublatum inueniat, tantundem pœnæ remittet ex quocunque alio. Ergo pari ratione si priùs pœnitentiam impleuit, & posteà lucratus est indulgentiam, vtriusque effectum consequetur: incredibile enim est, propter solum diuersum ordinem operandi minui, vel augeri effectus: præsertim cùm ordo ille priùs satisfaciendi, & posteà lucrandi indulgentiam, melior, magisque consulendus ex suo genere videatur: ergo indulgentia concessa de pœnitentiis iniunctis aliquando habet effectum, etiam circa reatus aliorum peccatorum, saltem quando non inuenit alium.

Dices, hoc ad summum procedere in illo, qui habebat pœnitentias iniunctas, iam enim dignus effectus fuit lucrandi talem indulgentiam. Sed contra hoc est: quia, vt diximus, hæc indulgentia non conceditur intuitu talis meriti, vt ex tenore ipsius constat. Deinde est alia ratio, quæ assertionem ipsam confirmat, quia hæc indulgentia sæpè conceditur contritis cum solo proposito confitendi; ergo non conceditur intuitu illius meriti, vel bonæ dispositionis, quæ fuit in confessione, seu acceptatione satisfactionis impositæ. Præterea contingit aliquando, eum qui voluntariè acceptauit pœnitentiam iniunctam, posteà grauiter peccasse illam non implendo, vel etiam grauius, habendo propositum nunquàm illam implendi; & nihilominùs, si posteà per contritionem se disponat, sine dubio consequetur indulgentia: non ergo attendẽdus est fructus indulgentiæ ex illo merito operantis.

18 Fundamentum contrariæ opinionis soluitur. Atque ex probationibus huius conclusionis solutum relinquitur fundamentum contrariæ opinionis. Verum est enim indulgentiarum effectum esse iuxta formam concessionis, quia in ea consistit absolutio, quæ per indulgentiam fit: negamus tamen in illa forma remissionis, *de pœnitentiis iniunctis*; non includi quascũque pœnas peccatis debitas, quia vt dixi, illa dictio non est restrictiua, sed ampliatiua. Dices, Quid ergo operatur illa additio? Respondetur, fortasse hoc operari, quòd quando illa ponitur primò, ac per se remittitur propria pœna respõdens pœnitentiis iniunctis, vt statim etiam tollatur obligatio implendi tales pœnitentias: quod fortè non fieret, si concessio esset absoluta, & sine illo addito, non enim tunc relaxaretur præceptum de pœnitentia iniuncta, donec moraliter constaret remissionem aliarum pœnarum factam esse, ideóque talem indulgentiam abstulisse reatum, pro cuius compensatione pœnitentia iniuncta fuerat. Vnde etiam probabile fit, si is, qui lucratur talem indulgentiam de pœnitentiis iniunctis, nolit liberari obligatione implendi tales pœnitentias, ideóque potiùs velit consequi remissionem aliarum pœnarum, pro quibus non erat talis pœnitentia imposita, id obtinere apud Deum, quia in hoc cedit fauori sibi concesso: ergo non est cur non possit id facere. Maximè, cùm hoc ipso videatur esse dignior tali remissione, quòd non vult liberari obligatione implendi pœnitentiam sibi impositam. Consequetur ergo totum effectum indulgentiæ de aliis pœnis, posteà verò alium fructum obtinebit, quia per pœnitentiam iniunctam faciliùs, & ex opere operato pro reliqua pœna satisfacier.

19 Obiect. contra explicationem particulæ, *de pœnitentiis iniunctis.* Soluitur primò. Sed obiiciet aliquis contra dictam interpretationem: nam aliquando indulgentia plenaria conceditur cum illo addito de *pœnitentiis iniunctis*: ibi autem illa particula non potest propter ampliationem poni, quandoquidem indulgentia plenaria ex se & immediatè complectitur omnia peccata, siue habeant pœnitentias iniunctas, siue non. Respondeo in primis, me non legisse vllam indulgentiam plenariam cum illo addito concessam, sed absolutè, vt patet ex citatis Extrauagantib. de Pœnitent. & remiss. & ex Decreto Martini V. in fine Concilij Constantiensis, & ex Decreto pro expeditione Terræ Sanctæ Innocenti III. in Concilio Lateranensi. Ibi tamen conceditur plena indulgentia omnium peccatorum, *de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi.* De qua forma fortasse concedi posset solùm remitti ex vi illius veniam peccatorum, de quibus aliquis confessus est. Veriùs tamen existimo, etiam illam indulgentiam esse simpliciter plenariam, paulò enim inferiùs in simili dicitur, *Plenam suorum concedimus veniam peccatorum:* & verisimile non est, hanc posteriorem esse maiorem indulgentiam, quàm priorem. Quem autem sensum habeãt illa verba, *corde contritis, & confessis*, infrà dicemus. Deinde dicitur, si talis forma concessionis plenariæ indulgentiæ inueniatur, solùm positam esse illam particulam, vel ad maiorem explicationem, vt intelligatur indulgentiam plenariam esse de pœnis, non de culpis, vel vt intelligatur extendi etiam ad pœnitentias iniunctas: vel denique quia sub iniunctis comprehenduntur iniungendæ, vel quæ iure iniunctæ sunt, & per hominem iniungi debent. Et potest expositio hæc confirmari: nam aliàs illa indulgentia plenaria de iniunctis pœnitentiis, maiorem, vel minorem effectum haberet, solùm quia confessor maiorem, vel minorem pœnitentiam imposuit, quod videtur absurdum. Atque ita placuit hæc expositio & sententia Supplem. Gabr. d. 45. quæst. 3. & fauent Palud. d. 20. quæstion. 4. Anton. 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 5. & (quidquid Corduba dicat quæst. 9. & 27.) potest facilè sustineri, quia ille sensus non est alienus à proprietate verborum: aliquo enim modo impositæ iam sunt pœnitentiæ, quæ iure aliquo taxatæ & iniunctæ sunt. Item quia, cùm non sit maior ratio de his pœnis, quàm de illis, meritò intelligimus omnes esse sub vno verbo contentas.

Secundò soluitur. Alio modo exponitur dicta particula.

Suppl. Gabr. Palud. Anton. Cordub.

Tandem obiici potest (ex Caietano, & Soto suprà) 20

cap.

cap. *Cùm ex eo*, de Pœn. & remiss. vbi Episcopis interdicitur ne indulgentias concedant nisi de pœnitentiis iniunctis: ergo signum est hoc esse facilius, magisque in Ecclesia vsitatum, atque adeò particulam illam restringere potestatem, seu concessionem. Respondeo, iuris peritos longè aliter intelligere textum illum, atque ita ex illo, eorumque interpretatione potiùs sententiam propositam confirmari. Dico ergo ibi solùm prohiberi Episcopis ne vltra annum in die dedicationis alicuius Ecclesiæ, nec vltra quadraginta dies pro anniuersario die eiusdem dedicationis, concedant: quod autem additur ibi, *de pœnitentiis iniunctis*, non est noua prolatio, sed explicatio potiùs amplæ concessionis: & ita ex hac parte confirmatur nostra sententia. Prior pars probatur primò ex Innocentio expresè dicente, *Non intelligo hanc potestatem restrictam in foro pœnitentiali, quin possit annos, & dies prout vult, indulgere.* Cum Innocentio transeunt Panorm. Hostien. & alij. Idemque sentit Ioan. Andr. qui omnes solùm intelligunt limitationem illam quoad tempus: idem colligitur ex Glossa & Doctoribus in cap. vlt. de Pœnit. & remiss. in 6. in quo textu idulgentiæ Episcoporum, si excedant statutum Concilij generalis in dict. cap. *Cùm ex eo*, nullæ esse dicuntur, dicuntur autem excedere quoad numerum dierum, vel annorum, vt ibi Glossa recepta exponit. Denique nullum est verbum in illis iuribus, quod aliter interpretari cogat: & consuetudo ita etiam interpretata est, quia nunc absolutè concedunt Episcopi illud tempus indulgentiæ. Imò nisi ita interpretemur, dicere quis posset, ibi solùm esse positam Episcopis limitationem temporis quoad indulgentias de pœnitentiis iniunctis, quoad alias verò nullam esse factam limitationem, vel prohibitionem, & ita relinqui in antiquo iure vel vsu, quod est planè falsum. Iam ergo probatur posterior pars ex eisdem Doctoribus, expressiùs verò illam declarauit Panormit. numero 4. vbi ponderat verbum illud textus, *Pœnitentialis satisfactio eneruari, quia optimè* (inquit) *probat, quod indulgentiæ prosunt, nedù in Purgatorio, sed etiam quoad pœnitentiam hîc iniunctam. Et clarius* (addit) *probat hoc litera infrà, de pœnitentiis iniunctis.* Et ex communi sententia docet Nauarr. in Comment. de indulgent. notab. 11. n. 9. & 10. Non ergo addita est hæc pars ad prohibendum ne Episcopi concedant indulgentias tanti temporis absolutè vel sine vlla additione, sed potius ad explicandum, posse illam concedere nō solùm absolutè, sed etiam de pœnitentiis iniunctis, ipsasmet pœnitentias remittēdo, simulcū pœna Purgatorij illis correspondente. Item ex ratione illius textus, scilicet, quia aliàs eneruatur satisfactio pœnitentialis, nihil aliud colligi potest, nec alia ratio afferri potest, ob quā maior limitatio fuerit necessaria.

Innoc.

Panor. Hostien. Ioan. And.

Nauar.

## SECTIO IIII.

### *Quotuplex sit effectus indulgentiæ, & consequenter quomodo ex hoc capite diuidatur in plenariam, & minorem.*

1 Indulgentiæ effectus est vnus secundùm speciem.

QVANVIS indulgentia de quacunque remissione dicta possit habere effectus specie differentes, vt per se notum est: indulgentia verò Ecclesiastica, de qua nunc agimus, & ad quam significandam hæc vox accommodata est, vt in principio notauimus, vnicum tantùm secundum speciem effectum per se habet, scilicèt, remissionem pœnæ temporalis relictæ in foro Dei ex peccatis remissis quoad culpā, vt ex dictis patet. Vnde fit vt hęc indulgentia secundùm speciem vnica sit. nec diuisionem recipiat: sicut enim motus ex termino, vel priuatio ex habitu, ita hic fauor indulgentiæ ex effectu, quem confert: suam veluti speciem sortitur. Nec refert quòd aliqua indulgentia præter remissionem pœnæ apud Deū relaxet etiā sacramentalem pœnitentiam, tum quia hic non pertinet ad effectum primarium & per se, sed est quasi consequens & resultans ex primario effectu, tum etiam quia hic effectus de se communis est omni indulgentiæ, semper enim relaxat talem pœnitētiam, si imposita sit: quòd autem aliquando non sit imposita, est accidētarium, & tunc etiam in virtute relaxat similem pœnitentiam: nam facit vt pro tali peccato imponi non possit. Neque etiam refert, quòd hic effectus remissionis huius pœnæ temporalis communis aliis rebus esse possit: nam, sicut ad eūdem terminum, vel ad idem materiale obiectum diuersi motus, vel potentiæ tendunt, & sub diuersis rationibus proprias species ab eo accipiūt, quatenus ad illud diuersis viis, aut modis tendunt: ita in præsenti quamuis remissio pœnæ tēporalis, quasi materialiter sumpta, variis modis, & à pluribus causis fieri possit, tamen, vt sit extra sacramentum per potestatem clauium, est proprius effectus, à quo indulgentia habet specificā differentiā suā, vt ex dictis de eius definitione constare potest. An verò in diuersis subiectis, & ex modo quo in eis operatur talē effectum, diuisionem aliquam recipiat videbimus infrà agentes de indulgentiis defunctorum.

2 Effectus indulgentiæ secundum quantitatem est multiplex.

Hic autem effectus remissionis pœnæ temporalis non est semper æqualis, sed aliquādo maior: aliquando verò minor, iuxta liberalitatē concedentis, & formam concessionis. In hoc enim verum habet cōmune axioma, indulgētias tantùm valere quātùm sonāt, seu (quod ad præsens sufficit) nō plus valere, quàm sonāt. Nam causa efficax effectus indulgentiæ, est voluntas concedentis sufficienter expressa; sola enim voluntas interna nō operatur, quia debet operari humanō modo, vt infrà dicemus: non ergo plus operatur, quàm in forma, seu cōcessione sonet aut exprimat: certum est autem non omnes indulgētias æqualiter sonare: nam quædam plures, quædam pauciores annos indulgentiæ concedunt. Sic igitur secundùm quantitatē multiplex est effectus indulgentiæ, vel (quod idem est) multiplex est indulgentia ex hoc capite.

### *Prima diuisio indulgentiæ.*

3 Indulgentia diuiditur in totalem, & partialem. Clemens VI.

HINC ergo habuit originem prima illa diuisio indulgentiæ in totalem, & partialem, quam significauit Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de Pœnitent. & remissio. dicens, *thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro personali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicandam.* Totalis indulgentia dici videtur, quæ totā pœnā remittit ei, cui applicatur; partialis verò, quæ tātùm remittit partem pœnę. Vnde illa, quæ totalis est, secundùm formalem rationem vnica est, & diuisionem non recipit, quia est maxima quæ fieri potest. Dico autem, *secundùm formalem rationem*, quia ex parte subiectorum potest effectus huius indulgentiæ esse maior, vel minor quasi materialiter, quatenus vnus, qui talem indulgentiam lucratur, potest esse debitor maioris pœnæ, quàm alius: & ideò fieri etiam potest vt indulgentia maiorem in illo habeat effectum, quàm in alio: tamen hoc est per accidens & quasi materialiter, quia non aufert illam pœnam quatenus tantam, vel quantam, sed quatenus totam, est autem accidentariū tali indulgentiæ, quòd tota pœna vnius maior, sit quàm alterius. Neque est inconueniens quòd eadem gratia, seu concessio inæquales effectus operetur in duobus, qui æquè se disponunt; vel æqualem diligentiā faciunt in ipsamet indulgentia requisitam: maximè

Quid vtraque sit. Quis sit adæquatus effectus indulgentiæ totalis

maximè in effectibus priuatiuis, quando illa inæqualitas materialis tantùm est, prouenieus tamen ex maiori forma, vt sic dicam, præsuppositа in subiecto. Sic enim Baptismus, verbi gratia, collatus duobus adultis positiuè æquè dispositis habentibus inæqualia debita culparum, vel pœnarũ, plus vni remittit, quàm alteri, licèt effectum positiuum gratiæ æqualem vtrique conferat: quia illa inæqualitas solùm prouenit ex eo, quòd in vno plura erant remittẽda, quàm in alio; nam, Baptismus ipse de se totum remittit. Sic etiam fit, vt æquale peccatum, vnum priuet maiori gratia, quàm alium, solùm quia vnus habebat maiorem gratiam, quàm alius: nam peccatum mortale de se totam gratiam, quam in subiecto inuenit, destruit. Ita ergo hæc indulgentia totalis potest maiorem, vel minorem pœnam remittere, semper tamen de se totam, quam in subiecto inuenit.

4 Indulgentia plenaria & totalis eadẽ sunt.

Ex quibus intelligi potest, hanc indulgentiam talem eandem esse, quam alia decreta indulgentiam plenariã vocant: ita enim Doctores citati intelligunt, & ex vi ipsius vocis manifestum videtur, tunc enim verè dicitur debitum plenè remitti, quando totum remittitur. Idem etiam constat ex eo, quod suprà dicebamus, interdum comparari hanc remissionem plenariam ei, quæ fit in Baptismo: seu declarari per hunc effectum, quia constituit hominem in eo statu, in quo possit statim ingredi cœlum; si in eo moriatur, quod non fit nisi per totalem remissionem pœnæ post remissam culpam: est ergo idem indulgentia plenaria, & totalis.

---

*Indulgentia Plena, Plenior, & Plenissima.*

5 Ratio dubij.

SED hîc occurrit specialis difficultas, nam, si indulgentia plenaria totalis est, non recipit magis, neque minus respectu eiusdem: consequens autem est contra stylum Curiæ, & canonum, in quibus inuenimus indulgentiam plenariam, pleniorem, seu largiorem, & plenissimam, vt patet ex Bonifacio octauo in Extrauagante, *Antiquorum*, de Pœnitentiis, & remission. vbi sic ait: *Non solùm plenam, largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum*: ergo est in hac indulgentia differentia inæqualitatis in effectu, ergo non omnes sunt totales. Imò præter has addi solet Iubilæus, quo maior quædam remissio significari censetur.

Extrauag. Antiquorũ, de pœnit. & remiss.

6 Variæ quorundam sententiæ. Palud.

De his vocabulis multa disputant Auctores, multíque conati sunt differentiam inter priora tria membra quoad remissionem pœnæ inuenire, vt videre licet in Paludano distinct. 20. quæstion. 4. Qui indulgentiam plenissimam voluit extendi vsque ad remissionem culpæ venialis: in quo deceptus est, vt suprà notauimus, & aduertit etiam Adrianus materia de Indulgentiis, Vbi aliter distinctionem illorum membrorũ declarat, & Supplem. Gab. in 4. d. 45. q. 3. & Nauarr. in Comm. de indulg. notab. 9. Qui omnes ad distinguenda illa membra supponunt, indulgentiam plenam, & pleniorem, non esse totales absolutè, sed vel in ordine ad mortalia tantùm, vel in ordine ad peccata confessa, vel ad pœnitentias iniunctas, aut iniungendas secundùm ordinariũ Ecclesiæ vsũ, vt latè refert Cord. q. 11. Qui dicit, fortasse aliquẽ ex his modis distinguendi significationes illorum verborum verum fuisse secundùm antiquum Ecclesiæ morem, quem indicat Bonifacius, non tamen declarat: & ideò incertum esse quis sit vnus modus, veraque ratio distinguendi illa membra, quia hoc pendet ex significatione, in qua accipiebantur illa vocabula, de qua nobis non constat. Nam quod ad rem spectat (secluſa illa extensione Paludani ad culpam venialem) certum est, potuisse illos varios modos remissionum per Pontifices fieri. Item verisimile est, vnam remissionem potuisse dici plenam quadam consideratione, quæ respectu alterius sit deficiens, sicut sanctitas hominis iusti habentis venialia peccata, dicitur perfecta, quæ imperfecta censetur respectu eius viatoris, qui liber est etiam à venialibus: hæc verò comparatione iustitiæ patriæ, imperfecta videtur; vel sicut beata Virgo dicitur fuisse plena in aduentu Angeli, plenior adueniente Filio, plenissima in morte. Ad hunc ergo vel similem modum potuit fortasse dici in præsenti: sed cùm hoc totum incertum sit, in diuinanda veritate immorari non expedit.

Adrian.

Supplem. Gabr. Nauarr.

Cordub.

Quocirca secundùm præsentem statum & vsum verius existimo nullam esse differentiam inter illas indulgentias quoad proprium & per se effectum indulgentiæ, vt sic. Quod tenuit Soto d. 21. q. 2. artic. 1. & Cordub. suprà, qui in eandem sententiam refert Medinam in tract. de indulgentiis. Colligitúrque ex dicta Extrauag. *Vnigenitus*, in qua indulgentia in duo illa tantùm membra secatur, totalem scilicet, & partialem: constat autem secundùm præsentem vsum Ecclesiæ solùm vocari indulgentiam plenariam eam, quæ totalis est. Idem colligitur ex Extrau. *Quemadmodum*, de Pœnit. & remiss. vbi Sixtus IV. volens reuocare omnes indulgentias æquiualentes illi, quæ in anno Iubilæi Romæ conceditur, solùm dicit, se reuocare omnes, & singulas plenarias indulgentias, etiam ad instar Iubilæi concessas. Et in Decreto pro expeditione Terræ Sanctæ in fine Concilij Lateranensis sub Innocentio III. solùm conceditur plena peccatorum venia quam cõstat fuisse plenissimam. Similiter Martinus V. in fine Concilij Lateranensis solùm appellat indulgentiam plenariam, de qua etiam suprà manifestè ostendimus esse totalem. Si ergo plenaria indulgentia absolutè, & sine vlla limitatione concessa, remittit omnem pœnam residuam de peccatis remissis quoad culpam, tam mortalibus, quàm venialibus, confessis, vel non confessis, habentibus pœnitentiam iniunctam, vel non habentibus, non supereſt aliquis maior effectus, qui per indulgentiam pleniorem, aut plenissimam fiat. Vnde quando addebantur illa verba, vt in dicta Extrauag. *Antiquorum*, fortasse id solum erat ad maiorem rei declarationem, & ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus oriri poterant. Imò ait Soto, indulgentiarum concionatores exaggerationis gratia illam gradationem inuenisse. Sed cùm Pontifex Bonifacius vsurpet illam loquendi formam, maius aliquod fundamentum habere videtur. Et fortasse non improbabiliter possumus vlteriùs cõsiderare, sicut Philosophi dicunt, priuationem totalem non recipere in se magis & minus, interdum tamen ratione causæ vnam vocari maiorem alia: ita in præsenti indulgentiam appellatam esse pleniorem aut plenissimam, non quia in remissione vel priuatione pœnæ magis aliquid efficiat, sed quia maiorẽ vel maximam habet causam, quæ de effectu indulgentiæ certiores potest reddere fideles.

Soto. Cordub. Medin. Extrauag. Vnigenitus.

Extrauag. Quemadmodum de Pœnit. & remiss.

Mart. V.

Respondetur Extrauganti Antiquorum.

7 Resolutio.

De Iubilæo autem, quod ad nomen spectat, multa videri possunt in Nauarro in Comment. de Iubilæo, notab. 1. 2. 3. & 4. Cordub. q. 11. de Indulgẽt. Bellarm. lib. 1. c. 1. Sed omissa etymologia vocis, quod ad rem spectat, summa est, Iubilæum ex prima impositione significasse annum remissionis, qui apud Hebræos erat quinquagesimus, in quo agrorum cultura cessabat, & omnes possessiones venditæ prioribus dominis restituebantur, Leuit. 25. & 27. Numer. vlt. Vnde apud Isaiam cap. 63. translata est illa vox ad significandum tempus Euangelicæ legis, quod per annum Iubilæi Hæbreorum significabatur. Hinc vsurpata est eadem vox ad significandum annum illum, in quo maximè indulgentiæ Romæ conceduntur, qui priùs fuit centesimus; nunc verò post 25. annos repetitur: inde

8 In quo differat Iubilæus à plenaria indulgentia. Nauarr. Cordub. Bellarm.

inde autem deriuata est vox,ad significãdam totalem indulgentiam, quæ sub plenissima forma conceditur. Maximè quando cum illa indulgentia, & in ordine ad lucrandam illam conceduntur alia priuilegia, seu fauores, vt absolutio à casibus reseruatis, & à censuris, & commutatio votorum, &c. Ita Corduba dict. q.11.ex Antonino,Syluestro,& aliis.Vnde obiter adnotare debent qui denunciant vel prædicant indulgentias,ne simplicem indulgentiam plenariã nomine Iubilæi pronuncient, ne fortasse aliqui decipiantur, putantes non tantùm propriam indulgentiam, sed etiam alios fauores seu priuilegia eis cõcedi: quia nomen Iubilæi iuxta vsitatam, & adæquatam significationem hæc omnia in rigore complectitur. Dices, In Bulla Cruciatæ conceditur indulgentia plenaria illo modo, & cum prædictis priuilegiis, & tamen iuxta communem modum loquendi non censetur ibi concedi Iubilæus.Ideò vltra dicta videtur ad Iubilæũ requiri quòd speciali indulto ad hunc finem principaliter concesso,& pro determinato tempore,vel etiam loco, & cum grauioribus circunstantiis, & conditionibus talis indulgentia concedatur. Vnde obiter adnotare debent, qui denunciant vel prædicant indulgentias,ne simplicem indulgentiam plenariam nomine Iubilæi pronuncient,ne fortasse aliqui decipiantur, putantes, non tantùm propriam indulgentiam, sed etiam alios fauores, seu priuilegia eis concedi, quia nomen Iubilæi iuxta vsitatam & adaquatam significationem hæc omnia in rigore complectitur.

9 Cur vltra plenariam indulgentiã addantur in Bullis aliqui dies vel quadragenæ indulgentiæ. Cordubæ respõsiones.

Sed dicet tandem aliquis, si indulgentia plenaria totalis est, cur aliquando vltra indulgentiã plenariam conceduntur tot dies vel quadragenæ indulgentiæ? Respõdet Corduba suprà in fine quæstionis 11. illum Curiæ stylum olim introductum esse occasione opinionum, & posteà vsu quodam esse retentum. Quæ ratio non sufficienter explicat vim illius concessionis. Et ideò addit secundam rationem, nimirum, illam additionem fieri, vt si fortasse causa indulgentiæ non fuerit sufficiens ad plenariam indulgentiam, saltem valeat ad illos dies, vel quadragenas obtinendas. Sed hæc ratio minùs probabilis est,quia quauis causa plenariæ indulgẽtiæ non sufficiat ad totam, semper sufficiet ad aliquam partem causæ proportionatam obtinendam: ergo sine illa additione causa habebit adæquatum effectũ: nullius ergo vtilitatis est illa additio.

Reiiciuntur.

Vera respõsio.

Dico ergo in primis, me non inueniisse illam formam concedendi indulgentiam in aliquo decreto iuris,neque etiam in aliqua Bulla authentica, quæ ad manus meas peruenerit,& ideò non oportere nos esse admodùm sollicitos in explicanda vera & prudente significatione illorum verborum. Deinde dico, vbi inuenta fuerint illa verba, considerandum esse an illæ duæ concessiones ad diuersa tempora,vel actiones possint referri:nam sic facilè fieri potest, vt priùs concedatur indulgentia plenaria, posteà verò tot dies & quadragenæ indulgentiæ,quia iam potest esse contractus nouus pœnæ reatus post priorem indulgentiam obtentam. Si verò constet totam illam indulgentiam sub eadem conditione,& diligentia ad idem momentum referri sub ratione vnius integræ concessionis,tunc verisimile mihi est,vltra indulgentiam plenariam,quam quis sibi lucratur,concedi alios dies, vel annos indulgentiæ, vt per modum suffragij offerre illos possit, etiamsi in rescripto hoc expressè non declaretur, quia(quod credendum est) illud non frustrà conceditur, sed aliquo modo vtili; non occurrit autem alius modus, quo possit talis indulgentia integrum habere effectum,aut additio illa alicuius esse vtilitatis.

10 Vltimò circa hoc membrum dubitari potest, quibus verbis plenaria indulgentia concedi intelligatur. Respondetur tamen breuiter; quoties non additur signum aut verbum determinans remissionem ad partem pœnæ peccatorum, intelligi totam pœnam remitti,atque adeò indulgentiam esse plenam seu totalem. Itaque si expressè addatur particula *plenaria*, vel alia æquiualens, res est clara. Idem est si dicatur, *Indulgentia omnium peccatorum*: quia indulgere omnia est totum reatum eorum remittere. Denique idem censeo, si indefinitè dicatur, *Concedimus indulgentiam peccatorum*: quia in his formis indefinita æquiualet vniuersali, quia aliàs concessio esset inutilis,cùm non possit ad vnam partem magis quàm ad aliam determinari, quod dicendum non est: ergo illa verba satis declarant mentem concedentis esse totalem indulgentiam concedere; hanc enim in rigore significat vox indulgentia ad partem aliquam non limitata. Intelligendum verò hoc est quando concedens habet plenam potestatem,nam si habeat limitatam, vt Episcopi,non debet vti illa forma,si autem illa vtatur,intelligitur concedere quantùm potest.

11 Partialis indulgentia quæ sit.

Atque hinc tandem expositum manet aliud membrum principalis diuisionis in principio positæ, scilicet indulgentia partialis: est enim illa, quæ non absolutè, sed cum aliqua additione determinante remissionem ad partem pœnæ conceditur. Constat enim posse hoc modo concedi indulgentiam:quia pœna potest per partes remitti, vt suprà ostensum est: & Prælatus Ecclesiæ potest, vel iuxta causæ exigentiam, vel iuxta suam limitatam potestatem,vel certè pro sua voluntate,partem tantùm pœnæ remittere: quando ergo hoc sufficienter in concessione explicatur, indulgentia est partialis. Iam verò sequitur explicandum, quibus modis hæc indulgentia concedi soleat; quod in sequenti sectione commodiùs dicemus.

## SECTIO V.

### *Quibus modis partialis indulgentia concedatur.*

1 PRIMVS modus esse potest, si indulgentia tantùm concedatur de pœnitentiis iniunctis, iuxta multorũ sententiam suprà tractatam. Sed hic modus in nostra opinione locum non habet, quia exposuimus illam adiectionem non esse restrictiuam, sed potiùs augmentatiuam. Quod facilè intelligitur quando simul additur alia partialis determinatio, vt vnius anni, vel quadragenæ de pœnitentiis iniunctis, id est, etiam de illis,iuxta cap. *Cùm ex eo* de Pœnit.& remiss.& communem expositionem superiùs traditam. Idemque est,si indulgentia concedatur indefinitè,& sine alia limitatione, præter illam ad pœnitentiis iniũctis, vt si tenor sit,*Consequatur qui hoc fecerit, indulgentiam de pœnitentiis iniunctis*. Nonnullam verò habet maiorem dubitationem, quando conceditur *indulgentia plenaria de pœnitentiis iniunctis*, quia tunc hæc particula videtur diminuens, & consequenter faciens, vt indulgentia non sit totalis, nisi secundùm quid, absolutè tamen partialis. Ad hoc verò iam suprà responsum est, etiam ibi particulam illam non restringere, sed explicare magis, & quasi exaggerare indulgentiam, vt scilicet intelligatur habere effectum etiam in causis iam iudicatis,& non solùm quoad pœnam Purgatorij, sed etiam quoad pœnitentiam sacramentalem. Aut intelligendam esse particulam de pœnitentiis iam ab homine iniunctis, vel quæ secundum ius, aut rectam rationem iniungi deberent.

An

*An particula*, contritis, & confessis, *in cõcessione addita, faciat indulgentiam partialem.*

2

ALIA additio, per quam censetur indulgentia restringi, vt partialis sit, videtur esse quãdo cõceditur indulgentia de peccatis, *contritis, & confessis.* Circa quam formam concessionis aduertendum est; aliud esse, quantùm ex tenore verborum apparet, concedere indulgentiam de peccatis, homnibus contritis, & confessis, aliud verò concedere homini indulgentiam de peccatis, de quibus contritus & confessus quis fuerit. Nam in priori locutione limitatio non ponitur ex parte peccatorum, quorum pœnæ remittendæ sunt: sed ex parte personæ quoad conditionem seu operationem, quæ ab illa postulatur, vt talem indulgentiam consequatur, nimirum, quòd sua peccata fuerit confessa. Et ideò ex vi talis concessionis indulgentia non est partialis, sed totalis, quia si quis legitimè confessus fuerit, quanuis multa peccata propter obliuionem, vel aliam legitimam causam in confessione omiserit, omnium plenariam indulgentiã consequatur, quia iam impleuit conditionem in indulgentia requisitam; & quoad effectum nulla est posita limitatio. Quod rectè sensit Caietanus tract.5. de Indulgentiis, quæst.10. Idem tenet Corduba q.27. proposit.2. qui refert plures Canonistas, & Summistas, quorum non video probabile fundamentum: & ideò eos prætermitto. Qualis autem futura sit illa confessio, & quo tempore sit exhibenda, quando ex parte eius, qui lucraturus est indulgentiam, requiritur, infrà suo loco dicendum est.

Quid de indulgentiade peccatis, hominibus cõtritis & cõfessis cõcessa.

Caiet. Cordub.

3

At verò in altera concessionis forma non videtur determinatio poni ex parte personę, sed ex parte effectus seu peccatorum, quorum pœna per indulgentiã relaxatur: & ideò talis indulgentia videtur esse partialis, & non totalis; quia non de omnibus peccatis simpliciter, sed de illis tantùm, quorũ quispiam confessus est, conceditur. Fieri autem potest, vt aliquis multa habeat peccata nunquàm confessa, qui tamen legitimè indulgentiam illam lucretur, vel quia illa peccata fuerũt tantùm venialia, vel quia fuerunt mortalia inculpabiliter oblita, & omissa in confessione, vel quia fuerunt commissa post vltimã confessionem, & de illis solùm est homo contritus, & nondum confessus, quod sufficit ad talem indulgentiam lucrandam, saltem quoad remissionem pœnæ debitæ pro aliis peccatis iam confessis; quia ex vi talis formæ non postulatur confessio, vt conditio necessaria simpliciter ex parte ipsius personæ ad lucrandam indulgentiam, sed solùm ex parte materiæ, vt sic dicam, circa quam versari debet effectus talis indulgentiæ. Atque hanc sentẽtiam tenet Corduba dict. quæst.27. cum Angelo verb. *Indulgentia*, num.2. & Summa Rosella verb. *Indulgentia*, num.16. Gerson, Supplemento Gabrielis, & aliis: estque valdè probabilis opinio, quia est valdè conformis verbis concessionis, ex quibus maximè pendet effectus indulgentiæ.

Quid de indulgẽtia de peccatis, de quibus quis cõtritus fuerit, & cõfessus.

Prima opinio.

Cord. Angel. Rosell. Gerson. Sup. Gabr.

4

Nihilominùs alii sentiunt illam indulgentiam esse totalẽ, & illam particulam, *contritis, & confessis*, non esse restrictiuam, sed tantùm declaratiuam, ita vt perinde valeat, ac si diceretur, *de omnibus peccatis remissis per contritionem, & confessionem.* Ita videntur sentire Adrianus in 4. materia de indulgentiis, Anton. 1.p.tit. 10.c.3.§.5, & Nauarr. in Comment. de Indulgentiis, notab.18.num.14. qui citat Angelum in Summ. verb. *Indulgentia*, §. 17. Idem Nauarr. in notabil. 30. num. 11. & 12. citans Felinum, Syluestrum, & alios. Sed hi Auctores, quos Nauarr. citat, magis loquuntur in priori casu, quando hæc determinatio ponitur circa personam, inde tamen potest à simili, vel à fortiori argu-

Secũda opinio.

Adrian. Anton. Nauar. Angel.

mentum sumi. Estque pia, & probabilis opinio, quia, vt dixi, indulgentia inter fauores cõputatur, qui ampliandi sunt quantùm verba patiuntur. Quòd autem illa verba possint ad hunc sensum sine improprietate extendi, ita declaro, distinguendo varios casus, vel modos, quibus peccata possunt esse nondũ confessa. Primus est, quãdo peccata illa mortalia sunt, & commissa ante vltimam confessionem, in ea tamen fuerunt omissa propter moralem impotentiam, siue illa fuerit oblitio, siue repentinus euentus, vel alia necessitas, quæ integritatem materialis confessionis impediuit. Et in eo casu, licèt illa peccata nõ sint sufficienter confessa, quoad obtinendam directam absolutionem sacramentalem illorum, & implendam obligationem illa confitendi in particulari; est tamen sufficiens quoad indulgentiam obtinendam etiam respectu illorum peccatorum: quia, licèt non sint confessa in particulari, saltem in generali sunt confessa, vel quia huiusmodi pœnitens semper se accusat de omnibus quæ commisit, vel signa aliqua talis confessionis exhibet, vel certè eo modo quo Concilium Tridentinum dixit, sess.14. cap.5. *reliquia peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Et quoad hæc peccata hoc videtur tandem admittere Corduba, quanuis non rectè dicat talem confessionem illorum peccatorum non sufficere ad absolutionem sacramentalem de eis habendam, nisi intelligat directè ac per se.

Conc. Trid.

5

Secundò possunt esse peccata mortalia commissa post vltimam confessionem, eorum tamen confessio omittitur ante tempus indulgentiæ, propter impotẽtiam confitendi, non ex defectu voluntatis, aut diligentiæ ipsius pœnitentis. Et tunc Nauar. & alij dicũt effectum indulgentiæ se extendere ad illa peccata, nõ obstante prædicta forma concessionis. Et videntur fundari in hoc, quòd propter impotentiam nemo debet fraudari fructu indulgentiæ. Ideóque aliter videntur sentire de illo, qui non propter impotentiam, sed propter suam voluntatem omittit tunc confessionem peccatorum illorum, etiamsi habeat voluntatem & propositum illa confitendi tẽpore debito. Sed hoc mihi non probatur, quia vel ex vi talis formæ indulgentiæ necessaria est confessio sacramentalis talium peccatorum ad obtinendam eorum remissionem per indulgentiam: & tunc quanuis propter impotentiam omittatur sacramentalis confessio, non obtinebitur indulgentia: nam in his fauoribus nullum est inconueniens, imò sæpissimè contingit vt propter impotentiam non obtineãtur, si conditio aliqua simpliciter ponitur, vt necessaria, & in ipsa cõcessione casus impotentiæ non excipiatur. Aut confessio sacramentalis in re facta non est simpliciter necessaria, & tunc siue propter impotentiam omittatur, siue voluntariè in aliud tempus necessarium differatur, obtinebitur indulgentia de talibus peccatis: quia, vt supponimus, in concessione indulgentiæ nihil amplius de casu potentiæ, quàm de casu voluntariæ dilationis declaratur. Et eadem ratione difficilis mihi videtur ratio vel expositio data in proximo puncto: nam, si ex vi & tenore concessionis necessaria est sacramẽtalis confessio talium peccatorum, profectò generalis illa inclusio non sufficit: nam confessio sacramentalis alicuius peccati in omni proprietate & communi vsu non dicitur, nisi illa quæ in particulari fit de tali peccato: si autem sacramentalis confessio non est necessaria in re ipsa, non oportet recurrere ad illam generalẽ cõcessionẽ, sufficit enim propositũ cõfitẽdi.

Quocirca, nisi aliqua ratione probabili ostendatur ex vi talis formæ non esse necessarium ad talem effectum, vt in re ipsa præcedat sacramentalis confessio talium peccatorum, non video quomodo de-

fendi possit, indulgentiam illam esse totalem. Neque facilè apparet, quomodò illud priùs defendi, aut sustineri possit, si indulgentia absolutè sonat, *de peccatis, de quibus aliquis contritus est, & confessus*: nam hæc verba ita absolutè dicta, non significant confessionem in voto, sed in re: nam confessio in voto non solet simpliciter appellari confessio, sed propositum confitendi: vnde quoties indulgentiæ non aliud requirunt, solùm contritionem postulant: quia in ea continetur confessio in voto, vel ad maiorem declarationem interdum addunt propositum confitendi. Solùm posset quis apparenter illam expositionem accommodare, quando concessio fit iuxta formam Concilij Lateranens. sub Innocentio III. his verbis, *Concedimus plenam remissionem suorum peccatorum, de quibus fuerint corde contriti, & confessi*: nam particula illa, *corde*, cum vtraque particula sequenti coniungi potest, ideoque sufficere cordis confessionem, id est, propositum confitendi talia peccata. Quid verò de hoc sentiendum sit, statim dicam.

7 An indulgẽtia concessa de peccatis de quibus quis contritus sit, & cõfessus, venialia includat, & quomodo. Adrian. Cordub.

Occurrit tertium punctum de peccatis venialibus, quomodo scilicet in tali concessione includantur, si de illis non sit facta confessio in re ipsa, cùm etiam votum eius necessarium ad iustificationem non sit, atque adeò in contritione non includatur. Adrianus enim suprà, & Corduba existimant pœnam venialium peccatorum non remitti per huiusmodi indulgentiam, nisi de illis sit facta sacramentalis confessio, vel in particulari, vel saltem in generali, qualis à multis fit, qui post confessionem singulorum peccatorũ, generaliter se accusant de omnibus in quibus Deum offenderunt. Sed certè hæc generalis accusatio sacramentalis propriè non est de his peccatis, hæc enim propriè significat specificam confessionem eorum: & ideò, si illa sufficit ad indulgentiam obtinendã de talibus peccatis, verisimile est illam non esse necessariam, quia vel nulla confessio exterior, vel sola sacramentalis petitur à Pontifice tanquàm conditio necessaria ad cõsequendam indulgentiã talium peccatorũ.

8

Quapropter satis verisimile existimo, effectum huius indulgentiæ extendi ad venialia peccata, etiamsi nullomodo confessio de illis facta sit, quia verba illa, *de quibus contriti, & confessi fuerint*, optimè possunt intelligi secundùm partitionem accommodam, ideſt, de vnoquoque peccato exigendo id, quod ad perfectam eius remissionem sufficiens est: satis enim dicitur quis de omnibus peccatis contritus, & confessus, qui de omnibus simpliciter est contritus, de mortalibus autem confessus, qui de his omnibus, de quibus necesse est, & sufficit conteri, contritus est, de quibus autem vltra hoc necesse est confiteri, confessus est. Vnde fit, nomine contritionis, non solùm contritionem perfectam, sed etiam quancunque attritionem, quæ per se sufficiat ad delenda venialia peccata, in illis verbis comprehendi. Et confirmatur hæc expositio, quia non est verisimile voluisse Pontificem, ad lucrandam integrè hanc indulgentiã, confessionem venialium peccatorum postulare, quia generalis, vt dixi, non postulatur: si verò futura sit specialis, sæpe est moraliter impossibile integrè fieri.

9 Indulgentiã cõcessam de peccatis de quibus quis contritus, & cõfessus fuerit, totale esse.

Sic igitur explicata illa indulgentia, non videtur esse partialis, sed totalis, & simpliciter plenaria. Potestque hæc sententia confirmari ex decreto illo pro expeditione Terræ sanctæ, quod habetur in fine Cõcilij Lateranensis sub Innocentio III. nam ibi duplex fit concessio: prior fit *omnibus qui laborant propriis viribus, & expensis*, sub illa forma, *Plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi, veniam indulgemus.* Altera fit eis, qui non in personis propriis, sed duntaxat suis expẽsis aliquos, iuxta qualitatem suam, ad tale bellum destinauerint, atque illis etiam, qui è conuerso in propriis personis, non tamen propriis expensis, accesserint: fit autem sub hac forma, *Plenam suorum concedimus veniam peccatorum.* Vnde fit argumentum. Non est verisimile posteriorem hanc concessionem esse maiorem priore, cùm prior concedatur his, qui in propriis personis, & propriis expensis laborant: posterior verò alterutrum tantùm facientibus, satis ergo est quòd indulgentia sit æqualis: sed posterior indulgentia est plenaria simpliciter, vt ex forma recitata constat: ergo signum est, etiam priorem indulgentiam esse plenariam simpliciter, & consequenter particulam illam, *de contritis, & confessis*, non restringere indulgentiam, sed explicare dispositionẽ ad illam necessariam. Dicere quis potest, hoc ideo esse, quia posterior restringenda est per priorem, & non è conuerso hæc per illam amplianda. Sed hoc voluntariè dictum est, tum quia fauores potiùs ampliandi sunt; tum etiam, quia in posteriore nulla fit relatio ad priorem. Nec nos dicimus illam priorem formam esse per posteriorem ampliandam, sed ex contextu & ratione colligimus illas duas formas tanquàm æquiualentes in iure accipi.

10

Censeo ergo hanc sententiam valdè verisimilem, præsertim quando in forma additur illa particula, *corde*, vel alia similis, quæ indicet sermonem esse de confessione in re, vel in proposito: nam si sermo sit magis absolutus, difficilior est illa expositio, quanquàm tunc etiam non desint Auctores graues, qui dicant, etiam tunc sufficere confessionem in voto, vt Glossa in Clem. vnic. de Relig. & venerat. Sãct. verb. *Confessis*, Abbas in c. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnit. & remiss. & Ioannes Andreas in c. *Quod autem*, eod. tit. Quos refert, & sequitur Sylvest. ver. *Indulgentia*, quæst. 7. distin. 2. & Angelus num. 18. & ibidem Summa Rosella & Paludan. dist. 20. q. 4. art. 3. Possetque vltra ipsos alia expositio dari, vt illa quidem forma intelligatur de confessione sacramentali in re facta, subintellecta tamen conditione, *Si necessaria, vel quãtùm necessaria sit, vt illa peccata remissa sint quoad culpam*: sæpe enim contritio non est tanta, vt per se sufficiat ad remissionem culpæ, additur ergo, *Contriti, & confessi*, propter casum in quo necessaria potest esse confessio. Quod ita declaratur, quia cùm dicitur, *de quibus contriti, &c.* necesse est contritionem ibi accipi generatim vt abstrahit à perfecta, & imperfecta, alioqui non sufficeret attritio cum confessione ad lucrandam talem indulgentiam: propterea ergo necessarium fuit addere confessionem: quia sola contritio illo modo accepta non poterat esse semper sufficiens: ergo verisimile est in tantùm adiungi confessionem, in quantùm necessaria est ad iustificationem, seu ad perficiendam contritionem. Sed de legitimo sensu harum formarũ infrà iterum redibit sermo: nunc hæc tantùm probabiliter disputata sint. Addo verò vltimò, etiamsi dicamus actualem confessionem talium peccatorum esse necessariam, nihilominùs indulgentiam illam de se talem esse, quamuis vt integrum habet effectum, maiorem quandam dispositionem, & specialem conditionem requirat ex parte lucrantis illam, nimirum sacramentalem confessionem talium peccatorum.

C Gloss. Abb. Io. Andr. Sylvest. Angel. Rosell. Palud.

D

E

---

## *Quando indulgentia per aliquot annos vel dies conceditur, quomodo illi computandi sint.*

11

TERTIÒ formula, & valdè vsitata indulgentiæ partialis est per numerum dierum, aut annorum, & sic concedi solent *quadragena*, id est, quadraginta dies indulgentiæ, & *septena*, id est, indulgentiæ septem

ptem annorum: solet etiam quædam indulgentia vocari *Carena*, quæ vtramque prædictam complectitur, scilicet ieiunium quadraginta dierum, & septenam aliam pœnitētiam. Est autem vulgare dubium in hac materia, quid per hac verba significetur. Aliqui enim putarunt, quando conceduntur tot dies, vel anni indulgentiæ, id intelligendum esse de diebus, vel annis Purgatorij, id est, vt tot annis ex pœna Purgatorij remittantur, quot in indulgentia exprimuntur. Quod videtur sensisse Viguerius in Institutionibus, cap. 18. §. 6. versic. 22. Eamque sententiam libenter arripiunt, & Catholicis tribuunt hæretici, vt irrideant indulgētias, quæ id remittunt quod nunquàm futurum est. Est tamen falsa sententia, primo propter rationem insinuatam, quia sæpe conceduntur mille, vel decem mille anni indulgentiæ, cùm tamen pœnæ Purgatorij ordinariè non sint tāto tēpore duraturę, vt creditur, de quo suprà dictum est. Secundò, quia ex verbis ipsis constat, Per illa nomina, *quadragena*, *septena*, & similia, significari antiquas pœnas, quæ olim erant in vsu Ecclesiæ, & iuxta illas fieri hāc remissionem. Tertiò, quia pœna Purgatorij non duratione tantùm, sed etiā intensione, & acerbitate pœnarum mensuratur: vnde verisimile non est, æquè remitti tot annos illius pœnæ, siue intensa sit, siue remissa.

Prima opinio.

Viguer.

Reiicitur.

12 Communis sententia.

Est igitur communis sententia, diem vel annum in huiusmodi indulgentiis proximè significare durationem pœnitentialis satisfactionis in hac vita exhibitæ pro peccatis, per indulgentiam autem remitti non solam satisfactionem pœnitentialem, sed tantam pœnam Purgatorij, quanta per pœnitentiam vnius diei, vel anni remitteretur. Ita explicat latè Soto d. 21. q. 2. art. 1. & Corduba q. 11. Et sufficienter probatur secunda ratione contra aliam sententiam facta, & à sufficienti partium enumeratione.

Soto. Corduba.

Prima verò ratio contra priorem sententiam facta non videtur per hanc interpretationem expediri, quia vnus annus pœnitentiæ huius vitæ æquiualet, seu remittit vnū annū Purgatorij, vel fortè ampliùs; quia licèt pœna huius seculi minor sit, quàm Purgatorij, tamen, quia voluntaria est, & non tantùm passionis, sed etiam propriè actionis rationem habeat, sufficit ad compensandam Purgatorij pœnam, tam in duratione, quàm in acerbitate: ergo quantùm ad inconueniens in illa ratione illatum, perinde est remittere mille annos pœnitentię huius vitæ, vel pœnæ Purgatorij. Propter hoc inconueniens vitandum, Soto suprà negat per vnum annum pœnitentiæ huius vitæ remitti Purgatorio vnum annum pœnæ, sed fortasse vnam horam, vel diem, & ideò fieri posse vt per mille annos indulgentiæ non remittatur vnus in Purgatorio: neque satis esse pœnam huius vitæ esse magis voluntariè assumptam, quia excessus, qui est in acerbitate pœnæ Purgatorij, non satis compensatur propter illam conditionem maioris voluntarij. At Corduba quæst. 32. hanc sententiam non approbat: putat enim quemlibet annū pœnitētię huius vitæ sufficere ad expiandum vnū annū pœnæ Purgatorij, propter dictam rationem maioris voluntarij, quę plus valet apud Deum, quàm acerbitas pœnæ: ideóque aliis modis ipse respondet ad obiectionem factam de tanto numero annorum, vt apud ipsum videre licet quęst. 20. Breuiter verò asserо, de re nobis incerta Auctores hos disputare, Ecclesiam verò vti illa mensura, quæ sibi nota est, remittendo illam pœnam Purgatorij, quæ tot annis pœnitentiæ huius vitæ responderet, siue illa sit æqualis durationis, siue minoris, & siue illi anni in Purgatorio computandi sint secundùm multitudinem pœnarum, quæ simul inferri possunt pro variis peccatis, & singulæ possunt multis annis durare, & ex omnibus illa multitudo annorum consurgere, siue omninò secundùm nostrum annorum duratio nem computandi sint: hæc enim nobis incerta sunt & ad causam præsentem non referunt.

Tunc verò difficultatem nobis ingerit tertia ratio suprà facta contra priorem sententiam, quæ videtur etiam contra hanc militare, quia pœnitentialis satisfactio eiusdem temporis non semper est eiusdem effectus, aut fructus: illa enim, quæ fit per opera magis pœnalia, plus remittit de pœna Purgatorij, etiamsi æqualis sit in duratione: quando ergo conceditur annus indulgentiæ, de qua pœnitentia illius anni intelligendum, id est de graui, an de leui pœnitentia? Item ieiunare semel in qualibet hebdomada vnius anni, potest dici annua pœnitentia, & ieiunare etiam omnibus diebus annis est annua pœnitentia, quæ longè diuersos effectus habent in remittēda Purgatorij pœna. De qua ergo intelligendus est annus indulgentiæ? & similes interrogationes possunt facilè multiplicari. Ad quas omnes vno verbo respondendum est, præter durationem pœnitentiæ subintelligendum esse eiusdem pœnitentiæ modum, id est, acerbitatē operis satisfactorij, & frequētiam eius intra annum & alias huiusmodi circunstantias, hoc enim argumentum factum conuincit. Hic autem pœnitentię modus erat per antiquos canones præscriptus, vt videre licet apud Gratianum in fine decreti, & distinctione 50. Burchardum libro sexto sui decreti. Sic ergo nomen *Carenæ* significat pœnitentiam quadraginta dierum in pane, & aqua, cum aliqua alia pœnitentia septē annorum, vt constat ex cap. *Accusati*, de Accusationibus: cuius verba sunt. *Si hoc fecerit, quadraginta dies in pane & aqua (quod Carena vocatur) cum septem sequentibus annis pœniteat.* Et similia ferè habentur in c. 2. de sponsa duorum. Vbi Glossæ notant Carenam dictam esse, vel per syncopen, quasi quarentenam, vel potius à carendo, vel cibis, vel consortio hominum, nam qui illam pœnitentiam agebant, per quadraginta dies recludebantur, & à consortio hominum separabantur. Quando ergo conceditur, v. g. vna Carena indulgentiæ, remittitur tanta pœna Purgatorij, quanta ex vi illius pœnitentiæ comparari poterat. Sic etiam in cap. *Hoc ipsum*, 33. quæst. 2. dicitur, *Ecclesiastica consuetudine vsurpatum est, vt maiorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concludatur.* Non declaratur autem illius septēnis pœnitētiæ modus. Ex aliis verò canonibus pœnitentialibus colligitur, pro aliquibus peccatis præscriptam esse certam aliquam pœnitentiā tanti temporis, vt v. g. ieiunare omnibus sextis feriis illorum annorum, vel quid simile: frequētiùs tamen, modus talis pœnitētiæ remittebatur arbitrio sacerdotis, iuxta æqualitatem criminis prudenter iudicantis. Nam, quia diuturnitas pœnitentiæ multùm confert, tum ad eius acerbitatem, tum etiam ad fructum, & quia faciliùs etiam definiri poterat, ideò frequentiùs canones pœnitentiales durationem pœnitētiæ determinabāt, modum autem eius committebant arbitrio sacerdotis, quanquàm etiam ipsa duratio tēporis nō erat ita præscripta, quin arbitrio etiam iudicis posset vel limitari, vel augeri, vt ex eisdē decretis colligitur: Estq; optimus locus in Cōc. Nicæn. c. 11. & 12. Et ita etiam constat quid nomine *septenæ*, vel *quadragenæ* significetur, nimirū pœnitentia, quæ secūdùm formā iuris, vel cōsuetudinē Ecclesiæ tanto tempore fieri solebat: & specialiter nomine quadragenæ alludi videtur ad pœnitentiam illam solennem, quæ in principio Quadragesimæ inchoabatur, & durabat vsque ad diem Cœnæ Domini, iuxta cap. *In capite*, d. 50. Vnde tandem fit, vt generalis regula ad explicandum hunc effectum sumenda sit in ordine ad prudens arbitrium sacerdotis: tum quia neque in decretis antiquis definiuntur

14 Iuxta quem modum pœnitentiæ, illi respōdeat indulgentia aliquorum dierum, &c.

pœnæ omnium peccatorum, cùm tamen indulgentiæ se extendant ad quælibet peccata: tum etiam quia ipsi pœnitentiales canones non excludebant arbitriũ sacerdotis, sed solùm erant veluti quædam regulę directiuæ illius. Quando ergo conceditur vnus annus indulgentiæ, v.g. intelligitur de pœnitentia vnius anni prudenter iniuncta à sacerdote pro talibus peccatis, & consequenter de tanta pœna Purgatorij, quanta per illam pœnitentiam redimeretur: tanta enim per similem indulgentiam remittitur, & secundùm hanc eandem proportionem explicanda erit omnis alia temporalis indulgentia, augendo vel minuendo effectum eius secundùm proportionem ad maius, vel minus tempus, cæteris paribus, quoad modum, & qualitatem pœnitentiæ.

15 Variæ difficultates. Prima.

Sed adhuc non quiescit animus, non satis concipit quomodo iuxta hanc interpretationem possit esse certus, ac definitus effectus huius indulgentiæ. Primò, quia eodem tempore, & per opus omninò simile vnus homo consequitur maioris pœnæ remissionem, quàm alius, vel quia gratior Deo est, vel quia maiori affectu operatur, vel ob alias circunstantias. Secundò, quia vel est sermo de pœnitentia iam actu iniuncta à sacerdote, vel quæ esset iniungenda secundùm rectam rationem. Primùm dici nõ potest consequenter ad ea, quæ anteà diximus: & saltem iuxta omnium sententiam locum non habet, quando in ipsa indulgentia expressè non dicitur, *de iniunctis pœnitentiis*, sed simpliciter conceduntur tot anni, vel quadragenæ indulgentiæ. Et prætereà nunc ferè nihil remitteretur per huiusmodi indulgentias, quia ferè omnes pœnitentiæ, quæ nunc iniunguntur per totam vitam homini committendi multa & grauia peccata, non æquiualent pœnitentiæ vnius anni, quæ olim iniungi solebat. Si autem dicatur secundum, pœnitentiæ quæ iniungi possent, etiam secundùm prudentiam, non consistunt in indiuisibili, sed etiam habent latitudinem rigorosæ, mediocris, & mitissimæ pœnæ intra latitudinem iustitiæ, quibus in remittenda pœna Purgatorij, inæqualis respondet effectus: per quam ergo ex his pœnis mensurandus erit effectus huius indulgentiæ? cùm ille certus esse, & in indiuisibili consistere debeat. Ei augetur difficultas, quia ad iniungendam pœnitentiam prudentis arbitrio, non solùm consideranda est grauitas criminis, sed etiam dispositio pœnitentis, vel bona, qualis est feruens contritio, quæ multùm confert, vt pro grauiori crimine leuior satisfactio imponatur; vel è contrario mala, seu minùs congrua dispositio, qualis est fragilitas in acceptanda, vel implenda pœnitentia. Quòd si dicatur hoc arbitrium, quod ad præsens pertinet, non esse sumendum ex dispositione pœnitentis, sed ex grauitate peccati secundùm se, tunc sequitur per huiusmodi indulgentiam remitti semper totam pœnam peccato debitam: nam illa pœnitentia prudenter imponitur pro aliquo crimine, quantùm est ex vi illius, quæ esset sufficiens ad expiandam totam pœnam Purgatorij illi correspondẽtem, iuxta grauitatem eius. Rursus cæteris paribus, pœnitentia iniuncta in sacramento, maiorem habet effectum, quàm non iniuncta, vtpote aliquid pœnæ remittens ex opere operato: incertum ergo est sub qua ratione mensuret effectum indulgentiæ. Nec occurrit vniuersalis ratio ob quam alterutrum illorum asseratur. Vltimò, est difficultas circa illam explicationem: nam ex illa sequitur, eandem indulgentiam, verbi gratia septennem, maiorem habere effectum in eo, qui grauiùs peccauit, solùm quia grauiùs peccauit, quanuis in cæteris dispositionibus, & operationibus sint pares, quod videtur absurdum. Sequela patet, quia licèt propter periurium v.g. aut adulterium esset imponenda septẽnis pœnitentia, grauior tamen propter periurium, quàm propter adulterium, & consequenter illam maiorem etiam Purgatorij pœnam auferret, quàm hæc: ergo eadem proportione periurus obtinens illam indulgentiam, maiorem remissionem pœnæ Purgatorij consequetur, quia illi grauior esset satisfactio imponenda.

Secunda.

Tertia.

16 Soluitur prima difficultas. Sitne ad effectum indulgentiæ pensanda dispositio lucrantis illã.

Nihilominùs recedendum non est à prædicta interpretatione: nulla enim aptior, & decretis, ac Bullis Pontificum conformior excogitari potest: ex solutionibus autem dictarum obiectionum magis explicabitur, & intelligetur. Ad primum ergo respondetur, fructum, qui corresponderet pœnitentiæ iniunctæ, si fieret, non esse pensandum ex circunstantiis personalibus, vt sic dicam, ipsius pœnitentis, quæ variæ sunt, & sæpe merè interiores, de quibus homines non iudicant, & hoc solum conuincere argumẽtum. Nihilominùs tamen mensurari potest, & debet per fructum, quem tale opus externũ, & laboriosum voluntariè factum, & cum cæteris conditionibus requisitis ad satisfactionẽ haberet si fieret: qui fructus apud Deum certus est, ac satis definitus, vt iuxta illum posset etiam esse certus ac definitus effectus indulgẽtiæ. Dici etiam potest (estque mihi valdè probabile) considerandum esse statum in quo aliquis lucratur indulgentiam, & feruorem, ac deuotionem qua se disponit ad indulgentiam lucrandam, & secundùm illum mensurandum esse fructum talis indulgentiæ, ita vt tãta pœna Purgatorij per illam remittatur, quãta redimeretur per tale opus pœnale tanto tempore factum in simili statu, & cum simili feruore, ac deuotione. Iuxta quam interpretationem talis indulgentia nõ habet in omnibus æqualẽ fructum, sed maiorem in eo qui meliori dispositione illam lucratur: nam, licèt in omnibus sit fructus septennis, iuxta tenorem indulgentiæ, tamen illi anni vberiores sunt, vt sic dicam, in vno, quàm in alio, propter meliorem lucrãtis dispositionem. Quæ interpretatio est consentanea optimæ prouidentiæ, vt fideles diligentiùs se ad indulgẽtias lucrandas præparẽt, estque satis apta ad rem totam explicandam, vt ex dicendis ampliùs patebit.

17 Secũda difficultas enodatur. Soto. Corduba.

Ad secundam difficultatem (omissa opinione Caietani suprà tractata) omnes fatentur, & Soto expressius declarauit, d. 21. q. 2. art. 1. & Corduba q. 32. qui plures alios citat, quando in concessione non additur expressa determinatio, *de pœnitentiis iniunctis*, annos, vel dies cõputandos esse secundùm pœnitentias imponẽdas pro talibus peccatis, iuxta rectam prudẽtiam legitimi iudicis: quia neque talis indulgentia à nobis limitanda est, cùm ex vi propriorũ verborũ nõ limitetur, neq; aliter potest secũdùm rectã rationẽ exponi: quia neq; solùm ius canonicũ, seu pœnitentiæ in eo designatæ sufficiũt: tum quia nec pro omnibus peccatis designatæ sunt, neque vbi designantur, excluditur sacerdotis arbitrium, vt diximus. Nec verò quodlibet arbitrium, sed prudens & iustum pro regula sumendum est: tum quia aliàs nihil esset certum & stabile, vt illa difficultas à fortiori cõuincit: tum etiam quia, cùm talis indulgentia concedatur quasi in compensationem seu excusationem pœnitẽtiæ, debet sine dubio de iusta, seu proportionata pœnitentia intelligi. Ad difficultatem autem respondetur primò, verisimile esse, mensuram effectus talis indulgentiæ esse summam, ac rigorosam pœnitentiam, quæ iuxta prudentiam pro tali culpa imponenda esset: quia hoc redundat in maiorem fauorem indulgentia: nam quò maior fuerit pœnitentia, tantò habebit maiorem cõpensationem pœnæ, & consequenter effectus indulgentiæ erit maior. Aliter etiam dici potest, quòd licèt in ordine ad humanam prudentiã distingui fortasse possint illi tres gradus pœnitentiæ, tamen spectata re ipsa

ipsa secundùm se, iustam pœnitentiam imponendam pro tali crimine esse vnius quantitatis,& apud Deum in indiuisibili consistere, & secundùm illam rationẽ accipiendam esse pœnitentiam,quæ imponenda dicitur secundùm prudens arbitrium : nam Deus & cognoscit illam,& quãtę pœnę Purgatorij æquialeret, ideóq;tantam etiam ipse remittit ratione indulgẽtiæ.

18 Replicæ fit satis.

Ad replicam verò, quod hoc prudens arbitrium fertur iuxta dispositionem pœnitẽtis,respondeti potest sicut ad priorem difficultatem,primò hîc nó agi de prudenti arbitrio pensatis circunstantiis extrinsecis,sed considerata tantùm grauitate criminis secũdùm se.Neque inde fit, vt semper ex vi talis indulgẽtiæ remittatur tota pœna peccato debita : tum quia fieri potest vt peccato debeatur septennis pœnitentia secundùm iuris,& iudicis arbitrium, & tamen quòd per indulgentiam tantùm remissio vnius anni concedatur:tum etiam quia non constat, per pœnitentiam in foro Ecclesiæ iustè impositam & condignam remitti totam pœnam, quæ in Purgatorio respondet tali peccato,hoc enim diuino iudicio reseruatum est. Secundò respondetur, etiam in hoc prudentiali iudicio non esse excludendam omninò dispositionem lucrantis indulgentiam, vt secundùm illam æstimari debeat pœnitẽtia,iuxta quæ pro talibus peccatis imponenda esset, nã hoc etiã est consentaneum rationi, & optimæ prouidentiæ. Quod ita etiam declaratur,quia tam satisfactio pœnitentialis,quàm effectus indulgentiæ non est nisi de pœna,quæ manet post remissam culpam, ergo iustum arbitrium in pœnitentia imponenda non est sumendum ex sola grauitate culpæ secundùm se, sed ex reatu pœnæ,qui post illam remissam manet:quia quò maior est,eò meretur maiorem pœnitentiam, est autem maior, vel minor respectu eiusdẽ culpæ, iuxta dispositionẽ pœnitẽtis:ergo hæc etiam consideranda est ad ferendũ illud prudens arbitrium:ergo respectu indulgentiæ hæc optimè cõsideratur secundùm illum statum,in quo quispiam lucratur indulgentiam : nam iuxta reatum pœnæ, quem tunc habet apud Deum ex tali culpa, dignus esset tanta pœnitentia:ergo rectè hoc modo explicatur prudens arbitrium, quod esse deberet in imponenda tali pœnitẽtia. Aliæ verò circunstantiæ omninò extrinsecæ, quales sunt infirmitas corporis ad exequendam pœnitentiam,vel etiam debilitas animi ad eam suscipiendam, & aliæ similes, non videntur mihi in hoc negotio considerandæ : nam licèt ratione illarum interdum imponatur prudẽter minor pœnitentia, tamen illud non est ex vi iustitiæ & æquitatis eius, sed potiùs ex quadam misericordia & dispensatione, seu suspensione iustitiæ : hæc autem computatio,seu commensuratio, de qua agimus,sumenda est secundùm iustitiæ æquitatem, illa enim est quæ per se pertinet ad rationem satisfactionis, reliqua verò sunt extrinseca,& per accidens.

*Quædam notantur pro doctrina de indulgentia de iniunctis pœnitentiis confirmanda.*

19 Cur antiquitus particula, *de iniunctis* consueuerit apponi indulgentiæ concessæ.

ATQVE ex his (priùs quàm ad cætera respondeam) possumus probabilem coniecturam facere ad confirmanda ea, quæ de indulgentiis concessis, de pœnitentiis iniunctis suprà diximus : est enim probabile in principio illam particulam, seu determinationem non alia ratione positam fuisse, nisi vt declararetur, illos dies vel annos indulgentiæ, qui concedebantur, non esse de annis Purgatorij : sed de annis Ecclesiasticæ pœnitentiæ : & ideò in principio, quando non satis constabat de illo sensu,semper illa formula exprimebatur, postea verò vsu indulgentiarum crescente, cœpit illa particula omitti,& indulgentia tot annorum vel dierum simpliciter concedi, quia iam satis ex vsu constabat de quibus annis sermo esset. Vnde vlteriùs colligo licèt indulgentia concedatur de pœnitentiis iniunctis, si tamen clauis de facto erraut in pœnitentia iniungenda, aut non seruauit iustitiæ æquitatem,tunc effectum indulgentiæ non respondere pœnitentiæ sic iniunctæ,sed quæ iniungenda fuisset secundùm iustitiæ æquitatem. Vt, v.g. si pœnitens propter peccata solùm merebatur vnius anni pœnitẽtiam,imposita autem illi fuit pœnitentia septennis,non consequetur indulgentiam iuxta proportionem ad pœnitẽtiam de facto iniunctam, sed secundùm proportionem ad eam,quæ iuxta rectã prudentiam imponenda fuisset, quia propter solam iniustitiam,vel imprudentiam confessoris non debet indulgentia augeri, præsertim quia talis pœnitentia iniuncta,si de eius iniustitia constat,non obligat. Atque eadem ratione, si condigna pœnitentia nimiùm diminuta fuit, quando fuit iniuncta, non propterea diminuetur indulgentiæ effectus,vt ex vtraque parte seruetur æqualitas, sempérque mensura indulgentiæ sit eadem : scilicet, condigna pœnitentia secundùm rectam rationem iniungenda. Vnde consequenter opinor, effectus harum indulgentiarum hoc tempore non esse mensurandos iuxta quãtitatem pœnitentiæ,quæ nunc solet imponi,quæ regulariter est leuissima, quia iam non imponitur secundùm rigorem & æquitatem iustitiæ, sed secundùm quandam condescensionem ad hominum fragilitatem consuetudine confirmatam:indulgentiæ autem semper concedũtur secundùm eãdem antiquam computationem dierum,vel annorum, vt ex forma ipsa indulgentiarum constat. Vnde etiam non probo quod quidam dicũt, per indulgentiam tot dierum,vel annorum simpliciter concessam sine illa additione, *de pœnitentiis iniunctis*,plus remitti de pœna Purgatorij quàm per similẽ iindulgentiã de pœnitentiis iniũctis,quia per priorem remittitur tota pœna,quæ respondet pœnitentiæ debitæ etiam grauissimæ, per posteriorem verò solùm tollitur pœna quæ respondet pœnitẽtiæ de facto iniunctæ. Sed hoc nobis non probatur : quia, si pœna iniuncta non est iusta, illa non est mensura, sed quæ futura esset iusta. Alias si pœnitentia de facto iniuncta quanuis esset deficiens esset mensura effectus indulgentiæ, eadem ratione quando esset excedens, similiter esset mensura : ergo etiam posset habere maiorem effectum, quàm alia indulgentia simpliciter concessa.

Effectus indulgentiæ partialis non est mensurãdus iuxta pœnitentiã quæ nunc iniungitur. Vide Corduban q.9.col. vlt. Corduba q 31 puncto 2.An plus remittatur pœnæ per partialem indulgẽtiam de pœnitentiis iniũctis, quàm si illa particula non addatur.

20 An effectus indulgentiæ commensuretur pœnitentiis, vt habeat effectũ ex opere operato,aut vice versa.

Ad aliam difficultatem superiùs factam, de effectu satisfactionis sacramentalis respondeo,incertum esse quomodo effectus huius partialis indulgentiæ tot dierũ, vel annorũ, siue de iniunctis, siue de non iniũctis pœnitẽtiis,illis commensuretur,an quatenus haberent effectum ex opere operantis,an ex opere operato. Videtur enim illud priùs verisimile, tum quia indulgentia ibi indifferenter conceditur de pœnitentia iniuncta,vel non iniuncta : ergo per se nõ respicit sacramentalem pœnitentiam, vt ei commensuretur. Tum etiam,quia sacramentalis effectus solùm debetur ei, qui re ipsa exercet opus sacramentale. Nihilominùs oppositum credo verisimile,quia, vt suprà dicebamus,per indulgentiam nullum detrimentum patitur is,qui illam lucratur:ergo, si ei remittitur tanta pœnitentia sacramentalis vt nullum inde sentiat detrimentum, necesse est tantam pœnam Purgatorij ei condonari, quanta pertalem pœnitentiam quouis modo remitteretur : ergo tàm ex opere operantis, quàm operato. Nec refert quòd interdum pœnitentia non sit iniuncta : nam perinde est excusari hominem ab exequenda pœnitentia iniuncta, vel immunem fieri,ne similis pœnitentia ei possit poni.

11 Soluitur tertia difficultas.

Vltimam difficultatem attigit Corduba q. 32 propos. 2. Corol. 2. & concedit sequelã, nec putat inconueniens, quòd eadem indulgentia temporalis maiorem Purgatorij pœnam remittat ei, qui propter grauius crimen maioris pœnæ debitor est, quia ad hanc indulgentiam accidentarium est, quòd pœna debita pro tali tempore, acerbior sit vel leuior: per se autem solùm est vt remittatur pœna pro tali tẽpore debita, quæcunque illa sit, sicut suprà dicebamus per indulgentiam plenariam plus remitti ei, qui plus debet, id tamen est accidentarium: nam per se solùm conuenit tali indulgentiæ remittere totam, quæcunque illa sit, ita ergo cũ proportione contingit in præsenti, & statim aliud exemplum adhibebimus.

12 Alia formula partialis indulgentiæ.

Quarta formula huius partialis indulgẽtiæ esse solet, quãdo remittitur tertia pars pœnæ debitæ pro peccatis, vel in alia simili proportione: & hæc videtur omnium clarissima, quia non est dubium quin possit pœna hoc modo per partes tolli, & consequenter, quòd is qui habet potestatem remittendi totam pœnam, possit tantùm huiusmodi partem remittere, si iudicet expediens. Solum videri posset incõueniẽs, quia hæc pars non est in omnibus pœna æqualis simpliciter, sed proportionalis suo debito. Hoc autem non est inconueniens, vt ex nuper dictis patet: quia illa inæqualitas est per accidens: nam ipsa indulgentia de se partem illam semper auferet, quæcunque illa sit. Dubitari etiam hîc posset, an talis indulgentia remittatetiam pœnitẽtias iniunctas cum eadem proportione. Breuiter tamen dicendum est, si in indulgentia id exprimatur, non esse dubium quin ita fiat: si verò non exprimatur, rem esse dubiam: nam probabile est, nó relaxari pœnitẽtias iniunctas, eriã quoad illam partem, nisi aliunde verisimiliter constet effectum indulgentiæ extendi vsque ad remissionẽ reatus illius pœnæ, pro qua pœnitentiæ erant iniunctæ. Supererat hoc loco dicendum, an hi effectus indulgentiæ infallibiles sint, vel possint augeri, aut minui, vel impediri ex parte suscipientis: sed hæc dicentur meliùs infrà, tractando de illo, cui indulgentia conceditur.

## SECTIO LI.

### *De thesauro Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur.*

POst effectus indulgentiarum dicendum sequitur de causis, ad quas pertinere videtur thesaurus Ecclesiæ: quia diuitiæ spirituales in eo contentæ sunt, veluti materia ex qua, vel potiùs sunt quasi moralia instrumẽta, quibus solnuntur temporales pœnæ: sicut pecuniæ sunt materia, seu instrumenta contractuum humanorum. Denique hic thesaurus censetur esse quasi basis & fundamentum indulgentiarum: & ideò inter causas meritò primum locum occupat. De quo tria potissimùm desiderari possunt: scilicet, an sit, & ex quibus bonis constet, & quàm necessarius sit ad indulgentiarum vsum. Ad quem verò pertineat huius thesauri dispensatio, in disputatione de causa efficiente indulgentiarum dicendum est.

## SECTIO I.

### *Vtrùm in Ecclesia sit spiritualis thesaurus, qui per indulgentias dispensari valeat.*

1 Opinio negans. Maironis.

NOn defuit inter Theologos, qui negauerit esse in Ecclesia huiusmodi thesaurum. Ita enim sensit Maironis in 4. d. 19. q. 2. Fundamentum eius fuit, quia hic thesaurus aut constat meritis Christi, aut Sanctorum: sed ex neutris constat, ergo nullus est. Minor quoad posteriorem partẽ tractabitur sectione sequente. Quoad priorem verò probatur à dicto Auctore, quia merita Christi sufficiens præmium habuerunt in ipso Christo homine, quando propter illa exaltatus est, & accepit nomen, quod est super omne nomen. Maximè verò videtur hæc sententia posse iuuari ex alia opinione Scoti, Durãdi, & aliorum, qui negãt Christi merita, & satisfactiones fuisse infiniti valoris: nam si fuerunt finita, profectò constare nó potest aliquid ex eis superfuisse, quod in thesauro reponeretur post solutionem factam pro toto genere humano ad redimendum illud, & post tot dona gratiæ, & gloriæ, totque peccatorum ac pœnarum remissiones propter Christum hominibus concessas. Quod si adhuc aliquid de meritis, & satisfactionibus Christi manet irremuneratum in conspectu Dei, fortasse totum illud necessarium est ad persoluendas gratias omnes, & remissiones concedendas hominibus propter Christum, & applicandas per sacramenta, & sacrificia vsque ad finem mundi: nulla ergo ratione constare potest aliqua Christi merita esse in speciali thesauro Ecclesiæ; qui ad dispensationem indulgentiarum deseruit. Quòd si quis respondeat illam opinionem falsam esse, Christíque merita esse infinita, & ideò ad omnes hos effectus, & varios applicationis modos sufficere. Hinc sequitur thesaurum hunc etiam post diem iudicij perpetuò duraturum, & fine condigno præmio permansurum, quod videtur inconueniens, & contra excellentiam diuinæ iustitiæ. Imò etiam sequitur non posse Deum exhaurire illum, aut condignè remunerare, quod diuinæ potentiæ repugnat.

2 Sententia affirmans vera & de fide.

Nihilominùs dicendum est, esse in Ecclesia Christi thesaurum potissimè, ac præcipuè constantem ex Christi meritis, & satisfactione, qui inter alios modos per indulgentias applicari, seu dispensari potest. Hæc assertio videtur esse de fide: & saltem contraria sententia à Theologis erronea censetur, vt videre licet in Caiet. Opus. 15. de Indulgentiis, c. 1. 2. & 3. Soto d. 21. q. 1. art. 2. Palud. d. 20. q. 4. Medin. Disp. 8. de Indulgentiis, c. 43. & seq. Cordub. q. 2. &. 3 de Indulgẽtiis, Petr. Sot. lect. 2. de Indulgentiis, Roffens. a. 17. cõtra Lutherũ. Et præcipuè tradita est, & declarata hæc veritas à Clem. VI. in Extrau. *Vnigenitus*, de Pœn. & remiss. vbi cùm dixisset, Christum Dominum per effusionem totius sanguinis sui nos redemisse, cùm vna gutta sanguinis propter vnionem ad Verbum, ad redẽptionem totius generis humani sufficere potuisset, subdit, *Quantùm ergo exinde, vt nec superuacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum cœli clauigerum, eiusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum.* Quæ verba & partes omnes nostræ assertionis continent, & singularũ præcipua fundamẽta, ac rationes declarãt.

Caiet. Soto. Palud. Medin. Cordub. Pet. Soto. Roffens. Clem. 6.

3 Principale enim fundamentum huius thesauri est vnio Verbi incarnati ad humanam naturam, in hunc finem facta, vt Verbum incarnatum lapsum hominẽ redimeret, & pro illo Deo Patri ex perfecta iustitia satisfaceret. Ex quo mysterio necessariò fuit cõsequẽs, vt opera, & pœnæ eiusdem incarnati Verbi infiniti fuerint meriti ac satisfactionis. Cúmque omnia ab ipso fuerint facta, & assumpta, vt à Redemptore hominum, & propter eorum salutem, sequitur etiam vt thesaurum ex illis bonis operibus ac pœnis resultantem, non tam sibi, quàm ipsis hominibus, quibus semper futurus erat iustitia, sanctificatio, & redemptio,

ptio,acquisierit.Hunc ergo thesaurum verè habet Ecclesia sibi à Christo acquisitum,& ex eius meritis, & satisfactione constantem. A

4 Ecclesiæ thesaurum esse infinitũ.

Deinde sequitur, quod idem Pontifex docuit, *Vt sic sit infinitus thesaurus hominibus.* Nam opera Christi propter infinitam excellentiam suppositi operantis infinitum valorem ad meritum & satisfactionem habuerunt,vt in primo Tomo huius tertiæ partis disputatione quarta latè demonstratum est. Atque hæ sunt *abũdãtes illæ diuitiæ gratiæ,quas Deus in bonitate super nos ostẽdit in Christo* IESV, de quibus loquitur Paulus ad Ephes.2.quas statim cap.3.*inuestigabiles diuitias Christi* appellat,& *dispensationem sacramenti à seculis in Deo.*Per quæ verba egregiè potest metaphora *thesauri* ad hunc Ecclesiæ thesaurum accommodari.Hæc enim vox in propria ac primæua significatione materialem thesaurum significat, quem definiens Iurisconsultus in l. *Nunquam.*ff.de acquirendo rer.domin.ait esse,*depositionem quandam pecuniæ,cuius non extat memoria.* Latiùs verò, & vulgari vsu accipi solet pro cumulo, in quo res pretiosissimę custoditæ,& recõditæ sunt:meritò ergo abundantissimus cumulus diuitiarũ Christi, thesaurus Ecclesiæ dictus est,qui propter infinitatem suam inuestigabilis,iuxta phasim Pauli, appellari potest. B

5 Tandem additum est à Pontifice, dispensationem huius thesauri Petro esse commissam loquitur autem præcipuè de dispensatione per indulgentias, quas ibi confirmare, & concedere intendebat; & ita etiam confirmat vltimam nostræ assertionis partem. Ad quam explicandam vlteriùs aduertendum est, iuxta doctrinam fidei, merita Christi & satisfactiones ad plura sufficere,quàm actu efficiat:sic enim dixit Ioannes prima Canon.capite tecundo, Christum esse *propitiationem pro peccatis nostris,non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* redemit enim Christus omnes mundi homines, etiamsi non omnes saluentur. Quod etiam manifestè confirmat esse in Ecclesia,seu apud Deum thesaurum meritorum Christi,in quo extant merita,& satisfactiones pro talibus oblata, quãuis eis non applicentur:fit etiam inde, præter Christi diuitias necessariam esse applicationem earum nobis factam,vt per earum effectus diuites efficiamur.Rursus pro certo supponendum est, hunc Christi, & Ecclesiæ thesaurum multis aliis modis hominibus applicari præter indulgentias; scilicet, per sacramenta, per sacrificium,& per alia pia fidelium opera. Ex quo concluditur obiter alia ratio conuincens necessitatem huius thesauri.Si enim Christi merita iam essent omninò ad æqualitatem remunerata, nihil ampliùs posset de iustitia nobis propter illa dari, neque effectus sacramentorum nobis darentur, vt iustum præmium meritorum Christi, neque nos possemus hac fide, & fiducia postulare aliquid propter Christi merita: quæ omnia sunt absurda,& hæretica. Igitur ex aliis vsibus meritorum Christi (vt sic dicam) euidenter conuincitur esse in Ecclesia thesaurum eorum.Addimus ergo inter alios modos dispẽsandi hunc thesaurum, vnum esse per indulgentias, quod non aliter nunc probandum est, quàm illo quo probauimus esse in Ecclesia indulgentias, & potestatem illas concedendi. Nam Clemens VI.ex eisdem clauibus Petro commissis, ex quibus nos indulgentiarum potestatem collegimus, infert dispensationem eiusdem thesauri per indulgentias,quia,nimirum, eadem est potestas, vnúsque, & idem actus eius: quia licèt indulgentia respectu huius, cui conceditur, sit liberalis remissio; tamen respectu Dei est sufficiens solutio ex meritis & satisfactionibus Christi:hic enim est optimus modus conciliandi misericordiam cum iustitia:estque modus possibilis,atque adeò comprehensus sub vniuersali potestate ligandi & soluendi, quæ est Petro commissa, vt latiùs sect.3.declarabimus. C

1.Ioan.2.

Ex his ergo facilè intelligitur superfluè ab hæreticis quæri, vbi sit hic Ecclesiæ thesaurus; quasi verò materialis ille sit,vt locum aliquem,in quo merita custodiantur,requirat. Est ergo res spiritualis, & moralis,non in materiali loco, sed in diuina acceptione & præsentia existens. Constat etiam ex dictis,ineptissimum,ac valdè erroneum esse Maironis fundamentũ, tum quia falsum est Christum in sua humanitate recepisse præmium adæquatum suis meritis: quamuis enim exaltatio, & gloria extrinseca & accidentalis, quam sibi promeruit, fuerit magnæ æstimationis ac valoris, non tamen est comparabilis cum infinito valore meritorum eius.Tum etiam,quia nihil distinguit inter meritum & satisfactionem, cùm tamen hæc valdè diuersa sint,vt in superioribus tactum est, & in sequẽti sectione iterum dicemus.Quidquid ergo fuerit de Christi operibus, vt meritoria sunt, tamen vt sunt satisfactoria,nihil ipsi Christo profuerunt:ad indulgentiarum autem effectum,thesaurus potiùs satisfactionum necessarius est,quàm meritorum, cùm ille effectus in sola remissione temporalis pœnæ consistat, quæ per satisfactionem compensanda seu redimenda est. 6

Maironis fundamentũ diluitur.

Quod verò ex aliorum opinione obiiciebatur, valorem meritorum Christi non esse infinitum ad meritum & satisfactionem, conuincitur profectò ex dictis alienum esse à verbis Pauli,& mẽte Pontificis, & communiori sensu Ecclesiæ, & grauiorum Doctorum, fundato in excellentia personæ Christi: de qua re latiùs diximus in citato loco de Incarnatio. Addo denique etiam illos Doctores non negare thesaurum hunc vt constantem ex meritis & satisfactionibus Christi, quia, licèt negent valorem meritorum Christi simpliciter esse infinitum ex dignitate personæ operantis, non tamen negant quandam infinitatem quasi syncategorematicam ex parte diuinæ acceptationis, quia potuerunt illa Christi opera acceptari à Deo ad maius & maius præmiũ, seu maiorem & maiorem remissionem peccatorum in infinitum. Vnde etiam non negant, nec negare possunt Christi opera de facto acceptata esse à Deo tanquàm sufficientia ad redimenda, quoad culpas & pœnas, omnia peccata hominum, quæ à principio mundi fuerunt, & nunc sunt, & erunt vsque ad finem seculi, cùm id expressè Scripturæ doceant infinitis locis, præsertim loco citato 1. Ioan. 2.Actorum item 4.& ad Ephes.1. Ex hoc autem principio euidenter sequitur, thesaurum meritorum, & satisfactionum Christi non esse exhaustum, neque exhauriendum esse vsque ad finem seculi, quantumcunque per indulgentias, vel per alia media ex illo persoluantur, & remittantur pœnæ debitæ peccatis hominum: nam, licèt fingatur esse actu finitus, ad minimum tantus est, quantus ad omnia illa peccata, & omnia debita eorum compensanda necessarius ac sufficiens est. Alioqui si obiectio esset alicuius momenti, etiam timere possemus ne sacramentorum virtus ad remittenda peccata, & pœnas eorum amitteretur,consumpto iam toto thesauro diuitiarum Christi. D E 7

Obiectio ex aliorum Doctorum opinione enodatur.

Neque vllo modo dicere potest Catholicus, ex meritis & satisfactionibus Christi solùm esse in thesauro repositum id, quod sufficit ad compensandas omnes gratias, vel remissiones cum effectu donandas vsque ad diem Iudicij per sacramenta vel sacrificia: tum quia necesse est vt valeat ad redimenda omnia peccata,quæ aliquando erunt, etiam ea quæ nunquàm remittentur, aliàs non fuisset sufficiens redemptor omnium: tum etiam, quia non solùm ad effectum sacramentorum, & sacrificia, sed etiam ad omnem gra- 8

tiam,vel remissionem,quæ alia quacunque via hominibus datur, efficax est, alioqui non fuisset Christus perfectus,& vniuersalis redemptor quoad efficaciam. Quanuis ergo demus licentiam fingendi thesaurum illum esse finitum, timeri non potest, quod ad indulgentiarum effectus sufficientiam non habeat. Verum est tamen, sufficientiam illam si non in intrinseco valore & dignitate, sed in sola extrinseca Dei acceptatione fundatur, vt dicti Auctores dicunt, non esse veram sufficientiam ad perfectam iustitiam sufficientem,sed imperfectam valdè, quantùm est ex parte ipsius Christi. Ideóque longè melius ac sapientiùs dixit Clemens VI. non esse timendum de diminutione,aut consumptione huius thesauri, propter infinitatem meritorum Christi: quam non in Dei acceptationem, sed in Verbi dignitatem reduxit.

9 Vnde consequenter fatendum est,etiam post diem Iudicij perpetuò duraturum hunc thesaurum,& in eo futuras esse satisfactiones sufficientes ad infinita alia peccata remittenda, & indulgentias in infinitum concedendas. Neque id est otiosum, sicut potentia Dei non est otiosa,etiamsi infinita possit operari,quæ non operatur,quia est attributum quoddam connaturale ipsi Deo, pertinens ad perfectionem eius: ita enim infinitus valor propriorum operum est quasi naturalis proprietas Dei hominis, pertinens ad perfectionem eius. Neque etiam hoc derogat aliquid iustitiæ, vel omnipotentiæ Dei, quia si consideremus rationem meriti & præmij,ad iustitiã,satis est vt detur totum illud præmium, ad quod ab operante efficaciter ordinatur tale meritum: ad potentiam verò sufficit vt quantùm Christus mereri potuit efficaciter, tantùm potuerit Deus remunerare, vt satis in citato loco explicatum relinquimus. Eademque proportio est inter satisfactionem pro culpa vel pœna, & earum remissionem. Solùm possemus addere;maiorem fuisse valorem satisfactionis Christi,quàm potuerint esse peccata hominum, & consequenter remissiones eorum. In quo non vincit Christus potentiam,vel bonitatem Dei, sed potentiam, vel potiùs impotentiam hominum ad peccandum, quia plus potuit ipse solus satisfacere, quàm possint omnes homines offendere seu demerer:,etiam & ipsi, & eorum peccata in infinitum multiplicentur.

## SECTIO II.

### *Vtrùm thesaurus Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur, constet etiam ex satisfactionibus Sanctorum.*

1 Maironis, & Durandi opinio. Prima ratio.

EX Theologis, præter Maironem, Durandus in 4.d.20.quæ.3.ausus est negare thesaurum Ecclesiæ vt constantem ex meritis, vel satisfactionibus aliorum præter Christum: affertque duas rationes. Prima est eadem cum ratione Maironis, quia opus perfectè remuneratum in vno,non debet etiam in altero remunerari:sed opera iustorum,vel sunt iam condignè remunerata in animabus eorum, vel si quid supereſt de præmio saltem secundario, in die Resurrectionis vltimæ conferetur. Hæc enim ratio, licèt in Christo fuerit inualida,in aliis Sanctis videtur efficax, tum quia merentur sibi tam essentiale commodum quàm accidentalia præmia: tum etiam, quia valor operum ipsorum finitus est, potestque recipere adæquatum præmium,quod Deus de facto præbet, etiam vltra condignum,iuxta illud, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis.* Rom.8. Luc.6. Et illud, *Mensuram bonam,& coagitatam,& superafluentem dabunt in sinu vestro.* Aliter potest hæc ratio proponi. Nam si quæ merita Sanctorum reponerentur in thesauro Ecclesiæ, maximè illa,quæ Sanctis superflua sunt;nam quæ sunt illis necessaria, aliis non applicantur: sed nulla sunt merita illis superflua, quia omnia sunt eis vtilia, & efficacia ad aliquod præmium, quia nullum est, vel minimum opus apud Deum, quod careat mercede sua:ergo nulla supersunt Sanctorum merita,quæ in thesauro reponantur.

2 Soluitur primò.

Duplex verò solutio ad hanc rationem dari solet. Prior est,merita Sanctorum,quanuis in ipsis habeant condignum præmium, posse valere ad impetrandum aliis, vel merendum de congruo aliquod bonum, vel aliquam pœnæ remissionem. Certum est enim iustum posse mereri de congruo, & impetrare alteri aliquod gratiæ beneficium, ob quod non priuatur præmio de condigno correspondente illi operi, per quod alteri meruit,seu impetrauit. Hæc verò responsio, licèt veram doctrinam contineat,non tamen est ad rem præsentem, quia hîc agimus de thesauro Ecclesiæ sufficiente ad efficacem remissionem cum æqualitate iustitiæ respectu Dei:in sola verò impetratione,aut merito de congruo non intercedit hæc ratio iustitiæ. Est ergo secunda responsio,aliud esse considerare in operibus iustorum rationem bonitatis ac meriti, aliud verò rationem pœnalitatis & satisfactionis; & quanuis sub priori ratione non inueniantur superflua, sub posteriori tamen inueniri, quia interdum Sancti plures pœnas, aut pœnitentias suscipiunt,quàm ad satisfaciendum pro peccatis suis necessariæ illis sint: sub illa ergo ratione recondi poterunt in thesauro Ecclesiæ,& prodesse ad remittendas aliorum pœnas.

Reiicitur responsio.

Soluitur secundò.

3 Durandi replica.

Contra hoc verò tacitè replicat Durandus, quia vel vnus iustus per modum suffragij pœnalitatem suam pro alio obtulit ad satisfaciendum pro illo,& sic iam illa satisfactio non est superflua, quia in alio iam habet effectum: vel illam pœnam non sic obtulit,sed simpliciter sustinuit propter Deum; & tunc opus illud, præter essentiale præmium illi respondens quatenus bonum est, habebit accidentale præmium condignum, quatenus tale est: ergo sub vtraque ratione manet condignè remuneratum: ergo sub neutra ratione habet aliquid superfluum, quod in thesauro Ecclesiæ reponatur. Atque hinc conficitur secunda ratio Durandi, quia opus vnius non potest alteri prodesse de iustitia, nisi ad hunc finem ab ipsomet operante referatur; nam est illa veluti donatio quædam quæ propria voluntate fieri debet: sed iusti nunquàm habuerunt hanc intentionem reponendi opera sua in thesauro Ecclesiæ,vt aliis prosint; sed sibi merendi quantùm potuerint apud Deum, in quo valdè sunt dissimiles Christo, vt per se constat:ergo opera iustorum non reponuntur in thesauro Ecclesiæ.

Secunda Durandi ratio.

4 Tertia ratio pro eadem sententia.

His rationibus, quæ à priori sunt, possumus nos alias adiungere. Tertiò igitur argumentor, quia ex contraria sententia sequitur in veteri Synagoga, imò & ab origine mundi fuisse in Ecclesia thesaurum meritorum, saltem vt resultantem ex superfluis operibus Sanctorum, quanuis non ex meritis Christi, quia non erant exhibita; nam quòd fuerint præuisa, non satis est vt dicantur iam fuisse in thesauro Ecclesiæ, quia quod nondum est factum, nondum est acquisitum seu thesaurizatum. Probatur ergo sequela, quia etiam illo tempore potuerunt viri eximij in sanctitate, in hac vita maiora mala pœnæ suscipere, vel sustinere, quàm propter sua peccata deberent,iuxta illud Iob.6. *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Iob.6. Sic etiam verisimile est, innocentem Abel post sanctissima opera, iniustam mortem patienter sustinendo, vltra debitum proprium satisfeciſſe: ergo si hoc

si hoc satis est ad thesaurum, etiam eo tempore erat in Ecclesia thesaurus. Consequens autem videtur absurdum, quia aliàs consequenter concedendum erit fuisse eo tempore in Ecclesia potestatem dispensandi thesaurum illum, alioqui inutilis fuisset talis thesaurus: nam in thesauro absconditо & inuiso nulla est vtilitas, vt Sapiens Ecclesiast. 20. & 21. significat: fuisset ergo tunc potestas concedendi indulgentias, atque adeò potestas clauium, quod absurdum est.

Eccles. 20. & 21.

5 Quarta ratio.

Quartò argumentor, quia hic thesaurus ex Sanctorum satisfactionibus, aut Christi dignitati derogat, aut nobis vtilis non est: quia vel Christi thesaurus est finitus, & hoc est contra dignitatem Christi; vel est infinitus, & sic vel nihil ei addi potest, quia infinitum non potest augeri, vel certè nobis non est vtilis illa additio, cùm ad omne commodum nostrum infinitæ diuitiæ Christi ita sufficiant, vt nihil sufficientiæ, aut efficaciæ ex aliorum meritis eis accrescere possit. Simile argumentum est, quia vel Christus nos sufficienter redemit ab omni culpa & pœna, vel indiget aliis veluti coadiutoribus in munere redemptionis ad illud consummandum: hoc posterius est contra Christi dignitatem, solus enim ille fuit perfectissimus redemptor, *neque enim est aliud nomen hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Propter quod D. Thom. 3. p. q. 48. art. 5. docet, passiones Sanctorum non prodesse nobis per modum redemptionis, sed solùm per modum exempli, & exhortationis, iuxta illud 2. ad Cor. 1. *Siue tribulamur, pro vestra exhortatione, & salute,* Si autè dicatur primum: ergo merita Sanctorum non possunt nobis prodesse ad redemptionem, vel minimi peccati, vel pœnæ pro eo debitæ, ergo neque ad absolutionem pœna per indulgentias remittendæ, quia illa solutio esset quædam redemptio: ergo satisfactiones Sanctorum inutiles essent in thesauro Ecclesiæ.

D. Tho.

2. Cor. 1.

---

### *Thesaurum Ecclesiæ etiam ex meritis Sanctorum constare. Assertio certa.*

6 NIHILOMINVS dicendum est, thesaurum Ecclesiæ non solùm constare ex meritis Christi, sed etiam ex meritis Sanctorum, Assertio certa est; expressè enim docetur à Clemente in dicta Extrauag. dicente, *Ad cuius quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iusto vsque ad vltimum adminiculum præstare noscuntur.* Et id confirmauit Leo decimus in Bulla in qua errores Lutheri condemnauit, & in Decreto misso ad Caietanum, quod ipse refert 3. part. quæst. 28. art. 5. vbi ait, Pontificem posse thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare: & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendę, & summo Pontifici reseruatæ id teneri, atque doceri præcipit. Et ita in hac doctrina asserenda conueniunt Theologi superiùs citati. Solet autem veritas hæc præcipuè suaderi illis testimoniis Scripturæ, quibus suprà probauimus esse inter fideles communicationem bonorum operum, & vnum posse alteri satisfactionem suam per modum suffragij communicare: ex illo enim principio hæc veritas facilè colligitur, vt statim ostendemus. Hîc addere possumus id 2. ad Corinth. 12. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris,* vbi significat Paulus se, vt spiritualem patrem, thesaurizare filiis suis, quos per Euangelium in Christo genuerat, & in hunc finem se esse paratum ad vitam pro illis tradẽdam. Et hinc fortasse sumpsit occasionem Origenes, vt diceret homil. 10. & 24. in Num. Paulum suo modo expiauisse peccata aliorum, pro Christo patiendo. Facit præterea id 2. Cor. 8. *In*

Clemẽs VI.

Leo X. Caiet.

2. Cor. 12.

Origen.

2. Cor. 8.

A *præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Quorum verborum sensus esse videtur, sicut ex abundantia diuitiarum materialium quidam subueniunt indigentibus; ita ex spirituali abundantia quorundam fidelium posse aliis spiritualiter indigentibus subueniri. Hæc ergo abundantia spiritualis conferet ad quoddam incrementum Ecclesiastici thesauri. Quæ testimonia, licèt fortè per se sola non cogunt, tamen, suppositа Ecclesiastica traditione, & doctrina, cum illa optimè quadrant, & prædictum sensum aptissimè admittunt, quia significant, in quibusdam fidelibus tantam esse abundantiam meritorum, vt per ea possint aliis indigentibus prodesse. Vnus autem B modus subueniendi est, per communicationem satisfactionis, quæ, sicut potest alicui personæ priuatim donari per modum suffragij, ita etiam potest thesauro Ecclesiæ relinqui: ergo quando Scriptura vniuersè & indefinitè loquitur, meritò intelligimus, hæc omnia summatim comprehendere.

---

### *Prima explicatio modi huius Thesauri.*

VT autem, & modum huius thesauri, quatenus ex Sanctorum meritis constat, & rationem eius à priori explicemus, aduertendum est, in operibus iustorum quosdam esse effectus omninò proprios & C quasi immanentes, qui non possunt aliis communicari: huiusmodi sunt afficere, & bene disponere ipsum operantem ad cauenda vitia contraria, & ad operandos similes actus virtutis, & diuinam sanctificationem & gratiam recipiendam, vel augendam: item meteri de condigno aliquod præmium, præsertim essentiale. Alij verò sunt effectus talium operationum, quos non solùm in ipsis operantibus, sed etiam in aliis habere possunt, huiusmodi sunt impetratio alicuius beneficij, vel alicuius pœnæ remissio per vim impetrandi, merendi de congruo, & satisfaciendi pro pœna temporali. Dixerunt verò aliqui, vt suprà vidimus agendo de suffragiis, hæc opera etiam quoad vim D satisfaciendi ita esse propria ipsius iusti operantis, seu patientis, vt nullus iustus præter Christum possit alteri donare illa sub hac ratione, seu pro alio soluere, aut satisfacere. Iuxta quam opinionem consequenter dicendum est, thesaurum Ecclesiæ non constare ex satisfactionibus Sanctorum, neque ex illis applicari aliquid per indulgentias ad solutionem temporalium reatuum. In quo multum accedit illa sententia ad Durandi sensum. Differre tamen potest ab illo, dicendo merita Sanctorum quatenus habent vim impetrandi aliquid, merendo etiam illud de congruo aliis, sub ea ratione manere reposita in thesauro Ecclesiæ: nam sub eadem dici possunt superabundantia seu superflua, quia sufficientia sunt ad impetrandum, & obtinendum à Deo ex prædicta ratione meriti plura E beneficia, quàm de facto Deus propter illa contulerit iustis, seu Ecclesiæ, quod videtur satis ad saluanda verba Pontificum. Nam Clemens 6. in Extrauag. citata, non de satisfactione, sed de meritis loquitur. Item non loquitur solùm de excellentioribus Sanctis, qui superabundantes solent habere satisfactiones, sed in vniuersum de omnibus electis à primo iusto, vsque ad vltimum, & omnium merita dicit adminiculum præstare: certum est autem nõ omnes habuisse superfluas satisfactiones, alioqui ferè nullus eorum Purgatorium adiisset: loquitur ergo de meritis quoad vim impetrandi, seu merendi de congruo. Item subdit, hûc thesaurum Ecclesiæ, non solùm ex ea parte, quia infinitus est propter Christi merita, sed etiã ex qua parte constat ex meritis Sanctorum, consumi non posse, quia

7 Duplex proprietas operum iustorũ.

*quantò*

*quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tantò magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* Quæ ratio ſupponit, quælibet merita Sanctorum, etiam quæ in ipſis præmiantur de condigno, conferre aliquid ad cumulum theſauri: alioqui ſi ex ſatisfactionibus conſtaret, non eſſet verum in vniuerſum, omnem ſatisfactionem, quæ conſumitur per applicationes, ſeu ſolutiones pro aliquibus factas, ex eorum meritis reſtaurari, quia ſæpiſſimè accidere poteſt, vt multi eorum nullas habeant ſuperfluas ſatisfactiones. Denique accedit in fauorem huius ſententiæ, quòd iuxta illam facillimè ſoluuntur rationes dubitandi in principio poſitæ, vt conſideranti facilè patebit. Quòd ſi aliquis obiiciat, quia iuxta hanc ſententiam non poterit ex meritis Sanctorum fieri ſolutio, & conſequenter theſaurus Eccleſiæ, vt conſtans ex illis, nihil confert ad indulgentias concedēdas. Reſponderi poteſt concedendo priorem partem, & negando poſteriorem: propria enim ſolutio pro debito pœnæ reuerà non fit niſi per aliquam ſatisfactionem: nihilominùs tamen Sanctorum merita in theſauro Eccleſiæ repoſita conferre poſſunt, vt fiat remiſſio pœnæ ſine propria ſatisfactione, vel abſque vlla ſolutione, vel per ſolutionem factam ex ſola Chriſti ſatisfactione.

8 Prædicta sẽtẽtia improbatur.

Nihilominùs ſententiam hanc, quatenus à theſauro Eccleſiæ, & ab vſu indulgentiarum excludit ſatisfactiones Sanctorum, falſam, & cauēdam cenſeo: nam eſt contra communem ſententiam Theologorum, vt videre licet in omnibus, quos in hac, & præcedente ſectione citaui: eſt etiam contra communiorem ſenſum fidelium: ſupponit etiam falſum fundamentum nimirum, vnum fidelem non poſſe pro alio ſatisfacere, & pœnam ſoluere, de quo ſuprà dictum eſt. Deinde apertè repugnat modo loquendi Pontificum, præſertim Leonis Papæ in decreto relato à Caietano; docet enim, poſſe Pontificem concedere indulgentias ad remittendas temporales pœnas, *ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum:* nam illa particula, *Ex*, non dicit cauſam impetrantem, ſeu intercedentem, ſed propriè indicat pretium ſolutionis, ideoque dixit, *ex ſuperabundantia meritorum*, id eſt, ex eo quod in eis abundat: & infrà ſubdit, *theſaurum meritorum Chriſti, & Sanctorum diſpenſando:* diſpenſare enim merita alicuius, non eſt propter ea aliquid impetrare, vt per ſe notum videtur, ſed eſt ea erogare ad debitum aliquod ſoluendum, ſeu abſoluendum. Et ideò paulò inferiùs ſubdit idem Pontifex, hanc diſpenſationem theſauri per indulgentias fieri per modum abſolutionis, vel ſuffragij, ſeu ſolutionis. Prætereà, ſi merita Sanctorum tantùm dicto modo in theſauro reponuntur, ad negotium indulgentiarum parum aut nihil iuuant, nam indulgentiæ non operantur per modum impetrationis, aut meriti de congruo, ſed per modum abſolutionis ex poteſtate clauium, quæ poteſtas efficaciter operatur ex vi poteſtatis excellentiæ Chriſti, in qua nititur, & virtute cuius inſtituta eſt, & operatur ſine extrinſeco adminiculo alicuius impetrantis. Sicut operatur etiam efficaciter in ſacramento ex vi meritorum Chriſti, ſine alterius interceſſione. Item quia vbi intercedit æqualis ſolutio iuxta inſtitutionem, non eſt neceſſaria alicuius Sancti interceſſio, vt acceptetur ſolutio, & fiat remiſſio, vt patet in ſatisfactione condigna, quam iuſtus exhibet pro peccatis ſuis: ſed per indulgentias fit condigna ſolutio, ſaltem ex ſatisfactionibus Chriſti: ergo, ſi illa ſupponatur, neceſſaria non eſt aliqua impetratio, vt fiat remiſſio, quæ eſt effectus indulgentiæ. Ad ſummum ergo poſſet remotè & per accidens conferre ad hunc effectum impetrando alteri diſpoſitionem, ne impediatur, vel aliquid ſimile, cùm tamen Pontifices indicent merita Sanctorum per ſe concurrere mora-

A liter per modum pretij, quod diſpenſatur.

Denique iuxta illam ſententiam plures pœnalitates iuſtorum de ſe ſufficientiſſimæ ad ſatisfaciendum Deo pro pœnis peccatorum, ſine vllo fructu perpetuò manerent, nec poſſunt illum habere apud Deum, vt patet de omnibus pœnis, quibus ad propriam ſatisfactionem non indigent: quod certè eſt abſurdum, & alienum à diuina prouidentia. Nam ſi omnes illæ pœnæ, ſeu ſatisfactiones poſſunt habere conuenientiſſimum vſum, iuxta diſpoſitionem diuinæ ſapientiæ, & iuſtitiæ, cur dicemus ſtatim omnes perire, & quaſi pro nihilo reputari? cùm Chriſtus Dominus de Sanctis, qui propter nomen eius grauiſſima mala patiuntur, dicat, *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Luc. 21. Luc. 21.

B

Accedit tandem, quia, ſi ſatisfactiones Sanctorum inutiles ſunt, certè ad impetrandum propter merita eorum non eſt neceſſaria poteſtas clauium, nam quælibet priuata perſona poteſt hoc facere repræſentando Deo huiuſmodi merita: idque faciebant olim Hebræi, poſtulando à Deo remiſſionem pœnarum propter Abraham, Iſaac, & Iacob, &c. at verò merita Sanctorum, prout manent in theſauro Eccleſiæ, ſpecialiter diſpenſantur pex poteſtatem clauium.

## *Alio modo ratio huius theſauri explicatur.*

C

ALITER igitur ratio & modus huius theſauri explicandus à nobis eſt, ſupponendo, vnum iuſtum poſſe pro alio ſatisfacere propter vnionem charitatis: & deinde addendo in ſanctis hominibus multa fuiſſe opera pœnalia, vel paſſiones voluntariè, aut patienter pro Deo ſuſceptas & conſequenter habentes magnum valorem & ſufficientiam ad ſatisfaciendum, quæ neque in ipſis, neque in aliis habuerunt effectum compenſandi aliquem pœnæ reatum ipſis æqualem. Quod quidē reſpectu ipſorum Sanctorum eſt certum, vt in Iob, & Abel ſuprà declaratum eſt. Deinde hoc eſt euidēs in nouo Teſtamento: nam beatiſſima Virgo multa, & grauiſſima propter Deum paſſa eſt, imò omnia opera illius ſufficientia fuerunt ad aliquam ſatisfactionem, iuxta principia ſuprà poſita de ſatisfactione: & tamen manifeſtum eſt in ipſa non potuiſſe habere effectum quatenus ſatisfactoria erant, quia nullum peccatum habuit. Simile argumentum fieri poteſt de Ioanne Baptiſta, nam licèt aliquando leuiter peccauerit, tamen illud penè nihil fuit reſpectu pœnitentiæ & ſanctitatis eius. Et idem credi poteſt de aliis Sanctis, præſertim de his, qui vel nunquam mortaliter peccauerunt, vel certè magnum & longum vitæ tempus ſine his grauioribus culpis in magna vitæ aſperitate, & ſanctitate tranſegerunt. Imò ſi iuſtus, pro aliquo tempore vitæ, etiam breuiſſimo, exiſtit ſine reatu culpæ aut pœnæ apud Deum, quidquid virtutis in eo tempore operatur, ſatisfactorium eſt, & in eo non habet effectum. Neque huiuſmodi ſtatus pro aliquo tempore repugnat, etiamſi iuſtus ſepties in die cadat, quia poteſt etiam ſepties in die reſurgere, vel etiam aliquo die ſtabilis cum diuina gratia permanere, & cum eadem plenam remiſſionem obtinere. Tunc autem verè petit, *Dimitte nobis debita noſtra*; vel quia non tantùm pro ſe, ſed etiam pro aliis iuſtis, & tota Eccleſia orat; vel quia certò ſcit habuiſſe debita, ignorat autem an ſibi fuerint remiſſa: vel denique, quia propter peccatum non ſolùm meretur homo ordinariam pœnam Purgatorij, ſed etiam aliquas extraordinarias pœnas huius vitæ, vt v.g. priuationem aliquam fauoris, vel abundantioris Dei auxilij, aut permiſſionem alicuius mali, pro quibus non poteſt condignè ſatisfieri, niſi gratis remittantur.

9

10

D

E

Non repugnat, iuſtum aliquo tempore vitæ eſſe ſine reatu pœnæ.

Conſtat

11 Iustus potest habere superabundãtes satisfactiones aliis fidelibus nõ applicatas.

Constat igitur posse iustos habere superabundantes satisfactiones, quantùm ad ipsos spectat. Quod verò etiam illas habeant respectu aliorum, declaratur breuiter. Primò, quia satisfactiones vnius iusti, quæ ipsi non sint necessariæ, non statim applicantur aliis indigentibus, vt in eis habeant effectum, nisi ex intentione ipsius operantis alicui donentur: quia aliàs nullo titulo efficiuntur alterius: nulli autem prodest satisfactio, nisi propria, vel quæ aliquo titulo propria efficiatur. Neque est vlla ratio, ob quam huic potiùs quàm illi applicetur, nisi quis forte fingat statim distribui inter omnes iustos indigentes, secundùm partes æquales, aut proportionales: quod gratis & sine fundamento fingeretur, nam etiam ipsius Christi satisfactio, quæ illi necessaria non fuit, non statim distribuitur inter alios, donec singulis per determinata media, iuxta ipsiusmet Christi voluntatem & intentionem applicetur. Sæpe autem iusti pœnas sustinent, vel voluntariè accipiunt, non applicando eas in particulari aliis: ergo sæpe habent satisfactiones, quæ neque in ipsis, neque in aliis habent effectum. Præterea, contingit iustum applicare satisfactiones suas alteri, qui vel illis non indiget, quia plenam remissionem consequutus est: vel certè in illo non habent effectum, propter obicem inuentum in ipso, pro quo offeruntur. Illæ ergo satisfactiones neque in operante, neque in altero habent effectum.

12 D. Tho.

Has ergo satisfactiones Sanctorum dicimus reponi in thesauro Ecclesiæ, vt per publicam potestatem eius Petro à Christo concessam, fidelibus applicentur, ac per indulgentias dispensentur. Ita explicant rem hanc Theologi citati, fuitque mens D. Thomæ in 4. d. 20. qu. 1. art. 3. q. 1. propterea enim rationem & quasi fundamentum indulgentiarum posuit, *in vnitate corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogauerunt ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur, quorum meritorum tanta est copia, quòd omnem pœnam debitam nunc viuentibus excedat.* In quibus verbis apertè D. Thom. prædicto modo explicat abundantes satisfactiones Sanctorum. Rationem autem, ob quam huiusmodi satisfactiones superabundantes reponuntur in thesauro Ecclesiæ tanquàm bona communia eiusdem Ecclesię, reddit statim ex intentione ipsorum operantium: nam vnus potest pro aliis satisfacere iuxta intentionem suam, & ideò, si alicui suam satisfactionem applicet, illi prodest, si non sit impedimentũ: quando verò nemini applicat, & ipse etiam tali satisfactione non indiget, hoc ipso, vel formaliter, vel virtualiter intendit per illa opera, Ecclesiæ prodesse quãtùm potest: ergo donat illa ipsi Ecclesię, vt in eius thesauro custodiantur, conuenienti modo suo tempore dispensanda. Minorem probat D. Tho. verbis Pauli, ad Colos. 1. *Adimpleo &c.* suprà tractatis, cum aliis. Deinde probari idem potest ex lege charitatis, qua Sancti in huiusmodi operibus gubernantur: & ideò sine dubio intendunt & sibi, & Ecclesiæ prodesse suis operibus quãtùm possunt, nam hoc est maximè consentaneum charitati, & statui Ecclesiæ militantis, quę his subsidiis indiget, & libentissimè illa acceptat, quando ei offeruntur. Ex parte verò Dei est optima ratio superiùs tacta: nam ad prouidentiam, & iustitiam eius spectat remunerare opera hominum, vel in ipsismet operantibus, vel in aliis eis coniunctis, quantùm capacia sunt, & secundùm modum conuenientem: sed hęc opera iustorum, quatenus satisfactoria sunt, capacia sunt fructus seu præmij saltem in aliis, qui per charitatem sunt vnum cum eis, qui talia opera fecerunt, & possunt conuenienti modo ad hunc effectum reseruari, & acceptari, & per conuenientem potestatem applicari: ergo meritò credimus ita factum esse.

Ratio D. Thomæ quare superabundantes satisfactiones ponãtur in thesauro Ecclesiæ.

Colos. 1.

13 Thesaurum vt Sãctorum satisfactionibus constantem deseruire ad indulgẽtias, & per Papã dispensari posse.

Atque hinc colligit idem D. Tho. hunc thesaurum quatenus constantem ex satisfactionibus Sanctorum ad effectum indulgẽtiarum deseruire, & per eum dispensari posse, qui potestatem habet concedẽdi indulgentias. *Nam ea* (inquit) *bona, quæ sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundùm arbitrium eius qui multitudini præest. Vnde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfeciſſet, ita si satisfactio alterius per eum, qui potest, ei distribuatur.* Ex qua ratione intelligere licet, quòd licèt satisfactiones Sanctorum ex eorum voluntate processerint, fuerintque veluti donata Ecclesiæ; nihilominùs potestas eas dispensandi non manat ab ipsis Sanctis, sed à Christo, qui ei dedit pastorem, qui Ecclesiæ præest. Sicut bona etiam temporalia donantur Ecclesiæ per voluntatem fidelium; postquàm verò donata sunt eorum dispensatio ad eum pertinet, cui Christus talem potestatem concessit. Hoc ergo est quod Leo X. in citata Decretali declarauit, ad potestatem clauium Petro datam à Christo pertinere, dispensare hunc thesaurum, etiam vt constantem ex satisfactionibus Sanctorũ. Quod duobus modis factum esse intelligi potest: primò, quia Christus hoc ipsum in particulari instituit, ac Petro & Apostolis declarauit: secundò, quia ex natura rei consequitur eo ipso, quòd ex Christi volũtate Petrus toti Ecclesiæ præest, & illa bona iam sunt facta ipsius Ecclesiæ. Et fortasse vtrumque verum est: nam primum est consentaneum Scripturę dicenti, Christum, & Spiritum sanctum docuisse Apostolos omnem veritatem Ecclesię necessariam, Ioan. 14. & 15. ad Rom. 8. ad Ephes. 1. & sæpe aliàs. Secundum autem est consentaneum rationi, vt D. Thomas rectè declarat.

14 Cur Pontifices merita dicant Sanctorum reponi in Thesauro Ecclesiæ.

Tandem ex his satis exposita manet decretalis illa Leonis X. quæ totam hanc doctrinam continet. Nec dubitandum est, quin eadem fuerit mens Clementis VI. illam enim Leo explicat, dum profitetur se declarare quid in hoc Romana Ecclesia sentiat. Neque in eo hæsitandum est, quòd prædicti Pontifices nomine meritorum, & non satisfactionũ vtuntur, nam eodem modo loquuntur de Christi meritis, solẽtque ipsę satisfactiones merita appellari, tum quia nostra satisfactio ad Deũ fit per modum cuiusdam meriti, quia non fit per compensationem omninò æqualem secundùm æqualitatẽ physicam rei ad rem inter ipsas pœnas, sic enim minor est pœna huius vitę, quàm Purgatorij: sed fit per æqualitatem, seu proportionem moralem, quia pœna huius vitæ voluntariè accepta, & cum talibus circunstantiis habet valorem moraliter equiualentem pœnæ Purgatorij, in quo ad modum meriti se habet, ideóque solet meritum appellari. Tum etiam ratione subiecti, seu propter identitatem cum merito: nam satisfactio fieri solet per opus meritorium, vt suprà diximus: ideò, licèt meritum & satisfactio ratione formali, & per habitudines ad suos terminos distinguantur; nihilominùs sub nomine meritorum simpliciter illa opera, quæ vtramque rationem habent, comprehendi solent. Vnde vlteriùs aduerto, nos non negare quin opera iustorum maneant aliquo modo in thesauro Ecclesiæ, quoad vim impetrandi, & merendi de congruo nobis aliqua bona: sed affirmans etiam manere sub ratione satisfactionis, & sub illa maximè applicari & dispensari per indulgentias, quanuis citata decreta loquantur de illis sub nomine meritorum, quia vtramque rationem meliùs comprehendit.

15 Cur Clemẽs dicat Thesaurum coaceruari ex meritis omnium Sãctorum.

Et hinc etiam constat cur Clemens loquatur de omnibus iustis, qui fuerunt in Ecclesia à primo vsque ad vltimum, nam omnia illorum merita possunt aliquod adminiculum præstare, licèt non omnia eodem modo, nec sub ratione satisfactionis, quæ per indulgentias

gentias applicétur. Vnde, si velimus verba illa, & generalem distributionem ad proprias satisfactiones applicare, exponenda necessariò sunt per distributionem accommodam, nimirum cuiuscunque Sancti, à primo vsque ad vltimum, merita seu satisfactiones quatenus illis superabundantia fuêre, ad cumulum Ecclesiastici thesauri conferre. Ratio verò, quam idem Clemés subiungit, ob quam hic thesaurus, etiam vt constans meritis Sanctorum, consumi non potest, meliùs quidem accommodatur ad merita sub ratione impetrationis, aut meriti de congruo, quàm sub ratione satisfactionis, vt obiectio suprà facta videtur ostendere, tamen inde non fit, Pontificem excludere à thesauro satisfactiones Sanctorum, quatenus tales sunt, præsertim cùm necesse non sit singulas rationes omnia simul probare; satis est enim si vnaquæque ratio aliquid probet. Addo verò præterea moraliter loquendo, etiam consequi ex applicatione thesauri per indulgentias, multiplicari à iustis satisfactiones, quæ in thesauro reponuntur, quia nunquàm desunt multi, qui iam liberati ab omni proprio debito per indulgentias, aliquid satisfactorium operentur, quod ad thesaurum pertinebit, vt declaratum est.

A

B

---

*Rationes contra assertionem soluuntur.*

16 Soluitur 1. ratio Durandi.

AD primam rationem Durandi rectè ibi responsum est duobus modis: nam vterque necessarius est respectiuè, seu ad propriam materiam accommodatus: quia idem opus meritorium de condigno, licèt sub ea ratione adæquatum præmium acceperit, potest conferre ad impetrandum aliquid de congruo, præsertim quando illi coniungitur oratio, quæ ab illo merito robur quoddam, & vires accipit. Meritò verò hæc responsio in præsenti non approbatur, non quia falsam doctrinam contineat; sed quia ad indulgentiarum vsum non satisfacit. Altera ergo responsio, quæ nititur in propria ratione satisfactionis, vt sic, communis est, & omnem difficultatem expedit. Neque obstat replica Durandi. Primò, quia voluntariè dicitur, illud opus pœnale, quod sub ea ratione non est necessarium iusto ad soluendum suum debitum, remunerari aliquo præmio accidentali. Nec exemplum, quod affert de Martyribus, non hoc probat, nam aureola non datur Martyri eo titulo: cuius signum est, quia, licèt Martyr indigeret tota illa pœna ad satisfaciendum ex opere operantis pro suis peccatis, nihilominùs acciperet aureolam martyrij: imò licèt illa pœna fuisset insufficiens ad compensationem totius reatus ex opere operantis, nihilominùs ratione ipsius martyrij, & remitteretur tota pœna, & adiungeretur aureola martyrij: sunt enim hæc priuilegia martyrij, quæ certa lege cõferuntur independenter ab illa proportione, seu merito ex parte operantis. Item virginibus, & Doctoribus propriæ aureolæ conferuntur, non quidem propter pœnalitatem superabundantem, quę valdè accidentaria est, sed propter alias rationes.

Replica soluitur.

C

D

E

17 Quocirca de his præmiis accidentalibus, quibus titulis conferantur, variæ sunt opiniones, quas hoc loco tractare, extra rem esset. Probabile verò est, hæc accidentalia præmia interdum dari per se separata, interdum verò vt proprietates concomitantes præmium essentiale. Priori modo verisimile est, accidentalia præmia respondere quibusdam bonis operibus moralibus, quæ non attingunt illum perfectionis, vel supernaturalitatis gradum, qui ad meritum essentialis præmij necessarius est. Posteriori autem modo dicendum est, aliqua præmia accidentalia dari vt proprietates, vel ex natura rei, vel secundùm conuenientem prouidentiam consequentes ad præmium essentiale, quæ proinde ex vi eiusdem meriti conferuntur: nam qui dat formam, dat consequentia ad formam. Non est ergo necesse dicere, aliquod accidentale præmium dari propter pœnalitatem operis: quòd si illa ad præmium aliquo modo confert, potiùs est per modum obiecti, quatenus illam voluntariè amplecti, bonum ac meritorium est, & tunc non solùm valet ad præmium accidentale, sed etiam ad essentiale, si cætera concurrunt. Neque etiam tunc solùm valet quando operans non habet peccata, pro quibus satisfaciat; sed etiamsi illa habeat, & pro eis satisfaciat per tale opus: nam illæ duæ rationes non sunt repugnantes, & in vna non consideratur pœna vt formalis pœna est, sed vt obiectum vel circunstantia conferens ad bonitatem actus; in alia verò consideratur vt formalis pœna est, apta ad vindicandam culpam, &, vt sic, habet rationem satisfactionis, & nunquàm habet aliud præmium nisi pœnæ remissionem, vel in ipso operante, vel in aliis. Et ideò nihil etiam obstat secunda ratio Durandi, quia, licèt, iusti intendant sibi mereri quantùm possunt per talia opera, nunquàm ab eis excludunt propriam rationem satisfactionis, quæ necessariò, & quasi ex natura rei eis inest. Vnde, si ipsimet nec illa indigeant, nec in particulari alicui applicent, aggregãtur ad bona communia Ecclesiæ; quod etiam ipsi virtualiter intẽdunt, vt declarauimus. Addi etiam potest, Ecclesiam veluti iure hæreditario succedere in huiusmodi bonis suorum filiorum, quæ ipsi aliis non legauerunt.

Secũda Durandi ratio soluitur.

Ad tertiam rationem à nobis additam, concedo thesaurum hunc, vt constantem ex meritis Sanctorũ, extitisse, vel potiùs incœpisse ante Christi Domini aduentum, nam hoc manifestè docet Clemens VI. in illa Extrauag. & rectè probatur ex verbis Iob, & exemplo Abel, & idem credi potest de Ieremia in ventre matris sanctificato, & aliis similibus eximiis Sanctis. De dispensatione autem illius thesauri, pro eo tempore fieri potuisse suaderi posse videtur, nam si eo tempore esse poterant inter iustos priuata suffragia per communicationem satisfactionis vnius ad alterum, cur non dicetur fuisse tunc in Ecclesia potestatem publicam ad applicandas, vel dispensandas satisfactiones Sanctorum in thesauro Ecclesiæ relictas? non quatenus hæc potestas manat ex potestate clauiũ, sed quatenus ex natura rei consequitur, vt is, qui communitati præest: distribuere possit bona communitatis inter indigentes, vt suprà ex D. Tho. attulimus. Qui idẽ docet 2.2.quæ. 118.art.3.ad 2.& art.4.ad 2. imò ibi addit, talia bona deberi indigẽtibus debito legali: in veteri autem Ecclesia semper erat aliquis tanquàm summus Sacerdos, habens supremum regimen illius, siue ante aduẽtũ Christi esset vnus pro tota Ecclesia, siue non, quod ad prẹsens non refert. Ergo quasi naturali iure, supposito lumine fidei, erat in illo talis potestas dispensandi, seu distribuẽdi thesaurum illũ. Neq; inde sequitur habuisse potestatem clauium: tum quia licèt per illam dispensationem applicaretur aliqua satisfactio ad remissionem pœnæ temporalis, tamen eo tempore per illam remissionẽ non aperiebatur ianua regni cœlestis: tum maximè, quia illa remissio non fiebat ab ipso Ecclesiæ Præside, qui tunc erat per iurisdictionem, quam haberet ad soluendos reos peccatorum, sicut nunc fit: & ideò etiam illa applicatio non esset propria indulgentia, quam suprà diximus esse propriam absolutionem ex potestate iurisdictionis.

18 Tertia ratio pro eadem sententia enodatur. In veteri Ecclesia fuit thesaurus. An esset tũc potestas dispensandi illum.

D.Thom.

Sed hæc sententia probanda non est, quia Theologi censent potestatem hanc dispensandi thesaurum, propriam nouæ legis esse, datamque sentiunt esse à Christo, quando potestatem clauium Ecclesię tribuit. Et qui antiquitatem indulgentiarum maximè extendunt vsq; ad Apostolorũ tempora, vsum earum protrahunt,

19 Potestas dispensandi Eccl. thesaurũ, est propria legis gratiæ.

trahunt, & inde cœpisse significant. Ac denique, licèt in actu indulgentiarum, secundùm rationem hæc tria destinguant, dispensationem thesauri, solutionem debiti, & relaxationem pœnæ quasi iudicialem: dicunt tamen in re nunquàm separari respectu viuorum, & ab eadem potestate omnia perficisci: si ergo in lege veteri, aut naturæ, non fuit potestas clauium, nec iurisdictio ad remittenda peccata, etiam quoad pœnas temporales debitas in foro Dei, nec potestas dispensandi thesaurum esse potuit.

20 Ratio in cõtrarium soluitur.

Prætereà, potestas hæc ad dispensandum thesaurũ supernaturalis est, & à solo Deo concedi potuit, & nulla auctoritate, aut sufficienti ratione constat esse concessam ante aduentum Christi, quia neque in veteri Testamento est vlla mentio illius, vnde certum est, nõ esse propriam illius legis, quatenus distinguebatur à lege naturali: neque etiam est ita coniuncta ex natura rei cum supremo sacerdotio, quale potuit esse in lege naturæ, vt solo discurso, & ratione colligi possit. Quanuis enim verum sit, bonorum communium distributionem pertinere ad eum, qui præest communitati, id tamen intelligendum est, respectu illius temporis in quo facienda est distributio: licèt autem satisfactiones fidelium thesaurizari cœperint à principio mundi, non tamen vt statim distribueretur ille thesaurus, sed tempore à Deo statuto: quod autem esset illud tempus, nõ potuerunt homines cognoscere nisi ex diuina reuelatione, de qua nulla mẽtio, vel traditio habita est vsque ad tempus legis gratiæ. Et potest sufficiens congruentia reddi, vel ex perfectione huius legis, in qua abundantiùs cõmunicatur diuina gratia, & liberalior fit remissio, vel ex eo quòd ante Christi mortem nondum erat thesaurus ille cõsummatus quoad Christi merita, à quibus omne aliud meritum & satisfactio virtutem accipit: ipse enim Christus nobis meruit, vt talis potestas hominibus, & vt talis dispensatio vel distributio thesauri acceptaretur à Deo: & ideò ante exhibitum in re ipsa Christi meritum, non est hominibus facta tam liberalis concessio. Nec tamen propterea inutilis fuit illa collectio, seu inchoatio thesauri, quæ ante tempus legis gratiæ facta est, quia suo tempore fructum suum habituri us erat, quando dispensator Euangelicus proferre posset de thesauro suo noua, & vetera, ad instar prudentis patris familias, de quo loquitur Christus Matth. 13.

11 Quarta ratio cõtra cõclusionem eluditur.

Ad quartum argumẽtum respondemus, concedẽdo in primis satisfactiones Sanctorum non esse simpliciter necessarias ad hunc effectum, vt seq. sect. latiùs dicemus: negamus tamen non fore vtile & conueniens, vt tales satisfactiones in thesauro reponãtur, & nobis applicentur: nam hoc redundat in honorem Sanctorum, & ad gloriam etiam ipsius Christi pertinet, quòd tantam virtutem suis Sanctis tribuerit. Nã licèt illi satisfacere non potuerint sine influxu, & virtute ipsius Christi, tamen ex illa fecerunt satisfactiones reuerà distinctas à satisfactione Christi. Vnde, licèt non potuerint augere thesaurum illium ea ratione qua infinitus est, seu intensiuè, potuerunt tamen augere extensiuè addendo nouas satisfactiones, hoc enim modo non repugnat infinito fieri additionem. Atque hinc etiã ad nos redundat aliqua vtilitas, quia ratione huius augmenti faciliùs fortè fieri potest applicatio, & remissio virtute illus thesauri, non quia Christi satisfactio ad hoc totum non esset sufficiens, sed quia voluit Deus hoc speciali modo honorare sanctos suos, & Christum, quem vult non tantùm in se, sed etiam in sanctis suis abundare. Nec propterea dici possunt Sancti nos redemisse, etiam ex parte: nam ille tantùm redimit, qui propria virtute perfectè soluit pro alio: quomodo solus Christus potuit soluere, & ex perfecta iustitia mereri, vt sua solutio pro aliis acceptaretur: alij verò Sancti solùm in virtute Christi. Est etiam alia maxima differentia, quia Christus propter hanc primariam causam passus est, vt pro aliis solueret, alij verò Sancti Martyres non ita, sed passi sunt propter alios fines, & solùm quasi ex consequenti, nos iuuant, de qua re dixi plura in secundo tomo 3. partis, quæstio. quadragesimaoctaua, in Commentario art. quinti: & in primo etiam Tom. q. 26.

## SECTIO III.

### *Vtrùm indulgentiæ tantùm concedi possunt ex thesauro Ecclesiæ.*

B

EVIT quorundam opinio, indulgẽtias non cõcedi ex alienis satisfactionibus, aut meritis, sed iuxta laborem & meritũ eius, cui conceduntur, refert Henric. quodlib. 15. quæst. 2. Sed hoc nihil aliud est, quàm indulgentiarum vim, aut efficaciam negare. Nam si alicui nulla maior remissio conceditur, quàm per sui operis meritum seu valorem mereatur, nulla profectò gratia, vel indulgentia ei fit: nam secluſa indulgentia, tantundem mereretur, vel satisfaceret per tale meritum: necessarium autem est ad veritatem indulgentiæ, vt aliquid efficiat quasi ex opere operato, præter illud, quod homo mereri posset, vel satisfacere ex opere operantis. Alij, qui negant thesaurum, consequenter negant indulgentias concedi, fa- C cta aliqua solutione ex thesauro, sed solùm facta gratuita remissione per potestatẽ à Deo datam. Ita Maironis d. 20. q. 1. qui etiam refert quosdam dixisse, per indulgentias quidem non applicari satisfactiones, sed impetrationes Sanctorũ, per quã nobis obtinẽt liberalem remissionem alicuius pœnæ. Sed fundamentũ Maioronis erroneum est, vt ostendi: & fundamentũ etiam alterius sententiæ reiectum est. Et reuerà est etiam illa sententia improbabilis: nam impetratio non est nisi mediante oratione, quis autem potest certò promittere alicui orationes Sanctorum? aut infallibilem impetrationem, & effectum eorum?

Henric. Reiicitur.

Aliorum opinio.

Mairon. Improbatur.

His ergo reiectis sententiis, vel potiùs erroribus. & D suppositio vero thesauri fundamento, ex dictis certum est, indulgentias dispensari optimè ex thesauro: non tamen adhuc constat hunc esse vnicum modum, & necessarium concedendi indulgentias. Dixerunt ergo aliqui, non semper indulgentias concessas esse in Ecclesia per dispensationem thesauri, sed in principio solitas fuisse concedi per liberalem remissionem virtute clauium factam, absque vlla solutione, vel applicatione ex thesauro, posteà verò quando vsus indulgentiarum percrebuit, præsertim à tempore Bonifacij Octaui, introductam esse consuetudinem non cõcedendi indulgentias nisi ex thesauro. Nam, quia nũc liberalior fit remissio, & ferè nulla, aut parua satisfactione exhibita ab ipsis pœnitentibus, ideò aliunde E ex satisfactionibus in thesauro repositis fit compensatio seu solutiò. Hanc sententiam indicare videtur Medi. disp. 8. de indulgentiis, præsertim c. 40. 41. & 42. ac tribui etiam potest Caiet. dict. Opusc. de Indulgentiis ad Iulium, quatenus ait, olim indulgentias solitas esse concedi per modum absolutionis, nunc autem, præsertim à tempore Clementis sexti, cõcedi per modum solutionis: nam vt hi duo modi sint distincti, videtur Caietanus indicare illam absolutionem non fuisse solitam fieri applicando thesaurum ad solutionem. Sed, vt infrà dicam, non fuit hæc mens Caietani, Medina verò solùm expressè ait, potestatem Ecclesiæ ad concedendas indulgentias per se non pendere ex

Prima opinio.

Medin. Caietan.

thesauro, nec necessariò illum requirere: quia aliàs non esset ad indulgentiam necessaria iurisdictio, sed sola dispensatio, seu solutio ex thesauro. Vnde cõcludit, aliquando concedi indulgentias absque applicatione thesauri, & tunc dicit fieri per modum potestatis: aliquando verò fieri ex thesauro, quod vocat per modum auxilij, sæpe verò vtroque modo simul fieri non negat, imò hunc concedit esse frequentiorem modum concedendi indulgentias.

3 Communis tamen sententia Theologorum est, indulgentias semper, ac necessariò fieri ex thesauro, siue per modum absolutionis, siue per modum auxilij, aut suffragij concedantur, ita vt diuitiæ huius thesauri in suo genere sint causa necessaria, & mortaliter per se cõcurrens ad hũc effectum. Hoc est aperta sententia D. Thomæ in 4. distin. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3. vbi hac ratione dicit indulgẽtiam fieri per solutionem. Atque idem sentiunt ibi Bonauentura 2. part. dist. quæst. 5. & 6. Durandus quæst. 3. Paludanus quæst. 4. Richard. art. 4. quæst. 2. & art. 8. quæst. 1. Soto d. 21. q. 1. art. 2. Supplementum Gabriel. distinct. 45. quæstione tertia, articulo primo, & Petrus Soto lect. 2. de Indulgent. Corduba latè quæst. 4. & 5. Atque hanc sententiam veram existimo, & valdè consentaneam verbis Clementis sexti in Extrauagante, *Vnigenitus*, de Pœnitent. & remiss. & Leonis X. in citata epist. decretali ad Caietanum. Quoniam verò multi ex dictis Auctoribus indifferenter loquuntur de hoc thesauro, vt constante ex meritis Christi, & Sanctorum, de quibus non omninò est eadem ratio, ideò oportet vt nos hæc distinguamus, & de illis sigillatim loquamur. Deinde necesse est, tam in operibus Christi, quàm Sanctorum, distinguere duas rationes suprà tractatas, scilicet, meriti, & satisfactionis: nam in eis potest esse aut diuersa sententia, aut diuersus gradus certitudinis.

Secunda opinio.

D. Tho.

Bonauen. Palud. Richard. Soto. Supplemen. Gabriel. Petr. Soto. Cordub.

## *Prima conclusio de fide.*

4 Dico ergo primò, Indulgentiarum vis & efficacia necessariò pendet ex thesauro, saltem vt constante ex Christi meritis, vt propriam rationem meritorum habent. Hanc assertionem existimo esse certam de fide, ex illo generali principio, quòd nulla remissio culpæ, aut pœnæ conceditur hominibus, nisi propter Christi merita, quia non est aliud nomẽ, sub quo possint homines salui fieri. Et explicatur ampliùs, quia per indulgentias non remittitur pœna, nisi per potestatem à Christo concessam Petro ad ligandum & soluendum: sed Christus in tantùm concessit hanc potestatem Petro, in quãtum ipse meruit, vt quibus ipse vellet remiiti peccata, remitterentur, seu (quod perinde est (vt remissio in terris, suo nomine & auctoritate facta, apud Deum valida esset: ergo hæc remissio nititur Christi meritis: sed hæc merita Christi manent in thesauro Ecclesiæ: ergo indulgentiarum cõcessio fundatur necessariò in hoc thesauro, vt continente merita Christi. Tandem confirmatur ac declaratur, quia non est minor efficacitas sacramentorum, quàm indulgentiarum, neque etiam est minùs perfecta, & efficax absolutio sacramentalis, quàm per indulgentias, sed absolutio sacramentalis, & in vniuersum omnis efficacia sacramentorum, fundatur in thesauro Ecclesiæ, vt cõtinente hęc merita Christi, quia in his meritis omnis gratia, omnísque remissio fundatur: ergo à fortiori idem dicendum est de indulgentiis. Et in hac assertione nõ existimo esse posse dissentionem inter viros Catholicos: neque etiam video contra illam difficultatem alicuius momenti. Nam licèt indulgentiarum remissio fiat cum potestate iurisdictionis, & per modum veræ absolutionis, & remissionis, nihilominùs potest optimè inniti meritis Christi, ratione quorum habet talis actio, vt vera & efficax absolutio sit.

## *Secunda conclusio.*

Dico secundò, thesaurus Ecclesiæ, vt constans ex satisfactionibus Christi, vt sic, est simpliciter necessarius ad valorem & efficaciam indulgẽtiarum. Hæc conclusio, sicut præcedens, intelligenda est secũdùm legem ordinariam, & modum prouidentiæ, qua Deus statuit non saluare homines nisi per Christum & passionem eius: nam de potentia absoluta clarum est potuisse Deum alios modos remittendi pœnas statuere. Non est autem hæc conclusio tam certa sicut præcedens: nam de fide solùm est certum, Christum esse vniuersalem redemptorem quoad omnes personas, & effectus redemptionis. Ex quo necessariò fit, omnem remissionem pœnæ, quæ est vnus ex effectibus redemptionis, concedi nobis per per Christum, atque adeò propter eius merita. Quòd verò hæc remissio semper fiat per modum satisfactionis, seu solutionis ex satisfactione Christi, non videtur ita certum de fide. Nam in remissione, quæ fit ex opere operantis, aliqui tenent nullam fieri applicationem satisfactionis Christi, sed ad illũ effectum sufficere satisfactionem ipsius operantis, quãuis hæc habeat valorem suum moralem ex Christi meritis, vel proximè, vel radicaliter. Hinc etiã Palud. dict. quæst. 4. numer. 10. & sequentibus dixit, in sacramentis fieri remissionem pœnæ, vel culpæ actualis sine solutione ex satisfactionibus Christi, sed merè gratis sub ea ratione: quanquàm (vt opinor) non negarer, illam remissionem fieri propter Christi merita, cùm certissimum de fide sit, imò id satis insinuat distinguendo accuratè in operibus Christi rationem meriti & satisfactionis. Nihilominùs tamen idem Auctor in indulgentiis admittit conclusionem positam: imò in hoc constituit differentiam inter remissionem pœnæ per indulgentiam, vel per sacramentum, quòd hæc fit sine applicatione satisfactionis Christi: per indulgentiam verò, nonnisi solutione facta ex Christi satisfactione. Sed non video vnde hanc differentiam colligat, nec qua probabilitate illud prius affirmet: quod etiam in superioribus tactum est. Meliùs ergo Durandus tam de sacramentis, quàm de indulgentiis id affirmat: & cæteri Doctores citati idem sentiunt.

Palud.

Tam per indulgentias, quàm per sacramentum remissio fit, etiam per Christi satisfactionẽ.

Durand.

Ratio est, quia (vt D. Thom. docuit 3. p. quæst. 48. art.) Christus non tantùm operatus est nostram salutem per modum meriti, sed etiam per modum satisfactionis, quia eius passio sufficiens & superabundans fuit ad satisfaciendũ pro omnibus peccatis hominum, tam quoad culpam, quàm quoad omnem pœnam. Hæc autem sufficientia satisfactionis Christi superuacanea esset, si non applicaretur ad effectum quantùm conuenienter fieri potest: ergo nunquàm hominibus remittitur peccatum quoad culpam, vel quoad pœnam, quin talis remissio sit effectus satisfactionis Christi, & per applicationem eius: præsertim quando illa sufficiens satisfactio non interuenit. Vnde, quia pro culpa mortali nunquàm potest homo satisfacere, ideò nunquàm talis remissio fit, neque ab origine mũdi facta est, nisi intuitu satisfactionis Christi, & propter illam tãquàm per condignã solutionẽ.

9 D. Thom.

Falsumque est quod Palud. significat culpam originalem remitti in sacramento Baptismi per applicationem satisfactionis Christi, non verò actualem, seu mortalem in sacramento pœnitentiæ. Aut enim hoc esset, quia satisfactio Christi potuit esse æquiualens

7 Paludanus reiicitur.

peccato

peccato originali, non verò cæteris omnibus: & hoc hæreticum esset, neque hoc ipse sentit: aut esset, quia de facto Christi satisfactio ex peculiari ipsius intentione ordinata est ad remissionem culpæ originalis, & non mortalium, & hoc etiam esset hæreticum cõtra expressa Scripturæ testimonia ad Rom. 1. 1. Ioan. 2. & sæpe aliàs: aut esset, quia quoad efficaciam noluit Christus applicare satisfactionem suam ad remissionem culpæ per sacramentum pœnitentiæ, sicut per sacramentum Baptismi: & hoc est temerè dictũ, quia est contra communem sensum Theologorum, imò & fidelium omnium, & sine fundamento: cur enim non æquè applicabitur satisfactio Christi per sacramentum pœnitentiæ ad effectum eius, sicut per Baptismum ad suum? Quin potiùs videtur illud discrimen esse, contra doctrinam Concil. Trid. sess. 1. c. 4. vbi inquit, sacramentum pœnitentiæ fuisse institutum, vt *lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicaretur.* Vbi expendo Concilium in hoc æquiparare Baptismum, & pœnitentiam, quòd, sicut per Baptismum applicatur passio Christi ad remissionem peccatorum; quæ præcedunt ante susceptum Baptismum, ita per sacramentum pœnitentiæ applicatur ad remittenda peccata post Baptismum commissa. Deinde expendo, applicare mortem Christi nihil aliud esse, quàm applicare fructum mortis eius: fructus autem maximè proprius mortis fuit plena satisfactio. Denique ad hoc Christus satisfecit pro nobis, vt remissio nostrorum peccatorum ex perfecta iustitia fieret, saltem respectu ipsius Christi, quæ iustitia executioni mandatur per condignam solutionẽ: ergo, sicut hæc iustitia perfectè seruatur in effectu Baptismi, ita etiã in effectu pœnitentiæ: cur enim aliter fieret? Quòd enim in Baptismo detur remissio per modum regenerationis, in pœnitẽtia verò per modũ absolutionis, & iudicij, nihil ad præsens refert, quia ipsamet iudiciaria absolutio potest esse efficax applicatio satisfactionis Christi, talisque esse debuit, vt suum effectum cum perfecta iustitia præstaret. Quod non obscurè significauit idem Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. dicens, *quanuis absolutio sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur.* Nam sub illa particula. *alieni beneficij*, etiam beneficium satisfactionis Christi cõprehendi meritò intelligimus: quia nõ magis repugnat actui iudiciali, esse applicationẽ huius beneficij, quàm aliorum, & talis applicatio necessaria est ad executionem perfectæ iustitiæ per talem actũ.

Concilium Tridentinũ.

8 Remissio pœnæ temporalis data sine interuẽtu satisfactionis nostræ semper fit ex applicatione satisfactionis Christi.

Eâdem igitur proportione & ratione dicendũ est, quoties remissio pœnæ temporalis fit sine interuentu satisfactionis nostræ, fieri per applicationem satisfactionis Christi, ratione cuius tanquàm condigni sui excellentis pretij fit remissio, siue fiat ex opere operato per sacrificium, vel sacramenta, siue per indulgentias. Probatur ex eodem principio, quia hæc remissio fieri debet ex perfecta iustitia Christi: nam ad hunc finem etiam facta est, & non tantùm propter remissionem culpæ: ergo etiam hîc interuenit perfecta solutio, quæ ad iustitiam requiritur: condigna autẽ solutio pro pœna fit per æquiualentem satisfactionẽ: ergo quando hæc deest ex parte hominis: vt in casu de quo loquitur, necesse est fieri ex satisfactionibus Christi. Dicet fortasse aliquis, vt talis remissio sit ex perfecta iustitia, satis esse quòd innitatur meritis Christi & conferatur in præmium illorum, sicut gratia datur nobis ex meritis Christi, & non propriè ex satisfactione. Respondeo, idem argumentũ fieri posse de remissione culpę originalis per Baptismum: imò eodem argumento probaretur, satisfactionem Christi fuisse sempiternam, nunquamque applicari ad aliquem effectum, quia ad perfectam iustitiam sufficit meritum Christi, & quòd omnia hæc beneficia nobis conferantur tanquam præmia illius meriti. Igitur qua ratione satisfactio Christi non redundat, nec sine causa operatur in aliis effectibus, ita neq; in hoc. deinde possumus retorquere illud argumentum: nam satisfactio Christi, & eius applicatio est sufficiens vt talis remissio habeat aliquem titulum perfectæ iustitiæ: ego præter illum non est necessaria alia ratio proprij meriti & præmij.

Et quidem, si aliqua ex his rationibus excludenda esset, potiùs in hoc effectu remouenda esset ratio meriti, & ratio satisfactionis retinenda: quia vnusquisque effectus per causam maximè propriam & accommodatam fieri debet: propria autem causa, & maximè accommodata ad remissionẽ vnius pœnæ est passio, seu oblatio æquiualentis pœnæ: ratio autem meriti propriùs ordinatur ab obtinẽdum bonũ, quàm ad malum vitandum. Re tamen vera, neutra ex his rationibus ab hoc opere & effectus excludenda est, tum quia sicut propter maiorem iustitiæ perfectionem, saltem extensiuam, voluit Christus nos vtroque titulo redimere, ita etiam voluit in singulis effectibus redemptionis vtroque titulo operari respectiuè, seu iuxta vniuscuiusque effectus capacitatẽ: tum etiam, quia vterque titulus est in præsenti suo modo necessarius, satisfactio ad condignam & proportionatam compẽsationem pœnæ debitæ, vt dictũ est: meritum verò obtinendum vt talis modus applicationis esset efficax, & vt potestas clauium à qua manat, acceptaretur à Deo, esséque efficax apud ipsum: hoc enim totum fundatum est in Christi iustitia: & hoc posterius, si propriè loquamur, magis spectat ad rationem meriti & præmij, quàm ad rationem satisfactionis.

9 In remissione pœnæ meritum & satisfactio Christi interueniunt.

Prætereà dicti Auctores, cum quibus disputamus, & omnes Catholici, qui rectè de thesauro sentiunt, fatentur indulgentias aliquando fieri per applicationem satisfactionis Christi, & per condignam solutionẽ, quod est maximè certum in indulgẽtiis pro defunctis, de quibus infrà dicemus. Cur ergo non idem concedunt de omnibus indulgentiis, cùm hoc & fieri possit, & ad maiorem perfectionem pertinat, & nulla ratione, aut testimonio constet, aut aliquando aliter fieri, aut certè secundùm legem ordinariam fieri posse? Respondeti potest ex Medina, hoc colligi ex eo, quòd indulgentia aliquando fiat per modum absolutionis, & ex pura potestate concessa Petro ad ligandum, & soluendum. At hoc nullum argumentũ est: nam (vt suprà ostẽd mus, & Concilium Tridentinum dixit) quòd actus sit iudicialis, & propria absolutio, non excludit, quin simul esse possit alieni beneficij dispensatio: seu in præsenti, quod indulgentia esse possit dispensatio, seu applicatio satisfactionis Christi, & solutio condigna ratione illius: omnes enim isti respectus & rationes possunt in eundem actum cadere, & ipse Medina fatetur aliquando indulgentiam hoc modo concedi: ergo quòd fiat per absolutionem, nunquàm excludit applicationem, seu dispensationem thesauri quoad satisfactiones Christi. Atque hoc mihi videtur insinuasse Leo X. in illa decretali ad Caietanum dicens, *per indulgentias thesaurum dispensari, vel per modum absolutionis indulgentiam conferendo, vel per modum suffragia in alios transferendo.* Non enim sunt illa tria membra inter se condistincta, vt aliquis prima facie existimare posset, sed sunt duo modi sic dispensandi Ecclesiasticum thesaurum: scilicet, per modum absolutionis, de quo multa iam diximus, & per modum suffragij, quem in duabus disputationibus sequentibus tractabimus.

10 Conclusio posita ad hominem suadetur.

Medin.

Leo. 10.

bimus. Ergo ex mente Pontificis etiam indulgentia, quæ est per modum absolutionis, est dispositio thesauri. Atque idem mihi colligo ex dicta Extrauag. *Vnigenitus*, iunctis Extrauagantibus, *Antiquorum*, &, *Quemadmodum*, de Pœnit. & remiss. Nam Clemens dixit, Christum Dominum commisisse Petro clauigero cœli, suoque in terris Vicario, dispensationem thesauri per indulgentias, & posteà subiungit, Bonifaciũ VIII. prædecessorem suum potestatem hanc in se agnoscentem, & merita Sanctorum Petri, & Pauli attentiùs meditantem, thesaurum huiusmodi aperuisse, & plenissimam indulgentiam pro anno Iubilæi concessisse: constat autem ex Bonifacio ex dicta Extrauag. *Antiquorum*, indulgentiam illam per modum absolutionis, seu (vt ipse loquitur) plenissimã peccatorum veniam concessisse. Idemque constat ex altera & posteriori Extrau. Sixti IV. vbi hanc indulgẽtiam vocat remissionem plenariam, quibus verbis significari solet indulgentia per modum absolutionis: ergo omnia hæc simul coniungendo, ex illis constat, indulgentiam per modum absolutionis non fieri sine distributione thesauri, vt formaliter ex satisfactionibus constat.

11 Etiam olim consuetũ esse concedi indulgẽtias ex thesauro Ecclesiæ.

Imò ex his Extrauagantib. si attẽtè considerentur, vlteriùs constat, sine fundamento dictum esse, olim fuisse vsitatum in Ecclesia, concedere indulgentias sine dispensatione thesauri, quasi ex absoluta potestate vel iurisdictione: posteà verò introductum fuisse alium modum à tempore Clementis VI. Constat enim ex eodẽ Clemente VI. Bonifacium prædecessorem suum ex eodem thesauro concessisse indulgentias: & ipsemet Bonifacius indicat, ante ipsum fuisse concessas plures similes indulgentias, & remissiones, vtique ex eadem potestate, & eodem thesauro: nam eodem modo de hoc vsu iidem Pontifices loquũtur. Rursus Sixtus IV. qui fuit post Clemẽtem VI. in altera Extrauag. citata, eandem indulgentiam, quam ipse de nouo concedit, & ad breuius tempus reducit, remissionem, seu absolutionem appellat: ergo & ante, & post Clementem fuit dispẽsatio thesauri, semperque remissio facta per indulgentias quocunque modo illam inclusit. Loquimur autem de vera & propria indulgentia: nam, si aliquando fortasse fuit vsus remittendi tantum exteriores pœnitentias publicas, pertinentes ad externum forum Ecclesiæ, & non ad sacramentale iudicium pœnitentiæ, ad illam non erat necessaria applicatio thesauri. Sicut enim nunc aliquando fit talis remissio, contingit enim aliquem priuari ingressu Ecclesiæ, v.g. per annum propter delictum, & ante annum impletum remitti à superiore propter honestam causam, ad quam remissionem, licèt per claues fiat, non est necessaria dispensatio thesauri. Simileque est de absolutione à quacunque censura: nam illa etiam est remissio quæ per potestatem clauium fit, ad quam necessaria non est thesauri dispensatio. Ratio verò differentiæ est, quia omnes istæ remissiones pertinens ad forum externum, & politicum, intra latitudinẽ Ecclesiasticæ politiæ, non verò attingunt immediatè internum forum, in quo fit remissio pertinens ad animæ sanctificationem, & liberationem ab omni impedimento gloriæ, quale est aut culpa, aut reatus pœnæ Purgatorij: censura enim, aut quælibet alia pœna huius vitæ, non est huiusmodi; nam licèt quis moriatur excommunicatus, & nunquàm ab excommunicatione absoluatur, si tamen decidat in gratiam, & reatum pœnę Purgatorij iam non habeat, statim gloriam consequeretur. Ob hanc ergo causam ad illas remissiones non est necessaria applicatio satisfactionis Christi: Christus enim tantùm Deo pro nobis satisfecit, & ad internam animarum salutem, & gloriæ consecutionem suam passionem ordinauit. Indulgentiarum verò remissio, quantis extra sacramentum fiat, & respectu illius aliquando dici soleat non pertinere ad internum forum, tamen reuerà pertinet ad internum bonũ animæ, proximeque disponit hominem ad gloriam consequendam, tollendo impedimenta illius, ideóque circa illã, locum habet Christi satisfactio, & sine illius applicatione nunquàm fit.

Ad remissionem externarũ pœnitentiarum non est necessarius thesaurus.

Neque absolutionem à censura. Ratio discriminis.

Adde, quòd pœnas externas, vel censuras Ecclesia ipsa imposuit, & ideò supremus eius pastor, tanquàm principalis causa in illo ordine, potest illas remittere, soluendo quod ligauerat, & non exigendo aliam satisfactionem: ad pœnam verò debitam in foro Dei non ligauit Ecclesia, sed lex ipsius Dei, vel potiùs ipse peccator seipsum ligauit, suppositâ diuina lege: & ideò non potest Ecclesia dispensare in illo debito, nisi aliunde seruando æquitatem respectu ipsius Dei, iuxta modum ab ipso præscriptum: in quo se habet Pontifex vt minister, & instrumentum Christi. Dices, etiam quando Papa dispensat in votis, non soluit quod ipse ligauit, sed quod ligauit Deus, vel ipsemet homo, suppositâ lege Dei, & tamen ad illam solutionem non est necessaria applicatio thesauri quoad satisfactiones Christi. Respondetur, non esse simile, quia illa non est materia capax huiusmodi dispensationis: quia non est materia iustitiæ vindicatiuæ, sed fidelitatis: remissio autem pœnæ, quæ fit per indulgentias, est materia iustitiæ vindicatiuæ, quæ postulat vt inæqualitas culpæ per pœnam ad æquitatem redigatur: & ideò quando dispensatur in pœna propria, applicatur aliena: dispensatio autem voti solùm est in materia religionis, & ex ea parte, qua attingit ius diuinum, requirit iustam causam, illa verò suppositâ, liberaliter fit, prout magis expedit ad bonum animæ, & ad diuinam gloriam, ad quos fines vota Deo facta principaliter ordinantur.

13 Ratio alterã eiusdẽ dif. ferentiæ.

Dixi autem in assertione, *sine interuentu satisfactionis nostræ*, quia quando hæc intercedit, non videtur necessaria specialis applicatio satisfactionis Christi, siue quis pro seipso satisfacit, siue vnus pro alio: vtroque enim modo fit solutio æqualis: & ideò non est necessaria altera solutio ex satisfactione Christi. Alioqui, aut nos non verè satisfaceremus, aut bis, aut vltra condignum pro eodem debito solueremus: sicut etiam, quando iustus habet condignum meritum alicuius gradus gloriæ, respectu illius non videtur indigere applicatione alterius meriti Christi. Hoc tamen intelligendum est de applicatione quasi immediata, per quam datur quasi proprium pretium, & applicatur proxima causa in suo genere talis effectus: hoc enim modo verum est, proprium pretium, & proximam causam talis effectus vel præmij esse satisfactionem, vel meritum hominis: non debet tamen, nec potest omninò excludi Christi meritum, vel satisfactio respectiuè, non solùm quia influunt omninò remotè, & quasi radicaliter, quatenus sine gratia & sanctificatione per Christum obtenta non potest mereri, aut satisfacere de condigno, sed etiam quia suo modo actualiter influit per modum causæ influentialis in suo genere: quia nostra satisfactio & meritum, licèt habeant condignam proportionem, non tamen sufficiunt ad perfectam & rigorosam iustitiam, nisi cum merito & satisfactione Christi coniungantur, & sub hac ratione talis effectus non fit sine respectu ad satisfactionem & meritum Christi: de qua re latiùs dixi in 1. tom. 3. partis: disputat. 4. & 42. Quapropter (doctrinam hanc ad indulgentias applicando) cùm dicimus ad indulgentiarum effectum necessariã esse satisfactionem Christi, eiusque applicationem, vt generaliter verum sit, abstractè etiam est sumendum.

dum. Nam si fingamus, in thesauro Ecclesiæ non esse satisfactiones Sanctorum, sed solius Christi, tunc necessaria est illius applicatio, tãquàm causæ proximę illius effectus, & tanquàm proprij pretij illius remissionis: si verò in thesauro sint satisfactiones Sanctorũ, & ex illis fiat remissio per indulgentias, tunc necesse nõ est, vt satisfactio Christi illo modo concurrat, sed tantùm alio vniuersaliori modo ad cõplendã perfectã rationẽ iustitiæ: nã ratio facta eodem modo procedit in huiusmodi applicatione, ac in quacunque alia satisfactione condigna pro se, vel pro alio facta. Quando verò per indulgentiam vno vel alio modo satisfactio applicetur, fortasse solus Deus scit: circa sequentẽ tamẽ assertionẽ aliquid dicere tentabimus.

A

B

*Tertia conclusio.*

14 Dico ergo tertiò, Thesaurus Ecclesiæ prout cõstans ex satisfactionibus Sanctorum, non est simpliciter necessarius, vt indulgentiæ concedantur, suumque habeant effectum: postquàm tamen in hoc thesauro huiusmodi etiam satisfactiones inueniuntur, ex illis quoque fit indulgentiarum concessio, ac remissio. Hæc assertio quoad omnes partes facilis est ex dictis, & iuxta illam interpretandi sunt Theologi, quando asserunt, indulgentias semper concedi ex thesauro meritorũ Christi, & Sanctorum: loquuntur enim de facto, quia in hoc thesauro nũquàm desunt Sanctorum merita. Si tamen (per possibile, vel impossibile) contingeret thesaurum hunc, vt habentem satisfactiones Sanctorum, aliquando inueniri exhaustum, & consumptum (quod simpliciter non repugnat, cùm ex ea parte finitus sit, & reatus, ac peccata hominum sint innumera) nihilominùs sola satisfactio Christi esset sufficiens ad indulgentiarum efficaciam, etiam secundùm legem ordinariam: quia, sicut ille est vnicus redemptor, ita etiam est per se sufficiens sine adminiculo aliorum Sanctorum. Vnde, licèt quando ipsi aliquid de suo conferunt, quod iuuare possit ad subsidium aliorum, illud acceptet, & in hoc velit honorare Sanctos suos, & charitatem fideliũ inter se fouere tamen quãdo hæc subsidia desunt, vel etiamsi deessent, ab illis nõ pendet, sed per se sufficit ad omnia peccata delẽda. Et confirmatur primò, quia potestas ligandi & soluendi data Petro, per se non pendet ex meritis aliorum Sanctorum, sed in solo Christo, eiusque meritis & satisfactionibus sufficienter fundata est: ergo. Confirmatur secundò, quia omnis remissio culpæ & pœnæ, quæ fit per sacramenta, sufficienter fit ex thesauro vt constante ex meritis & satisfactionibus Christi: ergo etiam remissio per indulgentias posset ex illo thesauro sufficienter fieri.

Prior pars conclusionis probatur.

C

D

15 Altera conclusionis pars constat ex vsu Ecclesiæ, & ex forma concedendi indulgẽtias: supponit enim Ecclesia, in hoc thesauro nunquàm deesse superabundãtes Sanctorum satisfactiones, & ideò concedit indulgentias ex thesauro Christi, & Sanctorum, vt constat ex Extrauag. *Vnigenitus*, & ex Decretali Leonis 10. suprà citatis. Ratio etiam id conuincit: nam vnus homo potest pro alio satisfacere, & hoc modo obtinere illi remissionẽ pœnæ: ergo eãdem ratione satisfactio alicuius Sancti, quæ effectum non habuit, reposita in Ecclesiæ thesauro, & dispensata per eum, qui potestatem habet, erit sufficiens causa in suo genere ad remissionem pœnæ eius, cui applicatur: ergo optimè possunt ex huiusmodi satisfactionibus indulgentiæ cõcedi. Sed dicunt aliqui, vt suprà retuli, hoc verũ esse in indulgentiis, quæ cõceduntur per modũ suffragij, non verò in his, quæ conceduntur per modũ absolutionis, quia Sancti non possunt absoluere à reatu pœnæ: hoc enim est proprium munus Redẽptoris per se, vel per Vicarios suos. Sed oppositum ostẽdunt decreta citata: de vtroq; enim modo indulgentiæ, dicit Leo X. fieri ex thesauro Christi, & Sanctorum: & indulgẽtia illa anni Iubilæi, de qua loquitur Clem. VI. per modũ absolutionis cõcessa est, vt ex aliis Extrau. ostẽdimus. Verũ est ergo Sanctos nõ absoluere alios, sed Christum, vel Vicarium eius: cõferunt tamen aliquid per satisfactiones suas, quod possit esse materia, vel pretium, ex qua proximè fiat solutio, quã talis absolutio includit, vt efficax sit. Neque verò ipsi Sancti per se ad hoc sufficiũt sine Christo, sed necessaria est etiã Christi satisfactio, & meritum, ratione cuius & satisfactiones Sanctorum ad hunc effectum acceptantur, & ipsa remissio fit ex perfecta ratione iustitiæ, consideratis omnibus causis.

Enodatur.

Licèt sancti nõ absoluãt, dant tamen pretium solutionis.

*Cùm indulgentia absolutè conceditur, quæ satisfactio applicetur.*

19 Sed inquiret aliquis, quæ satisfactio Christine, an Sanctorũ applicetur per indulgentiam ex hoc thesauro absolutè concessam. Quidam hoc discernũt ex causa indulgentiæ, nã interdum (inquiunt) est tam grauis, vt per se sufficiat ad applicandam tantã Christi satisfactionem, etiamsi illa sola esset in thesauro, & tunc aiunt, illam applicari. Aliquando verò causa non est ita sufficiens, sed ex vi eius minor remitteretur, si sola Christi satisfactio esset in thesauro: & tunc vt indulgentia integrum habeat effectum, supplentur aliquid ex satisfactionibus Sanctorũ, quia ex locupletiori thesauro faciliùs potest maior erogatio fieri, stante eadem causa. Et hic quidẽ dicendi modus non est impossibilis: cur enim non potuit Deus, ex cuius voluntate hæc omnia maximè pendent, huiusmodi legem ferre circa modum huius applicationis? Nihilominùs mihi incerta res est, quia nec in vsu habet aliquod fundamentum, nec in verbis Pontificum, qui in suis Bullis indistinctè loquuntur de thesauro: nec in re ipsa, cùm thesaurus ex solis satisfactionibus Christi ditissimus sit, & inconsumptibilis & ideò augmẽtum illud quasi extensiuũ ex satisfactionibus Sanctorũ parum videatur referre ad augendũ effectum, stante eãdem causa: hoc enim maximè habet locũ in thesauro finito, vbi timeri potest ne consumatur. Aliàs quò in thesauro maior esset copia satisfactionũ Sanctorum, eò posset ex illo maior indulgentia concedi, stante eadem causa: quod est alienum à mente Pontificũ concedentium indulgentias, & Theologorũ dicentium, tantùm valere quantùm sonant, si causa sufficiat: non enim putant vnquàm minui effectum indulgentiæ ob inopiam, vel diminutionem thesauri, cùm absolutè infinitus sit.

17 Videtur ergo mihi in primis solutio hæc fieri ex his, vel illis satisfactionibus, iuxta intentionẽ applicantis: ita enim in sacramentis, & sacrificio fit ex sola satisfactione Christi, quia hæc fuit intentio eius. Et eodem modo possent Pontifices concedere indulgentiam ex solis satisfactionibus Christi: quia dispẽsatio illius thesauri non est illis commissa cum limitatione ad hanc, vel illam satisfactionem, nec ad omnes simul, vbi est enim hæc limitatio? cùm Christus absolutè commiserit claues & dixerit, *Quodcunque solueris*. Et eadem ratione censeo posse applicari per indulgentias solam satisfactionem Sanctorum, vt sint proprium pretiũ solutionis, quia reuera sufficiũt ad condignam satisfactionem, & solutionem, vt suprà ostensum est in suffragiis: & aliàs poterstas clauiũ quoad actum indulgentiæ æquè indifferenter illas

Resolutio.

Posterior cõclusionis pars suadetur. Replica.

comprehendit. Dico autem, *Vt sint proprium pretium solutionis*, quia satisfactio Christi, vt principalis, & vniuersalis causa concurrens cum nostris satisfactionibus, & dans illis perfectionem, & efficaciam, nunquàm potest excludi, vt constat ex dictis, tã hîc, quàm in 1. tomo. Regulariter autem non conceditur illo modo indulgentia, quia satisfactiones Sanctorum finitæ sunt, & possunt deesse. Quando verò intentio concedentis determinata non est, sed absolutè fit de thesauro, vel de satisfactionibus Christi & Sanctorũ, incertum mihi est quomodo fiat applicatio: probabile est enim quòd proximè fiat ex satisfactionibus Sãctorum, si sufficiãt, quia sunt veluti causa proxima, & Deus operatur per illã, quãdo potest: probabile itẽ est, semper applicari etiã immediatè satisfactionẽ Christi propter eius eminentiam ac dignitatem. Ac denique dici potest, ex toto illo thesauro per modum vnius fieri solutionem, indistinctè concurrentibus satisfactionibus Christi & Sanctorũ vt causis partialibus, non partialitate effectus, sed causæ. Melius tamen est hoc relinquere diuino iudicio, & arbitrio, quàm de re incerta definitam sententiam proferre.

A

B

## *Quarta conclusio.*

18

Prior cõclusionis pars suadetur.

DIco quartò, Thesaurus Ecclesiæ, vt constans ex meritis Sanctorum sub propria & formali ratione meriti à satisfactione distincta, nihil per se confert ad effectum indulgentiæ, vnde necessarius non est ad indulgentiarum concessiones. Probatur, quia in primis indulgentiæ nullo modo nituntur meritis Sanctorum sub ea ratione consideratis: quia Sãcti nec meruerunt Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias, sicut meruit Christus, nec meruerunt vt nobis remitteretur pœna omninò gratis, sine vlla satisfactione, vel propria, vel aliena nobis appropriata: quia hoc sub nullius meritũ cadit, vt dictum est in materia de satisfactione, & ex secunda assertione posita colligi etiã potest. Neq; etiã meruerunt vt satisfactiones suæ pro aliis oblatæ, acceptarentur à Deo: nã hæc cõditio ex lege ab ipso Deo data supponitur ante omne eorum meritum, & satisfactionem, & ad summum fundatur in solius Christi meritis: ergo merita Sanctorum, vt merita sunt, nulla ratione per se concurrunt ad effectum indulgẽtiæ. Rursus, si opera Sanctorum considerentur vt meritoria de condigno, in solis ipsis operantibus habent effectum: si verò considerentur quatenus respectu aliorũ possunt esse meritoria de cõgruo: sic nihil conferre possunt ad effectũ indulgentiæ, tum quia ille effectus fit infallibili lege, & seruata æquitate iustitiæ respectu Dei: in huiusmodi autem effectibus nihil per se operatur meritum de congruo, vt patet in effectu conferendo per sacramentũ: nã si ritè applicetur, & nõ inueniat obicẽ, impertinẽs est meritũ de cõgruo cuiusq; sãcti, vt habeat suum effectũ: tum etiã quia meritũ de congruo nunquàm habet effectum in alio, nisi adiuncta petitione, quam iuuat ipsum meritum ad efficaciam imputationis; petitio verò ipsa necessaria est, vt ordinet tale meritum ad talem effectum, ad quem ex natura sua non ordinabatur, vt suppono ex materia de merito. Per indulgentias autem fit, vt Sancti petant pro nobis effectum indulgentiæ, neque hoc est necessarium, neque id potest efficaciter præstare qui concedit indulgentiam, vt per se est euidens: ergo. Possunt quidem petere & impetrare nobis dispositionem conuenientem ad lucrandam indulgentiam, & nos etiam possumus petere à Deo propter merita Sanctorum eandem dispositionem, tamen hic concursus & est remotus ac per accidens ad effectum indulgentiæ, & non est ex vi ipsius indulgentiæ, vt dictum est.

C

D

E

19

Posterior cõclusionis pars probatur.

Ex his ergo: satis probata est prior pars assertionis, & ex illa concluditur posterior: in qua non negamus merita Sanctorum, vt merita sunt, manere in thesauro Ecclesiæ, id enim nec necessarium nobis est, nec fortasse verum, sed negamus id esse necessarium ad vsum indulgentiarum, quia si illa merita, vt sic, non concurrunt ad indulgentiarum effectum, non est cur sint necessaria per se ac formaliter, sed solùm materialiter, quatenus satisfactiones non sunt sine meritis. Item, quia opera Sanctorum solùm possũt requiri ad indulgentiam quatenus sunt veluti pretium, quo nostrum debitum compẽsatur: sed non compensatur per illa quatenus merita, sed quatenus satisfactiones sunt: ergo propria meritorum ratio non erat necessaria ad indulgẽtiam, quæ ex thesauro meritorũ Christi & Sanctorum concedi dicitur: quomodo enim hæc verba intelligenda sint, iam suprà est expositum: neque vlla noua hîc occurrit difficultas.

20

An Sanctorũ merita conferant ad hoc vt maior indulgentia concedatur, quàm requireret.

Solùm potest quis interrogare, an merita Sanctorum sub propria ratione à satisfactione distincta, saltem ad hoc conferant, vt propter leuiorem causam maior indulgentia concedi possit, quàm sit illa, ad quã talis causa per se sufficeret. Respondeo, nihil etiã ad hoc conferre, quia nec merita illa per orationes Sanctorum ad hoc applicantur, nec etiam per ipsam indulgentiam. Probatur vtraq; pars, quia, vt sæpe dixi, indulgentia conceditur per modum iustæ dispensationis, quæ requirit sufficientem causam in re ipsa, & propter merita Sanctorum nihil de hac iustitia vel æquitate remittitur, sufficiens enim indulgentia est, quòd supposita rationabili causa ex eorũ satisfactionibus, aliena debita soluantur.

## SECTIO III.

### *An Ecclesiæ thesaurus solùm per indulgentias dispensetur.*

1

Ecclesiæ thesaurus vt cõstans ex Christi meritis alio modo quàm per indulgentias dispensatur.

DVBIVM hoc ex dictis breuiter definiri potest, & ad consummatã doctrinã de hoc thesauro spectat, & ideò prætermissum non est. Distinguendũ ergo est inter thesaurũ constantẽ ex Christi meritis, vel Sanctorũ Et de priori dicendum est, multis aliis modis seu per alia media dispensari, præter indulgentias, nimirũ per sacramẽta, & per sacrificiũ, & per alia etiã opera fidelium. Vnde interdũ dispẽsatur hic thesaurus, vt ad Christum spectat, per homines ministros Christi, interdum verò immediatè ab ipso Christo: quoties enim culpa, vel pœna remittitur, vel aliquod gratiæ beneficium nobis præstatur, thesaurus meritorum Christi nobis applicatur, seu distribuitur: constat autem hoc sæpe fieri interiùs & immediatè ab ipso Christo, aliquando verò interuẽtu hominum per ministerium sacramentorum.

2

Quid de thesauro vt cõstante ex satisfactionibus Christi, & Sanctorũ, Marsilij opinio. Improbatur.

De thesauro verò, vt constante ex satisfactionibus Sanctorum, Marsil. in 4. q. 12. asseruit, non solùm per indulgentias, sed etiam per absolutionem sacramentalem distribui: quia etiam in illo sacramento putat fieri solutionem ex satisfactionibus Sanctorum. Hæc verò sententia à cæteris Theologis meritò reiicitur, quia cùm sacramenta sint Ecclesiæ fundamenta, in eis solus sanguis Christi operatur, tãtúmque in eius meritis & satisfactionibus nituntur, vt virtutem operandi habeant. Quòd si hac ratione hoc certum est de cæteris sacramentis, idem dicendum est de sacramento pœnitentiæ, quia nulla est specialis ratio aut fundamentum ad excipiẽdum illud, nam solus Christus est, qui dedit potestatem ad remittenda peccata in hoc sacramento, solúmque de seipso dixit, *Oportebat*,

*bat Christum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Luc.24. Et Concilium Tridentin.sess.14. capit.1. de illo sacramento solùm dixit, per illud *applicari peccatoribus beneficium mortis Christi.*

Luc 24. Conc. Trid.

3 Resolutio vera.

Supereſt ergo, vt,hac ſententia reiecta, dicamus, theſaurum ex ſatisfactionibus Sanctorum ſolùm per indulgentias diſpenſari. Probatur primò,quia de hoc theſauro & eius diſpenſatione nihil nobis conſtat niſi per Eccleſiæ doctrinam:Eccleſia autem hactenus non docuit nos alium diſpenſationis modum; vel oſtendatur vbi id docuerit. Secundò declaratur ratione, quia hæc diſpenſatio conſiſtit in applicatione ſatisfactionum Sanctorum ad remiſſionem pœnæ temporalis, quæ alicui fit vltrà ſatisfactionem ab ipſo exhibitam,quia ſatisfactio non eſt accommodata ad alium effectum, ſeu non eſt pretium, quod in alios vſus expendi ſoleat. Hæc autem applicatio variis modis, & à variis perſonis fieri, vel potiùs excogitari poſſet. Primò ab vnoquoque indigente tali remiſſione, & voluntate ſua ex illo theſauro accipiente ſatisfactionem ſibi neceſſariam.Sed hic modus eſt planè improbabilis,alioqui facilè poſſet vnuſquiſque pro ſuis omnibus peccatis ſatisfactionem exhibere, ſine vlla propria pœna à ſe ſuſcepta;quod erroneum eſt.Ratio verò eſt ſuprà tacta, quia non eſt liberum vnicuique priuatæ perſonæ de communi theſauro aliquid ſibi vſurpare. Et eadem ratione eſt certum, hanc applicationem fieri non poſſe à qualibet priuata perſona reſpectu aliorum; nam diſpenſatio publici theſauri non eſt poſita in cuiuſque priuati hominis voluntate, ſed ad publicam poteſtatem pertinet.Atque hoc quidem manifeſtum eſt, ſi vnus velit aliorum ſatisfactiones in theſauro repoſitas aliis donare.

Priuata perſona non poteſt per ſe Sanctorum ſatisfactiones offerre. Nec pro aliis.

4 Non poteſt Sanctus ſatisfactiones ſuas in theſauro repoſitas priuata auctoritate aliis donare.

Nonnulla verò dubitatio eſſe poteſt, ſi aliquis iuſtus vel Sanctus ſuas ſatisfactiones iam in theſauro repoſitas velit alteri efficaciter applicare: quod tam de Sanctis iam defunctis, quàm de adhuc viuentibus in hoc ſeculo dubitari poteſt.Hanc verò quæſtionem ſuprà tetigimus agentes de ſuffragiis, & partẽ negantẽ reſoluimus, quam etiam nunc veram eſſe cenſemus: quia illæ ſatisfactiones, hoc ipſo quod non applicantur in particulari, cùm fiunt, vel non ſortiuntur effectum, veluti transferuntur in dominium totius Eccleſiæ, deſinuntque eſſe ſub eius voluntate, qui illas operatus eſt: & ideò non poſſunt per illam ampliùs applicari. Item, quia aliàs, ſi ipſimet iuſti poſteà indigerent illis ſatisfactionibus, poſſent eas vſurpare, & ſibi applicare,vt v.g.anima Purgatorij,quę aliquando habuit abundantes ſatisfactiones,poſteà verò nouum reatum contraxit,poſſet ſibi applicare priores ſatisfactiones, & ita è Purgatorio liberare:idemque contingere poſſet, ſeruata proportione, homini in hac vita viuenti,quod profectò falſum eſt, vt etiam in materia de ſatisfactione diximus.

5 Poſsitne priuata perſona ſibi vel alteri impetrare ſatisfactiones alicuius Sancti in theſauro repoſitas.

Alius verò modus magis apparens eſſet, ſi quis diceret,quanuis non poſſint priuatæ perſonæ ſua voluntate efficaciter hoc facere, poſſe tamen impetrare à Chriſto Domino vt ipſe temporales pœnas remittat, vel ipſiſmet poſtulantibus, vel aliis pro quibus poſtulant, eis applicando Sanctorum ſatisfactiones in theſauro repoſitas.Quod intelligi poſſet, vel de Sanctis iam beatis orãtibus pro viatore,vel de viatoribus orãtibus pro ſeipſis,vel pro ſe inuicem,vel de vtriſque ſimul, id eſt, de viatoribus orantibus per merita vel interceſſiones Sanctorũ & per eos impetrantibus talem applicationem. Hic enim modus nec impoſſibilis videtur,nec rationi diſſonus,nec contra auctoritatẽ aliquam, vel traditionem. Nihilominùs circa illum duo dicenda occurrunt.Vnum eſt,remiſſionem pœnę temporalis nunquàm fieri hoc liberali modo propter ſolam orationẽ:quod oſtẽdi agens de ſatisfactione,& ſuffragiis.Aliud eſt, etiamſi daremus illã indulgẽtiam concedi immediatè à Chriſto Domino,non dici conuenienter fieri applicando ſatisfactiones Sanctorum, ſed ſolùm ipſius Chriſti: quia vt Chriſtus per ſeipſum remittat pœnas peccatorũ,non indiget aliorum ſatisfactionibus,ſed ex ſuo ſolo theſauro multò cõuenientiùs id faceret: quod ſecus eſt quando hanc remiſſionem facit per alios homines:nam tunc,ſicut eis vtitur vt miniſtris,& inſtrumentis, ita eis concedit, vt ſatisfactionibus ſibi(vt ita dicã) magis propriis & accommodatis ad eum finem ſeu effectum vtantur.

Reſolutio.

Vnde obiter colligitur differentia inter applicationem ſatisfactionum Chriſti,& Sãctorũ, nã illa interdum fit per hominem, interdum verò immediatè ab ipſo Chriſto:hæc verò ſolùm fit per hominẽ operantem per poteſtatem ab ipſo Chriſto datã.Quamquàm quoties propriam ſatisfactionem applicat ex opere operato, ſemper etiam id facit miniſterio hominum, loquẽdo ſecundùm legem ordinariam: quia ſolùm id facit per ſacrificium, vel ſacramenta, & indulgentias, quæ omnia hominibus commiſit. Omitto etiam ſpeciale priuilegium martyrij,& ſi quod eſt aliud ſimile, nam in eo opere ipſe propriiſſimè applicat ſatisfactionem ſuam vltra meritum operantis, ſi neceſſe ſit, vt omnis reatus pœnæ remittatur.Ad aliã verò quamcunque remiſſionem pœnæ, quæ ex opere operantis fiat, applicat etiam Chriſtus ſuum meritum vel ſatisfactionem, quantùm neceſſarium eſt iuxta ſuperiùs dicta: non enim alligauit ſacramentis ſatisfactionem ſuam ad benefaciendum hominibus, ſed paratus eſt ad ſuæ gratiæ beneficia cuicunque homini conferenda,iuxta diſpoſitionem, vel condignam operationem ſuam:ea verò, quæ ſtatuit conferre ex opere operato, tantùm præbet ſecundùm legem ordinariam, per determinata media ab ipſo inſtituta, quorum miniſterium hominibus commiſit.

6 Diſcrimen inter applicationem ſatisfactionũ Chriſti,& Sanctorum.

Ex his ergo concluditur ratio, quia ſatisfactiones Sanctorum non applicantur niſi per homines, & non priuata auctoritate, ſed publica, atque adeò per poteſtatem clauium à Chriſto conceſſam:ſed hæc poteſtas non operatur remiſſionem peccatorum quoad culpam,aut pœnam apud Deum,niſi per ſacramenta,aut per indulgẽtias, ergo neque applicat aut diſpenſat ſatisfactiones Sanctorum niſi per ſacraméta, aut indulgentias, quia non diſpenſat illas niſi ad remittendam pœnã tempor lẽ:& remiſſio pœnæ, præter opus operantis, extra ſacramentum facta, eſt indulgentia, vt patet ex definitione indulgentiæ ſuprà data,& ex inductione proximè facta. At ſatisfactiones Sanctorum non applicantur per ſacramenta, vt contra Marſilium oſtenſum eſt:ſupereſt ergo vt ſolùm per indulgentias diſpenſentur. Neque in hoc inuenio difficultatem vllam.

7 Ratio concluſionis.

Poteſt verò quiſpiam interrogare, an merita Sanctorum, ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta, poſſint alio modo diſpenſari. Videtur enim ita eſſe dicendum,quia merita non aliter diſpensãtur, quàm ratione illorum aliquid obtinendo. Poſſumus autem ſine interuentu indulgẽtiarum per merita Sanctorum multa beneficia à Deo impetrare & obtinere. Veruntamen ex dictis ſatis conſtat,per indulgentias non propriè diſpenſari merita Sãctorum ſub hac formali ratione. Vnde eo modo, quo applicari poſſunt, ſeu aliquid in nobis operari, non per indulgentias, ſed per orationes & impetrationes per modum meriti de congruo nobis applicantur.Quæ orationes fundi poſſunt & ab ipſis Sanctis in cœlo exiſtentibus, qui,vt nobis aliquod beneficium obtineant,ſua merita & obſequia Deo interdum repræſentant.Aliquando id fit per noſtras priuatas orationes,aliquando per

8 Num merita Sanctorum poſſint alia ratione quã per indulgẽtias diſpenſari.

publicas totius Ecclesiæ, dum à Deo postulamus, vt propter Sanctorum merita bonum aliquod nobis cõferant. Veruntamen hæc non est propria dispensatio talium meritorum, quia non donantur nobis ad obtinendum propriũ præmium eorum, sicut donatur nobis satisfactio ad proprium effectum eius; sed solùm moraliter nos iuuant, vt eorum intuitu faciliùs Deus orationes nostras exaudiat. Vnde illa qualiscunque dispensatio, vel potiùs applicatio, quæ ibi interuenit, ab ipsomet Christo fit, exaudiente orationes nostras, aut Sanctorum: ideoque in hoc genere applicationis non interuenit potestas clauium, neque aliquis actus eius.

## DISPVTATIO LII.

### *De Fidelibus viuentibus, quibus prodesse possunt indulgentiæ.*

ALTERA causa indulgentiæ est quasi subiectiua, in qua indulgentia suum effectum habet. Et quoniam certum est, homines esse huiusmodi subiectũ, ideò hæc causa maioris claritatis gratia, diuidi potest in viuentes, & defunctos, vtrisque enim applicari potest indulgentia, diuerso tamen modo: & ideò priùs de viuis, posteà de defunctis dicemus: simulque declarabimus diuisionem sæpe tactam de indulgentia per modum absolutionis, vel per modum suffragij. Quia verò, licèt indulgentia solis prosit hominibus, sæpe tamen aliis rebus concedi videtur, ideò declarandum etiam est, quo modo hoc fiat, simulque attingemus aliam diuisionem indulgentiæ in localem, realem, & personalem, quanuis vulgaris admodùm non sit.

## SECTIO I.

### *Vtrùm indulgentia solis hominibus concedi possit: & quomodo diuidatur in localem, realem, & personalem.*

1 Solus homo viator est indulgentiæ capax.

PRIMÒ est certum, effectum indulgentiæ solùm in homine posse habere locum, quia solus homo est capax reatus pœnæ tẽporalis, qui per indulgentiam remittitur. Nam hic reatus ex culpa relinquitur, & ex hoc capite non habet locum nisi in creatura ratione vtente. Supponit etiam hic reatus culpam remissam, vt per indulgentiam tolli possit: & ex hoc capite solùm in homine locum habet: nam in Angelis non habet locum remissio culpæ, & consequenter nec reatus pœnæ temporalis. Deinde hinc constat indulgẽtias maximè habere locũ erga omnes hîc viuentes seu viatores: nam Beati nullum pœnę reatum habere possunt. Damnati verò iam non sunt capaces remissionis, omnísque reatus pœnæ qui in eis est, vel per se est pœnæ æternæ, vel ex accidenti, & propter conditionem subiecti perpetuò durat, vt sæpe in superioribus tactum est, & in seq. disp. iterum occurret. Animæ autem Purgatorij, si aliquo modo sunt capaces indulgentiæ seu fructus eius, illud est quatenus aliqua ex parte statum viatorum participant, & de illis specialiter tractabimus Disp. seq. Superest ergo vt homines viatores per se primò maximè sint capaces indulgentiarum: atque hoc confirmat vsus Ecclesiæ. Et ratio etiam est clara, quia iurisdictio Ecclesiastica directè ac per se cadit in homines viatores seu A viuentes in hac vita mortali: sed indulgentiarum concessio est actus huius iurisdictionis: ergo ex hac parte potissimum versatur circa huiusmodi homines. Aliunde verò in eis etiam maximè esse potest necessitas indulgentiæ, quia possunt habere reatus pœnarum temporalium post culparum remissionem: ergo.

2 Soli homines baptizati, & ratione vtentes capaces sunt indulgentiarum, si illis indigeant.

Imò hinc vlteriùs sequitur, non omnes homines viatores esse capaces indulgentiarum, sed eos tantùm, qui baptizati sunt, & rationis vsum habent. Primùm patet, quia tantùm homines baptizati subduntur spirituali iurisdictioni Ecclesiæ: indulgentiarum autem cõcessio est actus iurisdictionis, vt suprà ostensum est. Item, ante Baptismum non est aliquis capax remissionis culpæ ex opere operato, ergo nec remissionis pœnæ, quæ per indulgentias fit; est enim eadem ratio, B cùm vtraque sit absolutio quædam, quæ circa subditos tantùm exerceri potest. Secundũ etiam est clarum quia reatus pœnæ temporalis, ad cuius remissionem indulgentia ordinatur, oritur ex culpa actuali, quam solùm committere potest is, qui vsum rationis habet. Nam propter originale peccatum incurritur pœnæ æternæ reatus, non sensus, sed damni, non verò contrahitur alius reatus pœnæ temporalis, quæ vel in alia vita sustinenda sit, vel per indulgentias remitti possit: nam pœnalitates huius vitæ, quæ per originale peccatum contrahuntur, & temporales dici possunt, quia cum ipsa via finiuntur, non sunt ex his pœnis, quæ secundùm legem ordinariam remitti possint, durãte hac vita; adeò vt nec Christi passio ad hunc effectum ordinata sit, vel applicetur hominibus. Cuius signum est, C quòd nec per Baptismum remittũtur, vt suo loco tractauimus, vbi huius rei rationes & congruentias tradidimus. Tandem addendũ est, quẽlibet baptizatum hominẽ, & ratione vtentem esse capacem indulgẽtiæ, si illa indigeat, non tamen respectu cuiuscunque, sed respectu superioris, cui est subditus quoad talẽ actum. Dico, *si illa indigeat*, quia si nõ est debitor, nõ est capax remissionis, & absolutionis. Quia verò hæc est actus iurisdictionis, ideò etiã requirit respectũ subdici in eo cui faciẽda est, iuxta c. *Quod autẽ*. de Pœnit. & remis. & iuxta communẽ sentẽtiam. Quia verò subditus, & superior correlatiua sunt; ideò hic respectus simul explicabitur cum respectu superioris, de quo dicemus infrà agentes de causa efficiente indulgentiarum. D

### *Diuisio indulgentiæ in personalem, localem, & realem.*

3 CIRCA hanc verò resolutionem nonnulla supersunt adnotanda. Primum est, quòd licèt soli homines sint capaces indulgentiarum, nihilominùs aliquando dicuntur concedi indulgentiæ piis locis, vel piis rebus, vt imaginibus, aut granis, seu calculis benedictis. Vnde sicut distinguitur interdum in locale & personale, ita non incommodè distinguunt aliqui indulgentiam in personalem, & localem, quibus E tertiũ mẽbrum addunt, vocantque indulgentiã realẽ. Quæ omnes indulgentiæ in hoc conueniunt, quòd omnes ordinantur ad vsũ ipsorum hominum, & in eis solis habent effectum, ac denique omnes sunt absolutiones seu remissiones alicuius pœnę temporalis. Differunt tamen, quia indulgentia personalis ita conceditur personæ, vt illi quasi inhæreat talis fauor seu gratia: quia illi directè fit: vnde quocunque pergat, illam secum defert, vt sic dicam. At verò indulgentia localis quodammodò inhæret loco in ordine ad personas: huiusmodi enim indulgentia dicitur concedi loco, quia conceditur hominibus in tali loco orantibus, vel aliud pium opus ibi exercentibus, & ideò censetur fauor ille quasi inhærere loco, quia in illo tantùm

tùm, & non in alio talis indulgentia obtinetur, nec effectus eius communicatur hominibus nisi mediante loco. Et quoad hoc similis est alia indulgentia, quæ realis appellatur, solumque differt, quia non conceditur in gratiam alicuius loci immobilis, sed alicuius rei mobilis, vt est imago aliqua. Agnus Dei, rosarium, & similia, quibus proinde censetur inhærere talis fauor, & cum eis quasi deferri, & per eas hominibus communicari, ita vt omnes, qui coram tali imagine orant, vel per talia grana, vel rosaria, &c. talem remissionem consequantur. Atque ita, non obstante hac diuisione, semper verum est solos homines viatores esse capaces indulgentiarum, quantùm ad effectum seu finem earum, quanuis interdum hic fauor directè & immediatè concedatur ipsis hominibus, aliquando verò mediante loco, vel alia re sacra.

## *Quid requiratur ad indulgentiam localem lucrandam.*

4 Dubium 1. EX hac verò diuisione oriuntur nonnulla dubia proportionalia his, quæ de similibus interdictis tractari solent. Primum est, quid requiratur ad lucrandam indulgentiam alicui pio loco concessam, an sufficiat locum illum ingredi, vel aliquid aliud facere necesse sit. Ad quod breuiter dicendum est, considerandam esse formam indulgentiæ: aut enim in ea expressè postulatur aliquod speciale opus ibi faciendum, vt v. g. hoc aut illud recitare, & tunc manifestum est, illud opus, quod in concessione postulatur, esse in illo loco faciendum, quia, vt infrà dicemus, talis concessio est quasi conditionata, quæ non sortitur effectum nisi impleta conditione. Quãdo verò nullum speciale opus exigitur, sed conceditur indulgentia omnibus visitantibus talem locum, tunc (vt rectè notauit Adrianus in 4. agens de indulgentia) intelligendum id est de religiosa deuota visitatione, quę in Dei, vel Sanctorum honorem cedat. Quia opus, quod exigitur ad lucrandam indulgentiam, debet esse opus honestum, & pium, quia quodlibet aliud potiùs impediret, quàm iuuaret pœnæ remissionem. Vnde, si quis ingrederetur talem locum, sicut ingreditur alia communia loca, vel transeundo, vel deambulando, vel curiositatis gratia ad conspiciendam eius pulchritudinem, vel alia simili intentione, non lucraretur indulgentiam, quia talis non est pia visitatio, & religiosa operatio. Oportet ergo vt accessus ad talem locum ex fide & religione aliquo modo procedat, fiatque ad colendum in tali loco Deum, vel in seipso, vel in aliquo Sancto, qui propter ipsum ibi afficitur honore. Vnde talis visitatio non videtur moraliter separabilis ab aliqua oratione vel deprecatione, quæ in tali loco fiat, quanuis modus seu quantitas eius non determinetur, sed relinquatur arbitrio facientis.

Adrian.

5 An quando indulgentia conceditur templum visitantibus, necesse sit templum ingredi. Glossæ opinio. Hic verò inquiri vlteriùs solet, quando conceditur indulgentia visitantibus tale templum, vel in alio orantibus, &c. an necesse sit corporaliter ingredi ipsum templum, vel possit quis extra illud existens indulgentiam lucrari. Glossa enim in Clem. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. affirmat necessarium esse ingredi corporaliter ipsam Ecclesiam, ita vt licèt ob necessitatem seu multitudinem hominum aliquis ingredi non possit, non satis illi sit extra templum ipsum orare, vel interesse diuino officio, quod in ea Ecclesia fit. Ratio, est, quia hoc sonant verba concessionis, & indulgentia non ampliùs operatur, quàm verbis exprimatur. Contrariam sententiam tenent Summa Rosella verb. *Indulgentia*, nu. 22. & Cordub. q. 31. qui citat Palud. Ratio eorum est, quia hæc videtur fuisse intentio concedentis, quãuis casum illum non expresserit, quia de illo non cogitat. Sed hæc ratio non placet, quia intentio præsumpta non operatur in indulgentiis, sed ea quæ per verba formæ sufficienter expressa est. Vnde ex communi sententia Doctorum, vt infrà videbimus, qui non implet conditionem, in ipsa concessione postulatam, etiamsi ob impotentiam illam omittat, non lucratur indulgentiam, nisi talis exceptio in ipsa concessione fuerit expressa, in præsenti autem talis casus non fuit expressus, vt supponimus; ergo si in eo non impletur conditio postulata in ipsa concessione, quanuis ob impotentiam omittatur, non obtinebitur indulgentia.

Secũda opinio. Rosell. Cordub.

Improbatur.

Et confirmatur, quia alias, etiamsi fores talis Ecclesiæ essent clausæ, lucraretur quis indulgentiam extra illas orando: imò etiamsi per vim domi suæ detineretur, si animo & desiderio visitaret locum illum, indulgentiam lucraretur, quia etiam tunc præsumi potest intentio concedentis: quia etiam in eo casu inuoluntariè & ob impotentiam omittitur visitatio corporalis. Dices, non esse simile, quia in alio casu non omninò omittitur: nam ille, qui extra Ecclesiam orat, aliquo modo Ecclesiam visitat, etiam, corporaliter. Sed cõtra hoc est, quia ad obtinendam indulgentiam non satis est aggredi seu inchoare actum in concessione postulatum, nisi perficiatur, vt si necessarium sit visitare limina Apostolorum, non satis est iter inchoare, etiamsi mors intercedat: ita verò est in illo casu, quia illa reuerà nõ est corporalis visitatio talis Ecclesię, sed quoddam desideriũ, vel inchoatio eius. Quod patet, quia aliàs, etiamsi quis sine vllo impedimento omitteret ingressum Ecclesiæ, & extra illam oraret, indulgentiam lucraretur, quia iam censetur visitasse illam Ecclesiam, & hæc tantùm erat conditio postulata. Nã quòd id fiat ex necessitate, vel ex volũtate, non refert, neque impedit quominùs illa deprecatio aut veneratio, quæ ex necessitate facta extra Ecclesiã censetur esse sufficiens visitatio eius, idem habeat, etiamsi voluntariè eodem modo fiat. Consequens autem non admittitur à dictis Auctoribus, nam solùm in casu necessitatis docent posse talem indulgentiam obtineri orando extra Ecclesiã: ergo sentiunt illam reuerà non esse visitationem Ecclesiæ, quã per se requirit talis indulgentia, & ideò recurrunt ad intentionẽ concedentis, quæ tamen non videtur sufficere, vt ostensum est.

6 Replica. Enodatur.

7 Germana resolutio. D. Thom. Palud. Nauarr.

Quocirca in hac re standum censeo verbis concessionis, ita vt verè expleatur conditio, quæ ex proprietate talium verborum postulatur ad lucrandam illam indulgentiam, quia aliàs non obtinebitur, vt generaliter docuit D. Tho. quodliber. 2. art. 16. & Palud. in 4. d. 20. q. 4. nu. 46. & Nau. in Commẽt. de Indulgentiis, nota b. 19. & in expositione Bullę Gregorij XIII. n. 50. Vnde, si verba cõcessionis expresse requirant ingressum in Ecclesiam, seu actionem, quæ sine huiusmodi ingressu fieri non potest, non poterit quis eam lucrari, etiamsi per vim, vel populi multitudinem ingredi impediatur, & hoc probant rationes factæ. Si tamen verba concessionis verificari & impleri possunt sine ingressu, per alium accessum ad Ecclesiam moraliter sufficientem, vt iuxta communem loquendi modum verè dicatur quispiam Ecclesiam visitare, tunc corporalis ingressus in Ecclesiam non est simpliciter necessarius, ideoque attentè legenda sunt verba concessionis. Nam si præcipiant in Ecclesia sacrificare, non satis erit id facere iuxta Ecclesiam, etiam ob impedimentum. Si verò solùm præcipiant visitare Ecclesiam, videtur id sufficienter fieri absque ingressu corporali. At si præcipiant orare in Ecclesia, res est magis dubia, probabile autẽ videtur in dicto casu id sufficere, quia censetur talis oratio fieri in Ecclesia iuxta moralem existimationem, & loquendi modum, maximè quando homo facit quod in se est ad ingrediendum, & impeditur

peditur ob populi frequentiam. Addo denique, in huiusmodi concessione cœmeteriũ etiam nomine Ecclesiæ comprehendi, nam in fauorabilibus amplè sunt verba interpretanda: & ideò, si ob necessitatem Missa dicatur in cæmeterio, sufficienter dicetur quis Missam audire in tali Ecclesia, vt lucretur indulgentiam. Dico autem, *in necessitate*, quia extra illam id semper est agendum, quod certius ac securius est.

A

## *An diruto templo extinguatur indulgentia illi concessa.*

8 TERTIO, circa eandem indulgentiam inquiri solet, an indulgentia concessa alicui templo, illo diruto extinguatur. Et quidem si Ecclesia per partes tantùm paulatim destruatur & reædificetur, certum apud omnes est nõ extingui indulgentiã, quia semper durat eadem numero Ecclesia. At verò quando omninò destruitur Ecclesia, aliaque posteà ædificatur, & dedicatur, est opinio Palud. d. quæst. 4. nu. 25. extingui indulgentiam, quia Ecclesia est omninò distincta, indulgentia autem solùm fuerat concessa priori Ecclesiæ: ergo cum illa extinguitur. Alij verò, præsertim Iurisperiti, distinctione vtuntur, nam aut Ecclesia destruitur de iure, aut de facto: quando destruitur priori modo extinguitur indulgentia, non verò si posteriori modo de facto tantùm destruatur. Ita distinguit referens plures Auctores Ludouicus Bononiẽsis, in tract. de indulgentiis, nu. 79. qui limitat prius membrum, in Ecclesia iure diruta, si eiusdem superioris auctoritate in alium locum transferatur, nam tunc ait, non amittere indulgentiam. Ex quo fit, à fortiori idem dicendum esse, si in eodem loco Ecclesia iterum ædificetur eadem auctoritate superioris, quia quãdam maiorem identitatem habet, & quoad alia versatur circa alia eadem ratio. Ex quo vlteriùs infero, distinctionem illam nullius esse momenti, quia, si Ecclesia semel destructa, iterum non ædificetur, extinguitur indulgentia, siue talis Ecclesia iure diruta fuerit, siue tantùm de facto: vtroque enim modo iam non manet locus, quo mediante lucranda fuisset indulgentia. Si verò Ecclesia destructa in eodem loco reædificetur, non extinguitur indulgentia, iuxta illam sententiam, siue prior destructio de facto tantùm cõtigerit, vt dictus Auctor expressè dicit, siue de iure diruta fuerit, vt nos ex alia eius declaratione manifestè intulimus. Denique, si Ecclesia in vno loco diruta, in alio loco auctoritate superioris ædificetur, non amittit priuilegiũ, etiam si prior destructio iure & auctoritate superioris facta fuerit, iuxta dictam sententiam: ergo idem à fortiori dicendũ erit, quando prior destructio tantùm de facto fuerit, dummodò posterior translatio eadem auctoritate fiat: ergo nunquàm locum habet prædicta distinctio.

B

C

D

Palud.

Opinio 2.

Ludouicus Bononiens.

9 Quæstio deciditur. Magis ergo consequenter iuxta hanc sententiam dicetur, destructa Ecclesia, si iterum non ædificetur, extingui indulgentiam, si autem iterum ædificetur in eodem loco, vel auctoritate debita aliò transferatur, tunc non omninò extingui indulgentiam, sed quasi consurgere, & transferri cum ipsa Ecclesia. Sed adhuc ego multùm dubito de hac posteriori parte: nam quando Ecclesia transfertur in alium locum, nullo modo manet eadẽ numero Ecclesia, nec quoad ædificium, nec quoad solum, seu situm: ergo non est vnde habeat priorem indulgentiam, nam illa concessa fuit huic numero Ecclesiæ, & non in specie, seu in cõmuni Ecclesiæ talis oppidi, aut talis tituli seu appellationis.

Vnde quoad hanc partẽ, ego veriorem censeo opinionem Paludani, nisi aliunde ex verbis priuilegij satis constet non limitari ad hunc singularem locum quasi materialem, sed concedi Ecclesiæ, quam talis religio, v.g. habuerit in tali oppido, vel sub alia simili forma. At verò quando Ecclesia in eodem situ reædificatur, probabilis satis est communis opinio, maximè si statim fiat seu inchoetur reædificatio, vt notauit Immola Consil. 44. quia tunc propter vicinitatem actus moraliter censetur durare & continuari eadem Ecclesia: quod secus videri posset, si per multum tempus instauratio differretur. Nihilominùs etiam tunc censetur retinere illa Ecclesia sua priuilegia, & consequenter etiam indulgentias, quia quoad situm est reuerà idem locus, & secundùm moralem respectum quasi idem templum reputatur. De quo videri potest Glossa in cap. *Priuilegium*, de Reg. iur. in 6. & Innocẽt. in cap. *Cùm ex iniuncto*, de Noui oper. nunciat.

Immola.

Glossa. Innoc.

## *Dubium quartum.*

10 Dubiũ quartum. QVartò circa eandem indulgentiam localem, & multò magis circa realem dubitari potest quid referat ad pietatis opus, vel ad satisfaciendum pro pœna, orare in hoc templo potiùs, quàm in alio, vel per hos calculos potiùs, quàm per alios, vt ob hanc causam dicatur indulgentia concedi tali loco, aut talibus calculis: nam si huiusmodi determinatio loci aut rei ad pietatem non spectat, impertinens conditio videtur ad lucrandam indulgentiam. Respondetur, huiusmodi determinationem multùm ad pietatem spectare. Et in primis in circunstantia loci seu templi id manifestum est, quia multùm confert huiusmodi indulgentia ad talem locum determinata ad augendam populi deuotionem, pietatem, & reuerentiam circa talem locum, & circa Sanctum aliquem, sub cuius nomine tale templum Deo dicatum est. Interdum etiam conceditur indulgentia huiusmodi loco, vt fideles eleemosynas, & alia pietatis opera circa illum exerceant: quod sæpe pertinere potest ad maiorem Dei cultum & gloriam, & ad minimum semper est talis finis honestus, & ad effectum indulgentiæ accommodatus. Simili modo quando indulgentia conceditur alicui imagini, aut cruci, vel simili rei sacræ, quæ alioqui digna est veneratione, talis concessio ex se cõfert vt illa imago in maiori reuerentia & veneratione habeatur, & consequenter vt deuotio fideliũ erga ipsum prototypõ vehemẽtiùs excitetur. Sic enim solet Deus per quasdã imagines specialia beneficia conferre, aut etiam miracula facere, quæ non facit per alias similes, prout expedire censet ad excitandam fidelium deuotionem, ac exercendã fidem, & religionem. Aliquãdo verò ex institutione Ecclesiæ huiusmodi res benedicuntur, seu consecrantur tanquàm sacramentalia quædam, in quorum vsu est quædam fidei protestatio, pertinens ad religiosum cultum: huiusmodi sunt Agnus Dei, & aliæ res similes: & ideò meritò aliquãdo his rebus adiungitur indulgentia ad deuotionẽ augendam.

Resoluitur.

11 Et ad hunc modum iudicant aliqui de calculis, seu granis benedictis: nam per indulgentiam eis concessam efficiuntur veluti quædam sacramentalia. Verum est tamen in his non antecedere benedictionem aliquam, vel cõsecrationem, sicut in aqua benedicta, vel Agnis Dei, & similibus, sed tantùm fieri simplicem concessionem indulgentiæ: & ideò non videtur in eis intercedere eandem rationem. Nam id, quod constituit huiusmodi rem, in esse rei sacræ, & vsum eius in ratione religiosi cultus, debet supponi ad ipsam indulgentiam, non verò per ipsam constitui. Dicendum verò est, satis esse quòd huiusmodi grana ex se, & seclusa indulgentia, sunt veluti instrumenta quædam ad actum honestum & religiosum, qualis est orare per illa, qui actus est quidam vsus sacer talium rerum, etiam ante indulgentiam: vnde etiam secum portare huiusmodi res, est virtualis professio fidei: hoc ergo sufficit vt huiusmodi rebus earumque vsui adiungantur

tur indulgentiæ. Determinatio autem ad has res potiùs quàm ad alias, fit ex voluntate Pontificis: non sine causa, sed vel ad limitandam & determinandam indulgentiam, ne nimis ampla & generalis sit, vel quia hoc ipso, per huiusmodi res magis excitatur fidelium deuotio, nam apprehenduntur tanquàm instrumenta quædam, per quæ spiritualia beneficia conferuntur, & consequuntur: habenturque tanquàm specialia signa peculiari modo deputata ad protestãdam fidem, & actus religionis exercendum. Vnde fit, vt, licèt talis indulgentia supponat materiam aliquo modo sacram, & vsum eius honestum & religiosum, nihilominùs tamen per ipsammet indulgentiam res ipsa speciali modo sanctificetur, fiatque magis sacra quia deputatur ad specialem effectum spiritualem. Ideoque, cæteris paribus, oratio in tali loco, vel coram tali imagine, vel per talia grana est melior, & acceptior Deo; quia habet quandam circunstantiam voluntariam moraliter meliorẽ, & cõsequenter maiorẽ etiam fidei confessionem, seu professionem continet.

A

B

## *An sub indulgentia alicui oppido generaliter concessa Ecclesiasticæ personæ comprehendantur. Dub. 5.*

11 QVintò circa personalem indulgentiam dubitari solet, an sub generali concessione facta huic populo vel ciuitati, scilicet, vt omnes, qui hoc vel illud fecerint, talem indulgentiam lucrẽtur, comprehendantur clerici, religiosi, & aliæ personę Ecclesiasticę. Et ratio dubitandi esse potest, quia interdicto populo, non censetur clerus interdictus: ergo signum est, sub illa generali appellatione non comprehendi clerum: ergo idem erit in concessione indulgentiæ. Accedit, quòd aliqui opinati sunt clericos alicuius Ecclesiæ non cõprehendi sub generali indulgentia concessa omnibus visitantibus talem Ecclesiam, vel eleemosynam ibi facientibus, quia talis indulgentia ordinatur ad alliciendos animos ad deuotionem talis Ecclesiæ: & ideò non videtur esse intentio cõcedentis illã tribuere propriis & quasi familiaribus clericis illius Ecclesiæ. Ita tenuit Nicolaus de Lyra in suis Quodlibetis, vt refert & approbat Felin. in tract. de Indulgẽtia plenaria, n. 35.

Ratio dubitandi.

Lyra. Felin.

C

Dicendum verò est, sub illa generali concessione comprehendi etiam clerũ. Hæc est communis sententia Canonistarum in cap. *Dilecti*, de Foro compet. quam ex eodem textu colligunt, in quo non est sermo de indulgentia, prout nunc loquimur, sed de alio genere priuilegij; est tamen vtriusque eadem ratio. Ratio verò est, quia etiam clerici sunt pars Christiani populi argumento cap. *Duo sunt.* 12. quæst. 1. Et ideò sub absoluta appellatione fidelium, aut Christiani populi comprehenduntur, in his præsertim quæ fauorabilia sunt. Per quod excluditur argumentum illud de interdicto, nam illa materia odiosa est, præterquam quòd ex circunstantiis ipsius iuris constat populum ibi strictè sumi pro laico populo, vt à clero distinguitur: vt patet ex cap. *Si sententia*, de Sent. excom. in 6. & notauit Ludouicus Bolon. dict. tract. de Indulgentiis, nu. 106. ex Baldo in L. *Cunctos populos*, columna 7. & 8. de Summa Trinit. & Ludouico Romano consil. 180. circa principium. Nec verò excludendi sunt religiosi, vt notauit Felinus suprà ex Augustino de Ancona lib. de Potest. Eccles. q. 31. art. 3. nam etiam illi quatenus peccatores sunt, indulgentiis indigent, & quatenus fideles sunt, sub Christiano populo cõprehenduntur. Quòd si indulgentia sit Pontificia, in omni rigore sunt subditi concedenti. Quando verò est Episcopalis, videri potest res dubia, quia religiosi sunt exempti, & non subditi. Tamen etiam tunc frui possunt tali indulgentia, quia sunt exempti in fauorem, non in detrimentum; & ideò quoad hæc, quæ fauorabilia sunt, censentur subditi, eo ipso quòd sunt de districtu, seu diœcesi talis Episcopi. Ratio ergo dubitandi, ex dicto soluta est. Ad confirmationem autem consequenter dicendum est, sententiam ibi allatam non videri probabilem, nisi quando verba priuilegij satis apertè limitata sunt: quando verò sunt generalia pro omnibus visitantibus talem Ecclesiam, sine dubio comprehendunt etiam clericos, vel religiosos illius Ecclesiæ, quia non sunt deterioris conditionis, & optimè comprehenduntur sub illis generalibus verbis, quæ amplè interpretanda sunt, cum fauorabilia sint. Quod rectè notauit Corduba quæst. 31.

Ludou. Bolon. Bald. Ludou. Roman. August. de Ancona.

D

E

Cordub.

## *An generalis indulgentia personalis ad ipsum concedentem se extendat.*

STatim verò occurrit inquirendum, an indulgentia generalis personalis se extendat ad ipsummet concedentem. Et ratio dubitandi est, quia indulgentia est actus iurisdictionis: nemo autem habet iurisdictionem in seipsum. Item indulgentia est absolutio quædam: nemo autẽ potest seipsum absoluere: Item, quia Prælatus non potest secum ipse in lege dispensare: ergo nec potest sibi, seu per se dispensare thesaurum Ecclesiæ. Nihilominùs certa & communis sententia est, posse Prælatum, qui indulgẽtiam generaliter concedit, eandem sibi lucrari, vt patet ex D. Thom. in 4. d. 2. ar. 5. q. 4. Palud. ibi q. 4. ar. 3. Supplem. Gabr. d. 45. art. 2. concluſ. 7. Rich. d. 20. art. 4. Augustino de Ancona lib. de Potestate Eccles. qu. 29. art. 2. & Summistis communiter verb. *Indulgentia*, & Geminiano in capit. *Indulgentiæ*, de Pœnit. & remiſ. in 6. & Calderino in cap. *Nostro*, de Pœnit. & remiſ. Idque satis constat ex vsu: nam summus Pontifex lucratur indulgentias concessas suis prædecessoribus, de quibus eadem est ratio: vnde & Iubilæum etiam à se concessum lucratur. Ratio verò est, quia non debent Prælati esse peioris conditionis quàm inferiores: ergo sicut alij possunt participare fructum de thesauro Ecclesiæ, ita etiã ipsi.

14 Ratio dubitandi.

Vera resolutio.

D. Thom. Palud. Supplem. Gabr. Richard. Ancona. Geminia. Calderin.

Modus autem huius participationis seu indulgentiæ (vt difficultati propositæ satisfaciamus) esse potest, primò si Prælatus v.g. Pontifex, det alteri facultatem concedendi sibi indulgentiam, prout expedire cõsuerit. Et de hoc modo non est dubium quin sit possibilis: nam in foro pœnitentiæ potest Papa se submittere alteri, eique iurisdictionem in seipsum dare, ergo à fortiori idem poterit in hoc foro indulgentiæ. Neque tunc seipsum absoluit propriè & directè, sed solùm dat alteri facultatẽ, vt se absoluat. Hunc verò modum impugnat Nauarr. infrà citandus, quia putat neminem posse committere iurisdictionem in seipsum, neque Pontificem illam dare etiam in sacramento pœnitentiæ, sed iure diuino collatam esse. Nos verò in superioribus ostendimus id falsum esse, quantùm spectat ad sacramentum pœnitentiæ: neque in iudicio pertinente ad forum animæ habet absurditatem, quòd aliquis habeat iurisdictionem quam possit alteri committere circa seipsum exercendam: ergo etiam in concessione indulgentiæ potest hæc delegatio fieri. Atque ita hoc explicauit Richar. suprà qu. 3. & Caiet. dict. Opusc. de Indulgent. c. 5. & Archidiac. in capit. *Indulgentiæ*, de Pœnit. & remiſſ. in 6. Hi tamen Auctores videntur assignare hunc modum vt vnicum & necessariũ, in quo illis non assentior. Existimo enim illum non esse simpliciter necessarium, quia hîc non intercedit sacramẽtalis absolutio, quæ personarum distinctionem requirat: neque etiã interuenit actio punitiua, quæ propriè etiam est ad alium, & non ad se. Et ideò ex vsu etiam suprà allegato constat, sine interuentu tertiæ personæ Prælatos vti solere indulgentiis à se concessis.

15 Primus modus quo aliquis Prælatus potest indulgentiæ particeps fieri.

Nauarr. reprobatur.

Richard. Caiet. Archid.

Secundus

16 Secundus modus.

Secundus ergo modus huius indulgentiæ esse potest, quòd concessio directè fiat communitati, redundet verò in ipsum concedentem tanquàm in partem communitatis: sic enim Prælatus ferens legem, se ipsum etiam consequenter, & quasi indirectè ligat. Atque hunc dicendi modum maximè videntur approbare D. Tho. & alij Auctores suprà citati. Iuxta quem, ad difficultatem positam respondendum est, concessionem indulgentiæ directè ferri ad subditos, indirectè verò posse participari à non subdito, quatenus participat conditionem aliorum subditorum, in ratione parte eiusdem communitatis. Idem dicendum est de actu absolutionis, vel vsu iurisdictionis, nam directè non potest exerceri ab aliquo circa seipsum, potest tamen dum circa alios exercetur, fructus eius participari ab ipsomet concedente, seu exercente actum talis iurisdictionis, non quidem per modum iudiciariæ absolutionis, sed tantùm per modum dispensationis, seu applicationis thesauri. Vnde Nauarrus in Comment. de Iubilæo, notab. 20. num. 11. distinguit in vna & eadem generali concessione duplicem rationem indulgentiæ: vna est, quatenus directè fertur ad subditum, quo modo est actus iurisdictionis, & vera absolutio: alia est, quatenus participatur ab ipso concedente; &, vt sic, ait, non esse actum iurisdictionis, neque absolutionis, sed purè applicationem seu dispensationem thesauri: cuius sententiam videtur priùs impugnare Corduba quæst. 13. posteè verò in fine nihil in re discrepat ab ea quantùm ad præsens punctum attinet: & est probabilis sententia.

Nauarri distinctio.

Cordub.

17 Distinctio improbatur.

Mihi tamen non omninò placet, non quidem ob eam rationem, qua aliqui vtuntur, scilicet, quia talis indulgentia non haberet effectum infallibilem, & ex iustitia, puto enim remissionem, quæ fit per quancunque applicationem alienæ satisfactionis, ex legitima potestate factam, esse infallibilem & de iustitia, vt in sequentibus latiùs dicam: sed ob aliam causam, scilicet, quia ex vi eiusdem omninò concessionis factæ per idem verbum remittendi, vel absoluendi, talis indulgentia habet effectum in ipsomet concedente: ergo non est verisimile aliter operari in illo, quàm in aliis. Patet consequentia, quia illud simplex verbum eandem habet vim, & significationem respectu omnium, & ab vnica & simplici intentione procedit. Neque enim verisimile est quod alij excogitarunt, huiusmodi indulgentiam non prodesse concedenti ex vi voluntatis & potestatis eius, sed ex voluntate superioris Prælati, si illum habeat, vel ipsiusmet Christi. Sicut legislator dicitur obligari sua lege, non ex voluntate sua, sed Dei, medio naturali iure. Hæc (inquam) sententia verisimilis non est, quia plane diuinat sine fundamẽto. Vnde enim constat, Christum Dominum concedere eandem indulgentiam Prælato, quam ipse aliis cõcedit, si Prælatus ipse non habeat potestatem, & voluntatem efficacem ad eam sibi applicandum? Neque enim est simile quod affertur de legislatore; nam ibi interuenit naturale principium, ex quo talis obligatio colligi potest, nimirum, caput debere cõformari corpori in moribus, qui subsunt voluntari & potestati eius: quod principium non habet locum in indulgentiis: & ideò, nisi in ipsomet Prælato supponatur potestas & voluntas applicandi sibi fructum indulgentiæ, nullum relinquitur fundamentum ad asserendum, illum posse indulgentiam à se concessam lucrari.

Indulgentiam prelato prodesse non ex voluntate superioris, sed propria.

18

Prouenit ergo hic effectus ex potestate & voluntate concedentis. Cùm ergo hæc voluntas sit vna & eadem respectu sui, & aliorum, & eodem verbo absoluendi, seu remittendi exprimatur, eodem modo in omnibus operatur. Cuius etiam argumentum est, quia quando Pontifex, verbi gratia, vult variis modis indulgentiam concedere, videlicet, per modum absolutionis & per modum suffragij, vtrumque expressè declarat, vt posteà videbimus: quando ergo tantùm vnum exprimit, scilicet, absolutionẽ, seu remissionem tantùm, etiam illo modo prodest indulgentia omnibus, quibus prodesse potest: ergo etiam ipsi concedenti. Atque hæc ratio etiam confirmat id, quod circa primum dicendi modum asserebamus: nam sæpe indulgentia, aut Iubilæus conceditur immediatè ab ipso Pontifice omnibus fidelibus, absque interuentu confessoris: & ipse Pontifex potest talem indulgentiam lucrari absque applicatione, seu concessione facta à suo confessore. Dico ergo, hunc actum absolutionis seu remissionis, qui circa communitatem primariò exercetur, posse secundariò, seu inadæquatè versari circa singulos, & consequenter etiam circa ipsum concedentem, qui pars est talis communitatis: quod à fortiori patebit ex sequenti puncto.

19 Tertius modus, quo Prælatus indulgentiæ particeps effici potest.

Ex his enim infero, & addo tertium modum, quo potest Prælatus sibi ipsi indulgentiam concedere, nõ tantùm secundariò, & simul cum tota communitate, sed etiam primariò, ac sibi soli & per seipsum, si alioqui rationabilis causa subsit ad talem indulgentiam sibi concedẽdam. Hæc assertio maximè habet locum in summo Pontifice, qui in hoc negotio plenariam habet potestatem: inferiores enim eam tantùm habẽt quam ab illo participant. Vnde, si talis potestas ex se non repugnat, & in Pontifice inuenitur, de inferioribus iudicandum erit iuxta cõcessionem eis factam, de qua inferiùs dicemus. Probatur ergo assertio, quia in Pontifice non deest iurisdictio, & actus ipse non est talis, qui per se & intrinsecè requirat distinctionem personarum agentis & patientis, seu concedentis & lucrantis indulgentiam, ergo potest à Pontifice in seipsum exerceri. Maior sequitur manifestè ex principali assertione suprà posita, & ab omnibus recepta, quòd Papa potest lucrari indulgentiam à se concessam: nam hic effectus supponit necessariò potestatem ad illum efficiendum aliquo modo in seipso. Vnde qui dicunt posse Pontificem delegare iurisdictionem hanc suo confessori, admittunt illam habere: quia nullus potest iurisdictionem delegare, quam non habet. Similiter qui dicunt posse in vniuersali concessione indulgentiæ seipsum comprehendere supponunt, vel potestatem dispensandi thesaurum, vel iurisdictionem absoluendi hoc modo non esse limitatam ad alios, sed extẽdi etiam ad se: ergo ad hũc effectum non deest potestas, vel iurisdictio. Potest etiam maior illa ex minori probari: nam, si actus ipse non requirit personarũ distinctionem, ergo nõ repugnat exerceri ab eodem circa seipsum: ergo nec repugnat dari esse potestatem & iurisdictionem ad huiusmodi actum: ergo non deest summo Pontifici talis iurisdictio, cùm illi concessa sit ampliſſima.

Probatur.

20 Actus iurisdictionis nõ requirit distinctionem personarum. Vide summam Pisanam verb. Indulgentiæ. vers. Quibus prosint.

Probatur ergo minor, quia neque ex generali ratione actus iurisdictionis repugnat exerceri ab eodem circa se, & per seipsum: neque etiam ex speciali ratione talis actus scilicet indulgentiæ: ergo. Maior patet inductione, quia Pontifex rationabili ex causa potest secum dispensare in humana lege aut in voto, quia neque esse debet deterioris conditionis, vt careat in terris dispensatore, sicut caret superiore: neque etiam est ius aliquod, vel ratio sufficiens illum obligans ad hæc exercenda per alium, & non per se ipsum. Quid enim si nullus esset idoneus, cui posset tale iudicium committere? nunquid necessariò carituras esset dispensatione, etiamsi illa indigeret? maximè quidem, quia actio illa non requirit coactionem, sed solam veluti directionem ex integro & prudenti indicio, quod non repugnat haberi ab aliquo circa seipsum. Atque ita planè sentit de dispẽsatione D. Tho. in Ad

in Additionibus, q. 27. ar. 4. ad 3. Et confirmari hoc potest ex cap. *Per venerabilem*. Qui filij sint legitimi, vbi Innocentius III. ait, posse regem, qui in temporalibus, supremus est, cum filiis suis dispensare, eos legitimando in ordine ad temporalem hereditatem, & alias dignitates seculares: illa enim est virtualis quædam dispensatio cum seipso, non solùm quia filius est aliquid patris, sed etiam propter correlationem dispensando cum filio vt possit esse hæres, dispensatur cum parte, vt possit illum hæredem instituere. Atque ibidem indicatur ratio, *quia non dispensat vt pater, sed vt Rex*. Nam in naturalibus etiam contingit, vt sub diuersis rationibus idem sit agens & patiens: multóque faciliùs in moralibus non repugnat, vt eadem persona secundùm diuersas rationes, diuersa hæc munera, seu iura sortiatur. Quod etiam aliquo modo cõfirmari potest ex c. *A collatione*, de Appell. in 6. vbi dicitur, si collatio beneficij facta est à Capitulo, assistente Episcopo vt Episcopo, nõ posse appellationem à tali collatione fieri ad ipsum Episcopũ, quia nimirũ fieret ad eundẽ secundum idẽ: si tamen Episcopus interfuit tãtùm vt Canonicus, tunc appellationem posse fieri ad ipsum Episcopum: quia, licèt videatur fieri ad eandem personam, non tamen, secundùm idem munus.

Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legit.

Cap. à collatione de Appel. in 6.

21. Sic ergo in præsenti dicimus, quòd licèt eadem persona dispenset, tamen secundùm diuersam dignitatem & potestatem, nam dispensat vt Papa, & dispensatur vt homo Non est autem dubium quin talis dispensatio sit actus iurisdictionis: ergo ex hac sola communi ratione non requirit talis actus personarum distinctionem. Ergo neque ex speciali ratione indulgentiæ erit semper necessaria. Patet consequentia ex toto discursu facto, quia æquè potest ad hunc actum applicari. Nam in primis hîc non interuenit collatio sacramenti, vt ob eam causam necessaria sit distinctio ministri: neque etiam intercedit coactio aliqua, vt per se notum est: nec denique est hic talis actus iurisdictionis, aut sententiæ, vt requirat formam iudicij, in quo accusatio & probatio, & similia præcedant, sed sufficit prudens quoddam iudicium de sufficienti causa ad concedendam indulgentiam, supposita potestate concedentis, & capacitate ac indigentia eius, cui conceditur. Neque etiam obstat quòd hic debet esse subditus, quia hoc ipso quòd alium superiorem non habet, suæ dignitati subditus est, & ideò vt subditus potest participare actum à sua potestate manantem: est ergo superior vt Papa, & subditus vt homo & peccator: ergo potest in seipsum hanc iurisdictionem exercere, quæ alio speciali titulo distinctionem personarum non postulat.

22. Atque hinc etiam concluditur posse hunc actum exerceri à Põtifice circa se, siue solùm, siue simul cum aliis quia hæc coniunctio cum aliis valdè accidentaria videtur: nam ostensum est, huiusmodi actum per se non requirere distinctionem personæ, ad quam directè ordinatur: ergo multò minùs requirit concomitantiam aliarum distinctarum personarũ. Item in exẽplis adductis potest Pontifex secum tantùm dispensare: ergo etiam potest vti dispensatione thesauri in aliqua indulgentia, sicut potest concedere indulgentiam alteri Principi, vel Regi soli.

Põtifex potest sibi solũ vel simul cũ aliis indulgentiã cõcedere.

23. Huius verò contrarium videtur docuisse Diuus Thomas in quarta distinctione 20. quæstione prima, articulo quinto quæstione quarta, non ex defectu potestatis, sed ex defectu causæ: putat enim nullam posse subesse causam sufficientem ad concedendam sibi indulgentiam hoc modo, quia indulgentia (inquit) debet ex tali causa dari, qua is, cui conceditur, prouocetur ad aliquem actum, qui in Ecclesiæ vtilitatem, & Dei honorem cedat: huiusmodi autem causa non habet locum in prælato, qui ex munere suo tenetur Ecclesiæ vtilitatem, & Dei honorem procurare. Sed hæc ratio profectò non cogit: cur enim non potest prælatus seipsum per indulgentiam prouocare ad illum actum exercendum in vtilitatem Ecclesiæ, quem alioqui ex officio facere tenetur? hæc enim duo non repugnat simul coniungi in eundem actum. Sicut potest per indulgentiam prouocare alios fideles ad illos actus faciendos, quos ex aliis præceptis facere tenentur; & alicui Regi potest concedere indulgentiam hoc fine, vt per eam prouocetur ad suum munus Regium rectè exercendum. Eo vel maximè, quòd licèt prælatus teneatur bonum Ecclesiæ procurare, non tamẽ per quoslibet bonos actus: multi enim posśt respectu illius esse in cõsilio, & nõ in præcepto, ergo ad illos potest se per indulgentiam prouocare.

An possit ea causa vt Põtif. sibi indulgentiã cõcedat. D. Thom.

Contra hanc etiam partem sentit Palud. ibid. quæstione quarta, versiculo 3. conclus. 5. Et fundari potest in hoc quòd nemo potest secum dispensare, licèt auctoritate iuris, vel superioris aliquando vtatur dispensatione à se facta. Item, quia inter dantem & accipientem debet esse differentia personalis. Sed hæ rationes parum cogunt. Ad priorem respondet Cordub. suprà, assumptum esse verum, vt dispensatio significat relaxationem legis, non verò inde rectè inferri idem esse de dispensatione thesauri. Ego verò censeo, etiam antecedens esse falsum in dispensatione legis latæ ab ipso Pontifice: non enim habet superiorem, vel ius à superiore latum, cuius adminiculo possit secum dispensare, sed ex vi propriæ potestatis, & auctoritatis id facit. Nisi fortè dicatur dispensare secum adminiculo diuini iuris, quo talis dispensatio ei commissa est: quod libenter admittimus, idéque de indulgentiarũ concessione asserimus. Altera verò ratio tantùm videtur vim facere in significatione verbi, *Dare*, quod indicat relationem ad alium: posset autem hoc facile negari: nam sacerdos dici potest dare sibi Eucharistiam. Quod si quis contendat non dici propriè dare, sed sumere sibi: seruetur idem modus loquendi in indulgentia: nam res eadem est.

24. Palud. refutatur.

Cordub.

## SECTIO II.

### *Quæ habitualis dispositio requiratur in eo, qui indulgentiam lucraturus est.*

1. DISTINGVIMVS in huiusmodi persona capacitatem remotam à dispositione proxima. Priorem explicuimus in sectione præcedente, & videtur in tribus conditionibus consistere, scilicet, vt sit homo ratione vtens, baptizatus, & aliquo modo subditus: de quibus iam dictum est, & ex his, quæ dicemus, singula ex dictis conditionibus amplius declarabuntur. Dispositio autem vlteriùs distingui potest in habitualem, & actualem: prior est habitus gratiæ, vel fidei: posterior verò est aliquod bonum opus ad fructum indulgentiæ consequendum necessarium: de quo dicemus sectione sequente. Nunc prior dispositio explicanda est. Circa quam priùs supponimus necessarium esse statum fidei, per quam sit homo cõiunctus Ecclesiæ tanquam membrum eius. Hoc à fortiori constabit ex his, quæ de statu gratiæ dicemus, & nunc ex propriis ostenditur: quia indulgentiarum participatio pertinet ad communionem Sanctorum, quam non participant nisi qui sunt membra Ecclesiæ: membrum enim non participat influxum & communicationem aliorum membrorum, nisi debito modo corpori coniunctum sit: prima autem vnio membrorum Ecclesiæ fit per fidem, ergo hæc est quasi prima fundamẽtalis dispositio ad lucrandum effectum indulgentiæ.

Vt quid sit capax indulgẽtiæ, debet esse Ecclesiæ coniunctus per fidem.

2. Quapropter hæretici, seu Apostatæ, etiamsi baptizati sint, non possunt indulgentiarum fructum participare, nec directè & per modum remissionis, quod certissimum est, nec per modum suffragij, vt sect. seq. declarabimus. Nec refert, quòd quis habeat externam fidei professionem & vnionem cum Ecclesia, si interna fide careat: quanquàm nonnulli dixerint, id satis esse vt talis homo Ecclesiæ membrum esse censeatur: quidquid enim sit de hoc loquendi modo (nam, reuerà, illud potiùs apparens, quàm verum membrũ existit) illa externa vnio ad internam communionem, qualis est illa, quæ per indulgentias fit, non sufficit, cùm interna & spiritualis communicatio in interna & spirituali vnione fundari debeat. Atque hoc confirmat stylus ipse, seu forma concedendi indulgentias, semper enim pro solis fidelibus conceduntur.

3. An excommunicatus sit capax indulgentiæ.

Statim verò insinuabat se hîc quæstio, an excommunicatus maiori excommunicatione sit capax indulgentiarum: nam ille etiam censetur esse membrum ab Ecclesia præcisum, ergo & incapax communicationis eius. Sed hæc res ex professo tractanda est in sequenti tomo inter effectus excommunicationis. Nunc breuiter dico, excommunicationem priuare hominem omni fructu & participatione indulgentiarum directa, & per modum absolutionis, loquor autem de excommunicatione formaliter & ratione sui, & non tantùm ratione status peccati mortalis, quem solet supponere. Nam, licèt contingat excommunicatum per contritionem redire ad statum gratiæ, non poterit indulgentias lucrari donec ab excommunicatione absoluatur, quia per excommunicationem priuatur efficaciter omni communione Ecclesiastica, præsertim interna, & excommunibus Ecclesiæ bonis. Dixi autem, *directa*, *& per modum absolutionis*, quia in prædicto casu dubitari potest, an saltem per modum suffragij ponsit indulgentia excommunicato applicari, quod in sequentibus attingemus. Dubitat verò Ludouic. Bononi. tract. de Indulg. num. 107. an Pontifex concedens alicui indulgentiam videatur approbare statum illius, cui fit concessio: in quo ipse respondet affirmatiuè citans Abbatem Concilium 55. Quia censetur, vel declarare illum carere excommunicatione, aut certè absoluere illum, ne incapax sit indulgentiæ. Sed in hoc sensu illa diuisio non probatur, quia indulgentia supponit statum, seu capacitatem recipientis, non verò confert illum, nisi exprimatur, & ideò, quoad hoc, non est absoluta, & efficax concessio, sed quasi conditionata, si per alium non steterit. Et propterea in concessione indulgentiæ sæpe conceditur potestas absoluendi ab excommunicatione, vel ipsa etiam absolutio datur ad talem effectum.

An Pontifex concedens indulgentiã hoc ipso cẽsearur persoñ ad illam habilitare. Ludouic. Bonon. Abbas.

A B C D

---

## *An charitas necessaria est.*

4. Existenti in peccato non Salet indulgentia ad remissionẽ pœnæ illius peccati in quo existit.

Supposita ergo interna fidei vnione, & externæ communicationis, difficultas supereſt, an requiratur etiam vnio charitatis, seu, quod idem est, an requiratur status gratiæ tanquàm necessaria dispositio ad lucrandam indulgentiam. In qua primò certum est indulgentiam non valere illi, qui est in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis debitæ ratione illius peccati in quo perseuerat, quia, vt suprà diximus, pœna non potest remitti, nisi priùs remittatur culpa. Vnde hoc non est propriũ solius peccati mortalis, sed commune est etiam veniali, quia non prouenit præcisè ex carentia gratiæ, sed ex duratione culpæ. Vnde si aliquis iustus habeat venialem culpam nondum remissam, respectu illius non poterit consequi effectum indulgentiæ, quia non potest reatus pœnæ auferri manente culpa. Et in hoc conueniunt Theologi, quanquã Albert. in 4. d. 20. art. 18. sentiat, indulgentias posse valere aliquo modo ad remissionem huiusmodi peccati, vel per modum cuiusdam dispositionis remotæ, quatenus ipsum opus, quod propter indulgentiam fit, supernaturale est, & bene disponit hominem, vel per modum impetrationis & meriti de congruo: sic enim possunt merita iustorum applicari & prodesse peccatoribus ad remissionem culparum. Verumtamen quod ad priorem modum attinet, manifestum est, illum nõ pertinere ad effectum indulgentiæ, sed solùm ad quendam effectum ex opere operãtis: nam, licèt indulgentia sit causa vel occasio exercendi tale opus: tamen, postquàm tale opus fit, quod disponat hominem remotè ad gratiam non habet ab indigentia, sed à sua perfectione & honestate. Nec dici potest (si propriè loquamur) rationes indulgentiæ acceptari opus illud, vt congruentior dispositio, ita vt hoc pertineat ad effectum indulgentiæ vltra opus operantis: quia hoc neque fundamentum habet, neque pertinet ad dispensationem thesauri Ecclesiæ. Solùm ergo indulgentia potest esse, aut materia circa quàm fides exercetur, aut occasio faciendi aliquod opus pœnale, seu pietatis. Idem ferè dicendũ est de posteriori modo: nam vt rectè notauit D. Tho. in 4. dist. 20. quæst. 1. artic. 5. quæst. 1. & in superioribus etiam à nobis declaratum est, illud per se non spectat ad rationem, seu effectum indulgentiæ, quæ formaliter consistit in absolutione à pœna temporali applicando thesaurum Ecclesiæ ad hunc effectum. Nihilominùs addit D. Thom. si præter indulgentiam fiat applicatio meritorum Ecclesiæ, posse prædicto modo prodesse illi, qui existit in peccato mortali, impetrando ei bonam dispositionem, vt à peccato exeat. Sicut bona merita alicuius Congregationis particularis, vel alicuius etiam priuatæ personę, applicata alteri existẽti in peccato mortali, possunt dicto modo illi prodesse. Dices, Omnes fideles existentes in Ecclesia participare hoc modo communia Ecclesię suffragia, & merita, ideóque non posse pertinere ad specialem cõcessionem. Respondeo, præter illam communicationem communem omnibus, posse interuenire aliam specialiorem intercessionem, & applicationem Ecclesiæ, seu pastorum eius ad hunc effectum impetrandi à Deo conuersionem talis peccatoris. Hunc ergo effectum censetur operari prædicta concessio: illa verò (vt dixi) non habet rationem indulgentiæ, quia nec est absolutio, nec dispensatio Ecclesiastici thesauri, sed quædam oratio apud Deum propter merita iustorum, quę per se fieri potest sine indulgentia, interdum verò cũ indulgentia coniungitur, vt quando in Bulla Cruciatæ, & in aliis faciẽtibus hoc vel illud opus præter certam indulgentiam, conceditur vt sit particeps bonorum operum Ecclesiæ, & membrorum eius.

D.Thom. Obiect. Soluitur.

Albert.

5. Valeat-ne indulgentia existenti in peccato ad remissionẽ pœnę ex remissus relictæ. Prioropinio

Hoc ergo supposito, dubium supereſt, an indulgẽtia valeat homini existenti in peccato mortali saltem ad remissionem pœnæ temporalis ex peccatis iam remissis relictæ. Theologi enim, qui existimant, vel satisfactionem peccatoris posse illi prodesse ad hunc effectum, vel satisfactionem vnius iusti oblatam pro peccatore, acceptari pro illo ad similem effectum, consequenter, & à fortiori dicerent, peccatorem posse lucrari indulgentiam ad huiusmodi effectum, si alioqui opus iniunctum exequatur: quia maioris efficaciæ est satisfactio Christi & Sanctorũ, quàm satisfactio peccatoris: & similiter efficacior est applicatio facta à Christi Vicario, quàm facta à priuata persona. Atque hoc modo potest hæc sententia sumi ex Scoto in 4. dist. 15. quæst. 1. articulo quarto, & expressiùs id affirmant Mairon. & Guillielmus de Rubion d. 20. qu. 1. Fundamentum est illud generale, quòd ad remissionem pœnæ temporalis, neque est formaliter necessaria infusio gratiæ, vt per se notum est, neq; etiam est, cur hæc

Scot. Mairon. Guill. de Rubion.

suppo

ſupponatur tanquàm neceſſaria conditio, cùm ſoleat Deus peccatoribus conferre nonnulla beneficia longè maiora, quàm ſit remiſſio temporalis pœnæ, quale eſt, ſpeciali prouidentia inſpirare ſanctam cogitationem, & ad conſentiendum illi auxilium præſtare, & ſimilia, quæ ad ſubſtantialem ſanctificationem conferunt. Vnde etiam ſumitur argumentum, quia ſuffragia Eccleſiæ valēt ad obtinēda hæc beneficia ſpiritualia hominibus exiſtentibus in peccato mortali: cur ergo non etiam valebunt ad remiſſionem pœnarum ex culpis remiſſis debitarum? Si autem ex generali ratione huius effectus, non repugnat fieri in ſubiecto gratia carente, non etiam repugnabit fieri per indulgentias, quia non habet ex hac cauſa, ſeu modo ſpecialem repugnantiam, ſupponimus autem intentionem concedentis eſſe, vt proſit omnibus, quibus prodeſſe poteſt.

6. Statū gratiæ eſſe neceſſariū ad fructū indulgentiæ conſequēdū vera reſolutio. D. Thom. Adrian. Gabr. Sup. Gab. Medina. Syluest. Angel.

Nihilominùs dicendum eſt, ſtatum gratiæ eſſe diſpoſitionem omninò neceſſariam ad proprium fructum, ſeu effectum indulgentiæ conſequendum, qui eſt remiſſio temporalis pœnæ. Hæc eſt communiter ſententia Theologorum in 4. d. 20. qui communiter tria requirunt ad valorem indulgentiæ, poteſtatem in dante, pietatem in cauſa, gratiā in ſuſcipiēte. Sumitur ex D. Thom. ſuprà, & in Addition. qu. 27. ar. 1. Adrian. materia de indulg. concl. 3. Gab. in Canonem lect. 59. & eius Suppl. in 4. d. 45. qu. 1. artic. 2. Medin. Cod. de Orat. q. 25. Sylu. Angel. & aliis Summiſtis verb. *Indulgentia*. Fundamentum autem præcipuum eſt illud generale, quòd homini inimico Dei, quandiu in peccato exiſtit, nulla remiſſio fit, neque quoad culpam, neque quoad pœnam; quia indignus eſt tali remiſſione, & nulla eſt promiſſio; imò neque congrua eſt ratio, ob quam in illo ſtatu talis remiſſio concedatur: quæ omnia latè tractata ſunt in Diſputationibus de Satisfactione, & de ſuffragiis, habentque, eadem ratione, locum in indulgentiis: continent enim fauorem, qui non inimicis, ſed amicis fieri ſolet, & debet. Quod ſatis profectò confirmat Eccleſiæ vſus: nam in forma concedendi indulgentias ſemper additur, *Contritis, aut cōfeſſis, &c.* Quod quidem non adiungitur ſolùm, quia Pontifices nolunt indulgentiam aliis concedere, ſed etiam declarant hanc eſſe conditionem neceſſariam ex extrinſeca ratione indulgentiæ & effectus eius, poteſtatemque concedendi indulgentias limitatam eſſe ad huiuſmodi ſubiectum. Cuius ſignum ſufficiens eſt ipſamet Pontificum perpetua conſuetudo; ſi enim intelligerent ſe poſſe fauorem hunc peccatoribus facere, veriſimile profectò eſt aliquādo id fuiſſe facturos,

Clem. VI.

Vnde Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de Pœnit. & remiſſ. cùm dixiſſet, Chriſtum Dominum infinitū theſaurū hominibus reliquiſſe ſubdit, *Quo qui vſi ſunt, amicitiæ Dei participes ſunt effecti*, ſignificans nemini poſſe applicari illum theſaurum, niſi ei, qui amicitiam Dei participauerit. Vnde ſubiungit, Chriſtum reliquiſſe Petro, & ſucceſſoribus eius hunc theſaurum diſpenſandum fidelibus, ad remiſſionem pœnæ temporalis; declarat autem modum ſeu conditiones neceſſarias, ſcilicet, quòd diſpenſatio fiat ex rationabili cauſa, & *quòd verè pœnitentibus concedatur*. Vnde, etiam per ſacramentum non applicatur ſatisfactio Chriſti ad remittendam pœnam temporalem illi, qui in mortali peccato perſeuerat, ergo multò minùs applicari poterit per indulgentias. Quare non eſt ſimile de prę-

Fundamēta contraria ſoluuntur.

uenientibus auxiliis, aut de diſpoſitionibus præuiis ad iuſtitiam, quia hæc ex natura ſua talia ſunt, vt ſanctificantem gratiam non ſupponant, cùm ad illam paulatim introducendam ordinentur: remiſſio autem pœnæ temporalis ſupponit culpæ remiſſionem, & ideò ſemper etiam prærequirit ſtatum gratiæ.

## *In quo tempore gratia requiratur ad indulgentiam lucrandam.*

POSSVNT autem in indulgentia acquirenda duo tempora diſtingui: vnum eſt, in quo fiunt opera ad talem indulgentiam lucrandam requiſita, vt ieiunium, eleemoſyna, &c. Aliud eſt punctum illud temporis in quo indulgentia conſummatur & effectus illius confertur. Dubitari ergo poteſt, an in vtroque tempore, vel in altero tantùm, & in quo eorum gratia requiratur. Reſpondetur, gratiam ſaltem neceſſariam eſſe pro eo tempore, pro quo indulgentia conſummatur, & applicatur: hoc enim probāt rationes factæ, quia hæc diſpoſitio per ſe neceſſaria eſt propter effectum indulgentiæ, quia ſine illa non eſt homo proximè ac moraliter capax remiſſionis pœnæ temporalis: ergo pro eo tempore neceſſaria eſt talis diſpoſitio, pro quo, ſeu in quo conferendus eſt talis effectus. De alio verò tempore res eſt controuerſa, pertinet verò ad ſequentem ſectionem, vbi tractabitur: nunc autem ſupponatur per ſe, & ex vi talis operis ad indulgentiam prærequiſiti, nō eſſe neceſſarium ſtatum gratiæ. Dixi autem, *per ſe, & ex vi talis operis*, quia, ſi tale opus in eodem tempore fiat, in quo indulgentia conſummatur, tunc propter concomitantiam erit neceſſaria gratia quando tale opus fit, non tamen formaliter, ac per ſe propter ipſum opus. Quocirca, ſi multa opera requirantur, ſatis erit hominem eſſe in gratia quando vltimum perficit, quia tunc conſummatur indulgentia, & effectus eius confertur. Imò, cùm ipſum vltimum opus ſucceſſiuè fiat, quanuis contingat ſine gratia inchoari, ſi in gratia conſummetur, id ſatis erit ad lucrandam indulgentiam, vt verbi gratia, conceditur indulgentia ieiunanti tali die, contingit autem quempiam illo die ieiunantem, vel in illo peccare mortaliter, vel permanere in peccato priùs commiſſo, tandem verò in fine diei conteri, & gratiam obtinere; dicimus ergo id ſatis eſſe, vt huiuſmodi homo talem indulgentiam lucretur, quia gratia non requiritur propter opus, ſed vt diſpoſitio ad effectum indulgentiæ, quia non datur vſque ad conſummationem talis operis.

7. Gratia eſtne ceſſaria pro inſtanti in quo conſūmatur indulgentia.

Non autē in antecedente tempore.

Statim verò occurrit difficultas ſimilis illi, quam de ſacramentis in genere ſuo loco tractauimus, ſi contingat hominem eſſe in peccato toto illo die quo ieiunat, iuſtificari autem in illo inſtanti, quod eſt primum non eſſe illius diei, & vltimum non eſſe ſequentis, an id ſufficiat ad talem indulgentiam conſequendā. Hinc enim videtur non ſufficere, quia in toto tempore præcedente conſummatum fuit opus ad indulgentiam lucrandam requiſitum, ſed indulgentia operatura erat intra illud tempus, in quo requiſitum opus conſummatur: ergo ſubſequens inſtans extrinſecum eſt, & per accidens ad effectum indulgentiæ: ergo quod in eo gratia de nouo comparetur, nihil refert ad indulgentiæ effectum. Aliunde verò poteſt oppoſitum perſuaderi, quia effectus indulgentiæ non datur ſucceſſiuè, ſed in inſtanti, quia (vt ſequent. ſect. dicam) non datur donec conditio impleta ſit integrè: completur autem ſeu conſummatur in aliquo inſtanti: nullum eſt autem inſtans, in quo talis diſpoſitio ſit integrè completa, niſi illud extrinſecum, quod eſt primum non eſſe talis conſummati operis, vt in exemplo poſito ante illud inſtans, quod eſt primum non eſſe illius diei, non poteſt dici conſummatum ieiunium talis diei, vel ſi opus requiſitum ſit aliqua oratio, inſtans, in quo conſummatur, neceſſariò erit primum non eſſe integræ prolationis aliquorum verborum: ſatis ergo erit in illo inſtanti incipere eſſe in gratia, quia id ſufficit ad effectum indulgentiæ tunc obti-

8. Quid ſi gratia conſequa tur in primo non eſſe tēporis indulgentiæ. Rationes dubitandi pro vtraque parte.

nendum, quando conferendus esset.

9. Indulgentię effectum in aliquo certo instanti cõcedi.

Dicendum existimo, indulgentiæ effectum in aliquo certo instanti conferri, quod Deus nouit. Hoc rectè probat argumentum factum. Non quidem nego aliquando indulgentiam comparari per partes vt v. g. indulgentia, quæ conceditur audientibus diuina officia in festo Conceptionis, aut Corporis Christi, ita confertur, vt propter singulas horas canonicas, vel Missam, certa indulgentia concedatur, quæ potest dici pars, respectu integræ indulgentiæ totius diei, quo sensu dicimus totam illam indulgentiam per partes comparari: tunc verò singulæ partes fiunt in instanti, quando, scilicet singulæ horæ consummantur: & ita in vniuersum verum est, effectum indulgentiæ dari in illo instanti, in quo consummatur conditio. Rursus non nego posse indulgentiam sub tali forma dari, sub qua effectus eius successione continua conferatur, vt verbi gratia, si recitanti psalmum vnum concedatur vnus annus indulgentiæ, ita tamen, vt qui dimidium dixerit, dimidium etiam annum lucretur, & cum eadem proportione de cæteris partibus; tunc enim inchoata recitatione inchoabitur effectus indulgentiæ, & successiuè cum ipsa oratione continuabitur: quia non potest aliter fieri remissio cum proportione ad opus, iuxta formam talis concessionis, quæ neque in se repugnantiam inuoluit, vt per se constat, neque etiam ex parte effectus seu remissionis pœnæ: nam remissio illius reatus se habet ad modum remissionis qualitatis quæ successiuè fieri potest. Vnde illa remissio, quæ fit per satisfactionem ex opere operantis, successiuè fit, sicut ipsum opus. Imò & remissio, quæ fit ex opere operato per satisfactionem sacramentalem, videtur profecto eodem modo fieri, quia non est cur inchoatio talis effectus requirat consummationem totius satisfactionis impositæ, alioqui qui de imposita pœnitentia partem impleret, & partem omitteret, nullum fructum remissionis temporalis consequeretur ex opere operato, quod sine dubio falsum est. Quanuis autem illa forma concessionis indulgentiæ non repugnet, regulariter tamen non est in vsu, sed absolutè postulatur totũ aliquod opus, vt conditio necessaria ad comparandam indulgentiã, vt ex sequenti sectione magis constabit. Sic ergo loquendo de indulgentiis prout sunt in vsu, dicimus effectum indulgentiæ in instanti concedi, in quo primùm conditio requisita impleta est. Ex quo fit necessarium esse, & sufficere ex parte lucrantis indulgẽtiam quòd pro illo instanti sit in statu gratiæ, etiamsi anteà non fuerit.

Non repugnat formã indulgentiæ ita dari vt eius effectus successiuè conferatur.

Effectus indulgẽtiæ cõfertur in primo instanti in quo opus requisitum consummatum est.

10. Priormodus explicandi quodsitillud instans in quo tale opus consummatur.

Quod verò sit illud instans, in quo effectus indulgentiæ datur, incertum est. Duobus autem modis explicari potest: prior est, vt illud instans sit vltimum, in quo totum opus ad indulgentiam requisitum physicè atque omninò consummatum est; qui modus supponitur in rationibus dubitandi in principio positis. Et iuxta illum dicendum est, licèt illud instans sit primum non esse precedentis operis quatenus in successiua mutatione consistit, esse tamen primum instans in quo est completa conditio, quæ ad effectum indulgentię postulatur, ideóque tale instans non est extrinsecum, sed intrinsecum respectu effectus indulgentię, ac proinde sufficere, ac necessarium esse pro illo instãti ad statum gratiæ.

Posterior modus explicandi.

Alter modus est, si dicamus huiusmodi instans esse illud, in quo opus indulgentiæ, moraliter loquendo (vt sic dicam) consummatum est, quanuis physicè loquendo non sit omninò trãsactum tempus aut consummatus motus talis operationis, vt verbi gratia, in exemplo suprà posito de ieiunio vnius diei dici potest, instans, in quo consummatur tale ieiunium, non esse illud, quod est primum non esse totius diei naturalis in rigore physico, sed ante illud posse assignari aliquod instans, in quo iam non potest naturaliter fieri actio, seu comestio, per quam frangatur ieiunium, sicut alibi ego dicebam, instãs cõsummans martyrium in ordine ad effectũ gratiæ per illud consequendum, non esse ipsum instans physicum mortis, in quo iam anima est separata à corpore, estque primum non esse hominis, sed esse aliquod prius instans, in quo iam homo peruenit ad finem vitæ, ita vt paulò pòst necessariò futura sit mors ineuitabili necessitate secundùm legem ordinariam. Et iuxta hunc modum facillimè respondetur ad difficultatem positam, effectum quidem non dari nisi in instanti consummatiuo operis; non oportere tamen, vt physicè ac formaliter totum opus transactum sit, sed satis esse, vt ad statum illum perueniat, in quo censeatur moraliter consummatũ, ac propterea, licèt illud instans sit extrinsecum toti mutationi præcedenti, simpliciter tamen dici potest intrinsecum tali operationi.

11. Duo modi positi peculiari exemplo accõmodantur.

Et hinc obiter explicari potest in alio speciali exẽplo quódnam sit tempus lucrandi, seu obtinẽdi effectum indulgentiæ: solet enim aliquando concedi indulgẽtia plenaria omnibus, qui in aliqua religione moriuntur. Vnde statim oritur difficultas, quod sit instans, in quo effectus talis indulgentiæ comparatur. Duobus autem modis potest iuxta dicta designari. Primus est, quòd illud instans sit primùm non esse hominis, quia illud solum est verum instans mortis, in quo primùm verum est dicere hominem mortuum esse. Et hic modus est probabilis in hoc effectu, quanuis de Baptismo, & de martyrio aliter censuerimus. Et ratio differentiæ est, quia effectus indulgentiæ potest optimè fieri in anima à corpore separata, non verò remissio culpæ mortalis, aut infusio primæ gratiæ, quæ interdum ratione sacramenti Baptismi vel martyrij datur. Aliter verò dici potest mortem censeri completã in ordine ad effectum talis indulgẽtię in aliquo instãti, ante primũ nõ esse hominis tam propinquo illi, vt iã sit naturaliter mors ineuitabilis, statimq; futura sit, sicut de martyrio dicebamus. Estq; etiam hic modus probabilis: quid autem in re verum sit, incertum est.

Discrimẽ inter effectum indulgentiæ & Baptismi, aut martyrij

---

## *An impedito effectu indulgentiæ propter defectum gratiæ, recedente fictione recuperetur.*

12. Ratio dubitandi.

VLTERIVS verò inquirendum superest, si cõtingat in eo instanti impediri effectum indulgentiæ propter defectum gratiæ, an posteà comparata gratia, & ablato impedimento, seu fictione, recuperetur, seu conferatur effectus, ad eum modum quo de Baptismo, & aliis sacramentis tractari solet. Videtur enim sicut hoc affirmatur de sacramentis, ita posse de indulgẽtiis doceri, quia sicut sacramẽta cõferunt suos effectus ex opere operato, ita etiam suo modo indulgentia. Vnde, sicut per receptionem sacramenti, etiam indignam, manet effectus applicatus in acceptatione diuina, ita vt ablata fictione statim conferatur, quia sacramentum non est opus hominis recipiẽtis illud, sed Dei conferentis per ministrum suum, ideóque non admittit suum valorẽ propter indignitatem suscipiẽtis: ita per indulgentiam applicatur effectus, quasi ex opere operato, estque etiam opus Dei, potiùs quàm hominis, cui confertur: ergo, etiamsi ille sit indignus, indulgentia nõ admittit suum valorem: & efficaciam, manet ergo effectus eius in acceptatione Dei, ita vt ablato impedimento, statim conferatur. Atque hanc sententiam videtur tenere Palud. in 4. distinct. 20. q. 4. ar. 3. circa 1. conclusionem. Palud.

Possu

Possumus autem tractare vel de potestate, vel de facto, id est, an sit in Ecclesia potestas ad concedendam indulgentiam in prædicto sensu, & an de facto indulgentia ita conferatur. Et quidem, quòd de facto non omnes indulgentiæ in eo sensu dentur, indubitatum est apud omnes, quia in forma earum sæpe declaratur solùm concedi hominibus confessis, vel contritis: indulgentia autem non operatur vltra intentionem concedentis, quæ per verba exprimitur: ergo omnes indulgentiæ sub hac forma cõcessæ, nihil operantur in his, qui sunt in peccato, quia illi non sunt cõtriti. Nec potest dici, huiusmodi concessionem, vtpote fauorabilem, extendendam esse ad eos, qui sunt vel postea fuerint contriti: hic enim ampliandi modus est vltra vim & proprietatum verborum, nullumq; fundamentum habet, ideóque probabilis non est. Præsertim quia ex vi illius formæ contritio vel confessio est vna ex conditionibus requisitis ad lucrandam indulgentiam: vt autem indulgẽtia habeat effectum, necesse est præscriptam conditionem implere intra tempus in ipsa concessione præfinitum: igitur quoties indulgentia sub hac forma conceditur, nihil posteà operatur quantumuis homo conteratur: ergo indulgentia non semper habet effectum recedente fictione.

13. De facto nõ omnes indulgentiæ habẽt effectũ, recedente fictione.

Quòd verò aliquando illum habeat, suadet Paludanus, quia indulgentia interdum conceditur sub hac forma, *contritis, vel confessis, vel qui intra mensem, vel annum fuerint confessi*: quæ verba ipse intelligit de confessione vel in re, vel in voto. Vnde colligit, satis esse post mensem, vel annum contritionem habere ad fructum illius indulgentiæ obtinendum atque ita per confessionem postea subsequutam recuperari fructum indulgentiæ, qui priùs fuerat impeditus. Vnde apertè supponit esse in Ecclesia potestatem ad concedendam indulgentiam ea intentione & efficacia, vt consequatur effectum recedente fictione. Veruntamen ex forma illa non rectè colligitur id, quod Paludanus intendit: quando enim indulgentia conceditur ei, qui post mensem confessus fuerit, immeritò id declaratur de confessione in voto: nam verba in rigore, & proprietate potiùs requirunt confessionem actualem. Sicut quando indulgentia conceditur ei, qui visitauerit, verbi gratia, templum aliquod, & tunc, vel post mensem fecerit eleemosynam, apertè intelligitur de eleemosyna facienda in re: idem ergo est de confessione. Quocirca quanuis ad talem indulgentiam obtinendam non sit necessaria actualis confessio statim facta, necessarium saltem est propositum confitendi post mensem, quod propositum simul cum contritione habendum est. Neque sufficiet propontum habendi contritionem post mensem, vel ante, nunquàm enim indulgentia sub tali forma conceditur, ita vt ex vi illius liceat differre contritionem, sufficiatque propositum eius ad indulgentiam lucrandam: imò semper contritio prærequiritur, & ad summum dilatio confessionis promittitur, ergo, quantum attinet ad quæstionem de facto, nunquàm videtur indulgentia habere effectum recedente fictione, si illum non habuit tempore præscripto.

14. An de facto aliquãdo id habeat.

Negatiuè resoluitur.

Atque hinc vlteriùs colligimus, non esse in Ecclesia potestatem ad concedendam indulgentiam, quæ hoc modo conferat effectum. Quod videtur sensisse Caietanus in priori tractatu de indulgentiis c. 9. & in posteriori quæstione 21. Et primò probari potest ex vsu, quia si hoc caderet sub potestatem Pontificum, verisimile est aliquem ipsorum fuisse aliquando vsurum tali potestate & talem vsum fuisse aliquando futurum in vtilitatem Ecclesiæ, & ædificationem fidelũ; ergo ex ipso non vsu perpetuo rectè colligimus vsum illum non pertinere ad ædificationem, & consequenter non cadere sub potestatem Ecclesiæ. Secundò, quia non omnia sacramenta conferunt suum effectum recedente fictione, sed vel solus Baptismus, vel ad summum illa, quæ sub aliqua ratione non iterantur: ergo multò minùs necessarium fuit, quod per indulgentias dari posset effectus recedente fictione. Patet consequentia, quia, & sunt in Ecclesia plures alij modi obtinendi remissionem illam, quæ futura erat effectus indulgentiæ, & indulgentiæ ipsæ iterabiles sunt. Vnde proprietas hæc conferendi effectum recedente fictione, non consequitur ad efficaciam ex opere operato, vt in obiectione in contrarium sumebatur, sed, vel est specialis alicuius sacramenti, vel ad summum tributa est illi rei seu causæ, quæ semel tantùm applicatur. Tertiò, declaratur in hunc modum: nam indulgentia tunc habet suum effectum, quando thesaurus Ecclesiæ applicatur ab habente potestatem, vt ex suprà dictis constat: quia & hic effectus non fit sine applicatione thesauri, & hæc applicatio solum fit iuxta intentionem habentis claues, & consequenter pro illo tantùm tempore, pro quo ille applicat thesaurum. Igitur vel prælatus applicat thesaurum homini pro eo tempore quo est in gratia, vel pro eo quo gratia caret: si primum, statim applicatio habebit effectum in homine existente in gratia, in eo verò, qui caret illa, nunquam habebit, quia ad illum non dirigitur intentio, & applicatio. Si autem dicatur posterius, talis intẽtio est irrationabilis, & cõtra diuinũ ius quia talis homo incapax est effect⁹ indulgẽtiæ.

15. Non esse in Ecclesia potestatem ad indulgentiã concedendã quæ recedẽte fictione cõferat effectum suum. Caiet. Suadetur 1.

16. Replica.

Respondeti potest, applicationem thesauri fieri posse homini nondum contrito, non vt in illo statim operetur, quod repugnat iuri diuino, sed vt pro illo statim acceptetur, vt in illo effectum habeat cùm primum fuerit contritus, quod non repugnat iuri diuino: hoc autem ipsum est habere effectum recedente fictione: ergo potestas concedendi indulgentiam hoc modo non repugnat diuino iuri; vnde non est cur Pontifici summo denegetur. Sed contrà: quia, licèt admittamus talem modum concedendi indulgẽtiam non repugnare, quantum, ad rem in illo intentam, tamen nec per illa verba conuenienter exprimitur, neque tunc datur effectus recedente fictione, sed completa integrè conditione, ad indulgentiam requisita. Declaratur: nam, si confessio fiat in forma superius posita, extendendo illam ad contritionem, verbi gratia, quicunque hoc fecerit, & fuerit contritus, vel infrà tale tempus contritionem habuerit, talem indulgentiam consequetur, tunc indulgentia reuera non obtinetur; donec contritio habeatur: quia conditio integra, sub qua indulgenti a promittitur, non est antea completa, vt autem infrà dicam, ad lucrandam indulgentiam non satis est partem postulatæ conditionis implere, vel si duo opera requirantur, non satis est vnum facere. Sicut in eodem exemplo, si quis priùs haberet contritionem de peccatis, nihilominùs nõ lucraretur indulgentiam, donec aliud opus postulatum faceret. Igitur in eo casu non confertur effectus indulgentiæ propter ablatam fictionem, sed propter completam conditionem.

Dilutio.

17. Obiect.

Dices contritionem tunc non requiri vt opus necessarium ad cõsequendam indulgentiam, sed solùm vt conditionem remouentem impedimentum: cuius signum est, quia si quis non habeat conscientiam peccati mortalis, consequetur indulgentiam sine actu contritionis. Item, quia contritio est actus merè internus: opus autem requisitum ad indulgentiam solùm est externum. Sed hoc posterius nihil obstat: nam vt infrà dicam, etiam inferior actus potest requiri, vt conditio necessaria ad effectum indulgentiæ consequendum. Ad priorem verò partem respondemus in primis contritionem postulari vt conditionem ne-

Soluitur.

cessarią, non omnibus, sed illis qui habét cõscientiam peccati mortalis. Deinde, siue contritio applicetur necessaria dispositio, siue cõditio necessaria ad effectum, parum refert: nam certum est, ex vi talis formæ vel cõcessionis indulgẽtiæ applicationẽ thesauri nõ fieri nisi pro eo tẽpore, pro quo homo est cõtritus, ergo quòd tunc detur effectus, & nõ anteà est potiùs ex vi & forma ipsius cõcessionis, quàm ex eo quòd detur effectus recedente fictione. Cuius signum est, quia si in ipsa cõcessionẽ limitetur tempus, in quo habenda est contritio, & intra illud homo non conteratur, quantumuis posteà tollatur fictio non obtinebitur effectus indulgentiæ: ergo signum est quando datur effectus tempore quo habetur contritio, id nõ esse propter ablatã fictionem, sed propter specialem cõcessionem & modum indulgentiæ: nam si effectus daretur propter solam ablationem impedimenti, quocunq; tempore vitæ impedimentum auferretur, daretur effectus, sicut fit in sacramentis, quæ habent effectum recedente fictione.

18. Discrimen inter sacramentum & indulgentiã

Vnde in hoc est differentia inter sacramentum & indulgentiam, quòd sacramentum verè perficitur & applicatur homini absque effectu propter fictionem, qua posteà ablata, datur effectus propter sacramentum priùs applicatum: indulgentia verò reuerà in se non perficitur, neque applicatur quandiu est fictio, quia nec conditio ad illam requisita implera est, nec etiam est facta applicatio thesauri, donec contritio habeatur, iuxta formam concessionis. Quòd si in ipsa cõcessione nulla fiat mentio contritionis, aut status gratiæ, vt sæpe contingit, sed simpliciter dicatur recitans hoc vel illud, talem indulgentiã consequatur, si statim non consequitur effectũ propter fictionem, nunquàm posteà recuperabit illum, quia forma concessionis ad hoc non extenditur, & applicatio thesauri impedita fuit pro eo tempore, pro quo facienda fuisset ex intẽtione concedentis, & ideò non est vlla ratio cur posteà redeat. Vnde non solùm impeditur per fictionem applicatio, quoad effectum ad extra, sed etiam quoad acceptationem Dei, quia dispensatio thesauri absolutè & simpliciter fit intra illud tempus; & quia ille, qui in peccato existit, per se loquendo, indignus est omni applicatione illius effectus, etiam in acceptatione diuina. Et quòd aliquando aliquid simile fiat in sacramentis, est aut propter specialem dignitatem sacramentorum, aut ex speciali priuilegio, propter aliquam peculiarem causam, quæ in indulgentiis locum non habet, vt declaratum est.

19. Obiectio alia.

Sed dicet tandem aliquis, si Papa expressè concedat indulgentiam facienti tale opus, ita vt illam consequatur, vel si tũc fuerit in gratia, vel cùm plurimùm se in eo statu constituerit, tunc statim acceptari applicationem pro eo tẽpore, quoablata fuerit fictio. Cuius signum esse potest, quia postquàm quis perfecit opus ad talem indulgentiam postulatum, non potest à Pontifice reuocari indulgentia, nec impediri quominùs habeat effectum statim ac homo contritus sit. Solutio. Respondeo, eandem difficultatem habere locum, quando indulgentia conceditur facienti duo vel tria pia opera an scilicet, re inchoata, & post per perfectum vnum, vel aliud opus illorum, possit indulgentia reuocari: de qua re infrà dicam. Potest ergo negari assumptum, vel, si illud concedatur, negandum est id esse propter specialem acceptationem, sed quia iam est quodammodò ius acquisitum per inchoatam diligẽtiam ad effectum indulgentiæ necessariam.

## SECTIO III.

*An ad indulgentiæ effectum sit necessaria confessio.*

HÆc quæstio annexa est præcedenti, & ideò facilè hîc expediri potest. Distinguendum est enim de confessione, quatenus necessaria est ad gratiam, vel quatenus est pium quoddam opus, quod postulari potest ad effectum indulgentiæ. Priori modo certum est, confessionem re ipsa exhibitam non esse necessariam ad indulgentiam seu eius effectum consequendum. Probatur, quia non est necessaria ad gratiam, & remissionem culpæ obtinendam, sed ad lucrandam indulgentiam sufficit status gratiæ, per quem iam est culpa remissa, & peccator factus est capax remissionis pœnæ: ergo ex vi indulgentiæ, vt sic, non est necessaria confessio ad effectum. Et confirmatur ex vsu, quia sæpissimè conceduntur indulgentiæ omnibus verè contritis, & interdum expressè sub disiunctione dicitur, *Cõtritis vel confessis*: ergo signũ est per se, & ex vi dispositionis sufficere contritionem, quæ votum confessionis includat. Ex quo infero, quoties in forma indulgẽtiæ nihil de confessione vel cõtritione exprimitur, sed simpliciter conceditur omnibus ieiunantibus, vel orãtibus; tunc nõ esse necessariã confessionẽ ad effectũ indulgentiæ, sed sufficere statum gratiæ, quacũq; ratione comparetur. Probatur, quia tunc non requiritur confessio per se & ex vi indulgentiæ, vt sic, neque etiã requiritur ex vi talis formæ: ergo nulla ratione est necessaria: sufficit ergo status gratiæ, siue per contritionẽ veram, siue per attritionem cum quocunque alio sacramento obtentus sit.

1. Confessio per se non est necessaria dispositio.

Non est necessaria cõfessio vbiin forma indulgentiæ non postulatur.

Sed obiici potest, quia in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnit. & remiss. ait Clemens VI. Petro esse relictam potestatem dispensandi thesaurum, illumque *misericorditer applicandi verè pœnitentibus, & confessis*: ergo non est in Ecclesia potestas applicandi thesaurum per indulgentiam, nisi illis tantùm, qui fuerint sua peccata confessi. Nec dici potest, Pontificem affirmare vnum quod certissimum est, non verò excludere aliud: nam Pontifex integram & plenam doctrinam eo loco tradit, vnde exprimendo vnum, aliud tacitè excludit, & coniungendo copulatiuè illas duas conditiones, indicat esse necessarias in subiecto, cui danda est indulgẽtia. Vnde in Concilio Constantiensi, sess. vltima, suspectis de hæresi solùm dicitur esse interrogandũ, *vtrùm credant quòd Papa omnibus Christianis verè contritis, & confessis ex causa pia & iustitia possit concedere indulgentias*. Ratione confirmari hoc potest, quia per indulgẽtiam remittitur pœna in foro Ecclesiæ, ideóque solet dici pertinere ad forum pœnitentiale: ergo non potest concedi nisi illis, quib. in eodem foro Ecclesię remissa est culpa.

2. Extrau. Vnigenitus obiicitur.

Ad priorem partem responsio data probabilis est, quia ibi Pontifex non per se tradit doctrinam ad hunc articulum pertinentem, sed obiter id attingit, & ideò exprimere potuit id, quod certius est, vel quod per se requiritur ad remissionem culpæ, etiamsi ex accidenti possit interdum aliter fieri. Quia verò æquè certum existimo posse Pontificem concedere indulgentiam contritis nondum actu cõfessis, ideo magis placet expositio in superioribus insinuata, scilicet, Pontificem per homines contritos & confessos nihil aliud significare, quàm homines in gratia constitutos, qui veniam suarum culparum consecuti sunt. Nam, licèt hęc venia possit interdum obtineri per solam contritionem, tamen quia nomen contritionis, aut veræ pœnitentiæ interdum generaliùs sumitur prout extenditur ad attritionem: ideò contritioni adiungitur confessio, solùm tamen exigitur quatenus necessaria esse potest ad remissionẽ culpæ mortalis, vel in re ipsa, si contritio fuerit imperfecta, vel in voto, si illa perfecta fuerit. Sicut è contrario, contritio in tantum postulatur, in quantum necessaria esse potest ad talem

3. Ad Extrau. respõdetur.

esse

effectum, scilicet, vel perfecta, si sola fuerit, vel saltem imperfecta, si coniuncta fuerit sacramento. Ad rationem respondetur, licèt forum indulgentiæ sit forum Ecclesiæ, esse tamen longè diuersum à foro sacramentali, & ideò non esse per se ordinata: nam forum indulgentiæ est quasi forum gratiæ, forum autem sacramentale est forum iustitiæ: & ideò remissio pœnæ, vel satisfactio, quæ in cõfessione imponitur, prærequirit cognitionem culpæ, quæ per confessionem datur: remissio autem, quæ per indulgentiam conceditur, non requirit culpæ cognitionem, & ideò neque confessio est ad illam, per se loquendo, necessaria, vt rectè docuit Caiet. dict. tract. de Indulgentiis ad Iulium, cap. vlt. estque communis sententia Doctorum, quos statim referemus.

Rationi satisfit.

Caiet.

---

*Confessio potest requiri in forma indulgentiæ, vt conditio necessaria ad eius effectum.*

4. CIRCA posteriorem modum, vnum est etiam constans apud omnes, nimirum posse Pontificem postulare actualem confessionem, vt conditionem necessariò præmittendam ad lucrandam indulgentiam. Quod patet, tum ex vsu, tum etiam, quia Papa potest exigere alia opera pietatis, & vsum sacramenti Eucharistiæ, nec in sacramento confessionis est aliqua specialis repugnantia, vel ratio ob quam non possit hoc modo postulari. Solùm ergo oportet attentè inspicere verba concessionis, an satis expressè hanc conditionem exigant: nam est conditio valdè onerosa, quæ non est imponenda, nisi sufficienter exprimatur: erit autem sufficiès expressio si dicatur, *Præmissa, aut facta confessione*, vel aliquid simile: nam hæc verba iuxta communem sensum significant confessionem sacramentalem, in re ipsa factam.

5. An qui mortale peccatũ non habet, teneatur tũc venialia confiteri.

Dubitari verò solet, an in illo casu sit necessaria confessio etiam de solis venialibus, quando pœnitens non habet aliam materiam magis necessariam. Pars enim affirmans ex eo fit probabilis, quòd Pontifex potest exigere opus consilij ad aliquam indulgentiam lucrandam, vt quando concedit indulgentiam plenariam facienti professionem in religione. Ergo etiam potest exigere confessionem de venialibus, quanuis illa non sit in præcepto: ergo quandocunque prærequirit absolutè susceptionem sacramenti pœnitentiæ, necessarium est illud suscipere eo modo quo possit, iuxta necessitatem, vel capacitatem suscipientis, siue confitendo mortalia peccata, siue tantùm venialia. Nihilominùs oppositum communiter approbatur, ac meritò: si enim in indulgentia expressè & specificè id non declaretur, quod nunquàm, vel rarò fit, etiamsi confessio prærequiratur, intelligendum est quando pœnitens habet conscientiam peccati mortalis: ita enim declarat communis Ecclesiæ sensus & vsus. Ratio verò sumitur ex differentia inter Eucharistiam, & confessionem: nam Eucharistia per se ac propter se postulatur, & ideò quando communio ponitur, vt necessaria conditio indulgentiæ, comprehendit omnes, etiamsi peccati conscientiam non habeant: at verò confessio postulatur, vt medicina peccati certior & vtilior, ideoque quanuis absolutè postuletur, intelligitur supposito peccato, ad quod tollẽdum sit per se necessaria. Sicut enim peccatum simpliciter dictum accipitur pro mortali; ita confessio absolutè postulata, intelligitur de confessione mortalium, si in conscientia adsint. Denique, sicut Ecclesia nõ consueuit præcipere confessionem, nisi mortaliũ: ita neque illam exigere, vt necessariam conditionem ad indulgentiam aliquam, vel fauorem concedendum.

Parsaffirmãs suadetur.

Pars negans præfertur.

A Rursus verò inquiri potest, si ad lucrandam indulgentiam requiratur communio, & expressè non postuletur confessio, nihilominùs id satis fit, vt confessio etiam reputetur postulata ad eandem indulgentiam lucrandam. Videtur enim ex dictis sequi pars affirmans: nam, quando confessio postulatur, solùm intelligitur de confessione mortalium, quæ adhuc sunt in hominis conscientia: sed hoc ipso quòd postulatur communio, requiritur etiam confessio talium peccatorum: ergo. Nihilominùs dicendum est, ex vi talis cõcessionis non requiri actualem confessionem. Nam, licèt ex vi iuris diuini præmittenda sit tunc confessio ad Eucharistiam dignè sumendam; tamen indulgentia per se ad hoc non obligat, quia in concessione non exprimitur, & verba priuilegij, sicut non plus fauoris concedunt, quàm exprimant, ita neque plus oneris imponunt. Quocirca si contingat aliquem habentem conscientiam peccati mortalis dignè communicare cum sola contritione B sine confessione, vel quia caret copia confessoris, vel quia ex ignorantia inuincibili aut aliqua occasione bona fide id facit, verè lucrabitur talem indulgentiam, quia implet formam eius, quam tamen non lucraretur, si in ipsa forma fuisset expressa confessio: nam, vt infrà dicam, qui non implet conditionem in indulgentia postulatã, nõ lucratur illã, etiamsi per impotentiam, vel ignorantiam tale opus omittat. Et eadem vel maiori ratione, qui faceret cõfessionem cum aliquo defectu impediente valorem, seu veritatem sacramenti, sine noua culpa sua, seu aduertentia, & posteà bona fide accederet ad communionem, & per eam iustificaretur, consequeretur indulgentiam, quia nulla conditio illi deest. At verò, si in concessione indulgentiæ expressè fuisset postulata confessio, talis homo non lucraretur indulgentiam, quia reuerà non fuit confessus, quia, vt supponitur, confessio non fuit valida, sed nulla: quoties autem ad indulgentiam requiritur actualis confessio, necessaria est confessio valida, ex qua verum sacramentum perficiatur, quia nomine confessionis totum sacramentum significatur, & quia confessio inualida, est impertinens, & nulla. Non est autem idem de confessione informi, si alioqui valida sit: nam cùm illa vera confessio, sufficit ad hũc effectum, dummodò posteà, eo nimirum tempore, quo effectus indulgentiæ obtinendus est, homo iam sit gratiam consecutus, vel per contritionem, vel per aliud sacramentum.

6. Nũ quando ad indulgẽtiam postulatur cõmunio, cõfessio etiam postulata censeatur.

Resolutio.

Hic verò potest obiter interrogari, si ad Iubilæum, verbi gratia, obtinendum requiratur confessio, & homo intra tempus præscriptum semel confiteatur, posteà verò ante illud momentum, in quo fructus indulgentiæ obtinendus est, iterum peccet mortaliter, an necessarium illi sit iterum confiteri, vel sufficiat conteri de tali peccato. Videtur enim contritio sufficere, quia per confessionem semel factam impleta est conditio in forma Iubilæi postulata. Nihilominùs oppositum censeo probabilius, quia ex vi illius formæ requiritur confessio omnium mortalium, quæ vsque ad tempus indulgentiæ commissa sunt, nam talis cõfessio refertur ad indulgentiam, & ideò comprehendit totum tempus vsque ad prædictum terminum, & consequenter omnia etiam peccata intra illud tempus commissa: non ergo sufficit prior confessio, quia non fuit de omnibus peccatis modo explicato. Vnde, licèt per vnam confessionem possit satisfieri tali Iubilæo, non tamen per quamcunque, sed per eam, quæ fuerit integra modo prædicto. Ex quo infero, si quis confiteatur occasione talis Iubilæi, & bona fide obliuiscatur alicuius peccati, posteà verò recordetur illius ante elapsum Iubilæi tempus, necessarium illi esse intra illud tempus tale pec-

7. Dubiũ proponitur.

Resoluitur.

Corollariũ.

catum confiteri, alioqui fructum Iubilæi non consequetur. Ratio est iam tacta, quia ex vi talis formæ necessaria est confessio talium peccatorum.

2. Quorũdam illatio. Imò hinc inferunt aliqui, quòd si in eo casu peccatum sit simpliciter obitum, ita vt toto illo tempore non possit de illo fieri confessio, non poterit quis talem indulgentiam lucrari, quia absolutè non implet formam in Iubilæo requisitam, & non satis est implere partem, vt infrà dicam. Gerson. Quod sensit Gerson in 2. part. suorum operum, Alphabet. 33. lit. R. maximè quando indulgentia conceditur *de omnibus peccatis confessis*. Tunc verò ait obliuionem impedire effectum indulgentię solùm quoad peccata incõfessione omissa, non verò quoad alia. Adrian. Idemque sentit Adrianus in 4. mater. de Indulgentiis, quod extendit enim ad peccata venialia in confessione omissa, quando forma concessionis fit sub prędictis verbis. Sed de hoc vltimo puncto diximus in superioribus, non enim pertinet ad dispositionem necessariam ex parte lucrantis indulgentiam, sed ad limitationem indulgentiæ, ex intentione concedentis in verbis expressa.

9. Improbatur Quod verò ad prius punctum attinet, non existimo veram illam sententiam, etiamsi expresè requiratur cõfessio omnium peccatorum. Nam in primis non requiritur confessio venialium, vt rectè docuit Antoninus 1. part. tit. 10. c. 3. §. 10. & Nauarr. cum aliis in Comment. de Iubilæo, notab. 18. nu. 17. & not. 30. num. 6. Anton. Nauar. Quia, sicut confessio simpliciter dicta intelligitur de confessione mortalium, ita, licèt addatur confessio omnium peccatorum, comprehenduntur tantùm mortalia peccata, quæ sunt simpliciter peccata. Item, quia confiteri omnia peccata venialia in particulari & in specie, est ferè impossibile; confiteri autem illa tantùm in vniuersali, est valdè accidentarium: non est ergo verisimile aliquid horum exigi à Pontifice. Neque oportet distinguere inter peccata grauiora, aut leuiora intra latitudinem venialiũ, quod fecit Corduba q. 28. quia etiam illa distinctio nullum fundamentum habet in verbis Pontificis, quæ vniuersalia sunt, & aliunde non potest sufficienter probari necessitas confitendi aliquod peccatum veniale, etiamsi in suo ordine graue sit. Cordubæ distinctio reiicitur. Vnde licèt voluntariè omittatur, non impediet effectum indulgentiæ. In mortalibus autem, quanuis voluntaria omissio illum impediat, tamen, si ex naturali obliuione, vel alia iusta causa omittatur, non credo impedire: tum quia intentio Pontificis solùm est, postulare confessionem integram humano & morali modo; tum quia peccata oblita virtute & implicitè sunt contenta in peccatis confessis, vt Concilium Tridentinum dixit. Quapropter, etiam in superiori casu de peccato mortali commisso intra tempus Iubilæi post priorem confessionem in eodem tempore factam, existimo, si tale peccatum ita sit occultum, vt ipsemet homo illud nõ aduertat, neque omninò illius recordetur, vt illud confiteatur, illud non impedire indulgentiam, si alioqui saltem per generalem cõtritionem tollatur, quia illud se habet sicut peccatum oblitum, ideoque per priorem confessionem sufficienter est impleta conditio ad indulgentiam necessaria.

---

## *Num, quando indulgentia conceditur sub hac forma, verè pœnitentibus, & confessis actualis confessio præmittenda sit.*

10. DENIQVE, circa hanc partem est vulgare dubium, an ex vi cuiusdam formæ consuetæ Iubilæi, vel indulgentiæ, scilicet, *Concedimus omnibus verè pœnitentibus, & confessis, &c.* necessariò sit præmittenda actualis confessio ad indulgẽtiam lucrandam. Habetur autem illa forma sæpe in iure in Extrauagant. de Pœnit. & remiss. & in Clement. vnic. de Reliq. & venerat. Sanct. & in Concilio Lateran. sub Innocentio III. in decreto vlt. & nunc etiam aliquando est in vsu, quãuis interdum prætermittatur. Opinio affirmans. Multi ergo cẽsent ex vi illorum verborum necessariò esse præmittendam confessionem, vt possit effectus obtineri. Ita Durãdus in 4. dist. 20. quæstione quarta, Adrianus in 4. materia de Indulgẽtiis, idem sensit Caietanus dict. Opus. c. 20. & potest sumi ex Syluest. verb. *Indulgentia*, quæstione octaua, dicto quarto. Durand. Adrian. Caiet. Syluest. Ratio, quia verba illa requirunt confessionem præter pœnitentiam; vnde videntur necessariò intelligenda de confessione externa, & in re ipsa: at verò indulgentiæ non plus valent, quàm sonant. Addunt tamen aliqui, non semper esse necessarium eo tempore confessionem præmittere, cùm indulgentia obtinenda est, sed satis esse si debito tempore anni facta fuerit confessio, quòd si post illam commissum fuerit peccatum mortale sufficere contritionem cum proposito confitendi illud tempore debito. Limitatio superioris opinionis. Ita sentit D. Antonin. 1. part. tit. 10. capit. 3. §. quinto, & Supplem. Gabr. in 4. distinct. 45. quæstione tertia, articulo tertio, dub. 1. Anton. Sup. Gabr. Fundamentum est, quia in illis verbis non dicitur expresè, vt tunc fiat confessio, sed solùm generatim conceditur hominibus iam confessis: ergo sufficienter verificantur in illis hominibus, qui secundùm ius confessi sunt quando tenentur, quia verba generalia cuiuscunque priuilegij secundùm ius interpretanda sunt.

11. Obiectio I. Caietani contra præcedẽtem opinionem. Contra hanc sententiam obiicit Caietan. primò, quia iuxta illam etiam non esset necessarium habere tunc veram pœnitentiam, sed habuisse tempore debito, &, si nouum peccatum sit cõmissum, habere propositum de illo pœnitendi, tempore etiam debito. Ad hoc verò facilè responderi potest, si supponatur peccatum mortale, necessariam esse veram pœnitentiam, saltem propter statum gratiæ recuperãdum; ideoque licèt vtrumque verbum in eadem forma ponatur, nõ esse eandem vtriusque vim & necessitatem. Solutio. Obiicit Obiect. secundò, quia inde sequitur, non posse aliquem talem indulgentiam lucrari, si tempore debito, scilicet Quadragesimæ, non est confessus omnibus annis præteritis, quod est planè absurdum. Enodatur. Responderi verò potest negando sequelam, quia si quis sit confessus, vel in proxima Quadragesima præterita, vel eo tẽpore, quo lucratus est indulgentiam, verè ac propriè dicitur cõfessus tempore debito: nam, licèt fortasse aliquando non sit confessus tempore lege præscripto, per subsequentem confessionẽ satisfecit suæ obligationi: quia iam expleuit totam obligationem suam, & hoc solùm postulatur ex vi illorum verborum. Nihilominùs tamen hæc sententia mihi nõ placet, quia intẽtio Pontificis, concedentis talem indulgentiam, non fuit exigere ab homine obseruantiam præcepti de Quadragesimali confessione, sed opus, vel dispositionem necessariam ad præsentem indulgentiam, quam postulat respectu omnium præcedentium peccatorũ, siue tẽpore Quadragesimæ, siue quocũque alio debita pœnitentia facta fuerit: vnde ex vi illorum verborũ solùm requiritur homo cõtritus & cõfessus de omnibus peccatis mortalibus priùs cõmissis · ideoque si verba illa intelliguntur de confessione sacramentali re ipsa exhibita, multò meliùs loquuntur priores Auctores. Præcedens opinio improbatur.

12. Tertia opinio. Alij vero non putant ex vi illorum verborum requiri semper confessionem sacramentalem in re, sed tunc solùm quando interior pœnitentia, quanuis vera sit, non tamen perfecta, seu gradum contritionis attingens, nam quando huiusmodi fuerit, sufficiet confessio in voto. Palud. Gerson. Gloss. Ita sentiunt Palud. in 4. d. 20 q. 4. art. 3. & Gerson. Alphabet. 33, lit. R. & idem sentiunt Canonistæ cum Glossa in Clem. vnic. de Reliq. & veneratione

tione Sanctor. vbi Cardinalis ita illam interpretatur. Idem sentit Ioannes Andreas in c. *Quod autē*, de Pœnitent. & remiss. & Abbas in capit. *Omnis vtriusque sexus*, eod. titul. & latè Felinus in tractatu de Indulgentiis, numero vigesimoquinto, & sequentibus, quāuis enim in principio videatur secundam sententiam suprà citatam indicare; tamen si consideretur attētiùs, hanc potiùs sententiam sequitur. Quam Nauarrus in Cōmentar. de Iubilæo, notab. 18. priùs impugnat, posteà verò multa dicit, quæ illam supponunt, ac denique mediam quandā sentētiam indicat: Nam, si quis (inquit) aut confiteri non possit, aut bona fide ob probabilem ignorantiam confessionem omittat, nihilominùs, si contritus sit, indulgentiam consequetur; secùs verò erit, si voluntariè, & absque alia rationabili causa, confessionē omitteret; quia hęc videtur esse Pontificis intētio. Sed hæc distinctio nō videtur mihi cōuenienter adhibita, quia non potest rectè fundari, si cōsequenter loquamur. Aut enim Pōtifex, ex vi illorū verborū requirit actualē confessionē, vt conditionē necessariā ad indulgentiā consequendam, vel non: si primum, ergo etiamsi propter impotentiā, vel ignorantiam inculpabiliter omittatur, fructus indulgētiæ amittetur, quia confessio fuit conditionata, & ideò nō impleta conditione, nihil operatur, vt de quolibet alio opere dicemus sectione sequente: si verò dicatur secundùm, ergo quāuis volūtariæ omittatur confessio, poterit indulgentiæ fructus comparari: quia nullo titulo erit prærequisita ex necessitate actualis cōfessio, si alioqui impedimentum peccati per contritionem auferatur, & confessio ipsa in voto habeatur.

Cardinal. Jo Andr. Abb. Felin.

Nauarr.

13. Tertia opinio præfertur.

Quapropter sententia hæc vltima mihi valdè probabilis videtur, quanuis opposita securior sit, propter quod consulendum semper erit, vt quoties forma indulgentiæ, seu iubilæi huiusmodi fuerit, actualis confessio præmittatur, si fieri possit, vt omne dubium tollatur: si tamen de facto omissa fuerit, puto contritionem sufficere. Quod maximè certū videtur, quādo bona fide, seu inuoluntariè confessio omittitur: inde tamen probabile fit argumentum, idem semper esse dicendū, vt contra Nauarrum obiectū est. Deinde est optima ratio, quia Pōtifex per illa verba non intendit exigere confessionē, vt speciale opus necessarium ad indulgentiam consequendam, sicut exigit eleemosynam, ieiunium, vel aliquid simile, sed solùm, vt aliquis sit capax effectus indulgentiæ, addit illa verba, *contritis, & confessis*, igitur solùm requirit cōfessionem, quatenus necessaria est ad tollendum obicem, seu ad debitam dispositionem indulgentiæ, quam dictis verbis explicat, propter rationē superiùs datam, exponendo Extrauagātem *Vnigenitus*, de Pœnitent. & remission. Ex cuius expositione potest præsens sententia confirmari, quia per illam ita concedūtur indulgētiæ *contritis, & confessis*, sicut Pontificia potestas extenditur ad dispensandū thesaurū Ecclesiæ hominibus *contritis, & confessis*, quia eodē modo in vtroque casu loquitur, sed Pontifex ita potest dispensare thesaurum contritis & confessis, vt non semper requirat vtramque simul conditionem, sed solùm quatenus vel vtraque, vel altera esse potest necessaria ad statum gratiæ obtinendum, iuxta explicationem superiùs datam: ergo idem dicendum est in præsenti.

Ratione probatur.

14. Tripliciter intelligi potest particulā, contritis, & confessis.

Potestque dicta expositio in hunc modum declarari, quia illa verba, *verè pœnitentibus, & confessis*, seu *cōtritis, & confessis*, aut intelliguntur de contritione vera & perfecta, aut de imperfecta, aut generatim: primo modo optimè intelliguntur illa verba diuisim ac distributiuè, id est, tam contritis, quàm confessis, non enim videntur posse commodè intelligi coniunctiuè, alioqui semper cum confessione esset necessaria contritio perfecta, quod dici non potest: si verò eligatur secundus modus, tunc mirum non est, requiri confessionem actualem, quia talis pœnitentia per se non sufficit ad statum gratiæ; clarum est autem non posse excludi contritionem perfectam: & ideò probabiliùs est tertio modo accipi contritionem: & tunc rectè exponitur addi confessionem, non quia semper requiratur, sed quatenus necessaria esse potest ad statum iustificationis obtinendum. Denique expositio hæc nullam vim verbis infert, estque fauorabilis: ergo in gratia, & fauore explicando non immeritò præferri potest: atque ita satisfactum est ad difficultatem in contrarium.

A

B

C

D

E

## *An status gratiæ requiratur ad alios fauores qui cum indulgentia aliquando conceduntur.*

15. Rationes dubitandi.

VLTIMÒ, circa hanc sectionem dubitari potest, an status gratię sit necessarius nō solùm ad propriū effectum indulgentiæ, sed etiam ad alios fauores obtinendos, qui cū indulgentia, & propter indulgētiam concedi solent, vt sunt absolutio à casibus reseruatis, dispēsationes votorum, & similia. Videtur enim vera pars affirmatiua, quia accessorium sequitur principale, hîc autem principale, est ipsa indulgentia, propter quam alia conceduntur, & ideò si illa non habet effectum, cætera etiam ruent. In cōtrarium verò est, quia ratio, ob quam gratia requiratur ad remissionem pœnæ, non habet locum in aliis fauoribus, vt per se constat. Circa hoc breuiter aduertendum est, huiusmodi gratias & fauores non solere adiungi cum indulgentia, nisi vbi confessio postulatur tanquàm necessaria conditio, quia vel propter confessionem, vel mediante confessore conceduntur. Vnde in his indulgentiis, quæ generaliter omnibus fidelibus conceduntur, vniuersaliter verum est, nullum effectum, vel fauorem conferre illis qui sunt extra statum gratiæ.

16. Dubij resolutio.

At verò vbi confessio requiritur tanquàm conditio necessaria, distinguere oportet: nam si nulla confessio fiat, aut talis, quæ ad verum sacramentum non sufficiat, tunc neque indulgentia, neque aliquis eius fauor obtinetur, non tam propter gratiæ defectum, quàm propter conditionē necessariam nō impletam: nam sicut indulgentia sub tali conditione cōceditur; ita etiam omnis fauor illi adiūctus. At verò confessio valida facta est, regulariter secum affert gratiam, & ita cessat quæstio: si verò contingat talem confessionem esse informem (vt interdum potest) licèt propter obicem peccati proprius effectus indulgētiæ impediatur; alij tamen fauores tali homini concessi, rati sunt & validi. Ratio est, quia per talem confessionem impletur conditio à Pontifice requisita, vt ex supra dictis patet: ergo sufficit vt illa concessio habeat effectum in omnibus, in quibus homo non ponit obicem: peccatum autem habituale licèt impediat remissionē pœnæ, non verò alios effectus, verbi gratia, dispensationem in voto, vt per se constat, aut absolutionē à casibus reseruatis, quæ valida esse potuit, quandoquidem sacramētum fuit validum. Denique, si confiteretur bona fide, semper bona fide procedit: ergo verisimile est, intentionem Pontificis esse, ei omnia concedere, quæ ex natura rei, vel diuino iure, non repugnant.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm actualis dispositio necessaria sit ad effectum indulgentiæ consequendum.*

1. SOLENT indulgentiæ iuxta communē Ecclesiæ vsum cōcedi, hoc vel illud opus virtutis facientibus, quod opus in præsenti vocamus

mus dispositionē actualem ad effectum indulgentię: A soletque ab aliis appellari causa pia, ob quam indulgentia cōceditur. Quæ duobus modis intelligi potest necessaria ad prædictum effectum. Primò absolutè & simpliciter, secundò ex suppositione talis formæ concedi indulgentia: & vtroque modo necessitatis dicendum est.

1. Possitne Pōtifex indulgentiā concedere, non exigēdo aliquod pium opus. Pars negans suadetur.

Primò ergo inquiri hìc potest, an sit de necessitate indulgentiæ, vt exigatur aliquod pium opus ad effectum eius obtinendum, ita vt nō possit Pontifex alio modo hic indulgentiam concedere. Pars enim affirmans videtur suaderi ex vsu Ecclesiæ: nūquàm enim vidimus, aut legimus Pontifices alio modo concessisse indulgētias: ergo signū est hoc esse de substantia indulgentiæ, vt sic dicam. Ratione confirmatur, quia de necessitate indulgentiæ est, vt ex aliqua iusta causa concedatur: nō potest autem intercedere iusta causa respectu eius cui conceditur indulgentia, nisi per B aliquod pium opus ipse concurrat ad indulgentiæ effectum: ergo. Confirmatur, ac declaratur ex differentia inter indulgentiam & sacramentum: nam per vtrunque medium applicatur suo modo fructus passionis Christi: in sacramētis autem requiritur saltem susceptio sacramenti ex parte eius, cui est applicādus effectus, quæ receptio sacramenti est de se quoddam pium opus, & quædam bona dispositio eius, cui talis effectus cōferendus est: & ideò, per se loquendo, non est necessaria alia dispositio ad talē effectum, præter eā, quæ ad illam receptionem sacramenti necessaria est. At verò indulgentia non consistit in receptione aliqua seu passione, vel actione intrinseca, sed in absolutione, quæ fit ab eo, qui potestatem habet: ergo C necessario postulat aliquam dispositionem intrinsecam (vt loquimur) recipientis. Tandem confirmatur, quia alioqui posset Pontifex pro suo arbitrio cuicumque homini remittere omnem pœnam illo nihil cooperante, vel etiam nihil de illo beneficio sciente, aut cogitante.

---

## *Non esse de necessitate indulgentiæ, vt sub conditione alicuius pij operis concedatur. Conclusio prima.*

3. Tria requiruntur ad indulgentiam.

NIHILOMINVS dicendum primò est, non esse simpliciter & absolutè de necessitate indulgentiæ, vt concedatur sub conditione alicuius operis faciendi ad effectum indulgētię consequendum. Declaratur primò ex generali dogmate à Theologis recepto, tria esse necessaria, ac sufficere ad valorem & fructum indulgentiæ, scilicet potestatem in concedente, gratiam in recipiente, & pietatem, seu proportionem in causa, sed hæc tria possunt perfectè concurrere absque nouo opere, quod exigatur ab eo, cui indulgentia conceditur: ergo. Minor quoad duas priores partes per se nota est: quoad vltimā verò declaratur, quia multiplex ratio sufficiens ad indulgentiam concedendam intelligi facilè potest, sine interuentu noui operis ex parte hominis lucrantis fructū indulgentiæ. Potest enim in primis indulgentia dari per modum gratitudinis propter obsequia Ecclesiæ exhibita, in quibus potest esse sufficiens ratio ad talem remissionem absolutè faciendam sine impositione noui operis. Hoc enim non repugnat ex parte talis causæ piæ, quia possunt illa obsequia esse multa, & grauissima, quæ superent alia pia opera, quæ communiter postulari solent in indulgentiis. Neque etiā repugnat ex parte effectus indulgentiæ: nam remissio pœnæ temporalis non requirit ex se actualem, vel internam dispositionem in recipiente, præter statum gratiæ, imò nec cognitionem, aut specialem voluntatem: nam sacrificium Missæ oblatum pro alio, remittit illi temporalē pœnam, si obicem peccati mortalis non inueniat, sine alia dispositione actuali ex parte illius. Idemque fit in applicatione suffragiorum vnius hominis pro alio: nam illo etiam nihil cogitante, aut volēte, satisfactio vnius pro altero oblata operatur in eo remissionem temporalis pœnæ. Cur ergo non idem fiet per indulgentias, si alioqui sufficiens causa subsit, vt per modum cuiusdam gratitudinis talis remissio fiat?

Potest præterea indulgentia concedi per modum 4.
medicinæ, quia nimirum is, cui conceditur, illa indiget, vt in spem erigatur, vel vt feruentiùs excitetur ad Deo seruiendum: sicut Paulus 2. ad Cor. 2. ait, con- 2. Cor. 2.
donandum esse alicui, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. In hoc autem indulgentiæ genere etiam potest interuenire sufficiens causa, seu ratio remissionis absque nouo opere iniuncto, vt per se notum videtur. Rursus potest indulgentia concedi per modum cuiusdam liberalis donationis ex rationabili causa, vel occasione factæ, absque alio onere impositio, vt solent Principes in die coronationis suæ thesauros effundere, aut debita remittere: & iudices etiam seculares solent in die Natalis Domini, v. g. ob festi celebritatem, vinctos aliquos è carcere liberare: simili ergo modo posset Pontifex, vel in die coronationis suæ, vel in alia simili occasione, aut solemnitate indulgentiam aliquam liberaliter concedere, nullum nouum opus iniungendo. Et ferè ad hunc modum Episcopi benedicendo, cōcedere solent quadraginta annos indulgentiæ his, qui præsentes adsunt, & summus Pontifex in aliquibus festiuitatibus solēnioribus, & præsertim feria quinta in Cœna Domini solet sua benedictione præsentibus concedere plenariam indulgentiam. Tandem potest indulgentia liberaliter concedi alicui propter intercessionem, seu impetrationem alterius iusti, seu de Ecclesia bene meriti: ad eum modum, quo in superioribus ex Tertulliano, & Cypriano referebamus, vsitatum fuisse in primitiua Ecclesia remittere pœnas lapsis propter martyrum intercessionem: nā hoc etiam spectat ad quoddā gratitudinis & vrbanitatis genus; Possuntque hæc omnia confirmari à simili ex aliis modis, seu generibus dispensationum, seu distributionum bonorum communium. Nam dispensatio, v. g. in voto, si medicinalis sit, absolutè concedi potest ob fragilitatē eius, cui datur, sine alia conditione, vel impositione. Item publicus the- D saurus, aut bona communia, quando gratitudinis ratio id postulat, rectè dispēsantur aliquibus, nullo speciali onere eis impositio: sicque Pontifex sæpe concedit alicui partem aliquam ex redditibus Ecclesiasticis propter officia priùs exhibita, nullum nouum onus ipsi iniungendo. Ad hunc ergo modum, seruata proportione, potest indulgentiarum dispensatio iustè fieri, absque noui operis impositione.

---

## *Iniunctionem pij operis interdum esse necessariam ad indulgentiæ valorem. Conclusio secunda.*

Posse interuenire causam piā absque nouo opere ex parte lucrantis indulgentiā, variis demōstratur exēplis.

SEcundò dicendum est, iniunctionem alicuius pij E operis interdum esse necessariam, vt indulgentia concedi valeat, nimirum quando causa indulgentiæ talis est, vt sine interuentu talis operis, vel non sit sufficiens, vel non possit conuenienter ad finem indulgentiæ applicari. Declaratur supponendo requiri ad indulgentiam ex parte finis aliquā piam causam proportionatam, vt infrà dicemus: hæc ergo causa aliquando supponitur in re iam existens, tamen sæpe contingere potest, vt causa, quæ supponitur, per se non

5. Assertio sua detur argumētisque in principio sect. positis satisfit.

non sufficiat, vt indulgentia simpliciter concedatur, satis sit autem vt detur sub conditione talis, vel talis operis. Sicut causa, quæ interdum affertur ad dispensandum in voto, aliquando potest esse insufficiens ad absolutam dispensationem, sufficere autem ad tollendum votum sub tali, vel tali onere. Sic igitur dicimus, iniungere aliquod opus pium interdum esse posse necessarium, quia sine illo causa indulgentiæ non esset sufficiens. Aliquando verò contingit fidem indulgentiæ pẽdere in futurum, vt quando conceditur indulgentia ad obtinendum à Deo aliquod beneficium, & tunc ferè semper est necessarium aliquod pium opus, vt talis indulgentia possit ad huiusmodi finem applicari: non enim potest indulgentia esse vtilis ad impetrandum à Deo tale beneficium, nisi ipsi fideles ratione indulgentiæ aliquam orationem fundant, vel aliquod pium opus faciant, quo Deũ excitent ad id præstandum. Vnde, quia frequentiùs conceduntur indulgentiæ propter huiusmodi fines, & quia etiam hic modus concedendi indulgentiam, exigendo aliquod pium opus, securior est, & hdelibus vtilior, ideò regulariter à Pontificibus obseruatur. Per quod responsum est rationibus dubitandi priùs positis.

6. Opus iniunctum per se nõ est dispositio lucrantis indulgẽtiam.

Ex dictis tamẽ intelligere licet, huiusmodi opus non requiri per modum dispositionis necessariæ ex parte subiecti ac effectũ indulgentiæ, quia talis effectus, vt dixi, non requirit specialem dispositionem in recipiente præter statum gratiæ, & culpæ remissionem: si ergo aliquãdo necessarium est tale opus, id potiùs est ex parte causæ finalis, cuius gratia conceditur, vt satis declaratum est. Vel certè, si tale opus dici potest aliquo modo dispositio necessaria ad effectum indulgẽtiæ, id solùm est ex voluntate & intentione concedẽtis indulgentiam, quæ non est necessitas simpliciter, neque ex natura rei, sed ex impositione concedentis indulgentiam, quæ solùm habet locum, quando in ipsamet concessione talis conditio exprimitur: de quo necessitatis genere dicendum supereſt.

## SECTIO V.

### *An, & quomodo præstandum sit opus expressum in forma indulgentiæ, vt fructus obtineatur.*

1. Regula generalis.

REGVLA generalis est, quoties indulgentia conceditur sub tali forma, vt certũ aliquod opus requirat, neminem lucrari indulgentiã, nisi tale opus exequatur. Quod adeò verum est, vt licèt per impotentiam, vel naturalẽ obliuionem, vel quãlibet aliam causam, quantumuis inuoluntariam, opus omittatur, effectus indulgentiæ impediatur, nisi in ipsamet concessione talis exceptio declaretur, & sub alia forma, seu conditione idem indulgentiæ effectus personis impeditis tribuatur. Hæc est communis doctrina, in 4. dist. 20. vbi specialiter Bonauent. p. 2. art. 1. q. 4. in fin. D. Th. Quodlibet. 2. art. 16. Ratio est, quia indulgentia non ampliùs valet, quàm sonat, quia solùm operatur iuxta voluntatẽ concedentis expressam per formam: illa autẽ concessio ex vi formæ conditionata est, & ideo, non impleta conditione, nihil operatur, quia conditionalis, non impleta cõditione, nihil ponit inesse. Et confirmari hoc potest à simili, ex omni alio effectu gratiæ, qui ex opere operato sub conditione alicuius operis promittatur: quia nisi tale opus fiat, effectus ex opere operato non obtinebitur, vt patet in sacramentis, Sacrificio, & si aliquid aliud est huiusmodi, vel proportionale, quale creditur esse martyrium: Idem ergo erit in indulgentiis: nam fundamentalis ratio eadem est in omnibus, nimirum promissionem, seu

Bonau. D. Thom.

A conceſſionem esse conditionatam.

2. Obiect.

Dices, in sacramentis interdum sufficit voluntas faciendi tale opus, seu recipiendi tale sacramentum ad illius effectum comparandum, quãdo opus ipsum propter impotentiam, aut necessitatem omittitur, quia tunc voluntas apud Deum pro facto reputatur: hac enim de causa per Baptismum in voto remittitur aliquando peccatum originale: ergo in præsenti sufficiet propositum faciendi tale opus, saltem quando deest potestas illud exequendi. Respondetur negando assumptum, nisi quando in ipsa concessione, aut institutione id exprimitur, aut ex ipsa natura subintelligitur. Itaque proprius, & positiuus effectus sacramentalis nunquàm datur, nisi sacramentum in re ipsa suscipiatur: quia neque impletur conditio, neque sufficienter applicatur propria causa talis effectus: sed datur aliqua gratia, vel remissio peccati proportionata dispositioni, vel merito operantis, vt in præcedenti tom. latiùs explicatum est. Sic igitur in præsenti dicimus per solam voluntatem implendi opus ad indulgentiam requisitum posse obtineri aliquam remissionem pœnæ temporalis, quatenus hic effectus generalis est, & ex opere operantis, si voluntas illa habeat omnes conditiones ad propriam satisfactionem requisitas. Id verò satis non est ad proprium effectum indulgentiæ, qui ex opere operato confertur, nisi hoc ipsum in ipsa concessione declaretur: nam ex sola rei natura hoc colligi non potest, sed ex voluntate concedentis pendet, quam necesse est verbis sufficienter explicari. Neque in huiusmodi rebus verum est, volũtatem pro facto reputari, cùm conditio postulata nõ sit sola voluntas, sed reuerà opus ipsum, solumque in ratione meriti, & in ordine ad præmium essentiale habet verum illud axioma: quia tota ratio meriti, totusq; valor eius in sola voluntate positus est.

Probatur.

3. An qui partem iniuncti operis implet, aliquid indulgentiæ cõsequatur.

Quæri verò hoc loco potest, an is, qui partem iniuncti operis implet, aliquid de indulgentia consequatur, secundùm aliquam proportionem: vt v. g. si ieiunanti tres dies in hebdomada datur plenaria indulgentia, & aliquis vna tantùm die ieiunet, an saltẽ consequatur remissionem tertiæ partis peccatorum. Videtur enim ita asserendum: nam ea proportione, qua quispiam exequitur opus iniunctum, debet fructum indulgentiæ comparare. Nihilominùs dicendũ est, nisi hoc ipsum in indulgentiæ concessione exprimatur, id satis non esse ad aliquem fructum ratione talis indulgentiæ obtinendum. Ita docuit Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 5. quem sequitur Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 4. Et ratio est, quia concessio est vnica, & quasi indiuisibilis sub tali determinata conditione, & ideò qui totum opus positum non implet, nihil consequitur, quia simpliciter non implet conditionem impositam: & ex vi illius concessionis nihil promissum est ei, qui partem implet. Sunt tamen attentè considerandæ verba concessionis: nam aliquando sunt omninò determinata ad tale opus, in tanta quantitate, vel ad plura opera copulatiuè, seu coniunctim, & tunc procedunt quæ dicta sunt. Aliquando verò præcipitur opus indeterminatè, vel sub disiũctione, oratio, v. g. aut eleemosyna: & tunc satis est aliquod ex numeratis operibus, etiam in minima quantitate, efficere. Aliquando etiã non exigitur totius operis perfectio, sed inchoatio, aut efficax propositũ, & tunc obtinebitur indulgentia, etiamsi nõ perficiatur opus, quia impletur postulata conditio, quæ omnia pendent ex forma concessionis.

Resolutio Palud. Anton.

4. Quid si ex iniũcto opere pars minima prætermittatur.

Sed quid si ex opere iniuncto pars tantùm minima prætermittatur? vt v. g. si sit iniũctum ieiunium, quod in leui materia frangatur, quæ solùm sufficeret ad venialem culpã, si contra præceptũ esset: aut, si opus iniunctum esset audire sacrum, eiusque similiter pars minima

minima omittatur? Respondeo, rē esse dubiam, ideoque vitandam, tamen existimo non impedire effectū indulgentiæ, quia in moralibus parū pro nihilo reputatur: & quia, non obstante illo leui defectu, simpliciter verum est tale opus iniunctum fieri, quandoquidem simpliciter verum est per simile opus impleri præceptum. Obseruare tamen oportet materiam hāc leuem non tantùm absolutè, sed etiam respectiuè cōsiderandam esse: nam si concedatur indulgentia recitanti quinquies orationem Dominicam, & Angelicā, & quater tantùm dicatur, profectò nō obtinebitur indulgentia: quia licèt id quod omittitur, videatur in se parua materia, tamen respectu totius operis iniuncti est magna pars. Vnde, cùm totum ipsum opus iniunctum sit onus satis leue, videtur planè in indiuisibili consistere.

Debet respectiuè considerari pars omissa.

5. Debeatne opus iniunctū esse externum. Ratio dub.

Rursus inquiri potest, an necesse sit huiusmodi opus ad indulgentiam obtinendam requisitum, esse externum, vel merè internum sufficere possit. Cùm enim Ecclesia nō iudicet de occultis, nec iurisdictionem habeat in actus merè internos, videtur necessariò tale opus debere esse externum: quia concessio indulgētię est quidam actus Ecclesiasticę iurisdictionis. Et confirmatur, quia per talem indulgentiam commutatur quodammodò sacramentalis satisfactio in tale opus: ergo, sicut sacramentales actiones debent esse sensibiles & externæ, quoad fieri possit, ita etiam prædictum opus pro indulgētia obtinenda iniunctū. Atque ita sensisse videtur Bonauentura, dicta quæst. 4. quanuis non dicat opus externum esse semper necessarium: sed *maximè concedi debere pro exteriobus actibus*: quod aliis congruentiis confirmat. Præsertim quia indulgentiæ concedi debent, vel ad gloriam & laudem Dei, & Sanctorum, vel ad publicam Ecclesiæ vtilitatem: vtrumque autem horum maximè fit in Ecclesia per actus exteriores, quales sunt eleemosynę, peregrinationes, & similia: ideoque iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem propter huiusmodi actiones, indulgentiæ concedi solent. Quæ omnia rectè probant huiusmodi opera esse maximè proportionata ad hunc effectum, non tamen probant esse simpliciter necessaria.

Bonau.

6. Dubij resolutio.

Et ideò dicendum est, posse Pontificem, si velit, concedere indulgentiam propter opus merè internū, qualis est contritio, aut oratio mentalis, seu deuotio. Probatur primò, quia ostensum est posse Pontificem concedere indulgentiam nullum opus iniungendo: ergo meliùs propter opus merè internum: quia tunc etiam possunt concurrere omnia alia necessaria ad indulgentiam: & nihil additur quod ei repugnet. Secundò, quia internum opus auget piam causam, moderaturque liberalitatem indulgentiæ: & non excedit Ecclesiæ iurisdictionem, quia Ecclesia non iudicat de tali actu, nec propriè exercet iurisdictionem in illum, sed solùm exigit illum vt conditionem necessariam ad talem effectum consequendam, quæ conditio potest esse merè interna: quia non oportet vt de illa constet apud Eccleſiam, sed apud Deum. Et confirmatur, quia hic modus indulgentiæ potest cedere in magnam fidelium vtilitatem, vt nimirum excitentur ad internos actus contritionis, aut deuotionis, quibus etiam Deus valdèglorificatur. Tertiò, quia solet esse in vsu talis indulgentiæ modus: solet enim concedi indulgentia his, qui singulis noctibus examē conscientiæ faciunt, & de peccatis dolent, eaque vitare constituunt: quæ omnia per actus merè internos fiunt. Item conceditur indulgentia ei, qui in mortis articulo corde protulerit nomen IESV, si non potuerit ore.

A B C D E

## *An necesse sit opus iniunctum in statu gratiæ exequi.*

7. Opinio affirmans. Caiet.

VLTERIVS verò inquirendum superest, an necessarium sit huiusmodi opus exequi in statu gratiæ, vt ad effectum indulgentiæ obtinendum valeat: ita enim affirmauit Caiet. in Opusc. de Indulg. ad Iulium, c. 9. & in alio Opusc. de Indulgentiis, q. vltim. quibus locis ita interpretatur indulgentiarum formā, qua dicitur, *Omnibus contritis, vel confessis, hoc, vel illud facientibus talem indulgentiam concedi*, vt contritio postuletur non tantùm ad ipsam indulgentiam, sed etiam ad opera, quæ præcedere debent. Quam opinionem aliqui iuniores sequuntur, præsertim Nauar. in Comment. de Indulgentia, notab. 19. n. 7. & sequentib. & Soto ait, fortasse esse veram, licèt opposita probabilitate non careat. Fundamentum est, quia in tantùm postulatur aliquod opus ad indulgentiā, in quantùm illud promouet piam causam, propter quam indulgentia conceditur: sed, si opus non fiat in gratia, non est aptum ad finem indulgentiæ, quia nihil valet apud Deum neque ad meritum, neque ad satisfactionem. Confirmatur, & declaratur: nam, si indulgentia simul cum opere concedatur, clarum est requiri gratiam, quia sine illa nullus datur fructus indulgentiæ, vt suprà ostensum est: si verò opus præcedit indulgētiam, ex tūc etiam præcedit meritum, quod ex parte hominis esse potest ad talem indulgentiam obtinendam: ergo necesse est vt tunc etiam opus præcedat à gratia, sine qua nihil est meriti, aut pietatis apud Deum. Tandem satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ sunt, per viua opera fuerunt comparatæ, ergo etiam per viua opera applicari debent: quia thesaurus dispensari debet propter opera illi proportionata, & ideò vitalis thesaurus propter vitalia opera dispensandus est, sicut ciuilis thesaurus per ciuilia opera dispensatur.

Nauar. Soto.

8. Opinio negans præfertur. Exponitur.

Nihilominùs dicendū est, per se loquendo, & ex vi talis operis, non esse necessariū vt in statu gratiæ fiat. Maximè locum habet assertio, quādo opus præcedit indulgentiā, vel omninò, vel ex parte: nā si cōsummetur opus, quando dandus est fructus indulgentiæ, tūc erit necessaria gratia propter fructū, nō propter opus. Item intelligenda est assertio iuxta communem formam concedendi indulgentias: non est enim dubiū, quin possit summus Pontifex postulare statum gratiæ, etiam quando opus fit, quia potest indulgentiam concedere sub tali conditione pia, prout voluerit, aut expedire censuerit: potest ergo exigere opus in statu gratiæ factum. Dicimus tamē in primis, hoc nō necessarium, quod Caiet. intendere videtur. Deinde asserimus, iuxta communem id non postulari, sed solùm vt aliquis sit in statu gratiæ eo tempore, quo applicatur indulgentia. Quæ sentētia communis est: insinuat D. Thom. quodlib. 2. art. vlt. quatenus ait, requiri ad indulgentiam, vt sit in statu gratiæ qui eam recipere vult. Clariùs hoc tenet Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 3. Antonin. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 4. & 5. Sylvest. verb. de *Indulgentia*, n. 32. referens Archidiaconum, quem etiam sequitur Summa Tabiena, & alij Summistæ. Et idem tandem docuit Soto d. 21. q. 2. art. 3. ante 2. concluſ. Eandem sententiam supponit Glossa in Extrauag. 1. de pœnit. & remiſſ. verb. *Confitebuntur*. Felinus in tract. de Indulgentiis, num. 28. qui alios refert. Fundamētum ita explicari potest, quia summus Pōtifex potest indulgentiam concedere sub conditione talis operis, abstrahēdo ab hoc quòd in gratia, vel ex gratia fiat: ergo quoties aliud expresè non declarat, ita est interpretanda concessio: sed in communi forma

D. Thom. Palud. Anton. Sylvest. Tabien. Soto. Glossa. Felin.

Probatur assertio.

ma concedendi indulgentiam, seu Iubilæum ita sit, ergo. Maior probatur, quia illo modo possunt sufficienter concurrere conditiones omnes ad indulgentiam requisitæ: scilicet, auctoritas in concedente: nam hæc nunquam deest in summo Pontifice, si cætera adsint: capacitas in recipiente, quam sufficienter habebit, si tempore, quo applicandus est thesaurus, sit in gratia: & pietas in causa, seu fine, quæ optimè subsistere potest, etiamsi, dum opus fit gratia non exigatur, vt per se notum videtur.

9. Obiectio. Solutio.

Dicetur fortasse ex glossa superiùs commemorata præter hæc requiri vtilitatem in opere, quæ vtilitas nõ inerit operi extra gratiam facto. Sed hoc immeritò dicitur, nam illa vtilitas, quæ in tali opere desiderari potest, non est quod sit meritorium, aut satisfactorium de condigno, quia ratio indulgentiæ non datur in proprio merito, vel satisfactione recipientis. Præter hæc autem, omnis alia vtilitas, quæ in pio opere desiderari potest, in opere extra gratiam facto potest inueniri: potest enim esse impetratorium apud Deum: potest item disponere hominem saltem remotè ad relinquenda vitia, & gratiam impetrandam. Sic etiã eleemosyna à peccatore facta, impetrat auxilium ad vincendum, & expellendum ipsum peccatum: & ieiunium confert ad moderandam passionem, quæ pœnitentiam, aut propositum non peccandi impedire solet, & aliæ similes vtilitates facilè considerari possunt in bonis operibus extra gratiam factis. Accedit quod suprà ostendimus, non esse de necessitate indulgentiæ, vt aliquod opus à recipiente exigatur: ergo multò minùs erit necessarium, vt petatur opus viuum, seu gratia formatũ, quia sine opere ita perfecto potest esse sufficiens causa finalis mouens Pontificem ad indulgentiam concedendam, vt ex dictis constat, & statim ampliùs explicabitur. Denique cùm hic modus concedendi indulgentias ex se non repugnet effectui eius neque aliunde sit impossibilis, neque aliquod aliud incommodum præ se ferens, temerarium esset negare, cadere sub Pontificis potestatem.

10. Imò ita esse interpretãdã communem indulgentiæ formam.

Atque hinc præterea facilè suadetur altera propositio superiùs subsumpta, nimirum, ita esse interpretandam communem formam indulgentiæ, quando aliud expressè non declaratur: tum quia indulgentia fauorabilis est, & ideò amplè est interpretanda, quantùm verba patiuntur: verba autem, quibus communiter conceditur indulgentia contritis, vel confessis, non solùm hunc sensum admittunt, vtrùm etiam aliũ in rigore non patiuntur: nam solùm requirunt confessionem vel contritionem ad effectum indulgentiæ, nõ verò ad singula opera. Tum etiam, quia alias quando in Iubilæis exiguntur plura opera, verbi gratia ieiunium, eleemosynam, & oratio simul cum confessione, postulandum consequenter esset, vt confessio fieret ante alia opera, vt illa fierent in statu gratię: hoc autem nunquàm fit: sufficit ergo vt confessio subsequatur: ergo etiam sufficit vt homo in fine præscripti temporis seu diligentiæ vltimæ, sit in statu gratiæ. Alioqui in huiusmodi Iubilæis frequenter contingeret, vt maior pars hominum, etiamsi faciãt opera omnia in Iubilæo iniuncta, & tandem in gratia constituantur, nihilominùs indulgentiæ fructum non consequantur, quia rarissimi sunt, qui sunt in statu gratiæ priusquàm confiteantur, cùm tamen priùs ieiunent, aut eleemosynas conferant, &c. Item sequeretur, neminem lucrari cum fructu indulgentias, verbi gratia per Bullam Cruciatę concessas, qui non sit in gratia quando eleemosynam confert, vt diploma recipiat, quia vnum ex operibus in primis requisitis ad illam indulgentiam consequẽdam, est illius eleemosynæ elargitio: hæc autem sunt valdè absurda, & contra communem vsum, & sensum fidelium. In quo admonendi essent Ecclesiæ Pastores si per ignorantiam errarent.

Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ iam ferè responsum est, piam causam ad indulgentiam necessariam posse esse sufficientem absque opere viuo ac formato per gratiam, falsumque est tale opus nullã vtilitatem habere apud Deum, si ex gratia sanctificãte non procedat: quia potiùs prudens, & vtilis est talis concessio, vt peccatores ad opera pietatis facienda alliciantur, quibus paulatim ad iustitiã se disponãt. Nec refert quòd satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ in thesauro reponuntur fundatæ fuerint in operibus viuis: nam inde ad summum infertur non posse communicari seu applicari nisi membris viuentibus, quanuis nondum viuerent quando opera effecerunt: nam ad hoc sæpe confertur indulgentia, vt defectum & imperfectionem hominis in hac parte suppleat: cuius exemplum habemus in sacramentis, vt enim per sacramentum applicantur viua opera, & merita Christi, non semper necessarium est vt præcedat aliquod opus viuum ex parte recipientis: idem ergo est in præsenti seruata proportione. Intercedit enim differentia, quòd per sacramentum datur interdum ipsamet vita, & gratia, & ideò ad illam applicationem, quæ per sacramentum fit, non semper supponitur gratia, sed tantùm sufficiẽs dispositio ad illam: per indulgentias verò non applicatur thesaurus meritorum Christi ad gratiã ipsam conferendam, sed solùm ad quendam secundarium effectum, qui in ipso quidem subiecto gratiam prærequirit non tamen in quolibet opere, qui ad talem effectum postulatur.

11. Fundamẽto contrariæ opinionis fit satis.

## SECTIO VI.

### *An opus ad indulgentiam postulatum, honestum in indiuiduo requiratur.*

PARS affirmans persuaderi videtur. Nam, si opus sit moraliter malum nihil potest ad vtilitatem conferre, vt per se constat. Si autem sit indifferens, in indiuiduo semper erit moraliter bonum, aut malum, iuxta probabiliorem opinionem D. Thomæ. Si autem malum sit, eadem ratione nihil conferet ad causam piam: ergo semper necessarium est vt opus bene moraliter fiat. Atque ita docuit Adrianus in quarta quæstione de Indulgentiis, concluſ. 4. quem sequitur Nauarrus in commentario de indulgentiis notab 10. numer. 6. Potestque fundamentum huius sententiæ amplius ita explicari. Nam certum in primis est, opus impositum vt conditionem necessariam ad consequendam indulgentiam, tale esse debere, vt possit bene moraliter fieri, alioqui concedens indulgentiam exigeret opus pietati repugnans quod est contrarium potestati eius, quæ non est data in destructionẽ, sed in ædificationem. Non potest ergo tale opus esse ex se moraliter, sed malum ex genere suo bonum, vel si ex proximo obiecto appareat indifferens, debet esse ordinabile, &, quantùm est ex parte concedentis, ordinatum in fine honestum. Vnde fit tale opus in indiuiduo semper esse moraliter bonum, nisi per accidens, & ab extrinseco ei adiungatur malitia ex praua aliqua circunstantia, vel intentione operantis. Ergo, quòd requiratur integra bonitas operis, satis profectò est verisimile, tum propter relationes priori loco factas, tum etiam quia ad lucrandam indulgentiam necesse est facere tale opus ex intentione lucrandi indulgentiam, quæ intentio bona semper est: ergo necesse est, vt opus ipsum sit bonum, non solùm ex se, vel ex intentione remota & præcipientis, sed etiam ex proxima intentione ipsius operantis: ergo non potest aliunde habere malitiam, vel certè si illam

1. Opinio affirmans.

Adrian. Nauar. Opinio negans.

Opus iniunctum debet esse bonũ ex genere suo.

Rationes pro parte affirmatiua quæstionis.

habeat

habeat, excludetur intentio necessaria ad lucrandam indulgentiam. Tum deniqúe, quia si opus in indiuiduo est moraliter malum, omninò non potest esse proportionatum ad spiritualem & pium finem indulgentiæ, quia nullo modo placet Deo, à quo præcipuè expectanda est vtilitas talis operis in ordine ad finem indulgentiæ: nam illa vtilitas, quæ specialiter inuenitur si subsidio eleemosynæ ratione rei donatæ valde materialis, seu temporalis est, quæ per se sola nec est proportionata, nec sufficit vt propter illã indulgẽtia concedatur: alioqui spiritualis gratia propter temporale subsidium principaliter concederetur, quod speciem quandam simoniæ præ se fert: igitur, quando indulgentia conceditur dantibus elemosynam, vel aliquid in auxilium belli, &c. non conceditur principaliter propter temporale subsidium, sed propter bonitatem talis operis: ergo, oblata bonitate per quancumque circunstantiam prauam, non expletur conditio necessaria ad indulgentiam.

2. Nihilominùs contrariam sententiam probabiliorem existimo, quæ eodem modo fundanda est, quo sententiam aliam in sectione præcedente fundauimus. Quia nimirum non repugnat Pontificem solum designare, vt conditionem necessariam ad cõsequendam indulgentiam opus ex genere suo bonum, non exigendo omnes circunstantias necessarias ad bonitatem moralem actus in indiuiduo. Quod patet, tum exemplo posito de præcepto, tum etiam, quia ille finis præcisè sumptus, est bonus, & sufficiens vt proximè moueat dispensatorem thesauri etiam prudenter operantem: quia, licèt positiuè non requirat omnes illas circunstantias, illas tamen non excludit, quin potiùs, quantùm est ex se, ad illas inuitat, potest tamen eas non exigere, ne nimis difficilem & lubricam reddat indulgentiam, vel consequutionem fructus eius. Eò vel maximè, quòd eius intentio non sistit in illo opere, sed ad alium altiorem frequentiùs tendit, vt ad pacem Christianæ reipublicæ, & consequenter ad spiritualem fructum Ecclesiæ, ad quos fines potest conferre opus ex genere suo bonum, etiamsi nonomninò bene fiat: vel quia, licèt in vno vel alio indiuiduo non bene fiat, in multis erit simpliciter bonum: vel quia, non obstante accidentario defectu ex parte operãtis, ipsum bonum opus secundùm bonitatẽ, quam ex genere habet, placet Deo, soletque ab illo præmium aliquod impetrare, sicut de virtutibus Gẽtilium Romanorum dixit Augustinus libro 5. de Ciuitate, capit. 12. & 15. quod multò maiori ratione locum habebit in operibus aliquo modo ex fide factis, & quodammodò nomine Ecclesiæ, quatenùs fiunt iuxta intentionem Pontificis concedentis indulgẽtiam. Vel denique quia ex tali opere aliquid permanet, quod per se confert ad Ecclesiæ bonum, vt verbi gratia quia ædificatum est templum, parta est victoria, aut congregata est pecunia ad stipendia militum, & similia, quę licèt materialiter sumpta, videantur esse temporalia, tamen relata ad diuinum cultum, & spiritualem fructum Ecclesiæ, sunt spiritualia. Et ideò nulla est inordinatio quòd ex eorum intentione concedatur indulgentia, vt rectè notauit D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. artic. 3. & ibid. Richard. art. 3. Qui aiunt, licèt concedatur indulgentia propter temporale subsidium, nõ esse simoniam, quia non conceditur propter illud, vt temporale quid est, sed vt est aliquo modo spirituale. Et in idem redit quod alij dicunt, non dari propter illud, vt propter pretium, sed propter pietatem, quam ex se continet; & vt animentur fideles ad talia pietatis opera, vt respondet Bonau. dict. quæst. 4. & Adrianus suprà, & quodlib. 9. Per hoc enim non excluditur, quin possit etiam licitè intendi à summo Pontifice concedente indulgentias, illa temporalis vtilitas, quæ ex tali eleemosyna prouenit, habendi, scilicet, stipendium pro militibus cùm hoc totum ordinetur ad spiritualem finem, prout D. Thomas significauit.

Non repugnare, Pontificẽ hoc modo indulgentiãcõcedere.

Augustin.

D. Thom. Rich.

Bonau. Adrian.

3. Suppositа autem potestate concedendi indulgentias hoc modo, quoties in ipsa concessione nihil aliud declaratur, sed tantùm opus ipsum ex suo genere bonum postulatur, ita est interpretanda illa conditio: quia verba ipsa nihil ampliùs requirunt, & cùm concessio fauorabilis sit, amplè est interpretanda, nec debemus adiungere onus, quod dispensator non explicauit. Neque enim repugnat tale opus fieri intentione sufficiente ad lucrandam indulgentiam, & nihilominùs admisceri tali operi circunstantiam aliquam moraliter malam, vt si quis oret animo lucrandi indulgentiam, seu petendi & impetrandi quod Pontifex intendit, & nihilominus irreuerentiam aliquam, vel distractionem admittat: ratione cuius oratio peccaminosè fiat saltem venialiter. Item si cum intentione illa habeat aliam peccaminosam, vt inanem gloriam & ostentationem, quæ non solùm concomitanter se habeat, sed etiam influat in actum, ita vt communicet illi malitiam, non enim necessariò excludit alteram intentionem, & consequenter non impedit, quominùs conditio requisita ad indulgentiam humano modo & cum sufficienti voluntate impleatur: ergo sufficit tale opus sic factum ad lucrandam indulgentiam. Et confirmatur primò, quia præceptum impletur per opus ex suo genere bonum, etiãsi malè fiat, vt contra Adrianum suppono ex materia de legibus, & in superioribus tactum est, sæpe ergo etiam poterit sufficere pro indulgentia. Patet consequentia, quia sicut indulgentia ordinatur ad causam piam, ita & præceptũ maximè Ecclesiasticum refertur ad pietatem, & bonos mores componendos: & sicut hic finis satis intenditur, præcipiendo actum ex suo genere bonum, ita etiam exigitur sufficienter ad finem indulgentiæ.

4. Confirmatur secundò, quia, quando tale opus est publicum, & successiuè per magnam moram perficitur, vt est concio, &c. difficile est in discursu eius non misceri aliquas huiusmodi circunstantias, quæ maculent bonitatem eius: ergo non est credibile Pontificem exigere in homine tam exactam rectitudinem. Ait verò Nauarrus suprà, quando vna pars talis operis malè fit, & altera benè, tunc valere quidem ad indulgentiam obtinendam, non tamen totam, sed secundùm aliquam partem proportionatam. Hoc tamen non dicitur consequenter, quia si opus bonum ex genere, & malum ex circunstantia, non sufficit ad indulgentiam, illa pars operis, quæ malè fit, non plus confert ad indulgentiam, quam si non fieret: at verò qui non facit integrè opus iniunctum, licèt partem faciat, nihil de indulgentia consequitur, vt suprà dictum est, & ipse Nauarrus ibidem admittit: ergo, si in prædicto casu quis non lucratur indulgentiam integram, nec partem obtinebit. Quod si hoc nimis rigorosum est, & vltra communem modum operandi hominum, dicendum profecto est, opus, ex suo genere bonum satis esse ad lucrandam indulgentiam. Quod etiam sentit Cordub. q. 25.

Nauarri distinctio impugnatur.

Cordub. 5.

Addit tamen hic auctor limitationem, scilicet, dummodò principalis intentio faciendi tale opus, sit lucrari indulgentiam, & non alius finis extraneus: nam tunc putat non obtineri indulgentiam, non solùm si ille extraneus finis malus sit, sed etiam si sit indifferens, vt si eat (inquit) Romam, præcipuè ob recreationem, vel videndos amicos, vel assequendum aliquod commodum. Explicat autem tunc esse hunc finem principaliter intentum, quando illo non existente opus non fieret. Sed in primis hæc conditionalis nobis incerta est, nec de illa iudicare possumus, nisi operans in præsenti habeat expressè hoc propositum,

Quæ intẽtio requiratur

in opere ad indulgentiã lucrandam.

situm, quod hoc opus non faceret, nisi alius finis concurreret. Deinde asserо, dummodò quis in præsenti habeat intentionem formalem aut virtualem lucrandi indulgentiam, id satis esse, vt opus ad eum fidem valeat, siue illa intentio principalis sit, siue non, & quanuis illa conditionalis per expressum propositum concipiatur: quia hic conditionalis nihil ponit in esse, neque excludit in præsenti absolutam voluntatem lucrandi indulgentiam per tale opus, quod satis est, vt moraliter impleatur conditio ad indulgentiã postulata, in qua non dicitur vt sit principaliter, aut in solidum intenta: neque est à nobis addendum sine maiori fundamento.

6. An necesse sit opus indulgentiæ procedere ex gratia.

Atque ex his etiam obiter constat an necessarium sit huiusmodi opus, propter quod indulgentia conceditur, procedere ex gratia saltem auxiliante, & an oporteat esse meritorium, satisfactorium, vel imperatorium. Dicendum est enim, non esse necessarium vt tale opus in se ac formaliter supernaturale sit: quia hoc non semper postulatur, vt conditio necessaria ad indulgentiam. Vnde fit non esse necessarium vt in se etiam ac immediatè ab auxilio gratiæ procedat, quia hoc solùm est necessarium ad opus supernaturale, loquendo per se, ac regulariter, & de vno singulari opere, vt nunc loquimur. Quia verò huiusmodi opus fieri debet ad lucrandam indulgentiam, quod non fit sine aliquo dictamine, & voluntate à fide procedente, ideò saltem imperatiuè, & remotè necessarium est aliquod auxilium gratiæ ad tale opus exequendum modo accommodato ad indulgentiam lucrandam. Propria autem ratio meriti, aut satisfactionis de condigno necessaria non est in tali opere, vt ex dictis in hoc, & præcedenti dubio satis constat. Aliqua verò congruitas, quæ fundetur saltem in bonitate, quam opus habet ex suo genere, coniuncta cum intentione lucrandi indulgentiam, & operandi ad complendam Põtificis intentionẽ: hæc, inquã, congruitas necessaria est, in qua potest aliqualis impetratio apud Deũ fũdari.

## SECTIO VII.

### *Vtrùm inter viuentes possit indulgentia ab vno, per opus ab alio factum, comparari.*

1. Rationes dubitandi pro vtraq; parte.

MVLTA in hoc titulo includuntur, scilicet, an sufficiat opus iniunctum per alium exerceri, vt aliquis fructum indulgentiæ lucretur, & è conuerso, an possit vnus pro alio indulgentiam lucrari, opus iniunctum pro illo faciendo: ac denique, an possit aliquis indulgentiam sibi concessam alteri condonare, illi etiam committendo vt opus iniunctum efficiat. Videntur enim hæc omnia rectè posse fieri, per vnionem charitatis quæ est inter fideles, ratione cuius potest vnus pro alio satisfacere, & sua opera inter se communicare: nam in illis omnibus quæ proposita sunt, tantùm videtur intercedere quædam operum communicatio in ordine ad satisfactionem, seu cõsequutionem remissionis pœnæ temporalis. In contrarium verò est, quia indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant: & ideò, si opus iniunctum est tanquàm proprium onus personale, non poterit per alium impleri. Eadémque ratione, si indulgẽtia conceditur in proprium fauorem alicuius personæ, non poterit alteri prodesse.

2. Num ad indulgentiam lucrandam, satisfit opus per aliũ ministerialiter exequi.

Aduertendum est duobus modis posse opus aliquod per alium fieri: vno modo tanquàm per instrumentum quod nomine alterius operatur vel ministerialiter exequitur opus, quod ab alio principaliter fit, quomodo aliquis dat eleemosynam per famulum

A nam, licèt famulus sit qui immediatè præbet pecuniam, tamen dominus est qui principaliter facit eleemosynam, quia de bonis eius, & iussu fit. Et de hoc modo operandi per alium certissimum est, quoties eleemosyna vel aliud simile opus simpliciter iniũgitur, sufficienter fieri per aliũ prædicto modo, cùm ille modus operandi etiam ad propriam satisfactionem, & ad præceptum implendum sufficiat. Ratio verò est, quia tale opus simpliciter & absolutè est ipsius domini, famuli autem nonnisi secundùm quid & materialiter. Propter quod ex sententia omnium: quos statim commemorabimus, nihil refert quòd huiusmodi famulus sit in gratia, vel in peccato, aut quòd hac vel illa intentione operetur: quia in eo non attenditur nisi ipsa executio, quæ est quasi actio exterior domini præcipientis. Quod autem dicimus de famulo & hæro, intelligendum est de quocunque

B procuratore, vel amico operante hoc modo nomine alterius: nam militat eadem ratio. Vnde, si quispiam coget amicum suum vt pro se eleemosynam faciat tãquàm suam, sufficere poterit ad indulgentiam: quia ibi virtute interuenit duplex donatio, prior est vnius amici donantis alteri tantùm pecuniam, vt ex ea eleemosynam faciat, posterior est elargitio, quæ pauperi fit nomine eius. Hic autem operandi modus per alium, non habet locum in omnibus studiosis operibus, sed solùm in illis, quæ versantur circa extrinsecam materiam, vt sic dicam, seu circa elargitiones pecuniæ, vel aliarum rerum æquiualentium, non verò circa actiones merè personales, vt sunt ieiunium, orationes, & aliæ similes. Denique, licèt priores actiones

C possint per alios executioni mandari, non est tamen dubium quin dispensator indulgentiæ possit aliquando si velit exigere, vt conditionem necessariam ad lucrandam indulgentiam eleemosynam, quæ per propriam & personalem actionem, ac veluti propriis manibus conferatur: sicut etiam posset exigere opus misericordiæ personaliter exercendum, vt visitare infirmum, &c. nam hæc opera per propriam actionem personalem facta promouent pietatem & augere possunt meritum, & satisfactionem, & ideò non excludunt quin possint ad indulgentiam lucrandam tali modo requiri: tamẽ, nisi id exprimatur (quod rarò fit) eleemosyna simpliciter iniuncta, sufficienter priori modo impletur.

Nisi aliud expressè in eius forma exigatur.

3. An actio ab vno principaliter acta possit alteri prodesse ad indulgentiã.

Alio verò modo contingit actionem aliquam pietatis fieri per alium, tanquàm per propriam causam

D proximam ipsius operis, quanquam alteriùs rogatu, vel incommodum eius id faciat: quomodo potest vnus per alium vel pro alio ieiunare, aut orare, aut tẽplum visitare, &c. Et in hoc modo operandi attendendus est tenor indulgentiæ: quoties enim tale opus simpliciter iniungitur tanquam conditio necessaria ad indulgentiam lucrandam, necesse est vt personaliter impleatur ab eo, qui lucraturus est indulgentiam per seipsum, quia tale opus simpliciter loquendo non fit ab aliquo, quando per alium fit, talis verò indulgentia requirit, vt ab ipso lucrante fiat. Secus verò erit, si tenor ipsius indulgentiæ solùm postulet visitare Ecclesiam, & similia, per se, vel per alium: nam tunc certum est sufficere opus per alium factum, quia sufficienter expletur conditio ad indulgentiam

E postulata vt rectè docuit D. Thom. in 4. d. 20. qu. 2. art. 5. q. 3. ad 2. Qui etiam aduertit in eo casu, eum qui loco alterius operatur, non donare indulgentiam ei, pro quo operatur, sed Pontificem illam applicare, posita tali conditione per actionem alterius. D. Thom.

4. An quando ex forma in

Hic verò statim occurrit dubium, an oporteat huiusmodi operantem esse in gratia, aut bene moraliter operari: nam de hoc potest esse maior ratio dubitandi, quam de ministro, quia hic est principalis

dulgentiæ ſufficit opus per aliũ exequi, operans debeat facere in gratia aut ex gratia. Caiet. Adrian. Soto.

operans. Atque ita ſentit Caiet. in dict. Opuſcul. de Indulgentiis, q. vlt. ad 2. Oppoſitum tamen ſentiunt Adrian. & Soto locis ſuperius citatis, ac meritò. Dicendum ergo eſt, neceſſarium non eſſe vt ſit in gratia, etiam ſi fructus indulgentiæ ſtatim conferendus ſit, quia gratia in illo non eſt neceſſaria vt principium vel forma talis operis, quia non eſt neceſſe vt tale opus ſit meritorium: neque etiam eſt neceſſaria vt diſpoſitio auferens obicem, quia fructus illius indulgentiæ non eſt conferendus ei, qui operatur, ſed alteri cuius vice operatur: & ideò ſolùm in illo altero neceſſaria eſt gratiæ diſpoſitio pro eo tempore quo applicandus eſt fructus indulgentiæ. Neque etiam eſt neceſſarium vt illud opus in indiuiduo ſit bonum ſimpliciter, prout fit à tali operante: nam, ſi hoc neceſſarium non eſt in eo, qui per ſeipſum, & propter ſeipſum operatur, vt oſtendimus, multò minùs erit neceſſarium in eo, qui vice alterius operatur. Solùm ergo neceſſe eſt vt opus ſit ex ſuo genere bonum, & quale exigitur ex vi indulgentiæ, & quod fiat aliquo modo ex voluntate ſeu petitione eius qui lucraturus eſt indulgentiam, alioqui neque ille dici poſſet per alium operari, ex intentione obtinendi indulgentiam, per neceſſaria media.

Non ſufficit ad indulgẽtiam vtvnus pro alio op⁹ faciat illo in ſcio.

5. Quapropter non omninò probo quod Soto ait, ad lucrandas indulgentias per Bullam Cruciatæ conceſſas danti talem eleemoſynam, ſatis eſſe vt vnus: ſponte ſua talem eleemoſynam pro altero det, & pro illo Bullam accipiat, etiam alio nihil ſciente. Hoc (inquam) abſolutè non placet, quia ille, qui ſic dat eleemoſynam, non lucratur ipſe indulgentiam, quam alteri applicat, ſed tantùm exequitur opus neceſſarium, vt alter à Pontifice obtineat indulgentiam: ad hoc autem neceſſe eſt vt alter cõcurrat aliquo modo, vel ſaltem conſentiat, & ideò donec illi innoteſcat tale factũ alterius, & illud acceptet, velitque diplomate vti ad indulgentias obtinendas, earum fructum non conſequetur. Quòd ſi aliqua indulgentia obtineatur, per ipſammet acceptionem bullæ, exiſtimo ſatis eſſe ratihabitionem poſt eà ſubſequutam, vt bene notauit Corduba quæſt. 26. in fine: quia *ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*, iuxta iuris regulas. Et fortaſſe Soto nihil aliud voluit. Atque hoc etiam confirmat vſus. Illa tamen indulgentia ſeu fructus eius non comparabitur, vſque ad tempus ratihabitionis, propter rationem factam.

Cordub.

6. Poſsitne aliquis alteri indulgentiã lucrari.

Ex his ergo ſufficienter reſponſum eſt ad primam interrogationem ſuperiùs poſitam, & ex illius reſolutione facilè expediuntur reliqua, aduertendo aliud eſſe facere opus loco alterius, vt ille immediatè lucretur indulgentiam, quod hactenus tractauimus: aliud verò eſſe operari pro alio ad lucrandam illi indulgentiam, id eſt, vt ipſe operans eam lucretur, non ſibi, ſed alteri, cui illam ſua voluntate applicat: & de hoc modo procedit ſecunda interrogatio, quæ habet eandem reſolutionem, nimirum attendendam eſſe formam indulgentiæ, vt rectè docuit D. Thom. ſuprà, & diſt. 45. q. 2. art. 3. quæſt. 2. Nam, ſi forma indulgentiæ tantùm ſit, vt faciens hoc vel illud tantam remiſſionem conſequatur, tunc non poteſt indulgentia alteri applicari, quia indulgentia nõ plus operatur, quàm ſonat. Vnde, ſicut non extenditur vltra quantitatem expreſſè conceſſam, ita neque vltrà perſonas expreſſas. Item, quia requirit talem conditionem in eo, qui conſequuturus eſt effectum, quæ conditio in alio non inuenitur. Denique, quia effectus ex opere operato conceſſus in fauorem eius, qui tale opus perficit, nunquàm poteſt ex illius voluntate alteri applicari, niſi hoc ipſum in conceſſione exprimatur, quia eſt quaſi priuilegium perſonale, vt patet etiam in effectibus ſacramentorum. At verò, ſi ipſa forma & tenore indulgentiæ exprimatur, vt ſic operans poſſit talem fructum vel ſibi, vel alteri obtinere, tunc non eſt dubium, quin poſſit vnus pro altero operari ad lucrandam illam indulgentiam, quia in ſummo Pontifice non deeſt poteſtas, voluntas autem ſufficienter declarata eſt, vt ſuppono. Item quia hoc modo conceditur viuis vt poſſint lucrari indulgentias pro defunctis, appellaturque per modum ſuffragij, vt tractabimus diſputatione ſeq. ergo à fortiori concedi poteſt inter viuentes, nam inter eos facilior eſt communicatio operum & ſatisfactionum.

D. Thom.

Eſt autem notanda differentia inter hunc modum, & priorem: nam in hoc poſteriori neceſſarium non eſt, vt is, qui operatur ad lucrandam indulgentiam alteri, ab eo remoueatur, aut inducatur aliquo modo ad operandum, quia non operatur tanquam gerens vices illius, ſed tanquàm principaliter & ſua ſponte operans, & donans alteri fructum, quem ſibi fortaſſe poſſet retinere. Vnde nec ſcientia, aut conſenſus requiritur ex parte eius, cui offertur indulgẽtiæ fructus, quia non tam actiuè, quàm paſſiuè ſe habet: ſicut ſe habet anima Purgatorij, pro qua alius indulgentiam lucratur. Et ideò hîc maius dubium habet, an neceſſarium ſit huiuſmodi hominem lucrantem indulgentiam alteri, eſſe in ſtatu gratiæ: de quo dicemus commodiùs diſp. ſeq. Quamuis autem poſſit vnus hoc modo lucrari indulgentiam alteri, efficiendo opus ad indulgentiam neceſſarium, nunquàm tamen poteſt vnus donare alteri indulgentiam, committendo illi opus ad indulgentiam neceſſarium: nam ſi hoc in forma indulgentiæ non eſt expreſſum, clarum eſt non poſſe fieri, vt à fortiori conſtat ex dictis. Si autem illud eſt expreſſum in forma, iam non vnus concedit alteri indulgentiam vel pro eo illam lucratur, ſed Põtifex vtrique illorum eam concedit, ſi talem pietatis actum operetur. Fieri tamen poteſt vt non æquè primò vtrique illam concedat, ſed alteri eorum primò, & per ſe, alteri verò per communicationem alterius, ſeu dependenter ab eius voluntate, vel in defectum illius: nam hoc totum pendet ex voluntate concedentis, & poteſt habere iuſtam & rationabilem cauſam.

7. Poteſt quis alteri indulgentiam lucrari illo inſcio.

An poſsit quis alteri indulgentiã donare.

## SECTIO VIII.

### *Vtrùm omnes facientes opus ad indulgentiam requiſitum ſtatim, & æqualiter fructum eius conſequantur.*

1. Ratio proaffirmatiua parte.

RATIO dubitandi eſt, quia voluntas concedentis indulgentiam ſub conditione talis operis, licèt conditionata ſit, tamen expleta conditione, tranſit in abſolutam, eſtque omninò efficax, quia ex ſufficiente poteſtate procedit: ergo operatur totum, quod per talem conceſſionem promiſſum ſeu declaratũ eſt. Atq; hinc vlteriùs ſequitur omnes, qui opus illud ſufficienter perficiunt æqualẽ effectum indulgentię conſequi formaliter loquendo. Probatur, quia omnes conſequuntur totũ fructum, in quo non reperitur magis & minùs. Dico autem, *formaliter loquendo*, quia, ſi indulgẽtia ſit plenaria, omnes conſequuntur illam, & ita in omnibus eſt formaliter idem effectus: ſi autem in vno maior ſit reatus quàm in alio, plus ei remittitur: illa verò inæqualitas materialis eſt, & quaſi accidentaria ex parte ſubiecti. Et ſimiliter ſi indulgentia v. g. ſit centum annorum, fieri poteſt vt aliquis non habeat tantùm debitum, ac propterea in re ipſa non fiat ei tanta remiſſio: quod etiam per accidens eſt, nam indulgentia per ſe ſemper operatur totum effectum, atque adeò æqualem.

In

2. Ratio prone gratiua.

In contrarium verò est, quia fieri potest vt idem opus inæqualiter fiat à diuersis hominibus: primò, quia in vno potest esse opus vndique bonum, & non in alio; vel quia in vno potest esse mortuum, in alio verò gratia formatum; vel quia in vno potest esse grauius & onerosius, quam in alio, vt si vnus ieiunet in pane & aqua alius cõmuni modo, vel si vnus cõferat magnam eleemosynam, alter paruam, quando indulgentia non requirit quantitatem certam eleemosynæ, sed tantùm indefinitè eleemosynam. Item si opus requisitum sit v. g. visitare limina Apostolorum, quod ab vno fit per longam peregrinationem, ab alio per breuissimam, aut nullam. In his ergo & similibus casibus videtur magna inæqualitas, quòd his omnibus æqualis effectus indulgentiæ tribuatur, quia illi non sunt æqualiter dispositi, ergo non debẽt æqualem fructum accipere, quia neque sacramenta conferunt æqualem effectum ex opere operato hominibus inæqualiter dispositis: nec ratio iustitiæ distributiuę permittit, vt inæqualiter laborantibus, æqualis merces conferatur. Denique ad prudentem dispensationem thesauri pertinere videtur, vt deuotiùs operanti maior illius pars applicetur. Vnde Bonifacius VIII. in Extrauag. *Antiquorum*, de Pœnit. & remiss. vbi in anno Iubilæi cõcedit indulgentiã plenissimã omnibus visitantibus Romæ Apostolorum templa, in fine subdit hæc verba: *Vnusquisque autem plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotius frequentabit.* Atque ita sentire videntur Bonau. d. 20. q. vlt. & Adrian. in materia de indulgentiis.

Bonifac. 8.

Bonau. Adrian.

3. Dubium resoluitur & rationes partis negantis soluuntur. Maior. D. Thom.

Nihilominus prior pars formaliter loquendo, vera est, quàm efficaciter probant rationes factæ, Eamque tenuit Maior in 4. d. 20. q. 2. & significauit D. Thom. ibi d. 1. ar. 3. q. 2. ad 4. dicens, *Quod ille, qui est vicinus Ecclesiæ, & etiam sacerdotes & clerici, consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui venirent à mille dietis quia remissio non proportionatur labori, sed meritis quæ dispensantur.* Quibus verbis insinuat etiam optimam rationem, quia hoc opus, quod ad indulgentiam postulatur, considerari potest, vel ex parte causæ piæ, propter quam indulgentia conceditur, vel ex parte subiecti operantis tanquàm dispositio illius, vel secundùm se quatenus meritorium est, vel satisfactorium. Hæc tertia consideratio nihil ad præsens refert, quia remissio seu effectus indulgentiæ non innititur proprio merito, vel satisfactione operantis & ideò, inæqualitas operis in hac perfectione nihil refert ad inæqualitatem effectus indulgentiæ. Vnde quod obiiciebatur de iusta distributione, nihil ad præsens attinet, quia hæc dispensatio thesauri per indulgentias, non fit iuxta leges distributiuæ iustitiæ, sed liberalis cuiusdam donationis prudẽter factæ. Rursus nec cõsideratio secunda habet locum in præsenti, nam, vt suprà dixi, effectus indulgentiæ per se & quasi ab intrinseco nullam dispositionem requirit in recipiente, præter ablationem culpæ & statum gratiæ: & ideò maior vel minor deuotio, seu dispositio actualis per se non confert ad inęqualem effectum indulgentię: in quo est magna diuersitas inter effectum indulgentiæ, & sacramentorum. Quod si dicatur, tale opus esse dispositionẽ operantis saltem ex impositione concedentis indulgentiam, hoc etiam nihil obstat, quia si quis efficiat totum opus impositum, iam habet totam dispositionem necessariam: vnde, licèt alius plus laboris, deuotionis, aut operis adiungat, nihil confert ad maiorem effectum, quia neque illud totum iniunctum est, nec ratione illius aliquid ampliùs est promissum, & ita totum id non habet rationem dispositionis. Si verò quis non efficit totum opus iniunctum, iam non sufficienter operatur ad effectum indulgentiæ, nec pertinet ad casum, de quo disputamus.

Opus meritoriũ vel satisfactoriũ secundùm se nihil refert ad indulgentiam.

Opus ex parte operantis nil interest ad indulgentiam.

Prima ergo consideratio huius operis ex parte piæ causæ est propriè & verè necessaria, quia maximè sub ea ratione imponitur tale opus. Potest autem tale opus iniunctum esse omninò determinatum quantũ ad quantitatem & modum, & tunc considerandum est, an opus illud præcisè factum, prout in concessione postulatur, compleat sufficientem causam ad totã illam indulgentiam concedendam: & tunc qui opus illud præcisè operatur, totum effectum consequitur, quia nihil illi deest ex parte omnium causarum, neque habet aliquod impedimentum: qui autem vel aliquid ampliùs, vel illud ipsum melius aut deuotiùs operatur, non plus cõsequitur, quia totum illud quod addit extra causam indulgentiæ est: nec ratione illius aliquid ampliùs concessum est, licet fortasse concedi potuerit. Quod si fortasse tale opus præcisè sumptum non est sufficiens ad complendam causam indulgentię adæquatam, tunc fieri potest, vt aliquis perficiens tale opus, non consequatur totum indulgentiæ effectum, & consequenter vt alius maiori deuotione, aut frequentia efficiens tale opus, maiorem remissionem consequatur: ac denique, vt augendo bonitatem seu circunstantias operis, tandem obtineatur totus indulgentiæ effectus. Hæc tamen inæqualitas non prouenit præcisè ac formaliter ex inæqualitate operis, sed ex eo quòd indulgentia non habebat causam proportionatam, & adæquatam ex vi solius operis, quod in ea præcisè postulatur: nos autem loquimur supposita sufficiente causa.

4. Opus iniunctum est necessariũ in indulgentia ex parte piæ causæ.

Quòd si opus præcisè sũptũ nõ sit sufficiens ad complendam adæquatam causam indulgentię

Atque eodem modo philosophandum est, quando opus indefinitè iniungitur, v. g. aliqua eleemosyna, aut aliqua oratio: nam tunc minima eleemosyna, vel minima oratio videtur sufficere ad implendam cõditionem & formam indulgentiæ, & consequenter, ad totum, atque adeò ad æqualem effectum indulgentiæ, siue maior siue minor detur eleemosyna. Nihilominùs tamen ex parte causæ considerandum erit, an quælibet eleemosyna etiã minima sufficiat, vt causa indulgentiæ sit adæquata tali effectui: nam tunc sine dubio dabitur totus effectus indulgentiæ, quia cõditio in indulgentia postulata, sufficienter impletur, & aliæ omnes causæ ad effectum indulgentiæ necessariæ sufficienter concurrũt: ergo confertur totus effectus. Maior patet, (cætera enim clara sunt) quia illa conditio eleemosynæ indefinitè proposita per quamlibet eleemosynam, etiam minimam simpliciter & in toto rigore impletur: nam, vt aiunt Dialectici, ad veritatem indefinitæ, quælibet singularis sufficit. Huic verò doctrinæ nonnihil videtur repugnare D. Tho. loco proximè citato ad 3. dicens, *Quando datur indulgentia inde terminatè verbi gratia qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conueniens ei qui auxilium dat, & secundùm illud plus vel minus de indulgentia consequetur. Vnde etiam aliquis pauper dans vnum denarium, consequetur totam indulgentiam, non autem dines, quem non decet ad opus tam pium, & fructuosum ita parum dare. Sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium dare si ei obolum daret.* Sed hæc D. Thomæ doctrina intelligi ac procedere videtur, quando forma indulgentiæ, licèt in specie verborum vnica & indefinita appareat, in virtute autem & in sensu est multiplex, quid includit plures quantitates proportionales respectu diuersarum personarum, iuxta earum qualitatem, seu facultatem. Tunc autem in vnaquaque illarum quantitatum potest intelligi latitudo inclusa in loquutione illa indefinita: nam, licèt auxilium postulatum à diuite maius sit quam postulatum à paupere, tamen intra latitudinem auxilij postulati à diuite, aliquod est minimum respectu illius, aliud verò maius, vel maximum: & idem est proportionaliter in paupere, quamuis fortasse secun-

5. Quando indefinitèeleemosynacomplet piã causam, dãs minimã lucratur eam.

D. Thom.

Nisi forma virtute aut formaliter diuersã pro diuersis personis postulet.

dum absolutam quantitatem minimum auxilium diuitis maius fortè esse debeat, quàm in paupere possit esse maximum. Nihilominus tamen, si dives intra suam proportionem attingat saltem minimam quantitatem, id satis erit vt totam indulgentiam lucretur, quia simpliciter implet conditionem ab eo postulatam. Et ob eandem causam, licèt alius æquè dives maius auxilium tribuat, non plus fructus consequetur, quia non potest ampliùs quàm totam indulgentiam lucrari.

6. Quid si dives infrà minimum elemosynã elargiatur.

Sed quid, si dives tam paruum auxilium tribuat, vt non attingat minimam quantitatem sibi proportionatam? Videtur sanè nihil omninò de indulgentia comparare, quia simpliciter non implet conditionem postulatam respectiuè intellectam, prout intelligenda supponitur: nam, vt D. Thom. dixit, Rex dãs obolum, non potest dici auxilium facere. Nec D. Thom. dicit, huiusmodi diuitem aliquid de indulgentia consequi, si quidpiam minimum tribuat, sed expressè solùm ponit negantem partem, scilicet, non lucrari totam; priorem verò affirmantem, scilicèt, quod lucretur partem, non expressit. Et certè difficultate non caret: nam vel dando illam minimam quantitatem implet dives simpliciter conditionem postulatam, vel non; si implet, totam indulgentiam obtinet; si verò non implet integrè, sed tantum ex parte, nec totam indulgentiam, nec partem eius consequitur: quia, vt suprà dictum est, non sufficit partem iniuncti operis implere, ad partem indulgentiæ consequendam. Et ideò existimo tũc solùm consequi partem indulgentiæ, & non totam, quando elargitio non est adeò parua, quin sufficiat ad implendam formam concessionis, seu conditionem in ea postulatam, & aliàs ex parte causæ est insufficiẽs illa elargitio, propter paruitatem suam, ad complendam causam adæquatam sufficientem ad totum effectum indulgentiæ, sicut iam explicatum est. Aduertit denique D. Thom. in illa solutione ad 4. hæc omnia intelligenda esse, quando in forma concessionis indulgentiæ eadem fit concessio pro omnibus. Aliquando enim expressè plus conceditur pro his, qui plus laborant, vel conferunt: & tunc clarum est, inæqualitatem operis conferre ad inæqualitatem effectus, non tamen respectu eiusdem concessionis, sed respectu diuersarum, quia sunt veluti diuersæ indulgentiæ.

Cùm maior conceditur indulgentia ei qui magis laborat vnusquisque lucratur pro qualitate operis.

7. Quorũdam expositio Extrau Antiquorum.

Atque in hunc modum existimant aliqui, interpretanda esse verba Bonifacij VIII. suprà citata ex Extrauagant. *Antiquorum*, ita vt indulgentia plenissima ibi concessa non intelligatur tribui omnibus visitantibus Basilicas Petri & Pauli in anno Iubilæi, sed illis, qui maxima quadam deuotione illas frequentauerint: qui verò ab illa deuotione defecerint, non plenariam, sed aliam maiorem indulgentiam consequantur, maiorem tamen vel minorem pro quantitate deuotionis, & frequentia. Hæc verò interpretatio mihi nullo modo probari potest. Existimo enim ibi cõcessam esse plenissimam indulgentiam omnibus accedentibus ad dictas Basilicas, verè pœnitentibus & confessis, in prædicto anno Iubilæi, seruata forma ibi præscripta, scilicet, *vt reuerenter accedant*, id est, pietatis & religionis causa, & quòd, *si Romani sint, per triginta dies saltẽ semel in die: si verò sint peregrini, aut forenses saltem per quindecim dies dictas Basilicas visitent*. Hæc enim ferè sunt verba Pontificis, per quæ nihil aliud requirit ad illam plenissimam indulgentiam: ergo qui hoc fecerit siue cum magna, siue cum parua deuotione id faciat, siue vltra præscriptos dies pluries visitet Basilicas, siue non, totam illam indulgentiam consequetur. Quid ergo sibi vult Pontifex cùm subdit, aliquid ampliùs consecuturos illos, qui ampliùs, & deuotius dictas Basilicas visitauerint? nam vltra plenissimam indulgentiam nihil amplius in effectu indulgentiæ excogitari potest. Respondeo primùm, Pontificem non dicere hos consecuturos esse maiorem indulgentiam; nam verba eius sunt, *Plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur*. Ex quibus, prius verbum facilè potest intelligi de merito ex opere operantis, quo modo manifestum est, eum, qui frequentius & deuotiùs exercet religionis opera cæteris paribus plus gratiæ & gloriæ mereri.

Interpretatio improbatur

8. Glossa.

Atq; in eundem sensum conatur Glossa ibi adducere posterius verbum, ita vt *efficaciùs consequi* indulgentiam, non sit maioris pœnæ remissionem obtinere, quia hoc repugnat cum tota pœna omnibus remittatur, sed sit maiorem gratiam consequi, quæ de se efficaciùs operatur ingressum Regni cælorum, quem etiã indulgentia operatur. Est tamen difficilis expositio, & vim quandam inferens verbis. Et ideò dicere possumus efficacius consequi, nihil aliud esse, quàm certiùs & quantùm est ex parte causæ, cum maiori efficacia consequi eundem effectum. Addo insuper fortasse voluisse Pontificem per illa verba aliquid noui concedere: nam ex vi prioris concessionis, qui per triginta dies visitat Basilicas, statim completa vltima visitatione consequitur indulgentiam plenissimam: posteà verò licèt pluries intra eundem annum visitet easdẽ Basilicas, nihil amplius remissionis consequeretur ex vi priorum verborum. Fortasse ergo per illa verba voluit Pontifex, vt qui post definitum dierum numerum ampliùs & deuotiùs eãsdem Basilicas visitauerint, semper aliquid nouum de indulgentia consequantur, quoad scilicet peccata, quæ posteà commiserunt: hoc enim modo non repugnat post plenissimam indulgẽtiam maiorem remissionem fieri, nam in hac vita facilè nouum reatum contrahimus post plenissimam indulgentiam de prioribus peccatis comparatam.

Vera expositio.

---

## *An eodem opere possit quis lucrari diuersas indulgentias, diuersis viis sibi concessas.*

9.

Atque hinc obiter responderi potest ad quotidianam interrogationem, an eodem opere possit quis lucrari diuersas indulgentias, quæ diuersis viis illi cõcessæ sunt; vt verbi gratia habet quis multa grana benedicta, & in singulorũ benedictionib. cõcessus est verbi gratia annus indulgentiæ dicendo orationẽ Dominicam: quæri ergo solet an semel dicendo, plures lucretur. Similiter conceditur aliquando visitanti talem Ecclesiam vt tot annos indulgentiæ lucretur, & præterea omnes indulgentias, quas consequuntur qui illo die visitant tales, vel tales Ecclesias Romæ in quibus sunt aliæ concessiones, tam similes, quàm dissimiles, dubitari ergo solet, an vno actu, & eadem oratione omnes illæ indulgentiæ simul obtineantur. Et videtur quidem negatiuè respondendum, quia aucta indulgentia, necesse est augeri causam. Nam quæ erat proportionata causa ad vnam indulgentiam, non erit proportionata ad totam remissionem, quæ per omnes simul fit. Item quia aliàs eadem breui oratione multæ animæ è Purgatorio liberarentur, si in singulis granis vel Ecclesiis esset similis concessio. Aliunde verò apparet, ex vi talium concessionum vno actu comparari plures indulgentias nam simpliciter fit quod vnaquæque exigit, & non est ratio cur vna magis quàm alia obtineatur. Item hac de causa eodem actu, & tẽpore implentur duo præcepta: ergo similiter, &c. Res profectò videtur ambigua, multumque pendens ex forma indulgentiæ quę semper attẽtè considerãdaest.

10. Dubij resolutio.

Loquendo tamen regulariter, quoties plures indulgentiæ coniunguntur in vna persona diuersis viis, id est, per

est,per distincta priuilegia, aut diuersa grana benedicta, opinor non comparari omnes vno actu,sed singulis actibus, quia vnaquæque postulat talem actum applicatum ad talem finem vel effectum, vt causam saltem partialem talis concessionis:idem autem actus finitus applicatus ad multa, minor est in singulis:vnde,cæteris paribus, non reddet proportionatam causam ad tot indulgentias simul sumptas: ergo sic operans tantum lucrabitur vnam, suam intentionem determinãdo,vel si nullã determinauerit, quod videtur securius, ratione omniũ simul eandẽ quãtitatẽ lucrabitur.

11. Atque hæc ratio probat idem esse dicendũ, quãdo plures indulgentiæ diuisæ in multis locis vel personis coniunguntur in eodem loco vel persona, per vnam tantùm concessionem nouam, vt quando per Bullam Cruciatæ v.g.conceduntur omnes indulgentiæ vrbis Romæ: intelligendum est enim concedendi facultatem ad lucrandas omnes illas, nõ tamen omnes simul vno actu,nisi aliud constet ex tenore Bullæ. Vt si v.g. concedantur statim propter ipsam eleemosynam, & Bullæ receptionem,nam tunc non habet locum multiplicatio actuum, sed ille solus vt relatus ad aliquod commune bonum, reputatus est causa sufficiens ad tantam remissionem, quanta ex omnibus illis indulgentiis simul sumptis consurgit.Est autem mihi valdè verisimile,has distributiones intelligendas esse de indulgentiis diuersarum rationũ,quia non videtur credibile tãtam aggregationem fieri, etiam similium indulgentiarum;est enim nimius excessus,qui regulariter apparet vltra proportionem causæ.

14. Subgenerali concessione indulgẽtiarũ alicuius loci,nõ veniũt plenaria, nec pro defunctis. Multo autẽ certius est sub hac generali collectione non comprehendi indulgentias plenarias, nisi exprimantur,vt suprà tactum est:ex regula Cancellariæ,& stylo Curiæ, & speciali difficultate,quæ merito est in concessione indulgentiæ plenariæ. Idemque dicendũ est de indulgentiis pro defunctis, non enim comprehenduntur sub simili generali cõcessione, nisi expressè addatur, *Tam pro viuis,quam pro defunctis*,vt etiam constat ex superiùs dictis. Plura de hac re videri possunt in supplem. Gabr.d.45.qu.3.art.3,dub.3.qui idẽ sentit,& Cordub. q. 35. qui ex parte dissentit: putat enim vnum actum sufficere ad plures indulgentias huiusmodi obtinendas:quod est probabile,præsertim si talis actus non sit iterabilis, vt est ieiunium vnius diei, dummodo apud Deum talis actus sit causa proportionata respectu totius remissionis, quæ ex pluribus illis indulgentiis coalescit.

Suppl. Gabr. Cordub.

## SECTIO XI.

### *Vtrùm præter gratiam & opus iniunctum requiratur aliqua alia dispositio actualis, vel habitualis ex parte recipientis indulgentiæ fructum.*

1. Caietani opinio. HÆc quæstio proponitur à recentioribus Auctoribus propter Caietanum,qui in 1.tom. Opusc.tract. 10.quæ.1. præter prædictum opus requirit specialem quãdam dispositionem ad fructum indulgentiæ obtinendum, nimirum præparationem animi & sollicitudinem quandam ad satisfaciendũ per propria opera pro peccatis suis:ita vt si quis sit ita dispositus vt habeat animum nunquam exercendi opera pœnalia,vt pro suis peccatis satisfaciat, vel in hoc sit nimis negligens,non cõsequatur indulgentiam, etiãsi totam diligentiam in eo postulatam exhibeat,& ex parte aliarum causarum nihil desit, quo ad valorem indulgentiæ necessarium sit. Addit verò Caiet. tam grauem esse posse causam indulgẽtiæ,vt inde suppleri possit,vel in totũ,vel ex parte,defectus prædictæ dispositionis in recipiente.Pro hac sententia refert Soto d.21.qu.2.ar.3.Altisiodorensem, & Paludanum. Sed apud Paludanum nihil inuenio,neque ipse locum designat. Altisiodorensis autem opinio diuersa est, quia nõ agit de dispositione, sed de capacitate indulgẽtiæ, ad quam requirit,vt homo sit impotẽs ad satisfaciendum;quia per indulgentiam non potest relaxari, nisi ea pars pœnæ, pro qua homo satisfacere non valet. Quæ opinio longè improbabilior est quàm opinio Caietani,de qua in superioribus dictum est,quia ferè omninò eneruat & tollit facultatem concedendi indulgentias: & infrà iterum occurret sermo de illa, tractando de causa indulgentiæ.Opinio ergo Caietani noua fuit,vt ipse fatetur, eamq; sequutus est Nau. in Comment. de Iubilæo, notab. 21. Fundamentum huius sententię esse potest,quia non est dignus alieno adminiculo, qui negligens est in subueniendo sibi ipsi,cùm facilè possit,esset enim illa indiscreta dispẽsatio thesauri,& potiùs prodigalitas, quàm liberalitas, nec redundaret in ædificationem,sed in destructionem, quia esset fouere fidelium negligentiam & torporem in satisfaciendo pro suis delictis. Sicut in materiali thesauro Reipublicæ, imprudens esset dispensatio,quæ fieret ad soluẽda eorum debita, qui facilè possunt de suo illa soluere,solúmque propter negligentiam,vel auaritiam id omittunt.

Soto. Nauar.

### *Sollicitudinem ad satisfaciendum pro propria pœna non esse dispositionem necessariam ad fructum indulgentiæ.*

2. NIHILOMINVS contraria sententia mihi moraliter certa est. Et in primis fuit communis Theologorum in 4.d.20.ante Caietanum,vbi D.Th. eam supponit,& quodlib. 2. artic.vlt.quibus locis ex parte recipientis nihil aliud requirit, nisi statum gratiæ,& quòd opus iniunctum impleat. Et animaduertit, in forma indulgentiæ sæpe dici, *Pœnitentibus, & cõfessis*:nũquàm verò dici,*Et satisfacientibus*,quia indulgentia conceditur loco satisfactionis.Eadem fuit opinio cõmunis Canonistarum cum Calderino in c.*Nostro*,de Pœnit.& remiss.vt Nau.etiam fatetur. Et eandem defendit Soto suprà,& Corduba qu.30. Fundamentum est, quia potestas concedendi indulgentiam ex rationabili causa est efficax, & infallibiliter habet effectum,quem intendit dispensator,& per sua verba declarat,remoto obice ex parte recipientis:sed dispẽsator absolutè concedit indulgentiã facièti tale opus per quod impletur iusta causa indulgentiæ,vt supponimus:ergo infallibiliter habet effectum in eo,qui est in gratia, quamtumuis alioqui fuerit negligens, quia sola carentia gratiæ, & duratio culpæ est obex per se impediens effectum remissionis pœnæ: illa autem negligentia non est obex, quia non reddit hominem incapacem pœnæ.

D. Thom. Calderin. Soto. Cordub. Fundamentum.

3. Obiectio. Dices,Licèt nõ reddat incapacẽ,reddit indignum & indispositũ,quod satis est.Sicut absolutio sacerdotis non remittit totam pœnam in sacramento pœnitentiæ ei, qui est remissus & negligens in feruenti contritione elicienda, non quia sit incapax, nihil enim repugnaret remitti ei totam pœnam,sed quia est indignus & indispositus ad effectũ adeò perfectum, Sed contra hoc est, quia in indulgentiæ concessione per se non attenditur actus recipientis tanquàm dispositio eius,sed tanquàm complens causam sufficientem ad indulgentiæ concessionem, alioqui non est necessarius talis actus,nisi quatenus voluntariè & superabundanter, vt sic dicam,à dispensatore postulatur vt conditio sine qua nõ: quod totum in superiori

Soluitur.

sectione ostendimus,& constituimus discrimen quoad hoc inter sacramentum & indulgentiam : ergo è conuerso, nulla potest esse indispositio & indignitas ex parte recipientis indulgentiam,quæ impediat eius effectum,si alioqui ex parte finis supponitur sufficiés causa, & ex parte subiecti capacitas per gratiam. Et declaratur ex doctrina D. Thomæ nuper citata:nam, sicut in forma indulgentiæ nunquàm dicitur. *Et satisfacientibus*, quia indulgentia datur loco satisfactionis; ita etiam non dicitur, *volentibus*,aut *curantibus satisfacere:* quia,qua ratione satisfactio necessaria non est, eadem nec voluntas, vel sollicitudo satisfaciendi, quia totum hoc supplere potest indulgentia, & hoc dispensator intendit, cùm talem conditionem requirat,quam nos addere non debemus.

4. Replica. Sed dicunt aliqui,in particula illa, *Et verè pœnitentibus*, quæ poni solet in forma indulgentiæ, includi hanc conditionem, quia non est verè pœnitens, qui non habet voluntatem satisfaciendi. Et fortasse olim solùm concedebantur indulgentiæ de pœnitentiis iniunctis,vt præcederet acceptatio pœnitentiæ,& volũtas implendi illam. Diluitur. Sed hæc sine fundamento excogitata sunt:nam voluntas satisfaciendi in hac vita pro pœna temporali,intrinsecè & per se non est de ratione veræ pœnitẽtiæ,vt in superioribus dictũ est. Vnde secluso sacramento pœnitentiæ,potest quis prius habere contritionem veram de peccatis, & posteà esse negligens in satisfaciendo sine noua culpa, præsertim mortali:ergo locum habet indulgentia in tali homine vt verè pœnitente,quantumuis in reliqua satisfactione negligens sit. Iuxta illam verò antiquã formam,& admisso illo sensu eius, necessaria quidẽ erat tunc ante indulgentiam acceptatio pœnitentiæ iniũctæ non tamen propter indulgentiam, sed propter sacramentum,& confessoris præceptum, quod præcessisse supponebatur. Adhuc tamen non erat tunc necessaria voluntas vel sollicitudo satisfaciendi pro peccatis, tum quia poterat pœnitens petere & procurare minimam pœnitentiam à sacerdote inponi: tum maximè, quia posset acceptare pœnitentiam, non animo implendi illam, sed commutandi seu compensandi eam per indulgentiam, quod propositum non inpediret efficacitatem indulgentiæ. Quin potiùs Palud. Adrian.& alij, qui putant per talẽ indulgentiam non remitti nisi pœnam proportionatã pœnitentiæ sacramentali iam iniunctæ,admonẽt pœnitentes,vt postulent graues, & rigorosas pœnitẽtias, etiamsi non intendant eas exequi, sed per indulgẽtias redimere,vt hoc modo indulgẽtię illæ maiorẽ habeãt effectũ:quod consiliũ,supposita illa sententia, nõ esset contemnendum, quidquid Caietanus, & Soto dicãt.

5. Argumento ad hominẽ contra Caietanum eadẽ sententia probatur. Accedit tandem quòd Caietanus fatetur,tam gratiam & excellentem esse posse causam, quæ mouet Pontificem ad concedendam indulgẽtiam,vt illa habeat effectum etiam in his, qui carent illo affectu & sollicitudine satisfaciendi. Interrogo igitur,an oriatur hoc præcisè ex perfectione talis causæ, vel ex Põtificis voluntate. Primũ dici non potest,quia finis,quantunuis perfectus,non inducit effectum sine efficiente causa,quam immediatè mouet ad operandum:hic autem causa efficiens indulgentiæ, & effectus eius est Pontifex,seu dispensator, qui per voluntatem suam operatur. Si autem dicatur secundum, interrogo rursus,vnde colligat in eo casu Pontificis voluntatẽ : non enim habetur ex aliquibus specialibus verbis, quibus in eo casu declaret se velle indulgentiam valere etiam negligentibus : nunquàm enim adduntur hæc verba, nec talis forma concessionis est in vsu. Ergo solùm colligi potest ex absoluta, & generali cõcessione sine alio grauamin:ergo,quoties indulgentia conceditur per similia verba,eandem Pontificis volũtatem indicant,non enim mutant significationem, aut sensum, propter maiorem vel minorem causam, quæ mouet Pontificem:ergo eandem efficaciam habet indulgentia,etiamsi ex causa adeò graui non procedat,quia efficacia immediatè oritur ex voluntate Pontificis. Euasioni occurritur. Dices,etiam voluntatem nõ sufficere sine causa. Respõdeo, quidquid de hoc sit,quod infrà videbimus, non tamen esse necessarium, vt illa causa sit excedens seu perfectissima,nam sufficiẽs satis est:potest autem sufficiens, etiamsi non sit adeò eminens, vt Caietanus exigit. Imò ad sufficiẽriam causę aut nihil, aut parum refert,quòd is,qui lucratur indulgentiam,fuerit diligens in satisfaciendo, néene : nam causa illa consistit in fine aliquo honesto, & cõpleri solet ex bono opere iniuncto, quod totum locum habet tam in diligentibus,quàm in negligentibus in satisfaciendo.

6. Modus probabilis explicandi superiorem sententiam. Posset tamen aliquis vim harum rationum effugere,& priorem opinionem interpretari, dicendo,pensatis omnibus, maiorem causam necessariam esse ad concedendam indulgentiam negligentibus,quàm diligentibus,ideóque cæteris paribus accidere posse vt eadem indulgentia sit efficax in vno,non verò in alio, vel non omninò integrè,quia respectu illius causa nõ est ita sufficiens,sicut respectu alterius. Quod profectò non est,improbabile,nec facilè potest impugnari, quia eadẽ causa potest esse magis proportionata respectu vnius personæ,quàm respectu alterius, vt respectu Principis,quam plebeij, vel respectu viri sancti,quàm peccatoris:cur ergo nõ poterit idem dici in præsenti?nam & Deus ipse facilior est in remittendo, vel præbendo auxilium diligentibus,quàm negligentibus. Neque inde fit, potestatem concedendi indulgentias coarctatam esse ad solos eos,qui in satisfaciẽdo diligẽtes sunt,aut illam dispositionem esse in vniuersum necessariam ad fructũ indulgentiæ:sed solùm sequitur,negligentes habere quandam minorem proportionem,ideóque liberalitatẽ respectu eorum esse maiorem,ac proinde maiorẽ causam postulare, quod non est improbabile:imò id probabiliter suadent rationes factæ pro Caietano, qui si hoc tantùm voluit, non multum cum illo contẽdendum est. Fiétque hoc verisimilius,si de eo tãtum intelligatur,qui intuitu & spe indulgentiæ opera satisfactoria negligit, nam ille profectò videtur indignus tanto beneficio,vel saltem esse minùs proportionatus quàm ille,qui ex fragilitate humana illa omittit : nam potiùs ad supplendam huiusmodi imperfectionem, & conditionem hominis,indulgentiæ conceduntur.

7. Causam,quę sufficiẽs est ad cõcedendam indulgentiã respectu diligentiũ, esse sufficientẽ respectu negligentium, Nihilominùs tamen simpliciter fatẽdum est,indulgentias absolutè concessas,omnibus quantumuis negligẽtibus prodesse,qnantùm est ex se,& ex potestate & voluntate concedẽtis:& probabilius etiam esse,illam causam,quę sufficiẽs est respectu diligẽtium,esse etiam sufficientem respectu negligentium,si in gratia sint,vt supponimus:quia non est contra rationem indulgentiæ,velle etiam satisfactionem differre, donec per indulgentiã redimi possit:neque illa volũtas,cùm peccaminosa non sit, facit hominem indignum hoc beneficio. Sicut in dispensatione voti aut legis, nõ fit aliquis indignus illa,eò quòd, si licitè valeat, cupiat leuari tali debito:& causa,quæ alioqui esset sufficiens ad dispensationem, non fit insufficiens respectu talis personæ, propter illam voluntatem. Denique in re fauorabili non est cur addamus conditiones, quæ nimiùm restringant fauorem,qualis in præsenti est illa, de qua agimus:nam ferè omnes homines negligentes sunt in satisfaciendo pro peccatis, & ideò pauciſſimi essent qui indulgentias lucrarentur.

8. Fundamentũ Caietani enodatur. Maximè cùm rationes Caietani vrgentes non sint, nam ex dictis facilè soluuntur. Etenim qui negligens est in subueniendo sibi ex propriis bonis,vel actionibus,

bus,licèt negatiuè possit dici indignus, seu nõ dignus alieno subsidio;non tamen potest dici positiuè indignus,aut repugnans huic subsidio,sed potiùs dicẽdus est indigẽs illo. Vnde nec contra prudẽtiam,nec contra amicitiam erit,tale subsidiũ illi cõferre : imò sæpe potest esse opus prudẽtiæ,& amicitiæ:maximè quando illud subsidiũ non ex necessariis,sed ex superabũdantibus bonis confertur,sicut fit in dispẽsatione indulgentiarum. Neque per hoc fouetur negligẽtia aut tepiditas eorum , qui opera satisfactionis prætermittunt,sed suppletur & iuuatur eorũ fragilitas. Quòd si ipsi inde sumunt occasionem remissiùs agendi , illud est accidentarium incommodum, cui aliis mediis occurrendum est,vt in superioribus tetigimus.

## DISPVTATIO LIII.

### *De defunctis,quibus indulgentiæ prodesse possunt.*

HÆc est altera pars causæ materialis , seu subiectiuæ indulgentiarum , circa quam, primùm videndum est , an pœna alterius vitæ possit remitti animabus iam separatis à corporibus per indulgẽtias Ecclesię:deinde verò quomodo,seu quàm certa & infallibili lege hoc fiat.

## SECTIO I.

### *Vtrùm animæ defunctorum sint capaces fructus indulgentiarum.*

1. Ratio dubitandi. Matt.16.

RATIO dubitãdi sumitur ex verbis Christi Matt.*16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis,& quodcũque solueris super terram,erit solutum & in cœlis.* Expendenda est enim illa particula,*super terram,* ex qua cõstat , Petro tantùm esse datam potestatem ligandi & soluendi homines super terram viuẽtes. Neque enim particula illa,*super terram,*referenda est ad eos qui ligãt,aut soluunt,vt quidã putant,sed ad eos qui liganntur & soluuntur : non enim voluit Christus per illam particulam significare statum eorum, quibus illã potestatem concedebat:satis enim manifestum erat hominibus mortalibus in hac vita degẽtibus illam concedere , sed voluit amplificare , & definire terminos iurisdictionis & potestatis, quam Petro promittebat: amplificauit enim illam ad vniuersum orbem,& intra superficiem terræ contineri voluit.Quomodo si Rex mittens Gubernatorem in Indiam, ei diceret , *Quidquid in India iudicaueris aut statueris , validum erit:* per illam particulam,*in India,*non tam intendit indicare, aut requirere localem præsentiam Gubernatoris in India, vt in ea possit iurisdictionem exercere , quàm explicare terminos,intra quos talis iurisdictio continetur , vt ex communi vsu & intelligentia constat. Innoc.3. August. Atque ita intellexisse videtur illam particulam Innocentius III.in c.*Anobis,*2.de sent.excom. & August. lib.1.de doctr.Christ.cap.18.dicens , *Has claues dedit Christus Ecclesiæ suæ , vt quæ solueret in terra , essent soluta & in cœlo.* Estque communis expositio Interpretum in illo loco. Ex his ergo sic concluditur : nam indulgentiarum effectus est quædam solutio à reatu peccatorum,quæ virtute clauium fit,sed talis solutio solùm fieri potest circa homines degẽtes super terram: ergo fructus indulgẽtiarum his solis communicari potest: ergo animæ Purgatorij non possunt esse indulgentiarum participes. Et confirmatur ( quanuis ferè in idem redeat)nam concessio indulgentiæ est actus iurisdictionis,vt suprà dictum est,& constat ex c. *Quod autem,*de Pœnit.& remiss.sed Pontifex non habet iurisdictionem in Purgatorium,vt patet ex eisdem verbis propositis , quia solùm habet illam super terram, & quia iam nõ est iudex illarũ animarum,sed à Christo immediatè iudicatæ sunt,& ad illas pœnas ligatæ: ergo non possunt ab illis solui ab alio iudice non suo.

2. Hæretici circa hoc non habent nouum errorem præter tractatos & refutatos in superioribus , nimirum,quod nullum sit Purgatorium, aut quòd suffragia viuentium non valeant defunctis , ex his enim principiis aliqui negarunt indulgentias prodesse defunctis , non verò ex aliquo speciali principio ad hãc materiam spectante.Et ideò de his erroribus nihil hîc amplius dicere necesse est.Illis ergo omissis,inter Catholicos,Hostiensis in Summa lib.5.sub tit.de Remissionibus §.*Quibus prosint* , & §.*Vbi operantur,*negauit simpliciter indulgentias prodesse defunctis,quem sequutus est Gab.lect.57.in Canonem.Idémque tenuit Gerson,Alph.60.lit.B.seu in 4. tom. serm. 2. de Defunctis,q.9. qui moti sunt ratione dubitandi in principio tacta:& quia indulgentiæ(ait)Gerson)ordinatæ sunt pro his , qui submittunt se Curiæ misericordiæ, quæ durat vsque ad mortem,non verò post mortem.

Opinio negans. Hostiens. Gabr. Gerson.

### *Defunctos esse fructus indulgentiarum capaces; vera resolutio.*

3. NIHILOMINVS dicendum est, indulgentiarum fructus etiam posse applicari & prodesse defunctis. Hæc est sententia communis Theologorũ in 4.d.20.& 45.Quam etiam sequũtur Canonistę,vt patet ex Felino in tract.de Indulgentiis,n.30.vbi plures refert,& Nau.Comment. de Iubilæo , notab. 22. tractat etiam ex professo Caiet.tom. 1. Opusc. tract. 16.q.5.& 6.& Turrian.lib.de Dogmat.character.quẽ locum etiam ipse citat lib.4.contra Magdeburgenses, c.14. Tenuit etiam Gerson Alphab. 33.lit.M.& in fine,aliàs tom.2.Operum tractat. de Absolutione defunctis Carthusiensium,& tract.de Indulgentiis,cõsiderat. 11. Tenuit etiam Gabr.in Additione ad lect. 57.in Canonem,retractans priorem sententiam propter declarationem Sixti IV.quam priùs non viderat (vt refert)in qua definiuit,indulgẽtias valere defunctis,quando ad illos expresè extenduntur per summum Pontificem.

Felin. Nauarr. Caiet. Turrian. Gerson. Gabr.

4. Fundamentum autem huius veritatis est communis sensus & traditio Ecclesiæ , quod partim nobis cõstat ipsa experientia & vsu,partim ex antiquis Auctoribus,D. Tho. & aliis;non potest autem vniuersa Ecclesia errare in re tanti momenti. Item supponit hæc veritas duas alias in superioribus tractatas , vna est,esse aliquas defunctorum animas pœnis temporalibus subiectas. Alia est , inter viuentes & defunctos posse esse communicationem suffragiorum,ita vt suffragia viuentium pro defunctis oblata possint illis ad remissionem pœnarum prodesse. Ex his ergo principiis colligimus,etiam posse Ecclesiam militãtem subuenire per indulgentias animabus defunctorum,quia hoc nihil aliud est quàm quoddam suffragium, quod non magis repugnat pro defunctis offerri, quàm cætera.Præterea,quia indulgentiæ conceduntur ex thesauro satisfactionum Christi,& Sanctorum:sed satisfactio Christi,quantùm est ex se,non solùm viuis,sed etiam defunctis indigentibus , & capacibus prodesse potest:Sancti etiam cùm superabũdantes satisfactiones operantur,quantùm est ex se voluntatem habent implicitam,vel explicitam, vt prosint omnibus etiam defunctis , ad quos non minùs se extendit charitas, quàm ad viuentes:ergo credendum omninò est,reliquisse Christum in Ecclesia modum aliquem , quo possit hic thesaurus etiam defunctis dispensari : sed hic thesaurus non dispensatur nisi per indulgentias extra sacramenta,& sacrificia:ergo possunt indulgentiæ

4. Vide Vuolphagum lib. 12.de Rep. Roman. Fundamentum.

tiæ defunctis etiam aliquo modo communicari.

5. Quàm sit certa cõclusio.

Sed quæres, qua certitudine hæc assertio tenenda sit. Respondeo, olim non fuisse rem adeò declaratam in Ecclesia, ideóque potuisse Catholicos viros circa illam errare, aut dubitare: iam verò res est adeò constans, vt sine errore negari non possit. Primò quidem, propter communem consensum Scholasticorum, in quem iam vniuersa Ecclesia cõspirauit. Secũdo, propter Ecclesiæ vsum, quem esse satis antiquum constat ex D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. vbi illum refert: tum etiam propter auctoritatem multorum Pontificum, qui, vel facto ipso, vel etiam doctrina hanc veritatem confirmarunt: nam Sixtus IV. vt ex Gabr. retulimus, doctrinam hanc approbauit, item Leo X. in Bulla contra Lutherum, & in epistola ad Caietanum missa, quam suprà citaui ex eodem 3. p. q. 48. a. 1. Idem verò Sixtus IX. Innocentius VIII. Pius II. Calixtus, Paschasius, & alij, quos Gabr. suprà refert indulgentias pro defunctis concessere: impium autem esset dicere eos Ecclesiam decepisse.

Contraria opinio erronea. D. Thom. Sixtus 4. Leo 10. Caiet.

6. 2. Assertio.

Hinc secundò certum est apud omnes, inter defunctos solùm posse indulgẽtias prodesse animabus Purgatorij: nam animæ iam beatæ illis non indigent, quia nullum debitum habẽt: & eadem ratione animę, quæ ante Christi aduentum erant in sinu Abrahæ, non erant capaces indulgentiarum (etiamsi fingeremus eo tempore potuisse esse vsum illarum) quia nullum erat in eis debitum personale, quod nõ esset iam solutum & remissum, priùs quàm illum locum intrarẽt: debitum autem totius naturæ non poterat per indulgentias solui, sed per solam Christi mortem & passionẽ. Rursus neque animæ damnatæ propter mortale peccatum sunt capaces indulgentiæ, quia sunt indignæ & incapaces omnis liberalis remissionis, maximè cùm ostensum sit, neminem extra statum gratiæ existẽtem esse capacem indulgẽtiæ. Vnde animæ damnatæ propter solùm originale peccatum duplici titulo sunt incapaces indulgentiæ, quia carent gratia, & non habẽt debitum temporalis pœnæ, ex aliquo actuali peccato contractum. Si quis verò fingeret aliquem decessisse in originali peccato cum solo veniali, ille etiam esset incapax indulgentię ob defectum gratię, & prętereà, quia non posset consequi remissionem ipsius venialis culpæ, & consequenter nec pœnæ. Relinquitur ergo solas animas Purgatorij esse capaces fructus indulgẽtiarum. Sicut etiam suprà ostensum est, solas illas inter defunctorum animas esse capaces suffragiorum: est enim eadem ratio de indulgentiis, quia per modum cuiusdam suffragij illis applicantur. Item solæ animæ Purgatorij sunt aliquo modo in via, vt rectè dixit Abulen. Matth. 25. q. 724. quia nondum peruenerunt omninò ad terminum, sed peregrinantur à Domino, & per fidem ambulant, & ideò solæ illæ sunt capaces huius subsidij. An verò omnes sint capaces, dubitari potest propter illas, quæ in hac vita non habuerunt characterem Baptismi, quod infrà videbimus.

7. Assertio 3.

His verò addendum est tertiò, indulgentiam tunc solùm prodesse defunctis, quando in ipsa indulgentiæ forma, seu concessione id expressè declaratur. Ita D. Thom. d. 45. & Bonau. d. 20. & Alens. q. 83. vt sectione sequenti latiùs referemus. Et probatur, quia nemo potest pro alio indulgentiã lucrari, sed tantùm pro seipso, nisi in ipsa indulgentia expressè concedatur: at verò animæ Purgatorij nõ possunt ipsæ per seipsas, seu pro seipsis lucrari indulgentias, quia non possunt per se exequi opera, quæ pro indulgentiis lucrandis imponuntur: ergo solùm participant fructus indulgentiarum mediis operationibus viuentium, qui pro defunctis indulgentias lucrãtur: ergo necesse est, vt in ipsomet indulto hæc facultas expressè concedatur. Hæc est ratio D. Thomæ & aliorum, quæ suppo-

D. Thom. Bonau. Alens.

A nit, indulgentias non posse directè & immediatè cõcedi defunctis, sed solùm indirectè media actione viuorum: quod habet difficultatem infrà tractandam. Ad præsentem verò assertionem confirmandam id non refert: nam, etsi daremus posse indulgentias directè concedi defunctis, necessarium nihilominùs esset eos exprimi in forma concessionis; nam indulgẽtiæ eis tantùm vtiles sunt, ad quos directè referuntur: quia indulgentiæ, sicut non plus valent, quàm sonant, ita etiam non pluribus prosunt, quàm exprimant. Dices, saltem non esse necesarium, vt in specie declarẽtur defuncti, sed satis esse vt generatim indulgentia concedatur fidelibus, seu omnibus fidelibus, & quòd ad eius effectum nihil exigatur, quod in defunctis inueniri non possit. Respondetur iuxta communem Ecclesiæ vsum, id satis non esse, nam ob hanc causam quoties indulgentiæ ad mortuos extendũtur, expressè dicitur, *Fidelibus viuis, & defunctis*: nam fidelium nomine, si nihil aliud explicatur, tantùm viuentes comprehenduntur, vel quia illi tantùm simpliciter sunt in statu viatorum, vel quia illi soli propriè & immediatè subiiciuntur clauibus Ecclesiæ. Ad rationem dubitandi in principio factam patebit responsio ex sectione sequente.

Etiamsi indulgẽtia cõcedatur pro omnibus fidelibus, non cõprehendit defunctos.

B

## SECTIO II.

### *Vtrùm indulgentiæ valeant defunctis per modum absolutionis, vel tantùm per modum suffragij.*

C

QVÆSTIO proponitur propter difficultatẽ tactam in præcedẽti sectione, ratione cuius inuenta est hæc distinctio de duplici modo concedendi indulgẽtias, scilicet, per modum absolutionis, & per modũ suffragij: vt videlicet defũctis non per modũ absolutionis, sed per modũ suffragij valeãt. Vt verò necessitas & sensus huius distinctionis, & responsionis intelligatur, eam examinare necesse est. Quidam enim dixerũt, animas Purgatorij verè esse subiectas clauibus, quoad aliquos actus, quorũ sunt capaces, inter quos vnus est solutio per indulgentiam. Ita sensit quidam Ioannes Angeli, vt refert Maior in 4. d. 20. q. 2. vbi etiã Bonau. 2. p. dist. q. 5. in fine sic inquit: *Si quis contendat Vicarium Iesu Christi habere iudiciariam potestatem super eos qui sunt in Purgatorio, non est ei multùm resistendum, dum tamen hoc dictet ratio, vel auctoritas manifesta.* Potestque hæc sententia suaderi, quia Christus concessit Vicario suo plenitudinem potestatis, quantam & homini puro conuenienter dari oportebat, & ad Ecclesiæ ædificationem spectare poterat: sed sub hac amplitudine meritò comprehenditur hæc iurisdictio in animas Purgatorij, præsertim quoad actus soluendi illas: ergo. Minor per se nota videtur, quia illa concessio nullam includit repugnantiam, aut indecentiam; pertinetque ad vtilitatem fidelium, estque consentanea diuinę misericordiæ, à qua non sunt exclusæ animæ Purgatorij etiam in commutatione pœnarum, quas luunt, vt insinuabat Gerson in obiectione sua; alioqui neque esset capaces suffragiorum fidelium, quod omninò falsum est. Quanuis enim Deus sine iusta solutione illam pœnam non remittat, & in hoc seruet iustitiæ integritatẽ, tamen in admittenda cõmutatione, vel solutione per alios aliquam gratiam, seu misericordiã exercet, quæ in illo etiam statu locum habet: ergo etiam in absolutione per indulgentias locum habere poterit.

1. Opinio affirmans.

Maior. Bonau.

Suadetur.

D

E

Maior autem propositio sufficienter colligi videtur ex generalibus Christi verbis, *Quodcunque solũeris.* Neque enim obstat additio illa, *super terram*, primò

2.

qui

quidem, quia probabiliter cõiungi potest cum eo qui A
soluit, non cum eo qui soluitur. Vel melius potest referri ad actum soluendi, non ad obiectum solutionis, vt sic dicam, id est, quòd actus soluendi fiat super terram, non verò res pro qua, vel per quam fit solutio. Nam satisfactiones Sanctorũ per quas, seu ex quibus fit solutio, iam non sunt super terram, sed in acceptione diuina: ergo necessarium non erit, personam, aut reatum pro quibus fit solutio, esse super terrã. Quodsi dicas, pretium huius solutionis, id est, satisfactiones Christi, & Sanctorum in terris fuisse comparatum, & dominium, seu ius in illud relictum esse hominibus in terra degẽtibus: dicemus similiter, peccata animarum Purgatorij super terram fuisse commissa, ideoque etiã homines in terra existentes posse habere ius soluendi, seu absoluendi ab illis. Maximè cùm delinquens B
soleat forum acquirere vbi deliquit, ratione delicti. Denique, cum Christus ait, *solutum erit, & in cœlis*, non loquitur de obiecto solutionis, sed de solutione ipsa: ergo de eadem solutione agit cùm dicit, *Quodcunque solueris super terram*: nam illa duo verba, *in cœlis*, & *super terram*, ad idem referuntur, vt solutio, quæ in terris fit, confirmetur in cœlo: ergo.

3. Tertiò, non oportet intelligere, *super terram*, id est, super connexam terræ superficiem: satis enim est esse super quamcunque partem terræ: hoc autem modo etiam animæ Purgatorij sunt super terram, tum substantialiter, quia licèt sint sub hac terra, quam habitamus, tamen, cùm non sint in infimo loco, aliquo modo sunt super terram; tum etiam quoad statum, quia nondum sunt in termino, sed adhuc sunt in via, aliquando enim à terra in cœlum migraturæ sunt, ideoque adhuc in terra seu super terram versantur. Quam C
Alens. responsionem indicauit Alex. Alen. 4. p. q. 83. aliàs 23.
Innocen. 3. membr. 6. Et confirmari potest ex Innocentio III. in dict. c. *A nobis*. §. *Neque obstat*, vbi ait, non obstante
Cõfirmatio. particula illa, *super terram*, Ecclesiam in aliquibus casibus mortuos ligare & soluere, indicans aliquos mortuos sub illa particula posse comprehẽdi. Vnde etiam obiter confirmatur prædicta opinio: nam in aliis casibus Ecclesia soluit defunctos exercẽdo verum actum iurisdictionis per claues, scilicet, absoluendo ab excommunicatione: ergo pari ratione potest per veram iurisdictionem absoluere à pœna, concedendo indulgentias. Tandem potest hæc sententia declarari ex distinctione iurisdictionis in contentiosam, & voluntariam, iuxta l. 2. ff. de Officio Proconsulis. Nam contentiosa non potest exerceri à Proconsule extra Prouinciam existente; voluntariam autẽ potest ad eum modum quo suprà diximus, iudicium pœnitentiæ posse exerceri à Sacerdote etiam extra territorium suum. Iurisdictio igitur, quæ per indulgentias exercetur, voluntaria est, vt suprà etiam tetigimus, quia non exercetur in inuitum: quid ergo mirum quòd possit exerceri à summo Pontifice, etiam extra territorium suũ, atque adeò in Purgatorio?

## *Indulgentias non posse defunctis concedi per modum solutionis, sed suffragij.*

4. D. Thom. NIHILOMINVS cæteri Theologi docent, Põtificem non posse concedere indulgentias defunctis per modum absolutionis, sed tantùm per E
modum suffragij. Hoc sentit D. Thom. dict. quæst. 2. quamuis non sit vsus dictis verbis, sed aliis, scilicet, *principaliter, & secundario, directè, vel indirectè*, dicens, indulgentias non posse concedi directè & principaliter defunctis, sed tantũ secundariò, & indirectè. Clarius id docuit Alex. Alens. suprà: & idem tandem sequuntur Alens. Bonau. Gabr. Maior. Bonau. & Gabr. locis cit. & maior addit oppositam sententiam esse scandalosam & nullatenus

publicè populis prædicandam. Idem Rich. d. 20. a. 3. q. 3. Caiet. suprà, & Sot. d. 21. q. 2. a. 3. concl. 3. ac denique cæteri Theologi in illis distinctionib. & in 45. Et Canonistæ, quos refert & sequitur Nauar. Comm. de Indulg. notab. 22. Cordub. q. 16. de Indulgẽtiis; Bellarm. li. 2. de Purgatorio. c. 16. & cæteri moderni, qui de indulgentiis scripserunt. Magnúmque argumentum est, quòd antiqui Pontifices quoties concedunt indulgẽtias pro defunctis, semper addunt illam particulam, *Per modum suffragij*, vt specialiter adnotauit Maior ex Gabriele, quod Nauarrus imitatur. Fundamentum verò quoad partem negantem est, quia concedere indulgentiam per modum absolutionis nihil aliud est, quàm auctoritate iudiciaria, quæ solùm exercetur erga subditos, remittere pœnã: animæ verò Purgatorij non possunt dici subditæ Pontifici summo: ergo neque ipse potest auctoritate iudiciaria eos à pœnis absoluere: ergo non potest eis concedere indulgentias per modum absolutionis. Vnde quoad hanc partem efficaciter videtur procedere ratio in principio præcedẽtis sectionis facta, & ponderatio illius particulæ, *super terram*, conuenienter applicata: nam quidquid sit de sensu illius particulæ relatæ ad solam potestatẽ Petro promissã, omnesque actus eius sub verbo, *Soluendi*, comprehensos; tamẽ respectu personarum certum est solum esse promissam iurisdictionem in homines viatores, & super terram degẽtes. Quod rectè declaratur ex verbis, quibus Christus Ioan. 21. impleuit promissionem Petro factam Matth. 16. scilicet, *Pasce oues meas*. Ibi enim contulit omnem iurisdictionem ad primatum Petri pertinentem, quæ circa eos tantùm versatur, qui in hoc mundo pasci possunt tanquàm Christi oues: nemo autem dixerit animas Purgatorij, propriè loquendo, comprehẽdi sub huiusmodi ouibus Christi.

Item nullus alius actus iurisdictionis, qui in subditum exercendus sit, verè ac propriè exercetur à Pontifice circa animas Purgatorij directè & in se. Nam in primis animæ defunctorum non excommunicantur, sed vel declarantur decessisse absque absolutione ab excommunicatione, quam in hoc seculo contraxerunt, vel ad summum fideles ipsi viuentes prohibẽtur ne pro aliquo defuncto orẽt, aut suffragia offerãt: qui actus iurisdictionis directè cadit in viuẽtes, indirectè autem & quasi obiectiuè redundat in defunctos. Et eadem ratione non absoluuntur directè defuncti ab excommunicatione, sed viuentes liberãtur ab onere non communicandi alicui defuncto: tota ergo hæc D
iurisdictio respicit viuentes tanquàm subditos. Cuius signum etiam est, quia huiusmodi actus etiam validi sunt, etsi tales animæ sint in inferno, de quibus euidẽtissimum est non esse subditas Pontifici. Assumptum verò in actibus ligãdi manifestissimũ est, tum quoad declarationem excommunicationis priùs contractæ, tum etiam quoad prohibendos viuentes ne pro damnatis orẽt. De actu verò absolutionis, quanuis Ecclesia nũquàm illum exerceat in fauorẽ eius, quem putat esse damnatum; tamen constat validum esse, veréque tollere illam obligationem ab ipsis viuẽtibus, etiamsi contingat animam, in cuius fauorem fit, esse damnatam: ergo signum est, illos non esse actus iurisdictionis circa animas defunctorum, sed circa homines viuentes, cum quodam respectu ad ipsas animas: ergo neque indulgẽtia, quatenus est actus iurisdictionis in subditum, potest directè exerceri circa animas defunctorum. Vnde quando Innocẽtius III. in dict. c. *A nobis*, dicit, non obstante particula illa, *super terram*, Ecclesiam aliquando ligare & soluere defunctos, non ideò dixit, quia defuncti sunt subditi Ecclesiæ quoad aliquos actus, sed quia fiũt veluti obiecta, vel materia circa quam operari possunt fideles viuentes, respectu

quo

Richar. Caiet. Soto. Nauar.

Cordub. Bellarm. Fundamentũ partis negantis concluſionis.

5. Analogia desumpta ex absolutione ab excõmunicatione eadem concluſio. Pars ſuadetur.

Verba Innocentij exponuntur.

quorum mortui dicũtur in illo textu ligari, vel ſolui, remotè & impropriè. Quod ex eo etiã patet, quia nõ loquitur de iuriſdictione tantùm voluntaria, ſed etiã de inuoluntaria, qualis eſt ad ligandum per cenſuras.

Quanquàm etiam illa vltima conſideratio de iuriſdictione voluntaria facilè excludi poſſit, tũ quia, licèt iuriſdictio voluntaria poſſit concedi extra territoriũ, non tamen extra ſubditum, vt ſic dicam, vt in exemplo ibi adducto de foro pœnitentię, quanuis exerceri poſſit extra terriorium locale, non tamen niſi circa ſubditum, ſuper quem habeatur iuriſdictio in tali foro, vt in ſuperioribus explicatum eſt. Dices, aliquando poteſt exerceri actus iuriſdictionis volũtariæ circa non ſubditum, & extra territorium exiſtentem, vt Epiſcopus conferre poteſt beneficium clerico non ſibi ſubdito, & in alio territorio exiſtenti, ſi ille velit illud acceptare: collatio autem beneficij actus eſt iuriſdictionis, eſt enim actus poteſtatis Epiſcopalis, & non ordinis, ergo iuriſdictionis. Reſpondetur in primis, indulgentiam, quæ cõceditur per modum abſolutionis, nõ eſſe huiuſmodi actum, ſed eſſe actum poteſtatis iudiciariæ, quæ non exercetur niſi circa ſubditum, vt apertè habemus ex c. *Quod autem*, de Pœnit. & remiſſ. Deinde comprehendendo ſub actu iuriſdictionis omnem actum diſpenſandi, vel diſtribuẽdi bona communia, qui competit Prælato Eccleſiæ ratione ſui officij; ſic verum eſt, etiam indulgentiã per modum ſuffragij eſſe actum iuriſdictionis, vt ſtatim dicam. Et huic actui magis accommodatur exemplũ illud de collatione beneficij, qui nõ oritur propriè ex poteſtate ſuper perſonam, cui beneficium datur, ſed ex poteſtate ſuper beneficium quod datur, quæ ſub iuriſdictione latè ſumpta comprehẽditur: ergo, ſi tantùm illo modo indulgentia conceditur defuncto, erit ſolùm per modum ſuffragij, & cuiuſdam diſtributionis bonorum communium, non verò per modum abſolutionis, quæ requirit poteſtatem iudiciariam, atque adeò iuriſdictionem in ipſam perſonam quæ abſoluitur. Accedit, quòd licèt hæc abſolutio poſſit dici iuriſdictionis voluntariæ, quatenus pendet ex cõſenſu, & acceptatione eius, qui abſoluitur: tamen, quatenus per illam commutatur vna pœna in aliam, ſeu in aliud genus ſolutionis, poteſt dici pertinere ad iuriſdictionem contentioſam, vt per illam abſolutionem liberetur reus ab alio iudicio coactiuo, ſeu vindicatiuo ipſiuſmet Dei: igitur neceſſariò requirit talis abſolutio, vt exerceatur circa ſubditum.

Obiect.

Solutio.

7. Concluſio quoad partẽ affirmatiuã probatur.

Ex hac verò priori parte negatiua, neceſſariò infertur altera affirmatiua à ſufficiẽti partium numeratione, quia ſummus Pontifex poteſt concedere indulgẽtias pro defunctis, vt oſtenſum eſt, & non auctoritatiuè, vt ſic dicam, abſoluẽdo: ergo neceſſariò id facere debet per modũ ſuffragij, quia præter hos modos non eſt hactenus iuuentus alius. Deinde poteſt oſtendi ſiue declarari, nã vnuſquiſque fidelis poteſt auctoritate priuata ſuccurrere per modum ſuffragij de ſuis propriis ſatisfactionibus animabus Purgatorij: ergo etiam poteſt ſummus Pontifex auctoritate publica ſuccurere eiſdem animabus per modum ſuffragij, ex communi theſauro ſatisfactionum Eccleſiæ. Et hoc etiam cõfirmat ratio facta pro priori ſentẽtia, ſi rectè applicetur, quia Petro & ſucceſſoribus eius conceſſa eſt poteſtas diſpenſandi Eccleſiaſticum theſaurum in vtilitatem fidelium omnibus modis conuenientibus iuxta varios illorum ſtatus: ſed vnus illorum eſt modus ſuffragij, & eſt valdè accommodatus animabus Purgatorij, quia non requirit iuriſdictionem in perſonam, quæ ſit ſubdita ſuffragãti, vt patet in ſuffragiis priuatis, quæ fiũt inter amicos, & in eleemoſynis, quę fiunt de theſauris communibus, quæ non ſolùm ad ciues, ſed etiã ad vicinos, & amicos fieri poſſunt: ergo ex hac parte non requiritur iuriſdictio reſpectu perſonæ. Quando verò ſuffragium fit ex theſauro communi requiritur iuriſdictio quædam, ſeu poteſtas in ipſum theſaurum, ſeu bona in eo repoſita, quæ apud ſummum Pontificẽ reſidet: ergo nihil illi deeſt ad huiuſmodi indulgentiam per modum ſuffragij concedẽdam. Denique huic ſenſui non obſtat particula, *ſuper terram*, quæ in principio præcedentis ſectionis expendebatur: nam ſine dubio Chriſtus locutus eſt de ſolutione ſuper terrã legitimè facta, vt rectè declaratum eſt ex comparatione ad aliam particulam, *in Cœlis*, & ſumitur ex Hilario ca. 16. in Matthæum, & Cypriano epiſt. 54. An verò ſolutio ſuper terram facta legitimè fieri poſſit pro aliquo iam non exiſtente ſuper terram ex illis verbis præciſè ſumptis non habetur: tamen ex traditione Eccleſiæ, & traditione Pontificum, & ferè ex ipſa rei natura, conſiderata intrinſeca ratione ſuffragij, intelligimus illam eſſe legitimam ſolutionem, etiamſi abſolutio non ſit, idque ſatis eſſe, vt rata habeatur in cœlis.

Hilar. Cyprian.

## SECTIO III.

### *Quid ſit indulgentiam concedi defunctis per modum ſuffragij, & quo modo ab indulgentia per modum abſolutionis differat.*

1. Prima opinio conſtituẽs diſcrimen infallibilitate.

DECISIO huius quæſtionis neceſſaria eſt ad intelligendam huius indulgentiæ vim. Putant enim aliqui differentiam inter illos modos indulgentiæ, in hoc priè conſiſtere, quod indulgentia per modum ſuffragij non eſt omninò infallibilis, ſed pendens ſemper ex libera acceptatione & miſericordia Dei; quæ verò eſt per modum abſolutionis, eſt infallibilis, tanquàm proprius actus iuſtitiæ. Sicut quãdo aliquis eſt condẽnatus ad triremes, v. g. qui oblata pecunia ſufficiente illum liberat, rectè dicetur per modũ ſuffragij ei ſuccurrere, quia iudex non cogitur illam commutationẽ acceptare, quanuis id poſſit liberè facere, ſeruando aliàs rationem iuſtitiæ in cõmutatione: nam in acceptanda tali commutatione miſcetur aliquis modus liberalitatis, quatenus non erat debita ex iuſtitia, ratione cuius illud ſuffragium non eſt de ſe omninò efficax, ſed pendens ex alterius voluntate. At verò ſi iudex alius habens vel ſuperiorem, vel æquialentem iuriſdictionem, proferat aliam ſententiam, qua liberet reum à tali pœna, & alia contentus ſit; tunc illa eſt efficax liberatio, quæ ſimpliciter nititur iuſtitia: ita ergo eſt in præſenti, iuxta dictam interpretationem. Quæ in primis fundamentum habet in ipſis vocibus ſuffragij, & abſolutionis: nam illa prior ſtatim indicat benignitatẽ, & liberalitatem miſericordiæ, poſterior verò prę ſe fert efficaciam miſericordiæ. Deinde ſuadetur, quia, ſecluſa hac differentia, vix aliqua cogitari poteſt, quę in re poſita ſit. Nam ſi indulgẽtia cõceſſa Petro, vt eam pro ſe, vel pro parte defuncto lucrari poſſit dando eleemoſynam, tam infallibiliter & efficaciter habet effectum applicata patri, ſicut ſibi ipſi, quid intereſt ad rem ipſam, & ad effectum indulgentiæ, quòd applicata patri, vocetur per modum ſuffragij, ſibi autem applicata, vocetur abſolutio?

2.

Prætereà reddi poteſt bona congruẽtia, nam quãdiu homo in hoc ſeculo viuit, licèt aliquando ſit reus pœnæ Purgatorij, nondum tamen in eum eſt prolata vltima ſententia, ſed eſt veluti ſuſpenſa cauſa: & ideò ſi priùs proferatur ſententia abſolutionis in hoc ſeculo, quàm à Deo proferatur in futuro, illa eſt efficax, & ex iuſtitia liberat hominem ab illo debito: at verò poſtquàm vltima ſententia prolata eſt in termino vię, iam

iam non habet locum actio iustitiæ, cum illa fuerit sententia definitiua & à supremo iudice: ergo solùm supereſt via misericordiæ & liberalis acceptationis Dei: hæc ergo est quæ per modum suffragij declaratur. Et confirmatur primò: nam ob hanc causam etiã priuata suffragia pro defunctis oblata, non habent tantam efficaciam, vt infallibiliter acceptentur; Imò aliqui putant ipsum sacrificium Missæ illam non habere, neq; esse aliquod opus, quod ex opere operato liberare possit animas defunctorũ ab illis pœnis, lege certa, & infallibili. Denique de hoc nullam habemus diuinam promissionem, in qua sola possit hæc infallibilitas fundari. Hanc sententiam docuit Caiet. in illa quæstione 5. & 6. & eam sequutus est Cano libro 12. de Locis, capitulo 13. ad 9. & eam etiam magis probat Corduba q.15. de Indulgentiis opin. 4.

Cõfirmatur.

Caiet. Cano. Cordub.

1. Tam infallibilẽ esse indulgentiam permodũ suffragij quàm absolutionis veriorsententia.

Hæc verò sententia mihi non probatur, sed longè verius censeo indulgentiam concessam pro defuncto tam infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in viuente, quando pro illo conceditur, si cætera sint paria, id est, si in cõcedente supponatur potestas, & in pia causa sufficientia, seu proportio, & quod opus iniunctum, seu conditio postulata sufficienter impleta sit: nam quòd ex parte recipientis nõ possit esse obex, in animabus defunctorũ supponimus, cum de solis illis loquamur, quæ in Purgatorio sunt. Hãc ergo sententiã ex modernis magis probat Soto d.21.q.2.a.3.& d.45.q.2.a.3.& Nauar. dict. notab.22.num.18. Et sine dubio fuit opinio S. Thomæ in 4.d.45.q.2.a.3.quæstione 2.vbi supposita forma indulgentiæ sufficiente, ita dicit prodesse illã defuncto, sicut viuo. Idemque sentiunt. Alens. Bonau. Maior. & Gabr. locis citatis, & alij Doctores, præsertim antiqui. Et iudicio meo colligitur apertè ex illa epist. Leonis X. ad Caietanum, in qua docet, Petrum per potestatem clauium posse aperire Rẽgnũ cœlorum, tollendo impedimenta peccatorum, quorum vnum est reatus pœnæ temporalis, secundùm diuinã iustitiam debitę pro actualibus peccatis: quod impedimentum tollit per indulgentias, quas Papa potest concedere fidelibus, siue in hac vita sint, siue in Purgatorio: *Apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi, & sanctorum dispensando, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo.* Vnde concludit, *omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consequuti fuerint, à tanta temporali pœna secũdum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, & acquisitæ indulgẽtiæ æquialet.* In quibus verbis cùm indistinctè, eodemque tenore de viuis & defunctis loquantur, planè significat æquè certam & infallibilem esse indulgentiam vtrisque concessam. Deinde expendo verbum illius, *Apostolica auctoritate*: omnis enim dispensatio auctoritate Apostolica facta, etiamsi ius ipsum diuinum aliquo modo attingat, vt est dispensatio in voto, vel alia similis, valida est, si ex rationabili causa fiat: ergo etiam in præsenti dispensatio thesauri: quæ fit auctoritate Apostolica pro defunctis, infallibiliter est valida, & efficax apud Deum, si ex rationabili causa fiat, vt supponimus. Patet consequentia ex paritate & similitudine rationis, quæ in omnibus his actib⁹ æquè procedit, fundaturque in verbis Christi: *Quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cælo:* nam nomine solutionis ibi non intelligitur sola absolutio iudiciaria, sed etiam omnis dispensatio, imò & omnis fauor & gratia ex vi illius potestatis facta: hæc ergo semper est valida & rata apud Deũ, si fiat ex rationabili causa, seu claue non errante. Nam clauis semper aperit si non errat, id est, si rationabiliter id intendat, alioqui inepta esset clauis, & solùm ex illius defectu & inefficacia non sequeretur effectus, quod planè repugnat verbis Christi. Si ergo indulgentia pro defunctis verè est actus clauium, cum procedat ab Apostolica auctoritate, efficax est, & infallibilis, si ex rationabili causa fiat.

Soto. Nauar. D. Thom. Alens. Bonau. Maior. Gabr.

Ex Leo.X. probatur.

Et declaratur ampliùs hæc ratio, quia, si effectus huius indulgentiæ non esset infallibilis, vel id esset, quia id, quod applicatur, in compensationem & remissionẽ Purgatorij, non est æquialens: & hoc dici non potest sine magno errore, quia applicatur satisfactio Christi, quæ est pretiũ superabũdans, applicantur etiam satisfactiones Sanctorum, quæ moraliter æquiualent, alioqui neque in indulgentia oblata pro viuis esset hæc æqualitas, seu æquialentia inter pœnam oblatam, & remissã, quia etiam viuis remittitur Purgatorij pœna, quæ eiusdẽ rationis, & grauitatis est, siue inchoata iam sit, siue omninò futura. Vel deest ad illam infallibilitatẽ diuina promissio, & quasi pactum acceptandi vnam pœnam pro alia respectu defunctorum, & hoc etiam dici nõ potest: nã hæc promissio sufficienter continetur in illis verbis, *Quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis:* quia, vt explicatum est, sub solutione cõprehenditur etiam hæc applicatio thesauri per modum suffragij. Alioqui nec fieret potestate clauiũ, neq; auctoritate Apostolica, vt Leo X. definit: sed fieret per modũ alicuius deprecationis, & impetrationis, quomodo quilibet fidelis posset Deũ orare, vt propter merita Christi & Sanctorũ animã ex Purgatorio liberaliter liberẽt: imò multi cẽsent posse fideles hoc impetrare, & de cõgruo mereri, quãuis nõ sit infallibile, quia non est fundatum in Christi verbo & promissione.

2. Effectui indulgentiæ per modum suffragij nõ deest infallibilitas ex inæqualitate pretij oblatiti.

Neque ex defectu diuinæ promissionis

Ex his concluditur ratio: nam effectus promissus à Christo, & propter merita eius infallibilis est: sed talis est effectus indulgentiæ, etiam in defunctis: ergo. Dices, promissionem esse conditionatam, si causa vel dispositio subsit. Respõdeo, eiusdem rationis esse promissionẽ pro viuis factam. Vnde tunc solùm dicitur infallibilis effectus, quando conditio impletur. Et quidẽ, quod spectat ad dispositionem, non solùm potest, sed necessariò impletur, quia animæ illæ necessariò sunt in statu gratię, & alia dispositio necessaria nõ est, vt infra ostendam, & licèt requireretur, fãltẽ non esset impossibilis, & hoc satis esset, vt indulgentia diceretur infallibilis, vtique in subiecto dispositio, sicut indulgentiæ viuorum, & ipsa sacramenta. Quod verò spectat ad causam, si promissio sub illa conditione facta est, clarum est conditionem nõ esse impossibilem; illa ergo posita, erit infallibilis effectus: ideóque satis esse constat in indulgentijs viuorũ. Non est ergo de ratione indulgentiæ per modum suffragij, vt non sit certa: nec repugnat esse per modum suffragij, & esse infallibilem, quia rectè potest alicui impendi suffragium, seu auxilium iustum ad commutationem, seu remissionem pœnæ, ex pacto ac lege acceptandi talẽ suffragium ad talẽ effectum: vnde in superiorib⁹ docuimus etiam suffragia viuorum pro defunctis habere effectum infallibilem.

5.

6. Primæ opinionis argumenta soluũtur.

Vnde nihil contra prædicta obstant, quæ in fauorem alterius sententię adduximus. Nam quòd ad voces attinet (quanuis in eis non sit magna vis faciẽda) fatemur nomẽ absolutionis magis præ se ferre actionem iustitię, quàm nomẽ suffragij: nihilominùs ratio suffragij nõ excludit rationem iustitiæ, quia, licèt respectu personæ, in cuius fauorem confertur, habeat rationem misericordiæ, tamẽ respectu alterius, cui fit compensatio, vel solutio, potest habere rationem iustitię. Differentia ergo inter illas duas voces ad summum est, quod vox absolutionis definitè significat actum iudiciarium requirẽtem iurisdictionem in persona; vox verò suffragij communior est, vt explicui-

mus. Nondum verò satis declaratum est, in quo esse possit differentia in re, inter hos duos modos indulgẽtiæ: quod statim prosequemur, & satisfaciemus secundæ difficultati ibi propositæ. Ad tertiam verò congruentiam respondemus in primis, solùm concludere, indulgentiam, quæ conceditur defunctis, non esse actionem iudiciariam, seu nouam sententiam, quę nomine absolutionis significatur. Deinde dicimus, sententiam latam de Purgatorij pœna nunquàm esse omninò absolutam, sed includere illam conditionem, vt anima patiatur donec soluat vsque ad minimum quadrantem: quanuis autem anima ipsa iam non possit per se soluere, nisi patiendo, tamen per amicos, seu ex bonis amicorũ illi cõuenienter applicatis, potest soluere & facta solutione ex iustitia, dimittitur libera. Nec propterea reuocatur prior sententia, sed potius impletur, quia impleta est conditio quam includebat. Cætera, quæ in illis fundamentis assumebantur falsa omninò sunt. Vt ex dictis constat, & ex tertio tomo, Disputatione 79. sectione decima.

---

*Differentia inter suffragium, & absolutionem, quæ.*

7. ALIA ergo differentia excogitari potest quòd indulgentia per modum absolutionis immediatè confertur ei, in quo habitura est effectum, nullus enim absolui potest in alio, seu per aliũ, sed ad ipsummet, qui absoluitur, immediatè, & directè dirigitur absolutio. At verò indulgentia non conceditur animabus Purgatorij directè & immediatè in seipsis, sed cõceditur alicui viuo, simul etiam illi cõcedendo, vt possit illam applicare alicui defuncto, sicut potest illi applicare suas priuatas satisfactiones: & ideò rectè dicitur esse per modum suffragij, quia, sicut offerre pro anima Purgatorij meam propriam satisfactionem est suffragium quoddam: ita etiam offerre pro anima Purgatorij satisfactionem iam mihi quasi donatam ex cõmuni thesauro, est etiam suffragium quoddam. Hanc differentiam insinuasse videtur D. Thom. dicens, indulgentias concedi defunctis non directè, sed indirectè, & secundariò, nec principaliter. Et ex eius doctrina, tum ibi, tum d. 20. colligo indulgentiam per modũ suffragij non esse propriam defunctorum, sed posse etiam habere locum in viuentibus, differentiamque esse, quòd in animabus defunctorum sola indulgentia per modum suffragij locum habet, in viuentibus autem vtraque: potest enim viuenti immediatè, & directè concedi indulgentia, quod fit per absolutionem: aliquando verò conceditur vni, vt possit alteri applicare indulgentiam si velit: & tunc respectu alterius, indulgentiam illa est per modum suffragij.

D. Thom.

Ex D. Tho. doctrina indulgentia per modum suffragij etiã pro viuis cõcedi potest.

8. Gabr. Atque hoc etiam sensit Gabriel in illa additione ad lect. 57. dicens, quando Pontifex concedit indulgentiam omnibus pugnantibus cõtra infideles, aut pugnatorem pro se mittentibus, tunc pugnantes assequi indulgentias per modum iudiciariæ potestatis; mittentes autem pugnatorẽ consequi per modũ suffragij. Quòd exemplũ non est profectò solidũ: nam etiam illis, qui suis expensis pugnatorẽ mittunt, indulgentia directè conceditur. Quod videtur præuidisse Gabriel; & ideò subiungit, si quis sit pauper, & nõ habeat expẽsas vnde mittat pugnatorem, alius verò pro eo mittat, & soluat, tũc pauperem obtinere indulgẽtiam per modum suffragij, *quatenus opus*, inquit, *pro quo indulgentiæ concessæ sunt, per modum suffragij illi applicatum est.* Sed neq; hoc rectè dictum esse mihi videtur. Nam etiam illa indulgentia propriissimè est per modum absolutionis, quia ibi intercedit quędam temporalis donatio, ratione cuius iam ille pauper suis expensis pugnatorẽ mittere cẽsetur; solùm ergo ibi interuenit eleemosyna facta pauperi, vt habeat vnde pugnatorem mittat, quo subsidio ex opere supposito, Pontifex directè & immediatè cõcedit eidẽ pauperi indulgentiam absoluendo illũ iudiciaria potestate. Vnde principium Gabrielis, quoties opus ab vna persona fit, & alteri conceditur indulgentia, illam esse per modum suffragij, nõ videtur vniuersaliter verum, quia vel ille modus exequendi tale opus per alium est in forma indulgentiæ expressus, vel non; si non est declaratus in forma, non est sufficiens ad lucrãdam indulgentiã, vt suprà probatum est; si verò est declaratus, indulgentia respectu viui reuerà est per modum absolutionis, quia non ille, qui pro alio operatur applicat ei satisfactionem, sed pontifex immediatè concedit ei indulgentiam expleta conditione per operationem alterius: concedit autem illam eadem potestate, & eisdem verbis, & sub eadem relatione subditi, sicut quãdo ab illo exigit opus per ipsummet exequẽdum, ergo æquè est per modũ absolutionis: neq; enim ad hoc quidquam refert quòd conditio requisita sit ad opus exercendum per ipsummet, vel per alium.

9. Tunc igitur solùm indulgentia acquiretur viuo per modum suffragij, quando non conceditur illi directè & immediatè, etiam propter opus per alium factum, sed alteri tantùm conceditur, vt possit pro alio indulgentiam lucrari. Sunt enim hæc duo valdè diuersa vt suprà tetigi, tum quia quando alicui conceditur indulgentia operando aliquid per se vel per alium, saltem exigitur ab illo, quod intendat aliquo modo lucrari indulgentiam, & quod ad hunc finem moraliter operetur saltem impetrando, vel mouendo, vel saltem consentiendo, vt alter vice ipsius operetur, & ideò hoc satis est, vt directè & per modum absolutionis indulgentiam obtineat. At verò quando vni conceditur, vt possit indulgentiam lucrari, eamque applicare alteri viuenti; tunc ille non operatur vice alterius, sed est quasi principale operans moraliter, ideóque non oportet, vt ex motione, aut voluntate alterius operetur, sed eius intentio & voluntas sufficit ad lucrandam indulgentiam. Nam in altero, cui applicatur, cum solùm passiuè se habeat, satis est non habere obicem, cũ sola illa interpretatiua voluntate, qua omnes censentur velle acceptare spirituale beneficium sibi oblatum. Atque hæc postrema indulgentia est simillima illi, quę pro defunctis conceditur, ideóque satis probabiliter dicitur esse per modum suffragij, sicut est illa: & de hac videtur locutus Diuus Thomas citato loco.

10. Indulgentiã pro viuis nõ posse concedi per modũ suffragij.

Nihilominus tamen non video sufficiens fundamentum ad asserendum, hanc indulgentiã viuenti applicatam esse per modum suffragij, & nõ per modum absolutionis, quia etiam tunc qui indulgentiam pro alio lucratur, non concedit illi indulgentiam, sed Papa est qui concedit, ad applicationem alterius, sed ille cui conceditur, est subditus ipsi Papæ: ergo potest illam concedere per modum absolutionis, quia licèt quoad conditiones requisitas, quæ antecedunt indulgentiam, & effectum eius, videatur talis indulgentia indirectè & per alium concedi, tamẽ quoad ipsam indulgentiam & effectum eius immediatè conceditur à Pontifice ei, qui ipsam lucratur: ergo, si ille est subditus, erit per modum absolutionis, quia Pontifex intendit tota sua potestate operari in illo talem effectũ. Accedit, quòd Pontifices in concedendis indulgentiis nunquàm addunt illam restrictionem, per modum suffragij, nisi respectu defunctorum. Sed dicunt aliqui in huiusmodi indulgentia, quam vnus alteri lucratur, applicationem satisfactionis pro alio immediatè fieri ab eo, qui alteri indulgentiam lucratur, nam priùs ipse quodammodò facit suam illam partem satisfactionis, quam ex thesauro lucratur, & deinde illam alteri donat, & in hoc consistit propriissima ratio suffragij

sed

Eluditur. Sed hoc non potest conuenienter exponi: nam satisfactio, quę est in thesauro Ecclesiæ, & communis dici potest, non fit propria alicuius quoad dominium, vt sic dicam, vel vsum, vt scilicet possit qui voluerit, illam applicare, quia hoc semper spectat ad potestatem clauium. Solùm ergo dicitur appropriari alicui quoad effectum, & acceptationem Dei remittentis alicui tantam pœnam propter tantam satisfactionẽ. Igitur quando aliquis lucratur alteri indulgentiam, non priùs sibi appropriat partem satisfactionis, aliàs statim consequeretur effectum eius, & iam nõ posset aliam applicare alteri. Nam, vt rectè notauit Adrianus concluſ. 5. de Indulgẽtiis, nemo potest applicare alteri indulgentiam, quam semel sibi acquisiuit, quia iam illa indulgentia habuit suum effectum, & posteà non potest aut simul remittere reatum alterius, sic enim duplicatum haberet effectum, aut remissionem vni factam ita in alium transferre, vt prior reatus redeat in altero, quia reatus pœnæ non potest redire, nisi redeat culpa. Ergo quando aliquis lucratur indulgentiam per alium, non donat illi indulgentiam, quam priùs suam fecerat. Neque etiã participat potestatem clauium, aut iurisdictionem, per quam applicet satisfactionem in thesauro adhuc existentem: ergo talis applicatio nullo modo fit ab ipso; fit ergo immediatè ab ipso Põtifice propter illius operationem tali intẽtione factam: ergo nihil obstat quominùs fiat per modum absolutionis, quandoquidem ad subditum fit. Video responderi posse, per illam formam indulgentiæ concedi participationem quandam potestatis clauium, vt talibus cõditionibus positis applicare possit vnus alteri tantam satisfactionem. Sed hoc nec fundari potest, aut in modo loquẽdi Pontificum, aut Theologorum, neque est verisimile, Pontificem communicare cuilibet de populo, viris, aut fœminis potestatem clauium, maximè cùm necessaria non sit ad hunc effectum, cùm Pontifex possit applicare modo à nobis explicato. Quod etiã sonant verba, quibus Pontifices in huiusmodi indulgentiis vtuntur, dicentes, *Concedimus his vel illis, pro se, vel pro aliis, &c.*

Adrian.

Euasio.

Præcluditur

11. Nullam indulgentiam cõcedi viuis tantùm per modum suffragij. Corol. 1.

Ex his ergo colligi in primis videtur, nullam esse indulgentiam pro viuis, quæ sit tantùm per modum suffragij, & non per modum absolutionis. Hoc satis patet inductione facta, & ratione etiã tacta, quia viuens semper est subditus concedentis indulgẽtias, à quo proinde absolui potest. Atq; ita semper fieri debere, colligitur ex c. *Quod autem*, de Pœnit. & remiss. Vnde quando Papa per alios concedit indulgentias tanquàm per Vicarios, vel delegatos suos, tunc etiam indulgentia datur per modum absolutionis, si viuis conceditur, quia etiam tunc is, qui proximè cõcedit indulgentiam, habet iurisdictionem ad absoluendũ. Neq; in hoc oportet distinguere, an huiusmodi delegatus habeat potestatem ordinis, nécne, quia potestas ordinis non est necessaria ad huiusmodi absolutionem, vt suprà tactum est, & infrà etiam dicetur. Fateor quidem, non inuolui repugnantiã in hoc, quòd Pontifex deleget iurisdictionem ad dispensandum thesaurum in aliquos, non constituendo illos subditos, nec delegando iurisdictionem in ipsas personas, ad eum modum quo ipse Pontifex se habet respectu animarum Purgatorij, quia neque ex parte ipsius rei, neque ex parte potestatis aut voluntatis Põtificis inuenitur in hoc repugnantia. Posito autem hoc modo delegationis, posset huiusmodi delegatus concedere viuis indulgentiam per modum suffragij, & non per modum absolutionis, vt ex dictis etiam satis patet. Dic tamen hunc modũ delegationis non esse in vsu, sed quoties Papa dat facultatem ad concedendas indulgentias viuentibus, simpliciter eam concedere iuxta capacitatem & statum eorum, atque adeò constituendo eos subditos quoad hunc actum, vt in hoc foro solui possint. Sicut etiam non repugnat, ipsum Pontificem per se concedere indulgentiam viuentibus tãtùm per modum suffragij; de facto tamẽ nunquàm id facit, vt ex dictis constat. Aliqui verò excipiunt indulgentiam concessam ex satisfactionibus Sanctorũ, quia (vt putant) solùm esse potest per modum suffragij. Sed hoc est falsum, vt in superioribus ostendi; quia quòd indulgentia sit per modum absolutionis, non pẽdet ex satisfactione, quæ applicatur, sed ex potestate per quam fit. Alij denique excipiunt indulgentiam quatenus habet effectũ in ipsomet cõcedente, quem putant posse sibi suffragari, non tamẽ seipsum absoluere, quod est probabile nõ tamen necessarium. Manet ergo generalis regula, omnem indulgentiam viuentibus concessam de facto esse per modum absolutionis, quãuis de possibili, non repugnet concedi tantùm per modum suffragij, quia omnem potestatem, quã habet Pontifex in animas Purgatorij, habet à fortiori in viuentes: vnde posset illa præcisè vti, quid enim repugnat?

Quomodo indulgentia possit viuis concedi per modum suffragij.

12. Indulgentia per modum suffragij nõ consistere in hoc, vt per alterius actionem obtineatur. Coroll. 2.

Atque hinc infero secundò, formalem, ac præcisam rationem indulgentię per modum suffragij non consistere in hoc, quòd obtineatur media actione & applicatione alterius, ipso, qui eam lucratur, quasi passiuè tantùm fructum recipiente: item infero, indulgentias defunctorum, formaliter loquendo, non ob hanc solam causam esse per modum sufftragij. Probatur vtrumque ex dictis, quia interdum conceditur, vel concedi potest indulgentia vni viuenti, vt eam pro alio lucretur, & nihilominùs quòd respectu eius cui illa applicatur, sit vera absolutio, vt ostensum est: ergo aliquid aliud concurrit seu respectu defuncti, ratione cuius indulgentia illi concessa, non est absolutio. Ergo ex illa præcisa ratione non satis explicatur modus suffragij. Imò vlteriùs etiam existimo, indulgentiam per modum absolutionis, non satis explicari per hoc quòd directè & immediatè conceditur alicui sine interuẽtu actionis, vel obligationis alterius tertiæ personæ, quia quando in suffragio ex thesauro interuenit hæc tertia persona, non est ipsa quæ dat indulgentiam, vel satisfactionem de thesauro communi applicat, sed Pontifex, vt vidimus: ergo eadem ratione Pontifex, nulla interueniente tertia persona, vel actione eius, potest illam concedere solùm per modum suffragij.

Nõ satis est ad indulgẽtiam per modum absolutionis, vt alicui immediatè conferatur.

13 An sit de necessitate indulgẽtię pro defunctis, vt concedatur medio opere viuentis. Ratio pro parte negante.

Vt autem res hæc magis declaretur, dubitari non immeritò potest, an sit de necessitate indulgentiæ pro defunctis, vt concedatur medio aliquo viuente, qui aliquid operando, illam pro defuncto lucretur. Nam si vsum spectemus, videbitur hoc esse necessarium, nunquàm enim indulgentiæ pro defunctis aliter concessæ sunt, vt constat ex historiis, seu concessionibus Pontificum suprà citatis. Atque hinc fortasse ortum est, vt modus suffragij positus esse credatur in illo quasi circuitu, seu indirecta concessione, facta vni per applicationem alterius. In contrarium autem facit, quia non est de ratione indulgentiæ, vt exigatur aliquod opus ad obtinendam illam, sed potest Pontifex immediatè illam concedere, si aliunde supponatur motiuum sufficiens: ergo potest Pontifex hoc modo concedere indulgentiam defunctis, sicut viuis, ergo potest non exigere actionem, vel applicationem tertiæ personæ. Hæc posterior consequentia per se euidens est. Prior verò patet à paritate rationis, & quia non potest ostendi specialis repugnantia. Et confirmatur, quia ille modus indulgentiæ non repugnat suffragio: cur enim, sicut ego offero immediatè ipsi Deo meam priuatam satisfactionem pro anima defuncti, vt Deus illi remitat

remitat pœnam, non potest etiam Pontifex immediatè offerre Deo satisfactionem de thesauro Ecclesiæ, applicando illam animabus Purgatorij, vel generaliter omnibus, vel specialiter aliquibus; vt Deus illis remittat tantam vel tantam pœnam? Planè hoc non repugnat rationi suffragij, vt sic. Et cõfirmatur amplius: nam, sicut absolutio potest immediatè fieri propter rationabilem causam sine alia exactione vel ab illo, vel ab alio pro illo, ita etiam solutio: ergo etiam suffragium: nam seclusa absolutione, hoc suffragium nihil aliud est quàm solutio quædam. Quòd si hæc pars posterior vera est, ex illa clarè concluditur, non satis esse vt indulgentia sit per modum absolutionis, quòd directè & immediatè concedatur alicui sine interuentu alterius: nam, etiamsi hoc modo cõcederetur animabus Purgatorij, esset per modũ suffragij, atque ita omninò euertitur opinio, in qua versamur.

14 Resolutio dubij.

Et mihi quidem videntur concludere posteriores rationes, si nudam potestatem dispensantis, & capacitatem animarum consideremus. Aliunde verò ex parte finalis causæ euenire puto, vt indulgẽtia nunquàm concedatur defunctis, nisi per viuos, nec moraliter loquẽdo aliter fieri possit. Nam in primis frequẽtior vsus indulgentiarum est, vt cõcedantur sub cõditione alicuius operis, propter cõgruentias superiùs adductas: hoc autem opus nõ potest immediatè exigi ab ipsis animabus Purgatorij, quia nec sũt capaces eius, nec quoad hoc habet nobiscum commercium. Quod enim quidam aiunt, saltem posse pro nobis orare, ideoque posse illud ab eis exigi, non rectè dictum est, tum quia illud prius incertum est, tũ etiam quia Pontifex non potest alicui opus iniũgere, quod nõ potest ei proponere seu promulgare: nõ potest autem suam voluntatem animabus Purgatorij manifestare, imò est etiã incertum, an Deus ipsis eam reuelet. Addit præterea Richardus d. 2. 20. art. 3. q. 3. rationẽ aliam, scilicet, quia oratio vt sit ab anima Purgatorij, non est opus pœnale, sicut est oratio viatoris. Sed hoc nõ multùm impediret, quia posset oratio exigi solùm, vt impetratoria. Deinde, licèt effectus indulgentiæ respiciat vtilitatem defuncti, tamen causa concedendi indulgentias semper respicit viuentes, & vtilitatem aliquam, seu profectũ Ecclesiæ in hoc mũdo militãtis, tum quia hæc est quę immediatè subest pastorali curæ Pontificis; tũ etiã, quia si sola vtilitas animarũ Purgatorij spectãda esset, posset Põtifex suo arbitrio animas à Purgatorio educere sine alia causa, cuius oppositũ certũ est. Hæc ergo causa moraliter nõ occurrit sine ordine ad viuẽtes, & ideò illis mediantibus, & per operationes eorum conceduntur indulgentiæ defunctis, & non aliter. Quamuis autem de facto hoc ita sit, non tamen in eo formaliter consistit ratio & modus suffragij, sed hęc tantùm cõcomitanter se habent, vt ex dictis constat.

Richard.

15 Indulgentiã per modum absolutionis, & suffragij, differre in modo causandi suum effectum.

Tertiò igitur ex dictis concludo, indulgentiã per modum suffragij, & per modum absolutionis, si cætera paria sint, non differre vel in quantitate effectus vel in eius infallibilitate, sed in modo causandi moraliter illum effectum. Nam quando indulgentia est per modum absolutionis, qui eam cõcedit, proximè & immediatè remittit pœnã tanquàm minister Dei, & iudex locum eius tenens: quando verò solùm est per modum suffragij, concedẽs non remittit pœnã, sed offert Deo pretium æquiualens, vt ipse remittat. Vnde fit, vt in vtraque intercedat ratio iustitiæ, sed diuerso modo: nã in absolutione, intercedit iustitia quasi vindicatiua ex parte absoluentis: nam sicut ad illum spectat punire, ita & iudicialiter absoluere. In posteriori verò modo solùm interuenit iustitia per modum cuiusdam æquiualẽtis commutationis, fundatę in pacto & promissione diuina. Verũ est tamen, etiam in altero modo includi hanc commutationẽ: quia, vt suprà dixi, absolutio non fit sine æquali solutione ex satisfactionibus thesauri, applicatis per ipsammet absolutionem. Vnde etiam rectè dicere possumus, hæc duo se habere tanquam includens, & inclusum, ex quibus tandem oritur alia differentia, quòd indulgentia per modum suffragij potest cõcedi non subditis, si alioqui dispensator habeat talem potestatem supra thesaurum: indulgentia autem per modum absolutionis solùm potest concedi subditis, quia est actus iudiciariæ potestatis. Et de hac sola intelligẽdus est textus in dict. cap. *Quod autem*, de pœnit. & remiss. quanuis simpliciter loquatur, quia loquitur de indulgentia concessa ab Episcopis, qui non possunt concedere indulgentias, nisi per modum absolutionis vt infrà suo loco dicemus. Quòd si aliquis inquirat, cur Pontifices tam accuratè explicent indulgẽtiam pro defunctis esse per modum suffragij, cùm differentia hæc, quæ à nobis explicata est, magis in subtili quadam speculatione, quàm in vsu aliquo, vel effectu morali cõsistat? Respondendũ est, id meritò fecisse, vt declararent se non abuti potestate sibi concessa, nec recognoscere animas Purgatorij tãquàm sibi subiectas, vt eas iudicare velint, sed vt charitate sibi coniunctas, & indulgentes, quibus subuenire possunt ex thesauro Christi, tanquàm dispensatores eius.

Indulgentia per suffragium potest concedi nõ subditis, nõ sic per absolutionem.

16. Tam indulgentiam per suffragium, quam per absolutionẽ verè esse indulgentias.

Vltimò infero ex dictis, licèt hæ duæ indulgentiæ per modum absolutionis, vel suffragij, dici possint formaliter, seu morali specie differre, propter differentias assignatas, nihilominùs vtramque esse veram ac propriam indulgentiam. Quod de indulgẽtia absolutionis indubitatũ est apud omnes. De illa verò, quæ est per modum suffragij, quidam dicunt esse tãtùm indulgentiam secundùm quid significãtes analogicè tantùm esse indulgẽtiam. Qui modus loquẽdi mihi non probatur, quia hæc indulgentia verè est efficax, vt remissio pœnæ obtineatur gratis, ac liberaliter respectu eius, cui talis remissio fit: sed hoc tantùm significatur nomine indulgentię: ergo. Prętereà definitio indulgentiæ suprà tacta in hanc indulgentiam pro defunctis conuenit: nam est actus iurisdictionis clauium, quo mediãte fit remissio pœnæ tẽporalis debitæ pro peccato actuali, absque sacramẽto: ergo nihil illi deest ad veram rationem indulgẽtiæ. In tota enim illa definitione nulla est particula, de qua possit dubitari, prętereà de genere; eò quòd animæ Purgatorij non sint de iurisdictione Ecclesię. Hoc verò ex dictis facilè expeditur, quia licèt hæc indulgentia non sit actus iurisdictionis in subditos, est tamẽ actus potestatis iurisdictionis ad dispẽsanda, seu distribuenda bona communia: nec enim talis actus fieri potest sine potestate, neque ad potestatem ordinis spectat, ergo erit à potestate iurisdictionis, quatenus tota potestas gubernatiua hoc nomine comprehenditur. Item hic actus est quædam solutio per quam tollitur impedimentum ingrediendi regnum cœlorum: verè ergo ac propriè participat genus positum in definitione indulgentiæ.

17 Obiectio

Solùm posset aliquis in hoc dubitare, quia diximus, in hac indulgẽtia per modũ suffragij, ipsũ Pontificem non propriè remittere pœnã, sed offerre tantùm pretium, propter quod Deus remittit: indulgẽtia autẽ propriè, & in rigore significat ipsam remissionem, ergo in hoc genere cõcessionis Pontifex nõ dat simpliciter indulgentiam, sed dat id quo obtineri. In hoc fortasse fundati sunt, qui nolunt hanc vocare indulgentiam simpliciter, sed secundùm quid, id est, cum illo addito, *Per modum suffragij*, quod putant esse diminuens: cum quibus (dummodò non dicant

dicant diminuere: certitudinem & infallibilitatem effectus) non est multum de nomine contendendum.

Solutio. Respondeo tamen, indulgentiam hanc includere remissionem pœnæ virtuali, seu morali modo, quia continet æquiualentem solutionem, ad quam veluti in genere causæ formalis sequitur expulsio alterius pœnæ, seu reatus eius: & hoc satis est, vt hæc vocetur simpliciter indulgentia: supposito quòd talis solutio fit per actum iurisdictionis: nam hoc postulat, vt dixi, communis vox, & ratio indulgentiæ, vt excludatur solutio, quæ per priuatum suffragium fieri potest: nam illa nec simpliciter, nec secundùm quid indulgentia dicitur.

## SECTIO IIII.

### *Quæ conditiones requirantur ad valorem indulgentiæ pro defunctis.*

1. QVÆSTIO hæc præcipuè intelligitur (iuxta materiam præsentis Disputationis) de conditionibus requisitis, vel ex parte animarum Purgatorij, quæ sunt veluti proprium subiectum circa quod versatur indulgentia, vel ex parte eorum viuentium, qui lucraturi sunt indulgentiam defunctis: nam illi quodammodò recipiunt hunc fauorem, seu gratiam. De aliis verò cõditionibus, quæ ex aliis capitibus possunt esse necessariæ, non est hîc dicendi locus. Certum est enim in concedẽte requiri potestatẽ, de qua suprà generatim dictum est, & infrà in particulari disputabimus, quisnam habeat potestatem concedendi hanc indulgentiam pro defunctis. Rursus ex parte finis certum est requiri piam, & rationabilem causam, de qua eadem ratio est in hac indulgentia, & in ea quæ viuis conceditur, de qua Disput. seq. dicturi sumus. Tria ergo tantùm puncta præcipua hîc declaranda supersunt.

### *An in lucrante indulgentiam pro defuncto requiratur gratia, in eo saltem tempore quo opus iniunctum perficit.*

2. PRIMVM est, an in eo, qui lucratur indulgentiam pro defuncto requiratur gratia, eo saltem tẽpore quo consummat opus ad indulgentiam requisitum. Certum est enim requiri ex parte illius, vt perficiat tale opus, quale à dispẽsatore indulgẽtiæ postulatum est: nam quoad hoc eadem est ratio de hac, & de indulgentia viuorum: nam etiam hîc est concessio conditionata, quæ non impleta conditione non sortitur effectum.

3. Rursus certum est, necessarium esse, vt tale opus fiat ex intentione & voluntate obtinendi indulgentiam defuncto, quia aliàs tale opus, formaliter loquẽdo, non esset opus indulgentiæ, id est, nullo modo esset factum pro illo, cui indulgentia procuratur, quod tamen & per seipse est necessarium ad effectum moralem, & in ipsa concessione indulgentiæ postulatur. Circa hoc autem oportet accuratè distinguere, duobus modis posse intelligi opus hoc fieri pro animabus Purgatorij: primò, ad effectum lucrandi illis indulgentiam, & hoc vt minimùm est necessarium, vt concludunt rationes factæ. Secundò, vt etiam tale opus, quatenus per se habet propriam satisfactionem, vel ex opere operantis, vel ex opere operato, offeratur pro anima Purgatorij, cui indulgentia procuratur: vt v. g. si opus illud sit ieiunium, habens satisfactionem annexam ex opere operantis, quod talis satisfactio offeratur pro illa anima: si verò sit sacrificiũ Missæ, applicetur eidem animæ quoad effectum satisfactionis ex opere operato. Et in hoc sensu non existimo esse necessarium tale opus fieri pro anima Purgatorij, nisi in ipsa concessione expressè vel sufficienter declaretur. Patet, quia hoc opus non necessariò exigitur ab operante vt satisfactorium, sed solùm vt piũ, vel pertinens ad cultum Dei, vel conducens ad complendam causam sufficientem indulgentiæ, quæ potest compleri solùm ex eo quòd fiat, etiamsi specialis fructus eius nõ applicetur tali animæ. Deinde, vt opus sit satisfactorium ex opere operãtis, necesse est quòd in gratia fiat, sed vt sufficiat ad lucrandam indulgentiã alteri, non est est necesse fieri in gratia, vt statim dicemus: ergo ad prædictum finẽ necessarium nõ est opus esse satisfactorium ex opere operantis: ergo etiãsi cõtingat esse satisfactorium, non erit necesarium propriam, & quasi personalem satisfactionem offerre pro anima, cui satisfactio procuratur, nisi hoc in cõcessione exprimatur quod rarò vel nunquàm fit. In sacrificio autẽ Missæ nõ habet locũ prędicta ratio, quia, etiãsi sacrificans sit in peccato mortali, semper habet suum effectum ex opere operato in eo pro quo offertur, si in illo non sit obex: & ad hunc finem solet præcipuè postulari hoc sacrificium, quando offerri præcipitur: & ideò in eo magis dubia res est, verisimiliúsque apparet, quando conceditur indulgentia liberandi animam à Purgatorio, dicendo vnam Missam, consequẽter postulari, vt sacrificium illud ex opere operato pro illa anima offeratur. Securius ergo est ita facere, quanquàm in rigore id non sit per se necessarium ad talem indulgentiam, sed pendeat ex voluntate concedentis. Ideóque verba rescripti, seu priuilegij attentè expendenda sunt: nam si hunc tenorem contineant, *dicendo aut offerendo Missam pro defuncto, liberes eius animam à Purgatorio*, tunc necessarium erit fructum sacrificij tali animę in particulari applicare. Si autem solùm dicatur, *Dicendo Missam*, vel, *quoties Missam dixeris, toties liberes vnam animam à Purgatorio*, tunc ex vi talium verborum satis est illud pium opus facere, etiãsi particularis fructus eius, siue ex opere operantis, siue ex opere operato tali animæ, non applicetur, sed solùm beneficium indulgentiæ. Sæpe autem non cõstat quibus verbis talis gratia concessa sit, & tunc securius est sacrificium pro defuncto offerre, semperque est optimũ consiliũ, quia fortasse hoc modo erit sufficiens causa ad lucrandam integram indulgentiam, quę alias non esset.

An quando in forma indulgẽtiæ pro defuncto postulatur Missa, necesse sit illam pro eo offerre.

Atque hinc obiter colligo, quando aliquis exequitur opus pium, vt sibi ipsi lucretur indulgentiam aliquàm, posse nihilominus propriam satisfactionem, quam ex opere operantis inde habet, alteri aut defuncto, aut viuenti applicare per modum suffragij: quia indulgentia solùm exigit executionem illius operis, non verò applicationem satisfactionis eius pro se, vel pro alio: quod à fortiori probant omnia dicta. Imò etiam quoad hanc partem existimo verum, si alicui concedatur indulgentia plenaria quoties sacrificauerit tali loco, vel tali die, vel simpliciter, posse lucrari indulgentiam sacrificium offerendo pro altero viuente aut defuncto, quia neque ex vi talis concessionis aliud exigitur, neque est verisimile indulgentiam impedire hoc charitatis opus, aut hanc esse Pontificis intentionem.

4. Lucrans sibi indulgentiã potest operis satisfactionẽ alteri donare.

Tertiò (vt ad punctum propositum redeamus) certum est, quando opus exequendum, vel pars eius tempore antecedit effectum indulgentię pro illo tempore, non esse necessarium, vt operans sit in gratia, quia suprà ostensum est hoc non esse necessarium ad lucrandam sibi indulgentiam, ergo neque erit necessarium ad lucrandum alteri. Item, quia in forma talis indulgentiæ non postulatur, vt opus fiat

5. In lucrante indulgẽtiam defuncto, non requiritur status gratiæ.

Opus debet fieri intentione lucrandi illam defuncto.

Non est tamen necesse vt satisfactio eiusdẽ operis pro defuncto operatur.

in gratia, sed vt opus fiat. Difficultas verò nonnulla est quando consummato opere statim tribuendus est fructus indulgentiæ. Et ratio dubitandi est, quia in eo casu ad lucrádam sibi indulgentiam necessariũ est, esse in gratia saltem pro eo tempore, vel momento quo consummatur opus: ergo idem erit necessarium ad lucrandam indulgentiam alteri, quia non est potentior peccator ad obtinendum beneficium alteri, quàm sibi ipsi. Atque ita tenet Angelus verb. *Indulgentia*, n. 21. dum Card. in Clem. 2 de Pœnit. & remiss.

Angel. Cardin.

Nihilominùs dicendum est etiam, tunc non esse necessarium statum gratiæ. Quod tenet Gabr. in Additione citata ad lect. 57. cum D. Thoma, & Richardo quos citat. Et idem sequitur Corduba quæstione 26. Et ratio est, quia status gratiæ solùm requiritur ad tollendum obicem indulgentiæ, & ideò per se solum est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est indulgentiæ effectum: in præsenti autem non est recepturus effectum ille, qui efficit opus ad indulgentiam requisitum, sed alius cui indulgentia procuratur: ergo. Et ideò non est simile de lucrante sibi ipsi indulgentiam: nam in eo requiritur status gratiæ, non formaliter, quia operans est, sed quia recipiens est indulgentiæ effectum. Atque hac ratione non est inconueniens, quod existens in peccato aliquem effectum possit obtinere alteri, & non sibi, quia ipse habet obicem, non verò alius: maximè cum hic effectus non nitatur merito operantis. Sicut sacerdos existens in peccato, potest per sacrificium obtinere alteri remissionem pœnæ, non verò sibi. Denique explicatur optimè ex dictis: nam is, qui lucratur indulgentiam alteri, nullo modo prius sibi lucratur aliquam satisfactionem, vt eam alteri præbeat, sed solùm exhibet conditionem postulatam, vt Pontifex alteri concedat indulgentiam: hæc autem conditio non est nisi executio talis operis quoad substantiam eius, per quod potest sufficienter impleri causa proportionata talis indulgentiæ, vt in superioribus locis declaratum est: ergo.

Gabr. D. Thom. Richard. Corduba.

6.

A

B

C

## *An requiratur character baptismalis in defuncto qui indulgentiam lucratur.*

7. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.

SECVNDVM punctum est, an ex parte lucrantis hanc indulgentiam requiratur character baptismalis (de gratia enim non disserimus: nam dictum est hanc indulgentiam solùm posse offerri pro animabus Purgatorij, quas constat esse in statu gratiæ) de charactere autem Baptismali videtur esse nonnullum dubium, quia actus clauium non possunt exerci nisi circa eos qui sunt, vel fuerunt Ecclesiæ membra: nam *de his qui foris sunt, nihil ad nos*: nullus autem est Ecclesiæ membrum, donec charactere baptismali insignitus sit, quia baptismus est Ecclesiæ ianua. Item, quia ita videtur in vsu obseruari, conceduntur enim indulgentiæ solùm pro fidelibus viuis, aut defunctis: fidelium autem nomine, iuxta communem Ecclesiæ phrasim, illi dicuntur, qui fidem in Baptismo professi sunt. In contrarium verò est, quia, vt indulgentia concedatur pro defuncto, nõ est necesse illum esse subditum iurisdictioni Pontificis, vt declaratum est: ergo neque est necesse fuisse illi subditum in hac vita, quia hæc relatio præcedens parum refert ad indulgentiam, si in præsenti tempore, quo indulgentia conceditur, nõ est necessaria: ergo nec necessarium est quòd præcesserit Baptismus, vel quod character baptismalis habeatur, solùm enim posset propter subiectionem requiri. Item ratio à priori esse videtur, quia hæc indulgentia solùm conceditur per modum suffragij, homo

Ratio pro parte negatiua.

D

E

autem non baptizatus capax est suffragij, si sit in charitate, quia communicatio suffragiorum fundatur in vnione charitatis, quam potest habere aliquis sine charactere baptismali: quia, licèt in re ipsa Baptismum nõ susceperit, potest per contritionẽ, & votũ Baptismi iustificari. Vnde probabile valdè est, priuata suffragia illis applicari, etiã quoad participationem satisfactionis, vt in superioribus vidimus: ergo verisimile est eos esse capaces huius suffragij quod per indulgentias fit.

In hac re nihil inuenio certum: nam Auctores pauca de illa dixerunt, & Palacios, qui illam attigit in 4. d. 45. q. vlt. in fine, nihil apertè dicit. Vtraque igitur pars probabilis est: & priori quidem fauent Auctores, qui communiter solùm requirunt ad indulgentiam ex parte eius, cui applicatur, statum gratiæ, & debitum pœnæ ob culpam actualem remissam, & nullam mentionem faciunt characteris baptismalis. Posteriori verò parti fauent Patres, qui negant sacrificium Missæ posse offerri pro catechumeno defuncto, ad remittẽdam illi pœnam temporalem ex opere operato: nam hinc videtur colligi generalis regula, ante Baptismum neminem esse capacem effectus ex opere operato, etiamsi iustificatus sit: nam si esset capax, posset illum recipere per sacrificium Missæ, quia ex suo genere est potentissima causa ad hunc effectum: remissio autem per indulgentiam est ex opere operato, non ergo habebit locum in non baptizatis. Vnde etiam videtur colligi, quòd sicut potestas offerendi sacrificium pro viuis & defunctis coarctata est ad baptizatos, etiamsi id, quod offertur, sit per modum suffragij, ita etiam potestas clauium ad concedendas indulgentias pro viuis & defunctis limitata sit ad baptizatos, etiãsi habere possit actum per modum suffragij. Nam per se verisimile est, Papam non posse alicui defuncto concedere indulgentiam per modum suffragij, cui viuenti non potuisset concedere indulgentiam per modum absolutionis: hanc autem non potest concedere catechumeno viuenti: ergo neque illam defuncto. Denique vsus magnum indicium est potestatis, cùm ergo hoc genus indulgentiæ nunquàm fuerit in vsu Ecclesiæ, non habemus indicium, nec rationem aliquam sufficientem, cur asseramus hanc indulgentiam esse possibilem, ideóque verisimiliùs est hunc fauorem ex Christi institutione esse proprium Christianorum.

8. Dubij resolutio. Palacios.

## *An in anima Purgatorij aliqua dispositio præter characterem baptismalem, & gratiam requiratur.*

9.

TERTIVM punctum est, vtrùm præter characterem, & gratiam alia dispositio requiratur in anima Purgatorij ad hunc effectum. Sed quæ hîc tractari poterant, in superioribus ferè expedita sunt. Nã in primis tractari poterat sententia Caietani asserentis requiri speciale meritum de congruo, quod in hac vita præcesserit: quòd videlicet quis mereatur, vt indulgentiæ post mortem illi applicatæ à Deo acceptentur. Sed circa hanc sententiam nihil noui dicendum occurrit: non enim maiori fundamento meritum hoc requiritur in defunctis, quàm in viuis postulent speciales sollicitudines satisfaciendi: vnde, quibus argumentis ostendimus sine causa postulari conditionem illam in viuentibus, eisdem concluditur hanc non esse necessariam in defunctis. Item, rationes, quibus suprà probauimus huiusmodi speciale meritum non esse necessarium ad effectum infallibilem aliorum suffragiorum, idem probant de hoc suffragio indulgentiarum, quia applicatur per potestatem à Christo concessam, & sub eius verbo ac

Non requiritur in anima speciale meritum de congruo ꝙ in hac vita præcesserit.

bo ac promissione: ergo tantùm requirit, vt non inueniat obicem. Denique quando Sancti loquuntur de huiusmodi merito, nihil requirunt, nisi quòd ad obtinendam remissionem venialis culpæ sufficiat, vt constat ex Augustino in Enchiridio cap. 110. Estque ad hoc propositum locus optimus apud Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 39. vbi sic inquit: *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat, promereatur.* Vbi etiam per purgatorium ignem ait non tolli venialia peccata, nisi quispiam in hac vita hoc promeruerit: certum est autem non esse ad hoc necessarium speciale meritum, sed illud sufficere, quòd ad moriendum in gratia satis est: de hoc ergo tantùm loquitur Gregor. & de eodem loquuntur cæteri Patres in similibus locis. Vnde sunt etiam optima illa verba Gregorij ad confirmandam sententiam, quam in superioribus cum D. Thoma docuimus, scilicet, peccatum veniale nunquàm dimitti, quandiu cum mortali coniunctum est.

August. Greg.

10. In anima nõ requiritur notitia, aut acceptatio beneficij sibi impensi. Hostiens.

Altera etiam sententia potest hoc loco tractari, quæ requirit in anima defuncti, pro qua indulgentiam lucramur, notitiam aliquam, & acceptationem beneficij sibi impensi. Sed hanc sententiam apud nullum Auctorem inuenio præter Hostiensem in cap. *Ex eo*, de Pœnit. & remiss. n. 5. vbi varias requirit conditiones ad lucrandam indulgentiam, quarum aliquæ cognitionem, & iustam illius æstimationem supponunt. Sed ille non loquitur de indulgentiis pro defunctis, quas alibi negat concedi posse, neque illæ conditiones etiam in viuentibus necessariæ sunt, sed solùm quæ in superioribus sunt assignatæ. Illa ergo speciali notitia non est necessaria in anima liberanda à Purgatorio per indulgentiam, quia, per se loquendo, nihil confert ad effectum eius. Vnde incertum est, an Deus illam cõferat per specialem reuelationem. Neque etiam ad fructum indulgentiæ obtinendum necessariũ est specialiter credere, aut sperare, hanc indulgentiam mihi applicatam futuram esse fructuosam, vt ea ratione eius notitia necessaria sit: nam illa fides neque est dispositio ad gratiam, neque ad remissionem pœnæ temporalis, vt per se constat. Vnde etiam inter viuentes is, qui lucratur indulgentiam, potest in particulari iudicare, & fortasse etiam speculatiuè credere hanc concessionem indulgentiæ non esse validam, & nihilominùs necessariam diligentiam adhibere, vt si fortasse valida est, obtineat eius effectum, quem sine dubio consequetur, si concessio reuera fuit valida, quia illa dubitatio vel credulitãs non est peccaminosa, nec ponit obicem effectui indulgentiæ. Sufficit ergo generalis fides de potestate concedendi indulgentias, quatenus necessaria est vel ad statũ gratiæ & iustitiæ, ad quem aliquando sufficiet implicita fides de tali articulo, vel ad operandum pro indulgentia lucranda, quia hoc fieri non potest sine cognitione illius. Animæ autem Purgatorij non hoc modo operantur, sed recipiunt fructum aliorum opera comparatum, & ideò neque ex hoc capite est illis necessaria illa cognitio. Nec denique talis cognitio est illis necessaria propter acceptationem, tum quia hæc acceptatio potiùs necessaria est ex parte Dei, quàm ex parte ipsarum, tum etiam quia sufficit eis illa voluntas generalis, qua desiderant satisfacere Deo quàm citissimè valeant, & omnibus modis quibus id fieri possit, quanquàm nec voluntas hæc actualis esset per se necessaria, sed sufficeret virtualis seu habitualis, in ipso statu gratiæ implicitè contenta.

## DISPVTATIO LIIII.

### *De causa finali propter quam concedi possunt, ac debent indulgentiæ.*

POST materialem causam indulgentiarũ, dicendum videbatur de formali, sed quia illa nihil aliud esse potest, nisi actus quidã causę efficientis indulgentiam: ideò commodiùs infrà post efficientẽ causam de illa forma disputabimus. Hìc ergo incipimus agere de causis extrinsecis indulgentiarum, quarum prima est finis, qui in hac disputatione explicandus est. Distinguere autẽ oportet duplicem finem, intrinsecũ, vel extrinsecum. Intrinsecus finis indulgentię dici potest ipsemet effectus proximus eius, sicut in omni actione immediatus terminus eius est finis intrinsecus illius: sic igitur remissio pœnæ est intrinsecus finis indulgẽtiæ: vnde verissimè dicitur indulgentia concedi propter liberãdum hominem à tali reatu pœnæ, vel à Purgatorio, &c. Quòd si quis dicat, remissionem pœnæ esse ipsãmet indulgentiã, ideoq; non posse esse finẽ eius, negãdum id est, nisi largè nomẽ causæ effectui tribuatur: propriè enim remissio pœnæ non est indulgentia sed effectus eius, indulgentia verò est, vel absolutio per quã fit talis remissio, vel tale suffragiũ quo cõparatur. De hoc ergo fine nihil habemus, quod addamus his, quæ de effectu indulgẽtiæ diximus. Inquirimus igitur in præsenti, an præter hunc finem necessarius sit alius extrinsecus, qui moueat concedentem ad indulgentiam præstandam, & qualis ille futurus sit quamque necessarius sit, an scilicet, vt concessio honesta sit, an verò etiã, vt valida sit, simulque attingenda erunt aliqua de causis indulgentiarum, quæ sunt in vsu, an sufficientes sint.

Finis intrinsecus indulgentiæ quis.

## SECTIO I.

### *Vtrùm ad concedendam indulgentiã necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moueat concedentem.*

1. Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi esse potest, quia indulgentia secum habet intrinsecũ motiuum sufficiens, quale est liberare proximum à tali miseria: ergo illud satis est, vt talis cõcessio honestè fiat, & à fortiori vt fiat validè, quia actus iurisdictionis inualidus nunquàm honestè fit, per se loquẽdo, & secluſa ignorãtia. Prima cõsequentia patet, quia, vt actus sit honestus ex parte finis, satis illi est habere intrinsecum motiuum honestũ: supponimus enim ex parte aliarũ circunstantiarum nõ habere inordinationẽ aliquã: nã hoc etiã accidentariũ, & extrinsecũ esset. Antecedens patet, tũ quia in ipso, cui cõceditur indulgẽtia pro se, vel pro alio, vt honestè operetur ad illam lucrandam, sufficit quòd id faciat, vt se, vel proximum liberet à tali debito, etiamsi nullum alium extrinsecum motiuum habeat: ergo in concedẽte erit illùd etiam sufficiens motiuum. Tum etiã, quia in eleemosyna corporali sufficiens motiuũ ad honestatẽ eius est liberare proximũ à tali miseria, & in eleemosyna spirituali, quæ fit per alia suffragia, simile aut proportionale motiuũ est sufficientissimũ, & in sacramento pœnitentiæ optimum motiuũ absolutionis est liberare proximum à miseria peccati, illudq; sufficit, vt supposita dispositione, & capacitate subiecti: ergo idem dicendum est in præsenti, siue indulgentia intelligatur fieri per modum suffragij & eleemosynæ, siue per modum absolutionis: nam etiã supponitur subiectum capax, & dispositum, neque propter intrinsecum finẽ redditur magis capax, magisue dispositum. Denique Christus Dominus absolutè concessit facultatem Petro, dicens, *Quodcunque*

*solueris*: neque addidit restrictionẽ, quod solueris ex causa seu fine extrinseco honesto: ergo non est à nobis addenda illa restrictio, quandoquidem neque ex natura rei necessaria est ad honestatem actus, vt ostẽsum est. In contrarium autem est, quia, si huiusmodi finis non esset necessarius, vt concessio indulgentiæ sit rationabilis, & prudens, posset Pontifex sua volũtate spoliare Purgatorium, vel omnibus ritè confitentibus totum reatum pœnæ remittere, eo tantùm fine, vt eos illo malo liberaret: consequens autem est planè absurdum.

2. Causam piã esse necessariã ad indulgentiã licitè concedendã

Dicẽdum ergo est, necessariam esse causam aliquã honestam, ac piam, ob quam expediat indulgentiam, eiúsque effectum concedere, quæ distincta sit ab ipso effectu, seu fine intrinseco indulgentię. Hęc est communis sententia omnium scribẽtium in hac materia. Et à posteriori optimè conuincitur argumẽto facto. Ratio verò à priori est, quia hæc potestas data est Ecclesiæ in ædificationem, & non in destructionem: cõcessio autem indulgentiæ solùm propter seipsam, vt sic dicam, & suum effectum, sine alia causa, esset in destructionẽ & perniciem fidelium: sic enim neq; in hac vita, neque in Purgatorio pœnas timerẽt, cùm scirent iustè & sanctè posse illis liberaliter condonari: ergo etiamsi Christus id expressè nõ declarauerit, potestas illa ex intrinseca ratione sua secum affert illam conditionem. Præterea, Deus ipse licèt sit infinitè misericors & liberalis, nõ statim remittit omnẽ pœnam temporalem, vt homines liberet à tali miseria, sed in hoc seruandum putat iustitiæ ordinem: ergo multò minùs potest Pontifex licitè id facere. Pater consequẽtia, quia in hoc se gerit vt minister Dei, qui tenetur volũtati eius sese accommodare.

Obiect.

Dices, Estò de facto Deus hoc non faciat regulariter, certũ est tamen posse id facere, sanctéq; facturũ esse, si id velit, absque alia causa extrinseca: ergo inde nõ rectè probatur, hãc cõditionẽ esse necessariã ad honestatẽ huius actus.

Solutio.

Respõdeo, in Deo duplicẽ rationem esse considerandam, vnam supremi gubernatoris, legislatoris, aut Iudicis, aliã supremi domini: si ergo priorẽ rationem præcisè spectemus, ex vi illius nõ posset illa remissio omninò liberalis, & sine vlla causa prudẽter fieri, quia esset cõtra iustitiã legalem, quã gubernator maximè seruare debet, quia respicit cõmune bonũ. Quatenus verò Deus cum illa ratione habet coniunctũ supremũ dominiũ, potest optimè omnia debita cõdonare prout voluerit: nã sua volũtate cõuertet omnia in maius bonum; Vicarius autẽ Christi cõstitutus est supremus dispensator ministerialis, nõ verò factus est dominus, & ideò integra manet lex illa iustitiæ legalis, quã violaret, si temerè & sine causa pœnas peccatorũ cõdonaret. Imò ratio etiã iustitiæ cõmutatiuæ in eo specialiter locũ habet, quæ illũ obligat, vt officio rectè & secũdùm æquitatẽ vtatur.

Cur Deus pœnam possit absque causa cõdonare, nõ verò Põtifex.

3. Quod tandem in hunc modum explicari potest: nam vel indulgentia consideratur vt absolutio vel vt dispensatio thesauri per modum suffragij. Priori modo manifestum est requirere causam, quia est actus iudicis, vt sic: iudex autem non potest prudenter absoluere reum solum vt ipsum à pœna liberet absque alia ratione, quod maximè locum habet in inferiori iudice, qui iudicare tenetur secundùm leges superioris. Imò nec ipse superior (secluso Deo propter supremum dominium) potest sua voluntate absoluere reum, nulla habita ratione communis boni, hac enim ratione non potest Pontifex etiam in propriis legibus licitè dispensare sine causa. Et confirmatur, nam hac ratione quanuis sacerdoti absolutè data sit potestas remittendi peccata, non est tamẽ ei liberum absoluere à tota pœna hominem etiã contritum, si non est sufficienter dispositus ad totum illum effectum. Dices, hoc argumentum vel nimium probare, vel posse in contrarium retorqueri: nã confessor propter nullã causam extrinsecã potest absoluere pœnitentem à tota pœna, si eius contritio non est sufficiens dispositio ad tantum effectum: ergo etiã per indulgentias non poterit dari absolutio à tota pœna propter extrinsecam causam, nisi in recipiente sit aliqua interna dispositio proportionata ad illum effectum. Vel si assignetur diuersa ratio, quia absolutio sacramentalis est puræ iustitiæ, iuxta legem præscriptam in institutione sacramenti, absolutio autem in foro indulgentiæ est potiùs benignitatis: hinc non solùm euertitur argumentum, sed etiam videtur concludi, non esse necesariam aliam causam prẽter ipsãmet benignitatem, & liberalitatem.

Obiect.

Respõdeo diuersam quidem intercedere rationem, exemplumq; non esse sumendum, vt omninò simile, sed vt proportionatum: nam sicut in iudicio pœnitentiæ causa proportionata talis remissionis est talis dispositio pœnitentis, ita in præsenti foro causa proportionata est aliquod aliud bonum pertinens ad pietatem & honorem Dei: nam, licèt in hoc foro non attendatur ratio iustitiæ particularis, quæ consideratur per proportionem ad particularem dispositionem pœnitentis, non excluditur tamen ratio iustitiæ communis seu legalis, quæ postulat, vt huiusmodi benigna remissio non fiat sine iudicio & consideratione communis boni, quoniam aliter facta non esset liberalitas, sed prodigalitas, neque esset benignitas, sed crudelitas, quia tolleretur vitiorũ correptio. At verò, si consideretur indulgentia, vt dispensatio thesauri ad subueniendum indigenti, etiam sub ea ratione requirit modum & ordinem, vt rectè fiat, qui modus & ordo maximè cõsistit in legitima causa: nam hac secluſa, nullum principium supereſt, ex quo talis moderatio sumi possit, sed sine vllo termino poſset fieri talis remissio, quod per se constat esse valdè absurdum, vt declaratum est.

Solutio.

Ex his facilis est responsio ad rationem dubitandi in principio positam. Nam, licèt subleuare miseriam indigentis per se honestum sit, si recta ratione mẽsuretur, tamen suam etiam moderationem seu propriũ mediũ requirit, peccariq; in eo potest per excessum, sicut & per defectum. Præsertim, si quis non sit dominus; sed dispensator bonorum quæ distribuit: tunc enim vt subuentio sit honesta, non satis est vt indigenti fiat, sed necesse est vt fiat iuxta rationabilem voluntatem Domini, qui dispensationem commisit. Ac præterea subsidium collatum alteri, vt liberaliter & sine vllo onere ab aliquo malo liberetur, non semper est per se honestũ, quando illud malũ maiorẽ habet rationẽ boni, aut respectu eius qui illud patitur, aut respectu boni cõmunis. Hæc autẽ in præsenti cõcurrunt: nam Pontifex concedens suffragium indulgentiæ, non est Dominus, sed dispensator: voluntas autem Christi est, vt rationabiliter dispensetur. Item malum pœnæ tẽporalis, licèt respectu peccatoris incõmodum sit, tamẽ respectu boni communis est magnum, & necesarium bonum, cui periculum crearetur, si malum illud gratis & sine causa tolleretur per alienum subsidium: non est ergo illud sufficiens motiuum, nisi coniungatur alia causa, quæ compenset illud commune bonum.

4. Rationi dubitãdi satisfit.

Quapropter non est simile de ipso, qui indulgentiam lucratur, tum quia ad ipsum non spectat munus dispẽsandi thesaurum, aut habere in hoc negotio curam iustitiæ legali, sed patiendi priuatam satisfactionem, seu soluendi proprium debitum prout commodè potuerit. Tum maximè, quia ipse iam supponit satisfactionem communem legitimè sibi applicatam, & ideò sufficienti intentione operatur, si propter suũ

5.

spiri

spirituale commodum operetur. De eleemosyna autem corporali iam dictum est. Quòd si argumentum fiat de suffragio spirituali facto ex propria satisfactione, & propria voluntate, etiam de illa non est similis ratio, tum quia fit de propriis bonis, quorum homo est suo modo dominus, tũ quia non est actus iustitiæ legalis, sed priuatæ charitatis seu misericordiæ, tum quia ex illo nullũ sequitur cõmune nocumentum, etiamsi solùm fiat propter cõmodum illius animæ cui offertur. Et quoad hoc etiam nõ est similis ratio de absolutione sacramentali: nam per illam non fit propriè dispensatio aliqua ad arbitrium cõcedentis, sed fertur iuridica sententia iuxta leges à Christo statutas: & ideò, vt honestè exerceatur, non requirit aliquã extrinsecã causam præter intrinsecã rationẽ iustitiæ, quam includit, quæ redundat in cõmodum pœnitentis, & in honorem Dei, & propter vtrumque motiuum potest honestè fieri. Concessio autem indulgentię includit dispensationem quandã arbitrariã, id est, arbitrio Pontificis relictam, ideoq; vt honestè fiat, requiritur vt tale arbitriũ ex aliqua legitima causa fiat. Vnde qui de cõfessore putant habere potestatem imponendi maiorem, vel minorem satisfactionem pro tota pœna debita, consequenter dicere debent per se loquendo, debere imponere adæquatam satisfactionem: neque posse illam in minorem commutare, nisi ex aliqua legitima causa ad illud forum pertinente.

6 Indulgentiã debere concedi proportionatam ad causam.

Atque hinc infertur, causam hanc debere esse proportionatã indulgẽtiæ, quæ conceditur, seu quantitati eius, vt concessio prudens sit & rectè facta: nam quò maior fit remissio, siue intensiuè, id est, quoad grauitatem pœnæ, siue extensiuè, id est, quoad plures personas, vel actus eo maior requiritur causa cum proportione, quod facilè patet rationibus factis, & ex ipsa generali ratione prudẽtis operationis, ac dispensationis constat, causam seu finem debere esse proportionatum actioni. Sed quæret tãdem aliquis, an talis causa semper sit sufficiẽs, vt concessio indulgẽtiæ rectè fiat. Respondeo, aliud esse de actione hac secũdùm se, aliud vt egreditur à concedẽte. Priori ratione sufficit prædicta causa ad honestatem actionis, quãtùm est ex se, seu ex suo genere: & hoc modo túc loquimur, quia hęc cõsideratio est per se, reliquaverò sũt per accidẽs, quæ non cadũt sub scientiã. Vnde posteriori modo de illa loquẽdo necessariũ est, vt ex parte operantis non adiungatur aliqua alia circunstãntia, vel praua intentio. Fieri enim potest, vt ad cõcedendam indulgentiam subsit causa sufficiens, & tamen quòd dispensator illam concedat propter auaritiam, ambitionem, vel quid simile, quæ quidem intentio reddet eius actionẽ turpem, quanuis cõcessio ipsa secũdùm se spectata sit legitima & rationabilis.

An data proportionata causa concessio indulgentię rectè fiat.

## SECTIO II.

*Vtrùm legitima causa ita sit necessaria ad indulgentiam, vt sine illa concessa, sit nulla.*

1 Ratio 1. dub.

RATIO dubitandi est, quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent: ergo quãuis talis indulgentia illicitè concedatur, nihilominùs valida esse poterit: nam in concedente est potestas, & voluntas, quantùm est ex se efficax, & nullum est principium sufficiens, quod illam irritam faciat, etiamsi reddat illicitã. Quod variis exemplis cõfirmatur. Primum excommunicatio iniusta est valida, si procedat à potestatem habente, propter quod timẽda dicitur. Et maiori ratione absolutio à simili excommunicatione à pastore cõcessa, etiamsi fortasse sit iniusta, valida est. Deinde, dispensatio in ieiunio, vel alia simili lege, non potest rectè sine causa fieri, & tamen si fiat, valida est, dummodò fiat ex plena voluntate habẽtis potestatem. Et ex hoc exemplo sumitur noua ratio: nam quãdo defectus est tãtùm contra iustitiam legalem, & non includit iniuriam contra commutatiuam, non irritat actionem, vt ex dictis exemplis constat: sed indulgẽtiæ concessio, sine iusta causa solùm est contra iustitiam legalem, & rectam gubernationem: ergo.

Exemplis idem confirmatur.

Responderi potest, dispẽsationem in illis legibus non ex eo capite esse validam, sed quia est dispensatio tantùm in iure humano, indulgentiam autem includere dispensationem in iure diuino. Sed hæc aut est petitio principij, aut oportet ostendere, quòd sit hoc diuinum ius, cui per indulgentiam derogatur. Nam, si dicatur esse prohibitio diuina de distribuendo, vel applicando thesauro sine huiusmodi causa, petitur principium: nam hoc est quod inquirimus, & oportet ostendere vbi sit hoc diuinum ius: præter hoc autem nullũ aliud excogitari potest, cui indulgentia repugnet. Et præterea adhuc illo admisso, nõ videtur sufficiens vt talis actio irrita sit: nam collatio beneficij facta minùs digno, vel etiã indigno (vt quidam volunt) valida est, quanuis sit cõtra diuinum ius prohibens iniustam distributionem: ergo similiter erit in præsenti valida dispensatio, tametsi iniusta: nam, si violatio iuris diuini contra iustitiam distributiuam non irritat actionem, cur violatio diuini iuris, quæ per indiscretam indulgentiam fit, illam reddat inualidam, cùm solùm sit contra conuenientem liberalitatem, & ad summum contra iustitiam legalem? Tandem confirmatur ab inconuenienti, quia, si valor indulgentię penderet ex causa, vix possent pastores Ecclesiæ prudenter illam concedere, cùm obscurissimum, & incertissimum sit de tali causa iudicium: & similiter fideles nunquàm possent satis firma fiducia, & pacata conscientia indulgentias lucrari, aut de illis fidere: ergo ad vitanda hæc incõmoda, verisimile est, Christum Dominũ dedisse Vicario suo hanc potestatem, vt ea vtendo semper validum actum faceret, quanquàm ea vti non debeat nisi ex legitima causa: hæc enim non repugnant, & aliàs videtur vtrumque conueniens ad maius commune bonum.

2

Cõfirmatio.

Nonnulli antiqui dixerunt, piam causam non esse de substantia indulgentiæ, seu necessariam ad valorem eius, etiamsi non negarent esse necessariam, vt rectè cõcedatur. Ita refert Paludanus in quarto dist. duodecima, nullum tamen nominat Auctorem, neque ego illum reperi: nam, licèt aliqui Maiori hoc attribuant, falsò tamen: nam ipse etiam dist. 12. quæstione secunda, illam sententiam refert, & falsam esse affirmat. Omnes ergo Doctores, tam Theologi, quam Canonistæ (eos ex parte referemus sectione sequente) consentiunt, piam causam esse necessariam ad valorem indulgentiæ. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia summus Pontifex non est Dominus, sed dispensator tantùm Ecclesiastici thesauri, iuxta illud primæ ad Corinthios quarto, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & primæ Petri quarto, *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Ergo non potest suo arbitratu facere dispensationem validam, sed solùm iuxta Domini voluntatem & intẽtionem: nam facultas dispensatoris ex ratione sua non ampliùs extenditur. Vt verbi gratia, si pater familias suas pecunias committat famulo, vt eas inter hos, vel illos pauperes distribuat, ipse verò in alios vsus eas consumat, nõ solùm malè faciet, sed etiã nihil faciet, & tam ipse, quàm illi, qui eas receperunt, ad restitutionem tenebuntur, per se loquendo. Idem est de curatore

3 Prima sent. Palud. Maior. Vera sent. 1. Cor. 4. 1. Pet. 4.

ratore in testamento relicto, quia nisi legata distribuat iuxta testatoris voluntatem, non solùm malè faciet, sed etiam nihil faciet. Est etiam simile, si quis alicui committat, vt nomine suo remittat debitum sub hac, vel illa conditione, ipse autem simpliciter remittat, nulla habita ratione talis conditionis, nihil faceret, quia non vt Dominus, sed vt minister remittit, & non impleta conditione, voluntas Domini nulla est, quia conditionalis nihil ponit in esse: sine voluntate autem Domini nihil validè fieri potest de rebus eius. Idem ergo in præsenti cõcluditur, applicando omnia dicta cum proportione. Et confirmatur: nam ipsimet Pontifices fatentur non habere potestatem hanc, nisi sub hac conditione concedendi indulgẽtiam ex rationabili causa. Ita expressè declarauit Clemens VI. in Clement. *vnigenitus*, de Pœnitent. & rem. & Leo X. in epistola sæpe citata ad Caietanum. Indicatur etiam in Concilio Constantiensi, sessione vltima, dum dicitur, suspectos de hæresi interrogandos esse, *an credam habere Pontificem potestatem ad concedendum indulgẽtiam ex causa rationabili.*

Clem. 6. Leo. 10. Conc. Cõst.

4. Difficultates quædam cõtra fundamẽtum positum.

Hoc verò fundamentum nonnulla indiget maiori expositione: nam, licèt dispensator operari debeat iuxta voluntatem, & intentionem Domini, hæc tamen intentio non semper est æquè efficax, ita vt conformitas cum illa sit necessaria ad valorem operis, etiamsi ad aliquam honestatem necessaria sit. Quando enim Dominus præcipit dispensatori, vt thesaurum suum inter pauperes distribuat, sine dubio intendit, vt prudenter id faciat, magis indigentibus ampliùs tribuendo: nihilominùs tamen, etiamsi in hoc erret, plus tribuendo amicis, vel cognatis suis, etiamsi minùs indigeant, actio valida est. Similiter, si Dominus præcipiat œconomo, vt triticum, vel aliquid simile emat, intendit absque dubio, vt opportuno tempore, & moderatissimo pretio, quoad possit, illud emat: si autẽ œconomus parua adhibita diligentia, rigoroso pretio, non tamen iniusto, illud emat, actio valida est, quia, licèt non se gerat vt fidelis dispensator & prudens, non tamen simpliciter iniustus. Quanquàm ergo in præsenti constet dispensationem indulgẽtiæ sine causa factam non esse iuxta Christi intentionem, adhuc tamen probatum non est, talem esse intẽtionem illam, vt irritet factũ, quia conformitas cum illa solùm videtur pertinere ad quandam fidelitatem, & prudentem dispensationem. Nec testimonia Pontificum hoc satis conuincunt: affirmant enim datam esse illis hanc potestatẽ, vt ex rationabilibus causis illa vtantur, non tamen affirmant hanc conditionem eo sensu, & rigore esse adiectam, vt si non impleatur, irritet actum.

5. Expediũtur difficultates & fundamẽtum positũ ampliùs exponitur.

Addendũ est ergo, hanc conditionem esse de substantia huius actus, & hoc modo requiri ex intentione Christi, quę nõ ex speciali reuelatione, sed ex ipsa rei natura, tali potestate supposita, colligenda est. Nam illa conditio, quæ est omnino necessaria ad finem principalem, propter quẽ conceditur potestas, necessaria est ad substantiam & valorem actus talis potestatis: sed in præsenti huiusmodi est illa conditio: ergo. Maior per se nota est in terminis. Minor autẽ probatur primò ex illo fine generali, quod potestas hæc data est in ædificationem, non in destructionem; primæ ad Corinthios quarto. 2. ad Corinthios 10. Sed ad hũc finem necessarium est, vt indulgentiæ non concedantur sine rationabili causa, quia aliàs omnino eneruaretur Ecclesiastica disciplina, vt dicitur in capit. *Cùm ex eo*, de Pœnitent. & remiss. Secundò, ex inconuenienti suprà illato, quòd Pontifice concedente sine causa speciali indulgentiam plenariam omnibus animabus Purgatorij, factum teneret, quod per se absurdissimũ est: ergo signum est, A rationabilem causam esse de substantia actus. Tertiò, quia constat hanc potestatem non esse datam, vt indulgentiæ concedantur solùm propter liberandas animas à reatu pœnę, alioqui hic finis esset sufficiẽs etiam ad honestatem actus: ergo præcisè data est, vt propter alias rationabiles causas indulgentiæ cõcedatur. Quartò, quoties potestas est ad dispensandum, seu immutandum aliquo modo: ius ab ipsomet superiore statutum, est de substantia & valore actus, vt non fiat sine iusta & rationabili causa: huiusmodi autem est hæc potestas: ergo. Maior habetur ex communi consensu omnium Theologorum, qui hac ratione dicunt, dispensationem in re pertinente ad ius diuinum, sine causa factam à Pontifice, esse nullam, vt in voto, in matrimonio rato, &c. Et ratio à priori est, quia non potest irrationabilis voluntas inferioris irritare rationabilẽ voluntatem, superioris neq; est verisimile, superiorem talem dedisse potestatem. Item, quia ferè nullius momenti esset lex superioris, si inferior posset sine causa obligationem eius cum effectu tollere. Minor autem declaratur, quia ius diuinum est, vt qui peccauit, & nondum planè satisfecit, tali pœna in Purgatorio afficiatur: hoc autem ius magna ex parte immutatur, & in illo aliquo modo dispensatur, quoties quis absoluitur ab illa pœna per indulgentiam: ergo.

B

6. Obiect.

Dices, diuinum ius non esse aliud determinatè, sed sub disiunctione, vt patiatur illam pœnam, si per aliam huius vitæ moraliter æquiualentem non soluat, aut pro eo soluatur, aliàs nõ posset quis per propriam etiam satisfactionem huius vitę liberari à reatu illius pœnæ sine alia speciali causa, multóque minùs posset vnus redimere pœnã alteri⁹ per sua priuata suffragia sine simili causa: quia etiã his modis mutaretur ius diuinũ, si absolutè positũ esset. Si autẽ positũ est cum illa disiunctione, non mutatur, neque in eo dispensatur per indulgentias, sed quo alteram partem impletur: nam per indulgentiam fit condigna solutio pro alio ex thesauro Ecclesiæ: ad veritatem autẽ disiunctiuæ sufficit vt vna pars impleatur.

C

Solutio.

Respondeo, ius diuinum absolutè esse vt peccata puniantur, & quoties de nouo fuerint commissa, de nouo etiã exigatur noua vindicta & satisfactio, quæ per se quidem exigatur ab ipsomet qui peccauit, propter vnionem autem charitatis acceptatur etiam exhibita & oblata ab alio: in vtroque autem modo necessarium est, stando in rigore iuris, vt post culpam sequatur vindicta, & satisfactio, ideoque nullus iustus potest illas satisfactiones, quibus fortasse illo tẽpore abundat, reseruare, vt per eas soluat culpas, vel à se, vel ab alio posteà commissas, seu committendas. Et ratio esse videtur, quia finis vindicatiuæ iustitiæ per se loquendo, id exigit, vt efficax esse possit ad emendanda & coërcenda delicta: nam si per actiones priùs factas posset aliquis satisfacere pro subsequẽtibus culpis, quasi impunè peccaret, licentiamque peccandi acciperet. Quòd ergo per satisfactiones præteritas, & in thesauro Ecclesiæ reseruatas soluantur pœnæ debitæ pro peccatis posteà commissis, dispensatio quædam est in prædicto diuino iure.

D

E

7. Prior modus, quo per satisfactiones in thesauro repositas, pœnæ peccatorum solui possũt.

Duobus autem modis, in genere loquendo, hoc fieri videtur. Prior continet omnes modos, quibus applicatur satisfactio Christi ad redimenda efficaciter nostra peccata, & pœnas eorum ex immediata institutione ipsius Christi, vt per omnia sacramẽta, & sacrificium, & ad valorem huius institutionis & remissionis nulla alia causa necessaria est prẽter infinitum valorem ipsiusmet passionis Christi, eiusdemque voluntatem per potestatem Ecclesiæ operãtem, prẽterquàm quòd in omnibus illis mediis, quibus ex diuino

diuino iure applicatur satisfactio Christi, facilè est inuenire plures causas,& rationes, ob quas hoc genus remissionis, & indulgentiæ ab ipso Christo concessum est,moderãdo aliquo modo rigorem alterius iuris,vt ex dictis de institutione, & effectibus sacrificij Missæ sumi potest. Posterior modus continet omnem applicationem satisfactionum Christi & Sãctorum ex thesauro Ecclesiæ ad remittendas pœnas, pro peccatis commissis iam debitas,factam ex immediata institutione & concessione Ecclesiæ, licèt per potestatem à Christo datam, & huiusmodi est indulgentiarum remissio. Continet ergo hic modus dispensationem aliquam in diuino iure, cúmque ab homine immediatè fiat, legitimam causam requirit, sine qua valorem non obtinet. Neque obstat valor satisfactionum Christi,non quia ex se non sufficiat ad omnem pœnam tollendam:sed quia licèt infinitus sit, nihilominùs postulat rationabilem applicationem: neque enim Christus ipse meruit, aut voluit vt diuitiæ suæ indiscreto modo distribuerentur, seu potiùs dissiparentur. Nam, si hoc ipse meruisset, scilicet vt applicario sine causa facta, valida esset & accepta Deo,ipse potiùs per se hoc fecisset,applicando nobis efficaciter suas satisfactiones ad redimẽda omnia peccata quouis tempore committenda,absque alia causa,vel operatione nostra, præter valorem sui meriti, prout his temporibus dicunt hæretici: sicut ergo hoc absurdissimum est,& contra fidem,& bonos mores,ita etiam illud fuisset absurdum.

Posterior modus.

*Ratio dubitandi enodatur.*

8. His ergo modis sufficienter fundata est illa communis sentẽtia,quæ verissima est,magisque roboratur respondendo ad rationẽ dubitandi in principio positam,præsertim ad exempla, quæ in ea afferũtur. Concedimus ergo generatim, loquendo, multa illicitè fieri, quæ facta tenent, negamus tamen concessionem indulgentiæ ex horum numero esse,sed ex his quæ & illicitè,& inualidè fiunt:Negamus subinde in Pontifice esse potestatem ad talem indulgentiam concedendam: nam licèt potestatem habeat ad concedendas indulgentias, non inde fit habere potestatem ad talẽ indulgẽtiam,quia nõ habet hãc potestatẽ nisi sub tali modo seu conditione, vt explicatum est: quod vno verbo dici potest, habere potestatẽ ad indulgentiam legitimam,quæ sola,iuxta verum sensum & vsum Ecclesiæ,indulgentia simpliciter dicenda est: nam alia potiùs est dissipatio,aut præsumpta, seu intenta indulgentia,quàm vera.

9. Primo exẽplo respondetur. Ad primum exemplum respondetur, non omnem excommunicationem iniustam esse validam, sæpe enim est nulla,& tunc maximè,quando sine vlla legitima causa fertur, ex quo posset argumentum retorqueri. Quomodo autem aliqua excommunicatio iniusta sit valida,infrà suo loco dicetur:nam hic nõ potest breuiter declarari,solùm dico id solùm posse cõtingere,quando talis iniustitia non omninò tollit iustam causam excommunicationis.

10. Secũdo exẽplo satisfit. Ad secundum exemplum de absolutione ab excõmunicatione distinguendum est: aut enim absolutio datur ab eodem, qui excommunicationem posuit,& tũc valida est,siue iure,siue iniuria detur:quia ipsamet tollit vinculum, à cuius voluntate pendet, & eadem ratione valida erit,si à superiore detur,qui eminenter continet,vt sic dicam,voluntatem inferioris: at verò, si is,qui absoluit,sit inferior,non poterit absolutio esse valida,si sit iniusta:& ex hoc membro sumenda esset similitudo,quia concedens indulgentias, se habet vt inferior dispensator,vt declaratum est.

A Ad tertium exemplum,non desunt qui negent dispẽsationes in ieiunio & similibus legibus humanis validas esse, si absque legitima causa concedantur, quia etiam illa dispensatio procedit à potestate clauium,quæ est etiam ministerialis, & data in ædificationem, & non in destructionem:& ideò non est data vt ad libitum quispiam ea vtatur, sed sub certa regula & mensura, pertinente ad commune bonum, sub qua non continetur dispensatio illa sine legitima causa concessa. Sed omissa hac sententia, quam nimis rigidam, & non satis fundatam censeo, meliùs respondetur negando consequutionem, quia concessio indulgentiæ includit dispensationem in diuino iure, vt explicatum est,neque in hoc petitur principium, quia hoc ius non est tantùm prohibitio concedendi indulgentias sine causa: illa enim sola non B sufficeret ad irritandum actum: nam etiam est prohibitio diuina, & naturalis dispensandi sine causa in communi lege etiam humana, & nihilominùs dispensatio non est irrita. Est ergo illud ius, quod latum est à Deo de iusta vindicta peccatoris, quod suo modo sequitur ex natura rei ex ipso peccato. Ratio autẽ differentiæ quoad hoc inter dispensationem humani & diuini iuris est clara: nam quando dispẽsatur in iure diuino,dispensatur,vt sic dicam,in alienis bonis, seu in aliena voluntate, & superiori, & ideò vt validè fiat, requiritur causa, quia sine illa non consentit superior, & sine eius consensu in tali negotio nihil fit. At verò per dispensationem legis humanæ dispensat homo in re propria, seu in suamet voluntate:& ideò factum tenet, quia etiamsi talis voluntas C illicitè, & sine causa mutetur, tamen verè mutatur, & consequenter tollitur obligatio, quæ ab illa pendebat:Sicut, si legislator humanus sine causa abroget totam legem à se latam, quanuis fortasse malè faciat & cum detrimento communis boni, nihilominùs factum tenet,quia de facto mutat voluntatem suam, à qua tota res pendebat.Et in idem redit quod alij dicunt, talem dispensationem esse validam, quia in ea se gerit dispensator vt iudex supremus, & non præcisè vt gerens vices alterius: id enim intelligendum est de Principe supremo non absolutè, sed respectiuè, id est, quia dispensat in re, quam ipse primò constituit, & quæ ab eius voluntate pendet, tanquàm ab eius proxima principali causa. Quapropter necesse est loqui de homine dispensante in lege à se, vel ab æquali, vel ab inferiori lata: nam, si inferior dispen- D set in lege superioris, vt Episcopus in lege Pontificis, planè dispensatio non erit valida, si absque causa fiat: militat enim eadem ratio. Addo præterea, rationem aliam tactam in eodem exemplo de iustitia legali, & commutatiua sustineri non incongruè posse: nam indulgentia sine causa concessa non immeritò dici potest iustitiæ commutatiuæ repugnare: nam, si illa indulgentia consideretur vt absolutio iudiciaria,continet iniustum iudicium contra satisfactionem Deo debitam: si verò consideretur, vt suffragium quoddam,est veluti eleemosyna quædam facta ex alicuius bonis in casu non concesso.

11. Tertiũ exẽplũeluditur.

Ratio reddi tur,cur dispensatio absque causa in humano iure sit valida,non autẽ in diuino.

12. Solutio ad 4. exẽplum. Quartum exemplũ erat de beneficio collato indigno,vel minus digno. Et quidem de priori satis probabiliter dici potest esse inualidam & humano, & diuino iure, & naturali,quia est contra iustitiam cõmutatiuam, cum grauissimo detrimento boni com- E munis, & quia dispensatio,seu alienatio thesauri Ecclesiastici à prælato facta sine causa, vel necessitate, vel sufficienti cõpensatione est per se irrita,quia prælatus non est dominus illius thesauri,sed dispensator: ergo maiori ratione idem dici potest de dispensatione beneficij facta indigno. At verò, quidquid sit de hac sententia, nunc non est sufficiens ad respondendum

dum exemplo adducto, quia de collatione facta minùs digno dubitari non potest quin sit valida, dummodò dignus sit. & de illo ferè procedit idem argumentum: nam collatio illa etiam est contra diuinum ius, & in eo se gerit concedens tanquàm dispensator infidelis & iniquus. Caiet. ergo tom. 1. Opusc. tract. 9. q. 1. ad 2. respondet concedendo collationem etiã indigno factam esse validam, & negando consequẽtiam, & rationem reddit, quia ministeria, seu beneficia, & indulgentiæ sunt in diuerso genere dispẽsabilium: *illorum enim*, inquit, *efficacia ex solo pendet imperio: horum autem efficacia absque vera dispensatione esse nequit*. Nullam tamen rationem Caietanus affert, ob quam beneficiorum collatio sit ex his bonis, quę solo imperio validè donari possunt, indulgentiæ autẽ nõ sint in hoc ordine. Et cõtra ipsum obiici potest ratio, qua probat indulgẽtias nõ posse dispẽsari pro solo imperio: quia, scilicet, tẽporalia bona nõ possũt ita dispẽsari, & spiritualia non sint minùs pretiosa & chara Ecclesiæ. Sic enim argumẽtabimur. Nõ sũt minùs pretiosa & chara Ecclesiæ beneficia Ecclesiastica, quàm bona tẽporalia: ergo, si hęc nõ possũt validè dispẽsari pro solo imperio, multò minùs illa: vel si illa possũt, etiã reliqua spiritualia poterunt, etiãsi sint magis clara, vel reddenda esset differẽtiæ ratio.

Caietan. respons.

Impugnatur

13. Responsio alia.

Respõderi ergo potest, dispensationem factã contra diuinũ ius, per se loquendo, & ex vi talis obiecti esse inualidam, nisi aliũde ad commune Ecclesiæ cõmodum, necessarium sit talem actionem, non obstãte inquitate eius, suum effectum consequi: nam tunc cõsiderato præcipuo fine potestatis datæ pastoribus Ecclesiæ, nimirum, vt sit in ædificationem eius, præfertur commune bonum priuatæ malitiæ, vt rata sit talis actio: sic enim valida est collatio Baptismi, etiãsi indignissimo conferatur: & ordinatio sacerdotis, vel consecratio Episcopi rata est, & suum effectũ habet, etiamsi persona sit omninò indigna. Simili ergo modo electio, seu prouisio Episcopatus, vel alterius beneficij inferioris valida est, etiam in persona indigna, quia ita expedit ab commune Ecclesiæ bonum. Quia licèt absolutè nõ expediat Ecclesię habere indignum prælatum, tamẽ postquàm ille constituitur, multò magis expedit vt sit verus Prælatus, quàm vt sit nullus; tum quia, si non esset verus Prelatus, omnia eius acta inualida essent, quod esset magnum cõmune detrimentum; tum etiam, quia aliàs nunquàm Ecclesia esset certa de suis Prælatis, quia sæpissimè dubitamus, an electi digni sint, indulgẽtiis autem nõ est similis necessitas. Hæc responsio est probabilis, & aliqua ex parte necessaria, non tamen mihi omninò satisfacit: primò, quia non explicat veram & propriam rationẽ à priori huius rei. Secundò, quia, si ratio illa semper esset valida, nunquàm deberet electio esse ipso iure irrita ex aliquo defectu occulto, nec ob vitiũ simonię, aut aliud simile, quod est cõtra omnia iura. Sequela patet, quia tunc etiã expediret magis habere indignum Prælatum, quàm nullum, propter eadem incõmoda, vel ii tunc non sequuntur, in vniuersum etiam non sequũtur. Vnde obiicitur tertiò, quia etiamsi prouisio sit inualida, acta ab electo eo titulo; & communi existimatione reputato Prælato, erunt valida iuxta l. *Barbarius*, ff. de Officio Prętoris, & communem ac receptam doctrinam, & ita vitatur priùs incommodum: Posterius autẽ ferè nullum est, quia non agimus de quocunq; minùs digno, sed de simpliciter indigno, de quo nõ facilè iudicari potest, semperque præsumi debet dignus, qui euidentissimè non cognoscitur indigens, quod rarò contingit: inde, licèt oriãtur dubia, deponi debẽt. Imò, licèt alicui in particulari cõstaret hanc personã esse indignã, si tamen cõmuni existimatione reputaretur digna, & haberetur vt verus Prælatus, tenerentur ei parere, quia acta eius essent valida, vt dictũ est.

Improbatur.

A

B

C

D

E

Vt ergo rem hanc explicemus, aduertendum est, aliud esse agere aliquid vel donare, aut distribuere quidpiam contra ius diuinum & naturale, aliud verò esse dispensare in ipso iure diuino, tollendo vim & obligationem eius. Cùm ergo dicitur esse nulla dispensatio facta in iure diuino sine causa, non priori, sed posteriori modo intelligendum est: quod exemplis, & ratione manifestè declaratur. Nã si quis habẽs superfluas diuitias, eas distribuat inter homines diuites, omissis pauperibus grauiter indigentibus, sine dubio agit contra ius diuinum, & naturale, & nihilominùs dispensatio valida est, quia per eam non tollitur obligatio illius iuris diuini, sed violatur. Secus verò esset si aliquis posset dispensare in illo iure obligante ad dandam eleemosynam indigentibus ex superfluis: nam si id faceret sine legitima causa, nihil faceret. Sic etiam si quis habens simplex votum castitatis, matrimonium contrahat sine alia causa legitima, contra ius diuinum agit & nihilominùs matrimonium tenet, & tamẽ si illi concedatur dispensatio sine causa ad matrimonium contrahendum, dispensatio nulla est: sunt ergo illa duo longè diuersa. Ratio autem est: nam lex diuina prohibens factum ex ratione iuris, seu pręcepti tantùm, nõ impedit factum quoad substantiã, vel effectum eius, vt sic dicã, sed solùm quoad honestatem eius: lex enim cohibet voluntatem, tamen per se non tollit potestatẽ. Dico autẽ, *per se*, seu ex vi iuris, aut præcepti: quia ex alio capite, si tollat dominiũ, vel capacitatem, vel aliquid huiusmodi, potest actũ irritare. Quando autẽ aliquis facit contra legẽ, nõ tollit ipsam legẽ, sed solùm rũpit eius obligationem, & ideò hoc nõ impedit quominùs actio possit esse valida. At verò lex per se & vi sua secum affert vt à nullo inferiore tolli possit, nisi iuxta præscriptum ipsiusmet legislatoris: per dispẽsationem autem in lege tollitur ipsa lex, saltem ex parte, seu quoad aliquem: & ideo talis dispensatio sine causa facta, nulla est.

14. Aliud est agere cõtra ius diuinũ, aliud dispẽsare in iure diuino.

Ex hac ergo doctrina ad propositam difficultatẽ dicimus concessionem indulgentiæ sine causa, non solum esse contra diuinum ius prohibens illam, sed etiam esse aliquo modo dispensationem in diuino iure de vindicta malefactorum, & in obligatione satisfaciendi: nam & hanc tollit, & rigorem illius iuris multum remittit, vt explicatum est: collatio autẽ beneficij contra iustitiã facta, est quidem contra diuinum ius prohibens illam, non est tamen dispensatio in aliquo diuino iure. Nam in primis est donatio, seu distributio cuiusdam rei humanæ: nam beneficium, licet res Ecclesiastica sit, & aliquo modo spiritualis, nihilominus res humana est, quæ sub dominium & vsum hominis cadit & per homines immediatè datur. Et deinde per illam donationem nullius diuini iuris obligatio tollitur, aut remittitur, quãuis aliqua violetur: & ideò, neque est exemplum simile neque ex hac parte repugnat collationem beneficij validã esse. Atque hæc ratio æquè procedit, siue collatio fiat minus digno siue omninò indigno: nam præcisè ex eo capite, quod est dispensatio contra ius diuinũ, neutra est inualida An verò ex alio capite aliqua earum sit nulla, alio loco examinandum est. Nam illa, quæ fit digno, licèt minus, etiãsi non obliget electũ ad relinquendum beneficium neque electorem (vt puto) ad restituendum, non ideo est, quia tollat aliquam obligationem diuini iuris, sed quia nullum est diuinum ius, quod talem obligationem imponat, eò quod actio illa non sit contra commutatiuam iustitiã; & quia recipiens beneficiũ, sufficiẽs est ad satisfaciendũ suo muneri, etiãsi nõ sit optimus. Similiter etiam

15. Germana difficultatis solutio.

etiam collatio facta indigno, licèt demus ratam esse, non tollit ab eo obligationem relinquendi beneficium, neque à superiore, irritandi talem collationem, atque ita nullam remittit obligationem diuini iuris, neque in eo dispensat, ideoque ex hoc capite non est irrita, si aliud nõ obstet. Quin potiùs, neque alienatio temporalium bonorum Ecclesiæ facta à prælato ex solo imperio est irrita ex eo capite quòd est dispensatio in iure diuino, vel cõtra ius diuinum: nam primum non est verum, & secundum præcisè non sufficit. Est ergo nulla; quia fit sine dominio talium rerum, atque adeò sine potestate morali, necessaria ad valorem talis actionis.

16. Obiectioni occurritur.

Dices, etiam collatio beneficij fit sine dominio in illud. Respõdeo, iam hoc est aliud caput, de quo suo loco disputandum erit, an sufficiat: fieri enim potuit, vt licèt collatio beneficij non fiat à Prælato vt à domino, sed vt ab œconomo Christi, nihilominùs ipse dominus non postulauerit dignitatem recipientis ad valorem actionis, propter maius commodum Ecclesiæ, & quia ad subueniendum illi malo satis est, quoad illa actio irritanda, etiamsi non sit irrita. In quo etiam differt à concessione indulgentiæ. Nam, si hæc

Replicatio enodatur.

facta sine causa, semel fuisset rata, nunquàm potuisset ampliùs irritari. Solùm video instari posse de electione summi Pontificis, quę licèt fiat in persona indigna, si quoad cætera ritè fiat, valida est, & irritari ampliùs non potest. Sed illud est peculiare; tum quia non conferunt homines illam dignitatem, sed Christus ipse, qui in eo casu ex præscripta lege confert dignitatem indigno propter summam Ecclesiæ necessitatem, vt tollantur schismata, & potest facere de indigno dignum, si sit capax, & nõ resistat, seu se disponat ad quod tenetur, vel dignitati susceptæ renũciari. In concessione autem indulgentiarum nulla est huiusmodi necessitas, neque sequuntur vera aliqua incommoda ex eo, quòd sit necessaria causa legitima ad valorem earum, quia non est necessarium habere certam fidem in particulari de valore huius vel illius indulgẽtiæ, sed sufficit pia credulitas, supposita certa fide de potestate indulgentiarum: nam etiam in sacramentis non habemus hanc certam fidem de veritate huius sacramenti in particulari, quatenus pendet ex hominis intentione, vel ex alia simili causa.

17. Dubium.

Duo tamen hoc loco declaranda supersunt. Primum est, an si quis quod in se est, seu quod postulatur faciat ad lucrandam indulgentiam sine causa legitima concessam, saltem liberetur obligatione implendi pœnitentiã iunctam, sicut liberaretur si talis indulgentia esset ex legitima causa concessa. Et ratio dubij esse potest, quia talis indulgẽtia in tantùm valida non est, in quantùm derogat diuino iuri: ergo quatenus tollit aliquod humanũ ius, poterit esse valida, quia quoad hoc voluntas superioris est efficax, etiam absque causa, vt dictum est. At verò obligatio implendi pœnitentiam iniunctã, non est ex iure diuino, sed ex humano, nimirum, præcepto cõfessoris: obligatio enim seu debitum satisfaciendi absolutè, seu aliquo modo est ex diuino iure, & ideò sine dubio non tollitur per talem indulgentiam: obligatio autem satisfaciendi per hoc opus iniunctum à confessore, est ab homine: tolletur ergo per talem indulgentiam. Et confirmatur: nam hac ratione Innocentius III. in c. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remiss. dicit per indiscretas & superfluas indulgentias pœnitentialem satisfactionem eneruari, quia nimirum per illas etiã tollitur obligatio implendi tales satisfactiones. Nihilhominùs distinguendum est: aliud est enim loqui de re ipsa, aliud de conscientia pœnitentis: nam in re ipsa, existimo hanc obligationem non auferri per huiusmodi indulgentias. Ratio est, quia indulgentia non tollit hanc obligationem reuocando præceptum confessoris, sed subtrahendo materiam eius, vt suprà dixi: per huiusmodi autem indulgentiam, non tollitur materia huius præcepti, quia non tollitur debitum satisfaciẽdi: ergo nec præceptum illud tollitur. Nec refert quòd sit ab homine, quia est latum in altiori foro, in quo homo gerit vices supremi iudicis, & ideò non potest ab alio homine directè reuocari præceptum eius in alio extrinseco & inferiori foro, nisi alioqui ipsum præceptum cesset deficiẽte materia. At verò in conscientia pœnitentis fieri potest vt obligatio cesset, seu potiùs ipse excusetur, quia illi non constat de nullitate indulgẽtiæ, sed potiùs bona fide præsumit indulgentiam esse validam: & hoc modo maximè fit vt per superfluas & inualidas indulgẽtias sacramentales pœnitẽtiæ eneruetur.

18. An indulgentia inualida ex defectu causæ valeat ad eas concessiones quæ cum ea fiũt.

Secundum dubium est, an saltem valeant huiusmodi indulgentiæ quoad alias concessiones, quæ cum eis fieri solent, vt v. g. datur facultas ad eligendum confessorem, qui possit absoluere à casibus reseruatis, dispensare in votis, & similia, an hæc omnia habeant effectum, quanuis indulgentia inualida sit, Videntur enim consequenter hæc omnia esse inualida; tum propter similitudinem rationis; tum etiam quia omnes hi fauores conceduntur in ordine ad indulgentiam: ergo si illa est nulla, etiam ipsi: nam accessorium sequitur principale: ergo vbi principale nihil est, accessorium etiam cessat. Dicendum nihilominùs censeo, omnia, quæ ex vi talium facultatum fiunt, quãtùm est ex hoc capite, validè fieri. Ratio est, quia hæc omnia præcisè pendent ex iure humano, seu ex voluntate Pontificis. vt v. g. quòd hic sacerdos possit confessiones huius vel illius pœnitẽtis audire, quòd possit dispensare in votis, quòd tales casus sint, vel non sint reseruati, & similia. Hæc enim omnia per voluntatem Pontificis, limitari possunt, vel extendi, aut delegari: sunt ergo omnia valida, etiamsi ex sola voluntate sine alia causa fiant. Et ideò longè diuersa ratio est de illis, & de indulgentia. Neque etiam obstat, quòd simul cum indulgentia concedantur, vel propter illam: nam interdum se habent merè concomitanter seu accumulatiuè: & tunc nulla est omninò ratio dubitandi, vt quando conceditur facultas audiendi sacrum tempore interdicto, vescendi lacticiniis tempore prohibito, & similia. Aliquando verò videntur concedi in ordine ad indulgentiam, vt homo faciliùs se disponat ad illam obtinendam: & de his procedit ratio dubitandi, sed nullum scrupulum ingerere debet: quia, licèt intentio Pontificis reuerà sit vnum concedere in ordine ad aliud, non tamen vult vt valor indulgentiæ sit conditio necessaria, sed absolutè vult vtrumque, & in vtroque vult operari quantùm potest, quanuis ad vnum moueatur ex intentione alterius: quia verò plus potest circa dispositionem, quàm circa ipsam (vt sic dicam) ideò fieri potest, vt vna concessio sit valida sine alia. Atque hinc sequitur, absolutionem à reseruatis, vel dispensationem in voto, &c. factam ex vi talium priuilegiorum esse validam. Dico, autem, *Quantùm est ex hoc capite*, quia oportet vt alia necessaria concurrant, vt v. g. quòd dispensatio in voto fiat ex legitima causa, quòd absolutio à reseruatis fiat cum debita dispositione, & similia: nam in hoc

Innoc. 3.

sensu dãtur talis facultas, neque aliud intendit summus Pontifex, nec potest: quia hæc iam attingunt ius diuinum, Potest enim Papa pro suo arbitrio, sine alia causa concedere alicui facultatem dispensandi vota, non tamen potest ei concedere facultatem dispensandi vota, sine causa, cùm neque hoc modo possit ipse Pontifex illa dispensare.

Resolutio.

## SECTIO III.

*Vtrùm ad indulgentiæ valorem requiratur causa non solùm iusta, sed etiam proportionata.*

1. Prima sen. PRIMA opinio est, omnem indulgentiam, quæ conceditur ex causa pia, quæcumque illa sit, validã esse omninò seu integrè. Hæc videtur fuisse opinio D. Tho. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. q. 2. vbi dicere videtur, quantitatem effectus indulgentiæ, non commensurari quantitati seu grauitati causæ: sed quãtacunque sit indulgentia, totam esse validam, si causa sit pia, etiamsi sit minor. Et in solut. ad 1. ait, *Si Prælatus inordinatè concedat indulgentias, ita vt homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ reuocentur, peccat*, inquit, *faciens tales indulgentias, nihilominùs quis plenam indulgentiam consequitur.* Eadem sententia tribuitur Bonauenturæ d. 20. q. 6. & ibidem Rich. art. 5. q. 1. & idem sentit Durand. ibi q. 4. Palud. verò q. 4. art. 1. conclu. 1. adhibet limitationem, *nisi quis sciens & videns procuret talem indulgentiam, ad quam causa sufficiens non concurrit.* Tenet etiam Supplem. Gabr. d. 45. q. 3. artic. 1. in princip. & art. 3. concl. 12. corol. 7. Idem sentit Angelus ver. *Indulgentia*, n. 2. Syluest. num. 3. & Michaël Medina tract. de indulgentiis, q. vlt. in fine. Fundamentum maximè videtur sumi ex Ecclesiæ cõsuetudine: nam videmus pro eadem causa maiorem, vel minorem indulgentiam concedi, & sæpe etiam pro leui causa amplam indulgentiam, vt Pontifex sola benedictione sua aliquando concedit indulgentiam plenariam omnibus præsentibus, qui interdum est infinitus populus: non est autem pium, neque tutum dicere has indulgentias temerè concedi, vel Pontifices decipi, aut velle decipere: ergo. Ratio verò reddi potest, quia si semper esset necessaria causa adæquata, & paruus esset fauor, & difficillimum esset punctum æquitatis attingere: ergo satis est quòd concurrat pia & iusta causa, vt Pontifices possint validè suo arbitratu indulgentiam taxare. Quod tandem confirmat D. Thom. quia thesaurus Ecclesiæ est principalis causa huius remissionis, præsertim quatenus continet abundantiam meritorum Christi: intentio autem Christi, & Sanctorum sufficienter seruatur per hoc, quòd ratio dispensationis seu indulgentiæ pertineat ad Dei honorem, & Ecclesiæ vtilitatem in generali: ergo quæcunque sit hæc ratio, sufficit ad integrum valorem indulgentiæ.

D. Thom. Bonau. Richard. Durand. Palud. Supplem. Gabr. Angel. Sylvest. Mich. Medina. Primaratio. Alia ratio.

2. Secunda sentenc. Secunda sententia limitat præcedentem dicens, piam causam solam non esse semper sufficientem ad totum valorem indulgentiæ, posse tamẽ suppleri ex deuotione lucrantis indulgentiam. Semper enim talis indulgentia quoad aliquid valida est (in quo omnes conueniunt, vt dicemus) quia respectu alicuius effectus, semper est proportionata, atque ita comparatione illius cõcurrunt omnia, quæ sunt de necessitate indulgentiæ, ideoq; ad minimum habebit illum effectũ in quocunque non ponente obicem, & exequente postulatum opus. Ille tamen effectus augebitur in eo, qui maiorem fidẽ, aut deuotionẽ habuerit, tantaq; poterit esse deuotio, vt ratione illius consequatur integrum indulgẽtię effectum. Hæc fuit opinio Raymundi, quem alij Auctores citant, quæ duobus modis potest intelligi. Primò, quòd ex qualibet personali deuotione, aut fide, seu gratia lucrantis indulgentiam, augeatur effectus eius, etiamsi alioqui causa per se non sufficiat. Et in hoc sensu non est vera, neque admodum probabilis: quia, vt rectè attigit D. Thom. deuotio recipiẽtis non est causa indulgentiæ, nec ratio propter quam conceditur, imò neq; est dispositio requisita ad effectum eius, nisi solùm quatenus necessaria esse potest ad tollendum obicẽ peccati mortalis, vt suprà ostensum est: ergo propter hanc personalem deuotionem recipientis non crescit, vel minuitur effectus indulgẽtię. Alio verò modo potest intelligi hæc opinio de fide vel deuotione, quæ redundet in opus propter quod indulgentia conceditur, reddatque illud maioris valoris moralis in ordine ad Deum. Et hoc sensu est probabilis illa opinio vt videbimus. Tenuitque illam Altisiodor. lib. 4. Summę, tract. 6. cap. 9. quæst. 1. & 3. quem secuti sunt Innocẽtius III. & Ioannes Andreas in cap. *Quod autem*, & Hostiensis in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnitent. & remiss.

Prior modus explicãdi hanc sententiam. Raymund. Impugnatur Reiicitur. Posterior explicandi modus. Altis. Innoc. 3. Io. And. Hostiens. Altis.

Sed rursus, circa hunc sensum oportet aduertere variis modis posse intelligi opus, vt procedit ex deuotione lucrantis indulgentiam, posse sufficere ad hanc proportionem faciẽdam. Primò, si opus secundùm iustam existimationem æquiualeat remissioni, quæ per indulgentiam conceditur, & non aliter: quẽ sensũ videntur intendere dicti Auctores. Nam inter conditiones requisitas ad effectum indulgẽtiæ, duas ponunt, scilicet, discretionem, & iustam existimationem, vt per discretionem discernat quis pro quanto velit exonerari à tanto reatu, seu à tanta pœnitentia sacramentali: per iustam verò existimationem tantùm recompensetur, quantùm ei dimittitur. Veruntamen in hoc etiam sensu improbabilis est sententia, eamq; merito D. Th. & omnes posteriores reiiciunt. Primò, quia hoc modo nihil conceditur per indulgentiam: nam, si necesse est me facere iustam recompensationem, quid mihi liberaliter donatur? Secundò, quia interdum tam leuia opera expetuntur ad lucrandas indulgentias etiam plenissimas, vt esse non possint, sufficientia ad compensandum, seu persoluẽdum secundùm iustam æstimationem totum debitum, quod per indulgentiam remittitur, etiamsi ex maxima deuotione fiant. Vnde Ecclesia concedens has indulgentias, planè deciperet fideles, quod est absurdum. Quanquàm Altisiod. & alij dicant posse hoc concedi, si verbum *Decipit*, non dicat deformitatem: quia Ecclesia non mentitur, in quo significant Ecclesiam non decipere dicendo falsum, sed occultando verum. Sed errant valdè, tum quia hoc ipsum est magnum inconueniens, cùm Ecclesia ex officio teneatur veritatem aperire, præsertim in re morali, & adeò necessaria ad praxim; tum etiã quia illud nõ solùm esset occultare verum, sed etiã dicere falsum, cùm promittat indulgẽtiam plenariam per opus, per quod impossibile est illam consequi, idque non ex priuata temeritate vnius vel alterius personæ, sed ex communi vsu & æstimatione Ecclesiæ.

3. Primus sen. suspostcrioris modus. Improbatur Altis.

Alio ergo modo intelligi potest illa discretio, & iusta æstimatio, non in ratione condignæ solutionis vel compẽsationis per tale opus, sed solùm in ratione causæ motiuæ & finalis, ita vt tale opus ex tali fide & deuotione procedens, censeatur condigna causa, vt ratione illius tanta remissio concedatur, etiamsi alioqui per se non sufficeret ad integram solutionem. Et in hoc rursus distinguendum est: nam si sit sensus, oportere vt tale opus tanta deuotione, talibúsve circunstantiis fiat, vt per se solùm contineat proportionatam causam indulgentiæ, sic etiam probabilis sententia non est, quia causa indulgentiæ nõ consistit in solo opere imposito ad indulgentiam lucrandam, sed etiam pendet ex aliis circunstantiis, vel vtilitatibus, imò aliquando potest esse iusta causa indulgẽtiæ absque speciali opere iniuncto, vt in superioribus vidimus: tum etiam ptopter argumentum sumptum ex consuetudine Ecclesiæ: nam sæpe opus iniunctum est adeò leue, vt neque in ratione causæ

4. Secundus sensus.

motiuæ

motiuæ possit per se solùm esse proportionata ratio indulgentiæ. Igitur verus sensus illius sententiæ esse debet, opus lucrantis indulgentiam multũ posse cõferre ad consummandam proportionem, & adæquationem inter causam indulgentię, & effectum eius: & ideò si causa alia per se sumpta, vel cum solo opere secundùm substantiam considerato, vt sic dicam, non sit proportionata ratio indulgentiæ, fieri posse, vt ex fide & deuotione operantis, quatenus redundant in maiorem valorem operis, crescat etiam proportio talis causæ, & consequenter crescat etiam effectus indulgentiæ, tantúmque esse posse augmentum hoc in huiusmodi opere, vt reddat causam omninò proportionatam, & consequenter sufficiat ad totum effectum indulgentiæ consequẽdum. Atque in hoc sententia hæc valdè probabilis est, & in superioribus ferè est à nobis probata, & in re nihil differt à sequẽti sententia, sed est quædam declaratio illius, vt ex dicendis constabit.

Verus sententię sẽsus.

5. Tertia sententia. Albert. Bonauent. Richard. Adrian. Aug. de Ancona. Caietan. Cordub.

Est ergo tertia sentẽtia affirmans, ad valorem indulgẽtię non sufficere causam aliàs piam vel honestã in se, sed requiri proportionatã effectui seu quãtitati indulgentiæ. Hanc tenet apertè Albertus Magnus in 4.d.20.ar.17.& eãdem reuerà tenet ibi Bonau.q.vlt. si attentè legatur, & Richard.art.3.qu.1. tenet etiam Adrian. materia de Indulgẽtiis, cõcl.2.& Augustinus de Ancona libr.de Potestate Papæ, q.30.ar.5. Caiet.in Opusc. citato q. 1. & 2. & latissimè Corduba q. 20.

Probatur 1.

Nec poterit quisquam de veritate illius sentẽtiæ dubitare, si ea cõsideret, quæ in duabus sectionib⁹ præcedentibus diximus. Primò quidẽ, quia rationes factæ in præcedẽti sectione, probãt eam causã, quę necessaria est, vt cõcessio indulgentię sit recta & iusta, esse etiã necessariam ad valorẽ eius: sed vt indulgẽtia iustè & rectè concedatur, necessaria est non solùm causa pia, sed etiã proportionata, vt in prima sectione ostensum est: ergo etiam ad valorem indulgentiæ requiritur iusta causa.

6. 2. Probatur. Clem. 6. Leo 10.

Secũdò, quia Pontifices non solùm requirunt piã causam, sed etiam iustam & rationabilem, vt patet ex Clemente VI. in Extrau. *Vnigenitus*, de Pœnitẽ. & remiss. & Leone X. in citata epist. ad Caiet. qui vtuntur illa voce, *rationabilibus causis*.

Mart. 5.

In Concilio autem Cõstantien. sess. vlt. Martinus 5. cõiungit illa duo verba, *Ex causa pia, & iusta*, Ex quibus sic argumentari licet: nam, vt causa sit rationabilis, non satis est esse in se honestam, sed necesse est esse rationi consentaneam, nam recta ratio euitat quidquid improportionatum est.

Innoc. 3.

Vnde Innocentius 3. in dict. c. *Cum ex eo*, de Pœnit. & remiss. superfluas indulgẽtias indiscretas vocat, id est, irrationabiles, eásque vt pernicios as reprehendit: sunt autẽ superfluæ illæ indulgentiæ, quę largiùs conceduntur, quàm causa postulet, etiamsi pia sit: ergo causa rationabilis vltra pietatẽ requirit adæquationem & proportionem. Vt v.g. si quis ad redimẽdum vulgarem hominem captiuum effunderet ingentem thesaurum, licèt videretur id facere ex causa pia, non tamen faceret ex causa rationabili, esset námque talis effusio imprudẽs, & si fieret ex alienis diuitiis alicui commissis ad dispensandum rationabiliter, esset inualida donatio, quantùm ad illum excessum. Simile argumẽtum sumi potest ex illa particula, *Iusta*, quæ adiungitur vltra pietatem: nam iustum non dicitur, nisi quod est adæquatũ & proportionatum. Et in hac proprietate sumendum ibi est, vt

Obiect.

aliquis vltra pietatem addere videatur. Dices. etiam in rigore dici non posse causam piam, nisi quæ est ra-

Soluitur.

tionabilis: nec rationabilem, nisi quæ est iusta. Respondetur in rigore ita esse, si pia causa dicatur, non solùm quæ in se & absolutè sumpta est res quædam pia, sed etiam respectiuè, seu in ratione causæ: quia



A verò contingit tem aliquam esse in se honestam & piam, quæ relatio ad aliquem effectum non esset honesta causa eius, ideò, ad explicandum vtrumque in præsenti requiri, addiderunt Pontifices, causam hanc debere esse non tantùm piam, scilicet absolutè & secundùm se, sed etiam rationabilem & iustam, quod perinde est, ac si dicerent, debere esse piam respectiuè & in ratione causæ. Et fortasse ad hoc magis explicandum addidit Clemẽs in dicta Extrauagante, *Commisit fidelibus salubriter dispensandum:* non enim dispẽsatur salubriter, nisi quod cum debita mensura & moderatione dispensatur. Et rursus, *Ex propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ.* Nam propriæ causæ, perinde dictæ, vi-

B dẽtur ac proportionatę & adæquatę, ita vt sensus sit, indulgentiam nunc totalem, nunc verò partialem concedi posse, iuxta exigentiam propriæ, id est, proportionatæ causæ, quæ sola rationabilis est.

7.

Tertiò, quia quantùm concessio indulgentiæ excedit causam, tantùm in illa conceditur sine iusta causa pro sola voluntate concedentis: ergo tantundem habet nullitatis, seu quoad totũ illum excessum nõ est valida: ergo, vt sit integrè valida, requirit causã proportionatã. Posterior illatio manifesta est: prior verò constat ex dictis, quia omnis remissio facta pro sola voluntate concedentis sine alia causa, nulla est, quia illud non est munus dispensatoris, sed domini. Antecedens verò patet, quia effectus adęquatus tali causę secundùm debitã & rectam proportionem esset tantus, v.g. ergo quidquid vltra additur, volũtariè & nõ ex vi talis causæ additur: vnde quantùm ad id, etiam ille non est actus dispensatoris, sed domini, neque est iuxta leges & cõditionem potestatis commissæ; quia non est iusta distributio, sed dissipatio, neque est in ædificationem, sed in destructionem. Et ad hunc modum possunt applicari omnes discursus sectionis præcedentis, quantùm ad illum excessum. Et confirmatur, quia si pia causa sufficeret, satis esset affectus misericordiæ, v.g. ad animas Purgatorij, nam hic etiam secundùm se spectatus est pius & honestus, vt in prima sectione argumentabamur. Item à fortiori esset valida indulgentia, qua concederetur alicui vt liberaret decem, vel etiam omnes animas Purgatorij,

D recitãdo semel salutationem Angelicam, quia etiam illa est causa pia. Atque ita ex hac sententia sequuntur ferè eadem incommoda, quæ sequerentur, si indulgẽtiæ possent pro sola voluntate sine causa concedi. Tandem potest hæc veritrs in hunc modum explicari: nam ita se habet honesta causa ad indulgentiarum concessionem, sicut debita dispositio ad sacramentalem absolutionem pœnitentis, vel ad receptionem cuiuscunque sacramenti, sed sacramentum semper operatur iuxta dispositionem recipientis, nec potest confessor, etiamsi velit, maiorem conferre effectum, aut maiorem remissionem pœnæ facere, quàm sit proportionata dispositioni pœnitentis: ergo nec Prælatus potest maiorem indulgentiam

E concedere, quàm sit proportionata causæ: non est enim efficacior, aut magis absoluta, vt sic dicam, potestas clauium in foro indulgentiæ, quàm in foro sacramenti, sed vtraque est ministerialis, & intra præscriptos terminos continetur. Simile argumentum sumi potest ex dispensatione votorum, & aliis quæ attingunt ius diuinum, quia ad earum valorem non solùm causa, sed etiam proportionata causa necessaria est: ergo similiter, &c.

Vltimò eadem conclusio explicatur.

---

*Vltima sententia præfertur & exponitur.*

8.

HÆc igitur sententia absolutè sumpta vera est; oportet tamen illam ampliùs exponere, & fun-

damenta cõtrariæ sententiæ dissoluere. Aduertendum igitur est, triplicem proportionem (Philosophorum more loquimur) posse considerari inter causã & effectũ indulgentiæ, scilicet, æqualitatis, & inæqualitatis maioris, vel minoris, Per se igitur loquendo, ad integrum valorem indulgentiæ sufficit proportio æqualitatis, si tamen causa excedat (quæ dicitur proportio maioris inęqualitatis) sine dubio etiã sufficiet: tum quia ibi includitur proportio ęqualitatis, & aliquid ampliùs; tum etiam quia illa causa est pia, iusta & rationabilis: tum denique, quia causa potẽtior interdum operatur inferiorem effectum, quia necesse non est vt semper secundùm totam suam potestatem operetur. At verò quando causa est inadęquata propter defectum, seu improportionẽ minoris inæqualitatis, tunc procedũt omnia quę diximus, quia causa naturalis nunquã operatur secundùm hanc proportionem, nec moralis si rationabiliter operetur.

Primũ notandum.

9. An quando causa est inæqualis operetur effectum sibi æqualem.

Hîc verò quæret aliquis, an hæc causa tunc saltem operetur effectum sibi adęquatũ, nam omnes Auctores id videntur, vt clarum supponere: non caret tamẽ difficultatem. Quia suprà dictum est, quando conceditur indulgentia sub conditione talis operis, qui facit tãtùm partem operis non lucrari proportionatã partem indulgentię, neque aliquid omninò, quia indulgentia conceditur per modum vnius effectus indiuisibilis: ergo pari ratione, si causa est insufficiens ad totam indulgentiam, tota concessio est nulla: ergo ex vi illius nullus datur effectus etiam adæquatus, vel è conuerso, si hic datur partialis effectus indulgentiæ, quia est proportionatus tali causæ, etiam dabitur pars effectus proportionatus parti operis, quando illa tantùm executioni mãdatur: quia etiam tale opus est causa propter quam conceditur indulgentia: ergo pars operis, licèt sit inadæquata toti indulgentiæ, erit adæquata parti eius. Nihilominùs dicendum est, talem indulgentiam superfluam, seu superexcedentem, valere quantùm ad aliquem effectũ proportionatum causæ. Ratio est, quia hoc pẽdet ex voluntate concedentis, nam quoad hoc sine dubio habet hanc potestatem, vt per se constat. Quòd autẽ voluntatem habeat, patet, quia vult cõcedere quantùm potest: nam si vult, & tentat cõcedere plus quàm possit, à fortiori vult facere quantùm potest: potest autem efficere effectum adæquatum tali causæ: ergo hoc vult, & quoad hoc saltem implet voluntatẽ suã. Neque est simile exemplum in contrarium adductũ: nam hæc voluntas cõcedendi remissionẽ indulgẽtię conditionata est, scilicet sub conditione talis operis, & ideò; si conditio non impleatur, nihil operatur. In prẽsenti ergo casu conditio impletur, & quãtùm est ex hoc capite, totus conferretur effectus, tamen ex defectu potestatis nõ datur totus, & ideò datur pars, ad quam se extendit potestas, cõsiderata proportione causæ. At verò in altero casu nõ impletur cõditio, quia implere partem operis, nõ est implere cõditionem: nihil enim sub ea conditione promissum est, sed sub conditione totius operis, vel plurium operum, si plura postulata sint, neq; ex vi illius cõcessionis intelligi potest, dispensatorẽ habuisse voluntatem cõcedendi aliquid facienti tantùm partẽ operis. Vnde nõ refert quòd illa pars operis sit proportionata parti indulgentiæ, nam hæc proportio non sufficit sine voluntate concedentis. Alioqui etiam contingere potest, vt pars operis sit proportionata toti indulgentiæ, vt si contingat opus postulatum esse excedens: tunc ergo lucraretur quis totam indulgentiam propter solam partem operis, quod sine controuersia falsum est. Et vnica ratio est, quia deest voluntas concedentis, & sicut voluntas non sufficit sine causa ita neque causa sine voluntate.

Resolutio

Implẽs partem operis nõ lucratur partem indulgentiæ.

Etiamsi pars operis sit adæquata toti indulgentiæ, efficiens illam nihil lucratur.

A

B

C

D

E

Secundo obseruandum est, hanc proportionem, quam requirimus inter hanc causam & effectum indulgentiæ, licèt eam vocemus æqualitatis ad explicandam cõmensurationem inter causam & effectum, non tamen cõsistere in aliqua propria quãtitate, vel æqualitate in ratione meriti, & præmij, vel satisfactionis & remissionis, neque in aliqua alia simili cõmutatione, vt ex dictis circa secundam opinionẽ satis constare potest. Consistit ergo in sola quadã prudẽti æstimatione morali illius proportionis, quæ seruari debet inter medium & finem, ita vt illa causa censeatur adæquata indulgentiæ, ad quam obtinendam, vel procurandam hîc & nunc, pẽsatis omnibus circunstantiis, & concessio talis indulgentiæ prudẽter existimatur medium proportionatum & conueniens. Probatur, tum quia, seclusis aliis modis æqualitatis, nullus ali⁹ supereſt quo possit hæc proportio declarari; tum etiam, quia hæc causa de qua agimus, solùm cõcurrit in genẽre finis & motiui, ergo in eodem habere debet adæquationem cum concessione indulgentiæ, quæ ad illam vt medium quoddam cõparatur. Ex quo infero, adæquationem hanc nõ consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, sicut pretia rerum dicuntur habere latitudinem rigorosi, moderati, & mitissimi pretij, intra rationem iustitiæ & æqualitatis, vel sicut medium ad finem habet latitudinem, boni, melioris, & optimi, quæ cadunt sub honestam & rationabilem electionem. Cùm ergo hæc adæquatio moralis sit, & secundùm habitudinẽ medij ad finem, consimilem habebit latitudinem. Vnde fieri potest, vt maior & minor indulgẽtia propter eandem causam concessa, æque valida sit, quia contineri possunt in prædicta latitudine, si non sit nimius excessus.

10. Secundum pro veræ sẽtentiæ expositione notandum.

Adæquationem causæ & indulgẽtię non consistere in indiuisibilis. Corol. 1.

Secundò infero, hãc æqualitatem seu proportionẽ non esse semper sumendam ex re ipsa, sed prout cadit sub prudentem electionem dispensantis. Ita tenet Corduba q. 6. de Indulg. & quęst. 22. vbi citat Sotum Caietanum, & alios, & insinuat etiã Gerson tract. de Indulg. cõsiderat. 9. Non est enim humanũ in his rebus attingere semper punctũ æqualitatis: & ideò nõ est verisimile Christum concessisse hanc potestatẽ cũ tanta limitatione, vt si in re ipsa non attingat veram æqualitatem non operetur totum quod intẽdit. Sufficit ergo, vt secundùm regulas prudentiæ humanæ mediũ hoc iudicetur hîc & nunc eligibile secundum rectam rationem ad talem finem: alioqui nunquàm possent Pontifices prudẽter absolutè promittere, vel concedere tantam, vel tantam indulgentiam. Confirmatur qui non plus petit Christus Dominus à suo ministro, nisi vt fideliter & prudenter thesaurum dispenset: iuxta illud Matth. 24. & Luc 12. *Quis putas est fidelis seruus & prudẽs.* Imò neque inter homines plus requiritur, vt gesta, vel dispensata ab aliquo œconomo valida sint. Tandem commune axioma Theologorum est, claue non errante semper subsequi effectum solutionis, seu apertionis cœli: quoties autem prudenter & fideliter fit dispẽsatio, quantùm in homine est, clauis non errat: ergo integrè consequitur effectum suum.

11.

Cordub. Gerson.

Mat. 24. Luc. 12.

Contra hanc verò illationem obiici potest, quia in cæteris effectib⁹ ex opere operato, si causę necessarię in reipsa non subsint, quantumuis per ignorantiam intercedat prudens iudiciũ vel existimatio, non satis est ad effectum conferendum: ergo idem erit in præsenti, par enim ratio esse videtur. Antecedẽs patet in ipso iudicio sacramẽtali. nam, licèt quis absoluat eũ, quem prudenter existimat esse dispositum, ideoque absoluendum; imò etiam si ipsemet, qui absoluitur, idem inuincibiliter existimet, si tamen in re non est dispositus saltem per verã attritionem, absolutio nõ tenebit

12. Obiectiones contra præcedens corol.

tenebit, neque habebit effectum. Et ſimiliter, quãuis confeſſor pœnitentiam imponat, quam prudentiali iudicio exiſtimat eſſe æquiualentem ad ſatisfaciendũ integrè ex opere operato; ſi tamen re ipſa iuxta mẽſuram & inſtitutionẽ diuinam non eſt ſufficiés, non auferet totum pœnę reatum. Idem argumentum fieri poteſt de cæteris ſacramẽtis: nam, licèt prudẽtiſſimè dentur, vel recipiantur, ſi tamen in re ipſa non inueniant neceſſariam diſpoſitionem, non conſequuntur effectum; idemque eſt in Miſſæ ſacrificio. Neque in hoc indulgẽtiarum negotio videtur eſſe aliqua ſpecialis cauſa, aut neceſſitas, ob quam cauſa prudenter exiſtimata ſufficiat, etiamſi in re ipſa non ſufficiens: quia ex hoc quòd talis indulgentia nõ valeat quoad totum, nullum ſequitur graue incõmodum, & alioqui cùm hęc remiſſio fiat in diuino iudicio, magiscõ ſentaneuum eſt, vt mẽſuretur veritati ipſius rei, quaſi ſpeculatiuæ, & non tantùm veritati practicæ ipſius hominis: hac enim ratione in ſacramẽtali iudicio ita fit, quanuis etiam illud iudicium commiſſum ſit homini, cui difficillimũ eſt reiveritatẽ sẽper attingere.

13 Cur ad hũc effectũ ſufficiat cauſa iuſta exiſtimata, licèt non ad alios ex opere operato.

Propter hoc, incertum eſt corollarium illatũ: nihilominùs tamen eſt pium, & probabile. Poteſtq; ad obiectiones non incongruè reſponderi, duplex aſſignando diſcrimen, Primum eſt, quia in ſacramẽtis, v. g. in abſolutione ſacerdotis, diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte recipientis, & ex parte effectus conferendi, qui congruè fieri nõ poteſt in ſubiecto indiſpoſito: quæ improportio nõ ſuppletur propter exiſtimationem, vel prudentiale iudicium. Hîc verò iuſta cauſa ſolùm requiritur ex parte concedentis, ne ſit diſſipator alienæ ſubſtẽtiæ; & poteſtate dominatiua, potiùs quàm miniſteriali, ſeu diſpẽſatiua vt videatur: ad hoc autem ſatis eſt, vt cauſa ſit ſufficiés, prudenti exiſtimatione illius. Secundum diſcrimẽ eſt, quia in cæteris cõceſſio illius effectus, ſeu gratiæ ex opere operato conferendæ, eſt immediatè à iure diuino, & ex Chriſti inſtitutione poſtulante talem diſpoſitionem iuxta ipſius rei naturam, vel conuenientiam, aut cõgruitatem: at verò in indulgentiis, cõceſſio talis, effectus immediatè eſt ab homine, qui abſolutè cõcedit talem effectum, vel ſub aliqua conditione, quam ſupponimus in re ipſa poni: cauſa verò ſufficiens ſolùm requiritur quaſi antecedẽter, quatenus mouere debet ipſum diſpenſatorem, vt fideliter & prudenter ſuo munere vtatur: & ideò quacunque ratione hoc habeat, ſiue ex re ipſa, ſiue ex impotentia & humana exiſtimatione, ſatisfieri videtur intentioni Chriſti, qui ſub hac conditione poteſtatem conceſſit.

A nem theſauri ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum: ideoq; hinc eſſe ſumendum valorem effectus indulgentiæ in tanta quantitate, & non ex cauſa. Sed non ſatis percipio quid ſibi velit hæc reſponſio: nam ſi ſit ſenſus, magnitudinem cauſæ non eſſe ſufficiẽtem ad indulgentiam ſine magnitudine theſauri: hoc veriſſimum eſt, neque auctores, cum quibus D. Thom. diſputat, oppoſitum dicebant. Si verò ſit ſenſus, magnitudinem theſauri eſſe ſufficientem cauſam, ſine alia ſufficiente cauſa ex parte finis; hoc eſt quod improbamus, nec per hoc D. Thom. excuſatur ab illa ſententia. Si denique ſit ſenſus, diuitias theſauri eſſe quaſi immediatam cauſam, vel formalem, vel efficiẽtem effectus indulgentiæ, aliam verò cauſam, de qua diſputamus, non eſſe efficientẽ, imò nec concurrere immediatè ad ipſum effectum, ſed mouendo eum, qui indulgentiam conceſſurus eſt, hoc quidem totum verum eſt, nihil verò ad rem ſpectat, quia hîc ſolùm contendimus, illam cauſam in ſuo genere, & eo modo quo concurrit, debere eſſe proportionatam, & huiuſmodi eſſe neceſſariam: & hoc videtur negare D. Thom. Improbatur

B

Alij ergo illum exponũt, quòd ſolùm neget requiri cauſam ex ſe æqualem effectui indulgentiæ, in ſecundo ſenſu ſuprà tractato circa ſecũdam opinionẽ, non verò quòd neget requiri cauſam proportionatã effectui. Sed huic expoſitioni obſtat, quia D. Thom. priùs refert duas illas opiniones, vt diſtinctas, ſcilicet, quæ poſtulat iuſtã, & adæquatam æſtimationem, & quæ requirit proportionatam cauſam, & vtramque reprobat, & abſolutè concludit, quãcunque cauſam, quæ in vtilitatem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei ſufficientem rationem eſſe indulgẽtias elargiendi. Item in rationibus, quibus vtitur, hunc ſenſum planè indicare videtur. Et ideò alij fatentur D. Thomam in 4. id ſenſiſſe, credunt tamen mutaturum fuiſſe ſententiam, ſi in Summa ad locum illum peruenisſet. Quod omninò contendit Corduba ſuprà. Et reuerà eſt apparẽs, ſi corticem tantùm illius quæſtiunculæ D. Thomæ inſpiciamus. 15 Alia expoſitio. Prꝫcluditur. Cordubæ reſponſio.

C

Nihilominùs ſuaderi non poſſum illam fuiſſe D. Thomæ mentem. Nam ipſemet inferiùs d. 45. q. 2. art. 3. q. 2. cùm dixiſſet, indulgentias poſſe concedi pro defunctis indirectè, ſeu per actionem viuorum, ſubdit hæc verba, *Nec tamen ſequitur quòd Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc, vt indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conueniens indulgentias concedendi, vt ſuprà d. 20. dictum eſt.* In quibus verbis, *cauſa conueniens*, ſignificare debet non tãtùm cauſam piam, ſed etiam proportionatam. Quod patet, tum ex vi verborum, quia aliàs reuerà non eſt cauſa conueniens: tum maximè, quia aliàs non ſolueret D. Thom. difficultatem quam intendit. Nam, ſi quælibet cauſa honeſta reputanda eſt conueniens ad valorem indulgentiæ, profectò facilè poſſet Prælatus Eccleſiaſticus ſuo arbitrio animas omnes à Purgatorio liberare, quia ſuo arbitrio poteſt cauſam conuenientem inuenire, ſi quælibet honeſta ſufficit. Cùm ergo D. Thom. in hoc poſteriori loco ad priori loco ad priorem ſe referat, dicendum eſt, ibi per cauſam piam, cauſam etiam conuenientem & proportionatam intellexiſſe, quia aliàs non eſt pia ſimpliciter, ſeu reſpectiuè in ordine ad talem effectum. Et hoc ipſum videtur declaraſſe ibidem Diuus Tho. in ſolut. ad 5. dicens, requiri cauſam legitimam: nam reuerà legitima non eſt, ſi proportionata non ſit. Vnde cùm ibidem in ſolutione ad 1. ait. quando Prælatus inordinatè concedit indulgentias, ipſum quidem peccare, ſubditos verò indulgentias lucrari; intelligendus eſt, non de inordinatione ſubſtantiali, qualis eſſet defectus cauſæ legitimæ; ſed accidentali, 16 Impugnatur. Verus Diui Tho. ſenſus.

D

E

*Satisfit argumentis primæ ſententiæ.*

14 Quorumdã expoſitio ad D. Thom.

SVPEREST, vt fundamẽtis prioris ſententiæ ſatisfaciamus, in quibus præcipuum negotium nobis faceſſit auctoritas D. Thomę, quem multi ex eius diſcipulis interpretari conantur. Quidam aiunt, illũ locutum fuiſſe de indulgentiis per modum ſuffragij, quia poteſt maius ſuffragium offerri, quàm cauſa poſtulet. Sed in primis D. Thom. nihil diſtinguit, & de eadem indulgentia negat poſtulare cauſam adæquatam, de qua affirmat requirere piam cauſam: conſtat autem hoc affirmari de quacunque indulgẽtia, ergo & illud negari. Deinde, etiam de indulgẽtia per modum ſuffragij illud eſt falſum: nam in ea etiã fit diſpẽſatio theſauri, eſtq; infallibilis, ſi debitè fiat, atque adeò vera indulgentia, ideoq; de illa procedunt omnes rationes factæ. Aliter ergo reſpõdet Caiet. Tom. 1. Opuſ. tract. 15. c. 8. ad 1. D. Thomam ſolùm voluiſſe docere, propriam cauſam dantem valorem indulgẽtiæ quoad eius quantitatem non eſſe illã, quę mouet ad concedendam indulgentiam, ſed eſſe magnitudi- Caietani interpretatio.

qualis esset,aut nimia frequentia,vel inconsideratio alicuius nocumenti,quod ex abusu subditorum interdũ sequi potest, de quo præcipuè ibi loquebatur D.Thom. iuxta hunc verò sensum fortasse potuisset D. Thomas non reprehendere tertiam sententiam, quam ibi refert. Videtur tamẽ illam in hoc sensu referre,quòd dixerit,ad integrum valorem indulgentiæ necessarium esse, vt opus iniunctum pro indulgentia,saltem vt relatum ad causam indulgentiæ, sit condignæ satisfactionis, aut meriti ad effectum indulgentiæ:in quo sensu meritò reprehendit D.Tho. illam sententiam. Quia in concessione indulgentiæ opus iniunctum non est veluti pretium, per quod soluitur pœna,quæ remittitur,& ideò non est necessarium,vt sit condignum, vel ex deuotione operantis,vt dicebat prima opinio,vel ex circunstantiis occurrentibus, vt dicebat secunda, vel ex relatione ad causam,vt dicebat tertia;sed pretium illud est satisfactio Christi & Sanctorum,ex qua sumẽda est æqualitas solutionis, quamuis non sit cõdignitas in opere lucrantis indulgentiam,alioqui nihil indulgẽtię cõferrent:nihilominùs tamen, ad ipsam concessionem indulgẽtiæ necessaria est proportionata causa modo explicato,siue hęc sumatur ex opere pio,siue aliũde, quę meritò etiã dici potest causa digna; & sic posset interpretari illa tertia sententia, & non esset reprehensione digna;nec diuersa à nostra, quam putamus etiam esse D.Thomæ.Quia verò rationes,quas ex D. Thom.adduximus, possunt hunc sensum impugnare,illis etiam satisfaciendum est.

17. Fundamentum primæ sententiæ soluitur.

Ad priorem de consuetudine Ecclesiæ dicitur primò, nihil obstare quòd pro eadem causa maior vel minor indulgentia interdum concedatur, tum quia in causa proportionata potest esse latitudo, vt dictum est: tum etiam,quia potest vnus Pontifex non concedere indulgentiam adæquatam causæ, sed minorem,in quo non errat,sed minùs liberalis est. Secundò dicitur,interdum videri eandem causam materialiter,seu propter similitudinem operis;verè tamen non esse eandem secundùm valorem,& æstimationem moralem,consideratis omnibus circunstantiis,& respectibus, propter quos potest inesse maior vtilitas,vel necessitas in vno tempore, quàm in alio. Vnde dicitur tertiò, non esse facilè ab aliquo iudicandum,graues indulgentias concedi à Pontificibus propter leues causas, vt in sectione quinta latiùs dicturi sumus: quia grauitas causæ non est pensanda solùm ex opere quod iniungitur,sed præcipuè ex alio altiori bono, quod ad Dei gloriam, & vtilitatem Ecclesiæ per illud medium consequi procurat,vt sequenti sectione explicaturi sumus.

18. Secunda ratio eluditur.

Ad secundam rationem negamus in primis, hinc sequi paruum esse indulgẽtiarum fauorem,cùm causa proportionata non tollat quin per indulgentias remittantur hominibus reatus pœnarum vltra proprium eorum meritum & satisfactionem,in quo cõsistit fauor indulgentiarum. Quòd autem hîc fauor cum debita moderatione, qualis à nobis explicata est,exhibendus sit,ratio iustitiæ, & communis vtilitatis postulat, vt apertè sumitur ex dict.cap. *Cùm ex eo*, & ex aliis Pontificibus. Quòd verè difficile sit hanc prudentiam seruare,non est mirum,nam etiam est difficile vniuersam Ecclesiam in rebus spiritualibus,&diuini quodammodò ordinis gubernare.Quę difficultas singulari Spiritus sancti assistentia superatur: & non parum minuitur moderatione à nobis adiuncta, quòd sit satis causas esse adæquatas secundùm regulas humanæ prudentiæ.

19. Vltimæ rationi fit satis.

Ad vltimam confirmationem respondetur, primò, thesaurum esse quidem causam principalem effectus indulgentię in suo genere,scilicet formalem,vel efficientem,non tamen propterea excludere necessitatem aliarum causarum,præsertim finalis, de qua hîc disputamus. Sicut etiam potestas Pontificis, v.g. est suo modo causa principalis dispensationis voti, & nihilominùs requirit causam motiuam proportionatam. Vnde dicitur secundò,illo argumento rectè probari,ad indulgentiam non requiri condignitatem in opere in ordine ad effectum indulgentiæ, quia solutio condigna fit per thesaurum;non tamen excludere condignitatem in causa ad ipsam applicationem thesauri. Vnde dicitur tertiò, non satisfieri intentioni Christi & Sanctorum applicando thesaurum propter quancunque causam piam, si non sit proportionata: quia alioqui non est pia simpliciter, & respectiuè, quod necessarium est ad iustam & rectam applicationem, quam sine dubio Christus intendit.

20. Obiect.

Vrgent verò aliqui,nam diuinus honor & gloria, etiamsi minimus sit, maioris æstimationis est, quàm quæcunque remissio pœnæ temporalis, & Sancti pluris illum æstimant, quàm proprias satisfactiones: ergo ille finis sufficit ad valorem cuiuscunque indulgentiæ. Sed si hæc ratio quidquam valeret,probaret etiam esse prudentem & honestam talem dispensationem. Non ergo rectè consideratur diuinus honor secundùm se,sed vt intentus & quæsitus per tale medium: hoc autem modo non pertinet ad diuinum honorem,etiam minimum, vt talis finis improportionatus per tale medium inquiratur: quia etiam satisfactio pro pœna, & vindicta delictorum pertinet ad diuinum honorem, quia sæpe est longè maior quàm ille,qui redundare posset ex causa pia, leui,& improportionata.Oportet ergo, vt omnibus pensatis, resultare credatur maior honor Dei ex cõcessione indulgentiæ,quàm sine illa posset sperari ex rigorosa peccatorum vindicta.

Diluitur.

## SECTIO IIII.

### *Vtrùm necesse sit causam indulgentiæ esse publicam,seu ad commune bonum pertinere.*

1. IN hac quæstione, explicandæ nobis sunt magis in particulari causæ indulgentiarum, & ex earum cognitione clariora fient, quæ hactenus diximus. Præcipua verò cõtrouersia circa has causas est,an sufficiat priuatum cõmodum, aut personalis necessitas alicuius fidelis, vel necessaria sit publica vtilitas Ecclesiæ.Et huc etiam spectat,an hęc vtilitas debeat esse spiritualis,vel sufficiat temporalis.Item,an debeat esse extraordinaria ob necessitatem repellẽdi aliquod malum imminens vel sufficiat ratio promouendi commune bonum Ecclesiæ,quæ ordinaria causa & frequens esse potest.Est igitur aliquorum opinio,necessariã esse omninò causam publicam, nec sufficere priuatam. Quod his ferè verbis asseruit Albertus d.20.ar.17.Et idem sentit Soto dist.21.q.2.articul.2.vbi notat,cùm Diuus Thomas,& doctores dicunt,indulgentias debere concedi in vtilitatem Ecclesiæ, intelligendum esse,id est,in bonum commune eius:imò addit, non concedẽdas esse,nisi ingruente aliqua Ecclesię vtilitate.*Nam dare*(inquit) *Indulgentias nulla tali imminẽte causa cõmuni, sed ob causam particularẽ,nempe intuitu & precibus cuiusdam personæ nobilis,vel propter particularem deuotionẽ ad aliquod sacellum, vel ad exaltandam suã auctoritatem,nec res antiqua est, nec synceritatẽ causæ, quæ in concedendis indulgentiis necessaria est, præ se ferre videtur: quare neque solidam habent valoris certitudinem.* Fundamentum, quod Soto adducit, solùm est quia thesaurus

Prima opinio.

Albertus.

Soto.

saurus Ecclesiæ bonum commune est: ergo non nisi pro alio bono communi dispensandus est. Et confirmatur, quia hic videtur esse mos antiquus Ecclesiæ, vt colligere licet ex omnibus illis indulgentiis, quæ in decretis, & in Conciliis leguntur.

2. Secunda opinio. Alij verò existimant, priuatam causam sufficere, dummodo pia sit, & indulgentię, quę cõceditur, proportionata. Et hæc sentẽtia rectè intellecta mihi vera videtur, & communis D. Thomæ, & aliorũ auctorum, qui ad valorẽ indulgentiæ ex parte causæ nihil aliud requirunt. Et quanuis interdum dicant debere esse in vtilitatem Ecclesiæ, tamẽ neque asserunt, hũc finem debere esse immediatum, nec declarant, hanc vtilitatem debere esse publicam, aut in omnibus mẽbris, cùm tamen vnius membri cõmodum in totius corporis vtilitatem redundet, si cætera paria sint, seu aliunde nõ sequatur maius incommodum. Nonnulli verò antiqui addiderunt, præter vtilitatẽ, vel necessitatem Ecclesiæ, aut loci in cuius gratiam cõceduntur indulgentiæ, requiri semper causam ex parte lucrantis, nimirum quòd sit impotens ad satisfaciendũ alio modo, nam id solùm quis potest per indulgẽtias lucrari, quod ipse nõ potest soluere, vt patet ex Altisiodoro, & aliis antiquis suprà citatis. Sed hæc sentẽtia falsa est: nam, licèt hæc causa sit optima quando intercedit, & aliquando possit sufficere, vt dicemus, non tamẽ est simpliciter necessaria, vt rectè D. Tho. & post illum omnes docuerunt, quia nulla ratione, vel auctoritate ostendi potest illa necessitas, & sine illa potest esse causa sufficiẽs ad liberaliorem remissionem faciendam, sicut potest dari causa sufficiens ad dispensandum votum, etiamsi aliquis non sit impotens ad illud implendum.

Tertia opinio.

3. Proponũtur varij modi concedendi indulgẽtias. Vt ergo veram sententiam, totamque doctrinam declaremus, aduertendũ est, indulgentiam variis modis & personis concedi posse: primò, generaliter toti Ecclesiæ, siue immediatè ipsis personis, vt omnibus facientibus hoc vel illud, siue mediante aliquo loco pio, vt omnibus orantibus in tali loco. Secundò, cõceduntur indulgentiæ pro aliqua cõmunitate particulari, vt pro tali religione, pro tali populo, aut prouincia. Tertiò, concedi possunt alicui personę tãtùm pro illa: nihil enim vetat, nam potestas Petri generalissima est, & thesaurus ita potest circa vnum dispensari, sicut circa multos, & causa legitima etiã potest facilè subesse. Quartò, potest indulgẽtia concedi vni personæ, non pro illa tantùm, sed etiã pro aliis: quod potiùs est illã cõcedere multis ad petitionem vnius. Et iuxta hos modos possent alij facilè cogitari, sed omnes ad hos reduci possunt seruata proportione.

---

## *Ad communem indulgentiam, communem etiam causam requiri.* 1. *Concluſ.*

4. PRIMÒ igitur indulgentia, quæ toti Ecclesiæ conceditur, regulariter requirit causam communem immediatè pertinentem ad vtilitatẽ totius Ecclesiæ, vel certè alicui⁹ principalis partis eius, vt vnius Regni, vel Prouinciæ. Hoc rectè probat vsus Ecclesiæ, & decreta superiùs citata, & ratio, quia causa debet esse effectui proportionata. Dixi autem, *Vel alicuius principalis partis eius*, quia sæpe conceditur indulgentia, vel Iubilæus toti Ecclesiæ pro defensione, vel salute vnius Prouinciæ, vt experientia constat. Et huiusmodi videtur illa indulgentia, quæ pro recuperanda Terra Sancta cõceditur in Concilio Lateran. in fine; quæ etiam extenditur ad pugnantes contra hæreticos, ibidem. c. 3. & habetur in c. *Excommunicamus*, 1. §. *Catholici*, de Hæreticis. Et ratio est, quia bonum vnius partis principalis est maximum bonum totius corporis; & quia mẽbra debent se iuuare, maxime in his rebus, quę magna ex parte corpus totum attingunt.

5. Si indulgentia sit cõcessa personis mediãte loco, satis est vt causa locũ attingat. Hic tamen aduertere necesse est, quando hæc indulgentia non conceditur immediatè personis, sed mediante aliquo loco, tunc satis esse, vt causa indulgẽtiæ locum illum attingat immediatè, aut Sanctum aliquem, qui specialiter in eo loco colligitur, etiamsi ex parte personarum indifferenter omnibus cõcedatur. Id constat ex vsu: nam hoc modo conceduntur indulgentiæ visitantibus hanc vel illam Ecclesiam, & celebris indulgentia anni Iubilæi visitantibus Apostolorum limina. Item hoc modo in dedicatione alicuius templi conceditur indulgentia specialis omnibus accedẽtibus, iuxta c. *Quod autem*, de Pœnit. & remiss. Et ratio est, quia iuxta modum indulgentiæ debet esse modus causæ, & vtilitas eius; sic enim seruatur proportio. Item, quanuis huiusmodi templum particulare videatur, tamen eius celebritas & fauor redundat in omnium fidelium vtilitatem, vt constat de monumentis Apostolorum, & celebrioribus Ecclesiis B. Virginis. Quòd si aliqua sunt loca, quæ magis pertinent ad particulares Prouincias, vel populos, etiam indulgentiæ talibus locis concessæ, specialiùs redundant in bonum fidelium illius Prouinciæ, vel populi: & ita semper seruatur proportio, præterquàm quòd honor cuiuslibet Sancti, & diuinus etiã honor, qui ex his locis publicè & apud multos semper resultat, meritò dici potest communis Ecclesiæ vtilitas.

6. Nõ oportet vtilitatem hanc immediatè esse spiritualem. Rursus aduerto, non oportere vtilitatẽ hãc immediatè esse spiritualem, aliquando enim esse potest tẽporalis, qualis est defensio Ecclesiæ ab hostibus eius, aut expulsio famis, aut pestis, à Deo impetranda, vt satis cõstat ex vsu Ecclesiæ. Et ratio est clara, quia, sicut est honestum hæc bona à Deo petere, præsertim pro tota communitate; ita etiam est optimum adiũgere fauorẽ indulgentiæ, vt huiusmodi oratio deuotiùs & frequentiùs fiat. Hac enim ratione sæpe etiam conceduntur indulgẽtię in solennitate alicuius festi vt maiori deuotione celebretur, vt in Clement. vnica de Reliq. & veneration. Sanct. de Festo Corporis Christi: & in Extrauagant. 1. & 2. eodem titulo de Festo Conceptionis. Item est alia ratio, quia sæpe licet bonum spirituale ordinare ad temporale, quando totum refertur ad Dei honorem: hæc autem bona temporalia Ecclesię, eiúsque pax temporalis ad spirituale, & ad Dei hónorẽ ordinatur. Atque hîc spectat causa indulgentiæ, quæ proponitur in capit. *Cum ex eo*, de Pœnitent. & remission. nimirũ erigere, aut sustentare hospitale: nam, licèt finis proximus huius operis corporalis esse videatur; tamen & ipsum opus per se pium est, & ad augmentum charitatis, & commune bonum ordinatur. Idemque à fortiori dicendum est de instauratione templi, aut aliarum rerum sacrarum. Imò antiquitùs vix concedebantur indulgentiæ, nisi propter huiusmodi fines: neque exigebatur aliud opus pium ad consequendam indulgẽtiam præter eleemosynas, quæ dicebantur manus adiutrices, ex quibus, sine dubio, quærebatur illud temporale subsidium, non in eo sistendo, sed in sacro opere, & religioso cultu, ad quem ordinabatur.

7. Non oportere causam oriri ex malo imminẽnente, sed sufficiẽs boni augmentum. Tandem aduerto, non esse necessariam causam quæ ex aliqua peculiari necessitate, aut imminente malo nascatur, sed sufficiẽtissimam causam esse Christiani populi reformationem, vel spirituale augmentum: quæ causa nunc maximè est in vsu, nam Christianus populus multùm mouetur ad pietatem & frequẽtem vsum sacramentorum per huiusmodi indulgẽtias & remissiones: & idcirco summi Pontifices frequenter concedunt indulgentias etiam plenissimas, & per modum Iubilæi propter hanc solam causam, & quidem

dem prudentissimè, atque sanctissimè, quia cæteræ omnes causæ ad hanc ferè ordinantur, vt fides, charitas, & religio augeantur in Christiano populo. Ergo, si hic fructus immediatè speratur ex ipsa indulgẽtia, quia nimirum fideles ob illud spirituale lucrũ obtinendũ maiori cum feruore & indulgentia confessiones faciunt, ad Eucharistiam accedunt, &c. sufficiens ratio est ad indulgentias concedendas, quanquàm in earum vsu & frequentia moderatio necessaria sit, ne & ipsæ vilescant, & consequenter fructus ille impediatur.

*Ad particularem indulgentiam, particularem causam sufficere. Concl. 2.*

2. SECVNDÒ dicendum est, quando indulgentia est particularis, sufficere particularem causam illi proportionatam. Ratio est, quia sufficientia huius causæ nõ fundatur in vniuersalitate, sed in honestate & proportione: hoc enim probãt adducta in sectione præcedente, neque aliud colligi potest ex aliquo principio certo. Explicabitur autem ampliùs hęc veritas descendendo ad particularia. Potest igitur esse hæc indulgẽtia particularis, respectu totius Ecclesię; cõmunis verò, respectu alicuius Prouinciæ, vel Religionis: & tunc manifestum est sufficere causam eodem modo particularem, id est, propriam illius Prouinciæ, vel Religionis, respectu verò illius cõmunis & vniuersalis, sic enim seruatur proportio: & ita est vsitatum in multis indulgentiis specialiter concessis Religionibus, Confraternitatibus, Populis, aut Prouinciis, vt Indis, verbi gratia. Quapropter de hac causa nihil ampliùs dicendum occurrit, sed applicanda cum proportione sunt dicta in præcedenti assertione: quia non semper necesse est, vt causa immediatè pertineat ad totam illam communitatem: sufficit enim quòd spectet ad aliquam præcipuam partẽ eius, & sic de aliis. Aliquando verò fieri potest, vt hæc indulgẽtia sit particularis, seu omninò personalis: & tunc sufficit causa eiusdem ordinis, id est, eodem modo particularis, seu personalis, quia illa est causa proportionata: sicut in distributione materialis thesauri, quanuis non intercedat communis necessitas, vel causa, si tamẽ in vna persona inueniatur, illa sufficiet, vt ei saltem subueniatur.

9. Obiect. Dices, Ergo ad concedendam indulgentiam alicui personę, sufficiet personalis necessitas euadendi pœnas Purgatorij, vt v.g. poterit Pontifex cuilibet homini morienti indulgentiam plenariam concedere, solùm propter hanc causam personalem, quòd est in morali periculo eundi ad Purgatorium: hoc autẽ nõ repugnat superiùs dictis. Solutio. Respondetur, negando cõsequentiam: iam enim supposuimus necessariam esse causam extrinsecam præter finem intrinsecum indulgentiæ, ad quem spectat illa necessitas euadendi pœnas Purgatorij; præter hanc ergo causam necessaria est in eadem persona aliqua alia honesta, & grauis, quæ in hoc proportionata sit quantitati indulgentiæ, & hanc dicimus sufficere particularem, & personalem. Exẽplis demonstratur, inparticularibus personis posse esse sufficientem causam indulgentiæ. Potest autem esse multiplex. Aliquando enim talis causa sumitur ex pietate, vel officiis exhibitis Ecclesiæ à tali persona: & hoc modo solet Pontifex Rom. concedere indulgentiam plenariam iam iam morienti, sine noua causa, solùm quia, aut in honestate vitæ, aut in seruitiis Ecclesiæ exhibitis excellit. Estque hæc causa honestissima, tum in præmium virtutis, vel quandam gratitudinem, tum in exemplum aliorum, vt ea spe ad similia opera excitentur. Et huic similis videtur illa indulgentia, quam concessit Martinus V. in fine Concilij Constantiensis omnibus, qui in Concilio adfuerant. Alia verò causa esse potest vtilitas vel necessitas spiritualis talis personæ, vt verbi gratia, si aliquis personalis fructus spiritualis in ea speretur ratione indulgẽtiæ, vt quòd maiori diligentia, & feruore Exomologesim faciet spe indulgentiæ, &c. Nam si huiusmõdi fructus respectu totius communitatis est sufficiens, vt toti cõmunitati similis indulgentia cõcedatur, cur nõ sufficiet respectu vnius personæ cũ proportione? Simile est, si quispiã morti iã vicinus, nimiùm esset deiectus animo, & penè diffidens de salute sua, & per concessionem indulgentiæ crederetur erigendus in spem, &c. illa profectò esset sufficiens causa concedendi indulgentiam, quia etiam illa est causa extrinseca, & valdè pia, & proportionata. Habemusque exemplum in Paulo, qui 2. ad Corinth. 2. peccatori veniam concessit, vt non circumueniretur à Satana, aut nimia tristitia absorberetur. Propter has ergo, & similes causas particulares meritò concedi possunt indulgentiæ personales. Quod rectè declaratur exemplo voti, quod, quia personale est, rectè dispensatur propter specialem causam, vel necessitatem talis personæ: nec tamen satis erit sola necessitas liberandi hominem ab illo debito & onere, quo grauatur, nisi alia extrinsecùs accedat, quæ valdè difficilem, aut incommodam reddat voti obseruantiam; cum eadem autem proportione similis necessitas sufficit ad indulgentiam personalem, vt declarauimus. At verò si esset votum communitatis, causa dispensandi deberet ad totam communitatem pertinere, si cum communitate dispensandum esset: seruatur ergo proportio. Idem exemplo voti sua detur.

10. Particularẽ causã interdum sufficere ad vniuersalẽ indulg. Addo verò vlteriùs, particularem, seu personalem causam interdum sufficere, vt vniuersalis indulgentia concedatur. Probatur ex eodem principio, quia interdum talis potest esse persona, vt eius necessitas, vel vtilitas reputetur grauissima, & talis, vt meritò possit per tale medium procurari, vt v.g. si pro impetranda salute Regis, aut Prælati, vel alicuius viri vtilissimi Reipublicæ, indulgentia concedatur. Obiect. Dices, tunc bonum illius personæ esse commune bonum, & ideò, licèt materialiter, seu subiectiuè, vt sic dicã, causa videatur priuata, tamen virtute & æstimatione morali esse publicã. Solutio. Respondeo, in primis concedendo totum: nihilominùs tamen verũ est, bonum illud, quod proximè intenditur, vnius esse personæ, quanuis mediatè redundet in bonũ communitatis. Quod quidem de bono cuiuscunque personæ dici potest, quia bonum partis per se redundat in bonum totius, quanuis vna pars possit esse vtilior corpori quàm alia: quod etiam considerandum est ad proportionẽ huius causæ. Hinc verò vlteriùs dicetur fieri posse, vt licèt persona non sit vtilis Reipublicæ ex peculiari munere publico, quod in illa exercet, sed solùm sit insignis, vel sanctitate, vel literis: vel etiam nobilitate, meritò fieri posse vt in illius fauorem, & propter eius bonum fauor aliquis communitati concedatur: nam ex circunstantia personæ talis causa grauis est, semperque redundat saltem mediatè in Ecclesiæ commodum. Maximè verò hoc expedire potest, quando talis indulgentia concessa in fauorem huiusmodi personæ, aut habet rationem præmij virtutis, aut rationem gratitudinis, vt si talis persona publicum habet testimonium honestæ & sanctæ vitæ, aut specialia beneficia in Ecclesiam contulit: nam est magnum Ecclesiæ bonum, vt alij intelligant Ecclesiam specialem gratiam, & fauorem spiritualem conferre huiusmodi hominibus, vt ad eorum imitationem alij animentur. Atque ita nunquam excludimus vtilitatem Ecclesiæ, quæ ex singulorum etiam commodis redundat: sed solùm dicimus necessarium non esse, vt causa proximè intenta ad com

communitatem formaliter pertineat.

11. Intercessionē alicuius personæ posse conferre ad causam indulgentiæ honestandā. 2. Cor. 2.

Atque hinc vlteriùs sequitur, intercessionem seu petitionem alicuius personæ posse aliquando multùm conferre ad honestandam seu complēdam causam indulgentiæ: sicut in superioribus dicebamus vsitatum fuisse in principio Ecclesiæ ad petitionem martyrum seu confessorum dare veniam lapsis, ad imitationem Pauli 2. ad Corinth. 2. dicentis: *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* De quo videri possunt 35. quæst. cap. *Veniam*, ex Innocentio I. epist. 23. ad Episcopos Macedoniæ, cap. vlt. & Cypriano epist. 15. & sequentibus. Idem ostenditur exemplo Dei, qui vnius precibus alteri ignoscit, inde enim seruata proportione intelligimus esse opus virtutis, aliorum precibus moueri ad remittendum aliis, & consequenter motiuum hoc, si debitis circunstantiis vestiatur, posse ad honestādam causam indulgentiæ iuuare. Dico autem *iuuare*, quia vel nunquàm, vel rarò accidit vt sola intercessio alicuius sit tota causa & sufficiens ad honestatem & valorem indulgentiæ, quia quòd Pontifex id faciat vt suam voluntatem vel desiderium expleat, non satis, est, cur ergo sufficiet, vt id faciat solùm ad explendam voluntatem alterius rogantis, si nulla alia causa honesta & sufficiens subsit? Itaque regulariter necesse est, vt ille qui intercedit pro indulgentia obtinenda, præter voluntatem suam, iustam causam afferat, propter quam indulgentia concedi valeat.

Innoc. 3. Cyprian.

Sola tamen intercessio non est causa sufficiens.

12. Clem. 6.

Sæpe enim contingit, vt existat causa sufficiens, & nihilominùs Papa nolit indulgentiam concedere, vel non integram, vel non ita frequenter, sed rarò: quam hæc omnia arbitraria sunt, & causa, licèt sufficiat, non imponit obligationem. Quoad hæc ergo omnia, multùm valere potest intercessio ad mouendam voluntatem Pontificis. Atque ita fatetur Clemens VI. in Extrau. *Vnigenitus*, de Pœn. & remiss. se precibus & supplicationibus Romani populi inductum fuisse, vt centenarium Iubilæi annum ad quinquagenarium reuocaret, suppositis autem aliis honestissimis motiuis, quæ ibi proponit. Sixtus verò IV. in Extrauag. *Quorundam*, sub eodem titulo fatetur, & se, & Paulum prædecessorem, suum multorum Principum, & aliorum Christi fidelium, ac aliarum deuotarum personarum pulsatos precibus, diuersas indulgentias, & peccatorum remissiones plenarias *nonnullis Ecclesiis, monasteriis, & piis locis* concessisse. Interponit autem hæc verba, *Animarum saluti fidelium intenti*, per quæ significat semper obseruasse iustam rationem ad tales indulgentias concedendas. Nec tamen solùm potest valere hæc intercessio ad inclinandam voluntatem Pontificis ad exercitium actus, vt sic dicam, sed etiam aliquando iuuat ad cōplendam causam quæ indulgentiam iustificat. Primò quidē, quia ipsamet intercessio est pia actio, & quædam fidei professio, & specialis deuotio ad Apostolicam sedem, eiúsque claues, & ad salutem animarum: quæ omnia sunt aliqua remuneratione digna. Deinde, si persona, quæ intercedit, sit de Ecclesia bene merita, propter obsequia in eam collata etiam accedit ad causam iustam, vt talis gratia illi concedatur per modum gratitudinis, vt ex dictis satis cōstat.

Sixt. 4.

13. Non est necesse vt à recipiente indulgentiam aliquod opus exigatur.

Vltimò ex dictis infero, ad honestam causam indulgentiæ, non semper necessarium esse, vt à recipiente aliquid exigatur, quod ad illam causam suo modo concurrat, quanuis Soto, & nonnulli alij simpliciter ita loquantur. Probatur, quia non semper necessarium est opus ex parte lucrantis indulgentiā: sed illud subsidium aliquo actu, vel opere conferendum est: ergo neque illud exigere est semper necessarium, quanuis si exigatur, sit necessarium illud implere. Vnde multò minùs necessarium erit postulare semper manus adiutrices. Quando enim causa indulgentiæ talis est, vt necessariò requirat eleemosynas, vt executioni mandari possit, tunc quidem necesse est illud onus imponere, tamen quia illa causa non est semper necessaria, vt satis ex dictis constat, ideò neque hoc subsidium necessarium semper est: frequenter autem postulatur, quia est opus valdè gratum Deo, & proximis vtile, & ad redimenda peccata proportionatum. Et ad eundem modum ratiocinandum est de aliis operibus misericordiæ, pœnitentiæ, aut religionis, & de subsidio orationum, quæ interdum publicæ, interdum priuatæ exiguntur: & possunt etiem purè mentales postulari, & sufficere, propter easdem causas. Deniq; tot bona merita possunt in aliquo supponi, aut talis potest esse modus indulgentiæ, vt necessarium non sit nouum concursum ex parte recipientium postulari, vt rationibus, & exemplis suprà demonstratum est. Vnde non est quòd Soto obmurmuret, & mordeat Prælatos Ecclesiæ, quòd ad exaltandam suam auctoritatem indulgentias interdum concedere videantur: quia si non tam personam suam respiciant, quàm dignitatem, non est ambitiosa, sed religiosa intentio, potestque esse valdè vtilis Ecclesiæ, vt fideles maiorem reuerentiam erga suos Prælatos concipiant: quare si cum debita moderatione id fiat, non erit indulgentia inualida, etiāsi absque alio pio opere, sola benedictione aut verbo concedatur. Quod verò subiungit idem Soto, de Prælato concedente indulgentiam, *propter suam particularem affectionem*, ad aliquod sacellum, vel altare, multò minùs habet (etiam in specie) quod reprehendi meritò possit. Illa enim particularis affectio non excludit rationabiles causas, ob quas similes indulgentiæ piis locis concedi solent: sed determinat voluntatem ad hūc locum potiùs, quàm ad alium: in hoc autem, per se loquendo, nulla est inordinatio, neque effectus ille per se malus est, sed potiùs ex vi obiecti est religiosus.

14. Fundamēto Soti satisfit.

Nec fundamentum Soti, alicuius est momenti contra nostram sentētiam. Nam, licèt thesaurus sit communis, tamen dispensatio eius fit per applicationem ad particulares personas, vel plures, vel vnam: causa autem non debet esse æqualis ipsi thesauro secundùm se, sed applicationi eius. Neque verò thesaurus ille ita communis est, vt sit sub dominio communitatis, non est enim nisi sub dominio Dei, vel Christi, qui dispēsationem eius Vicario suo commisit, quam voluit fieri in commune bonum fidelium; & ita quoad vsum vel vtilitatem dicitur thesaurus ille communis. Ex illo tamen prouidendum est, non tantùm vniuersæ communitati, vt sic, sed etiam singulis personis eius, prout ratio vel discretio postulauerit. Et ideò non semper requiritur communis causa, sed iuxta modum dispēsationis. Ad confirmationem autem respondetur in primis, omnia, quæ diximus, satis esse à nobis confirmata decretis, & testimoniis, quæ ostendunt antiquum vsum. Deinde, etiamsi vsus nō esset antiquus, sufficeret nobis auctoritas eorum Pontificum, qui nostra ætate floruerunt: nam præter Pontificiam auctoritatem doctrina, prudētia, & sanctitate valdè illustres extiterunt. Vt omittam omnia quæ diximus, suppositis fidei principiis, ita esse ratione consentanea, vt aliam confirmationem non requirant. Hic verò statim sese offerebat quæstio, an de facto semper sentiendum sit, indulgentiam habere causam legitimam, vt tantùm operetur, quātùm conceditur, seu quantùm sonat. Hęc verò propriè locum habebit post disputationem sequentem.

Confirmatio eiusdem diluitur.

DISPV

## DISPVTATIO LV.

### *De causa efficiente indulgentiarum.*

HÆc est altera causa extrinseca indulgentiarum, de qua nonnulla certa sumi possunt ex prima Disputatione huius materiæ. Primum est, causam principalem indulgentiæ esse Christũ Dominum, in quo est & potestas excellentiæ remittendi peccata, & dominium thesauri, per cuius applicationẽ fit hæc remissio. De ipso verò thesauro, quem multi collocant inter causas efficientes indulgentiæ, quia continent organum seu pretium, virtute cuius fit talis remissio, in secunda Disputatione diximus: quia necessarium fuit ad explicandam essentiam indulgentiæ: & quia est veluti materia circa quam versatur, applicando & dispensando illum, & quia satisfactio applicata, est veluti forma expellens reatũ temporalis pœnę. Rursus ostendimus, Christum Dominum dedisse Ecclesiæ suæ potestatem concedendi indulgentias: quia, licèt ipse sit principalis auctor hui⁹ beneficij, noluit tamen immediatè per seipsum hoc munus exercere iuxta ordinariã legem, sed per homines, quibus potestatem ligandi, & soluendi contulit. Vnde concluditur, proximam causam efficientem indulgentiæ, esse aliquem hominem, illum scilicet, in quo est talis potestas à Christo commissa. De qua potestate concluſimus, per se ac formaliter pertinere ad potestatem iurisdictionis. Ex quo rursus manifestum esse diximus hanc potestatem principaliter residere in summo Pontifice, qui in terris est, veluti fons totius Ecclesiasticę iurisdictionis. Vnde etiam constat, post Christum, Pontificem esse præcipuam causam efficientem indulgentiarum. In hac ergo Disputatione, pauca priùs de ipso Pontifice summo nobis dicenda sunt, non tam propter indulgentias, quàm propter alias remissiones, quæ cum indulgentia, vel ad modum indulgentiæ concedi solent. Deinde verò dicemus de aliis, qui participant hanc potestatem, & de gradu, & modo quo illam accipiunt.

## SECTIO I.

### *An solus summus Pontifex habeat diuino iure potestatem concedendi indulgentias.*

1. Ratio affirmãs de Pontifice.

CErtum in primis est, summum Pontificem habere potestatem concedendi indulgẽtias in vniuersa Ecclesia, totam enim habet sibi subiectam. Certum item est habere, hanc potestatem à diuino iure, seu à Christo Domino, qui Petro oues suas commisit: neque enim aliunde habere potest, cùm non habeat in terra superiorem. Denique in hoc eadem est ratio de hac potestate, & de vniuersa Pontificis iurisdictione: de qua in proprio loco ex professo dicendum est. Atque in his conueniunt Theologi omnes. Et confirmari possunt ex his, quæ in prima Disp. diximus. Dubitatur tamen an hoc sit proprium Summi Pontificis, & quomodo.

2. Dubium de Cõcilio generali.

Et in primis interrogari potest an alius præter Põtificem habeat hanc potestatem circa vniuersam Ecclesiam, præsertim ex diuino iure. Quod quidem ad summum potest de Concilio generali dubitari, quia præter illud, nulla congregatio hominum habet iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam, sicut nulla singularis persona eam habet præter summum Pontificem. De Consilio ergo generali videtur, quòd habeat hanc potestatem concedendi indulgentias pro tota Ecclesia, quia habet potestatem ferendi leges, & excommunicandi: ergo etiam habebit potestatem absoluendi per indulgentias. Secundò, quia dispensatio thesauri alicuius communitatis ad totam communitatem pertinet, vt patet in omni Republica: ergo similiter potestas dispensandi Ecclesiasticum thesaurum pertinet ad Ecclesiam vniuersalem: sed Concilium generale representat vniuersalem Ecclesiam, vt docuit Martinus V. in Concilio Constantiensi in fine: ergo. Tertiò, quia in Concilio generali sunt omnes pastores, & spirituales iudices Ecclesiæ: ergo ad illos pertinet vniuersalis dispensatio, vel remissio per indulgentias.

3. Quorũdam sententia.

Propter hæc non desunt Auctores, qui affirment posse Concilium generale huiusmodi indulgentias concedere, eamque potestatem à iure diuino habere. Ita tenet Panormitanus in Clemẽt. 2. de pœnit. & remiss. & in tractatu super Concilium Basilien. & sequitur Felinus tract. de Indulgentiis, num. 44. Idem significat Soto d. 21. quæst. 1. art. 4. concl. 1. vbi Pontifici coniungit Concilium, ac prælatos: infrà verò id explicat de Concilio generali, quòd dicit iure diuino habere plenam iurisdictionem, si legitimè congregatum sit. Idem tenet Cordub. quæst. 12. de Indulgentiis, qui specialiter id asserit de Concilio generali Sede vacante. Confirmatque ex Concilio Basilien. de quo infrà dicemus. Hæc opinio non placet, & fundamentum eius suspectum est: existimo enim, Concilium generale non habere per se & immediatè iurisdictionem aliquam à Christo. Et ideò veriùs existimo non habere ex iure diuino talem potestatẽ concedendi indulgẽtias vi sua, seu quatenus à capite condistinguitur. Quod in primis insinuarunt D. Th. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. & alij Theologi ibidem, dicentes solum Pontificem posse indulgentias vniuersales concedere ratione curiæ vniuersalis, vt ait Durand. quæst. 5. & Palud. quæst. 4. art. 3. & Rich. art. 5. quæst. 3. & Bonauent. 2. quęst. art. 3. ex Alens. 4. part. quæstion. 23. aliàs 83. membr. 3. qui omnes nulla facta mentione Concilij generalis, soli Pontifici hoc tribuunt, & multi eorum notã exclusiuam expressè addunt. Gerson verò lib. de potestate Ecclesiæ, consideral. 11. quæstionem in terminis attingens, lectori considerandam relinquit.

Vera sentẽtia.

D. Thom.

Durand. Palud. Richard. Bonau. Alens. Gerson.

4. Cõciliũ cui pręest Papa, potest indulgentias concedere.

Vt autem hanc sententiam probemus, aduertendum est, Concilium generale considerari posse aut cum summo Pontifice personaliter præsidente, aut sine illo. Priori modo, clarum est, posse cõcedere, indulgentias, saltẽ ratione summi Pontificis, quem includit: de hoc verò non disputamus, quia illud non habet ratione sui, nec quatenus corpus quoddã est, sed quatenus caput habet, & virtute illius. Vnde certũ est, quidquid in hoc genere potest totũ hoc Concilium simul cum capite, posse solum caput, etiã renuente toto corpore, quia habet supremam iurisdictionem independentem à corpore. E contrario verò si caput renuat, & nolit indulgẽtias concedere, Concilium totum non posset illas validè tribuere: quia vel iurisdictionem non habet, vel habet illam dependentem à capite. Sumendum ergo est Concilium sine præsentia capitis. Quod duobus modis potest contingere. Prior est, quando adsunt Legati nomine Põtificis: alter est, quando nullo modo adest Pontifex, nec per se, nec per alium: quod solùm potest contingere vacante Sede Apostolica, si Concilium futurum est legitimum: nam viuente Põtifice, nullum verum Concilium generale potest sine eius legatis congregari, sed erit schismaticum cõciliabulum, vt suppono ex propria materia: & ideò de illo nulla est disputatio, quia certum est nullam habere potestatem. Si ergo

Cõciliũ vbi Legati Papę adsũt ratione illorum.

ergo Concilium sit vnitum capiti per Legatos, habere quidem poterit facultatem concedendi indulgentias ex concessione eius; tamen hac secluſa, ex se & diuino iure illam non habet quia nullibi cõcessa est, vt statim ostendam, & quia non est necessaria, cùm perseueret potestas in capite, & hæc sufficiat ad prouidẽdum in genere vniuerso corpori. Neque expediat esse ad eundem actum duas potestates vniuersales, quia vel esset sine vlla subordinatione inter se, & hoc esset inordinatũ & monstruosum: vel vna est dependens ab altera, & tunc ea, quæ dependet, dimanabit ab alia, & non erit immediatè à Christo, quia non est cur magis pendeat in conseruatione, vel vsu, quàm in emanatione. Denique Papa sine dubio B potest prohibere vniuersali Concilio ritè, & cum suis Legatis congregato, ne indulgentias concedat sine suo consensu & confirmatione, & tunc indulgentia aliter data, esset prorsus inualida: ergo signum est, illud Concilium ex se non habere talem potestatem, alioqui non posset homo illam auferre, quia esset immediatè à Christo data.

5. Concilium acephalum non habet potestatem concedendi indulgẽtias.

Atque hinc à fortiori colligitur, idem dicendum esse de Concilio generali acephalo, quãquàm in eo videretur esse maior necessitas, quia tũc Ecclesia caret capite, quod posset tales indulgentias concedere. Tamen hoc ipsum probat tale Concilium nõ habere hãc potestatem; quia caret capite, per cuius influxum illam posset recipere: nam si Concilium legitimum, viuente Pontifice, illam non habet immediatè C à Christo, cur illam habebit Concilium congregatum mortuo Papa? Sola enim necessitas nõ est sufficiens ratio, tum quia hic actus non est ex necessariis ad regimen Ecclesiæ, præsertim pro breui tempore, quo durare solet in Ecclesia carentia capitis: & licèt contingeret esse diuturnum, illud esset valdè accidentarium & rarum, quod non cadit sub moralem considerationem, præsertim in re, quæ solùm est supererogationis, & ad melius esse, vt est indulgentia. Tum etiam, quia sola necessitas non dat potestatem, nisi ostẽdatur ab eo concessa, qui est principalis dominus: hîc autem ostendi non potest, quia Christus nunquàm dedit hanc potestatem Ecclesię, sed Petro, cui dixit, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, Matth. 16. & Mat. 16. Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Dices etiam de Ecclesia dic- D Locus Mat. 18. obiicitur tum esse Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus & publicanus:* & statim subiungitur Soluitur. eadem promissio, *Quæcunque ligaueritis, &c.* Respondetur cum Chrysost. ibi, nomine Ecclesiæ intelligi Pastores Ecclesiæ, neque enim verbum quod præcedit, *Dic Ecclesiæ*, referri potest ad totam plebem: quia nec moraliter fieri potest, neque expedit, vt peccata correctione digna toti Ecclesiæ denuncientur: dicuntur ergo Ecclesiæ denunciari, quando denunciãtur Pastori: quando ergo dicitur, *Si Ecclesiam non audierit*, eodem modo intelligitur de Ecclesia per Pastorem suum loquente. Quòd autem ibi promissa dicitur potestas iurisdictionis, nõ obstat: nam propria promissio singulariter facta est Petro, & illi etiam E fuit specialiter à Christo data, & per eum communicatur aliis, atque ita impletur quod de aliis Pastoribus Ecclesiæ generaliter dictum erat.

6. Vnde confirmatur assertio, quia Christus Dominus nullũ aliud genus iurisdictionis immediatè cõtulit Ecclesiæ, quatenus quoddam corpus mysticum est: ergo neque etiam illi contulit hanc iurisdictionem necessariam ad indulgentias concedendas: ergo non est vnde Concilium illud acephalum eam habeat. Antecedens certum est ex testimonis Euangelij citatis, & ex traditione perpetua Ecclesiæ, cuius regimen semper fuit monarchicum, & pendens ab vno capite, idq; non ex hominum institutione, quæ mutari potest, sed Christi, quæ immutabilis est. Prima verò consequentia patet, vel à paritate rationis, vel à fortiori, quia alij actus iurisdictionis esse poterant magis necessarij Ecclesiæ ad suam gubernationem. Secunda verò consequentia probatur, quia vel Concilio illud haberet talem potestatem ab Ecclesia, & hoc non; quia ipsa Ecclesia illã non habet: non enim potest illam ex se habere, nisi Christus eam donet, cùm supernaturalis sit; nullibi autem Christus illam ei donauit, vt ostendimus. Vel haberet illam à Christo, eò quòd tale Concilium repræsentat vniuersalem Ecclesiam: & hoc etiam dici non potest, quia, si Christus ipsi Ecclesiæ noluit talem petestatem conferre, multò minùs eam conferet alteri, solùm quia repræsentat Ecclesiam; vel è conuerso, si huic contulisset, multò magis illi: quia propter quod vnũquodque tale, & illud magis: vnde, quibus modis probatur non dedisse Ecclesiæ, probatur non dare huic Concilio, quia nulla extat de hac re promissio, nullúmve testimonium vnde colligi possit.

7. Rationes dubitandi diluuntur.

Atque ita facilè respondetur ad rationes in contrarium. Ad primam negamus, Concilium (per se loquendo) habere potestatem ferendi leges, &c. nisi per Pontificem, vel cum Pontifice. Vnde, quando Concilium viuente Pontifice legitimè congregatum est, per ipsum habet hanc potestatem, vel expressè, vel tacitè concessam: nam sine illius consensu nihil efficere potest, quod firmum sit, & efficax ad obligandum. Quando verò contingit Concilium congregari eo tempore, quo Ecclesia caret Pontifice, tunc quidem habet eam potestatem, quæ præcisè necessaria est ad regimen Ecclesiæ pro eo tempore, donec electio Pontificis fiat; quæ iurisdictio ex diuino iure illi conuenit, non quidem per specialem concessionem, sed veluti ex natura rei, & per necessariam consecutionem, suppositio tali statu Ecclesię: quia in omni Republica necessarium est vt deficiente capite, & vrgente necessitate, per primarios Principes, vel eorum congregationem gubernetur. Ad hoc autem regimen non est necessaria potestas hæc concedendi indulgẽtias, & ideò etiam hoc modo non inuenitur in tali Concilio: neque habemus probabile fundamentum ad id asserendum. Ad secundum respondetur potiùs probare oppositum, si rectè consideretur. Est enim differẽtia inter Ecclesiæ thesaurum, & materialem thesaurum alicuius ciuitatis vel Reipublicæ, quòd hic est sub dominio totius communitatis, & quanuis potestas dispensandi illud sit apud Principem, vel Regem, tamen in illum trãslata est ab ipsa communitate, sicut & tẽporalis potestas regia, ideóque deficiẽte omninò legitimo Rege, potestas communicandi talem thesaurum ad communitatem deuolueretur. At verò Ecclesię thesaurus est sub dominio Christi, non Ecclesiæ, ideoque potestas dispensandi illum in eo inuenitur, cui Christus illam communicauit: hic autem fuit Vicarius eius, non totum Ecclesiæ corpus, vt ostensum est: ideoque etiam deficiente ad tempus Christi Vicario, nõ deuoluitur talis potestas ad Ecclesiam: quia neque ex natura rei consequitur, neque speciali concessione ei data est: manet ergo veluti suspẽsa, seu in solo Christo, donec Vicarius eius eligatur. Parumque refert quòd Concilium tunc congregatum repræsentet vniuersalem Ecclesiam, quia repræsentat illam sine capite, & consequenter sine tali potestrte. Ad tertium argumentũ conceditur illatio, si in tali Concilio adsit Pontifex: si autem absit, negatur consequentia: quia deest supremus Pastor, apud quem solum est vniuersalis potestas ex diuino iure.

2. Soluitur.

3. Enodatur.

Ex quibus vlteriùs infero, etiam de facto, & ex ordinario iure humano non inueniri potestatem hanc

8. Nullo or-

in

dinario iure humano Cõcilium generale habet potestatem concedendi indulgẽtias.

in aliquo Concilio generali. Probatur, quia tale ius nullo decreto cõstat, nec traditione: ergo nullo fundamento affirmare id possumus. Præsertim quia ad eos fines, ad quos solent Concilia congregari, non est ita necessarium, vt affirmare possimus, vel ex natura rei consequi, vel iure diuino eis deberi. Accedit quòd neque ex vsu colligi potest hæc potestas, rarissimè enim inueniuntur indulgentiæ à Conciliis generalibus concessæ. Et, licèt aliquando factum sit, vt

Conc. Basil.

in Concilio Basilien. sess. 24. tamen illud fieri potuit ex generali commissione summi Põtificis, cuius Legati ibi aderant, & sub illius obedientia tunc Conciliũ illud procedebat. Posteà verò sess. vlt. idẽ Concilium etiã indulgentias concessit, veruntamen & in schisma iam inciderat, & putabat se habere alium Pontificem à se electum, & Consilio præsidẽtem: & præterea in eo errore versabatur, quòd putabat Cõcilium esse supra papam. Denique Nicolaus V. qui posteà propter vnionem & pacem acta quædam (ad iurisdictionem externam, non ad doctrinam pertinentia) ab illo Concilio rata esse voluit, indulgẽtias etiam confirmauit, quòd sine auctoritate pontificis non potuissent esse validæ. Denique, quoties Concilium congregatur viuente pontifice, ab illo potest habere potestatem concedendi indulgentias, quantùm expediens fuerit; & ideò necessarium non est vt ordinario iure illam habeat. Cõcilium autem generale Sede vacante rarissimè celebratur, semelq; tantùm legimus id factũ in Cõcilio Constãtiensi, quod tempore schismatis coactum est, in quo nullus erat certus & indubitatus papa, & ideò nullum etiam ordinarium ius pro tali Concilio in materia indulgẽtiarum statutum est: neque in Constantiensi synodo aliquas indulgentias legimus fuisse concessas, quanquàm aliàs declarauerit habere se potestatem immediatè à Christo Domino, quod quàm certum sit, quo modóve sit intelligendum, alio loco tractandum est latiùs. Nunc solùm dicimus non esse extendendum ad potestatem concedendi indulgentias propter superiùs dicta, quòd nullibi legimus Christum hanc potestatem dedisse, neque ex traditione habetur, aut certa aliqua ratione colligi potest.

## SECTIO II.

### *Vtrùm inferiores sacerdotes, vel saltem Episcopi, habeant iure diuino potestatem concedendi indulgentias aliquibus personis, vel locis.*

1. Prima opinio.

IN superiori sectione dictum est de potestate vniuersali circa totam Ecclesiam, nunc dicendum est de potestate, quasi partiali circa determinata loca, vel personas. Et priùs quidem dicemus, stando in solo iure diuino, posteà in humano. Potestque in primis referri opinio quorundam, qui dixerunt, sacerdotes omnes iure diuino habere potestatem concedendi indulgentiam etiam plenariam, quãquàm nunc non possint, quia Papa sibi reseruauit. Ita tenuit Marsilius in 4. q. 12. art. 2. part. 2. illius, concl. 2. in fine, & Guillelmus de Rubion. in 4. d. 19. q. 1. & alij, quos infrà referam. Est tamen improbabilis sententia, quia vel non distinguit potestatem ordinis à potestate concedendi indulgẽtias, vel non distinguit iurisdictionem in foro sacramentali, & in foro indulgentiarum. Denique cùm sacerdotes nunquàm in Ecclesia tali potestate vsi sint, & frustra illis data fuisset iure diuino, & gratis id asseritur, vt clariùs ex sequentibus constabit.

Marsil. Guillel. Rubion. Reiicitur.

2. Secunda opinio.

Omissis ergo inferioribus sacerdotibus, de Episcopis fuit secunda opinio dicens vnumquẽq; Episcopum iure diuino habere potestatem ad concedẽdas indulgentias in sua diœcesi, seu suis subditis. Ita tenent Sot. & Cord. suprà. & Petr. Soto lect. 3. de Indulgentiis, & Medin. lib. de Indulgentiis, disput. 5. & 6. præsertim cap. 27. & 30. & Nauar. in Commẽtario de Indulgẽtiis, notab. 31. qui tamẽ non explicat hoc esse ius diuinũ, sed esse ius ordinarium: vnde eodem modo loquitur de legato põtificis, de quo nemo dicet habere hãc potestatẽ iure diuino. Et eodem modo loquuntur Palud. & alij, qui solent pro hac sentẽtia citari. Fundamentum est, quia generaliter putant iurisdictionem Episcoporũ datam esse iure diuino, & vnumquemque ex vi iuris diuini posse in suo Episcopatu, quidquid papa potest in vniuersa Ecclesia, nisi impediatur. Aliæ etiam congruentiæ afferuntur parui momenti, nimirum, Episcopatũ esse ex diuino iure, & ex eodem esse perfectam prælationem, quanuis non supremam, ideóque. ex eodem iure pertinere ad Episcopum omnes actus huius dignitatis, ex quibus vnus est indulgentiarum concessio. Item, quia vnusquisque Episcopus est sponsus Ecclesię suę: spõsus autem, ex vi sui status & muneris habet potestatem disponendi bona sponsæ suæ, ergo & vnusquisque Episcopus bona suæ Ecclesiæ.

Soto Cordub. Perr. Soto. Medina. Nauarr.

3. Vera sententia.

Nihilominus probabilius censeo, solum summum pontificem habere immediatè à Christo Domino potestatem concedendi indulgentias, tam in vniuersa Ecclesia, quàm in qualibet parte eius, imò & singulis personis eius. Hanc sententiam tenet apertè Richard. d. 20. art. 5. q. 3. & Augustinus de Ancona libr. de potestate Ecclesiastica, q. 29. art. 5. Dur. d. 20. q. 1. ad 2. & reuera D. Tho. ibi idem sentit, & Palud. dict. qu. 4. art. 2. licèt videatur ambiguè loqui, tamen si attentè legatur in fine 3. cõclusionis num. 42. eiusdem est opinionis. Quam insinuare videtur Clemẽs VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de Pœnit. & remission. dum ait Christum reliquisse Ecclesiæ suæ thesaurum suorum meritorum, *quem per B. Petrum cœli clauigerum, eiusq; successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter.* Vbi licèt non ponat expressè exclusiuam, scilicet, per solum Petrum, tamen sine dubio in eo sensu loquitur, tum quia completam tradit doctrinã, tum quia omnem dispensationem thesauri, tam generalem, quàm specialem, dicit esse commissam Petro Quod testimonium optimè confirmat omnia, quæ in proximo puncto diximus. Illud autem fundamentum est in verbis Christi sępe citatis, *Tibi dabo claues*, &, *Quodcunq; solueris*, &, *Pasce oues meas*, Præterea in superioribus ostendimus, iurisdictionem Episcoporum, etiam in foro sacramentali, non esse immediatè à iure diuino, sed medio Pontifice: ergo à fortiori idem dicendum est de iurisdictione ad indulgentias concedendas: ergo ex vi iuris diuini tota hęc iurisdictio soli Petro & successorib⁹ eius collata est. Patet hæc vltima cõsequentia, quia, si aliquibus esset collata vltra Petrum, maximè Episcopis. Prima verò probatur, nõ solùm ex similitudine rationis, sed etiã à fortiori, quia iurisdictio in foro sacramẽtali est magis necessaria, magisque intrinseca muneri pastorali, quàm potestas concedendi indulgẽtias. Ite, quia absolutio sacramentalis intrinsecè, ac per se pendet ex charactere ordinis, quẽ propterea aliqui putãt includere potestatem iurisdictionis, ac proinde dicunt nõ solùm Episcopos, sed etiã sacerdotes oẽs habere talẽ iurisdictionem ex diuino iure, licèt habere subditos in quo exerceatur, sit de iure humano. At verò absolutio indulgẽtiarum non est actus characteris ordinis, aut consecrationis Episcopalis, vt suprà ostensum

sum est, ergo omninò pendet ex iurisdictione, quæ per hominem confertur: nam per hunc, vnus recipit potestatem in alium, & alius alteri subiicitur in ordine ad hunc indulgentiarum actum, quod totum est à iure humano.

4 Præterea sicut iurisdictio Episcoporum in foro pœnitentiæ limitatur, vel augetur ad beneplacitum Pōtificis, ita etiam facultas concedendi indulgentias: hoc autem est signum iurisdictionis manantis ab homine, & non à Christo immediatè. Et sanè in præsenti est signum ferè euidentissimum: nam, si Episcopi haberent hanc potestatem iure diuino, ergo, secluſa limitatione seu prohibitione summi Pōtificis, possent plenarias indulgētias cōcedere, & in quacunque quantitate, & tam pro viuis, quàm pro defunctis: quia ius diuinū nihil limitat, & ideò vel totū cōcedit, vel nihil, si autē Episcopi, ex vi iuris diuini tam amplā haberent potestatē, profectò nō possent Pōtifices tam limitatam illis eam permittere, vt solùm quadraginta dies indulgentiæ, & rarissimè annum vnum solis viuentibus concedere valeant, vt sequente sectione videbimus: potestas enim à Christo data, vel non potest ab homine auferri, etiam ex parte: vel certè non in maiori parte, sine grauissima causa satisque certa, & vniuersali, quæ in præsenti non potest facilè ostendi, cùm tamē maxima pars huius potestatis ablata sit Episcopis: quod non ita est in casuum reseruatione, vel alia simili moderatione iurisdictionis sacramentalis. Accedit denique, quia, sicut Papa limitauit hanc iurisdictionem ad quadraginta dies indulgentiæ, ita potuisset vel amplius limitare, vel omninò auferre: quod si fecisset factū teneret, vt colligitur ex c. *Cùm ex eo*, de Pœnitent. & remiss. quia non est maior ratio de vna, quàm de alia, cùm illa parua indulgentia ad Episcopale munus minimè necessaria sit, & possit facilè excogitari causa, ob quam illa non permittatur.

A posteriori probatur assertio.

5 Ex quo tandem infero, hanc potestatem non solùm non conuenire Episcopis immediatè ex iure diuino quoad actualem concessionem, vt ita dicam: verùm etiam nec quoad obligationem, sed solùm quoad originem, & congruentiam quandam. Explico singula. Diximus in superioribus Episcopale munus, quoad potestatem iurisdictionis in communi, esse de iure diuino seu ex Christi institutione, qui voluit Ecclesiam per Episcopos gubernari: ex quo non sequitur ipsum per se dedisse institutionem Episcopis, sed imposuisse obligationem Petro & successoribus eius gubernandi Ecclesiam mediis Episcopis, quibus conuenientem iurisdictionem communicarent. Ex quo fit consequenter vt teneatur Pontifex concedere Episcopis omnem iurisdictionem tali pastorali muneri moraliter necessariam, & quod perinde est, vt non possit licitè vel reseruare casus ad libitum, aut dispensationes omnes, sed cum prudenti moderatione, & ex iustis causis. Atque hac ratione iurisdictio Episcoporum in foro sacramentali, licèt non sit immediatè à Christo dante illam, potest tamen dici esse immediatè à Christo obligante Vicarium suum ad communicandum illam. In præsenti autem dicimus, iurisdictionem ad concedendas indulgentias neutro ex his modis conuenire Episcopis iure diuino: & hoc sensu asserimus non conuenire illis quoad actualem collationem, vt probatum est; neque etiam quoad obligationem, vt eis conferatur: quia hoc præceptum nullibi est specialiter impositum Pontifici colligendum, ergo esset veluti ex natura rei ex ipsa ratione intrinseca Episcopalis muneris: nā quia præcepit Christus hoc munus esse in Ecclesia, consequenter præcepit cum illo dari omnem iurisdictionem moraliter necessariam ad bonum regimen animarum: ex vi autem huius consecutionis non colligitur iurisdictio ad

Hanc potestatem non cōuenire Episcopis iure diuino quoad obligationem.

A concedendas indulgentias: nam hæc iurisdictio non est necessaria, neque admodùm refert ad salutem animarum, nam si huiusmodi esset, maior profectò iurisdictio esset illis concedenda: pertinet ergo hæc concessio, partim ad aliquam maiorem vtilitatem fidelium, & ad quandam maiorem decentiam & auctoritatem dignitatis Episcopalis, quæ non sufficiunt ad inducendam præcepti obligationem: non est ergo hæc iurisdictio à iure diuino etiam quoad obligationem communicandi illam. Est tamen ex diuino iure quoad originem, quia manat ex potestate à Christo data, & quoad congruentiam, quia posito Episcopali munere, congruum est, vt habeat cōiunctam aliquam iurisdictionem in hoc foro. Dices, ergo posset Papa suo arbitrio, & sine alia causa priuare Episcopos omninò hac potestate, non solùm validè, sed etiam licitè. Respondeo, fortasse si à principio ita fuisset institutum Episcopale munus, nulla fuisset culpa: nunc verò mutare institutionem sine causa, scandalum afferret, & nouitatem vel inutilem, vel etiam perniciosam, & ideò non fieret sine culpa: factum tamen teneret, quia nullo diuino iuri per hoc derogaretur.

Sed quo ad originem & congruentiam.

B

Ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur assumptum, absolutè loquendo, scilicet, Episcopum iure diuino posse in suo Episcopatu omnia, quæ Papa potest in vniuersa Ecclesia, nisi prohibeatur. De quo, præter suprà dicta in materia de Pœnitentia, quæ ad illud forum spectant, dicam alia pertinentia ad forum externum, infrà in materia de Censuris. De hoc autem foro indulgentiarum, quod est quasi medium, iam satis dictum est. Ad primam congruentiam patet etiam responsio ex dictis: nam quia hic actus concedendi indūlgentias non est simpliciter necessarium, etiam in Principe & Prælato Ecclesiastico non supremo: ideò non sequitur conuenire illi de iure diuino, etiam quoad obligationem, sed solùm ex quadam congruentia. Ad secundam coniecturam respondetur primò, non oportere metaphoram seruari in omnibus, alioqui potestas Episcopi non deberet esse adeò limitata. Deinde dicitur, particulares Ecclesias non habere proprium thesaurum, sed vnum esse communem toti Ecclesiæ, quia præcipuè constat ex Christi meritis: & ideò dispensationē eius Episcopo, & sponso totius Ecclesiæ commissam esse: aliorum enim Sanctorum merita quasi secundaria sunt, & accessoria, & à Christi meritis separari non possunt, à quibus habent suam vim & efficaciam, & ideò eundem thesaurum cum illis cōstituunt, eidemque dispensatori commissa sunt.

6 Diluitur fūdamentum cōtrariæ sēntiæ.

C

Prima congruētia soluitur.

Secunda enodatur.

D

## SECTIO III.

### *Vtrùm Episcopi possint indulgentias concedere ordinario iure humano.*

E

1 Prima opinio.

EVIT quorundam opinio, vt Palud. & alij referunt, neminem, præter summū Pontificem concedere indulgentias, vel ad hoc recipere potestatē. Sed si sunt qui eas tribuere videātur, denunciare solùm concessas à Pontifice, ipsos verò nō esse auctore, neque causas efficientes earū. Qui potuerūt in hoc fundari, quòd potestas concedendi indulgentias soli Petro, & successoribus eius data est. Sed hæc sententia falsa est, & contra vsum Ecclesiæ, vt cōstabit. Et fundamentum est nullius momenti, quia omnis potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ soli Petro immediatè data est, non tamen vt solus Pontifex ipsa immediatè vtatur, sed vt eam aliis communicet: vnde nullus est actus iurisdictionis, seu clauium, cuius potestatem

Reiicitur.

non possit Pontifex aliis delegare, præter infallibilem fidei definitionem, propter specialem Spiritus sancti assistentiam ad illam requisitam. In potestate autem concedendi indulgentias nihil singulare est propter quod communicari aliis non possit: ergo, quanuis Pontifici tantùm immediatè à Christo detur, per ipsum tamen poterit aliis inesse, qui verè efficiant, & concedant indulgentias.

2 Secunda opinio.

Aliorum igitur opinio fuit, neminem præter Pontificem, posse concedere indulgentias potestate ordinaria, per potestatem autem delegatam à Pontifice aliquo hoc posse, quibus nimirum Pontifex voluit, aut in posterum voluerit hanc iurisdictionem delegare. Quorum fundamentum sumitur ex eodem principio, quòd solus Pontifex habet hanc potestatem à Christo: & ideò illi soli conuenit ex vi sui muneris & officij, quanuis ipse possit aliis eam delegare. Ita sensit Durand. dict. quæstion. 5. & tribuitur etiam Richardo, sed non asserit. Veruntamen hæc sententia, licèt in vsu terminorum potissimùm errare videatur, simpliciter loquendo falsa est, maleque infert ex prædicto principio: nam aliæ etiam iurisdictiones, vel fori sacramentalis, vel fori contentiosi, soli Pontifici immediatè conferuntur à Christo, & inde non fit in omnibus aliis esse tantùm delegatas. Supponenda est ergo distinctio hæc, de duplici modo habendi iurisdictionem, scilicet, ordinariam, vel delegatam, quam suprà tetigimus, & infrà in materia de Censuris iterum tractaturi sumus. Iurisdictio ordinaria dicitur illa, quæ alicui conuenit ex vi muneris & officij. Delegata verò quæ solùm committitur ab eo, cui iure ordinario conuenit, vt ab altero, vice sui, exerceatur. Circa priorem autē hîc solùm aduerto (propter fundamentum præcedentis opinionis) aliquod munus posse esse à Christo immediatè institutum, aliquod verò immediatè ab Ecclesia, vt verbi gratia, munus Pontificis supremi est à Christo immediatè institutum: munus autē summi Pœnitentiarij, ab ipsis Pontificibus institutum est. Vtrunque autem officium potest habere iurisdictionem ex vi sua, & vtraque erit iurisdictio ordinaria: sed prior ex diuino iure, altera ex humano: vtrumque ergo inueniri potest in iurisdictione necessaria ad concedendas indulgentias, quia nihil speciale in ea reperitur, propter quod non possit vtroque modo communicari. Cùm ergo ex dicto principio habeamus, hanc iurisdictionem ordinariam tantùm esse in Pontifice summo ex diuino iure, adhuc supereſt videndum, an iure humano alicui competat vt ordinaria, & an aliquibus etiam committatur vt delegata.

Durand. Improbatur.

Iurisdictionis ordinariæ & delegatæ definitiones.

Iurisdictio ex humano iure potest esse ordinaria.

A B C D

---

*Episcopos posse iure ordinario indulgentiam concedere cum limitatione iuris. Conclusio 5.*

1

DICENDVM nihilominùs est, Episcopos habere ordinariam potestatem concedendi aliquas indulgentias, limitatam tamen, iuxta iuris dispositionem. Hæc est sententia communis D. Thom. Bonau. Alens. Palud. & aliorum, quos retuli. Et in eodem sensu dixit Richard. hanc potestatem esse concessam Episcopis per ius commune, & Nauarr. dixit, Episcopos esse ordinarios dispēsatores thesauri, quāuis secundarios, quam dicit esse communem opinionem iurisperitorum in c. *Quod autem*, de Pœnit. & remiss. Ex quo potest sumi argumentum, quia posse delegare iurisdictionem, est signum ordinariæ iurisdictionis: quia delegatus non potest subdelegare, regulariter loquendo: sed Episcopi habent iurisdictionē concedendi indulgentias, vt in illo capite supponitur, & habetur etiam in c. *Cum ex eo*, &c. *Nostro*. eod. tit.

D. Thom. Bonauen. Ansel. Palud. Richard. Nauar.

E

& potest illam aliis delegare, vt ex eodem c. *Quod autem*, colligitur, quatenus dicit, subditos vnius Episcopi de licentia eius posse frui indulgentiis ab alio Episcopo cōcessis: hic enim est quidam delegationis modus, vt constat ex dictis suprà in materia de Pœnitentia. Vsu etiam, & consuetudine constat Episcopos delegare hanc iurisdictionem, & illa vti vt ordinaria. Ratio verò est, quia cōmuni iure Ecclesiastico, atque adeò ex vi sui muneris, prout à Pontificibus institutum ac definitū est, habent Episcopi hanc potestatē. Quanuis enim dignitas Episcopalis, quoad potestatē ordinis, sit immediatè ex Christi institutione, & quoad pastorale munus, quod iurisdictionem requirit, sit etiam ex Christi mandato, in communi loquendo, tamen in particulari quoad talem & tantam potestatem, est ex ordinatione Ecclesiæ: at verò postquàm hęc iure ordinario definita est, tota illa potestas conuenit Episcopo, tanquàm ordinaria eius iurisdictio: hoc autem modo conuenit Episcopis iurisdictio concedendi indulgentias: est ergo in illis ordinaria. Tandem hîc accommodari potest congruentia illa, quòd Episcopi sunt sponsi, suarum Ecclesiarū, & sunt iudices, & quasi Principes ordinarij: & ideò conueniens fuit vt haberent aliquam potestatem ordinariam ad dispensandum bona suæ sponsæ, & aliquas remissiones liberales faciendas. In hoc enim sensu coniecturis vtuntur, Alensis, Bonau. & ex parte D. Thom.

Dices, Ecclesiam tantùm esse vnam, & vnicum habere thesaurum, & ideò, & vnum tantùm habet spōsum, & vnicum etiam dispensatorē ordinarium. Respondent aliqui, Ecclesiam vniuersalem esse vnam, particulares autem esse plures: & similiter vniuersalem thesaurum esse vnum, particulares verò esse plures: nam, sicut vnaquæque Ecclesia habet suos proprios fideles & iustos, quibus constat, ita etiam habet suum specialem thesaurum cōstantem ex superabundantibus meritis suorum membrorum, cuius dispensatio ad proprium vniuscuiusque Episcopum pertinet, tanquàm ad proprium & specialem sponsum ac prælatum. Sed hic modus dicendi mihi non placet, tum quia illa thesaurorum multiplicatio admitti non debet, propter ea, quæ attigi in præcedenti sectione. Tum etiam, quia Papa est absolutè primarius dispensator superabundantium meritorum, quæ in vniuersali Ecclesia, & in quacunque particulari fiunt. Tum maximè quia particularis Episcopus non solùm concedit indulgentias ex illis meritis, quæ in sua diœcesi superfuerunt, alioqui si illa deessent, quod fieri potest, indulgentia esset nulla ex defectu thesauri, & consequenter semper esset incerta, quod absurdum est; de quo plura inferiùs dicam. Habet ergo Episcopus iurisdictionē ad dispensandū simpliciter de thesauro Ecclesiæ, & de omnibus meritis eius, quæ ad effectū sibi proportionatum sufficiunt, quorumcunque fidelium fuerint. Respondetur ergo, metaphorā sponsi, & sponsæ non esse in omnibus accōmodandā, sed cum proportione ad corpus mysticū. Quatenus ergo Ecclesia vnum est vniuersale corpus, vnū habet spōsum in terris, vicarium eius, quem habet in cœlis: quatenus verò hæc Ecclesia vniuersalis ex multis particularibus coalescit, quarū singulæ secūdùm particulares rationes spectatæ, sunt quædā corpora mystica, sic vnaquæq, earū habere potest suū propriū sponsū, omnes verò vnū habent cōmunē thesaurū, qui est Christus, in quo omniū Sanctorū merita vniuntur, & ideò vnū habent principalem dispensatorem huius thesauri, qui clauem eius ex parte communicat particularibus Episcopis, quātùm eorū muneri expedit. Neque enim repugnat eiusdem thesauri vnū esse primariū & quasi adæquatum dispensatorem, & sub illo esse alios, quibus hoc competat ex officio dependenter ab illo.

4 Obiect.

Quorūdam solutio.

Reiicitur.

Vera solutio.

Supereſt

5 Limitatio potestatis Episcoporum in quantitate indulgentiæ.

Supereſt explicanda vltima pars aſſertionis de limitatione huius poteſtatis Epiſcopalis. Circa quam aduertendum eſt, duplicem eſſe limitationem huius poteſtatis, vnam in quantitate indulgentiæ, alteram in perſonis quibus cõcedi poteſt. Prior eſt, vt Epiſcopi ſolùm poſſint cõcedere vnum annum indulgentiæ in dedicatione alicuius Eccleſiæ: in anniuerſario autem die talis dedicationis, ſolùm indulgentiam quadraginta dierum, quam etiam concedere poſſunt in quocunque caſu, in quo eis occurrit cauſa ſufficiens ad concedendas indulgentias. Ita ſtatutum eſt in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remiſſ. Rationem autem tantæ limitationis aliqui fuiſſe credũt, quia theſaurus vniuſcuiuſque Eccleſiæ tenuis eſt. Sed hæc ratio ſupponit falſum, vt dictum eſt. Idcirco exiſtimo nullam aliam fuiſſe huius rei rationem, niſi quia ſecundùm prudentem exiſtimationem ad Epiſcopale munus hoc ſufficiebat, & ad impediendas ſuperfluas & indiſcretas indulgentias erat maximè cõueniens. Quæ ratio patet in dict. cap. inſinuatur, additurque in fine eius, ſummum Pontificem in ordinariis caſibus vti ſolere hac moderatione, ac ſi diceretur, ſufficere aliis Epiſcopis vt id poſſint, quod Pontifex in ordinariis caſibus ſolet efficere: nam, quæ maiora ſunt, Papæ conueniunt propter excellentiorem poteſtatem. Aduertendum eſt autem in d. capit. cùm conceditur facultas dandi annum indulgentiæ in dedicatione Eccleſiæ, non addi particulam, *de iniunctis pœnitentiis*, quæ poſteà additur in indulgentiis quadragenariis: vnde videtur prior facultas amplior quoad hanc partem. Exiſtimo tamen, ex vi illius textus particulam illam cum tota illa conceſſione coniungi: nam eſt illa clauſula veluti ſuſpenſa vſque ad finem eius. Deinde, iuxta ſuperiùs dicta illa particula non limitat pœnam remittendam, ſed declarat quales dies, vel anni pœnæ remittantur. Et ideò exiſtimo quadraginta dies indulgentiæ abſolutè poſſe concedi ab Epiſcopis, & valere ad remiſſionem tantæ pœnæ, & peccatis nondum confeſſis, & ita, vt opinor, eſt in vſu illa conceſſio. Deinde, obſeruandum eſt diſcrimen inter illas duas indulgentias: nam indulgentia vnius anni, vno actu extinguitur: nam ſolùm poteſt concedi pro die dedicationis Eccleſiæ, indulgentia verò quadraginta dierum concedi poteſt, vt duret perpetuò, donec reuocetur, poteſt enim ſemel cõcedi, pro omnibus diebus anniuerſariæ dedicationis, vel pro aliis ſimilibus cauſis. Præterea, eſt notanda alia differentia, nam in priori anno indulgentiæ additur, quòd neque ab vno ſolo, neque à pluribus Epiſcopis, etiam ſi contingat eos ad dedicationem concurrere, poſſit maior indulgentia concedi: in altera verò indulgentia, hęc reſtrictio non additur: & ideò non videtur prohibitum, quòd à pluribus Epiſcopis, vel ſucceſſiuè, vel ſimul, ſi iuriſdictionem habeãt, poſſint plures quadragenæ concedi pro anniuerſario die dedicationis, vel alia ſimili cauſa: quia nec locus fit incapax ſecundæ indulgentiæ propter priorem, neque actio vnius Epiſcopi impedit alterius poteſtatem, neque illa conditio in illo textu, vel in alio tanquàm neceſſaria ponitur. Atque ita ſentit Palud. dict. q. 4. nu. 43.

Cap. cùm ex eo de Pœn. & remiſſ.

Primum diſcrimen inter indulgẽtiã annuam, & quadraginta dierũ.

Secundum diſcrimen.

Tertium diſcrimen.

6 Paludani dictum.

Addit verò, non ſolùm poſſe hoc facere plures Epiſcopos, ex ſe habẽtes iuriſdictionem in talem locum, vel perſonam, ſed etiam plures extraneos de licentia proprij, vt verbi gratia, omnes Epiſcopos huius Regni poſſe concedere quadraginta dies indulgentiæ Eccleſiæ huius Collegij, & Epiſcopum Conimbricenſem poſſe illas omnes indulgentias ratas habere, vt eius ſubditi poſſint illas ſimul lucrari, quia vnus Epiſcopus de licentia alterius, poteſt dare indulgentiam in loco alterius, & nullus Epiſcopus prohibitus eſt dare hanc licentiam multis Epiſcopis, reſpectu eiuſdem loci, licèt per ſe non poſſit dare, & illi, qui de licentia alterius eas concedunt, ſuo nomine & poteſtate eas tribuunt, non eius qui licentiam conceſſit: ſicut alienus ſacerdos, de licentia proprij abſoluens, nomine ſuo abſoluit, non alterius. Sed hæc doctrina mihi non probatur: exiſtimo enim, quoties vnus Epiſcopus concedit indulgentiam de licentia alterius, vti iuriſdictione delegata ab illo, & hac ratione concedere nomine vel vice illius. Probatur, quia talis Epiſcopus priùs non habebat iuriſdictionem circa hanc perſonam, vel locum, vt ei daret indulgentiam, ergo accipit illam ab Epiſcopo dante licentiam, & non accipit vt ordinariam, ergo vt delegatam. Reſpondet Paludan. Epiſcopum ex ſe habere poteſtatem ad quadraginta dies indulgentiæ, alium verò, qui licentiam dat, ſolùm ſupponere materiam. Sed hoc friuolum eſt: nam hæc poteſtas non eſt abſoluta, ſed reſpectiua, & ſicut eſt limitata ad talem effectũ, ita ad talem locum, & ad tales perſonas: non ergo poteſt vnus Epiſcopus ſuo iure, ſeu ordinaria poteſtate, concedere quadraginta dies indulgentiæ, niſi in ſua diœceſi, & ſuis ſubditis. Et patet, quia hæc poteſtas non eſt niſi iuriſdictionis: ſed ille non habet iuriſdictionem niſi in ſubditos: ergo, Vnde etiam ſumitur à contrario argumentum: nam Epiſcopus dans licentiam, dat iuriſdictionem, ergo dat ſimpliciter totam poteſtatem neceſſariam ad hũc actum: cuius etiam argumentum eſt, quia poſſet eam dare clerico non Epiſcopo, vt infrà videbimus. Vnde quoad hoc, non eſt ſimile de abſolutione ſacramentali: nam ibi neceſſariò ſupponitur in alieno miniſtro poteſtas ordinis, quæ eſt quaſi principium per ſe illius actionis, & ideò per iuriſdictionem dicitur applicari materia. Hic verò actus non eſt à poteſtate ordinis, ſed iuriſdictio eſt tota poteſtas à qua proficiſcitur: ergo per talem licentiam communicatur vni poteſtas alterius, ergo iuriſdictio. Eſt ergo hæc vera delegatio, ſiue fiat directè ad ipſum Epiſcopum, ſiue dando ſubditis facultatem lucrandi talem indulgentiam vtrumque in idem redit, vt ſæpe dictum eſt. Hinc ergo concludo: non poſſe illo modo dari à pluribus Epiſcopis alienis, plures quadragenas indulgentiæ eidem loco, & reſpectu eorundem ſubditorum alterius Epiſcopi, etiam ſi ipſe id ratum habeat. Ratio eſt, quia nullus Epiſcopus poteſt per ſeipſum concedere vni loco, niſi quadraginta dies indulgentiæ: ergo nec per delegatos id poteſt. Sed omnes illi Epiſcopi quoad hoc ſe gerunt, vt delegati, vt oſtenſum eſt, ergo non poſſunt ſic delegati. Solùm ſupereſt probanda prima conſequentia, quæ ex eo manifeſta eſt, quòd delegantis & delegati vna & eadem eſt iuriſdictio, nec poteſt plus extendi iuriſdictio delegati, quàm delegantis, vt conſtat ex toto titul. de offic. deleg.

Improbatur

Paludani euaſio.

Eluditur.

7 Propter hanc ergo cauſam dixi, has plures indulgentias ſolùm poſſe concedi à pluribus Epiſcopis iuriſdictionem habentibus, vt erunt plures in eodem Epiſcopatu ſibi ſuccedentes: nam ſucceſſor poteſt alicui loco indulgentiam concedere, etiam ſi ſimilem habeat à prædeceſſore. Archiepiſcopus etiam in loco ſui ſuffraganei poteſt eandem indulgentiam concedere, quanuis Epiſcopus loci aliam ſimilem tribuat, & ſubditi illius Epiſcopi vtramque lucrari poterunt: quia ſunt ſubditi etiam Archiepiſcopo quoad hunc actum, iuxta cap. *Noſtro*, de Pœnitent. & remiſſ. At verò, ſi plures Epiſcopi non ſubordinati eidem loco talem indulgentiam concedant, vnaquæque tãtùm valebit reſpectu ſubditorũ vniuſcuiuſque Epiſcopi: quia hoc modo nec ſibi repugnãt, nec excedunt iuriſdictionem, aut limitationem poſitam. Dices, neque hoc modo eſſe validas tales indulgentias:

Obiectio.

gentias: quia, ſicut Epiſcopus nõ poteſt concedere indulgentiam niſi ſubditis, ita neque locis niſi ſuæ diœceſis. Reſpondetur negando aſſumptum, quia indulgentia loci reuera nõ cõceditur niſi perſonis, & ideò reſpectu ſubditorum valida eſt: quia poteſt Epiſcopus concedere ſubdito, vt viſitando Eccleſiam alterius diœceſis, quadraginta dies indulgentię lucretur, vt infrà dicam: ergo & è conuerſo poteſt concedere cuicunque loco pio, vt omnes ſubditi ſui, qui illum viſitauerint, talem indulgentiam conſequantur: nam perinde eſt, quia ſemper iuriſdictio exercetur circa perſonas, & circunſtantia loci hîc non refert: quia valdè accidentariũ eſt, quòd ſit in hac vel illa diœceſi.

Solutio.

A

B

De hac re plura videri poſſunt in Hoſtienſe in Summ. lib. 5. tit. de Remiſſionibus. §. *Quid ergo*, Geminiano in c. vlt. de pœnitent. & remiſsion. in 6. Sylueſtro verb. *Indulgentia*, Nauarro Commentar. de Indulgent. notabil. 31. num. 12. Supplement. Gabriel. diſtinctione 45. quæſt. 3. art. 2. propoſit. 8. Cordub. quæſt. 14. Qui neque inter ſe, nec nobiſcum conueniunt in omnibus punctis quæ attigimus. Nam Hoſtien. indicat, Epiſcopum, & Archiepiſcopum poſſe etiam duplicatum annum concedere in Eccleſiæ dedicatione, ita vt ſubditi Epiſcopi ſuffraganei duos annos indulgentiæ conſequantur. Sed hoc planè repugnat textui. Vnde idem poſteà id negare videtur, etiã de indulgentia quadragenaria: exiſtimat enim limitationem additam in priori clauſula ad poſteriorem extendi. Sed hoc neque ex textu colligitur, neque oportet fauorem reſtringere, vbi ius non cogit. Geminianus verò negat Epiſcopum, & ſucceſſorem eius poſſe diſtinctas quadragenas eidem loco concedere, quod Cordub. limitat, ſi pro eodem caſu ſeu die concedantur. Sed neque hoc modo video ſufficientem rationem, cùm neuter excedat ſuam poteſtatem, & ex vi illius textus vnus alium non impediat. Nauarr. denique cum Calderino negat Epiſcopum aliquem poſſe concedere indulgentiam pro ſuis ſubtis in loco alienæ diœceſis: ſed nullum affert fundamentũ, & oppoſitum ſufficiéter probabitur inferiùs.

8 Hoſtien. Gemin. Sylueſt. Nauar. Supplem. Gabriel. Cordub.

C

Poſterior limitatio huius poteſtatis ex eiſdem iuribus iuncto. *Quod autem*, de pœnitent. & remiſſ. colligenda eſt, nimirum, Epiſcopos ſolùm poſſe concedere indulgentias ſuis ſubditis, quæ ex natura rei ſequitur, ſuppoſita limitatione iuriſdictionis. Hinc verò ſequi videtur poſſe Epiſcopos concedere indulgentias pro viuis, non verò pro defunctis. Quæ eſt communis ſententia Doctorum in dict. c. *Quod autem*, vbi præſertim Innocentius Cardinalis in capit. *Quis aliquando*, §. *In Leuitico*, de Pœnitent. diſtinct. 1. num. 71. Vbi etiam Nauarrus notabil. 22. num. 4. Medina de Indulgentiis, cap. 37. & 47. Corduba quæſt. 19. Idemque ſentiunt antiqui Theologi in 4. diſtinct. 20. nunquàm enim hanc poteſtatem tribuunt niſi Papæ: vt patet ex Bonau. ibi quæſt. 5. & aliis. Et patet ratione iam inſinuata: quia Epiſcopi ſolùm ſuis ſubditis poſſunt indulgentias cõcedere ex dicto cap. *Quod autem*, ſed animæ Purgatorij non ſunt ſubditæ Epiſcoporum, vt conſtat: ergo. Item ſolùm concedũt indulgentiam per modum iudicis abſoluentis, vt ex eodem c. *Quod autem*, colligere licet: ſed hoc modo non conceditur defunctis: ergo. Item, ſi poſſet Epiſcopus concedere indulgentiam defunctis per modum ſuffragij, poſſet illam concedere etiam pro animabus defunctorum, qui in vita non fuerunt ſibi ſubditi: ergo ampliorem quodãmodò haberet poteſtatem circa defunctos, quàm circa viuos, quod eſt abſurdum. Dices, etiam viuentibus poſſe concedere indulgentias per modum ſuffragij, dummodo ſolùm in ſubditis concedat, vt pro aliis etiam non ſubditis eas lucrentur. Sed hoc ſine fundamento dicitur: nam

9 Poſterior limitatio huius poteſtatis ex parte perſonarum.

Innoc. Cardin. Nanar. Medin. Cordub.

Bonauent.

Epiſcopi nõ poſſunt indulgentias pro defũctis concedere.

D

E

in dict. cap. *Quod autem*, ſimpliciter negatur poſſe fideles non ſubditos vni Epiſcopo conſequi effectum indulgentiarum eius ſine ratihabitione ſui Epiſcopi. Deinde, ſi Epiſcopus poſſet indulgentiam concedere per modum ſuffragij pro viuentibus ſibi non ſubditis, media opera ſuorum ſubditorum; cur non etiã immediatè exigendo opus ab ipſomet, cui conceditur indulgentiam? nam ſi alienum opus poteſt eſſe ſufficiens ratio ad talem indulgentiam, multò magis proprium, quando ille, qui lucratus eſt indulgentiam, eſt in ſtatu, in quo poſſit tale opus per ſe exequi: nam ad exigendum opus, non videtur neceſſarium vt exigatur à ſubdito, ſi alioqui eſt poteſtas diſpenſandi theſaurum, & applicandi illum per modum ſuffragij. Tandem hæc poteſtas nullibi datur Epiſcopis; vnde ergo illam habent? Reſponderi poteſt, ſatis eſſe quòd eis non auferatur, quia iure diuino illam habent. Sed hoc falſum eſſe generaliter ſuprà oſtenſum eſt.

Tandem confirmatur, quia poteſtas hæc pro defunctis, nullo iure humano inuenitur data Epiſcopis, quòd autem nec diuino conueniat, ex præcedenti ſectione conſtat. Imò addit Cordub. cum Medina ſuprà, licèt Epiſcopus ex iure diuino poſſit concedere indulgentias viuis, non tamen defunctis. Quod quàm conſequenter ſit dictum, non video, nec quo fundamento negetur vnum, ſi affirmatur aliud, cùm ius diuinum nihil inter hæc diſtinguat, ſed ſimpliciter loquatur de poteſtate ligandi, & ſoluendi. Meliùs ergo hinc colligeret, hanc poteſtatem non eſſe in Epiſcopis ex immediata conceſſione diuini iuris. Dicet verò aliquis, hanc poteſtatem concedi Epiſcopis in dicto capit. *Cum ex eo*, quia abſolutè concedit eis facultatem, nihis diſtinguens inter viuos & defunctos, & ideò ad vtroque extendendam eſſe cùm priuilegia ſint amplianda. Reſpondetur, potiùs eſſe generalem regulam, indulgentiam nunquàm extendi ad defunctos, niſi quando Papa id expreſsè declarat, quam indicat Sixtus IV. relatus à Gabriele lect. 57. in Canonem, eamque omnes Theologi amplectuntur, vt ſuprà viſum eſt. Cùm ergo Epiſcopis concedatur poteſtas ad tales indulgentias, & non declaretur extendi ad defunctos, ſignum eſt non extendi ad illos. Ratio verò reddi poteſt, vel quia indulgentia ſimpliciter dicta iuxta vſum Eccleſiæ ſignificat indulgentiam per modum abſolutionis, maximè quando declaratur nomine remiſſionis, vel relaxationis, vt ſit in illis iuribus, vel quia in illo cap. non tam conceditur de nouo illa facultas, quàm reſtringit illa, quæ ſupponitur fuiſſe in Epiſcopis: illa autem nunquàm fuit in Epiſcopis niſi reſpectu ſubditorum, vt colligitur ex priori cap. *Quod autem*. Denique conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, hanc intelligentiam illorum iurium probauit, nunquam enim Epiſcopi vtuntur hac facultate concedendo indulgentiam pro defunctis. Solùm inuenio relatum quoddam ſpeciale factum Silicœi Archiepiſcopi Tolerani, qui indulgentiam pro defunctis conceſſit: ſed illud nec per ſe ſufficit, vt nos cogat ad credendum illam indulgentiam validam fuiſſe; neque etiam conſtat, an ſpecialem poteſtatẽ à Pontifice delegatam ad id habuerit. Quamobrem nullum probabile fundamentum video propter quod dixerit Supplementum Gabriel. in 4. diſt. 95. quæſt. 3. art. 2. propoſ. 6. Epiſcopos ex vi ſuæ dignitatis poſſe concedere indulgentias pro defunctis, & hoc nullibi eis eſſe denegatum, citatque in hanc ſententiam D. Thom. & Paludan. ſed falsò, nihil enim de hoc aſſerunt. Imò Palud. dict. quæſt. 4. art. 3. conl. 5. in fine, refert opinionem Innocentij, & nihil

10 Cordubæ dictum improbatur.

Indulgentia aut poteſtas concedendi illam nõ extenditur ad defunctos, niſi quando Papa id expreſsè declarat.

Supplementi dictũ refellitur.

Palud.

aliud

D. Thomas. aliud dicit, sed tacitè illam approbat. D. Thom. autem d.20.q.3.ad 2.& d.45.q.2.art.3.qu.2.solùm dicit, indulgentiam valere defuncto, seu alteri viuenti pro quo applicatur, quando Prælatus Ecclesiæ sub ea forma indulgentiam concedit: non declarat autem quis Prælatus possit hoc facere, neque vnquàm de hoc in particulari disseruit: sed in dict.d.20.art.4.qu.3. generatim dixit, Episcopos posse dare indulgentias secundùm quod est taxatum eis à Papa, & nō ampliùs. Vnde falsum est, ex vi suæ dignitatis hoc posse, quia neque ex diuino, neque ex humano iure dignitas hæc habet talem iurisdictionem annexā, vt ostensum est.

## *Nonnulla dubia circa assertionem positam expediuntur.*

11 1. Dubium an hæc prohibitio Episcopis facta sit irritans.

NONNVLLA verò supersunt dubia circa assertionem sic positam, & probatam. Primum est, an prohibitio hæc facta Episcopis, vetet solùm, reddatque peccaminosam maiorem concessionem, vel etiam illam irritam faciat. Respondetur, Certum est, hanc prohibitionem esse irritantem. Nam in cap. *Nostro*, &c. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remissionibus, dicitur, indulgentias Episcoporum non ampliùs extendi, quod perinde est ac si diceretur, non ampliùs valere. Quod ita expressè declarauit Bonifacius VIII. in cap. vlt. de Pœnit. & remiss. in 6. vbi non de nouo irritat, sed declarat sensum Cōcilij Lateranēs. Ratio est, quia hæc non solùm est prohibitio, sed etiam ablatio potestatis, seu concessio vsque ad talem terminum, & non maiorem. Et in hoc conueniunt omnes Doctores Theologi, quanuis Canonistæ oppositum senserint cum Gloss. in dict.cap. *Cùm ex eo*, verb. *A pluribus*, quam ibi videtur probare Panormitanus, & Hostiensis in Summa, tit. de Remiss. §. *Quid ergo*. Tamen eorum sententia secundùm ius nouum omninò locum non habet, vt Panormitanus etiam notat. Idem autē existimo fuisse iuxta antiquum ius, & hoc ipsum declarasse ius nouum, vt ostensū est, neque repugnat Panormitanus, vt constat ex numero octauo.

Glossa. Abbas. Hostiens.

12 2. Dubium, an indulgētia vltra terminum concessa aliquid valeat. Supplem. Gabr. Gemin. Calder. Additio ad Abb.

Dubitant autem vlteriùs iidem Doctores, an indulgentia cōcessa vltra illum terminum valeat saltem quoad quantitatem concessam. Aliqui enim affirmāt omninò nihil valere, vt Supplem. Gabr. in 4.d.45. quæstione tertia, articulo secundo, propos. 8. corol. 3. & Geminianus in cap. vlt. de Pœnit. & remiss. in 6. Calderinus, & alij, quos refert Additio ad Abbatem in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remiss. Fundamentum est, quia potestas hæc videtur concedi sub ea conditione, quòd indulgentia prædictam quantitatem non excedat. Sic enim dicitur in cap. *Nostro*, de Pœnit. & remiss. *Ita tamen vt statutum Concilij generalis non excedat*: ergo non impleta conditione, non datur potestas: ergo nihil fit. Secundò, quia in dict.cap. vlt. simpliciter dicitur, has indulgentias excedentes statutum Concilij generalis, vires nō obtinere: vbi nō dicit in excessu, sed absolutè: ergo omninò nullæ sunt. Tertiò, quia illa est iuridica sententia, sine iurisdictione sufficienti prolata; ergo tota est inualida: nō enim potest eadem sententia illo modo partim valida esse, partim inualida. Vt, si iudex potens cōdemnaret tantùm in quantitate vt decem, condemnet vt viginti, sentētia est omninò nulla, nec tenet: vt tenent Gloss. Bartholus, & alij in l.vlt.ff.de Iurisdict.omn.iudic.

13 Secunda sententia & vera. Abb. Gloss. Ioan. Andr.

Opposita sententia communior est, quam tenet Abbas in dict. cap. *Cùm ex eo*, in fine cum Glossa ibi, & in dict.c.vlt. Ioannes Andreas, & Summistæ communiter. Fundantur præcipuè in illa regula iuris in 6. *Vtile per inutile non vitiatur*: quanuis ergo in præsenti excessus inutilis sit, non reddet irritum id, quod per se est vtile: nam regula hæc maximè locum habet in liberalibus largitionibus, & in fauoribus, quales sunt indulgentiæ. Secundò, quia suprà diximus indulgentiam, quæ excedit proportionem causæ, valere quoad quantitatem proportionatam, quanuis sit nulla quoad excessum: ergo non repugnat, eandem sententiam ex parte validam esse, & ex parte nullam. Atque ita ruit fundamentum contrariæ sententiæ, siue hoc sit speciale in hoc foro, quod non seruat solennitatem & rigorem fori contentiosi, siue quia illud solùm habet locum quando sententia diuisibilis non est, aut quando tota causa, hoc ipso quòd est circa maiorem quantitatem, constituitur extra iurisdictionem iudicantis; neutrum autem horum in præsenti locum habet. Ideóque à paritate rationis procedit argumētum factum: nam, qui excedit proportionem causæ, excedit in quantitate indulgentiæ terminos à Christo positos, & conditionem sub qua talem potestatem dedit, & nihilominùs indulgentia est valida in quantitate proportionata: ergo à fortiori, quanuis indulgentia excedat terminos ab homine positos, erit valida intra terminos cōcessos. Tertiò quia in dictis iuribus non tam conceditur noua potestas, quàm limitatur antiqua, vt patet ex d.c. *Cùm ex eo* (quod est aliorū fundamentum) vbi priùs refertur antiqua consuetudo concedendi largiores indulgentias, & posteà solùm ponitur limitatio per verba negatiua, *non extendatur, non excedat*: ergo illa iura solùm auferūt potestatem ad maiores indulgentias cōcedēdas, relinquunt ergo absolutam potestatem infra illam quantitatem, prout anteà Episcopi illam habebant.

14 Neque in illis decretis est aliquod iudicium conditionalis concessionis: nam in c. *Cùm ex eo*, nihil huiusmodi ponitur: in cap. autem *Nostro*, verbum illud, *Ita tamen, &c.* solùm positum est ad declarandum, Archiepiscoporum potestatem esse limitatam eodem modo quo limitata fuerat potestas Episcoporum in dict.c. *Cùm ex eo*. Vnde in cap. 1. de Pœnit. & remiss. in 6. vbi eadem limitatio refertur, solùm dicitur, *in concedentis indulgētiis non excedat archiepiscopus Remen. statutum Concilij generalis*. Habent ergo Episcopi absolutam potestatem concedendi indulgentias intrā suos limites. Quando autem concedunt maiores, intendunt ad minimum facere quantùm possunt: ergo saltem id assequuntur in quātitate sibi proportionata, licèt excessus irritus sit. Patet consequētia, quia quoad illam quantitatem, concurrūt omnia necessaria ex parte concedentis ad valorem indulgētiæ, scilicet, potestas, & voluntas: de aliis verò requisitis hîc supponitur. Nec verò dici potest, quasi in pœnam delicti irritatam esse illam actionem etiam quoad illam partem; nullo enim iure probari potest talis irritatio. Nam in dict.c.vlt. de Pœnit. & remiss. in 6. non fertur aliqua pœna, imò nec nouum ius statuitur, sed declaratur solùm ipsum statutum Cōcilij generalis, quod habetur in dict.c. *Caueat*, ex quo solùm habetur, indulgentias excedentes statutum illud irritas esse quoad excessum: eodem ergo modo intelligendum est illud cap. vltim. Quapropter sententiam hanc non solùm rationabiliorem, sed etiam iuri conformiorem esse existimo.

vide Cordub.qu.14. in fi.

15 Tertium dubium. An hæc indulgentia sit irrita quoad excessum in vtroque foro. Quorūdam sententia.

Tertiò dubitari solet, an hæc indulgentia sit irrita quoad excessum, etiam in foro pœnitentiali & interiori, vel tantùm in exteriori. Quidam enim Canonistæ limitant prædicta iura, vt intelligenda sint extra forum pœnitentiale: nam in illo aiunt, posse Episcopum concedere largiores indulgentias pro arbitrio suo discreto & prudente. Ita tenet Syluester verb. *Indulgentia*, numero primo, cum Innocentio, Geminiano, & Ioanne Andrea, quos citat. Sed vix intelligo, quis

Sylueſt. Innoc. Germin. Ioan. Andr. Improbat.

quis fuerit horum Auctorum ſenſus, aut quo fundamento moueri potuerint. Nam ſi intelligãt, vt videntur ſignificare, poſſe Epiſcopos maiores indulgẽtias concedere, quæ remittant maiorem reatum pœnę coram Deo, & conſequenter tollant obligationem implendi ſatisfactionem in ſacramento impoſitam illi reatui proportionatam, quanuis non poſſint tantam pœnam remittere in exteriori, & contentioſo foro: hoc ſenſu illorum ſententia omnino improbabilis eſt, quia per illud ſtatutum limitatæ fuerunt veræ indulgentiæ, & remiſſiones Epiſcoporum: non eſt autem vera indulgentia, niſi quæ remittit veram pœnam apud Deum: hæc ergo limitata eſt. Item nunquam Epiſcopi per indulgentias remiſerunt pœnas debitas in foro contentioſo. Vnde in dict.c. *Caueant*, non redditur pro cauſa illius limitationis, quòd iudicialis caſtigatio impeditur, ſed quòd *ſatisfactio pœnitẽtialis eneruatur*: ergo loquitur Conciliũ de vera pœnitentia in foro animæ ac pœnitentiali: ergo hãc limitat, & irritat exceſſum in illo foro. Tandem nunc etiam Epiſcopi per indulgentias annuas, vel quadragenas non concedunt remiſſionẽ alicuius pœnæ pertinentis ad forum contentioſum, vt conſtat ex dictis: ergo limitatio illa non pertinet ad illud forum.

16 Vel eſt ſenſus illorum Auctorum, Epiſcopos in foro pœnitentiali, id eſt, audiendo confeſſiones, & ſacramentaliter iudicendo, poſſe largiores concedere indulgentias. Et hic etiam ſenſus non magis probabilis eſt quia Epiſcopi in illo foro non ſe gerunt propriè vt Epiſcopi, ſed vt ſacerdotes habentes iuriſdictionem illi foro proportionatam, ex vi cuius nulla poteſt indulgentia concedi, vt infrà dicam. Si verò ſimul vti velint iuriſdictione Epiſcopali ad concedendas indulgentias, iam formaliter non remittunt in foro pœnitentiali, ſed in proprio foro indulgentiarum, quod diſtinctum eſt: quòd autem ſimul cum altero concomitanter, & ſecretè exerceatur, per accidens eſt, nec mutat naturam talis actionis, nec excludit illam à limitatione iuris. Nam ſtatutum generalis Concilij abſolutè loquitur, & vniuerſalem ponit negatiuam, quòd nulla indulgentia Epiſcopi talem menſuram excedat: hæc autem indulgentia, etiam ſi dicatur in confeſſione concedi, eſt indulgentia Epiſcopalis, & eiuſdem rationis cum aliis: ergo ſub eadem limitatione comprehenditur, aliàs etiam poſſet quis excipere omnem indulgentiam occultè conceſſam, vel aliquid ſimile. Denique ratio illius textus etiam in hac indulgentia locum habet, non enim minùs eneruatur ſatisfactio ſacramentalis per ſuperfluas indulgentias in confeſſione conceſſas, quàm extra. Nec refert, ſi quis dicat in illis ceſſare inconueniens morale, quoniam Epiſcopi rarò confeſſiones audiunt: hoc, inquã, non obſtat, tũ quia eſt per accidens, & pẽdens ex arbitrio Epiſcopi: tũ etiã, quia poſſet Epiſcopus illã facultatẽ delegare ſacerdotibus ſibi ſubiectis. Itaque deciſio illius textus, ſimpliciter & abſque limitatione in omni vera indulgentia locum habet.

17 Quartò dubitari hîc ſolet, an poſſit Epiſcopus hanc iuriſdictionem exercere extra territoriũ ſuum. Quam
Anton.Roſ. dubitationem latè tractat Antonius Roſell. tract. de Indulgentiis, n.209. & ſequ. plura diſtinguens membra. Mihi autem breuiter dicendum videtur, formaliter non poſſe iuriſdictionem hanc exerceri extra territorium, id eſt, circa perſonas alieni territorij, vt ſatis patet ex dictis. Materialiter autem dico exerceri poſſe: primò, ſi Epiſcopus concedat indulgentiam omnibus ſubditis, etiam qui extra territorium verſantur: nam talis indulgentia formaliter verſatur circa ſubiectum capax: illa autem abſentia, ſeu corporalis exiſtentia extra territorium materialis eſt in hoc genere iuriſdictionis, quia iuriſdictio eſt voluntaria, quæ poteſt extra territorium exerceri, iuxta l.2.ff.de off.Proconſ. tum etiã, quia actus huius iuriſdictionis fit ſine ſtrepitu & figura iudicij, & ſententia per ſeipſam affert executionem. Et cõfirmatur: nam hac ratione excõmunicatio, vel abſolutio ab illa poteſt fieri in ſubditum extra territorium exiſtentem: ergo à fortiori indulgentia. Secundò, ob eaſdem rationes Epiſcopus extra ſuum territorium exiſtens, poteſt concedere indulgentias ſuis ſubditis in territorio exiſtentibus, vel vbicumque ſint: procedunt enim eodem modo, vt facilè cuilibet conſideranti patebit. Cõfirmari etiam poteſt ex ſuprà dictis, quòd proprius ſacerdos poteſt abſoluere ſubditum ſuum extra territorium: eadem autem eſt ratio de abſolutione per indulgentias. Neque contra hoc eſt difficultas alicuius momenti. Nam iura, quæ dicunt neminem poſſe dicere ius extra territorium, loquuntur de iuriſdictione contentioſa, & quæ exteriorem executionem, & publicum tribunal ex ſe requirit, vt latiùs in materia de cenſuris. Addo inſuper, poſſe Prælatum concedere ſubdito indulgentiam, ſi opus pium extra territorium faciat, vt dando eleemoſynam Eccleſiæ alterius diœceſis, vel ad illam peregrinando: quia in hoc multò minor eſt difficultas, cùm in illa conditione appoſita, quæ extra territorium implenda eſt, nulla iuriſdictio extra territorium exerceatur: nam dare eleemoſynam, vel viſitare Eccleſiam, non eſt iuriſdictionem in illam exercere. Vnde aliquando poteſt quis hæc præcipere ſuis ſubditis, quia hoc eſt exercere in illos iuriſdictionem, non in loco alieno: ergo multò magis poteſt prælatus concedere indulgentiam pro opere pio vbicunque facto. Item Papa poteſt concedere indulgentiam pro actu merè interno, in quem per ſe non habet iuriſdictionem: ergo indulgentia non requirit iuriſdictionem in opus, quod poſtulatur vt conditio neceſſaria: ergo multò minùs requiret illam in locum vbi efficiendum eſt opus. Dices, eſſe ibi neceſſariam iuriſdictionem, non propter opus, ſed propter effectum indulgentiæ, qui ibi dandus eſt. Sed hoc nihil obſtat, quia iam oſtenſum eſt, hanc ſententiam ſecum afferre executionem, & ideò poſſe extra territorium illam efficere. Atque ita ſuprà diximus contra Nauarrum: & idem tenet Roſella poſt prolixam diſputationem. Qui etiam addit in num.309. ſi conditio ad indulgentiam ſit, verbi gratia, conferre manus adiutrices ad Eccleſiam alterius Epiſcopatus, & Epiſcopus illius loci impediat eas recipere: nihilominùs alios conſequi indulgentiam, quia non ſtat per eos, & ita conditio habetur pro impleta. Sed hoc in rigore non ita eſt, iuxta ſuperiùs dicta, niſi Epiſcopus ſufficienter explicet hanc eſſe intentionem ſuam. Suprà enim diximus, quacunque ex cauſa conditio non impleatur, etiam propter impotentiam, non comparari indulgentiã. Vnde non videtur referre quòd conditio pendeat ex aliena voluntate. nam omninò requiritur vt reipſa impleatur, niſi aliud declaretur, vt dixi.

18 Quis nomine Epiſcopi intelligatur.

Vltimò dubitari poteſt, quis Epiſcopus hanc habeat poteſtatem. Eſt enim quidam Epiſcopus electus tantùm: & de hoc conſtat non poſſe dare indulgentias, quia neque ordinem, neque iuriſdictionem habet, vnde nondum eſt Epiſcopus, ſed eſt deſignatus vt fiat Epiſcopus. Alius eſt Epiſcopus conſecratus tantùm: & de hoc etiam eſt certum, iure ordinario non poſſe concedere indulgentias, quia non habet iuriſdictionem, & indulgentiarum conceſſio eſt actus iuriſdictionis, vt diximus. Alius eſt Epiſcopus electus, & confirmatus, nondum tamen conſecratus: & de hoc aliqui negant poſſe indulgentias concedere: alij diſtinguunt de indulgentia per modum ſuffragij, & abſolutionis, admittentes poſſe priorem concedere, non

re, non verò posteriorem: alij saltem requirunt, vt sit ordinatus sacerdos. Dicendum verò est, huiusmodi Episcopum posse concedere indulgentias, etiamsi consecratus, vel ordinatus non sit. Quæ est cómunis sententia Doctorum, quos refert, & sequitur Nauarr. dict. not. 31. numer. 3. & Additio ad Abb. in ca. *Accedentibus*. nu. 4. fundamentũ positum est suprà Disp. 1. de hac materia, vbi ostendimus indulgentiam etiam per modum absolutionis non esse actum ordinis, sed iurisdictionis, addendo huiusmodi Episcopum validè posse exercere actus iurisdictionis, iuxta c. *Transmissam*, de Electione, vbi est communis consensus Doctorum. Solùm ergo requiritur vt non habeat iurisdictionem impeditam. Et vt iam dicam. Addit verò Nauarrus suprà huic æquiparari Episcopum prouisum per literas Apostolicas cum præsentatione, vel sine illa ex Gloss. quas ibidem refert. Alius denique est Episcopus confirmatus, & consecratus, de quo indubitatum est posse indulgentiam concedere. Solùm necesse est vt per censuram Ecclesiasticam nó sit suspensus ab vsu iurisdictionis: nam tunc nullum actum iurisdictionis potest validè efficere, vt constabit infrà in materia de Censuris, vbi explicabimus de quo excommunicato, vel suspenso hoc intelligendum sit, scilicet, nominatim denunciato, seu non tolerato. Cùm ergo indulgentia sit actus iurisdictionis, vt sæpe dictum est, neque illam poterit validè concedere. Quod intelligo esse verum, non solùm in indulgentia per modum absolutionis, sed etiam per modum suffragij, nam vtraque est aliquo modo actus iurisdictionis: & saltem negari non potest quin etiam indulgentia per modũ suffragij sit actus administrationis Ecclesiasticæ, qua etiam priuatur excommunicatus.

Episcopus electus potest concedere indulgentias. Nauar. Addito ad Abb. Hostiẽsis in c. Accedentibus. de Excessi. prælat. Nisi sit censura impeditus.

19

Vnde etiam constat huiusmodi Episcopum ligatum non posse alteri committere vt indulgentias concedat: quia non potest in illum iurisdictionem transmittere: quia etiam hic est vsus iurisdictionis, & vnus ex præcipuis. Ait tamen Corduba quæst. 13. posse excommunicatum Episcopum dare licentiam subdito vt ab alio Episcopo indulgentiam accipiat, sicut potest Parochus excommunicatus dare licentiam subdito, vt alieno sacerdoti confiteatur. Veruntamen hoc exemplum suprà reiecimus in propria materia: & rationes, quibus ibi vsi sumus, probant in præsenti falsam esse dictam assertionem, scilicet, quia illa licentia ab excommunicato data, est actus iurisdictionis, & ideò est ipso iure nulla. Item quia illa est vera delegatio iurisdictionis, vt paulò anteà diximus: à quo enim haberet alienus Episcopus iurisdictionem ad talem actum exercendum circa talem personam, nisi ab alio Episcopo proprio ei delegaretur? sed non potest excommunicatus delegare iurisdictionem, vt diximus: ergo nec potest talem licentiam dare.

Cordubæ dictum.

Improbatur.

20

Sed quid si Episcopus sit in peccato mortali absque censura? Respondeo cum communi, peccatum non impedire validum vsum iurisdictionis, vt de ministris sacramentorum suprà latè tractauimus: & ideò neque impedire validam concessionem indulgentiæ, quia, licèt talis Episcopus peccator habeat ligatam animam, vt sic dicam, non tamen potestatem, & quanuis sit separatus à Deo quoad amicitiam & vtilitatem propriam, non tamen quoad ministerium in vtilitatem aliorum. Imò vlteriùs censeo, per se loquendo, & secluso scandalo, non esse peccatum, concedere indulgentias in eo statu, vt v. g. Episcopum per solennem benedictionem concedere solent quadraginta dies indulgentiæ, profectò, id facere in statu peccati mortalis, secluso scandalo, non est nouum peccatum, quia ibi non interuenit absolutio sacramentalis, neque illa est tam sacra, tamque grauis actio, nec confert aliis essentialem sanctitatem, vt eam in ministro requirat tanquàm condignam dispositionem. Atque hæc, quæ de statu peccati diximus, communia sunt Pontifici summo: priora verò de censuris in eo locum non habent, quia non potest esse censura ligatus, vtraque verò communia sunt omnibus, qui quacunque ratione possunt indulgentias concedere, ne illas amplius repetere necesse sit, rationes enim datæ generales sunt.

Quid si Episcopus in mortali peccato existat.

21

Præterea sub Episcopo quoad hunc actum comprehendimus Archiepiscopum, qui illi superior est, de quo manifestum est posse hoc munus exercere in sua diœcesi, in qua est immediatus, & ordinarius Episcopus. Dubitari tamen potest, an in tota prouincia sua idem possit: hoc autem definitum est in cap. *Nostro*, de Pœn. & remiss. vbi Honorius 111. respondet posse. Non constat autem an hoc potuerint Archiepiscopi iure antiquo, quod Honorius declarat, an verò Honorius de nouo cõcesserit. Quidquid tamẽ de hoc sit, intelligendum est, Archiepiscopum, non solùm quando visitat, sicut de audiendis confessionibus in superioribus diximus, sed semper id posse, quia in illo textu nulla restrictio ponitur, vt ibi Panormitanus notauit. Atque hinc constat idem dicendum esse de Primatibus, & Patriarchis, quatenus Archiepiscopi sunt. Nam ob propriam dignitatem Primatus, aut Patriarchatus nihil specialiter possunt ordinario iure, nullibi enim habetur. Vnde Primas non potest in toto Regno, v. g. indulgentiam concedere, sed tantùm in prouincia sui Archiepiscopatus, de qua sola loquitur textus in dict. c. *Nostro*. Contrarium sentit Nau. d. n. 3. sed nullo iure id probat: nam in iure soli Archiepiscopo pro suo Archiepiscopatu hoc conceditur: Patriarcha autem & Primas non habent in sua prouincia, seu Patriarchatu eandem iurisdictionem, quam habet Archiepiscopus in prouincia sua. Item nec Cardinalis ex vi suæ dignitatis hoc potest, quia nullibi ei cõceditur, imò in c. *Accedentibus*. de Excessib. Prælat. inter ea, quę sũt propria Episcopalis dignitatis, ponitur indulgentiarum concessio. Vnde, si Cardinalis sit Episcopus, suis ouibus poterit indulgentias concedere, non verò aliis, nisi speciali fauore hoc ei concessum sit, & tunc habebit potestatem delegatam, non ordinariam, vt ex declaratione harum iurisdictionum superiùs data constat.

An Archiepiscopus possit indulgentias concedere in tota prouincia. Cap. nostro de Pœnit. & remiss

De Patriarchis & Primatibus.

Nau.

De Cardinalib.

22

Et ob eãdem rationem, idem censent multi de Legato Pontificis, intra fines suæ legationis. Nauarr. autem. dict. n. 3. significat eum habere potestatem ordinariam: nam illum vocat ordinarium iudicem in hoc foro, æquè ac Episcopum, & cum eadem limitatione. Sed id nullo iure probat, cùm tamen certum videatur Legatum Põtificis, non comprehendi in citatis iuribus nomine Episcopi, vel Archiepiscopi: sunt enim munera & iurisdictiones valdè diuersa: & ideò ex vi iuris cõmunis nõ videtur Legatus habere hanc potestatẽ: quia neq; in toto tit. de offic. Legati, neq; in alio textu, cõmunis hæc potestas eis conceditur. Sæpe tamẽ habẽt illam ex commissione Pontificis: non constat autem mihi, an iuxta ritum, vel consuetudinem Romanæ Curiæ intelligatur concessa, eo ipso quòd aliquis in Legarum destinatur, quãuis nihil aliud exprimatur, vel semper fiat specialis concessio. Et simili modo incertum est, an eadem quantitas eis definita sit, quæ Episcopis, & Archiepiscopis, vel maior concedatur, aut ex vi muneris, aut arbitrio Pontificis, ac denique, an hæc potestas ita eis cõcedatur, vt possint eam aliis delegare, vel tantùm per se exercere: & ex horum resolutione pendet, an hæc potestas in eis sit vt ordinaria, vel tantùm vt delegata. Idemque de summo Pœnitentiario dicendum est, si facultatẽ aliquã habet concedendi indulgẽtias. Vnde Palud. d. 20. q. 4. art. 2. concl. 3. refert se audiuisse summum

De Legato Pontificis. Nauarr.

Legati hanc habent potestatem ex Papæ concessione.

Quid de summo Pœnitentiario. Palud.

Pœnitentiarium dicẽtem, *Auctoritate nostra ordinaria, damus vobis centum dies indulgentiæ.* Quòd si hoc verum est, constat potestatem Pœnitẽtiarij non esse ita limitatam, sicut est Episcopi. Sed cùm hæc non sint iure communi definita, consulendæ sunt speciales ordinationes, vel consuetudines ex voluntate Pontificum introductæ: loquendo autem secundùm ius commune, vt nos loquimur, soli Episcopi, & Archiepiscopi, sub statuta regula comprehenduntur. Dubitari verò potest, an comprehendatur etiam Concilium prouinciale, in quo plures Episcopi cum Archiepiscopo congregantur: & ideò videtur in toto Concilio esse potestas quæ est in singulis. Dico tamen non cõprehendi, quia nullibi hoc declaratum est, neque de hoc extat ius diuinum, aut humanum: nihil ergo in hoc genere potest Concilium vt Concilium, sed omnes, qui in eo sunt, possunt sua potestate vti non per modum vnius corporis, sed per modum plurium personarum.

Quid de Concilio prouinciali.

## SECTIO IIII.

### *Quid possint humano iure ordinario inferiores Prælati, aut sacerdotes circa indulgentiarum concessionem.*

1 Nullus inferior Prælatus habet hanc potestatem iure ordinario. Assert.1.

PRIMVM statuendum est, nullum Prælatum Episcopo inferiorem, habere potestatem ordinariam, etiam iure humano, ad concedendam aliquam indulgentiam. Hæc est sententia communis Theologorum, & Iuristarum, quos citauimus. Sumiturque ex c. *Accedentibus*, de Excessib. Prælat. vbi reprehenduntur quidam Abbates, qui hoc munus vsurpant, inter alia, quæ ad Episcopalem dignitatem specialiter pertinent. Ratio autem generalis est, quia diuino, vel humano iure aliis non est concessum. Prior pars, diuino iure difficilè probari potest ab his, qui putant hoc competere Episcopis ex iure diuino: vnde enim possunt probare non esse idem de aliis sacerdotibus. Respondere possunt: Episcopalem dignitatem specialiter esse à Christo institutam, & eis maximè dictũ esse, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus, &c.* Sed obiici etiam poterit, omnibus sacerdotibus dictum esse, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quæ verba multi ad indulgentias extendunt. Item verba illa, *Quæcunque solueritis*, non solùm ad Episcopos, sed etiam ad inferiores Prælatos pertinere, eò ipso quòd Ecclesiæ pastores in foro exteriori constituuntur. Faciliùs ergo nos probamus, inferiores non habere hanc potestatem diuino iure, cùm neque Episcopi illam habeant, sed solus Papa. Quòd verò nec humano iure habeant probamus, quia nullum de hoc ius ostendi potest: nam omnia superiùs citata de Episcopis loquuntur, & illis solis hoc ius ordinarium tribuunt:

2 Sufficiatne inferioribus Prælatis præscripta consuetudo ad hanc potestatem vt ordinariam habendam. 1. opin.

Hîc verò statim occurrit dubitandum, an sufficiat consuetudo vbi præscripta fuerit, vt aliquis inferior Prælatus censeatur hanc iurisdictionem ordinariam habere. Sunt enim variæ sententiæ. Prior affirmat, quam tenet Gloss. in dict. c. *Accedentibus*, colligitque ex illo textu, quatenus dixit Prælatos inferiores Episcopis non posse indulgentias concedere, nisi vel *speciali concessione*, vel *alia legitima causa*. Ex quibus exceptionibus prior manifesta est, vbi de tali concessione constiterit, quæ à summo Pontifice manare debet: nam ab eo manat hæc iurisdictio, vt sæpe dictum est. Et licèt Episcopi interdum illam delegare valeant, nõ tamen vt ordinariam alicui concedere, quia hoc ad supremam potestatem spectat. Posterior autem, non potest esse nisi præscripta consuetudo, quæ enim alia causa legitima excogitari potest; hæc autem videtur esse sufficiens: quia præscripta consuetudo iurisdictionem confert, iuxta c. *Cum Contingat*, cum aliis, de foro compet. Atque hanc Glossæ opinionem sequuntur ibi Panormit. Hostiens. & alij. Contrarium nihilominus tenet Turrecrem. in §. *Item in Leuitico*, de Pœnit. d. 1. n. 43. & sequitur Nauar. dict. not. 41. n. 7. Soto d. 22. q. 1. art. 4. & Cordub. q. 12. Fundamentum est, quia consuetudo non potest dare iurisdictionem, quæ debet ab ipso Christo, vel immediatè, vel per suam Vicariũ dari, quia cõsuetudo nõ efficit vt Christus, aut Papa hoc velint, cùm tamen sine illorum voluntate id fieri non possit: huiusmodi autem est præsens iurisdictio: nã, cùm sit ad tollendas pœnas in foro Dei debitas, nonnisi ab ipso Deo manare potest. Quo argumẽto suprà etiam probabamus iurisdictionẽ in foro pœnitẽtiæ non posse consuetudine acquiri: & in eodem principio fundatur, vt nemo possit consuetudine acquirere priuilegium eligendi confessorem, vt dicitur in cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6.

Glossa. Panorm. Hostiens. Turrecr. Nauar. Soto. Corduba. 2. opin.

Sed hæc cõtrouersia eodem modo definienda est, quo in dicto loco similem definiuimus. Probat enim efficaciter ratio facta, consuetudinem ipsam non posse esse propriam ac per se originem talis iurisdictionis. Nihilominùs tamen præscripta cõsuetudo, est iudicium iurisdictionis aliquando concessæ à summo Pontifice, quia non est verisimile in re tam graui propria auctoritate fuisse vsurpatam, & tanto tempore tacentibus & consentientibus Prælatis continuatam. Atque in hoc sensu intellecta prior opinio vera est, quam hoc sensu etiam sequitur Cordub. & iuxta illam possunt intelligi illa vltima verba c. *Accedentibus*, si ad concessionẽ indulgentiarum referantur: nam possunt etiam facilè ad illos actus referri, de quibus in textu mentio facta fuerat.

3 Dubij resolutio.

Supereſt verò aliud dubiũ de Prælatis, minoribus Episcopis quoad dignitatem, habentibus tamen iurisdictionem Episcopalem in suis locis, seu quasi diœcesibus, vt sunt aliqui Abbates vel Prælati seculares exẽpti, & immediatè subiecti summo Pontifici: videntur enim hi posse concedere indulgentias: nam possunt alios actus iurisdictionis Episcopalis exercere, & quoad illos comprehendi solent Episcoporum nomine, vt in superioribus tactũ est: cur ergo in præsenti non cõprehendentur? Et cõfirmatur, quia aliàs horum subditi erunt deterioris conditionis: non enim poterunt à suo immediato Prælato aliquas indulgentias obtinere. Nihilominùs communis sententia est nullum Prælatum huiusmodi habere hanc iurisdictionem iure ordinario, nisi vel consuetudine, vel alia sufficienti ratione conster alicui esse specialiter concessam à summo Pontifice. Ratio propria est suprà tacta, quia hi Prælati non habent hanc potestatem iure diuino, quod fatentur etiam illi, qui de Episcopis hoc affirmant: quia licèt hi prælati suo modo sint perfecti pastores, & sponsi suarum Ecclesiarum, & ideò videantur, iuxta illã sententiã, habere debere hãc potestatẽ, tamẽ dignitas ista est de iure humano, & non ita perfecta sicut Episcopalis, & ideò nõ est de illa eadẽ ratio. In nostra verò sententia efficaciùs ostenditur, quia potestas cõcedendi indulgentias, nõ est per se coniuncta ex vi iuris diuini, aut naturalis cum tali prælatione, vt à fortiori patet ex his, quæ de Episcopis diximus. Rursus nec iure humano conceditur, tum quia nullum inuenitur tale ius, nam iura sæpe citata de Pœnit. & remiss. solùm loquuntur de Episcopis, & Archiepiscopis; tum etiam quia dicto c. *Accedentibus*, hæc potestas censetur propria dignitatis Episcopalis. Quanquàm ergo hi Prælati inferiores interdum eximantur à iurisdictione Episcoporum, & perfectã quodammodò iurisdictionem sub Pontifice accipiant, voluerunt tamen Pontifices aliqua reseruare Episcopis, propter maiorẽ eorũ dignitatem,

4 An Prælati seculares exempti sub Episcopis comprehendantur.

Resolutio.

ex

ex quibus vnum est, concedere indulgentias communi, & ordinario iure. Idq; meritò: nam remittere reis pœnas lege debitas, ad Principes tãtùm pertinere solet, & ideò sicut Christus per se ipsum, & suo diuino iure id tantùm concessit Vicario suo, tanquàm supremo Principi Ecclesiæ, ita Pontifices suo iure ordinario solis Episcopis, tãquam propriis & ordinariis Ecclesiæ Principibus, eãdem potestatem communicare voluerunt. Neque in hoc fit aliqua iniuria, vel incommodum subditis horum Prælatorum: quia quoad fructum indulgentiarum semper subiicientur Episcopis, cũ etiã religiosi exẽpti, quoad has gratias & fauores, vti possint hac iurisdictione volũtaria Episcoporum.

5 Nec Capitulum sede vacante, nec Vicarius Episcopi hãc potestatem habent iure ordinario. Corol. 1. Calder. Nauarr. Corduba.

Atque hinc sequitur (quod etiam superiorem resolutionem confirmat) nec Vicarium Episcopi, nec (quod ampliùs est) Capitulum Sede vacante posse iure ordinario concedere indulgentias: quia nullo iure hoc eis conceditur. Nec refert quòd Capitulum succedat Episcopo in iurisdictione Episcopali, quia nunquàm succedit in dignitate, & iura volunt potestatem hanc esse coniunctam, & quasi reseruatam dignitati Episcopali. Atque ita docuit Calderinus in c. *Nostro*, de Pœn. & rem. quem Nauar. Cordub. & alii sequũtur. Nec reputatur inconueniens, quòd diœcesis, dum Episcopatus vacat, priuatur hoc beneficio, tum quia tempus illud, per se loquendo, breue est, & in eo frui possunt fideles indulgentiis concessis, vel à Papa, vel ab Archiepiscopo, vel à præcedẽtibus Episcopis, quorum indulgentiæ durant: tum etiam, quia hæc carentia non est rei necessariæ, sed supererogationis, potestque sufficienter iurisdictio Episcopalis à Capitulo administrari sine hac potestate.

6 Parochi, &c. non habent hanc potestatem iure ordinario. Corol. 2. Ioan. 20.

Secundò, sequitur à fortiori ex dictis, nullum Parochum, aut sacerdotem, habentem etiam plenam iurisdictionem in foro sacramentali, posse iure ordinario indulgentias concedere. Ita docent iidem Auctores: sequiturque euidenter ex eisdem principiis, & decretis, quæ repetere necesse non est. Propter quod suprà etiam diximus verba illa Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* nullo modo comprehendere potestatem hanc concedendi indulgentias, tum quia in eis tantùm est sermo de remissione peccatorum per sacramentum; tum etiam, quia per illa verba datur potestas ordinis in corpus Christi mysticum, non verò propria iurisdictionis potestas. Vnde illi solùm potuerunt circa hanc veritatem errare, qui existimarunt indulgentiarum absolutiones esse actum characteris sacerdotalis: hi enim consequenter dicere possent, eò ipso quod huic potestati sacerdotali applicatur materia, subiiciendo illi fideles, seu pœnitentes, posse sacerdotem talem potestatem habentem, exercere circa illã hunc actum absoluendi per indulgentias. Atque hoc modo videntur dixisse quidam Canonistæ, quemlibet sacerdotem proprium quocunque modo, id est, qui possit absoluere à peccatis in foro pœnitentiæ, posse etiam concedere indulgentias. Ita tenuerunt quædam Glossæ, & Innocentius, Archidiaconus, Cardinalis, & Panormitanus, sicut eos refert, & sequitur Angelus in Summa, verb. Indulgentia, n. 5. & Summa Rosella ibidem: qui tamen limitant hanc sententiam, vt intelligatur indulgentia concessa in foro pœnitentiæ, non extra vt hoc modo respondeãt ad iura suprà citata.

Glossa. Innoc. Archid. Cardin. Abb. Angel. Sum. Ros.

7 Reiicitur.

Hęc verò sententia intellecta de propria indulgentia, de qua Angelus apertè loquitur, est omninò improbabilis. Et in primis supponit falsum fundamentum: scilicet, quòd indulgentia sit actus manans à potestate ordinis. Deinde malè infert: nã, licèt id concederemus, nihilominùs absolutio sacramentalis, & absolutio indulgentiæ essent actus diuersi, & requirentes diuersas iurisdictiones, quarum vna est separabilis ab alia. Nunc enim potest Papa concedere alicui simplici sacerdoti potestatẽ dãdi aliquas indulgẽtias & non approbare, neque exponere illũ ad confessiones audiendas: ergo & è conuerso, licèt Parochis, & aliis confessoribus subiiciatur plebs quoad sacramentale iudicium, non sequitur subdi quoad indulgentiæ forum. Tertiò, errant valdè distinguentes de indulgentiis in foro sacramentali, vel extra. Nam si loquantur formaliter de indulgentia, quæ per ipsum sacramentale iudicium, eiusque absolutionem datur, est implicatio in verbis: nam de ratione indulgentiæ est, vt sit remissio pœnæ extra sacramentum, id est, non per sacramentum, vt suprà probatum est. Si verò loquantur tantùm concomitanter, sine fundamento loquuntur. Tum quia illa concomitantia est impertinens, & accidentaria: & ideò qui potest concedere indulgentiam simul cũ sacramento, potest etiam concedere sine illo, sicut suprà argumentabamur: tum etiam, quia ostendere debent vbi sit hæc potestas, vel iurisdictio concessa confessoribus: non enim conceditur ex vi muneris confessoris, vt sic, cùm indulgentia nullo modo spectet ad sacramentum confessionis, sed omninò per accidens cum illo coniungatur: nullo autem alio iure diuino, vel humano potest ostendi concessa. Neque fuisset expediens, quia nimium eneruaretur rigor Ecclesiasticæ disciplinæ quoad sacramentales pœnitẽtias. Neq; est verisimile, Ecclesiam limitasse potestatem Episcoporum, & non potiùs fuisse limitaturam hanc potestatem confessorum, si eam illos habere existimaret. Nec Glossæ illæ, quæ in cõtrarium citantur, nec Doctores Canonistæ, qui illas sequuntur, de propria indulgentia loquuntur, sed de illa remissione pœnæ, quæ à confessore fit per impositionem pœnitentiæ sacramentalis, grauioris, aut leuioris: vt patet ex Gloss. in c. *Mensuram*, de Pœn. d. 1. & Panormitano in c. *Sicut dignum*, de Homicidio. n. 2. Putant enim illi Auctores posse confessorem ita arbitrari de pœnitentia imponenda, vt licèt minorem imponat, quàm reatus pœnitentis mereatur, nihilominùs ex virtute clauium totum remittat, quam ipsi dispensationem vocãt: quæ si vera est, longè diuersa est ab indulgentia, de qua modò agimus. Quid verò de illa sentiendum sit, diximus suprà agentes de satisfactione.

Glossæ, & Doctores præcedentis sententiæ exponuntur.

## SECTIO V.

### *Quid possint Prælati religionum circa indulgentias concedendas.*

1 Prælati religionum non possunt iure ordinario indulgentias concedere. Corol. 3. Medinæ sec.

EX dictis in præcedenti sectione planè inferri videtur, Prælatos religionum, siue locales siue Prouinciales, siue generales, iure ordinario, seu ex vi sui muneris, nullam habere potestatem ad concedendas indulgentias. Nihilominùs in hoc singularem habuit opinionem Med. in dict. li. c. 29. dicens, hos Prælatos iure diuino habere potestatem concedendi indulgentias, qui profectò, cùm id de Episcopis asseruerit, non omninò extra consequentiam loquitur, maximè de Generalibus, & Prouincialibus, quoniam hi videntur habere plenam iurisdictionem Episcopalem in suos subditos, & respectu illorum sunt principales pastores, & prælati sub Pontifice. Non audet tamen hic Auctor dicere, hos prælatos de facto habere hãc potestatem: putat enim ita esse à Christo datam, vt possit per Ecclesiam auferri, aut impediri, & de facto sublatam esse propter tuendam Episcoporum dignitatem, iuxta dictum c. *Accedentibus*. Sed profectò mirum est, quòd hi prælati de iure diuino talem potestatem habeant, & tamen quòd de facto in Ecclesia nunquàm illã habuerint,

Reiicitur.

rint, nec modò habeant, neque, vt creditur, habituri sint. Nam, si ita semper futurum erat expediens, immeritò sanè Christus talem potestatem contulisset si verò expediebat de facto illos talē potestatem habere, immeritò Pontifices eos illa priuarunt, imò & inualidè, cùm non possint, saltem sine sufficiente causa, immutare ea quæ sunt diuini iuris. Omitto cætera quæ contra hanc concessionem iuris diuini extra summum Pontificem generatim dixi, ex quibus à fortiori concluditur, non habere locum illā concessionem in his Prælatis. Quòd verò nec iure humano facta sit, probant iura sæpiùs citata. Atque ita in illatione facta omnes Doctores conueniunt, tam in iure diuino, quàm in humano stando.

2 Occurrit tamen hîc specialis difficultas circa hos Prælatos: nam habent potestatem concedendi aliquibus remissionem pœnarum, applicando eis bona merita, & satisfactiones suarum congregationum, & efficiendo illos participes earum, eos ad quandam specialem vnionem cum suis religionibus admittendo, vt constat ex vsu Ecclesiæ: hoc autem est quoddam indulgentiæ genus, ergo. De hac difficultate multa dicuntur à Theologis, quæ breuissimè attigit Soto in hac materia, & latiùs Corduba quæst. 42. sed reuerà spectant potiùs ad suffragia. Et ideò breuiter dicendum est, quidquid in hoc genere Prælati religiosorum aut possint, aut faciant, solùm esse suffragiorum oblationes, seu donationes, non verò esse indulgentiarum concessiones: & ideò nihil obstare assertioni propositæ. Nam quòd hæc duo diuersa sint, manifestum est: nā quælibet priuata persona potest offerre suffragium pro alio ex suis operibus, indulgentiam autem concedere non potest etiā per modū suffragij, vt ex suprà dictis constat, & ex cōmuni sensu Ecclesiæ, aliàs posset vnusquisque sua auctoritate indulgētiam aliquam pro defunctis cōcedere, quod absurdum, & erroneum est.

Soto. Corduba.

3 Suffragium duplex.

Vt autem propria differentia à priori intelligatur, aduertendum est, inter suffragia quædam esse, quę per modum impetrationis, aut meriti de congruo offeruntur, alia verò per modum satisfactionis, aut solutionis. In prioribus manifesta est differentia ab indulgentiis: nā per illa, vt sic, non fit compensatio pro reatu pœnæ temporalis, & ideò ex vi illorum tantùm nō fit immediata remissio talis pœnæ (vt est probabile) vel saltē non fit ex iustitia, neque est infallibilis, quòd tamē fit per indulgentiam. Posteriora suffragia habēt in hoc maiorem conuenientiam cū indulgentia: nam per ea fit solutio & compensatio ad æqualitatē, ideoque & immediatè, & infallibiliter, & ex iustitia obtinent remissionem proportionatæ pœnæ. In hoc ergo conueniunt cum indulgentiis. Vt autem differentia declarētur, considerandum vlteriùs est, aliud esse satisfacere pro peccatis iam commissis, aliud verò esse satisfactiones iam factas, & quæ tunc non habuerunt effectum, applicare ad remittenda peccata posteà cōmissa. Illud prius est secundùm ordinariam legem, & iuxta proprium debitum, quod ex peccato resultat: & ideò à qualibet priuata persona fieri potest propria auctoritate, vel pro seipsa, & tunc retinet proprium nomen satisfactionis, vel pro alio viuente, aut defuncto propter vnionē charitatis, & vocatur suffragium satisfactorium. Secundum autem est exorbitans ab ordinaria lege, & debito peccatorum, includitque dispensationem quandam in diuino iure, vt suprà declaratum est: & ideò nulla humana potestas ad hoc erat per se sufficiens, sed necessaria fuit potestas à Christo concessa Vicario suo immediatè, & per illum aliis.

Quilibet potest satisfacere pro peccatis etiā alienis iam commissis.

4 Non autem pro cōmittendis satisfactiones applicare.

Et hinc etiam est, vt nullus homo purus quantumuis iustus, & superabundantes operans satisfactiones, possit thesaurum priuatum ex eis congregare, quia esset prorsus inutilis, cùm non possit ab eo auctoritate sua dispensari, aut applicari. Potest enim vnusquisque, quando satisfactorium opus facit, satisfactionē illam cui voluerit applicare; tamen si applicatio neque in ipso, neque in alio habuit effectum, posteà non potest ampliùs satisfactionem illam applicare, alioqui etiam pro peccatis commissis id facere posset, vel etiam posset efficere vt applicatio, quæ fortasse propter obicem alterius effectum non habuit, recedente fictione illum habere incipiat: vtrumque autem est vltra hominis facultatē absque speciali Christi concessione. Et simili ratione necessarium est eum, qui satisfactorium opus facit, tunc satisfactionem suam sibi aut alteri intentione formali, vel virtuali applicare, quòd si id non faciat, posteà id non erit in eius voluntate, aut potestate, alioqui posset illud applicare, vel pro peccatis posteà commissis, vel pro hominibus qui tunc erant in peccato, posteà verò iustificati sunt. Quia igitur hoc non est in potestate priuatæ personæ, ideò nec thesaurum priuatum thesaurizare potest, quem possit ipse posteà dispensare. Eò vel maximè, quòd opus factum sine intentione formali, vel virtuali satisfaciendi pro aliquo, vel aliquibus, vel aliqua communitate in particulari, profectò dici non potest propriè & in rigore satisfactorium: quia, cùm satisfactio sit opus iustitiæ, necesse est vt volūtariè & in particulari fiat ad soluendum debitum: quia iustitia, præsertim satisfactoria, apud Deum, debet esse voluntaria & exerceri in particulari, quia morales actiones circa particulares sunt. Necesse est ergo veram satisfactionem hoc modo fieri, & tunc si efficaciter & cum effectu fit, nihil relinquitur in thesauro reponendum: si autem talis intentio non habet effectum, iam non manet applicatio eius sub potestate operantis, propter rationes factas, & quia iam non est Dominus illius operis, sed tantùm quando illud operatur, ideóque non reconditur in priuato thesauro: ponitur autem in communi thesauro Ecclesiæ ex virtuali intentione, quam vnusquisque iustus habet: vt omnes satisfactiones suæ superabundantes, seu quæ effectum non habuerunt, prosint aliis eo modo quo legitimè fieri possit, iuxta modum à Christo præscriptum.

5 Nulla priuata congregatio fidelium potest priuatum congregare thesaurum.

Atq; eisdē rationibus vlteriùs concludi potest, nullā priuatā congregationē fidelium ex his, quæ sunt in Ecclesia, posse congregare priuatū thesaurū ex superabundantibus satisfactionibus suorum membrorum; priuatum, inquam, id est, qui sit quasi sub priuato dominio talis congregationis, cuiusque dispensatio ad illam, seu Prælatum eius speciali potestate pertineat. Patet ex eodem principio, quod nullus est, effectus, ad quem possint tales satisfactiones applicari per modum solutionis, per potestatem humanam ortam (vt sic dicam) ex dominio in talia opera, sed necessaria est specialis potestas concessa à Christo, quæ non est data his priuatis congregationibus, nec prælatis earū, vt ostēsum est. Accedit etiā, quòd si vnaquæque congregatio particularis priuatum thesaurum sibi congereret, nihil remaneret, quod in thesauro communi Ecclesiæ reponeretur, quia tota Ecclesia vniuersalis constat ex congregationibus & Ecclesiis particularibus: si ergo vnaquæque pars ibi reseruaret suum thesaurum, quid pro vniuersali thesauro superfit? Respondere quis potest, vtrumque respectum possunt in priuato thesauro considerari: scilicet, & totius, respectu priuatæ congregationis, & partis, respectu vniuersalis thesauri. Sed contra hoc, præter rationes adductas facit: quòd nihil est æquè primò sub dominio vel administratione particulari & vniuersali, sed quando hæc duo simul concurrunt, ordinarius vsus rei pertinet ad proprium dominum, ad remotum verò seu communem solùm in quibusdam casibus particularibus: atque ita fieret iuxta illam

senten

sententiam, dispensationem particularium thesaurorum ordinariè pertinere ad priuatas congregationes vel Prælatos earum, ad vniuersalem verò pastorē solùm extraordinariè & pro causis vniuersalibus. Vnde, cum ablatis partibus nihil manet in toto, non haberet Pontifex, vt vniuersalis pastor est, thesaurū aliquē constantem ex satisfactionibus Sanctorū, quem possit ordinariè dispensare. Dico autem, *vt vniuersalis pastor est*: quia vt est Episcopus Romanus, habebit solum Ecclesiæ suæ thesaurum. Consequens autem est omninò falsum, & contra doctrinam Clem. VI. & Leonis X. & aliorum Pontificum, vt suprà vidimus. A

6 Quid sit admittere religiones alios fideles ad cōmunicationem meritorum, & operum suorum.

Ex his ergo satis constat, quando aliqua religio, vel Prælatus eius aliquem admittit ad consortium, seu participationem operum talis religionis, non admittere illos ad participationem alicuius thesauri cū illo communicandi, neque applicare illis aliquas satisfactiones ad remissionem peccatorum, quæ commiserant, & consequenter in ea cōmunicatione nec rationem, nec concessionem indulgentiæ interuenire. Admittunt ergo illos ad applicationem suorum meritorum, & operum præcipuè per modum impetrationis. Nam, quia propter pia opera totius religionis Deus specialiter benefacit membris eius, ideò omnibus etiam cum tali religione specialiter coniunctis specialia beneficia confert propter eadem opera. Possunt etiam aliquos admittere ad participationem suffragij satisfactorij, si velint satisfactiones suas eis applicare quando eas faciunt. In hoc tamen aduertere oportet, huiusmodi applicationem semper requirere particularem voluntatem & intentionem singularium personarum operantium: itaque non satis est, quòd Prælatus vnius domus verbi gratia sua intētione & voluntate applicet pro benefactoribus, aut pro tali benefactore tantam satisfactionem, vel tale opus satisfactorium, quod ab aliquo sibi subdito efficitur, sed necesse est, vt etiam ipse subditus sua voluntate illud offerat, vel expresè & directè vel intentionem suam ad superioris intentionem referendo. Ratio est, quia voluntas superioris non sufficit ad dirigendum moraliter alienū opus, quia non est directè & immediatè sub dominio illius: licèt habeat aliquod ius ad illud, vt statim dicam, proximus autem operans habet proprium dominium illius operis quoad vsum eius, & ideò ab illo pendet relatio eius in hunc vel illum finem. Et eadem ratione ab eius intentione pendet, quòd opus sit satisfactorium pro hoc vel illo. B

Ad applicationem suffragij satisfactorij requiritur particularis voluntas operantis.

C

7 Obiectio aduersus superiorem assertionem.

Dices, Superior potest præcipere inferiori (inter religiosos loquimur) non solùm vt faciat tale opus, sed etiam vt satisfactionē eius offerat pro tali persona, quia est Dominus voluntatis, & omnium actionum sui subditi, & fructuum earum: ergo etiam potest sua sola intentione efficaciter applicare alteri talem satisfactionem, irritando omnem voluntatem subditi, si fortè repugnauerit. Respondetur, non deesse Auctores, qui hoc argumento conuicti ita censeant: nam Soto d. 21. q. 1. ar. 4. circa fin. Cordub. dict. q. punct. 3. dub. 5. ita sentire videntur. Alij verò extremè sentientes, negant antecedens, quia satisfactio propriorum operum, est bonum pertinens suo modo ad internam animæ salutem, & moraliter loquendo, necessarium ad tollendum impedimentum consequēdæ beatitudinis: quod sentire videtur Scot. quodlib. 20. Et confirmari hoc potest, quia satisfactio hæc & applicatio eius est res valdè spiritualis, & interna, quæ non cadit sub præceptum humanum. Et vrgetur ampliùs, quia non potest superior præcipere inferiori, vt efficiat opus cum omnibus conditionibus requisitis ad fructum satisfactionis: quia modus operandi in gratia, & cum omnibus bonis circunstantiis, non cadit sub præceptum, cum tamen necessarius sit ad fructum satisfactionis: ergo multò minùs potest præcipere applicationem satisfactionis pro aliquo. D

Quorundā responsio. Soto. Cordub.

Scoti respōsio.

Reiicitur.

Nihilominùs probabiliùs censeo, posse Prælatum præcipere subdito, vt faciat opus ad satisfaciendum pro alio, quia hoc est opus charitatis: ergo, sicut potest superior præcipere inferiori, vt faciat eleemosynā, ita etiam, vt faciat hoc suffragium: est enim quædam spiritualis eleemosyna. Respondet Scotus, Superiorem solum, posse præcipere eleemosynam de superfluis, atque ita rationem ad summum procedere de satisfactionibus non necessariis ipsi operanti: quia verò in hac vita nec superior, nec subditus scire possunt, imò nec moraliter præsumere talem satisfactionem non esse necessariam ipsi operanti, ideò nunquàm habet locum tale præceptum. Sed contra hoc retorqueo eandem responsionem, quia potiùs moraliter constat hîc, & nunc talem satisfactionem non esse ita necessariam ipsi operanti, vt ex eius alienatione damnum alicuius momēti patiatur, in quo sensu potest dici superflua: ergo id satis est, vt præcipi possit applicatio eius. Cur enim non poterit præcipere superior id, quod subditus facere potest sine graui nocumento suo in vtilitatem alterius, si grauis ratio seu causa occurrat? Antecedens probatur, quia in primis hinc augetur essentiale meritum, & præmium talis operis, tum propter obedientiam, tum propter charitatem, quæ magis relucet sustinendo aliquam temporalem pœnam propter bonum alterius: id autem maioris commodi est ipsi subdito, quàm sit detrimentum in carentia remissionis pœnæ temporalis. Deinde, quia non statim imminet periculum sustinendi hac de causa aliquas pœnas Purgatorij, quia in potestate ipsius est, & alia satisfactoria opera pro se facere, & minuere peccata, quibus illas pœnas mereatur. Atque hæc ratio non solùm in Prælatis religionum, sed etiam in Pontifice, vel Episcopo respectu suorum subditorum, habere potest locum, si causa publica, vel proportionata subsit, vt si præcipiant ieiunium, verbi gratia, offerre pro defunctis in bello pertinente ad causam religionis, vel aliquid huiusmodi. In religiosis autem intercedit specialis ratio, propter quam & frequentiùs, & ex minori causa hoc fit, nimirum quòd prælatus religionis propter votum obedientiæ habet speciale ius, & dominium in voluntatem subditi, & ideò facilius potest de operibus eius disponere. Iuuat etiam, quòd religiosi ratione status debent pauciora habere debita, & pluribus satisfactionibus abundare, & ideò facilius etiam possunt aliis subuenire. Quia verò hoc dominium talium Prælatorum non est absolutum, sed quasi paternum, & principaliter in bonum subditorum, ideò non debent hac potestate vti, nimium grauando subditos, sed moderatè, & ex iustis causis.

8 Euasio.

Eluditur.

E

9 Confirmationibus Scoti respōdetur.

Neque verò obstat, quòd hæc satisfactio, vel applicatio eius, quid spirituale sit: nam in primis possunt hæc præcipi, vt circunstantiæ operis externi: & deinde religiosi specialiter ex regula vel voto possunt suo modo obligari ad interiores actus, vt ad mentalem orationem, vel quid simile. An verò ex vi talis præcepti teneatur subditus tale opus facere cum omnibus requisitis ad satisfactionem, quod in vltima confirmatione tangebatur, magis dubia res est. Dico tamen, si grauitas causæ postulet, posse Prælatum præcipere subditis, vt quantùm in ipsis est, se disponāt ad illud opus ita faciendum, vt sit gratū & acceptum Deo ad talem effectum: quia, nec repugnat ex se talem modum operandi cadere sub præcepto, neque est onus valdè difficilè: & quanuis tale esset, propter grauissimā causam præcipi posset. Vlteriùs verò censeo, ordinariè præceptum hoc non ita intelligi, sed solùm iniungi subdito, vt tale opus ex se satisfactorium faciat pro tali persona: reliquum autem supponi ex illa obligatione, qualiscun

liscunque illa sit, qua vnusquisque, præsertim, religiosus, tenetur & rectè operari, & esse in statu gratiæ.

10 Vera obiectionis solutio.

Hinc verò (vt ad obiectionem factam redeamus) nõ sequitur posse Prælatũ immediatè applicare opus subditi sine eius intentione, & quasi cooperatione, quia illud dominium, quod dicitur habere Prælatus, solùm est in ordine ad debitum vsum, non tamẽ simpliciter in ordine ad vsum: nam, licèt præcipiẽte Prælato, debeam id facere, tamen meum semper est facere, vel nõ facere, & hoc modo vsus absolutè manet sub dominio subditi: nam si nolit opus facere, infectum manet, quidquid alius præcipiat. Similiter ergo, quanuis præcipiat satisfacere pro aliquo, si subditus non vult pro illo satisfacere, quanuis malè faciat, tamen reuerà non satisfacit pro illo, etiamsi opus ex se satisfactorium faciat, quia valor moralis talis operis ad satisfaciendum pro hoc vel illo, pendet intrinsecè ex intentione ipsius operantis, quam non potest superior supplere: imò hoc ipso quòd tale opus, quoad talem circunstantiam, fit contra superioris voluntatem, videtur amittere bonitatem moralem, & consequenter etiam satisfactorium valorem, ita vt nec illi prosit, cui vult Prælatus, neque ipsi operanti, aut alteri, cui ipse donat. Loquimur enim de satisfactione ex opere operantis, illa enim quæ est ex opere operato, alia ratione requirit propriam intentionem ipsius offerentis seu ministri, de qua re in superiori Tomo dictum est. Loquimur itẽ de præcepto superioris, quod verè ad culpam obliget, alioqui opus aliter factum non ideò erit peccaminosum: & prætereà minùs efficax erit voluntas superioris ad applicãdum opus subditi sine concursu voluntatis eius. Quapropter nec rectè, nec validè faciunt Prælati religiosorum, si in suis subditis eorum opera aliis applicant, quoad satisfactiones: quia moraliter loquendo, subditi, qui ignorant Prælati intentionem, aliam diuersam habebunt, & illa erit quoad factum efficax: vt dixi, nec tenentur subditi quoties aliis applicant opera sua, subintellectam conditionem habere, *nisi superior alteri applicauerit*, quia hoc modo nullum suffragium certum facere possent, quod esset onus intolerabile: satis ergo est, vt teneantur intentioni superioris conformari quando iubentur. Quin potiùs existimo, quòd licèt subditus nulli applicaret suum opus ex inaduertentia, vel culpabili negligentia, sola intentio superioris non sufficeret ad applicandum illud, quia non habet potestatem immediatam in illud opus, sed solùm in voluntatem à qua prodit, obligando illam. Vnde quantumuis conetur, nunquàm refert opus illud, vt opus humanum est, ad talem finem seu effectum. Nec fortasse Soto, vel Corduba aliud senserunt, sed præceptum, aut voluntatem Prælati, qua vult subditum satisfacere pro alio, vocarunt applicationem.

Opus à subdito non applicatũ, non potest illo inscio à superiore applicari.

11 Quis fructus proueniat fidelibus, eo quòd ad participationem operum religionis admittãtur.

Sed dicet aliquis: Quis ergo fructus prouenit fidelibus (quos religiosi *Fratres* vocare solent) ex eo quòd à Prælatis religionum admittuntur ad consortium & participationem bonorum operum religionis? Nam, si necessaria semper est particularis intentio & applicatio singulorum religiosorum, illa sola sufficeret sine tali admissione, vel vnione: & hæc sine dicta intentione non sufficit, nullum ergo fructum affert. Hoc autem erroneum esset asserere: nam incideret in hæresim Vvicleph, dicentis has applicationes specialium orationum nihil prodesse, vt latiùs tractat Vvald. tom. 2. de Sacram. tit. 10. c. 93. & seq. & damnatur in Conc. Constant. sess. 8. Respondetur ex dictis suprà in materia de Suffragiis, tribus modis posse suffragium prodesse alteri, per modum satisfactionis, & per modum directæ impetrationis, & indirectè per modum cuiusdam meriti de congruo. Dico ergo illam admissionem, seu vnionem in primis prodesse ad hunc postremum modum fructus, qui non pendet ex particulari intentione singulorum operantium, sed hoc ipso quòd aliquis est peculiari modo membrum vel socius huius religionis, merita eiusdẽ religionis valent apud Deum, vt ratione illorũ peculiari auxilio aliqua bona conferat personis ei coniunctis, etiamsi ad hunc finem talia merita non referantur. Et præsertim habebunt hanc efficaciam, si talis persona aliquid à Deo petat propter merita talis religionis. Quanuis enim vnusquisque iustus semper possit à Deo petere propter aliorum iustorum merita, & inde accipiat oratio aliquam impetrãdi vim, maiorem tamen accipiet, quòd talis persona magis coniuncta fuerit eis, propter quorum merita petit: nam ratio amicitiæ postulat, vt propter amicos aliis eis coniunctis benefaciamus, etiam ipsis amicis nihil directè petentibus. Atque ita ferè explicarunt fructum huius vnionis, siue admissionis Adrian. quodlib. 8. & Corduba q. 42.

Hæc vnio prodest ad indirectam impetrationem.

Vvald.

Adrian. Cordub.

12 Prodest etiã hæc vnio ad directã impetrationẽ.

Addendum verò est, etiam prodesse ad illum fructum, qui directè per propriam impetrationem obtineri potest. Nam, licèt ad hunc fructum necessaria sit propria intentio personæ orantis, tamen, cæteris paribus, efficacior est iusti oratio facta pro persona sibi coniuncta, quàm pro extranea: nam sicut merita ipse iustorum per se & absque alia intentione valent de congruo personis ipsis coniunctis, non verò extraneis, ita ob eandem proportionem eadem merita, adiuncta speciali intentione & oratione, maiorem efficaciam habent respectu personæ coniunctæ, quàm extraneæ. Et simili modo oratio ipsa, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum pro persona coniuncta, quàm pro extranea: ad hunc ergo effectum conferet illa vnio. Et prætereà prodest, vt participes fiant personæ sic coniunctæ orationum omnium, quæ generaliter fieri solent pro ipsa religione, & membris eius: nam illas participant, non solùm priori modo, seu indirectè, sed etiã quoad directam impetrationẽ. Et verisimile est, quando hæ orationes fiunt à tota communitate, & quasi nomine totius religionis, non pendere effectum earum, etiam quoad directam impetrationem, ex intentione particulari singulorũ mẽbrorum, sed intentionem Prælatorum sufficere, quamquàm si accedãt etiam intentiones singulorum, multum conferent, cæteris paribus, ad efficacem impetrationem: sed de his latiùs in propria materia de oratione. De suffragio autem satisfactorio concedimus vnionem illam, vel præceptũ superioris non sufficere sine intentione illius, cuius satisfactio applicatur. Quia verò hęc applicatio sæpe fit generaliter pro fratribus, & sociis religionis, ideò ad habendam partem in huiusmodi applicationibus confert etiam illa coniunctio.

Iuuat ad satisfactoriũ suffragium.

13 Prodest ad lucrandas indulgẽtias religionibus concessas.

Addo vltimò, etiam interdum deseruire ad participandas, & lucrandas indulgentias à Sede Apostolica religionibus concessas, sed ad hoc necessaria est specialis facultas eiusdem Apostolicę sedis extendentis tales indulgentias ad huiusmodi personas, qualis concessa est Mendicantibus, vt ex compendio priuilegiorum constat, tunc autem non prælatus religionis, sed ipsemet summus Pontifex indulgentias concedit: atque ita indulgentiarum lucrum nunquàm ab his Prælatis religionum manat.

## SECTIO VI.

*In quibus sit, vel esse possit potestas delegata ad indulgentias concedendas.*

1 Marsilij opinio reiicitur.

MARSILIVS 4. q. 12. art. 2. p. 2. illius cap. 2. in fine, sentit hanc potestatem nunquàm delegari. Nam, licèt nõ neget posse ab aliquibus exerceri

exerceri ex speciali licencia Pontificis, negat tamen illam esse delegationē, sed solùm prohibitionis ablationem. Putat enim in primis hanc potestatem solùm posse exerceri per sacerdotes: addit subinde, omnes sacerdotes habere illam iure diuino in suos subditos: tertiò existimat, iure humano esse prohibitos vel impeditos ab vsu illius potestatis. Ex quibus principiis concludit, quando eis fit facultas, non delegari potestatē, sed solū auferri prohibitionē. Nititur tamē falsis principiis, vt ex dictis cōstat. Et prætereà nō rectè infert vniuersaliter, quia dari potest hæc licentia sacerdoti etiam circa non subditos in foro pœnitentiæ: & tunc non est ablatio prohibitionis, sed collatio potestatis.

2 Conclusio affirmans.

Dicendum ergo in primis est, hanc potestatem delegabilem esse. Conclusio est communis omnium Theologorum, quos sæpe retuli, & clara, quia hæc potestas iurisdictionis est, ergo est delegabilis. Item potestas Ecclesiastica in foro merè interno, seu sacramentali, & in foro externo, seu contentioso delegabilis est, ergo & in hoc foro, nihil enim speciale afferri potest, quod impediat. Solùm est necessarium exponere, quis possit hanc potestatē delegare. Quod facilè definitur ex dictis. Nam in primis summus Pōtifex maximè potest hāc delegationem facere, vt per se constat, & vsu quotidiè fit: sæpe enim iudices delegati à Papa, & Generales religionum, vel alij viri insignes hac potestate vtuntur à Pontifice sibi concessa, quæ est merè delegata: nec enim ex officio eis cōpetit, aut eā possunt aliis subdelegare. Neq; etiā dici potest, illos nō esse delegatos, sed meros denunciatores indulgētiarū concessarū à Papa, quia reuerà nō ita est: Papa enim nullā indulgentiā concessit, sed potestatē tantùm, alioqui idem dici posset de Legatis, & de summo Pœnitentiario, quod est contra omnes. Deinde etiam Episcopus potest respectu suorum subditorum hanc potestatem delegare. Probatur, quia illa potestas est ordinaria, vt ostensum est, ergo potest delegari. Idem etiam confirmat vsus, & communis sententia. An verò Archiepiscopus, vel alius possit hanc delegationem facere, paulò inferiùs dicam.

Quis possit hanc potestatem delegare.

3 Cui possit hæc potestas delegari.

De illo autem, cui potest fieri hæc delegatio, alij qui dixerūt necessariò debere esse sacerdotem, etiam ex diuino iure. Sed falsum hoc est, quia, vt suprà ostendimus, ordo sacerdotalis non est per se necessarius ad hunc effectum, quòd si ille necessarius non est, neque alij ordines sunt necessarij: quia nullus eorum est per se principium alicuius absolutionis. Quocirca summus Pontifex de facto committit hanc potestatem non sacerdotibus, vt Diaconis Cardinalibus, & interdum etiam Cardinalibus nullum sacrum ordinem habentibus. An verò possit illam concedere omninò laicis, generalis quæstio est de quacunq; iurisdictione Ecclesiastica, de qua plura infrà dicam in materia de Censuris. Nunc breuiter dico, de absoluta potestate posse; iure tamen ordinario non posse, neq; per generalem concessionē id facere, nisi aliquādo fortasse expressè declaret se in hoc dispensare.

4 Felinus improbatur. Anton.

Vnde falsum censeo quod dixit Felinus in tract. de Indulgentiis, n. 19. citans Antoninum 1. p. titul. 10. capite tertio, §. quinto, per clausulam generalem, qua alicui conceditur, vt in articulo mortis obtinere possit indulgētiam plenariam à confessore, posse illam obtinere à quolibet laico, si neque confessor, neque sacerdos, vel clericus alius haberi possit: nam priuilegium hoc concedens confessori, intelligi debet si haberi possit. Hoc, inquam, falsum existimo non solùm de laico, sed etiam de quocunque non sacerdote. De laico quidem, quia illud est contra communem ius, & quia generalis concessio facta sine derogatione particulari, non intelligitur fieri cō-

tra ius cōmune, si aliter habere potest sufficientem effectū: De aliis verò clericis sacerdoti inferioribus patet, quia illi non possunt comprehendi nominem confessoris, cui soli talis potestas conceditur ex vi illorum verborum. Dicere autem subintelligi conditionem, *si possit inueniri confessor*, est addere aliquid priuilegio, quod in ipso non habetur, nec formaliter, nec virtute. Quin potiùs probabile etiam est, sacerdotem non posse in illo articulo ex vi illorum verborum talem indulgentiam concedere, nisi exercendo munus confessoris: vnde, si audire confessionem non potest, neque concedere indulgentiam poterit, quia confessori conceditur potestas, quod formaliter intelligendum videtur: non enim sine causa dictum est *confessori*, non verò *sacerdoti*. Nihilominùs quod hoc propositum est probabile, quia intelligi potest de confessore non actu, sed munere, & quia in illo articulo quilibet sacerdos, quantum in ipso est, potest esse confessor, ideò si ex accidenti propter impotentiam pœnitentis non potest confessionem audire, poterit in illo casu indulgentiam concedere, & pium est in probabili dubio ita facere, vt valeat quantùm valere possit.

5 Cui possit Episcopus hanc potestatem delegare.

Atque ex his sequitur. Episcopum non posse hanc potestatem delegare laico, nō quia iure diuino sit incapax, sed quia iure humano laicus omninò remotus est ab Ecclesiasticis muneribus, vt latiùs dicemus in loquenti opere de Censuris. Certum est autem, vnum Episcopum posse hanc facultatem delegare alteri respectu suorum subditorū, quia nullus potest esse magis capax huius delegationis, quàm alter Episcopus, dummodò alioqui non sit per censuras impeditus. Dubitari verò solet, an possit Episcopus delegare hanc potestatem sacerdoti simplici, aut inferioribus clericis. Quod attigit Antonius Rosell. tract. de Indulgentiis, n. 391. & distinguit duplices indulgentias, quasdam publicas, alias priuatas in foro pœnitentiali, & has posteriores ait delegari posse sacerdoti simplici, non verò priores, quia sunt iurisdictiones annexæ dignitati Episcopali. Sed oppositum censeo verum, quod tenuerunt Ioannes, & Gaspar. Calderinus, quos ipse citat. Et ratio est, quia licèt dignitas Episcopalis habeat coniunctam hanc iurisdictionem, & illa, vt ordinaria, sit propria talis dignitatis, tamen, quòd illa, vt delegata, requirat dignitatem Episcopalem, nullo iure constat, ideóque gratis asseritur. Item simplex sacerdos non est incapax huius delegationis, & Episcopus, nec diuino, nec humano iure prohibitus est illam facere: ergo potest. Denique distinctio illa impertinens est, quia, vt sæpe dixi, nulla est indulgentia fori pœnitentialis nisi concomitāter, & ex accidentaria circunstantia, quæ non variat rationem, aut potestatem concedendi indulgentiam. Vnde censeo posse Episcopum potestatem hanc delegare Vicario suo, etiam si sacerdos non sit, dummodò, sit clericus, quia ille est capax, & aliunde nulla inuenitur iuris prohibitio.

Anton. Rossell.

Ioan Cald. Gaspard. Calder.

6 Quis de facto habeat hanc potestatem delegatam.

Ex his etiam facilè responderi poterit quærenti, quisnam habeat de facto hanc potestatem delegatā. Dicendum est enim, quæstionem esse de facto, ad quam Doctor non respondet, quia pendet ex voluntate Papæ, aut Episcoporum, quæ consulenda est, aut rescripta, vel priuilegia, per quæ manifestatur. Nihilominùs tamen quæri potest, an iure, vel vsu aliqui habeant hanc potestatē. Aliqui putant Archiepiscopum habere à iure: quia nō habet immediatè à Christo, sed à Papa: omnis enim iurisdictio Archiepiscopi, vt sic, est ex institutione Ecclesiæ, non Christi: & idem à fortiori dicent de legato Papæ, & de summo Pœnitentiario, quos consequenter dicere debent habere hāc potestatem delegatā ex vsu, quanuis non ex

iure. Sed illa ratio nullius momenti est, quia potest esse iurisdictio à Papa, & non esse delegata, sed ordinaria, vt ex suprà dictis constat, & in ipso Archiepiscopo est manifestum, aliàs nullam iurisdictionem ordinariam exerceret in sua prouincia, sed tantùm in sua diœcesi, quod est euidenter falsum, contra tex. in capit. *Pastoralis*, de Offic. ordin. & in capit. primo cum aliis eodem tit. in 6. Vnde probabilius censeo, in illo hanc iurisdictionem non esse delegatam: sed ordinariam, vtpotè conuenientem ratione sui muneris & dignitatis. Vnde consequenter etiam censeo posse illam delegare, sicut & alios actus iurisdictionis Archiepiscopalis, vt sic, vt ex eisdem iuribus constat. De Pœnitentiario verò, aut Legato iã dixi suprà rem esse incertam, & ideò consulendũ esse vsum.

7 Quis possit dare alicui licentiam ad lucrãdas indulgẽtias Episcopi non sui. Cordub. Nauar.

Vltimò inquiri hîc potest, quis possit dare alicui fideli licentiam ad lucrandas indulgẽtias concessas ab Episcopo non suo. Quod tractat Corduba q. 13. dub. 1. & refert opinionem Paludani, & quorundam Canonistarum asserentium, Parochum posse dare hanc licentiam, quam sequitur etiam Nauarr. notab. 31. numero 13. Ipse verò tenet oppositum, quod mihi omninò verum videtur. Omissis autem eius rationibus, illa mihi videtur propria, quòd hæc licentia est virtualis quædam delegatio, vt suprà etiam probaui: & ideò solus ille potest hanc licentiam dare, qui potest hâc iurisdictionẽ delegare. Potestque à simili cõfirmari de licentia eligendi confessorem: nam soluș ille potest eam dare, qui iurisdictionẽ delegare potest.

Gloss. Et hæc fuit etiam sententia Glossæ in dict. c. *Quod autem*, estque etiam apud Theologos communior.

## DISPVTATIO LVI.

### *De forma in concedentis indulgentiis seruanda.*

HÆc est vltima indulgentiarum causa, de qua in primis considerandũ est, quę, & qualis necessaria sit, vel sufficiat. Deinde verò, quia talis forma verbis, vel æquiualentibus signis exprimitur, nõ ad significandum tantùm, sed etiam ad agendum, ideò duo alia circa formam hanc contemplanda erunt, scilicet quomodo significatio eius interpretanda sit, & quanta sit eius efficacia.

## SECTIO I.

### *Vtrùm ad indulgentiam concedendã, seu efficiẽdã necessaria sit aliqua forma, eáq; determinata.*

1 Rationes dub.

RAtio dubitandi esse potest quia Auctores communiter solùm numerãt tria ad indulgẽtiam necessaria, potestatẽ in concedente, dispositionem in recipiẽte, & pietatem in causa finali: nam, licèt Altisiodor. Hostiens. & alij alias conditiones requirant; illæ reuera necessariæ non sunt, & prout ab ipsi ponũtur, etiã ad dispositionẽ recipiẽtis pertinẽt, non verò ad formã. Signũ ergo est nullã formã esse in hoc negotio necessariam: quia nullam de illa mẽtionem faciunt. Vnde fit, multominus esse necessariam certam formam, præsertim quia indulgentia non est sacramentum, vt determinatam formam requirat, id enim sacramentorum est proprium. Quod patet à simili: nã absolutio à censura, vel excommunicatione non requirit certam formam verborum, quia sacramentalis non est: ergo eadem ratione, neque ad indulgentiam requiretur. In contrarium verò est, quia indulgentia est absolutio quædam quæ fit inter homines: huiusmodi autem absolutio fieri non potest sine aliqua sensibili significatione: ergo nec potest fieri sine aliqua forma. Patet consequentia, quia per formam solum intelligitur signum illud, quo vtitur indulgentiæ auctor ad concedendam illam, seu ad effectum eius præstandum. Vnde videtur vlteriùs fieri, talem formã debere esse determinatã, quia effectus indulgentię esse debet definitus ac certus: ergo, & signũ eius debet esse determinatũ, quia debet esse illi proportionatũ.

2 Forma indulgentiæ duplex.

Aduertendum est, duplicem posse à nobis distingui formam concedendi indulgentias, vnam continentem indulgentiam ferendam, aliam latam, ad eum modum, quo in excommunicatione distingui solet. Quòd enim hi duo modi etiam in indulgenta inueniantur, manifestum est: nam aliquando concedit Papa, verbi gratia, alicui, vt cùm venerit ad articulum mortis, possit à confessore absolui, non solùm à culpa, sed etiam ab omni pœna: & tunc ex vi illius concessionis ipse immediatè non absoluit, sed concedit alteri, vt absoluere possit, vt ex ipsa forma concessionis manifestum est: ergo rectè dicitur talis indulgentia ferenda. Potest autem obiter notari differentia inter indulgentiam, & excommunicationem ferendam, quòd per talem excommunicationem per se, & ex vi illius non delegatur potestas ad excommunicationem ferendam, sed solùm transgressor præcepti fit reus excommunicationis, quam ille debet imponere, qui aliàs habet ius excommunicandi, seu exequendi talem legem. Quòd si aliquando contingat per huiusmodi legem designari personam, quæ talem possit excommunicationem ferre, illud est accidentarium, & solùm per quandam concomitantiam: nam excommunicatio ferenda ex vi sua hoc non requirit, sed id tantùm quod diximus. At verò indulgentia ferenda intrinsecè habet delegare potestatem ad concedendam indulgentiam: nam hæc potestas regulariter non est ordinaria in cæteris, vnde non inuenitur in his, per quos præstanda conceditur, nisi per ipsammet concessionem detur, vt patet in exemplo proximè posito: nam confessor ordinarius ex se, non habet potestatem concedendi plenam indulgentiam: ergo necesse est, vt accipiat illam per tale priuilegium, siue illud directè detur ipsi confessori ad talem remissionem faciendam, siue proximè detur pœnitenti, eumque constituat, quasi proximè capacem & idoneum talis absolutionis: nam cùm dicat relationem quandam ad concedentem, vt efficax sit priuilegium, necesse est vt potestatem alteri concedat.

Discrimen inter indulgentiam, & censurã ferendam.

3 Discrimen inter indulgentiã latam & ferẽdam.

Aliquando verò concedit Põtifex indulgentiã plenariam alicui eo ipso, quòd in gratia, & omnibus culpis remissis moriatur: & hæc est indulgentia ipso iure, seu facto lata: quia eo ipso, quòd homo in eo statu moriatur, ex vi illius absoluitur à tota pœna. In quo principaliter differt hæc concessio à præcedẽte: nã in illa, præter primariã concessionẽ Põtificis, necessarius est actus alterius hominis, vt effectus fiat: in hac verò nullã alterius actionẽ interuenire oportet, sed posita conditione, ipse Põtifex immediatè absoluit. Cuius ratio est: quia verba talis cõcessionis non postulãt alterius actũ: nec potestas Pontificis, quantũ est ex se, illum requirit: nam per seipsum potest quem voluerit absoluere, quantumuis distantem loco, imò etiã tempore, vt ex dicendis Disp. seq. constabit, ac deniq; verba cõcessionis significant Pontificẽ vti hac potestate: ergo id efficiũt, nihil enim deest ad eorũ efficacitatẽ. Vnde potest etiã aliud discrimen considerari: nam in exemplo adducto, si alicui conceditur, vt possit absolui in articulo mortis, necesse est intelligi de articulo, in quo moraliter imminet mors, quanuis re vera non sequatur, vt rectè notauit Felinus tract. de Indulgent.

Anton. Cordub.

gent.n.16.ex Antonino 1.p.tit.10.c.3.nam absolutio in tali articulo data valida est, etamsi non sequatur mors. Et ideò dicitur talis indulgentia dari pro articulo mortis præsumpto. Significat autem Corduba q. 39. punct.2.in principio, hunc articulum non existere, donec probabiliter appareat infirmum velle expirare, quando iam ei non supereſt facultas peccandi. Sed hoc non videtur ab ipso affirmari, vt necessariũ, sed per modum consilij, quando indulgentia semel tantùm obtineri potest. Vnde rationem subdit, quia si posteà peccet, non poterit veniam pœnæ illius peccati obtineri. Neutro autem modo mihi hoc placet. Itaque censeo eundem articulum, qui sufficit ad obtinendam absolutionem à quocunque sacerdote, vel à casibus reseruatis, sufficere etiam ad talem indulgentiam: nam hæc est iuridica, & vsitata significatio illius vocis. Deinde censeo consultius esse non expectare mortem iam instantem, siue illa indulgẽtia possit iterum obtineri, vt si indultum illam sæpiùs permittat, siue non, quia semel tantùm: nam etiam in hoc casu potiùs est vitandum periculum moriendi sine tali indulgentia, quàm timendum illud incommodum moriendi cum aliquo leui reatu posteà contracto. At verò indulgentia posteriori modo concessa non datur, nisi pro vero articulo, seu puncto mortis, neque obtinetur, donec homo reuerà moriatur, ideóque nunquã in ea ponitur, *semel*, vel *sæpius*, quia clarum est semel tantùm posse comparari: quia conditio, sub qua conceditur, non impletur nisi interueniente morte. An verò effectus detur in primo instanti, in quo iã anima est separata à corpore, vel dum adhuc est in corpore, nunc parũ refert, & in superioribus sufficienter tactũ est. Nec verò negamus posse Pontificem, & priorem potestatem sub ea conditione concedere, vt non habeat effectum donec mors reuerà sequatur, & posteriorem indulgentiam latam dare etiam pro articulo mortis præsumpto, quia neutrum repugnat: sed dicimus ex vi ordinariæ concessionis non ita fieri, sed in priori sensu, quia illum præ se ferunt verba, & est magis consentaneus vtrique concessioni.

4 Quælibet harũ indulgentiarũ requirit diuersam, & sibi accõmodatam formã.

Ex his ergo satis constat vtrumque indulgentiæ genus requirere aliquam formam verborũ, vel æquialentium signorum, quæ iuxta illos diuersos modos concedendi indulgentias diuersa etiam sit: vnde etiã sequitur vtramque debere esse aliquo modo determinatam. Probatur, quia hę duæ indulgentiæ distinctum effectum proximum habent: nam vna immediatè dat potestatem, actum verò, seu remissionem pœnæ mediatè & remotè, vt de indulgentia concedenda declarauimus: alia verò immediatè dat ipsam remissionem. Hæc autem diuersitas non solùm prouenit ex sola potestate largientis, quia indifferens est ad vtrumque, nec ex sola voluntate, quia interior voluntas inter homines nihil operatur, nisi verbis, aut aliquo signo exprimatur: ergo prouenit ex diuersitate formæ, per quam talis indulgentia conceditur: ergo aliqua forma huiusmodi est necessaria ad indulgentiæ concessionem; nam quod est necessarium ad distinctionem rei, est etiam aliquo modo necessarium ad constitutionem: ergo etiam est necessarium, formam esse aliquo modo determinatam, quia distinctio non potest esse inter formas, nisi vnaquæque earum in sua ratione, & specie determinata sit. Dico autem, *aliquo modo*, quia non oportet, vt in certis ac determinatis verbis consistat; imò nec vt verbis fiat, sufficiunt enim literæ, vel si quæ alia esse possunt sufficientia signa, vt rectè probat posterior ratio dubitandi primo loco posita: sed ea determinatio necessaria est, quæ ad explicandum modum indulgentiæ, & effectum eius sufficiat, sicut est necessaria in forma censuræ, vel absolutionis eius, vt latiùs in illa materia explicaturi sumus. Neque

Priori rationi dubitãdi fit satis.

auctores de necessitate huius formæ dubitarunt, aut illam tacuerunt: nam de illa loquuntur cùm dicunt, *tantum valere indulgentiam, quantum sonat*. Tres ergo conditiones suprà positas requirunt ad indulgentiam quasi in potẽtia proxima: formam verò in ipsa actuali indulgentia includunt, vel sub agente causa comprehendunt, quia est veluti actio eius, vt in superioribus diximus. Atque ita satisfactum est prioribus rationibus dubitandi in principio positis, posteriores autem admittimus, confirmant enim doctrinam positam, & nihil aliud probant. Nonnulla verò supereſt difficultas, an in omni casu necessaria sit forma sensibilis: nam in aliquibus videri potest non necessaria, sed de his casibus: dicemus meliùs explicando vtrunque membrum diuisionis positæ.

## *De forma per quam aliquis exequitur potestatem sibi concessam ad ferendam indulgentiam.*

EX dictis ergo de priori forma indulgentiæ per alium concedendæ, sequitur, ad effectionem seu consummationem talis indulgentiæ necessariam esse nouam formam præter priorem concessionem, seu priuilegium illius. Patet, quia per illam concessionem data fuit potestas, non verò fuit facta ipsa indulgentia: sed hæc fieri posteà debet ab illa potestate: ergo necessaria est noua forma per quam fiat, quia, vt dictum est, non fit per solam interiorem voluntatem.

5 Ad hãc indulgentiam requiritur noua forma præter priorem concessionem.

Quòd si de hac forma quæratur, quænam futura sit: resp. õdetur esse eiusdẽ rationis cum illa, qua solet indulgẽtia concedi actualiter, seu ipso facto. Solùm potest notari differentia saltem in ordinaria forma indulgentiarum, quia cùm indulgentia immediatè conceditur ab ipso primo dispensatore, seu ordinario iudice, forma cõcessionis est conditionata, *Si hoc vel illud feceris, remitto*, seu *consequaris, obtineas, &c.* impleta verò conditione transit in absolutam, & obtinet effectum. At verò quando priùs fuit cõcessa facultas obtinẽdi indulgentiã ab aliquo in tali vel tali articulo, & posteà in executione datur indulgentia, supponitur iam impleta conditio, & ideò forma debet esse absoluta, *concedo tibi tot annos indulgentiæ*, vel quid simile, iuxta priuilegij tenorem. Solent tamen in Bullis longissimæ formæ apponi ad has indulgentias concedẽdas: sed, vt omnes Doctores aduertunt, non est necessarium omnes illas proferre, nec ordinariè à Pontifice ponuntur, sed à commissariis, qui Bullas transcribunt magis ad instructionem, & compendiosam narrationem omnium gratiarum, quàm ad vsum absolutionis. Ad hunc ergo sufficiunt prædicta verba, vel similia, quia non habet talis forma aliam determinationem in verbis, sicut de aliis dictum est. Vnde quod Antonin. suprà & Sylu. q.5.p.5. & Felin. n.15. aiunt, absoluentem debere vti verbis indulti, scilicet, *Auctoritate Sedis Apostolicæ mihi commissa concedo tibi talem, vel talem remissionem*, non est ita intelligendum, vt hoc totum necessarium sit. Nam quòd id fiat auctoritate Sedis Apostolicæ, supponendum potiùs est, quàm in forma declarandum, etiam si conuenienter dici possit. Quòd vero Flor. ait addendam esse limitationem, absoluo te à peccatis, exceptis his, quæ confidentia huius indulti commisisti, necessarium non est, imò potest nocere, si indultum id non habet, & si habet, non est necessarium, nec prodest: & idem est de omnibus verbis similibus, vt rectè Sylues. & Cordub. q.38.

Qualis futura sit forma illa.

Anton. Sylues. Felin.

Dubitari verò potest, an sufficiat proferre formam per verba quæ indicent remissionem, vel absolutionem, non explicando speciem, vel quantitatem indulgentiæ, imò neque addendo aliquid, quod declaret esse remissionem pœnæ, potiùs quàm culpæ, aut extra sacramentum potiùs quàm in illorum verò necessariũ sit omnem hanc determinationem addere. Videri

6 An sit necessariũ, vt hæc forma quantitatem, vel materiã remissionis indicet.

enim potest hoc posterius necessarium, quoniam
aliàs non satis significatur effectus per indulgen-
tiam intentus, quod videtur necessarium. Vnde dicti
Auctores aiunt, a soluentem debere vti verbis indul-
ti, quia per illam formã debet minister delegatus exe-
qui mandatum, qua delegãs vsus est: vnde saltem ne-
cessarium erit, vt per relationẽ ad indultũ determinet
suam formam, vt v.g. *concedo tibi indulgentiam iuxta*
*tale indultum*, vel quid simile. Ego verò existimo nihil
horum esse simpliciter necessariũ, sed sufficere quod-
cunque verbum significans remissionem de præsenti,
seu indicatiui modi huic personæ cõcessam, vt, *Remit-*
*to tibi*, vel, *absoluo te, &c*, hoc enim pronomen, vel ali-
quid æquiualẽs semper necessarium est, quia sine illo
non habetur completa significatio, neque practica,
quæ debet esse circa singularia, vt circa formam Ba-
ptismi, & pœnitentiæ diximus, & dicemus etiam in
materia de Censuris. Aliã verò determinationẽ quan-
titatis, seu materiæ remissionis, nõ opinor esse neces-
sariam in ipsamet forma, sed sufficere intentionem
cum cæteris circunstantiis externis, quæ semper oc-
currunt. Vnde in exemplo superiùs posito de indulto
obtinendi indulgentiam plenariam à confessore in
articulo mortis, existimo hæc sola verba, *Ego te abso-*
*luo*, sub duplici intentione faciendi sacramentum, &
concedendi indulgẽtiam prolata, ad vtrumque suffi-
cere: quia sicut verbum *absoluo*, de se est indifferens
ad peccata, & ad indulgentiam, & ad alia: sup-
posita verò confessione sacramentali, ex intentio-
ne sacerdotis sufficienter determinatur ad peccata,
etiamsi in ipsa forma non exprimantur; ita, suppositã
petitione pœnitentis postulantis absolutionem, iuxta
suum indultum ex intentione etiam sufficiẽter deter-
minatur ad concedendam indulgentiam in tali, vel
tanta quãtitate. Et cõfirmatur, nam hæc eadem verba
in proportionali casu possunt sufficere ad absoluen-
dum à culpa & à censura, vt infrà in materia de Cen-
suris dicam, propter similem causam: idem ergo erit
in præsenti. Eò vel maximè, quòd nulla est ratio, quæ
probet oportere, vt absoluẽs suis verbis exprimat to-
tum effectum & modum indulgentiæ, satis ergo est,
vt pœnitẽs practicè & humano modo intelligat vo-
luntatem, & actionem absoluentis. Vnde, si pœnitens
interroget à confessore, *Concedis mihi indulgentiam ex*
*vi huius indulti*: & confessor vno verbo, vel signo an-
nuat ex intentione faciendi, sine dubio satis est: quia
in omni actu iurisdictionis, qui non requirit præscri-
ptam formam verborum, hoc sufficit, vt latiùs dice-
mus in materia de Censuris.

7 Non est necesse vt is, cui indulgẽtia conceditur, sciat sibi concedi.

Vnde vlteriùs infero, nõ esse necessarium, vt is, cui
talis indulgentia conceditur, percipiat & intelligat
sibi concedi, quia neque hoc est necessarium ad effi-
cacem actum absolutionis, absoluitur enim à pecca-
tis, & à censura etiam is, qui nihil intelligit; ita ergo
absolui potest, etiam quoad indulgentiã, satisque est
quòd verba, vel signa de se sufficienter significent. Est
tamen differentia inter absolutionem sacramenti, &
indulgentiæ, quòd ad priorẽ, vt dari possit ei, qui nõ
sentit, nec percipit, necesse est vt præcedat petitio ab-
solutionis ex parte pœnitẽtis, quia necesse est, vt præ-
cedat aliqua accusatio & confessio, quia forma sacra-
menti non potest validè proferri sine materia. At ve-
rò ad absolutionem indulgentiæ, in tali casu, non est
necessarium vt præcedat petitio, quia ad hunc actum
nõ requiritur determinata materia, sed satis est, quòd
quacunque ratione constet hunc hominem habere
indultum ad talem indulgentiam, & esse capacem,
seu dispositum ad illam, haberéque volũtatem saltem
virtualem illius, vt v.g. si quis repentè omnem sẽsum
& rationem amittat, constituaturque in mortis arti-
culo, nullúmque signum cõfessionis, vel contritionis
in ordine ad confessionem dederit, quãuis non possit
sacramentaliter absolui, si tamẽ habeat indultum in-
dulgentiæ, & aliquibus coniecturis constet illum esse
in statu gratiæ, poterit ei indulgentia concedi à mi-
nistro in indulgentia designato. Quod sentiũt Anton. Anton. Felin.
& Felin. suprà: & mihi placet, quia id satis est, vt ille
censeatur esse capax indulgentiæ, & habere virtualem
voluntatem eius. Item, quia si fortasse in illo homine
desit talis capacitas, aut voluntas, & ob eam rem nihil
fiat, non sequitur cõmitti aliquòd sacrilegium, aut ir-
reuerentiam circa aliquam rem sacram, tum quia hîc
non fit aliquod sacramentum, tum etiam, quia potest
concipi conditionata intentio: aliunde verò, si cõtin-
gat validam esse absolutionem, est res magni momẽ-
ti. Dices, ergo tunc sufficiet interior actus sacerdotis
volentis tantam pœnam remittere, quantam indul- Obiect.
tum concedit. Patet sequela, quia hoc non est sacra-
mentum, vt propterea requiratur signum sensibile, &
alioqui videtur impertinens, quia recipiens non po-
test percipere illud, & propter aliud necessarium non
est. Respondetur, in eo casu negandam esse sequelam Solutio.
(nam de alio inferiùs dicam) Et ratio est, quia in hoc
nond ebet attendi quod est per accidens ex indispo-
sitione subiecti, sed quod per se necessarium est ad sen-
tentiam, seu absolutionem inter homines datam, hæc
enim non fit cum solo actu interno sine externo si-
gno: vnde, cùm per priuilegium conceditur alicui, vt
possit absolui, semper est sermo de absolutione sensi-
bili, & externa.

8 Confessor etiam nihil sciens de indulto pœnitentis, potest concedere indulgentiã per sacramẽtalem absolutionem.

Vltimò infero, posse confessorem huiusmodi
indulgentiam concedere per verba absolutionis sa-
cramentalis, etiamsi nihil sciat de indulto pœni-
tentis, neque ipse pœnitens ex obliuione, vel inad-
uertentia indulgentiam petat, dummodò confessor
intendat absoluere non solùm à culpa, sed etiam à
pœna, quantùm potest quocunque titulo, id est, non
solùm per claues sacramentales, vt sic dicam, sed
etiam per quamcunque participationem clauium,
si fortasse illi communicata est. Hæc enim intentio
optima est, vt per se constat, & ex parte sua est suffi-
ciens ad effectũ indulgẽtiæ, nã conditionata intentio,
si conditio est de præsenti, vel de præterito, optima
est, & sufficiẽs etiam ad conficiendũ sacramentũ, sub-
sistente conditione. Aliunde verò etiã verba sufficiũt,
vt dixi, quia nulla est necessitas explicandi distinctè
in forma totum modum, & quantitatem remissionis,
sed satis est quòd ex se totũ id significare possit: ver-
bum autem absolutum absoluendi, seu remittendi
optimè significat totum id, quod proferens, seu iudi-
cans potest absoluere: aliunde verò ex parte recipien-
tis non deest sufficiẽs voluntas saltem virtualis, quia
sine dubio intendit consequi quantam remissionem
potest, imò etiam interpretatiua voluntas videtur ad
hoc sufficere, quam infallibiliter aliquis haberet, si
animaduerteret, aut interrogaretur: nam, si hæc intẽ-
tio sufficit aliquando ad recipiendum sacramentum
Extremæ Vnctionis, & effectum eius, cur non magis
sufficiet ad indulgentiam? Hæc autem interpretatiua
voluntas ideò in his casibus sufficit, quia semper sup-
ponit aliquam virtualem voluntatem: & ideò ad tol-
lendum omne dubium, est optimum consilium, tam
in hoc opere, quàm in aliis bonis, habere intentionẽ
lucrandi quidquid possim, siue per viam indulgentiæ,
siue quocunque alio modo, sic enim sæpe fiet vt ali-
quis lucretur indulgẽtiam, quam sibi esse concessam
ignorat, aut non aduertit.

## *De forma delegationis huius potestatis.*

9 Sufficiántne generalia verba ad hãc delegationẽ.

ATQVE hæc videntur sufficere de forma, per
quam quis exequitur potestatem sibi delegatã.
Circa formam autem ipsius delegationis alia occur-
runt

runt explicanda. Primum est, an oporteat talem concessionem fieri per specialia verba, vel sufficiant generalia, v. g. *Concedo tibi facultatem meam ad remittenda peccata.* Dicendum est enim, duobus modis posse esse generalia verba: primò, quia communia sunt tam indulgentiis, quàm absolutioni sacramentali, vt sunt prædicta verba, per quæ conceditur potestas absoluendi, seu remittendi peccata: & de his censeo non sufficere, vt intelligatur concessa potestas concedendi indulgentias. Huius rei argumentum sumere possumus ex verbis Christi, *Quorum remiseritis peccata*: nam ex vi illorum non datur potestas concedendi indulgentias, vt dictum est: Neque fiat obiectio ex illis, *Quæcunque solueris, &c.* non enim est similis ratio: & tum quia distributio illa, *Quæcunque*, magis absoluta est, pluráque comprehendit: tum etiam quia illa verba coniungenda sunt cum præcedentibus, *Tibi dabo claues*, per quæ optimè declarantur, maximè adiunctis aliis verbis dictis Petro in complementum illius promissionis, vt in superioribus dictũ est. Ratio verò in præsenti propria sumenda est ex illo principio iuris, quòd *sub concessione generali non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus*, cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. cap. 3. de Offic. Vicarij in Sexto. Huiusmodi autem censetur esse concessio indulgentiarum, quandiu expressè non declaratur. Et hic est communis sensus pastorum Ecclesiæ. Est etiam aliud iuris principium, quòd *in generali confessione iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ non venit libera donatio, nisi exprimatur*, vt sumitur ex dict. cap. 3. de Offic. Vicarij in Sexto, indulgentia verò habet rationem cuiusdam liberæ donationis. Quocirca, si alicui concedatur priuilegium eligendi confessorem, qui possit illum absoluere ab omnibus reatibus suis, non propterea ei conceditur vt possit ei donari aliqua indulgentia, nisi aliqua verba addantur, quæ hoc requirant: huiusmodi autem esse solent in indulto Pontificio hæc, *qui possit absoluere à culpa, & pœna*, vel æquialentia, quia illa essent superflua, nihilque operarentur, nisi aliquam indulgentiam concederent. Idémque aliqui existimant, si concedatur priuilegium eligendi confessorem in articulo mortis, quia aliàs priuilegium nihil operaretur, quia propter solam absolutionem sacramentalem sine priuilegio eligi potest in illo articulo. Sed hoc non ita est, nisi aliquid ampliùs addatur, tum quia potest illud priuilegium operari absolutam concessionem casuum reseruatorum, quanquàm, neque hoc operetur nisi exprimatur, iuxta c. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. tum etiam, quia potest operari illud ipsum quod verba sonant, scilicet, dare facultatem ad eligẽdum sacerdotem alienum, omisso proprio, etiamsi commodè haberi possit: hoc enim non est concessum, etiam in articulo mortis, absque priuilegio, vt suprà visum est.

Verba communia indulgentiis, & absolutionis sacramẽt. nõ sufficere.

10 Generalis tamen concessio intra latitudinem indulgentiæ sufficit.

Alio modo potest esse generalis hæc concessio intra latitudinem indulgentiarum, & tunc non est dubium, quin hoc sufficiat ad delegandam huiusmodi facultatem: quia hoc sufficienter exprimitur in tali forma. Quæri verò potest, qualis & quãta potestas ex vi illius formæ concedatur: & maximè est dubium quando locutio est indefinita, vt *concedo tibi facultatem indulgentias largiendi*, vel aliquid simile: nam, si addatur signum distributiuum, *Quascunque indulgentias*, videtur tolli ambiguitas, quia ex vi talis formæ iudex concedere videtur totam suam potestatem, cõcedit enim quascunque indulgentias, scilicet, quas ipse potest concedere, quia neque aliquid excludit, neque quippiam aliquid includere potest. At verò in locutione indefinita res est magis ambigua. Videtur tamen idem esse dicendum, tum quia in huiusmodi locutionibus, quæ aliunde non possunt certam determinationem accipere, indefinita æquiualet vniuersali: hîc autem nulla potest fieri determinatio, quia non est maior ratio de vna quantitate, quàm de alia: tum etiam, quia aliàs talis concessio esset nullius momenti, quia non posset ad praxim vel vsum reduci, cùm semper in re ipsa certa indulgentia concedenda sit, & ex vi talis indulti non constet quænam possit concedi. Distinctione tamen vtendum videtur: nam in Episcopis videntur probabiliter hæc omnia dici, quia indulgentias, quas ipsi possunt concedere, sunt valdè limitatas, & ideò absolutè concedendo facultatem dandi quascunque indulgentias, vel etiam indefinitè indulgentiæ, videntur simpliciter totam suam facultatem concedere: quia neque est aliqua probabilis ratio, vel modus limitandi illam concessionem, vt ratio facta probat, neque etiam est moralis necessitas, eò quòd talis facultas ex se satis limitata sit. Solùm potest aduerti, si non dicatur, *Indulgentias*, in plurali, sed indefinitè, & in singulari, *Concedo tibi potestatem dandi indulgentiam*, ex vi verborum solùm concedi potestatem semel tantùm concedendi indulgentiam, aut loco, aut personæ de qua est sermo. Quantitatem verò indulgentiæ esse totam, quam Episcopus potest concedere, cum proportione ad occasionem, cuius gratia conceditur. Nam, si Episcopus Vicario committat, vt in die dedicationis Ecclesiæ largiatur indulgentiam, sine dubio intelligendum est de indulgentia vnius anni, quia illa tunc est indulgentia Episcopalis, quam concedere intendit. Extra illam verò occasionem tantùm quadragena intelligenda erit, propter rationem similem. An verò singulare illud aliquando accipiatur pro plurali, seu pro vniuersali, ex aliis verbis & circunstantiis constare oportebit, alioqui proprietati vocis standum erit, cùm ex se optimam habeat determinationem.

Quid de Episcopi concessione.

Qualis & quãta potestas detur ex vi indefinitæ concessionis.

In summo autem Pontifice, habet specialem difficultatẽ illa forma, quia eius potestas est amplissima, ideóque esset valdè indiscreta concessio, si tota & sine limitatione delegaretur, maximè per sola generalia verba: non est ergo præsumendum Pontificem in eo sensu talem indulgẽtiam facere. Potestque hîc applicari illud principium, in generali clausula non comprehendi ea, quæ non esset aliquis in specie verisimiliter concessurus: & ideò non solùm per indefinitam locutionem, sed etiam per distributiuam generalem, non videtur Papa concedere totam suam facultatem. Igitur in primis censeo in huiusmodi clausula generali nunquàm includi potestatem concedendi indulgẽtiam pro defunctis, nisi id exprimatur specialiter. Ratio est, quia hæc potestas est valdè propria summi Pontificis, quam iure ordinario alteri non concedit: ergo non est verisimile comprehendi in clausula generali. Item, quia declaratum est, indulgẽtias simpliciter concessas, nunquàm extendi ad defunctos, nisi Papa id exprimat, vt suprà visum est: ergo eadem ratione indultum dans facultatem indulgentiarum, nunquàm intelligitur dare indulgentiam pro defunctis, nisi id exprimat. Deinde censeo, potestatem concedendi indulgentiam plenariam non cõprehendi in clausula indulti generalis, nisi in specie proferatur. Quod ita declaratum est in quadam regula Cancellariæ, quoad indulgentias, quæ ipso facto conceduntur, est autem eadem ratio de concessione potestatis, propter eandem causam, quia indulgentia est res grauissima, & propriissima summi Pontificis, quæ olim rarissimè concedebatur: ergo non est verisimile, nunc tam facilè concedi illam potestatem, sine ampliori declaratione. Vnde tandem concludo huiusmodi generalem facultatem, secundùm aliquod esse interpretandam, quia generalis clausula priuilegij, quando iuxta aliquam formam iuris intelligi potest,

11 Quid operetur generalis cõcessio à sumo Põtifice data.

Non se extendit ad defunctos.

Neque ad indulgẽtiam plenariam.

ita interpretanda est, præsertim si in absoluta intelligentia excessus aliquis, vel absurditas inueniatur: ita verò est in præsenti, quia huiusmodi generali concessione dari potest ea facultas, quam ordinarij pastores sub pontifice habent: ergo hæc est iuridica interpretatio. Sicut in superioribus dicebamus, quando Pontifex concedit alicui, absolutam potestatem audiendi confessiones, & absoluendi, non censeri maiorem iurisdictionem concedere, quàm Parochi ordinarij habeant. Hæc ergo interpretatio videtur vera, stando in rigore verborum, etiamsi dicatur, *Quascunque indulgentias*: nam illa distributio, & optimè limitatur ad indulgentias iure ordinario aliis concessas, & referri etiam potest ad numerum, seu multitudinem concessionum, non ad quantitatem indulgentiæ. Secus verò erit, si Papa declaret se concedere omnem suam potestatem, quia tunc satis in specie declarat potestatem quam concedit, ideóque non possunt illa censeri tantùm generalia verba. Denique, si plenariam indulgentiam largiri concedat, consequenter concedit quamcunque minorem, quia pars sub toto comprehenditur.

A

B

## *De forma indulgentiæ ipso facto latæ.*

12 CIRCA indulgentiam, quæ ipso facto conceditur, & formam eius, aduertendum primò est, Auctores interdum dicere, hanc indulgentiam non requirere verborum formam, quia ipso facto comparatur, vt videre licet in Antonino & aliis suprà citatis. Sensus tamen illorum est, non requiri nouam formã absolutionis, quæ ab aliquo postea proferatur, non potest tamen negari, quin ipsamet concessio talis indulgentiæ sit quædam absolutio, vel thesauri dispensatio: illa ergo est ipsa forma talis indulgentiæ, quæ tamen, quia conditionata est, non statim operatur, donec impleatur conditio. Tum autem operatur iuxta verborum exigentiam; & ideò illorum proprietas, & significatio valdè obseruanda est: & præcipuè vsus, & stylus Curiæ, à quo hæc respendet, & solet interdum variari, vt notãt Palud. 4. d. 20. q. 4. ar. 3. q. circa 2. Cordub. lib. 5. q. 9. in fine. Neque verò repugnat huiusmodi absolutionem dari sub conditione de futuro, quia non est absolutio sacramentalis, quæ debeat statim sacramentum constituere, & integram ac efficacem habere significationem. Neque etiam ex alio capite illi repugnat modus ille concessionis sub conditione. Solùm video obiici posse 50. regulam Iuris in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt*. Sed illa regula non est ita vniuersè intelligenda de omni actu legitimo, id est, rationabiliter, & secundùm legem facto, nam manifestum est, plures actus hoc modo legitimos posse fieri sub conditione: sed intelligẽda est de quibusdam actibus, qui secundùm naturam suam, vel secundùm specialem legum institutionem, absolutum, &, quantùm est ex se perpetuum effectũ habere debent, quorũ varia exẽpla ibi Glossa ponit, & latiùs Iuristæ ff. de Reg. iur. in l. *Actus legitimi*, & infrà agentes de absolutione à censuris, hoc iterum attingemus.

Paludan. Cordub.

C

D

E

13 Circa necessitatem verò huius formæ sensibilis, occurrebat hoc loco difficultas, quia nulla videtur esse sufficiens ratio huius necessitatis. Nam, si consideretur indulgentia; quæ per modum suffragij conceditur, videtur posse offerri & applicari per solam intentionem, & voluntatem interiorem eius, qui potestatem habet dispensandi Thesaurum: sicut priuata suffragia sufficienter offeruntur pro aliis per solos actus internos. Ratio enim in vtroque casu eadem est, nimirum, quia non oportet vt is, pro quo offertur suffragium, illud sciat; sed satis est, vt Deo innotescat oblatio, qui illam acceptaturus est. Si autem sit sermo de indulgẽtia per modum absolutionis, cùm illa sit quædam spiritualis remissio, quantùm est ex se, videtur sufficienter fieri per voluntatem internam. Signum autem sensibile hîc necessarium non est proprer aliquod sacramentum instituendum, vt per se constat; neque etiam vt aliis, vel ipsi etiam qui absoluitur, innotescat remissio, quia hoc per se necessarium non est, cùm sæpe fiat remissio pœnæ, etiam ex opere operato, sine tali cognitione, vt patet in sacrificio Missæ pro alio oblato. Igitur, licèt ordinariè hæc absolutio fiat per sensibilem & externam concessionem, quia fit sub conditione alicuius operis, quod debet notificari illi, qui indulgentiam consequuturus est: nihilominùs per se, & ex vi indulgentiæ, non videtur actus externus necessarius. Quæ difficultas maximè vrget in Pontifice, respectu suiipsius, supposito quòd possit sibi immediatè & in particulari indulgentiam concedere, vt suprà resoluimus: nam, vt sibi innotescat sua voluntas, nullo indiget sensibili signo.

Nihilominùs recedendum nõ est ab assertione posita: esset enim res noua, & præter communẽ sensum Theologorum, & extra vsum Ecclesiæ: in his autem supernaturalibus rebus non est facile aliquid huiusmodi asserendum, præsertim cùm pendeant ex institutione, & ex modo potestatis concessiæ, de quo nobis constare non potest, nisi Scriptura, vel traditione, aut doctrina Ecclesiæ. Iuxta quæ principia dicendum est, potestatem ligandi, & soluendi ita esse Petro datam, vt in vniuersum per sensibiles actus exercenda sit: nam sicut Ecclesia militans visibilis est, ita illi datum est caput visibile, quod proportionato modo influat in membra corporis, & ideò, licèt potestas illi data in se spiritualis sit, quia est ad effectus spirituales; tamen influere debet visibili, seu sensibili modo, ideóque nihil soluere, aut ligare potest, nisi medio aliquo signo sensibili. Vnde, sicut propter hanc causam non extenditur ad internos actus, nisi vt coniunctos aliquo modo exterioribus actibus, vel per illos manifestatos, ita & è conuerso nihil operari potest per actum merè interiorem, nisi in aliquem exteriorem prodeat. Denique, per se ac moraliter loquendo, hoc erat necessarium ad finem huius potestatis, & hoc satis est, vt potestas ea lege, & modo fuerit concessa. Sicut autem cessante fine legis in particulari, non cessat lex, quia id est per accidens, ita etiam in præsenti, licèt in aliquo particulari actu videatur cessare necessitas signi sensibilis sumpta ex aliquo fine particulari; nihilominùs non cessat necessitas institutionis & legis, sub qua data est talis potestas. Et hoc vno verbo difficultas cessat: nam si indulgentia est absolutio, debet esse non diuina tantùm, aut Angelica, sed humana, & Ecclesiastica, & non solùm in foro Dei, sed etiam in foro Ecclesiæ: & ideò, siue sit ad alios, siue etiam admittamus illã ad seipsum, dari debet humano & Ecclesiastico modo, atque adeò per sensibilia signa. Si verò indulgentia sit per modum suffragij, etiam requirit sensibilem actum, quia non est priuatum suffragium, sed auctoritate publica factum, ideóque requirit applicationem ex se publicam.

14

15 Indulto Indulgentiæ, possunt aliæ gratiæ variis modis concedi.

Posita ergo necessitate huius formæ, ad exactam eius intelligentiam est vlteriùs aduertendum: formam indulgentiæ interdum latè sumi pro toto indulto, in quo talis indulgentia, vel Iubilæus conceditur, quod sæpe includit alias gratias & fauores præter indulgẽtiam, quæ per se ac formaliter consistit in absolutione à pœna; & ideò oportet hæc distinguere, & attentè animaduertere quomodo alij fauores concedantur, id est, ad solùm concomitanter, vel in ordine ad indulgentiam. Nam cùm dantur priori modo, nihil omninò participant de indulgentia, quia nullam cõnexionem habent cum illa, nisi solùm materialem ratione eiusdem rescripti, vel tempori: quando verò

conce

conceduntur posteriori modo, tunc pendere possunt aliquo modo ab indulgentia, vel saltem à bona fide & animo lucrandi indulgentiam, vt in superioribus explicatum est, in concessione obtinendi absolutionẽ à casibus reseruatis: & huiusmodi possunt esse aliæ, quæ nõ posſũt hîc in particulari tractari, sed ponderãda & expendẽda sunt verba rescripti. Potest tamen hæc generalis regula, seu distinctio obseruari. Nam, si fauor conceditur ratione indulgentiæ iam obtentæ, & quacunque ratione impediatur, etiam absque culpa, aut mala fide, impeditur subsequens priuilegium, vt verbi gratia, si forma rescripti sit, *Quicunque talem indulgentiam consecutus fuerit, possit tempore interdicti in loco sacro sepeliri*, vel aliquid simile: quia tunc indulgentia ponitur tanquàm conditio requisita ad alium fauorem, satis autem erit illam consequi in foro Ecclesiæ, id est, fecisse diligentiam ab Ecclesia postulatam ad talem indulgentiam. At verò, si fauor antecedit indulgentiam, & propter illam cõceditur, vt est absolutio à casibus reseruatis, tunc sufficit bona fides, & intentio obtinendi indulgentiam, licèt fortasse posteà impediatur: quia prior effectus non potest pendere ex futuro euentu, vt patet in dicto exemplo de absolutione à casibus reseruatis. Aliquando verò contingere potest, vt tale priuilegiũ & indulgentia simul concurrant, etiamsi vnum propter aliud concedatur, vt v.g. si ad indulgentiam requiratur communio, & ratione illius statim detur, & ideò concedatur vt propter lucrandam indulgentiam liceat communicare in loco interdicto. Tunc autem aduertere oportet, an ad talem indulgentiam sufficiat communio, vel si aliquod opus necessarium sit, iam fuerit executioni mãdatũ: tũc enim maximè licet vti tali priuilegio, quia pro eo casu conceditur. At verò si erat aliud opus necessarium, vt ieiunium, v.g. vel quid simile, & prætermissum fuit, iam non licebit vti illo priuilegio, quia iam non potest indulgentia obtineri, neque bona fide intendi, secluſa ignorantia, quæ per accidens poterit excusare. Et per hæc possunt facilè multa similia iudicari.

Regula pro illis discernendis.

16 In forma indulgentiæ duo distinguenda.

Tandem circa ipsam propriam indulgentiæ formam, quia conditionata est (loquimur enim secundùm communem vsum) oportet duo distinguere, scilicet iniunctionem operis, & concessionem remissionis. Primum continetur in illis verbis, *Qui hoc vel illud fecerit &c.* secundum autem in illis, *Hoc vel illud consequatur*, vel aliis similibus: & in his posterioribus consistit propria, & quasi substantialis forma indulgentiæ. Priora verò magis spectant ad dispositionem, vel causam indulgentiæ, vel interdum ad faciendum tempus pro quo conceditur. In illis verò est attentè considerandum, an reuerà pertineant ad opus requisitum ad indulgentiam, vel potiùs ad limitandam indulgentiam: aliquando enim esse potest in hoc ambiguitas, & fit sensus valdè diuersus. Vt cùm in indulgentia continetur illa particula, *Contritis, & confessis*, potest referri ad personas, & sic pertinet ad causam & dispositionem necessariam ad indulgentiam: vel potest referri ad peccata, quorum pœna per indulgentiam remittitur, & sic spectat ad substãtiam formæ indulgẽtiæ, potéstque limitare illam iuxta rigorosam significationem illorum verborum, & multorum expositionem. Statim verò occurrebant hîc variæ quæstiones ad intelligẽtiam huius formæ quoad vtramque partem eius necessariam. Est enim certum, huiusmodi formam debere esse sufficienter determinatam, præsertim quoad posteriorem partem, seu quoad effectum indulgentiæ: nam, si in hoc esset forma indeterminata, nulla fieret concessio: vt si diceretur, *consequatur indulgentiam*, vel quid simile, quia effectus in re non potest concedi nisi determinatus:

Forma indulgẽtiæ debet esse determinata.

A ex vi autem illorum verborum nihil determinatum fieri potest: & ideò semper additur aliquid quo declaretur, talem indulgentiam, aut esse integram, aut alicuius certæ partis. Sunt autẽ in vsu varij termini quibus solet hæc determinatio fieri, de quibus dici hîc poterat: sed illa dubia tractata sunt suprà Disp. 1. de hac materia, & in sequenti sect. aliquid attingemus.

## SECTIO II.

### *Vtrùm indulgentiæ forma, stricto, vel fauorabili iure interpretanda sit.*

1

B CONTINGIT sæpe ambigua esse verba, quibus vel quantitas indulgentiæ determinatur, vel opus ad illam consequẽdam exigitur, vel priuilegium aliquod illius gratia conceditur: & ideò oportet generalẽ regulam statuere de modo interpretãdi talia verba, amplè, vel strictè, quoniã ad hæc duo mẽbra ferè tota ambiguitas reuocatur. Et ita ex illo principio ferè omnes quæstiones de his formis occurrẽtes definiendæ sunt. Est igitur multorũ sententia, indulgentiã interpretãdam esse secundùm strictum ius. Ita sumitur ex Innocẽtio, & Hostiẽs. in cap. *Licèt*, de Translat. Episcop. & Glossa in Regula Cancellariæ 56. quam refert, & sequitur Nauar. in comment. de Indulgentiis, notab. 9. num. 8. & 9. Tenet Palud. in 4. d. 20. quæst. 4. art. 3. & Bald. in sua Margarita, verb. *Indulgentia*, & in l. *Humanitatis*. C. de Impuberum. & aliis substitutionibus, quem refert Corduba addens etiã Angelum verb. *Indulgentia*, sed falsò.

Prima opinio. Innocent. Hostiens. Nauarr. Palud. Baldus. Corduba.

Fundamentum esse debet, quia, licèt indulgentia videatur fauor respectu eius, cui conceditur, tamen simpliciter est res odiosa, ideóque restringẽda. Quod in primis probatur ex vsu Ecclesiæ: nam hac de causa in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & remiss. facta est magna restrictio indulgentiarum: & additur ratio, *quia per nimias indulgentias pœnitentialis satisfactio eneruatur*, propter hanc ergo causam inter odia computãda est. Item hunc esse stylum Curiæ & mentem Pontificis, colligit Nauarrus ex variis regulis Cancellariæ. Nam indulgentia absolutè concessa alicui Ecclesiæ pro tali festo in singulis annis, restringitur ad viginti annos, D etiamsi simpliciter pro singulis annis concedatur, iuxta regulam 57. vel etiam ad duos, vel tres, aut quatuor annos, iuxta diuersas formulas respondẽdi Pontificum, iuxta reg. 59. & indulgentia concessa alicui loco, qui aliam habebat, nulla est, si in imputatione posterioris nulla facta est mentio prioris, regula 58. quæ omnia pertinent ad limitationem, & restrictionem. Ergo signum est, in praxi Ecclesiæ indulgẽtiam reputari rem odiosam & restringendam. Secundò, ostenditur ratione, quia omnis dispensatio in communi iure odiosa est, multóque magis si sit in iure diuino: sed indulgentia continet dispẽsationem in diuino iure, vt suprà probatum est: pertinet ergo ad materiã odiosam. Maior probatur à Nauarro ex cap. 1. & 2. de filiis præsbiter. in 6. quæ parum probant: qui in 2. nihil de hac re agitur: in primo verò nõ dispẽsario illegitimi ad habendum beneficium, sed pluralitas beneficiorum odiosa dicitur. Nihilominùs tamẽ ex natura rei propositio illa ostendi potest, quia partem discordare à toto in cõmuni obseruatione legis odiosũ est: sed hoc fit per dispensationem: ergo dispensatio ex se res odiosa est. Itẽ hac ratione si fiat sine causa legitima aut malè conceditur, aut etiã est irrita, saltẽ si attingat diuinũ ius. Denique per dispẽsationes relaxantur iura, & paulatim remittitur rigor disciplinæ, est ergo ex suo genere res odiosa. Quæ omnia maximè locũ habent in dispẽsatione indulgentiarũ, tum quia per eam

2

Regulæ Cancellariæ.

dispensatur æs alienum (vt sic dicam) ad soluendum alterius debitũ: tum etiã quia ex parte derogatur ius diuinũ, vt suprà declaratũ est, propter quod requiritur causa, & cũ tanto rigore, vt petatur proportionata. Tũ denique quia satisfactio pœnitẽtialis, & rigor disciplinæ Ecclesiasticæ facilè eneruari potest occasione indulgentiarũ, iuxta c. *Cum ex eo*, de Pœnit. & remiss.

3 Secunda opinio. Gloss. Sylvest. Angel. Cordub.

Nihilominùs est secunda sententia affirmans indulgẽtiam esse fauorabilem, ideóque ampliſſimo iure interpretandam. Ita sentit Glossa in Clem. vnic. de Reliq. & venerat. Sanct. verb. *Confess.* & tenet Sylvest. verb. *Indulgentia*, n. 8. in fin. & n. 20. & 22. & Ang. n. 2. & inclinat etiam Corduba q. 19. d. 1. contra 3. cõclusionem. Fundamentum est, quia indulgentia est beneficiũ Principis, & ideò latissimè interpretandũ, quãdo sine prejudicio tertij fieri potest, iuxta caput *Olim*, de verb. significatione, & l. vlt. ff. de Constitutionibus Principum, de quo vide tomum 1. commun. opinion. loc. 2. tit. 1. c. 3. in fin. & tit. 4. c. 1. Secundò, quia est opus charitatis & misericordiæ afferens commodũ ei cui conceditur, & reuerà nulli inferens nocumẽtum: quia Deo fit integra solutio, & licèt fiat ex satisfactionibus Christi; tamẽ non sine cõmissione & potestate ab ipso data, & thesaurus eius nõ propterea minuitur, quia semper manet infinitus: nec denique Ecclesia læditur: nam potiùs per hanc remissionẽ purior, & quodammodò Deo gratior in suis membris efficitur.

---

*Lubrica quæstionis resolutio, data distinctione, fit clara.*

4 RESOLVTIO huius quæstionis lubrica est, quia reuerà indulgẽtia medium quoddam tenere videtur inter odium & fauorem: nam directè spectata ex materia, & respectu personæ cui donatur, est fauor & liberalitas: sub alio verò respectu habet nescio quid odij, maximè propter periculum multiplicandi indiscretas indulgentias, & eneruandi satisfactiones pœnitentiales. Et ideò Doctores ambiguè loquũtur, vtrũque de indulgentiis affirmãdo, prout occasio vel materia, de qua disputãt, postulat, suæque opinioni magis congruere videtur. Mihi verò distinctione vtendũ occurrit, vt aliquid firmũ & cõstans dicere possimus. Aliud est enim, loqui de potestate cõcedẽdi indulgẽtias, aliud de actuali cõcessione illarũ.

5 Potestatem concedendi indulgentias strictè interpretandam esse.

Et dicendum est primò, potestatem concedẽdi indulgentias strictè esse interpretandam. Hoc mihi probant argumenta adducta pro priori opinione. Et declaratur ampliùs: nam si hæc potestas consideretur quatenus est in summo Pontifice, licèt eam fateamur esse ampliſſimam, quæ in suo genere esse potest, tamen eam semper restringimus, quantùm ratio iustitiæ commutatiuæ, & legalis postulat: & ideò dicimus non esse potestatem meri & mixti imperij, quæ nullis legibus subiecta sit, & pro solo arbitrio habentis illam operari possit; sed quæ requirat causam legitimam, etiam ad valorem sui actus, & c. Et hoc etiam optimè confirmat illa generalis ratio, quòd potestas dispensandi in iure diuino restringenda est quoad fieri possit, nec sine magna causa & euidenti necessitate sit admittenda, vt patet de potestate dispensandi in votis, iuramentis, & in aliquibus sacramentorum ritibus, vt in superioribus attigimus, & specialiter agẽtes de ministerio Cõfirmationis: ergo præsenti eodem proportionali modo iudicãdum est. Si verò consideremus hanc potestatem, prout est in Episcopis, sic manifestum est secundùm strictum ius, non solùm diuinum naturale, prout potestas summi Pontificis, sed etiam positiuum Ecclesiasticum esse regulandam: quia neque aliud, neque alio modo possunt, quàm iure illis permissum est. Denique, si hæc potestas consideretur, vt delegata, etiam stricto iure interpretanda est, quantùm spectat ad naturam ipsius potestatis. Quod à fortiori patet, quia si in ipso delegante est huiusmodi, multò magis in delegato. Quantùm ad delegationem autem ipsam, videri potest potiùs amplè interpretanda, iuxta ea quæ statim dicemus, quia est fauor & beneficium Principis. Tamen aliunde videtur strictè interpretanda etiam ipsa delegatio, tum quia nimia potestas, etiam in delegato, est aliquo modo odiosa, & onerosa ipsi Principi, & ideò, nisi clarissimè eam concedat, non videtur ab ipso intenta. Tum etiam, quia in præsenti materia delegatio huius potestatis parere solet abusus indiscretarum & superfluarum indulgentiarum, argumento dicti cap. *Cum ex eo*, & ideò in superioribus in aliquibus casibus delegationes has strictè interpretandas censuimus: & regulariter loquẽdo, ita esse faciendũ iudicamus, quãuis semper tenenda sit verborum proprietas, & non nimiùm scrupulosè in aliquod extremũ declinãdum.

6 Habentem hanc potestatem, moderatè ea debere vti.

Atque hinc consequenter infero, eum, qui habet hanc potestatem, moderatè debere illa vti, potiùs ad rigorem & strictum ius inclinando, quàm ad relaxationem. Hoc etiam mihi probant motiua prioris sententiæ, & cap. *Cum ex eo*, & alia decreta Pontificia sæpe citata, quæ postulãt magnam discretionem & cõsiderationem in concedendis indulgẽtiis. Suntque ad idem grauissima verba Concilij Tridentini decreto de Indulgentiis, sess. 25. in fin. Vbi post commẽdatam potestatem concedendi indulgentias, subdit, *In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem & probatam Ecclesiæ cõsuetudinem adhiberi cupit* (scilicet sancta synodus) *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur*. Denique vsus potestatis proportionatus esse debet naturæ & conditioni talis potestatis: hæc autem potestas talis est, vt limitanda potiùs sit, quàm extendenda: ergo etiam vsus eius natura sua postulat dictã animaduersionem. Potestque hoc explicari in 6. §. *Ille verò*, nã pluralitas beneficiorum, quia exhorbitãs est, & odiosa, ideò potestas dispensandi in illa strictè interpretanda est, iuxta cap. 1 §. *Ille verò*, de Filiis præsb. in 6. idémque à fortiori dicẽdum est de pot. state dispensandi in residentia Episcopi, vel Parochi, & similibus: ex quo rectè infertur, habentes huiusmodi potestatem, cum magna moderatione & circunspectione debere illa vti: sic ergo in præsenti sentiendum est. Vnde fit, aliquando posse peccare grauiter, qui talem potestatem habet, indiscretè illa vtendo, non solùm quando vltra potestatem facit, quod manifestum est: sed etiam inconsideratè plures indulgentias præter communẽ vtilitatem concedẽdo. Quod expressè docuit D. Thom. in 4. d. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. ad 1.

Conc. Trid.

Cap. 1. de Fil. presb. in 6.

D. Thom.

7 Denuncians indiscretas indulgentias aut illas extẽdens qualiter peccet.

Vnde à fortiori sequitur (vt hoc obiter dicamus) longè grauiùs peccare ministros seu denunciatores indulgentiarum, qui, cùm nullam habeãt potestatem concedendi indulgentias, non solùm indiscretè, sed etiam infideliter eas annunciant, vltra veritatem eas extendẽdo turpis lucri gratia: quod est graue sacrilegium, & pernicioſum mendacium. Et ideò religiosis specialiter prohibitum est in Clement. *Religiosi*, de priuileg. *ne indulgentias pronuncient indiscretas*, vbi glossa declarat, id est, non concessas, iuxta Clement. 2. de Pœnit. & remiss. vbi huiusmodi abusus iterum prohibetur, & remedia contra illos adhibentur; nulla tamen pœna ipso facto incurrenda propter hanc culpam imponitur, sed Episcopis & prælatis religiosorum respectiuè præcipitur, vt grauiter in huiusmodi quæstores, & deceptores animaduertant. Et quanuis in priori Clem. ad religiosos dicatur, *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis*,

*ctionis æternæ*: tamen illa verba non continẽt ipso facto aliquam censuram, sed ad summum comminantur ferendam, vt inferiùs in materia de Censuris latiùs dicemus. Non solùm autem falsæ indulgentiæ indiscretæ dicuntur, sed etiam dubiæ, vt Sylvest. Angel. & alij rectè adnotarunt, & ex vi ipsius vocis satis constat, & colligitur ex cap. *Cùm ex eo*, & Clement. 2. de Pœnit. & remiss. quatenus vetant aliquid huiusmodi populo proponere, *præter id quod in veris literis Apostolicis, vel diœcesanis continetur*, Vbi glossa rectè adiungit, *quia in talibus diligens inquisitio facienda est*. Addunt verò prædicti Auctores, eiusdem esse culpæ prædicare indulgentias, in quibus concedendis Superior indiscretè se gerit, suamque potestatem excellit, & Sylu. citat glossam dict. Clement. 1. de Priuilegiis. Sed reuerà non dicit: sunt tamen in ea sententia Cardinalis, & alij, quos Angelus refert. Videturque consentanea rationi, quia illud est cooperari peccato alterius, & in re ipsa est falsam indulgentiam prædicare. Hoc autem vltimum solùm habet locum quando concessio ipsa manifestè & sine vlla dubitatione iniusta, vel inualida est: alioqui in re dubia potest inferior deponere conscientiã suam, & pro actu Prælati præsumere.

Sylvest. Angel.

## *Concessionem indulgentiæ intra latitudinem potestatis concedentis latissimè interpretandam esse.*

2 VLtimo dicendum est, concessionem indulgẽtiæ, si de potestate constet, intra eius latitudinem amplissimè esse interpretandam, quantùm veritas & proprietas verborum patiatur. Hoc probant motiua posterioris sententiæ: explicatúrque in hunc modum (quod fortasse vsui esse poterit ad alia priuilegia explicanda) nam ad concedendam indulgentiam duo concurrunt ex parte dantis, potestas scilicet, & voluntas: quauis ergo potestas strictè interpretanda sit: voluntas nihilominùs, quantùm sub tali potestate valet, amplè est interpretanda, tum quia quatenus indulgentia à voluntate manat, sic habet rationem beneficij, fauoris, &c. sub quibus rationibus non est dubium quin ei debeatur ampliatio: tum etiam, quia habere potestatem non est in volũtate eius cui datur, sed eius qui illam dat: vsus autem talis potestatis pendet ex voluntate habentis illam, & in eo ostendit benignitatem & liberalitatem suam: ergo talis voluntas amplè interpretanda est. Itaque (vt resolutio clariùs intelligatur) quando incidit dubitatio de sensu alicuius indulgentiæ, aut dubitatio extenditur ad potestatem ipsam, quia nimirum in vno sensu indulgentia est certa, in alio verò aut inualida, aut dubia in valore, vel saltem in prudenti moderatione & concessione: & tunc est indulgentia strictè interpretanda. Aut dubitatio versatur solùm circa quantitatem, conditionem, aut durationem indulgentiæ, quæ in vtroque sensu & prudens & valida & certa esse potest; & tunc dicimus indulgentiam esse amplè interpretandam, quia iam non agimus de potestate, sed de voluntate, cui nullum ius repugnat, cùm vtroque modo commensuretur potestati etiam rectæ rationi regulatæ.

9 Fundamẽtis primæ sententiæ, quatenus contra proximam assertionem procedunt, satisfit.

Atque ita cessant fundamenta contrariæ sentẽtiæ, si contra hanc assertionem obiiciantur. Nam iura, quę videntur indulgentias restringere, de potestate maximè loquuntur, & ideò solùm probant illam esse restringendam, quia in obiecto eius aliquid odij includitur, & rari sunt, qui potestate accepta discretè vtantur. Exempla verò, quæ Nauar. inducit, potiùs probare possunt concessionem indulgentiæ in ordine, ad voluntatem concedentis amplè esse interpretandam. Nam, quia verba illa simpliciter prolata, perpetuitatem significare videbantur, & ita interpretanda fuissent, nisi vel specialiter vel generaliter fuisset eorum vsus limitatus; ideò necessarium fuit, illas generales regulas statuere, quibus positis, indulgentias illas strictè interpretamur, non quia generaliter indulgentiæ stricto iure interpretandæ sint, sed quia iam sunt ipso iure restrictæ: nunquàm enim tam ampla debet esse interpretatio, vt iuri repugnet; quia hoc repugnat voluntati Principis, quæ per ipsum ius declaratur. Propter quod etiam priuilegia, quatenus à iure communi exorbitant, strictè intelliguntur, iuxta textum cum Gloss. & Doctoribus in c. *Licèt*, extra, de Translat. Episcop. Et ob eãdem causam, ampliatio nunquàm debet esse tanta, vt excedat proprietatem verborum, quia hæc non esset interpretatio, sed additio. Ex quo, facilè etiam respondetur ad rationem, vel distinctionem datam ad dispensationem applicando, vel negando dispensationem ad odium pertinere: nam, licèt excessus seu abusus sit odiosus, tamen dispensatio ipsa, per se loquendo, maximè necessaria est, & simpliciter est fauor & beneficium. Incommoda verò dispensationum, quæ ibi numerantur, ex abusu sequuntur, non ex legitimis dispensationibus: idémque de indulgentiis dicimus. Quapropter cessant omnia, si ampla interpretatio intra limites à nobis positos contineatur.

Ex quo tandem infertur, cùm in forma indulgẽtiæ regulariter duo contineantur, impositio alicuius oneris, & concessio alicuius remissionis, priorem partem strictè interpretandam esse, posteriorem verò, largè. Hæc posterior pars, iam constat ex dictis. Ratio verò prioris, ex posteriori nascitur: nam limitatio oneris est amplificatio remissionis: nam eadem remissio maior est, respectu eius, qui minorem, quàm alterius, qui maiorem exhibet satisfactionem. Semper tamen obseruare oportet limitationes positas, tam de proprietate verborum, quàm de iustitia & certitudine indulgentiæ. Atque hac regula in hoc sensu intellecta, vsi sumus in superioribus, ad explicandas varias formulas & particulas, quæ addi solent in formis indulgentiarum, *De iniunctis pœnitentiis, contritis & confessis*, seu de *quibus contritus & confessus est*. Et simili modo expediri possunt alia dubia, quæ frequenter incidunt, neque possunt hîc speciatim tractari.

10 Corollar.

# SECTIO III.

## *Vtrùm forma indulgentiæ tantùm valeat, quantùm sonat.*

1 QVÆSTIO hæc, sub his verbis proponitur ab antiquis Doctoribus, & ideò eam retinuimus. Sẽsus autem est, an verba formæ totum illum effectum conferat, quem ex vi suæ significationis promittunt. Circa quam, duo sunt extrema vitanda. Primum est, eorum qui putant, semper hæc verba efficere totum quod significant, neque esse subintelligendam aliquam conditionem, ob cuius defectum possit talis formæ efficacitas impediri, nisi in ipsa forma expressa sit conditio. Ita opinati sunt, qui nullam causam ad valorem indulgentiæ requirebant: sed horum fundamentum euersum iam est. Ita etiam existimant alij, qui licèt causam fateantur necessariam, putant tamen nunquàm deesse posse, si absolutè concedat Pontifex talem indulgentiam, hoc vel illud facienti. Quorum fundamentum est, quia alioqui Pontifices aut fideles deciperent; absolutè promittendo, quòd solùm sub conditione occulta & non explicata conferre possunt, vel saltem temerè vt certum promitterent, quod valdè incertum est, quod nec Auctoritati Pontificum, nec communi sensui fidelium consentaneum est.

Prima opinio.

Hic verò dicendi modus, habet quidem pietatis 7

Aliqua conditio requiritur ad valorem indulgentiæ, quæ non semper in ea explicatur.

speciem, non tamen solidum fundamentum veritatis. Certum enim est, aliquam esse conditionem requisitam ad valorem & effectum indulgentiæ, quæ non semper in ea explicatur, nempe iustam & piam causam, quia non oportet vt hanc semper declaret Pontifex, sufficit enim quòd eam intentione concipiat. Similiter ad valorem totius indulgentiæ, proportionata causa necessaria est, quam nunquàm Pontifex in actu signato, vt sic dicam, declarat, id est, asserendo causam esse proportionatam, sed ad summum causam motiuam proponit & non semper adæquatam. Et præterea, quanuis Pontifex expressè declararet se moueri propter talem causam, quam reputat sufficientem ad tantam indulgentiam concedendam, non esset infallibile vel causam esse talem, vel (quod consequens est) totam indulgentiam esse validam. Quia talis declaratio Pontificis, non est de doctrina ad fidem pertinente, sed de quodam facto particulari, quod ad prudentiam spectat, in qua Pontifex non habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, sed in his tantùm, quæ ad doctrinam fidei, & morum spectant, iuxta illud Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Ergo nunquàm potest non subesse tacita conditio de iustitia & æquitate causæ in re ipsa. Quod patet à simili, ex dispensatione voti, quia licèt Papa absolutè dispenset, si tamen non intercedit causa sufficiens, dispensatio non est valida: vnde semper subintelligitur illa tacita conditio, *si causa subsit*, vel potiùs supponitur, & per causalem propositionem melius explicatur, scilicet, *quia subest*. Et simili modo, quanuis Pontifex existimet aut declaret talem causam subesse, nihilominùs decipi potest, quia quoad hoc prudentia & existimatione humana gubernatur, posset etiam humano affectu moueri. Idem ergo est in indulgentiarum dispensatione.

Non est infallibile Papam semper indulgentiã cõcedere ex sufficienti causa.

Luc. 22.

Non est infallibile, dispẽsationem voti semper esse validã.

3 Altisiod. locutio reprehenditur.

Neque verò ex tali errore facti, si fortè contingat, sequitur inconueniens alicuius momenti, quia licèt fideles non consequantur effectum indulgentiæ, bene merentur coram Deo, & potest bona eorum fides ad hoc conferre, vt ea de causa, fortasse aliquod pium opus faciant, quod aliàs non essent facturi. Et hanc ob causam aliqui antiqui cum Altisiodor. non dubitarunt ita loqui, vt dicerent amplas indulgentias esse pias fraudes fidelium, dummodò fraus non in malam partem, neque cum deformitate accipiatur. Sed absurda est illa locutio, & propter illam vitandam Auctores huius sententiæ in illud extremum declinarunt: sed non erat necessarium, quia nullum genus fraudis, imò neque astutiæ aut calliditatis est, simpliciter proferre sententiam, præceptum, dispensationem, & alia huiusmodi, quæ causam requirunt, non explicando causam, sed illam supponendo, quia talis actio natura sua illam supponit, vt rectè fiat. Ergo, quanuis Pontifex absolutè concedat indulgentiam, non propterea significat sine proportionata causa illam esse validam, sed potiùs practicè seu implicitè per talem actionem affirmat, talem causam subesse. Quòd si fortasse rudiores fideles id non apprehendunt aut intelligunt, non refert. Neque illa dici potest pia fraus, minúsque absurdè diceretur pia ignorantia: quia & piam de indulgẽcia existimationem non impedit, & contingere potest vt iuuet, quia est occasio faciendi tale opus pium, quod aliàs non fieret. Deceptio autem ex parte concedentis indulgentiam nullo modo dici potest, præsertim si ille bona fide procedat, iuxta ea quæ dicemus.

4 Secũda opinio.

Est igitur secunda sententia quorundam Theologorum, qui non solùm generatim & in abstracto, vt sic dicam, condemnant indiscretas & superfluas indulgentias, sed etiam nimia licentia Prælatos Ecclesiæ reprehendunt, ac si illas concederent. Pro hac sententia citari solet Bonau. d. 20. q. 6. sed ibi nihil loquitur de facto, sed de iure, rectéque explicat necessitatem causæ legitimæ ad valorem indulgentiæ. Illo ergo modo excessisse videtur Gerson 2. p. tract. de Indulgentiis, considerat. 8. aliàs Alphab. 54. lit. A. dicés, *Solus Papa Christus potest illam tot dierum, & annorum mille millium indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diuersis concessionibus summorum Pontificum, vel aliorum sub variis temporibus, locis, & causis.* Deinde verò subdit talem indulgentiæ formam fortasse fuisse confictam à quæstuosis. Idem in consider. 10. & in Opusc. de absolutione sacramentali Alphab. 33. lit. K. In prioris verò Opusc. consid. 9. videtur significare non esse infallibile, formam indulgentiæ operari quantùm sonat, etiam subsistente causa legitima, sed solùm esse de hoc æstimationem bonæ fidei, & probabilem coniecturam: quia semper subest illa conditio, *Nisi Christus illam reprobet.* Possumus tamen hunc postremum locum piè interpretari illa: nam cùm ait, *requiri causam legitimam, claue non errante, neque Christo reprobante*, non est intelligendum, has esse conditiones distinctas, sed eandem pluribus verbis explicatam: quando enim causa legitima est, neque clauis errat, neque Christus talem indulgentiam reprobat: cùm verò subdit, non requiri certam fidem, sed probabilem, non intelligit de valore indulgentiæ, supposita causa, sed de sufficientia ipsiusmet causæ. In aliis verò locis excessit, quia non intellexit, quomodo illi anni vel dies computandi sint. Soto verò, qui hoc non ignorauit, mirum est quomodo illum loquendi modum imitatus fuerit in 4. d. 21. qu. 2. art. 1. & 2. Sed reuerà excessit, & non satis cautè locutus est: eiúsque fundamentis in superioribus est responsum. Nonnullos verò nihilominùs mouet, quòd pro leui opere magna sæpe remissio fiat: sed non considerãt tale opus non esse solùm spectandum, sed vt coniunctum aliis causis, quæ licèt non exprimantur, non propterea excluduntur. Quapropter difficillimum est, concessas indulgentias, præsertim si constet esse in vsu Romanorum Pontificum, reiicere, aut reprehendere sine magna temeritate.

Gerson reprehenditur.

Sotus liberè loquutus est de vsu indulgentiarum.

5 Concurrentibus causis necessariis, indulgentiæ valent quantùm sonant. 1. Concl.

Vt ergo medium teneamus, distinguendum est in hoc negotio vniuersale iudicium, & quasi speculatiuum à practico seu particulari. Et dicendum est primò, indulgentiã infallibiliter operari quantùm sonat, si causæ omnes ad illam necessariæ concurrant: ex defectu autem alicuius causæ, posse interdum operari. Hæc assertio & sufficienter probata est in superioribus, & satis etiam est explicata quoad causas omnes & conditiones quæ necessariæ sunt, & quoad necessariam connexionem effectus, quando omnes concurrunt. Et ideò nihil amplius de illa dicere necesse est. Difficultas verò, quæ hîc obiici solet: quia hoc modo posset Pontifex Purgatorium spoliare, & fideles omnes obligatione satisfaciendi liberare, iam in superioribus sæpe soluta est negando sequelam: quia non facilè occurrit causa sufficiens ad remissionem adeò vniuersalem faciendam, quòd si occurrere aliquando fingamus, vel concedamus, nullum erit inconueniens quod infertur, quia Christi merita infinita, efficaciora sunt. Atque hinc inferunt communiter Theologi, indulgẽtiarum suffragium esse vtilius aliis, quæ ex opere operantis offerri possunt: quia esse solet maius, citiusque fieri solet: quòd si extendatur ad indulgentiam plenariam, seu liberationem ànimę à Purgatorio, est maximum quod in hoc genere, id est, quod remissionem pœnæ desiderari potest, vt latiùs tractat Corduba q. 40. referens plures alios. Verum est, suffragium hoc indiuiduo non esse tam certum, sicut alia, vt ex dicendis constat.

Cordub.

6 In particulari non est infallibile in-

Secundò dicendum est, in particulari non esse certum & infallibile, hanc indulgentiam tantùm operari, quantùm sonat. In hoc conueniunt omnes Theologi,

Indulgẽtiam tantùm valere quãtùm sonat. 2.Concl. Caiet. Cordub.

logi, & specialiter id tractant Caiet. tom. 1. Opusc. tract.4.q.2.& Cordubaq.22.de Indulgentiis.Et satis roborata est ex dictis contra primam sententiam. Potestque aliis similibus exemplis confirmari, & declarari.Nam licèt sit infallibile,absolutionem sacerdotis esse validam,& habere effectum subintellecta conditione,si pœnitens non sit fictus,nec ponat obicem,nihilominùs indiuiduo non est infallibile,hanc absolutionem datam esse validam, præsertim quoad effectum:quia nunquàm est ita infallibile,pœnitentem esse dispositum, & iudicium confessoris circa hoc semper est humanum & fallibile, etiamsi fingamus esse à Pontifice Summo. Et hoc exemplo declaratur etiam quod anteà dicebamus, absolutionem posse dari absolutè nulla explicata conditione, quanuis in re ipsa requiratur, neque illum esse fraudulentum absolutionis modum, sed prudentem & debitum, quando & conditio in ipsa re quasi ab intrinseca natura includitur, & prudenter spectatis meritis causæ supponi existimatur.Quin potiùs etiam Deus ipse aliquid simpliciter promittit,quod posteà in particulari non impletur, quia defuit aliqua conditio, quæ licèt non fuerit in promissione declarata,in re ipsa promissa intrinsecè continebatur.Quid ergo mirum,quòd possit Pontifex absolutam remissionem dare seu effectum indulgentiæ simpliciter promittere, & nihilominùs effectum non sequi ex defectu conditionis necessariæ ex intrinseca ratione talis remissionis? In hoc tamen intercedit differentia, quòd Pontifex decipi potest existimando talem conditionem subsistere, quod in Deum cadere non potest:sed hoc etiam est in illo singulare, quòd præuidens conditionem non esse implendam, nihilominùs simpliciter promittit, quia rebus ipsis sermonem suum accommodat.

7 Vbi causa nõ constiterit non esse legitima, indulgentia efficax iudicãda est. 3.Concl.

Dico tertiò.Nihilominùs,vbi euidenter non constiterit indulgentiam sine legitima causa esse concessam, contemnenda non est, nec minoris efficaciæ reputanda, quàm verba sonent. In hoc etiam consentiunt citati Auctores. Et ratio generalis est,quia superioris factum semper præsumendum est legitimum, & validum: quod maximè verum habet in summo Pontifice, non solùm propter sanctitatem & prudentiam, quæ in eo esse creditur, sed etiam propter specialius Dei auxilium ad Ecclesiam gubernandam, etiam in practicis & particularibus. Propter quod dixit Gratianus de iudicio summi Pontificis nemini licere disputare in §. *Qui autem*, 17. q.4. vbi Gloss. aliqua iura congerit, & in cap. *Non nos*,40.d.& in c. 1.93.d. Item hac ratione præceptum Superioris in re dubia censetur legitimum, & sententia eius præsumitur iusta, quando non est euidenter iniusta, nam illi etiam fauet illud principium, quòd in dubiis melior est conditio possidentis.Præterea declaratur,quia vix contingere potest vt indulgentiæ concedantur sine vllo respectu ad causam piam,quia id fieri non potest nisi ex aperta malitia, aut ignorantia, non tãtùm facti, sed etiam iuris diuini: neutrum autem horum potest moraliter cadere in Pontificem, multóque minùs præsumi potest in particulari, quando euidenter non constat.Hoc ergo satis est,vt nulla indulgentia quantumcunque magna & excedens appareat, omninò contemnenda sit: quia, licèt fortasse non integrè valeat quoad totum effectum, semper valet quoad aliquem:nam ad hoc sufficit quæcunque causa pia, vt suprà dictum est. Deinde difficile est priuato homini, quantumuis doctus sibi videatur, iudicare hanc concessionem indulgentiæ excedere proportionem causæ in hoc particulari facto: quia non potest ipse comprehendere totam causam quæ mouit Pontificem, vt ex dictis facilè patet, quia nec opus iniunctum, nec causa expressa, est signum sufficiens, quia sæpe Pontifex aperit eam causam, quæ gratior & fauorabilior esse potest ei, in cuius fauorem, vel gratiam indulgentia conceditur, in animo autem suo retinet alias,quæ maioris momenti sunt.Tandem vt indulgentia sit integrè valida, satis est quòd secundùm practicum iudicium probabile, & humano modo prudens, sit causa proportionata, etiamsi fortassa in re non sit talis: ergo, quanuis priuata persona speculatiuè verè iudicet hanc causam non esse proportionatam huic tantæ indulgentiæ, nihilominùs fieri potuit vt Pontifex practicè prudenter iudicauerit talem indulgentiam esse concedendam: quod satis erit vt rota sit valida: ergo nunquàm propter priuatum iudicium speculatiuum potest indulgentia iudicari inefficax ad totum effectum consequendum.

8 Licèt aliqua indulgentia contineat intolerabilẽ, errorem, nõ est publicè spernenda. vl.Conc.

Vltimò dico, quanuis in aliquo particulari casu contingeret committi intollerabilem errorem, & manifestum in quantitate vel in causa indulgentiæ, nunquàm est publicè spernenda, aut liberè reprehendenda. Hæc assertio magis ad prudentiam pertinet, quàm ad doctrinam. Probatur tamen, tum quia omninò cauendum est ne cum hæreticis in verbis aut factis, quæ Pontificiam auctoritatem imminuere videntur, etiam apparenter conueniamus, præsertim publicè, tum etiam quia populus Christianus regulariter nullam hinc ædificationem accipit, sed potiùs scandalum: tum deniq; quia huiusmodi zelus nec necessarius est, neque vtilis. Adde, si qui interdum videntur esse excessus, regulariter oriri ex malitia, vel ignorantia eorum, per quos denunciantur indulgentiæ vel simplicium hominum qui illas suscipiunt,qui non satis intelligentes formam earum, vnica fortasse oratione putant plures indulgentias lucrari posse: in quibus casibus adhibendum est remedium primò ac præcipuè à pastoribus Ecclesiæ, malitiam, & imperitiam ministrorum cohibentibus, vt in multis decretis prouisum est,ac tandẽ in Conc. Trid. sess.21.c.9.& sess.25.in fine.Deinde optimum consilium est, docere generatim veram de indulgentiis doctrinam, & nihilominùs monere populum ad opera pœnitentiæ, & quòd ob nimiam fiduciam indulgentiarum illa non omittant,quia multis ex causis contingere potest, vt fructus earum non assequantur. Nunquàm tamen existimo expedire,imò nec posse absque scandalo, & imprudentia fieri, vt aliqua indulgentia particularis,quã constat esse à Põtifice concessam,publicè denuncietur esse nulla,aut superflua,quia id,moraliter loquendo, est inutile, & contra reuerentiam Pontifici debitã,& ob alias orationes superiùs factas. Conc. Trid.

9

Offerebat autem sese hîc occasio dicendi de aliis formulis,quibus conceduntur alij fauores,qui cum indulgentia, & propter indulgentiam dari solent: & an in eis etiam verum habeat,quòd tantùm valent,quantùm sonant: & specialiter tractari hîc solet de Bulla seu clausula compositionis, an in conscientia efficiat quod videtur concedere,nimirum, commutare incerta debita pro minima quadam quantitate debita data in pium subsidium. Sed hæc res non spectat ad hunc locum,quia hæc priuilegia per accidens coniunguntur cum indulgentiis, per se verò spectant ad proprias materias vel de confessione,vel de Censuris,vel similibus, in quibus explicanda sunt, quanuis ex dictis in hac materia possint multa principia desumi.In speciali verò de illa compositione tractandum est in materia de Restitutione.Interim videri potest Soto.d.21. q.2.art.4.& Cordub.q.44.de Indulg.

Gratian.

## DISPVTATIO LVII.

*De duratione,& reuocatione indulgentiarum.*

HÆc

HÆc sola disputatio superest de hac materia, in qua illa duo tantùm, quæ in titulo sunt proposita, explicanda sunt. Nam, quia indulgentia per hominis actionem fit, solúmque potest habere effectum quandiu durat, ideò explicare necesse est, an semel concessa, semper maneat, & fructuosa sit, vel quibus modis retinere possit, & amittere valorem suum.

## SECTIO I.

### *Vtrùm indulgentia perpetua sit, vel cessare possit.*

1 Indulgentia ab alio obtinenda nō est perpetua.

PRincipio supponenda est distinctio superiùs data de indulgentia obtinenda per aliquē, vel ipso facto: nam prior, vt dixi, potius est facultas dandi alicui indulgētiam, vel quod in idem redit, obtinēdi eam ab aliquo. De hac ergo nulla est difficultas, quia, cùm hæc indulgentia habeat vim cuiusdā delegationis, clarum est ex se non esse perpetuam, neq; etiā illi repugnare vt semper duret, sed pēdere à voluntate delegātis, & iuxta illius arbitriū durare. Imò simpliciter loquēdo, nulla potestas concedēdi indulgētias est perpetua, nisi potestas summi Pontificis, quæ à tali dignitate inseparabilis est, quanuis possit seperari à persona, si dignitati renunciet, aut ab illa propter hæresim manifestā cadat, si tamen id accidere potest. Quatenus verò hæc potestas est in Episcopis, iure quidem ordinario perpetua etiā est, absolutè verò non est perpetua, quia posset Pōtifex aliud ius statuere, & dignitatē ipsam illa priuare. Posset etiā aliquādo, relicto iure communi, Episcopum aliquem priuare hac potestate, sicut per cēsuras priuantur Episcopi vsu illius, faciliusque, & frequētius fit, vt persona, quæ habuit hāc potestatem vt ordinariam, iam illa careat, quia Episcopatui renunciauit. Multò ergo magis potestas hæc, si tantùm sit delegata, non est ex se perpetua: quia absque alia causa ad nutum voluntatis delegantis auferri potest, cùm tamen ordinaria potestas sine causa tolli non possit, saltē licitè. Similiq; modo illa facultas obtinendi indulgentiā ab aliquo pendet semper ex voluntate concedentis, quia delegatio quædam est. Hoc autem intelligendum est re nondum facta: nam si absolutio iam data sit, ampliùs reuocari non potest. Quantùm verò duret hæc facultas, si non reuocatur, ex verbis priuilegij colligēdū est, & quoad hoc eadem est ratio de illa, & de alia indulgentia, quæ ipso facto comparatur, de qua dicēdum iam supereſt.

Nulla potestas concedendi indulgentias, nisi summi Pontificis, est perpetua.

2 Indulgentia ipso facto, re ipsa perfecta, irreuocabilis.

Altera ergo indulgētia, quæ per aliquod opus obtinenda conceditur, in duplici statu considerari potest, vel antequàm comparetur, vel post. Igitur quoad hoc secūdum manifestum est, indulgentiā esse perpetuam & irreuocabilem, non solùm ab homine, sed etiam ab ipso Deo, si semel illam acceptauit, & effectum eius perfecit. Non tantùm quia dona Dei sunt sine pœnitentia, sed etiam quia ablato semel reatu pœnæ non potest iterum ab extrinseco fieri, vt suprà in materia de Pœnitentia dictum est. Consideranda ergo est indulgentia in priori statu, de qua vlteriùs subdistinguendum est. Nam aliquando conceditur ad certum tempus, aliquādo expresse in perpetuum, aliquādo indefinitè, nulla facta tēporis, aut durationis mentione.

3 Indulgentia ad certum tempus concessa, nō durat vltra illud.

An possit intra illud reuocari.

Dico ergo primò, quando datur priori modo, non durare vltra præfixum tempus, quia indulgentia non plus valet, quàm sonat, tam quoad durationem, quàm quoad reliqua, & in vniuersum nulla gratia, vel sententia excedit voluntatē superioris, verbis expressam. Quæri autem potest, an talis indulgentia possit intra tale tempus reuocari. Respondeo, si concedēs habeat superiorem, non est dubium quin possit à superiore reuocari, quia nōdum sortita est effectum, & superior irritare potest quancunque facultatem ab inferiore datam. Addo etiam, ab ipsomet concedente, v. g. Pontifice summo, reuocari posse, quia semper effectus pendet ex formali vel virtuali intentione eius, quæ nullo modo manet facta reuocatione, de qua re plura sequenti sectione. Et ex ibi dicendis etiam constabit, an possit hæc indulgentia alio modo extingui intra illud tempus, etiam non facta reuocatione.

### *Indulgentiam cōcessam vt perpetuam, semper durare, esse tamen semper obnoxiam reuocationi.*

4 SEcundò dicendum est, indulgētiam, quæ expresse conceditur vt perpetua sit, ex vi concessionis semper durare, nihilominùs tamen non esse ita perpetuā, quin auferri possit. Prior pars cōstat ex axiomate sæpe repetito, *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant*: sed forma talis indulgētiæ sonat per perpetuitatem: ergo efficit illam, quantùm est ex se. Idemque dicendum est, quoties verba formæ æquiualentia sunt, quamuis non sint ita expressa, vt si indulgentia concedatur, *Vsque ad beneplacitum huius Sedis*, reuerà est perpetua, quia nullum habet præfixum terminum, nec cōditio illa repugnat perpetuitati, quia nulla indulgētia est magis perpetua: quantuncunque enim perpetua dicatur, semper pendet ex beneplacito Sedis. An verò idem sit, si in forma dicatur, *Vsque ad beneplacitum nostrum*, dicam sectione sequente. Hinc verò facilè probatur altera pars, quia, licèt indulgentia expresse dicatur perpetua, semper reuocari potest ab ipso concedente, vel à superiore, vel etiā à successore, iuxta dicta in assertione à superiori. Vnde hæc perpetuitas indulgentiæ est similis illi, quam in naturalibus habere potest effectus pendens in fieri, & in esse à sua causa: nā erit perpetuus, si ab illa perpetuò cōseruetur, & nihilominùs desinere poterit, si causa possit suspendere influxum suum. Dices, interdū concedit Pontifex priuilegium ita perpetuū, vt sit etiam irreuocabile: sæpe enim sub horum tenore verborum conceduntur priuilegia, de quibus etiam verum est, tantùm valere, quantùm sonant: ergo eodem modo erunt perpetuæ huiusmodi indulgētię. Respondetur, non esse nostri instituti nunc exponere quid operetur verbum illud, *Irreuocabile*, additū priuilegio Pontificio. Quidquid ergo de aliis sit, breuiter dico, in propria indulgētiæ cōcessione non solere addi similem exaggerationem, quod ego viderim: & fortasse ratio est, quia effectus indulgentiæ quò magis est internus & spiritualis, eò magis semper pendet ex voluntate Pastoris, vel etiam quia alia priuilegia possunt conferre ius aliquod & quasi dominium: nam versantur circa res alias, quæ donari possunt, & ideò non tam facilè possunt reuocari sine noua causa. Indulgentia verò propriè non confert ius, sed facultatem quandam pendentem semper ex voluntate superioris. Quomodo autem hæc reuocatio fieri debeat, quánive necessaria sit, dicetur meliùs sect. seq.

Quid significet verbū *Irreuocabile*, additum indulto Pontificio.

### *Indulgentia absolutè concessa sine limitatione intelligitur esse perpetua.*

5 VLtimò dicendum est, indulgentiam concessam sine limitatione temporis formali, vel virtuali ex vi verborum esse perpetuā, dummodò per clausulam generalem non sit facta limitatio. Explico, & probo singula. Dixi enim, *sine limitatione formali vel virtuali*, quia multis modis potest indulgentia habere limitatū tempus, etiāsi expresse non præscribat numerum dierum, vel annorum: nam illa, quæ datur ad vnum tantùm actum, limitatur saltem ad tempus, in quo finitur talis actus, quòd si præscripserit tēpus intra quod ille actus perficiēdus est, erit expressiùs limitata. Item quæ conceditur vt obtineri possit semel, aut bis in vita, saltem habet determinatum tēpus vitæ, & hoc modo omnis indul

Variç indulgentiæ limitationes.

indulgentia personalis potest dici limitata, quanuis proprio nomine *vitalis*, dici possit. Indulgentiæ verò locales magis stabiles sunt, quia loca durabiliora sũt. Quia verò etiam loca ipsa deficere possunt, vt templa, &c. quoad hoc videntur etiam habere tempus limitatum, de quo dicemus latiùs sectione sequente. Maximè verò carent limitatione temporis illæ, quæ conceduntur religionibus, aliisve communitatibus, aut familiis, quæ successione continua perseuerant. In omnibus autem prædictis indulgentiis habet locum conclusio posita respectu eius, cuius intuitu simpliciter conceditur, seruata proportione ad illius rei permanentiam. Sic ergo declarata assertio communis est Theologorum dist. 20. vbi specialiter Paludanus quæ- B stione quarta, numero 24. & sumitur ex Diuo Thoma quæstione prima, art. 3. qu. 2. ad quartum, & ex Syluestro verb. *Indulgentia*, num. 16. vbi refert Innocentium Landulphum, & alios, & idem tenet Angelus ibi, & alij Summistæ. Et ratio est, quia in tali indulgẽtia non ponitur temporis limitatio, ergo neque à nobis, vel ab aliquo infrà concedentem addi potest: ergo vel nunquàm est valida, quod dici non potest, vel sine limitatione temporis valet, quod est esse perpetuam. Prior consequentia patet, tum quia indulgentia quoad hoc potiùs amplianda, quam restringenda est: tum etiam, quia nullus inferior potest voluntatẽ superioris limitare, neque aliquis potest certa aliqua ratione defini- C tum terminum assignare Addidi verò, *dũmodo limitatio non sit facta per aliquã legem*, propter regulas Cancellariæ suprà citatas, & si quæ sunt aliæ similes: nam postquã Apostolica sedes sua verba declarauit, ac limitauit, idq; pro lege, ac regula statuit, semper in eo sẽsu loquitur, si absque alia speciali declaratione loquatur.

Palud. D.Tho. Syluest. Angel.

---

## *An possit aliquis sæpiùs lucrari indulgentiã indefinitè concessam visitanti tali die Ecclesiam, sæpe illam visitando.*

6 Obiect. SED obiici potest: nam sequitur ex assertione, quando indefinitè conceditur indulgentia certa D visitantibus talem locum pium, posse aliquem sæpiùs lucrari indulgentiam illam, iterum atque iterum Ecclesiam illam visitando: est enim eadem similitudo rationis, quia si tempus indefinitè positum, censetur esse perenne, etiam visitatio indefinitè posita erit perennis, vt per illam semper indulgentia obtineri possit. Consequens autem videtur absurdum, aliàs quando conceditur indulgentia visitanti Ecclesiam infrà octauam dedicationis, aut festi Titularis eius, pluries posset illam lucrari, scilicet, visitando pluries intra illos dies illam Ecclesiam, quod est contra communem vsum talium indulgentiarum. Est tamen ea- E dem proportio huius indulgentiæ ad illos octo dies, quæ est alterius ad tempus indefinitè sumptum. Ad hanc obiectionem, respondendo formaliter ad vim illationis, posset negari prior sequela, quia tempus est vnum continuum, quod nunquàm finitur, & ideò indefinitè sumptum, totum in rigore comprehenditur: visitatio autem Ecclesiæ vna actione perficitur, quæ posset sufficienter explere formam indulgentiæ, quæ propter visitationem conceditur: & ideò ex vi illorum verborum non videtur necessariò, sequi, propter plures visitationes plures indulgentias concedi eidem personæ.

Solutio.

7 D.Tho. Felin. Nihilominùs de re ipsa respondendo, Doctores communiter concedunt illud primum consequens, vt D. Thomas loco proximè citato, & Felin. tract. de Indulg. n. 37. vbi alios plures refert, & consentiunt cæteri Theologi, & Summistæ, & ita habet communis consuetudo, & intelligentia huiusmodi indulgentiarum, quæ piis locis absolutè, & sine vlla temporis determinatione conceduntur. Angelus etiam verb. *Indulgentia*, n. 4. & Rosella n. 12. in casu secundæ illationis concedunt indulgentiam illam toties obtineri posse, quoties actus fuerit repetitus. Sed reuerà id videtur esse contra consuetudinem, & contra intentionem concedentis, ac propterea reliqui Doctores negant secundam sequelam. Ratio verò discriminis est, quia quando indulgentia conceditur visitantibus locum pium sine differentia temporis, non est verisimile concedi vnicuique homini pro vna tantùm vice in vita sua: quia neque verba id sonant, esset que nimia restrictio; & ideò nunquàm talia verba secundùm communem vsum in eo sensu accipiuntur. Si autem in prima vice non extinguitur vniuscuiusque facultas, eadem ratione neque in secunda, neque in tertia: neq; etiã possemus limitare illã vt semel in anno, vel in mense, vel hebdomada cõcedatur, quia omnis limitatio huiusmodi volũtaria esset. Solùm posset apparẽter limitari ad singulos dies, vt sensit Palud. suprà, & sequitur Cord. q. 33. quia & locutio ipsa iuxta cõmunem vsum optimè admittit illam determinationem, & videtur necessaria, vt indulgentia sit prudenti, & rationabili modo concessa, quia aliàs posset quis ingrediendo & egrediendo, millies lucrari illam indulgentiã, quod nõ solùm superfluum, sed etiam irrisorium videtur. Nauarrus autem in Comment. de Indulgentiis, notab. 31. nu. 37. sequens Felinum, ait, etiam eodemdie posse talem indulgentiam aliquoties obtineri, quoties nimirum, aliquis prudenter ac religiosè adit Ecclesiam ad audienda diuina officia, vel verbum Dei, vel etiam ad orandum statutis temporibus. Sed in hoc nihil potest esse certum, quia pendet ex intentione concedentis. Est autem hæc pia interpretatio, quæ prodesse potest, & non nocere. At verò quando indulgentia datur ad definitum diem, vel paucos dies, pro vna tantùm vice dari censetur: nam propterea pro tempore adeò limitato præscribitur.

Angel. Rosel.

Palud. Cordub.

Nauarr.

Atque hæc est communis etiam consuetudo, & in- 8 telligentia talium indulgentiarum, scilicet, vnam tantùm indulgentiam pro vno actu visitandi, vel venerandi concedi: quia tamen pro toto populo necessarium est aliquod tempus sufficiens, ideò designari, vel vnum diem festiuum, quia vesperis incipit, vel interdum totam octauam ob aliquam maiorem solemnitatem. Addit verò Corduba, vsu iam receptum esse, vt Cordnba. quando indulgentia pro tota octaua conceditur, singulis diebus octauæ semel ab omnibus lucrari possit, de quo vsu mihi non constat, eritq; semper rescriptum seu Bulla consulenda: nam Prælati intentio, ex verbis facultatis eius colligenda est, nisi res esset valdè antiqua: nam tunc consuetudo ipsa esset iudicium, concessionis, & intentionis Prælati, vt in superioribus dictum est.

---

## SECTIO II.

### *Quibus modis possit indulgentia cessare.*

HÆc quæstio maximè proponitur de indul- 1 gentia, quæ non conceditur pro tempore definito: nam quæ huiusmodi est, elapso tempore finitur, & intra illud tempus eadem ratio de illa est, quæ de indulgentia perpetua. Idemque iudicium est de indulgentia, quæ pro vna tantùm vice, vel pro definito numero actuum conceditur: nam illis finitis, eo ipso extinguitur: aliàs durat pro eo tempore, pro quo concessa est, donec elabatur: intra illud verò solis his modis desinere potest, quibus perpetua. Ex tribus autem capitibus potest intelligi indulgentia extingui, scilicet, ex parte concedentis, ex parte eius cui, & in cuius gratiam concessa est, & ex parte causæ propter

Ex tribus capitibus po test extingui indulgentia.

quam

quam fuit concessa: sicut enim hæc tria ad indulgentiæ valorem & effectũ sunt necessaria, ita ab eis pendere videtur indulgentia, & consequenter ratione omnium illorum posse desinere. Quod an sit verum, & quomodo, discurrendo per singula videndum est.

## *An indulgentia expiret per mortem concedentis.*

1 Ratio dubij. PRimo ergo videtur, indulgentiam desinere per mortem concedentis, quia pendet ex eius intentione & volũtate, vt sæpe diximus. Item quia effectus non potest fieri sine efficiente causa: sed causa indulgentiæ, est is, qui illam concessit: ergo illa deficiente non potest indulgentia illa habere effectum: ergo eo ipso fit inutilis, atque adeò nulla. Item aliæ facultates extinguuntur per mortem concedentis, vt facultas eligendi confessorem, & similes: ergo similiter, &c. Nihilominùs certa & communis sententia est, indulgentiam non extingui per solam mortem concedẽtis, nisi in ipsamet concessione hic terminus illi præfigatur. Ita tenet Palud. d. 20. q. 4. art. 1. Sylvest. verb. *Indulgentia*, n. 16. Ang. n. 7. Innocent. in c. *Quòd translationes*, de off. Legati, & Nau. Comm. de indulg. notab. 31. nu. 26. vbi plures alios refert. Probatur, quia gratia non expirat per mortem concedentis, vt latè dictum est in materia de Pœnitentia, tractando de facultate eligendi confessorẽ, & habetur expressè in decisionibus antiquis Rotæ in 9. de Electione, & 87. de Rescriptis, sumiturque ex c. *Si super gratia*, de off. deleg. in 6. & ex reg. *Decet*. in 6. quæ sic habet, *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*. Quòd autem indulgentia sit gratia, manifestum est, non ergo expirat per mortem concedentis. Dixi autem, *nisi in concessione ipsa hoc limitetur*, quia constat hoc positum esse in voluntate concedentis: intelligitur autem talis limitatio posita, non solùm per verba omninò expressa, sed per hæc, *vsque ad beneplacitum nostrum*, vt dicto loco tetigi.

Vera resolutio.

Palud. Sylu. Angel. Innocent. Nauar.

3 Satisfit rationibus cõtrariis. Neque obstant coniecturæ in contrarium, quia ad effectum indulgentiæ sufficit voluntas præcedens non retractata: nam moraliter manet, ideóque etiã sufficit ad efficiendũ effectũ, qui moralis est, & morali modo fit, solũque fit à concedẽte indulgẽtiã ministerialiter. nam Deus est qui principaliter remittit. Accedit etiã, quòd dum successor non reuocat indulgentiam, eam approbare, & concedere videtur. Neque est verum exemplum, quod in contrarium adducitur, quanuis etiã non sit omninò simile, quia facultas eligendi confessorem non tãtùm est gratia, sed est delegatio iurisdictionis, de qua est maior difficultas. Ex illo tamen exemplo obiter colligo, non tantùm indulgentiam illam, quæ ipso facto obtinenda conceditur, sed etiam illam, quæ per confessorem danda est, nõ expirare per mortem concedentis, etiamsi res nondum inchoata sit, & in illa indulgentia includatur delegatio iurisdictionis, quia etiam hæc delegatio est aliquo modo in foro pœnitentiali, vel (vt sic dicam) in foro omninò liberali & gratioso, & idcirco limitatur gratiã, & non odium, vel delegationem fori contẽtiosi, quæ expiret per mortem concedẽtis, si negotium inchoatũ nõ sit.

Corollariũ.

4 An procedat conclusio in indulgẽtiis non Pontificiis. Quæret aliquis, an hoc sit verum de omni indulgentia, etiamsi Pontificia non sit. Respondeo, hoc pẽdere ex modo potestatis inferioribus concessæ; cum enim in eis sit ex concessione Pontificis, ex eius intentione potuit limitari, vel extendi ad indulgẽtias perpetuas. Loquendo autem secundùm ordinarium ius, & communem vsum, dicendum est, indulgentiam concessam ab eo, qui habet potestatem ordinariam concedendi illam, durare etiam post mortem concedentis. Probatur inductione, quia de Episcopis est cõmunis sententia, vt patet ex Paludano, Sylvestro, & aliis suprà, & constat ex vsu, & quia eorum potestas non limitatur in iure, nisi ad tantam quantitatem, non verò quoad durationem: nec est vlla ratio cur nos illam addamus. Et vsus idem cõfirmat. De Legato etiã Pontificis idem docent omnes, ob easdem rationes, vel à fortiori, quia censetur habere maiorem potestatem: item argumento cap. vlt. de Officio Legati, vbi dicitur, statutum Legati non cessare per mortem illius. Vbi Glossa idem dicit esse de indulgentia, quia non magis limitatur hæc potestas, quàm illa. Ratio autem generalis esse potest, quia potestas ordinaria censetur concedi simpliciter, & iuxta rei naturam, nisi expressè limitetur. At verò potestas delegata magis arbitraria est, & ideò non potest de illa statui regula adeò certa, sed solùm pendere ex voluntate concedentis, & ita iuxta modum delegationis iudicandum esse. Nihilominùs si absolutè datur ad concedendam talem, vel talem indulgentiam, credo etiam illam durare post mortem concedentis: quia si indulgentia non limitatur ad hoc, vt pendeat ex vita concedentis, ex se non habet talem dependentiam, nec est cur dicamus cum illa limitatione concedi: & reliquę rationes factæ cum proportione procedunt.

## *De secundo modo quo Indulgentia potest cessare.*

5 SEcundo modo potest desinere indulgentia per reuocationem eius, qui illam concessit, vel successoris, qui moraliter idem cum ipso censetur, vel superioris à fortiori. Et hic modus est certissimus, & in eo conueniunt Auctores citati, & Geminianus cum aliis in c. 1. de Concess. præbend. in 6. colligiturque ex vsu frequenti Ecclesiæ, qui etiam in iure habetur, vt sumi potest ex Extraua. *Quemadmodum*, de Pœnit. & remis. & in Clem. *Dudum*, §. *Nos autem*, de Sepulturis, & quotidiè fit in granis benedictis, & aliis similibus. Ratio verò iam est suprà data. Quæri verò potest, an hæc reuocatio requirat causam, vel fieri possit ad nutũ cõcedentis. In quo videtur certum, vt valida sit, sufficere voluntatem concedentis, etiamsi absque alia causa, vel necessitate fiat, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Hæc autem gratia sola voluntate concedentis facta est, neque ex diuino iure, aut aliunde habet immobilitatem, imò effectus eius semper pendet ex intentione largientis, saltem per voluntatem moraliter durantem, seu retractatam. Confirmatur, quia reuocatio legis positiuæ facta tenet, etiãsi absque causa fiat.

Geminia.

Requirátne hæc reuocatio causam.

6 Cordub. q. 36. vbi refert alios, qui hoc non dicunt. Hoc autem posito, inquiri potest, an possit etiam licitè reuocari sine causa. Aliqui enim negant, quia donatio, aut beneficium semel factum non potest absque causa reuocari rationabiliter, nam & indicat animi leuitatem, & non fit sine aliquo grauamine alterius. Aliis autem videtur nullam esse necessariam causam, vt hoc licitè fiat. Quod verius videtur, quia à principio hoc fuit beneficium gratuitum, quod tunc posset absque alia causa licitè negari: ergo posteà etiam potest licitè reuocari sine causa, quia hoc nihil aliud est quàm non conseruari, vel non dari pro tempore futuro, etiamsi pro præterito datum fuerit. Item, qui concessit indulgentiam, non se obligauit ad illam conseruandam: ergo tam liberè potest non conseruare, sicut potuit non dare. Præterea quia per concessionem indulgentiæ perpetuæ nullum ius acquiritur illi, cui conceditur, sed semper manet in ratione cuiusdam gratiæ pendentis ex voluntate concedentis: & ideò nulla fit alteri iniuria, neque imponitur ei grauamen contra iustitiam, vel aliam virtutem, etiamsi hoc fauore priuetur ex sola voluntate, absque alia causa. Cùm autem causam excludimus, non auferimus finem aliquem honestum, qualis necessarius est ad honestatem cuiuscunque actionis humanæ ex obiecto indifferentis: sed solùm

Pars affirmans præfertur.

asseri

asserimus non esse necessariam specialem causam, quæ honestet hunc actum.

7 Per accidens potest reuocatio indulgentiæ esse illicita.

Hoc autem intelligitur per se loquendo, quia ab extrinseco & per accidẽs potest hæc reuocatio esse illicita, si absque causa fiat. Primò, si possit scandalum generare, vt v.g. quia est signum alicuius odij: secundò, si concedens promisit se non reuocaturum: nam promissio illa honesta est in eo sensu, quòd saltem sine causa non fiet reuocatio: obligat ergo saltem ex fidelitate quadam: obligat autem tantùm ipsum promittentẽ, non verò successorem: quia personalis est actio. Tertiò, si talis indulgentia creditur esse valdè fructuosa animabus, nullumque nocumentum afferre: nam tunc profectò alienum esset à charitate pastoris illam sine causa reuocare, quando vtrumque illorum experimento compertum esset. In quo est differentia inter conseruationem, seu non reuocationem, & primam indulgentiæ concessionem, quia ante primam concessionem tantùm potest esse spes fructus de futuro, quæ magis incerta est. Quartò, potest excogitari casus in quo vsus indulgentiæ sit iam inchoatus, & ideò videatur esse aliquo modo ius acquisitum, vt non possit sine magna causa reuocari. Vt v. g. si Iubilæus conceditur, & quis ieiunauerit, eleemosynam fecerit, confessus fuerit, vel cœpit illa opera facere, hoc ipso videtur acquisiisse ius, vt non reuocetur gratia Iubilæi priùs quàm illa opera perficiat, & indulgentiã cõsequatur. Esto etiam in illo casu non sit proprium ius acquisitum: tamen ex quadam fidelitate, & tacita promissione profectò esset illicitum huiusmodi hominem tali indulgentia defraudare, nisi vrgens causa cogeret ad vniuersalem eius reuocationem.

8 An indulgẽtia cesset statim ac reuocatio fit. Communis sententia. Nauarr. Corduba. Domini. Sylvest.

Rursus verò inquiri potest, an indulgentia extinguatur statim ac reuocatio fit Romæ, v. g. Responsio communis est, non auferri donec reuocatio perueniat ad notitiam eorum qui indulgentia gaudebant. Ita Nauarr. & Corduba suprà, qui citant Dominicum cum aliis in c. 1. de Concessione præbend. libr. 6. Sylvest. & alios Summistas verb. *Gratia*, idémque habet Sylvest. verb. *Indulgentia*, n. 17. Quorum fundamentum est, quia hæc est intentio Pontificis, quam solùm probant ex communi interpretatione Doctorum. Ratio autem huius interpretationis esse potest, quia intentio Pontificis præsumenda est prudens & cordata: huiusmodi autem est illa, scilicet, vt reuocatio non noceat priùs quàm de illa constet, alioqui facerẽt multi fideles opera requisita ad indulgẽtiam, & fraudarentur spe illius absque culpa sua: quod credibile non esse intentum à Pontifice. Accedit, quòd sicut indulgentia amplè interpretãda est quoad voluntatem concedentis, ita è cõtrario reuocatio restringenda est.

9 Prior sensus communis sententiæ.

Duobus autem modis potest intelligi hæc sententia. Primò, quòd reuocatio non habeat effectum, donec sit sufficienter promulgata, ita vt, per se loquẽdo, peruenire potuerit ad notitiam Ecclesiæ, vel Prouinciæ, in qua, vel pro qua fit. Et in hoc sensu est hæc sententia maximè consentanea rationi, & praxi Ecclesiæ.

Posterior eiusdem sẽtentiæ sẽsus.

Alius verò sensus est, vt nulli personæ in particulari noceat illa reuocatio, donec illi sufficienter constet de tali reuocatione. Et in hoc sensu videtur affirmari dicta sententia à prædictis Auctoribus, quia non agũt de promulgatione, sed de notitia & scientia, & exempla, quæ adducunt, ad hoc tendunt. Et sanè cupio esse veram sententiam, quia valdè fauorabilis est: erítque vera, si hæc sit voluntas Pontificum: vnde autem hæc voluntas colligatur, non satis apparet: nam leges etiam irritantes post sufficientem promulgationem habent suum effectum, in personis etiam quæ inuincibiliter illas ignorant, cùm tamen maiora incommoda inde possint sequi, quàm ex reuocatione indulgentiarum, hîc enim ferè nullum est, nam solùm sequitur quędam materialis deceptio inducens ad bonos actus, per se vtiles. Supponendo autem cõmunem sententiam piam & probabilem, censeo iuxta eam (quod ad praxim multùm refert) si quis bona fide confessus esset reseruata peccata in virtute talis indulti concessi in ordine ad talem indulgentiam, cuius reuocationem inuincibiliter ignorat, talem confessionem esse validam, & illum hominem sic absolutum, etiam à Censuris, liberum maneret etiam ab onere comparendi, & verisimiliter creditur, hanc esse mentem Pontificis, quia aliud esset, & periculosum, & valdè onerosum.

10 Pontifex an possit indulgentiam reuocare per actum internum.

Dubitari autem hîc potest, an possit Pontifex per solum actum interiorem contrariæ voluntatis reuocare indulgentiam. Videtur enim non posse, quia oppositorum eadem est ratio: non potest autem concedere indulgentiam per solum interiorem actum, ergo nec reuocare. Contrarium nihilominùs verum est, & commune; quia efficacia indulgentiæ pendet ex voluntate concedentis, vt sæpe dictum est. Item, quia licèt exteriùs concedat sine intentione interiori, nihil facit: ergo licèt continet (vt sic dicam) externam concessionem, si intentionem mutet, iam nihil facit. Et ideò non est simile de concessione, nam ad hãc vtrunque requiritur, scilicet voluntas, & interior actus: & ideò quolibet horum sublato, aufertur, quia facilius est destruere, quàm construere, & quia bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu. Qualiter autem peccaret Pontifex qui hoc faceret, nam esset grauis illusio & deceptio Ecclesiæ. Et ideò nunquàm id Pontifices faciunt sine expressa reuocatione externa, siue per specialia, siue per generalia verba, quæ tamen sufficiant ad voluntatem explicandam. Neque etiam volunt habere effectum saltem vsque ad sufficientem promulgationem, quia oppositum esset nimis durum. Expectare verò in singulis actualem notitiam ad hunc effectum, non est tam necessarium ad prudentem reuocationem; est tamen pium & fauorabile. Atque hæc omnia, quæ de reuocatione sunt dicta, intelligenda etiam sunt de suspensione: vt idem Doctores asserunt, quia est veluti quædam reuocatio ad tempus facta, quo elapso, indulgentia restituitur.

## *De tertio modo quo indulgentia cessare potest.*

11 Tertius modus quo indulgentia tollitur, est per destructionem rei, pro qua indulgentia est concessa. Ita Palud. Sylvest. Nauar. Cordub. & omnes. Ratio est, quia destructis nobis, destruuntur ea, quæ sunt in nobis: indulgentia autem est veluti quoddam morale accidens adhærens ei, cui conceditur. Vt tamen hoc magis explicetur, aduertenda est distinctio suprà data de indulgentia personali, & locali. In priori ergo est res manifesta, si indulgentia sit propria personæ, quæ vitalis potiùs, quàm perpetua dici potest. Si autem sit indulgentia communitatis, in illa semper manet indulgentia, quanuis deficiente particulari persona, desinat esse quoad illam, nam si quis possit illam lucrari pro membro iam defuncto, id est, ex alio titulo, scilicet, quia reliquis viuentibus etiam pro mortuis concessa est. Oportet autem aduertere, aliud esse loqui de persona, cui Pontifex facit gratiam indulgentiæ, id est, qui à Pontifice illam impetrat: aliud verò de iis, pro quibus indulgentia conceditur, scilicet, vt eam lucrentur, si hoc vel illud fecerint. Nam personalis indulgentia extinguitur cum persona, quæ lucratura est suo opere indulgentiam, non verò cum impetrante illam, nisi talis terminus in ipsa concessione præfigatur, quia aliàs indulgentia per se non pendet à tali persona. At verò de indulgentia locali omnes concedunt extingui destructo loco, quia, licèt non propriè ipsi loco concedatur, sed hominibus, qui eam lucraturi sunt, tamen,

tamen, quia eam non possunt lucrari in tali loco, in cuius gratiam concessa est, ideò, destructo loco, tollitur, potestas lucrandi indulgentiam. Et declaratur à simili, nam indulgentia concessa vt tali tempore obtineatur, transacto tempore extinguitur, quia iam non existit illa mensura durationis pro qua concessa fuit. Similiter ergo destructo loco perit indulgentia, quia tollitur locus, pro quo solo concessa fuerat. Hîc verò occurrebant dubitationes, quantam oporteat esse talem destructionem, & quid dicendum sit si templum reædificetur. Sed hæ tractandæ latè à nobis sunt in materia de Interdicto, vbi sunt magis propriæ.

*De quarto modo cessationis indulgentiæ.*

12 QVartus modus addi solet, quòd vna indulgentia destruatur interdum per aduentum alterius, quando ambæ simul in eodem existere non possunt: vt v.g. si in die dedicationis alicuius Ecclesiæ Episcopus concessit vnum annum indulgentiæ, & superueniens Archiepiscopus similem concedat indulgentiã, hæc posterior valebit, & prior extinguetur. Ita Cordub. Cordub. q. 36. in fine. Sed non placet hic dicendi modus: existimo enim nunquàm indulgentiam hoc modo tolli, sed potiùs posteriorem irritam esse, loquendo ex iure communi, seu ex vi ipsarum indulgẽtiarum. Nam si concedens nolit dare vnam, nisi reuocando priorem iam hic modus pertinebit ad secundum priùs positum. Declaratur ergo & probatur nostra sententia: nam in primis hoc non habet locum in indulgentiis personalibus, quia nunquàm sunt incompatibiles in eadem persona plures indulgentiæ, nec scio de hac re esse aliquod ius statutum. De localibus autem est regula 57. Cancellariæ, duas indulgentias esse incompatibiles in eodem loco, si nulla facta fuit mentio prioris in impetratione posterioris: tunc autem non excludit posterior priorem, sed potiùs posterior est nulla, eò quòd per subreptionem impetrata censetur. Sic ergo in prædicto exemplo, quando Archiepiscopus concedit annum indulgentiæ facta iam concessione ab Episcopo, censeo posteriorem concessionem esse nullam, quia est vltra terminos iuris, & quia iam ibi factum erat quantùm fieri poterat, & locus ille est incapax (vt sic dicam) plurium indulgentiarum ex vi iuris, neque Archiepiscopus tãtam habet potestatem, vt possit reuocare indulgentiam datam ab Episcopo: nullum enim ius talem facultatem illi tribuit: sicut neque è contrario si Archiepiscopus præueniat, poterit Episcopus illius indulgentiam tollere, & suam intromittere, quia non habet etiam in hoc superiorem facultatem: videtur ergo esse hoc ius præueniẽtis. Nunquàm ergo potest fingi casus, in quo vna indulgentia aliam expellit.

*De quinto cessationis modo.*

13 QVintus modus extinguendi indulgentiam excogitari potest per renũciationem eius, nam vnusquisque potest proprio priuilegio, quatenus ad ipsum spectat, renunciare, iuxta cap. *Nuper*, & communem sententiam Doctorum ibi, de Decimis: indulgentia autem est veluti quoddam priuilegium: ergo. Sed hic etiam modus nunquàm moraliter contingere potest. Etenim cùm in indulgentiis exerceatur iurisdictio voluntaria, poterit quis liberè renũciare vsui illarum tamen per suam renunciationem non potest voluntatem concedentis mutare, aut irritare, & ideò quoties ipse voluerit mutare voluntatem suam, poterit tali indulgentia vti. Indulgentia ergo ipsa extincta non fuit, quia facultas lucrandi illam semper manet. Neque est simile de aliis priuilegiis, quæ conferunt aliquod ius, cui homo renunciare potest, qua renunciatione acceptata, statim tali iure priuatur: per indulgẽtias autem, vt dixi, nullum acquiritur ius, sed consistunt semper in liberali beneficio concedentis. Quòd si quis fortasse fingat, eum, qui indulgentiam concessit, acceptare renunciationem, id potiùs esset indulgentiam reuocare quasi in pœnam eius, qui illam lucrari noluit. Et simili modo, si fingamus superiorem concedere posteriorem indulgentiam sub conditione, vt renuncietur priori, illud etiam virtualiter esset vnam reuocare dando aliam, vel solùm velle alterutram concedere ad liberam electionem recipientis.

*De sexto cessationis modo.*

14 SExtus & vltimus modus cessandi indulgentiam cogitari potest, per cessationem causæ, propter quam concessa est, tum quia, cessante causa, cessat effectus: tum etiam, quia indulgentia concessa sine causa est nulla: ergo etiam fit nulla, cessante causa, quia nunquàm hæc liberalis remissio potest fieri sine causa: fieret autem sine vlla causa, si post illam ablatam indulgentia operaretur. Denique declaratur à simili, quia tributum propter causam impositum cessat, cessante causa. Nihilominùs etiam hunc modum prætermittunt Auctores, & meritò, quia ex solo hoc capite nunquàm desinit indulgentia. Quod patet, quia non est necesse vt causa tantùm duret, quantùm durat indulgentia: nam propter causam temporalẽ potest concedi indulgentia perpetua. Igitur à principio considerãda est causa indulgentiæ, nam, si illa fuit sufficiens ad tantam indulgentiam pro tali tempore concedendam, etiamsi illa transeat, indulgentia durabit, vt v. g. dedicatio Ecclesiæ, quæ vno die fit, est sufficiens causa vt concedatur indulgentia vnius anni, & respectu Pontificis posset esse sufficiens ad indulgentiam perpetuam, præsertim si aliæ causæ concurrerent. Non est ergo hæc talis causa, à qua pendeat effectus in fieri, & conseruari, sicut esse solet in aliquibus tributis, de quibus proinde alia ratio est. Verum est tamen, ex hac causa semper relinqui aliquem effectum, vel saltem aliquem respectum moralem ad illam, ratione cuius talis duratio indulgentiæ, nunquàm est sine sufficienti causa morali. At verò si à principio causa non sit sufficiens ad concedendam perpetuam indulgentiam, sed solùm pro tanto tempore, tunc quidem etiamsi perpetua concedatur, non est in totum valida. sed solùm pro tempore proportionato causæ. Sicut enim in alia quantitate indulgentiæ seruanda est proportio ad causam, ita etiam in duratione. Et ideò transacto illo proportionata tempore, cessabit indulgentia apud Deum, non quia cessauit causa: fieri enim potest vt anteà iam cessauerit, sed quia à principio concessio non fuit valida, nisi pro tali tempore. Relinquitur ergo, vt indulgentia solùm per reuocationem, vel destructionem rei, cui annexa est, possit extingui. Atque hæc de hac materia, & de toto hoc opere, ad laudem Omnipotentis Dei, dixisse sufficiat. Resolutio totius sect.

FINIS.

# INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM DIVI THOMÆ, QVÆ IN HOC TOMO QVARTO EXPONVNTVR.

*Prior numerus paginam indicat, posterior columnam.*


Quæstio octuagesima quarta.

*De sacramento Pœnitentiæ.*

Articulus.

VTRVM Pœnitentia sit sacramentum. 5.1
2 Vtrùm peccata sint propria materia huius sacramenti. 6.1
3 Vtrúm hæc sit forma huius sacramenti, *Ego te absoluo.* 7.1
4 Vtrùm impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. 9.1
5 Vtrùm hoc sacramentum sit de necessitate salutis. 10.1
6 Vtrùm Pœnitentia sit secunda tabula post naufragium. 11.1
7 Vtrùm hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua lege institutum. 12.1
8 Vtrùm Pœnitentia debeat durare vsque ad finem vitæ. 15.2
9 Vtrùm Pœnitentia possit esse continua. 17.1
10 Vtrùm sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari. 18.1

Quæstio LXXXV.

*De sacramento Pœnitentiæ secundùm quòd est virtus.*

Articulus.

1 Vtrùm Pœnitentia sit virtus. 20.1
2 Vtrùm Pœnitentia sit specialis virtus. 78.1
3 Vtrùm virtus Pœnitentiæ sit species iustitiæ. 80.1
4 Vtrùm voluntas sit propriè subiectum pœnitentiæ. 82.1
5 Vtrùm principium pœnitentiæ sit ex timore. ead.2
6 Vtrùm pœnitentia sit prima virtutum. 84.1

Quæstio LXXXVI.

*De effectu pœnitentiæ, quoad mortalium peccatorum remissionem.*

Articulus.

1 Vtrùm per pœnitentiam omnia peccata remoueantur. 89.1
2 Vtrùm sine pœnitentia peccatum remitti possit. 101.2
3 Vtrùm possit per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti. 113.2
4 Vtrùm remissa culpa per pœnitentiam, remittatur reatus pœnæ. 115.2
5 Vtrùm remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati. 118.1
6 Vtrùm remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ. 119.1

Quæstio LXXXVII.

*De remissione venialium peccatorum.*

Articulus.

1 Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia. 128.2
2 Vtrùm ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio. 131.1
3 Vtrùm venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, &c. huiusmodi. 147.2
4 Vtrùm veniale peccatum possit remitti sine mortali. 149.1

Quæstio LXXXVIII.

# Index Quæſt.& Articulorum D.Thomæ.


*De reditu peccatorum per pœnitentiam remiſſorum.*

*Articulus.*
1 Vtrùm peccata dimiſſa redeant per ſequens peccatum. 156.1
2 Vtrùm peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundùm odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſſionis,& dolorem de Pœnitentia habita. 159.1
3 Vtrùm per ingratitudinem peccati ſequentis, conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum. 160.2
4 Vtrùm ingratitudo, ratione cuius ſequens peccatum facit redire peccata priùs dimiſſa, ſit ſpeciale peccatum. 161.2

Quæſtio LXXXIX.

*De virtutum recuperatione per Pœnitentiam.*

*Articulus.*
1 Vtrùm per pœnitentiam virtutes reſtituantur. 174.2
4 Vtrùm poſt pœnitentiam reſurgat homo in æquali virtute. 176.2
3 Vtrùm per pœnitentiam reſtituatur homo in priſtinam dignitatem. 179.1
4 Vtrùm opera virtutum in charitate facta, poſſint mortificari. 182.1
5 Vtrùm opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reuiuiſcant. 183.1
8 Vtrùm per pœnitentiam ſubſequentem, etiam opera mortua viuificentur. 185.1

Quæſtio XC.

*De partibus pœnitentiæ in generali.*

*Articulus.*
1 Vtrùm pœnitentiæ debeant partes aſſignari. 186.2
2 Vtrùm conuenienter aſſignentur partes pœnitentiæ, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. 188.1
3 Vtrùm prædicta tria, ſint partes integrales pœnitentiæ. 190.1
4 Vtrùm conuenienter diuidatur pœnitentia in pœnitentiam ante Baptiſmum, pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium. 191.1


FINIS.

INDEX

# INDEX
# DISPVTATIONVM AC
## SECTIONVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR,

*Prior numerus paginam, posterior columnam designat.*


DISPVTATIO PRIMA,
De pœnitentia in communi.

Sectio.
QVÆ sint ea, in quibus virtus & sacramentum pœnitentiæ conueniunt. 1.2
2 Quibus modis differant, sacramentum, & virtus pœnitentiæ. 3.2

Disputatio II.
De obiecto virtutis pœnitentiæ.

Sectio.
1 Quod sit materiale obiectum virtutis pœnitentiæ. 21.1
2 Vtrùm bonum opus, & Deus ipse cadant sub obiectum virtutis pœnitentiæ. 24.1
3 An hæc virtus habeat proprium obiectum formale, & quod illud sit. 25.1
4 An hæc virtus detestetur peccata vt rationi contraria. 27.2

Disputatio III.
De actibus virtutis pœnitentiæ in communi.

Sectio.
1 Vtrùm actus pœnitentiæ sit actus voluntatis, & quotuplex. 29.2
2 Vtrùm virtus pœnitentiæ habeat actus tendendi in bonum, & recedendi à malo. 30.2
3 Vtrùm actus pœnitentiæ absolutus sit, & efficax. 31.2
4 An detestatio peccati sit actus elicitus à pœnitentia, vel charitate. 33.1
5 Vtrùm actus pœnitentiæ honestus sit. 35.1
6 Vtrùm actus pœnitentiæ supernaturalis sit. 36.1
7 An detur aliqua pœnitentia naturalis. 39.1
8 Vtrùm verus pœnitentiæ actus esse debeat vniuersalis de omnibus peccatis. 40.2
9 Vtrùm actus pœnitentiæ sit detestatio peccati supra omne aliud malum. 43.2
10 Vtrùm vnum peccatum sit detestabilius alio. 46.2

Disputatio IV.
De Contritione secundùm se.

Sectio.
1 An contritio sit formalis actus pœnitentiæ. 49.2
2 Vtrùm ad veram contritionem requiratur formalis amor Dei super omnia, & quòd detestatio peccati in illo fundetur. 51.1
3 Vtrùm propositum formale non peccandi in futurum sit de ratione contritionis: & an contritio sit vnus simplex actus. 54.2
4 An ad contritionem requiratur intentio. 57.1
5 Vtrùm ad contritionem requiratur aliqua duratio. 60.1
6 An contritio petat recogitationem peccatorum. 62.1
7 An contritio semper gratia formetur. 65.1

Disputatio V.
De attritione.

Sectio.
1 In quo differat attritio à contritione. 68.1
2 Quomodo sit honesta attritio. 70.1
3 Vtrùm attritio possit fieri contritio. 73.2

Disputatio VI.
De actu exteriori pœnitentiæ.

Sectio.
1 Quis sit actus proprius exterior pœnitentiæ. 76.1
2 Quotuplex sit huiusmodi actus. 77.1

Disputatio VII.
De habitu virtutis pœnitentiæ.

1 An pœnitentia sit virtus moralis. 84.2 Sectio.
2 An pœnitentia à religione differat. 88.2

Disputatio VIII.
De primo effectu pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum mortalium.

1 An pœnitentia tollat peccata mortalia. 90.2 Sectio.
2 An in hac vita semper sit locus pœnitentiæ. 95.1
3 Quomodo pœnitentia remittat peccatum. 99.1

Disputatio IX.
De necessitate pœnitentiæ ad hunc primum effectum remittendi peccatum mortale.

1 De necessitate pœnitentiæ ad mortalis remissionem 103.2 Sectio.
2 Vtrùm de potentia absoluta possint peccata mortalia sine pœnitentia remitti. 106.2
3 An mortale possit sine infusione gratiæ remitti. 104.2
4 An possit peccatum remitti sine physica mutatione peccatoris. 108.2

Disputatio X.
De perfectione remissionis peccati mortalis, quatenus à pœnitentia fit.

1 An remisso vno mortali, omnia remittantur. 120.1 Sectio.
2 Vtrùm per pœnitentiam remittatur æterna pœna. 122.1
3 Vtrùm per pœnitentiam tota pœna temporalis remittatur. 123.2

Disputatio XI.
De remissione venialium peccatorum, prout est effectus pœnitentiæ.

1 An remissio venialis sit opus gratiæ. 133.1 Sectio.
2 Vtrùm ad remissionem venialis peccati habitualis gratia requiratur. 134.2
3 An ad remissionem venialium, pœnitentia requiratur. 140.2
4 De remissione venialis post hanc vitam. 146.2

Disputatio XII.
De remissione venialium per alia opera.

1 De remissione venialium per sacramenta. 149.2 Sectio.
2 De remissione venialium per sacramentalia. 153.1

Disputatio XIII.
De perfectione dicti effectus pœnitentiæ.

1 De reditu peccatorum quoad culpam per subsequens peccatum. 162.2 Sectio.
2 De reditu peccatorum quoad pœnam. 164.2
3 An peccata remissa virtute redeant. 170.2

Disputatio XIIII.
De effectu pœnitentiæ, quoad reparanda merita deperdita.

1 Remittitur in librum Opusculorum. 186.1 Sectio.

Disputatio XV.
De præceptis virtutis pœnitentiæ.

2 Vtrùm qui mortaliter peccauit teneatur sub præcepto de pec Sectio.

# Index disputationum.


de peccato conteri. 194.1
2 Sitne impœnitentia speciale peccatum. 197.1
3 Vtrùm præceptum pœnitentiæ naturale sit, vel positiuum. 201.1
4 Vtrùm præceptum pœnitentiæ semel tantùm in vita obliget. 205.1
5 Vtrum præceptum contritionis obliget statim post commissum peccatum. 209.1
6 Pro quo tempore obliget hoc pœnitentiæ præceptum. 217.1
7 An teneatur homo in hac vita satisfacere pro pœna temporali. 221.1

Disputatio XVI.
De potestate clauium.

Sectio. 1 An fuerit data ministris Ecclesiæ. 223.1
2 An sit quoad culpas, vel quoad pœnas tantùm. 226.1
3 An sit ordinis, vel iurisdictionis. 229.2
4 An sit clauis Regni Cœlorum. 237.1

Disputatio XVII.
De institutione sacramenti pœnitentiæ.

Sectio. 1 An fuerit institutum à Christo ab aliis distinctum. 239.2
2 De necessitate illius ad remissionem mortalis post baptismum. 241.2
3 An sufficiat in voto. 251.1

Disputatio XVIII.
De essentia sacramenti pœnitentiæ.

Sectio. 1 Quæ sit eius materia remota. 253.2
2 An constet materia & forma sacramentali. 255.2
3 Ex qua materia, & forma constet. 258.2
4 An sit iterabile. 259.2
5 Sitne in illo aliquid quod sit res, & sacramentum simul. 261.2
6 Sitne in illo aliquis ritus necessarius. 264.1

Disputatio XIX.
De forma sacramenti pœnitentiæ.

Sectio. 1 Vtrùm de essentia huius formæ sint hæc sola verba voce prolata, Absoluo te. 265.1
2 Quis sit sensus verborum formæ. 270.1
3 An possit dirigi ad personam absentem. 275.1

Disputatio XX.
De dolore ad hoc sacramentum necessario.

Sectio. 1 An hoc sacramentum faciat ex attrito contritum. 278.1
2 Quæ attritio necessaria sit, & sufficiat. 283.2
3 An ad eius valorem sola voluntas confitendi sufficiat. 286.1
4 Quis dolor sit de eius valore. 287.2
5 De confessione informi ex defectu doloris. 295.2
6 De dolore ad confessionem venialium necessaria. 298.2

Disputatio XXI.
De confessione.

Sectio. 1 Quid sit, & quas conditiones requirat. 300.2
2 De auriculari confessione. 301.2
3 An debeat fieri voce humana. 303.2
4 An debeat fieri sacerdoti præsenti. 305.1

Disputatio XXII.
De integritate confessionis.

Sectio. 1 An debeat esse de omnibus mortalibus. 307.1
2 An omnes malitiæ species distinctæ confitendæ sint. 309.2
3 An circunstantiæ non mutantes speciem, sint aperiendæ. 311.1
4 Quomodo singulæ circunstantiæ sint de necessitate confessionis. 314.2
5 Vtrùm necesse sit numerum peccatorum distinctè explicare. 319.1
6 Vtrùm necesse sit peccata iam ritè confessa dicere. 326.1
7 De confessione non iteranda. 328.1
8 Vtrùm necesse sit venialia peccata confiteri. 330.1
9 Vtrùm necesse sit confiteri peccata dubia. 331.2
10 Vtrùm sit contra integritatem aliquid addere præter veritatem. 332.2

Disputatio XXIII.
De integritate formali confessionis.

1 An in mortis periculo sufficiat confessio non integra. 335.2 Sectio.
2 An aliquando liceat peccatum mortale in confessione omittere. 338.1
3 Quæ confessio sit formaliter integra. 339.2
4 Quæ integritas sufficiat ad valorem confessionis. 340.2

Disputatio XXIIII.
De Ministro confessionis in communi.

1 Vtrùm minister huius sacramenti sit sacerdos. 341.2 Sectio.
2 Vtrùm omnis sacerdos sit minister huius sacramenti. 344.2

Disputatio XXV.
De Ministro huius sacramenti ex ordinaria potestate.

1 Qui sint ministri ordinarij huius sacramenti. 346.2 Sectio.
2 Quis sit proprius sacerdos. 350.1

Disputatio XXVI.
De Ministro huius sacramenti ex delegata potestate.

1 Qui possint iurisdictionem delegatã dare, vel recipere. 353.1 Sectio.
2 In quibus sit iurisdictio delegata. 356.2
3 Quam sit durabilis hæc iurisdictio. 359.1
4 An in articulo mortis quilibet sacerdos habeat delegatam iurisdictionem. 361.1
5 De iurisdictione ad absoluendum à solis venialibus. 362.2
6 An sufficiat dubia, vel probabilis iurisdictio. 363.2

Disputatio XXVII.
De facultate eligendi confessorem.

1 Quis possit facultatem eligendi confessorem concedere. 366.1 Sectio.
2 Quibus hæc facultas à iure sit concessa. 367.1
3 An alicui ex consuetudine concedatur hæc facultas. 372.1
4 Qualis debeat esse facultas eligendi confessorem. 373.1

Disputatio XXVIII.
De sacerdote idoneo, vt eligatur.

1 Vtrùm in sacerdote requiratur bonitas, vt sit idoneus. 378.2 Sectio.
2 An requiratur scientia. 380.2
3 Vtrùm ius antiquum amplius requirat. 383.2
4 Quis sit idoneus iuxta Trident. Concil. 385.1
5 A quo sit danda approbatio. 389.2
6 Cuius Episcopi approbatio necessaria sit. 392.2
7 An vnius Episcopi approbatio pro tota Ecclesia sufficiat. 396.1
8 An approbatio semel concessa possit reuocari. 401.1

Disputatio XXIX.
De Ministro quoad casus reseruatos.

1 An sit in Ecclesia potestas reseruandi peccata. 403.1 Sectio.
2 An sola peccata, quæ habent excommunicationem annexam, reseruari possint. 404.2
3 Vtrùm omnia peccata mortalia reseruentur. 407.1
4 An peccata possint reseruari pro arbitrio Superioris. 409.2

Disputatio XXX.
De ministro directo quoad reseruata.

1 Quis possit directè absoluere à reseruatis. 411.2 Sectio.
2 Quis per generalem delegationem. 413.1
3 Vtrùm in casibus extraordinariis possit inferior absoluere. 416.1
4 Vtrùm debeat Superior dare facultatem subdito petenti. 419.2
5 An debeat Superior facultatem dare absolutè. 422.1


Dispu

# Index disputationum.


Disputatio XXXI.

De modo absoluendi à casibus reseruatis.

Sectio.
1 Vtrùm possit superior à solis reseruatis absoluere. 429.1
2 An inferior possit à solis non reseruatis absoluere. 431.1
3 Quid in casu necessitatis faciendum sit. 433.1
4 Absolutio Superioris an reseruationem tollat. 435.2

Disputatio XXXII.

De obligationibus Ministri.

Sectio.
1 Quis sacerdos teneatur fidelium confessiones audire. 441.2
2 Quomodo certus fiat de dispositione pœnitentis. 443.1
3 Quam diligentiam teneatur adhibere. 444.1
4 Quid aget, si pœnitens per ignorantiam sit in statu malo. 445.2
5 An debeat absoluere in opinionum diuersitate. 446.2
6 Quid aget, si malè absoluat pœnitentem. 447.2
7 Vtrùm aliqua pœna sit ipsò iure imposita propter indebitam administrationem huius sacramenti. 449.2

Disputatio XXXIII.

De sigillo confessionis.

Sectio.
1 Quo iure teneatur confessor illud seruare. 450.1
2 Ex qua confessione oriatur. 453.1
3 Circa quam materiam propriè versetur. 455.1
4 Quas personas obligat hoc sigillum. 457.1
5 An confessor possit loqui cum pœnitente de auditis. 458.2
6 Quomodo seruandum sit secretum. 461.1
7 An, & quando liceat vti notitia in confessione comparata. 463.1
8 Quæ pœna propter fractionem sigilli incurratur. 465.2

Disputatio XXXIIII.

De secreto circa complicem.

Sectio.
1 An possit pœnitens complicem aperire in confessione. 466.2
2 An possit reuelari à pœnitente propter integritatem confessionis. 467.2
3 An teneatur confessor seruare sub sigillo peccatum illius. 471.2
4 An possit confessor de licentia pœnitentis corrigere complicem. 474.2

Disputatio XXXV.

De præcepto diuino confessionis.

Sectio.
1 Vtrùm confessio sit de iure diuino. 490.1
2 Quas personas obliget. 494.1
3 Quo tempore obliget vt diuinum est. 495.1
4 Per quam confessionem impleatur hoc diuinum præceptum. 497.2

Disputatio XXXVI.

Sectio. De Præcepto Ecclesiastico annuę confessionis.
1 An sit latum ab Ecclesia. 499.1
2 Vtrùm baptizati habentes peccatum illo obligentur. 500.2
3 Quomodo annus computandus sit. 501.2
4 An qui confitetur in vno anno, teneatur confiteri in sequenti. 504.2
5 An teneantur fideles anticipare confessionem. 506.1
6 Quibus modis homo excusetur. 507.2
7 Per quam confessionem impleatur. 509.1
8 De pœna imposita transgressoribus. 510.1

Disputatio XXXVII.

De satisfactione secundùm se.

Sectio.
1 An possimus consequi remissionem pœnæ temporalis. 511.2
2 Vtrùm ad satisfaciendum requiratur gratia viatoris. 513.1
3 Vtrùm requirat opus liberum & moraliter bonum, ad satisfaciendum factum. 515.1
4 An possit fieri per opera præcepta. 516.1
5 An fiat per solos actus internos, vel externos. 517.1
6 Vtrùm opus, per quod satisfactio fit, debeat esse pœnale. ead.2
7 An possit fieri per ea, quæ necessariò patimur. 520.1
8 Vtrùm ad nostram satisfactionem requiratur diuina promissio, & acceptatio. 521.2
9 Vtrùm nostra satisfactio sit de condigno. 522.2
10 An per eam remittatur pœna Purgatorij. 523.2

Disputatio XXXVIII.

De sacramentali satisfactione.

Sectio.
1 An sit pars necessaria huius sacramenti. 525.1
2 An habeat aliquem effectum ex opere operato. ead.2
3 An confessor teneatur illã imponere pœnitenti. 527.1
4 Quam mensuram seruare debeat confessor in illa imponenda. 528.1
5 Vtrùm consistat in indiuisibili. 529.1
6 Quæ opera sint in satisfactionem imponenda. 530.1
7 An teneatur pœnitens illam acceptare. 531.1
8 An implenda sit in statu gratiæ. 532.2
9 An sit omninò personalis. 534.1
10 Quis possit illam tollere, vel mutare. ead.2

Disputatio XXXIX.

De institutione Extremæ vnctionis.

Sectio.
1 An sit in Ecclesia tale Sacramentum. 538.1
2 An fuerit à Christo institutum. 541.1

Disputatio XL.

De Essentia sacramenti Extremæ vnctionis.

Sectio.
1 De Materia remota huius sacramenti. 542.1
2 De materia proxima. 545.1
3 Quæ sit legitima huius sacramenti forma. 546.2
4 De eius definitione, vnitate, atque iteratione. 549.1

Disputatio XLI.

De effectu, & fine huius sacramenti.

Sectio.
1 Quis sit effectus gratiæ huius sacramenti. 551.1
2 Quando hoc sacramentum conferat gratiæ effectum. 557.1
3 An interdum detur sine omnibus vnctionibus. 560.2
4 An per illud tribuatur corporis sanitas. 562.1

Disputatio XLII.

De subiecto cui dandum est hoc sacramentum.

Sectio.
1 Vtrùm sit solus baptizatus vtens ratione. 564.1
2 Vtrùm sit solus infirmus corpore, & animo. 566.1
3 Quæ partes corporis sint vngendæ. 568.2

Disputatio XLIII.

De ministro Extremæ vnctionis.

Sectio.
1 Vtrùm sit sacerdos. 569.2
2 Vtrùm sint plures sacerdotes. 571.1

Disputatio XLIV.

De præceptis, & ritu extremæ vnctionis.

Sectio.
1 Vtrùm detur præceptum suscipiendi hoc sacramentum. 573.2
2 De præceptis ministri huius sacramenti. 576.2
3 An parochus teneatur ministrare cum periculo vitæ. 578.1

Disputatio XLV.

De Purgatorio, an, & vbi sit.

Sectio.
1 Deturne aliquis locus, in quo animæ purgentur. 583.1
2 An sit vnus Purgatorij locus. 594.1

Disputatio XLVI.

De genere & acerbitate pœnæ Purgatorij.

Sectio.
1 Vtrùm animæ Purgatorij pœnam damni, & sensus patiantur. 598.2
2 An pœna sensus Purgatorij sit à vero igne, & quomodo fiat. 601.2
3 Quàm sit acerba pœna ignis Purgatorij. 607.1
4 Quàm sit diuturna Purgatorij pœna. 609.1

Disputatio XLVII.

De statu gratiæ animarum Purgatorij.

Sectio.
1 An careant omni culpa. 612.1

# Et sectionum.


1 *An sint in statu merendi.* 614.2
2 *An sint certæ de sua æterna salute.* 616.2

Disputatio XLVIII.
De Suffragiis.

1 *Possintne fideles ab alijs per suffragia iuuari.* 619.2
2 *Possitne verus fidelis pro alterius pœna satisfacere.* 621.2
3 *Vtrùm viuis infallibiliter prosint.* 625.2
4 *Vtrùm viuorum suffragia defunctis prosint.* 628.2
5 *Quibus modis prosint animabus Purgatorij.* 632.2
6 *An prosint defunctis ex iustitia.* 636.1
7 *De conditionibus ex parte eius, pro quo offeruntur.* 639.1
8 *De conditionibus requisitis ex parte offerentis illa.* 640.2

Disputatio XLIX.
De Potestate concedendi indulgentias.

Sectio.
1 *An sit in Ecclesia.* 647.2
2 *Quam sit antiquus in Ecclesia indulgentiarum vsus.* 652.1
3 *Sine ordinis, an iurisdictionis.* 656.1
4 *Quid sit indulgentia.* 658.1
5 *Qualis sit vsus indulgentiæ.* 662.1

Disputatio L.
De effectu indulgentiarum.

Sectio.
1 *An extendatur ad culpæ remissionem.* 664.1
2 *Quam pœnam temporalem tollat indulgentia.* 667.2
3 *Quam pœnam indulgentia remittat.* 671.1
4 *Quotuplex sit.* 676.1
5 *De Indulgentia partiali.* 678.2

Disputatio LI.
De Thesauro Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur.

Sectio.
1 *Vtrùm in Ecclesia sit spiritualis thesaurus, qui per indulgentias dispensari valeat.* 684.1
2 *Vtrùm Thesaurus Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur constet etiam ex satisfactionibus Sanctorum.* 686.1
3 *Vtrùm Indulgentiæ tantùm concedi possint ex Thesauro Ecclesiæ.* 691.2
4 *An Ecclesiæ Thesaurus solùm per indulgentias dispensetur.* 696.2

Disputatio LII.
De fidelibus viuentibus, quibus prodesse possunt indulgentiæ.

Sectio.
1 *Vtrùm indulgentia solis hominibus concedi possit, & quomodo diuidatur in localem, realem, & personalem.* 698.1
2 *Quæ habitualis dispositio requiratur in eo, qui indulgentiam lucraturus est.* 703.2
3 *An ad indulgentiæ effectum sit necessaria confessio.* 708.1
4 *Vtrùm actualis dispositio necessaria sit ad effectum indulgentiæ consequendum.* 711.2
5 *An, & quomodo præstandum sit opus expressum in forma indulgentiæ, vt fructus obtineatur.* 713.1
6 *An opus ad indulgentiam postulatum, honestum in individuo requiratur.* 715.2
7 *Vtrùm inter viuentes possit indulgentia abuno, per opus ab alio factum comparari.* 717.1
8 *Vtrùm omnes facientes opus ad indulgentiæ requisitum, statim, & æqualiter fructum eius consequantur.* 718.2
9 *Vtrùm præter gratiam, & opus iniunctum requiratur aliqua alia dispositio actualis, vel habitualis ex parte recipientis indulgentiæ fructum.* 721.1

Disputatio LIII.
De defunctis quibus indulgentiæ prodesse possunt.

1 *Vtrùm animæ defunctorum sint capaces fructus indulgentiarum.* 723.1 Sectio.
2 *Vtrùm indulgentiæ valeant defunctis per modum absolutionis, vel tantùm per modum suffragij.* 724.2
3 *Quid sit indulgentiam concedi defunctis per modum suffragij, & quomodo ab indulgentia per modum absolutionis differat.* 726.2
4 *Quæ conditiones requirantur ad valorem indulgentiæ pro defunctis.* 731.1

Disputatio LIIII.
De causa finali propter quam concedi possunt, ac debent indulgentiæ.

1 *Vtrùm ad concedendam indulgentiam necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moueat concedentem.* 733.2 Sectio.
2 *Vtrùm legitima causa ita sit necessaria ad indulgentiam, vt sine illa concessa, sit nulla.* 735.1
3 *Vtrùm ad indulgentiæ valorem requiratur causa non solùm iusta, sed etiam proportionata.* 740.1
4 *Vtrùm necesse sit causam indulgentiæ esse publicam, seu ad commune bonum pertinere.* 744.2

Disputatio LV.
De causa efficiente indulgentiarum.

1 *An solus Summus Pontifex habeat diuino iure potestatem concedendi indulgentias.* 748.1 Sectio.
2 *Vtrùm inferiores sacerdotes, vel saltem Episcopi habeant iure diuino potestatem concedendi indulgentias aliquibus personis, vel locis.* 750.1
3 *Vtrùm Episcopi possint indulgentias concedere ordinario iure humano.* 751.2
4 *Quid possint humano iure ordinario inferiores prælati, aut sacerdotes circa indulgentiarum concessionem.* 758.1
5 *Quid possint Prælati religionum circa indulgentias concedendas.* 759.2
6 *In quibus sit, vel esse possit potestas delegata ad indulgentias concedendas.* 762.2

Disputatio LVI.
De forma in concedendis indulgentiis seruandæ.

1 *Vtrùm ad indulgentiam concedendam, seu efficiendam necessaria sit aliqua forma, eaq; determinata.* 764.1 Sectio.
2 *Vtrùm indulgentiæ forma stricto, vel fauorabili iure interpretanda sit.* 769.2
3 *Vtrùm forma indulgentiæ tantum valeat, quantum sonat.* 771.2

Disputatio LVII.
De duratione, & reuocatione indulgentiæ.

1 *An indulgentia sit perpetua.* 774.1 Sectio.
2 *Quibus modis cesset indulgentia.* 775.2


FINIS.

INDEX

# INDEX
# LOCORVM SACRÆ
## SCRIPTVRÆ TAM VETERIS,
## QVAM NOVI TESTAMENTI,
### QVÆ IN HOC OPERE
### continentur.


*Exod.*

Cap.32. AVT *dimitte eis hanc noxam, aut dele me.* Exponitur de carentia æternæ gloriæ secundùm aliquos. 45.1.B

*Leuitic.*

23 *Affligetisque animas vestras.* De exteriori, & interiori pœnitentia exponitur, & præceptum ibi latum declaratur. 219.1.E

*Deuteron.*

4 *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum, & tota perturbatione animæ tuæ.* De amore Dei, & dolore peccati super omnia, exponitur. 51.1.D

ibid. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus.* De vniuersali Dei misericordia ad remittenda omnia peccata, exponitur. 93.2.A

*1. Regum.*

2 *Quis orabit pro illo?* id est, Insignem virum orantem postulat. 94.2.D

ibid. *Si fortè donet mihi eum Dominus.* Particula *Fortè*, incertitudinem dicit. 523.1.E

31 *Ieiunauerunt septem diebus.* Quale, & propter quid fuerit illud ieiunium. 585.1.B

*2. Regum.*

12 *Peccaui Domino.* De sufficientia veræ pœnitentiæ ad remissionem peccati ponderatur. 52.1.E

*3. Reg.*

4 *Qui orauerit in domo hac, &c.* De impetratione orationis exponitur. 154.2.B

17 *Reuersus es ad me, vt rememorarentur peccata mea,* scilicet, quoad aliquam pœnam temporalem. 165.2.D

*Tobiæ.*

4 *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue,* scilicet in oblationem pro defunctis. 585.1.D. 629.1.B

*Psalm.*

31 *Dixi, confitebor aduersum me.* De efficacia doloris ad veniam obtinendam, ponderatur. 52.1.E

ibid. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Significatur remissionem peccati esse opus diuinæ gratiæ. 134.1.E

33 *Timete Dominum omnes sancti eius,* De timore pœnarum, cum Basilio exponitur. 36.1.B

37 *Neque in ira tua corripias me,* id est, Purgatorij afflictione. 591.2.B

ibid. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Tractatur latè. 165.2.D, 166.1.E

50 *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c.* id est, Recognosco, vt defleam. 35.2.B

ibid. *Super niuem dealbabor.* De perfectione iustificationis exponitur. 111,2.D

ibid. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ponderatur contritionem vocari sacrificium, & cur. 88.2.D

83 *Cor meum, & caro mea exultauerunt.* Nam deuotio voluntatis solet in appetitum inferiorem redundare. 30.1.C

108 *In memoriam redeat iniquitas Patrum eis.* Vtique quoad aliquam pœnam temporalem. 165.2.D

118 *Particeps ego sum omnium timentium te.* Id est, cum eis consentio in obseruandis mandatis tuis, vel cum eis communico. 620.1.B

126 *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Non de morte & æterna hæreditate, sed de pace animæ, & abundantia bonorum ex Dei prouidentia prouenientum, exponitur. 593.2.B

146 *Qui sanat contritos corde.* De contritione peccatorum, & de quacunque afflictione potest exponi. 49.1.B

*Prouerbior.*

8. & 10. *Ego diligentes me diligo.* De necessaria connexione inter dilectionem Dei, & hominis exponitur. 105.1.D

11 *Mortuo homini impio nulla erit vltra spes,* &c. De pœnæ æternitate, & immutabilitate. 631.2.B

*Ecclesiastes.*

9 *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Exponitur. 593.1.C

11 *Si ceciderit lignum siue ad Austrum,* ibid. D

*Ecclesiasticus.*

2 *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei.* De necessitate formalis pœnitentiæ, vt medij ad remissionem peccati exponitur. 103.2.E

7 *Nullus potest corrigere, quem ipse despexit.* 95.2.B

ibid. *Mortuo non prohibeas gratiam,* id est, beneficentiam & subsidium. 585.1.E

Itē de suffragiis pro mortuis, exponitur. 629.1.C

17 *Ante mortem confitere.* De confessione laudis exponitur. 490.1.B

21 *Fili peccasti, ne adijcias iterum, & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Significatur necessitas pœnitentiæ, ad veniam peccatorum obtinendam. 35.2.B

24 *Penetrabo omnes inferni partes.* Quæ illæ fuerint, 629.1.B

30 *Miserere animæ tuæ placēs Deo.* De præcepto charitatis in spiritualibus ad seipsū exponitur. 197.1.B.

34 *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec in multitudine sacrificiorum propitiabatur.* Quòd sine gratia, opera nihil ad satisfaciendum valeant exponitur. 135.2.B

38 *Fili in mortuum produc lacrymas.* Attingitur. 629.1.B

*Sapientia.*

10 *Eduxit illum de delicto suo.* Id est, Adamum. 91.2.B

11 *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Non puniens statim, vt det tempus pœnitendi. ibid. & 96.1.D

*Isaias.*

1 *Si fuerint peccata vestra vt coccinum sicut nix dealbabuntur.* De vera remissione peccatorum exponi-

tur. 111.2.D
Ibid. *Lauamini, mundi estote, &c.* De operibus satisfactoriis. 511.2.D
22 *Dabo clauem Dauid super humerum eius.* De Christi principatu exponitur. 237.2.A
26 *A facie tua Domine concepimus.* Id est, ex timore tuo: *Domine in angustia requisiuimus te.* Septuaginta, *propter timorem tuum.* 70.2.E
30 *Cùm ingemueris, tunc saluus eris.* Iuxta Septuaginta; particula, *Tunc*, indicat connexionem inter contritionem, & gratiam. Eodem modo exponitur conditionalis iuxta vulgatam, *Si conuersus fueris, saluaberis.* 60.2.C
38 *Recogitabo tibi omnes annos meos*, scilicet ad detestanda præterita peccata. 35.2.A
43 *Narra, si quid habes, vt iustificeris*, Id est, Profer excusationem, si quam habes. 490.1.D
52 *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Per vincula, peccata etiam quoad culpam, intelliguntur & alia similia loca Scripturæ eodem modo exponuntur. 267.2.C

*Hierem.*

8 *Nunquid qui cadit, non resurget? attendi, & auscultaui, nullus est, qui agat pœnitentiam de peccato suo, dicens: Quid feci?* Quasi cõcludat, ideò nullus resurgit: vnde ostẽditur necessitas pœnitentiæ. 104.1.B
18 *Pone tibi amaritudinem, & dirige cor tuum.* Quia amaritudo pœnitentiæ est, quæ rectum facit cor, quod antea erat obliquum. ibid.
31 *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Exponitur de necessitate gratiæ ad pœnitentiam. 36.2.A

*Baruch.*

2 *Anima, quæ tristis est, reddit tibi gloriam.* Tristis per veram pœnitentiam, quæ est cultus quidam Dei. 88.2.D

*Ezechiel.*

6 *Dabo vobis cor nouum, &c.* Explicatur de efficacia diuinæ gratiæ circa agendam pœnitẽtiam. 36.2.A
18 *Si impius egerit pœnitentiam.* Detestando præteritam vitam, & nouam inchoando. *Et custodierit omnia præcepta mea, &c.* 35.1.C,E
Ibid. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ponderatur distributio, & confertur cum comminatione contraria. 93.1.E,D
33 *Ipse animam suam viuificabit.* Cooperando enim gratiæ Dei, sanctificat se. 99.2.E
Ibid. *Non imputabuntur ei.* Quia reuerà in eo non erunt. 111.2.C
Ibid. *Si auerterit se peccator, &c.* De promissione remissionis peccati propter pœnitentiam, exponitur. 52.1.E

*Daniel.*

4 *Peccata tua eleemosynis redime.* Vel satisfaciendo. 540.1.B. Vel auxilium impetrando. 514.2.B

*Ioel.*

2 *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Id est, interiorem pœnitentiam, magis quàm exteriorem à Deo postulari. 14.2.D
Ibid. *Conuertimini, &c. in ieiunio.* Duo distinctè præcipiuntur, pœnitentia, & noua vita. 35.1.E
Ibid. *Corda vestra, & ex toto corde vestro.* Cordis nomine voluntas significatur. 30.1.B
Ibid. *Scindite corda vestra.* De effectu contritionis, exponitur. 626.

*Ionas.*

3 *Quis scit si cõuertatur, & ignoscat Deus.* Exponitur de remissione pœnarum huius vitæ, quæ incerta est. 523.1.E

*Michæ.*

4 *Dole, & satage quasi parturiens.* De intentione, & magnitudine pœnitentiæ exponitur. 59.2.A

*Nahum.*

1 *Deus non iudicat bis in idipsum.* Variæ lectiones afferuntur, & expenduntur. 165.1.A
Ibid. *Mundans non facit innocentem.* Id est, Remittendo peccatum, non restituit innocentiam. 180.2.B

*Zachar.*

1 *Conuertimini*, &c. *& conuertar.* Continet promissionem gratiæ statim conferendæ homini contrito. 60.2.D

*2. Machab.*

9 *Orabat sceleſtus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus.* Exponitur quoad consequendam salutem corporis, pro qua tantùm orabat. 97.2.C
12 *Sancta, & salubris cogitatio, &c.* De Purgatorio, & Suffragiis pro mortuis latè exponitur. 584.1.D. & sequentib. 629.1.B

*Matth.*

3 *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Cùm Chrysost. exponitur, quòd fiat illatio vt de medio necessario. 104.1.A, 511.2.E
4 *Pœnitentiam agite.* Initium prædicationis Christi, cur à pœnitentia sumptum fuerit. 15.1.C, 194.2.A
5 *Si offers munus tuum ante altare, &c.* vsque ad illud, *Et tunc veniens offeres munus tuum.* Expenditur. 212.2.A
Ibid. *Amen dico tibi, non exies inde, donec soluas vsq; ad nouissimum quadrantem.* An de temporali, vel æterna pœna intelligendum sit, expenditur. 586.1.C
9 *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Quia peccatum est propria materia pœnitentiæ. 21.1.E
12 *Non remittetur ei.* Quod sit peccatum in Spiritum sanctum, & quomodo irremissibile. 93.2.E
Ibid. *Non remittetur in hoc seculo, nec in futuro.* Tractatur. 586.2.B
16 *Tibi dabo claues*, Latè. 224.1.D, Intelliguntur de peccatis quoad culpam. 227.1.D
Ibid. *Quodcunque solueris super terram, &c.* Quomodo in his verbis potestas concedendi indulgentias contineatur, vel ex eis colligatur, latè 648.1.B, & sequentib. & 650.2.D, particula *Super terram*, exponitur. 723.1.C
18 *Non dico tibi septies, sed vsque, &c.* De vniuersalitate, & amplitudine pœnitentiæ exponitur. 92.2.C
Ibid. Parabolam de seruo, à quo Dominus remissum debitum repetiit, nõ probare, peccata remissa iterum redire, ostenditur. 163.2.B, & sequentib.
ibid. *Quæcunque ligaueritis, &c.* An extendantur ad indulgentias. 749.1.D
21 *Soluite & adducite mihi.* Præfiguratum esse ministerium sacerdotum. 342.2.D
22 *Ex toto corde tuo.* Id est, voluntate tua. 30.1.B
vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Exclusiuè exponitur: id est, mihi soli: conferturque cum alio loco Ioan. 244.1.C

*Marc.*

3 *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne:* scilicet Purgatorij, ex Beda. 591.2.B
Ibid. *Non remittetur ei.* Quod sit peccatum in Spiritum sanctum, & quomodo irremissibile. 93.2.F
6 *Et vngebant oleo multos agrotos, & sanabant*, latè tractatur: & vnctionem illam non esse sacramentum Extremæ vnctionis, licèt fuerit eius adumbratio, concluditur. 538.2.B. 539.1.A,B

*Lucas.*

7 *Remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum.* De remissione quoad culpam, & pœnam, exponitur. 119.1.B, 270.2.E, 271.1.E
Ibid. *Remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum.* Remissionem peccatorum esse effectum dilectionis.

ctionis. 51.1.D

11 *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quia exiſtentes in gratia ſatisfaciunt. 512.1.E

13 *Niſi pœnitentiam egeritis, &c.* De virtute pœnitentiæ exponitur. 2.2.A, Additur verò poſſe extendi ad omnem pœnitentiæ modum, in vnaquaque lege à Deo præſcriptum. ead. B, De neceſſitate medij. 103. 2. D, De neceſſitate præcepti in omni tempore. 194.2.B

16 *Et Lazarus ſimiliter mala.* Quibus purgatus eſt, cum Chryſoſtomo. 512.1.C

Ibid. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cũ defueritis, &c.* Id eſt, Erogate eleemoſynas pauperibus, qui vos poſt mortem orationibus iuuent. 585.2.D, 614.2.D

17 *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Confeſſio adumbrata eſt. 342.2.D, 490.2.D

26 *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, &c.* Scilicet, propriam legis gratiæ. 227.1.C

*Joannes.*

3 *Niſi quis renatus, &c.* Notatur, Chriſtum priùs de Baptiſmo, quàm de pœnitentia ſermonem feciſſe, 15.2.A

8 *Vade, & iam ampliùs noli peccare.* Expenditur cum Auguſtino. 205.2.A

10 *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Quia tenetur pro ſpirituali vita gregis corporalem perdere. 579.2.E

11 *Soluite eum, & ſinite abire.* Significatam eſſe abſolutionem, quæ à ſacerdotibus fit. 342.2.D

14 *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Æquiualere conditionali, *Si diligis dilegêris*, exponitur. 105.1.C

20 *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* De iuriſdictione data Apoſtolis exponitur. 236.2.B

Ibid. *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* 224.1.D, De peccatis quoad culpam exponitur. 227.1.C, *Et quorum retinueritis, &c.* Quomodo hinc neceſſitas confeſſionis colligatur latè. 242.1 D, & ſeq.

Ibid. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Etiam venialia comprehenduntur. 150.1.D

Ibid. *Quorum remiſeritis peccata.* Quomodo dicta ſint Apoſtolis hæc verba. 155.2.A

Ibid. *Quorum remiſeritis peccata.* Quomodo hinc colligatur præceptum diuinum confeſſionis. 491.1.D, & ſeq.

21 *Paſce oues meas.* Ibi eſſe datam Petro poteſtatem indulgentias concedendi. 652.1.A

*Acta Apoſtolorum.*

2 *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis ſolutis doloribus inferni*, id eſt, Soluendo pœnas Purgatorij, refertur. 587.1.B

5 *Ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.* Quia vtrumque æqualiter eſt donum gratiæ per Chriſtum. 36.1.E

8 *Pœnitentiam age ab hac iniquitate, ſi fortè, &c.* Particula *Fortè*, exponitur, vt non dubitationem, ſed vel libertatem, vel rei difficultatem indicet. 91.2.C

*Ad Romanos.*

2 *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem ſecundùm durationem tuam, &c.* Quod per Deum non ſtat quominùs homo reuertatur. 96.1.E

Ibid. *Tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* Ponderatur pro obligatione pœnitentiæ ante mortem. 217.2.B

3 *Non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona.* Id eſt, non ſunt facienda mala culpæ propter mala pœnæ vitanda. 44.1.A

5 *Peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet.* Id eſt, non agnoſcebatur, & quaſi nihil reputabatur. 111.2.B

6 *Gratia Dei vita æterna.* Quia illam ſecum affert. Exponiturque caput de remiſſione pœnæ æternæ, quæ in iuſtificatione neceſſario fit. ibid.

8 *Si Chriſtus in vobis eſt, &c.* vſque ad illud, *Si filij & hæredes*, de remiſſione pœnæ æternæ exponitur. 122.1.E

Ibid. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Id eſt in iuſtificatis per Chriſti gratiam, veram culpam mortalem manere non poſſe. 65.2.C, 122.1.E, Non quòd excludatur neceſſariò reatus pœnæ temporalis. 127.1.B

9 *Optabam ego eſſe anathema, &c.* Refertur aliorum expoſitio de comparatione per exceſſum charitatis. 45.1.B

12 *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes*, ſcilicet tam viuorum, quàm mortuorum. 629.1.D

15 *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt.* An ſenſus literalis ſit de participatione per communicationem bonorum operum. 620.1.C

11 *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur.* De fructu pœnarum temporalium huius vitæ, cum Auguſtino. 512.1.A

12 *Poſuit in Eccleſia primùm Paſtores.* Id eſt, Epiſcopos. 348.1.A

15 *Si mortui non reſurgunt, quid mihi prodeſt? comedamus, & bibamus, &c.* Quomodo hæc illatio teneat. 584.2.E

Ibid. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt.* Id eſt, Quæ vtilitas eſt in actionibus pœnitentiæ, quæ ad mortuos iuuandos fiunt, Si, &c. 585.2.B, 629.1.D

*2. Ad Corinth.*

2 *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* Tractatur latè. 621.1.C, An hæc verba pertineant ad vſum indulgentiarum. 653.1.B

5 *Poſuit in nobis miniſterium reconciliationis:* id eſt, vnionis, & amicitiæ hominis cum Deo. 227.2.B

Ibid. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Tanquàm vicarij eius. 243.2.A

Ibid. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra, &c.* exponitur. 593.2.B

7 *Triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt.* Id eſt, ex vera pœnitentia, vel quæ à Deo eſt. 35.1.C

Ibid. *Ne abundantiori triſtitia abſorbeatur.* De nimia triſtitia, quæ in deſperationem adducat, exponitur. 60.1.A

Ibid. *Sed vindictam.* Id eſt, pœnitentię ſatisfactionem. 512.1.A

8 *Vt illorum abundantia veſtram inopiam ſuppleat.* De ſpirituali inopia, & abundantia exponitur. 687.2.A

12 *Non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.* De ſpiritualibus etiam exponitur. ead.1.E

*Ad Galat.*

6 *Alter alterius onera portate.* De operibus participandæ infirmitatis exponitur, cum Auguſtino. 625.1.C

*Ad Epheſ.*

5 *Mundans eum lauacro aquæ, &c.* De mundatione, quæ fit, cùm membra Eccleſiæ aggregantur, exponitur. 240. 2. B, D, cum nonnullis Auguſtini locis.

*Ad Coloſſenſ.*

1 *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Tractatur latè. 620.1.E

*Ad Timoth.*

2 *Nequando det illis Deus pœnitentiam*, nimirùm, tanquam proprium donum ſuum. 36.1.E

# Index locorum noui Teſtam.


*Ad Philemonem.*

*Si aliquit nocuit tibi, mihi imputa*, id eſt, Ego in me ſuſcipio. 111.2.B

*Ad Hebr.*

6 *Impoſſibile eſt eos, &c.* De Baptiſmo exponitur. 92.1. D,E,& 2.A,B

10 *Non relinquitur hoſtia, &c.* ibidem eodem modo.

12 *Non inuenit pœnitentiæ locum, licèt cum lacrymis quæſiſſet illum.* Non de pœnitentia peccati ipſius Eſau, ſed de retractatione facti Iſaac intelligitur. 97.2.C

*Iacobus.*

2 *Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus:* ſcilicet, quoad æternitatem pœnæ. 41.1.E, vel, quantùm ad carentiam veri amoris. 120.1.B

5 *Si in peccatis eſt, remittentur ei.* Omnia venialia ibi comprehendi exponitur. 152.2.E

Ibid. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* An de confeſſione ſacramentali. 491.1.B

Ibid. *Vngentes eum.* De ſacramento Extremæ vnctionis latè exponitur. 539.2.D & ſequentib. *Oleo*, 542.1.E, & ſequ. *Et orent ſuper eum.* 546.2.D, *Et alleuiabit eum Dominus.* 553.2.C, *Et oratio fidei ſanabit infirmum.* 554.1.C, 562.2.A, *Si in peccatis eſt remittentur ei.* 554.2.B

*1. Petri.*

4 *Vniuerſa delicta operit charitas.* De efficacitate diuini amoris ad remiſſionem peccatorum exponitur. 105.1.C

*2. Petri.*

3 *Patienter agens, &c.* Vt homines quantumuis prauos ad pœnitentiam prouocet. 96.1.D

*1. Ioannis.*

1 *Fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* De venialibus exponitur. 134.1.E

2 *Si quis peccauerit, aduocatum habemus.* De venialibus exponitur. ead.2.A

3 *Qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe.* Cooperando nimirùm gratiæ Dei. 99.2.E

Ibid. *Qui non diligit, manet in morte.* De neceſſitate amoris ad obtinendam remiſſionem peccatorum exponitur. 51.1.C

4 *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Quòd vera dilectio non ſit abſque iuſtitia, exponitur. 105.1.D

Ibid. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* De ſancto timore pœnarum, & de timore mundano exponitur cum Patribus. 71.2.B

5 *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis.* Latè exponitur. 94.2.per totam col.

*Apocalypſis.*

1 *Age pœnitentiam, ſin minùs, &c.* De neceſſitate pœnitentiæ formalis, vt medij, exponitur. 103.2.E

2 *Noua opera fac.* Saltem propoſito, exponitur. 54. 2.C

3 *Quia tepidus es, &c.* Non reprehenduntur qui remiſsè operantur, ſed qui fidentes ſine charitate, vel bona opera malis admiſcent. 60.2.E

Ibib. *Habet clauem Dauid.* De poteſtate excellentiæ, etiam ad remittenda peccata, exponitur. 227.2.A, 237.2.A, *Qui claudit, & nemo aperit, &c.* 244.2.D

5 *Neque in cœlo, neque in terra, neque ſub hanc terram.* Qui ſub hanc terram intelligendi ſint. 595.1.B

14 *Beati mortui,* &c. *A modo iam dicit ſpiritus.* De perfectè iuſtis intelligitur. 593.2.B

# INDEX
# CAPITVM IVRIS CANONICI,
## QVÆ IN HOC OPERE EXPONVNTVR.


Ex Decreto.

A p. *Dictum*, cum aliis. 1. q. 1. 154. 2. A
Cap. *Placuit*, 9. q. 2. 452. 2. A
Cap. primũ, 9. q. 2. Defenditur. 234. 2. B
Cap. *Placuit*, 9. q. 2. latè. 369. 2. C
Cap. primũ, 13. q. 1. Defenditur. 234. 2. B
Cap. *Peſſimam*, 23. q. 8. 408. 2. C
Cap. *Si presbyter*, 26. q. 6. cum aliis. 227. 2. D
Cap. vlt. 26. q. 6. De qua abſolutione loquatur. 403. 1. D
Cap. *Tres ſunt*, De Pœnit. d. 1. 154. 1. A, latiùs. 191. 2. E
Cap. 1. & 2. De Pœnit. d. 1. 250. 2. B
Cap. *Talis*, De Pœnit. d. 3. 61. 1. A
Cap. *Sicut Seta*, De Pœnit. d. 2. 71. 2. B
Cap. *De Quotidianis*, de Pœnit. d. 6. 154. 1. A
Cap. 1. vſque ad 7. de Pœnit. d. 4. 165. 2. E
Cap. *Qui recedit*, De Pœnit. d. 4. 164. 2. E
Cap. vlt. De Pœnit. d. 4 163. 1. A
Cap. 1. De Pœnit. d. 6. 444. 2. B
Cap. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. 369. 2. C, latiùs. 234. 2. C & 371. 1. E
Cap. *Sacerdos*, De Pœnit. d. 6. Quoad pœnam ibi impoſitam. 465. 2. D
Cap. *Latorem*, 33. qu. 2. De qua pœnitentia loquatur. 403. 1. D

Ex Decretalibus.

Cap. *Cùm omne crimen*, De Conſecrat. d. 2. 154. 2. C
Cap. *Aquam*, De Conſecrat. d. 3. ead. D
Cap. *Firmiter*, De Summa Trin. & fide cath. 103. 2. D
Cap. *Maiores*, De Baptiſm. cur peccatum originale nõ poſſit remitti, manente mortali. 120. 2. C
Cap. *Fures*, De Furtis, circa illa verba, ſi Diacono confeſſus fuerit. Cap. *Statuimus*, De Maledicis. 408. 2. D
Cap. *Eccedentibus*, de Exceſſib. Prælat. 757. 2. C, 758. 1. C, & ſequent.
Cap. 1. De Cleric. excomm. miniſtr.
Cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, De Pœnit. & remiſſ. verb. *Confiteantur*, latè. 231. 1. A, *Proprio ſacerdoti* ead. 2. *ſingulis annis*. 499. 2. B. *Diligenter inquirens*, & 444. 2. B, *Quoad pœnam in eo latam*, 465. 2. C, 510. 1. E
Cap. *Cùm ex eo*, De Pœnit. & remiſſ. 671. 1. D
Cap. *Quod autem*, De Pœnit. & remiſſ. 752. 1. E
Cap. *Cùm infirmitas*, De Pœnit. & remiſ. Quam vim nunc habeat. 495. 2. A
Cap. vlt. de Pœnit. & remiſſ. latè. 369. 2. C
Cap. *Cùm pro cauſa*, De Sent. excommunic. 308. 1. D
Cap. *Anobis*, 2. De Sent. excomm. 725. 1. E
Cap. *Quia quorundam*, De Verbo. ſignific. 230. 1. C
Cap. 2. De Pœnit. & remiſſ. in 6. 234. 2. A, latiùs. 373. 1. B

Ex Sexto.

Cap. vlt. De Pœnit. & remiſſ. in 6. 676. 1. B
Cap. *Ratihabitio*, De Regulis Iuris, in 6. 355. 2. B
Cap. *Dudum*, De Sepultur. 468. 1. C
*Super Cathedram*, De Sepultur. Quam vim nunc habeat. ead. D

Ex Clementinis.

*Inter cunctas*, De Priuilegiis. 354. 1. C
*Vas electionis*, Ioannis XXII. 357. 2. B
*Vices*, De Treuga, & pace. ead. A
*Antiquorum*, de Pœnit. & remiſſ. 672. 2. D, 677. 1. C, 2. C
*Quemadmodum*, de Pœnit. & remiſſ. 673. 1. B
*Vnigenitus*, de Pœnit. & remiſſ. 673. 1. B, 676. 2. D, 677. 2. B, 684. 2. D. cum multis ſequentibus.


# INDEX
# LOCORVM CONCILII TRIDENTINI QVÆ IN HOC OPERE EXPONVNTVR.


Seſſ. 6.

A p. 6. & Canon. 3. de neceſſitate gratiæ ad ſingulos actus ſupernaturales, 36. 2. B, C, E Idem caput 6. de vera contritione exponitur. 51. 1. D
Cap. 7. De Pœnitentia, vt eſt diſpoſitio ad iuſtitiam, 99. 1. B, Eodem cap. & Can. 11. de aliis requiſitis ad veram iuſtificationem. 112. 1. B, & ſequent.

Seſſ. 14.

Cap. 14. *Vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ*, exponitur, 111. 2. E & ſequentib.
Cap. 1. & Can. 15. de poteſtate clauium, 224. 1. D, 226. 1. B latiùs. 227. 2
Cap. 4. *Si voluntatem peccandi excludat*, Per repugnantiam actus, exponitur. 224. 2. D, ibidem definitio contritionis exponitur. 510. 2. Item diuiſio contritionis. 70. 2. E, Item neceſſitas pœnitentiæ formalis. 103. 2. D, Item quomodo imperfecta contritio ſit donum Dei. 284. 2. B, & quomodo intelligatur diſponere ad gratiam in ſacramento impetrandam. 296. 1. E, 2. A
Cap. 5. Non aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigitur, &c. 311. 1. E
Cap. 7. de Iuriſdictione in ſacramento pœnitentiæ neceſſaria. 232. 1. C, 235. 2. B
Cap. 9. Tractatur latè. 520. 1. A

Seſſ. 23.

Cap. 15. de Reformation. latiſſimè. 385. 1. B

Seſſ. 24.

Cap. 6. de Reformat. latè. 413. 1. D


FINIS.

# INDEX
# RERVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

*Prior numerus paginam indicat, posterior columnam, litera verò, sub eis res indicatas contineri.*

## ABSOLVTIO.

*Sacramentalis.*

SACERDOS non absoluit auctoritate Pontificis, sed Christi. 237.1.A,B

2 Plures absolutiones validæ, licèt non licitæ possunt cadere supra eandem confessionem. 260.1.E eritque vnum tantùm sacramentum. ead.2.A

3 Potest absolutio indirectè tollere peccatum. 418.1.A,B, etiã in confessione explicatum. 433.2.C,D

4 Absolutio sacramentalis dari non potest absenti. 306.2.D

5 Sacerdos sacramentaliter absoluens applicat merita, & satisfactiones Christi. 83.2.A
Vide verb. Sacramentum pœnitentiæ. §. Forma.

*Absolutio à reseruatis.*

1 Episcopus si occultè labatur in crimen Papæ reseruatum, potest absolui à confessore à se electo. 415.2.B

2 Superior audiens confessionem integram, in qua sunt reseruata, tenetur de omnibus absoluere, nec poterit absolutionem dimidiare. 429.2.B

3 Absque necessitate nõ potest superior sola reseruata audire, & ab eis sacramentaliter absoluere. 430.1.B, si autem faciat, sacramentum est validum ibid.E, licetque illi ex graui causa, ibidem, & in illo casu etiam licet subdelegato. ibid.E

4 Extra casum necessitatis nõ potest inferior sacerdos absoluere etiam cum onere comparendi. 431.2.D, non solùm directè, sed nec indirectè. 432.1.B, Si autẽ pœnitens bona fide procedat, sacramẽtum est validum. ead.2.A

5 In casu necessitatis extra articulum mortis, nõ potest inferior sacerdos absoluere directè à reseruatis. 433.1.A, potest tamẽ indirectè. ead.2.A, etiãsi habeant annexam excõmunicationem. 434.1.A, E, obligatio tamen manet illa iterum confitendi. ead.2.A,B

*Directa.*

6 Semel à reseruatis directè absolutus, potest posteà à quolibet sacerdote ab illis absolui. 435.2.C, qui autem superiori se præsentauit, & ab illo extra sacramentum pœnitentiam accepit, potest solùm à quolibet proprio absolui. ibid.E

*Facultas absoluendi à reseruatis.*

7 Concessa facultate ad absoluendum à censura reseruata, intelligitur dari omninò ad absoluendum à culpa. 406.2.D, Quibus autem verbis censeatur illa dari. 403.1.A.B

*Facultas obtinendi absolutionem.*

8 Superior in multis casibus tenetur facultatem dare subdito petenti, vt absoluatur à reseruatis. 420.1.D, non tamen semper. ibid.E, debetque potiùs facilem, quàm difficilem se præbere in hac facultate concedenda. 421.1.C, Quibus autem verbis censeatur illam dare. ead.2.C

9 Nimia verecundia & difficultas pœnitẽtis est sufficiens causa, vt superior hanc det facultatem. ead.1.E, superior verò nõ tenetur dare facultatem generalem ad quencunque confessorem, quem pœnitens vult. ead.2.D

10 Quoties hæc facultas cadit in peccata iam commissa, non habet locum onus comparendi coram superiori. 422.1.B, pro peccatis committẽdis potest cum illo onere dari. 423.1.A,B, 424.2.B, licèt illis peccatis non sit censura annexa. 423.2.A, vsque ad 425.

11 Superior potest hanc facultatem dare sub onere acceptandi talem pœnitentiam. 422.1.E, & 2.A, non debet tamen imponi per modum præcepti. ead.2.C, multò minùs, vt ab illa pendeat valor sacramenti. ibid.D

12 Facultas hæc nunquàm datur per cõsuetudinem. 413.1.B

13 Peregrini cui, & quomodo possint peccata reseruata confiteri, & ab eis absolui. 412.2.B

*Absolutio à censura.*

1 Non potest indirectè tolli censura, sed tantùm directè. 418.2.A

2 Per generalem absolutionem non tollitur culpa cum censura Papæ reseruata. 439.1.D

## ACTVS.

*Honestus.*

1 Ad actus honestatem præter bonum obiectum circunstantiæ bonæ, & proportionatæ necessariæ. 35.2.B

2 Idem actus bonus, & satisfactorius, & meritorius esse potest. 518.2.B, imò hæc semper aliquo modo sunt coniuncta. ibid.C

3 Duplex proprietas operum iustorum. 687.2.B

*Conditionatus.*

4 Actus conditionatus duplex, scilicet ex parte subiecti, & ex parte obiecti. 32,1.B

5 Posterior esse potest efficax quo ad aliqua, & respectu eorum habet vim absoluti. ibid.E

*Exterior.*

6 Nullus actus exterior ita est intrinsecè honestus, vt non possit malè fieri. 77.1.B,C, potest tamen ex se habere, vnde honestè fieri possit. ibid.

7 Externus actus explicandus est in confessione. 311.1.C

ANIMÆ Purgatorij. Vide verb. Purgatorium.

## APOSTOLI.

1 Receperunt immediatè à Christo potestatem iurisdictionis iure quasi delegationis. 236.2.A,B, Petrus autem ordinario iure. ibid.A

*Appetitus sensitiuus.*

1 In appetitu sensitiuo regulariter sequitur dolor ex pœnitentiæ actu. 32.1.C, sæpe tamen impeditur ob corporis indispositionem. ibid.D

ATTRITIO.

# Index rerum.


ATTRITIO.

1 Attritio non fit cõtritio. 74.1.B, licèt possit attritus fieri contritus. 76.1.A, idq; tribus modis. ead.2.A
2 Attritio potest cõtritionis honestatem participare per relationem extrinsecam. 75.2.C
3 Debet esse actus supernaturalis. 68.1.E, 2.B, includitque propositum non peccandi. ead.2.E
4 Ex vi præcepti annuæ confessionis non tenetur qui confiteri non potest, ad habendã attritionem. 219.2.E, licèt timeat obliuionẽ peccatorũ. 220.1.A
5 Dolor de peccato ex humano motiuo, turpi, aut honesto, non est attritio. 68.1.D, 106.1.D
*Vt pars sacramenti pœnitentiæ.*
6 Attritio etiam vt pars sacraméti esse debet ex motiuo supernaturali. 283.1.C
7 Attritio subsequens confessionem nõ est pars sacramenti. 292.1.C, neq; attritio de peccatis ex iusta causa in confessione omissis. 293.1.B, est tamẽ per se necessaria ad sacramenti valorem. ibid.C
8 Si ex ignorãtia culpabili desit attritio peccati, etiã in cõfessione obliti, confessio est nulla. ibi.D, si tamen ignorantia sit inculpabilis, confessio est valida. ibid. sed informis. ead.2.C
9 Attritio vt est dispositio ad venialis remissionem. vide verb. Veniale peccatum, §. Remissio.
*Definitio. Diuisic.*
10 Attritionis descriptio ex Tridentino. 68.1.C
11 Sufficienter diuiditur in eam, quæ est ex timore gehennæ, & eam, quæ est ob fœditatem peccati. 73.1.A
12 Attritio ex timore gehennæ à qua virtute procedat. 72.2.B
13 Attritio ob fœditatem peccati esse potest supernaturalis, & ex auxilio gratiæ. ibid.E
*Attritio cum contritione comparata.*
14 Attritio differt essentialiter à contritione. 69.1.B non in conditionibus, sed in motiuo. ibid. &. 2.C
15 Attritio non includit dilectionem Dei super omnia, sicut contritio. ead.2.D
16 Attritio non semper detestatur peccatum supra omne detestabile, sicut contritio. ibid.E
17 Attritio nõ est semper ex motiuo vniuersali sicut contritio. 70.1.A, vnde non semper est sufficiens dispositio absolutè ad gratiam cum sacramento, sed respectiuè. ibid.B
18 Attritio non semper procedit ex voluntate destruendi culpam, sicut contritio. ibid.C,D

*Auxilium efficax, & sufficiens.*

1 Efficax multis negatur. 95.1.A
2 Sufficiens omnibus paratum est. ead.2.E, 97.1.B, neminique negatur in pœnam peccatorum certa lege statutam. 95.1.E, & 2.A
3 Aliquando Deus propter peccatum interficit, licet auxilio sufficiente non priuet. 96.2.E
4 Cur in hac vita aliqui in gratia confirmentur, nemo autem deseratur. ibid.

BAPTISMVS.

1 Baptismus conuenienti tẽpore fuit institutus post Christi mortem. 15.1.B, & 2.A, B
2 Cur cum affectu peccati susceptus sit validus, non autem confessio. 289.1.E

*Beata Virgo*

1 Sacramentum Extremæ vnctionis recipit. 568.1.D

*Beatus.*

1 Beati orant pro animabus Purgatorij. 634.1.A, B, non tamen impetrant illis gratuitam remissionẽ pœnæ. ibid.D. quid verò illis impetrẽt. ead.2.B, C
2 Vnus beatus potest ab alio impetrare, vt suas satisfactiones alicui animæ applicet. ibid.E, idemque possunt à Christo impetrare. 635.1.A, non tamen ipse facit, nisi ex speciali dispensatione. ibid.

*Beneficium.*

1 Beneficium, cæteris paribus, quò indigniori datur, eò est maius. 173.2.D
2 Quid nomine parochialis beneficij intelligatur. 389.1.A *Parochiale.*
3 Beneficij collatio facta indigno est valida. 738.2.D,E, 739.1.A, irritabilis tamen. excepta electione summi Pontificis. 739.1.B

*Blasphemia in Spiritu sanctum.*

1 Quid sit. 93.2.E, 94.1.A, cur irremissibilis dicatur. 94.1.C

CÆREMONIA.

1 Nulla cæremonia est de substãtia sacramenti pœnitẽtiæ. 264.1.B, 268.1.C, nec de præcepto Ecclesiæ, quod sub mortali obliget. 264.1.B

*Catechumenus.*

1 Non est capax fructus sacrificij missæ, aut suffragiorum communium Ecclesiæ. 638.2.C,D

*Casuum reseruatio.*

1 Casuum rtseruatio quid. 403.1.A
2 Tripliciter possunt peccata Episcopis reseruari. 408.1.B
3 Est in Ecclesia potestas reseruandi peccata superioribus. 403.1.C, non solùm quoad censuras, sed etiam quoad culpas. 404.2.A, 406.2,B, & de facto ita fit. 406.2.B *Reseruandi potestas.*
4 Possunt reseruari peccata, quæ nec habent censuram annexam. 404.2.A,B, Põtifex tamen iure ordinario id non facit. ead.2.D,E, aliquandoverò id facit. 405.2.B, inferiores autem frequentius. 404.2.D *Reseruationis materia.*
5 Peccatũ veniale an, & quomodò possit reseruari. 407.1.A, idem de mortalibus confessis. ibid.C
6 Mortalia merè interna possunt reseruari. 406.2.D, non tamen id facit ordinariè Ecclesia. 407.2.B, nec est consulendum. ibid.C
7 Nullum mortale externum est, quod reseruari nõ possit. 603.2.A, non tamen omnia rectè. ibid.D
8 Ablatio iurisdictionis circa omnia mortalia non est reseruatio. 407.2.D
9 Nullum peccatum iure communi est Episcopis reseruatum. 408.1.B, vbi varij casus expenduntur. ibid.E, & seq.
10 Inter religiosos quanta, & à quo fieri possit reseruatio. 409.1.A, B, C, D
11 Superior non potest licitè peccatum absque causa reseruare. 409.2.D,E, factum tamen tenebit etiam respectu habẽtium ordinariam iurisdictionem. 410.2.B, C
12 Respectu delegati potest validè peccatum absq; causa reseruari. 409.2.D
13 Quibus potestas reseruãdi conueniat 403.2.A, B, habens iurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ potest reseruare peccata respectũ omnium inferiorum. ibid.C, non solùm sibi, sed etiam aliis. 404.1.C, Episcopi habent hanc potestatem à summo Pontifice. 403.2.E *Quibus conueniat.*
14 Pro articulo mortis nullus prælatus Papa inferior potest casus reseruare. 409.2.B
15 Etiãsi pœnitens reseruatum superiori cõfiteatur, si ipse nec absoluat, nec causam alteri committat, reseruatio non aufertur. 437.1.A, B *Reseruationis ablatio.*
16 Quando superior audita cõfessione de reseruatis inualidè absoluit, reseruatio aufertur. ibid.D, secus si defectus fuit circa confessionem de reseruato. ead.2.A
17 Qui superiori, vel eius delegato confitetur; vt à reseruatis simpliciter absoluatur, idq; obtinet, liber manet etiã quoad oblita. 438.2.A, E, 439.1.A, Idem in confessione, quæ fit virtute iubilæi 439.2.B, dummodò confessio sit valida. ibid.E, licèt informis. 440.1.A, & licèt indulgentiæ effectum nõ obtineat. ead.2.A, & peccatum habeat excommunicationem annexam. 441.1.D

# Index rerum.


18 Per generalem absolutionem non tollitur culpa cum censura Papæ reseruata. 439.1.D

19 Semel bona fide absolutus à reseruatis virtute iubilæi, etiamsi posteà iubilæum non lucretur, manet verè à reseruatis absolutus. 436.1.E, Peccat tamen si voluntariè opera ad iubileũ necessaria omittat. ead.2.A, non est tamen reseruatum. ibid.B

20 Si plures reseruationes eiusdem peccati fiant ab eodem superiore sine censura, auferuntur per vnã facultatem absoluendi àtali peccato. 440.2.C,D, suauté fiát à duobus prælatis subordinatis, facultas inferioris non sufficit ad auferendam reseruationem superioris. 441.1.A, superioris verò ad vtramque. ibid.B

21 Si culpæ sint annexæ plures excommunicationes reseruatæ, ablata vna excommunicatione non auferetur culpæ reseruatio. ibid.

*Obligatio cõparẽdi ex reseruatis orta.*

22 Potest quis absolui sub hoc onere, debet tamen priùs illi explicari. 425.2.B, vsque ad 427. quòd si pœnitens nolit acceptare, non est absoluendus. 428.1.D

23 Religiosus absolutus à reseruato sub onere comparendi ratione statuti, licèt constitutio sub peccato non obliget, tenetur sub mortali comparere. 427.1.C,D

24 Qui sic absoluitur, non obligatur iterum ad confessionem sacramentalem coram superiore faciẽdam. 428.1.E, nec potest dari facultas sub ea conditione. 432.1.B

25 Pro articulo mortis, secluſa cẽsura, probabile est non posse peccatum reseruari sub onere comparẽdi. 428.2.E, de factoque malè faceret prælatus, qui id tentaret. ibid.A

26 Qui in mortis articulo à reseruatis absoluitur, non tenetur posteà coram superiori comparere. 417.1.C,& 2.A, nisi habeant censuram annexam. 417.1.D,E,& sequentibus.

*Minister.* Minister de reseruatis. Vide verb. Confessor.

*Charitas.*

*Eius actus.*

1 Charitatis actus intrinsecè est formatus ex vltimo fine, non sic tamen ex parte suppositi. 67.2.E

*Eius obligatio.*

2 Non obligat semper & pro semper ad non peccãdum mortaliter. 200.2.D

3 Quod sit tempus pro quo præceptum charitatis obligat. 222.2.

4 Quis articulus necessitatis. 221.2.

*Christi anima,*

1 Non habuit proprium actum pœnitentiæ. 23.1.B

*Circunstantia.*

*Nomen.*

1 Circunstantia moralis actus duplex. 311.1.B

2 Circunstantię peccatorum. Vide verb. Peccatum, §. Circunstantiæ.

*Clauis Regni cœlorum.*

1 Potestas ad remittenda peccata rectè per metaphoram clauis significatur. 237.1.E

2 Multiplex significatio clauis regni cœlorũ iuxta varias regni cœlorum significationes. ead.2.C

3 Cur potestas hæc clauis cœlorum, & non inferni dicatur. ibid.D

*Definitio. Diuisio.*

4 Potestatis clauium definitio. ibid.

5 Clauis scientiæ & potentiæ. 238.1.B

6 Ad potestatem à Christo datam ad gubernandam Ecclesiam accommodatur. ibid.C,& ad potestatem remittendi peccata. ibid.D, tã potestati ordinis, quàm iurisdictionis. ead.2.A

7 Distinctio clauis scientiæ, & potentiæ, non est realis, sed rationis. ibid.B

*Clauium actus, & subiectum.*

8 Qui sint horum clauium actus, & in quibus existant. ibid.D

9 Claues prout nunc sunt in Ecclesia, sunt propriæ legis gratiæ. 239.1.C

*Clauium potestas in remittendis peccatis.*

1 Christus reliquit Ecclesiæ potestatem ad remittenda peccata post Baptismum commissa. ibid.A & sequent.

2 Data est Apostolis, Ioan. 20. & Matth. 16. Petro promissa, ibid. Quando aliis sacerdotibus conferatur. ibid.

3 Non est potestas prædicandi Euangelium. 224.2.A, sed iudiciaria. 225.2.A

4 Potestas hæc est indelebilis, in solisque sacerdotibus inuenitur. 230.1.A

5 Plura continentur sub potestate remittendi peccata, quàm retinendi. 326.2.D

*Diuisio.*

6 Potestas hæc duplex, ordinis, & iurisdictionis. 229.2.D, 230.2.B, 235.2.C

7 Hæ potestates re ipsa distinguuntur. 232.2.D, 236.1,B,C

*Potestas ordinis.*

8 Potestas ordinis duplex, & quæ ad peccata remittenda. 228.2.C

*Potestas iurisdictionis.*

9 Pœnitentiæ sacramẽtum differt ab aliis in necessitate iurisdictionis. 230.2.A

10 Potestas iurisdictionis non datur per ipsam ordinationẽ. 232.2.E, nec à Deo media electione pœnitentis habentis ad hoc facultatem iure diuino. 234.1.C, nec per voluntariam iurisdictionem pœnitentis. 231.1.E

11 Potestas quæ in ordinatione sacerdotibus circa peccata confertur, non rectè dicitur iurisdictionis inchoatæ. 235.1.A,B

12 Datur ab homine. 236.1.C, excepto summo Põtifice, qui immediatè à Christo confertur. ibid.

*Potestatis actio.*

13 Actio huius potestatis, positiua, & negatiua, quæ circa culpam primariò exercentur. 229.1.B, tamẽ circa pœnam temporalem suo modo locum habent. ibid.C, & seq. per ipsum absoluendi actum fiunt. ibid. & per satisfactionis impositionem diuersa ratione. 230.1.B

*Potestatis effectus.*

14 Effectus huius potestatis est remittere peccatum quoad culpam, & consequẽter quoad pœnam æternam, necnon temporalem iuxta dispositionem pœnitentis. 226.2.D, & seq.

*Clauis adligandum.*

1 Dupliciter exercetur retinẽdo peccata, vel negatiuè, vel positiuè. 245.1.D, 246.2.B

2 Non solùm mortalia, sed etiam venialia, licèt diuerso modo, retineri possunt. 245.2.C, & cur. 246.2.A, non solùm peccata confessa, sed etiam oblita sine ordine ad voluntatem pœnitentis. 245.2.C

3 Actus huius potestatis per modum iudicij exercendus ex Christi institutione. 247.1.E

*Complex.*

*Eius reuelatio.*

1 Reuelare in cõfessione graue peccatum proximi in particulari absque rationabili causa, est peccatũ mortale. 466.2.C, secus si fiat ex legitima causa. ibid.D

2 Licet pœnitenti ob solam confessionis integritatẽ peccatum cõplicis in confessione explicare. 468.2.E,& tenetur. 470.2.A, etiam in confessione voluntaria. ibid.D

3 Non licet omittere confessionem necessariam ad celandum peccatum complicis. 471.1.B, imò neque oportet nimiùm differre non necessariam. ibid.C

4 Non tenetur pœnitens occultum peccatum alterius manifestare, qui non fuit complex. ead.2.B

*Eius correctio.*

5 An liceat confessori de licentia pœnitẽtis vti notitia confessionis ad corrigendum complicem, vel impediendum eius delictum in bonum aliorum. 473.2.C, 475.2.D, 487.2.A. 488.1.B, vel aliã honestam causam. 487.1.D, absque scãdalo. 489.2.C

6 Quæ requirantur, vt pœnitenti industria cõfessoris

ris, vti liceat ad complicē corrigendum. 488.1.E
quæ vt teneatur. ead.2.A
7 Quando liceat, vel teneatur confessor cōplicem corrigere. ibid.E
8 Potest hac via procedi ad denunciationem paternam. 489.1.D, non tamen ad iudicialem. ibid.E
*Sigillum erga compl cē.* 9 Eodem sigillo tenetur sacerdos ad secretum circa complicem, ac circa pœnitētem. 472.1.C, etiamsi per ignorantiam absque necessitate complex reueletur. ibid. D, dummodò dicatur vt pars confessionis pœnitentis. ibid.E
10 Non licet confessori scientia complicis vti ad aliquē vsum, quo eius persona prodi possit absq; licentia pœnitentis, & causa iusta. ead.2.D, etiam loquendo cū ipso complice. 473.1.C, licet tamen illa vti, si nulla complicis proditio timeatur, & vsus per se sit honestus. ibid.D, nisi specialiter prohibeatur. ibid. vnde non potest illa notitia vti ad exteriorem gubernationem. ibid.
11 Confessor potest vti scientia complicis in bonū pœnitentis de eius licentia. ibid. E, absque licentia complicis. ead.D.B

*Confessio.*

*Diuisio.* 1 Confessio duplex laudis, & peccatorum. 505.1. D
*Confessio peccatorum.* 2 Confessionis peccatorum descriptio. ead.2.B
3 Nectarius nihil abstulit ad sacramentalis confessionis vsum, vel illius obligationem pertinens, sed munus Presbyteri Pœnitentiarij. 249.1.C
4 Confessionis conditiones numerantur, & explicantur. 300.2.C
5 Confessio est actus exterior virtutis pœnitentiæ. 301.2.B
*Articularis.* 6 Modus secretę confessionis sanctus, sufficiensque ad sacramentum. ibid.E, neque alius potest lege humana imponi. 302.2.B, nec à cōfessore postulari. ibid.C, à pœnitente verò potest interdum publicè fieri. ibid. 303.2.D
7 Debet fieri signo sensibili. 303 2.D, Estque vox humana signum aptissimum. ibid.E, non verò de necessitate sacramenti. 304.1. A, nec præcepti, nō licet tamen alio signo vti, nisi ex rationabili causa, ob Ecclesiæ consuetudinem. ead.2.C
8 Potest aliquando nutibus, imò solo scripto fieri. ibid. & per interpretem. 305.1.B, & quomodò. ibid.C
9 Potest fieri validè sacerdoti absenti in pręcisa necessitate. ead.2.B quid de absolutione Vide verbū, Absolutio.
10 In confessione resecanda sunt omnia, quæ non sunt eius materia, nec ad eius finem conferunt. 331.2.E
11 Confessio sine vera attritione facta, licèt existimata, non est valida. 290.2.E, licèt ignorantia sit inuincibilis; excusatque à nouo peccato, non tamen ab obligatione iterum confitendi. 292.1.B
12 Confessio per se, & immediatè non efficit gratiā in sacramento pœnitentiæ. 258.1.B
13 Confessio bona fide facta simplici sacerdoti de mortalibus, & venialibus est valida. 432.2.E, manet tamen obligatio irerum confitendi mortalia. 433.1.A
14 Qui extra necessitatē de solis venialibus cōfitetur, debet aliquod in particulari dicere. 336.1.C
15 In confessione venialium necessaria est formalis attritio, licèt ad eorum remissionem extra hoc sacramentum non esset necessaria. 298.2.E
16 Non est de substantia confessionis de venialibus, attritio de omnibus cōfessis. 299.2.B, nec de præcepto sub mortali. ibid.
*Cōfessio nulla.* 17 Cōfessio nulla est quoties ex culpa mortali omittitur aliquid per se necessarium ad valorem sacramenti. 355.1.B
18 Quinque capita nullitatis confessionis attinguntur. 233.1.A
19 Ignorantia confessoris, an & quomodò reddat confessionem nullam. 320.2.D
20 Quot modis dicatur. 295.2.C
21 Potest aliquando dari confessio valida, & informis. 296.2.D, & sequenti. etiam de solis venialibus. 299.2.A *Confessio informis. Eius necessitas.*
22 Varia Patrū loca, quibus necessitas cōfessionis impugnari videtur, exponūtur à 250.1.E, ad 251.1.C

*Confessionis integritas.*

1 Est de necessitate sacramenti ex vi institutionis. 307.2.B, Consistit in cōfessione omnium peccatorum mortalium, quæ sunt in conscientia pœnitentis post Baptismum, vel præcedentem validam confessionem commissa, & in ordine ad eandem absolutionem. ibidem. Quid sit esse in conscientia pœnitentis. ibid.D
2 Confessionis integritas potest suppleri per ignorantiam inuincibilem, non tamen dolor. 291.2.A
3 Duplex est integritas, formalis, & materialis, prior *Diuisio.* sola est simpliciter necessaria, posterior quando moraliter potest. 307.2. B, 335.1. E, & sequenti. 339.2.C, 340.1.C
4 Confessio est integra formaliter quoties nihil omittitur cum mortali culpa. 340.1.B, 2.E, 341. *Integritas formalis.* 1.E
5 Quoties omissio est mortale peccatum etiam ex ignorannia culpabili nulla est integritas. 340.2.E
6 Ex defectu integritatis non datur confessio valida & informis. ibid. & 341.1.A
7 Publica peccata etiam sunt in confessione dicenda. 309.1.B
8 Non est contra confessionis integritatem, aut per se peccatum mortale, vni ordinariè confiteri, cùm autem aliquid graue occurrit alium confessorem adire. ibid.E
9 Est necessarium ad integritatem, species peccatorum distinctè aperire. 310.1.A, etiamsi parum inter se differant. ibid.C
10 Circunstantiæ mutantes speciem, sunt de necessitate confessionis. ibid.E, etiamsi minuāt. ead.2.A, & transferentes actum à veniali in mortale. ibid. B, non tamen impertinentes. 311.1.B
11 Quoties aliquid necessarium ex legitima causa omittitur, in alia confessione est aperiendum. 310. 2.D
12 Quando necesse sit modum ingnorantiæ, vel malitiæ in confessione aperire. 317.1.A
13 Consuetudo peccandi quando posit esse de necesitate confesionis. 316.2.B, C
14 In duobus casibus necesse est declarare in confessione instrumentum, quo ad peccandum vtimur. 317.2.A
15 Qui cum alio peccauit, si illum induxit, tenetur id confiteri, secus si non inducat. ibid.1.C
16 Nimia duratio actus peccaminosi est confitenda. 318.2.A
17 Circunstantia diei festi non est confitenda. ibid.B
18 Si eodem tempore duæ obligationes diuersarum rationum omittantur, est confitenda illa circunstantia, secus si sint eiusdem rationis. ibid D
19 Circunstantia loci sacri non est de necesitate confesionis nisi peccatum cedat in grauem loci irreuerentiam. ead.1.C
20 Quod sit hoc peccatum. ibid.& D
21 Numerus peccatorum est de integritate cōfesionis, 319.1.A, quando de illo pœnitenti constat. 325. 2.D, si autem facta morali diligentia non occurrit numerus

numerus certus aliquis,qui à certo parum distare creditur,dicendus est.326.1.A, vel si nullus probabilis occurrit,sufficit consuetudinem peccandi declarare. ibid.C

22 Qui dicit se velle confessionem generalem facere,etiamsi aliquid graue iam confessum omittat, non peccat mortaliter. 329.1.E

23 Ecclesia non potest præcipere cõfessiones venialium ad integritatem sacramenti.330.2.B, nõ solùm omnium,sed nec aliquorum. ibid.D

*Integritas materialis.*

24 Potest quis,& interdum debet confiteri tacendo aliquod peccatum ex iusta causa, qualis est periculum grauis nocuméti.338.1.D,Articulus mortis,ibid.C,præceptum annuæ confessionis.ead.2. B,necessitas recipiendi Eucharistiam,aut faciendi sacrum, ibid.D, infamia propria, aut scandalum vitandum. 339.1.A

25 Non est necesse peccatum omissum cõfiteri cùm primum causa cessat.ibid.D, sed tẽpore quo alias obligat præceptum confessionis. ibid.

26 Quid si in confessione quis cognoscat suam culpabilem negligentiam in examinanda conscientia 341.2.C

27 Mutilatio confessionis inculpabilis,nec valorem, nec effectum sacramenti impedit. 297.2.D

28 Circunstantiæ notabiliter aggrauãtes, necessariò sunt confitendæ.312.1. E, & sequent.non tamen minuentes intra eandem speciem peccati, stante mortali grauamine. 314.1.A

29 Venialia non sunt de necessitate cõfessionis. 328. 1.E, 330.1.C

30 In tribus casibus potest in articulo mortis integritas materialis confessionis omitti. 335.2. C, Qui sic confitetur,debet,quoad fieri possit, materiam certam,& necessariam dare. ibid.D,E

31 Sufficiunt signa contritionis in ordine ad confessionem,quando certior materia dari non potest 336.2.A.& seq.338.1.A

32 Vehementia effectus ad finem prauum mortaliter quando declaranda in confessione. 316.1.E

33 Intẽsio actus an,& quomodò declarãda.ead.2.C

34 Potest quis sequi iudicium probabile ad omittẽdum peccatum aliquod in confessione:non tamẽ sine illo omittere. 332.1.D

35 Peccatum de quo dubium negatiuum est,eodem modo est confitendum. 331.2.C,332.2.B

*Confessionis iteratio.*

1 Potest iterari confessio.260.2.C, non tantùm semel,sed sæpiùs,& in omni tempore. ibid. D, tam de peccatis in confessione omissis,quàm ritè confessis. ibid.E

2 Quoties confessio inualida fuit,necesse est ad integritatem sequentis confessionis illa peccata iterum confiteri.326.1.E.328.2.B,E,secus si fuit valida,licèt informis. 326.2.B,328.1.E

3 Confessio potest iterari vno verbo,quando idem est cõfessor,qui sufficiẽter recordatur. 327.2.A,B

4 Quando confessio fuit sufficiens, & solùm defuit forma ritè prolata, sufficit petere in illo foro absolutionem ab eodem. ibid. E. quid autem sacerdos tunc facere debeat,vt rectè suo munere fungatur.328.1.A

5 Excommunicatus, qui bona fide priùs à peccatis, quam à censura absoluitur,non tenetur iterum illa peccata cõfiteri.328.1.C,secus si mala fide.ib.D

6 Qui peccatum ex iusta causa in confessione omittit per se loquendo, debet illud solùm in alia cõfessione subiicere.ead.2. C, idem est si bona fide confessus est peccatum,& confessor non audiuit, ibid.E.si autem eius grauitatem non percepit,debet illam declarare expresè. 383.2.C

7 Qui oblitus est pœnitentiæ impositæ, etiamsi in dilatione illius adimplendæ mortaliter peccauerit,non tenetur iterum confiteri. 329.1.A

8 Non potest imponi ab Ecclesia præceptum per se de iteranda confessione. ead. 2. C, ex suppositione tamen includente voluntarium consensum pœnitentis, potest quis obligari ad illam iterandam. ibid.E

9 Sæpe excusatur pœnitens ab iteratione confessionis inualidæ ob obliuionem inuincibilem præteriti defectus. 341.2.B

10 Qui in mortis articulo simplici confitetur sacerdoti,non tenetur illa peccata iterum proprio cõfiteri. 362.1.C

11 Qui confitetur habenti dubium proprium circa iurisdictionem,tenetur illa peccata iterum confiteri. 364.2.C

12 Qui confitetur habẽti iurisdictionem delegatam, non tenetur illa peccata iterum proprio sacerdoti confiteri. 357.1.B

13 Quando teneatur pœnitens confessionem iterare ob ignorantiam confessoris. 383.1.A,& 2.C

*Eius necessitas.*

14 Varia Patrum loca, quibus necessitas confessionis impugnari videtur, exponuntur, à 250. 2. E, ad 251.1.C

*Confessionis præceptum diuinum.*

1 Est de iure diuino in lege confessionis gratię præceptum latum à Christo.490.1.C,D,& seq.quod non potest Ecclesia tollere. 493.1.A

2 Non tenetur quis anticipare confessionem,etiam si timeat periculum obliuionis peccatorum.507. 1.C

3 Præceptum hoc;vt obliget,requiritur in subiecto peccatum.492.2.E, & ideò infantes, innocentes, & non baptizati sunt incapaces huius præcepti. 494.1.A

4 Obligat omnes, qui post baptismum mortaliter peccauerunt.495.1.E,& solos. ead.2.A

5 Qui habet dubiam conscientiam de mortali,quomodo obligetur hoc præcepto. 494.2.E

*Quo tempore obliget per se.*

6 Non obligat per se statim, ac peccatum mortale committitur. 495.1.B

7 Obligat in articulo mortis, si non sit impletum, ead.2.A,& iuxta Ecclesiæ determinationem.496. 1.D.quid si Ecclesia nihil determinaret. ead.2.A

*Quo tempore per accidens.*

8 Obligatur homo ad confessionem quãdo est medium necessarium ad superandam tentationem, 497.1.D,& quãdo sumenda est Eucharistia.ibid. D,vtraque verò obligatio est per accidẽs ad proprium confessionis præceptum.496.2.D,Hæc tamen non est ante receptionem aliorum sacramẽtorum. 497.2.B

*Præcepti impletio.*

9 Hoc præceptum non impletur per confessionem quolibet modo nullam.ibid.E, impletur verò per confessionem validam,& informem. 498.2.C

10 Potest impleri etiam peccando venialiter in confessione. ead.1.C

*Confessionis Ecclesiasticum præceptum.*

1 Præceptum hoc per se non obligat pro determinata parte anni. 502.1.B,nec Episcopus per synodalia præcepta potest aliam determinationem adhibere. ead.2.B.

*Quando obliget.*

2 Potest Ecclesia per se statuere tempus confessionis,499.1.B,C,etiamsi à Christo non fuisset præcepta confessio.ibid. C, vnde ex Ecclesiæ præcepto tenentur fideles cõfessionem semel in anno facere. ead.2.D

3 Qui præuidet fore vt elapsa occasione non possit in toto illo anno confiteri, tenetur confessionem anticipare. 506.1.E

*Quos.*

4 Omnes baptizati,qui mortaliter peccauerũt, hoc præ

præcepto obligãtur. 500.2. A, etiamsi solùm peccatum merè internum habeant. ibid.B

5 Papa obligatur hoc præcepto. 501.1.C, non obligatur hoc præcepto, qui sola venialia, aut mortalia confessa habet. ead. 2.A, debet tamen suum parochum de hoc certiorem facere. ibid.D

*Præcepti impletio.*

6 Pręceptum hoc non impletur, nisi per veram susceptionem sacramenti pœnitentię. 509.1.D, vnde qui de facto non absoluitur, non implet illud. ead. 2.A

7 Impletur per sacramentum validum & informe. ibid.D, qui ante Quadragesimam confessus est, non tenetur in illa iterum confiteri ex vi huius præcepti. 504.1.A

8 Qui nouam habet conscientiam mortalis, debet iterum confiteri in Quadragesima. 503.2.C,D,E, non tamẽ si peccatum iustè fuit omissum in priori confessione. 506.1.A,B

9 Qui vno anno nõ impleuit hoc præceptum, tenetur confiteri statim in sequenti. 504.2.D, etiamsi sine culpa omisit, tenetur in illo anno iterum cõfiteri. 505.2.A,B

*Excusatio à præcepto.*

10 Ad excusandum ab hoc præcepto sufficit extra ordinario difficultas mortalis iudicio prudentis 501.2.E

11 Non obligat hoc præceptum ad confitendum per interpretem. 508.2.A, An in mortis articulo. ibid. B, Non excusatur quis à præcepto confessionis, ex eo quòd solùm per scriptum in prȩsentia sacerdotis confiteri possit. ibid.E

*Dispensatio.*

12 Potest Pontifex tollere & dispensare in hoc præcepto ex legitima causa. 499.2.D, moraliter tamen nunquam erit sufficiens causa abrogãdi. 500. 1.C, licèt possit esse ad coarctandum, vel extendendum tempus. ibid.D, si autem abrogatio absque causa fiat, valida erit. ibid.E

*Computatio anni huius præcepti.*

13 Quomodò computetur annus. 502.2.D. de Quadragesima ad Quadragesimam. 503.2.A

*Pœna transgressionis præcepti.*

14 Huius præcepti transgressio non habet pœnam ipso iure impositam. 510.1.C, Habet tamẽ imponendam iuxta cap. Omnius vtriusque sexus. ibid. E, quam incurrit omnis, qui vel integrè non confitetur, vel non ita integrè, vt absolui possit. ibid.

15 Qui nõ validè absoluitur ex defectu merè interno, censuram (si feratur) non excusat. ead.2.D

16 Pueri, qui non habent tam perfectum vsum rationis, vt ad communionem obligentur, pœnas non incurrunt. 511.1.A

*Confessor.*

1 Solus Sacerdos est minister huius sacramẽti. 341. 2.E, ita vt ob nullam necessitatem, vel dispẽsationem alius non sacerdos esse possit. 343.2.D

2 Non vt auctor principalis, sed vt minister Christi absoluit. 266.2.C, sententia tamen eius definitiua est. ibid.D

3 Confessor duo præcipere potest pœnitenti. 295. 2.A

4 Non potest licitè absoluere pœnitentem, quem scit non habere vniuersalem attritionem de omnibus peccatis etiam oblitis. 297.2.C

5 Præter ordinem sacerdotij requirit iurisdictionẽ. 345.1.D, quæ non est omnibus simplicibus sacerdotibus data circa mortalia, sed pendet ex concessione Ecclesiæ. 346.2.A, Est ordinaria, vel delegata. ibid.

6 In casu necessitatis extra articulũ mortis, an possit simplex sacerdos absoluere indirectè à mortalibus. 435.1.B

7 Non est in præcepto in necessitate confiteri non sacerdoti. 65.2.C,D

8 Sacerdos decipiens pœnitentem dicendo se habere iurisdictionem, cùm non habeat, an validè absoluat. 365.2.D,E

*Confessor de venialibus.*

9 In ministro de venialibus etiam requiritur iurisdictio, quæ omnibus simplicibus sacerdotibus toleratis communicata est. 346.1.D,2.B,362.2.C, quæ iurisdictio non est à pœnitente. 362.2.D, nec iure diuino. ibid.B, sed ab Ecclesia. 363.1.A, delegata. C, & idem est de mortalibus cõfessis. ibid.D

*Sacerdos ordinarius.*

10 Cum Episcopali munere intrinsecè est coniuncta ordinaria iurisdictio in foro sacramenti. 347.2.C, nihilominùs illam habet Episcopus per summum Pontificem, & ab illo dependentẽ. ibid.D, & cõsequẽter absolutè de iure humano. 348.2.C, & seq.

11 Quicquid potest Põtifex in vniuersa Ecclesia, in foro pœnitentiæ, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi prohibeatur. 349.1.C, Archiepiscopus autem in Episcopatibus suffraganeorum solùm dum visitat, iure tamen ordinario. ibid.E

*Proprius.*

12 Sacerdos proprius huius sacramenti, tribus modis dici potest. 350.2.A

13 Parochus est proprius sacerdos omniũ qui intra terminos suæ Parochiæ habent domicilium, seu quasi domicilium. 351.1.C, & vagabundorum dum in sua parochia commorãtur. ead.2.A, & iter agentium transeuntium per suas parochias. ibid. C, nisi ad hoc peregrinentur, vt illi confiteantur 352.1.A

14 Plura habens domicilia in diuersis parochiis, potest cuicunque parocho illarum confiteri, vt proprio sacerdoti. 351.1.B

15 Proprius sacerdos parochorũ est Episcopus. 352. 1.B, vel aliquis Episcopalem iurisdictionem participans. ibid.C, Episcoporũ verò solus Papa, ibidem, sicut & Cardinalium ibid.D,E, ipsíque sunt sacerdotes proprij suæ familiæ. ead.2.A

16 Papa vel summus Pœnitentiarius est proprius familiæ Papæ. ibid.

*Confessoris bonitas.*

17 Aliqui in dignitate constituti, solum Episcopum habent, vt proprium sacerdotem. ead.1.D

18 Religiosorum proprius sacerdos est immediatus eorum superior. ead.2.D

19 Vt sanctè ministret, non solùm dum absoluit, sed etiam dum confessionem audit, debet non habere conscientiam peccati mortalis. 379.1.A

20 Quæ bonitas requiratur in sacerdote, vt ad hoc ministerium licitè eligi valeat. 380.1.A & seq. vt tamen valeat electio, iurisdictio detur per se nulla est necessaria. 379.1.E, necessarium verò est, vt per censuram, vel superiorem non sit suspensus. 380.1.B, & seq.

*Confessoris scientia.*

21 Quę scientia requiratur, vt quis sit idoneus minister pœnitentiæ. ead.2.B, & seq.

22 Peccat grauiter sacerdos, qui huic ministerio, absque scientia proportionata se ingerit. 383.1.E nisi in casu extremæ necessitatis. ibidem, neque excusatur qui ex obedientia superioris id facit. 381.2.E

23 Ignorantia sacerdotis quando sit, vel non sit contra valorem sacramenti. 382.1,D, & sequentibus.

24 Quæ prudentia confessori necessaria. 475.1.E

*Prudentia Confessoris obligatio.*

25 Triplici ex capite potest oriri obligatio ministrandi hoc sacramentum. 441.2.D, ex charitate obedientia, & officio, vide verb. Parochus omninò, numero 2.

26 Confessor non potest absoluere, nisi dispositum, 443.1.B, quidque debeat facere, vt eius dispositionem cognoscat, vel si ex confessione resultet obligatio restituendi, vel auferendi occasionem peccandi. ead.2.A,

27 An teneatur confessor docere pœnitentem, qui ex inuincibili ignorantia errat, vel quomodò se-

cum illo gerat 445.2.A,& sequentibus.
28 Si confessor sciat pœnitentem esse ritè dispositum,tenetur sub graui culpa illum absoluere.440 1.A,potest tamẽ iusta ex causa absolutionem differre. 447.1.A
29 Tenetur confessor absoluere pœnitentem iuxta eius probabilem opinionem, licèt cõfessoris opinio alia sit. ibid. E, etiamsi ex illa detrimentum tertij sequatur. ead.2.A
30 Sacerdos qui absolutionem inualidam dedit, tenetur, si commodè potest, pœnitentem monere de defectu. 448.2.A.D
31 Quando absolutio fuit valida, licèt iniquè data, confessor nihil tenetur. 449.1.A,B, nisi vergat in damnum tertij. ibid.B
32 An confessor teneatur interrogare pœnitentem, vide verb.Interrogationes confessoris.

*Confessoris pœnæ.*

33 Nulla pœna communi iure est imposita sacerdoti indebitè ministranti hoc sacramentum. 449.2.A
34 Laicus, aut clericus temerè hoc sacramentum, ministrans,fit irregularis. ibid.E

*Confessoris approbatio.*

1 Approbatio Episcopi iure antiquo non erat necessaria vt sacerdos idoneus posset eligi, vel iurisdictionẽ delegatam à Parocho accipere.384.1.A,& 2.B,& seq.secus post Concilium Trident. 385.1. B,estque de necessitate sacramenti. 387.2.A
2 Nunc vt minister pro secularibus sit idoneus,debet esse vel ab Episcopo approbatus, vel beneficium parochiale habere.385.1.D,& seq.
3 Sacerdos auditurus confessiones regularium, nõ indiget approbatione. ead.2.C
4 Regularis per facultatem eligendi confessorem potest eligere non approbatum ex vi Concilij. ibid.D,secus si in facultate aliud exprimatur,vt in Bulla Cruciatæ. ibid.
5 Omnes sacerdotes,etiam Episcopi debent eligere sacerdotem approbatum. 386.1.D, & omnis facultas secularibus data à quocunque ita intelligenda. ead.2.C
6 Approbatio est distincta à delegatione iurisdictionis.389.1.C,vnde possunt separari. ibid.1.C
7 Iudicium ad approbationem requisitũ quod sit, 390.2.D
8 Quid ante Tridẽtinum esset statutum de religiosorum approbatione per ius antiquum. 391.2.A
9 Religiosus eligendus per diploma Pontificiũ debet esse approbatus ab Episcopo loci, in quo habet domicilium.398.2.B, etiamsi extra diœcesim peregrinetur.399.1.B, si verò per priuilegia religionis,non potest extra diœcesim eligi. ead.2.A

*Approbationis causa efficiens.*

10 Papa delegans alicui iurisdictionem ad audiendas confessiones in suo Romano Episcopatu, censetur illum approbare.ibid.B, Et idem est de Episcopis respectu suorum Episcopatuum. ibid.C
11 Parochi tantùm possunt delegare suam iurisdictionem aliis Parochis, aut sacerdotibus ab Episcopo approbatis.387.1.A,etiã non suo. 400.2.C
12 Potest approbationem dare solus Episcopus saltem electus,& confirmatus,& eius Vicarius.388, 2.B,& Capitulum sede vacante, ibid.C,& Abbates exempti habentes Episcopalem iurisdictionẽ. 389.1.B, non autem Prouinciales, aut Generales Religionum respectu secularium. 390.1.C
13 Dans hanc approbationem debet esse Episcopus confessoris. 394.1.E, non autem loci materialis, in quo fit confessio.393.1.B,aut pœnitentis. ead. 2.C
14 Quomodo Episcopus possit approbare sacerdotem extraneum pro suis subditis. 395.1.B,C
15 Religiosi exempti fiũt subiecti Episcopis quo ad approbatiouem ratione domicilij. ead.2.A
16 Episcopus potest subdito licentiam dare, vt confiteatur sacerdoti approbato ab alio Episcopo. 400.1.A,potest etiam illam limitare ad approbatos à se.ibid.B, non tamen per illam approbat sacerdotem electum ibidem C, potest tamen hoc subdito committere ibidem D, Quid in hoc possit Parochus. ead.2.B
17 Per facultatem concessam à Pontifice eligendi confessorem approbatum ab Episcopo,potest eligi sacerdos alterius diœcesis, ibi approbatus. 398.1,A
18 Sacerdos domicilium mutans in aliam diœcesim, debet ibi approbari,vt censeatur idoneus qui per Bullam eligatur. ead.2.B

*Approbationis forma.*

19 Non est necessaria in scriptis. 391.1. D, neque de eius substantia,vt gratis detur. ibid.

*Approbationis materia.*

20 Habens parochiale beneficium censetur approbatus non solùm pro suo Episcopatu. 388.1.A,sed pro tota Ecclesia.ibid.D,non sufficit tamen beneficium habuisse. ead.2.D

*Approbationis subiectũ.*

21 Sacerdos ab Episcopo simpliciter approbatus est capax iurisdictionis in sacramentali foro in tota Ecclesia.397.1.B,nisi limitetur ex intentione cõcedentis iurisdictionem.395.2.E,aut approbationem. 397.1.A

*Approbationis petitio.*

22 Religiosi, etiam mendicantes, hac indigent approbatione obtenta. 391.2.D
23 Non expirat per mortem concedentis. 389.1.D, sed durat quandiù non reuocatur. 401.2.C, quæ potest ex iusta causa reuocari. 402.2.C

*Examen ad approbationẽ.*

24 Non sufficit approbatio petita, & non obtenta, siue iustè,siue iniustè negetur. 390.1.E,& 2.A,B
25 Potest Episcopus mendicantes sine examine à se approbatos examinare. 402.1.B
26 Episcopus potest absque speciali causa iterum examinare à suo antecessore approbatos, & indignos reprobare.401.2.E,imò idẽ Episcopus potest à se approbatos examinare, non tamen absque causa reprobare.402.1.A, & seq.etiã validè. ibid.

*Confessor quoad reseruata.*

27 Religiosi mendicantes non possunt absoluere à peccatis Episcopo reseruatis.416.1.B,nõ possunt tamen Episcopi respectu horum reseruare casus non reseruatos respectu parochorum. ibid.C
28 In nullo casu etiam articuli mortis potest inferior absoluere à reseruatis,si superior adiri potest sine graui periculo. 416.2.D,E,417.2.E, In casu necessitatis potest absolutio à reseruatis Papæ ab inferiori dari cũ onere cõparendi.418.1.B,quæ regula locum non habet in reseruatis ab aliis inferioribus prælatis. 419.1.C
29 In mortis articulo quilibet sacerdos habet directã iurisdictionem in reseruata.416.2.B,ab Ecclesia: vnde nullus est necessarius ordo inter sacerdotes habentes iurisdictionem in mortalia peccata. ibid.D

*Ordinarius delegatus.*

30 Qui casus reseruauit & eius superior in hoc foro est minister ordinarius quoad reseruata, ibid.
31 Delegatus qui ab habentibus facultatem.411.2.D
32 Episcopi possunt per Trident.absoluere suos subditos à peccatis Papæ reseruatis, si sint occulta. 413.1.D,& nullibi publica.ibid.E.ea facultate vti possunt in omnes,& solos subditos.ead.2.A,quinam Episcopi ibi intelligantur. ibid.D
33 Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem,nõ gaudent hac facultate. ibid.E,neque Prælati religionum.414.1.D, comprehenditur Archiepiscopus respectu diœcesis suffraganei dum actu visitat. ead.2.B
34 Episcopus nõ potest absoluere à peccatis in Bulla Cœnæ reseruatis etiam occultis per decretum Concil.

# Index rerum.


Concil. Trident. ibid.D

35 Delegatus non potest reseruationem peccati tollere, nisi ab illo sacramẽtaliter absoluẽdo. 435.2.C

CONTRITIO.

1 Amor solus non est propria contritio. 49.2.E

2 Contritio formaliter est actus pœnitentiæ. 50.1.A

3 Quis actus pœnitentiæ sit. ibid.B

4 Voluntas destruendi peccatum, aut resarciẽdi diuinam iniuriam, non est contritio. ead.2.A, neque de eius substantia. ead.1.B, neque est necessaria, vt extrinsecè illam imperet. 51.1.A

5 Odium peccati propriè non est contritio. 50.2.B

6 Dolor de peccato propriè sumptus non est contritio, licèt illam comitetur. ibid.D

7 Contritio debet esse ex amore Dei super omnia. 51.1.C

8 Detestatur peccatũ supra omne detestabile. ead. 2.C

9 In contritione saltem debet includi votum formalis amoris Dei super omnia. 53.2.D, formalis autem amor non est de illius essentia. 55.1.B

10 Contritionis essentia in vnico actu consistit. 56. 2.A

11 Contritio, quæ sufficit ad implendum præceptũ, sufficit ad iustificationem. 59.1.E

12 Quæ sufficit ad remissionem cuiusuis mortalis sufficit ad remissionem omnium. ead.2.A, licèt appropriatiuè sit maior de grauiori peccato. ibid. Quælibet est de omnibus. 62.1.C, 292.2.E

13 Per se non potest esse nimia, 59.2.A, potest tamen per accidens. ibid.B

14 Ex vi præcepti annuæ confessionis non tenetur qui confiteri non potest, ad habendam contritionem. 210.1.E, licèt timeat obliuionem peccatorum. ead.2.C

15 Non requiruntur singulæ contritiones de singulis peccatis ad iustificationem. 62.1.D

16 Ad veram contritionem non est necessaria distincta peccatorum recogitatio. 63.1.D, neq; votum eius. ibid. licèt in aliquibus casibus possit esse necessaria. ead.2.D

17 Per contritionem veram non potest quis detestari vnum peccatum sine aliis, si de pluribus cogitat. 65.1.A

18 Contritio non solùm debet esse de malitia actus. sed de ipso actu intrinsecè malo. ibid.C

*Contritio formata.* 19 Contritio semper est formata. ibid.E, nõ per se, & essentialiter, sed per gratiam habitualem. ead.2.C licèt ab ea nõ procedat actiuè. 66.1.D, & sequent. sed propter infallibilem concomitantiam cùm illa. 67.2.A; & ideò priùs natura informis, quàm formata. ibid.C, in vtroque autem signo est vera contritio. ibid.D

20 Contritio quomodo cum merito condigni præmij valere possit ad condignam satisfactionem. 128.1.D

21 Contritio est valdè proportionata ad satisfaciendum Deo, non tamen per se necessaria, absque ordinatione diuina. 202.2.B

22 Licèt naturale sit præceptum satisfactionis, quod esse debeat per contritionem, pendet ex diuina ordinatione. 203.1.A

*Contritionis nomen.* 23 Quid significet contritio. 49.2.A, vnde sumatur metaphora. ibid.C

*Duratio. Intentio.* 24 Ad contritionem nulla certa duratio necessaria, 60.2.B, & seq.

25 Ad veram contritionem non est necessaria absolutè summa intentio. 57.1.C, nec comparatiuè ad dolorem de quolibet alio malo, vel ad amorem de quolibet creato bono. ead.2.C, imò nec certa intentio necessaria est, sed sufficit substantia actus. 58.1.C

*Omissio.* 26 Homo in peccato existens, & à Deo excitatus potest directè nolle pro tunc conteri. 212.2.C. etiam sine veniali peccato. ibid.E

27 Qui vult non conteri non vult virtute permanere in peccato, sed permittit. 213.1.C

*Contritio vt pars sacramenti.* 28 Contritio secundùm totam suam essentiam est pars sacramenti pœnitentiæ. 258.1.C, & seq.

29 Si cum absolutione sacramentali concurrat, habet efficaciam sacramentalem ex opere operato. ibid.D

*Conscientia.*

*Erronea.* 1 Ex conscientia erronea potest quis etiam inculpabiliter constitui in necessitate cõmittendi peccatum leuius, ad maius vitandum. 47.1.D

*Conscientia examinatio.* 2 Qui conscientiam mortalis habet, debet moralem diligentiam facere, vt omnia confiteatur. 334.1.D

3 Non tenetur quis extraordinariam diligẽtiam facere, aut peccata scribere, etiãsi timeat quòd memoria excident. 335.1.A,B

4 Discussio conscientiæ potest compleri industria confessoris. ibid.C

CORRECTIO FRATERNA.

*Quando obliget.* 2 Non tenemur corripere proximum de peccato iã curato & emẽdato. 215.1.C, sed de præterito non emendato, etiamsi non immineat periculum noui lapsus. ibid.D, non tamen statim, sed tempore necessitatis, ibid. & quod illud sit. 216.1.D

2 Correctio, quę ordinatur ad continuationẽ actualis peccati impediẽdam, obligat pro quolibet opportuno tẽpore. ibid. D, necnon respectu sui. ead. 2.A, licèt non ex eadem virtute. ibid.B

3 Correctio propter solum remedium peccati cõmissi, obligat quando est necessitas vitandi peccatum impœnitentiæ, aut mortem æternam, ibid. & C.

4 Non tenemur proximum corripere, quando ipse non tenetur correptionem acceptare. 217.1.C, D

DÆMON.

1 Dæmones quomodo possint esse ministri Dei ad torquendas animas. 608.2.E

DEVS.

1 Quam voluntatem habeat Deus circa negationes quæ in tempore sunt. 98.1.A

*Dignitas Ecclesiastica.*

1 Per pœnitentiam sæpe restituitur homo ad pristinam dignitatem Ecclesiasticam. 181.2.D, non autem semper. 182.1.C

2 Dignitas Episcopalis, Vide Verbum, Episcopus.

*Dispensatio.*

1 Dispensatio quoties ab inferiori datur in iure superioris, est de substantia eius, vt fiat ex iusta causa. 736.1.B

2 Cur dispensatio in humano iure absque causa, sit valida, non in diuino. 737.1.A,B

3 Dispensare in diuino iure, & agere contra illud non sunt idem. 738.2.A

4 Potest interdum Prælatus secum dispensare. 703. 1.D

*Dolor.*

*Vt pars sacramenti pœnitentiæ.* 1 Dolor, & satisfactio, vt sunt partes sacramẽti pœnitentiæ, in quo differant. 287.1.E

2 Dolor peccatorum ad confessionem necessarius debet esse vniuersalis de omnibus peccatis confessis. 293.1.E

3 Dolor de peccatis potest tempore antecedere cõfessionem, 294.1.D, non tamẽ est necesse, sed potest subsequi. ead.2.A, C, debet tamen formali, vel virtuali intentione ad confessionem referri. ead.1.E

4 Non requiritur minor dolor de peccatis ad valorem

rem ſacramenti pœnitentiæ, quàm ad effectum. 297.2.A

*Dubium.*

*Diuiſio.* 1 Dubium duplex,primũ,& improprium. 364.1.A
*Proprium.* 2 Cum dubio proprio circa iuriſdictionẽ quomodo aliquando liceat miniſtrare ſacramentum pœnitentiæ. ibid.B
*Improprium.* 3 Cum dubio improprio circa iuriſdictionem licet ſacramentum pœnitentiæ miniſtrare. 365.1.C

EPISCOPVS.

1 Epiſcopi nõ ſuccedunt Apoſtolis,quatenùs Apoſtoli,ſed quatenùs primi Epiſcopi fuêre.349.1.C
2 Ad quid circa ſacramentorum adminiſtrationem teneatur Epiſcopus tempore peſtis. 580.1.D
3 Epiſcopi dignitas eſt de iure diuino.347.1.D,& à Chriſto inſtituta ſaltem in communi quoad iuriſdictionem. ibid.E,& 2.C
4 Poteſt concedere facultatem confitendi alieno ſine licentia proprij Parochi,imò ita eſt intelligenda,quando abſolutè datur. 354.1.E,2.A
5 Epiſcopus quid poſſit circa indulgẽtias,Vide verbo,indulgentia.§.Poteſtas concedendi indulgentias,verſic.Quis illam habeat iure ordinario.
6 Quis nomine Epiſcopi intelligatur in facultate concedendi indulgentias. 756.1.E.& ſeq.

*Euchariſtia.*

1 Quoties formæ Euchariſtiæ ſupponitur materia falſa etiam partialis,mortaliter peccatur. 334.1.A

*Excommunicatio.*

1 Qui pluribus titulis eſt excommunicatus,ſi petat abſolutionem vno ſolo titulo explicato,à ſola excommunicatione illo titulo contracta abſoluetur. 308.1.E
2 Quoties excommunicatus ante abſolutionem à cenſura poteſt licitè recipere Euchariſtiam poteſt etiam ſacramentum pœnitentiæ. 434.1.C
3 Parochus excommunicatus non poteſt alteri licentiam dare,vt Extremam vnctionem miniſtret. 577.2.D
4 Excommunicatus non poteſt miniſtrare ſacramentum Extremæ vnctionis etiam ob neceſſitatem infirmi. 578.1.A, ſuſpenſus autem maximè. ibid.

*Extrema vnctio.*

*Eius inſtitutio.* 1 Oleum benedictum non eſt ſacramentumExtremæ vnctionis.545.1.C.ſed in ipſa vnctione cõſiſtit.ibid.& 2.A,Eſt verum ſacramẽtum nouæ legis.538.2.C,541.1.A, immediatè à Chriſto Domino inſtitutum.ibid.& 541.2.B, non ante noctẽ Cœnæ,nec Marci 16. 541.2.B
2 Quid ſit ſacramentum tantum, res tantùm, & vtrunque ſimul in extrema vnctione. 564.1.A
3 Vnctio,qua vtebantur Apoſtoli ad infirmos ſanãdos,non erat ſacramentũ, licèt fuerit eius adumbratio. 539.1.A
*Definitio:* 4 Extremæ vnctionis definitio phyſica traditur. 549.1.D,alia mixta ex vtraque. ibid.D
*Forma.* 5 Aliqua verborum forma eſt de eſſentia Extremæ vnctionis. 546.2.E,illa maximè qua vtitur Eccleſia Romana, licèt non omnes eius partes ſint de eſſentia. 548.1.D
6 Per formas, & vnctiones quinque ſenſuum ſufficienter ſignificatur curatio omnium peccatorum. 560.1.D
7 Formam deprecatiuam eſſe ſufficientem in ſacramento Extremæ vnctionis eſt dogma fidei, 547. 1.E
8 Eſt etiam neceſſaria vnde ſolum verbum indicatiuum ſine formali deprecatione non ſufficit.ead. 2.A,& cur. ibid.C
9 Forma quomodoverificetur in eo,qui aliquo ſenſu perpetuo caruit. 560.2.A
10 Forma hæc,*Vngo te oleo ſancto,vt Deus tibi remittat*, &c.eſt ſufficiens. 547.2.C
11 Non eſt de neceſſitate ſacramẽti,vel præcepti, vt exprimatur materia remota. 548.1.C
12 De neceſſitate præcepti eſt,vt in forma exprimãtur quinque ſenſus. ead.2.D
13 Inuocatio Trinitatis non eſt de neceſſitate ſacramenti,aut præcepti in Extrema vnctione.549.1.B illa autem particula,*& ſuam*,piiſſimam miſericordiam de præcepto reputatur. 548.1.E
14 Materia proxima huius ſacramenti eſt vnctio. 549.1.D *Extremæ vnctionis materia proxima.*
15 Materia remota eſt oleum oliuarum. 542.1.D,ab Epiſcopo benedictum ex neceſſitate præcepti. ead.2.E,& ſacramenti.543.1.A,Quem ritũ Chriſtus inſtituit, nec Eccleſia immutare potuit. ead. 2.D *Remota.*
16 Non poteſt inferiori ſacerdoti olei benedictio committi. 544.1.C
17 Modus benedictionis olei non eſt à Chriſto præſcriptus. ibid.A
18 Quæ olei mixtio,aut mutatio illicita ſit,vel contra ſubſtantiam ſacramenti. 545.1.A
19 Sacramentum hoc eſt vnum ſpecie. 549.2.A
20 Ex quinque vnctionibus & partialibus formis,fit vnum tantum numero ſacramentum in vno ſubiecto. ibid.C,& ſeq. *Extremæ vnctionis vnitas.*
21 Extremæ vnctionis ſacramentum non imprimit characterem. 550.1.B,C *Iteratio.*
22 Eſt iterabile.ibid.E, non tamen durante eiuſdem morbi neceſſitate:poteſt tamen ſi in eodem morbo neceſſitas iteretur. ead.2.A,B,& ſeq. *Finis & effectus.*
23 Sacramẽtum hoc delet venialia peccata.551.1.C non tamen primariò ad illa delenda eſt inſtitutum.553.1.A,primarius eius effectus non eſt tollere reliquias peccatorum. ibid.vel pœnas tẽporales.ibid C,vel prauos habitus.ibid.E. ſed per ſe primò eſt inſtitutum propter confortandum animum ægroti contra difficultates occurrentes in mortis articulo. 553.2.B,C,D
25 Sacramentalis gratia Extremæ vnctionis cõſiſtit præcipuè in collatione auxilij accommodati ad eius finem. 554.1.A, quod latè exponitur in ſequentib. Per ſe etiam eſt inſtitutum ad proximè diſponendam ægroti animam ad introitum gloriæ. ibid.D,E, conſequenter ad peccata delenda, non ſolùm venialia,ſed etiam mortalia, non tantùm quoad pœnam,ſed præcipuè quoad culpam. ead.2.C,& ſeq.
26 Per hoc ſacramentum remittitur reatus pœnæ temporalis. ibid.E
27 Sacramẽtum hoc eſt inſtitutum contra peccatorum reliquias,non illas auferendo,ſed robur contra illas dando per gratiæ auxilia. 555.1.C
28 Sacramentũ hoc poteſt facere ex attrito contritum. ead.2.A, non tamen ſatis eſt attritio cognita abſque confeſſione. ibid.B
29 Peccata venialia in hoc ſacramento non remittuntur per excitationem deuotionis, ſed per efficaciam ipſius ſacramenti. 556.1.A
30 Extrema vnctio informis habet effectum recedente fictione.ibid.D.quoad gratiam habitualem quocunque tempore. ead.2.A, quoad ſacramentalem autem ſolùm intra eandem infirmitatem, ead. 1.C,quomodo tollenda fictio. 557.1.A
31 Effectus datur in vltima vnctione earum,quæ ad eſſentiam ſacramenti pertinent ex Chriſti inſtitutione,& non antea. ead.2.B,vſque ad 559.2.B
32 Tunc vltima particula materiæ, vel formæ agit virtute præcedentium.560.1.C,Vnde ſi infirmus anteà

anteà moriatur,nihil consequitur, quidquid minister intendat. ead.2.D
33 Per hoc sacramentum quomodo conferatur corporis sanitas. 562.1.E,vsque ad 563.2.D
34 Sacramentum hoc confert, vt labores morbi leuiùs ferantur.562.2.C,quomodo autem hoc fiat, & an effectus hic impediri possit.563.2.D, vt detur hoc sacramentum peccatori, sufficiunt signa contritionis. 576.2.A
*Dispositio ad essentiã.* 36 Nullus attritionis actus est necessarius ad essentiam huius sacramenti. 556.1.C
37 Status gratiæ per se loquendo est necessaria dispositio ad hoc sacramentum. 557.1.A
*Dispositio ad effectum.* 28 Ad effectum huius sacramenti est necessaria, & sufficit attritio cum bona fide. ibid.
40 Solus baptizatus est capaxhuius sacram.564.2.A
*Extremæ vnctionis subiectum.* 41 Infantes aut perpetuò amentes non sunt eius capaces. ibid.C,Vide verb.B.Virgo.
43 Quis censeatur dispositus,vt hoc sacram. petere aut eius obiectioni consentire possit. 565.1.A
44 Qui nunquàm actualiter peccauit, est capax huius sacramenti. 567.2.A
45 Et qui amittit vsum rationis cum sola attritione cognita,potest licitè hoc sacram.dari. 566.1.A
45 Solus viator in hac vita degens est vnctionis capax. 554.2.D
46 Solus infirmus est huius sacramenti capax.566.1.C,& seq.nec debet dari, nisi in infirmitate graui, estque de necessitate sacramenti. ead.2.B,C
48 Non est expectandũ in administrando hoc sacr. vt infirmus non possit naturaliter viuere.567.1.B
49 Non in omni occasione mortis, sed in illa sola, quæ ex corporis infirmitate prouenit, est hoc sacramentum applicandum. ibid.C
50 Qui non potest in mortis articulo aliud sacramẽtum recipere,tenetur recipere Extremam vnctionẽ,saltẽ ex charitate propria. 574.2.C,575.1.A,B
51 Si sacramentum hoc sine indecẽtia ministrari nõ potest,omitti potiùs debet. 565.2.E
52 Nõ est de necessitate vlla,vt fiat in modũ crucis. 545.2.B,sed illa vnctio sufficit, quæ veram rationem vnctionis attingat. ibid.E
53 Vnctiones singulæ quinque sensuum sunt de necess.& sufficit. 546.1.B,D,560.1.A,568.2.B
54 Ordo in vnctionibus non est de necessitate sacramenti,licèt non sine peccato mutaretur.546.2.A
55 In casu necessitatis,vt validè, & licitè, sacramentum hoc ministretur probabile est sufficere super vnctionis quinque sensuum proferre vnã totalem formam. 561.2.D
56 Debet dari hominibus,dum ratione vti possunt. 565.2.B, peccat qui ægroto confert existenti in malo statu. 566.1.A
57 Potestas ministrandi hoc sacramentum data est, Ioan.20.& non anteà. 570.1.E
57 Solùm sacerdos est minister huius sacr. ibid.A, sufficit diaconus,ibid.E.etiam ex quacunque causa. ead.2.B
58 Simplex sacerdos est sufficiens minister quoad substantiam sacramenti.ibid.A. & vnus. 571.1.C nec potest validè fieri à duobus, quorũ vnus vngat,alter formam proferat. ead.2.C
60 Sacr. hoc potest validè à pluribus ministris, vel simul,vel successiuè cõferri, quorum vnus vnum sensum cum prolatione formæ vngat,alius alium, &c.573.1.C,imò in necessitate etiã licitè. ibid.D
61 Soli Parochi,& Episcopi tenentur hoc sacramentum ministrare. 576.2.C
62 Ex charitate etiam alij sacerdotes teneri possunt. 577.1.A, non tamen sine licentia, tacita, vel expressa parochi. ibid.B
63 Religiosus vngens secularem inuito parocho excommunicationem incurrit. ead.2.A, secus si ille absit,aut illud ministrare nolit. ibid.B
64 Ministrans hoc sacramentum debet esse in statu gratiæ,& non præcisus. ibid.C
*Ministri dispositio Vnctionis ordo ad alia sacr.* 65 Viaticum per se non est dispositio necessaria ad Extremam vnctionem. 575.1.D,E, sed congrua. ibid.vnde nõ est graue peccatum, hunc ordinem inuertere. ead.2.A
66 Qui habet conscientiam peccati mortalis, nõ tenetur per se præmittere confessionem ante hoc sacramentum,sed sufficit conteri. 576.1.B,C
*Vnctionis omissio.* 67 In omissione huius sacr. potest peccati mortalis ratione scandali.ibid.D,& contemptus. ibid.
68 Nullum est præc.de suscipiẽdo hoc sacr.606.2.E

FACVLTAS ELIGENDI CONFES.

69 Iure diuin.& humano dari potest. 366.1.D,367.1.E
*Causa efficiens. Facultas præsumpta.* 70 Licèt videatur haberi consuetudine, non tamen datur per illam,sed data cognoscitur. 372.2.B
71 An quomodo sufficiat ad eligendum confessorem. 376.2.C,& seq.
72 Parochus non præsumitur dare hanc facultatem; etiãsi à parochia discedat. 377.1.C, aut moriatur. ibid. D, aut nolit confessionem audire, ibid. aut pœnitens habeat iustam causam non confitendi illi.ibid.E, Peccat tamen parochus in illis casibus facultatem negans.378.1.A. B. & tunc debet penitens ad superiorem recurrere.ibid. C, aut confiteti peccata,quæ potest sine periculo. ibid.D.
73 Non sufficit facultas petita, & non obtenta, vt quis validè confessorem eligat. 377.2.B
74 Data à superiore,inferiore renuẽte,est valida, nõ è contrario 366.2.B, Ab excommunicato,aut suspenso data est nulla.ibid. D
*Huius facultatis causa efficiens.* 75 Concedens illam debet habere easdem conditiones quas delegans iurisdictionẽ sacerdoti.ead.1.E
76 Papa,Episcopus, & Parochus possunt illam dare, ead.2.A.
*Huius facultatis subiectũ Huius facultatis materia.* 77 Solus Papa illam habet iure diuino.367.1.E,2.A, & tunc confessor habet iurisdictionem ab ipso Papa. ead.1.B
78 Episcopus habet illam iure Ecclesiastico. 368.1, A,Quid autem per Episcopum intelligatur. ibid, B,C,& quid de superioribus. ibid.E,& 2.A
79 Inferiores Prælati exempti habent illã. ead. 1.A, etiamsi iurisdictionem in hoc foro non habeant. ead.2.D,nisi à suo superiore, aut religionis statutis designatum habeant confessorem. 369.1.B
80 Parochi subiecti non gaudẽt hoc priuilegio.368.2.A,nec vllus alius. 371.1.E
*Facultatis duratio.* 81 Facultas hæc non excedit potestatem concedẽtis. 373.2.E, simpliciter concessa non se extendit ad peccata reseruata concedenti. ibid. imò data à Papa non comprehendit peccata Episcopis reseruata. 374.1.A
82 Non extenditur vltra absolutionem à peccatis,& quæ cum illa sunt connexa. ibid.D
38 Non finitur vno actu.369.1.E,374.2.B. tunc autẽ actus debet esse consummatus,ibid.simpliciter concessa,aut cum addito vsque ad beneplacitum sedis,non cessat per mortem concedentis,secus si cum addito vsque ad beneplacitũ nostrum. 375.1.B,quo tunc detur iurisdictio. ibi.D.
84 Facultas eligendi confessorem quoad reseruata. Vide verb.Absolutio à reseruatis. §. Facultas obtinendi absolutionem à reseruatis.

*Fides.*

1 Fides semel amissa non recuperatur, nisi per actũ proprium.176.1.B,qui non elicitur tunc ab habitu fidei.ibid.C,neque oportet,vt sit formatus per veram

veram pœnitentiam, seu charitatem, vt infundatur fidei habitus. ibid.D, & 2. A, & idem omninò de spe. ibid.

GRATIA.

1 Gratia excitans & adiuuans sunt necessariæ ad agendam pœnitentiam. 97.1.D
2 Non est idem Deum denegare alicui gratiam, & actu non dare. ibid.E
3 Non repugnat iustum aliquo tempore vitæ esse sine reatu pœnæ. 688.2.E
4 Deus potest conseruare gratiam in homine peccante moraliter. 106.2.B
5 Gratiæ est connaturale, vt excludat ordinationem ad quancunquè pœnam æternam, non repugnat tamen de potentia absoluta aliter fieri. 167.2.A
6 Non potest quis diu permanere in peccato sine nouo peccato. 213.2.D
Diuisio. Operans. 7 Gratia operans, & cooperans quid. 117.1.D
8 Non est impossibile Deum aliquibus nõ dare excitatem gratiam propter eorum peccata. 98.2.B, verisimilius tamen est oppositum. ead.1.C,D
9 Remissio culpæ, & pœnæ æternæ est effectus gratiæ operantis. 117.2.A, & quomodo, & an sit etiã cooperantis. ibid.C
10 Excitatio Dei ad pœnitentiam non inducit illius obligationem. 212.1.A
Cooperans. Gratia augmentum. 11 Deus non denegat adiuuantem gratiam homini supernaturaliter excitato. 97.2.B, & seq.
12 Non quoties gratia augetur remittitur veniale peccatũ. 139.2.E, semper tamen cùm veniale per se remittitur, augetur gratia. 140.1.E
Gratia certitudo. 13 Non est inconueniẽs quod aliquis sit tam certus de sua iustificat. quàm est certus de sua attrit. 283.1.D
14 Detestatio peccati ex motiuo charitatis est sufficiẽs dispositio ad gratiam. 53.2.B, & includit virtute amorẽ super omnia. ibid.C, nõ verò ex quocunque alio motiuo. ead.1.E, & seq.

HABITVS.

1 Habitus infusi virtutum, non repugnant cum acquisitis vitiorum. 118.2.D

*Habitus vitij.*

Infusus. 1 Habitus vitiosi nõ semper tolluntur remisso peccato. ibid.C, quomodo debiliores maneãt. 119.1.A

IGNORANTIA.

1 Ignorantia excusans à culpa ob confessionem indebitæ factam, excusat ab iterãda cõfess. 292.2.B

*Impetratio.*

1 Dupliciter potest quis impetrare alteri à Deo remissionem debiti. 623.1.B
2 Potestvnus fidelis alteri impetrare bonum motũ. non solùm ad satisfaciẽdum pro pœna, sed etiam pro culpa etiam mortali. ibid.C
3 Non potest quis alteri impetrare à Deo gratuitam remissionem pœnæ temporalis absq; satisfactione. ead.2.A, etiam applicando quoad hunc effectum satisfactionem Christi per priuatam orationem. ibid.C
4 Quid impetrẽt Ecclesię orationes animabus Purgatorij. 635.1.B,C
5 Impetratio cum solutione pro alio comparatur. 646.1.B
6 Priuata persona an possit sibi, vel alteri impetrare satisfactiones alicuius Sancti in thesauro repositas. 697.1.E

*Impœnitentia.*

1 Est speciale peccatum. 197.2.C, siue sit propositũ non pœnitendi tempore debito. 198.1.B, siue voluntaria omissio eodem tempore. ibid.D
2 Impœnitẽtia materialis, & omninò inuoluntaria, quomodo appelletur ab Augustino peccatum cõtra Spiritum sanctum. 199.1.C,D
3 Impœnitentia per voluntarium indirectum non est specie diuersa à proposito non pœnitendi. ibid.E,2.A
4 Sæpe esse potest circunstantia alterius peccati. ead.2.C, & vt durat tempore quo præceptũ pœnitentiæ obligat, non est generalis, sed specialis. ibid.D
5 Impœnitentia plurium peccatorum, non est multiplex peccatum. 200.1.A
6 Potest homo mori in peccato sine speciali culpa impœnitentiæ. ibid.B
7 Aliquando includit triplicem malitiam, non semper. ead.2.D

*Incestus.*

1 Gradus consanguinitatis, vel affinitatis an confitendus in peccato incestus. 315.2.E

*Indulgentia.*

1 Indulgentię definitio traditur, & expenditur. 658.1.C,D, 676.2.D
2 Propria differentia indulgentiæ quæ. 661.1.B *Definitio.*
3 Nominis indulgentia significatio. 647.1.D, & descriptio. ibid.D
4 Est in Ecclesia potestas remittendi pœnas temporales per indulgentias, quam à Christo accepit. 650.1.A, & quomodo ex Euangelio colligatur. ibid.B, & seq. *Nomen potestas illas cõcedendi.*
5 Ex potestate ligandi per censuras non colligitur potestas soluendi per indulgentias. 649.1.E
6 Potestas hęc Petro, & successoribus eius promissa. Matthæi 16. 651.1.E, 660.1.C, & seq. data autem Ioan. 21. 652.1.A, non autem Ioannis. 651.2.B,
7 Potestas hæc non est ordinis. 656.2.B, nec necessariò illum requirit. 657.1.A, Vnde sola potestas ordinis non sufficit ad hunc actum. ibid.B
8 Discrimen inter remissionem factã per sacramentum pœnitentiæ, & per indulgent. 656.2.D
9 Potestas hæc est iurisdictionis spiritualis. 657.1.E, voluntariæ. 658.1.A, ideoque non cogentis, sed miserentis. ibid.E, quæ in inuitum locum non habeat. ead.2.A, ideoque ab eodem circa seipsum exerceri potest. ibid.
10 Potestas hæc stricto iure est interpretanda, vnde qui illam habet, debet ea moderatè vti. 770.1.D, & 2.B
11 Potestas hæc est delegabilis. 763.1.A
12 Quis possit alicui dare licentiam ad lucrãdas indulgentias Episcopi alieni. 764.1.B
13 Solus summus Pontifex habet hanc potestatem à iure diuino. 650.2.D, immediatè. 750.2.B *Quis habeat illam iure ordinario.*
14 Pontifex habet potestatem concedendi indulgẽtias in tota Ecclesia. 748.1.D
15 Concilium generale non potest iure diuino concedere indulgentias. ead.2.D, nisi illi præsit Papa. ibid.
16 Concilium generale iure humano non potest indulgentias concedere. 750.1.A
17 Potestas concedendi indulgentias non conuenit Episcopis iure diuino. 751.1.C, nec propterea in iis potestas hæc est delegata. 651.1.A
18 Episcopus potest iure ordinario indulgentias cõcedere cum limitatione iuris. 746.1.E, circa quantitatem indulgentiæ, & personas. 747.1.A, quæ limitatio est irritans. 755.1.B, solùm quoad excessum. ibid.E, etiam in foro sacramentali. ead.2.E
19 Episcopus non potest indulgentias extra territorium concedere. 756.1.E
20 Nullus prælatus inferior Episcopo habet potestatem concedendi indulgentias iure ordinario. 758.1.B, etiamsi sit exemptus, & habens iurisdictionem Episcopalem. ead.2.C
21 Nec

21 Nec Vicarius Episcopi, nec Capitulum Sede vacante, nec Parochi hanc habent potestatem, nec Prælati religionum. 759.2.E

22 Consuetudo etiam præscripta non dat iurisdictionem ad concedendas indulgentias. 758.1.D, Aliquando verò indicat fuisse concessam. 759.1.B

23 Potestas hæc à quo possit delegari. 763.1.B

*Qui iure delegationis.*

24 Quis hanc potestatem delegatam de facto habeat. 764.1.B

*Indulgentiæ effectus.*

1 A qua pœna liberet indulgentia. 661.1.B

2 Sola pœna ordinaria remittitur per indulgentias. ead.2.B

3 Non est in Ecclesia potestas ad remissionem culpæ mortalis per indulgentias. 664.2.A

4 Aliquid interdum concomitanter cum indulgentia conceditur, quod ad illam consequẽdam prosit. ead.1,E

5 Potest Ecclesia concedere indulgentiam, quæ remittat extra sacramẽtum reatum pœnæ temporalis apud Deum. 667.1.E, non solùm post Pœnitentiam in sacramento iniunctam, sed etiam anteà. 668.1.B

6 Per effectum indulgentiæ potest relaxari pœnitẽtia sacramentalis iuxta indulgentiæ quantitatem. ead.2.B, etiam si pœnitens directa voluntate pœnitẽtiam implere omiserit. 671.1.A, nõ quia Pontifex tollat vinculũ à confessore impositum. 668.1.D, sed quia tollitur necessitas satisfactionis, vt talis. 669.1.C, licèt non cesset, vt medicina præseruans. ibid.D

7 Per indulgentias non relaxatur pœna imposita in foro exteriori. 670.1.C

8 Qui alicui indulgentiam concessit non est necesse, vt pro illo satisfaciat. ead.2.E

9 Per indulgentias remittitur pœna peccatis debita etiam in foro Dei. 671.2.D

10 Cur expediat, vt relaxetur pœna in foro Dei, non autem in foro externo imposita. ibid.E

11 Indulgentia non habet effectum positiuum, sed priuatiuum. 666.1.B

12 Ex vi indulgentiæ non remittitur pœna æterna. ibid.C, neque commutatur in temporalem. ibid. & seq.

13 Indulgentia per se & immediatè non valet ad remissionem peccati venialis. ead.2.A

14 Indulgentia simpliciter concessa valet ad remissionem cuiuscunque pœnæ pro quãtitate concessionis. 672.2.A, non solùm in totalibus. ibid.D, sed etiam in partialibus. ibid.

15 Indulgentia de iniunctis pœnitentiis, extenditur ad pœnas peccatorum, pro quibus pœnitentia nondum est iniuncta. 674.1.A, & seq.

16 Indulgentia plenaria de iniunctis pœnitentiis, quid comprehendat. 675.2.C

17 Indulgentiæ effectus vnicus secundùm speciem. 676.1.E, est tamen secundùm quantitatem multiplex. ead.2.C

*Quando detur.*

18 Indulgentiæ effectus in eo instanti conceditur, in quo opus requisitum consummatur. 706.1.A.C, quod autem illud sit. ibid.D

19 Indulgentia concessa morientibus in aliqua religione, in quo instanti habeat effectum. ead.2.B

20 Indulgentia non habet effectum recedẽte fictione, nec est in Ecclesia potestas ad hoc concedendum. 707.1.A, & seq.

*Indulgentia totalis, & partialis.*

*Diuisio. Totalis. Eius effectus Eius forma.*

1 Indulg. diuiditur in totalẽ & partialem. 676.2.D

2 Indulgentia plenaria, & totalis eadem. 677.1.B

3 Indulgentia totalis effectus quis. 676.2.E

4 Indulgentia plena, plenior, & plenissima, eundem per se effectum habent. 677.1.C

5 Cur vltra indulgentiam plenariam aliqui dies, vel quadragenæ indulgent. concedantur. 678.1.C

6 Quibus verbis plenaria indulgentia concedi intelligatur. ibid.E, & 2.A

7 Indulgentia partialis quæ. ead.2.B

*Indulgent. partialis.*

8 Particula *De iniunctis pœnitentiis*, magis est amplia- tiua, quàm restrictiua. 674.1.C, 678.2.D

9 Indulgent. concessa homini contrito, & confesso, ex vi illius particulæ non fit partialis. 679.1.A,B

10 Indulgentia de peccatis, de quibus quis contritus fuerit, & confessus, nõ est partialis. ibid.C, & venialia non confessa complectitur, & mortalia saltem indirectè per sacramentum pœnitentiæ ablata. 680.1.B, non tamen remissa tantùm per sacramentum in voto. ibid.C

11 Quomodo anni, vel dies computandi in indulgentiis pro certo tempore concessis de pœnitentiis iniunctis. ead.2.E, & seq.

12 Indulgentia certi temporis de pœnitentiis iniunctis, quomodo mensuranda. 682.1.B, & seq.

13 Cur antiquitùs particula de iniunctis pœnitentiis consueuerit apponi. 683.1.E

14 Effectus huius indulgentiæ non commensuratur pœnitentiæ, vt habenti effectum ex opere operato. ead.2.D

15 An indulgẽtia de certa parte peccatorum, remittat pœnam illam iuxta prudens arbitrium cõfessoris. 684.1.B

*Indulgentia localis personalis, & realis.*

1 Indulgentia diuiditur in personalem, localem, & realem. 698.2.D

*Diuisio. Localis.*

2 Quid requiratur ad localem indulgentiam lucrãdam. 699.1.B

3 An ad lucrandam indulgentiam concessam templum visitantibus, necesse sit illud ingredi. ibid.E

4 An diruto templo extinguatur indulgentia illi cõcessa. 700.1.A,D

5 Sub generali indulgentia alicui oppido concessa, cõprehẽditur clerus, etiãsi sit Episcopalis. 701.1.D

*Eius subiectum.*

6 Indulgentia generaliter concessa extenditur ad concedentem. ead.2.B, & seq. Vnde nõ ex voluntate superioris, sed ex propria illi prodest. 702.1.C

7 Prælatus potest directè & immediatè sibi indulgentiam concedere. ead.2.B,D

*Ad indulgentiam dispositio.*

1 Lucraturus indulg. debet esse fidelis. 703.2.D

2 Excõmunicatus est incapax indulgẽtiarũ. 704.1.B

3 Pontifex concedens indulgentiam, non censetur hoc ipso personam ad illam habilitare. ibid.C

4 Indulgentia non valet existenti in peccato ad remissionem pœnæ illi debitæ. ibid.D

5 Opus indulgentiæ in mortali factum, nõ impetrat vltra valorem eius, ex opere operantis. ead.2.A

6 Status gratiæ omninò necessarius ad fructum indulgentiæ consequendum. 705.1.B

7 Gratia est necessaria in instanti, in quo consummatur indulgentia, & non anteà. ead.2.A

8 Confessio per se nõ est necessaria dispositio ad indulgentiæ effectum. 708.2.A, nisi in forma indulgentię postuletur, ibid.B, id enim fieri potest. 709.1.B, tunc tamẽ non est necessaria confessio de venialibus. ibid.C, sed de mortalibus omnibus ante consequutam indulgentiam commissis, & existẽtibus in conscientia pœnitentis, latè. ead.2.D, vsq; ad. 710.1.D

9 Quando in forma indulgentiæ postulatur cõmunio, ex vi talis concessionis, non requiritur actualis confessio. 709.2.A

10 Quando indulgentia cõceditur de omnibus peccatis confessis, non est necesse ad integrum effectum

# Index rerum.


ctum eius omnia venialia confiteri. 710.1.B
11 Licèt indulgentia cõcessa sit sub hac forma, verè pœnitentibus, & confessis, non requiritur actualis confessio, sed sufficit vera contritio. ead.E, & seq.
12 An status gratiæ requiratur ad alios fauores, qui cum indulgentia conceduntur. 711.2.B
13 In remissione pœnæ per indulgentias non attẽditur personalis dispositio præter habitualem gratiam, sed valor operis satisfactorij facti cum debitis circunstantiis. 682.2.B
14 Tria requiruntur ad indulgentiam. 712.1.C
15 Potest inueniri causa pia absque nouo opere ex parte lucrãtis, & ideò non est necessarium, vt semper postuletur. ibid.D, licèt interdum possit hoc esse necessarium ad indulgent. valorem. ead.2.A
16 Opus iniunctum non est dispositio necessaria ad indulgentiam ex parte subiecti, sed ex parte causæ finalis. 713.1.B
17 Quoties indulgent. cõceditur sub forma certum opus requirente, nemo illam lucratur, qui illud non exequitur. ibid.C,D
18 Qui partem iniuncti operis exequitur, nihil indulgentiæ lucratur, nisi id ipsum in forma exprimatur. ead.2.C
19 Opus iniunctum etiã potest esse internũ. 714.1.B
20 Non est necesse, vt opus in statu gratię fiat. ead.2.A, & nisi aliud exprimatur, ita est interpretanda indulgentiæ forma. 715.1.C,D
21 Opus iniunctum debet esse honestum ex suo genere ead.2.D, licèt non sit in indiuiduo. 716.1.A
22 Quæ intentio requiratur in efficiente opus vt ad lucrandam indulgentiam valeat. ead.2.E, 717.1.A
23 Opus indulgentiæ non est necesse, vt immediatè procedat à gratia, procedit tamen mediatè. 717.1.A,B
24 Opus indulgentiæ potest impleri per alios ministerialiter. ibid.E, nisi contrarium in forma exigatur. ead.2.C
25 Non potest opus per alium tanquàm per principalem causam fieri. ead.1.E, nisi tenor indulgẽtiæ expressè hanc extentionem habeat. ead.2.A, & tunc necesse est eum, qui lucraturus est indulgentiam, scire opus pro se fieri. ibid.B
26 Non dotest quis alteri indulgentiam donare. 718.1.C,D, Potest tamen ei lucrari, illo etiam inscio, quando in forma exprimitur. ibid.
27 Omnes facientes opus ad indulgentiam requisitum, statim & æquè formaliter fructum assequũtur. 719.1.B,C
28 Opus meritorium, aut satisfactoriũ, vt tale nihil ad indulgentię effectum confert ex parte operantis, sed ex parte piæ causæ. ibid.C
29 Quando, & quomodo maius opus, vel ex maiori deuotione factum ad maiorem effectum indulgentiæ conferat. ead.2.A,& seq.
30 Cùm maior indulg. conceditur ei, qui magis donat, vnusquisque lucratur pro quantitate doni. 720.1.C
31 Non potest quis per idem opus diuersas lucrari indulgentias diuersis viis concessas. 721.1.A
32 Sollicitudo satisfaciendi pro pœna propria, non est dispositio necessaria ad fructum indulgentiæ. ead.2.C,& seq.

*Indulgentiæ causa finalis.*

*Diuisio.* 1 Finis indulgentiæ duplex intrinsecus & extrinsecus. 733.2.A
*Intrinsecus. Extrinsecus.* 2 Finis intrinsecus indulgentiæ quis. ibid.B
3 Causa pia est necessaria ad indulgentiam licitè cõcedendam. 734.1.A,B,& cur. 733.2.D
4 Indul. debet cõcedi proportionata causæ. 735.1.C
5 An data proportionata causa, concessio indulgentiæ semper rectè fiat. ibid.
6 Causa pia est necessaria ad valorem indulgentiæ. ead.2.D, ex Christi institutione. 736.1.D, neq; Põtifex habet potestatem aliter concedendi. 735.1.E
7 Licèt indulgentia absque causa concessa sit, aliæ facultates cum illa datæ, sunt validæ. 739.2.B
8 Causa proportionata quantitati indulgẽtiæ, requiritur ad eius valorem. 740.2.B,& seq.
9 Inter causam & effectum indulgentiæ triplex potest esse proportio. 742.1.A
10 Indulgentia excedens proportionatã causam valet quãtùm ad effectum proportionatum. ibid.B, implens tamẽ partem operis iniuncti, nihil lucratur. ibid.C, etiamsi pars illa sit adæquata toti indulgentiæ. ibid.E
11 Proportio causæ ad indulgentiam pensanda est prudenti morali existimatione, ex debita habitudine inter medium, & finem. ead.2.A, vnde non consistit in indiuisibili. ibid.B, neque est semper sumenda ex re ipsa, sed prout cadit sub prudentẽ electionem dispensantis. ibid.C
12 Causa existimata sufficiens, ad indulgentiam sufficit, licèt non ad alios effectus ex opere operato, 743.1.B
13 Eadem causa sufficit ad concedendam indulgentiam pro omnibus, siue in satisfaciendo diligentes sint, siue negligentes. 722.2.D
14 Indulgentia cõcessa toti Ecclesiæ requirit causam communem immediatè pertinentem ad vtilitatem totius Ecclesię, vel alicuius principalis partis eius. 745.2.D,E
15 Indulgentia cõcessa personis mediante loco, satis est, vt habeat causam ad illũ pertinentẽ. ead.2.A
16 Non est necesse, vt causa indulgentiæ sit spiritualis. ibid.B,C,D, nec vt oriatur ex malo imminentè, sed sufficit boni augmentum. ibid.E
17 Ad particularem indulgentiã sufficit particularis causa proportionata. 746.1.B, non sufficit tamen in particulari persona, causa euadendi pœnas purgatorij. ibid.D
18 Personalis causa potest sufficere ad vniuersalem indulgentiam. ead.2.C
19 Intercessio alicuius personæ potest conferre ad augendam causam indulgentiæ. 747.1.A, sola tamen non sufficit. ibid.B
20 Vbi non constiterit causam esse insufficiẽtem, indulgentia est efficax iudicanda. 709.1B
21 Potest esse causa, vt Pontifex sibi indulgentiam concedat. 702.2.B

*Indulgentiæ forma.*

*Diuisio.* 1 Indulgentiæ forma duplex, scilicet continens indulgentiam latam, & ferendam. 764.2.A
2 Discrimina inter vtramque. ibid.D
3 Indulgentia cur odiosa dicatur. 772.2.B
*Indulgentiæ ferendæ forma.* 4 Vt indulgentia ferenda comparetur, requirit, nouam formam, præter priorẽ concessionẽ, 765.1.C
5 Discrimen inter indulgentiam, & censuram ferẽdam. 764.1.B
6 Non est necesse, vt in forma indulgentię quãtitas, vel materia remissionis indicetur. 765.2.E, neque vt ille, cui conceditur, sciat sibi concedi. 766.1.D
7 Confessor etiam nihil sciens de indulto pœnitentis, potest illi concedere indulgentiam per sacramentalem absolutionem, si vniuersalem intentionem habeat. ead.2.C
*Indulgentiæ ferendæ formadelegationis.* 8 Non sufficiunt ad hanc delegationem verba communia indulgentiis, & absolutioni sacramentali. 767.1.A, sufficit tamen generalis concessio intra latitudinem indulgentiæ. ibid.D
9 Qualis, & quãta potestas detur per delegationem indefinitè ab Episcopo factam. ibid.E, Quid per factam

factam à Pontifice. ead.2.C

*Indulgentiæ latæ forma.*

10 Quæ forma requiratur ad indulgentiam latam 768.1.B,C

11 In indulgentiæ indulto possunt aliæ gratiæ cõcedi.ead.2.E,Regula pro illis discernẽdis. 769.1.A

12 In forma indulgent.duo distinguenda. ibid.C.D

13 Indulgent.forma debet esse determinata. ibid.E

15 Concessio indulgentiæ intra latitudinẽ potestatis concedentis latissimè interpretanda. 771.1.C

16 Aliqua conditio requiritur ad valorem indulgẽtiæ,quæ non semper in ea explicatur. 772.1.A

17 Concurrentibus causis necessariis, indulgentiæ valent quantum sonant, ead.2.D, non est tamen infallibile in particulari indulgentiam tãtùm valere,quantùm sonat. ibid.E,773.1.A

18 Prædicans indiscretas indulgentias, aut illas extendens,qualiter peccet. 770.2.D

19 Licèt aliqua indulgentia cõtineat intollerabilem errorem,non est publicè spernenda. 773.2.B

*Indulgentiæ subiectum.*

20 Solus homo viator est indulgentiæ capax.698.1.D,Baptisatus ratione vtens.ead.2.A, habens reatum pœnæ temporalis. ibid.B

21 Indulgentia pro viuis est absolutio à pœna temporali. 660.1.B

*Indulgentia pro defunctis.*

1 Indulgentia pro defunctis conuenit in communi ratione cum indulgentia pro viuis,ideoq; vna definitione possunt definiri. ibid.E

2 Defuncti sunt capaces fructus indulgentiarum. 723.2.B

3 Indulgẽtiæ prodesse possunt solis animabus purgatorij inter defunctos. 724.2.C

4 Oportet vt in indulgentiæ forma expressè declaretur,nã generalis cõcessio pro omnib⁹ fidelibus non comprehendit defunctos. ead.1.D,754.2.C

5 Pontifex non potest concedere indulgentias defunctis per modum absolutionis,sed tantùm per modum suffragij. 725.1.E,& seq.

6 Indulgentia per modum suffragij est infallibilis, 727.1.B,tam ex æqualitate pretij oblati,quàm ex diuina promissione. ibid.C,D

7 Vera differentia inter indulgentias per modum suffragij,& absolutionis. 728.1.B

*Indulgentia per modum suffragij cum indulgentia per modum absolutionis comparata.*

8 An indulgentia per modũ suffragij pro viuis cõcedi possit,aut cõcedatur,à ea.C,viq; ad 729.1.C

9 Indulgentia per modum suffragij non consistit in hoc vt per alterius actionem obtineatur. 729.2.B

10 Indulgentia per modum absolutionis non satis explicatur per hoc, vt immediatè alicui conferatur. ibid.C

11 Possitne indulgentia pro defunctis concedi absque opere viuentium. ibid.D,& seq.

12 Indulgentia per modum suffragij,& absolutionis differunt in modo causandi suũ effectũ. 730.1.D

13 Indulgentia per modum suffragij potest concedi non subditis,non sic per absolutionem. ead.2.A, vtraque tamen est vera indulgentia. ibid.B,C

13 Lucrans indulgentiã pro defuncto,debet efficere opus ea intentione.731.1.D,non est tamen necesse,vt satisfactio eiusdem operis pro defuncto offeratur. ibid.E

14 Lucrans sibi indulgentiam,potest operis satisfactionem alteri donare. ead.2.D

15 In lucrante indulgentiam defuncto non requiritur status gratiæ. ibid.E

16 An in defuncto ad effectum indulgẽtiæ requiratur character baptismalis. 732.1.C,D

17 Ad valorẽ indulgentiæ non requiritur in defuncto speciale meritũ de congruo, quod in hac vita præcesserit.ead.2.E,neque notitia,aut acceptatio beneficij sibi impensi. 733.1.B

18 Quãdo in forma indulgentiæ pro defuncto postulatur Missa,an necesse sit illam pro eo offerre. 731.2.B

*Indulgentiæ vsus.*

1 Expediens est Ecclesiæ liberalis indulgentiarum concessio. 662.2.D

2 Indulgentiarum vsus legitimus. 652.2.C, qui ab Apostolis incœpit.653.1.A,& inde ad Episcopos deriuatus. ibid.C

*Eius antiquitas.*

3 Indulgentiarum vsus procedit à potestate à Christo data. 654.2.A

4 Ex antiquo vsu relaxandi pœnitẽtias publicas,an colligatur fuisse tunc vsum indulgentiarũ. ibid.B

5 Indulgentiarum vsum esse antiquissimum, variis Pontificum testimoniis comprobatur. 655.2.A

6 Antiqui Patres cur expressam mentionem indulgentiæ non faciant. 656.1.A

7 Operari ex fine lucrãdi indulgentias optimũ est, neque tale opus potest dici imperfectionis. 663.1.B,etiam in genere satisfactionis. ibid.D

*Eius perfectio.*

8 Indulgentias lucrari est consentaneum statui religioso. 663.2.B

9 Melius est subsidium dare ad consequendã indulgentiam,quam in eleemosynam pauperum. ibid.C,licèt in indiuiduo ppositum,aut vtilius,aut necessarium esse possit. ead.B,C

10 Cæteris paribus opus maioris charitas est lucrari indulgentiam,quàm velle in Purgatorio pro pœna satisfacere. ead.2.D

*Indulgentiæ cessatio.*

1 Indulgentia ferenda est reuocabilis. 774.1.B

2 Nulla potestas concedendi indulgentias est perpetua,nisi in Summo Pontifice. ibid.

3 Indulgentia lata,perfecto opere imposito, est irreuocabilis. ibid.D

4 Indulgentia ad certũ tempus concessa, non durat vltra illud,imò potest intra illud reuocari. ibid.E

5 Indulgentia concessa, vt perpetua,semper durat, est tamen obnoxia reuocationi. ead.2A,B

6 Indulgentia concessa sine limitatione,est perpetua. ibid.E

7 An possit quis sæpe lucrari indulgentiam indefinitè concessam visitanti tali die Ecclesiam,si pluries illam visitet. 775.1.D

8 Triplici ex capite potest extingui indulg. ead.2.E

9 Indulgentia non cessat per mortem concedentis, 776.1.A,etiam ferenda,ibid.Anverò solùm in indulgentiis Pontificis hoc locum habeat. ibid.E

10 Indulgentia potest reuocari à cõcedente,vel successore, ead.2.B, validè & licitè, etiam absque causa. ibid.D, Potest tamen per accidens reuocatio absque causa esse illicita. 777.1.A

11 Vt indulgentia cesset, debet esse reuocatio sufficienter promulgata. ibid.C

12 Pontifex potest indulgẽtiam reuocare per actum internum,non tamen facit. ead.2.B

13 Indulgẽtia cessat per destructionem rei,pro qua fuit concessa. ibid.D, Non cessat per aduentum similis. 778.1.B, neque per renunciationem eius cui priuilegium est concessum. ibid.E, neque per cessationem causæ. ead.2.B,C

*Ingratitudo.*

1 In quolibet subsequenti peccato maior est ingratitudinis circunstantia,quàm in præced. 174.1.C

2 Peccati remissio non est causa adæquata similis ingratitudinis in subsequenti. 172.1.E

3 Etiam in primo peccato, quod quis committit, est circunstantia ingratitudinis. ead.2.A

4 Ingratitudinis circunstantia cur quibusdam peccatis specialiter tribuatur. ead.1.A,B

5 Cur hæc circunstantia non det specialẽ malitiam: nisi

nisi sit specialiter intenta. 171.2.D,E

*Innocentia.*

1 Varij Innocentiæ gradus distinguuntur, & inter se conferuntur. à 173.1.A,vsque ad 174.1.C
2 Non est specialis virtus. 173.2.
3 Innocentia cum pœnitentia comparatur. 174.1.B

*Interrogationes Confessoris.*

1 Non tenetur cõfessor aliquas interrogationes facere ante confessionem. 444.1.B, nec post illam, si ex circunstantiis intelligat pœnitentem integrè confessum fuisse. ibid.D, si autem intelligat non satis explicuisse conscientiam suam, ad id tenetur. ibid.E, cum qua moderatione. ead.2.D
2 Si confessori constet pœnitentẽ aliquid omittere etiam facta morali diligentia, tenetur illum interrogare. 445.1.B, Quid autem facier confessor si pœnitens neget quod ipse euidenter scit illum commisisse. ibid.E

*Irregularitas.*

1 Irregularis aut canonicè impeditus nõ restituitur per pœnitentiam ad pristinam Ecclesiasticam dignitatem. 181.2.E

*Iubilæus.*

1 Iubileus quid significet. 677.2.E,& in quo ab indulgentia differat. ibid.

*Iudicium sacramentale.*

1 Discrimen inter sacramentale iudicium,& humanum, quod iudicis arbitrio committitur. 232.1.B

*Iurisdictio.*

Diuisio & definitio. 1 Iurisdictio duplex ordinaria,&delegata, earumq; definitiones. 752.1.B
2 Actus iurisdictionis nõ sẽper requirit distinctionem personarum. 702.2.D, sed numerũ. 703.1.A
3 Dupliciter potest inueniri in aliquo immediato iudice. 231.2.B
Spiritualis. 4 Iurisdictio spiritualis duplex. ead.1.B
5 Potestas soluendi latiùs patet, quàm ligandi, nisi hæc priuatiuè sumatur. 662.2.B
6 Iurisdictio ex humano iure potest esse ordinaria. 752.1.C
7 Iurisdictio in foro pœnitentiæ terminatur personis, non localibus terminis. 349.2.E
Sacramentalis. 8 Ratione delicti commissi in aliquo loco non acquiritur iurisdictio in sacramentali foro. 350.1.B
Ordinaria. 9 Triplex iurisdictio ordinaria in hoc foro, pontificia, Episcopalis, parochialis. 346.2.E
10 Iurisdictio Papalis immediatè à Christo & suprema. ibid.
Papalis. Episcop. Parochi. 11 Episcopalis à Papa. verb. Confessor ordinarius.
12 Vide verb. Parochus.

*Iurisdictio delegata.*

1 Iurisdictio in foro sacramẽtali potest delegari, vel directè ministro, vel per facultatẽ pœniten. 353.1.A, prior modus in tres alios diuiditur. 356.2.E
2 Potest recipere magis,& minus solùm quoad impositionem condignæ satisfactionis. 427.1.B, & quoad curationem peccati in futurum. ead.2.C
Iurisdictionis causa efficiẽs. Iurisdictionis subiectũ. 3 Cõmissio, quę datur laicis aut fœminis ad prouidendum de confessore suis familiis, non est delegatio iurisdictionis. 353.1.E
4 Habens potestatem ordinariã in sacramentali foro potest illam delegare. ead.2.A,& solus ille ibi. C, vnde etiam parochus hoc potest. ibid.E
5 Iurisdictio non potest à suspenso, vel excommunicato delegari. 360.2.D
6 Soli sacerdoti potest delegari iurisdictio in foro pœnitentiæ, vt per se illa vtatur. 353.1.B
7 Nulli confessori delegata est iurisdictio à iure ad audiendas confessiones. 356.2.E, neq; consuetudine, circa materiam necessariam. 357.1.A, sed per hominis confessionem. ibid.C
8 In mortis articulo quilibet sacerdos habet iurisdictionẽ ad absoluendũ à quibusuis peccatis. 361.1.B, à iure Ecclesiastico. ead.2.E, delegatam. 363.2.B, etiam degradatus, aut hæreticus. 361.1.B
Delegationis modus. 9 Nulla certa forma necessaria est ad delegandam iurisdictionem, sed sufficiens voluntatis manifestatio. 355.2.A
10 Ratihabitio non sufficit ad delegationem iurisdictionis in foro sacramentali. ibid.D. 530. consensus de præsenti superioris sufficienter manifestatus, est necessarius. 343.2.B
11 Potest superior ita delegare iurisdictionem, vt satisfactio cum subordinatione ad ipsum imponatur. 427.1.C
Delegatio iurisdictionis quoad reseruata. 12 Tribus modis potest delegari iurisdictio ad absoluendum à reseruatis. 413.1.A
13 Nunquam acquiritur per consuetudinem. ibid.B
Delegata iurisdictionis duratio. 14 Quibus verbis censeatur hæc iurisdictio delegari. 412.1.A
15 Potest hæc iurisdictio reuocari à delegante. 424.1.A. vel superiore. ibid.D,& 2.C
16 Si fiat ad præfixũ tẽpus, illo finito cessat. 359.1.B
17 Pontificis delegatio indefinitè facta perpetua est donec reuocetur, nisi ex verbis aliud constet 360.1.A, idem cum proportione de Episcopo. ead.2.C, quid verò de parocho. 361.1.A
18 Iurisdictio delegata non finitur per delegantis suspensionẽ, vel excommunicationem. 360.2.D

*Ius.*

Naturale. 1 Ius naturale duplex. 4.1.D

*Iustificatio.*

1 Per actum pœnitentiæ non est homo cerus de sua iustificatione. 40.2.D
2 Cogitans de vno solo peccato, si illud ex perfecto motiuo detestetur, iustificabitur, licet alia habeat. 64.2.B
3 Licèt non possit malum culpæ in nobis sine nobis fieri, Deus tamen potest solus iustitiam infundere. 104.1.D
4 Formalis amor per se loquendo est necessarium medium ad iustificationem. 52.2.B, potest tamen sine illo aliquando homo iustificari. ibid.E, Vide verb. Remissio peccati.

LEX.

1 Vna virtus potest obligare ad actũ alterius. 196.1.D
2 Aliquis modus virtutis potest cadere sub præceptum. ibid.E
Diuina. 3 Ante legem scriptam an fuerint data aliqua præcepta positiua vel determinatio præceptorum naturalium. 203.1.B
4 Lex diuina taxans pœnas peccatorum, non est absoluta, sed conditionata.

*Liberum arbitrium.*

1 Non amittitur in hac vita ad agendam pœnitentiam propter grauitatem peccatorum. 95.1.B

MALVM.

1 Qualitas vt sit disconueniens alicui rei non est necesse, vt ab illa aliam excludat, sed vt illi sit improportionata. 606.2.C

*Manus impositio.*

1 Varia significat. 264.2.A,B

*Matrimonium.*

1 Cur ad matrimonij formam vox humana nõ requiratur, sicut in aliis sacramentis. 265.1.A

*Medicus.*

1 Medicus tenetur admonere ægrotum, vt cõfiteatur. 495.2.A, in infirmitate graui. ibid.B, quid si infirmus confiteri nolit. ibid.D

*Mendacium.*

1 Mentiri in confessione extra materiam eius, non est mortale. 333.1.B, 334.1.C, imò nec in materia non

non adæquata nec neceſſaria. 333.1.C, ſecus in materia totali. ead.2.A, vel in partiali neceſſaria. 332.1.D,E
2 Si interrogetur quis in confeſſione de materia nõ neceſſaria, poteſt ſine mendacio factum negare. 534.1.A

*Meritum.*

1 Anima in ſtatu ſeparationis à corpore eſt extra ſtatum merendi,vel demerendi. 147.1.A
2 Merita viuificari,& mortificari quid. 183.2.D
3 Merita viuificantur in ordine ad eſſentiale præmium integrè. ibid.E

OCCASIO PECCANDI.

1 Moralis peccandi occaſio quæ dicatur. 443.1.D

*Odium.*

1 Odium,triſtitia,& fuga,quomodo differant. 22.2.B,C

*Oratio.*

1 Oratio, qua petitur venia de venialibus eſt ſufficiens diſpoſitio ad eorum remiſſionem. 143.2.C,D,debet tamen eſſe actus ſupernaturalis.ibi.E
2 Quo ſenſu petat Eccleſia,vt animæ defunctorum à pœna æterna liberentur. 635.1.D
3 Cur oratio inter ſuffragia pro mortuis numeretur. ead.2.B
4 Oratio facta à prauo miniſtro nomine Eccleſiæ, habet vim impetrandi apud Deum.640.2.D, non ex Chriſti inſtitutione,ſed ex natura rei. 641.2.C
5 Orationes ab Eccleſia inſtitutæ non habent vim ſatisfaciendi ex opere operato. ibid.B
6 Quando cenſeatur quis nomine Eccleſiæ orare. 642.2.B

*Opus ſatisfactorium.*

Vide verb.Satisfactio.

PAPA.

1 Poteſt concedere facultatem confitendi alieno abſque licentia proprij Epiſcopi,vel parochi.354.1.E,& 2.A,imò ita eſt intelligenda quando abſolutè datur. ead.2.C

*Parochus.*

1 Parochialis iuriſdictio non eſt de iure diuino. ibid.D
2 Non poteſt prohibere ſuo parochiano,vt cõfiteatur religioſo habenti priuilegium audiendi confeſſiones à Papa,vel Epiſcopo. 355.1.C,D
3 Parochus tenetur ſubditis ſacramentum pœnitẽtiæ miniſtrare. 442.1.D, per ſe,vel alium tẽporibus opportunis. ead.2.A, non ſolùm quando illi ſuſcipere tenentur: non tamen ſemper peccabit mortaliter negando. 443.1.B
4 Maiorem habet obligationẽ adminiſtrandi ſacramenta tempore peſtis,quàm alij ſacerdotes. 579.1.E,581.2.E,& ſpecialiter circa Euchariſtiã miniſtrandam. 582.1.A,B, quid verò circa Extremam vnctionem. ead.2.B
5 Vide verb.Confeſſor,§.proprius,nu.11.& 12.

*Peccatum.*

1 In omni peccato quatenus eſt cõtra Deum inuenitur propria ratio iniurię.26.1.E,& 2.A,præſertim in mortali. 200.2.A
2 Ratione naturali cognoſcitur Deum peccatis offẽdi,vt auctor,gubernator,& finis naturæ.39.1.C
3 Peccatum eſt deteſtabilius pœna. 43.2.E
4 Non eſt eligibile ad vitandam æternam pœnam. 44.2.C
5 Quò grauius eò deteſtabilius. 46.2.E,47.2.C, Quid peccetur contrarium faciendo per ſimplicem affectum. ibid.E
6 Poteſt cõſuli peccatum leuius,vt vitetur grauius, non tamen fieri. ead.1.C, poteſt tamen permitti. ead.2.A
7 Peccatum quodlibet propriũ deteſtabilius quolibet alieno.48.1.E,& ſeq.
8 Peccatum alienum an ſit deteſtabilius quolibet malo proprio,quod culpã non includat.49.1.A,B
9 Peccatum habituale non eſt ſola gratiæ carentia, nudè ſumpta. 107.1.D
10 Tranſacto actu peccati homo non denominatur peccator, ob peccatum non retractatum, ſed ob peccatum non remiſſum. 111.1.B
11 Priuatio gratiæ eſt diuerſa per ordinẽ ad diuerſa peccata. 121.1.C
12 Eſſe in peccato,& eſſe reũ æterna pœna ſunt res moraliter diuerſæ. 123.1.A
13 Quis ſit reſpectus,ſub quo priuatio gratiæ dicitur habituale peccatum.à 107.1.D, vſque ad 108.2.A,Non conſiſtit in imputatione,ſeu in non remiſſione diuina.112.2.D,non conſeruatur à Deo. ibid.& quomodo exiſtat. 113.1.B — *Habituale.*
14 Peccatum publicum,quod dicatur. 413.1.D — *Publicum. Mortale.*
15 In quolibet peccato mortali eſt malitia cõtra charitatem Dei,non tamen diſtincta ab iniuria Dei, 200.2.A,niſi vel directè intẽdatur,vel peccatum tempore,quo charitas obligat,cõmittatur.ibid.B, neque eſt ſpecialis malitia contra propriam charitatem, niſi peccatum tempore quo præceptum charitatis propriæ ſpecialiter obligat,committatur. ibid.D
16 Peccatum ad mortem, quod dicatur, & cur pro illo non orandum. 94.2.A
17 Quomodo voluntarium indirectum ſufficiat ad conſtituendam propriam ſpeciem peccati in Spiritum ſanctum. 199.2.A — *Peccatum in Spiritũ ſanctum.*
18 Impœnitẽtia prout numeratur inter ſpecies peccati in Spiritum ſanctũ, quomodo requirat propoſitum non pœnitendi.à 198.1.D,ad 199.2.B
19 Sequẽs peccatum aggrauatur ex remiſſione præcedentis.170.2.E,non tamen æqualiter prioribus peccatis.171.1.B,nec addẽdo malitiam ſpecie diſtinctam. ibid.C, nec ita notabilem, vt per ſe ſit neceſſarium eam confiteri.ibid.D,etiamſi peccata remiſſa fuerint grauiſſima. ibid.E
20 Venialium remiſſio quomodo aggrauet ſubſequentia. 172.1.E
21 Quando det nouam ſpeciem malitiæ,licèt nõ ſit ſpecialiter intenta, vel quando hoc neceſſarium ſit. 171.2.D
22 Circunſtantiæ peccatorum ſeptem. 314.2.A — *Peccati circunſtantiæ.*
23 De circunſtantiis communiter in ordine ad confeſſionem.310.1.E,& ſeq.in particulari. 314.2.A, & ſequent. — *In Ordine ad confeſſionem.*
24 De circunſtantia ſtupri ſpecialiter. 315.1.A
25 In peccati iudicio tria conſiderantur. 316.2.
26 Peccata interna eiuſdem ſpeciei non multiplicãtur numero in eadem perſona ſimul. 319.2.C
27 Quibus modis peccata in eadẽ perſona ſolo numero diſtinguantur.ibid.de internis. ibi.D,& de externis. 322.1.D
28 Si ſingulis actus externi in ſe conſummati ſint, etiamſi vnũ poſt aliud immediatè ſequatur,plura efficiunt peccata. 323.1.E, etiamſi vnum ſit medium,ad aliud. ibid.
29 Actus impudici,qui poſt copulam ſequũtur ſunt confitendi,non antecedentes. ead.2.A — *Peccati confeſſio.*
30 Delectari, aut ſe laudare de peccato præterito etiam in flagranti delicto,eſt diſtinctum numero peccatum. ibid.C
31 Peccatum non reſtituendi quibus modis poſſit multiplicari. 324.2.B,C
32 In vno actu licèt terminetur ad plures perſonas, eſt vna tantùm malitia.325.1.C, eſt tamẽ illa circunſtantia confitenda. ibid.D

# Index rerum.


*Peccati recogitatio.* 33 In lege gratiæ est necessaria distincta, solùm propter confessionem. 64.1.E

*Peccati status.* 34 Vide verb. Status peccati.

*Peccatum veniale.*

1 Ex veniali peccato moralis macula proportionata manet. 133.1.E, Ob quâ homo est dignus pœna. 134.1.D, quæ macula tollitur cùm veniale remittitur, & non tantùm reatus pœnæ. 133.2.C

2 Potest existés in peccato originali priùs venialiter, quàm mortaliter peccare. 137.2.A

*Venialis punitio.* 3 Peccatum veniale cum mortali coniunctum post hanc vitam punitur æterna pœna. 136.2.C,D

4 Decedés in veniali cum solo originali quomodo sit puniendus. 138.1.A,B

5 Peccati venialis remissio. Vide verbum, Remissio peccati venialis.

6 Venialis cõfessio, vide verb. Confessio à numero 13. ad 17.

7 Venialium minister. Vide verb. Confessor, parag. De venialibus.

*Pœna.*

1 Deus potuit pœnam pro peccatis debitam ita taxare, vt vel in Purgatorio, vel in hac vita, vel per propria opera, vel per amicos solueretur. 622.2.C, & ita de facto fecit. ibid. D, non obstante quòd debitum personale sit. 623.2.E,

2 Per subsequens peccatum quando redeat similis pœna, & quando diuersa. 167.2.E

*Æterna.* 3 Malum æternæ pœnæ est eligibilius malo culpæ etiam minimo. 44.1.C

4 Deus potest obligare aliquem sub culpa ad eligẽdam æternam pœnã. ead.2.D, non tamen sub ratione pœnæ, nisi iam reatus supponatur. ibid.

5 Pœna æterna, vt nunc illam patiuntur damnati, nec de potentia absoluta potest infligi, cui culpa est remissa. 123.2.A, potest tamen quælibet alia etiam æterna. ibid.B

6 Pœna damnatorum habet intrinsecam repugnãtiam cum gratia. ibid.

7 Pœna æterna punitur veniale peccatum coniunctum mortali. 136.2.C

*Temporalis.* 8 Post remissam culpam potest manere reatus pœnæ temporalis. 124.1.A,B

9 Reatus temporalis pœnæ non semper manet æqualis, sed maior, aut minor pro qualitate contritionis. 125.1.A

10 Hic reatus non est ratione solius conuersionis ad creaturam, sed maxime ratione auersionis à Deo. ead.2.B

11 Potest tolli per subsequentes actus pœnitentiæ, ead.1.C, D, secunda verò contritio non semper totum hunc reatum tollit, & cur. 128.1.C

12 Cur temporalis pœna relicta post peccatum remissum per subsequens mortale non remissum fiat æterna. 165.1.A

13 Cur debitum pœnę temporalis per propriũ reatum, non contrahatur, nisi per culpam propriam secus solutio. 624.1.B,C

*Pœna damni* 14 Peccato veniali non correspondet propria pœna damni, nisi cum mortali coniunctum sit. 170.2.C

15 In pœna damni est priuatio, & positiuũ. 168.1.B

*Positiua.* 16 Positiua aliquãdo eadem, aliquando redit diuersa. ibid.C

*Priuatiua.* 17 Priuatiua etiam non semper æqualis, sed iuxta proportionem culpæ. à 168.1.D, vsq; ad 169.2.A

*Pœna remissio.* 18 Per actum amoris, & contritionis, qui in instanti mortis habetur, nihil remittitur pœnæ Purgatorij. 147.2.B

19 Deus posset remittere pœnã sub cõditione. 167.2.B, nec autem absolutè remittit. ibid.C

20 Remissio pœnæ æternæ est beneficium gratiæ maximè intrinsecum remissioni culpæ saltem secundùm præsentem iustitiam. ibid.B

21 Reatus post absolutionẽ relictus potest per alia opera satisfactoria præter iniuncta in confessione persolui. 526.2.B

22 Cur pœna per modum impetrationis non remittatur animabus Purgatorij. 636.1.A, sed semper intercedat æquiualens solutio. ibid.C

23 Per relaxationem pœnæ impositæ in foro pœnitentiæ, siue exteriori, non remittatur pœna soluenda in Purgatorio. 664.1.A,& 2.C

24 Licèt ad remissionem pœnę simul cum culpa requiratur sacerdotalis ordo, non tamen ad remittendam pœnam culpa ablata. 657.1.B,C

25 Deus nunquàm remittit animabus Purgatorij aliquid pœnæ, nisi oblata condigna satisfactione. 633.2.C

Vide verb. Purgatorij pœna.

*Pœnitentia.*

1 Pœnitentiæ etymologia, & significatio. 2.1.A

*Nomen.* 2 Dicitur secunda tabula post naufragium. ead.2.D,E, & cur. ibi. non solùm respectu Baptismi, sed etiam innocentiæ. 193.2.C

3 Pœnitentia non solùm vitę mutationem, sed peccati detestationem in Scriptura significat. 35.1.C

4 Pœnitentia Christiana in quo consistat. 39.2.

*Substantia. Diuisio.* 5 Diuisio in pœnitentiam antè Baptismum, & mortalium, ac venialium, qualis. 192.1.C, Quod eius diuisum. 191.2,E, & an sufficiens. 192.1.B, & 2.A, & quæ mens Augustini. 193.1.A, cadit in actus internos. 192.1.D, maximè verò in externos. ead.2.A

*Pœnitentia virtus.*

1 Pœnitentia virtus est antiquior sacramẽto pœnitentiæ. 4.2.C, & de se diuturnior. ibid.

2 Pœnitentia virtus duplex, generalis, & specialis, 21.1.A

3 Generaliter sumpta non habet vnam specificam rationem formalem. 25.2.A

4 Causat gratiam dispositiuè ex opere operantis de congruo. 4.2.D

5 Quomodo sit de iure naturæ. ead.1.D, & 2.A, B, 13.2.C

6 Est necessaria ad tollendum peccatũ mortale. 2.1.E, Detestari peccatum potest homo naturaliter licèt imperfectè, sicut potest Deum naturaliter diligere. 39.2.C

7 Detestans vnum peccatum sub ratione adæquata, non potest simul in alio complacere. 42.2.C

8 Pœnitentia vt procedens à charitate detestatur peccatum supra omne malũ pœnæ. 45.1.D, Quid hoc sit. ibid.& E

9 Item vt procedit à speciali virtute pœnitẽtiæ. 46.2.A, non verò quæ est ex motiuo fugiendi pœnam. ibid.B

10 Peccati detestatio, & propositum non peccandi quem seruent ordinem inter se. 57.1.C

11 Contritio, confessio, & satisfactio etiam exteriores in pœnitentia virtute locum habent. 77.1.E, 187.2.A

12 Pœnitentia cur dicatur iustitia secundùm quid. 81.2.B

13 Pœnitentiæ locus semper est in hac vita. 97.1.B

*Interior, & exterior.* 14 Interior ex iure naturæ habet determinationem, exterior verò solùm ex institutione diuina. 14.2.A,B, qualis in lege naturæ, & veteri. 15.1.C, 203.1.D, quid si Deus nihil determinasset. ead.2.B

15 Interior requiritur ad offensam Dei tollendam, exterior verò vt illius signum, & ob satisfactionẽ pro pœna. 14.2.C,D

16 Debet durare moraliter vsq; ad finẽ vitæ, 16.2.C *Interior.*

17 Non

# Index rerum.


*Exterior.* 17 Non est necesse durare vsque ad finem vitæ, nisi quatenus peccata iterantur, vel præteritorum confessio non satis perfecta existimatur. ibid.E

*Actus.* 18 Actus detestandi peccata, quatenus rationi contraria, non elicitur ab habitibus particularium virtutum: sed ab habitu sibi commẽsurato, quem etiam generare potest. 28.1.B,C,29.1.E, & 2.A

19 Est actus voluntatis. 30.1.A, supponit actum intellectus proportionatum. ibid.C

20 Pœnitentiæ actum regulariter sequitur dolor in appetitu sensitiuo. ibid.D

21 Pœnitentia potest elicere omnes actus, quibus voluntas tendit in bonum. ibid.E, & seq.

*Pœnitentiæ actus.*

1 Propositum in futurum est actus pœnit. ead.2.D.

2 Gaudium potest pertinere ad charitatem, & ad pœnitentiam. 31.2.A

3 Gaudium & dolor quomodo sint in pœnit. ea.1.C

4 Pœnitentia fugit peccatum omnibus modis, quibus voluntas solet malum fugere. ibid.D

5 Odium detestatio, & dolor peccati quomodo inter se distinguantur. ead.2.A, & quis ordo inter illos actus sit. ibid.C, 33.2.C,D

6 Actus pœnitentiæ non est conditionatus ex parte subiecti, sed ex parte obiecti. 32.1.B, & ideò efficax ad aduertendam voluntatem ab affectu peccati. ead.2.B

7 Peccati detestatio, & propositum destruẽdi illud, distinguuntur secundum suas formales rationes. 33.1.B, potestque vnum ab alio oriri. ibid.D,E

8 Peccati detestatio potest elici à charitate sub proprio motiuo, necnon à virtute pœnitentiæ. ibid.

9 Actus pœn. est honestus, & sanctus. 35.1.C, & seq.

10 Potest habere plures honestates. ead.2.D

11 Est supernaturalis 36.1.C,D,E, & 2.A,B,C,D, ratione suæ entitatis. 37.E, 38.1.E, nec ratione intensionis. 38.2.A, nec ratione durationis, ib.B. nec ratione extensionis. ib.B, nec solùm vt elicitus à charitate. 39.1.B, sed vt à propria virtute morali pœnitentiæ. ibid.C

12 Peccati detestatio duplex, formalis, & virtualis. ead.2.B

13 Velle satisfacere pro pœna est actus propriæ pœnitentiæ, licèt secundarius. ibid.D, & seq.

14 Non omnis actus pœnitentiæ vniuersalis est. 53.1.D

*Virtualis.* 15 Virtualis peccati detestatio quæ. 41.1.C, & seq.

16 Actus pœnitẽtiæ perfectus, vt est specialis virtus est detestatio virtualis omniũ mortaliũ. ead.2.C,

17 Detestans vnum peccatum solùm propter peculiarem illius grauitatem, nõ detestatur virtualiter alia leuiora. 43.1.C

18 Pœnitentia perfecta venialium continet virtute pœnitentiam mortalium. ead.2.B, non sic vnum veniale alterius. ibid.C

*Actus externus.* 19 Actus exteriores pœnitentiæ sunt in duplici differentia. 60.1.

20 Pœnitentia potest vti actibus externis ad duplex munus suum. ibid.

21 Pœnitentia quomodo habeat actus externos, 76.2.C,D, & qua ratione honesti dicantur. 77.1.B

*Habitus.* 22 Datur habitus specialis pœnitẽtiæ. 84.2.D, intrinsecè studiosus. 85.1.A, supernaturalis. ead.2.A, & per se infusus. ibid, C, gratia distinctus. ead.1.C

23 In appetitu sensitiuo est pœnitentiæ habitus acquisitus. ead.2.D, sitne in irascibili, aut concupiscibili. 86.1.A

24 Pœnitentia non est virtus Theologica. 87.2.A, sed moralis. ibid.C

25 Virtus pœnitentiæ quod medium. ibid.D

26 Pœnitentia est virtus distincta ab omni alia, quæ non respicit aliquo modo Deum. 88.1.B. & seq.

27 Pœnitentia & religio non sunt vnus habitus. 89.1.B

*Formale obiectum.* 28 Ratio hosta detestandi pecc. duplex. 87.1.E

28 Proprium motiuum pœnitentiæ est diuinarius, & consequenter eius munus est resarcire diuinã iniuriam. 88.2.D,E

30 Detestatio peccati ex motiuo charitatis est sufficiens dispositio ad gratiã. 53.2.B, & includit virtute amorem super omnia. ibid. D, non verò ex quocunque alio motiuo. ibid.A, & seq.

*Materiale obiectum.* 31 Pœnitentiæ materia duplex. 21.1.C

32 Pœnitentiæ materia; circa quam peccatũ, vt vitãdum. 3.1.B. 21.1.D, etiam veniale. 21.2.B,C, & habituale. 23.1.C, & adæquatè sumpta etiã originale. ead.2.A, Comprehendit etiam actum externũ. 21.2.D,E, nõ ratione sui, sed interioris. ib.E

33 Pœnitentia secundùm adæquatam rationẽ suam respicit peccatũ simpliciter. 22.1.E, strictè verò solum peccatum proprium iam commissum. ibid.A, & D

34 Etiam comprehendit malum pœnæ. 23.2.C, vt amplectendum, non vt destruendum. ibid.E, vnus pœnitentiæ actus potest esse alterius obiectum secundum diuersos respectus. 24.1.B

35 Actus bonus potest esse materia pœnitentiæ. ead.2.C

36 Deus quomodo ad obiectũ pœnitẽtiæ pertineat. ibid.E

37 Vide verb. Peccatum nu. 3.45.7. & 8.

*Pœnitentiæ subiectum.* 38 Pœnitentiæ solus homo capax. 3.1.D; Christi anima non habuit proprium pœnit. actum. 23.1.B

39 Pœnitentia, vt est iustitia ad Deum esse potest in omni voluntate creata. 87.1.C, non verò vt respicit peccatum commissum. ibid.D

*Pœnitentiæ effectus.*

*Remissio peccati.* 1 Vera pœnitentia ex suo genere sufficit ad peccata mortalia tollenda. 91.2.A, & seq. non semel tantùm, sed quoties homo peccauerit. 92.2.C, & cuiusuis grauitatis sint peccata, vel multitudinis. 93.1.D

*In quo genere causæ.* 2 Pœnitẽtia est causa dispositiua remissionis peccati. 99.1.B, nõ vt formata, sed vt informis. ibid.C est ab auxilio gratiæ, & libero arbitrio. ead.2.A, non est autem causa formalis remissionis peccati. 100.1.A, etiam vt causa partialis. 101.2.A, nec etiã efficiens physica remissionis peccati. ead.1.B, nisi vt pars sacramenti. ibid.C

3 Pœnitentiæ actus non solùm ad proprium habitum, sed ad omnes infusos disponit. 175.2.C

4 Pœnitentia non habet efficientiam moralem perfectam per modum meriti, vel satisfactionis respectu remissionis peccati. 101.1.D

*Non redeunt peccata.* 5 Culpæ remissæ nunquàm redeunt formaliter, & in se per subsequentia peccata. 163.1.A, imò nec vlla pœna. 164.2.D

*Restitui bona.* 6 Virtutes infusæ, ac Spiritussancti dona per pœnitentiam restituuntur. 175.2.B

7 Fides & spes restituuntur per pœnitentiã quoad statum virtutis. 176.1.B

8 Per pœnitentiã non restituuntur innocentia, aut virginitas amissæ. 180.2.B, nec possunt quoad negationem connotatam. 181.2.C

9 Cur meritum per pœnitentiam redeat, peccatum autem minimè per subsequens peccatũ. 184.1.A

10 Pœnitentia non viuificat opus mortuum. 185.2.E

11 Opera meritoria de congruo non viuificãtur per pœnitentiam ad præmium accidentale. 186.1.A

*Pœnitentiæ iteratio.* 12 Potest iterari circa idem peccatum, & circa diuersa. 3.2.D,E

*Pœniten-* 13 Non est necessaria ad remissionẽ originalis pec-

cati,licèt Deus exigere potuerit. 23.1.D

*Pœnitentiæ necessitas.*

14 Pœnitentia formalis per se est necessaria ad mortalis peccati remissionem. 103.2.C, licèt virtualis aliquando sufficiat. 104.2.B, per actũ amoris virtute illam continentem. 105.1.C, cum voto pœnitentiæ formalis. ead.2.E

15 Est necessaria ad tollẽdam inordinationem auersionis,& conuersionis. 204.2.D

*Pœnitentiæ præceptum.*

1 Qui mortaliter peccauit, tenetur sub præcepto conteri. 194.1.B, potestque hæc obligatio triplici ex capite oriri. 195.1.E,& seq. maximè verò pertinet ad iustitiam erga Deum. ead.2.B

2 Vt hoc præceptum impleatur, non est necessariũ. vt satisfactio à virtute iustitiæ procedat. 208.2.A

3 Per dolorem imperfectum, quo gratia consequi non potest, non impletur pœnitentię præceptum. 196.2.B

4 Pœnitentiæ præceptum est diuinum. 201.1.B

5 Præceptum satisfaciẽdi Deo pro iniuria illata per peccatum, naturale est. ibid.C,& 2.D

6 Pœnitentiæ præceptum ad quod pręceptum Decalogi pertineat. 204.1.E

7 Præceptum satisfaciendi Deo pro illata iniuria est indispensabile, potest tamen Deus mutare materiam,& sic tollere obligationem. ead.2.B,C, nec propterea dispensatur in præcepto, sed mutatur materia. ibid.D

8 Quoties homo post priorem cõtritionem peecat, tenetur iterum conteri. 205.1.B

9 Ex obligatione charitatis poterit pro articulo mortis manere contritionis obligatio. 208.2.B

10 Non obligat statim post peccatum commissum. 209.1.A, vsque ad 215.1.C

11 Obligat pro mortis articulo. 217.1.B, Et ex se, nõ anteà. 220.1.C, nec ex vi charitatis propriæ. ibi.E

12 Interdum ex aliis capitibus oritur obligatio cõtritionis, ex charitate Dei. ead.2.A, Ex necessitate status gratiæ ad sacrã actionem. 218.1.B. ob proprium peccatum, vel commune malum vitãdum. ibid.D

13 Tuuc non obligat proprium pœnitentiæ præceptum. 221.2.E, nec permissionem specialiter violatur. 222.1.A

14 Qui per solam dilectionem sine contritione ex inaduertentia iustificatur, non tenetur quamprimùm conteri. ibid.

15 Solus modus contritionis, qui est de eius substãtia, est in præcepto. 197.1.A,B

*Pœnitentiæ sacramentum.*

*Institutio.*

1 Habet originem ex institutione diuina. 4.1.C

2 Conuenienter fuit institutum in lege noua. 15.1.A

3 Christus reliquit in Ecclesia speciale sacramentũ pœnitentiæ ad veniam peccatorum, quæ post Baptismum committuntur. 240.1.A, distinctum à sacramento Baptismi. ibid.C, in quo sit hæc distinctio. 241.1A

4 Sacramentum hoc secundùm essentialem ritum fuit immediatè à Christo institutũ. ibid.C, Ioann. 20.& non anteà. ead.2.C

5 Non solùm in forma huius sacramenti, sed etiam in materia est effectus significatio. ibid.E

6 Quid sit res tantùm, & sacramentum tantùm in pœnitentia. 261.2.B,C

7 Pœnitentiæ sacramentum supponit pro artificiali compositio ex absolutione, & confessione. 257.1.D

*Definitio.*

8 Duplex huius sacramenti definitio traditur. ibid.& E

9 Constat essentialiter materia,& forma. 256.1.A

*Essentia.*

10 Aliquis internus dolor est de essentia sacramenti pœnitentiæ. 287.1.C, qui saltem sit attritio vera. 290.2.C, & supernaturalis. 291.1.B, de omnibus mortalibus confessis. 287.E, 292.1.E, 295.1.A,& includat efficacem voluntatem non peccandi. 289.1.A

*Vnitas.*

11 Pœnitentiæ sacramentũ est vnum tantùm specie 259.2.D, & vnum numero constans ex omnibus pœnitentiæ partibus. 260.1.B, etiamsi inter partes distantia temporis intercedat. ibid.C

12 Pœnitentiæ sacramenti forma. 258.2.A

13 Forma sacramenti pœnitentię etiam super peccata remissa prolata habet effectum. 254.2.D, quis autem sit hic effectus. ibid.E

14 Forma huius sacramenti sunt verba sacerdotis. 258.2.A

15 De essentia formæ huius sacramenti est, vt proprio verbo,& voce humana proferatur. 265.1.A

16 Cur certa forma non sit ad retinenda peccata, sicut ad soluenda. 267.1.

17 Essentialis forma, Absoluo te. 269.1.C, reliqua verba, quæ antecedunt, vel sequuntur, necessaria non sunt. ead.2.C, nec de rigoroso præcepto. ibid.D

18 Verbum indicatiuum optimum, & necessarium est. 266.2.D

19 Cur autem Patres vocẽt interdum hanc formam supplicationem sacerdotis. 267.2.A

20 Verba illa etiam materialia, aptissima. ibid C, & retinenda sub præcepto. 269.2.D, Materialis autem mutatio retento sensu formali, non est contra substantiam. ibid. quando hæc mutatio sit formalis, quando materialis. 270.1.A,B

21 Tam determinata verba requiruntur in hac forma sicut in Eucharistia, aut Baptismo. 269.2.

22 Verus sensus verborum huius formæ. 272.2.C alij falsi sensus reiiciuntur. ibid.E

23 Absolutio sacramenti pœnitentiæ non potest dari ad personam absentem. 276.1.C,& seq. est tamen alia opinio probabilis,& subintellecta conditione potest applicari ad vsum in casu extremæ necessitatis. 277.2.B,C

24 Non potest sacerdos alteri committere, vt nomine suo in præsentia pœnitentis verba absolutionis proferat. ead.1.A

*Forma effectus.*

25 Ad veritatem huius formæ significatio actualis requiritur. 291.1.E

26 Per absolutionem, non solùm completur peccatorum remissio priùs facta, sed fit. 272.2.A, 273.1.A

27 Remissio peccatorum actualium post Baptismũ commissorum est directus effectus huius formæ. ibid.B, gratia autem sanctificans datur etiam, quãdo confessio est tantùm venialium. ibid.

28 Forma hæc habet omnes effectus, quos contritio. ead.2.A

29 Per eam non remittitur semper tota pœna temporalis. ibid.B, sed iuxta dispositionem pœnitentis. 274.1.D, vnde si reatus sit inæqualis potest vni remitti totus,& non alteri, licèt æqualis sit dispositio. ead.2.B

30 Non existente obice, gratia remissiua peccati semper datur: remissio autem culpæ solùm quando non supponitur facta. 273.2.D, idemque est cum proportione de remissione pœnæ consecutiuè. 274.1.D, Vide verb. absolutio sacramentalis.

*Pœnitentiæ sacramenti materia.*

*Proxima.*

1 Cur actus pœnitentis, quasi materia sacramenti pœnitentiæ dicantur. 256.1.B

2 Materia ex qua, est pars essentialis sacramẽtis pœnitentiæ. ibid.D, 257.1.A

3 Tres sunt partes materiæ Pœnitentiæ. 258.2.C

4 Confessio est pars essentialis.ibid.item contritio. 259.1.B, vt per confessionem aliquo modo facta sensibilis.ibid.satisfactio verò integralis. ibid.C, præter quas non est alia. ead.2.B

*Remota.* 5 Materia remota sacramenti Pœnitentiæ, est actus exterior.38.1.E,non tamen excludit interiorem. ead.2.A

6 Est peccatum actuale post Baptismum commissum.253.2.C, non verò originale. ibid.D, nec actuale ante baptismum commissum. ibid.C

7 Peccatum mortale est materia necessaria.254.1.B, veniale autem sufficiens tantùm. ibid.C

8 Peccata remissa in alia confessione non sunt materia necessaria, sunt tamen sufficiens,etiam per se sola, ibid.

9 Supra eandem materiam remotam forma sacramentalis sæpius cadere potest. ead.2.B, non tamẽ suprà proximam, nisi sint plures formæ per modum vnius. ibid.C

10 Peccatũ quoad culpam est materia sine qua hoc sacramentum confici nequit. 255.1.B

11 Culpa dubia an sit eius materia. ibid.C

*Pœnitentiæ sacramenti effectus.*

1 Hoc sacramentum causat gratiam, vt causa efficiens ex opere operato. 4.1.B

2 Per secundum absolutionẽm tollitur aliquid pœne temporalis ex priori confessione relictæ, iuxta dispositionem pœnitentis,& aliquando tota,254.2.E

3 Cur effectus præcipuè tribuatur ministro, licèt pœnitentis actus habeant effectum sacramentalem. 258.1.D

4 Sola voluntas recipiendi sacramentum pœnitentiæ,non sufficit ad eius effectum. 278.1.D

5 Potest quis nec iustificari,nec de nouo peccare in receptione huius sacramenti. 285.2.E

6 Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe habet effectum recedente fictione. 298.1.B, & quomodo tollatur. ead.2.A

*Ad Pœnitentiæ sacramentum dispositio.*

*Ad valorem.* 1 De necessitate sacramenti pœnitentiæ est voluntas confitendi peccata,& obtinendi eorum absolutionem. 286.1.A. non tamen impeditur per errorem circa personam cõfessoris.ibid.D,nisi pœnitens habeat intentionem excludentem omnem aliam. ibid.E

2 Voluntas hæc non est pars sacramenti, sed conditio necessaria. ead. 2. A, nec impediet quòd sit peccaminosa venialiter.ibid.C,secus si moraliter, ibid.D

*Dispositio ad effectum.* 3 Formalis dolor requiritur ad effectum huius sacramenti. 278.1.B, nec sufficit disiplicentia negatiua.ibi.C,satis est autem attritio. 283.2.C,286.1. A,Dummodò vera sit.283.2.B, & supernaturalis. 284.2.B,vniuersalis de omnibus peccatis mortalibus.285.1.C,etiam in confessione oblitis inuincibiliter. ibid.D, Attritio autem existimata non sufficit. 284.1.B

4 Sacramentum non facit de attritione contritionem,sed hominem de attrito contritum.279.2.C, Conferendo gratiam sine mutatione interni doloris. 280.2.A

5 Attritio cognita est sufficiens dispositio ad hunc effectum. 282.1.C

6 Quæ dispositio sufficit in Baptismo ad hunc effectum,satis est etiam in hoc sacramento. 288.1.A

*Pœnit. sacram. Necessitas.* 7 Cum voluntate recipiendi sacramentum pœnitentiæ, & redeundi ad diuinam amicitiam potest esse attritio insufficiens ad effectum sacramenti. 300.1.B

8 Pœnitentiæ sacramentum ex se non est necessarium ad remissionem venialis, licèt sit vtile. 241.2.E

9 Est medium necessarium ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi. ibi.latè.251.1.D,etiam quoad culpam. ead.2.A

10 Quomodo ex institutione id colligatur. 243.1. Hæc necessitas non est Sacramenti in re suscepti, sed,vel in re,vel in voto. 251.2.B

12 Per contritionem remittuntur peccata non sine hoc sacramento saltem in voto, vnde illa manent obnoxia huic iudicio. 245.1.D, vnde peccatum remitti in ordine sacramentum pœnitentiæ est remitti in ordine ad confessionem tanquàm medium per se institutum ad hunc effectum. 252.2. A,vbi alij diuersi modi dicendi reiiciuntur.251.2. E,& seq.

*Sacram. pœnit.præcept.* 13 Votum implicitum huius sacramenti cum contritione, vel amore, sufficit ad peccati remissionem.253.1.A,& seq.

14 Potest Ecclesia absolutè præcipere vsum huius sacramenti, ita vt qui non habet peccatum mortale,teneatur confiteri 331.1.A, non tamen omnia. ibid.C

*Pœnit sacram.minister.* 15 Vide verb.Confessio,parag.Præceptum diuinum confessionis,& parag.Præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis.

16 Minister pœnitentiæ.Vide verb.Confessor.

POENITENS.

1 In mortis articulo potest etiam ab hæretico, aut degradato sacramentũ postulare.361.2.C,si verò potest,cauendus est,& dignior eligendus. ibid.A

*Pœnitentia solemnis.*

1 Semel tantum fieri permittebatur. 93.1.B

2 Ad quid imponeretur, & ob quæ crimina.654.1.C

*Potentia.*

1 Non omnis potentia congenita est causa principalis.604.2.A,nec illi debetur concursus. ibid.C

*Presbyter pœnitentiarius.*

1 Quod fuerit eius munus,quod ab Ecclesia Constantinopolitana Nectarius abstulit. 249.2.B

*Præceptum.*

*Affirmatiuum* 1 Quando determinatio affirmatiui præcepti est ad differendam obligationem vsque ad certum tempus,illo transacto obligat pro semper. 503.2.A

*Præceptum sanctificandi dies festos.*

1 Non obligat ad habendum in illis contritionem. 210.1.D

*Præceptum confessionis.*

1 Vide verb.Confessio,parag. Præceptum diuinum confessionis,& præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis.

*Prælatus Religionis.*

1 Potest prohibere suo subdito ne confiteatur religioso habenti priuilegium audiendi confessiones à Papa, vel Episcopo. 355.1.D

2 Potest præcipere subdito, vt faciat opus ad satisfaciendum pro alio.761.2.A,non tamen immediatè applicare alterius satisfactionem. 762.1.D, inscio,aut repugnante operante. ibid.

*Propositum non peccandi.*

1 Per se loquendo est necessarium ad remissionem peccati,& quomodo.55.1.E,quod sit necessarium ad mortalis remissionem.56.2.D, quod ad venialis. ead.1.B

2 Interdum potest dari sufficiens dispositio ad gratiam absque formali proposito non peccandi. ibid.D

3 Num propositũ hoc & peccati detestatio seruent aliquem ordinem inter se. ead.2.A

4 Propositum absolutum non committendi simile veniale,

# Index rerum.


veniale, est sufficienes dispositio ad eius remissionem. 143. 2. D, dummodò sit actus supernaturalis. ibid. E

1 Propositum non peccâdi est de essentia sacramẽti pœnitentiæ. 295. 1. A, quod in confessione de mortalibus per se loquendo debet esse formale. ibid. B, At in confessione venialium non est tam necessarium, sicut formalis dolor. ibid. C

*In ordine ad sacramẽtum pœnitentiæ.*

*Propositum satisfaciendi.*

1 Non est necessarium ad iustificationem distinctũ à proposito seruandi mandata. 56. 2. B, an verò in hoc contineatur. ibid. C.

*Propositum obediendi.*

1 Propositum obediendi confessori in his, quę præcipere potest, est necessarium ad sacramentum pœnitentiæ. 295. 1. E

*Purgatorium.*

1 Purgatorium de fide est dari post hanc vitam. 584. 1. B, & seq. contra hæreticos. 590. 1. C

2 Est locus corporeus. 594. 1. C, vnus ac certus. ibid. & 2. E, non vbi quis peccauit. ead. 2. C, sed versus terræ centrum. ibid. B

3 Quem ordinem situs seruet ad alia loca inferna. 596. 1. A, & seq. an verò illa loca distinguantur per molem terræ interiectam. 598. 1. A

4 Sufficientia locorum infernorum ex variis animarum statibus colligitur. ibid. C

*Purgatorij nomen Purgatorij ignis.*

5 Quid significet. 584. 1. D

6 Purgatorius ignis cruciat animas physicè, ac verè, in illis efficiẽdo cruciatum. 604. 1. A, licèt nõ per actionem præuiam connaturalem ipsi igni, ibid. D, Quid verò efficiat, latè. 602. 2. A, & seq.

7 Agit in spiritus rem aliquam, quod est obiectum doloris & tristitiæ. 604. 2. E, positiuam. 605. 1. C, disconuenientem spiritui, eique inhærentem. ead. 2. A, quę est qualitas. ibi. E, spiritualis, 2. E. non supernaturalis, sed præternaturalis. 606. 2. B,

*PVRG. ANIM.*

1 Animæ purgatorij patiuntur maximam tristitiam ex detentione beatitudinis. 599. 1. D. omnes etiam sustinent peculiarem pœnam sensus. ead. 2. D, & seq.

2 Carent visione beata. 598. 2. A, sub ratione pœnæ damni. ibid. D, quæ etiam propter peccatum remissum debetur. 599. 1. A,

3 Per qualitatem ab igne impressam redduntur deformes. 606. 2. D.

4 Sola anima potest luere pœnam pro culpa per corpus commissa. 609. 2. C,

*Animarum status gratiæ.*

5 Animæ purgatorij in instanti mortis confirmantur in bono. 613. 2. E, & seq. nõ per internam perfectionem 614. 1. D, sed perfectionem diuinæ gratiæ. ibid.

6 Animæ purgatorij non possunt crescere in charitate, vel in iure ad gloriam. ead. 2. C. non quia habeant gratiam per operationem consummatam. 619. 1. C, sed quoad intensionem. ib. E, Habent charitatem perfectam, essentialiter. ead. 2. A, non tamen accidentaliter quoad statum, sed quoad intensionem. ibid. B.

8 Non sunt in statu satisfaciendi, sed satispaciendi. ibid. C.

9 Non possunt de congruo aliquid mereri pertinens ad suam liberationem. 716. 1. C

10 Pro nobis otant, aliquidq; nobis mereri de congruo aut impetrare possunt. ibid. D.

11 Sunt in termino gratiæ non gloriæ. ead. 2. B, C,

12 Sunt certæ de sua præsenti iustitia, & futura æterna salute, ibi. D, non intuitiuè cognoscendo se, & omnia quæ in se habent ibid. E, quomodo autem id sciant. 617. 2. B

13 Habent spem de sua futura beatitudine, non obstante certitudine illam consequendi. 618 2. C, non tamen coniunctam cum timore. ibid. D

14 Carent omni culpa mortali. 613. 1. A, B, contra varios hęreticos. 612. 1. E. & seq. carent item peccato originali. 613. 1. B, necnon veniali. ibid. C. non autem pœnæ reatu. ibid. D,

1 Purgatorij pœna est voluntaria. 599. 1. D, E

2 Purgatorij pœna sensus quid comprehendat sub se, ead. 2. D

*POEN. PVRG. Pœnæ sensus.*

3 Tristitia animarum purgatorij ex dilatione beatitudinis est actus supernaturalis. 600. 2. D, & dolor ex verme conscientiæ. ibid. E

4 Pœnam sensus purgatorij esse à vero igne non est de fide. 601. 2. E, est tamen certum intra latitudinem opinionis Tgeologicæ. 602. 1. A

5 Excedit omnes pœnas huius vitæ. 608. 1. A,

6 An minima pœna purgatorij excedat maximam huius vitæ. ead. 2. B

*Pœna sensus grauitas.*

7 Pœna sensus non remittitur paulatim. 610. 2. D, & seq.

8 Ex ordinaria Dei lege animæ ante finitam purgationem non exeunt è Purgatorio. 611. 2. B. aliquando tamen in hac legè dispensatur. ibid. C, D, & tunc pœna non interrumpitur. 612. 1. A

9 Pœna damni excedit omnes pœnas huius vitæ. 607. 1. A. & seq. magis. tamen ob gradus gloriæ amissos, quàm ob dilationẽ beatitudinis. ead. 2. D

*Pœna damni.*

10 Pœna damni excedit pœnam sensus. 608. 2. C.

11 Pœna damni animarum purgatorij de dilatione beatitudinis in dies remittitur. 610. 2. E, non autem de gradibus gloriæ amissis. 611. 1. A.

12 Pœna purgatorij est temporalis. 609. 1. E, nec durabit vltra diem iudicij. ead. 2. A

*Eius remissio.*

13 Pœna purg. non est æqualis in omnibus animabus. ibid. E, etiam seclusis suffragijs Ecclesiæ. 610. 1. D

14 Possitne assignari terminus durationis pœnæ purgatorij. ibid. E

*Pœna purgatorij duratio.*

15 Pœna purgatorij non infligitur per dæmones tanquam per Dei ministros. 609. 1. B

RELIGIO.

1 Non est vnus simplex habitus. 89. 1. D

RELIGIOSVS.

1 Religiosi sancti Benedicti tenentur singulis mensibus confiteri, 507. 2. A. an sub culpa, ibid, B

*Remissio peccati.*

1 Potest Deus de absoluta potentia culpam remittere sine actu peccatoris conferendo ei alia bona. 103. 2. A

2 Posset Deus peccatum sine infusione habitualis doni per aliquem actum remittere. 105. 1. A, quæ non esset perfecta peccati remissio ibid. & B, & quomodo. 106. 2. A

3 Qui actus sufficere possint ex parte hominis, ad hanc remissionem. 121. 2.

4 Homini in puris naturalibus peccanti, posset peccatum remitti sine gratia, vel actu supernatur. 106. 2. E

5 Per solam orationem, vel alia bona opera sine pœnitentia, vel amore non potest homo veniam obtinere. 102. 1. B, & seq.

6 Probabile est non implicare contradictionem peccatum remitti sine physica mutatione peccatoris. 106. 1. C, 109. 1. A

7 Remissa mortali culpa, de lege remittitur æterna pœna. 122. 1. C, D

8 Peccatum n õremittitur per non imputationem, 111. 2. C, errores contrarij refelluntur. 112. 2. B Quid autem sit non imputari, & quot modis contingat. ibid. A, 113. 1. D

9 Secundùm legem ordinariam vnum peccatum mortale

tale non potest sine alio remitti. 120.1.A,B,C, potest tamen de potentia absoluta.. ibid.D,E, etiam per veram contritionem. 121.2.E
10 Deum obliuisci peccatorum quid significet in Scriptura. 166.1.B
11 Culpæ remissæ nunquàm redeunt formaliter,& in se per subsequentia peccata. 162.2.E.163.1.A, imò nec vlla pœna.164.2.D,licèt de potentia absoluta potuisset ita remitti, vt per subsequēs peccattum rediret. 165.2.B

*Remissio peccati venialis.*
1 Remissio venialis est beneficium gratiæ.170.2.C, & seq.imò ad illam necessaria est gratia sanctificans. 134.2.D

*Ex opere operantis.*
2 Remissio hæc de potentia ordinaria non obtinetur ex opere operantis sine infusione,vel augmēto gratiæ. 138,2.B,667.1.B
3 Remissionem venialis quomodo posset homo consequi in puris naturalibus. 136.2.A
4 Veniale non tollitur semper cùm mortale remittitur. 138.2.D
5 Ad remissionē venialis quomodo concurrat gratia sanctificans quando cum mortali remittitur, & an hæc gratis,vel ex iustitia fiat. 139.1.B
6 Veniale vt per se solum remittatur supponit in persona gratiam. ead.2.D
7 Ad venialia tollenda sufficit contritio, non est tamen necessaria.141.1.C,nec aliquam intensionē requirit,sed oppositionem. ead.2.B
8 Amor Dei super omnia etiam remissus per se potest venialia remittere absque formali pœnitentia. ibid,D, modò virtualiter ad illa se extendat. 142.1.A
9 Per attritionē remittuntur illa venialia, quæ ipsa detestatur.ead.2.A,etiam sine imperio charitatis, & sine sacramento ibid.B, dummodò ipsa supernaturalis sit.ibid.D, non tamē refert quòd sit remissa. 143.1.E
10 Propositum absolutum non committendi simile veniale est sufficiens dispositio ad eius remissionem. ead.2.D, necnon actus virtutis illi contrarius,modò sit actus supernaturalis. ibid.E
11 Actus non meretur venialis peccati remissionē, nisi in illum finem referatur, aut cum illo effectu habeat proportionem. 144.1.A,B

*Remissio post hanc vitam.*
12 Veniale non remittitur ante mortem per gratiam finalem. 145.1.C, vnde potest remitti post hanc vitam. ead.2.A, non successione temporis, quo anima purgatur. ibid.E, sed in instanti mortis. 146.1.B
13 Veniale post hanc vitā nō remittitur per extrinsecam Dei cōdonationem.ibid.nec propter præcedentia merita à Deo acceptata ad illum finem, ibid.C,sed per feruentem actum amoris,& contritionis.ead.2.B,illi tamen actus non concurrūt, vt meritum de condigno ad illum effectum.147.2.A,nec congruo. ibid.

*Remissio ex opere operato.*
14 Remissio venialis simul cum mortali fit sæpe ex opere operato per sacramenta. 150.1.B,& seq.
15 Veniale per se potest remitti ex opere operato per omnia sacramenta.ead.2.C,absque motu voluntatis ad id sufficiente.151.1.E,& 2.A, quomodo hoc locum habeat in sacramento pœnitentiæ. 152.1.A
16 Per Baptismum,& Extremam vnctionem auferuntur omnia venialia, quibus homo non est actualiter affectus.ibid.C,& 2.A,D,non tamē per alia sacramenta. ibid.E, Quæ per confessionem auferantur. 150.1.D
17 Nullum est sacramentale in Ecclesia institutum ad tollendas culpas veniales ex opere oper.154.1.A,& seq.
18 Non potest Ecclesia signum sensibile instituere, quod ex opere operato venialia tollat.155.1.A,B, licèt potuerit Christus eam potestatem dare. ibid.C

RESTITVTIO.

1 Qui alteri damnum intulit,tenetur illud resarcire quātum potest ex bonis eiusdem ordinis.202.1.C
2 Discrimen inter restitutionem Deo, & homini faciendam. 211.1.B,& seq.
3 In aliquo casu potest quis obligari ad statim restituendum Deo famam vel honorem. ead.2.E

SACRAMENTVM.

1 Qua ratione in sacram. partes assignentur. 256.2.A
2 Sacramētum per se institutum ad actualis peccati remissionem, per se etiam requirit motum cōtra illud ad dignam receptionem. 552.2.C

*Satisfactio.*
1 Discrimen inter satisfactionem Deo, & homini exhibendam. 50.2.B
2 Per quos actus exerceri possit exterio satisfactio. 77.1.E
3 Opus bonum in mortali factum adueniente gratia non reuiuiscit ad effectum satisfaciendi.514.1.B,potest tamē effectus ex illo relictus, ad hoc valere,voluntariè acceptatus,& Deo in satisfactionem oblatus. ibid.C,D
4 Satisfactio est exhibenda per opus liberum.515.1.D, & moraliter bonum.ead.2.A, & aliquo modo supernaturale.516.2.A, licèt non procedat ex formali voluntate satisfaciendi. ibid.B
5 Potest exhiberi per opus præceptum. ibid.A
6 Quomodo per idem opus duplici debito satisfieri possit. 517.1.D
7 Quæ voluntas satisfaciendi, pro se, an pro alio magis satisfactoria à sit. 627.2.A
8 Opus humanū est satisfactorium, quatenus pœnale518.1.E,quomodo illa pœnalitas pensari debeat. 519.1,B
9 Quomodo omnia opera satisfactoria ad ieiuniū, eleemosynam,& orationem reducantur. ibid.E
10 Opera pœnalia ex gratia facta, habēt proportionem ad satisfaciendum,secluſa promissione Dei, 522.1.D, vt autem hæc satisfactio sit infallibilis, necessaria est Dei promissio. ead.2.A
11 Potest iustus habere superabundātes satisfactiones aliisfidelibus non applicatas. 689.1.A
12 Per opus internum, vel per se sumptū, vel simul cum externo exhiberi potest. 517.1.D, per externum potest satisfactio augeri. ead.2.C
13 Diuersa peccata per idem opus compensari possunt. 519.2.C, licèt in ratione medicinæ, diuersa opera postulent. ibid.E
14 Pœna extrinsecus illata propter Deum voluntariè accepta, est satisfactoria. 520.2.A, eò magis, quò pœna maior, & persona innocentior fuerit. ibid.C,etiamsi ad illum finem pœna illa non sit à Deo immissa. 521.1.A
15 An finito interiori actu,finiatur satisf. ead.2.B
16 Cùm Deus iustum propter peccatum punit,non statim liberat illum à tota pœna purgatorij illi peccato debita. ead.1.E
17 Ad propriam satisfact.requiritur gratia viatoris. ibid.
18 Nullus actus peccatoris ex natura sua est sufficiens satisfactio pro iniuria Deo facta. 202.1.A *Satisfact. pro pœna.*
19 Homo gratia adiutus potest Deo satisfacere de congruo pro iniuria ei facta: & ad id tenetur. ibid.B
20 Non potest vnus pro culpa alterius satisfacere, sed

ſed auxilium,quo ſe diſponat,impetrare.639.1.C
21 Non tenetur homo lege naturali ſatisfactionem in hac vita pro pœna temporali exhibere. 222.1. C,& ſeq.poteſt tamen ad actus pœnitentiæ obligari,vt ſunt media neceſſaria ad præſeruandum à *pro culpa.* culpa.ead.2.C,vel ad excitandum actum contritionis. ibid.
22 Poteſt quis ſatisfacere pro pœna vni peccato debita,non ſatisfaciendo pro alia. 514.1.A
23 Decedens in mortali, non poteſt ſatiſpati in alia vita pro pœna ex peccatis remiſſis relicta. ead. 2.C
24 Exiſtens in peccato non poteſt ſatisfacere pro pœna temporali peccatis debita. 513.2.A, etiam venialt. 514.1.A
25 Per noſtra opera ſatisfacimus Deo de condigno pro pœna purgatorij. 522.2.E,non pro pœna accidentali,& extraordinaria. 523.1.C
26 Ex opere operantis non eſt alia via certa ad conſequendam remiſſionẽ pœnę præterquàm digna ſatisfactio.524.1.E,& ſeq.

*SATISF. SACR.*

1 Satisfactio non cõcurrit per ſe immediatè ad primam gratiam in ſacramento pœnitent. 525.1.B
2 Iure antiquo non liceat confeſſori pœnitentiam ab alio iniunctam mutare. 371.2.D, niſi in priori ſententiam manifeſtã perſpiciat errorem. ibid.E
3 Confeſſor poteſt imponere aliquam ſatisfactionem. 525.1.A, imò & tenetur per ſe loquendo. 527.1.B, Non tamen ſemper, maximè ſub præcepto.ibid.C,& ſeq.
4 Satisfactio virtute clauium impoſita, eſt pars ſacramenti.525.1.C,integralis, ibid.C, non eſſentialis. ibid.D
5 Satisfactio hæc habet aliquem effectum ex opere opere operato.ead.2.B,quis ille ſit. ibid.D, 526. 1.B,C
6 Non habet hunc effectum antequàm in re exhibeatur.ibid.E,quòd ſi impleatur ante abſolutionem, non habet hunc effectum donec ſacram. perficiatur. ead.2.B
7 Tollit totum reatum,ſi ſit proportionata, & non aliàs. 527.1.A
8 Ante,& poſt abſolutionem imponi poteſt,cõſultiùs tamen ante. 528.1.A
9 Illam debet imponere confeſſor ex arbitrio prudenti.ibid.C, quod ex peccatorum grauitate, & pœnitentis diſpoſiti aliiſque circunſt.ſumi debet. 529.1.A
10 Satisf.æqualis reatui pec.conſiſtit in indiu. ibi.E
11 In ſatisfact. debet imponi opus habens omnes conditiones, quæ in opere ſatisf. requiruntur. 530.1.B
12 Poteſt eſſe internum, licèt externum ſit magis accommodatum. ibid. non oportet tamen eſſe orationem,ieiunium,& eleemoſynam. ead.2.B
13 Propter publica peccata poteſt imponi pœnitentia publica.ead.1.D,abſq; ſigilli fractione. ibid.E
14 Poteſt imponi opus,aliàs præcep.ead.2.C, ſi autem confeſſor nihil explicet,intelligitur opus nõ præceptum imponere. ibid.E
15 Recitans roſarium tempore, quo ex obligatione miſſam audit,implet pœnitentiam. ibid.
16 Poteſt confeſſor pœnitentem obligare, vt pœnitentiam impoſitam acceptet.531.1.D, quæ obligatio eſt ex ſuo genere ſub mortali. ead.2.B
17 Quando teneatur pœnitens pœn.acceptare.531. 1.C
18 Confeſſor per ſe aliquando non poteſt obligare pœnit.vt ante abſolutionẽ ſatisfact.impleat.ibid. E,niſi per modum medici id iudicet neceſſ. ead. 2.A
19 Per ſatisf.in ſtatu peccati mortalis exhibita impletur hæc obligatio. ibid.D, non habet tamen effectum durante illo ſtatu. 533.1.A, ſed receđ. fiction. ibid.B
20 Implẽs pœn.in pec.mort.quomodo pec.ead.2.D
21 Pœnitens non poteſt ſine confeſſoris voluntate expreſſa pœnitentiam per alium implere. 534.1. A,ex illa poteſt habebitque effectum. ead.2.E
22 Idem ſacerdos poteſt pœnitentiam à ſe impoſitã mutare.535.1.A,& alius æqualis. ibid.E, etiam in mitiorem.ead.2.B,& ſuperior.ibid.D,non tamen extra ſacramentale iudicium,niſi per indulg. cõceſſionem. 536.1.A
23 Qui bona fide exiſtimat ſufficienter pro peccatis ſatisfeciſſe tenetur pœnitentiam impoſitam implere, vt medicinam non vt ſatisfactionem. ead. 2.A
24 Pœnitentia impoſita à ſuperiore de reſeruatis, non poteſt ab inferiori mutari. 537.1.A
25 Obligatio illam implendi tollitur per quancunque remiſſionem pœnæ,pro illis peccatis debitæ. 669.2.A,ex alio tamen capite nullus ferè obligatione implendi illam,liberatur. ibid.C
26 Potęſtas relaxandi pœnas peccatorum corã Deo, & pœnitentias iniunctas eadem. 670.1.A
27 Qui facit quod in ſe eſt,ad lucrandam indulgentiam non ex iuſta cauſa conceſſam, non liberatur obligatione implẽdi pœnit.iniunctam. 738.2.C, D,excuſatur tamen ex bona fide. ibid.

SCRIPTVRA SACRA.

2 Regula Chryſ.pro parab.interpretandis.163.2.B

*Sigillum.*

1 Confeſſor tenetur ſeruare ſecretum confeſſionis 450.1.D,ſemper & ſine vlla exceptione.ead.2.A etiamſi reualatio futura ſit vtilis pœn. 452.2.D, aut confeſſori ad quencunque honeſtum finem. 453.1.A
2 Sigilli obligatio maximè pertinet ad confeſſorem, & ſuperiorem à quo petitur licentia abſoluendi à reſeruatis. 457.1.E, Internuncium. ead. 2.A,Conſiliarium. ibid.D, & qui furtiuè confeſſionem alterius audit. ibid.C, vel etiam ſine culpa. 458.1.C,460.2.C, imò & ad illum, cui confeſſor, vel iniquè, vel de licentia pœnitentis confeſſionem reuelat. 460.1.C
3 Superior interrogare licitè nõ poteſt de perſona pro qua facultas ad abſoluẽdum à reſeru.petitur. 422.1.D
4 Sigillo tenetur ſuperior, coram quo comparet pœnit.ſub illo onere iam abſolutus. 428.2.B, 430.2.C
5 Pœnitens non obligatur ſigillo ad ea, quæ cõfeſſor illi committit. 457.1.D *Sigilli obligatio.*
6 Sigilli obligatio eſt veluti intrinſeca, & connaturalis ſacramento pœnitentiæ. 451.2.C *Vnde oriatur.*
7 Sigillum ex genere ſuo obligat ſub mortali. 452. 1.A
8 Oritur ex ſola, ac propria confeſſione ſacramẽtali.453.1.D,vel ex ea,quæ tali intentione fit putato ſacerdoti. ead.2.B,456.1.E, non ex facta laico vt ſic,etiam ſacramentali putata. 454.2.C
9 Oritur ex cõfeſſione audita voluntariè à confeſſore, abſque intentione perficiendi ſacramẽtum. 453.2.E,454.1.A
10 Non oritur ex iure humano poſitiuo, neque ex puro naturali. 451.2.A,B
11 Oritur ex confeſſione facta ſacerdoti non habẽti iuriſdictionem.453.2.E,vtriuſque ſcientia,niſi defectus interueniat.454.1.B, modò cõfeſſio fiat in ordine ad ſacramentum, cum ſpe iuriſdictionis. ibid.

12 Vt obliget non est necesse, vt confessio cum omnibus conditionibus ad absolutionem requisitis fiat. ead. 2. D, imò neq; cum intentione recipiendi absolutionem. 455. 1. A, neque integrè. ibid.

*Sigilli materia.* 13 Sigilli materia grauis est, peccatum etiã veniale. ibid. C, imò circunstantiæ, & obiecta peccatorum ead. 2. etiam futurorum. ibid. B

14 Omnia quæ dicuntur ad declarandum peccatũ, sunt materia sigilli. 456. 1. A

15 Peccata publica, vt in confessione cognita cadũt sub sigillum. ibid. C, Quomodo autem confessor loqui possit de his peccatis. ead. 2. C

16 Non est contra sigillum, ea tantùm dicere, quæ sunt de generali ratione confessionis. 457. 1. A

17 Quæ concomitanter dicuntur, non pertinentia ad accusationem, non cadunt sub sigillum. ibid. B

*Reuelatio absque licentia pœnit.* 18 Sub sigillo tenetur confessor absoluta confessione non loqui de rebus eius cum pœnitente, absq; eius facultate. 458. 2. B, quomodo id faciet ad supplendum defectum in ea commissum. ibid. E

19 Si plures confessionem audierunt, non possunt inter se de rebus eius loqui. ibid.

*Cum illa.* 20 Si pœnitens extra confessionem dicat, quod in confessione dixerat, vt sic non cadit sub sigillum. 459. 1. B

21 Potest confessor de rebus in confess. auditis, de pœnit. licentia loqui. ibid. C, satis expressa. 461. 1. B, & spontanea. ibid. C

22 Discrimina inter reuelationem extra confessionem, & licentiam pœnitentis. 459. 2. B

23 Sigillum etiam indirectè obseruandum. 461. 1. E

*Eius reuelatio indirecta.* 24 Confessor dicens non absoluisse pœnitẽtem, indirectè violat sigillum. ead. 2. A, etiam interrogatus. ibid. B, quomodo autem tunc debeat respondere, etiam aliis interrogationibus. 462. 2. A, B, & seq.

25 Sigillum etiam factis est seruandum. 461. 2. C

26 Sigillum indirectè violat parochus publicè aliquod sacramentum negans alicui indispositio ex sola notitia confessionis. 462. 1. A

27 Sacerdos in occulto vitans excommunicatum ex sola scientia cõfessionis cognitum indirectè violat sigillum. 459. 1. B, C

28 Non potest quis vti notitia confessionis cum periculo reuelationis eius. 463. 1. C

29 Non potest imponi pœnitentia publica in confessione, nisi ex spontanea acceptatione pœnit. ibid. D

30 Confessor, qui potest auferre occasionem peccati pœnitentis cum suspicione aliorum, non potest id facere sine voluntate eius. ead. 2. A, imò nec cũ suspicione eius solius. ibid. C

31 Non licet sacerdoti propter damnum vitandum aliquid facere, cum indirecta reuelatione pœnitent. 464. 1. B

32 Non potest negari suffragium propter notitiam confessionis. 465. 1. D

33 Quam pœnam incurrat sigillum violans, ead. 2. A

*Spes.* Spes. Vide verb. Fides.


## STVPRVM.


1 Qui virginem defloratam, moraliter tenetur circunstantiam illam aperire. 315. 2. D


## *Suffragium.*


1 Inter fideles esse communicationem bonorum operum, est fidei dogma. 619. 2. A

2 Fideles possunt se ad inuicẽ iuuare ad satisfaciẽdum pro pœna temporali. 620. 1. A, pœnam pro alio soluendo. 622. 1. D, 688. 2. C

3 Opus pœnale, vt satisfactoriũ potest alteri communicari. 621. 2. C

4 Qui pro alio satisfacit, se priuat fructu illius operis, vt satisfactorij ibid. D

5 Opus satisfactorium æquæ valet ad remissionem pœnæ pro alio, ac pro se oblatum. 622. 1. A

6 In suffragio duo consideranda. 623. 1. B, E

7 Suffragij valor est de condigno. 645. 2. D, etiam pro defunctis oblatum. 636. 1. D, 637. 1. A, & 2. D

8 Discrimen inter publica & priuata suffragia. 642. 1. A, & seq.

9 Opus externum nudum, an alteri possit prodesse ad satisfaciendum. 643. 1. A, 644. 2. C

10 Opus subditi sine illius voluntate nõ potest per superiorem alteri applicari. 646. 2. B

11 Suffragium oblatum pro incapaci illius, reponitur in thesauro Ecclesiæ. ibid. D

12 Virtus ad impetrandam culpæ remissionem nomine Ecclesiæ non est indulgentia, neque actus clauium. 665. 2. D

13 Quilibet potest satisfacere pro peccatis alienis iam remissis, non pro committendis. 686. 2. C

14 Quid sit admittere religiones alios fideles ad cõmunicationem merrorum, & operum suorum. 696. 2. B, & quis fructus inde fidelibus proueniat. 697. 2. E, & seq.

15 Vnum suffragium pro pluribus oblatum, nõ habet in singulis tantum valorem, ac si pro vno solo offerretur. 638. 2. B

16 Suffragia offerri possunt pro viuẽtibus. 625. 2. C

17 Suffragium prodest etiam nihil scienti. 628. 2. A *Quibus pro si viuis.* & potenti pro se satisfacere. 640. 1. C

18 Suffragia prodesse defunctis est de fide. 629. 1. A, *Defunctis.* non beatis. 630. 2. B, licèt ex nostris operibus aliqua accidentalis gloria obiectiuè illis possit accrescere. ibid. D, damnatis ad nihil prosunt. 631. 1. A, neque pueris Limbi. 632. 2. B, & seq. sed solis animabus purgatorij, etiam ad remissionem totius pœnæ. ead. 1. E, Quomodo autem profuerint Patribus in sinu Abrahæ. ead. 2. A

19 Suffragia defunctis prosunt secundùm totum suum valorem. 638. 1. D

20 Suffragia in genere omnibus in Purgatorio existentibus prodesse possunt. ead. 2. C

21 Suffragia illi soli prosunt de condigno, cui ex intentione offerentis applicantur. 645. 2. D, illiq; soli directè impetrant. 646. 1. A

22 Suffragium quibus, & quomodo indirectè prosit. ibid. D

23 Suffragia viuentium non possunt valere defunctis de condigno ad aliquam consolationem, vel bonum motum internum recipiendum. 632. 2. D An verò hoc de congruo illis impetrari possit. 636. 1. C

24 Suffragium pro alio offerens, debet intendere illis suffragari. 645. 2. D *Suffragium offerentis dispositio.*

25 Suffragium offerens, vt fructuosum sit, debet esse in gratia. 640. 2. B, & facere opus proportionatum ad satisfaciendum, vt est à tali operante. 642. 1. D *Suffragium recipientis dispositio.*

26 Suffragium oblatum à prauo ministro nomine Ecclesiæ non habet effectum in ratione satisf. 641. 1. C

27 Suffragium pro existente in peccato, non habet effectum in illo recedente fictione. 639. 2. D

28 Suffragium non acceptatur pro non habẽte reatum pœnæ, vt posteà illi valeat, si peccet. ibid. C

29 Proprium suffragium satisfactorium requirit in eo pro quo offertur, statum gratiæ, & culpam remissam pro cuius reatu tollendo fit suffragium. ead. 1. B


## THESAVRVS ECCLESIÆ.


1 In Ecclesia est thesaurus præcipuè constans ex Christi

Christi meritis,&satisfactione. 584.1.2. infinitus. ead.2.E, spiritualis,& moralis. 685.2.A
2 Constat item meritis Sanctorum. 687.1.D,& satisfactionibus. 688.1.C,D
3 Thesaurus vt constans satisfactionibus Sanctorum, deseruit ad indulgentias. 689.2.E, 690.1.A, solumque per illas dispensatur, non à priuata persona, sed à Papa. ibid.D, 689.2.A, licèt non sit ad illas simpliciter necessarius. 695.1.B, 2.B, D, & seq. an verò possint alia via dispensari. 697.2.E
4 In veteri Ecclesia non fuit potestas thesaurum dispensandi. 689.2.E
5 Indulgentiarum efficacia pendet ex thesauro, saltem, vt constante Christi meritis, & satisf. 692.1. D,& seq.
6 Non tantum per indulgentias, sed etiam per sacramenta remissio fit ex Christi satisfactione ead.2.C,D
7 Remissio pœnæ temporalis facta sine satisfactione nostra, semper fit per applicationem satisfactionis Christi. 693.1.D,& seq.
8 Semper in Ecclesia concessæ sunt indul. ex thes, 694.1.B
9 Thesaurus non est necessarius ad remissionem externarum pœn. ibid. C, neque ad absolutionem à censura. ibid.D
12 Quæ satisfactiones applicentur per indulgent. quando intentio concedentis determinata non est. 695.2.B
13 Merita Sanctorum non conferunt vt maior concedatur indulgentia, quàm causa deposcat. 696. 2.B
14 Thesaurus, vt constans Christi meritis, aliis modis, quàm per indulgentias dispensatur. ibid.C
15 Nulla priuata persona, aut fidelium congregatio. potest priuarum congregare thesaurum. ead.1. C,D

*TIMOR.*
1 Dupliciter potest quis operari ex timore. 71.1.C
2 Operari, vel pœnitere ex timore, vt ex occasione excitante optimum est. ibid.D, & seq. item vt ex fine proximo, non excludendo finem vlt. 72.1.A
3 Timor gehennæ est actus bonus. 70.2.E, & seq.
1 Non est virtus simpliciter. 86.1.D,& seq.

*VEREC. VIRGIN.*
1 Non est virtus distincta à virtute Cast. 181.2.A, vnde vt virt. per pœnit. restituitur. ibid.B, licèt quoad materialem carnis integritatem non restituatur. ibid.

*VIRTVS. Acquisita.*
1 Quælibet virtus sicut odio habet quodlibet malum sibi contrarium, multò magis diligit contrarium bonum. 24.1.E, Acquisita per pec. mortal. vt sic non amittitur, nisi quatenus est illi contrarium. 175.1.D

FINIS.

DERECHOS DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
BIBLIOTECA PALENCIA



Suar. de Penitent, tom.

2.491